UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, M.DC.LXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94274

Visual Library



Th. 912a.

E VIII
3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORTEGA
In 4. part
D Via

ORTEGA
In 4. part
D Via

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

È SOCIETATE JESU,

THEOLOGIA

TOMIS DUOBUS DIGESTA.

ORTEGA
In 1. part
D. Via

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

E SOCIETATE IESU,

THEOLOGIA

TOMIS DUOBUS DIGESTA.

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

È SOCIETATE IESU,

QUONDAM SCOLASTICÆ THEOLOGIÆ

publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti;

IN SCHOLIS REGIA MVNIFICENTIA

Ad Imperiale Societatis Matritense Collegium erectis primarii Professoris: In Regio item Supremæ ac Generalis Inquisitionis Senatu à Theologicis Censuris, atque Toletanæ Diœceesi Hispan. Primat. Synodalis Examinatoris.

THEOLOGIA

CONTROVERSIARUM DOGMATICARUM,

& Scholasticarum, de Divina Essentia, Attributis non vitalibus, de Scientia, & de Decreto concurrendi cum causis liberis,

TOMUS PRIMUS.



Collegii Societatis Jesu

LUGDUNI, Paderborna 1691.
Apud JOANNEM-ANTONIUM HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXX.
CUM APPROBATIONE ET PERMISSU.

ORTEGA
In 1. part
D. Via



INDEX

Controuersiarum, Disputationum, Quæstionum, & Certaminum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

NVMERVS PAGINAM INDICAT.

CONTROVERSIA I.

De essentia Dei, eiusque vniuersalioribus, ac non vitalibus attributis. p. 1

DISPVTATIO I.

De Physica Dei existentia, eiusque cognoscibilitate. ibid.

Qvæst. I. AN Deum esse seu existere per se notum sit, p. 2
Certam. 1. Doctorum placita & dissidia composita. ibid.
2. *Deum est*, siue *existit*, nullatenus nobis per se & ex terminis notum est. p. 3
3. Oppositionibus antiquis recenter firmatis obuiatur. 4
4. Reliqua Recentiorum argumenta. 5
II. Sitne demonstrabile ex naturalibus Deum esse, siue existere. 6
1. Difficultatis & quæstionis scopus, notata & sententiæ. ibid.
2. Secunda hæc, eaque vera sententia probatur. 7
III. Demonstrationum existentiæ Dei, quæ hactenus sunt allatæ, examen, & solidarum ab apparentibus discretio. 15
1. Communia quædam atque euidentia principia pro veris demonstrationibus statuuntur. ibid.
2. Solidæ existentiæ Dei demonstrationes. 14
3. Demonstratio Aristotelica de motore primo: aliæque Antiquorum examinantur. 15.
4. Nouiorum demonstrationes de existentia Dei reiiciuntur. 17
IV. An Deum esse inuincibiliter ignorari queat! 18
1. Ad resolutionem notata, & Doctorum sententiæ. ibid.
2. Adstante prauo Atheo Doctore, vtraque inuincibilis ignorantia adesse rudi & indocto poterit; imo & priuatiua etiam moraliter, etsi ille absit.
V. An Deum esse, siue existere primo per fidei actum cognosci queat! 20
1. Difficultas proponitur. ibid.
2. Alia solutione reiecta Quæstio deciditur. 21

DISPVTATIO II.

De Dei Essentia.

Quæst. I. DE physica Dei essentia, siue Philosophica siue Theologica. 23
Cert. 1. Recentium Murcianorum sententia reiicitur. ibid.
2. Nostra sententia variis conclusionibus statuitur. 24
II. De essentia metaphysica Dei philosophica, 25

1. Doctorum placita. ibid.
2. Dei essentiam metaphysicam, philosophicam, solo prædicato entis, seu essendi à se contineri, verius nobis est. 27
3. Ab aliarum opinionum exclusione, sententiæ nostræ à ratione probatio quarta. 28.
III. An ens siue esse à se actu seu actuale sit essentia metaphysica philosophica Dei, quam assignauimus proximè. 31
1. Quibusdam positis, verior sententia eligitur, & fundatur Authoritate. ibid.
2. Rationibus eadem sententia stabilitur, atque ab oppositionibus asseritur. 32
IV. De essentia metaphysica Theologica Dei. 33.
1. Alter opinandi modus proponitur. ibid.
2. Verior sententia nostra stabilitur. 34
V. De essentia logica Dei. 35
1. Oppositæ hac de re sententiæ segniter à suis patronis vt plurimum probantur. ibid.
2. Solida vnicaque ratio Theologica negantis nostræ sententiæ illustratur. 36
3. De reliquis Dei & Creaturarum prædicatis statuitur. 37

DISPVTATIO III.

De Dei Attributis vniuersim siue in communi.

Quæst. I. AN in Deo Attributa, seu proprietates metaphysicæ sint? ibid.
1. Vera sententia, deiectis eius aduersariis occultis eligitur. ibid.
2. Præcisiones obiectiuæ inter essentiam & attributa ex earum in mysterio Trinitatis necessitate monstrantur. 40
3. Specialiora argumenta præcisiones obiectiuas inter essentiam & attributa confirmant. 42
4. Mutuâ essentiæ & Attributorum inclusione formali explosa, esse verè attributa metaphysica in Deo concluditur, aliisque leuioribus quæstiunculis fit satis. 44
II. An entio entis à se siue essentia Dei metaphysica, Attributa diuina metaphysicè transcendat, ac proinde hæc ab illa solùm in adæquatè distinguantur, ratione huius non mutuæ inclusionis essentiæ in attributis. 46.
1. Communior sententia, & pro nostra Decisione obseruationes. ibid.
2. Prima ac certa in hac quæstione conclusio statuitur. ibid.
3. Attributa diuina rationem entis à se substantiui metaphysici in se formaliter, & essentialiter non claudunt: quare neque ens à se, seu essentia metaphysica diuina transcendit Attributa, neque hæc inadæquatè solum ab illa distinguuntur, sed omnino adæquatè. 48
4. Rationibus communioribus eadem conclusio roboratur. 49
4. Specialius Theologicis rationibus eadem conclusio stabilitur. 52
III. De diuisione & numero diuinorum Attributorum. 52
1. Attributorum diuisiones recensentur. ibid.
IV. An diuina Attributa ab essentia, & inter se formaliter ex natura rei, nec solùm formaliter obiectiuè per rationem diuidantur? ibid.
1. Distinctio Scotica realis formalis, siue ex natura rei explicatur, atque ab authoritate reuellitur. 53
2. A ratione distinctio vera formalis ex natura rei Attributorum inter sese & ab essentia eliminatur. 54
V. An attributa diuina virtuali reali distinctione, & inter sese, & ab essentia distinguantur. 56
1. Affirmantis sententiæ Doctores & explicatio, & distinctionis huius virtualis realis antiquitas. ibid.
2. Realis virtualis distinctio inter Attributa necessaria inter sese & essentiam minimè admittenda. ibid.
3. Specialius virtualis distinctio inter communia abiicitur. 58
VI. De simplicitate metaphysica diuinorum Attributorum. 59
1. Prima, certaque apud Theologos Conclusio ac difficultas quæstionis explicata, & communis circa eam sententia. ibid.
2. Pro negante nostra sententia homogeneam compositionem metaphysicam probanda, notationes. 60
3. Negatiua nostra conclusio probatur, atque ab obiectionibus asseritur. 61

DISPVTATIO IV.

De Attributis negatiuis nomine in particulari. 62

Quæst. I. DE infinitate Dei Attributali. ibid.
1. Deum per essentiam, siue absolutè & simpliciter infinitum esse, ex fide & ratione constat. 63
2. Male infinitas Dei per essentiam, siue in genere entis statuitur à nonnullis. 64
3. Verosimilius infinitas Dei per essentiam, siue in genere entis explicatur. 65
4. Infinitatis per essentiam transcendentia examinatur. 66
II. De Immutabilitate Dei. 67
1. Quæstionis, seu difficultatis explicatio, atque Vorstij error. ibid.
2. Dei immutabilitas ex fide & ratione est. ibid.
III. An Deus mutabilis sit quoad actus libe-
ros

ros scientiæ & voluntatis suæ, negatiuè saltem. 68
1. Quæ negatiuam Dei quoad actus liberos scientiæ & voluntatis mutabilitatem, vel suadent, vel emolliunt, recensentur, ac repelluntur. 68
2. Deus quoad actus liberos Scientiæ & voluntatis etiam immutabilis prorsus, & inuariabilis authoritate, & ratione monstratur, & ex parte vindicatur. 70
3. Difficiliores ex Scientia obiectiones eneruantur. 71
IV. De immensitate Dei. 73
1. Catholica Dei immensitas contra errores dogmatice statuitur. ibid.
2. Eadem Dei immensitas ratione monstratur atque diuersum ab infinitate attributum esse ostenditur. 74
V. De vbiquitate Dei. 75
1. Erroribus contra vbiquitatem Dei relatis ea dogmatice stabilitur. ibid.
2. Non solum in rebus, & spatiis omnibus, quæ sunt, sed vltra sua immensitate infinitè porrigitur atque adest substantialiter Deus. 76
3. Dei vbiquitas à ratione ostenditur, & propugnatur. 88
VI. An ex operatione Dei vbique eius vbiquitas probetur. 79
1. Doctorum non sine animaduersione aliqua in recentiores Thomistas placitis relatis, Scoto consentio. ibid.
2. E Dei operatione vbique eius vbiquitas non probetur. 80
3. Neque ex adiunctis aliis fundamentis ratio præfata probat. 82

DISPVTATIO V.

De Attributis negatiuis nomine in ordine ad creatam cognitionem. 83

Quæst. I. SItne Deus oculis corporeis visibilis absolutè an inuisibilis. ibid.
1. Varia super hac re placita. ibid.
2. Tàm physicè quam metaphysicè Deum corporeis oculis videri repugnat. 84
3. Implicat etiam metaphysicè, visum, siue sensum aliquem è possibilibus eleuari ad Deum videndum. 85
4. Vrgentiores repugnantiæ huius probationes. 87
5. Inuisibilitas Dei sensu materiali absoluta, Dei Attributum esse, ex dictis ostenditur. 88
II. An Deus inuisibilis à creato intellectu naturalibus viribus sit. 89
1. Aliorum iudicia. ibid.
2. Deum visione aliqua scilicet beatifica naturaliter inuisibilem à creatura rationali esse certum ex fide est. 90
3. Inuisibilis ab intellectu creato naturaliter Deus omnino est. ibid.
4. Ratione probatur inuisibilitas Dei naturalis ab intellectu naturali creato & diluuntur obiecta. 92
III. An Deus viribus etiam supernaturalibus adiuto intellectu creato inuisibilis sit. ibid.
1. Negatiua conclusio certa de fide est vbi de aliquorum Patrum mente. 93
2. Probatur à ratione conclusio atque à nonnullis obiectionibus vindicatur. 94
3. Molestum Philosophiam & Theologiam magna ex parte transcendens calculatorium argumentum eluitur. 96
4. Veritas huius solutionis in infinitate secundum quid tantum specierum, & actuum supremorum. 97
IV. Sitne Deus ab intellectu creato comprehensiuè inuisibilis 98
1. De Comprehensionis natura & essentia aliorum placita. 99
2. Vera comprehensionis strictæ natura, & essentia cum patribus & scholasticis ferè omnibus traditur. 101
3. Dei incomprehensibilitas omnimoda ab omni intellectu creato statuitur, vbi de eius certitudine. 103
V. De ineffabilitate Dei. 105
1. Hac de re Patrum scholasticorum sententiæ. ibid.
2. Dei à creatura rationali quidditatiua physica ineffabilitas comprehensiua etiam naturæ viribus certa omnino est; secus secunda supernaturaliter. 106

DISPVTATIO VI.

De Attributis Dei negatiuis definitione. 107.

Quæst. I. DE Dei spiritualitate, seu incorporeitate. ibid.
1. Deum spiritum esse non corporeum dogmaticè contra errores stabilitur. ibid.
2. Eadem veritas à ratione probatur. 108
II. De Dei simplicitate. 110
1. Dei simplicitas vniuersim stabilitur. ibid.
2. Substantialis Dei simplicitas & incompositio speciatim monstratur. 111
3. Physica Dei simplicitas, seu incompositio accidentalis stabilitur. 112
III. Possitne Deus vt forma cum re alia, vt subiecto componere. 113
1. Deum informare propriè & conaturaliter rem aliam minimè posse dogmaticum est. ibid.
2. Neque arbitrarie & obedientialiter Deum creati alicuius formam esse posse monstratur. 114
IV. De Dei æternitate. 115
1. Dei æternitas de fide est, rectèque à Boëtio definitur ibid.
2. Æternitas propria Dei est, atque speciale eius Attributum. 116

3. Æternitas speciale Dei Attributum ab aliis diuersum ostenditur. 117
V. De vnitate Dei. 118
1. Maxima entis pedissequa, vnitas in Deo adstruitur. ibid.
2. Dei vnitas numerica, seu singularitatis physicæ & metaphysicæ monstratur. 119
3. Eadem veritas rationibus monstratur. 120.
4. Ex comparatione Dei ad creaturas demonstrationes reliquæ. ibid.

PISPVTATIO VII.

De Attributis Dei positiuis omnino. 121.

Quæst. I. DE veritate entitatiua Dei. ibid.
1. Veritas entitatiua, quæ passio entis est, Deo ex fide adest. 122
2. Veritas entitatiua Dei summa est & maxima atque ipsius Attributum est. ibid.
II. De Dei bonitate. 123
1. Summam in Deo bonitatem physicam & metaphysicam esse monstratur. ibid.
2. Bonitas hæc Attributum speciale Dei est. 124
III. De diuina perfectione. 125
1. Perfectionis vtriusque quidditas & essentia examinatur. ibid.
2. Perfectionem absolutè & multo magis simpliciter simplicem, Dei proprium, & speciale Attributum esse. 127
IV. De vita diuina. 128
1. Deum viuentem esse: ac proinde, in eo, esse vitam in actu primo. ibid.
2. Deum infinitè ac summe viuentem per essentiam attributaliter tamen esse: vbi huius prædicati à simili creaturarum distinctio. 129

DISPVTATIO VIII.

De omnipotentia Dei. 130

Quæst. I. AN sit omnipotentia in Deo. 131.
1. Omnipotentiam eamque infinitam in Deo certum esse ex fide & ratione naturali est. ibid.
2. Nonnullis difficultatibus occurritur vbi amplius omnipotentiæ essentia & infinitas explicatur. 131
II. Quidnam metaphysicè Dei omnipotentia sit. 134
1. Aliorum sententiæ reiiciuntur. ibid.
2. Voluntas diuina omnipotentia Dei tota formaliter est. 136
III. An omnipotentia, ac Deus connexus, an inconnexus seu independens sit à possibilitate creaturarum? 137
1. Deus nullatenus creaturis possibilibus physice connexus est; imò verò ab eis etiam tanquam à suæ entitatis termino est prorsus independens. ibid.
2. Itur obuiam aduersariorum argumentis. 139.
3. Alia recentium eorundem argumenta. 141.
IV. An omnipotentia vel aliquid Deo intrinsecum sit formalis possibilitas creaturarum. 142.
1. Opiniones & nostræ fundamenta nonnulla? 143
2. Satisfit aduersariorum recentium argumentis. 144
V. An chimærarum impossibilitas Deo identificetur. 146
1. Impossibilitas chimærarum nusquam Deo eiusve identificatur potentiæ. ibid.
2. Oppositiones recentiorum eleuantur. 148.
VI. An carentiæ contingentes rerum in aliquo diuino formaliter consistant. 149
1. Referuntur opiniones de constitutiuo formali carentiæ contingentis. ibid.
2. Carentiæ rerum contingentes in nullo vero esse positiuo consistere; sed puras rerum remotiones, & non esse earum monstratur vniuersim esse. 150
3. Carentiam contingentium rerum in nullo prædicato diuino stare speciatim contra recentes nostros monstratur. 153
4. Veritatis eiusdem argumenta plura statuuntur. 155
5. Pro veritate eadem argumenta reliqua oppositionum solutiones, reique totius conclusio. 156

DISPVTATIO IX.

De Dominio & regno diuino. 157

Quæst. I. DE dominio proprietatis diuino. 158.
1. Dominium proprietatis Deo competere erga purè creata omnia & vltra certissimum est. ibid.
2. Præfati aliique tituli dominij diuini examinantur: vbi de huius ad possibilia extensione. 160
II. De regia monarchica Dei potestate, quæ iurisdictionis dominium est.
1. Dominium supremum Iurisdictionis seu regia monarchica suprema Dei potestas de fide adstruitur. 161

CONTRO

CONTROVERSIA II.

De Scientia Dei. 163

DISPVTATIO I.

De diuinæ scientiæ existentia. ibid.

Quæst. I. AN Dei scientiam existere satis omnibus ab authoritate monstretur. ibid.
1. Ex omnium gentium authoritate scientiæ diuinæ existentia monstratur. ibid.
2. Diuinæ scientiæ existentia catholica de fide veritas est. 164
II. An diuinæ scientiæ existentia non fide solum certa, sed ratione etiam naturali sit euidenter nota. 165
1. Existentia scientiæ diuinæ euidens nobis demonstratiuè est.
2. A priori existentia Scientiæ Dei demonstratur. ibid.
3. Existentiam scientiæ diuinæ demonstrari de fide non esse: vbi & obiectionibus fit satis. 166
III. An ex prædicato substantiæ spiritualis, seu immaterialis diuino, scientiæ Dei existentia demonstretur. 167
1. Demonstratio instruitur atque de eius qualitate sententiæ. ibid.
2. Reliquorum discursuum examen & quæstionis resolutio. 168

DISPVTATIO II.

De his quæ diuinam scientiam verè præcedunt. 169

Quæst. I. DEturne verum in Deo potentiæ intellectualis prædicatum ab intrinseca scientiæ, siue intellectionis diuinæ possibilitate formaliter & metaphysicè diuersum? ibid.
1. Doctorum sententiæ atque imbelles verosimilioris affirmatiuæ rationes. 170
2. Solidiores affirmatiuæ nostræ sententiæ probationes. 171
3. Vlteriores à ratione probationes. 172
4. Quarta eiusdem sententiæ à ratione probatio ex prædicato viuentis. 173
5. A ratione probatio vltima & obiectionum solutio. 174
II. An potentia intellectiua (idem esto de volitiua) veram physicam, & absolutè talem respectu sui actus prioritatem habeat. 175
1. Vera physica prioritas absolutè talis potentiæ intellectiuæ communis respectu communis intellectionis à Deo relegatur ibid.
2. Subtiliores obiectiones propulsantur. 176.
III. Num in potentia intellectiua aut volitiua Dei physica actiuitas, & prioritas cum addito, formalis ex natura rei, vel virtualis admitti queat. 177
1. Authorum sententiæ. ibid.
2. Vera realis formalis ex natura rei, seu virtualis actiuitas, seu prioritas potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ diuinæ respectu suorum actuum necessariorum reiicitur. 179.
3. Reiicitur etiam respectu contingentium actuum. ibid.
4. Arrubalis & sequacium sententia explosa. 181
IV. An potentia intellectiua Dei veram aliquam intentionalem actiuitatem aut prioritatem, nec solum rationis & metaphysicam respectu suæ intellectionis sortiatur. ibid.
1. Recentiorum sententiæ & fundamenta. ib.
2. Nostra sententia. 183
V. An ad Dei scientiam quoad intrinsecam rationem eius, aliquod obiectum aliquo modo præcedat. 185
1. Deus eiusque intrinseca omnia, ac proinde scientia ipsa diuinæ scientiæ obiectum propriissimè sunt. ibid.
2. Deus solus, & qua Deus siue secundum essentiam specificatiuum diuinæ scientiæ formaliter est. 187
3. Qui obiecta alia à Deo ad diuinæ scientiæ obiectum primarium & specificatiuum aduocant confutantur. 189
VI. Præcedantne alia, quasi actiuè ad diuinam scientiam ex parte potentiæ vel obiecti. 192
1. Nullus habitus cognoscitiuus in Deo est admittendus, idemque est de volitiuo habitu. ibid.
2. Nulla in Deo speciei impressæ ratio ab obiecti ratione metaphysicè diuersa admitti debet. 193

DISPVTATIO III.

De obiecto increato Scientiæ Dei vt Deus de facto est. 195

Quæst. I. AN Deus totus, siue secundum omnia necessaria quæ de facto habet à seipso cognoscatur. ibid.
1. Deum se cognoscere certum de fide atque ex naturali ratione est. ibid.
2. Deus secundum se totum quoad diuina omnia cõiunctim à seipso cognoscitur. 196
II. An Deus sua omnia necessaria singulatim, ac præcisiuè alia ab aliis cognoscat? 197
1. Doctorum sententiæ referuntur & expenduntur. ibid.
2. Nostra verosimilior sententia stabilitur. 198

3. Difficiliorum obiectorum solutio. 199
III. An secundum statum possibilitatis præcisiuæ, alicuiusve futuritionis se cognoscat Deus. 200
1. Statuitur circa cognitionem possibilitatis suæ à Deo. ibid.
2. De cognitione futuritionis sui à Deo statuitur. 201
IV. An Scientia Dei per seipsam formaliter sumptam ab ipso cognoscatur. 203
1. Duabus confutatis tertia sententia eligitur. ibid.
2. Tertiæ nostræ sententiæ solidæ probationes. ibid.

DISPVTATIO IV.

De Sphæra obiectiua extrinseca scientiæ diuinæ. 204

Quæst. I. AN creata positiua sciat Deus. ibid.
1. Deum creata positiua cognoscere, certum ex fide & ratione est. ibid.
2. Obiectiones nonnullæ expediuntur. ibid.
II. An creata omnia secundum speciales & atomas eorum rationes cognoscat Deus. 205
1. Errores contra præfatam veritatem recensentur ab eisque vindicatur Hieronymus. ibid.
2. Diuina Scientia creatorum adhuc vilissimorum prædicata omnia atoma, etiam clarissimè attingit. 206
III. An Deus creata omnia in seipsis specificatiuè nec solum secundum proprias eorum entitates cognoscat? 208
1. Duplex quæstionis sensus aperitur Doctorumque in vtroque sensu sententiæ. ib.
2. Nostra prima conclusio stabilitur. 209
3. Secunda conclusio stabilitur. ibid.
4. Tertia & vltima conclusio, qua tandem tota quæstio dissoluitur. 210
IV. An creaturarum negationes cognoscat Deus? ibid.
1. Doctorum placita. 212
2. Carentia rerum creatarum secundum seipsas atque in seipsis cognoscit Deus. 213.
3. Oppositionibus obuiatur. 215
V. An impossibilia & chimæras, siue negationes possibilitatis cognoscat Deus? vbi de cognitione diuina entium rationis. 216
1. Doctorum sententiæ expenduntur. ibid.
2. Deus cognoscit secundum se & in se negationes possibilitatis, seu necessarias negationes impossibilium. 217
3. Cognitio & diuina efficientia entium rationis discutitur. 218

DISPVTATIO V.

De statibus in quibus præfata obiecta creata secundum se diuinam terminant cognitionem. 219

Quæst. I. AN creaturas secundum statum possibilitatis cognoscat Deus. 220.
1. Affirmatiua sententia eligitur. 221
2. Deus creata possibilia secundum suæ possibilitatis statum secundum seipsas cognoscit. ibid.
3. Secunda nostræ conclusionis pars & obiectionum solutiones nonnullæ. 222
4. Verior solutio. 225
II. An certo Deus cognoscat futura contingentia conditionata secundum se. 224
1. Quæstionis materia propria & pura statuitur. ibid.
2. Negatiua in re præsenti sententia recentiorum Thomistarum primorum scientiæ mediæ impugnatorum fuit. 226
3. Affirmatiua sententia vera, & omnibus iam scholis communis stabilitur. 228
4. Postremum, & celebertimum testimonium expenditur, & firmatur. 230
5. Anonymi, & Caramuelis cuasiones obtutato clauduntur. 232
6. Sententiæ nostræ veritas Augustini testimoniis illis etiam, quæ magis aduersarij videbantur aperte illustratur. 234
7. Ex aliis patribus eadem sententia monstratur. 237
8. Eiusdem sententiæ nostræ firmæ à ratione probationes. 239
9. Communis alterius rationis efficacia examinatur. 241
10. Oppositionibus ab authoritate obuiatur. 242.
11. Oppositis à ratione occurritur. 243
III. An Deus suos etiam liberos actus conditionate cognoscat futuros. 246
1. notanda, & aliorum sententiæ. ibid.
2. Tertia & communior sententia variis conclusionibus stata. 247
3. Argumenta aduersa vniuersaliora retunduntur. 250
IV. An futura absoluta, etiam contingentia, secundum se, qua talia, diuinam terminent cognitionem, sintque proinde obiecta saltem materialia ipsius? 252
1. Dominicanorum recentium futuritionis contingentium formalis constitutio explo-ditur. 252
2. Veræ Communis contingentium futuritionis sententia explicata atque in doctos recentiores animaduersio. 255
3. Futura, qua futura, à secundum se à Deo cognosci certissimum, de fide & ex ratione est. 256

V. An

V. An futura contingentia secundum se obiecta sint materialia, ac terminatiua diuinæ cognitionis. 257
1. Deum cognoscere ab æterno futura contingentia, nostra de fide est. ibid.
2. Rationibus eadem veritatis stabilitur. 258.
3. Demonstrationes aliæ expenduntur. 260
VI. An contingentium futurorum cognitio propria Dei sit. 261
1. Certam futurorum contingentium scientiam, in proprio Dei sensu esse authoritate probatur. ibid.
2. Eiusdem veritatis rationes à posteriori. 263.
3. A priori eadem veritas probatur. 264
4. Obiectionibus occurritur. 265
VII. Num propositiones singulares de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falsitatem habeant. 266
1. Doctorum placita, & pro veræ decisionis claritate notata. ibid.
2. Affirmatiua sententia authoritate Aristotelis fundatur. 268
3. Aliorum, & Patrum authoritate eadem veritas stabilitur. 269
4. Eiusdem veritatis demonstrationes Theologicæ. 270
5. Aliæ veritatis eiusdem naturales demonstrationes. 271
6. Obiectionibus occurritur. 273
VIII. An veritas præscientiæ præsertim diuinæ de futuris contingentibus & liberis illorum officiat libertati. 275
1. Rei difficultas & qui ob eam deuiarunt à verò. ibid.
2. Alterum concordiæ præfatæ & communis principium (quod præscientia ad futurum, contingens natura non præcedat, sed potius illud supponat, sequatur, atque ab illo quodammodo pendeat) statuitur. 278.
3. In idem principium, philosophum & scholasticos & rationem conspirasse. 281.
4. Colligitur authoritatis pondus rationis præfatæ ex patribus, & scholasticis disiectis testimoniis aduersis, & recitatorum tentatis euasionibus. 284
5. Ex fide, & ratione concordiæ præscientiæ cum futuri contingentis libertate asserta, & propugnata. 286
IX. An Deus cognoscat infinitum in actu? 289.
1. Ex doctorum placitis eligitur, ibid.
2. Obiectionibus occurritur. 290

DISPVTATIO VI.

De mediis materialibus scientiæ diuinæ circa omnia & singula eius obiecta hactenus statuta. ibid.

Quæst. I. AN decretum subiectiuè absolutum, & obiectiuè conditionatum sit medium materiale scientiæ Dei, de conditionatè contingentibus futuris. 291
1. Decretum hoc pro futuritione conditionata inutiliter & inconsequenter ab eius authoribus inducitur, pauculis nec notæ primæ. ibid.
2. Decreti huius impugnatores. 293
3. Decreta huiusmodi ad conditionatæ futuritionis contingentium statum ex scriptura reiiciuntur. 295
4. Vlterior decretorum eiusmodi ex scriptura, & authoritate Patrum confutatio. 298.
5. Peculiaria alia ex Augustino argumenta; vbi etiam S. Thomæ mens contra eiusmodi decreta aperta monstratur. 301
6. Rationibus ea ad futuritionem conditionatam decreta eliminantur. 304
7. Semipelagianorum, à Pelagianis in re præsenti discrimen, & error propalatur. 306.
8. Aduersariorum fundamenta eruuntur. 311.
9. Ex Sancto Thoma ab aduersariis opposita eleuantur. 314
10. Oppositiones à ratione eneruantur. 316
11. Reliqua siue à siue contra rationem opposita abiguntur. 318
II. An, futura absolutè sui in Dei æternitate præsentia egeant vt à Deo cognoscantur. 322.
1. Quæstionis ratio, & difficultatis Scopus. ibid.
2. Doctorum placita Sancti Thomæ, & aliorum ab affirmantis sententiæ impostura vindicatio. 324
3. Negatiua nostra sententia duplici conclusione contra duplicem sensum præfatum explicata ab authoritate probatur. 326.
4. Conclusio vtraque negatiua valide ab absurdis probatur. 328
5. Rationibus à priori, & vnici à ratione fundamenti aduersariorum euersione eadem conclusio secunda fulcitur. 329
6. Tertia negatiua conclusio directè quæstioni præsenti respondens & oppositionum solutio. 332

Index Controuersiarum,

DISPVTATIO VII.

De mediis formalibus, verificatiuis, determinatiuis, & motiuis diuinæ scientiæ erga omnia, & singula obiecta. 334.

Quæst. I. AN Deus se in creaturis, vt medio cognoscat, formali? 335.
1. In creaturis vt medio nusquam se Deus cognoscit? ibid.
2. Exarmantur aduersariorum fundamenta. 337.
II. An Deus in se tanquam in medio possibilia creata cognoscat. 338
1. Variæ sententiæ affirmantium. 339
2. Deum nullius prædicati diuini titulo creata possibilia in se tanquam in medio nosse iuxta aduersariorum modum primum. 340
3. Secundus modus dicendi affirmantem nostræ aduersam sententiam independenter à respectu transcendentali Dei ad creaturas reiicitur. 342
4. Vniuersim affirmans sententia eiusque fundamenta exploduntur. 345
5. Ex fundamentorum euersione affirmantis impugnatio postrema. 346
III. An futura siue conditionata siue absoluta Deus in medio aliquo noscat? 348
1. Nullum futurum conditionatum in medio aliquo Deus cognoscit. ibid.
2. Media formalia pro futuris absolutis naturalibus cognoscendis hactenus assignata referuntur & confutantur. 349
3. Media formalia, in quibus Deus futura libera creata cognoscere hactenus, dicitur, recensentur. 351
4. Media formalia Thomistarum recentiorum absolutè præcedentia natura atque abusu arbitrij creati omnino independentia, & generatim, & speciatim reiiciuntur. 353
5. Media formalia reliqua à nostris doctoribus assignata singulatim reiiciuntur. 354
IV. An in medio negationes possibilium & necessariæ chimærarum, seu impossibilium secundum omnes suos status ac insuper entia moralia à Deo cognoscantur. 356
1. Media negationum, omnium possibilium conditionatorum, & existentium examinantur. ibid.
2. Media formalia negationum & entium moralium excutiuntur. 357
V. An Deus ad aliud noscendum medio aliquo formali vti queat. 358
1. Non posse Deum medio aliquo vti ad quidpiam aliud cognoscendum ex medij physici ratione monstratur? ibid.
2. Ex medij physici ratione probatio secunda. 360
3. Ex perfectione Dei cognoscentis conclusionis eiusdem reliquæ probationes. 361
VI. An scientiæ diuinæ verificatiua ab ipsis differant obiectis. 362
1. Omnibus Communia, & supponenda, atque aduersariorum sententiæ. 363
2. Postrema hæc recentiorum sententia reiicitur. 364
3. Verificatiuum futuritionis vtriusque ab his recentioribus nostris assignatum speciatim refellitur primo. 365
4. Eiusdem sententiæ à libertate scientiæ Impugnatio secunda. 366
5. Principij aduersariorum solutio, & confutatio. 368

DISPVTATIO VIII.

De scientiæ diuinæ diuisione, & affectionibus, & diuinis idæis. 370

Quæst. I. QVotuplex scientia in Deo adstruenda sit. ibid.
1. Scientiæ diuinæ penes obiectorum status diuersos partitio, vbi de scientiæ mediæ membro & proprietate ratio prima. ibid.
2. Alia generalis diuinæ scientiæ in necessariam, & liberam, & additionis tertij membri scientiæ mediæ ratio secunda. 371
3. Diuinæ scientiæ perfectiones reliquæ examinantur, & explicantur. 373
II. De diuinæ scientiæ propriis affectionibus, & proprietatibus. 375
1. De diuinæ scientiæ certitudine & veritatis infallibilitate. 376
2. An diuinæ scientiæ simplicitas & indiuisibilitas, cum obiectorum diuersitate consistet. 377
3. Discursus ratio diuinæ scientiæ simplicitati repugnat, vbi de scientia quia, & propter quid. 378
4. Simplicis apprehensionis & iudicij distinctio, huiusque ratio diuinæ scientiæ simplicitati non officiunt. 379
III. De diuinis idæis. 381
1. Quid idæa diuina sit, examinatur & statuitur. ibid.
2. Obiectum quod idæa diuina sit extrinsecum Deo non est. 383
3. Quid diuinum Deo exemplar, & idæa propria est. 385
4. Quid diuinum idæa, & exemplar & quorum obiectorum Deo sit statuitur. 387
5. De veritate vel numero Idærum diuinarum & de sententia Augustini, & Anselmi tacta certamine 3. num. 7. fine, & Vvicleffi errore. 390

CONTRO

CONTROVERSIA III.

De Decreto, quo ad liberas creatarum voluntatum actiones absolutas Deus absolutè concurrit. 493

DISPVTATIO I.

De prædeterminatiuis creatorum actuum liberorum præfinitionibus Thomisticis vniuersim. ibid.

Quæst. I. AN præfinitiones prædeterminatiuæ actionum voluntatis creatæ per sacram liceant scripturam? 394
1. Asserentium præfinitiones conuenientia quæ est, esseque debet. ibid.
2. Non licent præfinitiones Thomisticæ per scripturam sacram. 395
3. Ex Ecclesiastici capite decimo quinto, eædem præfinitiones absolutæ futurorum absolutè contingentium apertius refelluntur. 397
4. Pro exclusione præfinitionum earundem alia scripturæ testimonia pugnant robustè. 402
5. Parabolis, metaphoris ac figuratis scripturæ locutionibus præfinitiones & reliqua principia antecedentia requisita est determinantia ad liberas nostras actiones confutantur. 406
II. Liceatne per patres Thomistica nostrorum absolutè contingentium præfinitio? 408
1. Patres præsertim Græci stant pro arbitrij nostri indifferenti ad vtrumvis potestate. ibid.
2. Alia pro eadem veritate latinorum patrum testimonia. 413
3. Ad libertatem arbitrij, necessitatem alterius partis,& (quod consequens) impossibilitatem alterius absolutam constanter apud Patres omnino excludi. 417
4. Arbitrij necessitas natura præcedens operationes, ab eisque in sui positione independens ab eius potentiæ & operationum libertate à recitatis patribus reiicitur. 423
5. Ex hactenus statutis scripturæ & Patrum principiis recentium Thomistarum præfinitiones euertuntur, horumque præcluduntur effugia. 427
6. Quæ ex scriptura & patribus contra statutam hactenus veritatem aduersariis sonant, eidem potius fauent. 433
III. An Conciliorum,& Pontificum definitionibus Thomistarum recentium præfinitiones ad absolutam contingentis futuritionem aduersentur. 438
1. Certa nonnulla pro expedita & genuina definitionum Tridentini contra Caluinum & Lutherum intelligentia prænotantur. ibid.
2. Argumentum contra præfinitiones Thomistarum recentium ex præfatis locis Tridentini de seruata libertate cooperationis nostræ à Deo vocante, & præmouente instruitur, eorumque tentata effugia è mente Caluinistarum, & contra Concilij mentem videri. 442
3. Ex ipsa hæreticorum confessione, & patribus, qui Tridentino adfuêre, de eove maiori cum laude scripserunt, conuenientia Thomistarum cum illis, nec non argumentis aliis expenditur. 448
4. Reliqua ex Tridentino expenduntur,&, quæ ex illo ab aduersariis obiectantur, diluuntur. 453
5. Ex reliquis Conciliorum, & Pontificum definitionibus præfinitiones Thomisticæ ablegantur. 455
IV. An per Academias & Sanctam Inquisitionem liceat præfinitionis Thomisticæ ad absolutam futuritionem contingentis necessitas. 458
1. Academiæ plures necessitatem præfinitionum Thomisticarum, seu cuiusvis principij essentialiter requisiti ad futurum contingens, huic connexum ab eoque in sui positione independens iam pridem firmiter excluserunt. 459
2. Æque contra easdem Thomisticas prædeterminatiuas præfinitiones Hispaniæ Academiæ reliquæ pro nobis pugnarunt: vbi de delatione S. Inquisit. 463
3. Quid à Sede Apostolica & Sanctæ Inquisitionis tribunalibus tentatum actumve re super hac refertur. 467
V. An per scholam veram Thomisticam & Philosophorum, & Magistri doctrinam prædeterminatiuæ præfinitiones liceant. 471
1. Philosophis non fatalibus omnibus ac Magistro sententiarum prædeterminatiuæ præfinitiones absolutæ actionum humanarum fuerunt semper inuisæ. ibid.
2. Sanctus Thomas pro nobis apertus est. 472.
3. Contra prædeterminatiuas præfinitiones Sanctum Thomam instare ex aliorum, & eius discipulorum insigniorum iudicio ostenditur. 477
4. E signis ab aduersariis præscriptis sententia, & schola nostra vere Thomistica euincitur. 483
VI. Quatenus per scholas alias, & religiones cæterosque Doctores liceant, prædeterminatiuæ præfinitiones. 488
1. Franciscana familia sua Scotica schola contra prædeterminatiuas præfinitiones pugnat acerrimè. ibid.
2. Nominalium (altera scilicet Franciscana, vt pluri

plurimum, schola) pro nobis contra prædeterminatiuas præfinitiones est. 492
3. Omnium Ecclesiæ religionum præstantes quique Doctores semper contra prædeterminatiuas præfinitiones decertarunt. 494.
4. Doctores exteri reliqui & nostri omnes prædeterminatiuas præfinitiones abiicientes recensentur. 497
5. Vtriusque opinionis pondere ab authoritate ad trutinam vocato valdè eleuatur Thomistica aduersa. 499
VII. An per rationem liceant prædeterminatiuæ præfinitiones. 501
1. Stata ac per se nota causæ liberæ definitio (quæ scilicet positis omnibus requisitis ex parte ipsius ad operandum potest operari, vel non operari,) ab authoritate, & ratione contra aduersarios aliquot statuitur. ibid.
2. E data causæ liberæ definitione & voluntatis libertate variè argumentum contra prædeterminatiuas præfinitiones instruitur. 505
3. Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur 506
4. Vlterior potentiæ assignatæ ad omissionem posita præfinitione impugnatio. 510
5. Solutio ex indifferenti iudicio præcluditur. 514
6. Euasiones aduersariorum aliæ præoccupatæ. 518
7. Euasio alia non adeo rigida de necessitate, & impotentia infallibilitatis, non absoluta præcluditur. 522
8. Prima dependentia præfinitionis à libertate nostræ voluntatis à Thomistis ex cogitata euanescit. 524
9. Ex impij iustificatione vlterior eiusdem solutionis impugnatio. 528
10. Dependentia alia præfinitionum ab exercitio libertatis nostræ à Thomistis excogitatæ præciditur. 530
11. Ab impossibilitate auxilij sufficientis præfinitiones de sese efficaces eliminantur. 534
12. A communibus præfinitionum harum consectariis absurdis eædem præfinitiones reiiciuntur. 538
13. Neque vltima solutione palinodiam recantante quidquam aduersarij præstant, 543.
14. Argumenta à ratione aduersariorum exarmantur, ac fortius in ipsos regeruntur. 546
VIII. An per alias rationes præfatæ liceant præfinitiones. 550
1. Peculiares à ratione impugnationes contra præfinitiones de se efficaces, & prædeterminatiuas. ibid.
2. A peculiaribus absurdis eædem præfinitiones impetuntur. 555
3. Postrema duo contra easdem præfinitiones absurda particularia. 558

DISPVTATIO II.

De præfinitionibus prædeterminatiuis ad materiale peccati. 560

Quæst. I. Liceantne per Philosophos, & Theologos Catholicos scholasticos, (præcipuè Sanctum Thomam eiusque veros discipulos) materialis peccati prædeterminatiuæ præfinitiones. 561
1. Vtriusque sententiæ explorati Doctores ad purum recensentur. ibid.
2. Ex discipulis Sancti Thomæ, præsertim pro affirmatiua citatis, negatiua nostra genuina Sancti Thomæ sententia esse conuincitur. 564
3. Pro negatiua nostra sententia constans, & expressus vbique Sanctus Thomas. 566
4. Locis, quibus aduersarij eis præfinitionibus Sanctum Thomam fouere volunt, eum habent aduersum. 569
5. Theologi reliqui hisce præfinitionibus aduersantur. 572
II. Liceantne per sacram scripturam ad materiale peccati præfinitiones prædeterminatiuæ. 576
1. Præfinitiones prædeterminatiuæ ad materiale peccati, sacræ paginæ videntur aduersæ. ibid.
2. Oppositionibus aduersariorum ex sacra pagina obuiatur. 581
III. An præfinitiones ad materiale peccati per Concilia liceant, & Ecclesiæ Patres. 586
1. Concilia præfinitiones Dei ad nostri peccati materiale condemnasse videntur. ibid.
2. Patres præfinitiones ad materiale peccati consone exhorrent. 589
3. alia ex statis Patrum sententiis, & testimoniis argumenta. 593
4. Cætera ex patribus argumenta. 598
5. Oppositiones ex patribus eneruantur. 602.
IV. Liceantne à ratione ad materiale peccati prædeterminatiuæ præfinitiones. 605
1. præfinitio prædeterminatiua Deum causam, authoremque formalis peccati absolutè facit. ibid.
2. Euasiones aliæ, quæ Deum in peccati causatione à culpa excusant. 607
3. Præfinitiones eiusdem ad materiale peccati impugnationes aliæ, & obiectionum solutiones. 612
4. Decreti indifferenter concurrendi natura enucleata lucem hactenus dictis affert. 616.
V. An ex vi præfinitionis prædeterminatiuæ per concursum aliquem Dei, vel per generale subtrahendi decretum posit Deus actum prauum vagè hunc, vel illum, siue in communi præfinire. 620
1. Deciditur difficultas prima. ibid.
2. De difficultate secunda definitur. 622
3. Diffi

3. Difficultas tertia expeditur. 623
VI. De præfinitione materialis peccati materialiter sumpti seu creaturæ non imputabilis. 625
1. De actione praua à solo Deo actiuè producta sententiæ. ibid.
2. Vtriusque difficultatis & totius quæstionis decisio. 626

DISPVTATIO III.

De aliorum decretorum diuinorum concurrendi cum creaturis rationalibus ad liberos earum actus examine. 628.

Quæst. I. DE decreto comitanti diuino concurrendi ad liberos creatæ voluntatis actus. ibid.
1. Decreti comitantis concurrendi authores, & modi omnes. ibid.
2. Negatiua conclusio contra priorem modum decreti comitantis independentis à scientia media speciatim statuitur. 629.
3. Eiusdem primi modi decreti comitantis per Deo intrinseca adæquatè constituti impugnationes aliæ. 631
4. Comitantis sympathiæ impugnationes reliquæ. 635
5. Decretum comitans etiam extrinsecùs constitutum, ac scientiæ mediæ subnixum admitti nequit. 636
II. De decreto diuino indifferenter ad nostrum consensum, vel eius oppositum concurrendi, vel concursum illum omittendi. 639.
1. Decreti indifferentis ad concurrendum cum creata voluntate Doctores, & explicationes. ibid.
2. Pro decreto indifferenter concurrendi clarius explicato standum est. 640
3. Tertia conclusio. 641



Facultas R. Patris Prouincialis Prouinciæ Toletanæ.

PHILIPPVS DE OSSA Soc. Iesu in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Ioanne Paulo Oliua Præposito Generali facultatem facio, vt Liber inscriptus *Tomus Primus Controuersiarum de Deo Vno*, auctore P. Christophoro Ortega nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio. Die vigesimo-septimo, mensis Iunij. Anno millesimo sexcentesimo, sexagesimo quinto.

PHILIPPVS DE OSSA.

PESMISSIONES.

VIso Priuilegio Prouincialis Soc. Iesu non intercedo Regis causa, vt Liber cui Titulus est *R. P. de Ortega Soc. Iesu Theologi de Deo Vno, &c. Tomis duobus comprehensus.* In lucem edatur à PETRO CHEVALIER huius Ciuitatis Bibliopola, cum prohibitionibus in hoc casu fieri solitis. Lugduni 24. Iunij 1671.

VAGINAY.

FIat iuxta consensum Procuratoris Regij, eadem die & anno.

DE SEVE.

CONTRO

CONTROVERSIA PRIMA.

DE ESSENTIA DEI,

EIVSQVE VNIVERSALIORIBVS,

Ac non vitalibus attributis.

DE Dei essentia, eiusque vniuersalioribus, seu non vitalibus attributis disputandum nobis præsenti controuersia erit. Dixi autem vniuersalioribus: quia, licèt Deo solùm, ita singularissimè conueniant, vt enti alteri conuenire repugnent; Ipsi tamen ex prædicato entis, quod secundis suo modo conuenit, coaptantur. Eiusmodi vero attributa sunt: Bonitas, localis eius præsentia, seu Immensitas, Duratio, siue Æternitas, Immutabilitas, Incomprehensibilitas, & Omnipotentia, & similia. Primò ergo de Dei essentia, atque existentia, vbi de eius etiam vnitate, siue immultiplicabilitate, agemus. Secundò de eius attributis in cõmuni. Deinde de illius attributis in particulari, Bonitate, Æternitate, Immensitate, Immutabilitate, Inuisibilitate, Incomprehensibilitate, &c. Ac demum de eius Omnipotentia. Quoniam verò, tum huius controuersiæ, tum reliquarum, quæ toto hoc opere instruendæ sunt, subiectum Deus vnus est, vt in operis fronte scripsimus, quid Deus, de quo agimus, sit, oportet, vtcumque, leuíque saltem, vt aiunt, calamo definire: siquidem præcipuum cuiusque scientiæ principium est subiecti, de quo ea disputat, definitio. Et quamuis de Dei essentia metaphysica exacta, ac rigida quæstio disput. 2. instituenda à nobis sit, sic interim Deum definio. *Ens increatum cæterorum omnium causa.* Ita enim omnes Deum concipiunt, licèt autem August. sæpè, Nazian. Damasc. Dyonis. Chrysost. Clemens Alex. Euthym. Cyprian. Iustin. Mart. & alij Patres (ex quibus idem censet S. Thom. 1. p. præfatione quæstionis tertiæ, quem Theologi interpretes vulgò sequuntur a. 3.) doceant Deum, nec definibilem, nec verbis à nobis explicabilem esse. Id tamen docent de proprio, & quidditatiuo Dei conceptu per species proprias; secùs autem per species alienas habito, atque discursu acquisito; Nam ita à nobis explicari, atque per proprietates nobis notissimas definiri posse docent Patres ijdem, vide August. tom. 9. lib. de cognit. veræ vitæ c. 7. Iustin. Mart. & alios.

DISPVTATIO PRIMA.

De Physica Dei existentia, eiusque cognoscibilitate.

AN Deus sit? primo loco videbatur disputandum. Maximè, cum ea de re Prothagoras Philosophus dubitarit, ac pro negatiua parte steterit Diagoras, Millesius, & Philosophi alij, quos referunt Cicero 1. de nat. Deor. init. Plutarch. 1. de placit. Philosoph. cap. 7. Lactant. 1. diuinar. institut. cap. 2. Euseb. Cæs. 4. de præparat. Euang. cap. 6. August. 3. contr. litter. Petiliani c. 21. Theodoret. 2. & 3. Græcan. affect. Nec miseris nostris hisce sæculis desunt, qui, vt peioris suis moribus, absque vllo timoris retinaculo copiam faciant liberiorem, Deum è medio tollant, ne illum prauarum suarum actionum Iudicem, ac vindicem formident: eademque de causa, vitam Deo negent, qua animis nostris mortem concedunt: vt videre est apud Lindanum, & Stanislaum Prœstium lib. 1. de Atheistis Euangelicor. & Prateolum lib. 1. hæresi 77. cæterùm veritas existentiæ Dei supponenda hic potius, quàm disputanda, visa est. Tum quia expressam in scripturis sacris, vnde præcipua Theologis petenda probationum principia: Exodi 3. *Ego sum, qui sum*, & inferiùs, *qui est misit me ad vos*: vti pro hac veritate doctè, & acutè interpretatur Pererius noster d. 12. & 13. ad Hæbr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, &c.* Tum etiam; quia nulla vnquam, tam rudis, & barbara extitit natio, cui aliquod Dei existentis lumen, non affulserit: vt Dei existentis aperta notitia naturis hominum congenita, inditáque esse videatur; vt præter Ciceronem testantur Nazianz. orat. 2. de Theolog. Arnobius 2. aduersus Gent. circa med. Nyssen. 1. de Beatitudinib. ad id *Beati misericordes*. Hieron. ad id Iob. 36. *Omnes homines vident eum.* Chrysost. hom. 3. in cap. 1. ad Rom. sub init. Damasc. 1. de fid. cap. 1. atque plures alij Patres relati

relati à Fassolò 1. p. q. 2. art. 2. dub. 2. Vasq. d. 19. c. 1. Granad. contr. 1. tract. 1. d. 1. Tanner. d. 2. q. 1. dub. 3. Guillio. lib. 1. tract. 8. c. 1. idcirco acutè August. de insipiente illo, qui Psalm. 13. dixisse refertur *in corde suo non est Deus* : obseruauit in corde suo id dixisse : quia quantumuis stupidus ore id dicere præ rubore non auderet : quod si aliquis adeo procacis stultitiæ fuerit, vt ore etiam dicere audeat ; rationibus q. 3. cert. 2. pro ea veritate instruendis, conuincendus erit.

QVÆSTIO I.

An Deum esse, seu existere per se notum sit?

QVidquid à nobis cognoscibile est, vel est per se, vel per aliud, vel vtroque modo cognoscibile. Quod primo cognoscimus modo per se notũ appellamus quia è sola terminorũ, quibus illud obiectiue cõstat, apprehensione illi assentimur, atque ita esse, sicut apprehensione cognoscimus, iudicamus. Quod autem secundo solummodò cognoscibile est, notum dicimus per aliud: quia alio, quàm terminorum apprehensione mens eget, vt eorum connexio, siue identitas innotescat menti, vt assentiatur. Primi generis sunt, prima cuiuscumque facultatis principia, & cuiuscumque subiecti essentia, primáque, siue ex primis passio ; secundi verò, quæcumque inde discursu, & medijs appositis deducuntur conclusiones. Ea verò, quæ per se nota sunt, plerumque sunt & per aliud nota, quia, & per principia, alterius scientiæ probari, demonstrarique à priori possunt non tamen respectu eius cui per se illa nota sunt, respectu cuius media alia (excipe reuelationem) vim ad assensum motiuam habere nequeunt : licet autem per se, & per aliud notum de probabili notitia æquè atque euidenti dici valeat, de euidenti tamen, & certa, vt communiter vsurpatur, hìc agendum est. Vt autem amphibologiis, & inutili conclusionum multiplicatione abstineamus, de per se noto viatoribus disputabimus. Nam Beatis per se notum esse Deum existere, tam certum est, quam Deum à Beatis per speciem propriam siue ab ipso distinctam, siue indistinctam, intuitiuè, atque, vt in se existens est, videri, quod fieri nequit nisi, identitas, seu, quod idem est, connexio existentiæ cum Deitate videatur.

CERTAMEN I.

Doctorum placita, & dissidia composita.

MAgnum hìc, inter Thomistas, & Scoticos præcipuè, dissidium circa diuisionem propositionis obiectiuæ in per se notam, secundum se, & per se notam, quoad nos ; eam nimirum approbantibus S. Th. Caiet. Bann. Molina, Valentia Vasq. Zumel. Fassol. Nazar. Frigoso, Tannero, Granado, Gillio, Alberto Magno, Bonau. Ægyd. Argentina, Abulensi, Lyrano, & Palatios, locis infra citandis ; reprobantibus verò Scoto, Henrico, Okamo, Gabriele, Gregorio, Smising. reliquisque Scotistis, & Nominalibus, quibus pugnacissimè noster Ariaga adhæsit. 1. p. t. 1. d. 2. sect. 1. vtramque tamen scholam, & sententiam ita nostri Molina, & Vasq. Soar. & Tanner. conantur componere, vt modo sonum loquendi, ac vocum tenus dissideant. Vt autem hac de re æquum feratur iudicium nonnulla à nobis de propositione supponenda sunt. Sed prius animaduertendum nullam esse obiectiuam propositionem, quæ per species proprias cognita, per se nota, aut noscibilis ab intellectu non sit : quia, si ita cognoscantur, extrema per se reuera identificata, & connexa, non poterit non euidenter eorum connexioni visæ, intellectus assentiri ; constat inde præfatam diuisionem propositionis per se notæ secundum se per proprias species, & quoad nos per alienas, à nullo negari posse. Imò id, & Scotistæ ipsi admittunt, dum aiunt Deum Beatis, & cum per species proprias cognoscentibus per se notum esse, non autem ita per se notum esse nobis. Solum ergo inter Scoticos, & Thomistas in diuisione præfata circa propositionem per se notam secundum se, & quoad nos respectu cognoscentium per species alienas, versari potest dissidium, quod tamen nullatenus versatur, sed neque nisi æquiuoca acceptione termini, *nobis per species alienas cognoscentibus*, inter doctos versabitur. Si enim voces *nobis ita cognoscentibus*, nos omnes comprehendant, vt in quæstione præsenti : nihil, quod vni per se notum deprehendatur, nobis per se notum dubitari potest : quia ille vnus in tota nostri collectione continetur : quare, licet aliis hebetioribus per se notum non sit, nobis absolutè per se notum dici debet : quemadmodum prima scientiarum principia, licet rudibus, & imperitis per se nota, imò, per aliud nota non sint, nobis tamen per se nota dicuntur, quia subtilioribus, & bene dispositi intellectus, qui in nostri omnium collectione numerantur, per se, ac sine medij adminiculo, terminorum connexio ita innotescit, vt illi sine hæsitatione, aut formidine assentiantur. Sin verò nostri nomine non tota hominum per species alienas cognoscentium significetur collectio, sed collectionis eius pars tantummodò, certum omnino id, quod parti hominum doctiorum, subtiliorumque per se notum est, alteri hominum rudiorum parti, non per se notum esse posse : quia subtiliores, meliusque dispositi intellectus facilius, meliusque hebetioribus in eisdem apprehensis terminis eorum connexionem, ob quam assentiantur penetrare compertum ipsâ experientiâ est : per se autem nota nulla dicuntur, nisi in ordine ad intellectum cognoscentem.

2 Quo posito, in re præsenti veritatem, seu propositionem obiectiuam *Deus est*, siue *existit* per se notam nobis non solùm secùdum se, sed nobis etiam, peralienas species adhuc Deum cognoscentibus (vt omnes ita cognoscentes includamur) docuisse referuntur. Magnus Albert. Bonau. Ægidi. Argentina, Abulens. Lyran. & alij, quos sequuntur Palacios quæst. 5. Prologi, & recenter noster Antonius Perez Valiende. Quia censet per se notũ esse existere in rebus aliquod ens simpliciter necessariũ, siue essentialiter existens, non dependens à causa prima, neque habens superiorem. Contra vero Scotus in d. 2. q. 2. cum suis. Henricus, Okan. Gabriel. Greg. cæteriquè Nominales, quos sequuntur Arriaga citatus, & Theod. Smising. tract. 1. de Deo vno d. 1. q. 1. Negant eam propositionem absolutè loquendo per se notam esse, qua in re consentiunt cum S. Th. 1. q. 2. art. 1. eius interpretes. Caiet. Bonac. Molin. Val. Vasq. Fassol. Grana. Tanner. Zumel. Nazar. Frigosus, & alij, atque Soar. d. 29. Meth. sect. 3. Gill. lib. 1. tract. 8. cap. 2. Quiros tract. 2. d. 12. Recentiores Murciani, sæpe à nobis laudati controuersiis de Incarnatione, docent primò : Deum per se notum nobis esse, seu quoad nos per species alienas cognoscentes, quocumque modo Deus concipiatur : qua in re cum primæ sententiæ Doctoribus videntur conuenire. Secundò docent, Deum sub nullo alio conceptu, quàm primæ causæ, & gubernatoris mundi existentis, vt existentis, concepto etiam expressissimè Deo, nullatenus nobis per species alienas cognoscentibus, per se notũ esse. In re vero, & ab eis Doctoribus, & à se ipsis discordant ; vt ex terminis vtriusque propositionis patet. Si enim eo solum modo concepto Deo nobis ita cognoscentibus per alienas species, ipsum existere per se notum est : ergo non quouis modo concepto Deo nobis cognoscentibus per se notum erit : vt propositio prima statuebat.

3 Sed & in secunda hac propositione sua, à quæstionis scopo, & à veritate iidem Recentiores aberrant. A veritate quidem ; quia (vt omittam modò quæ cert. 2. num. 3. contra huius conclusionis veritatem commodius dabo) etsi Deus sub conceptu causæ primæ mundi existentis concipiatur, non ita per se notum statim est ipsum existere, vt, subtiles etiam, ac non hebetis intellectus, Dei existentiæ nequeant dissentiri. Etenim, licet certum nobis omnino ex discursu sit, causam Physicam suo effectui necessariò durationè simul coexistere, imò, & naturæ, seu causalitatis ordine præexistere debere : ait per se, & ex terminis notum, non est, vt hebetes solum modo homines id negare queant ; alioqui intolerabile deduceretur absurdum. Nimirum Dominicanos Thomistas, à nostræ societatis Thomistis valde alienos, esse homines hebetissimos,

mos, & qui per se nota non calleant: quando quidem materiam primam Physicè causare formam, quin ad eiusmodi causationem existentia opus habeat, constanter docent, licet enim formæ à se causatæ existentia illam existere doceant, ac proinde suo effectui coëxistere: id tamen non ex prædicato causæ, sed ex effectus natura prouenire certum in eorum principiis est: quare in eisdem ex prædicato causæ, & causationis effectus, causam actualem suo effectui coëxistere debere, non videtur per se notum; nisi stupidissimos esse Dominicanos Thomistas absurdissimè admittatur: ergo Deum, vt causam primam mundi existentis, existere per se notum non est.

Sed & à quæstionis scopo manifestè, vt dixi, iidem Recentiores aberrant. Quæstio enim est: an Deum esse, vel existere, siue hæc propositio *Deus est* vel *existit*, sit ex terminis, seu quod eodem recidit, per se notum? non autem, An addito illi termino, seu subiecto *Deus*, alio syncathegoremate Deum existere per se notum sit? etenim dubium esse nemini potest alicuius syncathegorematis adiunctione huic termino *Deus*, Deum sub illo, seu cum illo existere per se notum esse: Nam addito syncathegoremate existentis Deum existere, v. g. *Deus existens existit*, per se notum, non solum acutum cernentibus, sed rudioribus per se notum est. Et inquiro à Recentioribus, an illo syncathegoremate *causa prima mundi existentis*, quod termino *Deus*, subiungunt aliquid significetur, addaturque significati, quod in termino *Deus*, præciso nobis per species alienas cognoscentibus non intimetur, vel nihil addatur? si nihil: benè concepto eo termino *Deus*, præciso ac sine illo syncathegoremate adiuncto per se notum nobis erit Deum existere contra Recentiores: si autem aliquid significati illud syncathegorema addit, aliam propositionem & veritatem obiectiuam reddet, ab ea de qua inquirimus: ac proinde ea responsio, ere, & quæstione præsenti non est, vt de sese patet. Explicatur hoc, & Confirmatur ad hominem. Quia, vt ipsi Recentiores benè obseruant, propositiones, in quibus syncathegoremata termino, seu subiecto alterius adduntur, eædem cum illa altera non sunt; sed plerumque discursum continent virtualem: ergo hæc propositio. *Deus causa prima mundi existentis existit.* Diuersa & obiectiue, & formaliter est ab hac. *Deus existit.* Imò virtualiter discursiua est: huic si quidem discursui æquialet aperiè: omnis causa coëxistit effectui: ergo Deus causa prima mundi existentis existit, seu coëxistit suo effectui existenti. Et quidem vbi syncathegorema adiunctum termino ipsi conuenire, non nisi ex discursu nobis pro hoc statu innotescit, in ea adiunctione discursum, saltem virtualem, intercedere certissimum est. Deũ autẽ esse causam primã mundi existentis, seu huius causam primam dari, discursu solum pro hoc statu assequimur: ac proinde in syncathegoremate illo ex parte subiecti, *Deus*, addito, discursus necessariò, saltem virtualis, intercedit: id autem, quod sine discursu, vel virtuali, vel formali nobis innotescere non potest, per se notum nobis nequit esse, vt de se patet. Malè ergo præfati Recentiores, & extra rem respondent quæstioni: An Deum existere sit nobis per se; & ex terminis notum esse quidem per se notum, *si vt causa prima mundi existentis* concipiatur; terminum addentes alium, vel syncathegorema aliud significans nobis, quàm subiectum nudum; cui additur, & continens discursum virtualem. Confirmatur ad hominem secundò; quia eodem assensu, quo connexioni prædicati cum subiecto assentimur explicitè, per hos connexioni syncathegorematis additi subiecto cum subiecto eodem, virtualiter, & implicitè necessariò assentiri debemus: ergo, cum syncathegorematis connexio cum subiecto per se nota non est, totum, cui assentimur, per se notum esse nequit.

CERTAMEN II.

Deus est, siue existit. *Nullatenus nobis per se, & ex terminis notum est.*

1 COnsentimus vtrique Thomisticæ, & Dominicanæ & Iesuiticæ nostræ scholæ; non tamẽ pluribus vtriusque probationibus assentimur. Probãt primo nõnulli; quia, cum Deũ per species proprias non cognoscamus, propriũ de eo conceptum non habemus: ac proinde nec nobis, quod sit per se, notum esse potest. Sed contrà: quia, cum nullius principij methaphysici, nec logici, imò neque alterius scientiæ species proprias habeamus, nullum prorsus principium per se notum habebimus. Eidem impugnationi subiacet nostri Vasquez ratio. Nempe non esse nobis per se notum Deum esse; quia, cum nonnisi relatè ad creaturas cogitare, atque apprehendere possumus. Id enim ipsum est à nobis Deum per creaturarum species alienas, ac nõ ipsius proprias pro hoc statu necessariò concipi. Neque alia impugnatione opus habet S. Th. & Thomistarum ratio latè à Fassolo nostro propugnata: quod scilicet de Deo nescimus *quid sit*, ac proinde neque, *an sit*? nobis per se notum esse potest. Si enim de nostra ignorantia, *quid sit Deus*, per species proprias loquantur, eadem hæc ratio est cum impugnata prima. Per species verò alienas, *quid sit Deus*, melius cognoscimus, quàm de rebus aliis quamplurimis, vti controuersiæ huius præfatione videbamus: meliùs enim Dei attributa plura, quàm aliarum plurium creaturarum passiones nobis innotescunt.

2 Quartò probat Molina. Quia Deum esse credibile est fide diuina. ad Rom. 1. & ad Hebr. 11. ac proinde per aliud noscibile: ergo non est per se notum. Probatur consecutio primò: quia fides, & euidentia, nedum per se notio, de eodem obiecto nequeunt consistere. Secundò: quia noscibile per aliud, nequit per se notum esse. Negatur tamen consequentia, quia fidem, & euidentiam veritatis eiusdem componi facilè, & connaturaliter posse ostendimus controuers. de incarnatione, & fusius controuers. de fide: atque quæstionis huius præfat. vidimus idem per se, & per aliud notum simul esse posse: quinto idem Molina, Valentia, Tanner, & alij probant; quia per se notum euidens à nemine potest negari; negatur autem ab eis, quos memorabamus præfatione Deum esse: ergo per se notum non est. Distingue maiorem, à nemine benè dispositi intellectus fateor; malè dispositi, vel naturâ, vel passionibus intellectus, nego. Huius autem conditionis sunt, quos ibi Deum esse, vel dubitasse, vel negasse memorauimus. Hi verò, & euidentibus per demonstrationes (quæ quandoque aliis per se notis euidentiora sunt) dissentiunt. Sextò demum Arriaga probat: quia, siue Deus causam primam, ens necessarium, siue omnium præstantissimum significet, difficulter demonstratur: ergo non est per se notum. Mala consequentia. Nam per se nota, licet aliunde demonstrabilia plerumque sint, eo opus non habent, vt sint per se nota: imo per se notissima difficilius aliis, non ita notissimis, demonstrabuntur.

3 Probatio potissima ea semper mihi visa est, quæ ab experientia desumitur. Etenim, quod ex se, & ex terminis notum nobis pro hoc statu est, à subtilioribus, rectèque instructi, atque dispositi intellectus, auditis, ac perceptis pro huius status modulo terminis, nec dubitationi, ac multo minus, eorum dissensui subest, per se notum esse: atqui Deum esse ex terminis esse notum subtilioribus, sapientioribúsque cunctis in quæstionem, & dubium, ita vocatur, vt nemo non sentiat, negatiuam partem esse probabilem, pluréſque ex illis, vt vidimus, per se notum esse negant. Ergo Deum esse, siue existere per se, seu ex terminis notum non est. Hanc rationem æstimo fuisse nostrorum Doctorum probationis quintæ datæ, atque vt sonabat, confutatæ num. 2. circa medium. Atque hac ratione confutantur Murciani Recentiores; quia subtiliores illi sapiẽtioréſque Theologi, qui Deum esse per se notum negant, Dei nomine primam causam mundi existentis, vt existentis percipiunt: ergo, nec sic concepto expresse Deo, illum existere per se notum nobis, pro hoc statu est. Si quid nostra hæc ratio probat.

4 Secunda ratio à priori est, quam non satis explicarunt Doctores rationis primæ: nec Vasquez cum assectis ratione sua secundo loco posita; neque eius interpretes in ratione S. Th. tertio loco recitata. num. 1. penetrarunt. Etenim rerum spiritualium per alienas species, nedum Dei per alienissimas, pro hoc statu comprehensarum, non ita penetramus essentias, vt primas earum passiones, imò neque essentialia omnia, vt hæc omnia in eis sine discursu possimus deprehendere: sed ex his solum per se

nota nobis ita cognoscentibus esse debent: ergo existentia Dei, siue in conceptu quidditatiuo, adæquato Dei continebatur, siue prima eius sit passio, per se nota nobis non erit. Neque obest, prima, etiam principia per species alienas, etiam à nobis apprehensa per se nota nobis esse: obiecta enim, seu terminorum, spiritualium rationum, seu obiectorum non sunt, sed ab eis abstrahentium, & vniuersaliorum rerum, eóque titulo nobis notiorum, quàm spiritualia minus vniuersalia, præcipuè, quàm singularissima Dei natura. Confirmatur, quia si ea, qua Dei naturam, & essentiam pro hoc statu concipimus, apprehensio satis esset, vt eam omnino, atque eius passiones primas, & cum eis connexionem penetraremus, ipsius fœcunditas, ad intrà, ac personalitates per se, & immediatè, atque ex terminis nobis innotesceret; cum tamen hæc, ne discursu quidem probabili, nedum euidenti assequi pro hoc statu possimus: vtpotè, quæ sola diuina fide nouimus.

CERTAMEN III.

Oppositionibus Antiquis Recenter firmatis obuiatur.

1. IAm antiquis, & communioribus obiectionibus primo loco occurrendum erit. Atque (vt mittam modo à pluribus Patribus, & Philosophis citatis in disputationis præfatione, veritatis existentiæ Dei cognitionem hominum naturis congenitam dici; sic enim congenitæ etiam dicuntur cognitiones veritatum, non solùm per se notarum, sed, quæ naturæ lumine, & rationis naturalis ductu, absque disciplinæ alicuius exercitatione, & labore multo innotescere nobis: discursu possunt] Obiicitur Ansel. c.2.3. & 4. Prosologij, & libris, *pro insipienti, & contra insipientem.* Ita contra insipientem Psalmi.13. discurrens; qui non stolidè Deum cogitat, id cogitat, quo maius quid cogitari nequit; ergo cogitat, imò iudicat statim Deum existentem. Patet: quia rem existere re ipsa, maius, meliusque est, quàm non existere reipsa, sed sola cogitatione: quare, si id cogitat, quo nihil maius cogitari potest, cum Deum cogitat, cogitat existentem reipsa, & à parte rei: existentem vero reipsa, & à parte rei, existere innegabile & ex seipsis terminis, notum est: ac proinde nequit non intellectus statim ei veritati assentiri: quemadmodum neque negabiles sunt, *Deus sapiens, est sapiens*: *Deus bonus, est bonus.* Neque hæc, *homo animal rationale, est animal rationale*: quia identitas prædicati cum subiecto ponitur cognita in ipsa apprehensione subiecti in eis omnibus propositionibus.

2. Posset ob hæc aliquis insufficientiæ notare solutionem communem ex S.Th.1. part.qu.2. art.1. ad secundum adhibitam, minus explicite proposito argumento Anselmi: quòd scilicet, ex apprehensione, non statim nos debeamus assentiri, siue dissentiri non possimus rei de facto reipsa conuenire, quod de illa, siue in illa apprehendimus: imò pluribus, quæ ita apprehendimus defacto dissentimus. Verum communis S.Thom. solutio firma prorsus est, & argumenti fallaciam satis prodit. Etenim, quicumque negant secundum Deum existentem, aut alium mundum existentem eos, vt existentes apprehendunt, cum eorum existentiæ dissentiuntur; & tamen in secundo Deo apprehenso Anselmi argumentum apertè instatur. Nam, vt negetur, necesse est vt apprehendatur, cum magnitudine, & perfectione Dei: ac proinde, vt ens, quo nihil maius, ac melius excogitari queat: quare, vt realiter existens; ideo enim negatur, quia cum perfectionibus vnius veri Dei cogitatur. Aliud enim est apprehendi, atque esse ens, quo nihil maius, aut melius excogitari potest, ac proinde realiter existens in statu obiectiuo; aliud autem esse eiusmodi ens in statu reali absolutè existens. Ad hoc enim opus est, vt ex eius existentia nulla sit in rebus contradictio; nusquam autem ex apprehensione existentiæ realis apprehensæ futura sit contradictio necne, à nobis pro hoc statu Deum cognoscentibus, vt ens, quo nihil maius ex cogitari potest penetratur: quare neque connexio existentiæ illius realis, quæ apprehenditur cum Deo apprehenso existenti, vt opus erat, ad hoc vt mens non posset eius existentiæ dissentiri, seu non assentiri, siue expresso assensu, siue virtuali & implicito: qui semper adest circa Syncathegoremata additum subiecto: qui enim assentitur huic *Petrus albus currit*, expresse virtualiter, & confuse assentitur huic *Petrus est albus.*

3 Ad hæc: cum existentia absoluta in statu reali sit de contingentibus entis prædictis: atque contingentia prædicata, eorumque connexio cum subiectis, nusquam sint nobis ex terminis & per se nota, sed vel experientia sensuum, vel inde ducto discursu innotescant: vt patet in hac. *Petrus currit, Petrus est albus*, & similibus: fieri nequit, vt existentiæ Dei apprehensæ ex parte subiecti, vt eius syncathegorema, Anselmi propositione, atque repetita ex parte prædicati, ex terminis ipsis expresse, ac virtualiter simul, & confuse absque aliquo alio medio, vel experientia assentiamur: quare nec fieri potest, vt Deum absolutè in statu reali esse, siue existere per se notum nobis sit. Tota ergo argumenti illius vis in æquiuoco laborat. Licèt enim cogitet Deum realiter existere, quia id melius, maiusque est cogitatione: inde solùm infertur Deum cogitatione, & in statu obiectiuo esse existentem realiter, eique veritati dissentire non poterit. Ast absolutè & in statu reali existere, assentiri ex terminis, dissentireve non poterit: quia an Dei existentia absoluta repugnet, vel, cum è prædicatis enti contingentibus sit, illi conueniat, ex terminis ipsis perspicuum esse nemini potest, sed aliunde debet ei innotescere: ac proinde per se nobis pro hoc statu notū esse nequit. Vnde in eo, quod apprehensio illa, vi cuius assentiendum existentiæ Dei absolutæ, & in statu reali, supponit. Nempe melius, maiusque esse existere, seu esse, quam non esse, ac non existere discursu opus est, vt ei mens pro hoc statu cognoscens virtualiter, & implicitè assentiatur: ac proinde non sine discursu, mediatè nimirum, & per aliud.

4 Obiicitur tertiò. Hæc propositio *Deus est, vel non est*, est propositio nobis pro hoc etiam statu per se nota: ergo, & hæc propositio *Deus est.* Si enim pro hoc statu possumus ita euidenter penetrare connexionem subiecti cum prædicato primæ propositionis: cur non possimus, & connexionem subiecti cum prædicato secundæ. Sed disparitas est facillima: quia esse vel non esse est notissima cuiusque entis passio; ac proinde entis vniuersim sumpti: ex quo prædicato vniuersalissimo conuenit etiam Deo: ast esse determinatè non prædicati vniuersalissimi, ac nobis notissimi est: quin nulli alteri enti, quàm Deo, conuenit: quare particularissimo Dei prædicato ipsi conuenire certissimum est: Particularium verò, præcipuè spiritualium, passiones, earumque cum ipsis connexio à nobis pro hoc statu per se non penetratur, ex dictis cert.2.n.4.

5 Iam obiicitur. Hæc propositio *Deus est colendus*, est per se nota: ergo & hæc. *Deus est.* Recentiores Murciani concesso antecedenti negant cum Gillio, Faassolo, & Molina consequentiam. Quia cognita per discursum passione prima Dei, cuiusmodi existentia est, potest bene secunda esse ex terminis nota. Sed melius negabitur antecedens cum Mairone in 1. disp.2. quæst. 1. Smising. Theodoro tract.1. dist.1.n.38. & Scotistis aliis, in eo enim antecedenti, existentia, & cultus debitus prædicantur de Deo: ac proinde nequit esse per se nota connexio prædicati cum subiecto, quare existentiæ prædicati de Deo connexio cum illo per se nota sit: quemadmodum si admittamus hanc esse per se notam: *Petrus est albus & currens.* Petrum esse album per se notum erit. Quare admisso antecedenti negari consequentia minimè potest. Imò, nec si ponatur existentia Dei ex parte subiecti, vt eius syncathegorema (quomodo videbatur locum habere posse Recentium doctrina) verum haberet solutio, eiusque doctrina in veris eorundem principis. Nā, tunc etiam, explicitus assensus debito cultui Dei, qui solus prædicatum est explicitum, est assensus implicitus syncathegorematis subiecti, scilicet existentiæ Dei, quæ est implicitum etiam eius propositionis prædicatum; cuius connexio cum Deo per se nota esse debet, vt totus assensus absolutè per se notus dicatur: non est autem per se nota nobis illa connexio, vt defendimus cum Recentio-

ribus

ribus eisdem: quare neque nobis ita etiam dispositum antecedens per se notum erit.

CERTAMEN IV.

Reliqua Recentiorum argumenta.

1 OBiiciunt Murciani Recentiores. Tunc propositio est per se nota, per species, etiam alienas, cum eius prædicatum est, vel de essentia, vel ex primis passionibus subiecti ac proinde immediatè, & per se connectitur cum illo: atqui Dei existentia, vel est de Dei essentia, vel saltem prima eius passio: ergo propositio, in qua existentia prædicatur de Deo, cognoscentibus adhuc per species alienas, nobis per se nota erit. Negatur facile maior. Requiritur enim præterea, vt connexio illa immediata prædicati cum subiecto sit cognoscentibus per species alienas, se ipsa, ac sine alio medio penetrabilis, vt docebamus cert. 2. num. 4. quod non habet connexio existentiæ cum Deo, vt ibi, ac num. 3. ostendimus, idemque fatentur Recentiores.

2 Sed pro altera sua conclusione, quam pugnare cum hac sua, & nostra vidimus cert. 1. num. 4. & cert. 2. num. 6. opponunt: sublata à rebus mundi existentis connexione cum suo authore, & causa prima Deo, nullum est fundamentum naturale ad assentiendum existentiæ Dei: ergo syncathegorema Authoris, seu causæ primæ mundi existentis adiunctum Deo, facit existentiam Dei per se notam. Concesso, seu dato antecedenti, negatur consequentia: tum, quia est fundamentum discursus, non simplicis ostensionis existentiæ Dei connexio mundi existentis cum Deo: tum quia syncathegoremati ipsi assentiri mens implicitè nequit, sine discursus iuuamine: cum connexioni prædicati expliciti cum subiecto implicito syncathegorematis assentiatur, ex vera, & certa, Recentioribus etiam ipsis, doctrina.

3 Arguit pro sua illa sententia Noster Antonius Perez Valiende. Per se notum est, necessarium ens, non esse, non existens: alioqui non existens posset esse necessarium, quod in terminis implicat: ergo per se notum est aliquod ens necessarium esse existens; si enim nullum necessarium est existens, non erit per se notum necessarium ens, non esse non existens. Confirmat, Primò: quia ex terminis falsa hæc sunt: aliquod contingens, seu aliquod impossibile est necessarium. Secundò: Quia id etiam per se notum est: si necessarium nō est, impossibile, existit cum autem euidens sit de se necessarium non esse impossibile, de se etiam existere notum erit aperte. Tertiò: Quia non magis opponitur impossibili existentia, quam necessario non existentia: at impossibile non existere per se notum est: ergo & necessarium existere. Siue aliter: tam euidens est de se connexio necessarij cum existentia, quam impossibilis cum non existentia: at hæc est per se euidenter nota: ergo & illa. Quarto: quia necessarium, & impossibile sunt opposita: sed impossibile non existit: est per se notum: ergo necessarium existere est per se notum. Hæc, & alia mox subiicienda subtiliter præfatus Doctor pro sua sententia, & contra nostram armauit, quo tamen robore inferius videbimus.

4 Murciani Recentiores multorum accurata, & subtili obseruatione de notitia rei *quoad quid est*, & *quoad an est*? vt *quoad quid est*, sit cognitio rei cum eis omnibus, quæ illi in statu mere obiecto, siue cognitionis conueniunt; & *quoad an est*, sit cognitio rei cum omnibus, quæ ipsi conueniunt in statu reali: item de differentia possibilis in statu obiectiuo, & *quoad quid est*, ab impossibili in ordine ad inferendam eius possibilitatem, vel impossibilitatem in statu reali: & *quoad an sit*, existimant enim ex possibilitate rei in statu obiectiuo, non inferri possibilitatem eius in statu reali: vt patere inquiunt in secundo Deo apprehenso possibili: quia, quod possibile apprehenditur, potest, si existat, contradictionem, vel afferre de se, vel saltem sua, existentia inferre: quia alterum contradictionis extremum afferat, alterum verò aliundè ex eius existentia apponatur necessario: cum tamen ex impossibili obiectiuo, seu apprehenso obiectiuè bene inferatur impossibilitas in statu reali: quia quod impossibile in statu obiectiuo est, tale in illo statu est, & cogitatur. Quod, si existat realiter, realiter contradictorium existet (quod ipsum est impossibile, seu impossibilitas in statu reali) id enim est impossibilitas obiectiua, seu *quoad quid est*, siue essentia impossibilis, quod cogitatur. Horum igitur obseruatione respondent: ea omnia argumenta esse firma in sensu, & statu merè obiectiuo, nihil autem probare in statu reali: nam ex primo statu ad secundum transitus consequentiæ legitimè non est: sicuti, neque ex eo, quod ex impossibili obiectiuo inferatur negatio existentiæ realis, cui connectitur, inferrur ex necessario oppositio obiectiuo existentia realis, cum qua minimè connectitur. Ac demum ea omnia argumenta instari putant in secundo, vel pluribus Diis apprehensis necessariis.

5 Ego verò horum obseruationibus, quibus solutiones istæ nituntur, aquiescere non possum. Et prima quidem de cognitione rei *quoad an est*? & *quoad quid est*, falsa explicatione nititur. Etenim cognitio rei *quoad quid est*, est cognitio rei, quoad eius essentiam, siue essentialia, per omnes. Cum autem rei essentia dupliciter accipiatur, nempe pro essentia physica, & metaphysica: atque essentia physica ea sit, quæ reipsa, & realiter in re continetur, eámque componit independenter à nostra cognitione, siue statu rei obiectiuo: cognitio rei *quoad quid est*, cognitione rei, secundum ea, quæ ipsi in statu obiectiuo conueniunt, nequit omnem cognitionem rei *quoad quid est* continere. Secundò, cognitio rei *quoad quid est* in statu obiectiuo adhuc non est cognitio rei in statu obiectiuo, quem qualitercumque, scilicet à falsa, vel erronea, aut praua rei apprehensione, aut iudicio habet res obiecta. (vt hi supponunt, dum aiunt, in statu obiectiuo, & *quoad quid est* secundum Deum, imò plura alia entia necessaria esse posse; quæ quidem non, nisi ex erronea, & falsa cogitatione, eum obiectiuum statum habere queunt.) Sed ex vera apprehensione, aut iudicio prædicatorum, quibus metaphysica rei essentia consistit. Inde verò constat falsitas discriminis possibilis ab impossibi in statu obiectiuo, in ordine ad inferendum eius possibilitatem, aut impossibilitatem in statu reali: si enim in statu obiectiuo ex recta apprehensione, ac iudicio verò aliquid possibile esse deprehendatur, æquè inde vera possibilitas in statu reali infertur, atque ex recta apprehenso in statu obiectiuo veréque iudicato impossibilitas eius in statu reali impossibilitas inferatur: Nam possibilitas rei, si vera sit obiectiuè, etiam æquè continet contradictionis omnis exclusionem, si res existat, atque alicuius exclusionem, si res verè obiectiuè impossibilis extiterit; siue verò de statu obiectiuo ex praua apprehensione, ac iuditio sit sermo, nequè è rei impossibilitate, aut possibilitate in eo statu alterutrum in statu reali licebit inferre.

6 Exemplum autem illud de secundo Deo, vel pluribus etiam, in obiectiuo statu possibilibus, ac necessariis, quo suam Recentes doctrinam confirmari, atque oppositiones instari manifestè putant, nihil suam confirmat doctrinam, vt instant. Aduersarij enim de necessario verò, rectèque apprehenso ac iudicio scilicet Deo vno loquuntur; non de pluribus Diis erronee apprehensis, ac possibilibus, ac necessariis: omniaque argumenta ex vera necessitate, possibilitate, atque impossibilitate deducunt, non ex falso apprehensa: syncerius ergo, & facilius respondeo: omnia illa argumenta concludere, si non supponerent probandum, nempe aliquod ens necessarium possibile esse; si enim daretur; & ipsum existere per se notum est: æquè, atque impossibile non existere: sicut enim impossibile seipso, atque ex terminis remotum à rebus est, ita & necessarium ex terminis. Atque seipso in rebus esse debet; si tamen detur. In forma ergo ad 1. dico necessarium, si detur non esse non existens, neque contingens, neque impossibile: quæ constant metaphysicè conceptibus, & prædicatis appositis necessitari. Ad secundam conditionem illam ex terminis purificatam non videri. Erit enim, qui necessarium exercitè impossibile dicat: cum ens necessarium Deum, non, nisi sapientiores Philosophi ex discursu solùm fuerint assecuti: neque enim ex terminis patet, an aliunde necessarium repugnet. Ad 3. Maior est vera, si necessarium verum non repugnet: de quo ex terminis, vt dixi, non

constat. Ad 4. verum est antecedens de vero, ac non ficto necessario, si detur; alioqui erit impossibile. An verò detur ex terminis non constat, sed constare contendunt sequentibus argumentis.

7 Opponunt rursus, duo contradictoria nequeunt simul deficere: ergo potentia ad contingens cõtradictorium existit necessariò. Alioqui vtrumque defectu potentiæ posset simul deficere: ergo aliquod necessarium existit. Et si detur totum, an non discursu probatur existere aliquod necessarium? vnde ergo probant esse per se notum? sed neque discursu hoc conclusio demonstratur, in primis enim supponit discursus esse in rebus aliquid contingens: cum posset quis dicere omnia quantùlu accidunt necessariò esse, ac durare: imò omnia esse ex necessitate, & ab æterno, asserere, vt putauit Aristoteles de mundo; opusque discursu foret, vt conuinceretur: quare consequenter omnium contradictoria esse impossibilia doceret. Secundò mala est argumenti consequentia. Nam extremum contradictionis negatiuum potentia existente non eget; sed certius ex defectu causæ, & potentiæ suo modo erit: quare perperam ex necessitate potentiæ ad extremum contingens, etiam, contradictionis negatiuum, infertur debere esse aliquod necessarium. Sed instabis: si non est aliquid necessarium: ergo omnia sunt contingentia: ergo omnia possunt deficere; ergo omnia essent tunc impossibilia: patet; quia tunc nihil posset de non esse ad esse transire: cum nulla esset virtus, à qua, à non esse ad esse deduceretur: ne ergo contingentia impossibilia contradictorie asseramus, aliquid necessarium est admittendum. Hic est arguendi modus, qui mirabilis per irrisionem dicitur. Sed nihil hic probat: quia, quod aliquid sit impossibile ex negatione sui, ac suæ causæ accidentarie suppositis, non probat impossibilitatem eius absolutam, vt patet. Secundò, solum probaret esse debere aliquam causam necessariam contingentium, quando illa producit, non autem semper, ac necessitate existendi diuinè, quæ ab his deduci tentatur. Ac denique totum hoc discursu deducetur, non ex ipsis terminis innotesceet.

8 Insuper arguunt, si necessarium non existit, eius non existentia non est contingens: ergo vel necessaria, vt contenditur, vel impossibilis: ac proinde eius existentia necessaria, vt contenditur. Respondetur fore necessariam, ac proinde existentiam impossibilem contra intentum. Instant. Per se notum est impossibilitatem impossibilis existere: sed talis impossibilitas est necessaria: ergo per se notum est aliquid necessarium existere. Sed dato toto non erit per se notum necessarium esse Deum, vt hi contendunt, sed chimæram: quam indentificari cum Deo, nec per se notum est vt patet, imò neque probabile ex discursu adhuc. vt d. de omnipotentia videbimus. Secundò maior implicat in terminis. Nam impossibilitas impossibilis est eius necessaria, & essentialis à rebus remotio, seu non esse purum per essentiam: Instant denique, per se nota hæc propositio, *quodlibet est, vel non est*, aliquam veritatem obiectiuam habet, non contingentem, neque impossibilem: ergo necessariam: ergo ex parte rerum aliquis status obiectiuus datur necessarius, qui nequit esse distinctus à Deo: in primis statum obiectiuum propositionum necessariarum Deo idemtificari realiter per se notum non est, imò neque probabile; vt fusiùs ostendo d. de omnipotentia, atque controuers. de scientia Dei. Neque veritas vlla necessaria obiectiua, statu existentiæ realis eget, vt ad eam, vel nostra, vel diuina scientia terminetur. vt iisdem locis docemus. Posset argumentum Anselmi, supra solutum pro per se nota existentia Dei, qua ens necessarium cogitatur variis argutiis vrgeris sed quæ ex dictis ibi, atque ad primum argumentum Antoni; Perez, facilè detegantur.

9 Ex prædicato independentiæ à causa prima per se notam esse Dei existentiam contendit idem Antonius Perez. Per se notum est existere, vel non existere causam primam. Si existit, per se notum est eam esse independentem à causa prima; si secùs, aliquod saltem ens eorum, quæ experimur (ne dicam omnia) erit independens à causa prima: ergo per se notum est existere ens independens à causa prima. Simili forma arguunt ex prædicato entis nõ habentis superiorem. Sed tamen an idem possit esse causa sui ipsius, atque à se ipso pendere à Recentioribus aliis in quæstionem vocatur, affirmantibus nonnullis: vt non adeo sit per se notum, causam primam à se ipsa non pendere si existat, si autem non existat, non pendebit ab illa aliquod, (imò, & omnia reliqua entia) non quidem ex sui perfectione, quomodo Deus independet à prima, & ab omni causa existente: sed ex defectu causæ primæ: ex quo non erit à reliquis causis per se notè independens. Vt Deus independens est; Denique ex prædicato entis essentialiter existentis, ita arguunt. Per se nota est propositio, cuius contradictoria idem affirmat, & negat: at hæc propositio: (quot discursus hæc per se notio continet, & quàm fallaces, cum ex disiuncto alterum infert extremum?) *Ens essentialiter existens existit.* Idem affirmat, & negat, atque huic contradicit, *aliquod ens essentialiter existens, existit.* Ergo hæc est per se nota. Minor probatur: quia in subiecto affirmat implicitè syncathegorema appositum enti ex parte subiecti de ente: ac proinde de illo affirmat essentialiter existere. Respondeo tamen nihil habere affirmatiuæ propositionis, sed merè negatiuam esse vniuersalem eam propositionem. Licèt enim affirmatiuæ, seu assensus sint affirmatio, & assensus impliciti syncathegorematum subiecti; negatiuæ, & dissensus non item. Qui enim negat Petrum album currere, non assentitur, aut affirmat Petrum esse album, adhuc implicitè; sed eo solùm, quod albus Petrus non sit, licèt sit currens, Petrum album currere, meritò dissentiemur, & negabimus: quod obseruatum velim contra eos, qui ex falsitate syncathegorematis additi subiecto propositionum negatiuarum suppositum ineptè, licet frequenter, negant.

QVÆSTIO II.

Sitne demonstrabile ex naturalibus Deum esse, siue existere?

DIfficultatis punctum longiùs, quàm præfatio quæstionis petit explicandum erit.

CERTAMEN I.

Difficultatis, & quæstionis scopus, notata, & sententiæ.

1. NOn loquimur de demonstrabilitate existentiæ Dei, suppositâ fide nostra, vel de eius existentia reuelatione, vel alterius veritatis cum Dei existentia connexæ; tum quia, si fidei tandem innititur discursus, rigida demonstratio non erit: Tum quia, si fides, vel reuelatio sit de Dei existentia demonstranda, nequit eius obiectum medium ad eam veritatem ostendendam esse: Est quippe veritas ipsa demonstranda; quæ, & ignota in præmissis debet esse (saltem æqua claritate, & certitudine, ac firmitate) vt vi illarum dicatur monstrari; cum autem fides, cui inniteretur discursus ille esset certior conclusione deducta, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: Vt de principiis respectu conclusionum aiebat Aristoteles: atque ex alia parte conclusio clarior, atque euidentior fide, aut reuelatione, quibus innititur esse non possit; neque intellectus posset propositioni eidem de existentia Dei assentiri adstante eiusdem veritatis fide; quia infirmius vndequaque, & ignobilius motiuum in conspectu præstantioris, mouere ad assensum nequit: Sed, nec si euidentia reuelationis adsit mouere valebit ob eamdem rationem; quia firmior, clariórque tunc, & immediatior erit connexio extremorum directa, & extrinseca per euidentem reuelationem, quàm reuelationis tanquam extremi, media eius naturali connexione cum re reuelata, ob quam huic discursui assentimur.

2 Si

2 Si autem reuelatio, vel fides sit non de Dei existentia, sed de aliquo alio cum illa connexo, atque de eius connexione, rectè quidem, & certè, ac citra erroris periculum Dei existentia deducetur: non tamen demonstratiuè, vt dixi: cum fidei, aut reuelationis obscuritas, cui discursus innititur, demonstrationis necessariò officiat claritati, quod si reuelatio eiusmodi obiecti connexionisque cum Deo euidens sit, adhuc sub iudice lis erit, an sit demonstratio appellanda obiecti illius; quia medium extrinsecum est propositioni, neque intrinsecè cum illa connexum, sed solum extrinsecè, licet intrinsecè eum eius veritate connectatur. Præterea: quia, cum varia, atque innumera sint obiecta cum Dei existentia connexa, tam possibilia, quam conditionata, & absoluta, quæ, quorumque connexiones reuelari à Deo, fideque cognosci possunt longum nimis esset pro singulis eorum conclusiones proponere: labore nimirum inutili: cum certum sit reuelata obiecti cuiusvis connexione cum existentia Dei, eóque obiecto, vel ex reuelatione euidenti, vel clara vndecumque cognitione deprehenso, certè, ac citra formidinem, adhuc subiectiuam, Dei existentiam evinci, siue hunc discursum demonstrationem appelles, siue neges: quia medium, licet euidenter cognitum extrinsecum veritati obiectiuæ in conclusione deprehensæ, est.

3 Ob eandem etiam rationem disputandum hic non erit an ab intuitivè Deum videntibus vel quidditativè per speciem propriam, qua Dei essentia præcisè, ac sine existentia videatur, ipsius existentia demonstrari queat. In eo quippe inutilis, ac prolixus impenderetur labor. Prolixus quidem. Quia extra chorum hic disputandum esset cum Scoticis: an Dei quidditatiua species, quæ intuitiua non sit, dari queat, vt Deus quidditatiuè, quin intuitiuè videatur? Immaturè item an Dei existentia extra essentiam, & quidditatem Dei sit; nisi enim hæc duo exactè examinentur, nihil in præsenti statui potest. Eorum verò examen, cum ad controuersias de anima, & de visione Dei nondum à nobis cusas spectat. Ex visione autem intuitiua Dei cum omnibus, quæ re ipsa identicè habet certissimum est Dei existentiam demonstrari à sic eum videntibus minimè posse, cum enim ipsi existentia eius identificetur idem esset medium ad seipsum demonstrandum: quod prorsus repugnat, vt nuper dicebamus. Neque enim idem in se visum, mouere potest, vt iterum idem ipsum videatur discursuum ob rationem tacamin. 1. & quia alioqui implicatoriè discursuum infinitus processus necessariò admitteretur. Quo & impugnati manent citandi inferiùs Scotistæ, qui hic extra chorum, & inutiliter oppositum de intuitiuè Deum videntibus docuerunt: extra chorum, & inutiliter diximus: quia solum hic disputandum cum vtilitate & fructu est, quod philosophi disputarunt. An scilicet ex naturalibus his, & quæ experimur, videríque, & cognosci à nobis clarè pro hoc statu possunt, Dei existentia demonstrari queat? nimirum omni Dei reuelatione, & dono supernaturali excluso.

4 Pro cuius resolutione demonstrationis definitio, ac diuisio, præmittendæ in primis erunt; primo ergo demonstratio definitur communiter: *discursus, quo per euidentem atque infallibilem consequentiam ex euidentibus principiis aliquid colligitur.* Vniuersalissimè verò, & primariò demonstratio diuiditur in demonstrationem ostensiuam (qua scilicet ob connexionem euidentem conclusionis cum principiis præmissarum conclusio infertur) & in demonstrationem deducentem ad impossibile: in qua accepto contradictorio conclusionis recurrit intellectus inferendo donec incidit in aliquid manifestè falsum, vel impossibile. Hæc summulistis omnibus nota. Aliud verò demonstrationis ostensiuæ genus, quod sæpè laudati Murciani Recentiores præter duos enumeratos demonstrationis à simultaneo, à se inuentum, licet ab Aristotele, & reliquis hactenus, vel ignoratum, vel omissum, nimirum non est à doctis, ne dum à nobis ignorati; minimum autem valdè est fuisse ab Aristotele ignoratam. Ac fortasse, dum illud demonstrationis suum genus suo, vt aiunt, loco explicatum videamus demonstrationi, vel à priori, vel à posteriori affinitatis saltem, vt non consanguinitatis, iure inclusum deprehendemus. Est enim, quantum suspicione assequi possum, demonstratio vnius relati transcendentaliter per aliud suum correlatum, vel terminum, cuius nec causa, nec effectus sit: in quibus, cùm, quasi causalitas formæ extrinsecùs specificantis, vel mutua, vel non mutua, intercedat, sub demonstrationis à priori, vel à posteriori genere clausa ab Aristotele fuit, ac minimè omissa.

5 Sed, ne amplius de re adeo abstrusa diuinemus, in præsenti difficultate Prima sententia negat Dei existentiam ex purè naturalibus, naturalitérque cognitis posse vllatenus demonstrari; diuersis tamen de causis. Abulensis, Ægidius, & Argentina; quia Deum existere per se notum est. Per se autem nota demonstrari nequeunt. Vtrumque autem falsum esse vidimus, quæst. 1. Aliacensis verò, Holcot, Basol. Maior. Gaspar Cassalius, & alij: quia hactenus nulla existentiæ Dei legitima demonstratio fuerit adinuenta: quos proinde demonstrationibus quæstione 3. examinandis, statuendisque satis confutabimus. His in difficultate quam hic examinamus (Deum per speciem propriam, siue quidditatiuè, siue intuitiuè secundum totum quod in se habet videntibus) omissis consensit Scotus in 1. d. qu. 2. vbi Scotistæ omnes, & Nominales, Okam. Gabr. & reliqui, quos refert & sequitur Smysing. tract. 1. de Deo vno dis. 1. qu. 5. atque in re consensit etiam Arriaga noster 1. part. d. 2. sect. 2. n. 13. licet verbis dissentire velit. Secunda verò, & vltima in re præsenti sententia negat Dei existentiam à priori demonstrabilem esse: in quo cum prima concordat; esse verò à posteriori demonstrabilem ita ex patribus Dionys. 7. de diuin. nomi. Clemen. Alexandrin. collat. ad gentil. Tertul. Apolog. contra eosdem. Lactant. 1. diuinar. institut. Athanas. orat. contra idola. August. 8. de ciuit. Dei cap. 6. ac sæpius. Damas. 1. fid. cap. 3. Anselm. 1. Monol. ac deinceps, & scholasticis Magn. Albert. tract. 3. sum. quæst. 18. Alex. Alens. 1. part. qu. 3. S. Th. 1. contra gent. cap. 12. vbi Ferra. & 1. part. qu. 2. à num. 3. & qu. 3. à n. 1. vbi eius expositores & Asseclæ. Caiet. Valent. Molin. Vasq. Fasol. Gillius. Granad. Tannner, quos vt alios sequi vult Arriag. citatus. Soar. dist. 29. Metaph. Eugubin. de peremni philosophia Lessius de prouiden. Smising. suprà qu. 6. Rainaud dist. 5. natur. Theologia, qu. 1. Quiros suprà disp. 13. sect. 5.

CERTAMEN II.

Secunda hæc, eáque vera sententia probatur.

1 DIco primò Deum existere à priori indemonstrabile ex naturalibus, vt naturalitèr cognoscuntur, nobis omnino est. Concluso hæc communi scholarum, & scholasticorum omnium suffragio satis fundaretur, sed communis, huius consensus nequit non firmum argumentum adesse; probatur ergo conclusio: quia demonstratio à priori est demonstratio rei, seu conclusionis per illius causas euidenter cognitas siue physicas, siue metaphysicas, cuiusmodi sunt essentialia prædicata, & priora rei respectu passionum, aut prædicatorum non essentialium eius: atque existentiæ Dei nulla est causa physica: ergo per causam eius physicam existentiæ Dei nequit esse à priori demonstratio. Sed neque per causam metaphysicam. Non inde probo, quod Dei existentia essentiale Dei prædicatum, non autem essentiæ passio metaphysica sit: id enim & sub lite apud Theologos est, dirimenda à nobis, dist. 2. à proinde nequit huic opinioni concors, etiam de ea dissidentium, Theologorum inniti conclusio.

2 Sic Ergo probo: quia, licèt Dei essentia causa, seu radix metaphysica sit existentiæ, atque hæc in eius passionibus numeretur; est à nobis ordinario, & naturali modo cognoscentibus, non ita clarè cognoscitur Dei essentia, vt, ea ipsa, quàm eiuscum sua existentia connexio, clarè, atque euidenter, adhuc abstractivè, penetretur: ergo discursus, ex nostra cognitione essentiæ Dei pro hoc statu, & modo nostro naturali, & ordinario cognoscèdi, nequit procedere ex causa metaphysica euidenter cognita, nedum iudicata: ergo neque potest esse demonstratiuus existentiæ Dei per causam

causam metaphysicam: siquidem demonstratio omnis ex euidenter cognitis debet procedere. Confirmatur: quia numerum Theologorum, aut Philosophorum demonstratio à priori existentiæ Dei hactenus occurrit: cum tam multi sapientissimi doctissimi ac subtilissimi in existentia Dei demonstranda adeò insudarint. Quòd autem tot, tantisque viris per tot sæcula inaccessum fuit, satis ostendit nobis pro hoc statu, & modo cognoscendi accessu esse impossibile: ac proinde existentiam Dei à nobis pro hoc statu, & modo cognoscendi à priori demonstrari minimè posse.

3 Dico secundò: demonstrabile à posteriori est Deum existere. Quæ conclusio adeò est certa, vt S. Th. oppositam erroneā appellet. citato loco cōtra gen. Valent. 1. erroneām. Vasq. temerariam. Soar. 1. deattri. c. 1. temerariam, & errori proximam, nostramque valdè fidei consentaneam. Quibus censuris ex citatis pro secunda sententia plerique subscribunt. Theodorus verò, Smising. licèt à censura Theologica oppositam nostræ conclusioni vindicet: quia ex scriptura, & Patribus solùm euincitur morali quodam certitudine Dei existentiam esse à nobis pro hoc statu, & modo cognoscendi demonstrabilem, non autem euidentia physica, aut metaphysica; eam tamen in philosophia temerariam appellat. Pro hac verò nostra conclusione præter, imò & ante doctores datos cert. 1. num. 7. pro sententia secunda stetere Philosophorum Principes Plato in Parmen. Timæo. Arist. de mundo ad Alexandrum, & libro lib. 1. & 8. phss. ac 2. 9. & 12. metaph. Cicero de natura Deor. lib. 1. sub init. ac 1. de diuinat. circa fin. cum Chrysippo, Zenone, de ante, Stoicis, & aliis, & communiter Patres. Cum verò ex scriptura non euinci, imò neque efficaciter probari posse æstimant Vasq. Gillius, & ex citatis pro ea alij. Solùm enim in locis iam dandis contineri esse naturaliter cognoscibilem à nobis Dei existentiam, seu Deum esse; nil autem ibi definiri, an cognitione demonstratiua vel probabili solùm cognoscibile sit à nobis.

4 Ego verò censeo efficacissimè conclusionem hanc ex scriptura deduci. Etenim verba, quibus cognitio existentiæ Dei nobis pro hoc statu, & modo naturali cognoscendi possibilis dicitur, euidentiam propria sua significatione significant: ac proinde de euidenti cognitione à catholicis intelligenda hìc sunt, vbi, nec ratio theologica, neque alia scripturæ testimonia, fidei ve dogma aduersantur: iuxta regulam interpretandi scripturas à vetustissimo Thychonio datam, atque ab Augustino, reliquisque Patribus, & Theologis laudatam. Primus locus est ex sapientiæ. 13. vbi inter alia ad rem hanc satis perspicua, ita habetur. *A magnitudine enim speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Secundus ex 1. ad Romanos. *Quia, quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* Ad quæ Hieronymus. *Tam euidenter intellecta sunt, vt conspecta dicantur.* Et August. tract. 2. Ioan. *Deus potest inueniri per creaturam euidenter: dicente Apostolo, inuisibilia enim.* Similiáque habent Dyonis. Basil. Nyssen. Athanas. Tertullian. Cypria. Maxim. Damasc. reliquique Patres ad eum locum, ac Theologi communiter in quæst. præsenti. Accedit illud Psalmi, *Cæli enarrant gloriam Dei*, & Actor. 14. *non sine testimnio semetipsum reliquit benefaciēs de cælo, &c.*

5 A ratione probatur, primò argumentis, quibus quæst. sequenti Deum esse mōstrabimus, ea enim demonstrationes à posteriori sunt, vt videbimus. Secundò, quia existentia creaturarum, quæ sunt effectus Dei, euidentissima est: atque item earum connexio cum Deo causa earum prima: ergo causæ primæ, scilicet Dei, existentia per suos effectus euidenter à posteriori, est demonstrabilis. Antecedens est euidens, ampliúsque ostendetur, quæst. sequenti, consequentia est legitima: quia nil amplius reperitur, nec requiritur ad demonstrationem quamuis existentiæ causæ per effectum, quàm esse. ctus existentia, & connexionis eius cum existentia causæ euidens cognitio. Secundò, quia, vt quæst. 1. vidimus, natura rationalis, quasi ingenita propensione Deum agnoscit ac colit, vt nulla sit tam barbara natio, quæ in Dei alicuius cultum, exhibendum non inciderit; licèt in Deo assignando sæpè ob sua vitia aberrauerit: quare hātura rationalis tali lumine præuenta necessario censeri debet quo, (ni vitia præpediant) Deum verum, quem colere à natura inclinat, sine erroris periculo, ac proinde euidenter agnoscat. Quod vt ostenderet Deus Philosophis nonnullis, etiam peccatoribus, demonstrationes existentiæ veri Dei vnius, non obstantibus eorum peccatis, concessit. Tertiò probari solet, quia Deus est naturalis finis creaturarum rationalium, vt ex S. Th. 1. 2. plures explicant Scholastici: ergo necessarium est, vt eis via pateat manifesta, qua citra erroris periculum in finem suum naturalem tendere possint: quod sola euidenti Dei existentis notitia queunt habere. Alioqui cum nobilioribus creaturis deterius, quàm cum irrationabilibus ageretur: cum his certa naturaliter ad naturalem suum finem consequendum pateat via; quæ rationalibus ad suum naturaliter occluderetur. Cæterum huic rationi non satis fido. Tum quia Dei consecutionem naturalem esse finem creaturæ rationalis non satis est exploratum, nec de consecutione per qualemcúmque, probabilem adhuc, Dei cognitionem intelligatur. Cum enim euidentem Dei veri demonstratiuam cognitionem, vnus tantummodo, aut alter, comparatione innumerorum hominum, qui eam non assequuntur, habeat: duriusculè cum hominibus, quàm cum brutis ageretur, si ea Dei demonstratiua cognitio, & assecutio naturalis eorum finis esset. Præterea si in hac naturalis finis hominis statuatur, pro antecedenti, ponitur manifestè probandum. Prima ergo ratio omnium firmissima est. Secunda verò tertia hac firmior, licèt primæ firmitatem non æquet.

6 Quæ verò obiici possunt nullius, vel admodum exigui ponderis sunt. Primò quod Deum existere de fide est; ergo non est naturaliter euidens: fides enim cum euidentia pugnat. Sed obiectio hæc æquè probat, si quid probat, neque supernaturaliter esse demonstrabilem: fides enim ratione obscuritatis, non quidem naturalitati potius, quā supernaturalitati demonstrationis oppouitur, sed euidentiæ claritati, quæ est in vtráque. Secundò. Probaret solùm, non posse à Catholicis Dei existentiam demonstrari, sicut ab Ethnicis, & hæreticis, qui fidem diuinam non habent. Et tertiò tandem nihil probat: quia mala est consequentia: quia fides diuina cum euidentia, etiam intuitiua, nedum demonstratiua, obiecti eiusdem potest, adhuc naturaliter, cōsistere. Nec maioris est ponderis, quod Patres sæpè doceant non posse hominem sine speciali adiutorio Dei ad ipsius cognitionē peruenire; id enim non solùm de cognitione euidenti, ac demonstratiua dixerunt Patres, quare nostræ conclusioni non opponitur directè; sed cognitioni Dei, vt oportet, & conducit ad vitam æternam. Secundò, Dei adiutorium, & gratia naturalis ordinis, quoad substantiam, esse potest: vt de gratia auxiliante ostendemus: quare cognitio euidens Dei extra spheram virium nostrarum naturalium, quoad substantiam, non est: quod est satis ad nostram conclusionem. Tertiò, si auxilia gratiæ ad vitam æternam conducentia supernaturalia, quoad substantiam, necessariò sunt, minus adhuc vrget obiectio: cum demonstratio existentiæ Dei à nobis naturalis quoad substantiam asseratur.

7 Tertiò, haud fortiùs obiicitur: demonstrationem ex necessariis debere procedere, iuxta Arist. 1. Poster. cap. 5. & Doctores omnes, cum tamen creaturæ sint contingentes. Nec satis est, quod respondent plures creaturas possibiles necessarias esse; quia possibiles, seu factibiles esse creaturas, per se, & ex terminis euidens nobis non est, sed ex earum existentia quam experimur: ad quam recurrendum tandem est, vt demonstratio Dei euidenti principio nitatur, & in qua argumentum recurrit: Respondetur facilè principia demonstrationis necessaria non entitatiuè, sed verificatiuè esse: id est necessariæ veritatis esse debere: quod habent præmissæ de obiectis contingentibus entitatiuè. Si semel hæc ponantur, sunque necessaria ex suppositione: quia, quod est, quandiu est, necesse est esse. Quarta æquè infirma obiectio sit. Creaturæ existentes solùm inferunt Deum ciúsque existentiam, vt connexæ cum hac, ratione dependentiæ ab illa; ergo ante conclusionem in antecedenti cognitus est Deus existens terminans eiusmodi connexionem: ergo ex ea Deus existens demonstrabilis non est. Patet; quia

omnis

omnis demonstratio, imò, & discursus, pergit, vt per illum in cõclusione noscatur, quod in præmissis erat ignotum. Obiectio hæc à qua ægrè expeditur Fassolus, discursum omnem, nec solùm omnem demonstrationem impugnat. Respondeo facilè in antecedenti, ex vi connexionis terminorum, solum cogi intellectum ad apprehensionem connexionis subiecti cum prædicato conclusionis; postmodumque in conclusione ei assentiri per iudicium, & assensum conclusionis, cui formaliter in antecedenti nondum fuerat assensus: quare per assensum iudicativè (cui solùm cognitioni discursus inseruit) ignotum absolutè in conclusione manifestat.

QVÆSTIO III.

Demonstrationum existentiæ Dei, quæ hactenus sunt allatæ, examen, & solidarum ab apparentibus discretio.

ETsi certum omnibus ferè doctoribus, vt vidimus, sit Dei existentiam posse à posteriori demonstrari: pluréſque datas à sapientibus citatis, quæst.2. certa.1. n.5. veras demonstrationes habeamus: tamen plus iusto acuti Doctores nonnulli, vt ingenij sui subtilitatem venditarent, atque à se inuentas inanis gloriæ, quàm veritatis studiosiores intruderent, solidas illas priscas, ac totis sæculis veneratas, venerandásque omni arte eneruarunt. Alij verò nouitatis fuco decepti, quam par esset, firmiores, euidentioréſque discursus hac dere suos crediderunt, atque demonstrationes iudicarunt: quare, & veras demonstrationes statuere, & fallaces, vel minùs solidas, ne alios decipiant, detegere operæ pretium erit.

CERTAMEN I.

Communia quædam, atque euidentia principia pro veris demonstrationibus statuuntur.

1 STatuo primò. Quidquid denuo est, anteáque non fuit non posse habere esse à se, sicut habet Deus, qui neque à se, neque ab alio est factus. Constat euidenter primò: quia ex eo modo essendi à se euidenter infertur infinitas siue æternitas essendi, sicut & immensitas essendi atque vniuersim infinitas in entitate, atque attributis reliquis Dei. Ex eo enim, quòd à nullo Deus sit, vel fiat, non est vnde illi, vel duratio, vel entitas, vel attributum taxetur. Secundò: quia ex eo, quod à se sit Deus, certò etiam, atque infalliibiliter infertur per suam essentiam existere; seu entitatem: ac proinde ex eo, quod non repugnet certò item, & infallibiliter deducitur semper extitisse, existere, atque extiturum esse. Cùm autem ea quæ denuò existunt, euidens sit esse possibilia, euidens etiam esset suo modo à se essent, quo est à se Deus, extitisse semper ac de nouo non esse, sed ex æternitate: quod cum euidenti experientia, eorum, quæ denuò sunt, cum antea non essent, de quibus est prima hæc nostra propositio, manifestè repugnat.

2 Statuo Secundò, nihil eorum, quæ denuò sunt, cum antea non esset, posse non accipere esse ab alio; illud enim, quod non habebat, accipit, commune habet; quod nequit accipere à se ipso. Etenim accipere esse, & fieri idem prorsus est: at nil potest à seipso fieri, sed solùm ab alio: ergo quidquid accipit esse, quod antea non habebat, siue denuo sit, ab alio fieri, atque accipere esse necessariò debet. {Micat est per se nota: & demonstratur: quia aliàs idem esset prius, & posterius natura seipso: darétque esse, quod pro illo signo non habebat: quæ implicant manifestè, quo etiam demonstratur,

nihil fieri, seu accipere esse à seipso, adhuc ab æterno potuisse.

3 Inde etiam euidens est Tertium aliud principium. Repugnare nimirum, quod plura se vicissim, ac mutuò, quoad primum, & idem suum esse, siue mediatè, siue immediatè efficiant. Etenim, si aliquid efficiat aliud, quoad primum esse illius, à quo, vel mediatè, vel immediatè, quoad primum sui esse fieret, daret quidem esse illi prius, quàm in se illud haberet: darétque proinde, quod nondum habebat; esseteque illo posterius, & prius, atque item seipso prius, & posterius: ac denique totum coniunctum eorum se mutuò agentiũ, seipsum primò de non esse ad esse traduceret, ante quàillud haberet, seque ipso prius, & posterius foret: quæ omnia, & singula manifestam implicationem, & chimæram inuoluunt, vt de se patet. Quæ his duobus principiis per se quidem notis, atque ex impossibilitate deprehensa in oppositio, satis supérque demonstratis responderi, apparenter adhuc possent, disiecta à nobis abundè sunt. Controu.6. de Incaruat. d.2. qu.9, Cert.3.n.2. ac deinceps; quare eorum oppositione, ac refutatione repetendis meritò abstinemus, cum ibi videri facilè possint.

4 Statuo Quartò, quod satis per se notum est. Nempe repugnare processum infinitum causarum, & effectuum aliorum ab aliis effectorum sine primo principio, & causa, quæ à nulla causatur, tam in eadem, quàm in diuersis mensuris durationis; euidens enim de se videtur nihil posse habere esse deriuatum per infinitam seriem causarum sine principio: sicut de se euidens est, nihil sciri posse per aliud, quod per aliud sciatur, nisi tandem ad principium aliquod per se notum, & quod non per aliud innotescat, deueniatur, verùm, etsi per se notum hoc principium quartum non sit, facilè demonstratur. Quia omnia, & singula, quæ in tota illa causarum serie continentur, sunt facta: quandoquidem non admittis in illa aliquam primam causam à se, atque à nulla causa factam: ergo, vel tota illa series, vel aliqua eius pars facta est propriè à se, quod pugnat cum secundo principio; vel vicissim, ac mutuò se causant eius partes, quòd pugnat cum principio tertio: ac proinde tota illa series infinita causarum factarum, quam admittis, facta est, vt aiebas; ac non est facta, vt conuinceris, quæ sunt contradictoria; vel ab alio tandem non causato extra totam tuam causarum causatarum seriem, aliqua saltem causa ex illis causanda est, quod sit primum causans à nulla ex causatis causis proueniens, vt quarto hoc nostro principio statuebatur.

5 Dices circulum causalitatum mutuarum in causis, & effectibus se mutuò causantibus euidentissimũ esse: si enim prima ex eis causetur ab vltimo effectu vitari circulus implicatorius nequit: ast circulum solùm in numero finito rerum inueniri posse, non in aggregato infinito: ac proinde neque in serie causarum infinita, quam ad versarij ponunt causalitatum, circulus locum habere potest. Sed verò, (vt differam tantillum impugnationes, quæ præclusione euasionis secundæ se prodent,) contra effugium hoc est: quia per aduersarios ipsos ponitur totam illam infinitam seriem causarum ita esse causarum factarum, vt nulla ex eis à se, siue non facta sit, atque insuper à nullo alio, quod à se, atque extra totam illam seriem sit facta: ergo in eorum doctrina in serie illa infinita causarum, quarum vna ab alia illius seriei sit facta, circulus admittendus est, qui aliunde in serie illa, quia infinita repugnat: ac proinde aduersarij in sua doctrina in impossibile coguntur, quod est alterum demonstrationis genus pro nostra doctrina, & principio quarto, quod statuebamus n.4.

6 Dices secundò. Opus non esse, vt toti collectioni causarum, siue omnibus causis in ea inclusis collectiuè sumptis, conueniat, quidquid omnibus, & singulis causis eius collectionis distributiuè acceptis competit; maximè, si infinita sit, vt in nostro casu. Etenim in collectione partium durationis infinitæ à parte post, nulla est pars durationis vltra quam alia pars futura non sit: nulla etenim est pars, quæ præterire non possit, imò quæ præteritura non sit; cùm tamen vltra totam eius durationis collectionem nulla pars durationis sit futura, neque tota collectio possit præterire, alioqui duratio infinita esse non posset. Stare ergo potest, quòd omnes causæ collectionis causarum infinitarum distributiuè sum-

ptæ, & singulæ, sint factæ, quin omnes collectiuè, seu infinitarum collectio facta sit; quo vitatur circuli repugnantia, vel repugnantia alia, quòd tota collectio, vel aliqua eius pars sit facta à se. Fateor plura prædicata toti collectioni simul, & indiuisim conuenire, quæ singulis eius partibus, & omnibus diuisim, & distributiuè sumptis conuenire nequeant; & è contra partibus collectioni earum: quia à singulis, & omnibus distributiuè sumptis reipsa collectio differt: id tamen non de omnibus prædicatis verum est; quinimò plura nequeunt toti collectioni conuenire, quino omnibus eius partibus distributiuè sumptis conueniant; nec partibus singulis, quin toti etiam collectioni aptentur. Primi generis prædicata sunt, quæ parti, ac toti, vt pars, & totum sunt, conueniunt, & secundum quantitatem, vel quasi quantitatem continuam, vel discretam significant. Secundi verò illa, quæ omnino à quantitate, vel quasi quantitate abstrahunt.

7 In his autem numerantur prædicata Entis, Possibilitatis, Impossibilitatis, Existentiæ, atque Entis ab alio, quæ transcendentia sunt: Per se enim est euidens impossibilibus factis, vel possibilibus, omnibus, & singulis rebus distributiuè sumptis, quibus tota collectio, etiam infinita, constat, eam totam possibilem, vel impossibilem fieri. Item existentibus eis omnibus diuisim totam collectionem existere. Similiter euidens est, neque posse totam collectionem infinitam non esse factam ab alio, si omnes, & singulæ res, quibus constat, distributiuè acceptæ, absolutè sint ab alio; sicut est etiam euidens de se: quòd si eæ omnes distributiuè acceptæ ab aliqua causa existentiam recipiant, totam collectionem earum ab eadem, existentiam recipere: quin euidens est nullo alio modo posse totam collectionem rerum existere, vel esse factam, seu ab alio, quin omnes, & singulæ existant, vel sint factæ ab alio: cum collectionis totius existentia, & fieri passiuum ab alio, nihil aliud reipsa sit, quàm earum omnium, & singularum coexistentia, & coniunctio omnium fieri passiuorum ab alio. Id quod æquè euidens est in collectione infinita rerum, atque infinita: vt patet in collectione infinita temporis præteriti; quæ, nisi omnibus, & singulis eius partibus diuisim, ac distributiuè acceptis præteritis, præterita esse non potest.

8 Exemplum autem, quod huic per se noto, ac demonstrato principio ex infinita duratione à parte post, atque singulis, & omnibus diuisim acceptis eius partibus opponebatur ex re non est. Etenim partibus infinitæ durationis futuræ diuisim sumptis ita competit præterire posse, vt non conueniat absolutè (sicut causis singulis, & omnibus processus infiniti admissi ab aduersariis causarum per ipsos conuenit esse causatas) sed excludendo aliarum in præteritione consortium: cum enim duratio essentiâ sua, successiua sit, atque à parte post infinita, nequit aliqua eius pars præterire, quin post se aliam relinquat, imò infinitas alias futuras; quare ex peculiari natura durationis infinitæ, & extensione quasi quantitatiua infinita prouenit, vt in ea nulla inueniatur pars, vltra quam alia, imò infinitæ aliæ non sint futuræ, quæque præterire non possint; cùm tamen collectioni toti infinitæ, nec quod vltra illam sit pars durationis futura, neque quod præterire queat conueniat: Deinde futuritionis & præteritionis prædicata non sunt intrinseca durationis partibus, sed ab extrinseco, prouenientia ab aliis partibus durationis, siue physicæ, siue imaginariæ, prætetitis, vel futuris: quare ei solùm durationi competit quæ præteritam, vel futuram aliam habet, cuiusmodi finita solùm est, non autem infinita, qua parte infinita est: quod secùs in prædicatis illis entis existentis à se, & existentis ab alio euenire in infinita causarum causatarum progressione euideus ex dictis est: siquidem intrinseca partium prædicata sunt, quæ seipsis illam causarum collectionem constituunt, quarumque nulla aliarum causarionem, & fieri impedit; quare euidens de se, & ex aliis demonstrationibus satis est, repugnare infinitum processum causarum, & effectuum aliorum ab aliis causatorum, sine primo principio, & causa, quæ, vel intra, vel extra earum collectionem sit.

9 Rursus autem idem ipsum principium probatur. Quia omnia entia huius collectionis processus infiniti causarum, suo ordine ab alia, & alia causa in infinitum regrediendo facta, singulatim ab alio sunt: vltimum ergo ens, à quo in infinitum progredimur immediatè à penultimo factum est, & mediatè ab aliqua causa, à qua intermediæ ducant, & originem, & virtutem, & actionem: hæc autem nequit esse tota illa collectio causarum, quæ ad collectionem omnium actionum non præcedit; sed potius eis omnibus constituitur: sed neque vlla ex intermediis causis; quia actiones ipsam præcedentes ab ipsa nequeunt procedere: ergo ab aliqua causa à nullo facta, à qua intermediæ reliquæ, earumque actiones deriuentur. Hæc autem est causa prima: ac proinde repugnat processus infinitus causarum ab alio factarum, qui ad causam primam, &c non factam ab alio tandem non perueniat. Denique pone vltimum eius processus effectum album esse, penultimum nigrum, & sic vicissim albis, & nigris causis, & effectibus tuum processum infinitum causarum, & effectuum constare; planumque erit, nullum esse ens album quod immediatè ab ente nigro non fiat, nullúmque nigrum, quod immediatè non fiat ab albo; ac proinde tota collectio alborum à nigris, & nigrorum ab albis manifesta contradictione mutuæ causalitatis, notata hic in principio secundo, num. 3. Quòd si dicas non ex eo, quod ens à se sit, conuinci esse cæterorum authorem, ac Deum cum diuersi conceptus sint non esse ab alio, & esse alius insuper authorem: vt patet in homine, qui ab equo non est, & tamen illius author, & causa non est. Contra primò quia demonstratio non solùm probat dari ens à se; sed quod cæterorum author, & causa sit. Secundò, licet non esse ab aliquo alio determinato, non probet esse illius, vel aliorum authorem: ast non esse ab alio indeterminatè, seu esse à nullo, quomodo esse hoc ens à se ostenditur, infinitatem virtutis, & perfectionis demonstrat: ac proinde esse cæterorum authorem, ac Deum summè proinde colendum.

10 Principium quintum statuo. Circulus causalitatum in rebus sese mutuò efficientibus, etiam in diuersis durationibus, quin aliæ ab aliis factæ sint, est impossibilis, quia progressio hæc causalitatum, atque circulorum aperte debet esse infinita: quæ & cum circulo & ex quarto principio repugnat statuto, n. 4. etenim quæ accipiunt existentiam in vna duratione, in alia necessariò præexistere, vt darent existentiam eis, à quibus illam accipiunt, & hæ in alia, & sic infinitè regrediendo, quin veniatur ad principium, cum autem infinita sit in eo circulo causalitatum & existentiarum, licèt in diuersis durationibus, progressio, redeunt contra illam argumenta omnia pro quarto principio efformata: cum infinita progressio, collectióque talium existentiarum, perinde se habeat ac si infinitarum esset rerum. Illa namque nequit non ab aliqua sui parte fieri, ac proinde, siue immediatè, siue mediatè, secundum idem sui esse facta erit, vtraque autem hæc extrema principia tenent, etsi effectus semel productus conseruante causa non egeat: quia sine aliqua causa prima, à qua series influxus inchoetur, nequit influxus ad medias, & vltimas deriuari, vt arguit Arist. 2. meth. cap. 2. cæterùm, si effectus omnis conseruante causa egeat, vt persistat (vt euidens est, quia nihil, quod à se non est habere vsquè esse, aut subsistere potest, quin à causa aliqua actu illud ipsi donetur, ab eaque ipse illud recipiat: quare non solum in primo, sed in reliquis instantibus, quibus perdurat, sui causam actualem debet, quidquid persistit habere,) apertius adhuc & euidentius est principium vtrumque.

CERTAMEN II.

Solidæ Existentiæ Dei demonstrationes.

1 PRimæ demonstrationi de existentia Dei principia deseruiunt statuta. Sic autem ea habet. In his, quæ ab alio fiunt, nequit dari circulus mutuarum causalitatum, nec infinitus causarum, & causaliratum processus, quin perueniatur ad causam aliquam, à qua series causalitatum, & causatum incipiat, quæque

quæque à nulla antecedenti causa causetur, sed à se sit: vt constat ex constitutis 3.4. & 5. principiis: atqui omnia, quæ in tempore cernimus fieri, atque oculis ipsis deprehendimus, ab alio fiunt, ac non à se, vt constat ex primo, & secundo principio: ergo in eis nequit dari circulus mutuarum causalitatum, & causarum, neque earum infinitus processus, quin ad primam aliquam causam, quæ à se, seu non ab alio sit perueniatur, à qua series causarum, & causalitatum inchoatur. Hæc autem causa prima à nullo facta, sed à se, atque entitate sua primæ existens, quæ hoc discursu demonstratur, & est, & vocatur Deus: ergo euidenter demonstratur esse, atque existere Deum.

2 In hanc tandem, eiusque principia reuocanda est tertia S. Thom. vt demonstratio sit, quæ sic habet. Aut omnia, quæ sunt, contingentia sunt, aut aliquod est necessarium in existendo. Si hoc, id contendimus scilicet Deum necessariò existere. Si primum: ergo cuncta, quæ sunt, potuerunt non esse: ergo possibile fuit, vt aliquando nihil existeret: ergo, & quod cuncta essent impossibilia, quod pugnat contradictorie cum primo, quod admittitur, quòd cuncta sint contingentia, & cum experientia omnium, quæ existere videmus. Vltima consequentia euidens ex penultima est: quia nihil potest à seipso fieri, quare admittendum est in rebus ens aliquod necessarium, à quo contingentia reliqua fiant, scilicet Deus. Quod si dicas pleraque in mundo fatali quadam necessitate à suis causis pro certa duratione fieri: de causis argumentum redibit, atque in processus infiniti causarum demonstratam repugnantiam recidetur: vt ibi S. Th. indicat, ac proinde ad primam hanc demonstrationem, eiusque principia deuenietur.

3 Demonstratio secunda, à mirabili hoc vniuersi artificio petenda est. In quo tanta rerum machina, varietas, cohærentia, consonantia, proportio atque in proprios vniuscuiusque fines, & vsus aptissima dispositio ac destinatio: cœlorum, astrorumque, quibus variegantur pulchritudo, influxus, motus, vicissitudo, & successio, vt dies, menses, annos, temporaque terræ commodo distribuant: discors elementorum, & quatuor illarum primarum qualitatum concordia, vt se tueantur, atque mixtorum reduiuo interitu per generationes similium, continua successione species adseruent, conspicitur: vt, ni sensu ipso careamus, ab aliqua tandem præstantissima causa, & mente vigilantissima, cuncta fieri, iugique tractatu, & prouidentia perenni regi, atque administrari debeamus fateri, vt luculenter expendit legendus hac de re Cicero toto fere lib. 2. de natura Deorum pro sententia Stoicorum dissertans. Etenim (vt de arte factis reliquis fileam) si stupidus, ac vecors meritò haberetur, qui horologium rotatum casu, ac sine cuiusquam solerti industria fieri, moueriquæ assereret: atque vniuersim arte facta omnia, adeo ratione & arte constant, vt euidentissimum sit à nullo agente rationis, & artis experte fieri potuisse: ergo euidentius longe erit naturalia omnia, quæ subtilioris, longéque nobilioris structuræ sunt, & sublimiori arte mentéque, quàm sit humana, & creata prouenire.

4 Dedit olim demonstrationem hanc Chrysippus apud Ciceronem loco citato. *Si enim*, inquit ille. *Est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certè id, quod illud efficit, homine melius: atqui res cœlestes, omnésque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id, à quo omnia conficiuntur homine melius: id autem quid potius dixerim quàm Deum?* Accedunt miracula, portentáque, quæ vltra omnem naturæ ordinem, potestatem, atque virtutem experimur: aperiora adhuc occultæ Deitatis argumenta: quandoquidem artis magicæ effectus, eo quod vltra omnem visibilis facultatis virtutem editi, ingentem ad reuocandos ab Atheismo perditissimos homines magos habent energiam: miracula enim præfata vltra inuisibilium etiam creaturarum virtutem sunt posita, atque Dei potestat sequestrata. Adde futurorum vaticinia, quæ nisi ab omnisciæ mente (diuina nempè) sub ea, qua prænuntiata sunt, comprehensione, ac certitudine præsciri non posse euidentissimum est. Hac demonstratione præter citatos Philosophos, & S. Th. via quinta Patres vruntur. Dionys. Athanas. Nissen. & alij communiter, quos Doctores Scholastici imitantur. Vide nostros Lessium, & Theophilum Raynaudum suprà à n. 6. eandem multa accurata erudi tione exornantes.

5 Demonstratio Tertia, ex immobili semper, vbique gentium, & nationum, constantique apud omnes homines persuasione, quod Deus sit: cum tamen ea, quæ euidentes, ac certæ sententiæ non sunt, neque apud omnes, neque diu, nedum semper, inualescant. Hanc demonstrationem aureis hisce verbis dedit citatus Cicero 2. de natura deorum. Col. 5. *quod* (scilicet esse Deum) *nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis, ætatibúsque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse; quis enim hypocentaurum fuisse, aut Chimeram putet? quæve anus tam excors inueniri potest, quæ illa, quæ credebantur apud inferos quondam portenta, extimescat, opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.* Nec minus luculenter eumdem discursum expendunt Patres citati in præfatione disputationis.

6 Demonstrationem existentiæ Dei quartam confecit iam pridem Regius Psaltes. Psalmo 72. dum pedes suos pene à veritate, & virtute moros esse testatur, dum ridentem peccatorum in hoc sæculo fortunam; tristem verò iustorum videbat; quousque in perditorum hominum nouissima, meditatione introiuit: quæ etiam me iudice vnica, vel præcipua saltem, est immortalitatis animorum nostrorum demonstratio; ea verò in hunc ferè modum de morali philosophia depromitur. Euidens ex lege naturæ, & rationis naturalis lumine est, præmia probis, & fœlicitatem deberi; prauis autem supplicia, atque ærumnas: ergo nequit in hac rerum omnium vniuersitate deficere, qui vtrisque tandem vicem possit rependere: consequentia est euidens: debitum nullum de re impossibili esse potest; quis enim dicat alicui deberi Hycocentuum, vel Chimæram? essent autem proborum præmia, & prauorum supplicia impossibilia, ni in rebus esset ea vtrisque infligenda potestas: Atqui in hac vita non fit, quam fœlicius, atque abundantius perditi homines plerumque agunt, iusti verò infœlicius, duriúsque; ergo id erit præstandum in alia, quæ à morte inchoetur, à principe vniuersi, quem penes ea omnia compensandi, ac vitæ exorbitantias ad æquum reducendi ius sit, & potestas suprema.

CERTAMEN III.

Demonstratio Aristotelica de motore primo: Aliæque Antiquorum examinantur.

1 QVas hactenus dedimus solidæ, atque irrefragabiles existentiæ Dei demonstrationes nobis sunt visæ; etsi de aliis, quæ circumferuntur, non ita iudicemus. Sed verò discursus huius de Motore primo vetustati, & Aristotelis qui toto 7. physicorum, & lib. 8. text. 27. illum primò adinuenit, & S. Thom. qui illum loco illo citato illustrauit, authoritati ea debetur reuerentia; vt seorsim eius vis examinetur: neque si à demonstratione deficere deprehendatur, acerbatim cum reliquis iuniorum discursibus, à demonstrationibus relegetur. Est autem in hunc modum præfata demonstratio: quidquid mouetur ab alio moueri debere certissimum est, atque euidentissimum: atqui pleraque moueri experimur: ergo euidens est ab alio moueri. Maiorem euidentem hoc argumento putant: quia nihil à seipso moueri posse euidens est. Nam mouens est ens in actu; quod mouetur ens in potentia: at implicat idem secundum idem ens in potentia, & in actu simul esse: ergo implicat idem moueri à seipso. Iam verò, si ab alio mouetur quidquid moueri experimur, implicat in his, quæ ab alio mouentur in infinitum progredi, non minus quàm in his, quæ ab alio fiunt: deueniendum ergo tandem erit ad aliquid immobile, quod actu cætera moueat mobilia: ac proinde ad

motorem primum, nempè Deum existentem, cum non existens nequeat aliud mouere.

2 Cæterum, ni argumentum hoc ad motionem actiuam tandem, & prolixè reducatur, atque in primam recidat demonstrationem, demonstrationis energiam, atque euidentiam non videtur attingere, in sola motione passiua persistens, vt à prima illa demonstratione recedat. Etenim de physica adhuc motione. (Nec de intentionali etiam, qua Deum à se moueri propriè tam certum est, quam Deum viuere) Maior propositio, adeo incerta est, vt falsa potius appareat. Patere id quidem videtur in pluribus, quæ seipsa secundum actum vitalem, ad actum formalem, quem in seipsis causat physicè mouere, ex perimur, in lapide sua grauitate centrum petente! In aqua se in pristinam frigiditatem reuocante; in omni viuente cognoscente, & appetente. Illud autem argumentum, quo maior hæc demonstrari putabatur, nullius est ponderis. Licet enim ens in actu nequeat esse simul in potentia respectu eiusdem; benè tamen respectu diuersorum: vt patet in enumeratis, quæ sunt in actu virtuali frigiditatis, præsentiæ in centro, & actuum vitalium appetendi, & cognoscendi; non autem, vt sic, in actu formali eorum, sed in potentia vt illis in eodem instanti moueantur, sitque in eorum actu cum illa formaliter recipiunt. Nec satis est hæc omnia à generante moueri: cum virtutem ad eos motus ab illo in generatione recipiunt. Cum autem in generationibus processus in finitus repugnet, sistendum tandem erit in motore primo immobili: verùm si non ab alio factum generantem admittatur, in passiuis motibus processus infinitus non incurritur: quare ad primam demonstrationem de generationibus recurrendum erit, neque ex eis, quæ passiuè mouentur præcisè, quidquam euincetur.

3 Memorati Recentiores Murciani, vt robur Aristotelicæ huic demonstrationi ministrent, supponunt: omne mobile necessariò esse perfectibile eo, ad quod mouetur: ita vt nec formaliter, neque eminenter tam perfectum sit se solo quàm coniunctum ex se, & termino ad quod mobile est: alioqui in cassum ad illum moueretur, mobileve esset, vt per illud perficeretur. Supponunt secundò. Causam adæquatam actiuam in se continere debere totam perfectionem, quam dat effectui, vel formaliter, vel eminenter: ita, vt tam perfecta se sola sit, quam coniunctum ex ipsa, & effectu; alioqui excessus perfectionis illius coniuncti, necundè, sed quasi ex nihilo oriretur: cum non à causa adæquata, quæ illam non habebat, ac preinde nec dare illam poterat. Item non magis daret affectui perfectionem, quàm eam ab eo reciperet: cum inde ipsa ditior, perfectiórque euaderet. Ex quibus euidenter infertur, nihil à seipso adæquatè posse moueri. Nam moueri nequit, nisi ad id, quo perficiatur: ex suppositione prima: ac rursus, si causa adæquata eius motus, & termini per illam adquisiti sit, perfici eo non potest: ex suppositione secunda: ac proinde neque ad illum moueri; quod cum eo, quod mobile ad illum sit, contradictoriè repugnat: ac proinde, ni in primo motore, Deo, saltem inadæquato sistatur, qui nullatenus effectibus perficitur, processus infinitus motorum & mouentium vitari non poterit.

4 Sed eam non maiori operæ pretio præfati Recentiores pro ea demonstratione decertant. Primam suppositionem Athei admittent. Secundam autem facilè negabunt, rationis philosophicæ momento non exiguo. Etenim præcontinentiæ causæ actiuæ adæquatæ respectu effectus talis esse non debet: & bonitas, & perfectio maior ex effectu ipso rebus non accrescat, quam in sola causa præhabebatur. Patet id quidem in causis vniuocis, v.g. in calore, vel luce, quæ similes effectus edunt, & tamen ex calore producto, & producente maius quid caloris extensiuè saltem in rebus est. Negare autem calorem esse adæquatum agens caloris alterius: quia cum calore necessariò concurrit Deus. Supponit aliunde probandam existentiam Dei, quæ probari hoc argumento intendebatur, atque ab Athæis negaretur: quia adæquatio causæ solùm, vt summum, requirit, quòd prædicatis effectus omnibus totidem formaliter, (si causa vniuoca sit) respondeant; si autem æquiuoca eminenter in prædicatis causæ perfectioribus; sed neque in causis adequatis æquiuocis verum est ex ipsis, & effectu maius aliquid, atque extensiuè saltem perfectius non resultare. Quia eminentialis præcontinentia è conceptu suo non dicit totam effectus perfectionem in causa formaliter esse: vt illam, quasi à se abdicet, vt effectui donet: quemadmodum in ciuilibus donationibus contingit: quin actione, & effectu perfici extrinsecè, & ditari agentia citra dubium Philosophis est. Idque eorum ad actiones, & effectus producendos inclinatio, & exigentia suadet: quæ maior ad eum finem propensio est, quàm in mobili ad terminum, quo mouendus est, admitti ab vllo queat: & tamen inde recentes (& benè) colligunt in supposito primo terminum perfectiuum, & perfectionem mobilis necessariò esse debere, quamquam & hoc suppositum negari etiam posset: quia agentia non tam suo, quam vniuersi bono in operatione ipsis extrinseca videntur consulere.

5 Quod autem in Deo, qui causa æquiuoca rerum est aliter res accidat, ex eminentissima, atque omnino independenti Dei virtute, & perfectione colligitur: in quo prædicata omnia, & perfectiones creaturarum, ab intimis eorum impefectionibus suppurata inueniuntur: quare neque intrinsecùs creaturarum accessu, neque extrinsecùs operatione, & effectibus perfici potest: nec de se in eos inclinat, sed liberè prorsus ob fines alios in rebus ponit. Denique quàm debile est argumentum hoc, & Recentium fulcrum recitatum sit, vel inde satis apparet: quod nemo hactenus ex eis concursum Dei ad creata omnia edenda necessarium probauerit, sed aliunde; cum tamen ex eis principiis, si ita, vt à Recentibus æstimantur, firma consisterent, immediatus etiam Dei concursus ad singula, & omnia creata edenda, omninò conuinceretur: vt consideranti statim patebit: ex quibus omnibus liquet, primum motorem immobilem, nempè Deum, è passiuo rerum motu præcisè nullatenus demonstrari, nisi ad primam demonstrationem recurratur.

6 Demonstrationem quintam à gradibus entis, magis, ac minus perfecti in hunc ferè modum, quarto loco instruebat S.Th. in entibus, quæ videmus, alia aliis nobiliora, & perfectiora sunt: at quodvis est magis, quatenus accedit magis ad id, quod est summè, & maximè tale: ergo datur ens summè nobile, & maximè perfectum: scilicet Deus. Attamen minor est falsa. Nam maius solùm dicitur respectu minoris, cum quo solùm comparatur, quodque excedere dicitur, quin maximum & summum respiciat: vt patet in numeris in quibus maius, & minus est, quin summum in numero sit, atque in aliis pluribus: quo ruit fulcrum quod huic demonstrationi supponit noster Valentia. Posito enim (inquit ille) quod sit aliquid maximum in suo genere entis, manifestè infertur illud esse summum è possibilibus, atque adeò Deum, à quo possibilia esse recipiant: & quod proinde nequeant superare. Sed primò: qua demonstratione ponitur à Valentia summum in genere entis existere? Deinde: cur non poterit ab aliquo possibili æquari, licet non ab existentibus? Nam æquale ab æquali fieri posse compertum est.

7 Eandem demonstrationem fulcire conatur duplici via subtilis Recentior noster Antonius Perez sæpè hoc tomo citandus. Primò: quia entium perfectiorum, & perfectiorum infinitas processus repugnat. Ponamus enim ens album à nigro perfectione excedi; quod tamen ab alio albo perfectione excedatur, & sic vicissim album aliud à nigro alio sine fine excedatur: nullúmque erit in toto cumulo eorum album, quod non à nigro, neque nigrum, quod non ab albo excedatur: quare collectio alborum collectionem nigrorum exceder, atque ab ea excedetur, quod implicat. Dandum ergo erit de facto aliquod ens summè perfectum, ne in eiusmodi repugnantem infinitum progressum abeatur. Sed primò: hoc alternatiuum argumentum æquè infinitam quantitatium, siue continuum, siue diceretum impugnat: cum tamen opinionem illud affirmantem euidenter non repellat. Secundò: esto: demonstretur repugnantia processus infiniti præsentis. Dicet Atheus: non probari eiusmodi processum infinitum entiũ perfectione inæqualium, nisi detur aliquod ens de facto, omnium præstantissimum. Cùm enim, vt diximus æquale ab æquali possit produci, vel assignata specie præstantissima singularium perfectione

æqualium

æqualium continua generationum successione, vt de Phœnico dicitur, saluabitur ens, quoad speciem omnium præstantissimum, tamen pluribus aliis speciei eiusdem perfectione æquale (quod Deo repugnat) quin processus infinitus inferatur, ni detur ens summè perfectum magnitudine Deo digna perfectionis.

8 Secundò, eandem demonstrationem confirmat. quia, vel datur inter existentia ens summè perfectum, etiam è possibilibus sine imperfectionis mixtura, & habetur intentum: vel non datur, & tunc omnium collectio erit optimum existentiũ. Vbi enim partes bona finita sunt, totũ melius partibus fore euidens est, sed tota hæc collectio nequit esse optimum omnium, tam possibilium, quam existentium: quia ex imperfectis partibus totum absque imperfectione, atque optimum ex possibilibus, vt existentibus esse constare nequit: ergo datur aliud ens optimum sine imperfectionis mixtura, nempè Deus. Fateor ingenij mei, siue tarditatem, siue ingenuitatem his subtilitatibus non tangi, vnde collectionem omnium existentium perfectissimam eorum, quæ dantur ostendunt Recentiores fore ens summè perfectum è possibilibus, atque sine imperfectionis mixtura, quod ab Atheis negatur, foreque sat argumentum supponit, vt sit optimum existentium, & non fore tale iterum probat, non autem omnium possibilium, & sine mixtura imperfectionis, vt tale ens dari statuant, ac post modum collectionem illam à tanta perfectione excludendo in contradictionem Atheos cogant, atque in ens ita perfectum admittendum eos agant. Dicent enim se solùm admittere in rebus collectionem esse perfectiorem entibus distributiuè, ac proinde perfectissimum existentium, non autem possibilium, & sine imperfectionis mixtura, idque solùm eo argumento euinci.

9 Sextam demonstrationem ex Anselmi doctrina recitata, & confutata, quæst. 1. cer. 3. à num. 1. ita instruebat Valquez noster, acutam eam appellans. Deus est id, pro nihil melius cogitari possit, sed id, quo melius excogitari nequit, in sola cogitatione esse non potest, sed in statu existentiæ realis: ergo Deus est in statu existentiæ realis. Quod demonstrandum erat. Minor sola probationem desiderat euidentem, vt euidens discursus sit. Habet autem euidentissimam: quia melius esse habere existentiam reipsa & cogitatione, quam in cogitatione sola, per se euidens, & notissimum est. Deteximus autem discursus huius æquiuocationem citato loco, à num. 2. quare eam in præsentiarum iterum detegere superflui atque otiosi laboris esset, Discursus alios, qui nostro Molinæ demonstrationes videbantur, adeò à demonstratione distant: vt id ostendere, ne alij decipiantur, opus non sit.

CERTAMEN IV.

Noniorum demonstrationes de existentia Dei reiiciuntur.

1 DEmonstrationem septimam excogitauit Fassolus noster loco citato, ex causæ finalis ratione, in cuius seriem deueniendum tandem esse in primam aliquam causam finalem, quæ Deus est, contendit, sicut in serie causæ efficientis demonstratione. 1. ostendebatur. Irritò tamen laborat. Primò: quia in serie causarum finalium mutuo alia ab aliis causari, vel à se ipsis finaliter possunt. Secundò: quia, aut loquitur de fine *qui*, seu adipiscendo; vel de fine *cui*, adipiscendus est. Si primum: certissimum est non omnia à creaturis, neque à Deo in vnum tandem finem referri: cùm neque creaturæ, neque Deus omnia ad vnum aliquid, quo carebant, in solidum obtinendum efficiant: si secundum: æquè etiam certum est nõ omnia à creaturis rationalibus ad Deum tanquam ad finem *cui* referri: imò neque à Deo ad se tanquam ad finem *cui* de facto vniuersa referri mihi dubium non est: vt fusè tit. 2. controuers. de volunt. Dei ostendam: vbi germanum huius loci, *vniuersa propter semetipsum operatus est*, sensum mihi nullatenus aduersum dabo. Imò nihil propter se, tanquam finem *cui* operari posse Deum, cui creata cuncta intersunt, videri alicui meritò posset. Sed esto: ita de facto ad se tanquam ad finem *cui* vniuersa sua opera referat Deus: liberè tamen refert, possèque non referre: vt omnes fateri tenentur: ergo non omnia ad causam aliquam primam finalem referenda necessariò sunt: vt opus erat ad hoc, vt de existentia causæ primæ finalis demonstratio adesset: vt euidens absolutè est, non omnia in causam primam finalem esse necessariò referenda: cùm sola agentia libera operentur propter finem, eáque in fine siue *qui*, siue *cui* sibi præstituendo libera sint, neque in vnum aliquem prosequendum fatali necessitate agantur. Ad hæc finalis causa, vt causet, existentiam non requirere; imò verò, existentiæ suæ negationem seu præcisionem.

2 Vltimo loco relegandæ à demonstrationibus existentiæ Dei sunt, discursus subtiles Recentioris Antonij Perez Valiende, quibus qnæst. 1. cert. 4. num. 3. & 7. ac deinceps contendebat Deum existere per se notum esse. Quorum fallaciam ibidem monstrauimus. Nunc autem sequentibus discursibus, nihilo firmioribus, existentiam Dei demonstrari contendit. Primò in hunc modũ: Possibile est ens necessariò existens, cui insint omnes perfectiones simpliciter simplices; alioqui hæ mutuò sibi pugnarent, quia mutuò sibi in bonitate excedunt, meliórque vicissim vnaquæque esset, quàm alia, quæ non esset ipsa, quàm non ipsa, cùm perfectio simpliciter simplex ea sit, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, seu quàm omne quod ipsa non est. Mutua verò hæc melioritas seu excessus simpliciter simplicium perfectionum euidenter repugnat: vt patet. Iam verò si ens in quo omnes perfectiones simpliciter simples confluant est possibile, vt manet demonstratum; ergo possibile est ens necessariò, & à se existens, imperfectionis mixtura carens, quod planè Deus est. Patet euidenter: quia existere necessariò à se perfectio simpliciter simplex est: ac proinde quæ in illud ens possibile cum reliquis confluat. Confirmant demonstrationem. Quia de ratione imperfectionis est melius esse non ipsam, quàm ipsam: si quidem melius est esse ens non imperfectum quàm imperfectum: atqui melius est esse Chimeram, quam Chimeram: ergo ens non imperfectum non est Chimera, sed possibile, ac subinde necessariò existens: quia posse non existere, careréque aliqua perfectione imperfectio est. Confirmant secundò: quia, si omne ens est ab alio, esse à se, non erit entis differentia, sed Chimera: quod euidenter repugnat: cùm enim esse ab alio euidenter imperfectio sit, omne ens esset imperfectum, quia non est Chimera: id quod implicatorium est. Cùm nihil sit imperfectum, nisi ex defectu perfectionis, quæ longè à Chimera abest. Eadem arguendi formâ probatur possibile esse aliquod ens supremum, independens, non imperfectum, immortale, incorruptibile: cùm hæ, & alia perfectiones excogitabiles sint: ex quo isto arguendi modo probatur illicò possibilis, atque exinde existens, ni in eo fallacia adesset.

3 Eam verò detegunt, atque discursibus hisce respondent Murciani Recentiores ex suis illis suppositis, & observationibus à nobis confutatis. quæst. 1. cert. 4. num. 5. & 6. quibus similibus Recentioris huius discursibus pro notorietate per se existentiæ Dei ibidem num. 4. satisfaciebant. Quare tot obseruationibus Recentiorum omissis demonstrationi huic, eiusque confirmationibus, & similibus aliis, quæ facilè efformari possent, vt nuper dicebamus, facilè respondemus iuxta doctrinam nostram datam citato cert. 4. num. 6. eos omnes discursus ex sola rerum possibilitate obiectiua, seu apparente in cogitatione nostra, ad veram, & realem procedere, atque inde ad rerum, seu prædicatorum existentiam veram: quo nihil infirmius, fallaciúsque esse potest. Id quod singulatim in discursibus factis sic ostendo: Primus enim discursus supponit possibile esse ens necessariò existens, cui insint omnes perfectiones simpliciter simplices, ac sibi proinde non repugnantes: atque in apprehensione, & cogitatione possibile quidem est, hoc ipso, quod cogitatur; sit an necessaria existentia entis non repugnet, verè in re, ac proinde sit reuera possibilis, euidenter ex hoc discursu nõ constat: quare & in antecedenti, & in consequentia eiusque probatione supponitur probandum. Secundus discursus supponit definitionem imperfectionis vniuersim sumptæ falsam. Nam imperfectiones, quæ in creaturis sunt, nõ sunt meliores, quàm suum non esse: alioqui melius esset non esse hominis, aut Petri, quàm eius esse: solúmque

verum

verum habet de imperfectione simpliciter simplici, cuiusmodi est carentia pura : cuius non esse positiuum quid est. Accedit : quod dato primo syllogismo intellectis terminis de ente reuera, nec sola cogitatione imperfecto apparenter, non infertur : quia restat probandum impossibilitatem non essendi, seu necessitatem essendi, esse veram, & realem perfectionem, ac non chimericam, solùmque cogitatam, quod ex hoc argumento non demonstratur contra Atheistas. Tertius discursus : nec probat contra Atheos asserentes esse chimeram, ac proinde imperfectionem : quare nullam esse veram, nec solùm cogitatam perfectionem, quæ ab alio non sit ; tantum abest, vt in horum errore esse ab alio imperfectio sit.

4. Denique recentiores iidem suppositia existentia per se (vt aiunt) nota, alicuius entis necessarij, variè existentiam demonstrare se putant, eis autem demonstrationibus supponunt : *omne ens imperfectum esse contingens* : quia omne imperfectum habet meritum displicendi, quod non habet ens necessarium : De cuius existentia stolida displicentia esset. Secundò : quia ; quod vniuersum purum ab imperfectione sit, bonum est, quare, & possibile : siquidem omne bonum possibile est, cum conuenienter existat, & nulla chimera bonum sit, quod si aliquid imperfectum necessarium esset, vniuersum purum ab imperfectione non esset possibile. Tertiò : quia cùm de conceptu entis, in quo bonitas fundatur, sit posse existere, ens necessarium quod summè ens est, nequit non esse summè potens existere. Quartò : quia ex Arist. perfectius quid est esse aliquid in actu, quàm in potentia solùm : vnde ens necessarium nequit non summè perfectum esse : cùm sit ab ente solùm in potentia summè remotum. Ex hoc principio sic probant hoc ens necessarium vnicum esse. quia si sint plura, ac non vnicum, vel essent inæqualia in perfectione, vel saltem omnium collectio singula excederet : quare essent imperfecta, & non necessaria, contra suppositionem : cùm excedi ab alio aperta imperfectio sit. Sin verò ens necessarium vnicum sit, consequens esse illud reliquorum entium causam esse : quia ea cum contingentia essent, & imperfecta non possent non in eius virtute contineri, à qua effectiuè procederent.

5. Sed primò, id quod supponitur de alicuius necessarij existentia per se notum soli huic Recentiori, & fors nonnullis, qui eius euidentias transcribunt, hactenus fuit : atque absolutè per se notum non esse ostendimus satis q. 1. cert. 4. neque adeò facilè demonstrabitur. Sed eo præmisso : necessarium illud vnicum, & singulare ens esse debere argumento facto nusquam demonstrabitur. Primò enim, omne ens imperfectum contingens esse nullatenus Recentiores tot etiam probationibus demonstrant. Non prima : siquidem imperfectio merè negatiua, (quæ præcipua imperfectio est) obiectum displicentiæ positiuæ non esse, ac proinde nec meritum displicendi habere, probabilius est. Non secunda : quia vniuersum hoc purum ab imperfectione esse nequit, cum entibus imperfectis intrinsecè constet : quare argumento inuerso bonum non est : cum sit impossibile (de hoc vniuerso agendo) & chimera : quare nec bonum, si omne bonum (vt hi aiunt) possibile sit. Deinde bonum hoc vniuersi solùm in apprehensione, & apparens esse facilè respondere Athei possent, quod cum vera possibilitate non conuertitur vt sæpe dixi. Rursus nescio quo pacto Recentior iste adeò chimeram his suis argumentis toties vilipendat : cum tam ens necessarium cum Deo identificatum esse contendat, vt hac controuersia & de omnipotentia videbimus. Non Tertia : quia de conceptu entis summè necessarij solum cogitati, & apparentis, nec est bonitatem fundare, neque posse existere. Eiusmodi autem esse ens summè necessarium in Atheorum errore. Non Quarta : quia ens necessarium non probat, sed fore in actu, ac non in potentia solùm, si esset reuera possibile. Iam facilè patet, quàm inconcludentia sine quæ ex illo principio tam obscurto inferuntur. Sed toto discursu dato non video ; quo pacto contingentium imperfectione, & summè necessarij vnici entis perfectione, illud eorum omnium causam fore demonstratur. Nam homo perfectior longè cunctis corporeis est : ac proinde eminentia formalitatis ea omnia in se continet ; non autem eminentia actiuitatis, & virtutis : quàm ne imperfectissima animalcula potest producere.

6 Denique Murciani Recentiores vnius causæ primæ existentiam efficatissimè probari è suo illo principio putant : quòd nimirum causa actiua adæquata ita eminenter continere debeat totam perfectionem effectus, vt se sola, tam perfecta sit, quàm coniunctum ex ipsa, & effectu simul : quare esse in bonitate augmenti incapacem ; alioqui effectus accessu in bonitate augeretur : ac proinde esse bonitatis infinitæ, atque omnem possibilem bonitatem in se comibere : Vnde sit causas secundas, creatas, imperfectas, adæquatas suorum effectuum causas esse, non posse, cum bonitatis, & perfectionis infinitæ non sint : ac proinde necessariò, & vnicuique earum adiungendam esse causam infinitè perfectam, vt operentur, contra Durandum. Quod autem vnica ea causa, & vniuersalis esse debeat, inde etiam ostenditur : quia aliàs, quæuis illarum aliarum perfectionem contineret, alioqui infinitæ vndequaque perfectionis non esset, sed augmenti, tandem capax ex alterius accessu ; quare se mutuò causare implicatorie possent : cùm non esset, cur vna potius alteri in operando subordinaretur. Ex quibus tandem concluditur eam vnicam causam debere à se esse, ac necessariò proinde existentem, & cæterorum causatiuam, & Deum. Vnde ex hoc principio, & euidenti experientia, eorum, quæ producuntur, demonstrari, vel saltem efficacissimè probari Dei vnius existentiam concludunt. Sed primò quàm debile illud principium sit ostendimus certamine 3. n. 4. Addo ex eo principio nullatenus euidenter inferri causam bonitatis, & perfectionis infinitæ, qua causatiua virtus causarum, quas causare videmus effectus aliquot, in ratione causæ actiuæ adæquatæ compleatur. Etenim solùm infertur eam causam, qua ita adæquatio virtutis completur, ad effectus, quos videmus, ab his augeri in bonitate, ac perfectione minimè posse ; non autem ab aliis effectibus possibilibus, quos in virtute eius contineri euidenti experientia non cognoscimus.

QVÆSTIO IV.

An Deum esse inuincibiliter ignorari queat ?

QVm ostenderimus Dei existentiam, etsi per se nota non sit, adeò tamen euidenter : ratione naturali demõstrari, hic meritò dubitari potest, an ita rationis naturalis ductu, discursúque innotescat, vt, nisi datâ, vt aiunt, operâ, nequeat à sanæ mentis homine ignorari ? Neque verò de ignorantia negatiua per inaduertentiam naturalem, seu diuersionem ad alia : sic enim quotidie sæpius Deum Docti etiam quique ignorant, dum Dei non recordantur : quemadmodum, & alia de se notissima eo pacto, & causa ignorant. Est igitur quæstio. An in quouis sufficiens motiuum, seu principium sit, cui, si vellet attendere, Dei existentiam, seu Deum esse agnoscere : quare, vt Deum non agnoscat, in causa eius, vel voluntatem, vel socordiam esse.

CERTAMEN I.

Ad resolutionem notata, & doctorum sententiæ.

1 PRo quæstionis definitione aduerte : dupliciter ignorari Deum ab homine posse. Primò positiuè, peractâ nimirum positiuum erroris, quo quis existentiæ Dei dissentiatur. Secundò negatiuè, per negationem puram assensus existentia Dei, per diuturnum vitæ cursum, quo scilicet, non solùm per inaduertentiam, seu diuersionem ad alia naturalem, quâ notissima quæque nobis ignoramus, sed per defectum principi ac motiui ad Dei existentiam dignoscendam, illam ignoremus, quia nulla eius cogitandæ, aut de ea dubitandi ratio occurrat.

2 Secundò

2 Secundò notandum est, dupliciter etiam posse ad præsens dubium indoctos, & rudes constitui. Primò cum Doctoribus, & Magistris pravis, & Atheis. Secundò sine vllo Magistro, sed cum principiis solùm intrinsecis, & naturali sua ratione: vel quia solus in silua, aut montibus, vel cum æquè rudibus, & indoctis enutritus semper fuisset, quin ab vllo eorum, aliquid circa existentiam, vel non existentiam Dei amplius, quàm á se ipso posset edoceri, aut ad discurrendum ea de re excitari. Hæc porrò constitutionis rustici, & indocti diuersitas, valde ad quæstionem præsentem, tam de errore seu ignorantia positiua Dei, quàm de negatiua definiendam valde est obseruanda.

3 Tertiò suppono modò: ad peccatum graue, etiam mortale, non requiri necessariò aduertentiam ad Deum, prohibentem, ac offendendum: si enim hæc requiratur, præsenti quæstioni locus non erit, cùm enim statim, atque homo ad vsum rationis peruenit peccare absolutè grauiter possit: si id absque aduertentia ad Deum, vel præcipientem, vel offendendum fieri nequeat: cum ipso rationis vsu principium, & motiuum ad Dei existentiam dignoscendam sufficiens aduenire necessarium erit: quare neque in vllo ad vsum rationis perueniente inuincibilem existentiæ Dei ignorantiam dari vllatenus posse. An verò Dei offensa, quæ mortalem in communi sententia committatur, Dei notitiam in peccante prærequirat? alterius est loci.

4 His positis: Prima sententia Deum inuincibiliter à sanæ mentis homine, quantumuis indocto, & rustico ignorari, siue positiuè, siue negatiuè posse negat: ita supponere videntur, qui sine aduertentia ad Deum, peccari non posse aiunt. Insuper S. Th. 1. 2. quæst. 89. art. 6. & Dominicani Thomistæ ibi, vt vbiuis de obligatione diligendi Deum rationalis creaturæ agunt. Docent enim huiusmodi obligationem cuiuis rationali creaturæ, vbi primum ad vsum rationis peruenit, necessariò ad esse; cùm tamen obligatio hæc cum ignorantia inuincibili existentiæ Dei esse non possit. Expressè autem ita docuere Alex. Alens. 1. p. quæst. 3. num. 2. Aureol. in 1. d. 2. art. 6. Gonzalez. Albel. 1. p. quæst. 2. art. 2. d. 11. conc. Gran. contro. 1. d. 1. sect. 3. faretur autem Granados sententiam hanc non tam rationi, quàm Patrum authoritati inniti. Cùm tamen iudicio meo nihil Patrum authoritati (in his, quæ discursu assequimur naturali) inniti possit, quod non rationi innitatur.

5 Secunda sententia docet Deum posse ab aliquibus inuincibiliter ignorari. Ita Molina. 1. p. quæst. 2. art. 1. & §. *ex dictis*. Mag. Victoria Relec. *ad quid teneatur?* Immeritò pro opposita sententia prima à nonnullis relatus. Zumel. 1. p. quæst. 2. art. 1. concl. 3. Trigosius ibi. dub. 1. ad 4. Arriag. ibi. d. 2. sect. 3. num. 17. Sed hi tamen, tam de ignorantia positiua, seu errore non existentiæ Dei, quàm de ignorantia pura negatiua loquuntur. Ac insuper tam de rustico, & illiterato sibi, suisque naturalibus discursibus relicto, quàm Atheo Magistro ipsi adiuncto: vti ex eorum probationibus liquet.

6 Maiori distinctione hac in re locutus est Quiros de Deo tract. 2. d. 13. sect. 7. asserens rustico sibi, suóque naturali discursui relicto, non posse esse ignorantiam positiuam, siue errorem circa existentiam Dei; adstante verò prauo magistro Atheo esse optimè posse. Secundò ait ignorantiam inuincibilem existentiæ Dei priuatiuam, seu negatiuam, prauo doctore semoto, moraliter esse, quamtumuis rustico impossibilem; physicè tamen, ac metaphisicè loquendo possibilem esse. In qua sententia omnia tela, quæ alterutra ex relatis contra alteram contorsit, infringi videntur.

***

CERTAMEN II.

Adstante prauo Atheo Doctore vtráque inuincibilis ignorantia adesse rudi, & indocto poterit, imò & priuatiua, etiam moraliter, etsi ille absit.

1 TRes conclusiones in titulo continentur. Prima est adstante Atheo doctore rusticus potest tam ignorantiam positiuam, seu errorem circa existentiam Dei habere, quàm purè negatiuam, seu priuatiuam. Conuenio cum doctoribus secundæ sententiæ, & Quiros recitato, qui author fuit tertiæ. Probatur facilè. Quia rustici, & indocti, quibus, licèt sana, hebetior tamen, ratio, & discursus est, suis magistris doctoribus, & politioribus, ita cæcò credunt, vt nihil contra discurrere possint, nedum debeant: ergo eis docentibus Deum non esse credent, nec discredere tenebuntur: ac proinde non solũ negatiuè, sed positiuè etiam Dei existentiam ignorare inuincibiliter poterunt: imò & ignorabunt: etsi à minùs hebetibus, & indoctis oppositum ex naturalibus principiis indagandi causa sit, & facultas. Antecedens probatur: ex nostris rusticis Christianis, qui ita cæcò Parochis de mysterio Trinitatis credunt, vt nihil de principio illo naturæ lumine noto, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se (cui ità apparenter mysterium Trinitatis repugnat, vt in eis componendis hucúsque à Catholicis doctoribus laboretur) ne cogitent quidem. Multo igitur minùs de aliis principiis, ex quibus subtili, & oblongo discursu existentia Dei demonstratur, rustici Athei contra suorum Magistrorum doctrinam cogitare poterunt.

2 Secunda conclusio. Ignorantia priuatiua inuincibilis de existentia Dei rustico, sine Magistro Atheo etiam degenti, non solùm physicè, & metaphysicè, sed moraliter etiam est possibilis. Quoad physicam, & metaphysicam possibilitatem eisdem consentio, quoad moralem à nostro Quiros discordo: etenim, licèt Deus eo modo, quo quæst. 3. ostendimus demonstrabilis sit, ast plures, etiam ex non adeò rudibus, & rusticis, nihil de eo cogitarunt, neque ex causis, & effectibus naturalibus ad eorum authorem, & causam primam dignoscendam mentis aciem, & discursum erexerunt; quidni rusticus etiam syluicola, qui vix quidquam præter sensibilia cogitat, nihil ex eis, quæ sensu percipit, discurrat: maximè circa rem adeò à sensibus remotam, qualis est Deus, horúmque cum ipso connexio? Secundò: dubio procul per mensem, aut annum, imò, & annos pauculos potest syluicola ille nihil de Deo cogitare, postquam ad rationis vsum peruenit: id enim politioribus nostris pueris euenire, vel euenturum videmus, eertóque iudicamus, ni adessent, qui eos de Deo commonerent: totos enim ludis, aliisque sensibilibus oblectamentis, annis post vsum rationis, non admodum paucis, de sese intentos videmus; nihilque præterea, nisi admonitos, & inuite cogitare.

3 Inde verò in rustico illo per longius temporis spatium physicè, ac metaphysicè, imò & moraliter euenire posse facilè deducitur. Etenim rudis ille, ac rusticus syluicola à nemine doctiori eruditus puerulorum subtiliorum rationis vsum, & exercitium toto vitæ suæ, etiam oblongæ, tempore, non modò non prætergrederetur, sed ne assequeretur quidem: vt in rusticis nostris rudibus, nedum in syluis enutritis, experimur, nunquam eos ad vsum, & exercitium rationis puerorum subtilioris ingenij peruenire; à quibus eludi eos sæpè per iocum videmus. Ex hoc autem moralis etiam possibilitas facilè ostenditur. Ea enim omnia, ex quibus excitanda necessariò moraliter à Quiros Dei indagandi species, ac subinde de eius existentia addubitatio, & suspicio dicitur, oculis, & sensibus puerorum ad vsum rationis peruenientium, & rusticorum patent, quin ex sese de Deo aliquid cogitent, vt diximus, illud, quod ad prouidentiam Dei spectare dicitur infundere vnicuique aliquam de Deo suspicionem nullo fundamento niti tur firmo, nisi is naturalem legem diu seruasset:

seruasset : Quo in casu, Deus sui notitiam illi concessurus iudicatur ; ex quo deducitur aliis singulatim, non ita benè moratis hanc concedere non teneri ; esto : communitatibus, seu alicui earum pro bono publico concessurus præ sua pietate credatur : præterquam quod iam in ea Dei prouidentia, aliquid gratiæ supra naturæ debitum intercedit.

4 Tertia conclusio. Homo sibi, suisque discursibus omninò relictus, ignorantiam inuincibilem de Dei existentia, positiuam, siue errorem, quòd Deus non sit habere, tam physicè, quàm moraliter potest. Probatur facilè : quia, etsi ei de Dei existentia rationes aliquot occurrant, nec possit sine fundamento, & veritatis apparentia existentiæ Dei dissentiri, siue non existentiæ ipsius assentiri ; sunt tamen aliquot fundamenta adeò apparenter Dei non existentiam suadentia, vt, qui eius demonstrationem, fidémue non assequitur, decipi inuincibiliter circa eius existentiam possit. Eiusmodi est illud quo penè suos pedes motos, gressúsque effusos aiebat Regius Psaltes. Psalm. 72. dum pacem peccatorum in hoc sæculo videbat : vbi plerúmque iniquis fortuna ridet, cùm iusti non nisi tristem durámque patiantur. Ex quo nullum esse supremum numen : quod orbem, eiusque res moderetur, videtur adeò apparenter, atque efficaciter deduci : vt in id, ita sapientissimum, & subtilissimum Regem fide, & reuelationibus illustratum impulerit, vt, ni fides de hominum nouissimis eum obfirmaret, deturbaretur : igitur meliùs, & inuincibiliter in eum errorem incidere ex eo fundamento posset, qui fide, ac demonstratione destitutus, nec tam acri ingenio præditus, ea ratione ageretur, cum æstimatione iusta, nisi demonstratio, aut fides de existentia Dei, prævalere non potest.

5 Contra hæc nihil efficax à ratione opponi posse, vel aduersarij ipsi fatentur. Ad sententias illas de obligatione diligendi Deum, vbi primùm ad rationis vsum, sanámque mentem creatura peruenit, & de aduertentia necessaria ad Deum, vt mortaliter possit ab ea delinqui (quæ oppositam nostris conclusionibus scientiam de Deo pro tunc in creatura rationali supponunt) Respondetur facilè, vtrámque sententiam, vt sonat, falsam esse. Licèt prima in sensu S. Th. accepta verum habeat : in eo tamen sensu nostræ doctrinæ non aduersatur. Est enim verus eius, & S. Th. sensus, creaturá rationalé, vbi primùm suum, vniuersique authorem Deum cognoscit, ac proinde ad vsum rationis circa Deum peruenit, ad eum diligendum teneri. Id quod aliquibus, post multum temporis, ex quo absolutè ad vsum rationis peruenerunt, potest euenire : aliquibus verò nunquam, tam physicè, quàm moraliter.

6 Ab authoritate oppones illud Iob. 17. *Omnes homines vident eum.* Ad quod Gregorius. 27. Moral. cap. 3. *Omnis homo, eo ipso, quòd rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse.* Damas. 1. de fide cap. 1. *Nemo est mortalium, cui non naturaliter insitum sit, vt Deum esse perspectum habeat.* Hùc etiam faciunt testimonia Patrum citata à nobis disputationis huius præfatione, quæ congenitam, & natiuam hominibus cunctis Dei notitiam asserebant. Præcipuè illud Augustini, ibidem recitati. Denique Sap. 13. vbi à magnitudine creaturæ creatorem videri posse dicitur, & omnes homines reprehenduntur, qui Deum non agnouerint. *Si enim*, inquit Sapientia, *tantùm potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum : quomodo huius Dominum facilius non inuenerunt ?* Nemo autem de eo reprehendi cordatè potest, quod inuincibiliter ignorat : vt omnibus inconfesso est.

7 Cæterùm (vt ab extrema hac authoritate responsionem ordiamur) Sapiens non omnes absolutè homines ibi reprehendit ; sed eos, qui sæculum, id est vniuersum, ordinémque causarum, & effectuum eius apprimè sua indagatione, & labore multo percalluerunt : quibus dubio procul, de Dei existentia species, & motiua plura passim excitabantur : ac proinde in eo indagando negligentes culpabiliter extitere : quare circa eius existentiam vincibilis fuit, vel ignorantia, vel error. Reliqua testimonia solùm euincent ingenitum nobis omnibus esse vnde Dei existentiam assequi possimus, si id excitatis speciebus attendamus ; aut necessariò eas species nobis excitari, non euincunt ; alioqui nunquam non Dei existentiam cogitaremus, contra experientiam cuique manifestam. Vt autem ea motiuorum Dei dignoscendi nobis passim aberrantium multitudo, magnitudóque commendetur, aiunt Iobus, & Patres per exaggerationem : omnes Deum videre, ingenitámque omnibus, & insitam Dei notitiam : quemadmodum eum, qui obiecta, in aperto sibi proposita, quia non aduertit, vel negat, vel ignorat, cum negare, vel ignorare, quæ videt dicere solemus, cùm tamen non viderit.

QVÆSTIO V.

An Deum esse, siue existere, primò per fidei actum cognosci queat ?

DIxi : *primò cognosci per fidei actum.* Nam, si aliunde Deum esse, eiusque existentia nota credituro sit, cessat omninò difficultatis statim proponendæ ratio, vt ex eius propositione patebit.

CERTAMEN I.

Difficultas proponitur.

1 DEi existentiam per fidei actum cognosci à Christianis absolutè posse, certissimum est : cùm Deus se existere, & expresè, ac explicitè, & implicitè, ac virtualiter reuelauerit, quoties aliquid reuelat, & loquitur. Quod si aliunde Dei existentia nobis sit nota, tum quidem assentiri iterum nos eiusdem existentiæ, quia id etiam nobis reuelat, facilè intelligitur ; at verò, cùm Dei existentia nobis est prorsus ignota, difficultas est, an cognosci primò per fidem queat ? eademque cùm illa : An Dei reuelationem de mysterio aliquo, eodem fidei actu, quo mysterio reuelato assentimur, eius reuelationi assentiamur ? Analiunde debeamus prius reuelationi assentiri. Etenim cùm Deus se existere reuelat, existentia reuelata Dei ad ipsam reuelationem necessariò supponitur : cùm nemo reuelare, loquíue possit non existens : quare, vt assentiamur Deum suam existentiam reuelasse, vt deinceps ob eius reuelationem ipsum credamus existere ; ipsum existere, vt reueler, prius iudicare debemus ; alioqui, si eum existere ignoremus, & negemus, & eum loqui æquè ignorabimus, negabimúsque : sicuti, vt assentiamur ob reuelationem alteri mysterio reuelato, Deum illud reuelasse, seu Dei de illo reuelationem existere prænoscere debemus. Cum autem de ea reuelatione reuelatio reflexa non sit, ob quàm ei assentiamur, nec de omnibus reflexis reflexior, & reflexior reuelatio alia sine infinito processu dari (& idem est de reuelatione existentiæ Dei) fiet planè, vt Dei reuelationi, & Dei existentiæ, quibus prius natura, quàm Dei existentiæ, aut cuiuis alteri veritati reuelatæ necessariò assentiri debemus, fidei actu assentiri nnn possimus : quare neque existentiæ Dei, neque existentiæ reuelationis possumus primò per fidei diuinæ actum assentiri. Confirmatur : quia alias perinde vitioso circulo eidem videbimur assentiri : nempè Deum existere, quia id reuelat : & reuelare, quia existit.

2 Petrus Hurtado d. 7. de fide à parraffo. 90. & Lugo, d. 1. à parraffo 82. in simili de assensu reuelationi aiunt : veritatibus omnibus, quæ in motiuo fidei continentur, vt Dei Veracitati, Existentiæ, Authoritati, & Reuelationi assentiri nos eodem fidei actu ; non quidem, vt veritatibus reuelatis, sed vt motiuis assentiendi ex fide, quibus propter aliud assentiendum non est. Sunt enim prima fidei principia, quibus propter ipsa assentiendum est, non propter aliud ; sicut in aliis scientiis vsu venit, vt principia propter se, ac non propter aliud assentiamur. Verùm non satis capio, quid nam dicatur per illud assentiri per se, illis, vt motiuis : An excludiur eis verbis assensus circa illa motiua in fidei motiuo inclusa, tanquam circa obiecta, in quorum existentiam assensus feratur, nec ne ? Si ita, in quorum existentiam assensus circa illa ferri assensum fidei neges : aliunde assensus circa illa præcedere debet vt ob illa reuelatæ existentiæ Dei, aut cuiuis alteri mysterio assentiamur. Incognito enim aut

aut non præcognito motiuo ob illud assentiri alteri obiecto materiali non possumus, sicut neque bonitate incognita, possumus amare. Mouent enim motiua hæc intentionaliter, mediásque sui cognitione; actu autem ipso fidei nequit assensus fidei, in eius motiuas rationes, tanquam in obiecta ferri, quorum existentiæ simul, atque existentiæ rei reuelatæ eodem actu assentiatur: quia intentionaliter ea motiua mouere nequeunt ad assensum reuelatis, si eodem assensu, vtrúmque existere iudicetur.

3 Motio enim,& causalitas vera omnis, veram prioritatem causæ cum omnibus requisitis ad causandum requirit: cùm autem ad motionem intentionalem motiui ad assentiendum alteri obiecto, esse intentionale per assensum de eius veritate, & existentia prærequiratur, quod in assensu eodem, circa motiuum, & materiale obiectum nequit inueniri: eodem assensu fidei in vtrúmque, tanquam in obiecta, quibus assentiamur, ferri minimè possumus. Confirmatur: quia, sicut existentia physica causæ,& effectus eadem esse non potest (etsi ab eorum essentia reipsa distingui admittamus) ita neque motiui, & obiecti materialis, cui ob illud assentimur, intentionalis existentia eadem potest esse: quia non minùs in hoc intentionalis existentia, ad causandum assensum circa materiale prærequisita est, quàm physica causæ, ad causandum physicè effectum. Secundò, existentia Dei, eiusque reuelatio de illa, ipsa reuelatione clarescere non potest: tùm quia reuelationis existentia contingens est: tùm quia Dei existentia, ac proinde authoritas,& quæ hanc constituunt, per se & ex terminis, vt aiunt, nota non est primò Dei existentiam crediturо ex fide: vt ex dictis quæst.1. constat, & ex quæstionis huius suppositione compertum est: ergo debet, vt moueat Dei reuelatio nota esse per aliud: quo valde reuelatio, licèt primum fidei principium vnicúmq; (motiæ nempè) sit, à primis scientiarum principiis discordat. Hæc quippe, cũ per se nota sint, per aliud nota esse nõ debẽt, licèt per aliud nota esse possint. Atq; his satis præcipuũ horum Doctorũ,& solutionis huius fundamentũ euertitur.

4 Soar.1.de essent.& attrib.cap.1.num.5.& Martinon. 1.p.d.2. sect. 2. respondent: licet in esse rei Deum esse prius sit, quàm reuelare, tamen per hoc posterius illud prius cognosci posse, sicut causam per effectum: sic homo latens se voce prodit, seque esse significat: vt Christus discipulis timentibus phantasma esse, Marci. 6. *Ego sum*, aiebat, & Samaritanæ Ioan. 4. se Messiam esse vt crederet testimonio suo persuasit: & Raphaël Tobiæ. cap.12. se esse Angelum; & vulgò cum Rex ait. *Ego Rex id affirmo*, cum Regem esse ex eius testimonio credimus. Sic Deo dicenti. *Ego sum qui sum*. Exodi.3.ipsum existere ob ipsius testimonium credimus. Nec obiectio, inquiunt, probat amplius, quàm eidem per idem, eodem prorsus modo proposituм assentiri nos minimè posse; ast, si diuerso modo proponatur. v.g. implicitè, benè posse per idem eidem explicitè proposito assensum præbere, vel è contra, ob explicitum implicito: vt constat ex assensu definito ob definitionem, & è contrà: maximè, quando idè omnino, quod in antecedenti, seu motiuo proponitur, in assensu, seu conclusione non est, vt cũ ex cursu Petri,& Ioãnis ad sepulchrum, alterutrius ad illud cursus infertur.

5 Cæterum exempla illa ad rem probandam non sunt. Nam ex voce prolatorem, & hunc hominem esse, non ex eius testimonio, & authoritate illius nouimus; sed prolatorem ab effectu, sicut ignem ex fumo: hunc verò hominem esse, ex notitia anteriori, quâ eius vocem, & personam aliunde nouimus. Sic Christus à discipulis notus est: fidem autem testimonio Christi de se apud Samaritanam, præuia occultorum cordis manifestatio fecit; sicuti miracula Raphaëli apud Tobiam: atque Regi dicenti se Regem esse, non nisi aliunde nobis nota eius authoritate credimus. Illud de definito, & definitione, ni alterum de subiecto prænotum aliunde sit, vni ob alteram non assentiemur: sed æquè vtrúmque de illo negabitur, vel dubitabitur, vt patet. Nec magis præstat illud de implicito, & explicito & quòd plus sit in antecedenti, quàm in consequenti, ni illud implicitum notum præsupponatur: quod enim ignotum absolutè est, etsi aliis circunstantiis, & adiunctis, siue de se notis, siue ignotis stipetur, ignotum in se erit. Ni enim vtrúmque Apostolum ad sepulchrum cucurrisse sciremus, ineptè, ac stolidè alterutrum cucurrisse inferremus, ex eo quod vterque cucurrit. Nã in antecedẽti maius aliquid probandũ assumebatur, ignotóq; Ioãnis cursu, etsi Petrũ cucurrisse sciremus, stolidè etiã probaremus, assumendo in antecedenti, Ioannem & Petrum cucurrisse.

CERTAMEN II.

Alia solutione reiecta, quæstio deciditur.

2 NOster Quiros de Deo. tract.2.d.15.sect.7.à n.43. ex Soario etiam nostro. d.3. de fide,sect.6. à paraff.4. docet: primum assensum, tam de existentia Dei, quàm reuelationis, dum se existere, aut reuelare testatur, esse assensum fidei Theologicæ; neq; aliter fidei actum esse posse, ni in ipsas, vt in res ferantur reuelatas. In hoc extremo, cum his doctoribus facilè omnes cõuenimus. Primũ (quod præsentis difficultatis est) probat Quiros, quia reuelatio omnis diuina est reuelatio reflexa existentiæ suæ, ac proinde tanquam rei reuelatæ ipsius existentiæ (& idem est de existentia cæterorum, quibus diuinæ reuelationis infallibilis authoritas conflatur) ob ipsam reuelationem eodem actu fidei, quo reuelaræ veritati directæ, nos assentiri posse. Hanc autem reflexionem reuelationis supra se ipsam, & cætera, quæ ipsius conflant authoritatem, suadet.n.43. quia Dei reuelatio, tanta maiestate, pondere, & grauitate proponitur, tum è Doctorum tot, tantorúmque sapientia, Martyrum triumphis, Confessorum sanctimonia, antiquitate, & constantia fidei nostræ, cæterisque credibilitatis mysteriorum signis, vt eis infallibilis authoritas statim appareat, ac Deum esse, & loqui, quæ loquitur, cuíq; nefas sit dissentiri: quare, etsi nullam aliam de Deo notitiam quis habuerit, his extrinsecè intellectum illustrantibus, eodem actu fidei in reuelatam Dei,& reuelationis existentiã, authoritatem, ac reuelationem, qua ea reuelantur, feretur; licèt de se clara non sit, quia extrinsecùs eis motiuis illustratur, vt sæpè in assensibus aliis contingit.

2 Sed nihilo hæc veriùs dicuntur, aut faciliùs; imò verò mihi doctrina hæc pugnantia docere videtur. Admitto vtrúmq; reputo (id quod in assensu cõclusionis ex præcognitis ac præiudicatis præmissis nõ segniter suadetur) ita etiã se gerere motiua credibilitatis reuelatorũ à Deo, respectu diuinæ authoritatis, atq; existentiæ, tum Dei reuelantis, tũ ipsius reuelationis, vt actu fidei, quo reuelata credimus, ea etiam motiua intrinsecè attingi opus non sit, sed satis esse extrinsecè, eo alio assensu intellectum illustrari, vt actu fidei reuelata (quæcúmq; illa sint) credamus. Hæc autem non probant præcipuum, quod hic Doctor intendit: nempè diuinam reuelationem de re quappiam, sui ipsius reflexam reuelationem esse: & cui proinde ac cæteris, quæ supponit, vt Dei reuelãtis existentiæ, ob se ipsam simul cũ reuelata veritate assentiri possimus: quin potius oppositum suadent. Illa enim, quæ mysteriorũ reuelatorum credibilitatem, Deíque proinde authoritatem, locutionem, & subinde existentiam suadent, ipso Quiros fatente, extrinseca motiua reuelationi sunt, quibus̃que sublatis Deum loqui, & existere nusquam firmiter suaderetur: ergo existentiæ reuelationis, Deíque loquentis, non est reuelatio motiuum, quasi reflexa sui reuelatio, & testificatio sit, sed quid ab ea diuersum: ergo veritati huic de existentia reuelationis, Deíque loquentis, non assentimur ob reuelationem ipsam, neque actu fidei, quo ab illa, tanquam à motiuo adæquato mouemur ad assentiendum rei directè reuelatæ.

3 Dices, non moueri ad assentiendum existentiæ Dei ob reuelationem, tanquam ob motiuum extrinsecum assensus, quo simul vtríque existentiæ, & reuelationis, & Dei, simul cum veritate reuelata ex fide credimus: sunt enim motiua extrinseca illius assensus, signa illa credibilitatis euidentis, quæ mentem illustrant, & extrinsecùs ad assensum illum inducunt: quemadmodum præmissarum obiecta ad assensum cõclusionis; quod solum obiectio suadet; ast esse reuelationem totum, & adæquatum motiuum intrinsecum assensus fidei veritati directè reuelatæ, & simul veritati existentiæ reuelationis, & Dei reuelantis. Licèt enim, vt seorsim assentiamur reuelationis, & Dei loquentis existentiæ, illa credibilitatis motiua intrinseca sint, & necessariò intrinseca; ast vt simul assentiamur ei veritati, & alteri directè reuelatæ, eo intrinseco motiuo opus non habemus, sed satis est, si extrinsecùs mentem illustret: ex consortio enim alterius partis (si iudicij physicè diuisibile, ac nõ simplex qualitas sit) fit, vt pars de se obscura ex alterius partis

consortio claresçat: id quod inquies apparet in hoc iudicio, *Stellæ sunt pares, quia Angelus dicit.* Si qualitas simplex non sit. Stellas enim esse pares de se obscurum, & insuasibile de se est, ast ex consortio alteriùs partis, *Angelus dicit*, lucem accipit, vt ei assentiamur.

4 Nihil tamen hæc omnia difficultati præsenti diluendæ possunt inseruire: & in primis exemplum hoc de causali propositione (siue eiusmodi iudicium diuisibile physicè, siue simplex qualitas sit,) nihil probat: in ea enim altera pars continet motiuum assentiendi alteri parti, intrinsecum quidem, eo modo, quo in ea opinione de iudicij diuisibilitate intrinsecum esse potest: atque illud quidem præcognitum, & præiudicatum aliunde prioritate naturæ, antequam stellarum paritati, per alteram partem, ob testimonium Angeli assentiamur. Quando verò pars iudicij circa vnam veritatem, cui assentimur, motiuum assentiendi alteri veritati non affert, hanc æquè obscuram, & insuasibilem reliquit, quin ex consortio suo lucem aliquam recipiat: vti ipso exemplo conuincitur. Si enim Angeli reuelatio, eiusq; authoritas aliunde clara nobis, ac suasibilis non sit, ex eo, quòd alteri veritati obscuræ de se paritatis stellarum in iudicio eodem physicè ex duplici illa parte (vt nunc permittimus) conflato adiungatur, maiorem lucem, suasibilitatémque non recipiet. Vnde eodem exemplo acriter hic Recentior impetitur: si enim reuelatio Angeli obscura, de se, ac dubia, quoad sui existentiam, & authoritatem veritatis ex consortio alterius partis, circa veritatem testificatam, lucem, & suasibilitatem non accipit, ni aliunde claresçat, vt suasibilis, atque assensibilis, vt sic loquar, per alteram partem iudicij reddatur: ergo nec diuinæ reuelationis, Deique reuelantis existentia ex consortio alteriùs partis iudicij, lucem, & suasibilitatem recipiet maiorem, quàm de se habet, ni ad motiua designata recurratur: quare non magis est suasibilis, vt coniuncta cum veritate reuelata eius, & Dei loquentis existentia, & authoritas, quàm si seorsim sumatur ad assensũ: sed seorsim sumpta per se, nõ est per se suasibilis, sed per aliud, nimirùm signa nostræ euidentis credibilitatis, ergo nec coniũctim sumpta cũ veritate reuelata.

5 Illud etiam de extrinseco motiuo signorum nostræ euidentis credibilitatis, vt existentiæ reuelationis, Deique loquentis eodem actu, quo veritati directè reuelatæ per ipsam reuelationem assentimur, friuolum inde apparet; cùm ex coniunctione assensus circa vtrámque veritatem, siue identica, siue per vnionem reuelationis existentia, Deique loquentis maiorem lucem non recipiat, sibique ipsi lux esse possit, & quasi reuelatio reflexa, quàm seorsim sumpta, vt vidimus. Secundò motiua illa euidentis credibilitatis, licèt ad assentiendum directè veritati reuelatæ immediatè non moueant, sed solùm diuina reuelatio, eiusque, & Dei existentia, & authoritas, tanquam formale proximum motiuum; ast illustrare mentem non alia ratione possunt, vt ob hæc formalia motiua proxima veritati directè reuelatæ assentiatur, nisi, quatenus eliciunt assensum circa existentiam diuinæ reuelationis, Deique proindè reuelantis, atque diuinæ infallibilis authoritatis, cáque omnia ex parte obiecti per eiusmodi assensum firmiter veritati reuelatæ applicantur. Non secùs atque connexio, seu illatio obiectiua conclusionis obiectiuæ cum antecedente & præmissis per assensus præmissarum ostenditur, formaliterque menti proponitur, vt ei connexioni, & subinde conclusioni obiectiuæ assentiatur: ergo quemadmodum assensus præmissarum in conclusionis assensu non repetitur, sed, vt summùm, suo loco, & gradu pro priori naturæ persistit: neque ex lucę, quam ex præmissis menti ad assensum conclusionis aliundè affertur, ei per se ipsam quasi reflexè aut veritatibus obiectiuis præmissarum per ipsam assentimur, ita neq; reuelationi, eiusque, & Dei loquentis existentiæ per ipsam reuelationem, tanquam motiuum assentimur simul cum veritatè assentimur reuelatæ: & quidem, & pro priori naturæ existentiæ reuelationis secundum se, ob signa euidentis credibilitatis assentiendum nobis necessariò est, vt ob illam credamus veritati directè reuelatæ, neque inde clarior in se respectu sui intrinsecè reuelatio ipsa fiat, assentiri iterum ei ob seipsam simul cum veritate reuelata superfluum videtur, imò impossibile.

6 Concludo ergo ex dictis, existentiæ Dei reuelantis sui existentiam nunquam primò per actum fidei ob eiusmodi reuelationem elicitum, assentiri nos, sed aliunde à nobis prænosci naturâ debere, vt argumentum propositum cert. 1. n. 1. & euasionum præclusiones deinceps hucusque datæ conuincunt: quod ipsum de existentia reuelationis, & eorum, quæ infallibilem authoritatem Dei, ob quam reuelatæ veritati assentimur, dicendum esse ostensum hactenus est. Neque obest Fidei assensum iuxta hanc doctrinam non posse resolui tandem in diuinam reuelationem, sed in Parochi, aut hominis proponentis, fallibilem quidem, authoritatem, cùm ob id tandem Deum eiusque reuelationem adesse credamus: ex quo fidei nostræ firmitas videtur cassari: cum vltimò humanæ authoritati innitatur. Non inquam obest: ei quippe secundum se, vt motiuo non innitatur, sed Ecclesiæ propositioni, quæ per illum fit. Hæc quippe per Parochum applicatur, atque motiuis euidentis credibilitatis obiectiuè innititur; quæ à doctioribus intelliguntur, ac proinde subiectiuè firmius credunt; licet obiectiuè rustici etiam æquè firmiter credant: cùm motiua, ob quæ credunt æquam habeant firmitatem, quamuis ab eis ignoretur. Cùm autem inter credibilitatis euidentis signa, miracula numerentur, quæ Dei voces, & testimonia à Patribus passim dicuntur: doctiores, qui ob ea reuelationis, & Dei, eiusque authoritatis existentiam credunt, etiam dum suam existentiam reuelat, fidei actu reuelationis, authoritatis diuinæ, ac Dei existentiam primò credere pro priori naturæ, ad essensum proximè ob diuinam reuelationem præstitum, non immeritò dici possunt.

DISPVTATIO II.

De Dei Essentia.

1 EXplorata iam Dei nostri existentia, de eius Essentia disputare proximum est. Licèt autem controuersiæ huius præfatione Dei definitionem (vt opus tunc erat) præmiserimus; eam tamen rudi Minerua à nobis, atque vtcumque datam ibi monuimus: exactam Essentiæ Dei disputationem, & definitionem proprio hoc suo loco daturi. Quoniam verò, rerum naturæ, & essentiæ eæ dubio procul censendæ sunt, quibus in quæstione, quid sint? responderi debemus, iuxta Arist. Philosophos, Theologosque omnes, quare & rerum quidditates ab eisdem appellantur: atque insuper, quæcumque rebus physicè identificantur ad quid esse rei physicum pertineant: plura autem, quæ ita illis identificantur realiter, metaphysicè alia rerum prædicata, cum quibus ad conuertentiam dicuntur, consequi, tanquam illorum accidentia metaphysica, deprehendantur, quidditatem, seu essentiam metaphysicam rerum illa, quæ eo ordine præcedunt meritò vocamus; illa verò, quæ ad hæc consequuntur non essentias, sed metaphysica rerum attributa, seu passiones dicimus. Patet vtrumque in hominis essentia, & quidditate; etenim, si de physica quidditate, & essentia sermo sit, tam risibilitate, quàm rationabilitate, cum qua ad conuertentiam dicitur, essentialiter constat; at verò, si de metaphysica hominis essentia, & quidditate loquamur, rationalitas sola, non risibilitas, quæ eius passio metaphysica est, de hominis essentia, & quidditate est: quod ipsum in ente, eiusque passionibus metaphysicis, atque innumeris aliis cernere licet. Rei ergo cuiusvis, ac proinde Dei etiam, Essentia in physicam, ac metaphysicam primò diuiditur.

2 Contra statum hoc Philosophis, & Theologis principium Recentiores Complutenses vbiuis à nobis impugnati, docuere, manuscripto de Scientia d. 2. m. 6. & d. 1. de voluntate. num. 3. omnia prædicata rei identificata ad eius metaphysicam essentiam spectare: non autem solùm illud, quod radix metaphysica cogitatur cæterorum: quia, inquiunt, posita possibilitate rationalis creaturæ non volitiuæ, rationale hoc, & rationale volitiuum, quod de facto est essentia non solùm physica, sed & metaphysica differum: non possunt autem differre penes hoc, quod rationale volitiuũ, radix volitiui verè sit, secùs rationale non volitiuum: quia æquè pugnat rationali volitiuo verâ radicè, & principium

volitiui

volitiui secum reipsa identificati, ac subinde sui ipsius esse, atque rationali non volitiuo, volitiui sibi impossibilis radicem esse: quare eorum metaphysica differentia, non inde, sed è physica identitate præsentis rationalis cum volitiuo, & negatione identitatis cum illo rationali non volitiuo possibili desumenda est. Sed verò oporteret Recentiores hosce distinctionis essentiæ rerum metaphysicæ à physica ab omnibus receptæ, atque ad metaphysicas, tùm à priori, tùm à posteriori demonstrationes tenendas necessariæ, rationem aliam assignasse: quæ sanè nulla esse potest in eorum sententia. Si quidem essentiam metaphysicam rerum in omnium cùm ipsa identificatorum coniuncto constituit: cùm eo ipso, nihilóque alio, essentia physica rerum explorata sit, esseue possit. Eorum verò fundamentum debile est. Etenim præcedentia essentiæ metaphysicæ ad suas metaphysicas passiones, non vera realis, & physica est, sed metaphysica, rationis, & illius imitatiua: quatenus, sicut essentiæ rerum physicæ, passiones suas physicas ab ipsis reipsa distinctas physicè præcedunt, hasque illas (quæ primæ in rebus sunt) consequuntur, ita in essentiis, & passionibus earum metaphysicis (quæ non nisi per rationem nostram esse, ac diuidi possunt.) Ratione nostra illæ præcedant; quæ prius rationabiliter debent à nobis cogitari in rebus, essentiæque earum metaphysicæ meritò habentur; passiones verò earum metaphysicæ, quæ in ipsis debent cogitari posterius, & ad conuertentiam dici cum ipsis: in quo nulla est eorum prædicatorum fictio, sed solum diuisio, & ordo eorum fictus est, & per rationem imitatiuus: quod solum ratio aduersatiorū probat.

3 Secundò, ad rem præsentem aptissime, tam physicā, quàm metaphysica Dei quidditas, & essentia diuiditur in essentiam, & quidditatem Philosophicam, & Theologicam, id est essentiam, & quidditatem Dei considerati quatenus è puris philosophicis principiis est cognoscibilis (quo pacto sine vlla subsistentiæ notitia, cum reliquis tamen communibus prædicatis, & attributis diuinis cognoscibilis est) & consideratam Theologicè, quatenus scilicet, ex præcipuis etiam principiis Theologicis, nimirum fidei, est assequibilis: quo pacto trium etiam personalitatum, quæ ex fide adsunt, mentio, & consideratio est futura, cùm de Dei essentia, & quidditate, siue physica, siue metaphysica disputatur: vti de cuiusuis hominis essentia, siue physica, siue metaphysica disputantes distingui etiam opportet, an de ipsius essentia, & quidditate philosophica ex puris philosophicis principiis, (in quibus nullum distinctionis naturæ singularis suppositi, & subsistentiæ, vel personæ, ac personalitatis vestigium est) deprehensa, sit sermo? an de ea, vt è fidei principiis (ex quibus naturam hominis singularem à personalitate & persona differre in mysterio Incarnationis innotuit) disputetur?

4 Dixi, *cuiusuis hominis*. Scilicet particularis, & singularis Petri v. g. aut Pauli: nam sub voce hominis in communi significati, suppositum, aut personam non denotare constat ex dictis. d. proæm. de Trinitate, ac fusiùs contro. 8. de Incarnat. d. 1. quæst. 2. fere tota: ac proinde disp. de hominis in communi significati essentia, distinctioni de essentia physica, & Theologica locum non esse, vt putabant Murciani Recentiores, qui eam distinctionem in essentia physica Dei cognoscebant, ad metaphysicam essentiam illam non extendentes. His itaque declaratis, duplex disputatione hac quæstio continetur. Altera de essentia Dei physica, altera de essentia eius metaphysica, tam philosophicè, quàm Theologicè vtraque considerata.

QVÆSTIO I.

De Physica Dei Essentia, siue Philosophica, siue Theologica.

DIXIT seorsim, & primò loco de physica Dei essentia inquirere, vt confusam Patrum intelligentiam, (in quam, qui quæstionem hanc ab alia de metaphysica Dei essentia non diuidunt, incurrerent) lectoribus meis vitarem. Primò verò disputanda fuit rum quia facilior: tum quia metaphysica essentia rerum è physica earum essentia desumitur, quam proinde necessariò supponit.

CERTAMEN I.

Recentium Murcianorum sententia reiicitur.

1 PRima sententia in præsenti quæstione est. Recentium Murcianorum asserentium primò, essentiam Dei physicam, realem formalem philosophicam, esse omnia prædicata diuina, siue communia, siue personalia. Secundò ad essentiam Dei physicam, Theologicam personalia prædicata non spectare, spectare verò communia. Tertiò ad essentiam Dei physicam virtualem, intrinsecè non pertinere prædicata, quæ à Deo ipso virtualiter distincta in suo esse inueniantur. Verùm, vt de duabus primis conclusionibus iudicium meum tantillum differam, id quod tertia hæc conclusio supponit, satis non assequor. Distinctionem virtualem in diuinis audiui hactenus, & intellexi, licèt neutram in diuinis probem; Essentiam autem physicam virtualem, etiam, cum primùm audio, non intelligo. Etenim, si distinctionis, & potentiæ virtualis, in ea distinctione, & potentia essentiæ, definitionibus standum sit, ea erit virtualis essentia physica, quæ cum reuera essentia physica non sit, perinde se habet, ac si reuera talis esset: sic autem non se habent communia, & necessaria, quæ, adhuc virtualiter, à Deo non distinguuntur: nam reuera essentia physica, siue philosophicè, siue Theologicè sunt: cùm à Deo, eiusque entitate realiter, nec formaliter, nec virtualiter omnium sententia distinguantur: quare hæc omnia, quæ à Deo, virtualiter adhuc, non distinguuntur, nō possunt esse essentia physica virtualis Dei propriè loquendo, vt tertia Recentium conclusio ferebat; cùm Dei reuera essentia physica realis formalis sit, quod non compatitur eadem, vocum proprietati stando, vt debetur, essentiam physicam virtualem esse: sicuti neque cum vera reali formali potentia, & distinctione alicuius ab alio, realis virtualis distinctio potest consistere: quia virtualitas, vt ex eius definitione data constat, negationem formalis realitatis importat.

2 Dicent (vti è conclusionis suæ probatione percipio) non ita à se intelligi essentiam physicam virtualem, vti à nobis explicatur: ac dum ad eam non spectare prædicata Dei virtualiter distincta in suo esse defendunt, se solum intendere ea, quæ ita distinguuntur ab essentia, & natura diuina, licèt realiter formaliter in sua essentia diuina sint; cùm tamen realiter virtualiter distinguantur, realiter virtualiter essentiam Dei physicam non esse: si quidem eo genere, quo vnum ab alio distinguitur, realiter esse idem cum illo euidenter repugnat. Neque ego aliam esse in ea conclusione Recentium mentem suspicatus vnquam fui, neque ex suppositione virtualis distinctionis, ita explicatam, conclusionem impugnabam; sed ex proprio essentiæ virtualis physicæ significato, quod ostendi, communia necessaria, Dei essentiam physicam, virtualem esse non posse proprio sensu: ac proinde malè ab eis conclusionem de essentia physica virtuali, cum eius proprio significato consistere. Id quod ex ratione, & explicatione conclusionis palam ostenditur. Si quidem solùm probatur, distincta virtualiter ab essentia physica reali formali Dei illam ingredi minimè posse: quia perinde se habent ratione realis virtualis distinctionis, ac si realiter formaliter ab illa differrent: quare sicut ea, quæ realiter formaliter ab essentia differunt diuina, realem formalem essentiam non intrant, sic neque ea, quæ ab illa realiter virtualiter distinguuntur, ad essentiam physicam realem formalem Dei nullatenus, spectare: non autem ab essentia physica reali virtuali inaudita, atque impossibili esse releganda. Sed de mala hac locutione satis, ne disputationem deinceps confundat: quod solùm intendo.

3 De re verò magis primæ conclusioni Recentiorum dissentior. Aiunt enim, vt vidimus, personalia etiā ad physicam Dei essentiam philosophicam pertinere; cùm tamen conclusione tertia dicant, ad essentiam Dei physicam virtualē, ea omnia non spectare quæ virtualiter à Deo distincta in suo esse sunt. Hæc autem in re non cohærent. Etenim personalia à Deo virtualiter distincta in suo esse sūt in horū

sententia: cùm in ea, & proprium esse metaphysicum, & physicam existentiam habeant ab esse, & existentia essentiæ non minùs, quàm personalitates, virtualiter distinctam. Si autem virtualis distinctio eorum in suo esse ab esse essentiæ idem præstat, vt diximus, quod præstaret distinctio realis formalis ad esse Dei physicum reale, siue formale siue virtuale, vt hi loquuntur, minimè pertinebunt in horum sententia, & ratione, qua tertiam cõclusionẽ iidẽ probant, & quæ omnibus probanda, ad eius conclusionis verum, qui esse potest, sensum probandum, videbatur. Mitto alia quæ tam in primâ de essentia physica philosophica, quàm in secunda de essentia physica Theologica Recentiorum conclusionibus non satis nobis probantur; ea siquidem in nostræ sententiæ conclusionibus statim confutabimus.

CERTAMEN II.

Nostra sententia variis conclusionibus statuitur.

1 DIco primò, Essentia physica Dei philosophica in omnibus prædicatis communibus necessariis, non autem personalibus consistit. Primam cõclusionis partem affirmatiuam negabit nemo. Negatiua secunda primæ Recentiorum Murcianorum, conclusioni contradicit. Quod autem prima affirmatiua à nemine possit negari, ex eius probatione manifesta liquet. Essentia quippe physica philosophica Dei (vt è disputationis præfatione constat) est quidquid physicè cum Deo ex puris naturalibus, & philosophicis principiis necessariò, & indefectibiliter identificatum deprehenditur: ast eiusmodi sunt communia omnia prædicata necessaria Dei: ergo ea omnia sunt essentia physica philosophica Dei: ex eodem verò principio, & definitione essentiæ Dei philosophicæ ab iisdem Recentioribus receptâ, æquè apertè probatur negatiua secunda pars nostræ conclusionis. Illud enim solum ad essentiã physicam Dei philosophicam venit, quod seclusa reuelatione, & Theologicis principiis, è naturalibus solis cùm entitate Dei physicè, & realiter identificatur; atqui è necessariis Dei prædicatis personalia nullatenus Deo identificari, seu adesse deprehenduntur, à philosophia naturali adhuc probabiliter, vt patet, faciliúsq; ostendimus contra de Trint. disp. 1. quæst. 1. cert. 1. concl. 2. ergo nec pertinent ad physicam essentiam Dei philosophicam: ex qua probatione soluitur aduersariorum argumentum, quod in eo solùm ritit ur, quod personalia physicè Deo reuera identificantur: id autem ex fide, & Theologia, non autem ex pura philosophia innotescit.

2 Dico secundò, prædicata communia contingentia volitionis, & cognitionis, (& idem est de necessariis nonnullis, quæ ad aliud dicuntur: vt cognitio, ac fortassis amor possibilium) ad essentiam physicam Dei, tam philosophicam, quàm Theologicam spectant. In hac conclusione cùm citatis Recentioribus conuenio; non autem in eorum ratione: eam siquidem probant: quia essentia physica Dei, etiam virtualis, tam in ordine ad esse talium formalitatum contingentium, quàm in ordine ad aliud, ad quod ipsæ dicuntur, pensanda est. Verùm de essentia physica Dei locus pensationi, seu meditationi nostræ non est, sed diuinarum formalitatum reali, & physicæ identitati, vt per se patet, ac iam attendam in nostra probatione, quæ sic habet. Quia, licèt eiusmodi prædicata diuina quæ quoad, denominationem contingentia sunt, vel à possibilitate creaturæ pendent quoad denominationem etiam, vel deficere absolutè possent, vel saltem non adeò necessaria physicè sint, atque ipse Deus: ast verò quoad intrinsecum ipsarum formalitatum adeò constantis necessitatis, ac ipse Deus, sunt. Cùm infinita Dei scientia, & amor vndequáque, atque è suo specifico, vel potius indiuiduo prædicato diuini in suo genere vnumquodque, augmenti eiusdem generis incapax sit, ac proinde, cùm Deus vult, vel intelligit creata, siue possibilia, siue futura, nihil formalitatis volitioni, vel intellectioni Dei accedit, quod absque illis non haberes, cùm se solum amat, & intelligit: quare, quoad intrinsecas suas formalitates scientiæ, & volitionis totas, eiusmodi prædicata omninò identificata, atque vnissima cum Deo ipso sunt: ac proinde ad essentiam Dei physicam tam philosophicam, quàm Theologicam spectant: Ac demùm, cùm Philosophia, cum libere velle, ac identicè immanenter demonstret: totum id essentia philosophica eius physica erit, ac subinde Theologica, quæ philosophicam non excludit, quomodo cùmque difficultas facta componatur.

3 Iam inde probatione ipsa præoccupata est præcipua contra proximam conclusionem secundam obiectio, quæ ex contingentia, vel minori necessitate, quàm Deus est, eiusmodi prædicatorum desumitur. Constat enim ex ea totam eorum prædicatorum contingentiam, minorémue necessitatem ea, qua Deus est, quoad denominationem solùm, non autem quoad amoris, & scientiæ intrinsecas diuinas eorum formalitates esse: id quod, non minùs, quàm Trinitatis abstrusum mysterium, est, sed tamen Catholicis omnibus credendum. Inde etiam constat ad rationem quam attiginus cert. 1. num. 2. & 3. admissa distinctione reali virtuali aliquot prædicatorum diuinorum ab essentia, & natura diuina, quæ in prædicatis diuinis contingentibus, vel maximè, admittenda videtur. Idem enim præstitura videtur, quod physica, & realis formalis distinctio eorum ab essentia præstaret, si adesset. In primis vocem realis virtualis distinctionis in diuinis tanquam diuinum admittentem (vt Recentiores nonnulli appellant) non admitto: neque ea difficultates mysteriorum fidei nostræ summitti, nedum complanari sentio: quin imò eius vocis significatum implicatorium esse, & Chimericum: quæ omnia persecutus sum longiùs, contr. de Trinit. d. 7. quæst. 2. cert. 2. per totum. Hæc igitur prædicata non distinguuntur realiter vllo modo ab essentiæ diuinæ physica entitate, quoad entitatem, sed solùm quoad denominationem, seu potius realiter intentionaliter non physicè, vt suo loco dicemus. Quia ea omnia, quæ verè ea prædicata, adhuc cõtingentia physicè sunt, & quæ alia omnia his opposita essent, si adessent, atque ita, quoad denominationem siue realiter intentionaliter, deficerent, & diuina simpliciter entitas, re ipsa physicè est, sintque metaphysicè etiam in suo genere necessarissima diuina attributa; quin eis aliquid formalitatis in suo genere addi possit, ex prædicatis contingentibus, quæ accedunt addi possit, neque si abessent, possit aliquid illis perire.

4 Dico tertiò. Essentia physica Theologica Dei, absolutè loquendo, cõmunia omnia prædicata, imò & personalia cuncta in se claudit. Quoad cõmunia prædicata, conuenit mihi cũ Murcianis Recentioribus, imò tamus nemo à conclusione potest dissentire de omninò necessariis loquendo, (de non ita necessariis monstratum etiam est, concl. 2. n. 3.) cùm sit Patrum expressa sententia, atque ratione mox pro personalibus subiicienda satis probetur. Ex Patribus eam conclusionis partem expresse tradunt. Nazian. orat. 36. 4. de Theolog. vers. fin. orat. 38. de Natiuit. Domini longè à principio. orat. 42. 2. in Pascha. col. 2. num. 7. vbi habet. *Vniuersum enim id quod est, in se complectitur, velut pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum.* Accinunt Damasc. 1. fidei. cap. 12. Ambrosius. lib. de Filij diuinitate. vnico. cap. 4. medio. Ex Nazianz. verba etiam data mutuantes, atque hic rursus orat. 49. quæ est de fide tractatus. *Quæ est substantia Dei, nisi ipsum quod Deus? simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum.* Hilarius 9. de Trinit. vers. med. enumeratis Dei attributis ait. *Nõ quod hæc Deus habeat, tanquã aliud, quid extra esse credendũ sit; sed quod in his ad aliquantulam sensus nostri opinionẽ, significatus sit ipse, qui habeat.* 5 Luculentius adhuc Anselmus. c. 14. Monolog. à med. c. 15. & 16. vbi ostendens omnia, quæ prædicantur de Deo, etiam in abstracto, essentialiter prædicari, sic inter alia habet. *Idem igitur est quod libet vnum illorum, quod omnia simul, siue singula. vt cùm dicitur, iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia simul, vel singula.* Et rursus. *Illa summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud, idem, secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem, non sit: quia, quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod est.* Sed omnium præclarissime. Bern. 5. de consid. ad Eugen. *Si bonum, inquit, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quid tale de eo dixeris in*

hoc

hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempè hoc ei est esse, quod hæc omnia esse: si centum talia addas, non recessisti abesse: si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. quæ omnia pluráque eorundem, & aliorum Patrum consona testimonia de essentia physica Dei, vt minimùm, necessariò intelligenda sunt: imò, & de essentia etiam metaphysica ipsius intelligunt plures, qui communia omnia diuina essentiam metaphysicam Dei constituere censent: vt videbimus, q.2.cert.1.

6 Quod autem personalia etiam prædicata essentiam physicam Theologicam Dei absolutè loquendo ingrediantur: probatur facilè contra præfatos Recentiores: quia, licèt ex principiis purè philosophicis, Deus vna persona singularis, atque à natura indistincta sit, cùm in eis nulla supposita natura distinctionis vmbra inueniatur; ast ex fide, & Theologicis principiis, physica entitas Dei, siue physicè sumptus Deus, est indiuisim, & identicè vna natura cum tribus personalitatibus, siue Personis, quibus est physicè communis, ac proinde trinus, & vnus: atqui essentia physica Theologica Dei, eisdem Recentioribus annuentibus, est, quidquid physicè ex principiis Theologicis Deus est: ergo essentia physica Theologica Dei est, non sola natura cum communibus, sed cum personalibus etiam: siue Deus etiam trinus est essentia physica Theologica Dei. Nec refert Patres, & Theologos ex ipsis, naturam pro essentia vsurpare; atque eam à personalitatibus, & proinde à personalibus diuidere: quia ex fide mysterij de Trinitate, ac mysterij etiam de Incarnatione (quæ præcipua in eis principia Theologica sunt) subsistentiam à natura distingui deprehendunt. Etenim distingui realiter, & physicè à personis, & personalitatibus diuinis, nec fides, nec sana, & Catholica Theologia deprehendit: quare licèt essentiam, & naturam, subsistentiam, formam, genus, & speciem pro eodem in diuinis vsurpent Patres, Consilia, & Theologi, dum de mysterio Trinitatis agunt, & illam à personalitatibus, & Personis distinguant, ac similiter in mysterio Incarnationis, negentque eas esse Personas, aliter tamen in vno atque in alio.

7 In Trinitate enim solùm ratione eam à personis distinguunt, eóque sensu Essentiam, & naturam negant Personam, seu Personas esse; quia eo nomine, & conceptu natura, & essentia communis tribus Personis significatur, sub qua communitate Persona esse nequit: sed prout connecta, cum personalitatibus singulis, vt aiunt passim Patres, & pro omnibus Imperator Iustinianus, edicto fidei approbato à Vigilio Pa. quod extat. tom.2. Concil. pag. 654. ante Constantinopolitanum 2. general.5. vbi col.10. ea habet quæ retulimus contro.de Trinit. q.1. cert.2. n.4. ac sæpius contr. de modis loquendi in materia de Incarnat. d. vltima. Eam vero coniunctionem per physicam identitatem cum personalitatibus, quibus vltimò singularizatur, (vt aiebat Richardus à nobis laudatus eadem dist. proœm. qu.2. cert.5. n.6.) habet essentia, & natura diuina. In mysterio autem Incarnationis negant essentias, seu, quæ in Christo sunt, naturas esse Personas, & supposita physicè: & realiter, nec solùm prout eis nominibus concipiuntur, & significantur; quia à Verbi personalitate, & Persona physicè, & realiter diuersa humana Christi natura catholicè est. Ex quibus satis constat Patrum loeutiones præfatas non negasse personalitates, ac personalia omnia diuina ad essentiam Dei physicam Theologicam, seu quatenus ex fide Deus nobis innotuit, spectare: cùm physicam eius cum Personis, & personalitatibus diuinis identitatem (de qua solùm essentia physica Dei) ex fide etiam & recognoscant, & tueantur; negasse autem id de essentia physica naturarum Christi, quia humanam realiter à Verbi Persona, & personalitate fide distinctam videbant: quo ruit Recentiorum ab authoritate Patrum, & à paritate essentiæ, & natura personæ creatæ petitum fundamentum.

***

QVÆSTIO II.

De Essentia metaphysica Dei philosophica.

DE essentia metaphysica amplior decertandi campus cum Theologis Scholasticis patet: quia hoc solummodo sensu de essentia Dei metaphysica philosophica, seu quatenus ex physicis, & naturalibus principiis Deus innotuit: disputatur: quo pacto vnus, atque à natura singulari Deitatis, atque perfectionibus communibus, quas vocamus, quibus constare Deum Philosophi assequi possunt, in distinctus prorsus est, inquiritur ergò, quonam seu quibus prædicatis diuinis essentia metaphysica Dei, siue naturæ diuinæ metaphysicè constat? hactenus ab ipsis disputabatur.

CERTAMEN I.

Doctorum placita.

1 DE Essentia metaphysica philosophica Dei (de qua sola hactenus à Theologis disputatum est) prima sententia ex omnium prædicatorum, & attributorum collectione constitui docet. Ita Bannez, Mazarius, & Dominicani plures S.Th. interpret 1. p. qu.47. art.2. Zumel. qu.28. art.2. qu.8. è Societatis Thomistis, Soar.d.30. met. sect.6. & 1. de attribut. c.11. Becan.1. part.c.1.qu.1. Arrub. d.10. cap.13. Didacus Ruiz, d.8. de Trinit. sect.5. Fasolus ad qu.4.1. p. art.2. dub.3. Albiz tract.1. de scientia Dei, qu.6. & Ægyd. Lusitanus. His ferè consentiunt Complutenses nostri Recentiores, quibus cum sæpè controuersiis de Trinit. & Incarnat. certauimus: dum ab essentia metaphysica Dei solos actus intelligendi, & volendi liberos ab illa virtualiter, vt ipsi putant, diuersos excludendos docuere: reliqua verò prædicata communia omnino in ea metaphysicè includi debere: cæterùm duplex adhuc sensus opinioni huic subesse potest: vt notabam controu. de Trinit. d.3. qu.2. cert.4. n.8. & 9. Primus: vt essentia diuina eis omnibus formalitatibus ex parte obiecti diuersis metaphysicè confletur; sicut homo ex animali, & rationali obiectiuè diuersis prædicatis (loquor enim ex suppositione sententiæ ex parte obiecti præscindentis, quam hic ex logica, & metaphysica suppono, ne eius disputatione intempestiua, ferìam hic Theologicam quæstionem turbem) metaphysicè coalescit. Quem sensum videntur communiter intendere citati Doctores, didicisséque ex testimoniis Nazianzeni, Damasceni, Ambrosij, & Hilarij recitatis q.1. cert.2.n.4.

2 Secundus sensus subtilior longè: vt essentia diuina è genere, & conceptu suo metaphysico indiuisibiliter omnem dicat perfectionem, quæ in creatis omnibus dispersa est ab imperfectionibus eorum excoctam, quasi vno ictu formalitatis metaphysicæ diuinæ: ad eum modum, quo infectili sua entitate physica physicè claudit. Vel (quod aptius ad rem præsentem exemplum est) quemadmodum quodvis attributum diuinum (vt d.3. cum multis docebimus) indiuisibile formaliter ex suo conceptu, & genere etiam est: ita, vt nullum ex partialibus generis eiusdem formalitatibus metaphysicè coalescat, etsi ad plura comparetur; sed vno ictu formalitatis diuinæ feratur in omnia, v.g. Omnipotentia, quia diuina, & infinita potentia è suo conceptu diuinæ potentiæ, formaliter indiuisibiliter omnium possibilium potentia est; quin è potentiæ productiuæ hominis, & potentiæ productiuæ Leonis, quasi partibus formalibus metaphysicè compingatur: & idem est de Scientia, & Volitione diuinis, quem sensum videtur dedisse Anselmus, citatus citato cert.2. n.5. dum primo loco ait: in prædicatis idem vnum, atque aliud, imò & omnia simul significare; cùm tamen si diuersa

uersa, adhuc formaliter significarent, obiecta idem vnum, atque aliud, nedum atque omnia, significare non posset. Secundo verò loco ait. Nihil esse Dei essentiam, seu, quod idem est, de ipso prædicari, quod secundum aliquem alium modum, & considerationem non sit; non esset autem illud, si ex parte obiecti vnam formalitatem diuinam ab alia, atque ab essentia metaphysica Dei possemus considerationè, & modo nostro concipiendi præscindere. Clariúsque hic sensus videtur Bernardi testimonio inibi recitato contineri, quàm, vt ponderatione habeat opus.

3 Sententiæ Theologorum reliquæ in eo tantum conueniunt, quòd primæ huic vtrouis modo explicatæ aduersentur, atque Dei essentiam metaphysicam philosophicam, omnibus prædicatis communibus diuinis, etiam necessariis formaliter constare negant. Verùm in assignandis eis, quæ illam metaphysicè constituant, quæque ab illa sint reiicienda, nulla cum alia concordat: quare eas sigillatim perstringam. Secunda igitur sententia, in Intellectione diuina vltimò essentiam metaphysicam Dei constituit; reliquis etiam prædicatis diuinis, quæ ipsam non sequuntur, sed vel comittantur, vel formaliter antecedunt, ad eius constitutionem admissis, solàque volitione diuina, quæ cognitionem formaliter subsequitur ab eiusmodi constitutione exclusa. Ita Soar. 9. de Trinit. cap. 1. n. 4. lib. 10. c. 5. lib. 11. c. 5. n. 16. sequuntur ex nostris. Salas, & Fassolus, dub. 7. 8. & 9. eadem, qua Soar. in consequentia, cum steterint pro sententia prima: quo vitio Nazarius laborat, qui, & pro vtráque stetit: sed magnis expensis secundam hanc tuentur Herize. 1. part. tract. 2. d. 3. Hemelmam. 1. part. tit. 4. tota. d. 1. vbi pro se reliquos citatos refert, atque Machim, & Alheldam. Huic sententiæ tertiæ affinis est alia Complutensium Recentiorum asserentium, prædicata omnia, inter quæ distinctio virtualis non intercedit in diuinis (cuiusmodi sunt communia omnia necessaria) essentiam metaphysicam Dei intrare; secùs contingentia communia, & personalia: ita manuscripto de Scientia, & manuscripto de Voluntate: sed cum hac vniuersali sententia sua; nescio quo pacto componant absolutè diuinam cognitionem ad essentiam metaphysicam Dei non spectare: cum cognitio necessaria, atque non distincta virtualiter ab aliis prædicatis diuinis communibus ab ipsis admittatur: & sanè sententia hæc eo fundamento innititur, quod satis à nobis reiectum est controuer. metaphysica: quòd, scilicet, in creatis tota essentia rei, seu quidquid in ea omnino identificatum est (sicut sunt communia omnia necessaria in diuinis) ad essentiam metaphysicam eius spectant; & eo sanè argumento, quod licèt in creatis teneret, nihil in diuinis probaret: vti eo loco quiuis cognoscet: quare nihil hic de speciali hac doctrina disputare oportebit. Illud tantùm dicam distinctionem virtualem, quam isti defendunt, inter necessaria, & contingentia prædicata, atque inter personalia, & communia in diuinis, potiùs esse summam Dei identitatem vt ostendi controu. de Trinit. ac tetigi sæpiùs, fusiúsque ostendam controu. de voluntate, Decretorum diuinorum libertatem edisserens, quare, si identitas physica prædicatorum facit, vt quidquid in re physicè idem est ad essentiam eius metaphysicam spectat, contingentia Dei prædicata, quæ solùm per summam Dei identitatem esse in illo possunt, æquè, imò potius, quàm necessaria, & non distincta virtualiter ad Dei essentiam metaphysicam pertinebunt.

4 Quarta sententia sit assentium, ante intellectionem, essentiam Dei metaphysicè esse constitutam prædicato intellectiui radicalis, siue potentiæ intellectiuæ, aut intellectualitatis, qua vltimò constituatur. Ita Albertinus, tit. 2. qu. 4. theologica prædicamenti relationis dub. 2. vocéque intellectualitatis, Valentia 1. part. d. 7. qu. 3. pun. 1. Pererius 4. in genes. d. de imagine Dei qu. 1. & 4. Scotum, Duran. & alios pro eadem sententia referens, Arriag. 1. part. tit. 1. disp. 16. sect. 4. in intellectiuo radicali Dei essentiam metaphysicam statuit, ac proinde citatis pro hac sententia videtur accedere; sed tamen sola hæc prædicata, intellectionem præcedentia in essentia Dei claudit, *Ens spirituale à se subsistens*. Vt in prædicato *spiritualis*, radix intelligendi constituatur, ac proinde intellectualitas formalis, siue potentia formalis proxima; ac reliqua prædicata communia, quæ verbis eius datis, formaliter non continentur, ab essentia Dei metaphysica releger, nec solam intellectionem, & volitionem diuinam. Addéreque videtur subsistentiam diuinam extrema voce, *Subsistens*, (sicut, & Ruiz citatus, dum omni perfectione simpliciter simplici essentiam metaphysicam Dei constare, loco citato docebat; cùm tamen personalitates diuinas, perfectiones eiusmodi intrinsecè formaliter censeat; vt vidimus contr. 8. de Trinit. d. 6. qu. 3. cert. 1.) quæ in essentia Dei metaphysica philosophica, quam ipse ibi, & nos hic venamur, locum proculdubio non habet: ac fortasse neque in Theologica, de quo quæstione sequenti. Idcirco quartam aliam à quarta diuersam sententiam induxit Arriaga loco citato.

5 Scotus in 1. d. 26. q. vn. sub fin. (cui Scotistæ subscribunt) cum prædicato Intellectiui, prædicatum etiam Volitiui ad Essentiam metaphysicam philosophicam pro vltimo constitutiuo adnocauit, quæ Sexta est in re præsenti sententia. Septima verò sententia videtur fuisse Cardinalis Aureoli, Deum nempè sola Intellectione constitui. Aureolo non nimis distanter accessit Arriaga citatus, d. 47. sect. 8. subsect. 1. docens essentiam Dei metaphysicam virtualiter sola intellectione constare: quia ante intellectionem nihil virtualiter distinctum præcedit, à qua volitio virtualiter distincta est, eamque tanquam radicem subsequitur. Sed ex hac ratione potiùs infertur, non sola intellectione virtualiter essentiam Dei constitui, sed reliquis à volitione prædicatis necessariis, quæ certè ab essentia, & entitate Dei virtualiter non distinguuntur: quare ex hac ratione sua posset Arriaga consequentior suæ sententiæ memoratæ n. 4. med. philosophari. Huic sententiæ, ex parte adhæserunt Recentiores, naturam ab essentia metaphysicè, & formaliter in Deo distinguentes, atque naturam in sola intellectione actuali, seu metaphysicè collocantes. Hanc distinctionem formalem naturæ, & essentiæ in Deo reprehendunt Murciani Recentiores, quasi Patribus, & Conciliis, & Theologis aduersam; cùm tamen eam in S. Th. vidisset, verbis hisce, quæ ex ipso 1. part. qu. 39. art. 2. ad 3. recitarunt. *Natura designat principium actus. Essentia verò ab essendo dicitur.*

6 Octaua opinio fuit Argentinæ q. 2. prologi sentent. Deum per Infinitatem constituentis. Cùm autem nemo Theologus prædicatum essendi à se ab essentia diuina excludat, (nec citatus Aureolus, qui illud cum scientiæ diuinæ prædicato confundit) eadem hæc sententia videtur cum sententia nostrorum Petri Hurtado d. 20. metaphys. sect. 2. Tanneri 1. par. dist. 2. qu. 1. dub. 5. Gillij 1. p. lib. 2. tract. 1. cap. 12. 13. & 14. atque tract. 2. cap. 4. Addit autem secundum infinitatem essendi à se in suo quodque genere, omnia diuina attributa essentiam metaphysicam Dei constituere: quo planè à prima, & præcipua hac sua sententia discordat: atque ad primam recitatam pergit: Nam attributorum infinitas essendi à se in suo quodque genere, à cuiusque genere non abstrahit. Neque enim infinita Scientia, vel Amor, vel Potentia Dei intelligi potest, quin Scientia, Amor, & Potentia Dei cogitentur: quare, si infinitas essendi à se attributorum omnium in suo genere vnumquodque ad compositionem essentiæ metaphysicæ Dei veniunt; venient quidem omnia attributa secundum genera, seu species, ac formalitates suas ad illam: vti sententiæ primæ authores aiebant.

7 Nona opinio est Recentium Murcianorum asserentium Essentiam metaphysicam Dei sitam omnino esse in ratione subiecti radicalis omnium actuum, seu attributorum diuinorum. Licèt optimam essentiæ Dei definitionem esse fateantur, per prædicatum *Essendi à se*, quia primus notissimúsque actus Dei est. Pro hac sententia tacitè videntur citare, dum varias Doctorum opiniones recensent, Henricum 1. part. sum. art. 24. qu. 3. & art. 33. q. 2. Vasq. 1. par. d. 119. Granad. 1. par. controu. 2. tract. 1. d. 3. sect. 4. qui aiunt consistere Essentiam Dei in esse purissimo, quod est fundamentum, seu radix omnium attributorum: ita etiam sentiunt plures alij, apud Hemelmam c. 2. n. 12. licèt rationem fundamenti, & radicis è partialibus radicibus, & fundamentis pro attributorum diuersitate coalescere putent: qua in re decipi constabit ex dicendis dist. 3. ac dictis sæpè à nobis controu. de Trinit. quòd, scilicet, nulla formalitas diuina ex partialibus generis eiusdem possit metaphysicè constare: referunt tamen pro hac sententia, & alios plures, qui absolutè supponunt

ponunt essentiam Dei esse conceptum ad attributa omnia prævium, quòd autem cum hoc stet optimam essentiæ Dei definitionem esse per prædicatum entis à se, inde probant: quia, cùm essentia Dei conceptus simplicissimus sit, non alia ratione explicari melius potest, quàm per actum suum notissimum, qualis est, esse à se: cùm nequeat, quod indiuisibile formaliter est, partibus formalibus, quas non habet, explicitis amplius declarari.

8 Decima denique pro antiquitate sua, & Doctorum numero, celebris est, quæ essentiam Dei metaphysicam, de qua hic in prædicato entis, seu essendi à se constituit. Ita iam olim Patres plures, Bannez 1. par. qu.4. art.2. Aluarez d.119.n.3. Vasq, loco citato, & ad art.2. cit. Basil. Legion.1. par. variar. Relect.5. circa fin. Referuntur Æstius, vel potius Æckius, & alij. Ij etiam omnes erunt pro hac sententia numerandi, qui à Murcianis Recentioribus numerantur pro sua n.7, hi enim omnes docent: vt Recentiores ipsi fatantur, vel consistere in esse purissimo, quod est fundamentum attributorum, vel esse conceptum prævium ad attributa omnia, non autem esse illud, vt fundat, & est vera radix prævia ad illa: constat autem ens purissimum, quod est fundamentum ad omnia attributa diuina, atque ea metaphysicè præcedit, esse ens à se formalissimum, quod ab omnipotentialitate sui purum est, atque reliqua tanquam fundamentum præcedit. Quin hæc est S. Thom. sententia cit. qu.4. & qu.13. ar.11. cum omnibus expositoribus, & à verbis illis ex qu.39. art.2. ad 3. recitatis n.5. fine. An verò conceptus iste entis à se, sit ab actualitate essendi formaliter præscindens, an illam includens. Bannez, Aluarez & Basil. dum hoc extremum non dicunt, primum videntur docere, idque expresse docent Murciani Recentiores, dum actum essendi inter attributa ponunt, ac Deum optimè per illud, tanquam per primum, & notissimum, Dei essentiam simplicissimam definiri aiunt.

CERTAMEN II.

Dei Essentiam metaphysicam philosophicam solo prædicato entis, seu Essendi à se contineri, verius nobis est.

1 Præfata conclusio patronos habet, non solùm Theologos datos proximè pro nona sententia, sed & Patres quam plurimos, locis, & verbis inferiùs referendis: eam & nos docuimus contr. de Trinit. d.3.qu.2. cert. 4. à num.3. vbi rationes metaphysicas fusiùs dedi, quas ideò hic, breui licèt, præstringam tamen, quantum ad earum robur sit satis: quia hic est sententiæ huius adstruendæ propria sedes. Probatur ergo conclusio: quia id est Essentia metaphysica cuiusvis rei, quod ita illam constituit in se, vt eam ab aliis distinguat, atque in se sufficienter constituat fundamentum, & radicem cæterarum passionum, & accidentium metaphysicorum: vt in omnibus Essentiis metaphysicis rerum compertum est: atqui prædicatum Entis, seu essendi à se ita Deum sufficienter ab aliis distinguit, atque in se constituit fundamentum, & radicem suarum passionum, & accidentium metaphysicorum: ergo prædicatum Entis, seu essendi à se, est essentia metaphysica Dei: Minoris pars prima videtur clara: nam prædicatum Entis seu essendi à se, nulli, qui Deus non sit, potest conuenire: ac proinde sufficienter ab aliis omnibus distinguit Deum. Sed neque secunda pars est probatu difficilior. Siquidem ex prædicato Entis à se metaphysicè oriuntur, & probantur à priori, vt patet singula percurrendo, Bonitatem, Infinitatem, Æternitatem, Omnipotentiam, & reliqua: sicuti satis Scholasticè de Scientia diuina aiebat Chrysost. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura circa medium, his verbis. *Non à sapientia substantia, sed à substantia sapientia est*, atque vt rem vno verbo concludam; ideò diuina prædicata reliqua, à prædicato Entis à se formaliter diuersa attributa Dei dicuntur: quia passiones metaphysicæ Deo per existentiam à se, in se constituto, aduenire iudicantur.

2 Sed dices, Essentiam metaphysicam rei debere hanc distingui, non solùm ab aliis, quæ non sint physicè res illa, sed ab aliis etiam formalitatibus, quæ essentia ipsa formaliter, & metaphysicè non sint, quia, sicut esse physico res debet physicè distingui ab omni alio, quod physicè ipsa non sit. Sic & essentiâ metaphysicâ, res metaphysicè constituta, distingui debet ab omni alia formalitate, quæ ipsa rei essentia formaliter, & metaphysicè non sit. Secundò, quia, si ab aliis non distinguat, omnia rei prædicata essentia eius metaphysica erunt: nec erit cur vnum essentia, ac reliquæ passiones, seu proprietates metaphysicè, atque vnum metaphysicè præcedat, illudque alia sequantur, ita verò per prædicatum Entis, seu essendi à se distingui Deum essentialiter sumptum ab aliis formalitatibus, siuè attributis diuinis nostro discursu non probatur; imò verò facilè probatur oppositum: quia omnia diuina attributa, entia, & existentia à se sunt, ac non ab alio, vt patet, ac proinde hoc prædicatum commune est diuinis omnibus, & transcendens: ex quo rursus infertur prædicari nullius diuini posse esse differentiale, & vltimum constitutiuum: quo discursu non solùm nostræ conclusionis probatio eneruatur, sed & ipsa euertitur conclusio.

3 Murciani Recentiores tacitè rem contra nostram sententiam confici putant; non autem contra suam, qui non in prædicato Entis à se essentiam metaphysicam abstractè sumptam Dei ponunt, sed in ratione subiecti, & radicis diuersorum prædicatorum, seu attributorum, quo essentia definitur, vt ab eis metaphysicè distincta; per prædicatū verò Entis à se, definitur essentialiter Deus, qui eiusmodi subiectum est, per actum, & effectionem suam primam, & notissimam: vt condistinguitur ab omni eo, quod eiusmodi essentiam non habet, quòd rectè præstatur, inquiunt. Cæterùm cum Dei essentiam metaphysicam inter omnia prædicata, & attributa diuina venamur, ea omnia prædicata diuina rimamur, ac metaphysicè distinguimus, secundum ea omnia, quæ vnumquodque eorum formaliter metaphysicè in se coërcet: ac proinde pro essentia metaphysica rei inter omnia, quæ physicè in ipsa identificari deprehenduntur, oportet specialiter designari, quod non sit metaphysicè, in aliis in re eadem physicè identificatis. Vrgetur: quia vel ratio Entis à se eadem metaphysicè est in omnibus prædicatis diuinis, vel secùs? Si eadem: ergo cum definis Dei essentiam per actum essendi à se, non magis definis essentialiter Deum per vnum prædicatum diuinum, quàm per aliud; si non est eadem, non est cur refugias ob hoc argumentum, in prædicato Entis à se, essentiam metaphysicam Dei constituere, atque concedere, per id per quod metaphysica Dei essentia constituitur, ac definitur eiusmodi esse debere, quod in aliis Dei prædicatis, quæ attributa sint, non inueniatur: maximè, cùm in definitione essentiæ metaphysicæ, quam cum omnibus admittunt, contineatur: nempè esse id ad quod reliqua rei prædicata metaphysicè consequuntur: quod sine essentiæ ab attributis, seu proprietatibus metaphysicis, distinctione metaphysica esse non potest.

4 Nos ergo non ita facilè desperamus solutionem in quauis opinione de transcendentia, vel non transcendentia entis in creatis, & in diuinis. Etenim, si ens transcendere prædicata omnia vtrobique ponatur: nequit non in differentiis quibuscumque metaphysicis includi: quare argumentum contra omnem rei essentialem metaphysicam constitutionem decertat: ac proinde paralogismus esse conuincitur. Stat verò æquiuocatio eius in eo, quod ens in ea sententia non sumitur vniuocè, sed analogicè, ac proinde non eadem, quæ in differentiis, est entis ratio in communi, quod per illas contrahitur, sed ratio entis minùs principalis, & imitatiua illius communis rationis, quæ principale analogatum est, & ad quam reliquæ entis rationes, quæ in minùs principalibus analogatis inueniuntur, se referunt: quod in prædicato Entis à se, in quo essentiam Dei constituimus, metaphysicè erit iuxta hanc opinionem de transcendentia Entis à se, in diuinis respondendum. In nostra verò sententia, quæ eam Entis substantiui metaphysici, seu existentiæ transcendentiam, neque in creatis admittimus, neque in diuinis formalitatibus, sed has etiam solo iure identitatis cum existentia Dei existere, atque essentia, realia metaphysica adiectiua

iectiua solũ: (vt de personalitatibus diuinis agentes multis ostendebamus cont. de Trinit. d.6.q.1.vbi fundamenta iecimus, vt idem doceremus hic de attributis d.3.) faciliùs ostenditur prædicatum Entis à se in diuinis, neutrè, ac substantiuè dictum, quodque tota essentia metaphysica Dei est, non esse reliquis attributis diuinis commune.

5 Probatur Secundò, seu explicatur ratio præcedens, quia reliqua prædicata diuina, & diuersa formaliter sunt à prædicato Entis à se, etiam per aliarum opinionum Doctores & ita cum illo comparantur, vt & ad conuertentiam dicantur cum illo: ac proinde neque instar generis, & differentiæ illius se habeant: cùm genus latiùs, differentiæ verò strictiùs eo, cui differentiæ comparantur, esse debeant. Ita vero diuina inter se hæc omnia comparantur, vt omnia à prædicato Entis à se metaphysicè oriantur, vt diximus proximè; ipsum autem à nullo ex his ortum, adhuc metaphysicè, ducat. Quo igitur pacto essentiam Dei metaphysicam, reliqua ab Ente à se prædicata diuina cum illo constituent? Cùm, non vt genus, neque, vt differentia, neque illorum instar, illam cum eo possint componere: neque eodem gradu, & signo primo metaphysico (in quo solummodo essentiæ rerum à metaphysicis collocantur) ad Deum spectent, sed primum Deitatis prædicatum, quod tantummodo Deum in primo gradu, & signo metaphysico pertingunt, propostrioribus signis sequantur? Nec refert ingredi Dei essentiam, quæ cumulus omnium perfectionum etiam metaphysicè esse debet: tum, quia id Patribus subtiliùs, ac de metaphysica Dei essentia disputantibus aduersatur: tum, quia cum rationibus Theologicis pugnare videbimus cert.3.tum denique, quia eadem essentia physica, & metaphysica, Dei foret, vanéque duplex à Theologis de re, ex parte etiam obiecti formalis, eâdem, difficultas, & quæstio institueretur.

6 Tertia demum sententiæ nostræ à ratione, eáque validissima, probatio ex aliarum sententiarum confutatione ex Patribus, & rationibus petenda est, quam, quia longiorem ad certamen tertium reseruamus. Tertia proinde probatio ex Patribus, qui pro hac nostra sententia expressè loquuntur in præsentiarum sit: imò ex Dei ipsius authoritate, qui Exodi. 3. dubitanti Moysi quidnam Israëlitis, ad quos à Deo legabatur, rogatus, quisnam esset Deus, à quo se missum diceret: cùm tamen iam ab eo audisset esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob, vt *quis*, seu potiùs. *Quid esset Deus*, à quo mittebatur audiret, atque rogantibus postea intimaret, Dominus ait: *Ego sum qui sum, sic dices ad filios Israël: Qui est misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum.* Ad quæ Hilarius 1. de Trinit. *Non enim aliud proprium magis Deo quàm esse.* Augustt. tract. de hoc Dei dicto, essentiam Dei eo contineri ait. *Qui enim hoc quod est, & verè est intellexerit dignè, & qualitercumque lumine veracissimæ essentiæ, vel strictè sicut coruscatione afflatus fuerit, longè se videt infrà,* & 12. de Ciuit. *Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summè sit, & ideo immutabilis sit, rebus, quas ex nihilo creauit, esse dedit.* Nissenus. *Totum enim in se ipsum esse complectitur, quasi quoddam essentiæ pelagus, immensum & infinitum,* Basilius. *Istud qui sum, vnum, eandemque, & communem essentiam significat.* Eusebius. *Vox illa, qui est, rem, non nomen Dei, significat, qui est, hoc est; qui per se est, qui à nullo esse habet.* Iabanus. *Deus qui exordium non habet, essentiæ veræ tenuit.* Rupert. *Ego sum qui sum, naturæ est nomen.* Et post multa alia. *Suum edixit proprium vocabulum dicendo; Ego sum qui sum.*

7 Hæc omnia à cœna Lippomani desumpta, dicent, vtcumque de essentia physica Deitatis intelligi. Licèt huius dictionis, inter Dei nomina cætera, proprietas ad ipsum, eiúsque naturam, & essentiam significandam maior; quæ ab his Patribus tribuitur, locum solutioni occludat. Sed ad alia Patrum testimonia venio, quibus, nec vtcumque, ea solutione satisfit. Interlinealis ad eum locum. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos diuinitatis substantiam significat.* Est autem substantia essentia: quod de physica intelligi nequit: cum reliqua attributa ea oratione non significata, physica essentia contineat, quod ipsum in testimoniis aliquot ex dictis, quòd eis vocibus essentiam Dei contineri, & significari aiunt, argumentum contra præfatam solutionem conficitur. Damasc.1. de Fide cap.12. *Principalius omnium dictorum de Deo nominum esse, Qui est.* Nissen. aduersus eos, qui ægrè ferunt reprehensores sub init. ait. *Deum esse, primam rationem esse Dei.* Dionys.5. de diuin. nom. *Ex ipso esse, tanquam antiquiore aliis Dei bonis, ipse Deus celebratur.* Antiquius autem non duratione, seu æternitate, vt patet, sed originariè, & præcedentia metaphysica ad cætera diuina. Id quod probat, quia quæcumque munus aliquid agendi, vniendi, &c. habent, primùm ipso esse participant, eoque existunt, mox verò huius, vel illius principia sunt, concluditque. *Primum igitur ipsius esse munus præponens summa illæ Bonitas ipso esse, vt antiquissimo, primóque omnium eius participationum potissimùm celebratur.* Nazian. Orat.36. col.3. fine. *Quantum ergo nobis concessum est, Ens', & Deus magis quodam modo essentia nomina sunt: ex hisque etiam Entis vox ad illam indicandam aptior est.* Atque orat.49. ex datis Exodi verbis concludit. *Ergo ipsum, quod est, hoc erit substantia huius rei, quòd esse defenditur.* In eandem sententiam scripsere Hilarius de Trinit. col.4. Hieron. in id ad Ephesios.3. *Ex quo omnis paternitas.* Augustt. ad id Psal.9. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum.*

8 Hùc etiam aduocanda ad rem hanc erunt testimonia Nazianzeni recitati, qu.1. cert.2.n.4. vbi ait. Vniuersum in se complecti id quod est, velut pelagus immensum essendi, vt aiebat etiam hic Nissenus n.6. atque citata, qu.1. cert.2. num.5. Anselm. & Bernard. qui, licèt primo, & secundo modo constituentium metaphysicè essentiam Dei in cumulo attributorum omnium necessariorum: & communium, alterutro ex ibi datis, sensu adduci vtcumque possent: vt diximus hìc cert.1. num.1. & 2. tamen, vel de essentia solùm physica Dei loquuntur, vel (quod verius mihi est) contendunt nullum aliud Esse, siue entitatis, aut entis substantiui metaphysici, esse in diuinis aliis, quod formalissimè ens essentiæ non sit: quare reliqua diuina solum esse entia realia adiectiua metaphysica, vt de personalitatibus docuimus locis citatis, ex controuer. de Trinit. dist.6. & de attributis obiter, testimonia hæc Anselmi, & Bernardi expendentes, eadem controu. d.3. qu.2. cert.4. rursúsque dicemus fusiùs hìc d.3. Alioqui, neque Anselmus negare potest attributa diuina in prædicato Entis metaphysicè formaliter non contineri, neque Bernardus, nihil addi prædicato Entis neque minui Deo metaphysicè, additione, vel detractione eorum. Quòd si dicas loqui eos de continentia eminentiali metaphysica eorum in prædicato Entis à se, nostram conclusionem apertiùs dicent. Hùc tandem faciunt alia testimonia Patrum, quæ aliorum sententiis (præcipuè primæ) impugnandis, recitabimus statim.

CERTAMEN III.

Ab aliarum opinionum exclusione, sententiæ nostræ à ratione probatio quarta.

1 Hæc in materiis omnibus efficacissima probatio. Est autem semper probatio multimembris, pro aduersarum opinionum multiplicitate, cùm omnes sigillatim percurrendæ ab impugnatione sunt. Sic ergo argumentor. Nequit Essentia metaphysica philosophica Dei in aliquo ex assignatis ab aliis sententiis persistere: ergo consistit in prædicato Entis à se. Maior suadetur. Non in aggregato omnium prædicatorum diuinorum. Primò, quia sunt in eis attributa diuina metaphysica, ac proinde essentiam Dei debent supponere, ac Deum, cuius attributa sunt, essentialiter constitutum. Secundò, quia cuius essentiæ metaphysicæ proprietates metaphysicæ necessariò eam consequentes sunt assignandæ: nulla autem assignari essentiæ Dei poterit, si omnia sua attributa, & prædicata necessaria communia includat. Ruiz, qui, vt vidimus, cert.1. num.4. personalitates diuinas ad essentiam Dei metaphysicam vocat, acriorem, quoad hoc, ficuti,

ficuti, & Arriaga ibidem citatus, impugnationem habet : quandoquidem Essentiam Dei metaphysicam communem esse singulis, & omnibus personis tota Theologia dogmaticè fatetur : quod cum horum specialì doctrina defendi non potest, & sanè Patres de constitutione metaphysica per attributa, vel omnia, vel aliqua loqui non posse constat ex locis statim citandis, in quibus nullum ex his prædicatis Essentiam significare, sed aliquid, quod eam circumstet, eique insit, vt summùm : ergo his locis de physica identitate omnium diuinorum loquuntur Patres, quorum omnia testimonia latè explicat Hemelman. titul. 4. d. 3. §. 3. & 4.

2 Horum vero singularitate omissa, communis prima sententia expressa est contra Patres, subtiliori metaphysica hac de re disputantes. Nyssenus posteriori lib. de Trinit. ad Eustathium longè à med. *Cùm aliquis vnuscuiusque horum nominum, & ipsius naturæ, circa quam ea omnia intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eamdem reddit vtrorúmque rationem : quorum autem ratio, definitióve diuersa eorum natura quoque differens est : igitur aliquid aliud essentia, cuius nondum oratio index cogitata, alia verò nominum quæ circa ipsam proferuntur*, lib. ad Ablani. quod non tres Dij. *Peculiarem vnumquodque continet in se sententiam comprehensam* : (ex Dei nonumbus) *nec vllam in diuinis vocem reperies aliquo carentem intellectu : ex hoc itaque demonstratur, quod non ipsa natura per aliquod eorum nominum denotatur.* Id quod de nomine Θεὸς, siue *Deus*, statim ostendit. Cyrill. Alex. 11. Thes. cap. vnic. circa fin. de prædicatis, quæ de Deo dicuntur concludit. *Hæc omnia non substantiam, sed aliquid eorum, quæ in substantia inspiciuntur significant.* Damas. 1. de fide cap. 4. *Quæcumque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam insinuant. Nam, etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quidquam tandem aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed quæ circa naturam.* Id ipsum docent Chrysost. loco citato, certam. 2. numero 4. Nazian. orat. 35. 36. 38. & 42. vbi Nicetas, Theophylactus, in id Rom. 1. Inuisibilia Dei. Nyssen. rursus 1. de Trinitat. sub fin. Athan. dialog. 2. de Trinit. circa fin. Iustin. M. quæstione 3. ad gent. & alij. Panoplia Euthymij, part. 1. tit. 3. pag. 76. quos breuitatis causa non recito. Sed pro omnibus Basilius, contra Eunom. 1. versus fin. colum. 11. sententiæ, quam impugnamus, assertores irridens recitandus est. *Quo pacto*, inquit, *non irridendus, si prouidentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam. & omnem item operationem, substantiam putet? quæ cuncta, si ad vnum tendunt significatum, necesse est, vt idem valeant, sicut fit in multitudeis.* Synonimis. Demum colum. 12. prædicata, seu attributa negatiua significare quid Deus non sit ; positiua verò quæ eius substantiæ insint, ac circumstent, non autem substantiam ipsam, siue Essentiam Dei, latè ostendit.

3 Patrum authoritatibus, quibus illa prima sententia nitebatur, fecimus satis num. 1. Sed instant eius Doctores : non posse diuina omnia prædicari *in quid*, vt ex Boetio plures Patres docent, nisi extra Essentiam metaphysicam Dei sint ; infirmè tamen : Satis enim ad id est, intra Essentiam physicam, & substantiam Dei, vt accidentia eius physica non sint, vt bene citatus Apostolus. Secundò instant, quia Essentia diuina metaphysica debet esse summum bonum, omnium bonorum aggregatione perfectum ; sed ex hac, & præcedenti ratione infertur personalitates Essentiam metaphysicam Dei intrare : cùm in communi obiectantium sententia, tam eæ, quàm attributa, perfectiones, & bonitates sint : id autem tutum in Theologia non est, vt notabamus, num. 1. contra Ruiz, & Arriagam ; quare falsum est antecedens. Deinde Dei bonitas cum attributum sit, sicut reliqua, nequit ad Essentiam metaphysicam Dei pertinere : quare nec summa. Tertiò, arguunt. Quia Essentia diuina nequit non in suo conceptu formali attributa continere. Sed assumptum hoc est aperte contra Patres recitatos numero 2. & falsum in Theologica metaphysica, vt videbimus d. 3. Sed admissa mutua, vel non mutua inclusione formali essentiæ, & attributorum distinctione, alterutro modo sentientium, per implicitum & explicitum sit satis argumento. Denique exclamant Deum fore Ens per participationem, & per accidens, si Iustus, Bonus, &c. non per Essentiam formalissimam & metaphysicam foret : cùm tamen omnium sententia Ens per essentiam sit, & in quo nullum accidens esse possit : verum accidentia metaphysica non repugnant Deo, sicuti neque metaphysica compositio, sed solùm accidentia physica, sicuti & compositio ? idque solùm requiritur, vt sit Ens per essentiam, & non per accidens, & participationem.

4 Iisdem à ratione, & authoritate argumentis refutantur sententiæ, quæ suprà prædicatum Entis à se, aliquod, vel aliqua alia prædicata, seu attributa in metaphysica Dei Essentia includebant, vt rationes, & testimonia Patrum data percurrenti facilè innotescet. Eæ verò sententiæ sunt relatæ à secunda ad septimam inclusiuè, vt vidimus. Secundæ verò, quæ Intellectionem ad Essentiam Dei metaphysicam adscisit, Volitione seclusa, alia patitur specialiora : & quatenus admissa Intellectione, Volitionem ab essentia reiicit, impugnata à nobis est, controuer. de Trinit. d. 3. quæstione 2. toto certam. 4. vbi, & ostendimus nihil afferre præsidij, vt secunda persona Filius, præ tertia in Trinitate defendatur : (quod fuit præcipuum sententiæ huius commodum, & fundamentum) eique fidei veritati tuendæ, aliam longè faciliorem, ac fortasse certam, certè verò tutiorem, ac verosimiliorem aperuimus viam, certam. 6. per totum, ex fecunditate ad intra, quæ Filio, & non Spiritui communicatur, specialiter à nobis explicata, & confirmata. Impugnatur ex hac parte rursus : quia non est cur Volitio excludatur ab Essentia metaphysica Dei, atque includatur Scientia, nisi, quia hæc Volitionem metaphysicè præcedit, ac proinde est illius radicale metaphysicum principium, siue conditio, ac proinde nequit ad eundem primum gradum Essentiæ Dei cum scientia concurrere, post quam est, & quam supponit constitutam in suo esse. Sed hæc ratio probat nihil diuinum posteriùs metaphysicè prædicato Entis à se, ac proinde, neque cognitionem, posse ad Essentiam Dei metaphysicam vocari. Insuper, si aliquod vltra prædicatum Entis à se ad Essentiam metaphysicam Dei spectare debet, maximè, quia debet esse essentia aggregatum omnium bonorum, seu perfectionum formaliter sumptarum, nec solùm eminenter, & radicaliter : quæ ratio etiam de volitione, imò & de personalibus æquè, atque de cognitione diuina probat.

5 Dices ex præcipuis fundamentis, quæ pro hac sententia exhibent Herice, Fassolus, & Hemelmam. Idcirco Intellectionem ad Essentiam metaphysicam vocari, non Volitionem ; quia Dei Essentia metaphysica nondum satis, & dignè intelligitur constituta, quousque adueniat gradus vitæ perfectissimæ, & purissimæ, & beatissimæ, qui est actus intelligendi primus vitæ spiritualis, & in quo viuida Dei formalis, ac non obiectiua, & mortua beatitudo consistit. Neque enim mortua, adhuc passiuè, seu non viuida perfectè, ac beatè Essentia Dei metaphysica cogitari potest : quemadmodum neque Essentia metaphysica hominis quousque viuens, & rationalis, seu discursiuus intelligatur. Cæterùm si vitæ purissimæ, perfectissimæ, ac beatissimæ actualis gradus spectandus sit, vt vltimò constituta Dei Essentia metaphysica intelligatur, cum Volitio actus purissimæ vitæ, ac perfectissimus sit, quousque is adsit, nec perfectissima Dei vita, & viuida Dei beatitudo intelligetur, cùm ea vitæ & beatitudinis perfectio, & consummatio, quam Volitio formaliter in se claudit, non adsit, quousque ea Deo intelligatur aduenire : imo, cum processiones etiam actus vitales perfectissimi sint, hi etiam ad Essentiam Dei metaphysicam spectabunt : quod periculosè, vt diximus suprà in Theologia dicetur. Satis ergo dignè Essentia Dei intelligitur in prædicato, quod omnium

attributorum Vitæ, Beatitudinis, & perfectionum, quæ in eis velis adstruere, radix est, atque eas omnes eminenter contineat: nam si formalis continentia per earum formalem aduentum expectetur, metaphysicam Dei essentiam, quousque omnia formaliter adsint, dignè Deo non constitues. Illud de hominis metaphysica compositione paritatem non habet: cùm reliqua prædicata rationali superiora, communia aliis sint, ac proinde hominis speciem vltimò constituere, atque ab aliis distinguere non valent. Prædicatum verò Entis à se, nullî alteri sit commune, sed solius Dei proprium, & singulare.

6 Sed inconsequentiâ huius sententiæ, in exclusione Volitionis ab Essentia metaphysica Dei, admittentis in illa cognitionem, omissâ, ostendamus specialiter, neque hanc in essentia metaphysica Dei includi posse. Et primò Chrysostomus recitatus certamin 2. numero 1. Dei sapientiam ex substantia, seu Essentia Dei, vtique metaphysica, oriri metaphysicè aiebat, tphysicè enim oriri non potest, vt patet: ergo non est Essentia metaphysica Dei. Nihil enim à seipso in sua linea, vel physica, vel metaphysica oriri potest. Secundò: præter generalem Patrum de attributis omnibus diuinis doctrinam, quòd eorum nullum substantiam, siue essentiam Dei significet, speciatim id de Sapientia, siue Scientia Dei, sub eis vocibus, exprimunt, vt videre est in testimonio Damasceni recitati, numero 2. Cyrilli, & aliorum, qui Dei Scientiam inter reliqua attributa, nomina, & prædicata, quæ Dei substantiam non significant, recensent. Respondet Hemelmam loqui Patres de Scientia Dei, quatenus secundariò tendit ad creaturas, non autem, quà tendit primariò in Deum, atque in sua sententia eius essentiam constituit. Sed in primis etiam, quà in Deum tendit est nomen, quod de Deo dicitur, atque omnia nomina eiusmodi ab Essentia Dei, vtique metaphysica, excluduntur à Patribus. Secundò: Sapientia Dei absolutè de Deo dicta, atque exclusa, Scientiam, qua se Deus cognoscit, imò primariò, significat. Tertiò: etiam secundum eam considerationem Sapientia, Operatio, & actus diuinus dicitur, vt legitur in testimonio Basilij recitati, numero 2. atque in aliis Patribus citatis, ex eo autem, quòd intelligere sit actus & operatio Dei metaphysica, docet Sanctus Thom. in 1. d. 6. quæstione 1. articulo 3. & quæstione primâ de potentia, articulo primo, Essentiam esse principium metaphysicum illius: atque ab illa distingui docet, d. 7. quæstione 1. articulo primo, & secundo, d. 27. quæstione primâ, articulo 1. ad 5. 1. part. quæstione 26. sicuti & potentiam intellectiuam. Quod si aliàs dicit intelligere Dei, ipsius substantiam esse, idem etiam de volitione docet 1. part. quæstione 19. articulo 1. atque alibi pluries, ac de physica identitate est intelligendus; ne & aduersariis, qui volitionem ab Essentia metaphysica excludunt, ac sibi etiam, qui tot locis Intellectionem ab ea excluit, contradicat.

7 A ratione verò, vltra generales datas, Scientia Dei ab eius essentia metaphysica, peculiariter excluditur à nostro Arrubal, & aliis quia ex Aristotele 12. metaphysicorum, tex. 36. & S. Thom. 3. contra gent. cap. 26. omnis intellectio supponit aliquod intelligibile, ac proinde prima intellectio, aliquod primum intelligibile, à quo pendeat. Sed hoc argumentum, si quid probat, probat Intellectionem Dei ab ipso tanquam ab obiecto pendere reuera, & physicè, & realiter distingui, ac physicè præsupponere ipsum, nec solùm metaphysicè, vt contendimus, nec sui ipsius intellectionem esse posse, quæ sunt absurda: vt videbimus controuer. 2. d. 2. quæstione 5. certam. 1. quare aliter ab Essentia metaphysica Dei, eius Scientia à nobis reiicitur: licèt malè à Recentioribus Complutensibus Arrubal impugnetur: quia eius argumentum Dei Essentiam in Intelligibilitate positam probat, ac non in Intellectualitate. Etenim in neutra posita est, neque in Intelligibilitate positam esse probat, si de formali loquamur, sed materialiter solùm, in quocumque prædicato, formaliter positum sit, quod possit Intellectionem subire. Probatur ergo Primò: quia conceptus potentiæ intellectiuæ formaliter ab Intellectione diuersus, & Deo metaphysicè adest, vt contra aduersarios ostendemus controuer. de Scientia, d. 1. & prior metaphysicè est in linea intellectiui, Intellectione, cuius principium metaphysicum est: ergo per eum intelligitur satis constitutus, atque ab aliis metaphysicè distinctus ante Intellectionem, etsi formalitas intellectiui formalis ad eius constitutionem essentialem metaphysicam expectanda sit. Secundò ex absonis quibusdam propositionibus: infertur enim, si essentia, & natura metaphysica Dei Intellectione constituatur. *Quia Deus se intelligit esse Deum*, & non è contra cum Intellectio sit pars metaphysica, & causa intrinseca Dei, & non contra Deus Intellectionis: esse item *Immensum*, *Æternum*, *Bonum*, *Immutabilem*, *quia se intelligit*, cùm Essentia Dei metaphysica, sit & radix metaphysica eorum, & reliquorum omnium attributorum. Inferunt, & hoc Murciani Recentiores. *Verbum immediatè procedit per essentiam, & naturam.* Quod malè audit in Durando apud Theologos reliquos; sed audit malè, quia negat immediatè procedere Verbum per intellectionem. Item sicut Verbum dicitur Sapientia genita, ita & essentia genita dici posset, quod execratur Theologia. Sed non id infertur. Nam Sapientia quæ genita dicitur in Verbo, non est Sapientia communis, & formalis, sed obiectiua: in quâ sententia hæc Essentiam metaphysicam Dei non constituit, sed in formali communi tantùm. Mitto aliam nostri Granados impugnationem, ex eo quòd essentia sit specificatiuum diuinæ cognitionis, ac proinde in esse intelligibilis debeat supponi, ac proinde debeat præcedere sui cognitionem: quia & sui ipsius cognitio Scientia diuina est: quin ad seipsam formaliter præcedat.

8 Præcipua eius fundamenta diximus, numero 3. & 5. Patrum, & Philosophorum authoritatibus, qui Deum definientes aiunt: esse suam Intellectionem, vitam intellectualem, & similia. Sed si Intellectionem esse Deum metaphysicè definiant, cùm solam, & in abstracto ponant, pro Aureolo, & contra hanc sententiam, quæ alia etiam ad Essentiam metaphysicam Dei adiungit, certabunt. Loquuntur ergo de identitate physica eorum cum Deo: quo etiam sensu passim, tam ipsi, quàm Scriptura, aiunt Deum Amorem, & Charitatem esse. Dicunt Secundò: constitutiuum vltimum Naturæ intellectualis est, quod gradus communes, & & superiores in ea linea contrahere intelligitur, talis est Intellectio in Deo: ergo. Minor multo ex capite est falsa. Tum quia, vt diximus, numero 5. fine, nec Entis à se, neque vllum prædicatum diuinum est commune, sed omnino singulare: quòd si ab ente, & reliquis, illud à se, vel diuini, rationem auferas, etiam Intellectionis, vt sic, prædicatum communitatem, vel habet, vel sonat: quare nequit esse vltimum constitutiuum. Secundò per prædicatum potentiæ intellectiuæ, intelligitur natura Dei in linea naturæ intellectualis, ante intellectionem constituta, vt dicebamus numero 7. Denique maior supponit omnem naturam, quæ physicè intellectiua est, talem esse formaliter metaphysicè; quod negamus de diuina. Denique arguunt ex nomine *Deus*, quod contemplationem, siue intellectionem significat: Sed quid? quòd hoc nomen *Deus* iuxta eam significationem ab Essentia Dei relegant Patres citati: vt videre est in Nysseno, libro ad Ablau. *Quòd non tres Dij.* Circa med. post verba inde recitata, numero secundo, Adde hoc nomen, non significare in Deo cognitionem sui primariam solùm, sed secundariam etiam omnium creaturarum, quam ab Essentia metaphysica Dei relegat ista sententia, vt ibi ait Nyssenus significare efficaciam *inspectricem, spectatricem, visitatricem, contemplatricem, quæ omnia intuetur.* Athan. Dialog. 1. de Trinitat. *Naturam significat omnia contemplantem, & perscidentem.* Ipsisque antiquior Dionysius 1. de diuinis nomin. *Deitas est quæ omnia videt prouidentiâ, & bonitate perfecta.* Ex quo S. Thom. 1. part. quæstione 13. artic. 8. corpore ait: *nomine Deus omnes significare quod habeant* prout

prouidentiam de rebus. Ex qua operatione notissima natura secundum se nobis ignota, tandem innotescit.

9 Octaua denique Murcianorum Recentiorum sententia: qui Essentiam metaphysicam Dei non designat, sed solùm ratione, notissima quidem, sed communi omni essentiæ metaphysicæ, atque eis, quas hactenus memorauimus sententiis communi, contenta est. Omnes enim supponimus Essentiam metaphysicam Dei esse subiectum, & radicem primam metaphysicam omnium suarum proprietatum, & attributorum, sicuti omnibus aliarum rerum essentiis metaphysicis contingit, vnde & ratio ea principium, & dignitas metaphysica est, ac proinde cuiusvis ex nouem (si primam excipias) recitatis opinionibus Doctores dicent, id, quod pro essentia assignant, esse subiectum primum radicale, siue radicem metaphysicam attributorum Dei, quæ ea prædicata, quibus Essentiam metaphysicam Dei constare defendunt, metaphysicè consequuntur. Hoc ergo omnibus commune effectum apud omnes, sine quæstione, & argumento vllo in confesso est. Solúmque hic inquiritur, quotnam, vel quot, è diuinis prædicatis sit primum subiectum radicale, siue reliquorum metaphysica radix: sicuti statuto ex commnni illo principio essentiam metaphysicam hominis, stare in subiecto radicali metaphysicarum proprietatum hominis, nihilominus inquiritur ex prædicatis eius, quodnam sit? rationale, siue rationalitas, an risibile, seu risibilitas? ac pro rationali censetur. Confirmatur: quia iidem Recentiores, vt alias ab opinione Entis à se impugnent sententias, ostendunt reliquas sequi metaphysicè, ad hoc prædicatum, atque eo Deum à reliquis entibus primò distingui, vt ostendant rationem primi subiecti radicalis proprietatum, & attributorum esse non posse; ac proinde neque in eis Essentiam metaphysicam Dei constitui: inde autem æqua legitimitate inferre debebant, eam in prædicato Entis à se, sitam omninò esse.

10 Vrgeo: quia, licèt cuiusvis rei essentia metaphysica debeat esse, quod primum subiectum radicale metaphysicum aliorum prædicatorum rei esse recognoscatur; ait nullius rei essentia metaphysica in ea ratione primi subiecti radicalis cæterorum rei prædicatorum esse potest: ergo multo minus in Deo. Assumptum patet: quia ea ratio subiecti primi metaphysici radicalis cæterorum prædicatorum rei est Chimerica, & rationis nostræ figmentum purum: cum physicus, realis, & verus ordo subiecti primi, radicis, & actus respectu formalitatis cum ipso identificatæ esse nequeat: ac proinde tota ea ratio Chimerica, & purum rationis nostræ figmentum erit. Quemadmodum ob eandem rationem, licèt essentia metaphysica rerum genere, & differentia constet, non dicimus constare ratione communitatis ad plura specie distincta, quod genere constat: quia ea ratio purum figmentum, cuicumque rei assignemus, rationis, & chimera est. Licèt, vt genus cuique rei assignemus, atque inter eius prædicata dignoscamus, atque ex eo, & differentia, definitionem essentialem seruemus, quo essentiam eius rei metaphysicam designemus, cuinam ex rei prædicatis, ea per rationem nostram Chimericè conficta nota aptetur, vestigemus: ex quo exemplo planè conficitur rerum omnium, multóque magis Dei (qui longiùs in suo esse à Chimeris distinctus est) essentiam metaphysicam non in ratione illa Chimerica primi subiecti radicalis, siue radicis reliquorum prædicatorum, & proprietatum eius chimerica, & fictitia, sed in eo prædicato cui eam chimericam noram cum fundamento aptari viderimus, esse constituendam, ac proinde in præsenti in prædicato Entis à se, Essentiam Dei metaphysicam esse collocandam. Hæc quidem satis erunt ad illius vniuersalis antecedentis, quod initio certaminis posuimus, ex aliarum omnium sententiarum impugnationibus solidam probationem, atque ad nostræ sententiæ, à cæterarum exclusione efficacem ostensionem. Quæ verò pro sua sententia Recentiores afferunt solùm probant essentiam metaphysicam rei fore id, quod metaphysicè fuerit subiectum radicale cæterorum; non autem formalem eam rationem, sed eius subiectum, quod nos admittimus, atque illud esse Ens à se monstramus.

QVÆSTIO III.

An Ens, siue Esse à se actu, seu actuale, sit Essentia Metaphysica philosophica Dei quam assignauimus proximè.

EXplorato iam Essentiam metaphysicam Dei philosophicam in prædicato Entis à se adæquatè contineri: adhuc sub iudice lis est, quanam Entis, siue Essendi à se formalitate contineatur. Cùm enim Ens, & Esse, in creatis, & possibiliter, & actualiter dicatur, ac de rerum nondum existentium essentiis, ea, & essentia, ac de eis proinde prædicatorum Entis prædicatum, ac rursus entis possibilis, præcisiuè adhuc sumpti, obiectiua formalitas, ab obiectiua Entis actualitate metaphysicè (vt Thomistas Dominicanos, qui eas physicè etiam distinguunt, omittam) à plerisque distinguatur. Ita etiam in prædicato Entis à se diuino euenire arbitrantur nonnulli; ac proinde dubitari potest; an in Ente seu Esse à se possibili, seu possibiliter præcisiuè Dei Essentia metaphysica consistat, an in Ente à se actuali? Eadem ergo præsens est quæstio, & difficultas cum illa, an actualitas essendi, siue actualis existentia, Essentia metaphysica Dei sit? An prædicatum attributale inter metaphysicas Dei proprietates, & attributa numerandum? Si enim eiusmodi sit, iam pro priori metaphysico Essentiam Dei constitutam supponet, ac proinde extra eius conceptum, atque illo posterius.

CERTAMEN I.

Quibusdam positis verior sententia eligitur, & fundatur authoritate.

1 POno primò hic nos de actuali existentia Dei, siue de Ente, seu ratione essendi actu, & exercitè Deo intrinseca, atque, vt minimùm, ipsi realiter, & physicè identificata, an ad Essentiam Dei metaphysicam spectet? disputare; non autem de alio quovis extrinseco, quod nostro concipiendi modo, vel ex necessitate, vel arbitrariò concernat: siue illud tempus aliquod, siue quidpiam aliud sit. Pono item, neque nos hic disputare an actus essendi, siue Esse actu in Deo, vel ex natura rei, vel virtualiter à Dei Essentia, (cui physicè realiter formaliter identificatur ex fide) distinguatur? ea quippe quæstio attributis omnibus est communis, iamque à nobis disputata controu. de Trinit. d. 8. quæstion. 2. tota de distinctione inter personalitates, & essentiam diuinam agentibus. Iterúmque d. 3. per otium agemus. Solùm ergo hic disputatur de distinctione formali obiectiua inter hæc prædicata, essentiam diuinam metaphysicam, seu Ens à se (in quo illa, vt minimùm, consistit iuxta dicta) & ens actuale à se, secundum quod actualitas essendi, seu Entis à se, dicit Deo intrinsecum, ac re ipsa identificatum, ac proinde in Essentia Dei physica, cum reliquis Dei attributis inclusum.

2 Prima ergo sententia Existentiam à se, siue Ens à se actu, & exercitè ab ente à se absolutè dicto, ac præcisiuè sumpto, ac proinde ab Essentia metaphysica Dei philosophica distinguit; vnde, etiam in opinione illarum in prædicato Entis à se absolutè adæquatè constituente

extra essentiæ Dei conceptum fore. Ita necessariò censent Mairon. in 1. d. 2. qu. 11. Bargius. Frombetam. citans, aliique Scotistæ, apud Bassolidem d. 8. art. 2. qui etiam ex natura rei existentiam Dei ab eius essentia discriminant. Maironem, ea in re defendit Peius Mirandul. d. 8. earum, quas à se tuendas scripsit. Sed de distinctione rationis obiectiua formaliter videtur eam docere S. Th. in 1. d. 19. q. 2. ar. 1. ad 1. & 2. corp. Salas 1. 2. tract. 2. dist. 3. sect. 7. num. 32. Gran. 1. par. controu. 1. tract. 2. dist. 2. n. 6. Vasq. 1. par. d. 22. n. 6, & d. 24. n. 3. Ruiz d. 15. de Trinit. sect. 2. n. 10. Arriag. 1. par. d. 2. sect. 8. subsect. 1. ac tandem Murciani Recentiores, qui, & aliorum esse aiunt sententiam.

3 Secunda sententia docet, actualitatem Entis, siue essendi à se exercitè, à Dei essentia metaphysica, siue in ratione entis absolutè à se formaliter ex parte conceptus obiectiui nullatenus distingui: ita videtur docere S. Th. 1. part. qu. 3. ar. 4. vbi eius interpretes, Soar. 1. de Essentia, & attrib. cap. 2. eam omnino veram, & Fidei veritati consonam censens. Fassolus ad dictum art. dub. 1. & 2. eam omnium, præter datos Scoticos appellans, Arrubal. 1. par. d. 10. cap. 9. Tann. d. 1, qu. 1. dub. 5. referens plures, quibus & nos subscribimus: ac proinde Deum metaphysicè essentialiter per prædicatum Entis, siue essendi à se actu, & exercitè, siue (quod idem est) per existentiam à se omnino, & adæquatè constitui, nusquamque existentiam à se inter Dei attributa posse numerari, magis quàm inter ea, essentia ipsa metaphysica Dei possit recenseri.

4 Probatur Primò sententia ex verbis Dei datis Exodi 3. pro constitutione essentiæ metaphysicæ philosophicæ Dei, vbi de se Moysi suam, vt vidimus, qu. 2. cert. 2. essentiam metaphysicam explicans, non respondit. esse Ens vtcumque, sed Ens actu. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos.* Quibus expresè actualitatem essendi suam significauit. Etenim esse, quod tempus concernit aliquod, vel præsens, vel præteritum, vel futurum esse actuale, & exercitum est omnium sententia; non purè possibile adhuc præcisiuè, quod omnium etiam sententia abstrahit à tempore, neque illud concernit. Ea verò Dei de sua essentia metaphysica testificantis verba de ente, quod tempus concernit fuisse, vel grammaticis pueris est notum: cum *Sum*, & *Est*, de præsenti tempore verbi substantiui sint: quare dubium esse potest nemini de suo esse actuali locutum ibi fuisse Deum.

5 Imò de esse actuali suo, quod indiuisibiliter totum tempus præsens, præteritum, & futurum, & æternitatem concernit, locutum ibi fuisse Deum. ad ea verba obseruarunt meritò Patres omnes apud catenam Lippomani recitati: quia cum tempus, quo allocuturus erat Moyses Hebræos, Deique, à quo mittebatur nomen prolaturus, non præsens, in quo Deus loquebatur, erat, sed futurum: atque Deus ex tunc pro tempore futuro declarando nomine, etiam pro tunc, *Qui est*, se nominandum de præsenti intimauerit: illud suum actuale esse, quod de præsenti declarabant verba illa, *Ego sum qui sum*, nunquam transiturum, sed quouis tempore præsens fore demonstrauit. Atque ita omnibus generationibus, & æternitate tota, nominandum statim proinde subiunxit.

6 Accedunt testimonia Patrum recitata, qu. 2. cert. 2. n. 6. & præcipuè, qui de ente actuali, & esse exercito, ac concernente durationem, Deum illis verbis loqui, atque suam essentiam metaphysicam explicuisse docuerunt. Sed verba illa Naz. inibi data ex orat. 49. repetenda hîc sunt. *Ego ipsum, quod est, hoc erit substantia huius rei, quæ esse definitur.* Neque omittenda illa interlinearis verba. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos diuinitatis substantiam signant*: cum vtrobique de esse metaphysico Dei agatur, vt num. 7. ostendebamus, atque verbo substantiuo concernente tempus, ratio entis, seu essendi, in in quo vterque Essentiam metaphysicam Dei constituit, ab vtroque expresè explicetur.

***

CERTAMEN II.

Rationibus eadem sententia stabilitur, atque ab oppositionibus asseritur.

1 PRima nostræ sententiæ ratio, ex generali principio de rerum possibilitate, seu essentia, & existentia desumendum est. Etenim, vt fusè ostendimus controu. metaphysica, seu logica, de ente, essentia, & existentia rerum, earum essentia, seu possibilitas, & existentia non solum realiter prorsus indistincta, & eadem contra Thomistas Dominicanos est, verùm, & formaliter metaphysicè ex parte conceptus obiectiui eadem est, & insectibilis adhuc in nostra præscindentium prædicata ex parte obiecti sententia, vt ibidem contra nonnullos Thomisticæ nostræ Scholæ Doctores probabamus: imò eos, qui ex parte obiecti essentiam, & possibilitatem rerum, ab earum existentia in ipsis distinguunt, ad Dominicanos tandem, vel sponte ituros, vel relegare contendebamus: ex quo principio, verum est nostro concipiendi modo, essentiam, possibilitatem; & existentiam diuersimodè apprehendi, sed tota ea diuersitas in nostris conceptibus, & modis, alio, & alio, concipiendi est; cùm tamen ex parte obiecti eadem insectilis formalitas rei concipiatur. Sed de his & fusiùs, & proinde clariùs loco citato. Ex hoc verò principio conclusionem nostram ostendere pronum est. Si enim in rebus etiam contingentibus, & defectibilibus, ratio formalis obiectiua possibilis, seu veri entis, & essentiæ à ratione formali existentiæ actualis nihilo prorsus differt: ergo nullatenus in Deo ente essentialiter necessariò, & indefectibili in quo paralogismis (qui locum in contingentibus rebus habent) locus non est, ratio Entis à se, quo Essentia metaphysica Dei statuitur, eadem prorsus cum ratione existentis à se erit.

2 Verùm licèt aliter in essentia, & existentia creaturarum contingentium, & defectibilium res habere videretur; adhuc in Deo non haberet aliter: siquidem Ens à se absolutè dictum, idem prorsus formaliter est, quod Ens actuale, & exercitè, id quod communi Patrum, & Scholasticorum, sensu comprobatur. Cùm enim Deus illis Exodi verbis tantùm de se, suâque essentia metaphysica dixerit. Exodi. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos*, id est esse, & fore semper actu, idem illis significari, atque esse Ens à se vniformiter Patres, & Theologi concludunt; licèt ex his alij in eo totam essentiam Dei metaphysicam claudi asserant, alij verò vlteriùs aliquid requirant: ergo esse Deum Ens à se idem esse formaliter, & ex parte obiecti, ac esse actu censent. Tertiò probatur: quia eo formaliter constituitur actu esse, & Ens actuale, & exercitè existens, quo formaliter excluditur contingentia non essendi, siue ipsius nonesse; atqui prædicato entis à se excluditur formaliter nonesse illius, quod est Ens à se, & contingentia non essendi: ergo prædicatum entis à se formaliter, & essentialiter est Ens actuale, siue exercitè, existentia formalis à se illius, quod à se est.

3 Minor (quæ sola probationem desiderare fortassè videbitur) suadetur, quia prædicatum entis à se formaliter est impossibilitas non existendi in eo, quod Ens à se est: ergo est formaliter exclusio non existentiæ, & contingentiæ non existendi eius, in quo est: ac proinde existentia actualis, & necessaria illius. Patet consequentia: quia impossibilitas formalis non existendi est negatio formalis & necessaria negationis existentiæ, quod nihil aliud formaliter esse potest, nisi existentia positiua actualis, & necessaria: negatio quippe negationis cuiusvis positiuum formaliter oppositum negationi sui est: vt negatio negationis existentiæ Petri, ipsa Petri existentia apud omnes formaliter est. Antecedens probatur: quia, licèt potentia, seu possibilitas existendi possit concipi in actu primo, & in actu secundo, ac proinde virtualiter, seu potentialiter, & actualiter, seu formaliter, ast impossibilitas semper est formalis, & actualis è conceptu suo impossibilitas: ac proinde ei nequit actus primus seu potentia assignari: est enim negatio à se, & necessaria

sicut

sicut Deus Ens à se, & necessarium: quare, sicut impossibilitatis, & negationis necessariæ, eius, quod eam habet non datur, adhuc formaliter, actus primus, ita nec ente à se, necessarieque eius existentiæ, & negationis necessariæ nonexistentiæ suæ actus primus, seu potentia, adhuc formaliter potest dari: quo præcluditur euasio huius argumenti; nempe Ens à se formalem, & actualem impossibilitatem suæ nonexistentiæ non esse, vt in antecedenti asserebatur. Sed solùm impossibilitatem non existendi virtute, & in potentia: quod rursus inpugnabitur argumento sequenti.

4. Quarto probatur conclusio: quia Ens à se, in quo essentia metaphysica Dei constituitur, nequit essentia eiusmodi esse, quin è suo conceptu tale sit, cui cum fundamento à nobis attribuatur per rationem esse subiectum radicale, & radicem, ex qua omnia attributa suboriantur: nequit autem ita cum fundamento id à nobis enti à se attribui, nisi concipiatur pro illo suo signo, & conceptu formali existens à se: ergo Ens à se, quod essentia Metaphysica Dei esse à nobis concipitur, & merito iudicatur, claudit in suo formali conceptu pro illo priori existentiam à se. Minor probatur: quia ratio subiecti primi radicalis, & radicis cuiuspiam alterius, siue Physicæ, siue Metaphysicæ, nequit cum fundamento à nobis attribui alicui non concepto formaliter existenti, siue cum existentia; quare implicat concipi essentiam metaphysicam Dei veram dari, quin concipiatur existentia, aut quod idem est, prædicatum entis à se, quod omnium sententia, est primum subiectum, & radix cæterorum Dei prædicatorum: ergo nequit concipi, quin concipiatur à se existens, ac proinde nequit esse existentia à se, essentia metaphysica, seu ente à se posterior Metaphysicè, eiusue Metaphysicus actus.

5. Respondent Murciani Recentiores, non esse opus, vt concipiatur principium, aut subiectum metaphysicum, imò neque physicum actu, sed satis esse, si virtualiter concipiatur, & iudicetur de eo existentia: quod necessariò fit, cum Dei essentiam, siue Ens à se fundamentum, & radicem cæterorum concipimus, & iudicamus ob rationem dictam: quia actus omnis exigit necessariò existentiam sui principij: atque insuper prædicatum existentiæ à se, atque vniuersim existentiæ, è transcendentibus est, quæ semper supponunt ex parte subiecti fundamentaliter id, quod formaliter præ se ferunt. Multa in his impugnanda occurrebant, circa doctrinam hanc de transcendentibus prædicatis, quæ formaliter sunt prædicata, quæ transcendunt, licèt nostro concipiendi modo, eis intelligantur metaphysicè adiacere. Vnde etiam euincitur Ens à se, seu essentiam metaphysicam Dei, existentiam à se formaliter in se claudere, quare eius actum metaphysicum esse non potest.

6. Secundò. Ideirco, cum iudicatur expressè, & formaliter essentia Dei, seu ens à se, esse subiectum primum, & radix attributorum, & existentiæ, quæ in tua sententia ex illis est, iudicatur virtualiter, & implicitè ex parte etiam essentiæ existentia: quia exigit actus omnis existentiam sui subiecti, & radicis, siue physicè, siue metaphysicè: at exigit præsuppositiuè, & pro priori formalem existentiam sui subiecti & radicis: ergo ea formalis existentia iudicari debet, nec solum fundamentalis de essentia, vt iudicetur subiectum, & radix, siue physica, siue metaphysica suorum actuum, & proprietatum: quare, & Ens à se, siue essentia metaphysica Dei subiectum, & radix cæterarum proprietatum Dei vera iudicatur: ac proinde existentia neque ente à se, neque essentia Dei actus posterior metaphysicè esse potest, sed de eorum intrinseco, & formali obiectiuo conceptu.

7. Quæ vero contra nostram sententiam opponuntur, opponiue possunt, leuia sunt: Primò. Priorem esse in Deo conceptum potentiæ ad existendum, quàm existentia ipsa exercita sit prioritate metaphysica. Constat ex dictis falsum omnino esse; sed, vt summùm, priorem esse logicè: quo solùm pacto potentia existendi necessariò in Deo potest cogitari. Secundò: è prædicato entis à se, probari à priori necessariam existentiam Dei: sed negatur facile: licèt enim voces diuersæ sint, ast synonima oratio est, idem vna, atque altera omnino etiam formaliter significans. Tertiò: (& est vnicum Recentiorum Murcianorum argumentum) quia non possumus pro hoc statu iudicare Deum existere absque duplici conceptu obiectiuo, altero de existentia, siue de existendi actu, altero de subiecto talis actus priori, in quo sit, & proinde essentia metaphysica Dei; verùm eodem argumento probaret Ens à se adhuc possibiliter non esse Dei essentiam: quia nec possumus pro hoc statu iudicare aliquid esse Ens in eo adhuc statu, nisi concepta entitate tanquam forma, & ente, eam habente tanquam subiecto. Respondetur ergo pro vtroque abstracto, & concreto metaphysico, substantiuè accepto, idem omnino significare, vbi ratio suppositi non significatur nomine concreto, atque substantiuè hoc accipitur, vt patet in homine, & humanitate purè philosophicè acceptis, vt ante mysterium Incarnationis accipiebatur: atque in ratione entis subsantiui, vt tale, vsurpati, quod idem prorsus, quòd entitas est, atque ex parte conceptus obiectiui, siue formalitatis conceptæ significat: quo pacto, & Ens actuale à se, siue existens à se significat etiam; idem nempe ex parte obiecti, quod entitatem, licet ex parte modi nostri concipiendi aliud per rationem fingatur.

QVÆSTIO IV.

De Essentia Metaphysica Theologica Dei.

QVÆSTIONEM hanc nemo hactenus disputauit: quia nemo etiam essentiam Dei metaphysicam, in philosophicam, & Theologicam, vti nos, diuisit: id est in essentiam metaphysicam Dei, quatenus ex naturalibus principijs philosophicis innotuit, potuit ve innotescere; & Dei Theologis ex fide, & reuelatione mysteriorum de Trinitate, & Incarnatione noti, ex quibus naturam à supposito, & personalitate (realiter, si de humana loquamur, & formaliter, si de diuina) differre Catholica veritas est. Quare de Deo philosophicè & metaphysicè agentes, eodem modo ac de Deitate essentiam venati sumus: Theologicè, atque ad plenam fidei de mysterijs hisce lucem agendo, aliunde Dei metaphysica essentia statuenda nonnullis fortasse videatur.

CERTAMEN I.

Alter opinandi modus proponitur.

1. HAc in re, & quæstione proposita prima sententia esse potest Dei, quatenus nomine concreto *Deus*, Theologicè consideratur, essentiam metaphysicam esse non solum communia necessaria Dei prædicata, sed & personalia, à quibus præcisa Deitas, Deus concretè, seu Persona non est. Ex fidei enim, & reuelationis de mysterio Trinitatis, & Incarnationis tempore, nomen Deus significat, non naturam nudam, sed Personam, atque subsistentia, seu personalitate affectam; ac proinde tres personalitates, quæ solæ in Deo sunt, significabit. atque ex parte obiecti formalis significati supra essentiam metaphysicam philosophicam, Theologica essentia metaphysica Dei dicet.

2. Secunda sententia (atque in hoc principio & modo dicendo verosimilior) esse potest: Essentiam metaphysicam Theologicam Dei, quatenus eo nomine Theologico sensu accepto, significatur, esse essentiam metaphysicam cum personalitate vagè sumpta hac, vel illa, non autem cum omnibus personalitatibus diuinis: licèt enim reipsa illas habeat diuina essentia, & natura, ast ex vi significari huius nominis *Deus*, adhuc concretè Theologicè sumpti, solùm significatur personalitas diuina hæc, vel illa, siue substantiuè Deus ex primatio suo significandi modo, siue adiectiuè, vt etiam potest, vsurpetur: vt sepe controuersijs de Trinitate, & Incarcatione docuimus: præsertim controuersijs eorum tract. post tertiam dist. de modis loquendi in Trinitate, & de communicatione idiomatum in Incarnatione.

3 Tertia sententia hac in re ex eodem partim principio esse posset: Dei, hoc nomine Theologicè vlurpati, Essentiam metaphysicam, præter philosophicam addere subsistentiam communem vbique diuinarum personarum, assectam naturæ indiuiduam: quam solam non paucè vetustioribus in diuinis duré, & periculosè satis recognoscunt, vel propriis cuiusque Personæ personalitatibus associatam, vti ex Thomistis nostræ Societatis, Soariſtæ defendunt. Atque sanè opinio in eo modo intelligendi Deum in concreto Theologicè vero similior, quàm secunda etiam foret, ni falso alio niteretur principio de formali conceptu obiectino subsistentiæ communis in diuinis: quippe eam solam ibi ponere temerarium, vt minimùm, esse ostendimus contr. de Trinit. d. 7. quæst. 1. cert. 3. atque propriis adhuc, assotiatam, in Fidei, & Theologicæ rationis obseruationem, nos nobis ipsis nimium audaces putandos, si post tot etiam Doctores grauissimos, & sapientissimos cum eis sentiremus. Cùm autem sententia hæc in re præsenti tertia, huic principio vnicè nitatur, duabus primis longè à veritate distantior nobis meritò videtur.

4 Quod autem contra communem hunc modum, his opinionibus discurrendi de Essentia Dei concretè significati metaphysica Theologica, opponi ex Scriptura & Patribus posset iuxta nobis opposita à Recentioribus Murcianis, contra conclusionem nostrã de essentia Dei physica Theologica, faciliorem adhuc solutionem habebit: quod enim Scriptura, Patres, & ex his Theologi omnes, dicant in Trinitate vnam esse naturam, & essentiam, personalitates verò tres; ac proinde essentiam, seu naturam Dei per rationem (quo solùm modo, ac non physicè possunt.) à personalitatibus Theologicè diuidant; verum quidem est, & quod modo discurrendi harum sententiarum minimè aduersetur: is enim loquendi, & sentiendi modus est de natura, & essentia, abstracto Deitatis nomine, significata, non autem significata nomine concreto *Deus*, quo personalitatem etiam ex parte obiecti significari, vulgatior etiam Theologorum opinio fert: ac proinde crediderim cum aliqua ex propositis opinionibus, pleróſque Theologos sensuros, sicut de hac voce *homo*, concreta, naturam nudam non significari, sed personam, ac proinde naturam personalitate affectam communis Scholasticorum sententia est.

CERTAMEN II.

Verior sententia nostra stabilitur.

1 Dicendum nihilominus nobis est, Essentiam metaphysicam Theologicam Dei, concreto etiam nomine *Deus*, significari, nihil supra essentiam metaphysicam Dei (scilicet rationem Entis à se) proprietatum personalium, siue omnium coniunctim, siue vagè, & diuisim, siue subsistentiæ communis (si ea admittatur) includere. Sententias omnes memoratas reiicit conclusio: quia eius fundamenta à capite impugnat omnes: Probatur conclusio: quia hoc nomen *homo*, concretum, æquè est, ac hoc nomen *Deus*: atqui secundum se etiam Theologicè sumptum sine pronomine *hic*, vel alio syncathegoremate adiuncto, quo significati singularitas, & totalitas, qua in personam coalescit, denotatur, non significat suppositum, siue personam, aut personalitatem, neque vagè, neque determinatam, neque in communi: ergo neque hoc nomen concretum *Deus*, secundum se, etiam Theologicè sumptum, nisi addatur syncathegorema significans id, quo in Personam conflatur, suppositum aliquo ex dictis modo significabit: ergo Dei concretè, & Theologicè sùpti, Essentia metaphysica nihil personalitatis, supra essentiã metaphysicã philosophicã addet, vt proposuimus.

2 Minoris latissimam probationem dedimus, & ab expressis Patrum authoritatibus, & à solidis Theologicis rationibus contr. vlt. de Incarnat. d. vlt. quæst. 2. à certam. 2. ac proinde eis ad id probandum reperendis abstinemus: quamquam eas inferiùs nomini concreto *Deus*, ad nostram conclusionem directè à ratione probandam subiiciemus. Consequentia vtráque est legitima. Sed ramen dices primam legitimam non esse: quia concretum *homo*, secundum se significat naturam communem, suppositum autem, ac persona debet necessariò esse eius indiuiduum, quod ea voce non significatur: ac proinde, vt nos dicimus, debet illi adiungi syncathegorema significans singularitatem, vt significetur persona: at verò concretum *Deus*, terminus singularissimus cum sit, personam sine vllo syncathegoremate adiuncto significabit. Verùm friget solutio: quia, si ideò concretum *Homo*, personam non significat, quia terminus communis est, communem naturam significans, ita, etsi concreta vox *Deus*, in linea naturæ singularem naturam signet, quia secundum se tamen tribus personalitatibus, ac personis communis, communicabilisque est (sicut humanitas, seu homo præcisè sumptus communis, communicabilisque est indiuiduis) quousque singularitatibus, vt sic loquar singularis Deitas significata reuinciatur, neque omninò singularizata est, vt acutè aiebat Ricardus Victorin. 4. de Trinit. neque persona: singularitatis ergo huius personalis diuinæ notæ & vox adhibenda est concreto *Deus*, vt ex eo syncathegoremate personam significet; non secùs atque concreto nomini *homo*, singularitatis nota debet, vt personam significet adhiberi, vti dicebatur in minori.

3 Atque hinc probatur ratione Theologica conclusio, quam nobis dedit S. Th. 1. p. quæst. 40. art. 3. corpore, vt probet in diuinis conceptum communis subsistentiæ non esse, his verbis. *Hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis: cum hypostasis sit substantia indiuidua.* Eam sic edisſero, suppositum, seu persona tam philosophicè, quàm Theologicè est indiuidua, & singularis, & propria, nec communis, nec cõmunicabilis substantia: ergo nomen, quod non significat propriam singularem, indiuiduam, nec communicabilem substantiam, non significat personam, neque philosophico, neque Theologico sensu, consequentia est legitima. Antecedens est ipsa personæ, & suppositi definitio à Philosophis, Theologis, & Patribus recepta ex Boëtio, vt vidimus d. procem. de Trinit. quæst. 1. cert. 2. num. 4. & 5. ad cuius confirmationem innumera Patrum testimonia recitare possumus. Vnum tamen, vel alterum in reliquorum exemplar recitabo. Athanas. in serm. in Euang. S. Deip. ait. *Quæ communiter à multis istius modi consideratur substantia, nuncupatur; cum in vnum propriè confertur persona, siue substantia nominatur.* Omniumque Patrum nomine & sententia Iustinianus Imp. edicto Fidei vers. med. quod extat tit. 2. Conciliorum pag. 654. ante Synodum 5. gener. siue Constantinop. 2. col. 10. scribit, *Omnes Patres constanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam, & aliud subsistentiam siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune, significare, subsistentiam autem, siue personam hoc, quod est speciale.*

4 Pergit inde discursus. Nomen, quod non significat, indiuiduam, singularem, propriam, nec communem, & communicabilem substantiam, nullatenus significat personam, neque sensu Philosophico, neque Theologico; atqui nomen concretum *Deus*, Theologicè etiam, nobis non significat substantiam indiuiduam, singularem, propriam, sed communicabilem, & communem sensu Theologico: ergo neque eo sensu significat personam, siue suppositum diuinum: ac proinde neque essentia metaphysica Theologica Dei, vt eo nomine significati, personalitatem vllam diuinam supra philosophicam addet, vt fert nostra conclusio. Minor, de qua dubitare aliquis posset, est certa: nam significatum nominis *Deus*, concretè Theologicè sumpti de tribus Personis prædicatur.

5 Sed dices: vox concreta *Deus*, quâ talis adhuc, non significat suppositum, siue personam sensu Theologico: ergo idem prorsus significat, quod Deitas, quæ à suo significato solas personalitates excludit: quas si in eo clauderet, Personas diuinas significaret: ergo quæcúmque in mysterio Incarnationis de Deitate dicuntur, & de quocúmque Deus prædicatur, de Deitate dicentur, ac Deitas prædicabitur. Patet consequentia: nam de eodem, etiam formaliter, nequit prædicatum idem affirmati & negari, sine manifesta implicatione. Iam verò ex hac consequentia hæc inferuntur absurda. Primum: Deitatem immedia-tè, ac per se vnitam humanitati esse, dicipossè: sicut Catholicè dicitur illi immediatè vnitus Deus. Item

Deitatem

Deitatem hominem esse, & hominem Deitatem: Atque in Trinitatis mysterio alia æquè hæreticè inferuntur. Nempè Deitatem generare, & generari, ac Deum nec procedere nec producere, & alia sexcenta.

6 Respondetur facilè distinguendo consequens. Non variato significato, & suppositione vocis, ac termini *Deus*, concedo consequens; eis variatis nego: variatur autem in eis omnibus propositionibus ex syncathegoremate Verbi, vnicuique earum adiuncto, sicuti & in aliis, quæ obiici possunt. Nam, vel sunt verba personam diuinam, quæ Deus est, concernentia, & quæ terminum communem substantiuum *Deus*, supponi adiectiuè pro persona, vel personis diuinis faciunt, iuxta dicta controuersiis vltim. de Trinit. & Incarnat. Præsertim d. de communicat. Idiomat. Cum autem *Deus*, nudè (vt hic, dum de eius essentia inquiritur) ponitur absque personali syncathegoremate, non est vnde personalitas denotetur, licèt, quia concreta vox est, ex modo nostro significandi, & concipiendi apta sit, vt similis syncathegorematis adiunctione personam, seu suppositum significare apta sit, quod non habet abstracta vox *Deitas*: quæ non, nisi ad modum partis, naturam diuinam metaphysicè significare potest: non autem, vt totum: quo solùm pacto significari potest persona, & fusiùs citata d. de communicat. Idiomat. ac sæpius controuersiis, & disputationibus aliis de Incarn. ex Damasceno, & aliis Patribus docebamus.

QVÆSTIO V.

De Essentia logica Dei.

Essentia logica Dei, vt à metaphysica diuiditur, ea dicitur, quæ ex genere, & differentia, vel aliquibus eorum loco, quorum alterum commune aliis, alterum proprium, & speciale sit, constat. Quare eadem hæc quæstio est cum ea, quam disputat. S. Th. 1. p. quæst. 3. art. 5. eiusque interpretes ibi: an scilicet *Deus*, sit in aliquo genere, seu prædicamento cum Creaturis: si enim nullo cum eis conuenerit, essentiam logicam habere non poterit, cum secundus, aut plures Dij sint impossibiles: ac proinde Dei, eiusque prædicata communia logicè esse non possint. Si autem in aliquo genere conuenerit, maximè in prædicato entis, generalissimo, quod per differentiam *à se*, contrahatur, essentia eius metaphysica, logica etiam essentia erit; ac proinde de entis prædicato, an Deo, & creaturis sit commune? præcipuè inquirimus; licèt de aliis huius occasione cert. 3. disputaturi simus.

CERTAMEN I.

Oppositæ hac de re sententiæ seqniter à suis Patronis, vt plurimùm, probantur.

1 Holcot. in 1. quæst. 6. Greg. d. 3. quæst. 3. art. 2. vbi Gabri. q. 1. probabiliorem opposita (quam, quia communiorem Oxoniési Scholæ, sequitur) reputauit. Atq; Scotus d. eadem, & d. 3. quæst. 3. §. *Quantum ad secundum*. Docent Deo, & creaturis dari conceptum communem, neque vnum solum, sed plures: cuius oppositum probatu esse difficile censet Okam ea. d. 8. quæst. 1. Ex eis verò Scotus solus ea. d. 8. quæst. 3. §. *Teneo meam sententiam*. Nihilominus in prædicamento aliquo Deum collocari posse negat, id quod cum primo cohærere non posse censet Vasq. 1. p. tit. 1. d. 22. cap. 5. num. 9. versus finem: sed ex huius ratione pro opposita sententia potuit connexionem, seu non repugnantiam in Scoto reperire, vt mox videbimus: sententiæ huius fundamentum à ratione est, quia cùm communitas conceptus communis ad inferiora, atque eius differentia, cum qua inferius logicè constituit, solùm per rationem sit, nequit Dei vnitati, ac simplicitati magis repugnare, quàm cum existentia, & attributis, nostra consideratione solummodo distinctis, componere. Certè, si sola Dei simplicitas obesset, nihil huic sententiæ obesset, vt contra rationes aliorum pro sententia aduersa videbimus inferiùs.

2 Nituntur insuper Augustini authoritate 5. de Trinit. cap. 8. 10. & 11. vbi quædam prædicamenta de Deo dici impropriè ait, vt Quale, Quantum, Situs, Habitus, & Tempus. Quædam verò propriè, vt Substantia, & Relatio, de Actione verò de Deo solo verissimè dici censet, eo c. 8. Damasc. 1. de fide cap. 7. Substantiam genus esse suprem um ad corpoream, & spiritualem: Substantiam verò spiritualem ad Deum, Angelum, Animam, & Dæmonem esse docet: capite autem. 9. Paternitatis, & Filiationis nomina tanquam primariò de Deo, atque inde ad nos translata Deo tribuit, iuxta illud ad Ephesios. 3. *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur*. Sed certè dici propriè non est idem, atque vniuocè, illúdque *propriè*, ita moderatur Aug. cap. illo 10. *Si tamen propriè de illo aliquid dici ore hominis potest*. Quo sententiam aduersam à se alibi tenendam clarè indicauit. Eandem etiam disertis verbis tenuit Damasc. quare opposita, non de communitate vniuoca Dei, & creaturæ in prædicato entis, siue substantiæ spiritualis, sed Analogica debet intelligi. Ad illud de Paternitate, seu relatione commodiùs cert. 3. respondebimus.

3 Secunda sententia negat Deo, & Creaturis aliquod esse prædicatum vniuocè commune: quare, & prædicatum Entis vtrísque commune negat: ac proinde consequenter essentiam logicam Deo negabit. Ita docuit Magister. in. 1. d. 8. Albert. art. 32. Bonau. art. 1. quæst. 4. Argent. quæst. 1. art. 1. Ægid. art. 1. quæst. 3. Basolis. quæst. 1. §. *Propter istas*. & quæst. 4. Capreol. quæst. 1. art. 1. concl. 5. & 6. Scotus. & Gabr. locis citatis. Durand. in 2. d. 3. quæst. 1. numer. 12. Henric. à 26. summæ. quæst. 2. S. Th. 1. p. quæst. 3. art. 5. (vbi & quæst. 13. art. 5. opusc. de Ente, & essentia. cap. 2. quæst. 3. Caiet. etiam 1. contra Gentes. cap. 32. vbi Ferrari. Vasq. tit. 1. 1. p. d. 22. cap. 3. & communiter Recentiores. Verùm, etsi adeò communis, & nobis etiam vera sententia sit, adeò multis leuibus fundamentis plerúmque innititur, vt sua sponte, impellente nemine, subruere videatur: idcirco conclusioni æquius, quàm eius rationibus acquiesco. Sex veterum rationes confutat facilè citatus Gregorius, & Vasq. loco citato, quas summatim hic, seorsimque solutiones indicabimus; ne aliquid hac in re à lectoribus desideretur, quo alios legere cogantur. Quo fine plura scriptis nostris inferimus, quàm vellemus.

4 Primò: quia genus, & differentia, sicut actus, & potentia, siue subiectum, & forma sunt. Repugnat autem enti simplicissimo, & vnissimo Deo, ratio potentiæ, & actus: ergo compositio ex genere, & differentia, siue communi, & differentiali prædicato. Distinguo maiorem. Sunt potentia, & actus logici, siue per rationem nostram, concedo; physici, & qui repugnant enti simplicissimo, & vnissimo physicè, nego. Inde euanescit ratio secunda, quòd genus, & differentia partes sint, quibus constare Deo repugnat. Partes enim physicæ non sunt, sed logicæ, seu metaphysicæ, quibus metaphysicè constat Deus, dum eum ex essentia, & attributis metaphysica ratione nostra distinctis, Theologi omnes componunt. Tertiò: quidquid genus habet prædicamentale distinctum esse debet à suo esse: quod repugnat Deo. De distinctione plusquam rationis, & metaphysica assumptum, omnium, quæ in prædicamento collocantur, exemplis, falsitatis conuincitur. De metaphysica est etiam falsum. Nam essentias rerum à suo esse adhuc actuali, seu existentia formaliter non distingui, melior nobis Metaphysica est, vt diximus. Atque eo dato in alia opinione existentiam Dei, ab eius essentia metaphysicè distingui, est etiam probabile, & fortè consequentius.

5 Quarta ratio: quia, vt aliquid sub genere sit, debet in ea dari aliqua realitas indifferens ad differentias, quibus genus contrahitur; at in Deo nulla datur realitas indifferens ad finitum, quoad Creaturam, & infinitum quoad Deum, tanquam differentiis contrahatur: ergo nec ratio, quæ genus esse possit, in eo inuenitur. De indifferentia

ferentia physica, & reali : est apertè falsum ; de metaphysica, & rationis non admittitur ab aduersariis minor, neque ab obiectantibus medium, ad eam probandam assumitur. Quinta : quia, quod in prædicamento, & sub genere aliquo est, eo clauditur, & continetur, quod enti infinito repugnat. Distinguo contineri realiter, nego ; per rationem, subdistinguo, limitando differentias, quas in se claudat, nego ; abstrahendo à limitatione, vel illimitatione differentiarum, quæ extra eius conceptum sunt, & à quibus abstrahit, concedo : vel potiùs, continet per rationem abstractiuè concedo, inclusiuè nego : id autem enti infinito non repugnat. Sexta ratio : quia, si aliquod genus haberet, maximè substantiæ, quam abusiuè de Deo dici, aiebat August. 1. de Trinit. cap. 5. sed August. loquitur de substantia iuxta eius etymon accepta, atque à munere substandi accidentibus dicta, quod Deo reuera repugnat, ac solùm imitatione quadam, & ratione suis attributis substare dicitur.

6 Alia plura ex antiquis argumenta vt leuiora, adhuc hisue, omisit consultò, & meritò Vasq. noster. c. citato, aliámque, meo iudicio, prædictis non efficatiorem rationem philosophicam ex propriis adiunxit. cap. 4. Nempè: quidquid est sub genere debere esse vel speciem, vel indiuiduum : Deus autem nequit esse species : cum plures, quàm ipse, Dij repugnent : nec tanquam indiuiduum : cùm omne indiuiduum cum aliis speciei eiusdem debeat conuenire, quod Deo repugnat ob repugnantiam specificæ communis Deitatis. Verum, vt dixi efficax ratio non est. Tum quia, qui Deum cum creaturis vniuocè in ratione entis, seu substantiæ conuenire contendunt. (In quo solùm quæstio de re esse potest) parum curabunt de nomine illius prædicati communis, an genus respectu Dei dicendum sit : quod solùm videtur mihi negasse Scotus : quia in Deo non est assignabilis realitas indifferens ad differentias specificas, quibus ad species plures extrahatur : cum Deus species non sit, sicut homo : quia plures, quàm vnus, indiuidui Dei repugnant, vt catholicè argumentum factum docet. Alij verò dicent genus esse vocandum : quia in creatorum linea species habet plures, licèt respectu Dei genus non sit. Nec video quid repugnantiæ in eo sit, quod ratio cõmunis vniuocè pluribus vna linea citiùs proximiúsque indiuidua pertingat, quàm per lineam aliam : in quo casu vltimum prædicatum commune lineæ vtrique, respectu indiuidui remotioris longioris lineæ genus erit ; respectu verò immediati indiuidui lineæ breuioris genus esse non poterit : & tamen in eo casu argumentum totum nostri Vasq. debebat vigere, si vim aliquam haberet.

CERTAMEN II.

Solida, vnicáque ratio Theologica negantis nostræ sententiæ illustratur.

1 NEgantis sententiæ vnicam solùm rationem solidam, inquam, cum hac de re in consultis libris cogitarem, ex sola confusa memoria, locutionum quorundam Patrum incideram, lecto verò nostro Vasq. eandem à S. Th. Argentina, Caiet. & præcipuè à Richardo fuisse datam, atque ab eodem Vasq. magna eruditione fundatam inueni. Innititur ergo in præcellis, longéque nostros conceptus, & voces excedentibus prædicatis diuinis : quibus proinde, dum de diuinis loquendo, vtimur, non idem quod cùm eisdem de creatis loquimur, significatum, sed longè sublimius denotamus. Boëtius de Trinit. circa medi. *Substantia in illo non est verè substantia, sed vltra substantias.* Post pauca. *Cùm dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur : sed eam, quæ sit vltra substantias.* Vbi Gilbertus ait. *Non ea veritate rationis*, qua reliquæ substantiæ, substantiam dici Deum, *sed aliqua rationis proportione.* Idem prorsus docuit Dionysius duplici illo modo cognoscendi Deum in hac vita, ex rebus, & vocibus creatis, cuius meminit. cap. 3. & 5. de Myst. Theolog. & 1. de diuin. nom. per negationem omnium, quæ de creatis noscimus, & fatemur, & per affirmationem eorum omnium, sed cum adiuncto excessu.

2 Capite autem. 7. de diuin. nom. expressiùs eos duos modos sic proponit. *Ad id, quod omnia superat, via, & ordine pro virili parte omnium detractione, & præstantia omniúmque causa ascendimus : itaque in omnibus Deus noscitur, & sine omnibus : scientiáque Deus noscitur, & ignoratione.* Omisso autem modo tertio cognoscendi Deum ex effectibus, quem S. Th. lect. 4. in id caput recognouit, de quo statim, vtróque reliquo, & alterutro docet Dionysius nihil vocibus, quibus significamus creata, significatum Deo conuenire proprie : ac proinde in sua proprietate vsurpatas Deo negandas esse, vti ipse omnes negat cap. illo. 5. de Myst. Theolog. & 1. de diuin. nom. ex secundo modo, Dei substantiam, & essentiam supersubstantialem, & supereessentialem appellat, & post med. vtrúmque coniungens, ait. *Deum esse omnia, quæ sunt, & nihil esse eorum, quæ sunt.* A quo edoctus Damas. 1. defide cap. 4. postquam dixit aptiùs de Deo esse cuncta creata prædicata negare, quã affirmare, ait. *Neque enim eorum quæ sunt, quidquam est : quod quidem non ita accipiendum est, quasi non sit, sed quia super omnia, quæ sunt ipse sit, atque adeò supra ipsum esse.* ac statim ait. *Esse supra essentiam.* Tandem : *sunt* (inquit) *porrò nonnulla, quæ tametsi per affirmationem de Deo dicantur, præcellentis tamen negationis vim habent. v. g. cum de Deo verba facientes tenebrarum vocem vsurpamus, non caliginem nobis animo proponimus, sed quod lux non sit, verùm lumine sublimior.*

3 In eandem sententiam verba Dionysij postrema interpretatur Elias Cret. in oratione 24. Naz. *Deus, vt S. Dionys. ait, est quidem causa eis, quæ sunt, vt sint ; ipse autem non est : vt qui nihil horum, quæ sunt, sed supra omnia sit. quamuis enim Deus ens dicitur iuxta illud, Ego sum qui sum ; at ens tamen non est, vt ea quæ sunt.* (*Quonam enim modo opifex, vt opera esset*) *neque certo modo ens, sed simpliciter, ac peculiari modo, ac velut eximiè, ac præcellenter, quemadmodum ipse solus nouit.* Atque in orat. 1. apologet. ad illa verba. *Cœlum excelsum*, ait : *qui quidem Deus. vt est apud S. Dionys. & , vt mens, & , vt sapientia, & , vt vita, &, vt ens, & , vt amabilis à tota Scriptura celebratur, idémque, & multa nomina habet, & nomine omni caret.* infrà. *Hæc omnia dicitur, & tamen super hæc omnia est.* Paulóque inferiùs. *Deus enim, & supra mentem, mens est, & supra vitam vita, & denique supra omnia.*

4 In eam etiam sententiam denique conspirant Patres, qui sibi verbis videntur aduersari : dum alij, vt Dei essentiam, supra omnem essentiam, & substantiam esse significent, aiunt : cætera non esse, ac solùm Deum esse, vti ex Platone aiebat Augustinus. 8. de Ciuit. cap. 11. & rursus. 7. Confes. cap. 11. his verbis. *Inspexi cætera infrà te : & vidi nec omninò esse, nec omninò non esse : esse quidem, quoniam abs te sunt ; non esse autem, quia id, quod est, non sunt, id enim verè est, quod incommutabiliter est.* Ex aduerso autem videtur loqui Augustinus idem, loco recitato, cert. 1. num. 2. vbi nihil proprie ac proinde, neque ipsum esse proprie de Deo dici posse verè ait, ac Dionys. 5. de myst. Theolog. neque alia, neque Patris, & Filij rationem esse docet. Basilius addit. 3. contra Eunom. cap. 13. neque Spiritus Sancti : ac proinde solùm translatitiè hæc creaturarum vocabula, eorúmque significata Deo aptari, non propriè : quo solùm docent earum vocum, & significatorum, quæ in creaturis habent, respectu eorum, quæ in Deo (cuius omnia, supra omnia creata immensùm eminent) inferioritatem : ac proinde primæ suæ propositioni in secunda hac Patres concordant.

5 Ex his autem Patrum sententiis, quas accurata (vt solet) eruditione Vasq. noster expendit, solida, eáque, vt dixi, vnica ratio deducitur repugnantiæ prædicati communis vniuocè intrinseci, & essentialis Deo, & Creaturis : ac proinde, & essentiæ logicæ Dei : quæ, vt diximus quæstionis præfatione, ex prædicatis essentialibus, communi & proprio constare debet. Etenim prædicatum quodvis diuinum intrinsecum è genere, vt sic loquar, & conceptu suo indiuisibili infinitè creatis omnibus præcellit : ergo nequit vniuocè cum aliquo creaturarum prædicato conuenire : consequentia est euidens : antecedens suadetur ex Patrum testimonis datis, in super à ratione metaphysica, quam præstit acutè Elias Cretens. primo loco verbis illis, *Quonam enim modo opifex opera esset?* Etenim, quod

omnia

omnia creata possibilia è cõceptu suo indiuisibili, vel omnipotentiæ proximè, vel entis à se remotè, quod eminenter formaliter, omnia & singula eorum prædicata continet, effecta sunt. Quare, nequit non, tam in prædicato indiuisibili entis, quàm omnipotentiæ, & aliis infinitè creare, cedere. Secundò probatur antecedens: quia quidquid in creatura entis est ab alio indiuisibiliter, & participatum est: ergo, & Ens à se è conceptu suo indiuisibili, Ens à se, ac non participatum erit. Infero rursus: ergo cum Ente à se, in quo nihil quod ab alio sit concipi potest, nullatenus poterit vniuocè conuenire.

6 Tertiò probatur antecedens, & confirmantur validè probationes: quia, licèt ratio entis in sua linea differentiis transcendat, contra verò similiorem nobis sententiam, ast ratio entis substantiæ, & accidenti communis vniuocè non est, iuxta communiorem, verioremque sententiam: quia ens substantiæ creatæ est absolutè ens, atque è conceptu suo indiuisibili Ens per se: atque ratio entis accidentium communis è conceptu suo indiuisibili est ens in alio, siue entis ens: ergo ratio entis à se, & entis ab alio è conceptu suo indiuisibili sunt tales, ac proinde, quæ nequeant in aliquo sui conuenire. Probatur consequentia: quia non minus est imbibita formaliter maior, & intimior dependentia entis creati ab alio, tanquam à principio necessario sui, quàm accidenti dependentia à substantia, seu ente per se: sed ex hac dependentia ita intimè imbibitur in formalitate entis accidentalis esse entis ens, vt nequeat formaliter diuidi, sed id totum indiuisibiliter dicat: ergo & ens à se indiuisibilis conceptus erit, & quod primario Ens dicetur, ac creata per imitationem, & aliqualem participationem illius: ac proinde analogicè, non vniuocè. Ex qua porrò ratione, quæcumque contra nostram sententiam opponi possunt præoccupantur: cum constet rationes illas, à se, vel ab alio, rationes differentiales contractiuas rationis entis non esse; sed alteram cum ratione entis in Deo, alteram cum ratione entis in creaturis, formalissimè adhuc, identificari.

CERTAMEN III.

De reliquis Dei, & Creaturarum Prædicatis statuitur.

1 Dei, & Creaturarum prædicata, quæ eisdem vocibus vtrobique significamus, quædam ipsis intrinseca sunt, quædam verò extrinseca, quia ab extrinseco aliquo eorum entitatibus, desumuntur: cùm tamen intrinseca prædicata eorum physica entitate, reipsa non differant; ac proinde, vel eorum metaphysica essentia, vel huius passiones, & proprietates metaphysicæ sint. De intrinseris aliorum prædicatorum à Substantia, seu ente per se, idem, atque de ente, de quo speciatim probabimus cert. 2. cum Doctoribus datis, censendum omninò erit, non tamen ob rationes aliquorum. Noster Vasq. cap. 5. §. *Primum quidem.* Inde probat: quia nouem reliqua prædicamenta, quibus omnia prædicata creaturarum continentur, accidentia physica necessariò sunt: accidentia verò, siue proprietates, & attributa diuina physicè substantia sunt, ac solùm proprietates, siue accidentia metaphysica: Substantiæ verò physicæ, ac physicis accidentibus, nihil datur metaphysicè, aut logicè commune, vt diximus: ac proinde neque in eis accidentalibus prædicatis, aliquid Deo, & creaturis commune dari poterit. Nos autem huic rationi non admodùm fidimus. Etenim prædicamenta, non pro physica rerum diuisione, diuidi verò similius nobis semper fuit, licèt eam diuisio prædicamentorum non renuat.

2 Ratio: quia alioqui prædicamentum Durationis, seu Quando, supra decem assignandum esset; atque huiusmodi prædicamentum addendum contendit Caietan. plura alia plures, quibus difficulter respondetur. Eis autem (ac præcipuè argumento pro prædicamento Durationis ea in re difficillimo) solummodò potest responderi: prædicamenta ab Aristot. & Philosophis, ea decem tantùm meritò recensèri: quia non pro physica rerum diuersitate diuisa sunt, sed in ordine ad prædicationem logicam, & formalem, quare inde nomen prædicamentorum obtinuerunt: at verò prædicatorum omnium capita amplius decem non sunt. Duratio enim per copulam prædicati cum subiecto propositionis necessariò importatur: ac proinde ad prædicata non spectat: cætera verò prædicata, quæ extra illa decem capita diuagare dicuntur, pleráque ad prædimentum Habere, vel ad alia spectare, de quo hic diutiùs agendum non est; si autem prædicata in ordine solùm ad prædicationes diuisa, atque ordinata sunt; cum eis æquè accidentia metaphysica atque physica inseruiant, non est opus, vt ad prædicamentum accidentis pertineant prædicata, vt Substantiæ de qua prædicantur accidentia physica sunt, ab eáque physicè distincta, vt Vasq. eo discursu supponit. Et quidem hanc prædicationem, Homo est risibilis, vel est admirationis, de prædicato accidentis proprij, non Substantiæ esse, concors Logicorum & Metaphysicorum sententia est.

3 Sola ergo, ac solida pro attributis, ac prædicatis Deo intrinsecis probatio est, quam in prædicato entis à se posuimus. Quod scilicet, quodvis prædicatum intrinsecum attributale Dei indiuisibiliter, atque è suo conceptu indiuisibili, diuersum à creatis omnibus sit, quæ eisdem vocibus significantur, vt Patres aiebant, Confirmatur quia diuina attributa, & prædicata intrinseca omnia è suo genere sunt positiuè infinita, è conceptu suo indiuisibili vt d. 3. ostendemus ergo nihil, quod positiuè infinitum non sit potest in eis includi: ac proinde neque conceptus communis, & abstrahens à finito, & infinito sui generis, quod quidem positiuè infinitum esse non potest. Obiicies ex dictis cursim supra, & dicendis fusiùs d. 3. Attributa, & reliqua prædicata ab Essentia metaphysica Dei, seu ente à se, non esse entia à se substantiue metaphysicè, sed solùm iure identitatis realis eum essentia: ergo conceptus aliorum prædicatorum Dei, secundum se formaliter nec est Ens à se, neque diuinum, neque proinde ex genere, & conceptu suo infinitum positiuè: ac proinde ei secundum se sumpto, poterit in suo genere assignari conceptus communis creatis conceptibus generis eiusdem. Respondetur tamen reliqua ab Essentia prædicata intrinseca diuina, non esse quidem entia metaphysica substantiua, at esse entia metaphysica adiectiua, & diuina formaliter & intrinsecè: sicut de personalibus prædicatis diuinis dicebamus controu. de Trinit. d. 6. quæst. 1. atque de attributis dicemus latè d. 3. quo cessat obiectio.

4 De prædicato Relationis Patris, & Filij, atque Spiratoris, & Spirati, siue Spiritus Sancti, aiebant Dionys. & Basilius citati certam. 2. num. 4. proprie de Deo dici non posse: ac, licèt non earum specialibus nominibus, doctrina tamen generali de omnibus nominibus, & prædicatis, quæ de Deo dicuntur, aiebat August. loco ibidem citato, quibus, dùm aduersari videtur, Damasc. citatus, certam. 1. num. 2. dicens ex 3. ad Ephes. *Ex quo omnis Paternitas in cælo & in terra nominatur.* Hoc nomen de Deo primariò, & proprie, ac per translationem, & imitationem de creatis dici, omnino concordat. Tam enim ipse, quàm præfati Patres contendunt Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum excellentiori modo, nullatenus cum creatis Patribus, Filiis, & haliribus spiratis, seu Spiritibus, communi tales esse: ac proinde tres primi Patres vsum vocis, proprium quidem in creatis antiquiorem attendentes, atque significati, quod in diuinis habet excellentiam infinitam, respectu significati quod habet in creatis, ea nomina improprie per eorum defectum in sua antiqua proprietate significandi de Deo dici aiebant, solúmque translatitiè de his, quæ à sua primæua impositione significabant, de Deo affirmari à nobis concedebant. Damascenus autem antiqua proprietate vocum non curata, sed excellentia, atque præstantia significati quod in Deo habet, proprie de Deo solummodò dici aiebat, de creatis verò translatitiè, & per imitationem quandam, & participationem à Deo: sicut ens, licet æque (quoad tempus, & vetustatem attinet) de accidentibus, & Substantia dicatur, ob significati autem præstantiam, absolutè proprie, ac primariò de illa dicitur, de accidentibus vero secundariò, & translatitiè.

5 Atque hic sanè planus est Damasceni sensus, vti ex dictis, atque ex contextu patet, in quibus etiam continetur ratio perspicua (quæ nostro Vasquio non occurrebat. cap. 6. num. 20.) singularis eius contra datos alios Patres locutionis Damasceni. An verò suam hanc doctrinam ritè, rectéque ex loco illo Pauli Damasceno confirmet? Negat Vasq. ibi, multáque eruditione ostendit, neque in Græco, neque in Hebræo textu legi Paternitatem, seu nomen illam significans, sed Græcè. Πατρία, quod familiam significat. Psalm. 21. *Adorabunt eum omnes familiæ gentium.* Habetur, non πατρότης. Quod respondet nomini Paternitas, quóque in suo textu vtitur Damascenus. Hebraicè verò habetur. *Mispahot.* Quod 70. πατριαὶ, id est, familiæ verterunt. Standum nobis vulgatæ editioni eius loci est, cui Damascen. peritissimus, & Hieronymus citandus concordant: rectéque inde suam doctrinam à Damasceno confirmatam, est omninò sentiendum. Maximè, cum ipse Vasq. eruditè ostendat etiam ibidem, *Nominatur.* Bis in eo loco positũ, idé valere Scripturæ phrasi, quod *Est*: ac nominari idé, quod esse: ficuti ad Philip. 1. *In nomine Iesu omne genu flectatur.* Atq; iterum. *Super omne nomen, quod nominatur siue in hoc sæculo, siue in futuro.* Eámque ait illius loci interpretationem esse Græcorum omnium Patrum. Chrysost. hom. 7. Theophylacti, Theodoreti, Oecumenij ad eum locum, Hieronymi. tit. 6. in magnis commentariis. Ex Patre enim, cuius præcellens paternitas est, fœcunditas, & generatio in cœlis, & in terris est: nam & sua in cœlis ex Patre est, & in terris fœcunditas, & generatio omnium ex ipso est, tanquam causa principali, vnde, & inde vtrobique nominatur, licèt non tempore, dignitate tamen, & prioritate excellentiæ generationis diuinæ.

6 Vltimò de prædicatis, quæ Deo extrinsecùs, siue ab extrinseca forma proueniunt vt Agere, Creare, & similia, licèt aliquid Deo intrinsecum (de quo solùm hic disputatur) non sint, oportunè tamen intrinsecorum occasione, statuendum hic erit. Et quidem Augustinus, neque hæc vniuocè de Deo, & Creaturis dici videtur iudicasse; ac proinde neque in eis dari de Deo, & Creaturis conceptum communem 5. de Trinit. cap. 8. vbi cum plura prædicamenta translatitiè solùm de Deo prædicari docuisset subdit: *Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissimè dicitur, solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur.* Verum, neque Augustinus firmiter id docet, sed dubitanter, *fortassis*, adiuncto: neque ea particula *verissimè*, cætera agentia creata à veritate, & proprietate agendi reiecit; sed solùm à veritate agendi solùm: nam reliqua, ita agunt, vt patiantur, ac fiant. Insuper; cum antea reliqua prædicamenta, ac prædicata creaturarum translatitie, & nõ verè de Deo dici ostendisset; dicens his verbis solam actionem verè dici de Deo, qui Agens, non Patiens est, censet actionem puram, quæ de creatis propriè, ac verè prædicatur, verè, ac propriè de Deo prædicari: ac verissimè, quia purissimè Agens est, sine passione. Itaque hæc, & similia extrinseca, siue ab extrinseca forma, & entitate Deo obuenientia prædicata vniuocè ei cum creaturis conuenire tenendum, ob Augustini authoritatem est: & quia in his vnica ratio, quæ à Diuinis intrinsecis Deo prædicatis, vniuocationem cum similibus creatis excludit, locum in extrinsecis non habet: quare eiusmodi prædicatis Dei, & creaturarum communis ratio dari optimè potest. Neque tamen illicò inferas Deum in prædicamento ponendum: cum enim extrinseca Deo prædicata sint, ex eo, quod ipsa in prædicamento ponantur, perperam in eo ponendus inferetur Deus, vt patet.

DISPVTATIO III.

De Dei Attributis vniuersim, siue in communi.

DIXIMVS, controuersiæ præfatione, in Deo Essentiam, & Attributa dari: atque cursim ex Attributis pleráque, in cæterorum exemplum, nominauimus, ac post modum ea esse attributa diuina diximus, quæ Essentiam Dei metaphysicam prædicata consequuntur: quare lata significatione, quæ omnia prædicata, quóque modo Essentiam Dei constitutam consequentia, comprehendat, inter Attributa Dei extrinsecus aduenientia prædicata, quæ Deo ex actionibus suis extrinsecis obueniunt, numerabuntur. De his autem extrinsecis prædicatis Dei, disputatio præsens de Dei Attributis, neque apud nos, neq; apud Theologos proceditsed solũ de prædicatis, quæ Dei Essentiæ, qua metaphysice sequuntur, physice identificantur, ac proinde suæ verè prædicata, & Attributa diuina: quæ scilicèt, cùm diuinæ formalitates sint Deo essentialiter metaphysicè iam constituto, ipsum metaphysicè afficere concipiuntur, de eóque verè prædicantur. Sed strictius adhuc in hac disputatione Attributa diuina à Theologis vsurpantur, quatenus contingentia prædicata diuina (de quibus de Scientia, & Voluntate Dei disputatur profusè) secludit, solúsque prædicata diuina necessaria coërcet: &, ne de his quidem, in latitudine sua tota; cùm enim prædicata diuina personalia necessaria etiam Deo sint, ac de eis, dùm de mysterio Trinitatis agitur, per otium (vt porè propria sede) agatur, ea etiam ab hac disputatione meritò relegantur. Solùm ergo hic disputabitur de prædicatis necessariis, seu Attributis diuinis, quatenus solùm prædicata necessaria Essentiam metaphysicam Dei indiuiduè metaphysicè, vbivis personarum consequentia, ac tribus Personis communia coërcet: quæ proinde essentiæ metaphysicæ proprietates iure dicuntur.

2 Sed enim, licèt eiusmodi Attributa, & proprietates Essentiæ metaphysicæ Dei supposuerimus esse atque communiter Theologi supponant, nescio an eorum aliquibus in consequentiam doctrinæ alteriùs suæ, præfata afferat suppositio: quare, vt debita consequentia in hac materia procedamus, doctrinæ, quæ huic communi Theologorum sententiæ aduersantur, reiiciendæ in primis erunt, vt eiusmodi proprietates metaphysicæ, siue Attributa diuina firma persistant: quare de eiusmodi Attributorum existentia in primis disceptandum erit, quoad quæstionem. An sint? spectat: quàm bipartitã statuemus, vt duplicem opinionem, quæ eorum existentiam euertit, eáque è medio porsus tollit, ablegemus, in qua ap ex parte obiecti, tum inter se, tum ab essentia mutuò, aut non mutuò se formaliter, vel includant, vel excludant? Secundò, quot sint Attributa, earúmq; varias diuisiones recensebimus. Tertiò an inter se, non solùm per intellectus nostri præcisionem metaphysicè distinguantur (vt quæst. 1. ostensum manebit) sed etiam an ante illam, vel realiter formaliter ex natura rei? Quartò, an saltem realiter virtualiter differant? Quintò, an ratio Entis, Boni, Veri, aliudve Attributum omnia Attributa, & Essentiam transcendat? ac proinde an ea Attributorum diuisio vulgaris in transcendentia, & non transcendentia recta sit?

QVÆSTIO I.

An in Deo Attributa, seu proprietates metaphysicæ sint.

RES hæc supponebatur, quàm disputabatur ab Scholasticis ferè omnibus; cùm tamen ab eorum pluribus, præcipuè non admodum antiquis, negari omninò consequentiæ causa deberet, vt statim videbimus.

CERTAMEN I.

Vera sententia, deiectis eius aduersariis occultis eligitur.

1 ADeò Arriani (vt viuimus. contr. de Trinit. d. 8. quæst. 3. cert. 1. numer. 1.) ægrè distinctionem

ctionem omnem rationis ratiocinatæ ex parte obiecti in diuinis prædicatis ferebant, vt eam infra mortuos amãdaram cuperent, quo facilius Doctores Catholicos in Filij diuini Consubstantialitate, vexarent: ac proinde neq; illam in diuinis Attributis, & Essentia, ex quo facilius in Essentia, & personalitatibus admitteretur, audire volebant. Præpositiuus verò Catholicus Doctor, non ex prauo illo, & hæretico animo, & fine, inter Essentiam, & personalitates negabat eiusmodi distinctionem; sed quia ex diuina Simplicitate idem omninò ex parte obiecti, abstracto nomine Paternitatis, ac Filiationis, atque eorum concretis, Pater, & Filius significari censebat, teste Altisiodorensi apud Maiorem, & ibidem citatis. Ex eo verò principio, idem de Iustitia, & Iusto, Immensitate, Æternitate, Infinitate, & eorum concretis videtur sensisse; licèt de memoratis solùm (quia Theologiæ dissonantioribus) mentio ab his authoribus fiat. Pro eadem Præpositiui sententia referuntur, vt ibidem vidimus, Gregor. & Gabr. non multa referentium fide. Itaque ex Doctoribus Theologis, nemo palam distinctionem Attributorum ab Essentia formalem, ex parte obiecti negauit in terminis, præter innominatos aliquot Nominales apud Nostrum Becan. 1. p. sum. tract. 1. quæst. 2. num. 1. quare neque dari Attributa Dei Essentiam consequentia, quæ in Deo, nisi ea distinctione interueniente, esse minime possunt, videntur admittere.

2 Occulte tamen. & clanculùm, atque inconsequenter, ex his, qui Deo Essentiam, & Attributa metaphysica concedunt, eadem ipsi quam plures Scolastici, alia, & alia via negant. Cùm enim sine distinctione formali, & obiectiua essentiæ metaphysicæ, à metaphysicis eius proprietatibus, seu prædicatis metaphysicè, ac necessariò eam consequentibus, neque hæc, proprietates ipsam consequentes magis esse possint, quam ipsa sui ipsius metaphysica proprietas, seu attributum esse queat, fit plane eos omnes Doctores, qui eiusmodi inter Essentiam, & Attributa obiectiuam formalem distinctionem in Deo negant, in eo etiam Attributa diuina negare (vt citato loco notaui, & quæst. 4. in simili ostendi) necessariò certissimum est. Neque enim distinctio necessaria, vt Essentia præcedat, & Attributa sequantur in diuinis illis est, sed solùm in nostris de eodem omninò subiecto cognitionibus, in horum sententia, vt patet, & fatentur. Sunt autem Theologi qui eam distinctionem inter Essentiam, & Attributa Dei negant, ac consequenter Deo Attributa absolutè negare debent, in duplici Schola, duplici principio, & fundamento innixi. Primi sunt, quotquot Scholam Nominalium secuti hactenus sunt, & formalitates ex parte obiecti in re physice eadem, nostris cognitionibus præscindi posse negarunt: hi verò referuntur, Okam in 1. d. 2. q. 2. Gab. q. 1. a. 2. Greg. d. 8. q. 2. art. 1. Maior. q. 1. Aliacens. q. 6. art. 2. Mairon. q. 2. art. 1. Aureolus q. 3. a. 2. Andr. de Castronouo. d. 32. q. 2.

3 Cæterùm citatos Doctores in re præsenti, non certa fide referri, vel inde mihi perspicuum est: quòd Essentiam, cum à personalitatibus, tùm ab Attributis diuinis ex natura rei formaliter, iuxta Scoticam suam Scholam diuidant, vt videbimus quæst. 4. per totam, quod plus est, quàm per rationem solam ex parte obiecti dissecare; imò non possunt non simul ea ex parte obiecti diuisim, ac præcisa fateri. Licèt ergo ea Nominalium prædictorum doctrina rei eiusdem nullum esse prædicatum, quod ex parte obiecti, adhuc per rationem nostram ab alio, rei eiusdem diuisum, imò neque præscindibile esse ferat: quare totam esse vocum solùm (vt antiquiùs ex ipsis referebatur) vel nostrorum potiùs, circa rem eandem conceptuum: (vt Petrus Hurtado, & sequaces nuperi eos interpretantur.) diuersitatem de re eadem, de prædicatis formaliter realiter, & formaliter etiam ex natura rei, eisdem, antiqui Nominales intelligendi sunt: cúmque diuina prædicata, tum personalia, tum attributalia, licèt rei eiusdem realiter formaliter, ex natura rei formaliter ab essentia diuidant, vt contradictoria vitent, quæ sonare in prædicatis diuinis videbantur pro sententia præsenti indistinctionis obiectiuæ eorum ab Essentia, immeritò reprehendentur.

4 Solùm ergo pro ea referri nouiores sæculi nostri Nominales iure possunt, quia eam etiam distinctionem formalem ex natura rei inter Essentiam, & personalia, atq; attributalia prædicata abnuentes, prædicata rei eiusdem realiter formaliter identificata præscindi, ex parte obiecti negant. Hi verò sunt Petrus Hurtado d. 6. Met. sect. 4. qui, & sententiam, & argumentum Nominalium eo robore suscitauit, vt Arriagam, Ouiedo, ac ferè omnes Recentiores ad se traxerit. Arriagam d. 5. log. sect. 2. & tit. 1. 1. p. d. 9. sect. 1. qui tamen in his, quæ virtualiter in diuinis distinguuntur, vt Relationes, & Essentia, præcisiones admittit. Ouiedo, contr. 4. Met. p. 8. atque in creatis expresè, Franciscus Alfonsus, tract. 1. Log. d. 4. sect. 2. argumento contradictoriarum; quod idem, & in diuinis probat. Pro eadem sententia merito numerantur Magister in. 1. d. 8. Commentator Boetij in. 1. de Trinit. asserentes diuina cuncta solo nomine distingui, &, qui apud Niphum. 12. Met. d. 13. cap. 3. aiunt diuina nomina omnia synonima esse, ac proinde tam ipsa, quàm conceptus, quibus substituunt, idem omninò obiectum, ac significatum habere: quin aliud ab alio distinctum, aut præcisum formaliter significent. Hanc verò Nominalium veterum, & Recentiorum sententiam pessimè semper odi: atque ex philosophicis principiis, pro virili impugnaui in logicis, & metaphysicis controuersiis: vbi argumenti vnici de contradictoriis pro sua sententia fallacian derexi, robúrque eneruaui: quare eius solutionem hìc ex instituto non repetam: licèt Theologicis argumentis, huius loci propriis, iterum contra eos in præsentiarum præcisiones obiectiuas euincam: quia aliter existentia Attributorum, & proprietatum metaphysicarum Essentiæ metaphysicæ Dei, de qua nunc disputamus, stare non potest.

5 Aliunde verò Doctores plures, qui præcisiones obiectiuas in prædicatis rei physicæ eiusdem intrinsecis, & identificatis realiter, ac proindè in diuinis etiam, admittunt, Attributa metaphysica Essentiæ metaphysicæ Dei, quæ verbis admittere videntur prorsus à Deo relegant, & explodunt: docentes Essentiam metaphysicam Dei, in eius metaphysicis Attributis, atque hæc in illa mutuò, ac vicissim formaliter, & essentialiter includi: hi verò sunt Soarist æ omnes ex suo Antesignano Soario. 1. p. lib. 1. de Essencia Dei à cap. 11. vsque ad 13. quare miror eum pro opposita sententia non inclusionis mutuæ ab aliquibus referri. Ita verò hanc sententiam tandem defendit, vt in Nominalium sententiam videatur reincidere, suâ præscindentium ex parte obiecti sententiâ relictâ. cap. 13. num. 8. vt legenti patebit, atque inferiùs ostendemus, ostendimúsque citato loco de Trinit. ac proinde cum eis tandem erit impugnandus. Probat multa Patrum testimonia recitans, quæ dedimus. d. 2. quæst. 1. & quæst. 3. quæ sunt, vt vidimus, de sola physica, & reali identitate Essentiæ, & Attributorum. Pluribus item S. Th. allegationibus; cùm tamen non alio, quàm præfatorum Patrum sensu loquatur, vt ex ipsis locis patet, atque ex opposita sententia, quam expresè tuetur, locis statim citandis.

6 Nostra ergo verior, communiórque sententia docet, vera diuina Attributa esse in Deo, quæ metaphysicam Dei Essentiam inuiduè vbique consequantur, ac proinde eius proprietates metaphysicæ sint omninò ex parte obiectæ formalitatis præcisæ ab Essentia, atque eam consequentes; quin, vel illæ in hac, vel hæc in illis formaliter, aut essentialiter metaphysicè claudantur. Ita S. Th. 1. p. quæst. 13. art. 4. quæst. 14. art. 14. quæst. 24. art. 2. quæst. 29. art. 1. & 2. Vbi eius Interpretes. Caiet. Molina. Canar. Vasquez Arrub. consensere. Capeol. in. 1. d. 8. & Thomistæ vetustiores omnes. Durand. d. 2. quæst. 3. Granad. 1. p. contr. 1. tract. 2. d. 6. contr. 5. tract. 3. d. 3. & 4. Fasch. quæst. 4. art. 2. dub. 14. Tanner. d. 2. quæst. 2. dub. 3. d. 4. quæst. 3. dub. 2. Ruiz. d. 8. de Scientia & d. 12. de Trinit. apud quos plures alij ex recentioribus qui omnes Attributa ab Essentia per rationem nostram distinctione rationis ratiocinatæ distingui, ipsámque individuè sequi metaphysicè docent: quod satis erat, vt Soarius & alij eos, præsertim. S. Thom. de distinctione formali ex parte nostrorum actuum omninò se tenentem non interpretarentur: cùm hi omnes distinctionem rationis ratiocinatæ, prædicatum rei ex parte obiecti semper intelligant, per nostri intellectus præcisionem obiectiuam. Totum ergo præsentis quæstionis, & sententiæ nostræ negotium & cõtra vtrámque Scholam, & viam nobis aduersam,

præcisiones obiectiuas diuinorum prædicatorum essentialium, & attributalium sine vlla confusione, aut inclusione mutua, ex parte obiecti formalis, siue conceptus obiectiui vniuscuiusque eorum monstrare, vt Attributa Deo adesse monstremus.

CERTAMEN II.

Præcisiones obiectiuæ inter Essentiam, & Attributa, ex earum in mysterio Trinitatis necessitate, monstrantur.

1 PRobatur primò: Dantur in Deo præcisiones obiectiuæ formalitatum, seu conceptuum obiectiuorum inconfusorum, nec se mutuò includentium, Essentiæ metaphysicæ Dei, & prædicatorum personalium: ergo & attributalium. Consequentiam contra veteres, ac recentes Nominales est legitima: cum æquè in vtrisque eorum argumentum, & fundamentum contradictoriarum de re verè & realiter, atque ex natura rei eadem, vel ruat, vel consistat: ac proinde (si ex nouis Nominalibus, Arriagam excipias) reliqui consequentiam admittunt. Antecedens generatim probari satis poterat. Primò ex dictis omnibus controuersiis Logicis, & Metaphysicis pro dandis vniuersim obiectiuis præcisionibus rerum omnium prædicatis physicè, & realiter identificatis. Secundò specialiter ex dictis, contr. 8. de Trinit. quæst. 4. sed nunc specialiùs probatur argumentis, quæ ibi cert. 2. num. 2. & quæst. 3. cert. 2. num. 1. & 2. nunc autem, quia longiùs ea persequi Recentium Murcianorum exemplo, vtiliùs fore didici, fusiùs persequar; quia, si non datur præcisio obiectiua facta per cognitionem in Trinitate: ergo nec facta per vocum significationem, quæ idem omninò quod cognitiones, quibus substituunt significant, & in vocibus æquè, atq; in conceptibus currit contradictoriarũ argumentum. Imò Nominales ex hoc tales dicti sunt. Pergo. ergo hæ duæ propositiones. *Pater distinguitur à Filio, Essentia distinguitur à Filio.* Idem omninò significant, & prædicant de eodem: nempè de indiuisibili, ex parte obiecti etiam entitate Patris; quæ tota, siue voce, siue conceptu Essentiæ, vel Patris significatur: ergo vtráque propositio vera est, vel vtráque falsa.

2 Pater: quia quoties duæ propositiones formales, siue mentales, siue vocales, idem prorsus ex parte obiecti significant, vel eandem habent propositionem obiectiuam, siue eam hoc, vel illo iudicio, aut voce representent, ac significent, nequeunt non eidem, vel omnes conformari, vel disconformari: eatenus enim veræ, & conformes, vel secùs, propositiones sunt, quatenus obiectum representatum, vel significatum per illas, ita est, aut non est, sicut esse asseritur: idem autem obiectum omninò nequit esse conforme, aut non conforme sibi, vt in se est: quare vocum, vel conceptuum nostrorum veritas, obiectiuam propositionem non immutans, sed eandè relinquens, veritatem, aut falsitatem propositionis immutare non potest: vt patet in his. *Hic gladius est lucidus:* vel, *hic ensis est lucidus.* Ergo cũ idẽ, ex parte obiecti etiam subiectum significet in non præscindentium obiectiuè sententia, propositio vtráque, vel falsa erit, vel vtráque vera, vt inferebamus: atqui ex Fide prima est vera, & certa propositio; secunda est falsa, & hæretica: ergo aliquid ex parte obiecti concipitur, cum concipimus Patrem, quod non concipimus cum Essentiam concipimus: ac proinde concipimus Essentiam præcisè, non concepta Paternitate, seu Patris personalitate, atque ita eis vocibus significamus: idque fateri debemus ne in Fidem peccemus, atque in hæresim impingamus. Similia plura absurda deduci possunt: *Filius producitur, Essentia producitur: Essentia communicatur, Paternitas communicatur. Deus est Trinitas, Pater est Trinitas, vel Filius, aut Spiritus est Trinitas.* Sexcentáque alia propositionum binaria, quorum quodvis alterum de Fide veram, alterum de Fide falsam, & hæreticam contineat: cum tamen in non præscindentium obiectiuè sententia, vtráque simul vera, vel falsa, eodem argumento conuincatur.

3 Inde verò videant non præscindentes obiectiuè in hoc mysterio, sed idem omninò ex parte obiecti, quovis rei eiusdem conceptu representari, idémque quavis voce ei respondentem significari asserentes, quot alia, quantáque inferantur absurda. Primò enim qui audit hæreticum affirmantem. *Essentia distinguitur à Filio.* Æquè poterit assentiri, atque Catholico asserenti, *Pater distinguitur à Filio*, vel, si huic dissentiri potest salua Fide, & poterit dissentiri primæ salua Fide, integrúmque vnicuique erit affirmare primam, sicut secundam, vel negare secundam, sicut primam; imò ad ea cogetur: quare nemo poterit veritates mysteriorũ Trinitatis, & Incarnationis fateri, quin hæreses etiam in illis fateri cogatur: cum idem prædicatum de eodem etiam obiectiuo subiecto prædicetur in vtráque. Item, cum eidem obiectiuæ propositioni nequeat quis assentiri, & dissentiri simul, nulla esse poterit obligatio ex Fide dissentiendi primæ, & assentiendi secundæ: cùm nemo ad impossibile teneatur, cuiusmodi est assentiri simul duobus obiectis contradictoriis; Tertiò cum nequeat ex Fide assentiri obiecto primæ, nec poterit assentiri obiecto secundæ, quod idem obiectiuè in non præscindentium sententia est. Ratio autem harum omnium illationum est: quia de vno, eodémque conceptu obiectiuo ex parte subiecti concepto, & apprehenso duo prædicata contradictoria distinctè concepta simul enuntiare non possumus: quia nec possumus assentiri, & dissentiri simul eidem obiectiuæ propositioni: neque idem prædicatum de omninò eodem subiecto, affirmare simul, & negare, ni amentia vexet,

4 Dices Primò: hæc eadem argumenta æquè militare contra communem satis, mutuam inclusionem Essentiæ, & reliquorum prædicatorum, quam retulimus, cert. 1. fateor, ac proinde eam reiicio, sicut hanc: neutram enim defectu communitatis, sed solutionis adeò grauibus argumentis reiicio; Dices Secundò: Mysteria Fidei à præcisionibus obiectiuis non pendere, realia enim, ac reuera sunt. Neque id nego; sed solùm neque à nobis intelligi, credive, vt ab Ecclesia proponũtur sine eis præcisionibus posse: quod factis argumentis ostendo; Dices Tertio: etiam præscindentibus Catholicis, communes esse attactas difficultates: quare mysterij, non harum opinionum, difficultates esse: cùm certum sit, atque ineuitabile, Patrem non distingui realiter ab Essentia; & tamen distingui realiter à Filio, in sensu materiali, & identico tangi Essentiem ex parte obiecti, ac de illa eandem propositionem verificari; & è contra, cùm dicitur, Essentia non distinguitur à Filio realiter, Paternitatem in sensu identico tangi: ac proinde in eodem sensu negari non posse, Paternitatem non distingui à Filiatione, siue esse Filiationem; si in hoc mysterio, liceat, sicut increatis, philosophari: nam in sensu materiali, & identico verum est animal, quod materialiter tangitur, & cognoscitur, dum concipitur rationale, esse principium discurrendi. Verum supponitur falsum: quod scilicet, cum Paternitas dicitur, etiam materialiter tangatur Essentia, & è contra: & idem est de rationali cum animali, cùm rationale concipitur. Id enim est supponere non dari præcisiones obiectiuas, ex qua suppositione infertur, quod in sensu materiali, & identico inferri aiunt, & est omninò absurdum, & contra Fidem, adhuc in eo sensu; secùs autem in præscindentibus obiectiuè, qui, ne materialiter quidem, tangi nomine, & conceptu Paternitatis Essentiam, aut Essentiæ nomine Paternitatem defendunt.

5 Sed instabis, Syncathegoremate realiter adiuncto eis propositionibus, non posse non statum realitatis Paternitatis attingi; ac proinde identitatis cum Essentia, quam in illo habet: cùm non, nisi eo statu posset distingui realiter à Filio, seu Filiatione: & tunc eadem inferuntur absurda; quare ex præcisione, vel non præcisione obiectiua non prouenire. Sed tamen, cum Paternitas præcisè cognoscitur ex parte subiecti, non cognoscitur status realitatis cum Essentia: Nam *realiter*, illud cadit supra distinctionem à Filio; ac proinde neque Essentiæ identitas cum Paternitate, neque ipsa Essentia cogitatur ex parte subiecti: sicuti neque, cum negatur Essentiæ distinctio, seu affirmatur identitas cum Filiatione: quare neque materialiter tangitur tunc Paternitas, cùm Essentia ex parte subiecti concipitur, vt idem cum Filio, siue ab eo indistinctio affirmatur, sed ex parte prædicati cum Filio identitas realis.

lis. Quod autem distinctio realis Paternitatis à Filiatione sine statu realitatis, ac proinde identitatis cum Essentia, esse non possit ; probabit quidem rationem, cur vera ea propositio sit, & verificetur prædicatum distinctionis realiter de Paternitate, quæ subiectum est, non autem Paternitatem ex parte subiecti representari cum illo statu realitatis, & identitatis.

6 Vrgebis. Ponatur syncathegorema realiter ex parte etiam subecti: Paternitas autem realiter distinguitur realiter à Filiatione, vt de Fide etiam est ; & tamen de Fide etiam est Essentiam realiter sumptam, non distingui realiter à Filiatione vbi necessariò nostra argumenta recurrunt. Negatur tamen recurrere : Nam status realitatis Essentiæ tribus Personis realiter communis triplex est, pro triplici eius identitate reali cum illis, ac proinde respectu Filij nequit dici distincta realiter, seu non eadem realiter cum illo : cùm habeat cùm illo identitatem, & indistinctionem realem, quam determinatè significari ex parte subiecti, facit prædicatum personale Filij, seu Filiationis, ac non status identitatis cum alia Persona, iuxta dicta controuers. vlt. de Trinitate, & controuers. vlt. de Incarnat. d. de communicat. idiomat. Adhuc dices apud Beatos, & Deum, veram esse alteram earum propositionum. *Paternitas distinguitur à Filio*, & alteram. *Essentia non distinguitur à Filio*, esse falsam, vbi præcisionibus locus non est : ergo non pendet veritas vnius, & falsitas alterius à præcisionibus obiectiuis. Respondetur in mea sententia, visione posse vnum prædicatum verum rei, sine alio secum identificato videri, vt sæpiùs ostendi controuers. de Trinit. & Incarnat. id quod nuper factis argumentis non leuiter confirmatur, si admittamus eodem modo, & terminis eas veritates mysterij huius Deo, ac Beatis proponi, vt supponit instantia aduersariorum. In sententia vero negante, præcisionem visioni obiecti, eæ veritates non eo modo, neque eisdem terminis Beatis, ac Deo proponi dicendum est, sed modo superiori, quem in hac vita non capimus, licet nostro modulo cognoscendi se accommodans Deus, ita nobis eas veritates reuelauerit, longè aliter, quàm ipse illas videat, & cognoscat.

7 Instantiis contra nos relictis respondebis, in hac propositione, *Natura, seu Essentia est Filiatio*, (& idem est de similibus) Paternitatem etiam æquè immediatè ex parte subiecti attingi, ratione autem virtualis distinctionis huius à natura fugere rationem subiecti in ea prædicatione. Non dubito, ratione virtualis distinctionis, ita Paternitatem à ratione subiecti eius propositionis separari, quia inter eam, & Naturam, plusquam obiectiuam præcisionem ponit, ex qua, & hæc necessariò inferatur; sed posito, quòd hanc non inferat virtualis distinctio (vt non præscindentes volunt) fieri, imò, ne cogitari quidem potest, quod de integro conceptu obiectiuo apprehenso æquè, & directe ex parte subiecti non prædicetur prædicatum (nedum de omnino eodem, & insectili ex parte obiecti) cuiusmodi sunt Essentia, & Paternitas in non præscindentibus. Primò : quia prædicatum afficit totum, quod directè concipitur ex parte subiecti, & cum quo in recto concordat ; Rursus, si potest prædicatum cadere in parte recti, quod concipitur ex parte subiecti, & non in alteram partem, & si non sit maior ratio vnius, quàm alterius, adhuc ab affirmante ipso sciri nequit, de quanam obiecti parte affirmet prædicatum. Secundò rogo: cum ita respondetur, præscinditur Natura à Paternitate ? vel secùs ? si primùm ; dat manus solutio, & fatetur, quod negat : si Secundum de eodem omninò obiecto indiuiso, atque indiuisibili affirmat esse subiectum, & non esse subiectum prædicati, & iudicij eiusdem. Tertiò : cùm idem sit omnino subiectum, & obiectum huius. *Pater, seu Paternitas, est Filiatio*, atque illius : *Natura est Filiatio*, atque eadem distinctio virtualis Paternitatis à Natura eadem, refugiet Paternitas esse subiectum prædicati illius, cùm ponitur Paternitatis nomen ex parte subiecti æquè, atque cùm ponitur Naturæ nomen: Ac proinde prima æquè vera, atque de Fide erit, ac secunda, & cui liceat assentiri ; quod est hæreticum. Oportet ergo fateri voce, conceptúque Patris aliquid amplius ex parte obiecti significari, & cognosci, quam voce Naturæ, ac proinde hac voce, & conceptu præscindi aliquid Patris, voce autem, & conceptu Paternitatis significari, & concipi aliquid omninò ex parte obiecti diuersum, vt veritates mysterij huius Catholicè concipiamus, & fateamur.

8 Hæc sunt, quæ Petrus Hurtado tentauit, effugia; quibus tutò fugere non iudicauit Ouiedo, ac proinde controuers. 4. metaph. citata, punct. 8. an. 49. alia tentauit. Primum : quia, licet sit idem omnino obiectum, & significatum ex parte subiecti, eademque prorsus obiectiua propositio, tamen de eo per diuersa media cognito loquimur, ac si ex parte obiecti esset subiectum diuersum, sed non capio diuersa hæc media, cum vnicum vtriusque propositionis medium diuina reuelatio sit. Secundò : nec per diuersa media eidem omnino propositioni obiectiuæ assentiri, & dissentiri possumus simul, vt suprà dicebamus, magis quàm ad duplicis contradictorij simultaneum assensum venire. Tertiò : media diuersa Doctoribus aduersæ sententiæ solùm inseruient, loco connotatorum diuersorum in ordine, ad quæ tota res, seu obiectum modò cognosci, modò non cognosci diceretur: quod in re præsenti (præterquam quod neque alibi) locum non habet : quia totam entitatem Patris respectiuè etiam ad quodvis medium, communicari Filio, nisi hæreticè dici nequit. Denique, quod diuersus cognoscendi, & significandi modus de eodem omnino obiecto etiam obiectiuè idem præstet nobis, quod diuersitas obiectiua falsissimum esse, facta hactenus argumenta conuincunt : quare ea solutione eis satis fieri non potest.

9 Respondet Secundò. Aliud esse in propositionibus verificationis, Aliud prædicationis subiectum, vt patet in hac : *Aliquis homo currit*. Currente Petro, qui solus verificationis subiectum est. Cùm tamen prædicationis subiectum disiunctiuè, omnia indiuidua hominis sint : ita inquit, subiectum prædicationis in hac : *Natura communicatur*, (& idem est de aliis) totam Patris entitatem esse, verificationis autem solam Naturam : sed in primis cùm propositio est de subiecto singulari, & determinato, vt in hac, *Natura communicatur*, & similibus, implicat esse prædicationis, ac non verificationis, subiectum ; Si ergo tota Patris entitas indiuidua, ac determinata ponitur ex parte subiecti, de tota non solùm prædicari, sed & verificari prædicatum necesse erit : ac proinde, vel propositio est falsa, vel de tota entitate Patris verificabitur, quorum quodvis hæreticum erit. Secundò ; cùm ait Naturam solùm esse verificationis subiectum, vel præscindit eam à Paternitate, vel secùs. Si Primum, nil aliud contendimus ; si Secundum : ergo tota Patris entitas est verificationis subiectum. Ac proinde, & verè de tota dicetur communicari, quod est erroneum : & asseret verificari, ac non verificari simul de tota entitate Patris, seu de Paternitate, quod est formale contradictorium assertionis.

10 Neque valet huius prædicati, *verificatur*, seu *verificationis* prædicatæ subiectum prædicationis esse totam Patris entitatem, rationem verificationis verò solam Naturam. Nam & redeunt impugnationes factæ, quousque in processum infinitum solutio abeat. Secundò: quidquid sit de ratione verificandi, siue subiecto verificationis directæ, vel reflexæ, nequit non erroneum esse asserere de tota Patris entitate verificari, quod communicetur, vt patet : id quod ostendo sic, & rursus solutionem præcipuam simul impugno. Qui extrinsecus assereret totam entitatem Patris communicari, quantumuis assereret de sola Natura verificari, & ratione illius de entitate tota, vt hæreticus exterior dubio procul damnaretur: ergo, qui internè iudicat, totam entitatem Patris communicari, quantumuis iudicet de sola Natura verificari, & ratione illius de tota entitate Patris, hæresis internæ damnandus est. Atqui ex parte subiecti totam entitatem indiuisim, & insectiliter ponunt in hac propositione : *Natura, vel Essentia communicatur*, & iudicant de tota entitate Patris communicari : ergo licet iudicent naturam esse verificationis subiectum, & ratione cuius de tota illa insectili entitate verificatur, hæresim incurrunt internam. Denique vt arguebam contra Petrum Hurtado, numer. 7. eadem solutione poteris (imò teneris defendere hanc propositionem esse veram. *Paternitas communicatur*. Cùm idem ex parte subiecti, atque in illa concipiatur, ac proinde Natura, quæ est subiectum verificationis, & ratio cur de tota entitate verificetur præ-

dicatum, apprehendatur; vel, si hæc falsa sit, falsa etiam erit prima, Vtrumvis autem non nisi hæreticè asseretur.

11 Tandem respondet Ouiedo. Prædicata de subiectis formaliter sumptis verificari solùm debere, non solùm, vt cognitis ex parte obiecti, sed etiam formaliter ex parte actus; hac autem formalitate actus non esse idem Paternitatem, seu Patrem, ac Naturam. Sed contra Primò, quia prædicata realia, & vera (cuiusmodi sunt memorata) non conueniunt subiectis formaliter, vt cognitis, sed secundum se obiectiuè sumptis: alioqui cessante cognitione illis non competerent: quod falsum, & proprium entium rationis est: imò verò, ideo verè affirmantur, vel falsò, quia rebus in se, atque independenter à nostris cognitionibus competunt, vel non competunt; licèt in re non eis comperant, vt in statu cognitionum, & præcisionum obiectiuè sunt: ergo, si ex parte obiecti idem subiectum, & obiectum formale vtriusque propositionis est, nil refert ad verificationem, vel falsificationem nostrorum conceptuum formalium, vocúmve diuersitas, Denique, si idem omnino subiectum, & obiectum vtrisque conceptibus, & vocibus cognoscitur, & significatur, æquè formaliter per quemuis eorum conceptuum, & quamuis earum vocum concipitur, & significatur, vel Paternitas, vel Pater vel Natura, nullumque eorũ formaliùs, per vnam, quàm per aliam. Ex quibus omnibus constat sine obiectiuis præcisionibus Veritates Catholicas mysterij Trinitatis intelligi, explicari, asserique non posse. Indeque etiam inter Essentiam, & Attributa deberi consequentiæ causa, præcisiones obiectiuas concedi.

CERTAMEN III.

Specialiora argumenta præcisiones obiectiuas inter Essentiam, & Attributa confirmant.

1 SEd, licèt iuxta nostri Arriagæ memoratam sententiam, ex præcisionibus obiectiuis personalium Trinitatis à communibus legitimè hæc (vt inferuntur quidem) non inferrentur, sed ex virtuali eorum distinctione: in ipsis communibus facilè probantur. Primò autem Sanctus Thomas in hac fuisse sententia nemini dubium est. Tum, quia Attributa Dei Essentiæ concedit, quæ sine hac præcisione stare non possunt: Tum, quia id expressè docet in 1. d.2. qu.1. art.3.corp.& §.*quantum ad primum*, & §.*quantum verò ad quartum*, vbi post multa ad rem hanc consentanea, ait, Essentiæ, & Attributorum nomina Synonima non esse, ac pluralitatem rationum, quæ eis significantur non esse tantùm *ex parte intellectus, sed etiam ex parte ipsius Dei*. Ne autem quis intelligat dici ex parte Dei, in ordine ad diuersa connotata sumpti, præuenit art.2. (dicens) *Quidam dicunt quòd ista Attributa non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse*, &c. Tandem expressit sententiam & doctrinam 1. par.qu.54. art.14. quare nemo ex Thomistis, siue priscis, siue iunioribus, hac de re circa S.Thomæ mentem dubitauit; sed ab hac sententia expressè stare vno ore fatentur.

2 Neque Sanctorum Patrum sententia ea de re est obscurior. Et primò quidem Basil. 1. contra Eunom.vers. med. col.11. de Attributorum & Substantiæ diuinæ nominibus, synonima esse, sicut nuper S.Thom. negauit, vt recitabamus d.2. qu.2. certam.3. n.2. fine. Si autem idem, ex parte obiecti etiam, significarent voces, & conceptus, pro quibus substituunt, & idem obiectiuè representarent, synonimæ voces essent, vt patet. Nec refert non esse synonima, quæ licèt idem ex parte obiecti, & significati, diuersimodè tamen conceptum significant: quia synonimia nominum ex significati, ad quod exprimendum posita pro conceptibus internis sunt, identitate obiectiua adæquatè desumitur; alioqui si conceptus identitas etiam requireretur, nulla essent synonima, cum nihil sit, quod diuersimodè concipi à nobis nequeat; imò synonimæ omnes voces, & conceptus diuersi esse debent, vt synonimiam habeant. Sed nec magis præstat, quòd debeat idem concipi, & significari in ordine ad idem connotatum extrinsecum, non ad diuersa. Tum quia, vt nomina ex connotatis diuersis synonima non sint, eis ipsis ea connotata, indirectè saltem, debent significari, nec satis est, aliis additis vocibus idem obiectum, seu significatum ad diuersa comparari, vt patet in his: *hic gladius est meus: hic ensis emptus est ex Ioanne*. In quibus diuersitas comparationum ad diuersa connotata per alias voces explicata, non tollit nominibus *Gladij*, & *Ensis* synonimiam. Tum, quia plura sunt diuina nomina, quæ sunt diuina, & sine vllo respectu ad extrinseca significant, vt nomen *Essentia*, & quod idem est Existentia, Voluntas, Intellectus, Infinitas, Scientia, Amor, Simplicitas, Bonitas: ergo hæc, nec significantur, nec concipiuntur in ordine ad connotata diuersa, ac proinde synonima erunt, contra Basilium, qui id de horum pleriusque nominatim negauit.

3 Secundò Nyssen. lib. ad Ablau. *Quòd non tres Dij*. recitatus num.2. citato, post multa ad rem hanc perspicua, aiebat nullo ex notis Dei nominibus, & prædicatis communibus à se enumeratis, quorum vnumquodque diuinum aliquid peculiare significat, Naturam Dei denotari. Et lib. poster. de Trinit. ad Eustach. ibidem recitatus, aiebat, nondum post tot diuina nomina orationem naturæ Dei indicem, seu significatiuam esse excogitatam. Cui consonabat ibidem recitatus Damnascen. ex 1. de Fide cap.4. asserens ea nomina non insinuare Dei naturam: Ast, si quodvis Dei nomen totam entitatem Dei, ac non præcisam ex parte obiecti significaret, necessariò significaret Naturam: ergo formalitates, seu prædicata diuina præcisa ex parte obiecti, ex horum Patrum mente significant. Huc facit etiam Cyril.11. Thesau. ibidem recitatus, asserens hæc omnia non significare Naturam. Accedit Nyssenus citato loco de Trinit. ad Eustach. non solùm aiens, non significare Dei naturam, sed significare aliquid, quod circa illam sit: quo etiam pacto, citato loco scripsit Damascenus, innummerique alij Patres citati, n. illo 2. Tantundémque significauit citato loco Cyrill. addens: ea nomina solùm significare aliquid eorum, quæ in substantia Dei insunt. Quibus verbis significata nominum Dei, vt Naturæ & Substantiæ diuinæ accidentia, seu proprietates metaphysicas à nobis concipi, & cogitari fatentur. Imò expressit Cyril. ibidem post libri medium dicens. *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur substantiam significant. Reliquum est igitur vt rationum modoque dicendi accidentia esse dicamus: quoniam modo accidentium ea intelligimus*: quod absque mentali obiectiua eorum ab Essentia præcisione fieri, intelligive non potest.

4 Quartò Nyssenus citato loco ex lib. poster. de Trinit. ad Eustachium aliud, & aliud esse Essentiam Dei, & vnumquodque ex significatis diuinorum nominum concludebat: quia, *quorum ratio, definitioque diuersa est*, vt significatis diuinorum nominum euenire ait, *eorum quoque Natura, seu Essentia, debet esse diuersa*; quomodo autem aliud, & aliud significata eorum nominum erunt, si idem ipsum, impræscindibile adhuc per mentem, significant? sed Basil.1. contra Eunom. med. circiter, mentalem Attributorum Dei diuisionem, quam fieri præmiserat, sic explicat; *Incorruptibilem, ac ingenitum Deum dicimus diuerso mentis obiectu*. Obiectus autem mentis, non eius representationem, sed representatum, quod menti obiicitur benè, imò mediocriter etiam latinis, significat. Quemadmodum, & prospectus, non oculorum prospicientiam, seu visionem significat, sed quod oculis proponitur prospiciendum, sic quod Hispanè dicimus. *O que vistas tenemos desde aqui!* Latinè vertendum est. *O quos hinc prospectus!* (non autem oculos, seu prospicientias,) *habemus!* Sanè adeò præcisionem obiectiuam ex parte obiecti, & significati per conceptus, & nomina diuinorum Attributorum certam, omnibúsque tam Patribus, quàm Philosophis notam æstimauit Basilius, vt oppositum risu, quàm argumentis relegandum iudicauerit, loco citato versus. med. *Quo pacto* (aiebat ille.) *Non irridendus, si Prouidentiam rursus Substantiam, eodem modo Præscientiam, & omnem item operationem Substantiam putet*. Dei autem operatio, & substantia non modus

modus noster cognoscendi est, vt patet, sed quod in Deo est.

5 Sextò item ex Patrum ferè omnium authoritate, sic argumentor. Omnes Patres (vltra recitatos etiam) inter Essentiam, & Attributa distinctionem rationis, quæ verè sit talis, & qua verè attributa per rationem ab Essentia distincta dicantur, sunt interpretandi: atqui distinctio rationis, verè talis, Attributorum ab Essentia sine eorum ab Essentia, & è contra, obiectiua præcisione esse non potest: ergo Patres vno ore præcisiones obiectiuas Essentiæ ab Attributis, & è contra, horum ab illa fatentur. Minor probatur: quia, quod distinguitur verè ab alio, necessariò non est illud, aut formaliter, aut consequenter: sed nequeunt Attributa verè non esse per rationem Essentia, nisi per rationem, & cognitionem Essentiæ non appareant, nec cognoscantur Attributa, neque è contra: quod ipsum est præscindi obiectiuè per rationem, Essentiam ab Attributis, & è contra: ergo nequeunt verè hæc per rationem distingui sine præcisione obiectiua. Dices verè dici, distingui per rationem idem obiectum ex parte etiam obiecti idem, ex eo, quòd distinctis cognitionibus attingatur: prout cognitum enim hac cognitione à seipso, prout alia cognitum, diuersum, ac non idem est. Contra: ergo ex eo, quod Deus, vel nos, vnius obiecti diuersas cognitiones in se, vel in alio, atque in alio per diuersa media habeamus, imò & in se, vel per idem medium ex nobis duas per illud ipsum, illiusmet habeamus, verè illud ipsum obiectum dicetur per rationem distinctum. Nam, prout cognitum per vnam cognitionem, non est cognitum per aliam.

6 Contra Secundò: quia, licèt cognitiones, à quibus idem obiectum tangitur, & tanquam à formis denominatur, diuersæ sint, ast inde, neque ipsum distinctum verè dici, adhuc per rationem potest. Nam distinctio vera, in quovis genere distinctionis, pluralitatem dicit extremorum, inter quæ est, & de quibus dicitur: hìc autem non cognitionum, sed obiectorum, seu Attributorum, & Essentiæ distinctio per rationem dicitur: ergo, vt verè dicatur, & sit, satis non est cognitionum de eodem prorsus obiecto diuersitas, sed obiectorum pluralitas, & diuersitas requiretur. Contra Tertiò: quia, quodvis subiectum, prout affectum vna forma, non est idem atque, vt affectum alia forma, siue intrinseca, siue extrinseca: & tamen diuersitas, & distinctio formarum satis non est, vt verè dicatur à seipso distinctum, vt patet exemplis mille. Quartò, si id satis foret, vt verè aliquid distinctum esset, ac diceretur, nulla esset in propositionibus contradictio. Nam idem subiectum, prout informatum albedine, distingui verè dici potest à seipso, prout sine illa, siue cum negatione albedinis: cum nihil magis diuersum, & oppositum albedini, quàm eius negatio: ac proinde, verè dici posset Petrus est albus, Petrus non est albus simul. Quintò: ad vnitatem veram rationis satis non est plura obiecta concipi, vnico conceptu formali, sed ea ex parte obiecti adunari, siue, vt vnum concipi; alioqui cognitis pluribus, etiam, vt pluribus dissimilibus, fieret vniuersale metaphysicum: ergo, vt sint verè prædicata vnius Dei diuina per rationem plura, & distincta, diuersis cognitionibus, idem ex parte obiecti concipi satis non erit; sed necessariò plura ex parte obiecti debent concipi, & apparere: quod absque obiectiuis præcisionibus fieri nequit: ergo dicendum est plura nos ex parte obiecti concipere cùm Essentiam Dei, & cùm eius Attributa concipimus: quorum neutrum integer Deus conceptus sit (cùm plures Dij veri non sint, sed impossibiles: ea vero prædicata vera, & realia sint) sed prædicata diuina, quæ Deum integrum metaphysicè, & per rationem componant nostram, quod erat probandum.

7 Septimò arguo: Deus lumine naturali, atque ex naturalibus, absque Fidei lumine euidenter demonstratur, & cognoscitur per omnes Theologos, & tamen eisdem contestantibus non cognoscitur (imò neque ex eis solis principiis cognosci potest) Trinus in Personis: ergo Essentia Dei cognoscitur ignoto eius Attributo Trini in Personis: quod est apertè per rationem ex parte obiecti illam præcisam cognosci. Respondet Hurtado, attingi æquè immediatè, & primò Trinum in Personis, quia Deitas, & Trinitas idem reipsa sunt: ast non diiudicari an Trinus sit, quia id media non ostendunt, neque arguunt. Sed contra. Impossibile est idem omnino, etiam ex parte obiecti, obiectum eisdem mediis, & discursu ostendi, & argui euidenter, & clarè, quin eodem discursu, & mediis eadem claritate ostendatur, & arguatur. In hoc enim est euidens, & euidentior contradictio, quam hìc author conatur inferre in præcisionibus vnius formalitatis rei physicè eiusdem ab alia, eidem rei identificata: atqui Deitas, & Trinitas idem omnino obiectum, etiam ex parte obiecti est: ergo impossibile est Deitatem ostendi, & argui euidenter, & clarè ex naturalibus mediis, quin ex eodem discursu, & ex mediis eisdem arguatur, & ostendatur euidenter, & clarè Trinitas. Vel contra, si ita non arguitur Trinitas, obiectum idem ex parte obiecti non est, vt contendimus. Denique omitto quod distinctio hæc non est rationis distinctio verè (vt Patres, & Theologi aiunt,) si distinctio diuinorum est, sed verè realis cognitionum pluralitas, quæ sola est realis, & realiter est. Sed ad præcipuum argumentum respondet Ouiedo, Secundò: Per cognitionem illatam ex mediis naturalibus de existentia Dei, Deum Trinum cognosci, non quidem per conceptum respondentem huic propositioni: *Deus est Trinus*, sed per confusiorem alium huic respondentem: *Deus est vnus*: ex vi cuius ab alio non Trino Chimærico non discernitur Deus, sicut per primum: atque hanc diuersitatem non esse formaliter, & directè in obiecto primario cognito, sed in cognitionibus, & obiectiuè in mediis: quia idem obiectum per diuersa connotata, in vtráque propositione cognoscitur. Inuoluit solutio effugia omnia, nempe tria non præscindentium. Per diuersitatem cognitionum, diuersitatem mediorum, & connotatorum diuersitatem singulatim refello.

8 Et primò, diuersitatem connotatorum, quæ in re præsenti non est, sed mediorum, seu motiuorum solùm ad assensum Dei, vt Trini per reuelationis medium vnicum, ex quo format Christianus conceptum, & iudicium huic propositioni respondens: *Deus est Trinus*: quod connotatum Trinitatis non est: & Dei vnius per media naturalia, ex quorum tantùm cognitione in præmissis deducitur, ac formatur iudicium his vocibus respondens: *Deus est vnus, vel Deus est*: In qua cognitione non cognoscitur Deus relatè ad creaturas, licèt in præmissis ita fuerit cognitus, sed Dei entitas, & Essentia singularis. Insuper Philosophus Ethnicus ex mediis naturalibus cognoscens Deum vnum, seu Deum esse, non ideò ignorat absolutè esse Trinum, quia hoc non cognoscit ex reuelatione, siue quia reuelationem ignorat: id enim solùm potest efficere, vt ex reuelatione ignoret: ergo, si aliunde per possibile, vel impossibile, sciret, absolutè sciret Deum esse Trinum sine reuelatione (vt præscindentes aiunt cognosci cum ex naturalibus cognoscitur Deus vnus) nihilque denuò scit, cum reuelatio de Deo Trino accedit. Ac proinde ex naturalibus cognoscitur Deus Trinus absolutè contra Patres, & Theologos omnes: vel datur inter hæc præcisio obiectiua, vt contendimus. Et sanè mediorum, ad quam confugiunt, diuersitas, quibus iudicium internum, & cognitio habetur, quæ vocali huic propositioni respondet. *Deus est vnus*, ab eis, quibus hæc habetur: *Deus est Trinus*. Extra chorum ad rem præsentem adducitur. Loquendo enim de conceptibus formalibus, ac non obiectiuis diuersis, vt hi necessariò loquuntur, non contendimus eos diuersos non esse, per quæcumque media habeantur; sed solùm eorum primo, vel non attingi Deum Trinum ex mediis, quibus euidenter attingitur Deus vnus, qui idem realiter Trinus est, ac proinde in diuinis dari præcisiones obiectiuas; vel attingi, & cognosci Trinum etiam ex mediis solùm naturalibus, & omni prorsus reuelatione secluſa: quod est, vt diximus, absurdum, & contra omnium Patrum, & Theologorum sensum, atque contra Philosophorum sapientissimorum constanti, de Deo Trino ignorantia (eorum etiam, qui ex naturalibus Deum vnum censentur demonstrasse) manifestam experientiam.

9 Atque inde etiam primum illud de diuersitate cognitionum effugium obduratò obturatur. Etenim quidquid sit claritas illa, & modus expressior cognoscendi, & proponendi, vt vnum eundem Deum Trinum reipsa, & idemticè Vnum per conceptum, & iudicium internum his vocibus respondens: *Deus est vnus*, quibus vnus externè

explica

explicatur, Trinus autem non item, sed confusiùs, quàm per aliud: *Deus est Trinus*, reale aliquid in primo iudicio est: vel ergo realiter modo, & expressione attingitur, & iudicatur Deus Trinus, vel secùs. Si iudicatur. Philosophus absque reuelatione, eadem claritate, & modo expressionis ex eisdémque mediis naturalibus, quibus euidenter cognoscit demonstratiuè, & iudicat in conclusione Deum vnum, cognoscit & iudicat Trinum contra Patres, & Theologos omnes. Si non ita iudicat: ergo præscindit in eadem entitate Dei Trini, prædicatum Dei, à prædicato Trini; ex parte obiecti: id enim est præscindere ex parte obiecti, cognoscere aliquo modo rei prædicatum, non cognito alio, in quo eadem contradictio, quam in nos, non præscindentes obiiciunt, (si vera contradictio esset) aperte in ipsos regereretur; quod argumentum nullatenus emollitur ex eo, quod per primum iudicium, licèt totus Deus cognoscatur, & discernatur ab omni non Deo, possitque reddi à sic iudicante ratio Dei Vnius; non tamen discernitur ab omni non Trino, nec possit ratio reddi ab illo Trinitatis, sicut per secundum. Si enim adeò clarè Deus, etiam totus secundum prædicatum Trini cognosceretur, & iudicaretur per primum iudicium, sicut cognoscitur, & iudicatur Vnus, dubio procul discerneretur ab omni non Trino, possétque ratio reddi à sic iudicante Dei Trini, seu Trinitatis, sicut per illud iudicium ab omni non Deo discernitur, potestque Deitatis ratio reddi eo præcisè, quod Deus Vnus clarè cognoscitur per illud in horum sententia: quamquam ad iudicium discretiuum opus est iudicio comparatiuo, ad quod vtriúsque extremi cognitio, & iudicium est opus; non est autem opus, vt cognoscatur Deus, Vnus Deus, per media naturalia, Vel Trinus ex reuelatione de aliis entibus, quæ non sint Deus, vel aliis, quæ non sint Trina cogitare; ne dum iudicare, vt patet. Imò verò facta comparatione Dei, vt Vnius, cogniti per primum iudicium ad entia, quæ non sunt Deus, & omne non Trinum, quoquo modo cognitum, non cognoscere dissimilitudinem, quæ reipsa in Deo cognito ab omni non Trino, in aduersariorum sententia etiam est, præscindere proculdubio est.

10 Proximo absurdo affinia plura ex ablatione obiectiuarum præcisionum inferri possunt: ex quibus nonnulla tandem summatim percurram. Primò enim errores omnes, qui circa Dei Substantiam in Ecclesia extitere, fuissent impossibiles. Nam Arrius, v.g. Consubstantialitatem Verbi negans verbis, cùm Dei existentiam, Sapientiam, & plura alia vera prædicata Dei recognosceret, Consubstantialitati eius, quam verbis negabat, interiùs assentiebatur: cùm vnum ab alio præscindere non posset in eadem entitate. Imò verò, cùm illa externè etiam fateretur, illam externè etiam fatebatur, cùm per voces præcisiuo æquè, atque per conceptus repugnet: quare non hæresis damnandus esset, sed stoliditatis, quòd contradictoria fateretur. Secundum æquè clarè reuelasset Deus Hebræis verbis illis. *Ego sum, qui sum*, Trinitatem, ac suam Essentiam, & Deitatem; quod est contra Patres, & Theologos: vt videre est apud Bellarmin. lib.1. de Christo, Valent. controuers. de Trinit. lib.5. Vasq.1.par. dist.108.Ruiz d.63.Tertium.Hæc apud Theologos omnes Sancta, dici non possent. *Deus voluntate vult, non intellectu.* Item *Deus in quantum Vnus causat, non in quantum Trinus: vt Omnipotens, non vt Æternus*, ac ferè omnia, quæ per reduplicatiuas de Deo dicuntur, dici non possent: cum adhibita reduplicatione alteri prædicato diuino falsitatis argui possent. Etenim idem obiectum est, de quo affirmatur, & negatur prædicatum idem iuxta non præscindentes. Neque Intellectio, & Volitio diuina, actus intelligendi, aut amandi è suo conceptu dicentur: quia Voluntas, Intellectus, Essentia, Personalitates Dei, quæ idem ex parte obiecti, etiam obiectiuè, apud non præscindentes sunt, tales è suo conceptu non sunt. Quod ex vna, vel alia formalitate de Deo dicitur, aut inquiritur an Deo conueniat, ridiculè, & negatoriè inquiretur. Item & hæc quæ seriò à Theologis examinantur, in quo Essentia Dei consistat? An detur in Deo Intellectus, & Voluntas per modum actus primi? An Omnipotentia consistat in actuali Dei Intellectione, & volitione? An Attributa sint proprietates metaphysicæ Dei? Imò an sint Attributa diuina in Deo, & similia innumera. Si enim idem ex parte obiecti, etiam obiectiuè, cuncta diuina sunt; pleráque horum, & similium idem sunt, ac quærere an Petrus sit Petrus? Plura etiam de subiecto non supponente sunt, vel in terminis implicant, vel in ipsa quæstionis propositione habent conceptam solutionem.

CERTAMEN IV.

Mutua Essentiæ, & Attributorum inclusione formali explosa, esse verè Attributa metaphysica in Deo concluditur, aliisque leuioribus quæstiunculis fit satis.

1 EX dictis contra non præscindentes certam.3. Satis mutua formalis inclusio Essentiæ, & Attributorum reiiciebatur. Si enim diuinum quodvis prædicatum cætera formaliter includit. Vnum quidem, atque idem, non plura, & diuersa, ex parte obiecti concipimus, cùm de vno, vel omnibus Dei prædicatis, & formalitatibus, siue tanquam de subiectis, siue tanquam de prædicatis cogitamus. Quare argumenta omnia contra non præscindentes ex parte obiecti facta, æquè validè contra hanc mutuam inclusionem decertant: quare eis repetendis, & contra eam applicandis abstinebo. Similiter abstinebo aliis argumentis, quæ contra similem mutuam inclusionem Essentiæ, & Personalitatum dedi citata controuers. 8. de Trinit. quæst.4. præsertim duarum repugnantiarum, quas certam.1. num.3.& 4. in simili eorum sententia deprehendi. Alteram, in ipsis terminis, & vocibus, quibus ea sententia proponitur. Alteram, quam nuper expendi, inconsequentiæ manifestæ Doctorum, quibuscum hoc certamine pugno. Cùm enim hi ex præscindentibus obiectiuè Essentiam ab Attributis, & è contra sint, hanc opinionem negare implicatione, & contradictione manifesta coguntur; cùm vnicum solum obiectum, etiam non solùm realiter, & physicè idem, sed idem & vnicum obiectiuè etiam, & intentionaliter in his omnibus ex mutua eorum in aliis inclusione fateri teneantur, vt modo dicebam: id quod, nec sententiæ huius Antesignanum Soarium nostrum latuit, vt notabam certam.1. num.5. siquidem 1. de Essentia, & Attributis cap.13. citato ad Nominalium sententiam planè se recepit num.8. respondens: nihil in re concepta, etiam ex parte obiecti, includi in vno, quod non includatur in alio: solúmque ex nostro modo diuersò concipiendi dici per rationem distingui; quæ est aperta non præscindentium sententia.

2 Ex Patribus ea omnia, quæ dedimus certam.3. n.2. mutuam hanc Essentiæ, & Attributorum inclusionem excludunt; Primum, dum synonima diuina nomina negant; forent autem synonima ex mutua hac inclusione, cum nullum non significaret, quod aliud. Secundò: quòd diuina nomina attributalia non significent Essentiam siue subsistantiam Dei. Tertiò quòd significent ea, quæ sunt circa naturam, siue in natura, atque, vt eius accidentia; Quartò, quòd aliud, & aliud significent Dei nomina, & significatorum per illa diuersæ definitiones sint; Quintò Basilij irrisionem subeunt: nam Sapientiam, & cætera attributalia nomina significare Substantiam æquè, atque nomen Substantia, defendunt; Sextò, distinctio rationis Essentiæ, & Attributorum, quæ verè rationis distinctio sit, à Patribus asserta, & Theologis, hac mutua inclusione aboletur, vt constat ex discursu facto n.5. Septimò Athanas. Basil. Chryf. & alij apud Ruiz citatum, vt aliquod etiam ex communibus prædicatis de Deo affirment, vel negent, reduplicatiuis vturtur suprà vnum, vel aliud prædicatum diuinum cadentibus: quæ sine murua prædicatorum diuinorum exclusione obiectiua, fieri concipique non possunt; Octauò. Patres plures aiunt, apud eundem Ruiz, & citatos pro nostra sententia Doctores, plura esse diuina in Deo, etiam communia; & tamen ea omnia esse vnum, vt ex Bernardo, & aliis recitabamus

d.2. qu.1. & 3. quibus in his, quæ in Deo sunt, plura distincta per rationem,& metaphysicè inter se dari, quæ tamen reipsa idem sint, aperte docent: quod cum mutua hac diuinorum prædicatorum communium inclusione constare minimè potest. Nonò denique. Patres,& Theologi de Dei prædicatis communibus, in numero loquuntur plurali: quod, ni ea inter sese distincta conciperent, minimè efficere possent, vt modo dicebam. Quare mutua hæc Attributorum, & Essentiæ inclusio omnino Patribus aduersa censenda est; nostra verò asserta exclusio eorum inuicem, omninò eisdem Patribus semper, & constanter amica, & familiaris.

3 A ratione verò præter argumenta data cert.2. contra non præscindentes obiectiue pro necessaria obiectiua præcisione adæquata Essentiæ à Personalitatibus, & d.8. de Trinit. quæst.4. (ex qua eadem in prædicatis communibus futura conuincitur, vt certam. illo secundo num.1. obseruabamus, ac proinde & mutuam hanc inclusionem impugnat) alia subiungam, quæ dedi in simili, eadem disp.8. de Trinit. quæstione 3. numero 2. Primò enim clarius, distinctiúsque cognoscitur entitas diuina conceptibus respondentibus pluribus, vel omnibus vocibus prædicatorum diuinorum, quàm conceptu vnico respondente nomini vni diuino. Aft maior claritas stare nequit in repetitione, & multiplicatione eiusdem conceptus obiectiui æquè obscuri de obiecto eodem; ergo stat in eo, quod vnoquoque conceptu explicatius, & per partes metaphysicas obiectiuas Deus proponitur; quod argumentum etiam non præscindentes impugnat: Neutris autem patet recursus ad diuersa extrinseca connotata. Pone enim conceptus plures esse de prædicatis pluribus communibus diuinis, quæ extrinsecum connotatum, nec habent, nec sonant: Secundò: Hæc propositio *Essentia diuina est Essentia diuina*, diuersa, faciliórque est ad assensum, quàm hæc. *Essentia diuina est Sapientia*, vel *Bonitas*: Atqui, nisi diuersum quid Sapientia ab Essentia, ac etiam Bonitas ex parte obiecti forent, vna ab altera, nec differrent, nec assensum haberent faciliorem. Tertiò: Ni quid diuersum essent Essentia, & Attributa omnia, locus comparationi inter ipsa, quoad prioritatem, posterioritatem, & perfectionem, & alia esse non posset, neque quæstioni: ecquis enim, non vesanus, in his Essentiam cum Essentia, aut Sapientiam cum Sapientia comparet, aut de eiusmodi comparationibus inquirat? Quartò: sæpissimè de Essentia, vel vno Attributo agimus aliorum prorsus immemores, vt patet ex d.2. & constabit rursus ex d.4. & 9. vbi de Attributis singulatim agetur. Quintò: Attributa diuina, vnumquodque diuersum habet propriam definitionem, & demonstrationem ab alio quouis, & ab Essentia: quod autem idem ex parte obiectæ formalitatis est, atque in alio mutuò includitur, eadem definitione clauditur, eademque demonstratione, & discursu probatur cum illo. Sexto: vsus reduplicatiuarum in diuinis prædicatis communibus, de Deo agentibus frequens, ineptus hac mutua inclusione redditur. Septimò: nomina tot Dei synonima non sunt, ac proinde eorum significata ex æquo sunt, sicut & nomina diuersa. Octauò: in creatis, pluribus conceptibus etiam obiectiuis (in horum præscindentium, cum quibus agimus sententia) eóque pluribus, quò creatum perfectius est, res constant: ergo potiori iure in Deo infinitè perfectiore, omniumque summè perfecto, & perfectissimo.

4 Contra duplicem conclusionem vtriusque certtaminis proximi argues. Dei prædicata nequeunt distingui distinctione rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re: atqui ea solùm, quæ ita distinguuntur diuersa ex parte obiecti sunt: ergo prædicata diuina non distinguuntur, ac seeernuntur vere vicissim alterum ab altero obiectiuè, per rationem; Maior probatur: quia ea solùm prædicara reipsa eadem distinguuntur cum fundamento in re per rationem, quæ in ordine ad diuersa connotata extrinseca concipiuntur: vt patet in animali, & rationali hominis, & similibus: atqui pleráque, & plura prædicata diuina non habent, nec concipiuntur in ordine ad extrinseca connotata: ergo nec distinguuntur per rationem cum fundamento in re. Si autem de pluribus id verum sit, de reliquis etiam erit. Nam in illis eadem argumenta probant, distingui debere: quare si de illis non probant, nec de his probant. Respondetur negando primam minorem. Ad eius probationem negatur maior; cum Ruiz d.12. de Trinit. sect.4. numer.2. cum Sancio Thoma, Molina, Gillio, & aliis: qui id in diuinis negant. Ego autem vniuersim. Nam neque in creatis, prædicata omnia, quæ ratione ratiocinata, seu cum fundamento in re distincta concipimus, in ordine ad diuersa connotata extrinseca concipimus: vt patet in prædicato entis, & existentiæ, quæ in homine sunt, & in aliis bonitatis, veritatis, & similibus eiusdem: quod etiam in diuinis pluribus euenire supra ostendebamus.

5 Sed instabis: Fundamentum in re, quod distinctio rationis ratiocinatæ requirit, vel debet esse in reipsa, in qua prædicata distinguenda identificantur, vel in connotatis extrinsecis, in ordine ad quæ distincta rei eiusdem prædicata concipiuntur: atqui in Dei entitate simplicissima nequit esse eius distinctionis fundamentum: ergo erit in extrinsecis connotatis diuersis, in ordine ad quæ eiusmodi prædicata concipiuntur. Minor probatur. Nam res vna, & simplex physicè, nedum vnissima, & simplicissima entitas Dei, potius præbet fundamentum, vt vnissima, ac simplicissimè concipiatúr. Negatur tamen minor. Ad cuius probationem, nego rem simplicissimam non præbere fundamentum capacitatis (licèt non præbeat fundamentum exigentiæ absolutæ, vt eius prædicata ratione distinguantur) id quod satis est, vt absolutè eius distinctionis fundamentum præbeat. Etenim eo ipso, quòd perfectior entitas, & identitas rei est, plura adunare debet, quæ in aliis imperfectioribus entibus sunt dispersa: & si sit perfectissima, & vnissima, omnia, quæ in omnibus, vt patet in homine, qui, quia sublunaribus, & corporeis perfectior, omnia imperfectiorum bona, & prædicata in se adunat, capáxque proinde est, & fundamentum præbet, vt plura prædicata in ipso distinguamus, qui præ intellectus nostri, & modi cognoscendi tenuitate, non nisi partitis ex parte obiecti conceptibus illum adæquatè cum aliquali claritate pro hoc statu percipere valemus: quod longè magis à perfectissima Dei entitate exhibetur, cuius infinitus perfectionum cumulus efficit, ne vno abstractiuo, & per species alienas habito conceptu, à nostra imbecillitate simul, semélque capiatur.

6 Obiectioni de Dei Simplicitate aduersariis vtrísque fecimus satis, atque authoritatibus pro mutuò includentibus. Argumento de contradictoriis, pro non præscindentibus occurrimus in dialect. controuers. illudque regessimus contra ipsos cert.3. & 4. quare nihil hic de eo dicendum. Pauca autem de alia quæstiuncula: an Attributa ab Essentia tanquam res à re, an tanquam modi à re per rationem distinguantur? Ex dictis enim d.8. de Trinitat. quæst.3. certam.2. num.5. constat, ne Personalitates quidem tanquam modos à re, sed tanquam res à re distingui, & Patrum eos modos appellantium sensus. Vnde potiori iure Attributa vt res à re ab Essentia distinguentur per rationem, idque probat argumentum quartum num.3. Neque modus obiectiuus esse alterius obiecti potest, qui potest sine illo, vt ibi dicitur menti obiici, & cogitari, quare & obiectiuè esse sine illo: sicut, nec quod sine alio physicè esse potest, illius modus physicus dicendus est. Quòd autem Attributa actus metaphysici Essentiæ sint, & dicantur (ex quo Murciani Recentiores modos Essentiæ esse per rationem nostram defendunt) nullius est ponderis. Nam quicumque effectus, non modalis etiam, actus tuæ potentiæ directè à Philosophis dicitur. Denique omittenda à nobis illa quæstio est, An respectu videntium clarè Deum, diuersum quid ab Essentia, Attributa ex parte obiecti sint? Ac proindè an sint vera Attributa metaphysica respectu illorum? Vtraque enim quæstio eadem cum illa est. An clara visione possint obiectiuè, physicè eiusdem formalitates præscindi? In qua respondimus affirmatiuè, citatis d.8. de Trinit. quæst.3. certam.2. num.3. ac sæpius controuersiis de Incarnat. de Logica, & Metaphysica.

***

QVÆSTIO II.

An ratio Entis à se, siue Essentia Dei metaphysica, Attributa diuina metaphysicè transcendat, ac proinde hæc ab illa solùm inadæquatè distinguantur, ratione huius non mutuæ inclusionis Essentiæ in Attributis.

QVÆSTIONEM ingredior non satis' tritam, pro cuius tamen decisione d.6. de Trinit. qu.1. semina ieci non pauca: Dum, an personalitates rationem entis substantiui metaphysici habeant, ac proinde ratio eiusmodi entis pro Personarum numero in Trinitate multiplicetur? profusa quæstione examinaui.

CERTAMEN I.

Communior sententia, & pro nostra decisione obseruationes.

1 DIxi præsentem quæstionem non satis tritam: quia nec quantum satis est video à Doctoribus disputatam; sed cursim, vel suppositum potiùs prædicatum entis à se in omni prædicato diuino, formaliter imbibi, idque satis verosimilibus rationibus: Cùm non minùs, quàm Dei Essentia, revera à nullo efficienti principio sit, eisève possit. Secundò: quia Attributa diuina, vera, & realia Attributa, & formalitates Dei sunt, neque solùm ratione nostra architectatæ, & physicè repugnantes: ergo Attributa omnia, formalitatésque diuinæ, entia omnino realia formaliter in seipsis metaphysicè sunt. Probatur consequentia: quia, quidquid nec physicè repugnat, neque solùm rationis beneficio existere obiectiuè potest, ens reale etiam metaphysicè est. Iam verò, si ens reale metaphysicum, quodvis Attributum est, increatum subinde, & à se ens erit, cùm non sit ens creatum: quandoquidem nihil creatum, & ab alio identificari cum Deo potest, sicut eius Attributa physicè, & verè Deo identificari citra dubium est. Tertiò: Attributa omnia, & singula sunt perfectiones, habentque de suo conceptu Bonitatem: ergo & de suo habent entitatem, seu entis metaphysici prædicatum. Cuius Bonitas, metaphysica proprietas est. Quartò; habent etiam de suo genere, & formali conceptu infinitatem, quæ sine entis ratione esse non potest. Quintò denique: Attributa diuina non sunt de suo conceptu nihil metaphysicum: ergo aliquid metaphysicum, diuinum quidem, & à se. Hæc pro communi sententia.

2 Pro aperiori verò quæstionis huius, & verosimilioris sententiæ decisione obseruandum hic erit, quod d.6. de Trinit. præfat. quæst.1. obseruabamus: Nempè ens reale metaphysicum duplicitèr vsurpari. Primò latissimè, prout omnia entia, & prædicata realia complectitur, atque ad conuertentiam, cum eorum possibilitate, seu non repugnantia, dicitur, atque enti rationis, seu chimæræ directè, & immediatè opponitur: siue, dum actu est, formalis existentia suimet sit, atque, dum possibiliter solùm est, & consideratur, sit potentia logica solùm existentiæ suæ, etiam metaphysicè loquendo: quemadmodum concipitur à nobis prædicati existentiæ possibilitas: quæ non est formalitatis obiectæ, & conceptæ adhuc, differentia, sed statuum formalitatis eiusdem. Secundo modo: Ens reale metaphysicum vsurpatur strictiùs, non solùm pro non repugnante, seu possibili, sed pro formalitate essendi metaphysicè, siue pro existentia ipsa, siue actuali, & actualiter exercita, siue possibiliter, seu possibili: quo pacto potentiam logicam essendi eam nuper nominabamus. Atque ea acceptione id solum prædicatum ens reale metaphysicum erit, quod sit esse, siue existentia in statu alterutro, siue possibili, in quo ordinem logicum ad existentiam, quæ ipsamet formalitas ipsius est, enti huic strictè metaphysico tantummodo concedebamus ibidem: licèt, latiori modo, & vsurpatione illa entis realis, metaphysica entia ea omnia prædicata, quæ vndecumque existere non repugnant meritò nominentur.

3 Id patet vt ibidem obseruabamus in Scotica, & nostra opinione metaphysica de abstractione entis adæquata, ab omnibus rerum differentiis, & prædicatis realibus, quibus ad vnamquamque earum constituendam, atque ab aliis omnibus distinguendam contrahitur, & quasi reuincitur. Neque enim Scotus, vel nos, cùm ea prædicata differentialia reipsa vera, & realia esse, ac minimè per rationem solam ficta fateamur, ea repugnantia aut chimærica implicatorie fatemur. Sed ea tamen non ita habere in suo formali conceptu esse, vt, cùm actu exercitè esse concipiuntur, existentia sibi formaliter, & metaphysicè intrinseca sint, & existant: Cùm autem concipiuntur esse non exercitè, potentia logica formaliter metaphysicè sint ad sui existentiam, sed ad existentiam Essentiæ diuinæ cum ipsis identificatæ, ex qua, seu qua, iure identitatis illius ipsa existant: Ac proinde cum illa, vt subiectum metaphysicum comparantur. Inde ens latè sumptum, ens adiectiuè, seu adiectiuum metaphysicum. Ens verò strictè sumptum, ens substantiuum, & neutrum metaphysicum (quo pacto idem quod esse, seu entitas metaphysicè est) appellabamus præfat. citata. Vnde etiam constat duabus acceptionibus similibus *nihil*, vsurpari debere: & adiectiuè, & substantiuè, seu latè quidem, & strictè. Cùm enim *nihil* enti contradictorié, & immediatè opponatur: totidem modis, quot ens, cui opponitur, necessariò dicetur.

4 Demum obseruandum est, Ens reale omnium ferè Philosophorum, & præcipuè Aristotelis sententiâ analogicè dici de Substantia, & Accidenti: in qua principale analogatum est ens, quod substantia est, quia hæc solùm absolutè, & per se est: Accidens verò non absolutè & per se, seu in se est, sed solùm in alio, ac proinde non absolutè ens, sed entis ens est, atque ab Aristotele, & Philosophis dicitur entis ens, vt in suo conceptu, & nomine imbibitam habere entis, seu entitatis suæ inferioritatem denotetur: quippe quod in eis à conceptu dependentiæ, ac subinde ordinis ad absolutum, & principale ens, quod est Substantia, abstrahere nequeat, atque ita quidem in entibus accidentalibus physicis res habet, vt fusè in cõtrouersiis Dialecticæ, & Metaphysicæ docuimus, cursimque d.2. q.vlt.cert. dicebamus. Inde vero accidentia, & proprietates metaphysicas, atque essentiæ reipsa identificatas metaphysicè loquendo entis accidentalis admodum, vt summum videtur esse censendas: vt illa ens absolutè, & simpliciter dicenda sit: quia Essentia sola metaphysicæ rei substantia ac per se, & in se ens, & existens metaphysicè est; reliqua vero accidentia, seu proprietates metaphysicæ ipsius, non aliter, quàm entia illius, ac proinde entis entia, & secundum quid entia metaphysicè habentur, & sunt: licèt physicè loquendo Substantia reipsa sint, cui identificantur.

CERTAMEN II.

Prima, ac certa in hac quæstione conclusio statuitur.

1 HIs positis, prima Conclusio sit. Attributa diuina Essentiam metaphysicam Dei, seu rationem entis, vel (quod idem est) Substantiæ à se, in quo illa consistit, nullatenus formaliter metaphysicè in se imbibunt: quare nec Essentia metaphysica Dei, diuina Attributa transcendit, neque hæc ab illa inadæquatè solùm distinguuntur, vt includens ab incluso. Conclusio certa à nobis in titulo certaminis dicitur. Non absolutè quidem, sed ex suppositione eorum, quæ satis probata videntur, quæst.1. Nimirùm, vera & realia Attributa in Deo dari, ac proinde

proinde, quorum obiectiuus conceptus idem omninò formaliter, & metaphysice non sit, cum conceptu Essentiæ metaphysicæ Dei; vt non præscindentes, atque mutuò hæc omnia alia in aliis includentes volebant. Eis enim opinionibus confutatis, atque oppositis illis nostra sententia statuta, certa, & inexcitabili (quantum assequi possum) consequentia præsens conclusio deducitur: vti ex subiiciendis eius probationibus apertè constabit. Tum à Patrum testimoniis, quæ eadem pro hac conclusione, atque pro illa militant sententia. Tum ex discursibus & rationibus, quæ sunt vtrique communes, licèt ad hanc conclusionem probandam aliquali extensione habeant opus.

2 Ergo probatur ex Patribus, quos pro nobis qu.1. recitabamus, & citabamus. Etenim docent Nyssen. ad Ablau. *Quod non tres Dij.* Et lib. poster. de Trinit. ad Eustach. Damasc.1. de Fide cap.4. Cyril.11. Thesaur. citati.qu.1.cert.3.n.3. & recitati d.2. q.2. cert.3. n.2. diuina nomina, quæ omnia attributalia esse censebant, non significare naturam, seu Substantiam, & Essentiam metaphysicam Dei, atqui si Attributa quæ eis nominibus significantur formaliter obiectiuè Essentiam Dei, siue idemmet prædicatum entis à se, quod est metaphysicè eius essentia, in se imbiberent, non possent non ea nomina illud prædicatum entis à se, siue Essentiam Dei significare: ergo Ens à se, siue Essentia metaphysica Dei in attributis formaliter, & ex parte obiecti metaphysicè non imbibitur. Minor est constans. Tum quia nomen, quod significat hominem, nequit non prædicata hominis essentialia, videlicet animal rationale significare; licèt non adeò ex parte obiecti distinctè, atque vocibus illis duabus, atque vniuersim nihil significari potest, quin eius essentia tota significetur, ac proinde ea omnia, quibus essentialiter constat. Sicut enim sine eis omnibus esse in se, physicè, & realiter nequit, ita neque eis omnibus non conceptis, & significatis potest intentionaliter esse, aut significari.

3 Adde ita Patres Attributorum nomina non significare Dei Naturam, & Essentiam docuisse, vt eorum plures dixerint significare ea, quæ Naturæ, & Essentiæ Dei insint, & circa illam, metaphysicè nimirùm, sint. Ita Damascen. Nyssen. citato loco de Trinit. ad Eustath. Patresque plures citati d.2. quæst.2. certam.3. num.2. nuperque citatus Cyrill.11. Thesau. vbi post medium ait: Attributa Diuina accidentia Naturæ, & Essentiæ Dei esse censenda: sicque à nobis necessariò concipi, vt recitabamus quæst.1. certam.3. num.3. ex quibus ea instruitur ratio; Attributa diuina secundum suam totam formalitatem Substantiæ, Naturæ, & Essentiæ diuinæ, siue prædicato entis à se, insunt ac veluti accidentia circumstant, & afficiunt: atqui Essentia, & Natura metaphysica diuina, seu prædicatum entis à se, nequit adhuc concipi sibi inhærens, seque circumstans, atque velut accidens afficiens: ergo prædicatum entis à se, seu Essentiæ diuinæ formaliter in Essentia Attributorum non est. Patet consequentia: quia, si essentialiter vnumquodque Attributum imbiberet in formalitate, & conceptu obiectiuo suo prædicatum entis à se, in quo Dei Essentia metaphysica consistit, nequiret è conceptu, & Essentia sua inesse Essentiæ Attributum vllum, vti eius accidens, quin Essentia, seu illud ens à se, sibi ipsi inesset, atque sui ipsius accidens foret. Nec valet inesse inadæquatè Attributa Essentiæ, vt eius accidentia metaphysica, secundum formalitatem, quam supra prædicatum entis à se dicunt. Nam de ea formalitate redibit quæstio, an imbibat prædicatum illud entis à se, vt mox persequar: Insuper: quod inadæquatè solùm tale est, non dicitur absolutè tale. Cùm tamen à Patribus accidentia Essentiæ, Attributa omnia absolutè dicantur.

4. A ratione probatur Conclusio primò; quia Attributa Essentiæ metaphysicè Dei sunt proprietates metaphysicæ illius possessiuè: ergo omnino distinctæ ab illa sunt in conceptu suo formali metaphysico, nihil enim sui ipsius possessiuè, neque inadæquatè esse potest. Patet: Nam ego meus possessiuè, adhuc inadæquatè esse non possum, sed mihi nihil aliud sum quàm ego. Secundò: si Attributa v. g. voluntas, seu Amor inadæquatè solùm distinguantur ab Essentia metaphysica Dei, quia Essentiam formaliter, & essentialiter metaphysicè imbibunt, & aliquid addunt; inquiro: an sint Attributa, & proprietates Essentiæ præcisè secundum quod addunt, vel etiam secundum Essentiam, qua essentialiter constant? Si Primum: ergo Attributa, qua talia Essentiam in se formaliter non imbibunt. Si secundum: ergo non minùs participat Essentia rationem Attributi, & proprietatis respectu sui-met, quam partialis formalitas, quam addit Attributum, & proprietas Dei supra Essentiam, quam formaliter metaphysicè in sua essentia claudit: quod repugnat, etiam concipi. Nam proprietas id cuius est proprietas in obliquo, & tanquam terminum sui solummodo dicere potest; non in recto, vt necessariò dici deberet, si proprietas adhuc partialiter esset.

5. Tertiò: vel illa formalitas, quam supra imbibitam Essentiam Dei attributum addit, imbibit etiam Essentiam formaliter, vel secùs. Si non imbibit, ergo non est opus vt prædicatum entis, seu substantiæ à se, in quo stat Essentia Dei metaphysica, transcendat omnem diuinam formalitatem: cùm illa formalitas diuina sit sine ea transcendentia. Si ea etiam illud ens à se formaliter, & essentialiter metaphysicè imbibit: inquiram: an illud quod supra ens à se addere metaphysicè debet (ne solus Essentiæ metaphysicæ, seu entis à se conceptus in attributis diuinis asseratur,) ac proinde nec inadæquatè ab essentia differant, sed omnino cum illa ex parte obiecti, & metaphysicè identificentur (contra hactenus probatum & in hac quæstione suppositum) Essentiam metaphysicam Dei rursus imbibat? & rogabo de addito supra Essentiam id ipsum, quod de primo; atque rogationibus, & responsionibus in infinitum abibimus; ni tandem ad aliquam formalitatem diuinam deuenias, de qua, vt contendimus, non imbibere in se metaphysicè prædicatum entis à se, siue Essentiam metaphysicam Dei fateaaris: ac proinde neque hoc omnia diuina prædicata transcendere: sicut in simili de entis in suas differentias transcendentia, & transmeatione in logicis, & metaphysicis controuersiis, eius assertores in similem infinitam progressionem agebamus.

6. Ex hac vera ratione facilè præcipui fundamenti aduersæ sententiæ, non solùm solutio se se dat, sed ex instantia facta, omnimoda etiam euersio. Constat enim ex illa, licèt Attributa diuina ab alio physicè, & verè non sint, tamen non ita esse ens à se sicut est ens, seu substantia à se, in quo Dei essentia metaphysica stat: sed esse entia à se metaphysica accidentialia essentiæ, & enti illi à se primariò tali, in quo illa formaliter consistit. (Quemadmodum accidentia physica, quibuscum attributa respectu Naturæ, & Essentiæ diuinæ, Patres suprà metaphysicè componebant) licèt entia sint, nominéque cum ente, quod in substantia est conueniant, in ratione autem formali non item. Iuxta quem theologizandi modum facilè aliis respondetur argumentis, Nam sicut entia vera à se, vnumquodque in suo genere, attributa omnia sunt, ita, & bonitatem, & perfectionem, & infinitatem, in suo quæque genere, habent, ac non esse nihil apparet. Verùm doctrina obseruationis illius, atque hæc inde petita obiectionum solutio, suam patitur difficultatem. Nam quidquid entis verè in Deo est, Substantia est, & esse æquale: neque enim verè in Deo est, seu perfectius, & principalius, atque aliud minùs principale: quemadmodum in esse substantiæ, & accidentis physicè inuenitur: ibi enim vera est, siue actualis, siue aptitudinalis dependentia in essendo, vt, non nisi in substantia esse accidens possit, vel saltem suâ naturâ petat: ac proinde entis ens, & minùs principale ens meritò dicitur; Hæc autem in diuinis prædicatis omninò absunt: quare, licèt ea in Substantia, & Essentia Dei inhærentia, velut accidentia physica metaphysicè concipiamus; non tamen accidentia vera substantiæ diuinæ, ipsique vt talia, inesse possumus magis iudicare, quàm vel Augelum puerum esse formosum, vel Patrum æternum canum, & caluum senem: quia eos horum ad instar concipimus: quare altiorem, verosimilioremque doctrinam requirunt earum obiectionum solutiones.

***

CERTAMEN III.

Attributa diuina rationem entis à se substantiui metaphysici in se formaliter, & essentialiter non claudunt: quare neque Ens à se, seu Essentia diuina metaphysica transcendit Attributa, neque hæc inadæquatè solùm ab illa distinguuntur, sed omnino adæquatè.

1 DAta proximè ratio satis ostendit, quàm difficulter communis, ac certa opinio de non transcendentia Essentiæ metaphysicæ Dei, seu entis à se per Attributa omnia, ac proinde hæc adæquatè ab Essentia metaphysica Dei ex parte obiecti metaphysicè differre, possit defendi: sed in nostris principiis iactis controuers. de Trinit. d.6.qu.1. nullo negotio defenditur. Censeo igitur ex ibi dictis, Attributa diuina prædicatum entis à se substantiui metaphysici in suo essentiali, & formali conceptu non inuoluere: ac proinde neque Essentiam Dei metaphysicam in se claudere, sed adæquatè ab illa ex parte obiecti differre; sicut eadem qu.6. de prædicatis personalibus rationem entis substantiui metaphysici in suo formali obiectiuo, & metaphysico conceptu non includi ostendebamus. Aduersabitur fortasse conclusio iis omnibus, qui ea q.6. oppositum de personalibus prædicatis censebant; ni forte, quia præcipuæ difficultates, quæ contra nostram in personalibus conclusionem similem, vel potius eandem, militant, locum contra eandem de Attributis non habent, vt eas perpendenti facilè patebit, nobis in præsentiarum aduersari nolint. Patronos vero eos omnes habere meritò æstimabitur, qui in prædicatis personalibus, vbi adeò difficilior est, eandem conclusionem tuentur, quos omnes ibi cert.1. recensuimus, potiorémque, & maiorem Theologorum partem esse monstrauimus.

2 Probatur conclusio ab authoritate Patrum, qui eam impugnare sonant. Et Primò quidem ex testimoniis Anselmi, & Bernardi recitatis d.2. qu.1.cert.2.n.5. vbi ille cap. 14. monolog. & cap. 16. è cuius verbis illa extrema repeto, *Illa summa Essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod est*: Quam sententiam scripsit Anselmus, vt ostenderet, quæcumque de Deo etiam in abstracto prædicantur, essentialiter prædicari. Et quamquam de essentiali prædicatione physica, recitata ratio probet, saluaturque totus Anselmi discursus, magis tamen dignè de subtilissimi, ac Theologi metaphysici, siquis alius, Patris mente cogitamus, si eius rationem de prædicatione essentiali metaphysica eorum omnium, quæ de Deo dicuntur, ponderamus: Cùm autem subtilissimus Pater metaphysicè Iustitiam à Misericordia, Scientiam à Voluntate, & hæc ab Essentia, seu prædicato entis, & essendi à se, sæpè diuiserit, in hac nostra sententia tantummodo eius discursus de metaphysica etiam prædicatione diuinorum omnium de Deo concludit. Id quod ita ostendo. Quia, cùm iuxta illam in Deo tantum sit vnicum, etiam metaphysicè esse, seu prædicatum entis à se: atque, vt de Deo quodcumque prædicatum enuncietur, necessariò copula, *est*, intercedat: qua esse, & entitas metaphysica Dei, quæ eius essentia est, significatur, quæque prædicata, & Attributa omnia diuina iure identitatis physicæ cum esse, seu Essentia metaphysica Dei, solummodò sunt, nullum prædicatum diuinum enuntiari potest, dicíve esse in Deo, seu esse Deum, etiam metaphysicè: quin esse à se, seu ens à se (quod tota Dei Essentia est) de Deo prædicetur: ac proinde omnia quæ de Deo prædicantur, licèt omnino ex parte obiecti diuisa ab Essentia sint, nequeunt de Deo prædicari, quin eius Essentia metaphysica, metaphysicè etiam loquendo prædicetur: quare omnia, quæ de Deo prædicantur, essentialiter, etiam metaphysicè, nec solùm physicè prædicantur. Ita enim est suum esse (vt apertiori paraphrasi eisdem ferè verbis Anselmi eius mentem profundam, edisseram) vt idem esse sit ipsum, secundum quemuis modum, & considerationem, seu conceptum obiectiuum atributalem secundum quem esse concipiatur: quia quæcumque essentialiter sunt, & non ab alio, hoc totum, & solum esse habent, *quod est*, Essentia metaphysica Dei.

3 Bernardus autem 5. de Consideratione ad Eugen. aiebat: *Si magnum, si sapientem, vel quid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur: Quod est est. Nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris nihil additisti, si non dixeris, nihil minuisti*, qui etiam locus, licèt de esse, & Essentia physica Dei posset, vtcumque explicari. At si eius verba stricte, & propriè interpretemur metaphysicè loqui Bernardum, inde apparet, quòd de nominum, & verborum significatis, quæ obiectiuorum conceptuum sunt, aperte loquatur: & tamen omnium attributorum nominum significata in hoc verbo *Quod est*, ait instaurari, atque eis nominibus additis non recedi ab esse, id est à significato eius vocis, nihilque addi, vel minui conceptui, quem de Deo habemus. Hæc inquam, de conceptibus, formalitatibúsque diuinis, vt eis nominibus significantur, loqui Bernardum suadent. Cùm autem certum ex dictis sit voce *Essendi à se*, ea omnia non significari, restat omnia instaurari in illa: quia metaphysicè etiam loquendo, quod de Deo, eiúsque Essentia est, esse idem ipsum est, reliquorum diuinorum esse: ac proinde esse Deum, est esse omnia Attributa: quare si addantur, vel taceantur, nihil substantiuum metaphysicè loquendo additur, vel minuitur, quia nullum esse diuinum negatur, si simul affirmetur, *Quod est est*: in quo ratio essendi, atque entis à se (quæ vnica formaliter in Deo est) continetur, & à qua recedere non possumus, cùm eum Magnum, Beatum, & Sapientem esse dicimus: cum, copulâ verbi substantiui, quo necessariò ea de Deo prædicare, ac dicere debemus, ipsum idem esse significetur, vt nuper in Anselmi interpretatione dicebamus.

4 Secundò probatur authoritate aliorum Patrum, Essentiam metaphysicam Dei in hoc quod est esse à se, seu in prædicato entis à se absolutè constituentium, quorum verba dedimus d.2.qu.2.certam.2.à n.6. Etenim, si esse à se commune prædicatum, & transcendens metaphysicè Attributa omnia foret, male in eo absolutè, & siue vlla distinctione, tam multiplicis prædicati entis à se, quod metaphysicè in Deo inuenitur, Essentia, & natura Dei metaphysica ab eis Patribus collocaretur: cùm adhuc inexplicatum maneret, quodnam ex pluribus illis prædicatis essendi, seu entis à se, quæ in Deo pro pluralitate, & multiplicitate prædicatorum metaphysicorum Dei metaphysicè inueniuntur, Essentia metaphysica Dei foret, atque insuper, explicata diuersitate illorum omnium prædicatorum entium à se diuinorum (quod si non omnino inexplicabile est, vti reor, valdè tamen explicatu difficile, vt constat ex dictis cert.2.n.6.fin. atque ex dicendis cert.4. num. magis constabit) illud prædicatum entis, seu essendi à se cum propriis notis ex quibus cum aliis prædicatis entis à se attributalibus confundi non posset, oporteret ab eis Patribus explicari; ne res dubia adhuc, & sub lite, vt aiunt, post definitiuam tantorum Patrum sententiam, contra sententiæ, & tantorum iudicum authoritatem, & decentiam remaneret. Cùm ergo ea omnia non præstiterint, censendum sanè est eos nihil debitum omisisse: quia vnum tantùm prædicatum entis, seu essendi à se in Deo recognouerunt, atque in eo proinde Essentiam Dei collocarunt; quin opus habuerint illud à similibus Attributorum prædicatis, quæ in eis non recognoscebant, neque admittebant, distinguere, atque notis specialibus designare: quod ipsum argumentum ab authoritate tot, tantorumque Theologorum confici tur, qui Essentiam metaphysicam Dei in prædicato entis à se, absolutè, & sine vlla distinctione entium diuinorum à se attributalium constituunt, dum de ea expressiùs, subtiliùs, magisque scholasticè, & Theologicè agunt: vt nostram hanc conclusionem, non sentire solùm, sed tanquam indubitabilem sine disputatione, & examine supponere videantur.

CERTAM

CERTAMEN IV.

Rationibus communioribus eadem conclusio roboratur.

1 FIrmiora adhuc sunt pro eadem conclusione à ratione fundamenta. Probatur Primò. Quia prædicatum entis realis substantiui metaphysicè, quod est supremum genus in prædicamento Substantiæ, vel Accidentis non transcendit, aut imbibitur in differentiis, vt certa mihi, multisque Philosophis longè probabilior opinio fert, atque in controuersiis metaphysicis,& logicis ostendi: ergo neque prædicatum entis realis substantini, seu essendi à se, quod est Essentia imbibitur formaliter in Attributis Dei. Probatur consequentia: quia prædicata differentialia supremi generis entis, siue substantialis, siue accidentalis, non minùs sunt prædicata realia, & vera in suo genere, siue sub suo genere vnumquódque, quàm sint prædicata vera, & realia, in suo etiam genere Attributa diuina: ergo,si in illis prædicatis, & formalitatibus veritas, & realitas, seu non repugnantia existendi, & essendi saluatur sufficienter, quin in se prædicatum essendi, seu entis substantini metaphysici, sui generis, & ordinis formaliter imbibant; realitas etiam, ac non repugnantia existendi, seu essendi sui generis, & ordinis in attributis diuinis saluabitur, quin ratio, seu formalitas essendi à se in ipsis formaliter metaphysicè includatur: sed, sicut illis satis est vt realia prædicata, & entia adiectiuè sint, ac non chimærica, & repugnantia, quòd enti, seu esse metaphysico sui generis physicè identificentur, ita etiam, & his vt entia realia adiectiuè sint, physica eorum identitas cum esse, seu ente substantiuo sui generis satis erit.

2 Præfata argumenta à paritate desumpta ex rationibus à priori, quarum vnam in vtróque præmisimus, suam apertius efficaciam exerent. Probatur à priori Conclusio. Implicat in re vna plures physicas, & veras existentias dari: ergo vnica solùm in quauis re datur existentia physica: est de se, & ex terminis patens consequentia. Pergo inde: ergo implicat dari in re physicè vna, plura prædicata vera entis substantini metaphysici. Hanc consequentiam probo. Vnica sola existentia physica ita necessario datur, vt plus vna in re physicè eadem repugnet: ergo vnica solùm potentia logica existendi vera, ac non ficta datur, ita vt plus vna in illa re implicet: atqui prædicatum reale essendi, seu entis substantiui metaphysici nihil est aliud, quàm existentiæ veræ, ac non fictæ prædicatum siue exercitè, siue possibiliter, quod, in statu hoc possibilitatis præscindentis ab exercitio, & actualitate essendi, est potentia logica ad seipsam in statu actualitatis existendi,siue ordo formalis logicus metaphysicus ad seipsam exercitam, vt constat ex cert.1.num.2.ergo vnum solùm esse, aut ens metaphysicum substantiuum in re physicè eadem, & vna est, ita vt repugnet esse plura, vt consequentiâ illâ inferebatur.

3 Dices: physicam illam vnam existentiam totius physicæ illius entitatis reipsa esse, nec magis vnius prædicati realis metaphysici, quàm alterius entitatis eiusdem: ac proinde in quouis eorum esse potentiam logicam ad existendum. Vide quid dices. Inde enim probabis animal metaphysicè, præcisè, & formaliter sumptum tam esse metaphysicè rationale formaliter & metaphysicè sumptum, quàm rationale. Si quidem esse principium ratiocinandi homini, seu Petro physicè sumpto, & reipsa vni eius entitati ità physicè conuenit, vt non magis vni eius formalitati, & prædicato, quàm alteri physicè conueniat: Imò soli coniuncto earum omnium, quæ physicè idem, atque indistincta vna entitas sunt, competit: quare physicè loquendo non magis vni, quam alteri competit esse ratiocinandi principium, imò nulli seorsim competit; quia physicè vnum prædicatum seorsim,ac sine alio adhuc præcisiuè, non est, neque possibilis: sicuti neque vnum sine alio, adhuc præcisiuè existit, existereve potest. Quare tota hæc solutio metaphysicam, & logicam omnem prædicatorum, ac prædicamentorum coordinationem prorsus euertit: cùm idem de omnibus metaphysicis prædicatis argumentum, quod in rationalis prædicato efformabamus, instrui æquo robore ex tua solutione possit, vt, vel leuiter consideranti, patebit.

4 Licèt ergo prædicata omnia tam potentiarum,quàm existentiæ indiuisibiliter rei eidem physicè conueniant, nec magis vni eius prædicato, quàm aliis, imò nulli ab aliis præciso physicè conueniat, conueniréve queat: ea tamen mente diuidimus,atque in entitate quauis existentiam vnam, quæ communissimum prædicatum rebus omnibus est, consideramus, & abstrahimus, eamque, vt exercitam existentiam, seu ens actuale concipimus esse, ac nominamus, in statu vero, quo ab actuali exercitio præscindit ens possibile, siue potentiam logicam rei illius ad existendum, quo solo conceptu res tota illa physicè vna, omniáque eius prædicata existunt in statu actualis exercitij existendi: quia existentia illa tam actualis, quàm possibilis, seu potentia logica existendi, quæ est entis substantiui metaphysici, siue actualis, siue possibilis, est reliquis omnibus eius prædicatis formà metaphysica, qua actualiter existere, vel possibiliter concipiuntur:& metaphysicè iudicantur iure identitatis cum illa; licèt formaliter metaphysicè, neque existentia ipsa actualis, vel possibilis, seu Ens substantiuum aliquod ex eis prædicatis formaliter sit, sed alia in entitate eadem diuersa munia habeant, obeántque formaliter, & è conceptu suo metaphysico, vnumquodque suum: sicque per munia diuersa magis, minúsque communia, genus illud entis substantiui metaphysici in communiores, minúsque communes inferiores, & inferiores vsque ad infimam, atque indiuiduis immediatam, metaphysicè, & logicè contrahunt, atque seriem coordinant prædicamentalem.

5 Ex quibus apertè constat: quo pacto, licet prædicata reliqua ab ente substantiuo metaphysico, siue existentia actuali, vel possibili,seu potentia logica existendi, neque existentia in alterutro statu, neque potentia logica seu ordo logicus ad existentiam, quare neque ens reale substantiuum metaphysicum sint, tamen realia prædicata, non ficta & repugnantia physicè sint, sed existere è conceptu suo possint in statu possibilitatis, atque physicè existant in statu actualitatis existentiæ, siue actu existendi: ac proinde entia realia metaphysica, adiectiua tamen, meritò nuncupentur. Sicut enim subiectum quodvis physicum, licèt in se, suáque entitate calorem, frigus, albedinem, quamuisve aliam formam physicè non imbibat, si tamen ei, vnionis physicæ beneficio iungatur, meritò physicè ab ea adiectiuè denominatur calidum, vel frigidum, vel album: sic & prædicata alia ab ente reali substantiuo metaphysico, seu existentia actuali: vel possibili iure identitatis cum illo, quæ intima, (vt sic loquar) cum eo coniunctio, siue penetratio est, ens reale, siue possibile, siue actuale metaphysicum adiectiuè est,ac meritò nominatur.

6 Id quod ita ostendo, ac tandem conclusionem breuiter probo. Implicat aliquid physicè identificari cum existentia, seu ente substantiuo metaphysico, quin existat: aut posse identificari, quin possit existere physicè: atqui prædicata alia ab ente substantiuo metaphysico, identificantur cum existentia, seu ente substantiuo metaphysico, etsi formaliter metaphysicè entia substantiua metaphysica non sint: ergo eo præcisè iure identitatis, siue actualis, siue possibilis, cum illa poterunt physicè existere, siue actualiter, siue possibiliter: ac proinde aliis conceptus existentiæ formalis seu entis substantiui metaphysici in illis imbibitus formaliter omnino superfluet: concludo ergo reliqua prædicata rerum, præter prædicatum entis substantini metaphysici, seu existentiæ in vtróque statu, siue actualitatis, siue possibilitatis: habere potentiam ad existendum, non quidem logicam, & quæ ab actu existendi solo statu differat, non autem adiectiua formalitate, sed ad instar potentiæ, quam subiectum ad formam physicam habet: ac proinde esse entia realia adiectiua metaphysica.

CERTAMEN V.

Specialiùs Theologicis rationibus eadem conclusio stabilitur.

1. HÆc hactenus efformata argumenta vniuersim probant in nullo alio rerum prædicato, siue attributali, siue differentiali prædicatum existentiæ, siue entis subsantiui metaphysici formaliter reperiti. Verùm, licet hæc in creatis aliis rem non euincerent, in Deo tamen specialiores suppetunt rationes. Probatur igitur: ens substantiuum metaphysicum diuinum in attributis formaliter non imbibi, quare neque illa transcendere. Primò: quia in prædicatis personalibus non datur ratio, & formalitas entis realis subsantiui metaphysici, vt latè ostendi d.6. de Trinit. q.1. tota: ergo neque in communibus attributalibus: imò in his multo minùs. Patet consequentia: quia in illis obstare videntur rationes verisimiliter efficaciores: cùm personalia, sint rationes distinguendi realiter Personas: quod entitatem metaphysicam realem, seu quod idem est, ens reale subsantiuum metaphysicum in ipsis formaliter imbibitum, videtur necessariò requirere; & tamen ex identitate physica cum esse, seu ente subsantiuo metaphysico essentiæ, satis habent realitatis, vt realis distinctionis Personarum, seu distinguendi realiter Personas munus habeant, quin prædicatum entis realis subsantiui metaphysici, seu essendi formaliter in se imbibant, vt ibi ostendimus: ergo potiori iure prædicata attributalia, in quibus reale illud munus non est, sed summa identitas adæquata cum essentia, eiusmodi prædicatum essendi, seu entis realis metaphysici subsantiui in se formaliter metaphysicè non claudent. Sed vt entia realia absolutè dicantur illa identitate physica cum esse, seu ente subsantiuo, quod est Essentia metaphysica Dei, satis habebunt, à quo illius identitatis iure entia realia adiectiua metaphysica, & sint, & dicantur.

2. Probatur Secundò à priori: quia in diuinis nequit dari aliqua formalitas, seu prædicatum compactum metaphysicè ex prædicatis partialibus homogeneis metaphysicè: atqui, si darentur plura prædicata entis à se subsantiui metaphysici in Deo pro Attributorum pluralitate metaphysica, daretur ens diuinum metaphysicum à se: compactum ex pluribus prædicatis homogeneis metaphysicè partialibus: siquidem ens diuinum, seu esse à se totale Dei metaphysicè conflaretur ex ente à se Essentiæ, & entibus à se reliquorum Attributorum, vt patet: ergo ens à se subsantiuum metaphysicum vnicum in Essentia est, non autem est plura in Deo metaphysicè imbibita in Attributis formaliter, scilicet in vnoquoque suum, Maior probata sæpè à nobis est controuers. de Trinit. æque hîc probabitur q. vlt. fusiùs. Ex eo quod enti, seu formalitati cuiuis ex genere suo infinitæ (quemadmodum diuina omnia sunt) nihil generis illius addi potest. Confirmatur: quia vel prædicato entis, seu essendi à se metaphysico Dei, in quo eius Essentia metaphysica consistit secundum se, & intrinsecè considerato, deficit aliquid entis, seu essendi à se, vel nihil; si nihil: ergo nihil entis, seu essendi à se est in aliis diuinis prædicatis. Patet: quidquid enim entis, seu essendi à se in eis esset, quod non esset in illo, id ei apertè deesset. Si autem aliquid deest entis, seu essendi à se, quod est in Attributis: ergo non est summum ens, seu summum esse, neque essentia summa Essentia Dei metaphysica: quandoquidem coniunctum illud ex esse, seu ente à se essentiali, & entibus à se attributalibus, maius quid esse, seu ens à se foret, quare neque esset illud ens quæ infinitum in suo genere per denegationem termini etiam extrinseci, quomodo infinitum quoduis è suo genere, & conceptu essentiali esse debet, vt persequar fusè q. vlt. citata.

3. Dices prædicatum entis, seu essendi à se essentiale in genere suo infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci, summumque esse: quare neque ei in suo genere aliquid entis, seu essendi à se addi posse. Cæterùm rationem entis à se attributalem esse alterius ordinis, & generis, scilicet attributalis, in quo ens à se essentiale diuinum non est: ac proinde, quod ad ipsum non spectat magis, quàm conceptus, & prædicata alia attributalia v. g. Voluntatis, Sapientiæ, Omnipotentiæ: quæ omnium sententia formaliter in se imbibita metaphysicè, prædicatum entis à se minime habet, quin eorum defectus præcisiuus defectum positiuum, vel priuatiuum prædicato illi essentiali entis, seu essendi à se inducat, tollatue in suo genere & ordine summitatem, vel infinitatem, etiam per termini extrinseci denegationem. Contra tamen est: quia, licèt in formalitatibus aliis attributalibus Voluntatis, Sapientiæ, &c. saluetur earum defectum præcisiuum solùm esse prædicato entis à se essentiali, quia explorata omnium sententia formalitates alterius generis, & ordinis illæ sunt; Ast in prædicatis entis à se attributalis, quæ aduersarij admittunt, diuersitas formalis, & metaphysica à prædicato entis à se essentiali, neque affignatur ab aduersariis, neque non chimærica aliqua, & per rationem meram, assignari vsquam poterit, vt ostendebamus certam. 2. fine. Vnde eorum defectus in prædicato entis à se essentiali priuatiuus erit saltem, nec solùm præcisiuus. Deinde plura prædicata entis à se primò diuersa è genere, & formali conceptu suo repugnare ostendemus, probatione nostræ Conclusionis tertia. Inde Tertiò impugnatio illa secunda, quod ens à se essentiale summum non sit, sed minus longè, quàm coniunctum ex omni ente à se diuino essentiali, & attributali, omninò constans persistit.

4. Dices, Rationem entis à se, radicem esse metaphysicam omnium attributorum, ac proinde & prædicatorum entis à se, quæ in illis continentur: vnde non posse non prædicata omnia entis à se in Attributis inclusa metaphysicè eminenter continere, vnde rursus coniunctum ex entibus à se essentiali, & attributali nusquam maius aliquid est metaphysicè prædicato solo entis à se essentialis, in quo cætera prædicata entis à se attributalia eminentiori formalitate continentur. Quemadmodum nec in Deo creata omnia entia, quæ in Deo eminenter continentur, adiungas, maius quid, ac perfectius, quàm Deum solùm compinges, vt meritò proinde sanctus Franciscus de Assis. in iua contemplatione, diuino illustratus lumine, & accensus diceret: *Deus meus, & omnia.* Et Regius Psaltes Psalm. *Quid mihi à te est in terra.* Atque exemplo à re ipsa, quam versamur, petito. Sicut Attributa reliqua, quia eorum radix metaphysica ens à se essentiale est, cum illo coniuncta, maius quid metaphysicè, quàm solum ens à se essentiale minimè efficiunt. Sed vero continentia hæc eminentialis metaphysica prædicatorum omnium attributalium, secundum omnes formalitates suas, ac proinde secundum prædicata entis à se attributalis, in prædicato entis à se essentialis, quod eorum radix metaphysica est, non est continentia eminentialis causæ, & causalitatis veræ, sed fictæ, atque illationis metaphysicæ, seu logicæ solùm vt certam. 2. fine dicebamus: Quemadmodum continentia metaphysica admiratiui in prædicato rationalis, atque risibilis, etiam in rationali hominis: quare, licèt ex continentia eminentiali effectuum in vera physicè radice, & causa effectuum rectè inferretur coniunctum ex effectibus, & causa maius quid, sola causa reuera non præstare: non statim in coniuncto ex radice, & causa non physica, & vera, sed ficta. (Cuiusmodi essentiale ens à se respectu Attributorum est) & eis, quorum radix metaphysica, & illatiua solùm est, inferretur.

5. Verùm, neque id in causa, etiam adæquata, & effectibus verè, ac physicè talibus inferri ostendimus d.1. q.1. cert. 3. n. 4. Contra Murcianos Recentiores: quare ex ea, & effectibus aliquid maius ipsa extensiue, quare & absolutè maius conflabitur. Vnde constat exemplo illo potius deduci coniunctum ex ente à se essentiali, & entibus aliis à se attributalibus, maius quid absolutè ente à se essentiali metaphysicè resultare: ac proinde ens à se essentiale, summum in genere entis, siue in suo genere, atque è conceptu suo non esse: & si ens à se essentiale vera, ac physica radix, & causa entium à se attributalium esse daremus, vt paritatis illatio ab vno ad aliud foret. Sed nec magis præstat exemplum secundum. Etenim attributales formalitates, si ab eis entis à se subsantiui

metaphysici secundum rationem, & formalitatem secludas, vt nostra sententia secernit, alterius generis, & ordinis formaliter, & metaphysicè sunt, quàm ens à se: quare, licèt coniunctum ex ente à se, atque eis formalitatibus, plus prædicatorum, & formalitatum contineret metaphysicè, quàm prædicatum entis à se coerceat, non tamen plus in genere entis seu essendi à se: quare neque huic in genere suo, earum accessu aliquid adiungit, neque earum recessu aliquid in illo deficit: ac proinde ens illud, siue esse à se, in quo Essentia Dei à nobis metaphysicè constituitur summum, atque è genere suo infinitum esse facilè monstratur. Imo, neque in illo coniuncto aliquid absolutè maius, quàm in prædicato entis, seu essendi à se, adhuc in quouis genere, esse dicendum est. Cùm enim solo prædicato illo essendi, seu entis à se substantiui formaliter metaphysicè Attributa, adiectiuè entia metaphysica sint, ex solo illo, sunt etiam adiectiuè magna, seu habent magnitudinem, sicuti, & entitatem.

6. Tertiò nostra sententia probatur: quia, si sunt plura prædicata entis, seu essendi à se attributalia; inquiro: an sint in ratione entis, seu essendi à se æqualia cum entis, seu essendi à se prædicato essentiæ? an inæqualia? si primum: ergo sunt generis omninò eiusdem cum prædicato entis, seu essendi à se essentiali, ac proinde hoc, nec summum, nec infinitum è suo genere est, per denegationem termini, etiam extrinseci, vt diuinum prædicatum quodus decet; inæqualia autem in ea ratione asseri nequeunt. Primò: quia neque è conceptu suo indiuisibili est excogitabile, quomodo prædicatum entis à se, alio prædicato entis à se formaliter indiuisibiliter maius, vel minus sit: maximè, cùm in entis attributalis veri, ac non chimærici formalitate imbibita non sit dependentia ab ente à se essentiali, quod illius radix metaphysica est, sicut in ente accidentali physico, à substantiali physico ente, vt dicebamus cert. 2. fine. Sed neque excogitabile est, quomodo ens à se attributale, ente à se essentiali per additionem, aut diminutionem supra conceptum, vel infra conceptum ipsius, maius esse possit, aut minus. Tum quia vnumquodque prædicatum diuinum à conceptu suo indiuisibili, est totum, quod formaliter est, esséque potest. Tum quia inde fieret ens à se attributale maius quid formaliter, & metaphysicè ente à se essentiali fore: cùm supra rationem entis à se adderet formalitatem aliam, quam essentialiter, vnumquodque Attributum importat, siue confusam, siue inconfusam cum illo metaphysicè: quam neutro modo ens à se essentialiter in se metaphysicè coerceret. Hoc autem concedere non sanæ metaphysicæ, sed vesanæ prorsus mentis esset.

7. Secundò probatur: Entia à se attributalia non posse esse prædicato entis à se inæqualia: quia vt inæqualia sint, debent ipso esse minora vel maiora in ratione entis à se, vt pater. Nam quidquid alteri inæquale est, maius, vel minus illo necessariò est. Elige quod ex his malis. Si maius ente essentiali à se asseras, delirat tua Metaphysica, vt nuper dicebam. Si minus, ens à se attributale diuinum, ac proinde ens à se non est, cùm in genere entis à se summum non sit. Denique, in diuinis prædicatis eiusdem ordinis, imò neque absolutè, maioritas, vel minoritas admitti nequit. Nec refert hoc argumentum in ente à se essentiali, & Attributis, licèt formaliter entia à se substantiua formaliter non sint, locum habere. Ex eo enim præcisè, quòd formalitates, & prædicata ex parte obiecti diuersa ab ente à se substantiuo metaphysico sint, fieri potest eorum, cum hoc quoad æqualitatem, vel inæqualitatem, comparatio: atque præfacta nuper argumenta. Cæterùm non premit instantia, neque facto argumento satisfacit. Quia, etsi comparatio inter formalitates nullo genere, neque supremo, conuenientes, sed ex suo conceptu omnino metaphysicè etiam diuersas (cuiusmodi sunt omnia prædicata diuina (quoad æqualitatem, vel inæqualitatem admitteretur, summum, atque infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci non esse, non euinceretur; sicuti contra aduersarios nostra argumenta euincebant. Secundò: inter Attributa, & prædicatum entis à se substantiui metaphysici (quod solius Essentiæ, vel potius sola Essentia metaphysica Dei est) quoad æqualitatem, vel inæqualitatem, locum non habent. Quia Attributa omnia sola magnitudine eadem metaphysica essentiæ, solàque eius bonitate, & perfectione bona perfecta, magnáque adiectiuè sunt, vt disp. 4. constabit. Vbi an, & quomodo vnum Attributum Dei perfectius alio esse possit? examinabimus.

8 Inde ad argumenta facta cert. 1. n. 1. pro transcendentia entis à se per omnia diuina Attributa facilis sese dat solutio. Constat enim: cùm esse, seu ens à se substantiuum metaphysicè non sint, neque esse à se, neque ab alio formaliter, & de suo conceptu: quia ratio tam essendi à se positiuè dicit essentialiter rationem essendi, & quatenus etiam explicatur per negationem essendi ab alio, si Deo dignè explicanda est, esse etiam, seu ens positiuum includit, neque enim negatio essendi ab alio, Deo digna est negatio, ex defectu entis, seu essendi in se (quo pacto chimæra; etiam physicè ab alio non est) sed è sui esse, seu ente, quod est, eminentia. Nec statim infertur, quod Attributa secundum se, & formaliter sumpta, si à se non sunt, ab alio esse debeant. Nam ratio causæ dicit essentialiter influere esse in id, cuius causa propriè est, vt ostendimus disp. 3. de Trinit. q. 3. cert. vlt. ac proinde, quod in se formaliter non est, seu esse non habet intrinsecè, neque esse potest; causari, seu esse ab alio nequit. Qua solùm ratione defendi solidè ea q. 3. ostendimus Personas producentes in diuinis causas propriè procedentium non esse: quia harũ personalitates, ad quas processio, quatenus productio & influxus est, ac non communicatio esse, seu ens metaphysicum formaliter substantiuum non sunt, sed totum earum esse, & tota entis ratio est esse, & ens substantiuum metaphysicum essentiæ, à quibus & existere, & esse, seu esse ens adiectiuum metaphysicè habent: quod quidem Esse in Personas, aut personalitates non influitur, aut producitur à Personis producentibus, sed solùm communicatur.

9 Itaque Attributa formaliter sumpta, nec sunt à se, neque sunt ab alio entia substantiua metaphysicè: quia ad vtrumuis essentialiter requiritur esse: licèt metaphysicè adiectiuè à se sint entia, & sint à se: quia habent esse, & ens essentiæ, quod à se est. Vnde constat esse entia à se realia metaphysica diuina adiectiuè: ac proinde non esse nihil adiectiuè, seu absolutè repugnans, & chimæricum; licèt sint nihil substantiuè metaphysicum, seu non sint entia metaphysica substantiua. Vnde etiam constat neque esse bonitates, seu perfectiones, licèt bona perfectáque in suo quæque genere. De Infinitate Attributi cuiuslibet eodem modo censendum puto. Infinitas enim magnitudo est, quam vnicam essentiæ suspicor esse. Sed de his atque aliis Attributis, quæ, vel negationem sonant, vel per illam tandem à nobis pro hoc statu explicantur, an transcendant, licèt re vera positiua prædicata Dei sint, vt Simplicitas, Immensitas, Æternitas, Inuisibilitas, opportunius propria cuiusque sede (vbi cuiusque essentia, & formalitas solerter indaganda à nobis est) disputabitur, an Attributa reliqua transcendant? & quamuis ad distinctionem, & numerum Attributorum dignandum, oporteret hanc quæstionem de transcendentia, vel non transcendentia horum Attributorum, per Attributa alia, siue de distinctione non mutua eorum ab aliis, quæ certò mutuò inter se ex parte obiecti differunt (vt Scientia, & Amor, Intellectus, & Voluntas, ac fortasse Omnipotentia) quæ quidem quæstio præsenti immediatè videbatur successura; tamen quia eorum non disputata exactè natura, & essentia, (quod ad propriam cuiusque ex eis quæstionem spectat) nihil firmum statui ea de re potest, quæstionem de transcendentia eorum Attributorum per alia, ad varias de eis quæstiones remittimus, post hanc disputationem habendas, atque ad quæstionem de numero, & diuisione Attributorum facimus gradum.

***

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De diuisione, & numero diuinorum Attributorum.

VIDEO à pluribus, non sine rectæ methodi specie, post statutam obiectiuam Attributorum Dei ab eius metaphysica Essentia rationis distinctionem, ac proinde metaphysica existentiæ Attributorum, seu proprietatum metaphysicarum Dei veritate statuta, an hæc ab Essentia plusquam ratione, siue independenter à nostro concipiendi, & præscindendi modo, siue realiter, siue ex natura rei, siue virtualiter differant? disputari, sed enim cùm distinctio eorum ab essentia obiectiua per rationem, & purè metaphysica distinctio, vt verè esse Attributa constet, sit sufficiens, vt vidimus: atque de obiectis Scientiarum, si plura, vt in præsentiarum, sint, semel examinari, an sint? quot sint examinare, & mos Doctorum scribentium sit, & oporteat: ideircò hanc illis quæstionem, meritò præmittimus.

CERTAMEN VNICVM.

Attributorum diuisiones recensentur.

1 MVltifariam Attributa Dei diuidi possunt, pro acceptionum nominis Attributi diuini varietate, quas attulimus, præfatione disputationis huius n. 1. sed, vt in Attributorum diuisione de nomine non disputetur, in sola acceptione strictissima, atque Theologis vsitatissima Attributorum Dei, quam ibidem statuimus, atque posuimus quæstionum omnium disputationis huius subiectum fore) diuisiones Attributorum à Theologis communiter acceptas commemorabimus: Attributorum nempe Dei, quæ prædicata necessaria, & communia Dei sint, cuius Essentiam mgtaphysicam indiuiduè metaphysicè, etiam consequentia, atque vbiuis personarum illam comitantia.

2 Prima ergo Attributorum Dei in ea acceptione, celebrisque diuisio est in Attributa Negatiua, & Positiua: non quidem, quia in Deo verum aliquod prædicatum negatiuum, seu negatio sit, sed quia licèt omnia positiua verè in illo sint, à nobis tamen, vel negatiuis nominibus recensentur, vel tandem per negationes, dum ea definimus, explicantur; Positiua vero ea Attributa dicuntur, *Quæ neque nomine negatiuo censentur, neque in sui definitione, & explicatione negationem concernunt.* Negatiuorum exemplum esto *Immensitas*: Positiuorum, *Voluntas*. Et Negatiuorum quidem iuxta eorum datam nuper definitionem diuisio prima erit in Attributa, quorum nomen ipsum negatiuum est, vt exempli dati, *Immensitatis*, & in Negatiua, non quidem nomine ipso, quo censentur, sed definitione, qua à nobis explicantur, vt *Æternitas*: cuius nomen, licèt non negatiuum, sed positiuum sit, tamen sine negatione principij & finis durandi, seu durationis concipi, aut explicari à nobis haud quaquam potest.

3 Et sanè Attributa Negatiua non nomine tria, vt summùm sunt *Æternitas*, vt vidimus, *Simplicitas*, quæ physicæ compositionis negatione à nobis explicatur, &, si placet, *Vnitas*. Attributa vero Negatiua nomine plura sunt: *Immensitas*, *Inuisibilitas*, in qua duo continentur, nimirum Inuisibilitas oculis corporeis, & quæ absoluta Inuisibilitas est, vt hic suo loco videbimus; & Inuisibilitas oculis animæ, quæ absoluta non est, sed Naturæ viribus, vt controuers. de Visione Dei ostendimus t. 5. Theologicarum Scholasticarum controuersiarum, Deo fauente cudendo; insuper absoluta Dei incomprehensibilitas: ac demùm *Infinitas*, de qua quæstio hic suo loco erit, an sit Attributum ab aliis positiuis præscindibile metaphysicè ex parte obiecti? sicut de Negatiuis hisce plerisque, atque adeo commune logicè? an impræscindibile, vel potiùs Attributa omnia eadem infinitate metaphysica Essentiæ, seu entis à se infinita metaphysicè adiectiuè, ac denominatiuè sint, vt explicatius suo loco tradetur: vbi constabit, an verè Attributum sit, an conceptui Essentiæ metaphysicè etiam idemificetur, Sed tamen Infinitatem, sicut & plura alia, è Theologorum vsu potiùs, quàm ex propria sententia inter Attributa numeramus.

4 Attributa Positiua diuidenda in primis sunt in Attributa quasi vniuersaliora, quæ nimirum Essentiam Dei metaphysicam, seu ens à se consequuntur, quatenus cum creatis entibus, & si non vniuocè, analogicè tamen conuenit in ratione entis, ac proinde analogicè, & ea Dei Attributa cum Attributis etiam metaphysicis entium omnium creatorum, qua entia sunt, conueniunt: ac proinde in vulgari illa Logicis, & Metaphysicis dictione *Reuhatt* continentur: in his numerandæ proinde sunt Bonitas, Veritas, atque Vnitas etiam diuina, quasi vniuersalis. Aliud vero Attributorum Positiuorum membrum sunt Attributa Positiua, quæ Essentiam Dei metaphysicam, seu ens à se, etiam quatenus à se est, metaphysicè consequuntur, in quibus numeranda sunt Vnitas specialis Logica, siue Singularitas Dei, quâ ita vnus indiuiduè, & singularis Deus est, vt repugnet esse plures, siue alios ab ipso hoc singulari Deo. Deinde Intellectus, seu potentia intellectiua diuina (quam verè dari in Deo ostendemus controuers. de Scientia, quæ erit hoc tomo secunda:) item Voluntas, insuper Omniscientia, & Amor seu Volitio Dei necessaria, ac demum Omnipotentia.

5 Denique celebris illa diuisio est, quâ Dei Attributa in transcendentia, & non transcendentia reliqua Dei prædicata diuiduntur, eáque admissa per illam Attributorum Dei diuisio inchoanda in recta diuidendi methodo foret: cum transcendentia Attributa aliqua, tam in Negatiuis, quàm in Positiuis ab aliis, & aliis Doctoribus inueniantur. Cùm autem an sint Attributa aliqua transcendentia in diuinis ex accurata cuiusque notitia pendeat, vt diximus, hîc diuisionem hanc cum fundamento, siue probare, siue reprobare non possumus. Quod si ex disputationibus Attributorum in particulari, transcendentia, aliquot Attributa, tam in Positiuis, quàm in Negatiuis inueniantur, diuisione hac Attributorum in transcendentia, & non transcendentia eorum diuisiones inchoandæ erunt, in rectæ methodi obseruantiam. Secùs si in vtrisque non inueniantur transcendentia Attributa, vel quia nulla sint, vel in Positiuis, aut in Negatiuis tantùm.

QVÆSTIO IV.

An diuina Attributa ab Essentia, & inter se formaliter ex natura rei, nec solùm formaliter obiectiuè per rationem, diuidantur.

TAMETSI distinctio metaphysica obiectiua per rationem prædicatorum Dei satis sit, vt eius Essentia metaphysica, ac metaphysicæ huius proprietates verè consistant, atque hæ diuidantur, ac numerentur. Videndum tamen nunc est, an aliunde Attributorum, & ab Essentia, & inter sese distinctio, plusquàm rationis & metaphysica, omninóque à nostra ratione, & cognitione independens, sit admittenda? an potius omnis inter hæc distinctio, quæ rationis non sit, omninò sit relegandæ? quo circa cùm tres sint hactenus reales, atque ab intellectu independentes excogitatæ distinctiones, nimirùm Realis purè realis, quæ est inter rem, & rem (v.g. inter Petrum, & Paulum, vel, quod idem ad præsens est, inter rem, & modum ipsius realem; vt inter Agens, eiusque Actionem, seu inter extrema, & eorum vnionem) Realis formalis, seu ex natura rei, quam Scoticam vocamus, Realis virtualis, (quæ frequens nunc in Scholis est) triplex videbatur quæstio in præsenti instituenda, an Essentia ab Attributis, atque hæc inter sese reali absolutè distinctione? an reali formali & ex natura rei? an saltem reali virtuali

tuali distinguantur ? & quidem, cum realis absolutè Attributorum ab Essentia, vel inter sese distinctio, crassus adeò error sit, vt in nullius vnquam sententia, imò neque in mentem venerit; atque insuper inter Essentiam, & personalitates (vbi mysterij Trinitatis arduitas, & inscrutabile nobis arcanum ob contradictoriorum, quæ de vtrisque secundum fidem verificantur, nonnullos à fide ipsa, quoad physicæ, & absolutè realis personalium, & Essentiæ identitatem, fecit deficere) validè eiusmodi distinctionem hæreticam reiecerimus, atque dogma physicæ vnitatis eorum statuerimus d.8.de Trinit.q.1. à certam.2.per totam, nihil hic de ea Attributorum ab Essentia, & inter sese, siue pro eorum potiùs omnium identitate, & vnitate reali disputabimus: cum ex ibidem dictis facilè quiuis, si forte quispiam hac in re à fide, & à ratione naturali etiam deinceps aberret, pro vnitate eiusmodi Attributorum inter sese, & cum Essentia ea possit intorquere, atque ad plura absurda negantem deducere. Licèt autem ea d.8.q. 2. de distinctionibus aliis duabus realibus Essentiæ à personalitatibus, nimirum reali formali, siue ex natura rei, & reali virtuali egerimus, atque vtramque ab illis relegauerimus: quare, & ex dictis ibi vtráque etiam distinctio ab Essentia, & Attributis confutari satis posset: tamen hic nonnulla alia contra vtramque distinctionem in præsentiarum adiiciemus, & sequenti quæstione.

CERTAMEN I.

Distinctio Scotica realis formalis siue ex natura rei explicatur, atque ab authoritate refellitur.

1. Scotus in 1. d.2. q.7. 5.§. *sed hîc restat*, atque aliis locis citatis à nobis d.8. de Trinit. q.2. certam.1. n.1. vt difficultatibus ex omnimoda reali identitate personalium realiter inter se distinctorum cum communibus in mystério Trinitatis subortis occurret, subtimidè, atque (vt ipse primo loco fatetur) sine assertione dixit, rationem Essentiæ à ratione suppositi, distinctionem aliquam habere præcedentem omnem actum intellectus. Paulò autem inferiùs distinctionem hanc personalium, & communium appellat distinctionem rationis, & virtualem, Vnde Vasquez & ex nostris Complutensibus alij, virtualem horum, siue eminentialem asseruisse Scotum contendunt. Soar. vero dist. 7. met. sect. 1. & 4. de Trinit. cap. 4. Salas 1. 2. tract. 2. Perrus Hurtado d. 6. met. sect. 3. & 4. atque ex Scotistis Herrera tom. 1. d.8. q.13. d.14. q.1. nihil aiunt distinctionis inter personalia, & communia additum esse suprà Thomisticam, & apud Scholas reliquas receptam distinctionem rationis ratiocinatæ, cui res ipsa, vt in re est, efficiendæ fundamentum præbet. Verùm Scotistæ reliqui à nobis citati, præfato loco de Trinit. Aliam tertiam distinctionem actualem, nec solum virtualem ab Scoto adductam censent, quæ purè rationis nullatenùs sit, neque absolutè realis, communiter dicta talis, sed realis actualis ex natura rei, siue formalis. Siquidem & q. 7. rationis, & virtuali distinctione, quas dixerat inter Essentiam, & Personalitates intercedere, omissa, subdit statim, *Ita ante omnem actum intellectus Essentiam non esse Personalitatem, seu relationem, vt Pater considerans vtramque ex natura rei habeat, & non ex aliquo actu intellectus, vnde vera hæc propositio sit: Essentia non est formaliter Paternitas.* Vt constat ex eius verbis datis citato loco de Trinitate.

2. Nos autem ibidem neque eis Scoti verbis recitatis, atque Illustrissimi Merinero, ibi etiam citati ponderationibus adduci potuimus, vt amplius aliquid ab Scoto distinctionis inter communia, & personalia inducererur, quàm fundamentum reale, siue ex rei ipsius natura, ad distinctionem rationis inter illa formandam, siue à nobis abitractiuè Deum cognoscentibus, siue ab intuentibus Deum Beatis, sicut se Deus intuetur. Cùm enim Scotus ipse in 1. d.1. q. cum Scotistis omnibus defendat videntes Deum clarè, Essentiam sine Personalitatibus posse videre, idem de Deo seipsum videntè intuitiuè videntur necessariò dicturi, ac proinde, Scoti verba de Patre cognoscente intuitiuè seipsum, saluarentur, & proprio quidem sensu, satis esse, si ei ad diuidendam Essentiam formaliter, & ex parte obiecti, cùm se intuitiuè videt, à Paternitate, entitas ipsa diuina sine vllo actu intellectus præcedente ex sua ipsius natura, & entitate fundamentum præberet. Verùm, licèt ex eius verbis præfatis nihil amplius euinci de Scoti mente queat; censeo tamen aliunde communem Scotistarum interpretationem magis è Scoti mente esse. Etenim distinctio rationis ratiocinatæ, siue cum fundamento in re, iam pridem ex Patribus tradita erat in Scholas, ab Scholasticis recepta, & de cuius assertione nulla esse posset, adhuc præ nouitate, dubitatio eam asserendi, vel metus. Scotus autem ità timidè eam distinctionem primò protulit §. illo *Sed hîc restat*, vt dixerit: *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris.* quibus, & sibi, & sententiæ suæ præ nouitate, & difficultate metuere, neque assertiuè proinde velle illam proponere, satis ostendit.

3. Stet ergo sententiam Scoti, de distinctione reali actuali ex natura rei, siue formali tertiam aliam distinctionem, vel præter duas actuales, & rationis ratiocinatæ, & realis notissimæ, siue inter rem, & rem, non solùm formaliter ex natura rei fundamentaliter, sed realiter realiter, vt sic loquar, diuersas inter communia, & personalia in diuinis posuisse; neque tamen Scotus, eiusque Schola ita putanda est delirasse, vt mediam hanc distinctionem, inter realem, & rationis defendant contra Arist. 5. metaph. tex. 14. & lib. 6. tex. 6. Cum enim distinctio rationis sit, quæ datur solùm in mente, realis autem, quæ non datur solùm in mente: qui mediam inter hæc darer, medium inter contradictoria daret, quod subtilis Doctoris, & Scholæ non est, sed vesani solùm hominis, & stupidissimi. Docent igitur Scotistæ, distinctionem inter personalia, & communia realiter, siue à parte, seu ex rei natura dari, alterúmque distinctionis realis formalis, seu, quæ ex natura rei datur membrum vnum esse, alterum verò distinctionem realem præsè dictam, seu non formalem realem. Sed, licèt subtimidus adeo, atque ob difficultates mysterij Trinitatis sententiam hanc fuerit Scotus ingressus, tamen, cùm rationes, quibus illam ibi probat de aliis omnibus, quæ ex parte conceptus obiectiui distinguuntur formaliter, æquè probent, eam etiam inter Essentiam metaphysicam Dei, eiusque Attributa. Atque inter hæc etiam inter se, deposito iam metu admisit in 1. d.8. q.3. dicens. *Ad quæstionem respondeo, & dico: quod inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis &c. Est ergo ibi dist. tertia præcedens intellectum omnimoda, & est ita; quod Sapientia est in re ex natura rei; & Bonitas est in re ex natura rei; Sapientia autem in re non est Bonitas.* Cùm autem cuiuis distinctioni opposita identitas necessariò respondeat, formalem etiam, & ex natura rei identitatem ab intellectu independentem admisit, sicque definiuit Scotus q.illa 7. citata: *Voco identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur, sic idem includit, cui dicitur, sic idem in sua ratione formali, & per se primo modo.*

4. Hanc sententiam Scoti ita explicatam, tam, quo ad identitatem, quàm quo ad distinctionem Attributorum ex natura rei formalem Scotistæ omnes admittunt, si citatum Herreram excipias. Nec solùm citaui plures d. 8. de Trinit. q.2. cert. 1. n.2. vbi & acerrimum distinctionis huius formalitatum ex natura rei defensorem Ægidium de præsentatione Augustinianum. Nunc autem addo Radam 1.p. controuers.4. Lichetum Burgium, Basolidem, Nicolaum de Nisse, Guillielmum Boro Longum, Maironem, Petrum de Aquila, & alios, quos refert, sequiturque Theodorus Smising. de Deo vno tract.2. d.1. q.2. n. 43. Quibus accessit è nostris Fonseca 5.met.cap.4.q.6. & Conimbricenses præfat. Porphirij q. 4. vbi inter formalitates rei eiusdem creatas, eiusmodi distinctionem ex natura rei, nó tamen in diuinis, admiserunt. Cæterùm Scotistæ in his, vt vidimus contr.2. Logicæ, non omninò concordant. Nam Syrectus, Mauritius Balon, & alij teste Merinero sect.2. cesent formalitates, seu naturas vniuersales distingui formaliter ex natura rei ab inferioribus, quibus insunt, secùs verò has ab illis, quibus formaliter ex natura rei cèsent idétificari.

Contra vero Bassolis, Trombeta, & Rada inferiores à superioribus distinguunt formaliter ex natura rei, has vero illis formaliter ex natura rei identificant. Vtrique enim censent inter eadem extrema eiusmodi distinctionem, & identitatem non mutuam esse posse contra euidentissimum principium Dialecticum, in quo omnes Logicarum conuersionum regulæ nituntur. Reliqui verò Scotistæ inter easdem formalitates mutuam vel distinctionem, vel identitatem ex natura rei necessariam fatentur, vt videre est apud Merinerum suprà; sed de his plura in Dialectica dedimus.

5. Sententia opposita negans inter Attributa, & Essentiam, & inter seſe distinctionem, ex natura rei formalem, atque ab intellectu prorsus independentem tenenda nobis, vt longè verior, est, longèque communior: Adeò vt præter Ægydium, Fonsecam, & Conimbricenses extra Scoticam Scholam omnes eiusmodi distinctionem in diuinis, non solùm inter communia, sed & inter communia, & personalia negarint. Idcircò neminem pro hac negatiua sententia retuli citato loco de Trinit. Neque in præsenti referam, quia vno ferè referuntur verbo, reliqui Theologi omnes. Quin affirmatiuam plures grauibus censuris sugillant. Canariens. & Bannez ad q.28. 1.p. art.2. & q.39. art.1. & 2. Et alij apud Turrianum. Opusculo eodem. Relat. erroris in fide, eam notant: Marsil, & Adan. Contra illam clamare Scripturam, & Patres. Bacon esse contra Scripturam: Zumel. ad q. citat.1. non satis Fidei consonam: Carthusianus summis Philosophis, & Theologis aduersari: Molina, & Atrubal citatis locis 1.p. non satis esse tutam. Ruiz d.11. de Trinit. temerariam, nec tutam appellat. Ego verò à censuris in subtilis Doctoris, & Scholæ, sententiam temperans, earum solùm fundamenta ab authoritate proponam, vt alij, quo iure ferantur, iudicium ferant. Primò enim Concil. Florent. semel, atque iterum in diuinis, adhuc Hypostases, seu personalia ab Essentia *solaratione* differre dicuntur. Atque in Rhemensi ab Eugenio 3. definitur, *In nullo sensu Catholico* negari posse, quin diuinitas sit relatio, & è contra, nec diuidi hæc posse, vt alterum reipsa ab altero, contra Gilbertum Porretanum, qui ea solùm ex natura rei diuidebat teste Otthone Frinsingiense apud Bazq.1.p.d.120. c.1.& 2. Imò cum hæc ex natura rei, & ante intellectum distinctio vera sit. Pater, *Deitas*, aut Deus *Iustitia* in recto dici absolutè, & simpliciter non poterit, sed *Deitate* Deus, & Deus *Iustitiâ* in ablatiuo; Iustus, vti Gilbertus aiebat.

6. Quartò: cap. Damnamus, & cap. Firmiter de summ. Trinit. & Fide Cathol. ex Concilio Lateranensi, esse idem omninò Personas, etiam cum Essentia omninò simplicissima, nec esse quaternitatem, neque vlteriorem Trinitate numerum definitur. Si autem distinctio hæc in diuinis vera, nec solùm per rationem, & ficta sit, non quaternitas solum, sed longè ampliùs numerus, seu centenitas (vt ait Bernardus 5.de Consideral.) in Deo erit. Quæ omnia consensui Sanctorum Patrum, qui Dei summam simplicitatem, omniumque, quæ in Deo sunt identitatem inter seſe veram absolutè, ac proinde cuiusuis diuini prædicati de quouis alio, abstractis nominibus, prædicationem, neque aliter ea, quàm per rationem distingui summo consensu, & fatentur, semper & docent, minime cohærere, sed aduersari videntur; & quamquam ob mysterij Trinitatis arduitatem, & difficultates, quæ ex illo imbecillitati, ac tenuitati nostrarum mentium opponuntur, in eam sententiam agi nonnihil excusationis haberet, tamen eam etiam in communibus Dei Prædicatis defendere omnem rationabilem, excusabilemque ausum prætergredi videtur. Nec satis est quòd his ab authoritate petitis argumentis, diuersimode Scotistæ respondent. Nimirùm, maiorem Identitatem, Vnitatem, ac Simplicitatem in re, quæ pluribus prædicatis, & formalitatibus ex parte obiecti diuersis constat, esse prorsus chimæricam, & impossibilem: sed æquè responsio hæc, atque sententia ipsa Patribus, & Conciliis aduersatur, cùm neget possibilem Veritatem, Simplicitatem, & Identitatem omni distinctione, compositione, ac diuisione vera, & quæ rationis puræ non sit, prorsus immunem: cùm eam Patres, & Concilia præfata, & possibilem esse, & Deo adesse de facto desiuiant.

CERTAMEN II.

A ratione distinctio vera formalis ex natura rei Attributorum inter seſe, & ab Essentia eliminatur.

1 VT ea nunc mittam, quæ in Logicis vniuersim dedi, & quæ ex Dei, ac diuinorum omnium summa Vnitate, Simplicitate, atque reali Identitate, & nuper ex Patribus retigi, fusiusque, dedi citato loco de Trinit. Et fusiùs adhuc de Simplicitate, & Vnitate Dei agens, contra eiusmodi distinctionem persequar: Arguo primo discursu quem contra eam efformaui citato loco de Trinitate, ostendens emolliendis arduitati, & difficultatibus, quæ in mysterio Trinitatis occurrunt (ob quasque primùm Scotus, subtilissimus tamen, in eam sententiam fuit actus) distinctionem formalem ex natura rei ante, atque independentem prorsus ab omni actu intellectus, nullatenus inseruire; ac proinde sine vllo fructu sententiam tot difficultatibus, periculisque in bona Theologia, imò & Fidei puritate, plenam, inductam in Scholas fuisse, meritóque à communibus Dei prædicatis (in quibus ea sublata, neque vmbra difficultatis est. Ea vero superstite, & admissa tot difficultates ebulliunt) omninò esse relegandam. Difficultates mysterij Trinitatis ad duo capita reuocantur. Primùm ad eas, quæ ex illo principio notissimo; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, suboriuntur in Trinitate. Alteram ad eas, quæ non nisi cum contradictione de Deo, ac Persona, & Personalitate quauis diuina, verificari posse videntur.

2. Difficultatum primi generis ex illo principio in hoc mysterio suborientium exemplum sit. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed Personæ diuinæ sunt eadem vni tertio Essentiæ: ergo sunt eadem, seu idem inter se. Dicet Scotista distinguendam maiorem: quæ sunt eadem vni tertio identitate omni reali, tam strictè reali, quàm reali formali ex natura rei, sunt eadem inter se, esse verum; alterâ solùm, falsum: Personas autem esse eadem vni tertio Essentiæ, alterâ solùm identitate reali, strictè nimirum dicta, non autem reali etiam formali ex natura rei; sed hoc effugium inane esse, sic ostendo ex dictis citato loco de Trinitate. Etenim eius generis & ordinis identitas extremorum inter se fore illud principium dicit, cuius fuerit eorum identitas cum tertio, non ordinis, & generis alterius, vt per se patet: alioqui liceret eadem facilitate dicere, non currere illud principium, nisi de extremis identificatis vni tertio omni genere identitatis, rationis etiam. Constans ergo, & per se notum est, ex identitate extremorum cum tertio in vno genere eorundem inter se, in illo genere identitatem inferri; atque identitatem, seu distinctionem in alio impertinenter prorsus se habere, vt in illo inferatur, vel non inferatur; atque identitas realis strictè Patris, seu Paternitatis, Filiique, & Filiationis cum Essentia adest ex Fide: ergo ex illa identitas realis strictè inter seſe infertur, quin obsit distinctio formalis, ex natura rei ab intellectu omnino independens, requiratúrue formalis ex natura rei eorundem extremorum cum Essentia, identitas. Denique ex hac solutione infertur, ex identitate reali stricta, seu specialiter dicta Attributorum cum Essentia, eorundem inter seſe identitatem realem nullatenùs inferri posse; sicuti neque aliorum prædicatorum rei eiusdem in creatis, vnde omnis syllogistica forma cessaret: quia neque Attributa cum Essentia, neque alia prædicata rei cuiusuis, cum aliquo eius prædicato formalem ex natura rei identitatem habent, sed solùm realem specialiter dictam identitatem.

3. Difficultatum secundi generis exemplum sit, vulgaris illa etiam contradictio, de eadem realiter specialiter, seu strictè realiter dicta entitate Patris. De qua eadem reali entitate verum est dicere: *Essentia Patris communicatur, atque Paternitas seu Relatio, ac Personalitas Patris non*

non communicatur. Atqui Paternitas, seu Relatio, ac Personalitas Patris eadem realiter est cum Essentia Patris: ergo de eadem entitate duo contradictoria verificantur, vel fatendum contra fidem erit: vel vtrumque communicari, vel neutrum. Hæc autem, admissa etiam distinctione formali ex natura rei eodem modo contradicunt, si contradicunt sine illa: ergo ea etiam admissa difficultates secundi generis ex contradictoriis, quæ videntur in mysterio Trinitatis admittenda, eodem modo perseuerant. Minor probatur: quia tunc est contradictio, cum eo sensu, quo contradictoria prædicantur, vnum idemque ipsum est, de quo prædicantur: atqui in eo sensu, in quo prædicantur, communicari Paternitatem, & non communicari Essentiam, Essentia & Paternitas vnum idemque ipsum est, etiam admissa distinctione formali ex natura rei: ergo etiam admissa, eadem vi, & robore perseuerant contradictoria quo ea seclusa stabant, si stabant. Minor hæc probatur: quia communicari, & non communicari dicuntur in sensu reali stricte tali de Essentia, & Paternitate: atqui admissa etiam distinctione Essentiæ, & Paternitatis, formali ex natura rei, Essentia & Paternitas in sensu reali stricte, & specialiter tali vnum idemque ipsum sunt per ipsos Scotistas, & per Fidem: ergo, ea etiam distinctione admissa, in eo sensu, quo contradictoria prædicantur de Paternitate & Essentia, vnum idemque ipsum est subiectum.

4. Solùm respondere possent Scotistæ ad contradictionem veram requiri, quod subiectum, de quo vtráque contradictionis pars prædicatur, debeat esse idem, omni identitate, non solùm reali, speciali, & stricto sensu, sed etiam reali formali, & ex natura rei, quod est negare primi syllogismi maiorem. Ea vero probata à nobis est. n. 2. in refutatione similis solutionis, argumento primo adhibitæ. Etenim ex ea infertur etiam secluſa distinctione ex natura rei formali, sola rationis distinctione, saluari eiusmodi contradictiones in hoc mysterio posse, si alius sensus ab eo, in quo prædicata contradictoria dicuntur, distinctio eorum, de quibus dicuntur, sit satis, licet in illo ipso sensu, in quo de eis dicuntur, habeant omnino identitatem. Sed vt ibi dicebam, vt forma contradictionis persistat eodem omnino sensu, quo prædicata subiectis conueniunt, ac verificantur esse idem ipsum vnumque satis est, neque alio sensu, & ordine esse ad destruendam contradictionem est satis: quare neque Essentiæ, & Paternitatis in alio quouis sensu distinctionem ad contradictoria vitanda satis esse. Alioqui illud argumentum ipsum contradictoriorum dictorum, quo Scotistæ alios ad suam ex natura rei formalem distinctionem Essentiæ à Paternitate, per trahendos putant, vim nullam habet. Est enim eiusmodi, Paternitas non est Filiatio: Essentia est filiatio: atqui Paternitas, & Essentia sunt idem: ergo idem est Filiatio, & non est Filiatio. Inquiro enim ab his. An eo sensu, quo de Paternitate prædicatur, ac verificatur non esse Filiationem, & de Essentia esse Filiationem, siue non esse idem cum Filiatione, & hanc esse idem cum Filiatione. Satis sit Paternitatem, & Essentiam esse idem, vt sit vera contradictio? an satis sit quòd alio sensu, & genere identitatis Paternitas, & Essentia non sint idem, vt contradictio vera non sit? si hoc extremum, distinctione obiectiua purè rationis, ei satisfiet; si primum (quod per se quidem notum est) contradictoriis suis, nec ipsi satisfaciunt, cùm ad aliud genus, & sensum distinctionis formalis ex natura rei recurrant, diuersum ab eo, in quo Paternitas non esse idem cum Filiatione, & Essentia esse idem cum Filiatione vere dicitur.

5. Arguo tertiò: vel distinctio formalis ex natura rei vbicumque adsit, facit, vt res eadem, inter cuius prædicata inuenitur, possit prædicata aliàs contradictoria, vt communicari, & non communicari, vel alia similia, subire? vel secùs? si hoc extremum: ergo, quod in Patre diuinoad facit, non est distinctio ex natura rei formalis Scotica: sed aliud speciale, nempe Dei infinitudo, atque eminentiale esse, identitasque summa, quæ aliàs incompossibilia, siue eorum fundamenta adunat. Pater: nam si ea sola distinctio id præstaret vbicumque adesset, idem præstaret. Si autem dicas idem præstare vbique rerum, in quibus sit: ergo & in creatis idem præstat. Quid ergo adeò arcanum, & mentis nostræ captum superans, est in Trinitatis mysterio, vt eius, ne possibilitas quidem, sub discursus nostri vires assequenda veniat, vt Patres, & Theologi vno ore, & sententia fateantur. Cùm possibilitas similis in creatis, huius distinctionis beneficio facillimè à discursu nostro deprehendi queat? Imò cur inde realis communitas naturæ superioris cum inferioribus, quæ inter sese realiter distinguuntur Platonica tantoperè à Philosophis omnibus, Scotistis etiam, exsibilatur, cùm contradictiones omnes, ad quas ea sententia cogitur, huius formalis distinctionis ex natura rei subsidio facilè superentur? hoc ipsum argumentum conficitur in alia difficultate, ex illo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: quæ omninò euacuatur hac distinctione, ac proindè Trinitas, non mysterium, sed res facilis perceptu erit, atque opinio illa Platonica, quæ similem difficultatem patitur, ob eamque tandiu ab Scholis exulauit, cum debito honore postliminio longissimo reuocata, erit ad Scholas reducenda, vt perpetuas ibi Scotistis suæ huius gloriosissimæ reductionis authoribus gratias agat. Maximè, cum prædicati communis eadem sit definitio, quare, & realis formalis ex natura rei omnium realiter distinctorum inferiorum identitas conuincetur, si prædicatorum rei eiusdem definitionum diuersitas satis (iuxta Scotistas) sit ad formalem ex natura rei eorum distinctionem asserendam.

6. Ex his, quibus distinctio formalis ex natura rei, prorsus ab intellectu independens inter Personalia, & communia (vbi commodi aliquid afferre posset) inutilis ostenditur efficaciter satis à diuinis Prædicatis communibus inter sese (vbi nullius est fructus) relegatur, vt initio dicebamus. Sed reiicitur ab his specialiter. Etenim ea solummodo distincta quouis modo à parte rei, atque omninò ab intellectu independenter asseri in diuinis possunt, quibus independenter ab intellectu repugnat omnimodè identificari: ast his prædicatis personalibus, vel formaliter, vel fundamentaliter relatiuis (vt modo à sententiis abstraham circa constitutionem, & distinctionem formalem personarum) seu Relationibus Producentis, & Producti repugnat omnimodè identificari in diuinis, non autem prædicatis communibus, quæ neutro modo relatiua sunt: ergo, licèt in personalibus distinctio formalis ex natura rei, ab Essentia, & realis specialiter dicta inter sese ab intellectu independentes, admitterentur in communibus, (cuiusmodi sunt Essentia, & Attributa) admitti nullatenus possunt. Minor videtur dogmatica, ex illo axiomate: *In diuinis omnia sunt vnum, nisi obuiet relationis oppositio.* A Patribus, & Conciliis tradito, totaque Theologia suspecto; quod in sensu realis distinctionis à nemine Catholicè negari potest; imò neque in sensu formali, nisi de fundamentaliter relatiuis, etsi formaliter absoluta metaphysicè sint, vt nos censemus. Maior verò à nemine adhuc Scotista negatur. Sin autem illud *Omnimodè*, duriusculè ipsis soner. Probatur ex summa Dei Simplicitate reali, Secundò quia, quæ nullo modo repugnant inter se à parte rei, & independenter ab intellectu, omnimodo identificari à parte rei, atque independenter ab intellectu debent, ex prædicato infinitatis Essentiæ physicæ Dei. Denique: quia inter non relatiue, siue formaliter, siue fundamentaliter opposita, non solùm vnitas realis à Conciliis, & Patribus asseritur, quæ de Vnitate stricte reali satis videretur explicari ab Scotistis, sed & distinctio realis negatur. *Non est distinctio, nisi obuiet relationis oppositio*, quo omnis distinctio à parte rei, seu realis à diuinis aboletur non oppositis relatiuè alterutro modo: ac proinde ab omnibus prædicatis communibus. Quod autem communia prædicata, neque formaliter, neque fundamentaliter opposita sint relatiuè, seu relationibus producentis, & producti negari non potest: quia aliàs innumeræ processiones communium inter se, & ab Essentia fateri tenebitur. Nec valet, ea axiomata intelligi de distinctione, & vnitate stricte reali, quarum altera, non nisi in ita oppositis est, vnitasque realis stricta, seu specialis in ita non oppositis; non autem de distinctione reali formali, seu ex natura rei, atque vnitate reali formali, seu ex natura rei: quia illa negatio distinctionis à parte rei omnem aboleret distinctionem inter relatiuè non opposita, vt dixi.

Secundò: quia non est cur prædicata communia distingui sine ea oppositione, formaliter ex natura rei valeant, non autem realiter. Denique distinctionis formalis ex natura rei independenter ab intellectu, & distinctionis absolutæ, & strictæ realis diuersitatem voeum solummodo esse ostendimus fusè citatis locis, maximè controuers. 2. dialect. Denique quæ pro hac sua sententia Scotistæ opponunt leuissima sunt, neque in diuinis maiorem difficultatem, quàm in creatis habent, præter argumentum contradictoriorum, & vnius tertij, quod æquè eos in sua distinctione ex natura rei premit, vt vidimus: quare nihil hìc pro eis opponam, tunc quia soluta facillima, tum quia ea omnia in Logicis discutiemus.

QVÆSTIO V.

An Attributa diuina virtuali reali distinctione, & inter sese, & ab Essentia distinguantur?

Hic etiam agimus de Attributis stricta acceptione dictis, idest, prædicatis necessariis Dei Essentiam metaphysicè consequentibus. De contigentibus enim, an ab Essentia, & communibus realiter virtualiter, & distinguantur, & producantur, ad controuersiam de Voluntate Dei spectat, disputare.

CERTAMEN I.

Affirmantis sententiæ Doctores, & explicatio & distinctionis huius virtualis realis antiquitas.

1 PAtronum inuentorem innumeramque sequentium doctam turbam penè recensuimus controuers. 2. dialect. d.1. q. 2. & controuers. de Trinit. d. 8. q. 2. certam. 2. n.1. pro qua addo Atriagam ibi citatum, longiùs tamen post illa nostra scripta eiusmodi distinctionem adstruentem 1. p. d. 42. sect. 5. Albiz tractatibus de Scientia, Voluntate, & Trinitate. Fasolum 1.p. q. 4. art. 2. n.99. Oniedo controuers.4. met.pun.4. & Murcianos Recentiores. Quid autem distinctionis virtualis (de qua hìc) nomine veniat intelligendum, atque ab his Doctoribus intelligatur eo cert. 2. aperuimus, vbi illam esse virtutem, seu capacitatem rei eiusdem formaliter realiter ad suscipienda prædicata contradictoria, quod nullus ab eadem realiter entitate prorsus eadem suscipi, aut recipi verè minimè possunt: siue (vt eorum, qui eam tuentur vocibus ipsis vtar) distinctum virtualiter realiter est, *quod cùm idem omnino reipsa sit in ordine ab subeunda realiter contradictoria perinde se habet, ac si distinctum foret.*

2 Distinctionem hanc inter Personalia, & Communia citati omnes defendunt, atque inter prædicata necessaria, & libera, ad quæ in necessariis huius virtualis distinctionis beneficio, potentiam etiam virtualem pleriique ex eis fatentur, vt controuers. de Voluntate videbimus, vbi huius virtualis potentiæ Patronos numerabimus, ac per otium impugnabimus. Cæterum ex eis pleriique etiam in communibus, ac necessariis Dei prædicatis eiusmodi distinctionem realem virtualem non negant solùm, sed prorsus abhorrent, vt chimæricam, ac sine fundamento vllo in eis inductam: imò, non sine mysteriorum fidei nostræ iactura, irreuerenter, cuius sententiæ præcipui defensores sunt Murciani Recentiores, & quidem eiusmodi distinctionem inter necessaria Dei prædicata sine vlla rationis vmbra, ac fundamenti momento, ac tandem cum magna mysteriorum fidei nostræ irreuerentia adhiberi, ex dicendis, cert. 2. aperte constabit.

3 Ex eis autem, qui vel inter communia & personalia, prædicataque libera, & necessaria Dei, vel etiam inter omnia diuina, etiam necessaria prædicata realem hanc iuxta memoratas sententias virtualem distinctionem recognoscunt, ita hanc virtualitatem, seu æquialentiam distinctorum, prædicatis diuinis tribuunt, vt eis realiter distinctis in ordine ad totum, seu ad omnia munera, quæ eis ita realiter distinctis competunt, attribuant; in quo & ab intelligentia, & definitione realis virtualis distinctionis, quam defendunt, & a ratione aperta deficiunt, & in plura incidunt absurda: quod ipsum de quauis æquialentia, aut virtualitate rei huius, respectu alterius dictum puta. Etenim cùm virtualitatis Essentia, ac definitio sit æquialentia rei vnius, & eiusdem pluribus, & diuersis realiter in ordine ab subeunda prædicata contradictoria: atque possint distincta virtualiter, ita habere se in ordine ad aliqua, quin in ordine ad alia distinctorum munera, ac si distincta essent, se gerant; non statim distincta virtualiter sunt quoad alia munera distinctorum realiter, ac si distincta realiter forent, se gerere debent. Rationi etiam deficiunt: quia, quæ omnia omnino munera distinctorum subeant non virtualiter, & æquialenter, sed realiter etiam formaliter distincta erunt. Æquialentia enim alicui in omnibus, & per omnia, non æquialens solùm, sed realis formalis identitas cum illo est: vt patet in vino æquialenter, & virtualiter calido, si enim in omnibus, & per omnia, ac non solùm in causando calore, huic æquialeret, calidum certè realiter formaliter, ac non solùm virtualiter esset. Absurda, quia innumera, & facilè deducibilia omitto.

4 Hinc etiam præcautus est virtualem realem distinctionem, vbiuis sit, admittentibus error alius, qui eis facilè, è virtualis suæ distinctionis destinitione, posset obrepere: Ex quo etiam nonnullis obiectionibus possent irretiri. Nimirum ad virtualem distinctionem realem, licèt in subeundis contradictoriis æquialentia realiter distinctis requiratur, non tamen esse opus, vt omnia contradictoria, quæ distincta alia realiter formaliter subire possunt, imò, nec, quæ pro libito quisque voluerit ex iis, quæ ipsi occurrant, debeant realiter virtualiter distincta subire. Etenim cum vnum solùm contradictorium, verè tale, nequeat idem realiter, atque vnum reipsa subiectum subire, quod realiter vnum est, si vnum solùm, aliis vere contradictorium respectu alterius subeat, licèt plura alia contradictoria non subeat, imò subire nequeat (vt potest contingere) vt distinguatur realiter virtualiter, satis habebit.

CERTAMEN II.

Realis virtualis distinctio inter Attributa Necessaria inter sese, & Essentiam minimè admittenda.

1 VNiuersim verò, realem hanc virtualem distinctionem in diuinis, adhuc inter communia, & personalia, atque inter prædicata necessaria & contingentia, seu libera diuina constanter negant Vasq. 1. p. d. 117. & d. 121. Granados controuers. 1. tract. 3. d. 5. sect. 3. Alarcon tract. 1. d. 4. cap. 2. tract. 3. d. 4. cap. 7. tract. 5. d. 2. cap. 7. Luis Torres p. 1. select. cent. 4. dub. 35. (qui duo contra eiusmodi distinctionem plus odij, stomachi, dicteriorum, & inanium censurarum, quàm rationum afferunt) & alij apud ipsos, quibus ego consensi, eandem realem virtualem distinctionem, tam à creatis controuer. 2. Dialect. d. 1. q. 3. quàm à diuinis etiam inter communia, & personalia d. 8. de Trinit. q. 2. cert. 2. Et inter communia necessaria, & libera hoc tomo controuers. 3. d. omnino relegans. Quare in præsentiarum potiori eam iure inter prædicata diuina communia, & necessaria (cuiusmodi Essentia, atque Attributa Dei sunt) prorsus reiicio, in qua conclusione non solùm cum proximè recitatis absolutè, atque vniuersim eam in diuinis negantibus conuenio, sed etiam cum plerisque eorum, qui ea inter personalia & communia, atque inter necessaria, & libera admissa,

missa, tamen inter prædicata communia necessaria à diuinis reiiciunt, vt memorauimus certam. 1. n. 2.

2 Sed enim, quia aliquibus à nobis efformatis argumentis, citato loco de Trinit. vidimus satis acutè à Murcianis Recentioribus tentatam solutionem, aliisque, quæ tactio purè de nomine quæstionis, omisimus, pro eis instandum hoc loco nobis erit, cùm ex negatione eius distinctionis virtualis, etiam in Trinitatis mysterio, validè, vt diximus, à communibus, & necessariis prædicatis reiiciatur. Eam igitur reiiciebamus ibi: quia eiusdem rationis inferenda est distinctio, vel identitas extremorum inter sese, & cum tertio, quo inter sese distinguuntur, & cum tertio identificantur, ex illo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio.* vt q. 4. cert. 2. n. 2. docebam contra Scotistas. Quare, cum distinctio Personalitatum inter se, & identitas cum Essentia realis formalis sit, earum ab Essentia realis formalis distinctio, vel inter se identitas inferetur; quin virtuali solum eorum ab Essentia distinctione satisfiat. Secundæ difficultati de contradictoriis, quæ de Personalibus, & Essentia realiter verificari dicuntur, ea virtualis distinctio non satisfacit: quia tunc solùm absolutè est vera contradictio, cum eo sensu, quo vtrumque contradictorium verificatur, est idem ipsum subiectum de quo verificatur vtrumque. Ast in sensu absolutè reali actuali, in quo verificatur, *Paternitas communicatur. Et Essentia non communicatur*, contradictoriáque similia, Essentia & Paternitas est idem ipsum subiectum de quo verificantur: ergo manet adhuc vera contradictio, posita etiam distinctione virtuali ad eam vitandam inuecta.

3 Difficultati ex principio illo, *Quæ sunt eadem vni tertio.* petitæ nihil respondent Præfati Recentiores, sed huc solùm de contradictoriis. Aiunt enim: tunc subiecta contradictoriorum eo sensu, & modo, quo hæc illis conueniunt, distingui debere, cùm vi distinctionis subiectorum vitanda est contradictio, vt Scotistæ vi suæ distinctionis formalis ex natura rei vitare contendunt; secùs autem, cùm sine vlla vera distinctione subiectorum, de quibus verificantur realiter, imò cum summa eorum reali identitate, reíque in qua metaphysicè sunt vnitate, ita in ordine ad subeunda realiter contradictoria ob entitatis suæ eminentiam, se gerunt, ac si realiter distinguerentur. Bene: ergo distinctio hæc virtualis ex parte subiecti posita, nihil emolliendæ difficultati contradictoriorum, ex hoc mysterio pullulantium, inseruit, neque eius vi euacuatur contradictio; sed potiùs ex summa Dei identitate, & vnitate; quæ quia summa, atque eminentissima est, ea, quæ in non adeo summè eisdem, & vnis repugnant, amicè componit, facitque contradictoria in Deo non esse, neque ad contradictionem veram peruenire (cum nihil in eo negatiuum sit, quale alterum veræ contradictionis extremum esse oportet) fundamenta vero, vt nostro intelligendi modo contradictoria enuntiemus, quæ quidem in aliis minùs Deo vnis, & eisdem veram contradictionem efficerent: quare ex summa potius identitate, & vnitate Dei, de quo contradictoria verè prædicamus, quàm ex vlla eorum, quæ in ipso metaphysicè sunt, distinctione reali, siue actuali, siue virtuali contradictoriorum, & aliorum, quæ ex hoc mysterio suboriuntur, vt citato loco de Trinitate docebámus, ea proueniunt.

4 Arguo rursus. Non est maior oppositio, & repugnantia identitatis realis formalis, Principij producentis cum procedente, quàm sit eius identitatis contradictoriorum in subiecto eodem: Cùm ex hac, illa tandem demonstretur: Ast per vos contradictoriorum oppositio, & repugnantia saluatur satis distinctione reali virtuali: ergo eadem etiam saluabitur satis repugnantia identitatis Principij cum Principiato. Quare ex diuinis processionibus Filij à Patre, atque Spiritus Sancti ab vtróque, diuinarum personarum realis actualis distinctio perperam à Patribus, & Conciliis inferetur, cùm virtualis hæc distinctio ad eiusmodi processiones sufficiat. Insuper ex eodem principio infertur, in diuinis plura principia, & principiata virtualia dari debere v.g. Intellectionem diuinam esse principium reale virtuale Volitionis diuinæ adhuc necessariæ, ne dum liberæ, quod ipsum de Essentia respectu reliquorum Attributorum dictum puta. Neque enim maior est repugnantia in eo, quòd vnum, idemque ipsum realiter, tamen virtualiter in ordine ad suscipienda contradictoria, independenter ab intellectu distinguatur, ac se, vt realiter actualiter distinctum gerat, atque contradictionem conciliet, quàm in eo, quod se gerat, ac si secum identificata producat, & id quidem independenter ab intellectu: & vrgetur, quia si in diuinis omnia vnum sunt, vbi non obuiat relationis producentis, & producti oppositio (vt Theologicum dogma fert) benè quidem ex distinctione quauis non ficta in diuinis infertur, in eodem genere principij, & principiati oppositio: aliquin erit in aliquo genere distinctio sine oppositione in illo, contra dogma præfatum. Scio ab aliquibus consequentiam è virtuali distinctione ad virtuale principium admitti. Sed malè: tum ob præcontinentiam realem necessariam in principio, respectu principiati, & eminentialem longè maioris perfectionis, quàm sit in principiato, si æquiuocum principium sit, quæ in diuinis repugnat: tum quia mysterium virtualis productionis, si de non cogente, vti non cogit, admittere, non temerarium tantùm, sed & stolidum est.

5 Ad primum, ac præcipuum argumentum respondent Murciani Recentiores. Veram esse maiorem de contradictoriis realibus formalibus: nempe non esse maiorem repugnantiam productionis eiusdem à seipso, quàm subeundi contradictoria, quod vnum, idemque reipsa est; secùs autem de contradictoriis solùm fundamentaliter realibus, ac nostro tantùm intelligendi modo contradictoriis formaliter: cuiusmodi omnia è mysterio Trinitatis suborta contradictoria sunt. Verè quidem, & benè respondent, sed solutione, quæ suam virtualem distinctionem prorsus euertat. Ex ea enim constat entitatem vnissimam, eandémque prorsus Patris non se habere in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria, ac si esset duplex. Siquidem necessitas duplicis realis subiecti solùm est ad contradictoria realia formalia subeunda, non autem ad realia fundamentalia, seu realiter fundamentaliter solummodò talia: at per hos Recentes contradictoria è mysterio Trinitatis oriunda, solùm sunt realiter fundamentaliter, non autem realiter formaliter talia: ergo in ordine ad illa subeunda non se gerit Patris entitas, ac si esset duplex; sed potiori iure ex summa, atque eminentissima eius identitate, vnitate, simplicitatéque, dicetur, ita ea contradictoriorum fundamenta realia adunare, atque secum identificare diceretur, vt inde contradictoria formalia, non quidem realiter, sed nostro intelligendi modo talia, cùm fundamento in re, atque entitate sua reali, verissimè subire queat. Atque hæc sanè solutio, & ad vtrámque mysterij difficultatem emolliendam valdè est accommoda, & omnem occasionem virtualis distinctionis ad prædicata communia diuina: imò ad creata, cum mysteriorum Fidei irreuerentia, & Philosophiæ iactura, extendendæ præcidit, vt dicebamus de mysterio Trinitatis agentes, & controuers. 2. Dialect. d. 1. qu. 3.

6 Ad Nugatorium circulum (in quem virtualis distinctionis explicatores agebamus citato loco de Trinitate, dum aiunt ideo distingui virtualiter entitatem Patris, quia suffert prædicata contradictoria, & ideo ea sufferre, quia distinguitur virtualiter Essentia à Paternitate) respondent circulum non committi, sed distinctionem ex sufferentia contradictoriorum à posteriori probari, & hanc ex distinctione virtuali à priori: quæ tamen à priori ex eminentia entitatis & identitatis diuinæ monstratur? Sed certè cum non aliundè probetur distinctio, quàm ex sufferentia, nec sufferentia illa, nisi ex distinctione, circulus probationis non vitatur: & cuti cum non aliunde probatur causa, nisi per effectum, qui solùm ex causa, ac non aliunde, quàm ex effectu nota est. Illa verò probatio à priori distinctionis virtualis ex eminentissima Dei entitate, mirabilis mihi est. Cùm inde eius summa realis simplicitas, Vnitas, atque Identitas demonstretur, quæ cuiusvis realis distinctionis, vel voces exhorret: & quæ, vt sæpè diximus, quatenus diuinam entitatem vnissimam, summamque eandem constituit, adunari in ipsa contradictoria realia fundamentalia facit, vt sæpè, ac nuper dicebamus.

7 Denique arguo: eo modo, quod est non discretorum distinctio, compositióque esse debet, vt patet: ergo cùm paternitas & Essentia discreta absolutè non sint, si

realiter virtualiter distinguantur, realiter virtualiter Patrem component: quod summæ Dei Simplicitati reali aduersatur. Distinguunt antecedens. Cùm distinctio non discretorum est in ordine ad se, & ad essendum, concedunt eo modo debere esse eorum compositionem; secùs cùm non est in ordine ad se & ad essendum, sed ad aliud munus, vt in nostro casu, ad subeunda prædicata contradictoria. Sed contra Primò. Eminentia diuini esse, & identitas summa entitatis Patris, in qua distinctio virtualis realis ab his ponitur, est in ordine ad esse, vt patet. Secundò: vel subiectum realiter virtualiter duplex est in entitate Patris, vel secùs? si primum: ergo in se est virtualiter realiter duplex, & nihil repugnantiæ contradictoriorum imminuet, cum omnimodo realiter subiectum in se idem, vnumque sit. Tertiò distinctione virtuali admissa, euidens est Essentiam distingui virtualiter à Paternitate, ac non ita à seipsa distingui: ergo in ordine ad se, & id quod sunt realiter virtualiter Essentia, & Paternitas distinguuntur. Vnde cùm iuxta hos Recentiores, distinctio virtualis in ordine ad vnum contradictorium, nec sit in ordine ad alia, neque ad ea debeat extendi, vt mox dicemus: atque hæc contradictoria proximè dicta diuersa ab eis omnibus sint, in ordine ad quæ inducta, & admissa distinctio virtualis à suis Patronis fuit, distinctione alia virtuali opus erit, atque ad orta ex hac contradictoria similia, erit opus alia, & sic in infinitum & virtuales distinctiones augentur, atque dum aliqua contradictoria è mysteriis Fidei suborta, ea distinctione curantur, infinita alia succrescent. Nec valet quod aiunt, distinctionem virtualem valere etiam pro contradictoriis, quæ ex ipsa nascuntur: quandoquidem in ordine ad illa inducta non est, si vera est eorum doctrina, quam nuper nunc recitabamus, & laudabamus.

8 Scio nostrum Quiros de Deo tract. 2. longissimam de distinctione virtuali disputationem doctam instituisse: in eáque, satis acutè, distinctionem virtualem impugnasse, quæ verò contra illam, verámque eius intelligentiam maius aliquid habent momenti, ad aliqua ex his, quæ nos hîc, & citatis locis dedimus reuocanda sunt reliqua prauam distinctionis virtualis intelligentiam oppugnant. Quod verò à sect. 14. contendit cum Okamo in 1. & 2a qu. 1. litt. D. Gabr. ibi art. 1. Fasolo 1. part. tit. 3. qu. 28. art. 2. an. 52. ad saluanda contradictoria è mysterio Trinitatis, & Incarnationis [illegible] inda distinctionem realem, & mediatam in Tertio, vi [illegible] sufficientem, ac necessariam esse, nobis non p[illegible] icèt autem eius impugnatio huius loci non sit, breuiter impugnanda capita aliqua perstringam. Primo enim supponit tota hæc doctrina de eadem omnino in se entitate Patris, v.g. verificari contradictoria realia formalia nec solùm fundamentaliter talia; quod tamen falsum esse diximus. Secundò, hoc suppositio admisso, distinctio mediata, & in tertio ad saluanda eiusmodi contradictoria non sufficit. Etenim de eadem entitate Patris, v.g. in se immediatè verificatur producit, ac non producit; si autem subiectum contradictoriorum debet esse diuersum atque contradictio immediata sit, ac supra ipsum cadat, in ipso immediata, & in se distinctio, ac non mediata, & in tertio esse debet: atqui *Essentia est Filiatio. Pater generat, Essentia non generat*: æquè de eadem ipsa entitate Patris verificantur immediatè &c in se, vt tu concedis, atque distinctio in tertio non tollit, quominus immediatè, & in se illa contradictoria subeat entitas Patris: ergo distinctio in tertio non minuit implicantiam realium formalium contradictoriorum: quòd autem in illa negatiua: Paternitas non est Filiatio, extremum negatum diuersum sit à Paternitate, non ab Essentia, nil præstat, cùm de eadem reali entitate Patris in se verificetur vtrumque.

9. Meliùs ergo his respondetur ex summa vnitate, & identitate, & eminentia esse, & Essentiæ diuinæ, quæ ea omnia fundamentaliter realia contradictoria adunat. Solùm hîc aduerto, præráfque ex contradictoriis allatis à nostro Quiros, vt Paternitas generat, Essentia non generat: Volitio est principium Spiritus Sancti, secùs Intellectio, veras contradictorias simul veras non esse. Nam Paternitas sola præcisè sumpta non generat; magis quàm Essentia, cùm neutra præcisè sumpta principium, seu potentia generandi absolutè sit, cuius solùm est generare: licèt autem coniuncta cum Essentia principium, & potentia adæquatè, & absolutè talis sit, cuique generandi denominatio conueniat: sic autem sumptæ Essentiæ, vt coniunctæ identicè cum personalitate Patris, æquè etiam competit generare, atque vt coniunctæ personalitati Filij generari: quia, vt sic, adæquatum principium actiuum, vel passiuum generationis est, cuique eæ denominationes conueniant, & aprentur, vt ostendimus controuers. de Trinit. d. 14. qu. 3. quare in his nequit esse vera, imò neque apparens contradictio. Nam æquè falsificatur esse generantem, vel principium generandi de personali præcisè, atque de Essentia præcisè: æquè autem verificatur de vtraque accepta coniunctim. In eo verò, quòd Filius per Intellectum, ac non per Voluntatem dicatur procedere, Spiritus autem contrà, non per Intellectum, sed per Voluntatem, solùm denotatur ratio formalis, & titulus, ob quem communia ad eas processiones, & principia notionalia constituenda aduocantur; non autem exclusio realis Voluntatis, aut Volitionis à principio, seu processione Filij, aut Intellectus, & Intellectionis diuinæ à principio, & processione Spiritus Sancti. Nam reuera communia omnia ad vtrasque processionem identicè concurrunt, licèt titulus, ob quem omnia identicè concurrant ad processionem Filij, est intellectiui, & intellectionis prædicatum, atque prædicatum volitiui, & volitionis sit ratio, & titulus, ob quem communia reliqua realiter identicè ad principium, & processionem Spiritus Sancti confluant: quibus deficientibus, per locum intrinsecum deficerent eiusmodi principia, & processiones: reliquis autem communibus deficientibus materialiter, & identicè solùm deficerent. Quare negatiuæ propositiones, non procedit Spiritus per Intellectum, seu Intellectus, & Intellectio non sunt principium, aut Processio Spiritus Sancti, & similes aliæ in sensu reali prorsus falsæ sunt, secùs in sensu formali, atque à nostris præcisionibus dependente: quo plura, ac pleráque nostri Quiros contra distinctionem virtualem argumenta, his contradictoriis realibus innixa euanescunt.

CERTAMEN III.

Specialiùs virtualis distinctio inter communia abiicitur.

1 PRobatur primò à priori ex virtualis distinctionis realis definitione, qua eius essentiam contineri ipsi aduersarij fatentur. Id enim distinctum virtualiter est: *Quod, cùm idem reipsa omninò sit, in ordine tamen ad subeunda verè, & realiter, nec solùm per rationem, prædicata aliqua, saltem contradictoria, perinde se habet, ac si realiter distinctum esset.* Vnde distinctio virtualis breuiter definiri potest, *Capacitas prædicatorum, quæ idem omninò reipsa sunt, ad suscipienda realiter contradictoria.* Tum sic in prædicatis necessariis, & communibus Dei, (cuiusmodi Essentia, & Attributa sunt) quæ idem prorsus reipsa sunt, nulla est capacitas ad suscipienda verè, & realiter vlla contradictoria: ergo Attributa, & Essentia diuina non distinguuntur realiter virtualiter. Maior est realis virtualis distinctionis definitio ab ipsis aduersariis adhibita. Consequentia est legitima; cùm à negatione definitionis ad negationem definiti procedat. Minor est aperta, sin ostende aliquod prædicatum, quod verè, & realiter, atque ab intellectu independenter de Essentia, ac non de Scientia, Bonitate &c. Vel contra de harum aliqua, ac non de Essentia verè prædicetur, aut negetur.

2 Secundò Probatur: quia conceptus adeò perceptu, conceptúque difficilis, vt nisi Fidei mysteriis, eorumque reuelatis veritatibus nunquam possibilis adhuc cogitaretur, in eis, in quibus Fides, eiusque veritates eum admitti non cogunt, nequaquam est in diuinis adhuc admittendus: atqui eiusmodi est conceptus distinctionis realis virtualis, vt, ne ab aduersariis quidem, possibilis cogitaretur, ni veritates mysterij Trinitatis, Incarnationis, & liberorum Dei decretorum illos ad eam cogitandam, & adstruendam compellerent: ergo vbi nos

Fidei,

Fidei, & mysteriorum eius veritates non cogunt, conceptus realis virtualis distinctionis admittendus non est. Atqui in Essentia, & Attributis, siue in prædicatis Dei communibus, & necessariis nullius mysterij, aut veritatis Catholicæ, fides cogit nos, vt conceptum distinctionis realis virtualis admittamus: ergo in Attributis, & Essentia, siue in prædicatis Dei communibus, & necessariis, conceptus realis virtualis distinctionis vnius ab alio admittendus non est.

3 Ex hac ratione benè inferunt Murciani Recentiores: quoties formalitates diuinæ, etiam virtualiter distinctæ in sua sententia, ex munere aliquo proprio distinctorum, quod in eis recognoscere ex Fide cogimur, ex munere alio proprio distinctorum, quod à solo discursu probabili, imò & probabilissimo, Dei prædicatis adscribi etiam possunt, distincta etiam in ordine ad illud munus realiter virtualiter nequaquam esse admittendum, v.g. Paternitas, & Essentia realiter virtualiter in ea sententia distinguuntur: quia subeunt prædicata contradictoria, *Communicatur, non communicatur. Producitur, non producitur.* ex Fide, licèt eadem realiter entitas sint. Si autem repugnet vnam sine altera videri, nisi virtualiter distinguantur, atque discursu probabilissimo constaret, vnam sine altera videri posse, dummodò id ex Fide non constet. Hoc potius negandum erit, quàm virtualis distinctio in ordine ad id muneris, etiam inter Paternitatem, & Essentiam admittenda. Ea enim distinctio (si quando admittenda sit) in diuinis tantummodò, atque in Fidei vnius reuerentiam, est admittenda.

4 Planè conclusioni obiici possunt aliqua, tamen adeò leuia sunt, vt vix solutione sit opus. Illud solùm de præcedentia virtuali reali potentiæ volitiuæ, atque intellectionis respectu volitionis necessariæ, aliquam difficultatis speciem videtur habere. Verùm vt fusiùs suo loco dicemus, satis est præcedentia metaphysica, & puræ rationis in diuinis. Nam in creatis ideo præcedunt physicè, quia limitatæ perfectionis physicæ creata sunt: ac proinde operatione perficiuntur, quod secùs euenit in ente perfectissimo, in quo hæc omnia sine operatione physica vnissimè habentur: quemadmodum & & creata cuncta, ab imperfectionibus decocta, quæ in omnibus creaturis dissita, ac dispersa realiter sunt, in Deo adunantur.

QVÆSTIO VI.

De Simplicitate Metaphysica diuinorum Attributorum.

NOn agimus de simplicitate, quæ Dei speciale attributum est, siue transcendens, siue non transcendens, de quo postmodum in sequentibus. Quippe in hac disputatione, quæ tota de Attributis vniuersim sumptis est, importunè de aliquo speciali Dei Attributo ageremus. Simplicitas Dei speciale Attributum physica est, quæque physicæ compositioni tantummodò aduersatur, non metaphysicæ. Inquirimus ergo de simplicitate metaphysica; non Dei quidem, quod in eo, vt ex dictis constat non est (cum physicam Dei entitatem, Essentiâ, totque communibus, & personalibus prædicatis metaphysicè conflari ostenderimus) sed Attributorum eius: an vnumquodque metaphysicè incompositum, simplex, atque indiuisibile esse debeat? An contra componi ex variis formalitatibus metaphysicè possit? Nam de essentia metaphysica, indiuisibilem formaliter, atque incompositam prorsus metaphysicè esse ostendimus suprà: vbi & rationem pro Attributis formandam attigimus, quam quæstionem, licèt à nemine, ita vniuersim disputatam viderim, neque in Attributo aliquo speciali ex instituto, sed cursim labens aggrediar, ne singulatim in Attributis singulis repetatur, vel omittatur, vel (quod ferè idem est) per transennam examinetur: néue ad plura alia in Theologia deducenda, quàm vellis doctrina ignoretur.

CERTAMEN I.

Prima, certàque apud Theologos conclusio, ac difficultas quæstionis explicata, & communis circa eam sententia.

1. DVplex, quoad præsens attinet, metaphysica compositio, sicuti & physica duplex esse potest. Altera homogenea. Altera heterogenea. Sicuti enim è rebus eiusdem generis, & rationis sæpè physica entitas physicè compingitur, v.g. materia pluribus materiæ partibus, & aqua (sicque de insensitiuis, atque inanimatis pluribus) pluribus aquæ partibus rationis omninò eiusdem: ita etiam metaphysicum prædicatum, quod insectile non sit, pluribus formalitatibus partialibus rationis eiusdem, potest metaphysicè coagmentari. Item sicut physicè etiam potest aliquid ex partibus, quæ diuersæ rationis ab ipso, imò, quarum quælibet diuersæ rationis ab alia sit, confiari, vt in omni essentiali physica, atque integrali compositorum compositione cernitur) ita etiam in metaphysica formaliter, diuisibilis prædicati compactione poterit euenire, vt partes formales, quibus componitur metaphysicè alterius formalitatis ab illo, & à se inuicem metaphysicè sint, vt patet in anima, & homine, & prædicatis genericis, & differentialibus, quibus metaphysicè cõstant. De vtroque ergo compositionis metaphysicæ genere, homogeneæ, & heterogeneæ inquirit quæstio: an Dei Essentiæ, & Attributis, atque vno verbo prædicatis diuinis possit conuenire?

2 Et prima quidem in hac quæstione certa, atque à Theologis indubitata conclusio sit. Prædicata, seu Attributa diuina attributorum diuinorum nomine, & ratione, compositionem metaphysicam heterogeneam habere posse. Ratio est: quia perfectioni diuinorum Attributorum non derogat eiusmodi compositio: ergo est cum diuinis Attributis, corúmque ratione compossibilis. Antecedens patet: quia potentiæ diuinæ notionali, seu productiuæ ad intrà, eiusmodi heterogenea compositio non obest, imò certo ex Theologis omnibus (si vnum, ac nescio an alterum? excipias) adest metaphysica & heterogenea compositio, ex Essentia & personali Personæ producentis, & passiua potentia procedendi in Trinitate ex communi etiam, & personali procedentis metaphysicè & heterogeneè conflatur: ac demùm Persona quæuis ex Essentia, & personali cuiusque proprietate (siue ea absoluta etiam, siue relatiua sit) omnium Catholica sententia, metaphysicè componitur: ergo rationi prædicati diuini eiusque, quà tali, perfectioni, ac proinde neque rationi, & perfectioni Attributi diuini obest metaphysica & heterogenea compositio: ac proinde, si quæ Attributa eiusmodi heterogeneam compositionem, nec subeunt, nec subire possunt, ex peculiaribus eorum naturis ea impossibilitas eis aduenier.

3 Tota quæstionis huius, eaque subtilis, difficultas circa homogeneam Attributorum diuinorum compositionem metaphysicam est. An scilicet Attributa diuina, v.g. Sapientiæ, Omnipotentiæ, & sic de aliis) partialibus Sapientiæ, aut Potentiæ partibus infinitis eiusdem rationis & inter se, & cum tota Dei Sapientia, vel Potentia metaphysicè constet? Licèt quæuis pars minor infinities Sapientiâ totâ, atque Omnipotentiâ Dei, quam metaphysicè componit, esse necessariò debeat: quemadmodum corporis quanti partes toto corpore, quod componunt, minores singulæ sunt, licèt sint eiusdem rationis cum illo. An contra, ita Attributum quodvis diuinum ex sua ratione formali diuini Attributi, vno ictu formalitatis indiuisibiliter totum dicat generis sui, vt partialibus generis eiusdem formalitatibus non constet, imò neque constare queat: ac proinde nequeat metaphysicè homogeneè componi. Porrò in hac difficultate sic vniuersim, atque his terminis proposita sententiarum Authores referre non possum, quia, vt quæstionis præfatione dicebam, à nemine disputatam vidi. Possunt autem referri plures, qui in vno, vel alio Attributo eam obiter verfan-

tes,

tes, suam circa præsentem vniuersalem difficultatem videntur mentem aperuisse, vel saltem indicasse.

4 Igitur de Idea diuina (quæ Scientia rerum faciendarum est, vel Verbum illâ à Patre productum, (vel, quidquid nunc velis) agentes Theologi, communiter docent, per rationem, & metaphysicè plures esse, ex quibus tanquam partialibus conceptibus Idea totalis omnium factibilium metaphysicè componatur: ac proinde idem de Scientia, Omnipotentia, Amore etiam necessario, Immensitate, Æternitate, atque fere reliquis Attributis videntur dicturi: quare vniuersim diuinis Attributis formaliter sumptis, metaphysicam homogeneam compositionem minimè repugnare, etsi reuerà de Idæis aliam esse rationem ostendemus controu.2. d. vlt. Citatur pro Idearum pluralitate, ac diuisibilitate metaphysica Scotus in 1. d.36. qu.1. sed extra rem: nam Idearum nomine non diuinum aliquid, sed creaturas ipsas in Deo existentes esse putat: quo pacto non solùm formaliter, sed realiter inter sese, & à toto Idearum coniuncto distinguuntur, neque Attributum diuinum sunt. Citantur etiam S. Thom.1.par.quæst.15.art.2.quem ibi interpretes sectantur Alensis qu.27. m.4. S.Bonauent. in 1. d.35. art.1.qu.3. Ricard. d.36. art.2. qu.3. Ægid.art.2. qu.2. ad 1. Argentina q.1. art.1: init. Capreol. ibi conclus.3. Durand. d.36. q.4. num.5. quamuis enim dicat meliùs dici in Deo vnam tantum esse Ideam, tamen plures rationes ideales admittit: quare in primo vnitatem, & indiuisibilitatem realem, Idearum diuinarum, quas in secundo diuisibiles metaphysicè & per rationem admisit, attendisse videtur. Est sententia nostri Vasquez 1. p. d. 73. cap. 1. n. 3. vers. *hoc saltem.* Soarij lib.3. de Attribut. cap.5. num.14. & 15. vbi eam communem vocant; videturque sententia Aug. lib.6. qq.83. qu.46. & epist.115. fine. & Dionys. cap.1. & 5. de diuin. nom. vbi Ideas, & rationes ideales diuinas plures absolutè vocant, atque vniuersim Theologi omnes non de Idea, sed de Ideis diuinis, disputant.

5 Contrà vero Albertus Magn. in 1. d.35. art.9.commodiùs, meliùsque dici in Deo, vnam esse omnium rerum Ideam, quàm plures docuit. Cui & Aureolus consentit apud Capreol. citato articul.1. & Marsil.in 1. d.35. q.1. prologi art.1. par.1. dicens Ideas in se, & ex parte obiecti sui distingui solummodò: ni fortè è sua Nominalium Schola, nullam aliam distinctionem, quare neque compositionem metaphysicam formalitatum, seu prædicatorum rei eiusdem admittat, sed solùm in terminis, seu connotatis in ordine ad quæ tota simul, & indiuisim concipitur. Sed licèt ita de diuisibilitate, & compositione metaphysica diuinarum Idearum videantur Patres, & Doctores citati, ac proinde generatim in diuino hoc prædicato, (quare, & in aliis Attributis metaphysicam compositionem admittere. Non tamen ita plane eam in intrinseca formalitate diuina Idearum eam admittunt,) vt opus erat ad hoc, vt pro affirmante sententia in re præsenti recitarentur) Nam Vasquez citato loco docet, nomen Ideæ relatiuè ad creaturas, relatione rationis necessariò constare, cùm, quoad intrinsecum Deo, pureque diuinum, absolutum quid omnino à creaturis sit, ac proinde plures dici, atque diuidi in plures, quia de eis, vt eas concipimus, loquimur. Concipimus autem eas vt plures rationis relationes ad creaturas. Soarez verò citatus fatetur, Ideas concipi à nobis, cum respectu rationis ad creaturas: ac necessariò eas ita à nobis concipi tenetur fateri cum num.17. dicat Ideam eo nomine significari, vt terminum adæquatum creaturæ mensuratæ, mensurabilis ad ipsam: quod rationis relationem inuoluere necessariò ait: proindeque pro varietate commensurationum earum, quæ in diuersis creaturis sunt, varias pluresque diuinas Ideas absolutè dici posse: in quo cum Vasquesio, cuius nuper recitatam doctrinam impugnauerat n.16. tandem conuenit, atque quæ pro se respondit n.illo 17. Suarum contra illum impugnationum solutiones fecit. Itaque (vt plura hìc de diuinis Ideis intempestiuè non misceamus) satis ex his constat, Doctores, & Patres hosce de diuisibilitate, adhuc metaphysica, diuinarum Idearum, quoad intrinsecum Deo, & quod diuinum est, certò non loqui. Id quod August. loco citatæ Epistolæ satis insinuat, dicens, *Varias hominum rationes* (non autem dixit Dei) in illa sinceritate, id est vnitate, *Viuere.*

CERTAMEN II.

Pro negante nostra sententia, homogeneam compositionem metaphysicam probanda, notationes.

1 SEcundam hanc præfixam Conclusionem de Ideis diuinis loquentes videntur etiam generaliter indicasse Magnus Albertus, & Aureolus locis citatis, ac fortè Marsilius. Vt autem illam solidè, ac metaphysicè probemus, duo statuenda certissima sunt. Alterum ex dictis in Physicis controuers. de infinito. Alterum ex Metaphysica, & Theologia certissimum. Primum est discrimen inter infinitum simpliciter ex genere, seu specie, & essentia sua tale, & infinitum secundum quid non ex genere, seu specie, & Essentia sua tale etsi in eis habeat infinitatem. Etenim quod simpliciter & absolutè, siue ex genere, & essentia sua infinitum est, nequit sine infinitate sui generis concipi, ne dum esse; quod autem non simpliciter, & absolutè, sed secundum quid, ac non ex genere, & Essentia sua, & per additionem partium, intra illam infinitum est, benè esse, concipique potest sine infinitate illa secundum quid, intra illam speciem.

2 Inde aliud apertissimum, atque ad rem nostram valdè notandum discrimen inter vtrumque infinitum deprehenditur. Cùm enim, quod simpliciter, & absolutè, seu ex genere, & essentia sua infinitum est, finitum aliquid intra illam non habeat, nec habet vnde ei addi aliquid possit speciei, seu generis illius: quia infinito, qua parte infinitum est, impossibile est aliquid in eo genere, quo infinitum est adiungi: vti ex terminis patet, atque in linea, quæ versus vnam partem infinita esset, nihil ab ea parte addi vlterius posset: quia neque ab illa terminum habet: sicuti neque æternitati à parte post animæ rationalis, & Angeli addi duratio à parte post vllatenus potest. Ei autem quod ex specie, & essentia sua infinitum non est, quare neque absolutè, & simpliciter infinitum sed secundum quid constituto intra suam speciem, addi intra illam aliæ, & aliæ possunt partes in infinitum, quousque infinitarum additione, infinitum secundum quid euadat: vt quantitati, siue continuæ, siue discretæ, & intentioni qualitatum euenire posse putatur.

3 Ex inde vero vlterius inter vtrumque infinitum discrimen aliud elucet: quod infinitum, non simpliciter, & ex genere, seu specie, & essentia sua, sed secundum quid, & per additionem aliarum, & aliarum partium, speciei eiusdem infinitum tale est per denegationem termini solummodò intrinseci: quia scilicet, quod ita infinitum est, tot intra se partes cohibet, vt nec numerum subire possint, nec vltima illius pars sit assignabilis, vltra quam aliæ, & aliæ assignabiles intra illud non sint: quare optimè ab Aristotele, & Philosophis eiusmodi infinitum definitur: *Cuius partes accipienti semper restant aliæ, & alia ipsius accipiendæ* ac proinde necessariò intra ipsum terminus ea parte, qua infinitum est, esse non potest. Vnde si vtrinque linea, vel duratio ereata ponatur infinita, versus neutram partem terminum habebit intrinsecum: atque adeò per denegationem termini intrinseci, infinitum eiusmodi infinitum necessariò erit. Non autem per denegationem termini extrinseci sed enim denegatio etiam hæc termini, etiam extrinseci, quæ infinito secundum quid, & non è genere, & essentia sua tali, conuenire negatur, non ita intelligi debet, quasi dicamus extrinsecà aliqua mensura, ea parte, qua infinitum est posse illud terminari, aut coerceri: id enim in terminis implicat; sed quia extra ipsum partes eiusdem rationis, & generis aliæ, & aliæ, imò infinitæ aliæ, esse possunt. Ex eo enim quod linea, vel altera, vel vtraque parte sui infinita daretur, non inde aliæ, & aliæ lineæ partes, imò neque infinitæ aliæ lineæ partes, ac proinde neque infinitæ aliæ lineæ extra ipsam repugnarent: quin eo ipso, quod linea vna infinita possibilis, vel admittatur, vel probetur, possibiles admittentur plures, & probabuntur. At vero infinitum absolutè, & simpliciter, siue ex genere suo tale infinitum

infinitum sanè est per denegationem termini intrinseci, non autem solùm, sed per denegationem termini etiam extrinseci, ita nimirùm, vt nihil generis illius, siue ordine physico, si in eo infinitum sit, siue in ordine metaphysico, si sit è genere suo in ordine infinitum, esse possit; alioqui genus, & essentia, ipsius saluari absque infinitate posset: neque è genere, & essentia sua, & simpliciter infinitum, sed solum infinitum in genere, & secundum quid, contra suppositionem, foret.

5. Denique ex Theologia, & Metaphysica noto infinitatem simpliciter, & absolutè, atque ex genere, & essentia sua talem soli Deo, omnibusque diuinis competere, ac proinde infinitatem per denegationem termini etiam extrinseci in illo genere, & ordine. Patet id quidem in entitate, & Essentia physica Dei, (quæ sola infinita physicè simpliciter, & absolutè est, per denegationem termini etiam extrinseci) cui si aliquid physicum, quod imperfectionem non inuoluret, atque extra ipsum esset (non solùm in creaturis, quæ de facto sunt, sed in creaturis cunctis possibilibus) deficeret, infinitus simpliciter, & absolutè non esset: quia terminum extrinsecum physicè haberet: licèt aliàs prædicata omnia, quibus physica Dei entitas illa constare intelligitur, infinnita per denegationem termini intrinseci forent, quæ autem physicæ entitati Dei in ordine physico infinitas conuenit ea ipsa, neque in suo genere absimilis infinitas prædicatis cunctis metaphysicis diuinis, vt digna Deo sint, & concipiantur debet competere: vt scilicet infinita in suo quæque genere simpliciter, & absolutè, atque ex essentia, & conceptu suo sint: ac proindè per denegationem termini non solum intrinseci, sed etiam extrinseci: ita vt repugnet aliquid eius essentiæ, & generis, in quo vnumquodque est, extra ipsum esse, aut verè concipi, quod diuinum prædicatum est, aut concipitur in illo genere.

CERTAMEN III.

Negatiua nostra conclusio probatur, atque ab obiectionibus asseritur.

1. Ex his, non prona solum, sed præceps etiam est nostræ negatiuæ conclusionis probatio. Etenim diuinum quodvis prædicatum, seu Attributum iure, & formalitate diuini infinitum simpliciter, & absolutè in genere suo, atque è suo genere, & essentia est: sed quidquid in suo genere, atque ex genere, & essentia sua infinitum, simpliciter, & absolutè est, tale est non solùm per denegationem termini intrinseci, sed etiam extrinseci in illo genere, in quo est: ergo quodvis prædicatum, seu Attributum diuinum est infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci in genere illo, in quo est. Tum sic, id quod infinitum est in aliquo genere per denegationem termini etiam extrinseci, in illo necessariò debet continere omnem formalitatem generis illius: ita, vt implicet aliquid illius generis extra ipsum esse: ergo diuinum, quodvis, quod è genere, conceptu, & essentia sua infinitum simpliciter, & absolutè est, vt diximus infinitum per denegationem termini, extrinseci etiam, ita omnem formalitatem illius generis in conceptu, & essentia sua claudit è conceptu, & essentia sua, vt nihil eius generis extra essentialem suum conceptum, esse verèue, ac non fictè concipi queat: ergo implicat concipi verè, quin concipiatur simul omnem sui generis, & ordinis formalitatem possibilem continens: ac proinde nequibit verè concipi potentia productiua Leonis diuina, quin concipiatur Omnipotentia, quia quidquid potentiæ diuinæ est in conceptu potentiæ diuinæ (quæ non nisi infinita simpliciter & absolutè potentia diuina est) necessariò inclusa est, & sic de aliis Attributis.

2. Confiamatur, & explicatur hæc ratio: cùm concipis potentiam productiuam Leonis, seorsim à potentia productiua equi, & potentia productiua hominis, & sic à potentiis productiuis reliquorum omnium possibilium, concipisne potentiam infinitam formaliter? an non? si concipis infinitam formaliter: ergo concipis eam vt potentiam productiuam omnium possibilium contra te, & nec præscindis ex parte obiecti partem Potentiæ diuinæ ab aliis. Probatur consequentia: quia de ratione potentiæ productiuæ infinitæ, formaliter talis est esse potentiam productiuam omnium possibilium, siue non repugnantium; alioqui, licèt non omnium, sed aliquorum potentia productiua esset formaliter, infinita potentia esse posset: quod est vesanum asserere, atque in mille absurda prolabens. Nam nulla est potentia creata, quam infinitam non possis asserere: si dicas te nondum concipere, neque illam potentiam productiuam Leonis, quam seorsim ab aliis diuidis esse formaliter infinitam, quousque omnium partialium metaphysicè potentiarum respectu possibilium omnium coniunctione, Omnipotentia, ac proinde infinitas potentiæ confletur: ergo potentia illa productiua Leonis seorsim concepta diuina potentia non est. Patet: quia implicat diuinum aliquid diuinum esse, aut concipi, ac non concipi, & esse infinitum: ac proinde spectari potentias alias productiuas aliorum omnium possibilium, vt infinita potentia concipiatur: quod ipsum est Potentiam, seu Omnipotentiam diuinam, qua diuinam (& idem est de Scientia, seu omni Scientia, atque Attributis aliis diuinis) è conceptu diuinæ ad omnia possibilia ea infestili formalitate ferri comparari, atque extendi debere.

3. Quòd si dicas, potentias illas partiales diuinas formaliter non esse seorsim sumptas, quia neque, vt sic, infinitæ sunt, sed abstrahere ab infinitate, atque à ratione diuini, quousque cæteris adiunctæ, & collectiuè sumptæ cum infinitate rationem etiam diuinæ potentiæ induant: malè, & indignè Deo respondebis: indignè quidem Deo: quia non alio modo infinitatem diuinorum prædicatorum concipis, quàm infinitorum creatorum, v.g. infinitatem quantitatis, aut intensionis qualitatum: quorum singulæ partes finitæ sunt, licèt vt coniunctæ cum aliis infinitum constituunt: vnde licèt infinitas sit earum intra genus suum, non autem infinitas ex genere, & essentia sua, quod valdè diuersum genus infinitatis est, & quod solùm soli Deo, ac diuinis decenter competit. Vnde constat malè etiam te respondere: cum diuinis prædicatis infinitatem ex genere, & essentia sua ea solutione non concedas. Insuper, cùm inter infinitum, ac non infinitum seu finitum in nullo genere, & ordine medium detur, quippe quæ contradictoriæ in omni genere, & ordine opponantur, partialis illa potentia productiua Leonis, quam seorsim concepram in Deo ponis, non solùm ab Infinitate abstrahat, sed erit finita vt sic, ac non infinita, seu infinitate negata: cum quo pugnat diuinam esse: non solum, quia, quidquid diuinum est, infinitum eo ipso est: sed quia multo magis debet non esse finitum, seu infinitate negatum, vt patet.

4. Iam quæ opponi huic conclusioni possunt, facilè ex nostra hac ratione diluentur. Dices enim primo posse nos in Deo concipere Potentiam productiuam Leonis seorsim è potentia productiua equi, & aliorum, quæ quidem, licèt non diuisa realiter ab hac, verè tamen in Deo est, ac non fictè: non secus atque licet principium sentiendi, quod animal metaphysicè, & principium ratiocinandi, quod rationale metaphysicè est, idem realiter in homine sint: at quia principium, seu potentiam radicalem sentiendi, in ordine ad sensationem cogitare possumus seorsim à principio ratiocinandi, seu in ordine ad sensationem metaphysicè ex parte obiecti (apud nos, & omnes obiectiuè præscindentes) eas formalitates diuidimus, distinctasque fatemur: ergo & potentiam productiuam Leonis à potentia equi, distinctas metaphysicè in Deo fateri debemus. Respondetur ex dictis, posse nos quidem concipere potentiam, seu Omnipotentiam Dei, in ordine ad Leonem tantùm, quotidiéque ita à nobis concipi, sed tamen cum duplici chimæra, seu entis rationis: altero inexcusabili, si tamen omninò ex parte nostri modi cognoscendi, quo potentiã omnem relatam ad suum terminũ, seu cum relatione ad ipsum necessariò concipimus: quemadmodum & Angelum admodum iuuenis necessariò cõcipimus. Alterũ ex parte obiecti: quatenus potentiam diuinam, quæ, qua diuinam infinita ex genere, essentia sua, atque ad possibilia omnia producenda

virtus, & potentia conceptione illius termini tantùm, non infinitam, ac proinde, nec diuinam implicator.è concipimus;quod secus euenit,cùm principium physicum creatum, atque è suo genere,& essentia non infinitum,sed finitum & limitatum seorsim ab alio, cui realiter identificatur, cogitamus, vt patet.

5. Ita etiam ad similes obiectiones pro diuisibilitate metaphysicæ diuinæ Scientiæ,Ideæ, Immensitatis,Æternitatis, & similium respondetur. Sed in Scientia, & Amore necessariis Dei obiici specialiter potest.Etenim Scientia,& Amor,præsertim complacentiæ, necessariò & essentialiter sua obiecta supponunt:neque enim percipi,concipive potest actualis tendentia Scientiæ alicuius circa obiectum aliquod,antequam sit,neque complacentia eius,quod nondum est:imò hoc principio negato etiam in Scientia, & complacentia Dei erga possibilia, non apparet, cur Scientia,& complacentia eodem modo scientia, & complacentia chimærarum non sit, atque scientia,& complacentia est possibilium : cùm possibilitas possibilium, vt scientia, & complacentia Dei in illa feratur, non spectetur. Si autem possibilia verè iam possibilia, atque in suo possibilitatis statu spectanda sint, vt scientia, & complacentia Dei feratur actu in illa,eáque Deus exercitè intelligat, & amet necessariò (vt plures Theologi censent) validè contra hanc nostram conclusionem obiicitur. Etenim antecedenter ad possibilitatem creaturarum,eâque non spectatâ sua omnia necessariò amat exercitè,& intelligit:ergo Amor,& Scientia necessaria Dei erga seipsum, est pro priori illo ante possibilitatem creaturarum, pro quo necessarius earum Amor,& Scientia non sunt,neque exercitè amantur: ergo Amor, & Scientia necessaria, qua Deus se exercitè, & formaliter necessariò amat,& intelligit,distinguitur formaliter metaphysicè à Scientia,& complacentia necessaria,qua necessariò, & exercitè amat & intelligit creaturas possibiles. Patere videtur consequentia:quia, quod formaliter metaphysicè idem est, nequit sine aperta contradictione pro vllo signo quo est,simul pro illo non esse:atqui Scientia,& Amor necessarius, quo se Deus exercitè necessariò amat, & intelligit, est pro priori ad possibilia creata, seu possibilitatem creaturarum, & pro eo priori non sunt necessaria Amor & Scientia, quibus Deus exercitè, & necessariò intelligit & amat creaturas possibiles:ergo Scientia necessaria, & Amor necessarius Dei erga seipsum, non sunt idem formaliter metaphysicè, cum Scientia & Amore necessariò Dei,de creaturis possibilibus.

6. Tangit obiectio arcanum,atque abditissimum Scientiæ, & Amoris infiniti Dei Mysterium:cuique in Scientia, & Amore liberis Dei (vbi longè maior est) debeat satisfieri. Vtinam Dei ipsius lumine, & auxilio suo loco debitum soluamus,quod hactenus ad plenum nescio quis soluerit. Nunc autem respondeo in primis obiectantes ipsos ad difficultatis, & obiectionis huius solutionem, æque ac nos teneri.Etenim,quod Scientia, & Amor Dei necessarius erga seipsum,pro illo priori,quo se necessariò amat, & intelligit, infinitus iam metaphysicè sit, certum apud ipsos, imò & apud Theologos omnes est,eíséque debet.Cùm,siue è solo subiecto,& intelligente,& amante(qui Deus est) vel etiam ex primario obiecto(quod est ipse etiam Deus)debeant necessariò eiusmodi actus infinitatem sumere,deinde extensione,vt sic loquar,eiusdem Scientiæ,& Amoris, siue liberi, siue necessarij ad creaturas vel possibiles, vel existentes,nihil Amoris aut Scientiæ,diuinis, deoque identificatis Amori & Scientiæ accrescere, adhuc metaphysicè: quia aliàs à rerum possibilitate, Scientiæ Dei augmentum penderet,atque infinita non esset, quæ circa Deum præcesit,cum esset capax augmenti.Ex quibus etiam apud ipsos, quia apud omnes,certissimè eadem emergit difficultas.Secundò pro omnibus respondeo, Scientiam infinitam Dei; vtpotè diuinam, absolutam omninò esse à possibilitate creaturarum,sicuti, & alia omnia prædicata diuina,vt d.de Omnipotentia ostendemus : vnde fit in omnimoda sua infinitate à creaturarum possibilitate non pendere : quare neque hanc spectandam esse ad formalitatem vllam,adhuc partialem, formalis representationis alicuius creati obiecti : quemadmodum neque ad formalitatem vllam potentiæ diuinæ, creaturæ alicuius possibilitas adhuc spectatur.

7 Ad eum igitur modum, quo Omnipotentia, potentia est omnium possibilium, pro priori ad eorum possibilitatem, quia ab ea independens,neque inde infertur, esse potentiam chimærarum, & impossibilium, quia pro posteriori possibilia non sunt:ita etiam Scientia Dei pro priori, quo se Deus intelligit, independens à possibilibus ante, ac non spectata eorum possibilitate infinita, è suo principio, subiecto,ac, si placet etiam obiecto, infinito Deo,infinita representatio actualis & exercita est:ac proinde representatio actualis omnis representabilis, & possibilis (idemque de Amore diuino dictum puta) ac proinde accedentia pro posteriore possibilia,suam representationem actualem operientem inueniunt,non faciunt:quam eodem modo impossibilia nec faciunt, neque inueniunt. Quòd si dicas exercitium actuale intelligendi,intelligi sine obiecto non posse,non mirabor:id enim ex nostro imperfecto modo cognoscendi prouenit:vnde etiam fit, ne nos Omnipotentiam, quam absolutam prorsus à creaturis possibilibus iudicamus, nisi ad illas relatam valeamus concipere. Id quod maiorem vim habet in re præsenti,cùm nullâ creatam visionem (cuiusmodi Scientia Dei est) à suo obiecto independentem,experiamur:ast cum Dei Scientia, etiam exercita, & Amor complacentiæ independens omninò à creaturis, in omni earum statu sit, quæ ex creatis cognitionibus,& amoribus didicimus,dedisce re necessarium est.

8. Disputandum hic ad plenum disputationis huius examen, vltimo loco videbitur. An diuina Attributa, saltem denominatiuè,atque,vt formas denominantes media physica sui vnione, suos formales effectus communicare creaturis possint, vt Vbiquistæ de Immensitate effutierunt, atque de aliis diuinis Attributis, alij. Verùm, cùm id in Christi humanitate, quæ sola vnita Deo physicè est contra Vbiquistas, & alios controuers. de Incarnat.occasione eius erroris latè,atque vniuersim de Attributis omnibus disputauerimus,oriosè hic eadem repeteremus.

DISPVTATIO IV.

De Attributis Negatiuis nomine in particulari.

DIVISIMVS d.3.q.2. Attributa Negatiua,in Negatiua nomine, quæ nimirùm, in nomine ipso suo negationem habent : quia præpositionem *in*, quæ negationi æquiualet, præpositam habent,& in Negatiua definitione, quæ nimirum sine negatione explicari, definirive à nobis pro hoc statu nequeunt. De primis igitur in particulari hac d. agemus, acturi de secundis in particulari etiam d.5. sunt autem primi generis Negatiua Attributa, Infinitas, Immensitas,Immutabilitas, Inuisibilitas, Incomprehensibilitas de quibus, suo ordine agemus. Et quidem licèt Immortalitas Attributum etiam negatiuum nomine sit,cùm autem,vel idem, quod Æternitas,quæ Attributum negatiuum definitione est, significet, vel valdè affine,nihil hic de illa sed d.5.simul cum Æternitate agemus.Sunt autem in aliquibus horum Attributorum sub vno nomine plura Attributa contenta, vt sub nomine Inuisibilis, Attributum Inuisibilitatis corporeis oculis, item Inuisibilitatis oculis mentis,seu spiritualibus, viribus tamen totius naturæ,collectiuè etiam sumptæ, de quibus singulatim disputandum erit, & sic de aliis,in quibus lateant difficultates diuersæ.

QVÆSTIO I.

De Infinitate Dei attributali.

CVRA hic examinanda sunt. Primò : an Deus infinitus sit per Essentiam ? secundò quid sit ita infinitum esse ? Tertiò : an in omni prædicato, seu Attributo diuino sit infinitas e formali conceptu ? Quartò : an Infinitas attributalis, seu Attributum Infinitatis sit omnia Attributa, & prædicata diuina transcendens ? sed primò sciendum est nos hic non agere de infinito, siue infinite

infinito magno (quod est idem) magnitudine molis, seu quantitatis (cum corporeus & materialis non sit Deus, sed spiritualis) sed perfectionis in essendo, quæ sola Deo competere potest.

CERTAMEN I.

Deum per Essentiam, siue absolutè, & simpliciter infinitum esse, ex Fide, & ratione constat.

1. DEi Infinitatem negasse consequenter, licèt non expresè, & in terminis videntur qui circa eius spiritualitatem errarunt: quorum error de Spiritualitate, seu Immaterialitate Dei disputantibus nobis exponetur in terminis. Verum Dei Infinitatem negauit Vorstius Caluinista apud Becanum tom.1. summ. tract.1. cap.5. vel eo maximè, quòd nusquam, inquit ille, in Scripturis Infinitus dicitur, aliisque ridiculis rationibus, quæ neminem mouere possent, nisi hunc qui risum omnium potest mouere: Et, quod ad Scripturam attinet solis oculis, non autem mente, & discursu opus est, vt Deus in illis Infinitus legatur. Idémque sensisse videntur innominati Doctores à Bonauen. in 1. d.43. art.1. qu.2. asserentes Deum, nobis quidem Infinitum esse, non autem secundum veritatem: atque adeo nec sibi, qui veritas est.

2. Certum igitur est: tum ex Fide, tum ex ratione Deum Infinitum esse absolutè, & simpliciter secundum entitatem, & Essentiam suam, seu in genere entis, ea nimirum Infinitate, quæ alteri nequeat conuenire: ac proinde ipsius sit propria. Ita enim censent Patres, & Theologi omnes ad vnum, quin Arist.3. physicor. cap.4.text.30. id ex Anaximandro, & Philosophis, de primo principio (quo nomine Deum intelligebat) refert, & laudat. Probatur ex Psalm. 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem.* Dionys.9. de diuin.nom. *Magnus est super omnem magnitudinem, omnem transiliens infinitatem.* Nyssen.Orat.1. *in faciamus hominem* Genes.1. *Magnum cogita: & huic magno plus etiam, atque etiam adde quàm cogitasti, atque ita exple cogitationem tuam; neque vnquam quæ infinita sunt capies. Nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.* Theodoret. 2. de Prouident. *Deus ipse & increatus, & infinitus est, omnia complectitur ipse à nullo circumscriptus.* Damascen.1. de Fide cap.4. *Infinitus est Deus, & incomprehensibilis, atque hoc vnum ex eo percipi, & comprehendi potest: quòd nimirum ipse Infinitus, & incomprehensibilis sit.* Obuia hæc, & plura ex Patribus passim: quare definita hæc veritas est, cap. *firmiter* de summ. Triuit. & Fide Cathol.

3. Neque vero eadem conclusio est à ratione obscurior. Missa vero ratione illa S.Thom. subtili ducta ex impossibilitate limitationis mutuæ substantialis, seu essentialis potentiæ & actus, quæ est in materia, & forma physica, atque metaphysica generis & speciei, atque essentiæ, & existentiæ, seu actualis esse (quæ omnia Deus, vtpotè actus purissimus, non habet) quia hanc subtilem limitationem substantialem materiæ per formam, aut generis, & differentiæ, aut essentiæ per existentiam satis assequi non possum: neque Vasquius & Soarius, assequuntur. Probatur primò: quia limitatio Essentiæ, & entitatis creatæ prouenit ex eo, quòd ab alio, ac non vniuocè sit, ac proinde creatura: atqui Deus Essentia sua à nullo est, neque creatura, sed increatum quid, & à se est: ergo Deus non limitatus, & finitus, sed illimitatus, atque infinitus essentia sua est. Maior probatur: quia ex eo, quòd aliquid ab alio sit, & non vniuocè, necesse est ab eo contineri secundum suum esse eminenter: atqui, quod ab alio eminenter continetur, continetur ab illo tanquam ab excedente ipsius esse: ergo terminatur ab eo extrinsecè, tanquam à maiori in suo esse. ergo suum esse intrinsecè terminatum, limitatum, ac finitum est. Patet consequentia: quia, quod intrinsecè interminatum, ac non terminatum est, nequit extrinsecus terminum habere. Dixi *aquiuocè sic ab alio*, sicut creaturæ sunt à Deo: Nam ex eo maioritas continentis causæ, respectu sui effectus clarius deducitur. Cùm in causis vniuocis continentia præcisa non arguat continentis maioritatem, saltem adeo claré.

4. Probatur Secundò: quia Deus Essentia, & entitate sua est causa eminenter continens omnem entitatem limitatam possibilem, vt modo dicebamus: ergo est excedens omnem entitatem limitatam possibilem Essentia, & entitate sua: ergo est essentia, & entitate sua Deus, Infinitus. Probatur consequentia hæc: quia quod excedit omne limitatum essentia, & entitate sua, ac finitum essentia, & entitate sua infinitum est. Hoc argumentum ex parte potentiæ passiuæ, seu participabilitatis essentiæ, & entitatis Dei à creaturis omnibus possibilibus, eodem pacto fieri potest. Sed dices vltimam consequentiam non tenere: quia solùm infertur maius quid esse Deum omnibus possibilibus finitis entitate, & essentia sua: ad hoc autem opus non esse quod ea infinitè excedat, sed finitè: quemadmodum ex eo, quod homo inferiorum omnium speciem, quæ infinitæ sunt, perfectionem essentialem eminenter contineat non infertur cum infinitæ perfectionis essentialis, seu essentiæ esse. Verùm consequentia tenet. Nam hominem perfectiorem ex specie, & essentia sua esse, non est continere in se formaliter, aut eminenter omnes essentias, seu entitates specierum inferiorum: non formaliter, quia homo non est leo, equus, aut asinus, & aliquid amplius, sed solùm habet eorum prædicata communia formaliter, & differentiam vltimam se tota diuersam ab eorum differentiis specificis, & se tota eis perfectiorem. Neque eminenter: quia omnium specierum inferiorum causa adæquata, seu virtus causatiua non est, in qua solùm eminentialis continentia omnium collectiuè, quæ potest producere inuenitur necessariò; nec dare possit, quod non habet: inuenitur autem in Deo, qui proinde Infinitus è sua essentia, & entitate est, cum infinitas etiam specie entitates diuersas contineat. Quod si instes: Cùm omnia possibilia limitata secundum essentiam sint, adhuc tenere solutionem: quòd ab ente finito, licèt maiori contineantur, vt tamen abstraham modo, an possibilia syncathegorematicè, infinita sint? ostendo, dato etiam, quod solum finita sint, tenere consequentiam: quia, quod ita in se omnia possibilia, licèt finita, continet, vt, ni ipsarum infinitas repugnaret, repugnaret ex intrinseca ipsius essentia, & entitate in illa infinitatem illorum non contineri, infinitum entitate, & essentia sua proculdubio est.

5. Argumentum hoc dederunt nobis Patres plures ex recitatis d.2.qu.1, ac luculenter Dionys.9. de diuin. nom. Sic effatus. *Magnus quidem Deus dicitur: tum ex sua magnitudine, qua se, & cum omnibus qua magna sunt communicat, & per omnem magnitudinem diffundit, atque extendit; locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit: tum ex summa vi, actioni que magnitudine, ac muneribus, qua ab ipso quasi fonte manant.* Primum vero argumentum dederunt etiam nobis Patres plures ex recitatis d.2.quæst.2. præsertim Nazian. orat. illa 38. Cuius recitata verba eius Scholiastes Nicetas aureis ad rem hanc suis interpretatur. *At Deus semper est, & vt cum diuinoloquo Dionysio dicam, vniuersam essentiam in seipso complectitur; Ego enim, inquit Scriptura, sum primus, & ego posteà: & ante me non est alius Deus, nec post me futurus est.* (Vtique non sola duratione, sed causalitate essentiæ suæ) subiunxit enim. *Tota enim Essentia illius, nec principium habens* (quia à se) *nec finem habitura* (vti finita cuncta à Deo agente libero, atque propter finem operante semper habet) *quasi vastum quoddam pelagus Essentia* (non dixit durationis) *est.*

6. Contra hanc Dei Infinitatem argues primò. Si Deus Infinitus esset per essentiam, & entitatem suam non compateretur secum in rerum natura alia entia, seu essentias: sicut infinitum corpus alia corpora non admitteret, sed ea è mundo pelleret: quia omnia occuparet loca, & spatia: at essentias, entiáque alia compatitur in rerum natura Deus: ergo Infinitus entitate, & essentia sua non est. Negatur maior. Entia enim præsertim substantialia non pugnant, sicut duo corpora respectu eiusdem spatij simul occupandi. Secundò obijcies. Bonum, & Malum pugnant séque destruunt: ergo infinitum bonum necessariò destruet omnia mala: atqui Deus Infinitus est infinitum bonum: ergo nulla sunt mala contra experientiam manifestam, quod ipsum

argui potest ex pugna infiniti cum finito. Distinguo antecedens respectu eiusdem subiecti pugnant bonum, & malum, finitum, & infinitum fateor; diuersorum respectu nego. Et distinguo similiter consequens, respectu Dei, Concedo: respectu aliorum, Nego. Tertiò dices, vel Deus potest facere infinitum per essentiam tale, vel non potest? Si potest: ergo Infinitas per essentiam attributum, & proprietas Dei non est. Si non potest: ergo infinitæ potentiæ, & continentiæ eminentialis in sua essentia non est. Respondeo, non posse: quia implicat infinitum per essentiam, quæ ab alio causatiuè sit.

7. Alia Vorstij argumenta denique ridenda supersunt. Primum hanc postremam obiectionem videtur subodorari, sed cum catharro, cum adeo ineptè ab ipso efformetur. *Nulla creatura est infinita in genere entis: ergo nec Deus.* Ac si argueret. *Nulla creatura*, inquit Becanus, *est omnipotens: ergo nec Deus*, vel hàc, *Quod in se quidquid est possibile in genere entis non continet* (vt creatura) *in genere entis infinitum non est: ergo nec, quod id omne continet.* O fustes! Secundum. *Esse infinitum actu, & esse hoc aliquid sunt contradictoria: at Deus est actu hoc aliquid: ergo non est infinitum actu*: Si id, quod actu hoc aliquid est, actu omnia possibilia ab imperfectione decocta, in genere entis eminenter non contineret actu infinitum in genere entis non foret; secùs, cùm continet, vt Deus. Tertium, quod infinitum est per essentiam, seu in genere entis, videri clarè, nequit à creato intellectu: at Deus clarè, & intuitiuè ab intellectu creato videtur: ergo Infinitus per essentiam, seu in genere entis non est. Sed maior est apud Catholicos omnes falsa: nec nisi Vorstio, & Armenis vera: qui ideò Deum clarè videri posse absolutè negant, ne negent Infinitatem Dei notissimam, quo autem pacto Dei Infinitas cum visionis creatæ, qua videtur, finitudine componatur, neque in hanc necessariò Infinitas refundatur, constabit d.5. qu.3. cert. præsertim 3.

CERTAMEN II.

Malè Infinitas Dei per Essentiam, siue in genere entis statuitur à nonnullis.

1. CVm Infinitas omnis non aliter meliùs explicetur quàm per negationem termini, quo finitum (in quouis genere sit) coercetur, ne vlteriùs progrediatur: videndum est cuiusnam termini negatione Infinitas Dei per essentiam intelligenda, atque definienda sit, vt benè (quoad fieri à nobis pro hoc statu potest) definiatur, atque explicetur. Quocirca totidem dicendi modi, atque explicandi terminum, cuius negatione Infinitas Dei per essentiam, seu in genere entis constituatur, à Theologis accipiuntur, quod ad eam probandam recensuimus. Primum S. Thom. per negationem termini actus, & potentiæ siue physicæ, vt est in materia respectu formæ, & in hac respectu materiæ, atque in essentia, & existentia: siue metaphysicæ, vt est in genere, & differentia, quibus omnibus limitationibus caret Deus, fassus ingenuè sum me nullatenus eam assequi posse, cert.1.num.3. Etenim Angeli, & spirituales omnes substantiæ, neque à forma, neque à materia limitantur, neque nisi per rationem, & fictitiè logicè, vel potentia, & actu essentiæ, & existentiæ (quas reipsa nusquam differre certissimum nobis est) vel generis, & differentiæ constant: quare physicè & realiter, ac verè limitari eis substantiæ non spirituales possunt: quòd autem ex natura & subsistentia, seu personalitate eiusmodi substantiæ, tanquam actu, & potentia physicè constent, earum limitationem non probat. Etenim, vt d. præmiss. de Trinit. q.2. cert.5. docebamus Subsistentia, seu personalitas modus positiuus non est.

2 Sed, etsi modus positiuus esse admittatur, non tamen constat eum in natura, seu substantia Angeli recipi, tanquam in subiecto, neque illam in se recipere, vt mutuò inde alterum per alterum in suo esse limitetur, ni aliunde limitata sint. Item, horum receptione, vel mutua, vel non mutua admissa, si aliunde in suo esse finitæ non constent, non satis apparet, quomodo eo formaliter limitentur, licet ex dependentia materiali in suo esse limitata fore probentur, vt statim in simili contra Vasq. vrgebo. Solùm enim determinantur altera per alteram, vt ex eis tertium quid confletur, atque resultet, quod solùm probat mutuam earum à se, & à tertio illo distinctionem, cum qua benè infinitas entis fœderatur. Alioqui (vt benè Alex.1.p. qu.6. m.1. ad 3.) nec Deus Infinitus per essentiam, & in genere entis foret cum ab aliis omnibus distinguatur. Denique Dei Infinitas ab immaterialitate, & simplicitate Dei diuersum Attributum est: ac proinde compositionis absolutè, è quibusque entibus sit, negatione (in qua Simplicitas formaliter consistit) & negatione compositionis ex materia (in qua Dei stat Immaterialitas) consistere formaliter nequaquam potest.

3. Albertus in 1.d.43. art.1. docet Infinitatem Dei secundum essentiam negatione definitionis, & comprehensionis aptissimè explicari. Verùm, si ibi intelligat definitionem logicam ex genere, & differentia constantem, iam impugnatus est n.1. ac deinceps impugnatur: quia, si genus, & differentiam habere, neque obest finitudini rei, neque infinitudini, vt eo num. atque d.2.q.5.cert.1. ostendimus: neque ex eis constans definitio oberit: quare neque eius negatione explicabitur Infinitas. Tertiò definitio logica, & si limitationem essentiæ arguat, ast illam non constituit: cum opus rationis sit, pluribusque rationis entibus constet: quare, neque ipsa, neque ad ipsam ordo potest realem, & veram rei limitationem constituere: ac proinde, neque eius negatio Infinitatem bene explicare. Ac demùm, etsi definitionis negatio, Dei arguat Infinitatem; Ast illam non facit, sed supponit: ex eo enim, quod Deus infinitus sit in se, eius à nobis indefinibilitas logica, à priori erit probanda: quare alter terminus, quàm definitionis negatio, infinitatem Dei constituit.

4. Quòd si definitionis nomine intelligat Albertus, cognitionis nostræ, vel loci, aut temporis circumscriptionem (qui duo postremi modi etiam ibi ab Alberto afferuntur): impugnatur Primò: quia Incomprehensibilitas aliud Attributum est ab Infinitate secundum essentiam, & in genere entis, sicuti, & Incircumscribilitas, seu Indefinibilitas loco, vel durationi, quæ Immensitatis, & Æternitatis Attributa sunt: quæ tria, vt talia, Infinitatem Dei per essentiam, atque in genere entis supponunt, atque à priori ex hac demonstrantur. Neque enim audiendi, quoad Incomprehensibilitatem per cognitionem, & visionem. Si enim de omni visione, & cognitione, etiam diuina, loquantur, in Deo non est respectu sui ipsius. Sed neque absolutè respectu nostri: cum clara visione, licèt supernaturali lumine, possint omnia intrinseca Deo representari, represententurque Beatis de facto, melius multò, clariùsque, quàm creata plura, quæ dicimur cognitione, & visione comprehendere: ac proinde Dei omnia eiusmodi visione circumscribi, definiri, ac secundum totum, quod in se est, representatiuè comprehendi, negari minimè potest; licèt ad comprehensionem, quam Scholastici excogitarunt, & disputant, aliquid requiratur vlterius, de quo suo loco: si autem secundum totam suam entitatem, & esse intrinsecum Deus representatione clara definitur secundum esse, seu in genere entis, Incomprehensibilis non est in se, vt hi Doctores aiebant.

5 Tertiò alij communiter docent esse negationem numeri Attributorum & perfectionum Dei, quemadmodum vulgarem, & plausibilem appellat Vasquez d.25. cap.1. sed tamen cùm Dei perfectio, & bonitas vna tantum reuera summa, atque ab intellectu independens sit, attributalium perfectionum pluralitas sit tantùm per rationem: negatione numeri perfectionum, quæ per rationem solùm est, nequit vera & realis Infinitas Dei per essentiam, seu in genere entis constitui. Secundò neque Attributa & perfectiones, quas in Deo recensemus infinitè numeraliter, seu numerum omnem excedentia sunt, vt patet: quod si id fundamentaliter intelligendum putes, neque sic infinitæ numero erunt, adhuc per rationem, & metaphysicè, ne dum physicè. Nam continentia formalis, ac eminentialis Dei in quouis genere, simplicissima ac vnissima, & physicè & metaphysicè est (vt de physica Patres loquuntur, ac de metaphysica ostendimus d.3. qu. vult.) Non autem compacta ex

ex partibus, neque vnitatum additione crescens sed insectili, & vnissima entitate, atque vnitate, siue formalitate totum est, quod in quouis genere, & statu est. Denique continentia, seu cumulus bonitatum, & perfectionum omnium non infinitas in essendo, seu per essentiam, sed Bonitas, & perfectio diuina, seu bonitatis, & perfectionis infinitas metaphysica est: quæ proinde ad aliud Attributum spectat, nempe Bonitatis, & perfectionis diuinæ, quæ ex Infinitate Dei per essentiam metaphysicè agnoscitur in Deo.

6. Noster Vasquez citatus cap. 5. ex Alex. 1.p. q.6. m.1. ad 3. & 4. docet, negationem termini, qua explicatur optimè infinitas Dei per essentiam, seu in genere entis esse negationem essendi ab alio, siue eundem conceptum essendi à se formalissimè: quia, sicut quod ab alio est eo formaliter contineri, atque in suo esse limitari intelligitur, ita per eius continentiæ negationem essendi ab alio, seu per prædicatum essendi à se formaliter siue termino, in suo esse intelligitur, atque interminatus, seu Infinitus in essendo explicatur optimè Deus; in quam sententiam inducit recitata Patrum testimonia cert. 1. n. 5. ad eam Infinitatem Dei probandam, atque confirmandas eius probationes. Vnde impugnatur primò sententia præsens. Etenim Dei per essentiam, seu in genere entis Infinitas ex prædicato entis à se à priori à Patribus, præsertim Nicæta ibi recitato, & communiter à Theologis probatur: ergo Infinitas Dei attributalis distinctum quid est metaphysicè à prædicato essendi à se, seu non ab alio; alioqui idem vitiosè probaretur per idem. Secundò Theodoretus, vt diuersa numerat in Deo, & increatum, & infinitum esse ibi n. 3. Secundò esse à se Deum probatur ex implicatione processus infiniti causarum actiuarum, & aliis rationibus, quibus dist. 1. Dei existentiam ostendebamus: quæ quidem formaliter, & immediatè non inferunt infinitatem Dei per essentiam, licèt id inferant mediate, & virtute.

7. Tertio: qui negaret ens à se esse infinitum per essentiam, aut affirmaret ens ab alio infinitum per essentiam esse, non negaret, vel affirmaret duo contradictoria formaliter, seu idem formaliter, quod negabat, vel affirmabat, sed solum virtute: ergo esse à se diuersus conceptus est à conceptu infinitatis per essentiam, & esse ab alio à conceptu finitatis. Confirmatur hæc ratio. Quia, si idem conceptus formalis obiectiuus esset vterque, non posset esse quæstio an Deus infinitum per essentiam facere queat? ideit an creatura, seu ens ab alio possit esse per essentiam infinitum? nisi tu, er imperitos, qui id, de quo inquirunt, non percipiunt: cum tamen apud doctos Theologos ea quæstio versetur cum S.Thom.q.7. art.2. Quarto impugnatur: quia finitas, & limitatio entis contenti in causa sui ipsum continente est limitatio, & finitudo extrinseca, quæ supponit intrinsecam ipsius finitudinem, & limitationem, vt patet in loco, & locato: ergo infinitudo, quæ ab hac sententia assignatur est solum extrinseca Deo, non autem intrinseca, & per essentiam, licèt in intrinsecam, & per essentiam suam infinitus esset Deus, extrinsecam etiam finitudinem haberet.

CERTAMEN I.

Verosimiliùs infinitas Dei per essentiam, siue in genere entis explicatur.

1. VT autem hac in re clariùs procedamus, obseruandum est duplex genus infinitatis Dei per essentiam, seu in genere entis assignandum esse, sicut dupliciter Dei essentia, seu diuinum ens à nobis dicitur. Nimirum essentia physica, & quod idem est ens diuinum physicè, vel metaphysicè sumptum. Et primo quidem modo Dei infinitas omnia prædicata diuina includit, tam communia, quàm personalia indiuisim: additque vlteriùs negationem vlterioris magnitudinis physicæ essentiæ, seu entis physicè sumpti: quia cùm à se sit, & non ab alio physica Dei essentia, atque omnium possibilium causa adæquate illa continens, vt diximus: quicquid maius illa essentia est, repugnans est: idque ex eo, quod intrinsecè essentia physica Dei est: quod autem ab intrinseco sui omnem maiorem magnitudinem implicatoriam facit, è sua intrinseca entitate, & essentia infinitum est: sicut finitum per essentiam, quod maiorem essentiæ magnitudinem entitate, & essentia sua à rerum possibilitate non excludit, vt in creatis omnibus cernere licèt. Hoc pacto Anselmus, & Patres reliqui, ac Theologi omnes Dei infinitatem explicant, aientes esse ita per essentiam, & entitatem suam magnum Deum, quo maius excogitari non possit. Scilicet, nisi implicatorium cogitetur, & chimæra. In quo modo explicandi infinitatem Dei per essentiam, & in genere entis physicè accepti conuenit mihi cum Soario 2. de attributis cap. 1. n. 5. id quod ex eo, quod physicè à se sit optimè probatum à nobis, & à Theologis est.

2. Neque minus solidè ex continentia causali omnium creatorum possibilium ex eo quidquid essentiæ possibilis est in eo esse demonstratur, vel formaliter, vel eminenter, non solùm, quatenus causa est, atque relatè ad producibilia omnia à nobis cogitatur, sed quatenus, in se physicè est. Quod autem in suo esse omnia entia possibilia, maxime simplicissimo complexu claudit per suum esse maius aliquid à possibilitate excludit, vt nuper dicebamus, atque infiniti esse, seu essentiæ conuincitur. Itaque eam maiotitatem essentiæ repugnantem facit: quia omnia possibilia entia est. Vnde Exodi 33. Moysi aiebat: *Ostendam tibi omne bonum.* Atque à S. Francisco de Assis: *Deus meus, & omnia*, vocabatur. Neque aliter à Priscis Philosophis sapientioribus teste Eugubino 3. de Peren. Philosophia cap. 8. τὸ πᾶν, id est *omne*, seu vniuersum nominabatur. In quam sententiam elegantèr cecinit Nacianzen. hoc carmine latino per Nostrum Lessium 1. de perfectionibus diuinis. cap.1. lit. D.

Inte omnia permanent: ad te confertim festinant omnia.

Tu omnium finis: Tu vnus, & omnia, & nihil rerum.
Cùm, neque vnum sis, neque omnia, quem te appellem,
Qui solus innominabilis, & omninomius?

3. Hæc inquam altera est Dei infinitudo per essentiam physicam, seu in genere entis physicè sumpti. Inde verò alia infinitas Dei per essentiam metaphysicam, seu in genere entis metaphysicè sumpti, necessario metaphysicè suboritur, de qua non satis apertè Theologi diuisim ab alia hactenus disputarunt. Et Lessius quidem de sola infinitate Dei per essentiam physicè sumptam, sicuti, & Becanus disputasse videntur. Soarius vero de ea, etiam per essentiam metaphysicam, loco citato. Sed non distinctè videtur locutus; videturque ibi docere in negatione etiam maioritatis respectu omnium, & singulorum prædicatorum Dei, nostro intelligendi modo consistere, atque accommodatissimè explicari. Neque aliter potest censere, nisi consequentiæ suæ, quàm par esset, reuerentia minori. Cùm enim essentiam Dei metaphysicam ex omnium diuinorum prædicatorum complexu constare censeat, vt vidimus, d.2. q.2. cert.1. nequit non de infinitate Dei metaphysica ita theologizare.

4. Nos autem, qui solo prædicato entis à se essentiam metaphysicam, seu quatenus à se est, contineri ea quæst. statuimus, negatione maioritatis essendi, seu entis, à se solummodo, non autem alterius generis, & formalitatis, in qua vnumquodque ex reliquis attributis est, infinitatem Dei per essentiam metaphysicam, seu in genere entis metaphysici rectè explicandam censemus. Siquidem infinitates aliorum prædicatorum, seu attributorum Dei, quæ extra metaphysicam eius essentiam, & genus entis diuini metaphysici sunt, nequeunt Deum per essentiam metaphysicam, seu in genere entis metaphysici infinitum, adhuc inadæquatè, constituere. Quod si infinitas hæc Dei per essentiam, seu in genere entis metaphysicè, non pro essentia Dei metaphysica, seu ente metaphysico diuino substantiuè accepto, sed pro essentia Dei metaphysica laxiori modo accepta pro intrinseco cuiusuis diuini prædicati conceptu formali vsurpetur, atque ens pro ente metaphysico etiam adiectiuè sumpto, eo quidem modo diuina omnia prædicata infinita per essentiam suam, seu in genere illo laxiori entis metaphysici adiectiui sunt, ex eo formaliter, quod eorum quoduis in suo genere omnem prorsus maioritatem excludit v. g. sapientia in suo genere, vnde

omnis scientia, potentia in suo etiam, & omnipotentia nominatur. Ex quo aperte constat, quo iure dixerimus dist. 3. q. 5. cert. 2. & 3. ac sæpè aliàs docuerimus, nullum Attributum, prædicatumque diuinum augeri per additionem metaphysicam in suo genere, componiue homogenea metaphysica compositione vsquam posse.

CERTAMEN II.

Infinitatis per essentiam transcendentia examinatur.

1. PRo huius quæstionis coronide videndum restat, an infinitatis diuinæ metaphysicæ per essentiam prædicatum diuina omnia prædicata transcendat? dixi verò infinitatis metaphysicæ per essentiam, seu in genere entis metaphysicè sumpti. Nam de infinitate physica in genere entis, seu per essentiam physicam diuina prædicata nulla transcendere certissimum est: cùm nullum seorsim tota essentia physica Dei sit, ac proinde neque infinitum physicè aliquod ex illis seorsim sumptum esse queat. De infinitate vero metaphysica, seu per essentiam metaphysicam, duplex adhuc quæstio in ea, quam proposuimus, esse potest. Altera an prædicata omnia diuina infinita per essentiam, seu in genere entis strictè pro Dei essentia, & ente metaphysico eius substantiuo ea vsurpantes, sint. In qua nobis cum aliis, qui circa essentiam Dei metaphysicam philosophicam aliter, ac nos censent, atque in aggregato omnium diuinorum prædicatorum eam constituunt in negatiua conclusione, licèt ex principiis diuersis est necessariò conueniendum. Illis quidem ob rationem, qua nuper infinitatem Dei per essentiam physicam transcendere prædicata omnia diuina negabamus: quia nimirum eorum nullum in horum opinione essentia metaphysica Dei est, sed pars illam metaphysicè componens: quare & infinitatem Dei essentiam metaphysicam integrans. Cui toti ea infinitas propria est.

2. Nisi fortè ad mutuam inclusionem essentiæ in Attributis, & horum omnium in essentia, & quouis eorum recurrant: quam ne ipsi quidem, qui eam docent, intelligunt: quàque essentiam metaphysicam, & attributa quæ in Deo recognoscunt, omnino contradictoriè negant, vt vidimus d. 3. & d. 8. de Trinit. quare ea ratio in præfata sententia de constitutione metaphysicæ essentiæ diuinæ ex omnibus diuinis prædicatis essentiæ metaphysicæ Dei infinitatem, seu huius infinitatem per essentiam, & in genere entis metaphysicè loquendo, diuina prædicata omnia non transcendere omnino demonstrat. Nec minus efficaciter hoc ipsum probatur in nostra sententia essentiam metaphysicam Dei in solo prædicato entis, seu essendi à se constituente. Etenim, cùm ea ratio entis attributa non transcendat, vt diximus, quorum nullum ens substantiuum metaphysicum, seu esse à se formaliter est: neque infinitatem per essentiam, seu in genere entis habebit metaphysicè, licèt vnumquodque in suo genere habeat infinitatem, vt nuper dicebamus.

3. Hinc etiam videtur facilè probari infinitatem diuinam per essentiã, & in genere entis laxiori illa earum vocũ significatione acceptam omnia diuina prædicata transcendere: Cùm nullum omnino, vt diximus, sit, quod in suo genere, & è conceptu, & essentia sua infinitatem non habeat, quòd solùm ad metaphysicam prædicati cuiusuis per alia transcendentiam videtur requiri. Confirmatur: quia iuxta nostram infinitatis diuinæ explicationem, seu definitionem nuper datam, infinitas metaphysica Dei per essentiam seu in genere entis laxiori vsurpatione est prædicatum metaphysicum diuinum è genere suo, ita omnem illius formalitatem possibilem, quæ imperfectionem non dicat in se continens formaliter indiuisibiliter, vt nequeat in illo genere maius haberi, ac proinde maioritatis in illo necessaria negatione optimè definitur, & explicatur eiusmodi infinitas diuina, quæ proinde est per denegationem termini etiam extrinseci, vt sæpe diximus. Sed id totum, quod eam negationem fundat necessariò in suo genere, in quouis prædicato diuino inuenitur: ergo etiam, quo ad negatiuum, seu negationem, qua infinitas diuina à nobis explicatur, ac definitur in omni prædicato diuino recognoscitur.

4. Nihilominus censeo. Prædicatum infinitatis metaphysicæ per essentiã, seu in genere entis metaphysici larga illa acceptione nullatenus prædicata diuina transcendere, licet omnia in suo quæque genere infinita sint. Id quod ex vrgentiori ratione, quàm illa, qua eius transcendentiam probamus, mihi perspicuum est. Etenim, cùm è genere, & conceptu essentiali suo indiuisibili formaliter infinita in suo quæque genere sint: non minus implicat quàm vnius formalitatem alterum transcendere formaliter, quod implicat manifestè: quia Attributi diuini cuiusuis generis formaliter indiuisibiliter idem est infinitas, quod ipsum Attributum formaliter est; ergo non transcendente tota formalitate attributi, nequit eius infinitas transcendere, vt de se patet. v. g. infinitas sapientiæ Dei conceptu, & essentia sua formaliter indiuisibiliter infinita in suo genere, nequit Attributum amoris diuini metaphysicè transcendere, ni formalitas sapientiæ etiam Attributum amoris transcendat: quod est implicatoria omnium Attributorum Dei confusio. Atque ob eandem rationem nequit dari infinitatis diuinæ metaphysicæ communis vniuoca transcendentia, sicut animalis respectu hominis, & bruti: neque analogica: quia nihil horum dari potest inter conceptus primò diuersos, cuiusmodi sunt diuina prædicata; quare solùm in his, quæ partitis metaphysicè formalitatibus constant dari potest; in quibus solùm conuenientia cum disconuenientia potest inueniri: quare dicendum necessariò est infinitates metaphysicas diuinorum prædicatorum, sicuti & ipsa prædicata esse primò diuersas. Nec obstat, quod adiectiue entia à se metaphysica Attributa, quare & adiectiuè infinita in essendo sint: id enim Attributis commune denominationis, non formalis transcendentiæ est. Illud de negatione maioritatis in suo genere, qua infinitas hæc à nobis concipitur, & explicatur pro hoc statu, totum rationis nostræ opus est omittendum.

5. Sed dices inde inferri infinitatem Dei per essentiam, siue physicam, siue metaphysicam Attributum Dei non esse contra Theologos omnes: de metaphysica patet, ex ratione nuper data. Cùm idem formaliter indiuisibiliter, quòd suum prædicatum diuinum sit, vt dicebamus. Idem autem respectu sui ipsius proprietas, & Attributum esse nequit. Inde verò constat male à nobis, imò & à Theologis reliquis probari infinitatem Dei per essentiam ex prædicato entis à se à priori metaphysicè: Cùm idemmet conceptus metaphysicus prædicati entis à se, atque infinitatis eius per essentiam sit. De infinitate verò Dei per essentiam physicam idemmet argumentum efformari potest: nam physicè essentia physica, & infinitas Dei per illam nullatenus differt. Denique cum infinitas intensionis qualitatum, & extensionis, tam earum, quàm quantitatis ex partibus, siue intensionis, siue extensionis eiusdem rationis, & speciei constituatur, ea etiam infinitas siue intensiua, siue extensiua (quam modò admitto possibilem) videtur per essentiam qualitatis, seu quantitatis esse: quare infinitatem per essentiam nullatenus ita Dei propriam & Attributum esse, vt nequeat creaturis conuenire: & hæc quidem videntur infinitatem per essentiam à ratione Attributi diuini relegare.

6. Infinitatem Dei per essentiam metaphysicam, seu in genere entis metaphysici, siue strictè, siue largè ea nomina vsurpentur, Attributum Dei à reliquis diuersum nullatenus esse, vt ratione efformata conuinci videtur. Nec satis est ad eam diluendam (quod posset nonnemo respondere) infinitatem, scilicet, Attributorum infinitatem esse metaphysicam essentiæ metaphysicæ Dei Attributalem, non minùs quàm Attributa ipsa, cum quibus cuiusque infinitas formaliter, indiuisibiliter metaphysicè identificatur, essentiæ metaphysicæ Dei proprietates, & Attributa sint. Ea enim infinitas essentiæ Dei metaphysicæ, infinitas, non per essentiam quidem, illius, sed per Attributatum, cui formaliter identificatur est, vti ipsa solutione dicebatur. Verùm Attributalis infinitas Dei per essentiam non est illa infinitas per essentiam metaphysicam, sed per essentiam physicam, quæ quidem, licèt physicè ab essentia Dei physica non differat, seu ab esse à se physicè sumpto, quòd physicè idem & vnissimum cum omnibus prædicatis diuinis est; ast metaphysicè

ab

ab eo, & ab essentia differt eiusmodi infinitas per essentiam physicam, seu in genere entis à se physicè, atque optimè à nobis, & à Theologis reliquis per hoc à priori probatur, quod autem dicebatur tandem de infinitate creata, vel intensiua, & extensiua possibili, quæ tota in genere qualitatis, vel quantitatis est, esse infinitatem intra ea genera, & essentias probat; non autem per earum essentias, atque è genere, & essentia eorum, quæ sine eiusmodi infinitate, & physicè, & metaphysicè saluari, concipique valent: quod secus est in essentia siue physica, siue metaphysica Dei, vtróuis modo accepta, reliquisque prædicatis, & Attributis diuinis, vt ex dictis patet. Infinitas vero per essentiam metaphysicam Attributum verum Dei est: & quod etiam ex prædicato metaphysico entis à se probetur à priori. Dicit enim in genere entis termini omnimodam negationem, & illimitationem prædicato entis à se formaliter non expressam.

QVÆSTIO II.

De Immutabilitate Dei.

DEi infinitatem per physicam essentiam immutabilitas statim consequitur generatim (licèt specialiter immutabilitatis partes, vt sic loquar, ex specialibus Attributis videantur suboriri: vt immutabilitas localis ex immensitate, in duratione, seu desitione, aut inceptione essendi, ex æternitate, & sic de aliis) quia ex eo, quòd possibilia omnia, quæ imperfectionem non afferunt essentia Dei physica ita complectatur, vt nihil ea maius esse concipi queat, fit, vt nihil ei denuo possit accedere, quod vbi primum ex æternitate est, ipsi non adsit: quod ipsum est immutabilitas, seu impotentia vt mutetur, aut necessitas essendi per æternitatem eo etiam omni modo, quo extitit primò.

CERTAMEN I.

Quæstionis, seu difficultatis explicatio: atque Vorstij error.

1. TRibus modis res omnes creatas mutari experimur: quare, & rationales creaturas, quatenus cum cæteris irrationalibus conueniunt. Primò quoad esse (quæ quidem propria mutatio non est) vt cùm esse incipit, quod antea non fuit, vel quod antea fuit, desinit esse. Secundò localiter: cum aliquid de loco in locum mutatur. Tertiò accidentaliter: vt cum in quantitate, aut substantiali magnitudine, vel qualitate mutatur. Atque in hoc tertio mutationis modo duplex alius rationalium creaturarum mutationis modus continetur pro duplici qualitatis genere, quæ in solis illis reperitur: nempe intellectionis, seu scientiæ, & amoris, seu affectus voluntatis. Vt si non sciat, quod antea ignorabat, vel putabat falsum, vel velit nunc, quod antea non volebat, vel nolebat atque auersabatur. His omnibus modis an Deus mutari queat inquiri potest: & primò modo quo ad esse, siue existentiam suam (quam impropriam mutationem diximus: quia subiectum, quod ex non esse ad esse, vel ex esse ad non esse transeat nullum est) constabit ex Dei æternitate d. 5. immutabilem esse Deum. Secundo autem modo mutationis esse incapacem ex eius immensitate patebit. De tertio autem modo specialiter est disputatio præsens, in qua de accidentibus non vitalibus, & irrationalibus vix vlla est adhuc apparens difficultas. Cùm ex Dei simplicitate (de qua d.) nullum ex iis accidentibus physicè inesse, nedum denuo aduenire clarebit. Quare de scientia, & amore, vel affectu voluntatis, in quibus aliqua saltem difficultatis vmbra esse potest; tota erit disputationis præsentis difficultas.

2. Vorstius apud Becanum 1. p. cap. 7. n. 1. Deum mutabilem esse quoad amorem, & affectus voluntatis: blasphemauit. Ita enim aiebat pag. 65. *Deus quædam in tempore re ipsa vult, quæ ante noluit.* Et cap. 112. *Voluntas Dei ast principium cuiusdam mutabilitatis in Deo:* inferius. *Non satis igitur circumspectè loquuntur, qui Deum vt essentia, sic etiam voluntate prorsus immutabilem esse affirmant.* Nec dubito hæreticum hunc scientia etiam mutabilem esse censuisse, in qua grauior proculdubio est difficultas satis obuia, quam cert. 2. expendemus, vbi accuratissimos, Catholicissimosque Recentiores ei succumbere, atque animum ad solutionem despondere videbimus, & ad tutissimum fidei de immutabilitate Dei asylum se recipere, quare Vorstium, qui fidem minoris; quam leue quoduis difficultatis spectrum, semper facit in eo etiam errasse merito iudicamus: ni forte ipsius ignorantiæ, vulgaris adhuc, atque à Deo peruia difficultas non occurrit: quidquid enim Vecors homo non erraut, inscitiæ suæ debet, non iudicio.

3. In hunc eundem Vortij errorem Catholicus quidam Magister prolapsus visus nonnullis nuper fuit Toleti, dum consequentiæ ergo: Deum in tempore plura, imò & omnia decernere fassus est. Cùm enim libera Dei decreta extrinseco effectu constitui, complerique doceret, qui quidem tempore, ac non ex æternitate adest, decretum ex æternitate Dei non adesse absolutè, & adæquate, sed absolutè in tempore incipere, consequens omnino ipsi videbatur. Qua de re apud Toletanum S. Inquisitionis tribunal delatus fuit, quasi Dei immutabilitatem negare. Eandem doctrinam circa desitionem diuinorum decretorum tenuisse videtur Gaspar Hurtado 1. p. tract. 3. d. dif. §. ex eodem principio de constitutione diuinorum decretorum per aliquid extrinsecum: Docet enim ibi decretum de existentia rei, quæ periit v.g. Adami, eo transacto, atque è viuis sublato, cessare, neque adhuc persistere, quod æque Dei immutabilitati videtur officere.

4. Cæterum Catholici hi Doctores nusquam Dei immutabilitatem physicam negare in animo habuerunt: cùm id totum, quod Deo intrinsecum in decreto est, ex æternitate fuisse, ac per totam æternitatem fore expresse fateantur: solumque deficere extrinsecum creatum, quo intrinsecus Dei affectus in decretum completur: quod non est Deo intrinsecum aliquod, vel tempore aduenire, vel aliquando deesse, quod solum ei immutabilitatem aboleret. Nam extrinsecus aliquid in tempore Deo aduenire, quod postea ipsi extrinsecus deficiat certissimum, imò prorsus catholicum est, ex mysterio Incarnationis, mundique creatione, quæ Fide sunt certa. Nihilominus decreta diuina in tempore incipere, ac tempore tandem deesse absolutè dissonè, & dicitur, & auditur. Cùm enim velle, ac volunrate decernere denominationes vitales sint: proindeque intrinsecæ volenti ac decernenti, vtpote immanentes, Dei mutabilitatem sonant: cum fatendum absolutè sit antecedenti ad tempus; in quo effectus sunt, æternitate Deum non decreuisse, aut voluisse; quod in tempore absolutè voluit; atque transacto effectu non velle per æternitatem succedentem, quod aliquando voluit: ac proinde à non volente aliquando, seu negatione volitionis ad volitionem, & è contra à volitione, & volente aliquando, ad eius negationem, & non volentem videtur absolutè transire: quod mutationem intrinsecam sonat vt dixi, atque absolutè cum Vortij blasphemia. Id quod me ita ab ea deterret, vt ob id solùm incommodum à constitutione decretorum Dei per extrinsecum creatum concingens deficerem, etsi nullum aliud incommodum, vel fundamentum haberem.

CERTAMEN II.

Dei Immutabilitas, ex fide, & ratione est.

1. PRobatur. 1. ad Timot. 1. *Regi sæculorum immortali.* & cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem:* nomine autem immortalitatis, omnimoda Dei immutabilitas

litas significatur, vt interpretes ibi Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Speciatim vero omnes mutationis modi à nobis numerati reiicientur à Deo apertissimis scripturæ testimoniis tanquâ ipsi impossibiles. Primus enim mutationis modus, licèt improprius, in Deum cadere nequit, ex Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt Cæli: ipsi peribunt. Tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es.* Quod si vulgari satis sensu accipiatur omnis, etiã mutatio à Deo excluditur. Vulgo enim de eo, quem aliquo accidenti colore, vel corporis figura, & habitudine moribusue mutatum videmus, eundem ipsum esse negamus. Quo sensu Chrysol. duplicem illam Mariam ad Christi monumentum cum vnguentis aromaticis aduentantem, de eadem persona Mariæ Magdalenæ subtiliter interpretabatur, quæ tamen ob morum antiquorum, in potiores alios mutationem *vna Maria, & altera Maria* diceretur. Et hispane de sic mutatis de mutatis quoad accidentia vel physica, vel moralia, dicimus: *No es el mismo este hombre.* Sed addit contra primũ mutabilitatis modum Psaltes *Et anni tui non deficient.*

2. Hæc ipsa specialis Dei, quo ad esse, & existentiam suam immutabilitas expressa est vocibus stricte etiam acceptis testimoniorum, quæ ex Epistola ad Timot. nuper recitabamus, atque aliis, quæ pro Dei æternitate dabimus. Secundus modus mutationis localis eis locis Deo impossibilis asseritur, quibus immensitas diuina exprimitur. Hierem. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Baruch. 3. *Excelsus, & immensus.* Tertio verò modo impossibilitas mutationis in Deo per accidentia præsertim scientiæ, aut affectus voluntatis, in quibus, vt dixi, tota est difficultas. Probatur ex n. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur* (materialiter adhuc ex ignorantia) *neque vt filius hominis vt mutetur*: Voluntate scilicet, & affectu. Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri: Voluntas autem Domini permanebit*; & tandem Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Est autem ibi sermo de propositi, seu voluntatis diuinæ mutatione, aut mutabilitate, idcirco veritas hæc diuinæ immutabilitatis definita est, ex cap. firmiter de summa Trinit.

3. Pro eadem veritate clamant Patres Boetius notissimus illo suo carmine: *immotusque manens dat cuncta moueri.* Augustinus 1. conf. cap. 6. *Rerum omnium instabilium stant causæ*: iterum *omnium mutabilium, immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium, & temporaliũ sempiternæ viuunt rationes.* Prosper sententia 145. *Æterna, & incommutabilis est, voluntas eius, nec consilio alternante variatur; in qua simul est, quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præcessit, aut sequitur.* Rursus Augustinus 1. Confes. cap. 4. Ita Deum alloquens rem totam, & vniuersim, & luculenter est complexus: *immutabilis mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem dedicens superbos, & nesciunt: semper agens, semper quietus, colligens, & non egens, portans, & implens, & protegens, creans, & nutriens, & perficiens, quæris, cum nihil desit tibi: amas, nec æstuas zelas, & fecurus: pœnitet te, & non doles: irascris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis, quod inuenis, & nunquam amittis: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam auarus, & vsuras exigis. Super erogatur tibi, vt debeas, vt quis habet aliquid non tuum? reddis debita, nullis debens: donas debita, nihil perdens.*

4. A ratione verò facilis se dat probatio. Primo ex Dei simplicitate, quæ omnem ab eo compositionem intrinsecam tam substantialem, quam accidentalem (sine qua vera mutatio, & non de nomine solùm, esse nequit) ab eo repellit. Secundò, ex Dei infinitate per essentiam, ex qua omnia Attributa alia ipsi necessariò, vbi primum est, adesse necessariò infertur, ac proinde immutabilitas. Insuper, vt præfatione quæstionis docebam, cum infinitas hæc Dei Attributalis per essentiam physicam in eo stet, vt nihil maius Deo esse possit: ac proinde omnium, quæ imperfectionem non dicunt formalis eminentialis, seu omnium possibilium ab imperfectionibus suppuratorum formalis continentia: quidquid accidere potest ab ipso necessariò præhabetur eminentiori formalitate: ac proinde, quidquid aduenire illi cogitatur, chimæricum est. Tertiò ex æternitate mutatio quoad esse, seu existentiam illi est impossibilis. Ex immensitate mutatio quoad locum: ex scientiæ infinitate metaphysica, eiusque certitudine fit, vt nihil deuuo sciat, nec falli possit: indeque etiam vt nunquam mutet consilium, nec decreta, quæ sapientissime, ac prudentissime semel habuit. Inde denique quod statim, atque ab æterno est decernat, velitque omnia decernenda, atque volenda: cum ad omnia præconsilianda, neque experientias, neque temporis inducias expecter, vt perfectissime cuncta percalleat.

5. Dices primò: Deum ex tempore creatorem esse, vereque proinde dici, aliáque nomina, & munia temporarie subire, quæ ex æternitate non subiit: in quibus præcipuum est incarnatum esse, atque humanitati vnitum, adeoque intrinsecè vnitum, atque humanitas, quæ eiusmodi vnione ad ipsum mutatur. Huius difficultatis solutionem desperasse videtur Augustinus 2. de ciuitate. cap. 1. Eam autem inuenit, dedituque tandem 5. Trinit. cap. 15. & 16. respondens (quod verissimum est) nempe eas denominationes non ab intrinseca aliqua Dei forma, seu entitate ipsi physicè inhærente, atque in tempore accedente, sed ab extrinseca actione, & effectu creatis Deo tribui: quæ cum tempore adueniat, Deum ex tempore solùm denominant, non ex æternitate: quod si Deus nobis de remedio prouidere, vel prouisurus in tempore oportuno apud scripturas dicitur, non de intrinseca ipsi prouidentia, sed de eius effectu & remedio intelligendum est. Prout scilicet prouidere tantundem valet, ac succurrere. Ad illud de Incarnatione, & vnione intima Dei ad humanitatem diximus controuers. de incarnat. Nunc satis sit scire intimam vnius extremi ad aliud vnionem non inferre huius in illo inhæsionem, quæ ad intrinsecam eius mutationem requiritur, sed adhæsionem solam satis esse.

QVÆSTIO III.

An Deus mutabilis sit, quoad actus liberos Scientiæ & voluntatis suæ, negatiue saltem?

DEVM in suis liberis etiam actibus scientiæ, & voluntatis immutabilem contrarie, id est ad scientiam, seu voluntatem contrariam suadent, & testimonia scripturæ, quæ vltimo loco quæst. proxima recitabamus (quæ de hac immutabilitate expresse loquuntur) & rationes, quas subiunximus: ast immutabilitatem negatiuam, vel per cessationem actus, quem ab æterno habuit, temporaneam, vel per temporaneum actus, quem. ab æterno non habuit, aduentum, non ita clare ea omnia suadent. Idcirco, & quia speciales, grauissimæque difficultates negatiuam hanc Dei, quo ad eos actus, immutabilitatem impugnant, seorsim de ea dicere operæ pretium duxi, vt ea omnia, quibus, quo ad eam, Vorstij error, aut vlla Theologis aberrandi occasio relinqueretur, radicitus conuellerem: ne posthac alicui esse offendiculo possent.

CERTAMEN I.

Quæ negatiuam Dei quo ad actus liberos Scientiæ, & voluntatis mutabilitatem, vel suadent, vel emolliunt recensentur, ac repelluntur.

1. VORSTIUS vt retuli. q. 2. cert. 1. n. 2. mutabilitatem negatiuam, quoad actus liberos voluntatis in Deo admittendam necessariò effutiit. Cùm enim hi Deo non adsint necessariò, sed potuerint ipsi absolute non adesse

adesse locus in eis mutationi negatiuæ saltem videtur adesse quod ipsum de scientia libera Dei, quæ circa contingentia versatur, videtur eadem ratione admittendum. Verùm, licèt eiusmodi actuum diuinorum contingentia, & libertas in grauissimis Theologiæ difficultatibus merito numeretur; ast Dei, quo ad eos adhuc, mutabilitatem, nullatenus suadet. Etenim eorum libertas eatenus solum illos ab aliis necessariis Dei prædicatis discriminat: quod hæc Deo necessariò adsint, illa verò non item, sed absolutè potuerint non esse. Non autem in eo, quod decreta, vel scientia libera contingentium semel habita possint in opposita mutari, vel deficere in tempore; vel nõ habita ab æterno, in tempore incipere: id enim ad eorum libertatem, & contingentiam, quæ in diuinis prædicatis necessariis deficit, opus non est; sed solùm quod pro priori libertatis in actu primo possint non esse: quod habent, etsi æternitate mensurentur, sintque necessariis Dei prædicatis coæva: quare ex eorum contingentia, & libertate præcisè mutabilitati adhuc negatiuæ Dei, quo ad illa, locus minime datur.

2. Dices: Pro illo priori indifferentiæ, & libertatis diuinæ non est decretum Dei: si enim illud pro tunc adesset, non esset libertas ad ipsum, vel eius negationem, ac proinde neque libertas contradictionis, neque ad oppositum decretum, quare neque libertas contrarietatis: cum ex actu, siue in actu primo sit decreti illius determinatio. Ad coniungendum autem cum illo, vel eius negationem, vel decretum oppositum potestas chymærica est, & impossibilis: ergo, cum Deus concipit actum liberum transire ad illum ab eius negatione, siue à non volente, aut scìente, ad volentem, & cognoscentem obiecta contingentia. Hoc autem nequit fieri in æternitate, pro qua, quidquid in actu primo Deo adest, ipsi verificatur adesse: ergo in tempore. Verum conuinceris tuis ipsis consequentiis non adesse Deo pro illo priori, negationem decreti, ac scientiæ liberæ, quam adesse pro illo contendis quamque pro posteriori habuit, ne lædatur libertas Dei in actu primo. Et quidem neutrum extremorum libertatis, siue contrarietatis, siue contradictionis pro illo priori causis liberis adesse certissimum est, & ea certitudine, qua effectus causa sua non est, & qua causa libera aut potestas ad vtrumuis est. Itaque potestas actiua ad vtrumlibet, quæ formalissimè libertas in actu primo potentiæ, seu causæ liberæ est, ab vtroque extremo præscindit, ac proinde neutrum in illa est, præcisiuè quidem, non negatiue. Nam prioritatis signa, seu instantia non sunt essendi, vel non essendi siue verificationis instantia, sed causalitatis, atque vt vulgo dicitur instantia, à quibus actus secundus potest esse, non in quibus sit, essève possit.

3. Aliunde tamen alij dicere possent Deum posse temporarie incipere, vel definere posse liberè velle, vel scire contingentia obiecta, quin propriè, & physicè intrinsecè mutaretur: etenim, licet ab æterno, atque in æternum non haberet decreta, & scientiam liberam, quam habet, vel haberet, actus liberos eis oppositos, nihil physicum & reale haberet, vel ei deficeret, quod modò non habeat, vel deficiat; alioqui eiusmodi decreta, & scientia libera, libera Deo non essent: quia tam necessariò ea haberet, quam necessario est immutabilis: ergo, licèt in tempore incipiat, vel definat decretum, & scientia libera, quam modo habet, nihil ei intrinsecum deficiet, vel aduenier eis, quæ de facto habet, habuitque ab æterno, aut in æternum habebit, si eiusmodi decreta non deficerent, vel inciperent temporariè; Patet consequentia: quia sine defectu, vel aduentu denuo alicuius intrinseci, quod physicè subiectum antea, vel habebat, vel non habebat, nequit esse propria physica, & intrinseca eius mutatio, quæ sola Deo repugnat. Confirmatur: quia Deum liberè scire, vel velle, solum addit supra amorem, & amorem necessarium diuinum denominationem extrinsecam ab obiecti contingentibus, & respectum rationis in ea fundatum. Hæc autem in tempore Deo aduenire, deficereque posse supra admisimus: paretque in denominatione actualis creatoris rerum: ergo & denominationes liberè volentis, & scientis.

4. Vt à postremo hoc ordiar solutionem, nego denominationes scientis, & volentis contingentia obiecta esse solum extrinsecas Deo: sunt enim omnino intrinsecæ. Quomodo autem, cum intrinsecæ sint, possint Deo absolute deficere, communis, grauiorque difficultas est, quam, vt cursim extra propriam sedem tractetur. Me igitur de ea videte controuer. de voluntate Dei disp. de decreti liberi const. vbi id per otium examinabo; etsi propius velitis controuers. de scientia Dei, quæ huic primæ immediatè succedet. Sed admisso denominationes extrinsecas Deo esse. Nego consequentiam: licèt enim denominationes extrinsecas, quæ temporaneum aduentum extrinseci contingentis, à quo desumuntur, spectant, Deus in tempore sæpe subeat, vt patet in exemplo adducto actualis creatoris & similibus. Ast eas, quæ temporaneum aduentum, & existentiam actualem extrinseci, à quo desumuntur, non spectant, neque in tempore, neque ad tempus subire Deus potest. Huiusmodi autem sunt denominationes scientis, & volentis liberè obiecta contingentia, etsi extrinsecas esse admittamus: desumuntur enim à veritate, seu cognoscibilitate, atque à bonitate, seu amabilitate obiecti, quod quantumuis contingens sit, si semel verum, seu cognoscibile, & bonum, seu amabile sit, non solùm quandiu de præsenti est, sed semper ex æternitate, & per æternitatem verum, seu cognoscibile, ac bonum, seu amabile est. Hinc patet ad præcipuum argumentum solutio. Nam, etsi ea deficientia actus liberi non appareat formalis intrinseca Dei mutatio formaliter, ast ex ea infertur intrinseca formalis physica mutatio ipsius. Nam, si veritas, & bonitas, seu obiectum amabile, & cognoscibile, quod semel, & aliquando tale est, ab æternitate, & per æternitatem, semper cognoscibile, & amabile est, atque non ex æternitate, vel per æternitatem à Deo cognosceretur & amaretur, sed solùm temporarie, tota æternitate è solo defectu infinitæ intelligentiæ, & omnis scientiæ Dei, quæ prædicata intrinseca Dei sunt, ea obiecta non intelligeret, atque è simili intrinseco defectu non amaret: quod non infertur ex eo, quod ea, quæ solùm poterant esse vera, & futura, non autem fuerunt, non amet, neque intelligat.

5. Murciani Recentiores argumentis contra Dei, quo ad hos actus, in variationem temporaneam à se subtiliter, & doctè satis instructis parum abfuit, quin ponderi difficultatis succumberent: in eamque irent sententiam, vt Dei, quo ad actus liberos scientiæ, & voluntatis, temporariam variationem saltem negatiuè fatererentur. Aiebant enim (audaciorum nomine, non suo) quasdam esse in creatis contingentibus veritates bonitatésque, non, nisi quando actu de præsenti sunt cognoscibiles, & amabiles, vt eorum argumenta contendebant, satis, vt cert. 3. videbimus, efficaciter: quare quod ab æterno à Deo nesciantur ignorantiæ verti Deo non posse: ac proinde, neque defectum physicum omnis scientiæ, neque intelligentiæ curtitatem in Deo arguere: quemadmodum nuper dicebamus de nescientia Dei futurorum, quæ, licèt, futura absolutè esse possint, nusquam tamen absolute erunt. Ideo; ipsi tandem scriptura Patrum sola, & Scholasticorum reuerentia, ne in eam eant sententiam teneri se fatentur, nusquam autem ratione. Si enim illud principium euertatur, *quod semel verum, bonumque, seu cognoscibile, & amabile est, semper est amabile, & cognoscibile.* Certum statumque non sit, non erit vnde Dei, quo ad actus liberos immutabilitas, seu inuariabilitas negatiua à ratione monstretur. Sed certe nos, quibus, licet ingenij tardioris, in scripturæ Patrumque dogmaticas sententias amor, atque erga veritates in eis contentas ingenuitas, magna ex parte ingenium est, non ita arcte horum Recentiorum argumenta premere vt in à Deo in via agamur cert. 3. ostendemus: vbi etiam videbimus nullas esse veritates, aut bonitates tempori determinato affixas, quæ neque ante illud, neque post illud sint cognoscibiles, & amabiles.

***

CERTAMEN II.

Deus quo ad actus liberos scientiæ, & voluntatis etiam immutabilis prorsus, & inuariabilis auctoritate, & ratione monstratur, & ex parte vindicatur.

1. PRobatur primo ex illis verbis Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es*: vulgari enim illo sensu, quem satis ad litteram dedimus q. 2. cert. 2. n. 1. omnem etiam quo ad affectiones, & actus metaphysicos Dei mutationem, & variationem prorsus à Deo repellit. Secundò ex illo Iacobi 1. *Nec vicissitudinis obumbratio.* Etsi enim aduentu temporaneo veritatis tempori suo affixæ, atque bonitatis in eo ipsi similis, ac proinde & Scientiæ, & voluntatis liberæ, quæ Deo ab æterno non adfuisset, nec formalis, nec illatiua physica intrinseca, & propria mutatio, adhuc negatiua, Deo adesset; neque etiam si deficerent temporarie è temporaneo eorum obiectorum recessu ob discursum datum cert. 1. n. 5. quem falso inniti principio inferius ostendemus; ast mutationis, & vicissitudinis obumbrationem, seu vmbram in eo esse, quod nescientiæ de obiecto contingenti eius scientia succedat, atque huic rursus per æternitatem successura sit eiusdem obiecti nescientia negari minimè potest. Reliqua scripturæ testimonia ibidem n. 2. producta præsentis instituti de immutabilitate negatiua Dei, in eo quidem iudicio, non sunt.

2. Ex recitatis Patribus ad rem præsentem faciunt illa Augustini verba 1. confess. cap. 6. *Rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines* (scilicet decreta,) *& omnium irrationabilium, & temporalium sempiterna vivunt rationes.* Ideſt scientia Dei ea, & disponens, & contemplans. Sententia item illa Prosperi, quæ est 145. *Æterna, & incommutabilis est voluntas eius, nec consilio alternante variatur: in qua simul est, quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præcessit, aut sequitur.* Cum autem consilium, seu scientia non alternetur, atque in Dei voluntate simul sit, quidquid successu temporis fuit, vel erit juxta Prosperum, nulla ex æternitate, & per æternitatem in eis varietas, quare neque mutationis adhuc negatiuæ vmbra, quo ad ea, esse vsquam potest.

3. Ratione insuper probari potest. Primò ex prædicato diuino, quod in actibus Dei liberis tam voluntatis, quam intellectus intrinsece, necessariò, & essentialiter inuolsuitur. De ratione enim cuiusuis prædicati diuini verè, ac intrinsece tali, est æternum esse: atqui scientia, & volitio libera Dei de obiecto quouis, quamtumuis contingenti, & defectibili verè, ac intrinsece diuina est: ergo, & æterna. Atqui æterno nequit siue aparte ante, siue à parte post sui defectus absque implicatione accedere: ergo neque actibus liberis scientiæ, & voluntatis diuinæ de obiecto vllo, quantumuis contingenti, & defectibili. Probatur secundo ex summa intelligentia, seu vi intellectiua, atque omniscientia diuina, quo ad scientiam Dei liberam, (in qua præcipua suboritur difficultas expedienda cert. 3.) Etenim ex eis prædicatis necessariò infertur Deum ex æternitate, ac per æternitatem cognoscere quidquid ex ea, & per eam est cognoscibile, ne vel omniscius aliquando non sit, curtæque, ac finitæ intelligentiæ arguatur. Atqui obiectum quoduis quantumuis contingens, & defectibile ex eo præcisse, quod aliquando absolute sit, verum, & cognoscibile est ante acta æternitate fore, & successura æternitate fuisse: ergo & fore, & fuisse cognoscetur à Deo in illis, & esse pro duratione, qua est. Assumpta minor subiuncta probatione claret, clarebitque amplius cert. 3. vbi eius impugnationes efficaces dilucientur. Probatur tertiò ex probato à nobis principio de infinitate è genere suo, & simpliciter tale, ac per denegationem termini, etiam extrinseci generis illius cuiusuis prædicati diuini è conceptu suo indiuisibilium de euidenter infertur amori, & scientiæ Dei primo habitis, & conceptis nihil amoris, aut scientiæ accedere vnquam, vsquamve posse de aliquo obiecto.

4. Obicies primo. Nequit sciri inuariabiliter nisi inuariabiliter verum: at tale contingens non est, cum absolutè possit non esse: ergo nequit inuariabiliter sciri. Distingue minorem. Tale est ex suppositione, quod aliquando sit, ex qua à Deo scitur, & ex qua absolute non potest non esse aliquando, atque ex æternitate fore, & per æternitatem successuram fuisse, nego minorem; & inde consequentiam in eo sensu. Instas; adhuc ex suppositione, quod aliquando sit contingens, eius entitas potest deficere aliquando: ergo & veritas quæ ab ea non differt. Distingue maiorem. Potest deficere physicè attento suo actu primo solo, aliquando fateor, obiectiuè nego, & similiter consequentiam, seu consequens iuxta dicta. Instabis secundò: scientia Dei de obiecto contingenti eidem, atque hoc, contingentiæ pro singulis instantibus subest, atque hoc, adhuc ex suppositione, quod in vno instanti sit potest in aliis deficere, estque proinde contingenter in aliis: ergo, & scientia Dei de illo, adhuc ex suppositione quod semel sit, contingenter, ac defectibiliter persuerat. Est manifesta æquiuocatio. Ex eo enim, quod scientia Dei contingentiæ obiecti subsit, quia, si non sit in hoc instanti non cognoscetur esse in illo, neque in secundo, si in eo, vt potest obiectum contingens non sit. Ast non inde infertur scientiam de obiecto existenti in primo instanti illo, vt existente in illo, posse deficere, & cessare in instanti secundo; sed solùm posse non esse scientiam obiecti eiusdem, vt existentis in instanti secundo non solùm in illo, sed & in tota æternitate. His eisdem impugnari potest æternitas actuum voluntatis diuinæ liberorum, quæ obiecti contingentis existentiam supponunt; quibus eædem occurrent solutiones.

5. Sed vrgentius contra actus liberos omnes voluntatis diuinæ, tam complacentiæ, quam desiderij, argues, qui neque ab æterno esse, neque in æternum videntur posse perdurare. Bona enim creata, siue physica, siue moralia, neque ab æterno, neque in æternum actu deprehenduntur esse: atqui complacentia nequit sine boni præsentia esse, cum essentia sua in bonum, vt præsens, feratur: ergo Dei complacentia de bonis creatis neque ab æterno est, neque in æternum erit; sed cum eorum præsentia temporarie incipiet, & absentia eorum temporaria finietur. Quod ipsum de desiderio facilè probatur: cum hoc boni absentiam essentia sua requirat, eiusque præsentia, quæ temporaria in creatis est, necessariò pereat. Quod si desiderium efficax sit de re tali tempore opponenda, ea posita, transactoque eo tempore perseuerare illud nequit, quin sit desiderium efficax de re impossibili, quod implicat: tempus enim illud nequit rédire: & quidem licet decreta ab æterno ob Dei perfectionem concepta fuerint irrito tamen, & otiose, quare & repugnanter vlra rei statuto tempore effectionem, conseruationemque videntur perduratura. Nec valet recursus ad præsentiam physicam rerum æternitati Dei per æternitatem: atque ex æternitate S. Thomæ impositam: vt enim vera esset, atque ad gaudium æternum Dei de illis sufficeret, ad omne Dei erga creata desiderium, constat scripturarum, ablegandum satis foret: nisi ad præsentiam rerum temporaneam in propria mensura recurratur: in qua totus argumenti impetus erit excipiendus.

6. Respondeo de creato gaudio, & desiderio verum esse antecedens: in quibus euentus incertitudo, ac saltem non adeo constans scientia nostra, atque in Deo de absenti; ac nondum existenti est, neque anxietatem, desiderij creati indiuiduam comitem, nobis eximit, neque gaudio de futura boni existentia locum facit: quod si omnimoda de futuro bono infallibilis, ac secura nobis adesset notitia, gaudere perinde possemus, ac si præsens nobis adesset. Scite enim de certitudine promissorum à suo imperatore in hanc sententiam Pacatus in sua Panegygri scripsit. *Tam certa sunt, quæ spondes, vt, tunc videantur accepta, cum spondes. Cumque hactenus statutum esset, vt, tunc homines inciperent felicitate gaudere, cum capissent esse felices; tu promittendo præstanda inuenisti*

inuenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat: vt, quos adepta solùm iuuabant, etiam adipiscenda delectent. Ne tamen rethoricè magis, quam solidè, scholasticè, ac virtiliter dictum à Panegirista videatur accedat Arist. 2. Rethor. c. 5. vbi de malo certo futuro, Timorem non posse concipi ait, sed tristitiam gaudio oppositam. *Opus est* (inquit ille) *salutis subesse spem, pro quo perhorrescunt.* Cui consentit S. Thom. 1. p. q. 62. art. 2. & 3. p. q. 15. art. 7. Eius veritatis firmiorem habemus Christi sermonem Ioann. 8. n. 50. *Abraham* (Christi tot retro annis antecessor) *Pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Vnde & Apostolus ad Roman. 8. Beatos suam beatitatem sperare non posse aiebat dicens: *quod videt quis, quid sperat?* cum tamen ni via certo futura spei, ac desiderij actum impediret, gaudiique affectum moueret Beatis, fore per æternitatem desiderare, sperareque possent, quam fore certò videbant. Ratio est. Quia, quod nobis gaudium ingenerat, non est physica eius præsentia, & existentia in se, sed in cognitione certa, vt de eius existentia securi reddamur: quare infallibilis certa, ac secura scientia de boni futuritione absoluta ad mouendum nostrum gaudium, visioni de eius præsentia æquiualet, atque in morali æstimatione idem omnino est; cùm ergo Deo creata bona, eorumque impropria duratione existentia à Deo certè, atque infallibiliter, vt existentia, sibique pro illa coexistentia, ex æternitate videantur æquè tunc, atque cum in se præsentia, & existentia sunt, gaudium mouere ipsi possunt.

7. Ad illud de desiderio dicito: Deum ad illud non boni creati, nec futuritionis eius visione, sed vel scientia simplicis intelligentiæ de eius possibilitate, vel scientia media de eius conditionata futuritione moueri. Cùm autem hæ scientiæ æternæ per omnes sint, atque Dei voluntatem sollicitent, sintque compossibiles cum scientia visionis de rei futuritione, atque actuali existentia, & cùm gaudio per hanc regulato; desiderium regulatum per illas æterne perdurat: quod in nobis nequit euenire, quibus obiecti præsentia, & possessio scientiam de eius absentia pro tunc depellit. Inde verò constat desiderium efficax de re tali tempore apponenda, eo adhuc elapso, & interabili non ferri in impossibile: nam per scientiam simplicis intelligentiæ, aut conditionatam, qua semper regulatur, Deusque ad illud mouetur, non proponitur cum actuali existentia elapsa, seu præterita, sed pro priori quasi naturæ, & maioris vniuersalitatis, vt ab actuali existentia, & negatione sui præscindit. Sed neque iam est desiderium illud otiosum. Tum quia nec virtus causatiua (cuiusmodi decretum efficax est) otiosa, & frustranea est post absolutum effectum: cùm satis ne frustranea, & otiosa sit, habeat, si ad actum reduci possit aliquando: nempe quando oportet, & vbi oportet, vt docte Caietanus aiebat. Tum quia, si otiosè & frustraneè non fuit per vos ab æterno, cùm non poterat effectum pro hoc instanti decretum apponere, quia id ad Dei perfectionem spectat, ita neque elapso hoc instanti otiosè, & frustraneè per æternitatem perdurabit: quia id ad perfectionem immutabilitatis Dei est necessarium. Denique his argumentis solutio sequentibus adhibenda clarius adhuc satisfaciet.

CERTAMEN II.

Difficiliores ex Scientia, obiectiones eneruantur.

1. Obiicitur difficilius adhuc. Deus ab æterno nouit Incarnationem futuram, quam futuram non potest, nisi falsò iudicare, ex quo peracta de facto fuit: ergo iudicium de eius futuritione Deo ex tunc cessauit, ac defecit. Item ex eo tempore Incarnatio, aut Natiuitas Christi præterita à Deo iudicatur; cùm tamen præterita per antecedentem æternitatem ab eo iudicari non potuerit, quia falsò iudicaretur, quod Deo repugnat: ergo iudicium de Incarnationis, aut Natiuitatis præteri-

tione ab eo tempore Deo cœpit. Denique solùm cùm actu & de præsenti erat, fiebatque Incarnatio, & Natiuitas Christi vere iudicari à Deo poterat actu, & de præsenti fieri, vel esse, non autem æternitate antecedente, vel subsequenti illud instans: siquidem in eis falsum esset hoc Dei iudicium *Incarnatio, vel Natiuitas actu, & de præsenti est*: ergo scientia & iudicium hoc diuinum in tempore cœpit, atque in tempore defecit Deo; ac proinde Deus, quo ad scientiam absolutè existentium contingentium mutatur negatiuè in tempore, & à positiua scientia in negationem eius, & positiue à negatione scientiæ in scientiam de illis. Nec videtur communis solutio sufficiens: quod nimirum ea mutatio in scientia, & iudicio Dei intrinsecè non sit, sed in obiectis ipsis extrinsecè à tempore, quo durant, eiusque varietate, à qua intrinseca Dei scientia denominatur extrinsecè præscientia. Etenim argumenta intrinsecum Dei iudicium falsum esse, ac proinde Deo impossibile nisi eis determinatis temporibus futuritionis; præsentiæ, aut præteritionis obiecti, videntur ostendere. Id quod duplici argumento acutè satis instructo contendunt Murciani Recentiores, & à priori, & ab absurdo.

2. A priori: quia rem esse actu, & de præsenti diuersa veritas obiectiua est ab hoc, quod est rem futuram esse, aut præteritam, & cui assentiri verè, ac proinde absolutè non potest Deus, quousque eius duratio de præsenti sit: alioqui assentiri ei veritati res, vel duratio, actu, & de præsenti est extra eius, & durationis præsentiam, nimirum antequam sit, vel postquam præteriit poterit: atque nobis nunc reuelare: *Antichristus est*, actu nimirum, & de præsenti, ac similiter *Iudas, actu, & de præsenti tradidit Christum in horto.* Si enim non sit diuersa veritas obiectiua, vel sit extra actualem eius existentiam de præsenti verè, ac proinde absolutè iudicabilis à Deo: & erit absolutè reuelabilis. Quocumque enim tempore Deus verè iudicat aliquid absolutè, potest, & absolutè, vt illud iudicat, nobis reuelare. Confirmant à paritate triplicis status rei: nempe possibilitatis, futuritionis conditionatæ, & futuritionis absolutæ, qui diuersas veritates obiectiuas constituunt, quarum neutra pro statu prioris potest iudicari, scirique à Deo, quousque res in illo de facto sit: ac proinde diuersas in Deo scientias constituunt: ergo & veritas actualis existentiæ rei de præsenti diuersa est à veritate futuritionis; neque de re pro statu futuritionis vere iudicabilis, quousque actu, & de præsenti sit, verè res, eiusque duratio: diuersa item iudicio, quo futuræ iudicabantur, & res, & duratio eius. Confirmant secundò argumento, quod ex gaudij natura nobis opposuimus cert. 2. quod nisi de bono actu existenti, & possesso esse nequit.

3. Si recurras ad Thomisticam rerum præsentiam in æternitate, incidis in impugnationes tactas ibi. Si autem ad diuinæ scientiæ eminentiam, quæ absque vlla sui variatione succedentes temporarie veritates repræsentet, ac penetret: id solum contenditur. Si solum pro tempore, quo de præsenti sunt repræsentari admittas, ac denuo tunc vere denominari scientem absolutè Deum rem de præsenti, & actu esse: id enim solum satis est, vt diuinæ scientiæ eminentia saluetur. Est tamen contra Augustinum, & Prosperum, imò & reliquos Patres, & Theologos, qui hac de re differuere. Idemque contra eosdem in affectibus Dei liberis fateri teneberis. Si tertiò dicas implicare aliquid esse aliquando verum quod ab æterno, & æternè verum non sit, atque iudicabile, & cognoscibile vt in cert. 2. arguebamus. Solùm probabis esse verum veritate futuritionis, & præteritionis, atque, vt futurum ab æterno, vt præteritum verò per æternitatem etiam successuram esse verè cognoscibile, vt argumentum nostrum ibi probabat. At verò veritatem de præsenti, seu hoc quod est actu, & de præsenti rem esse, atque ita esse ab æternitate, in qua nondum de præsenti res est, aut ea elapsa eiusque duratione per æternitatem, in qua eius negatio suo modo erit, ac rem esse repugnabit, eam veritatem obiectiuam huius iudicij, *res eiusque duratio actu est, ac de præsenti* persistere, non apparet vnde probetur, adhuc apparenter, vt argumento, specie saltem tenus, satisfiat.

4. Cæterùm, etsi certum sit diuersam obiectiuam veritatem esse rei, seu durationis futuritionis ab eius actuali existentia de præsenti, quia plura vnum obiectum, quàm

aliud inuoluit, vt iam dicam; hanc tamen quo ad omnia, quæ ex parte obiecti claudit, atque importat non posse, quo ad vsque depræsenti sit, tam à Deo, quam à nobis cognosci, ac iudicari hæreticum videtur. Primò enim recitis verbis ex Ioann. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum* (tot post sæculis futurum) *vidit, & gauisus est*. Plane aduersatur. Secundò: quia ni res vel duratio futura secundum totum, quod depræsenti habebit, quando actu, & depræsenti sit, cognoscatur, antequam actu, & depræsenti sit, nec Deus reuelare, neque homines propherare, ac prædicere futura potuissent contra aperta sexcenta scripturæ testimonia. Cùm enim siue rei, siue durationis futuritio, præter eius negationem in duratione, pro qua futura res, vel duratio est, dicat eius actualem existentiam absolutam pro duratione, in qua actu, & depræsenti erit, eoque modo, quo tunc erit, ni ea absoluta existentia, eius, quæ actu, & depræsenti tunc erit, ante acta duratione cum omnibus, quæ claudit cognoscatur à Deo, & ab homine, res, vel duratio futura cognosci, ac iudicari non poterit: ac proinde neque à Deo reuelari, neque ab homine poterit prophetari. Stet ergo actualem existentiam absolutam rei, vel durationis antequam depræsenti, & actu sit cum omnibus, quæ ex parte obiecti importat posse cognosci, & iudicari.

5. Vt autem argumento, & confirmationibus, quibus oppositum Recentiores contendebant satisfiat, obseruandum aliud certissimum etiam est. Nempe in omni iudicio siue interno, siue externo verbum, siue copulam debere necessario intercedere, quæ præter identitatem prædicati, & subiecti concernat, durationem, in qua & iudicans iudicat, & iudicium profertur, iudicio, & iudicanti proportionatam, & propriam. Vnde quia duratio nobis iudicantibus, nostrisque iudiciis propria, & proportionata successiua, diuersisque sibi succedentibus constat, verba, quibus necessariò iudicamus per varia tempora præsentis, præteriti, & futuri coniugantur; quoniam vero duratio iudicanti Deo, eiusque iudicio proportionata, & propria indiuisibilis, totaque simul æternitas est, quæ totum explet, imò & circumdat tempus, fit, vt copula *est*, seu verbum quoduis diuini iudicij eius æternitatem solam necessariò concernat: quæ cum omne tempus, & vltra, in se indiuisibiliter claudat, nusquam variatur duratio iudicij diuini, Deique per illud iudicantis, quam copula, seu verbum, quo iudicat concernit id nobis. Regius Psaltes voluit insinuare verbis illis, quæ nostro concipiendi modo, & idiomate grammaticali non bonam concordantiam, sed discordantiam grammaticam, & solecismum sonant Psal. 2. vbi de suo Filio æterno Pater aiebat. *Ego hodie genui te*. Cùm *hodie* præsens dicat, & *genui* præteritum; si tamen duratio importata per diuini iudicij copulam, quæ indiuisibiliter physice, ac metaphysicè omne continet, ambitque tempus, nempe Dei æternitas attendatur diuinæ grammaticæ concordantia deprehendetur sublimis. Hinc patet Deum, de omni quidem tempore, non tamen cum aliquo tempore, vti nos, iudicare; sed cum æternitate sua, quam solam iudicij diuini copula concernit.

6. Ex quo rursus patet discrimen aliud inter veritates obiectiuas iudicij nostri de futuritione, & depræsentia obiecti his propositionibus: *res, vel duratio erit: & res, vel duratio est nunc depræsenti*, & inter iudicium diuinum de iisdem obiectis; Ex quo discrimine prona est tam propositæ, quam statim proponendæ difficultatis expeditio. Cùm enim iudicij nostri, verbum, seu copula tempus, & durationem iudicij ipsius, & nostri iudicantium concernat, nequit non ex diuersitate temporis, in quo à nobis habetur interius, vel exterius iudicium, obiectum, atque iudicium ipsum variari; ac proinde de re, aut duratione, quæ nondum depræsenti aduenit iudicium depræsenti ferri, ac enuntiari vere minime posse, sed solum de futuro. v. g. *Antichristus est*; sed solum *Antichristus erit*: quia respectu temporis importati per copulam iudicij, quod nunc habemus, verbisque exterius significamus Antichristus vere non est depræsenti, vt copula importat, sed erit, vt iudicij secundi copula importatur. At vero cum duratio importata per diuinij iudicij copulam Dei æternitas sit, quæ omne tempus indiuisibiliter implet, explet, ac circumdat, cuiusque proinde respectu nihil potest esse, præteritum, aut futurum, cum eidem toti indiuisibili æternitati Dei omnia, sua vnumquodque duratione, coexistant, fit plane, vt ex parte durationis importatæ per diuini iudicij copulam nulla eorum iudiciorum diuersitas sit: cum sit eadem physicè, & metaphysicè insectilis diuinæ æternitatis duratio, sed tota varietas ex parte subiecti, & prædicati extrinsecæ Deo durationis, etsi ipsis intrinsecæ se habeat, nulla ad eiusmodi variationem habita ratione durationis per copulam iudicij diuini importatam, quæ eadem est: quia licèt de tempore omni, non tamen cum tempore, vt diximus, iudicat, sed necessariò cum sua iudicat æternitate.

7. Hinc claret ad argumentum, & confirmationes solutio. Etenim diuersa licèt veritas sit rei, vel durationis futuritio ab eius actuali præsentia pro sua duratione, quia præter hanc eius negationem tempore antecedenti exercet, atque item nostro iudicandi modo tam interius, quam exterius, tempus, quo iudicium habetur ea propositione concernitur: quare non solum diuersæ veritates obiectiue sunt, sed quæ à nobis nequeant simul eodemque tempore de futuro, ac depræsenti vere iudicari cum respectu temporis eiusdem nihil præsens, & futurum esse queat; imò neque quod postea succedet ante acto tempore esse, licèt actualis existentia, & præsentia pro sua duratione futuri cuiusuis necessariò iudicanda sit, vt dixi n. 4. vt fore iudicetur; sed tamen respectu Dei, licèt diuersæ etiam veritatis sint rei futuritio, & præsentia, cum hanc differentiam non habeant respectu æternitatis diuinæ, cum qua ab ipso iudicatur, & quæ iudicio suo necessariò concernitur, sed respectu durationis Deo extrinsecæ, siue realis futuræ, aut præteritæ, ac præsentis, siue possibilis solum, aut imaginariæ, cum qua Deus non iudicat, quamque eius iudicium non concernit. Vtrumque iudicium de rei futuritione pro extrinseca Deo duratione respectu cuius est futura, & de eius actuali existentia depræsenti, & ab æterno, & in æternum verum esse simul potest: quia vere pro illa extrinseca Deo duratione, res vel duratio succedura erit, atque pro alia vere depræsenti est: imò ideo vere ante acto tempore erit: quia alia sequenti duratione verum erit, quod actu depræsenti est. Quare cum de eis extrinsecis temporibus, vt obiectis ex parte extremorum iudicij, non autem cum eis, iudicat, sed cum eadem indiuisibili suæ æternitatis duratione, vere tota illa sua æternitate iudicat: quia nulla est durationis importatæ per sui iudicij copulam variatio, vt veritas obiectiua vtriusque propositionis per illam varietur, sed sola extrinsecæ durationis variatio, quam simul cognoscit, ac penetrat, vt vere, ac certo iudicare possit respectu vnius esse præsentem respectu alterius futuram respectu alterius præteritam.

8. Inde constat ex tempore nostro, cum quo Dei iudicia comparamus, siue de actuali præsentia rei, siue de eius futuritione sint, nullam oriri obiectiuam iudicij cuiusuis ex illis diuersitatem; licèt ex imperfecto nostro modo iudicandi cum tempore diuersitas apprehendatur. Quod autem dicebatur Deum, si æterne iudicat rei actualem præsentiam posse æterne, vel ante actualem rei præsentiam eam nobis reuelare propositione depræsenti falsum omnino est: cùm enim reuelatio nobis nostro idiomate fieri necessario debeat, in quo propositio tempus nostrum concernit, depræsenti, respectu cuius res est vere futura, atque, vt talis à Deo cognoscitur, non autem respectu eius, vt præsens, falsum necessario, atque aliud, quod non iudicabat, reuelaret: Confirmatio ex triplici statu, rerum, possibilitatis futuritionis conditionatæ, & absolute quæ diuersas rei obiectiuas vetitates constituunt, solum in proprio cuiusque signo esse cognoscibiles; non autem extremam in prioribus, aut secundam in primo, paritatem non habet ad rei futuritionem, & præsentiam actualem pro sua duratione, quæ in ipsa futuritione absoluta continetur. Neque enim signa illa statum alterum includit, aut concernit, sed aliud alio prius prioritate maioris vniuersalitatis est: ac proinde diuersas in Deo scientias constituunt, per omnes Theologos; cùm tamen futuritio, & actualis rei præsentiam vnicam visionis scientiam constituat per eosdem. Confirmatio secunda ex gaudio, quod, neque in Deo, nisi de actuali præsentia, & possessione boni possibilis dicebatur ex dictis nullius est ponderis: cùm falso omnino nitatur exemplo, & principio

adhuc

adhuc de nostro gaudio loquendo, vt ostendimus cert. 2. &, quamuis de eo verum esset, non tamen de Dei gaudio verum foret; cuius iudicium, vt diximus, æternitatem concernit necessariò, extra quam futurum bonum non est, sed intra illam pro sua tamen duratione.

9. A posteriori tandem, & absurdo vrgentius Dei, quoad scientiam, immutabilitatem, huiusque in variationem impeti æstimant Recentiores iidem, quia, si Deus cum res depræsenti adest, nihil denuo cognoscit, quod ab æterno non nouerat, nesciet quidem quo die viuit. Ponamus enim tres dies, feriam primam, feriam secundam, & feriam tertiam: si idem omnino in horum singulis, & omnibus, quoad existentiam actualem, & depræsenti singulorum, & omnium, suique cum illis coexistentiam actualem, depræsentique iudicat Deus: ergo cum aduenit feria secunda, vel tertia nihil aliud alitérve cognoscit, ac iudicat Deus de alterutrius existentia actuali depræsenti, suáque coexistentia actuali cum alterutra: atqui feria prima ante aduentum secundæ non sciebat, nec iudicabat feriam secundam actu, & depræsenti esse, sed fore, seque illi coexistiturum, non autem illi depræsenti coexistere actu: feriáque secunda elapsa, atque accessu tertiæ, coextitisse secundæ, non autem depræsenti feriam secundam existere, aut se illi coexistere: ergo neque accedente feria secunda scit, aut iudicateam depræsenti, & actu existere, séque illi actu, & depræsenti coexistere.

10. Argumentum hoc ex æquiuocatione orta ex nostro imperfecto modo cognoscendi, & iudicandi de rebus, ac duratione, seu tempore ipso, ad Deique scientiam, & iudicium, quod cum tempore non est (vt dixi) sed cum sua æternitate ortum habet, illud enim est actu, & nunc depræsenti, erit vel fuit, respectu temporis nostri cum quo iudicamus, est, atque respectu illorum cognoscit ab æterno Deus esse fore, vel fuisse, non autem respectu suæ intrinsecæ æternitatis, quæ est duratio vnica, cum qua iudicat: sicque ab æterno, & in æternum cognoscit feriam secundam in sua duratione Deo extrinseca, in se depræsenti, & actu existere, seque illi pro ea coexistere: vnde, licet nihil denuo cognoscat, ac iudicet, cum ille dies accedit, scit quo die duos cum illo viuit, & regnat. Ad formam. Cum dicitur: nunc depræsenti feria secunda actu est, aut ego coexisto: si illud nunc, & duratio, quam iudicium illud diuinum concernere significatur sit feria ipsa secunda est propositio de subiecto non supponente: ac proinde de qua negandum est suppositum, si autem concernatur, vt verè solum concerni debet, nunc æternitatis, cum quo solum iudicat Deus, euanescit argumentum.

QVÆSTIO IV.

De immensitate Dei.

DVÆ sub hoc titulo æquiuocantur à multis quæstiones; existimantes Dei immensitatem idem prorsus, quod eius vbiquitatem esse; cum tamen vbiquitas seu Dei entitatiua in rebus præsentia per essentiam, licet ex immensitate oriatur, atque in ea fundetur, diuersum quid ab ea esse, vel inde demonstretur, quod in ea fundetur. Primum ergo, qu. præsenti de Dei immensitate; in sequenti verò de eius vbiquitate agemus.

***

CERTAMEN I.

Catholica Dei immensitas contra errores, dogmatice statuitur.

1. DEi immensitatem ij omnes negant, qui negant eius vbiquitatem. Cum enim hæc ex illa per necessariam, legitimámque consequentiam inferatur ex huius, quæ consequens est, negatione ad illius, quæ est antecedens negationem consequentiam currere necesse est: Cum celebre Dialecticæ axioma, & principium sit ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis consequentiam ineuitabiliter tenere. Eos qui vbiquitatem Dei negant, qu. 5. certam. 1. recensebimus. In terminis autem ipsis nemo hactenus, quem viderim, Dei immensitatem negauit, sed solum, vt dixi eius negando intimam, atque penitissimam penetratiue, vt sic loquar, in rebus omnibus substantialem præsentiam, & vbiquitatem: quare præter præfatos neminem pro errore negante Deo immensitatis attributum commemoro.

2. Veritas autem catholica est Deum immensum esse, definita expresè cap. Firmiter de summa Trinit. Item in Symbolo Athanasij: *Immensus Pater: immensus Filius: Immensus Spiritus sanctus*: quibus etiam immensitatis prædicatum ex communibus Trinitati, atque Deitatis, vbivis personarum, indiuiduum comes ostenditur. Est etiam in scriptura expressum. Baruch. 3. *immensus est, & non habet finem* Ad Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum*, Dei ipsius intrinsecus: neque enim comparat cum mensura, & coaptatione Dei actuali ad extrinseca loca, quæ vbiquitas Dei est, sed intimam Dei ipsius dimensionem interminabilem, quæ immensitas est, corporeorum ad instar describit. Quare Ambrosius eum locum in commentario suo de immensitate Dei exposuit. Idem ipsum continetur verbis illis. *Et magnitudinis eius non est finis.* Psalm. 144. quæ, licet infinitatem Dei per essentiam traddant, & hanc etiam immensitatem eius apprimè nos docent. Denique, quæcumque substantialem Dei vbiquitatem, & præsentiam in rebus omnibus, imo, super effusionem, continent, hanc nobis diuinæ immensitatis veritatem ostendunt. Iob 11. *excelsior cælo est; & quid facies? profundior inferno: & vnde cognosces? longior terra mensura eius: & latior mari.* Et 2. Paralip. 6. *Si cælum, & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista non te capiet.* Ecclesia demum de B. Deipara, quotidie canit: *Quem cæli capere non poterant*, &c. Atque ad Ephes. 4. *Qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Præsentia enim substantialis, quæ omnia futura absolutè, & possibilia excedit, immensitas sanè est.

3. Accedit Patrum omnium consensus, qui, licet eam immensitatis voce non tradant, immensitatem tamen per Dei in omnibus substantialem vbiquitatem, imò vltra, extra, supra, infrà, ac circum omnia præsentiam, tradunt. Ast sine eo respectu ad locum extrinsecum, siue reale creatum, siue imaginarium spatium ipsam intimam Dei immensitatem nobis luculenter exposuit Arnobius aduersus gentes appositissima loci, in quo omnia continentur similitudine. *Prima enim* (inquit) *tu causa es, locus rerum, ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcumque sunt.* Ea enim similitudine loci alia continentis apertissimè declaratur Dei immensitas, quæ cunctis spatiis in seipsa amplior dilatiórque est: quemadmodum spatium, & locus, quo aliquid continetur, maior ipso necessariò esse debet. Neque absimile Dionys. 1. de diuin. nom: *Deum custodiam, & domicilium omnia conseruans, & continens* appellant. Et cap. 9. *Magnus appellatur Dominus secundum sibi propriam magnitudinem: omni magnitudini extrinsecus superfunditur, & supra expanditur, omnem complectens locum*, &c. cap. 10. *Sedem & fundum, in quo omnia firmantur, & recumbunt* esse Deum ait. Denique excessum hunc, & super effusionem supra omnia quæ non tam vbiquitas, quam immensitas est, qua cuncta, quasi localiter continentur docuere Athenagor

Legat.pro Christian. Magn. Gregor.2.moral.cap.7. & 12. Isidor.1, de sum. bono cap.2.Hilar.1.de Trinit.

4. Sed verbis immensitatis voci affinioribus pro eadem veritate Athanas. rescripto ad Liberium. *Deum esse incomprehensibilem loco* aiebat Gregor. Magn.homil.8 in Ezechiel. *inscriptus est, & vbique totus.* Basil. hom. in principium Euang. Ioan. *Deum non contineri loco, neque in circumscripto aliquo, aut in circumscriptione certa deprehendi.* Theodor.2. de prouid. *Omnia item complectitur, ipse à nullo circumscriptus.* Damasc.1. de Fide cap.16. *Deum esse incircumscriptum, & non esse in loco, sed ipsum sibi esse locum.* Hanc extremam phrasim ad rem præsentem elegantissimam didicit ex Tertul. contra Prax. cap.5. aiente. *Ante omnia erat Deus solus ipse sibi, & mundus, & locus*; vel fortassis vtérque ex vetustiore longè Minutio Felice in suo Octauio vbi ita scripsit. *Palam est parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo.* Etenim ea phrasi, & sententia, quæ sibi locus, mundusque Deus sit, adeò illum magnum esse significatur, vt solus ipse suam magnitudinem æquet: ac proinde solus ipse sui mensura esse possit: quod ipsum est immensum esse Deum; sed ea voce traditum ab Eucher. video de spiritualib. form. cap.1. *Deus vbique totus, & immensus.*

CERTAMEN II.

Eadem Dei Immensitas ratione monstratur. Atque diuersum ab infinitate Attributum esse ostenditur.

1. VT autem immensitatis Dei prædicatum à ratione probetur, atque an Dei proprium, atque ab infinitate diuina diuersum Attributum sit, examinetur, oportebit eius conceptum explicare, etenim S. Bonauent. in 1. d.43. art.1. q.2. (vbi etiam Albertus art.2.) immensitatem Dei ab infinitatis Attributo metaphysicè adhuc indistinctam, idemque formaliter cum illa esse existimarunt: verùm, si immensitatis diuinæ conceptus rectè intelligatur ac penetretur, constabit facilè diuersum prædicatum ab infinitate diuina esse: quare, cùm Attributum diuinum etiam sit, vt videbimus statim, diuersum ab infinitate attributum esse. Etenim Dei infinitas per essentiam physicam, quo solùm pacto attributum Dei esse ostendimus, qu.1. cert. vlt. n. vlt. statim complexu physico omnis entis, & prædicati possibilis, quod imperfectionem non dicat, in quo fundetur nostro concipiendi modo negatio maioritatis essentiæ, atque entitatis physicæ possibilis, qua à nobis eiusmodi infinitas Dei per essentiam explicatur; licèt revera ipsa positiua physica Dei essentia sit ea, quæ à nobis vt negatio concipitur. Cùm enim essentiæ seu entis physici maioritas respectu diuinæ essentiæ physicæ, sit impossibilis, ac proinde negatio necessaria è conceptu, & essentia sua, quod illi contradicit, in Deo positiuum esse debet; nempe essentia ipsa positiua Dei, sicut de contradictorio secundi Dei, qui est impossibilis, dicemus ipsum verum, & positiuum Deum nostrum esse inferiùs d.5. de Dei vnitate disputantes, ac d.7. de Omnipotentia, quo etiam modo de infinitate Dei per essentiam metaphysicam philosophamur.

2. Ex hoc vero infinitatis Dei attributalis per essentiam conceptu fusiùs explicato, & statuto qu.1. atque iam subiicienda immensitatis diuinæ explicatione, apertè constabit hanc metaphysicè, & formaliter, ex parte etiam obiecti, prædicatum & attributum Dei diuersum ab eius infinitate attributali esse. Est igitur Dei immensitas, capacitas & aptitudo diuinæ essentiæ, vt omnino immutata in se, ac sine præsentiæ alicuius aduentu, quidquid spatij, & corporeæ magnitudinis, rerumque denique omnium possibile sit, etsi infinita ex impossibilibus, per impossibile ad possibilia transirent: substantiali, atque inuariabili sua præsentialitate indiuisibili physicè, atque vt de omnibus Dei prædicatis generatim ostendimus d.2. qu. vlt. metaphysicè etiam, quatenus ex se est, intimè penetrare, replereque possit. Hunc autem conceptum à continentia, & complexu omnis entis essentiæ, ac prædicati possibilis, quæ imperfectionem non deuoluat, diuersum metaphysicè, & obiectiuè, ac proinde ab infinitate Dei per essentiam suam esse, quis dubitet? Confirmatur: quia infinitas Dei per essentiam est formalissimè fundamentum negationis entitatis, seu essentiæ maioris, quàm Deitas ipsa: qua negatione nostro concipiendi modo eiusmodi positiuum fundamentum, seu infinitatem per essentiam apprimè explicamus; immensitas autem Dei est fundamentum negationis loci, vt sic loquar, seu præsentialitatis maioris, quàm Deitas ipsa, per quam id positiuum fundamentum, seu Deitatis immensitatem optimè declaramus: Hæc autem positiua fundamenta, & negationes, per quas illa explicamus, diuersa plane sunt, atque ad diuersa tendunt connotata: ergo & sunt formaliter obiectiuè, atque metaphysicè diuersa.

3. A priori probatur hæc immensitas diuina, quia est prædicatum nullam dicens imperfectionem, positiuum, & perfectum metaphysicè saltem adiectiuè & physicè loquendo perfectio (vt modo abstraham ab ea quæstione, an metaphysicè quodvis attributum diuinum sit bonitas, & perfectio? siue an hæc diuina omnia prædicata metaphysicè permeent, & transcendant? de quo d.6.) ergo Deo est concedenda. Antecedens probatur: quia rebus omnibus posse alicubi præsentari perfectio est, etiamsi sit per commensurationem, vt corporibus, atque spiritualibus sine commensuratione, sed ita vt totæ in omni, & totæ in quauis spatij parte: &, quo perfectiores sunt in maiori spatio, licet per præsentiam diuisibilem: ac proinde sine commensuratione, ac eadem indiuisibili præsentialitate, seu præsentia subitantiali omni spatio possibili præsentari posse, summa erit in eo genere, dignáque Deo perfectio. Probari etiam à priori solet ex infinita Dei potentia, qua infinitos effectus operari vbivis potest: cum vbivis necessariò à Deo pendere debeant. Sed ex hoc solùm, non ita firmiter probatur, cùm coniunctio, & penetratio, præsertim localis, agentis cum effectu non ita necessaria probetur, vt difficultates, quas dedimus in physicis controuersiis de conditionibus necessariis inter agens, & passum non patiatur: Si autem adiungatur aliud poterit solidiùs ex Dei omnipotentia eius immensitas probari. Licèt enim localis coniunctio, ac penetratio agentis cum passo non requiratur, quare nec præsentialitas, seu capacitas ad illam, vt possit agens operari effectus; ast saltem alicubi esse necessarium ad operationem est: quod enim nullibi est, nullibi operatur, ac proinde, quod nullibi esse potest nusquam poterit operari. Sed Deus potest omnia possibilia operari: ergo & esse saltem alicubi. Inde verò efficaciter inferetur vbivis loci, & rerum possibilium esse de se posse, atque adeo immensum esse: quia quidquid in quouis ordine, & respectu ad quodvis genus rerum Deo conuenit infinitum, in illo ordine esse debet: non esset autem talis potentia ad essendum loco, siue præsentialitas Dei subitantialis, nisi ad omnia possibilia potentia, & præsentialitas esset.

4. A posteriori probari solet Primò: quia si non esset Deus immensus, posset aliquid maius præsentialiter cogitari, imò & esse: scilicet vndequaque ac circumquaque potentius, & expansius. Secundò posset aliquid esse extra Deum, non secus, ac si mundus animatus esset, & aliquid extra mundum esse posse statuatur, (vt verè potest,) posset aliquid extra mundi animam esse, quin ea foueretur. Tertiò, si non esset Deus immensus, commensus alicui esse deberet, toti mundo si velis: sed quam angusta Dei mensura, hæc est, quem cæli capere non possunt, cùm totum mundum contineat. Inde quartò infertur moueri loco posse Deum, atque ambulare, nouumque vbi adquirere pristino relicto, quæ omnia absurdissima sunt. Sed certè hæc omnia supponunt Deum alicubi esse posse sine imperfectione. Si enim nullibi esse posset, nihil eorum absurdorum infertur. Quod autem alicubi esse posse imperfectionem dicat Deo, indignumque sit, inde suaderi posse videtur: quia posse alicubi esse, vel etiam vbique, nequit esse in Deo actus intrinsecus, sed sola potentialitas, vt præsentetur: at nihil in Deo per modum potentialitatis esse intrinsecè potest, nisi respectu actus ipsi Deo extrinseci: ergo vel vbiquitas, seu præsentia, qua Deus intimè ex

ex parte sua potest præsentari est Deo accidens aduenies, contra eius immutabilitatem, vel non est in eo eiusmodi potentia, vt præsenteretur vbique. Non posse autem immensitatem esse actualem præsentiam in rebus, sed solùm potentiam ad illam. Patet primò: quia actualis hæc præsentia Dei in rebus eius vbiquitas est, quam ab immensitate diuersam formaliter, & metaphysicè saltem, esse docuimus. Secundò: quia vbiquitas, seu præsentia intima Dei in rebus has necessariò, earumque præsentiam inuoluit.

5. Plura in argumento assumuntur non admodum certa, vt videbimus controuer. de Scientia, vbi ostendemus in Deo non solùm respectu actus, seu effectus extrinseci, sed intrinseci etiam veræ potentiæ communis conceptum esse posse. Sed huius repugnantia, quoad præsens, admissa. Respondeo immensitatem esse actualem Dei præsentiam subsistenti lem, quatenus ex se est, vbique. Totum enim spatium possibile, quatenus ex se est, coæquat, imò excedit substantiali sua indiuisibili, & intima præsentia, omnique spatio imaginario respondet, vt qu. 5. videbimus: licèt, vt realis in loco, & rebus omnibus vbiquitas eius sit, & loca, & res esse debeant in rebus. Est enim vbiquitas, seu præsentia in loco, & rebus aliquid ex vtroque, Dei nimirum præsentia intrinseca, & rebus earumque præsentiis, & locis, conflatum. Deus ergo quidquid præsentialitatis ex parte sua in id connectum, quod vbiquitas est, apponit, cùm res, & loca sunt, ab æterno, à rebus, & locis omninò independenter habet. Sicuti ad existentiam coexistentiam Dei cum rebus, res, earumque existentia requiritur; ita, vt sine hac esse non possit. Ast, quod Deus de suo ad eam coexistentiam confert, ab æterno, atque omnino independenter ab illis habuit, habétque semper: nimirum suum actuale esse, & existentiam diuinam.

6. Dices tandem Immensitatem ita explicatam, & probatam Attributum, seu prædicatum proprium Dei non esse. Etenim si res spirituales, quò perfectiores sunt, eo maioris capacitatis, & potentiæ sunt ad præsentiam amplorem, & vbi extensius, & expansius: ergo adeò perfecta esse potest, vt natura sua aptæ sit totum mundi spatium replere, ac proinde, & esse vbique: ergo & creatura immensa esse potest: atque adeò Immensitas non est speciale prædicatum, seu Attributum Dei. Consequentia vltima probatur: quia Immensitatem solam consequitur vbiquitas, vt diximus, fusiusque ostendemus, qu. 5. atqui eam potentiam rei illius spiritualis existendi localiter, & præsentialiter consequeretur vbiquitas: ergo ea esset immensitas.

7. Consequentias omnes vsque ad vltimam admitto, quam multis de causis nego. Primo enim Immensitas non est potentia ad essendum præsentialiter solum in toto mundo, qui de facto est, sed in omnibus mundis possibilibus. Secundò est actualis præsentialitas, seu præsentia Dei ex parte sua eis omnibus coexistendi præsentialiter, quin ad hanc coexistentiam præsentiam aliam propriam, atque entitati suæ accidentarie aduenientem, ac super additam requirat, sed solam extrinsecam sibi rerum, quibus ita coexistat præsentiam. Tertiò Immensitas, seu præsentialitas hæc Dei indiuisibilis est physicè, &, vt dixi, etiam metaphysicè: quàque, non solum totus Deus, sed tota etiam substantialis Dei præsentialitas, & toti, & cuiuis spatij parti localiter coexistit. Nihil autem horum impotentia illa rei spiritualis admissa ad coexistendum toti mundo. Non enim statim in aliqua possibilis ad occupandum totum spatium possibile rerum omnium possibilium potentia admittenda est. Sed neque actualis præsentia substantialis rei illi identificata ad illud limitatum spatium mundi, sed solum potentia ad accidentalem præsentiam eius substantiæ aduenientem. Neque eadem indiuisibilis præsentia, qua toti mundo, & singulis eius partibus præsentialiter coexistat. Id enim solius diuinæ, atque è suo concepru infinitæ præsentiæ substantialis Dei proprium est.

* * *

QVÆSTIO V.

De Vbiquitate Dei.

RIPLICITER Deus in rebus omnibus esse secundum Patres, & fidem ab vniuersa Theologia dicitur, atque explicatur communiter cum Magistro in 1. d. 37. & cum S. Thom. 1. part. quæst. 8. art. 3. ex doctrina Gregorij homil. 8. in Ezechiel. scilicet, per præsentiam, quæ communiter de Dei scientia intuitiua intelligitur, qua omnia quacumque temporis differentia absolutè existentia, sibique pro illa præsentia Deus intuetur. Licet enim præsentia hæc propria obiectorum sit, tamen, qui ea videt, præsens eis dicitur esse, licèt non in eodem loco præsentialiter simul cum eis sit, sed loco ab eis longè distitus: quare hic modus, quem Gregorius expressit illis verbis: *Deus vbique præsens est*, ad controuersiam de scientia Dei spectat, non ad præsens institutum. Secundus modus essendi Deum in rebus omnibus est *per potentiam*. Expressus item à Gregorio his verbis. *Omnia tangit, & viuificat*, & ne hic quidem præsentis instituti est, sed controuersiarum de omnipotentia, prouidentia, & monarchica gubernatione Dei, quibus cuncta producit, conseruat, prouidet, & gubernat. Tertius modus præsentis quæstionis proprius essendi vbique Deum in rebus omnibus est *per essentiam*. Expressus item à Gregorio verbis hisce, *incircumscriptus est, & vbi totus*. Nempe per essentiæ suæ intimam per omnia creata peruasionem, atque indistantiam localem, & quasi cum ipsis penetrationem.

CERTAMEN I.

Erroribus contra vbiquitatem Dei relatis ea dogmatice stabilitur.

1. CONtra postremum hunc modum essendi in rebus omnibus, & singulis vbique præsentialiter per entitatem suam totum Deum errarunt, primò, qui Deum corporea mole constantem docuere, vt Antropomorphitæ, contra quos d. 5. vt enim sapienter Nazian. Orat. 34. 2. de Theolog. ex eo, quod vbique natura sua totus Deus sit, euidenter infertur illum corporeum non esse. Ratio est in promptu: quia, cum corporis præsentia naturalis sit, vt pars corporis parti spatij, partisque spatij alteri parti alia corporis respondeat, implicat natura sua corpus vbique totum esse. Sed ex his etiam, qui Deum spiritum esse rectè iudicarunt Deum vbique entitatè, & præsentia locali sua esse negarunt: & antiquorum Philosophorum Aristotele pars vna in mundi centro posuit Deum, pars vero altera in circumferentia, vt ipse refert. 8. Physicor. cap. vlt. cui adsentit ibi. Aristoteles (sive quicumque eius nomine illum euulgauit) lib. de mundo ad Alexandrum & 1. de cælo cap. 9. circa finem. Deum in cælo, ac non alibi esse docuit, sicut Ecbatanis Persarum Reges, ac sicut intra, ac non extra cælum intelligentias esse illi dicauit, eidem sententiæ adhæret 1. de cælo cap. 3. text. 22. & lib. 2. cap. 12. text. 86. 2. de generat. cap. 10. text. 59. Vnde apparet merito pro hac opinione censeri Aristotelem à Iustino Mart. Paræn. ad gentes: vbi à Platone in spliæra ignea collocari Deum ait. Illi etiam sententiæ subscripsere Ægyptij apud Eusebium 3. de præparat. & commentator. d. 14. contra Algacel. dub. 1. puerilem de vbiquitate Dei opinionem vocat. Eidem errori adhæsere Manichæi apud Augustinum lib. contra Epist. fundamenti cap. 16. Accessit & Augustinus Eugubinus in 1d Psalm. 138. *Si ascendero in cælum tu illic es*, vir alias plane catholicus, Deum extra cælum sola virtute, cognitione, & prouidentia, non autem substantiali essentiæ, & entitatis suæ præsentialitate esse docens. Quem errorem non sine Catholicorum irrisione amplexus est Nouator Vorstius pag. 235.

337.

237.240.& 241. apud Becan.cap.6. num.1. & 2. quin imò ita in cælo esse docet toto pag. illa 241. Vt tamen secundum totam suam subsantiam in quauis eius parte esse neget, sed nommensuratiuè solum. Nec mirum cum corporeum etiam esse Deum effutiat, vt videbimus d.5.

2. Catholica autem veritas de totius subsantiæ Dei vbiquitate in singulis, & omnibus mundi rebus adeò est perspicua, vt in eam Philosophi insignes ferè omnes rationis solius ductu inciderint. Thales Miles apud Aristotelem de Mundo ad Alex. & 1. de anima cap. vlt. text.86. Omnia Deorum plena esse dixit; atque Heraclitus apud eundem 1. de partib. animal. cap.vlt. in visuris, ac furnarium, eius habitaculum fastidientibus ita est fatus: *Ingredimini: quia, nec huic loco Dij desunt immortales.* Quin Peripatetici omnes à suo ea in re Præceptore Aristotele deficientes, atque Platonici omnes teste Cicerone qu.1. ex Academic. pro Dei vbiquitate steterere. Orpheus item apud Clementem Alex.5. Strom. prope fin. & apud Cyrill. Dei vbiquitatem ita explicuit, sicuti Scriptura sæpè, ac speciatim Isa.66. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum,* qua sanè metaphora, & scriptura, & sapientissimus Philosophus iuxta acutam Lessij Nostri meditationem Deum non totum solum Vniuersum subsantiali sua præsentia, & vbiquitate replere, sed ita circumquaque excedere, ac cingere, vt quantum sedens Thronum, sedémque cui insidet excedit (mirum dimidio sui corporis, & toto amplius pectore) ita Dei subsantialis præsentia plusquam dimidia sui parte cœlo (quod omnium locus, & quasi capsa est) quoquo versum emineat. Ex quibus constat, quo iure Athanas. ait orat. contra Idola sub medium famam, quod Deus vbique sit, apud omnes obtinuisse illis verbis, *Notum est omnibus Deum vbique esse.*

3. Scriptura præterea, quæ pro attributo immensitatis dedimus, eáque quæ cert.2. pro Dei extra, supra, & infrà, & circum res omnes præsentia subsantiali dabimus: plura extant vbiquitatis Dei apertissima testimonia Psalm.138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Iosue 2. *Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.* Ierem.23. *Cœlum, & Terram ego impleo.* Ioan.14. Samaritanæ rogranti orationis locum ait Christus. *Deum spiritum esse, & in spiritu, & veritate adorari debere.* Scilicet non aliquo determinato loco, quia vbique Deus est, quibus adde locum Isai. 66. atque Actor.17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus,* & Sapient.1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Et quæ dedimus quæstion.4. cert.1. n.2. pro Dei immensitate, dabimusque cert.3. Sed dices recitatis locis proximè, solùm de præsentia Dei in omnibus per intuitionem, & scientiam omnium agi: vt patet ex immediato contextu antecedenti Psalmi Ieremiæ, & Sapientiæ. Atque in loco Actorum, potiùs de præsentia Dei per potentiam, operationem, & gubernationem, seu prouidentiam agitur. Cæterum licet hæc in hoc loco etiam contineantur illud *sumus* Dei vbiquitatem, seu potiùs rerum omnium in præsentialitate subsantiali Dei quasi localem continentiam significat; In aliis verò Dei vbiquitatem contineri, & verba ipsa, & Patrum consensus certo probant. Imò inde alia Dei in rebus præsentia per earum intuitionem, accommodatissimè ab Spiritu S. ad captum nostrum, atque euidentissimè probatur. Cum enim nemo sit tam hebes, qui coniuncta sibi, atque indistantia localiter non videat vbiquitatis suæ titulo, (vt ei summa perspicacia abesset,) non posset non Deus omnia intueri.

4. Patrum pro hac veritate testimonia, præter plura data qu.4. cert.1. num.3. & 4. & huius quæstionis præfatione, dandáque hic cert.3. innumera possent recitari. Libabimus nonnulla. Dionys. de diuin. nom. cap.5. *quæ sunt omnia & ante habet, & subsistere facit, omnibus, & vbique præsens.* Athanas. recitat ex lib. ad Liberium adiungit. *Neque vspiam est regio vbi non existat.* Basil. orat. in princ. Euangelij Ioannis. *Totum quodcumque noueris, & quocumque spiritu tuo penetraueris Deo plenum est.* Eadem sunt apud Nyssen. orat. in *faciamus hominem.* Chrysost. homil.17. in Genes. *Non ambulat Deus, absit: quomodo enim ambularet, qui vbique præsens est, & omnia implet.* Cyril.1. in Ioan. cap.9. & 1. Thes. cap.7. *Deum replere, & penetrare omnia docet.* Hilar. 1. de Trinit. *Nullus sine Deo, neque vllus non in Deo locus est.* Ac lib.2. *Deus vbique est.* Cyprian. de Idolor. vanit. post alia ad rem hanc. *Ergo,* inquit, *Deus vnus est, & vbique totus diffusus.* Augustin.5. de Trinit. cap.1. *Intelligamus vbique Deum sine situ præsentem.* Idem docet 7. de Ciuit. cap.30. consonat Origen. hom.12. in Genes. & lib.1. in Ioann. Anastas. Synaita 2. de Rect. Fid. Dogmatib. *Essentia cum sit quæ sunt omnia, diuina sua adimplet essentia, estque in omnibus quæ sunt.*

CERTAMEN II.

Non solum in rebus, & spatiis omnibus, quæ sunt, sed vltra infinitè sua immensitate porrigitur, atque adest subsantialiter Deus.

1. ANtequam in rebus omnibus, & spatiis, quæ sunt, Deum esse à ratione monstremus, vltra ea omnia sua illum immensitate expandi, atque subsantiali præsentia adesse ostendendum dogmaticè etiam est. Tum, quia & hoc etiam rationes pro vbiquitate subsantiali Dei afferendæ probabunt. Tum etiam, quia cum eum totius mundi rebus omnibus præsentialiter adesse ostenderimus, eum tamen toto hoc spatio nullatenus localiter contineri statui oportebit, ne quis contra hoc etiam Patrum, & scripturæ dogma possit offendere, tradditum autem id est ab Arist.1.de cœlo cap.9.ab Stoicis apud Tertul.c.40. aduersus gent. asserentibus Deum extra cœlum esse, vbi spatium solum imaginariú modo est. Ex Scholasticis à Maiore in 1.d.37.qu.1. Caietano ad id. *Ego lux veni in mundum,* Ioan.12. Idem refert de Platonicis Marsilius Phys.2.de immortalit. animæ cap.6. ac de aliis Philosophis Eusseb.4.de peren. Philosoph. cap.1. & 2.ex Theologis citantur etiam (non adeò aperta, ac certa Fide) S.Thom. Durand. Gabr. Hugo Victorin. Ricard. Antisiodor. Bonauent. & Sotus apud Soar. qui eis consensit d.30. met.sect.7. numer.30. & 2. de attribut.cap.2. n.8. fine Lessius supra lib.2. cap.2. Becan. cap.6.q.2. & quod mihi caput est. Id ipsum traditur etiam locis citatis q.4. cert.1. n.2. Iob. 11. 2. Paralip.6. ad Ephes. 4. & Ecclesiæ ad B. Virginem alloquio. Item testimoniis Patrum recitatis ibi n. 3. ex Arnobio 1. aduersus gent. Dionys.1. & 9. de diuin.nom. vbi Deus excedens etiam localiter res omnes, eisque super effusus dicitur. Datis etiam n. 4. ex Greg. hom. 8. in Ezechiel. Athanas. rescripto ad liberi. Basil. homil. in princ. Ioann. Theodoret.2. de prouident. Damascen.1. de fide cap.16. Tertul. contra prax. cap.5. Minutio felice in suo Octauio, Eucherio de Spiritu alib. formis, docentibus Deum incircumscriptum, incomprehensum, vel incomprehensibilem loco, atque sibi esse locum. Denique testimoniis etiam datis hic cert.1.

2. Etenim, si sine situ, locoque est, atque eis non circumscribitur, aut comprehenditur, imò neque circumscribi, comprehendi, commensurarive loco vllo potest, ideo sanè est: quia loca, & spatia omnia non solum, quæ reipsa sunt, sed possibilia, sua subsantiali præsentialitate excedit, vt memorata primæ classis scripturæ, & Patrum testimonia aiebant. Quibus adde Philon. de confus. ling. longe amed. *Deus autem omnia implet, non contentus, sed continens.* Quibus similia hæc habet. *Nam Deo, nec totus quidem mundus dignum esset domicilium, qui sibi ipse locus est, & ipse se ipso plenus, sibique sufficiens: cum Deus alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemque impleat.* consonant Hilar. in id Psal. 224. *Montes in circuitu eius.* August. 1. Confes. c. 3. ac de essent. diuinit. sub init. Bernard. serm. in dedicat. Eccles. Anselm. 19. Prosolog. Theophil. Antiochen. 2. ad Antholoc. sub init. t.5. Bibliot. vbi Deum *non capi loco* ait, *nè detur locus Deo maior, qui est omnium locus.* Promiss. q.4. cert.1. n.3. fine testimonia Athenagoræ orat. seu legat. pro Christianis sic de Deo loquentis. *Mundum ita excedit, vt impleat*

pleat vndequaque quidquid supra ipsum mundum est, nec locum vllum se vacuum relinquat. Magn. Gregor. 2. Moral. c. 12. *Ipse manet intra omnia, & extra omnia: ipse supra omnia, & infra omnia. Superior per potentiam; inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem; interior per sublimitatem: sursum regens, deorsum continens: extrà circumdans, interiùs penetrans: nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus, & idem totus vbique præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens: circumdando penetrans, & penetrando circumdans.* Isidori denique 1. de sum. bono cap. 2. *Immensitas*, inquit, *diuinæ magnitudinis ita est: vt intelligamus eum intra omnia; sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum: & ideo interiorem, vt omnia contineat; ideo exteriorem, vt incircumscripta magnitudinis suæ maiestate omnia includat.*

3. Id ipsum emphasi maiori, & illustriùs adhuc, ostendit illa Dionysij sententia, 10. de diuin. nom. scilicet *Deum esse sedem, & fundum, in quo omnia firmantur, & recumbunt*, atque illa Hilarij memorata cert. 1. numero 4. *Nullus non in Deo locus est.* Cùm enim locus omnis, in quo aliud vel est, vel recumbit amplior proculdubio, atque mensura excedens locatum esse necessariò debeat, Deus, in quo spatia, locáque omnia sunt, eis omnibus amplior, expansiórque substantiali suæ immensitatis præsentia esse proculdubio debet: ac proinde vltra res, spatia, locaque omnia quæ sunt porrigitur, atque extenditur. Patet: quia ni vltrà extenderetur eis commensuraretur ad æqualitatem localis præsentiæ, & vbiquitatis substantiæ suæ: quare neque amplior, extensiórque illis esset, nec locus in quo, tanquam in continente ea omnia essent.

4. Admissis autem extra omnia, quæ de facto sunt, Deum esse per suam immensitatem, seu entitatis suæ substantialem præsentiam, consequens necessarium est per omnem locum, & spatium totum possibile, & imaginarium dilatari: cùm in illo solum extra, & vltra mundum extendi queat; nec sit maior ratio vnius partis spatij imaginarij proximè circumdantis, nostro concipiendi modo, totum vniuersum, ac partium quoquoversum remotiorum, & remotiorum spatij eiusdem possibilis, & imaginarij, nec maior præsentiæ Dei in his, quàm in illis difficultas: cum immensitas infinita substantialis præsentialitas, seu præsentia sit, atque proinde, ni ex parte spatij repugnet omnibus totis, atque infinities infinitis spatiis æquetur. Confirmatur: quia, sicut modò mundus, qui de facto est, locum in Dei præsentia habuit iuxta recitatos Patres, quin Dei præsentia substantialis augeretur, sed solum aduentu præsentiæ huius vniuersi in spatio illo imaginario & possibili, quod de facto mundus opleuit; ita versus quamuis partem spatij imaginarij, & possibilis in quauisque parte æqualis spatij potuit Deus mundum hunc producere, potestque modo alium & alium atque in se, suæque immensitatis substantiali præsentia iuxta phrasim Patrum locare, quin eius præsentia substantialis augeretur: ergo & tunc eas omnes spatij imaginarij partes, quæ immensitatis præsentia ab æterno replebat, & nunc etiam replet, æternúmque replebit.

5. Hanc vero sententiam expressit Augustin. 11. de Ciuit. cap. 5. his aliter sentientes fugillans. *An fortè substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant nec distendunt loca, sed de ea (sicut de Deo sentire dignum est) fatentur incorporea præsentia vbique totam, à tantò extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, vt in vno tantùm, atque comparatione ipsius infiniti, tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? Non opinor eos in hac vaniloquia progressuros*, quod autem sine capitis dicat inane esse cogitare infinita extra mundum spatia, sicuti, & ante eius initium tempora infinita intelligit, quæ actu sint; non autem possibilia, & imaginaria, quibus Dei immensitas, & æternitas nobis accommodè concipiantur: quia aliter à nobis percipi nequeunt: esse verò Deum extra hunc mundum, sicuti & ante omne tempus toto capite contendit, & 1. Confess. cap. 2. & 3. ac lib. 7. cap. 5. vbi diuinam substantiam infinito mari comparat per infinita spatia diffuso, & mundum spongiæ in eo conclusæ.

6. At dices: spatium imaginarium vltra reale mundi spatium nihil omninò est de facto, & verè: cùm reuera non sit (licèt posset absolutè esse) sed potiùs sit eius negatio: At nihilo nihil potest reuera esse præsens: ergo Deus non est præsens immensitatis suæ substantiali præsentia spatio imaginario, & purè possibili. Minor constat: quia esse alicui aliquid præsens, & coniunctum localiter, & penetratiuè præsertim, vti Deus præsens rebus, & spatiis est; dicit vtriusque coexistentiam in loco, ac proinde, & vtriusque existentiam: quare certum apud omnes est præsentiam substantialem Dei, eiusque essentiæ in rebus omnibus, siue eius vbiquitatem liberam Deo, & contingentem esse, quatenus rerum, & locorum, ac spatiorum mundi existentia contingens est, liberóque Dei decreto, concursu, & actionne apposita. Confirmatur ex Patribus. Tertul. contra Praxeam. Minutio Felice, & Damasceno recitatis quæst. 4. certam. 1. num. 4. dicentibus, *Ante mundum, locum, & mundum solum sibi fuisse Deum*, quibus consonat Augustin. Psalm. 122. *Qui habitas in cælis*, in hæc scribens. *Dicet aliquis, Antequam faceret Deus Sanctos vbi habitabat?* & respondet. *In se habitabat. Deus apud se habitabat, & apud se est Deus.* Et Bernard. 5. deconsiderat. ad Eugen. *Non est quod quæras vltrà vbi erat* (ante mundum) *præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.*

6. His Patrum testimoniis vtuntur innominati Recentiores apud Lessium suprà cap. 2. num. 15. qui hanc conclusionem de præsentia Dei in spatio possibili, & imaginario, quod extra mundum circumquaque concipitur, satis inconsequenter negant: cùm iidem, ne Deum in spatio vltra cælum, quod purè possibile, & imaginarium de facto est, ambulare posse cogantur fateri, ipsum cuiuis etiam spatij illius puncto præsentem admittant. Respondetur ergo hanc Dei præsentiam substantialem ratione suæ immensitatis spatio, & loco omni possibili, seu imaginario, quod de facto non est, compræsentiam (vt sic loquar) actualem Dei non esse, sed solùm ex parte sua actualem præsentiam, quæque alterius solùm spatij possibilis existentiam, & præsentiam spectet, vt compræsentia actu sit: ita vt ex parte intrinsecæ præsentiæ Dei quæ ad compræsentiam cum spatio illo requiritur, actu & formaliter sit; soláque sit potentia ad actualem præsentiam in spatio creato Deo extrinseco. Nam sicut adæquata compræsentia duorum, non vnius, sed duorum est; ita & adæquatè sumpta potentia ad illam compræsentiam actualem duorum necessariò, non alterius solùm esse debet. Hoc tantùm probat obiectio, atque adducta ex Patribus confirmatio. Idque totum in æternitate diuina, quæ non solùm per totam mundi durationem realem, quæ de facto fuit, est, atque erit, replet, sed omnem item possibilem purè, à parte ante seu imaginariam: idque plane ex Fide; cùm tamen contra illam fieri simili obiectio possit.

7. Vt autem ei clarius pro vtráque Catholica veritate satisfiat, & quidquid in illis Fides doceat percipiatur, aduertendum est: spatium, durationem omnem realem creatam, sicut, & quodvis creatum prædicatum entis, &c. esse talia secundariò (non solùm quia à Deo effectiuè procedunt, ac proinde eius potentia passiuè fruuntur, quod omni prædicato creato commune est, sed quia imitatiuè, & exemplariter, etiam obiectiuè, vnumquodque ab aliquo prædicato diuino, quod formaliter imitatur, cuiusque formalis, licèt non actiuè, participatio est omninò pendet, v.g. duratio creata, & spatium locale creatum ab immensitate, & æternitate Dei. Vnde oportet, vt nihil formaliter in spatio, durationéve creatis sit, quod (seclusis imperfectionibus limitationis &c. eorum) non sit in æternitate, & immensitate Dei, vt in illarum Archetypis, & exemplaribus. Vnde rursus fit, vt Dei immensitas, & æternitas spatium, & durationem infinitas, ac veras, non tamen corporeas, & successiuas, sed simultaneas indiuisibiles, ac spirituales, totáque simul faciant; sicuti corporea loca, & spatia faciunt corporea, & diuisibilia: finita tamen, si finita corporea sint, vel infinita, si infinitæ molis corpora esse possint. Inde fit Tertiò: nullum creatum spatium, creatamve durationem extra spatium, aut durationem quod Dei æternitas, & immensitas formaliter faciunt, esse vlquam posse, tanquam in mensura, & spatio excedente, & superiore, qua vndequaque contineantur, atque

fundentur, vt Patres supra citati aiebant, cuique possibilia omnia spatia, & durationes, licèt diuinis curtiùs, possunt coextendi, atque absolutè existentia de facto coextenduntur.

8. Ex his liquet duo esse vera spatia, siue loci, siue durationis: & diuina & primaria, quæ aliorum omnium fundamenta, & basis sunt; & creata, siue spiritualia, siue corporea, quæ eis continentur, atque fundantur. Est præterea Tertium, quod imaginarium vocatur; quod quidem, si mente ita concipiatur vt omnem possibilem durationem, vel spatium locale creatum excedat, vel de facto vltra id quod absolutè quauis temporis differentia erit, fuitve esse cogitetur merè fictitium, & chimæricum est; tamen eo spatium, siue locale, siue durationis, immensitatis, & æternitatis Dei, nostro captui accommodatiùs concipimus; Atque per hoc quidem, vt ita conceptum spatium imaginarium Deus non extenditur, neque præsentiâ immensitatis substantiali, aut æternitatis substantiali duratione adest: imò neque adesse ob illius impossibilitatem potest, vt obiectio probat; At verò extenditur, adestque in eo spatio, & duratione, quam sub eo fictitio, & chimærico spatio, & duratione imaginaria concipere, atque explicare volumus: nempe in suæ immensitatis & æternitatis spatio, quod illo quidem non minus, sed amplius adhuc est. Quemadmodum totus mundus, eiusque totum spatium in nullo alio creato spatio præterquam in seipso esse dici potest. Id Patres nobis oppositi voluere dum Deum æternitate mundum antecedente in se solùm ipso esse dicebant. Idque, & nos volumus cum communi Doctorum, dum Deum per spatium omne vltra cœlum vndequaque possibile: imò & imaginarium, & vltrà sua immensitate porrigi, atque extendi docuimus. Nec aliud sanè contendunt Scolastici, quos magno numero pro opposita sententia recitat Vasq. d.39.cap.2. Neque ipse Vasq. qui eam mordicùs ibi tenet.

CERTAMEN III.

Dei vbiquitas à ratione ostenditur, & propugnatur.

1. NEque verò ineficaciùs Dei in rebus omnibus, totoque hoc vniuerso: imò & extra illud vbiquitas per substantialem essentiæ suæ in eis omnibus præsentiam à ratione probatur. Primò ex Attributo immensitatis, eisdemque rationibus datis quæst.4. certam.2. num.3. & 4. Si enim immensus præsentialiter Deus est, nequit non rebus omnibus substantialiter præsentari, eo ipso, quod res sint. Alioqui, si aliquibus solùm rebus, aut spatiis mundi præsentaretur, ac non aliis, imò si ad æqualitatem localem toti vniuersi huius spatio, ac non vltra mensurabilis, æquè, atque res illæ, seu totus mundus est, omninò esset non immensus. Secundò ex infinitate cuiusvis diuini prædicati in suo genere, quæ metaphysicè ex prædicato entis à se necessariò infertur. Tertiò probatur ex prædicato immutabilitatis diuinæ. Si enim alicubi intima suæ immensitatis præsentia non esset, vel posset esse alibi, vel non? Si non posset, dura esset, atque creaturis pluribus, nedum Deo, indigna carceratio intra spatij illius, cui solùm præsens dicitur, septa: si alibi etiam esse potest: In primis posset ambulare, eóque se mouere, atque præsentialiter, seu localiter extendi. Id autem per præsentiam illam, qua certum illud primum spatium occupabat, nec amplius, fieri non posset: Nam spatio illi tantummodò respondet, atque omninò alligata est: ergo per denuò conuenientem, & acquisitam pro spatio vlteriori: sicut Angelis contingit, cùm localiter extenduntur: ergo mutaretur Deus. Id quod patet in hoc mundi huius spatio, cui, ni præsens intimè æternitate Deus præcessisset ex parte sua, sicut modo est, intimè mutaretur, vt ei præsens intimè fieret: item in alio mundi possibili spatio, maximè, si discretus spatio ab hoc mundo crearetur: ni enim spatio inter vtrumque imaginario præsens intimè Deus dicatur, eius præsentia intima subtantialis, seu immensitas esset discreta & diuisa, quod implicat: ac denique si Christus supra Empyrei spatium verum est, vt plures aiunt, ac certò esse potest, ibi Deus præsens intimè est, nec solùm ratione humanitatis vnitæ: ergo ni antea ibi erat intimè, intime mutaretur. Probari vlteriùs ab absurdis id ipsum posset, memoratis ibidem n.4. quo lectorem remittimus.

2. Probatio alia vbiquitatis Dei ex operatione eius vbique adeò prolixè à Doctoribus contentioséque examinatur, vt integram sequentem quæstionem reposcat, quare eà nunc abstinemus. Obiicies ex Psalm.113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* & Psalm.122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Sed hæc solùm probant Deum specialiter dici in cælo esse, non quidem immensitatis suæ substantiali præsentia, qua æquè in omnibus creatis est; sed quia ei tanquam aula regia deseruit, in qua eius gloria, & apparet, & communicatur Beatis, eiusque voluntas ad nutum obseruatur; In terra autem hominum gloria, & imperium resplendeat: quod autem alibi sæpè *Cœlum Dei sedes, & Terra scabellum pedum eius* dicatur, non probat eis locis Deum circumscribi, sed potiùs immensùm illis excellere iuxta ponderationem, quam fecimus certam.1. num.2.

3. Sed obiiciebat Eugubinus: si Deus omnibus substantiali sua præsentia adsit, sordidis inquinandum, atque acerbis cruciandum, quæ sunt absurda: ac proinde melius Dei dignitati, & decentiæ consuletur, si in cælo solum sicut sol residens suæ virtutis radiis inferiora peruadat, quin eis inquinetur. Negatur tamen facilè assumptum. Cùm enim Deus spiritus sit, sordidis corporeis inquinari nequit, vt benè Hugo Victorinus 1. de Sacrament. part.3.cap.17. & Magister in 1. d.37. cap. *solet.* Paterque exemplo animi rationalis, qui leproso corpore, quod informat, non inquinatur, neque dolorifero dolet. Idque Solis etiam exemplo illustrauit August. cap.18. de Agone Christiano, & 29. de nat. boni. Et sanè si in cœlo solùm Deus est, rogandi hi sunt, an alibi etiam esse possit, necne, si hoc dicatur postremum, Deus, qui in Christo, eiusque humanitate in terris erat secundum substantiam Dei: neque in humanitate, neque in terris erat, ac versabatur, quod Arrianismus est. Si potest alibi esse vbi de facto substantiæ eius, per substantiam suam præsens non est per te, scilicet in inferioribus cæli locis pro voluntate sua poterit loca acquirere illa, atque ex vno in alium moueri, quod est absurdissimum contra immutabilitatem Dei. Quod obiici poterat de vbiquitate possibili creaturæ, ac proinde eam propriam Dei non esse difficimus qu.4. cert.2.num.6. in simili obiectione contra immensitatem.

4. Ad huius quæstionis calcem specialis ille Vorstij error de præsentia Dei secundum substantiam commensuratiuè parti Dei, parti cœli, non autem totius Dei in toto cœlo, & quauis eius parte, sicuti & de animo rationali in corpore aberrat, præter errorem contra physicam Dei simplicitatem, in præsens dogma immensitatis diuinæ fædè peccat hic confutandus. Etenim in humanitate Christi non erit tota substantia Dei, sed pars solùm. Commensuratiuè enim humanitas, quæ respectu cæli punctum minutulum est, nequit æquari substantiæ Dei toti, quæ toti æquatur cælo: ergo contra Apostolum ad Colossen.2. non habitat in Christi humanitate *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Secundò in triduo mortis Christi, & anima à corpore, & caro à sanguine, & sanguinis guttæ multæ loco erant dissitæ, ac dispersæ; & tamen Deo hypostaticè vnitæ omnes. Si ergo in quauis earum totus Deus non erat, sed pars solùm substantiæ diuinæ, huius etiam partes loco dissitæ, ac dispersæ fuerunt. O Bone Deus in tua non solùm
Ecclesia, & veste, sed substantia etiam
ab hæretico laceratus,
& dispersus!

***

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An ex operatione Dei vbique eius Vbiquitas probetur.

NON parùo tædio hanc rationem examino: quam non recta methodus, sed aduersantium Scholarum contentio induxit. Si enim super conclusionum Theologicarum rationibus quæstiones instituì par sit, vel vni veritati Theologicæ vestigandæ impar æculum, & Studium nostrum erit. Mori autem Scholasticorum morem gerimus, vel inuiti.

CERTAMEN I.

Doctorum, non sine animaduersione aliqua in Recentiores Thomistas, placitis relatis, Scoto consentio.

1. VBiquitatis huius diuinæ celebris multis sæclis probatio fuit S. Thom. 1. part. quæst. 8. articul. 1. & S. Bonauent. in 1. d. 37. atque ante ipsos Alberti Magni ibi; Postea vero Ægidij, Durandi, Ricardi, Argentinæ, & Capreoli ibidem, Henrici artic. 30. Summæ, quæst. 5. Antisiodor. 1. Summ. cap. 15. quæstione 1. ad 1. Ferrari. 3. cont. Gent. cap. 68. & Thomistarum Dominicanorum, atque ex Thomistis nostris Valentiæ, Lessij, & Soarij suprà, atque huius latissimè tit. 2. met. d. 30. sect. 7. Nimirum à posteriori ex Dei operatione vbique, multis tamen aliis, non adeò firma visa est: eam autem rationem veruistiorum etiam Philosophorum esse patet ex Aristotele de Mundo ad Alexan. vbi habet: *Vetus fama est, & quidem hæreditaria mortalium omnium, vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta*, &c. *quapropter* (addit) *Veteres nonnulli adducti sunt, vt dicerent, hæc omnia Deorum esse plena*, videturque tradita à Paulo Actor. 17. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrùm: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Et Psalmista Psalm. 138. verbis illis: *Si ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum ades. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Videtur præterea hæc ratio Anselmi cap. 20. Monolog. vbi Deitatem in loco determinato concludendam non esse his ostendit: *quando* (id est siquidem) *est in vno loco, nullum bonum, & nulla essentia est interim in aliis locis: quia sine eo prorsus aliquid non existit: sine qua*, nimirum, *factum est nihil.* Ac proinde ex defectu præsentiæ Dei in aliis locis negationem effectionis rerum à Deo in illis probat: quia Dei in illis præsentia ad operandum requiritur, & cap. 21. clariùs: *quia aliquid sine ea* (Deitate) *neque vsquam, neque vnquam est, necesse est illam esse vbique, & semper.*

2. Ratio autem hæc nititur principio Aristotelis 17. Physic. à text. 10. ad 13. quod nimirùm causa coniuncta necessariò esse debeat cum passo, in quod operatur, ac proinde cum suo effectu: cumque Deus omnibus rebus, & locis causa necessariò sit, nequibit non coniuncta rebus omnibus, & vbique semper esse. Sed quia principium illud patitur difficultates non leues, Caiet. & Ferrari. limitant illud ad causam operantem immediatione virtutis, (id est virtute non aliunde accepta, sed propria) & immediatione etiam suppositi: idest sine alia causa sibi supposita, & interiecta inter operans, & id in quod operatur. Sed ea adhuc limitatione adhibita, & eisdem difficultatibus illud principium patet. Nam immediatio virtutis, & suppositi excludit interiectum alterius causæ ordine causalitatis solùm, cum quo rectè stare potest spatij inter agens & passum, ac effectum interiectio. Si dicant, hoc etiam excludi operatione immediatione suppositi, atque ita Deum operari: assumunt planè, quod probandum ipsis erat, quod autem addit Caietan. quod scilicet præsentia hæc Dei in rebus, & vbique per veram contactus præsentiam nihil aliud sit, quàm Dei operatio, licèt in ea fundetur relatio alia rationis quidem, & fictitia præsentiæ localis Dei in illis, quæ rationis etiam sit (qua in re Caietano consentit Ægidius 11. part. citatæ d. artic. 2. quæstione 1. Deum scilicet rebus præsentem esse solùm quantitate virtutis, seu operationis) quos Recentiores Thomistæ sectantur, satis quidem consonè ad ea, quæ de Angelis, ac spiritualibus rebus, (in quibus primas Deus tenet) docent: nimirùm solùm, per operationem rebus præsentari. Verùm in hoc diuinæ præsentiæ modum, & immensitatem Dei cum eius omnipotentia malè confundunt, & præsentiam propriam localem Dei in rebus, de qua hìc disputatur, distinctáque à præsentia Dei in illis per potentiam, & operationem ab Scriptura, Patribus, & Theologis admittitur, cum operatione, seu præsentia Dei in rebus per illam confundunt, & negant. Ac tandem rationem, quam defendere suscipiunt ridiculam reddunt, idem per idem probantes. Dei nimirùm in omnibus rebus præsentiam per Dei in illis operationem, quæ vt ipsi aiunt, vere Dei præsentia in ipsis sola est.

3. Sed his missis, atque supposita præsentiæ localis per essentiam in rebus omnibus, & vbique diuersa à præsentia eiusdem in illis per potentiam, & operationem (quam ratio præfata supponit) hac minimè probari censent Scotus in 1. d. 37. quæst. vnica vbi Okam. Bassol. & Gabr. art. 3. dub. 1. Vasquez 1. part. d. 28. cap. 3. & 4. quibus & nos subscribimus. Et sanè eam rationem, qua ex operatione Dei vbique eius præsentia concluditur inefficacem esse, vel id solùm efficaciter suadet: quod cum à vestutioribus Philosophis pro Dei vbiquitate efformatam Aristoteles viderit, atque retulerit libro illo de Mundo ad Alexandrum, vti ex ipso recitabamus numero 2. Ea tamen neglecta in oppositam sententiam ierit: docens diuinæ virtutis, & actiuitatis excellentiam magis decere, vt supremo loco residens omnia in inferioribus peragat; Deum proinde in cœlo docuit esse, ac nusquam alibi: atque exemplo Regis Persarum, qui Ecbatanis amplissima sui regni (quod totum administrabat) Vrbe habitabat, & suam sententiam satis firmari, atque argumento huic ex suo illo principio 7. physicor. statuto satisfieri putauit. Cùm vir ingenij laude nulli vnquam secundus ad manifestam demonstrationis huius (ita aduersarij suum hunc discursum compellant) lucem, cæcutiisse putandus non sit. Potiori igitur iure credendum est Aristotelem, qui illud in Physicis principium percalluit, & posuit, atque ex illo, quæ legitimè inferrentur, non ignorabat, illud de corporeis solùm creatis agentibus (de quibus ibi solummodo agebat) intellexisse, non de spiritualibus (vti Deus est:) omnibus ac proinde ad Dei præsentiam, localemque cum suis effectibus coniunctionem ostendendam præstare minimè posse. Accedunt pro hac eius principij interpretatione ea omnia, quibus controuers. 6. de causis d. 3. quæstione 3. spiritualia agentia (saltem quorum voluntas potentia actiua extra ipsa sit) propinquitate adhuc ad passum, vt in illud operentur non egere ostendebamus, sed iam rationibus subtilissimi Scoti, ac profundissimi Doctoris nostri Vasquez non ita vniuersim de omni agente principium illud intelligendum esse, vt Deum etiam comprehendat, atque intimam essentiæ suæ cum effectibus suis penetrationem localem euincat, probandum nobis erit.

4. Priùs autem duplex modus præfatam rationem tuendi apud Thomistas, præsertim Recentiores, aduertendus est, vt Scoticæ Scholæ à Thomistica dissidium meliùs percipiatur, atque Scotus ab impostoris Scholæ oppositæ vindicetur, atque ab iniustis Dionysij Carthusiani criminationibus, & reprehensionibus cit. d. 37. quæstione 1. quasi asseruerit posse Deum loco vno inclusum esse, & in distans operare. Primùm enim Scotus eiusque tota Schola reputant meritò impossibile: cùm ratione immensitatis suæ Deum vbique præsentem secundum substantiam fateantur: multóque vniuersaliùs, ac sincerius

rius, quàm Thomistæ Recentiores cum suo Caietano: cum hi aliam, quàm operationis præsentiam Dei in rebus veram non admittant, quæ per potentiam solùm est, vt ostendimus num.3. Solùm ergo asserit Scotus ex hypothesi impossibili aliunde, quod Deus determinato loco concluderetur, tunc indistans inde operaturum: ac proinde ex Dei operatione in rebus omnibus malè colligi ipsius in illis omnibus præsentiam penetratiuam localem, quia vnum per locum intrinsecum, vt aiunt, ex alio non infertur. Thomistæ vero contra id benè inferri contendunt, sed non eodem modo omnes; Nam Recentiores cum Caietano putant id colligi à priori: quia, nimirum, operatio Dei in creaturis fundamentum est præsentiæ Dei in illis, ac proinde ipsi idem est, quod quantitas corporibus, vt loco præsententur. Sed hi infæliciſsimè omnium hanc rationem tuentur. Nam probandum ipsis est, vt ratio probet, hoc quod assumunt, præsentiam nimirum Dei ad eius operationem consequi, atque hac fundari, quod sine vllo fundamento dicitur, neque potest ex ipsa Dei operatione probari, sed aliunde: quare Dei præsentiam in rebus ex eius in illis operatione minimè probant, vt probandum assumunt: vt mittam ab eis eo admisso solam fictitiam, & puræ rationis Dei vbiquitatem probari, vt num.3. notabam. Vetustiores Thomistæ, à posteriori Dei in rebus præsentiam ex eius in illis operatione demonstrari putant: quia localem coniunctionem agentis cuiusvis cum passo necessariò præcedere arbitrantur, ac proinde cum suo effectu, vbi primùm existit, id quod, licèt non adeò certum, longè tamen rationabilius est, atque principio illi Aristotelis continetur: idcirco priori Recentiorum Thomistarum via omissa, hoc sensu posteriori eius rationis imbecillitas ostendetur.

CERTAMEN II.

E Dei operatione vbique, eius vbiquitas non probatur.

1. TOta demonstrationis huius machina citato Aristotelis principio innititur, de necessaria locali coniunctione agentis cum passo ex parte antecedentis requisita, vt in eo ponat effectum, atque adeò cum effectu in passum inducendo. Hoc autem principium de omni agente vniuersim loquendo, nec certum est, neque verosimile, neque ab Aristotele positum; imò, neque eo gratis admisso, intentum euincit: ergo non solùm euidenter, aut saltem efficaciter, sed neque apparenter, ac verosimiliter ex Dei operatione in rebus omnibus eiusdem in illis intima substantialis præsentia siue vbiquitas ostenditur: Non solùm ex principij, sed etiam ex consequentiæ, atque illationis defectu. Principium autem illud generale pro omni vniuersim agente non esse probatur. Primò: quia non omne agens operatur, actuumve est dependenter necessariò à passo: ergo neque dependenter appropinquitate ad illud. Consequentia est euidens, ideo enim solùm propinquitas agentis ad passum ad operandum in illo necessaria esse potest, quia huius consortio eget agens, vt operetur: alioqui pro libito coniunctionem agentis cum re quauis impertinenter se ad eius operationem habente poterit quisque assignare. Antecedens probatur in Deo operante per creationem, & conseruationem creatiuam, quæ omninò à subiecto independens est. Huic rationi dicere ex Soario poteras propinquitatem, & coniunctionem agentis non solùm cum passo, ac proinde cum effectu, quem in illud inducit, sed & cum effectu requiri ad agendum, verùm hoc, & aliunde quàm ex principio illo Aristotelico probandum erit, vt patet, & ne aliunde quidem probabile est, vt infrà ostendemus.

2. Vlteriùs contra eius principij vniuersalitatem facit quod in iis etiam quæ dependenter à subiecto operatiua sunt, eorum cum ipso coniunctio localis necessaria ad operandum minimè videatur, quare neque cum inibi positis effectibus. Primò enim agentibus spiritualibus (saltem voluntatem pro actiua potentia habentibus) eiusmodi coniunctione locali cum passo opus ad agendum non est, vt citata controuers. 6. de conditionibus ad agendum docebamus. Secundò Aristotelis principium illud de solis agentibus naturalibus, passisque corporeis procedit. Tertiò: nemo est, qui humanitati Christi vim actiuam physicam miraculorum in distans, quin in propinquum ob huiusmodi operandi impossibilitatem neget: imò de facto eum operandi modum in illa admittit Soarius præcipuus, & profusus huius rationis defensor tit.1.3. part. d.31. sect.7. & d.30. metaph. sect.7. numero 20. Nec satis est quod hoc loco respondet: instrumentali causæ actiuæ opus non esse coniunctione locali cum passo, & effectu, cum principale agens illis coniunctum est, vti in eo casu Deus miraculis, eorúmque subiectis est coniunctus; qui ea in re instrumentis suis comparandus non est, quæ imperfectè, ac non connaturaliter, atque à passo, & effectibus suis operantur distanter; secus autem Deus, qui connaturali, & perfectissimo modo debet suos effectus edere.

3. Contra vero Primò: quia iam propositio illa de coniunctione locali necessaria agentis cum passo, non adeò generaliter, nec de omni agente, adhuc operante dependenter à subiecto, ex hac solutione intelligenda erit: quod hoc argumento contendimus: Siquidem de causa instrumentali intelligi per te nequit; cùm possit per te causa instrumentalis in distans, quin in propinquum operari. Contra Secundò; quia experientiæ, quibus illud principium innititur coniunctionem necessariam, seu propinquitatem localem agentis cum passo, dependenter à quo operatur effectum, ac proinde, & cum effectu ipso in causis instrumentalibus potiùs, quàm in principalibus suadent. Nam principales quandoque, atque in effectis substantialibus, longissimè ab eis, & à subiectis distant; quæ autem illis propè adsunt instrumentales causæ solummodo sunt: vt patet in generatione animalium, atque metallorum à sole. Indéque euertitur altera solutionis huius pars: quod scilicet agentis principalis coniunctio cum passo, & effectu satis sit ad operandum eum in illo, etsi causa instrumentalis longè disiter. Secundò hoc ipsum impugnatur: quia instrumenta physica ad id data agentibus principalibus, iuxta probatam Philosophiam sunt, vt quod per seipsos efficere in distans nequeunt: quia passo per se approximari non possunt, ac proinde neque immediatione locali suppositi, vt aiunt, virtutibus, & qualitatibus administris & ipsis appropinquent, & exequantur effectus. Ex quo patet instrumentorum propinquitatem, non autem causæ principalis ad operandum requiri: ac proinde, licèt Deus, qui miraculorum agens principale est, ratione immensitatis eis coniunctus, intimúsque sit; non tamen quia agens principale est, id requirit. Cùm enim actio circa passum, & in effectum æquè ab instrumentali causa, atque immediatiùs localiter sæpè, imò semper, procedat, nil apparet vnde discere aduersarij potuerint, principalis causæ, non autem instrumentalis coniunctionem, seu propinquitatem cum passo, & effectu esse debere: de quo iterum redibit sermo cert.3.

4. Postremum illud solutionis, quod huic instantiæ satisfaciendæ videtur appositum (quod nempè operatio in distans, quin in propinquum nec connaturalis, nec perfectus modus operandi sit, ac proinde, vt instrumenta non dedeceat, agens vero principalissimum non decere) maiori pietate in suam sententiam, quàm in Deum, nullàque ratione dictum fortasse videatur. Primò enim gratis omninò dicitur. Secundò nobiliorum agentium principalium est è maiori sui distantia à passo, in ipsum, & connaturaliter quidem, operari, vt exemplis adductis de sole, & animalibus generantibus perspicuum est. Secundò cùm eo perfectius agens sit, quo paucioribus extra se adminiculis opus habeat (vt inductione constat) perfectius agens Deus ostenditur, quo paucioribus extra se egeat, vt operetur; ac proinde si propinquitate ad passum non indigeat. Confirmatur, quia id in primis ad agens, quod tale per suam voluntatem est, videtur spectare. Tertiò: cùm id omne, quod impli cationem non inuoluit sub obiectum diuinæ omnipotentiæ cadere debeat

atque

atque per Soarium operatio in distans, quin in propinquum contradictionem non involuat, cùm absolute possibilis in causa instrumentali admittitur, sine omnipotentiæ iactura, quæ tota Dei, qua principalis agentis dignitas, & perfectio est, negari Deo non poterit. Quartò rogo cuiusnam modi operandi ea distinctio sit: immediatione suppositi seu substantiæ suæ, quam quidem immediationem localem communiter Doctores etiam intelligunt. Profectò causæ principalis: non instrumentalis: ergo de ratione, & perfectione causæ principalis non est coniunctio localis cum passo, & effectu suo. Quintò, hanc ipsam solutionem reiecerat in aliis Soar. n. 7. qui nostro argumento respondebant, non posse Deum operari indistans, quin in propinquum, sicut Christi humanitas, ex perfectione, & maiori principalitate, & virtute infinita primi agentis, cuiusmodi Deus est prouenire. Sextò demum radicitus hæc solutio, tam horum, quàm Soarij conuelleretur iam argumento immediatè efformando ad ostendendum vlterius assumptum antecedens huius argumenti secundi, quod hactenus fumus persecuti.

5. Igitur probo Tertiò non omne agens, qua actiuum, etiam dependenter à passo, siue eductiuum, coniunctione locali, seu propinquitate ad illud egere; sed id virtutis finitæ actiuæ limitatæ corporeæ, atque imperfectæ esse, ratione, & exemplo suo contra Dei vbiquitatem aiebat Aristoteles, in huiusmodi enim agentibus, imò in corporeis solùm (vt diximus n. 2.) inuenitur, quin in spiritualibus creatis agentibus aliquid experiamur, vnde pro illis etiam videatur illud principium persistere: imò cùm hæc quàtitatis corporeæ, & quam molis dicimus, expertes omnino sint, atque quantitatis solius sit propinquitas localis per contactum, & contiguitatem: ab ea ad agendum in passum videntur spiritualia agentia, præsertim, quæ per voluntatem operantur omnino esse absoluenda. Ex quo, vt minimum constat, nihil probare rationes, quibus Soarius n. 12. contendit propinquitatem agentis ad passum, in quod operaturum est, ipsi qua agens eductiuum est conuenire: quia ita in omni agente experimur. Cùm experientiæ omnes agentis, & passi corporei sint; de spirituali verò agente nulla afferatur experientia, & rationes quidem, quibus probat eiusmodi propinquitatem ex finitudine, & limitatione virtutis prouenire; in agentibus corporeis, vt summum probant; secùs in spiritualibus, cuius spiritualis virtus actiua, & eius applicatio ad operandum in subiecto, spiritualis etiam, & per voluntatem est: quorum actiones plenius, perfectiúsque sub eorum arbitrium cadent, si non solùm ad operandum quando velint, sed in loco, spatio, & subiecto, in quibus velint tantum, ac non in aliis intermediis liberi sint, quin, vt in loco dissito operentur in intermediis sint necessariò operatura & (quod satis ad præsens institutum nobis est) id agentis spiritualis liberi prædicatis metaphysicis non repugnare, vt ita nimirum liberè quo ad locum, sicuti, & quo ad tempus operentur, compertum omnino ex ipsis prædicatis est. Quod si id excellentiæ virtutis, & arbitrij spiritualium agentium dandum videatur, Deo spiritualissimo, ac perfectissimè summéque libero agenti potiori iure concedetur: cuius actiua potentia, formalissimè nil præter eius voluntatem est, (vt infrà ostendam) quæ ad volendum operari in subiecto aliquo, propinquitate ad illud non eget, quare neque ad operandum in illo, aut ex illo etiam eductiuè.

6. Confutatum inde etiam manet, quod tandem respondet Soar. n. 13. Melius nimirùm, perfectiusque esse, si agens absque distractione suæ virtutis per seipsum & passis, in quæ operatur, & effectibus suis adesset coniunctum, quàm ex vno loco in alia omnia distantiora operari: quare & ratione, & exemplo sic deceptum fuisse authorem libri de mundo ad Alexandrum, etsi Aristotelis sit. Licèt enim gubernatoris creati perfectio, atque excellentia sit ex vno loco distantia sua efficacitate pertingere, est tamen perfectio non simpliciter, sed secundum quid: quia supponit imperfectionem gubernatoris creati. Verùm, cùm ostenderimus ad perfectionem agentis spiritualis liberi in agendo spectare libertatem operandi, quantum sua virtute potest liberè, etiam in modo operandi, hoc est iam difficilium, & ratio Aristotelis, & exemplum subsistit. Si enim in agentibus moralibus creatis, quo maior, perfectiorque est virtus, seu potestas operandi liberè moraliter potestate morali, eo minus propinquitatis eorum requiritur ad operandum, ac proinde ex vno loco in distantiora possunt suam efficaciam exercere, in physicis agentibus liberis, ni corporeum, & quantitatiuum obsit, ita etiam in distantius operari posse, maior proculdubio perfectio, & potentiæ erit, & modi, & libertatis operandi. Paritas alia, qua intentum suum probare eodem numero Soarius contendit ad modum alium probandi vbiquitatem Dei ex eius operatione cert. 3. subiiciendum spectat: quare ibi commodiùs refelletur.

7. Accedit: quod in agentibus creatis, corporeis etiam, & imperfectis propinquitas ad operandum, qua agentia sunt, necessaria non est, sed qua limitatæ virtutis sunt, & imperfectæ: quoniam in contiguum passum tantundem quantum in se habent agentia corporea vniuoca operari nequeunt; operarentur autem si non contigua ipsi essent, sed penetrata. v. g. calidum vt octo, calorem vt octo in passum sibi penetratum induceret; producit autem septem tantum in contiguum. Et per distantiores & distantiores minus, & minus caloris: cuius ea ratio vnica est, quia virtus agentium naturalium corporeorum distantia ipsa in operatione debilitatur, & languescit; ac proinde propinquitate ad passum opus habet, vt operetur, & maiori, vt efficaciùs operetur ex limitatione prouenit virtutis; Ex qua etiam prouenit, vt in connaturali ipsis operandi modo nonnisi adiuti qualitate, vel effectu qui eorum debilitatem in propinquiori, & contigua passi parte ad posteriorem, & distantiorem non pergat agendo: quo instantiæ Soarij eo n. 12. omnino cessant. Ac denique, cùm ea omnia, quæ in his corporeis agentibus experimur in modo connaturali operandi agentium eiusmodi, quæ de facto sunt, eueniant: oportet adduci ab aduersariis rationem repugnantiæ; cur, vel extraordinaria Dei prouidentia, & supernaturali quo ad modum, operatione, agentia hæc corporea nequeant in distans, quin in propinquum operari: vel cur agentia alia diuersæ speciei, & naturæ ab his, quæ de facto habentur, non possent connaturaliter ita operari. Certè enim prædicato agentis finiti, & corporei non videtur is modus operandi apertè repugnare: quod satis (vt de spiritualibus liberis agentibus dicebam) erit, vt ratio hæc non conuincat. Maximè in infinita virtute Dei sua voluntate, tanquam tota formali potentia actiua ad agendum ad extra vtentis.

8. Tertiò denique: etsi gratis, & contra rationes datas, & Aristotelis, admittamus principium illud Aristotelicum de omni prorsus agente, ac proinde de Deo, qua agens est, intelligendum esse, tamen intentum demonstrandi vbiquitatem Dei, ex eius vbique operatione nusquam obtinet: quia deficit consequentia. Vt enim benè Noster Vazquez animaduertit, principium illud, eiusque probationes de propinquitate; & approximatione agentis ad passum, ac proinde ad effectum in eo positum est, non de intima agentis penetratione cum passo, vel effectu, quam nusquam requiri ad operandum, agentium omnium in subiectis aliis operationes, & corporum essentia, quæ penetrationi cum aliis repugnat, manifestè conuincunt. Ast vbiquitas Dei, quam ex operatione Dei in locis, ac rebus omnibus aduersarij inferre conantur, non est contiguitas, seu propinquitas substantiæ Dei cum passo, in quod operatur, & effectu; sed intima cum eis penetratio, quæ ex operatione Dei in illis, & principio Aristotelico admisso etiam pro omni eductiuo agente, nusquam infertur: ergo deficit probationis huius consequentia. Solùm enim interri ex illo principio potest, Deum ex vi operantis eductiui, ita ex loco, quo esset, operari debere, vt non nisi contiguè positus operetur, vel saltem si in distans, ita, vt aliquid virtutis in propinquum, & in totum medium diffunderet, vt ita immediatè immediatione virtutis per totum medium diffusæ passum contingeret. Si dicas in agentibus eductiuis creatis, & imperfectis iitam approximationem satis esse; in perfectissimo vero agente Deo non solum immediationem contiguam virtutis, & suppositi ad passum, sed penetratiuam requiri (præterquam quod ex eo principio non infertur hoc, quod assumitur, sed aliunde erit probandum, quod nullatenus probabitur, vt iam ostendam cert. 3.) impugnatum abundè est numeris proximis.

***

CERTAMEN III.

Neque ex adiunctis aliis fundamentis ratio præfata probat.

1. SI aduersariis præfato huic Aristotelis principio stándum sit, causa, vt ostendimus, cadent. Id quod & ipsi tacitè fatentur, cum fulcra alia huic argumento supponunt, vt eius illatio consistat. Imò Soar. n. 26. expressè fatetur ex operatione Dei eductiua, quæ de facto est, non colligi efficaciter Dei substantialem, atque intimam præsentiam in re educta, sed solùm diffundere per interiecta corpora, & spatia intermedia virtutem, qua ea educat. Posse autem demonstrari euidenter ex operatione Dei eductiua, & conseruatiua possibili se solo, atque ex operatione, qua de facto se solo creat, creatáque conseruat. Verùm, quia hanc creatiuam actionem præsentia Dei intima, neque ad subiectum, ex quo educitur, vt vidimus cert. 2. n. 1. præcedit, multóque minùs ad effectum (qui pro naturæ priori ad sui effectionem non est, sed pro posteriori) aiunt præcedere debere intimam Dei præsentiã ad spatium imaginarium, cui intimè, ac non solùm per denominationem extrinsecam locati ad locum realem verè existentem sit præsens pro naturæ posteriori effectus. Id enim, inquiunt, necessarium est ex parte principij operaturi, vt præsentiam intimam sui habeat, quæ fundamentum sit, vt accedente loco, seu spatio reali effectui suo agens ibi coexistat simul cum illo, suo modo, & debita proportione suæ perfectioni, & virtuti; quæ quidem intima Dei præsentia nihil profectò, quàm immensitas eius est. Cùm autem Deus in spatiis, & locis omnibus, quæ verè sunt, atque in iis etiam, quæ esse, atque à nobis concipi possunt, operetur de facto, ac saltem operari propria sibi atque à se inabdicabili virtute, & operatione queat (vt creatione materiæ primæ, atque spiritualium substantiarum, ac insuper generali concursu cum causis secundis) nequit non pro naturæ priori ad eiusmodi realia loca, & effectus substantiæ suæ præsentia præuenire, atque immensitate spatia imaginaria etiam omnia præoccupatiuè replere.

2. Hæc fuso calamo dedit Soar. patraphis multis, quæ quidem subtiliter excogitata sunt, ni aliqua, & præcipua ad inferendum intentum supposita in eis essent potius, quàm probata. Negatur enim facilè illud spatium imaginarium, seu possibile, quod effectus productus pro posteriori naturæ occupaturus sua intima præsentia est, cuiue sua intima præsentia respondere debet, intima agentis præsentia pro priori naturæ præoccupandum necessariò fore. Primò enim in agentibus corporeis substantialibus, quibus cum passo, & effectu suo substantiali penetratio è prædicato corporei metaphysico naturaliter repugnat, falsa ea deprehenditur propositio. Nec satis est, quod in ea addebatur: nimirùm eam præsentiam intimam respondentem spatio imaginario, cui intimè præsentandus pro naturæ posteriori effectus est, prærequiri pro naturæ priori in agente proportione debita virtutis, & perfectionis eius: quare in imperfectis creatis, & corporeis sufficere præsentiam intimam spatio imaginario contiguo ei, cui effectus pro naturæ posteriori respondebit: alt in spiritualibus, ac præcipuè Deo, agente infinities perfectiori, atque infinitæ omnino virtutis non contiguo, sed eidemmet spatio, cui intimè respondebit effectus, per præsentiam intimam prærequiri. Hoc inquam nil præstat. Supponitur enim discrimen hoc, & probandum adhuc, & impugnatum satis, ac disiectum cert. 3. vbi ostendimus coniunctionem adhuc contiguam agentis cum effectu eiusque spatio, nedum intimam cum illo, ex agentium imperfectione prouenire; quare perfectissimam Dei virturem actiuam, & potentiam ab eiusmodi conditione ad effectus edendos non pendere, quod rursus probatur. Quia perfectius est agens, eiusque potentia adæquata, & absoluta quæ paucioribus, vt in actum prodeat conditionibus eget, vt virtutes actiuas adæquatas percurrendo constabit: at quidem Dei actiua virtus, & potentia perfectissima summo, & infinito gradu est: ergo summa absolutione à conditionibus ad agendum gaudebit, acproinde à nulla pendebit. Denique operari Deum in distans, quin in propinquum, ac proinde in loco, vbi non esset, (ni aliunde esset immensus) nullatenus repugnat; sin repugnantiam aliam ostende (vt debes) vt vim tuæ rationis suadeas. Facilius autem nos ostendemus si absque præsentia ea intima ex parte actus primi Deus operari non possit immensitate Dei eius potentiam absolutam, siue omnipotentiam specialiter compleri; nec solùm, quia diuina omnia intrinseca prædicata de aliorum conceptu vicissim sint. Id quod inauditum, & singulare in Scholis erit.

3. Sed instabis ex Soario n. 23. quæ creantur, atque concursu generali causæ primæ adeò pendent per se immediatè à Deo solo pendent: ergo nullo medio interiecto inter Deum, & effectum: ergo coniunctim cum eo ab illo necessariò pendent: ac proinde Deus non potest ex vi potentiæ creatiuæ, & causæ primæ, nisi eorum spatiis intimè præsentatus operari. In primis neganda esset postrema hæc consequentia: nam inter contigua etiam, ac non penetrata nihil medium interiacet. Secundò neganda est consequentia prima de medio locali loquendo, quo solùm pacto conducit ad secundam illationem contiguitatis. De medio autem virtutis, & potentiæ (quo pacto nil ad intentum aduersariorum conducit) concedenda est consequentia: cùm enim potentia creatiua, & concursus generalis causæ primæ solius Dei, & omnipotentiæ sit, ab altera virtute, quæ Dei intima non sit, nequit tandem principaliter prouenire; imò neque instrumentaliter, vt de creatione, atque omnipotentia agentes ostendemus, ostendimusque in physicis. De concursu autem generali causæ primæ eadem dis. ostendemus inferiùs: quia eo ipso, quod concursus causæ creatæ sit primæ causæ, & vniuersalis, non est; cùm causa illa creata, & secunda sit, ac proinde, quæ in sui operatione à prima, eiusque generali concursu pendeat, iuxta communem, ac ferè certam contra Durandum sententiam.

4. Instabis rursus ex Soario n. 13. Sicut forma, vt suum effectum formalem, siue potiùs seipsam, communicet subiecto, necessariò requirit indistantiam, siue penetrationem cum illo: ita agens, vt agat eam necessariò videtur requiresi quod confirmat Vazquez ita sibi opponens cap. 5. n. 25. quia, etsi Deus immensus non esset, tamen præcisè ex vi vnionis hypostaticæ intimè esset præsens spatio, cui præsentatur humanitas. Et quidem difficile adhuc percipi videtur actionem posse esse loco, seu spatio ab agente, cuius modus est, distare tam, æquè atque esse loco ab effectu, ac passo disiitam: æquè enim agentis, atque effectus modus è conceptu suo est. Idcirco Aristoteles 7. physicor. à textu 10. ad 1. statuit causam coniunctam suo effectui esse debere. Cæterùm hæc ratio actionibus omnibus substantialis agentis corporei, & effectus instatur manifestè: in his enim actio, & agens localiter penetrata non sunt in communi opinione, quæ huiusmodi actiones in subiecto formæ eductæ collocat, non autem in agente: quod si in hoc poni velis, quid dices de impenetratione locali cum effectu, cuius æquè actio modus, atque agentis ipsius est? Textus proinde Aristotelis (siue de simultate temporaria, siue etiam de locali agentis, & effectus sit, cùm de corporeis loquatur extra rem omnino est; maximè cum de Deo oppositum, vt vidimus, tot locis censeat. Formæ, seu Deitatis vnitæ, vt se humanitati, vel subiecto communicent, paritas ad agens & actionem nulla est, cùm de conceptu vnionis speciali sit extrema ita connectere, vt alterum saltem alterum secum vbivis trahat, vt dicebamus de vnione Hypostatica, & contra Vbiquistas agentes controuers. de Incarnat. atque insuper effectus formæ, seu rei se subiecto, aut quasi subiecto media vnione communicantis intimior his est, quàm actio sit agenti, & affectui; quare ex vno ad aliud, quo ad coniunctionem localem, consequentia non tenet.

5. Obiiciunt leuius paulò veriustiores aduersarij. Impossibile est aliquid moueri, etiam à Deo, de extremo ad extremum, quin transeat per medium: ergo implicat Deum operari in distans, quin operetur per medium. In primis etsi totum admittatur, solum probatur contiguitas Dei cum suis effectibus, & medio, per quod continuò operatur. Sed vt Vazquez ait, antecedens est falsum. Nam

Christus

Christus ad Eucharistiam descendit sine transitu per medium: moueretur que propriè, si tunc in cælo esse desineret. Et de Angelis ita moueri probabile est. Tertiò, eo permisso, consequentia non tenet. Nam motus intrinsecè in ipso mobili est, ac proinde continuò in eo futura videntur; secus autem actio, & effectus in agente. Imbecillius adhuc opponitur Omnipotentiam infinitam non fore, atque adeò neque Omnipotentiam, si loco finito concluderetur, essetque alligata: ergo è suo conceptu, ac proinde Deus, qua omnipotens, debet esse vbique. Hoc argumentum probat rem singularem, & inauditam in Theologia: nempe Immensitatem esse de conceptu formali Omnipotentiæ specialiter, vt dicebamus n. 2. fine. sed nihil probat: quia infinitas potentiæ diuinæ non per ordinem ad locum, sed ad effectus, quos de se potest, intelligitur: ac proinde, licèt loco concludi absolutè nequeat, quia reipsa Immensitas, sicut alia diuina est; non tamen, quia, qua Omnipotentia formaliter est, eamue formaliter infert.

6. Reliquum est authoritatibus aduersariorum occurrere; & Aristoteles quidem illam veterum rationem non probauit, sed retulit, atque expressè reiecit, vt vidimus. Pauli locus non vrget, in ratione enim quam reddit, vt Deus à nobis longè non sit, tandem posuit expressè nos in ipso esse: quasi ratione motus, & operationis non fidendum docerer. Deinde ex infinitate potentiæ, quæ operationem quouis protendit, præsentiæ item infinitatem rectè probat, sicut de quouis alio attributo posset: cùm quoduis aliis æquale in Deo esse debeat: licèt vnum non inferatur ex alio, nec operatione præuiam Dei præsentiam in loco, vbi futurus effectus est, requirat. Sed certè vt doctè Vazquez cap. 4. n. 17. à versu *Postremo denique* Paulus ibi non de coniunctione Dei nobiscum in loco, sed in cognitione loquitur, nostram autem Dei cognitionem ex eius operatione legitimè, certéque inferri certissimum est. Tertiò vt idem Vazquez an. 14. solita sibi, acri, profunda, felicique Scripturæ, Patrum, atque vniuersim alienarum mentium indagine, eo loci Paulus (imò & oppositio etiam loco Psaltes) more humano (& fors ex eorum ad quos loquebatur sententia) operationem Dei vbique causam assignat, ob quam Deum in omni loco esse cognoscere debeamus; non autem ob quam ipse in omni loco sit. Id quod docuerant Chrysost. hom. 38. in Acta, & Theophyl. in eum locum: nempe, quasi exemplo corporali nos à Deo edoceri ex eius in nobis operatione, & virtute, qua viuimus, sumus, & quocumque ferimur nos, minimè licere Dei ignorationem; sicut ignorare non licet aerem vbique diffusum esse cùm ipso viuamus: etsi ratio, qua in loco aer ponitur eius quantitas sit, non operatio ea positione in loco posterior. Sic etiam Hierem. 23. iuxta vulgatam, & 70. cùm dixisset se non è vicino solùm, sed & à longè videre, ac proinde virum, quantumuis in abditis occultetur à se videndum: vt ex humano iudicandi more homines neminem à se occultandum suadeat, subdit. *Nunquid non cælum, & terram ego impleo?* cùm tamen non inde habeat quod cognoscat vbique: sed quia id visioni corporeæ nostræ euenire videmus, vt propè posita nusquam lateant, Sed, vt dixi, eis omnibus locis de Dei intuitione, & conspectu sub spiritus, & faciei etiam vocibus omnium vbique sermo solummodò est. Quod probat nostro captui accommodatius, vt dicebam, ex præsentia Dei vbique: quod autem dicat Psaltes: *illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Solùm significat eo etiam scientiam Dei, quam dexteram vocat, & manum rationalis, & prouidæ operationis, seu prouidentiam extendi, Idem tandem est Anselmi, & Patrum sensus.

***

DISPVTATIO V.

De Attributis negatiuis nomine, in ordine ad creatam cognitionem.

IMMORTALITATIS Attributum, licèt nomine etiam negatiuum sit, neque connotet creatam cognitionem: quare, & ad præcedentem disputationem videretur spectare; quia tamen idem prorsus, quod Dei æternitas est, quæ quidem in Attributis negatiuis nomine non numeratur, in disputationem sequentem meritò remittitur. In hac igitur disputatione quinta de incognoscibilitatis diuinæ Attributo agetur. Et Primò de incognoscibilitate Dei oculis corporeis, siue inuisibilitate absoluta. Secundò de Dei inuisibilitate oculis mentis creatæ, non absolutè quidem, sed viribus naturæ. Tertiò de inuisibilitate à mente creata absolutè, siue supernaturaliter adiuta, an Deo conueniat? Quartò de Dei incomprehensibilitate propria. Scio Theologos communiter quæstiones hasce in tractatu de visione Dei disputare, vel eorum occasione totum hic de Dei visione tractatum annectere. Cùm autem visio actus noster sit, non Dei, nisi, vt obiecti, atque insuper sit supernaturalis noster actus, & beatificus, vel formaliter, vel præsuppositiuè, ac proinde plura principia de ente supernaturali in genere accuratè examinanda, & statuenda supponat, & importunè hoc tomo de Deo vno, eiusque actibus, & Attributis inserta, & non recta methodo, nondum statutis entis supernaturalis principiis tractari visa nobis semper fuit: quare t. 4. nostrarum Theologicarum Controuersiarum tractandam reseruauimus, vbi de actibus supernaturalibus omnibus & singulis agemus. Quoniam verò incapacitas obiectiua Dei (aliquibus, vel aliquo saltem horum modo) vt videatur Attributum Dei citra dubium, imò ex Fide est (1. ad Colosss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et 1. ad Timoth. 1. n. 17. *Regi sæculorum immortali inuisibili.* cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* quæ ferè habentur 1. Ioann. 1. ad Hebr. 11. *Inuisibilem tanquam videns sustinuit*) cùm de omnibus Dei Attributis agimus non potuit omitti, neque ad locum proprium controuersiæ de visione reseruari. Maximè, cùm neque ex principiis de ente supernaturali in vniuersum, neque ex specialibus de Dei visione maiore sui parte pendeat.

QVÆSTIO I.

Sitne Deus oculis corporeis visibilis absolutè, an inuisibilis?

LICET quæstionis præsentis difficultas explicatione non egeat, maiori tamen, quàm vulgò adhibeatur, indiget examine.

CERTAMEN I.

Varia hac super re placita.

1. DEum oculis corporeis videri posse absolutè, ac sine limitatione vlla docuerunt Idololatræ, vt videre est apud Cyprianum de Idolorum vanit. Necmirum: cùm Deos suos corporeos crederent. Vnde, & de Christianis hæreticis, qui Deum corporeum æstimabant, ideoque Anthropomorphitæ dicebantur, corporeis oculis visibilem censebant, teste Epiphan. hæresi 60. Similiter Maximinus Arrianus

Arrianus cum pluribus Arrij discipulis, Dei Filium Deum negantes, visibilem etiam corporeis oculis effutiebant, sicque de facto à Patribus veteris testamenti visum teste Augustin. 3. contra Maximin. cap. 26. & 2. de Trinit. c. 8. & epistolis 111. 164. 178. Athanas. d. cum Arrio in Concil. Nicæno. Gregor. Nazian. tract. de Fide circa finem, quem Nysseni potius esse suspicatur Valent. 1.p. q.12. p.1. eum verò errorem tenuere ante Arrianos, hæretici alij refutati ab Irenæo lib. 4. c. 37. & Novatus lib. de Trinit. qui falsò adscribitur Tertuliano; & hi quidem Arriani Idololatris, & Anthropomorphitis irrationabilius, & inconsequentius aberrarunt. Licèt enim Dei Filium, seu Verbum creaturam esse effutierint, tamen reliquis creatis longè præstantiorem esse asserebant: ac proinde spiritualem substantiam Angelis perfectiorem Dei Filium fatebantur: substantiam verò spiritualem corporeis oculis videri posse longè difficilius est, quàm corpoream eiusmodi oculis posse videri.

2. Ex his verò, qui Deum tresque diuinas Personas verum Deum, spiritualem, & incorporeum profitentur, nemo, etiam in aliis hæreticus, Deum oculis corporeis visibilem absolutè docuisse inuenitur: imò id à Catholicis asseri calumniatus fuit Celsus apud Origenem 7. contra Celsum. Verùm S. Augustin. 22. de Ciuit. cap. 29. dogmatica, & Catholica Dei spiritualitate asserta (qua erat quæstionibus eruendis subtilitate) in dubium, ac disputationem vocasse videtur, an Deus corporeis Beatorum oculis per spirituale aliquid modificatis, videri possit? imò an de facto videatur, quin in affirmatiuam partem valde propendet his verbis. *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum: non vt acutiùs videant, quàm perhibentur videre serpentes, vel Aquilæ (quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre, quam corpora) sed, vt videant spiritualia*; solùm autem loquitur Augustinus inquirendo, non statuendo. Et quidem certissimum legenti integrum caput erit, iam pro hac, iam pro illa disputando. Nec tamen quidquam è sententia propria definire & sanè epist. 111. eadem iudicij sui ea de re suspensione vsus Augustinus fuit, vbi Fortunatum precatur, vt infensum sibi Episcopum reconciliet: quod apud ipsius Augustini scripta legeret, Deum oculis corporeis nec visum, nec videndum vsquam esse: quod scriptum à se ait, ne errori Anthropomorphitarum videretur consentire. Et vero errore semoto, dubium adhuc semanere, an oculo corporeo videri spiritualis Deus possit? Hæc ipsius verba testantur. *Si autem ipse frater, quod de spirituali corpore adhuc requiro, iam sibi firmat esse certissimum, nisi placidus audiero docentem, ita vt ille quoque placidus me audiat inquirentem, habebit vnde iure succenseat.* Ex quibus constat Augustinum, licèt aliis locis sæpè vitandæ suspicionis de errore illo gratia, Deum oculis corporis videndum expressè negarit: tamen absolutè dubium semper in ea quæstione mansisse; quare inutiliter contra hoc nostri Vazquez de Augustini mente iudicium, huius testimonia à plerisque coaceruantur.

3. Nihilominus noster Hieremias Drexelius pius satis, atque eruditus vir, to. 1. lib. 2. de Cælo cap. 15. §. 4. vt affirmatiuæ sententiæ non subscribat, in eam tamen inclinat, de sensibus etiam visuis, qui de facto sunt, eleuatis à Deo; de quibus Doctores reliqui negatiuam, non leuibus in oppositam affirmantem censuris, sequuntur. De aliis verò possibilibus absolutè oculis, & potentiis sensitiuis posse, diuinitùs saltem clarè, & in se cognosci Deum censent Patres Valentia citatus p. 8. fine, Arriaga d. 5. de anima, n. 29. & 1.p. in hac q. Ripalda manuscripto de vis. d. 2. q. 4, Quiros tom. 1. tract. 3. disp. 21. sect. 5. sæpéque à nobis citati Murciani Recentiores. Reliqui tamen Doctores, Deum nulla visiua, materialisque potentia cognoscitiua clarè videri, in seve percipi posse constanter (adhuc diuinitùs) affirmant: quorum plerosque quæstionis decursu memorabimus. Licèt inter eos lis adhuc sit, an negatiua sententia sit ratione naturali demonstrabilis: qua de re nihil ego, qui de veritatum Theologicarum probationibus, harumque qualitatibus quæstiones pertæsus semper fui. Si enim eis locus in Theologia, aut Philosophia daretur, earum pauculis disputandis tempus nos, & papyrus deficerent.

CERTAMEN II.

Tam Physicè, quam Metaphysicè, Deum corporeis oculis videri, repugnat.

1. PRæfixa conclusio plures continet, pro quibus diuersa fundamenta sunt: licèt vltimæ in titulo contentæ probatio omnes simul probet. Prima conclusio. Deus naturaliter oculis corporeis, qui sunt, clarè videri non potest. Est conclusio dogmatica, & Fidei proxima, vt ex dicendis pro conclusione secunda constabit. Neque in ea errare ausi sunt illi adhuc Hæretici, qui Deum non corporeum asseruerunt. Conuincitur etiam ratione, adhuc contra Hæreticos, qui corporeum Deum putabant. Etenim ex coniunctione obiecti ad potentiam, atque experta in omnibus carentia perceptionis illius obiecti per illam, potentiæ incapacitas, naturalis saltem, tam physicè, quam metaphysicè demonstratur: atqui Deus nobis ac potentiæ visiuæ nostræ proximus adest, cuiuscumque substantiæ sit, (ni immensus etiam errore alio negetur) atque omnes carentiam visionis eius experimur: ergo saltem naturalis incapacitas, & impotentia videndi Deum est in oculis corporeis nostris. Maior est euidens, inde enim demonstratur incapacitas, & impotentia olfactus, auditus, & tactus percipiendi colorem, & visus percipiendi sonum, & saporem: quod autem anima sibi præsens adsit, nec tamen se clarè intellectu percipiat pro hoc statu, non arguit eius impotentiam, & incapacitatem intrinsecam naturalem, quia id prouenit ex dependentia à sensibus, quam pro statu hoc immersionis, & coniunctionis cum corpore habet.

2. Secunda Conclusio. Oculi corporei, qui de facto sunt, nequeunt, adhuc diuinitùs, Deum clarè videre, vllove supernaturali dono ad visionem claram Dei eleuari. Hæc conclusio ita vera est, ac certa, vt eius contradictorium, vt minimùm, temerarium sit: est siquidem contra omnes Patres, & Doctores absque vllo fundamento firmo. Etenim Augustinus de oppositò solummodò dubitauit, ac disputatiuè egit loco illo de Ciuitate Dei cap. 29. post medium, contra prisc orum Philosophorum rationem, quod corporea nonnisi per corpus, & spiritualia nonnisi per spiritum percipi queant: quæ ratio satis euertitur, si in aliquo sensu possibili potentia, & capacitas videndi Deum admittatur, atque epist. citat. 111. cum Patribus, quos ibi refert, negat oculis corporis potentiam videndi Deum, quam menti concedit: menti autem eam Catholicè, solùm diuinitùs, supernaturaliter, & per eleuationem concedit: Ergo eo modo oculis negat: quod discrimen etiam ponit, t. 2. epist. 6. ad Italic. & epist. 112. & 1. de Trinit. cap. 6. lib. 2. cap. 8. lib. 8. & de Genesi ad lit. cap. 27. ita ponderauit. Quiros sect. 1. num. 3. frigidè tamen: Nam de oculis nostris Beatis ipse loquitur, etiam vt spiritualibus Dei dono, dubius tandem Augustinus videtur. Nec refert Patres plures relatos à Vasq. d. 178. & à Soar. 1. de Angel. cap. 5. putasse Angelos corporeos esse, & tamen non dubitasse, quod in Euangelio expressum est, Nempe Deum videre. Neque enim ita corporeos Angelos censebant, vt rationales, atque nobilioribus, quam hominum, animis constantes, quibus intellectualiter Deum intuerentur, negarent: quod non satis animaduertit Quiros sect. 5. n. 30. Nequit ergo nostræ huic contradicens conclusio à temeritate excusari. Ratio enim dubitandi, cui tandem non concessit Augustinus oppositam constanter toties ex propria sententia dicens, sententiæ eius authoritatem minimè conciliat. Maximè cùm epist. illa 6. pendens id, *Similes ei erimus* 1. Ioan. 3. *Inde igitur videbimus*, dicat, *Vnde similes ei erimus, quis autem dementissimus dixerit corpore nos, vel esse vel futuros similes Dei?*

3. An vero Conclusio nostra de Fide sit, vt censent Valentia, & Arrubal, fideive proxima, vt putant Vasq. & Soar. ac proinde opposita Hæresis, vel errori proxima & erronea sit censenda? viderint alij ex locis præfat. disputationis, quibus Deus absolutè inuisibilis dicitur sine limitatione vlla: quod cùm de oculis mentis absolutè dici

dici nequeat, nisi cum addito supernaturaliter, de oculis solum corporis absolutè venit intelligendum. Secundò verba Pauli 1. ad Timoth. 1. *Immortali, & inuisibili.* magni ad hanc conclusionem momenti sunt. Cùm enim æquè inuisibilis, atque immortalis asseratur ibi Deus: at Deum mori, seu mortalem adhuc diuinitùs, & potentia absolutâ esse ob ibi assertam eius immortalitatem repugnat: ergo & esse visibilem adhuc diuinitùs, oculis corporeis ex inuisibilitate inibi asserta repugnabit. Succedit concors Patrum in hanc conclusionem conspiratio Augustini locis citatis. n. 2. Athan. Ambros. Hieron. Naz. citati ab eodem Augustino epist. illa 111. quos, & Origenem, Ambros. & alios recitat Salas 1. 2. t. 2. d. 5. sect. 1. imò S. August. epist. proximè citata ita tandem rem, quasi dubius, relinquit, vt tamen contra Episcopum illum aliter sentientem, cui placidum pollicetur auditum, multa à se proponenda pro sua hac, & nostra conclusione testetur: conueniunt in eadem conclusione Scholastici omnes ad vnum S. Thom. 1. p. q. 12. art. 3. vbi Caiet. Bannez, Molina, Valentia citatus. Vazq. d. 40. cap. 2. Soar. 2. de Attribut. cap. 6. Arrubal tract. 1. t. 1. d.... c.... Herize d. 43. Granad. tract. 4. d. 1. Quiros supra sect. 2. Ripalda, & Recentiores Murciani supra in suis manuscriptis de visione.

4. A ratione verò plura argumenta suppetunt à posteriori, & absurdis. Primò enim, si potentiam visiuam extra obiecta, ad quæ extendi perpetuis experimentis didicimus, diuinitùs diuagari posse admittamus: non erit vnde auditum colorem clarè percipere, & olfactum percipere sonum, aut saporem diuinitùs posse negemus. Secundò: neque erit ratio vlla, ob quam reliqui sensus à visu Deum clarè percipere supernaturaliter nequeant. Ac proinde Deus propriè, & in se audiri, olfieri, palpari, gustarique diuinitùs poterit, quæ in nullius mentem, imò neque in amentiam hactenus venere. Si autem, vt hæc vitentur absurda, obiectorum sensus cuiusque sphæra iuxta ea, quæ ab vnoquoque eorum percipi hactenus experti sumus, statuenda, definiendáque à fanis Philosophis, & Theologis est: Cùm huc vsque nihil aliud, quàm colorem, & lucem percipi à potentia visiua, quæ de facto est, experti fuerimus, nihil vltrà ab ea percipi, etiam diuinitùs posse fatendum necessariò est: ac proinde nec Deum, qui nec lux est, neque color, diuinitùs ab ea percipi posse: secundum absurdum: quia, si visus hominis diuinitùs, & eleuatione per donum aliquod supernaturale, siue trasiens, siue permanens eleuari posse ad Deum clarè videndum admittatur; poterit etiam brutorum visus, qui non magis coarctatum, quàm ille, obiectum habet, imò circa illud idem acrior est, & viuidius, acutiúsque versatur, eleuari diuinitùs ad Deum clarè videndum: vti ex rationibus, & modis omnibus, qui ab aduersariis excogitari sunt ad visus nostri eleuationem, imò, qui excogitari possunt facilè patebit.

5. Ratio vero à priori, quæ ex eadem experientia sphæræ obiecti visus nostri desumitur, variè à Doctoribus proponitur, variéque à pluribus impugnatur. Quomodocumque enim efformetur in hanc recidit tandem: vt potentia cognoscitiua circa aliquod obiectum versari diuinitus, & per eleuationem supernaturalem queat, circa quod naturaliter versari nequit, opus est, vt virtutem intrinsecam, & saltem partialem, seu inchoatam habeat ad versandum circa illud. Hoc principium physicè, & metaphysicè euidens est. Nam cùm cognoscere obiectum non sit vtcumque cognitionem eius producere (siue ea in actione, siue in qualitate consistat) cùm Deus, habitus, & species nostram cognitionem producant, & tamen non ea cognoscant: sed requiritur, vt ea productione cognitionis viuat actu cognoscens: cognitio enim vita actualis est cognoscentis. Cùm autem ex alia parte vita actualis viuentis essentialiter sit motus, seu actio viuentis, qua hoc se perficit, ac mouet: necessum est, vt in viuente cognoscente intrinseca sit virtus actiua ad id, quo actu viuit, perficit, ac mouet sese: ac proinde ad cognitionem circa obiectum, quod possit, siue naturaliter, siue supernaturaliter versari; quin tota adæquata virtus ad versandum circa obiectum aliquod indi à Deo viuenti possit. Ex quo principio euidenti, vt dixi, tam physicè, quam metaphysicè t. 5. nostrarum Controuers. qui est secundus de ente supernaturali contra Recentes Thomistas euicimus habitus supernaturales totam rationem, & virtutem agendi actus supernaturales esse non posse. Contra quos ibi notabamus in oppositio principio repugnantiam, quam nobiscum afferunt in præsenti, vt Deus oculis corporeis nostris videatur, stare non posse: quare apertè hosce vtrobique à consequentia debita, sicut in aliis suis doctrinis deficere. Secundò: idem principium probatur ab absurdo manifesto: quia alias, si tota actiua virtus ad viuendum actu, seu vitaliter operandum, & cognoscendum obiectum indi à Deo possit, lapis, aut lignum vitaliter operari, & cognoscere posset: quod est non viuentia, supernaturaliter viuentia esse posse: quidni brutum supernaturaliter homo esse queat?

6. Eo autem principio omnino euidenti pro maiori posito, hæc subsumitur minor. Atqui in visu nostro nulla est intrinseca adhuc inchoata virtus, seu partialis ad versandum circa Deum: ergo nec diuinitùs eleuari potest, ad versandum circa Deum, seu ad eum videndum. Consequentia est euidens. Tota difficultas est in adstruenda minori, atque à variis obiectionibus, & instantiis Doctorum vindicanda. Ea vero minor ab omnibus ratione aliter, vel aliter efformata, sic tandem probatur. Nulla potentia cognoscitiua habet intrinsecam virtutem, adhuc partialem, seu inchoatam, ad versandum circa obiectum, quod extra sui obiecti sphæram positum est: ergo in nostro visu ne partialis quidem, seu inchoata virtus intrinseca est ad versandum circa Deum, siue ad eum videndum. Maior est per se, & ex terminis nota: quare tam physicè, quàm metaphysicè euidens. Minor non est per se nota, imò neque ita euidens apparet (vt ex dicendis cert. 3. constabit) quin à pluribus solùm probabilis in omni ordine, tam physico, quàm metaphysico iudicatur. Mihi verò, vt minimùm physicè euidens semper fuit. Physica enim principia ex his, quæ sub physicam, & constantem nostram, & inconcussam experientiam cadunt, euidentia in eo ordine euadunt. Sub talem vero experientiam venit visum nostrum, nonnisi ad colorem, & lucem, tanquam ad obiecta extendi, extra quæ remotissimè Deus est: ergo Deus extra sphæram obiectiuam nostri visus positus euidenter physicè est, vt in illa minori assumebatur. Huc, vt dixi, recidunt argumenta omnia, quæ aliis verbis extendunt Recentiores, de impotentia cuiusuis potentiæ ad viuendum alio vitæ genere, quàm sibi connaturali virtute innato, & intrinseco dicere volunt actiua, & passiua (quam vocant capacitatem) vt videre est in nostro Quiros sect. 2. An vero repugnantia hæc physica visus nostri ad Deum clarè videndum, metaphysicam etiam repugnantiam, tam pro eo, quàm pro omni materiali visu, & sensu possibili inducat, videbimus cert. sequenti.

CERTAMEN III.

Implicat, etiam metaphysicè, visum, siue sensum aliquem è possibilibus eleuari ad Deum videndum.

1. COnclusio est omnium Theologorum, si illos excipias memoratos cert. 1. n. 3. & ne hi quidem, possibile positiuè asserunt sensu aliquo, etiam è possibilibus, Deum in se, & clarè percipi posse, sed solùm de repugnantia, aut non repugnantia non constare, vt videre est in Valentia citat. p. 8. & aliis citatis. Sed hic tamen repugnantia ostendenda à nobis est sensus materialis cum potentia innata percipiendi in se, & clarè Deum. Hanc assignant nonnulli: quia sensus quiuis essentiâ suâ materialis, & diuisibilis potentia est, eiusque actus diuisibilis, & materialis necessariò erit: ergo nequit attingere obiectum spirituale, & iudiuisibile, cuiusmodi est Deus. Sed hanc rationem in Philosophis antiquis parui viderur fecisse Augustinus citato loco, de Ciuit. Dei: imò impugnasse ex eo, quod materialia à potentiis spiritualibus percipiuntur: quare mirum non

esse, si spiritualia à corporeis percipi queant. Illud de diuisibilitate, & indiuisibilitate eodem modo confutatur: quia indiuisibili potentia, & actu spiritualibus corporea obiecta, & diuisibilia percipiuntur. Quidni à potentia diuisibili corporea? præter quam quod animam, & potentiam sensibilem diuisibilem essentia sua esse falsum est: cùm animas imperfectorum brutorum indiuisibiles esse longè probabilius sit.

2. Dices cognitionem corpoream obiecti indiuisibilis fore necessariò in duplici loco naturaliter, quod implicat; quia totius obiecti perceptio erit in omnibus organi partibus, & singulis. Sed respondetur facilè, negando cognitionem illam indiuisibilis obiecti esse incontinuam, & indiuisibilem in se, ac proinde non esse totam in singulis partibus organi, sed in omnibus simul: sicut de speciebus impressis corporeis, quæ de facto sunt, philosophamur. Sed adhuc pro impotentia sensus, & cognitionis materialis ad percipiendum obiectum spirituale dices, quia experimur res, quo magis extensionis inexpertes, & corporeitatis, minus esse sensibus corporeis perceptibiles: quare implicat id, quod omnino fugit extensionem, & materialitatem aliquo modo esse sensu materiali perceptibile: atqui spiritualia omnia, ac præcipuè Deus, omnino fugiunt materialitatem, & extensionem: ergo sensu nullo materiali percipi poterunt. Sed responderi potest experientiam hanc de sensibus, qui de facto sunt esse, ac proinde non necessariò de omni sensu possibili, idem euinci. Secundò: adhuc de sensibus, qui de facto sunt, non probari eiusmodi experientia, quod indiuisibilia corporea, quæ omnem etiam extensionem fugiunt, clarè percipere diuinitùs non possint.

3. Secunda repugnantia ex proportione necessaria inter potentiam, & obiectum desumitur: nulla enim inter potentiam materialem, & obiectum spirituale, maxime nobilissimum, & spiritualissimum, vti Deus est, inuenitur. Cæterum proportio inter potentiam cognoscitiuam, eiusque obiectum requisita entitate, siue perfectione entitatiua non est, vt patet in potentia creata intellectiua, quæ Deum increatum ens nobilissimum, atque infinitum potest clarè videre. Quo alteri repugnantiæ ex improportione cognitionis materialis ad obiectum spirituale, ac Deum præcipuè occurritur; tertia repugnantia nostri Herize. n. 31. sumitur ex eo, quod potentiæ cognoscitiuæ, quo perfectiores eo extensiorem sphæram obiecti necessariò, & essentialiter habent, ac proinde intellectus, qui perfectior omni sensu etiam possibili est, debet habere sphæram obiecti extensiorem: quam non haberet, si Deus sensu aliquo possibili percipi posset, Nam eodem creata omnia, vtpote imperfectiora, percipi valerent. Sed primò: vt potentia cognoscitiua nobilior sit, sat est si perfectioribus actibus, quam ignobilior omnino idem obiectum possit percipere. Secundò: ex eo, quod potentia nobilius obiectum percipere queat, non statim infertur posse attingere reliqua minus perfecta, vt patet in visu, qui colorem, & lucem potest percipere, non autem ignobiliora his plura.

4. Licèt autem subtiliter excogitata hæc sint, vt præfatæ repugnantiæ emolliantur, censeo adhuc repugnantiam metaphysicam, etiam esse in eo, quod sensus vllus materialis possibilis sit, qui Deum, imò neque spirituale aliquid percipere queat. Cui ostendendo præmitto, principia metaphysica plura experientiis certis, & constantibus à nobis comparari, quæ non ex physicis motibus sensibilibus externis præcisis habentur, ex quibus copia physica comparantur. Experientiæ vero, quæ de cognitionibus, siue materialibus, siue immaterialibus capiuntur, è motibus sensibilibus præcisis non capiuntur; cùm, ne corporeæ quidem cognitiones sensibiles externè sint. Quare, quæ ex eiusmodi experientiis euidentia principia sunt, late solùm physica principia dicuntur, proptiéque sunt animastica. Secundò animaduerto: ex principiis siue physicis, siue animasticis per similes experientias habitis metaphysica alia principia deduci, vniuersaliora quidem, ac proinde à materia, & singularibus abstractiora, ac ideo propriè metaphysica: quæ quidem rationi naturali metaphysicæ stando, ita debent esse veneranda: vt, ni fide, quæ licèt obscurior nobis, certior tamen omni naturali euidentia metaphysica est, omnino firma, rata, atque indefectibilia debeant à Philosophis, & Theologis haberi.

5. Hinc prima repugnantia etiam clarè percipiendi Deum sensu quouis materiali possibili sit ex principio illo metaphysico ex sensibus, qui de facto sunt in eis deprehensa petitum: quod spirituale nequit à potentia corporea percipi. Quod non neglexit Augustinus, licèt rationem dubitandi pro sua subtilitate mouerit: cùm tandem rationi dubitandi nunquam acquieuerit, sed potius eam neglexerit, oppositam semper ei conclusionem constanter vbique tenens: imo in ea ratione dubitandi solam improportionem entitatiuam obiecti, & potentiæ attendit; non autem potentiæ, & obiecti, ex qua à nobis, & Scholasticis hactenus repugnantia petita est. Sic ergo ratio repugnantiæ huius prima instituitur. Potentia, siue sensus materialis, qua talis, improportionata est in genere potentiæ, cùm obiecto spirituali quouis, maximè cum Deo: atqui nulla potentia ita improportionata cum aliquo obiecto potest adhuc diuinitus circa illud versari: ergo neque vllus materialis sensus, aut visus potest circa spiritualia, ac Deum præcipuè versari. Maior probatur: quia nullo sensu corporeo animus rationalis, aut eius habitus, & actus naturales, ipsis satis coniuncti, percipiuntur naturaliter: & tamen obiecta prorsus naturalia sunt, ad quorumque perceptionem principium supernaturale non requiritur; atqui obiecta naturalia, & quæ principium supernaturale ad sui perceptionem non requirunt satis approximata potentiæ cognoscitiuæ, nequeunt non ab ea naturaliter percipi, nisi ob improportionem potentiæ cum illis tanquam obiectis: ergo potentiæ materiales, qua tales sunt improportionatæ cum spiritualibus, ac proinde cum Deo, improportione non solùm entitatiua, sed potentiæ & obiecti.

6. Dices primò improportionem illam potentiæ, & obiecti, seu obiectiuam non competere sensibus, qui de facto sunt, ratione sensus corporei, vt sic, sed qua tales sensus sunt in suis speciebus constituti. Sed contra primò: quia, si ex speciali ratione talis sensus competeret ea improportio visui, non competeret olfactui, qui diuersam, imò aduersam rationem specificam habet (& idem est de reliquis) ergo cùm omnibus ea improportio competat, ratione communi omnibus corporeitatis, seu materialitatis competit. Dices secundò, ratione prædicati communis nō vniuersalioris corporeitatis, sed inferioris, & strictioris, in quo sub prædicato corporei sensus nostri cum possibilibus conueniunt. In primis solutio est contra Patres citatos cert. 2. n. 3. (maximè contra Augustinum epist. illa III. qui, ne Deum corporeum putare crederetur, sensu corporeo videri posse negabat) qui ex prædicato corporei non posse Deum sensibus nostris percipi aiunt. Secundò, si sensus possibiles sunt visus & eiusdem rationis cum nostris erunt: si autem sensus communis pro omnibus obiectis nostrorum omnium percipiendis cogitetur, sat à nostris distinguetur, neque cogitabitur, quin in eo sit aliquid speciale, ob quod spiritualibus obrectis improportionatus esset, nisi sit prædicatum corporei, ob quod sensus internus, qui ad omnia sensuum obiecta extenditur, improportionatur. Dices neque ab intellectu spiritualia percipi pro hoc statu, vt patet, etsi ipsi propè adsint, neque tamen inde argui horum cum illo obiectiuam improportionem: verùm huius ratio est, dependentia intellectus pro hoc statu à sensibus, & phantasmatibus in cognoscendo, quam sensus non habent.

7. Secunda repugnantia sit ex principio eidem experientiæ innitenti, & alio principio metaphysico, nempe nullam potentiam extra sphæram sui obiecti diuagari, adhuc diuinitùs, ad aliud posse. Constat autem sensus materiales. v. g. visum extra colorem, & lucem nihil aliud obiecti habere: nihil autem spirituale, nedum Deus, color, & lux, aut sensibile aliquid est. Cogitare verò potentiam sensibilem, quæ extra sensibilia vagetur extra principia omnia, imò contra omnia principia metaphysica est: ac proinde metaphysicè repugnat. Quare, vt benè Soar. & Herize inutilis, & chimærica est eiusmodi cogitatio. Tertia repugnantia est: quia nulla potentia versari vllo modo circa obiectum potest, seu potentiam inchoatam, & partialem ad versandum circa illud clarè, & in se percipiendum habere, in quod aliquo modo (licèt imperfecto

perfecto) naturaliter non versetur, vt patet in potentiis omnibus, quæ nouimus, ex quibus principium hoc metaphysicum desumitur. Et probatur à contrario: quia ipsis aduersariis consentientibus (vt videre est in Quiros sect. 4.) ideo in intellectu potentia inchoata, & partialis ad videndum clarè Deum admittitur, quia aliquo modo (licèt imperfecto) versari circa Deum potest. Ideoque Deus intra sphæram obiecti intellectus esse conuincitur.

CERTAMEN IV.

Vrgentiores repugnantiæ huius probationes.

1. ET hæc quidem satis euincunt ex principiis metaphysicis, quæ habemus, præfatam repugnantiam euinci, potentiæ autem oppositæ possibilitatem non solùm ex illis non probari, sed neque ex illis probabilem esse posse. Sed vrgentiora proferamus repugnantiæ huius argumenta ex purè metaphysicis naturalibus principiis aduris interdum ex principiis certioribus fidei, quibus Christiana Theologica Metaphysica vti debet. Quarta repugnantiæ huius ratio sit. Implicat potentiam sensitiuam esse intellectum; atqui, si tendere posset, adhuc diuinitus, in Deum clarè percipiendum, potentia illa esset intellectus: ergo implicat potentia sensitiua, quæ in Deum in se, & clarè percipiendum tendere possit. Distinguit maiorem Quiros: esse intellectum obiectiuè, & extrinsecè, id est extendi ad omnia obiecta intellectus; nego; subiectiuè & intrinsecè; concedo: & oppositio modo concessa, & negata minori labascit consequentia. Sed contrà est, quia per ipsum sect. 2. n. 12. & per indubitatam Metaphysicam potentiæ vitales cognoscitiuæ diuersificantur, atque specificantur per obiecta; non quidem tanquam per intrinseca constituentia potentias physicè, vel metaphysicè, sed tanquam per essentialia connotata; & argumenta infallibilia identitatis potentiæ, si eadem omnino obiecta habeat, & diuersitatis si diuersa; ergo, si eadem omnino obiecta illius potentiæ, & intellectus sint, potentia illa sensitiua intellectus non solùm extrinsecè, & obiectiuè, sed intrinsecè, & subiectiuè, seu in ratione potentiæ erit.

2. Quod autem idem omnino obiectum potentiæ illius, & intellectus foret, ac sub eadem omnino ratione probatur, ac simul duplex, quæ esse posset, eius solutio præoccupatur. Deus enim sub nulla alia ratione cognoscibilis ex parte obiecti, & sui est, nisi sub ratione entis, & veri: ergo sub ea ratione ab illa potentia sensitiua cognosceretur. Vnde fit ea omnia, quæ entia, veráque sint, sub ea etiam ratione potentiæ illius sensitiuæ obiecta esse: ac proinde idem omnino, & sub eadem prorsus ratione potentiæ illius, & intellectus obiectum esse, vt erat ostendendum. Nec refert: non esse eandem potentiam: quia illa esset corporea, intellectus autem spiritualis. Id enim est implicatio, quam deducimus: nempe potentiam, quæ ex identitate adæquata obiecti, & rationis, sub qua tendendi nobilissimæ, & spiritualis potentiæ eadem cum ipsa, ac proinde æquè nobilis, & spiritualis conuincitur, corpoream, & spiritualem ab aduersariis implicatoriè affirmari. Inde verò infertur fore eiusmodi potentiam discursiuam, atque appetitum ei respondentem liberum, etiam circa honestum, quod eo sensu proponi absque dubio posset: vnde bene, & malè agere moraliter, præmiúmque vitæ æternæ promereri: vnde & eius immortalitas æquè, atque animi rationalis infertur: quæ omnia, licèt Arriaga citatus deuoret, adeo sunt absurda, vt deuorare sana mens, non nauseet solùm, sed exhorreat. Nec video quo pacto neget sensus illius spiritualitatem, merito eius, & immortalitate admissis; nisi, vt duo contradictoria, quæ virtute admittit, expressè non fateatur. Modestiùs illationem negauit Quiros, dicens, sensum illum spiritualis, ac Deum solum apprehensiuè posse pertingere, non autem iudicatiuè, & discursiuè: qui actus perfectioris rationalis nostri animi sunt, ad quos proinde ab imperfectiori illo elicien-dos consequentia non sit. Cæterum cùm ea sub ratione veri perciperet, vis circa illa iudicatiua negari eiusmodi sensui non potest, vt constat ex dictis controuersiis nostris de anima: discursus verò actus imperfectior est iudicio per se terminorum noto, & euidenti, vti in Deo, & Angelis patet. Denique visionem Dei rationalioris vitæ perfectiorem esse actum, quam Fides, & quæuis alia abstractiua cognitio, vt certum statuit Quiros certamine 2. n. 19.

3. Quinta repugnantiæ huius ratio sit. Quia Dei clara visio est propria, & spiritualis suprema felicitas rationalis creaturæ, & potentiæ: ergo implicat creaturæ, & potentiæ non rationali, & spirituali conuenire: atqui sensus ille possibilis, & viuens, quod illo viueret, nec rationalis, nec spirituale per nos esset: ergo implicat ei claram Dei visionem conuenire. Nec valet non posse conuenire eis, vt passionem connaturalem, neque in gradu, & perfectione magna, vel summa: quemadmodum, neque calor, qui igni in summo connaturalis est, alteri corpori potest competere. Siquidem Dei visio, nec connaturalis creaturæ rationali est, sed tam in se, quàm in radice ipsi supernaturalis, & gratuita: neque ipsi adhuc supernaturaliter in summo competit, sed pluribus creaturis rationalibus in remissiore, & remissiore gradu. Nec magis præstat visionem illam sensus circa Deum non esse iudicium, ac proinde neque rationalis creaturæ fælicitatem, quæ non in simplici, sed iudicatiua Dei visione consistit. Contrà enim faciunt primò, quæ nuper dicebamus. Secundò: quia bruta suam habent proportionatam fælicitatem in perceptione sensibilium, atque inde orta necessariò fruitione, quin de eis obiectis, quæ percipiunt, iudicium ferant, vt communis Philosophorum opinio fert: ergo, etsi viuens illud, asserto illo sensu possibili Deum clarè in se percipiens, ac videns, nihil de eo iudicaret, sola eius simplici clara perceptione, & fruitione inde suborta supremam rationalis creaturæ fælicitatem haberet.

4. Confirmemus has rationes discursu aduersarij Quiros pro impotentia sensuum, qui de facto sunt, ad Deum clarè percipiendum efformato sect. 2. à n. 17. Visio enim, & clara Dei perceptio est in linea vitæ intellectualis, & rationalis: ergo implicat conuenire viuenti non rationali, & intellectuali, sed purè sensibili. Consequentia est legitima: quia non minus implicat viuens purè sensitiuum exercere actus alterius lineæ, scilicet intellectualis, seu rationalis, quàm viuens insensibile, aut inanimatum ens exercere actus viuentis, sensibilis, aut animati. Maior est aduersariorum citato n. 19. Tum sic. Sensus autem ille possibilis, ac viuens per illum sensibiliter viuens sunt in linea viuentis, & potentiæ purè sensitiua, per hosce: ergo implicat eis conuenire visionem, seu perceptionem clarā Dei. Confirmatur: quia ideo non rationalia, & spiritualia nec possunt credere, nec discurrere, neque ad hos actus, & similia plura eleuari, quia hæc ad lineam viuentis, & potentiæ rationalis, & intellectualis spectant. Totum discursum confirmat Quiros n. 20. ex Patribus agnoscentibus in homine potentiam eleuabilem à Deo ad actus supernaturales: quia rationalis vitæ sunt, & negantibus aliis, qui vitam rationalem non habent. August. 3. contra Iulian. *Æquè incapacia, ait, gratiæ eleuationis pecora, sicut ligna, & lapides fulgent.* De Incarnat. c. 22. *Neque vllā naturā credendi facultas insita est, quam rationem non fecit Deus*, cap. 23. *Agnoscat homo in eo se naturaliter* (virtute intrinseca, & innata) *credere posse, in quo naturam habet Fidei capacem: quod animantibus irrationalibus datum diuinitùs non est*, vtique quia irrationalia. Hugo Victorin. q. 238. eleuidat in Epist. ad Roman. *Est enim oculus talis naturæ, vt per illum visus exerceatur, si solis radio percutiatur, sine quo visio non est in oculo: nisi tamen talis naturæ esset, etiam tactus radio non videret: vt lapis & paries non videt, etsi radio solis perfundatur. Sic anima habet potentiam merendi naturaliter* (adverbium hoc potentiam afficit, non meritum) *quam tamen non potest exercere, nisi splendore gratiæ perfundatur*: concluditque: *sic ad hoc, vt anima promereatur, duo exiguntur; & gratia, & naturalis potentia.*

5. Sexta demùm repugnantiæ huius ratio sit. Quia, etsi sensus aliquis possibilis spirituale aliquid creatum, imò creata omnia spiritualia posset clarè diuinitùs percipere, cessarentque rationes repugnantiæ, quas dedimus; in ente spirituali nobilissimo perfectissimóque ratio alia

repugnantiæ suppeteret. Etenim, quo nobilius obiectum est, eo nobiliorem potentiam adhuc creatam, vt clarè percipiatur, requirit, vt patet in omnibus potentiis cognoscitiuis, & ratione: quia, sicut tota species, ita tota nobilitas potentiæ ex obiecto desumitur, & taxatur. Quocirca ex obiecti extensione maiori, quasi extensiua nobilitas pensatur: intensiua verò, & potissima ex obiecti nobilitate: sicut & quasi intensiua essentialis actus perfectio: ergo nobilissimum obiectum Deus nobilissimam potentiam requiret, vt clarè percipiatur. Atqui è creatis sola potentia cognoscitiua rationalis nobilissima è cognoscitiuis est: ergo hanc solam requirit Deus, vt clarè percipi possit: quare omnis potentia sensitiua non rationalis ad id erit inepta, & insufficiens.

CERTAMEN V.

Inuisibilitas Dei sensu materiali absoluta, Dei Attributum esse, ex dictis ostenditur, & vindicatur.

1. DE conceptu Attributi diuini inprimis est prædicatum diuinum Deo intrinsecum esse, vt de Dei inuisibilitate oculis, sensúque omni corporeo ostensum hactenus à nobis est. Item ita Deo esse proprium, vt nulli creaturæ possit competere: id quod ex ratione vltima suprà data pro repugnantia potentiæ sensitiuæ, quæ Deum clarè, & in se percipere valeat, apertè monstratur; licèt enim spiritualia reliqua percipi à sensu materiali, ne diuinitùs quidem possint, ast magis distat à potentia sensitiua Deus, vt percipi clarè ab illa queat ob excellentiam suam summam, vti ex ea ratione liquet. Sed dices negationes etiam omnes inuisibiles corporeè esse: ergo id non est proprium Dei. Sed eæ quidem inuisibiles negatiuè sunt ob imperfectionem sui, Deus autem positiuè ob excellentiam sui esse. Item quòd eiusmodi prædicatum extra conceptum essentiæ metaphysicè Dei sit. Quod ex dictis disp. 3. de Essentia physica, & metaphysica Dei æquè clarè probatur: quia hic conceptus non est conceptus entis, seu essendi à se, in quo ibi Essentiam metaphysicam Dei stare docebamus. An verò inuisibilitas hæc distinctum à reliquis Attributum sit? an prædicatum diuinum omnia diuina prædicata transcendens? vocari in dubium posset: nullum enim eorum videri sensu corporeo potest. Cæterùm id omnia habent formaliter metaphysicè ab inuisibilitate hac, quæ Attributum Dei est. Cætera enim in suo formali conceptu nec visibilitatem, neque inuisibilitatem includunt.

2. Sed contra conclusionem primam, ac proinde contra omnes conclusiones, quæ illam imbibunt, obiicitur illud Iob. 4. *Nunc autem oculus meus videt te.* De quo dubitare videtur August. supra: an oculis corporeis fuerit? si dubitauit, rectè non assensit. Nam sensus litteralis est: experimentis propriis, quæ de Dei prouidentia audierat, quæ ad oculum cognouisse. Rursus obiicitur idem Iob. cap. 19. *Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* Frigidè tamen: licèt enim ex textu Hebræo in Vulgata per Sixtum Quintum emendata non habeantur illa verba, *Saluatorem meum*: quo eorum solutio excluditur, qui de humanitate Christi Saluatoris eam visionem intelligunt, atque adeo de visione Dei intelligenda sint. Respondere posset cum Augustino, & aliis: non loqui ibi Iob de visione Dei in se post resurrectionem, sed ab ipso Iob post restitutam sanitatem in aliqua specie, seu forma visibili, velut alij volunt in sanitate mea carni restituta videbo Dei, qui eam mihi ex infirmitate salutem fecit, ac proinde saluatoris mei studium erga me. Quod enim dixerit: *solum mihi superest sepulchrum.* Ponderantis infirmitatis suæ magnitudinem, non autem desperantis salutem fuit. Cæterùm de visione Dei post resurrectionem communiùs, veriusque ea verba intelliguntur. Sed eam tamen non ait Iob per carnem suam exercendam esse, sed *in carne mea*, vt docte, & acutè Augustinus: quia à mente, & anima rursus corpori per resurrectionem immersa, ac proinde in carne à Beatis habebitur. Illud tandem: *quem visurus sum ego. & oculi mei conspecturi sunt*: de oculis mentis vere, & communiter intelligitur.

3. Opponitur secundò, à ratione creata omnia potentiam obedientialem habent ad quoduis producendum, vel recipiendum quoduis etiam supernaturale: ait visus, & potentia quælibet corporea creatum quid est: ergo habet potentiam obedientialem ad efficiendam, ac recipiendam Dei visionem: ac proinde ad clarè videndum Deum in se. Nego libentissimè vniuersalem hanc obedientialem potentiam in creatis iuxta dicta in physicis controuers. de virtute causarum efficientium. Vbi nullam aliam potentiam actiuam obedientialem agnosco, nisi inchoatam, & partialem respectu effectus supernaturalis ratione alicuius prædicati, ob quod ab effectu requiratur. Secundò nego consequentiam. Nam, licet, vtcumque efficere, & recipere visionem Dei claram eæ potentiæ possent, tamen vitali modo neque efficerent, neque reciperent: quia non à se, atque innata virtute agerent, seque mouerent, vt opus erat, vt vitaliter agerent, atque viuerent, sed qualitas illa sicut in ligno, aut lapide foret. Denique si cognitio, ac sensatio non in qualitate sola, sed in actione consistat, aut seipsa tanquam potentiæ modus affixa ei sit, nullatenus à potentia propria poterit diuelli, atque alteri inhærere, in alterâue recipi.

4. Tertiò opponis: claritas supernaturalis corporum Beatorum videnda est à Beatis oculis corporeis, quam tamen naturaliter videre eorum oculi non possunt: ergo eleuari hi possunt ad videndum aliquid vltra colorem, & lucem naturalem: ergo eorum sphæra luce, & colore non continetur ita, vt ad alia extendi diuinitus nequeat, vt assumebatur in ratione repugnantiæ physicæ prima, cert. 2. n. 4. Secundò ergo poterit diuinitùs eleuari ad videndum Deum visus: etsi illum nequeat naturaliter videre. Permisso antecedenti toto, nego hanc secundam consequentiam: arguitur enim à minori ad maius affirmatiuè, quod maximum consequentiæ vitium est; insuper à potentia, ad quam argumentum habemus ab authoritate, ad aliam ad quam adstruendam nullum habemus indicium. Secundò, nego suppositum antecedentis: claritas enim illa in satis vulgata sententia supernaturalis quoad substantiam non erit, vt videre est apud Soar. 3. p. t. 2. d. 48. sect. 2. Tertiò: ratum non est eam claritatem si nostris oculis applicaretur videri ab eis nullatenus posse, quin potiùs imperfectè, & confusè, quin à naturali luce discerneretur, videndam ab eis esse, etsi supernaturalis sit, docet Ripalda de ente supernaturali dis. 44. sect. 10. Denique ex supernaturalitate (vt benè Quiros sect. 3. n. 24.) etsi lux illa in ratione entis specie à luce naturali differat; non tamen differt in ratione obiectiua respectu potentiæ visiuæ vniuersali, ob quam hæc in lucem fertur naturalem: est enim lux materialis, & corporea: ac proinde potentia, quæ in illud prædicatum fertur, cùm in naturalem fertur, in illud etiam ferri poterit cum quouis alio prædicato, adhuc supernaturalitati adiunctum. Quemadmodum in varias coloris species naturales, quæ de facto sunt, æquè fertur; licèt entitatiuè sint diuersæ: ferreturque in plures alias, si adessent, quia in ratione coloris, quæ vniuersalis ratio obiectiua respectu illius potentiæ est, cum iis, qui de facto sunt, coloribus conueniret. Verum est ob perfectionem coloris illius supernaturalis (si talis esse admittatur) potentiam naturalem confortatione, vel speciei, vel habitus supernaturalis, vel auxilij extrinseci Dei, iuxta varias opiniones Doctorum in simili, opus habere.

5. Quartò obiicis: Deus intuitiuè visus non est intra sphæram obiecti potentiæ naturalis intellectiuæ; & tamen ad Deum intuitiuè videndum eleuari diuinitùs intellectus potest: ergo, licèt Deus extra sphæram naturalem potentiæ visiuæ sit, poterit tamen hæc diuinitùs eleuari ad videndum Deum. Respondetur negando suppositum antecedentis; scilicet Deum intuitiuè visum esse, vel non esse intra, vel extra sphæram obiectiuam intellectus. Vt sic enim inuoluit actum visionis, qui potentiæ actus, non autem ratio obiectiua, seu in quam, aut sub qua tendit potentia, est. Ac proinde supponitur falsò ad rationem obiectiuam spectare posse. Quia verò negatiua propositio est, concede eam si velis, & nega consequétiam.

Ideò

Ideò enim conceditur, quia Deus vt visus obiectum intellectus non est, sed vt ens, ac Deus, quo pacto, licèt imperfectiori actu abstractiuo ab intellectu cognoscitur: ac proinde intra sphæram obiectiuam ipsius est; Cùm tamen neque eo pacto intra sphæram obiectiuam visus, aut sensus cuiusvis naturalis sit.

6. Denique oppones ex communi iam, nobisque vera identitate potentiarum vitalium cum anima rationali; in ea quippe nequit aliquod obiectum esse intra sphæram nostri intellectus, quin sit verè, & realiter intra sphæram nostri visus, cùm idemmet realiter vtráque potentia in nobis sit. Nihil tamen probat obiectio, quia multum probat: nempè tactu, & olfactu, atque auditu Deum clarè in se percipi posse: & vrgètius posse intellectu amari, & voluntate videri. Sed pro materialibus sensibus (quod satis nunc est) organa requiruntur, absque quibus idè illud principium nequit operari, diuersosque actus, & circa obiecta diuersa per organa diuersa: de intellectu, & voluntate diximus controu. de anima, quæ hic non est opus repetere.

QVÆSTIO II.

An Deus inuisibilis à creato intellectu, naturalibus viribus sit.

DIXI *naturalibus viribus*, non autem *naturaliter*, vt omnes modos iudicandi contra veram sententiam comprehenderem, atque simul confutarem. Dicuntur autem naturales intellectus vires, non solùm facultas vitalis, quæ ex parte potentiæ vitalis ad cognitionem concurrit, sed etiam, quæ ex parte obiecti ad eam requiruntur. Quare quæstio est. An à potentia intellectiua nullo supernaturali comprincipiuante, siue ex parte potentiæ, siue ex parte obiecti, tanquam eius species, sit inuisibilis Deus? an potiùs visibilis?

CERTAMEN I.

Aliorum iudicia.

1. PLatonici nonnulli apud Naz. orat. 42. & Nicetam ibi, Deum viribus naturalibus ab intellectu humano videri posse censebant. Hoc etiam supponebant, vel iudicabant Anomæi, seu Eunomiani, Ætij, & Eunomij sectatores, asserentes hominem in hac vita, & statu Deum comprehendere posse, vt videre est in nostris Vasquez d.41. cap.1.& Gualtero sæculo 4. Chronolog. Idipsum expresè docuere Germani monachi nomine Beguardi cognomento Fraterculi, seu fratres pauperes de vita, ac Bisochi, item Germanæ etiam fœminæ, Beguinæ dictæ, professione quasi Beatarum, quas Hispanè dicimus, non Monialium: vtrisque communes errores recensentur Clement. *Ad nostrum de hæreticis*, in quibus quartus ordine recitatur. *Homo in hac vita consequi potest beatitudinem, quam Sancti habent in alia.* Cùm autem ad beatitudinem necessaria sit clara Dei visio (quia, vel in ea beatitudo nostra formaliter sita est, vel saltem ad beatitudinem eiusmodi visio clara Dei requiritur) sit planè docuisse præfatos hæreticos Dei visionem in hac vita à nobis (vtique cum his, quæ nostro intellectui in hac vita connaturalia sunt) assequibilem esse.

2. Sed quoniam ea propositio inde in dicta Clementina damnari potuit, quòd non sola Dei visio, in qua essentialis Dei beatitudo consistat, in hac vita naturæ viribus à nostro intellectu assequibilis diceretur, sed beatitudo quoad statum etiam, vt à Beatis in alia habetur: ostendendum erit in eorundem in ea propositione sensum esse, quod visio ipsa clara Dei viribus naturalibus à nobis in hac vita possit haberi. Id autem apertè deprehenditur ex quinta eorum propositione inibi recitata his verbis: *Quod qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, ipsóque beatè fruendum.* Ob prima propositionis huius verba. *In seipsa naturaliter est beata.* Alphonsus de Castro aduers. hæres. verbo *Beatitudo*, censet Beguardos, & Beguinos in eo etiam errore fuisse, vt rationalem creaturam seipsa naturaliter, siue natura, & essentia physica sua, absque operatione vlla superaddita beatam, ac videntem Deum iudicarent. Sed tamen illud *Naturaliter*, ita clarè in secunda suæ propositionis parte in sensum, quem diximus explicuerunt, vt nihil sit in alium à docto, atque erudito Castro acceptam eam propositionem fuisse.

3. Durandus in 4. d.49.qu.2. an.24. licèt in eo ab errore hoc Beguardorum, & Beguinarum distet, asserens pro hoc statu Deum à nobis videri clara, & beatifica visione non posse: quia pro eo nihil clare, nisi præsensatum cognoscere intellectu possumus: atque ab Anomæis non multùm distare videatur addens, ita videri à nostro intellectu posse secundum statutum ordinem diuinæ gratiæ: tamen ita hunc diuinæ gratiæ ordinem explicat, vt quoad possibilitatem visionis Dei ab intellectu nostro viribus naturæ Anomæis consentire videatur. Cùm quippe ordinem Gratiæ in eo solùm ponit, vt impedimenta, vnde obscuritas cognitionis Dei nobis pro hoc statu obuenit, auferantur: scilicet dependentia à sensibus in cognoscendo: vnde fit, vt Dei, sicut & aliorum insensibilium, intellectuales cognitiones, per alienas species, obscuræque, & abstractiuæ euadant; quin lumine gloriæ, aliquaue eleuatione per donum supernaturale opus sit, sed sola Dei videndi manifestatione, applicationeque, qua Deus proximè intellectui præsentaretur in se, ac non ex creaturis ministerio sensuum cognoscendus vt clarè videatur: quia nimirum, quodcumque obiectum intra potentiæ cuiusvis sphæram est, potestque ab ea aliquo modo cognosci, vti Deus ab intellectu, ablato impedimento clarè ab illa cognoscitur, vt patet in visu, & colore.

4. Durandum benignè interpretari conatur Molina qu.12. art.4 d.1. Soarez 2. de Attribut. cap.8. n.3. Iassol. comment. articuli n.2. sed tamen Valent. quæst.12. art.4. punct.3. Barnez art.5.dub.3. Herrize d.44.cap.2. Et, quod caput est, Vasquez profundus alienarum mentium indagator d.41. cap.2. post multum sententiæ huius examen, Durandum erroris in fide ob illam incusant. Ego verò non adeò duré cum illo agam: cùm non satis exploratum in eius textu sit, an de visione supernaturali, & beatifica id censeat: an de visione Dei naturali, de qua nihil hactenus definitum iudico. Præterquam quod, licèt lumen gloriæ secludat, quod in plurium sententia ex parte potentiæ se tenet, illam confortans in manifestatione Dei ex parte obiecti non videtur speciem Dei, seu concursum obiectiuum eius negare: cum id coloribus respectu visus (quorum exemplo vtitur) non neget, imò dum sensatas species ad cognoscendum Deum pro hoc statu necessarias remouet insensatam Dei, vel eius concursum obiectiuum non potest non loco illarum ad Deum videndum sufficere; ob quæ Durandum hac super re adeò graui censura fugillare non audeo: quia nec de visione supernaturali, nec sine specie, aut Dei obiectiuo concursu clarè deprehenditur loquutus.

5. Durando præluxisse ea in re videtur Scotus in 3. d.14. qu.1.§.in 1. qu. circa finem, vbi an sine lumine gloriæ videri Deus clarè possit definiendum ait iuxta ea, quæ de amore Dei dixerat d.13. qu.4. §. *Ad tertiam*, & §. *Ad quartum quæstionem*, vbi dixerat Deum sine charitatis etiam habitu amari à nobis posse: idemque docet in 4. dist.49. qu.11. §. *Respondeo*: ac proinde videri etiam posse sine lumine gloriæ videtur docere. Recentiores Murciani Scotum interpretantur non de visione clara Dei, sed de abstractiua alia, licèt quidditatiua, clara, immediata, & per propriam speciem habita, quæ tamen visio propria, & intuitiua non sit, quam possibilem multis in locis ipse asserit. Sed certe huic interpretationi, nec textus, nec Scoti doctrina locum reliquit. Semper enim, inquiunt, visionem Dei supernaturalem, Scotus iudicauit. Non quidem textus: cum citato loco de visione Dei inquirat, & statuat naturaliter, ac sine lumine gloriæ haberi à nobis posse: licut citatis locis de amore, sine habitu charitatis possibilem esse docuerat. Cognitionem autem illam quidditatiuam

tiuam claram, & immediatam Dei nunquam visionem Dei esse censuit, sed potiùs contra Dei visionem distinxit, de quo contra ipsum, eiusque sequaces ab Scholasticis pluribus decertatur, scilicet diuersam à visione Dei esse non posse. Sed neque Scoti doctrinæ ea interpretatio concordat. Totidem enim locis, quot quidditatiuam claram, immediatam, atque per propriam speciem Dei habitam cognitionem à visione distinctam adstruit, eam per speciem à Deo inditam, seu per se infusam habendam necessariò docet: ac proinde, & eam cognitionem supernaturalem, & per se infusam esse censet, nec viribus naturalibus habendam. Sententia igitur Scoti est aliquam Dei visionem naturalem, sicuti & amorem possibilem nobis esse. Non autem beatificam visionem, quam semper supernaturalem iudicauit.

CERTAMEN II.

Deum visione aliqua, scilicet beatifica naturaliter inuisibilem à creatura rationali esse certum ex fide est.

1. COnclusio hæc nullum Doctorem aduersarium exploratum habet. Est item de fide, ac definita à Concilio Viennensi, & Clementina citata, *Ad nostrum*, de hæretic. Vbi quartus, & quintus Beguardorum, & Beguinarum error oppositus damnatur. Est insuper expressa in Scripturis ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna.* Vbi vita æterna, seu beata visio Dei gratia asseritur: Cùm tamen nihil, quod naturaliter à nobis absque peculiari Dei dono haberi potest, Dei gratia in Scripturis dicatur. Secundò probatur ex locis datis qu.1. cert.2. quibus Deus inuisibilis dicitur, & lucem habitans inaccessibilem, & quem nemo videre possit: id quod verum non esset, si oculis mentis omni visione, etiam perfectissima ex creatis, qualis est beatifica, videri à nobis naturaliter posset. Quod enim naturaliter possumus, absolutè, & sine addito posse dicimur. Tertiò probatur: quia non posse nos credere, sperare, aut aliquid boni, vt ad salutem, & vitam æternam conducit, & oportet naturæ viribus, seu naturaliter agere, certum ex Fide est, vt controuers. de ente supernaturali ostendemus: ergo multò minus Dei visionem beatam nobilissimam, & perfectissimam, quæ visio Dei non ex parte, aut in ænigmate est, naturaliter possumus habere.

2. Pro hac conclusione, & contra errorem oppositum pugnarunt Patres confutantes Anomæos, sed omnium acerrimè Chrysost. hom.3. de incomprehensibil. natura Dei, vbi eos confutat ex illis 3. ad Philip. *Ego me non arbitror comprehendisse.* Id est, vidisse, vt Vasq. intelligit cap.1. num.3. Si enim Paulus tunc nondum Deum viderat: quomodo Anomæi Deum se videre iactant. Cæterùm, vt Vasq. ibi, Apostolus non de Dei visione beata, sed de comprehensione perfectionis suæ loquitur. Nec, si de illa loqueretur, contra possibilitatem visionis beatæ viribus naturæ argui efficaciter ex eo loco posset, sed contra visionem beatam de facto habitam ab Anomæis, vt ipsi effutiebant. Ex nostra autem Catholica conclusione ita contra Catholicos inferebant Anomæi apud eundem Chrysostomum, & Nazianzenum suprà: *Ergo Deum quem colis, ignoras*, quia, vt ait Aristot.9. metaph.c.12. non contingit intellectum circa simplices substantias decipi; sed aut omnino eas attingere, aut omninò ignorare, cum indiuisibiles sint: ac proinde, si aliquatenus attinguntur, omnino attingi est necesse. Vt mittam modo, an visio circa Deum, & substantias physicè indiuisibiles præcisiua esse possit? quod possibile iudicamus, atque alibi sæpiùs ostendimus: Respondetur facilè, saltem cognitione abstractiua, & per alienas species substantiam Physicè indiuisibilem, ac proinde Deum, ex parte cognosci posse, & ex parte obiectiua metaphysica non cognosci: vt patet in cognitione præcisiua vnius prædicati, seu Attributi diuini sine aliis: quia in ordine ad plura, ac diuersa cogitari potest, etsi simplicissimus Deus sit, quomodo respondet Nazianzen. suprà, iuxta interpretationem Pselli, ac Nicetæ.

3. Oportet autem hîc Durandi sententiam, vt à nostro Vasq. & aliis intelligitur, impugnare; ne saltem eo sensu alicui postmodùm arrideat. Et primò quidem si de visione beatifica loquatur damnata, sicuti, & Anomæorum est. Secundò: cùm ea visio nobilissima, & supernaturalis per omnes sit, implicatur in terminis, dum viribus naturæ haberi posse dicitur: redeuntque testimonia Scripturæ, & argumenta ex actu Fidei, & Spei, quæ ex Fide naturæ viribus haberi nequeunt. Nec satis est ad Fidem dari habitum supernaturalem, quia obiecta obscura sunt, & difficilis assensus, quia non satis motiua; quod visioni claræ Dei deficit: verùm neque obscuritati, & difficultati mouendi ad assensum habitu succurritur: cùm potentissimum motiuum authoritas diuina sit; sed ob actus supernaturalitatem. Tertiò: quia, si sola naturalis dependentia intellectus à sensibus in cognoscendo ei obest, quominus Deus intimè præsens ipsi ab ipso naturaliter clarè videatur: fiet sanè, vt intellectus animarum separatarum etiam damnatarum, ac dæmonum naturaliter Deum semper videant visione beata, ni ipsis violentia inferatur: sicut visui cui denegetur concursus ad visionem coloris debitè approximati. Denique cùm æqualis sit impedimenti remotio, ac proinde æquè præsens proximè, & immediatè Deus Beatis sit: atque Beatorum hominum intellectus æqualis sint perfectionis, fiet minimum Sanctorum in Dei visione beata, atque essentiali gloria æqualem maioribus Sanctis, imò & B. Virgini, atque Christi humanitati esse. Imò minimum Angelorum in ea vtrique, nedum Sanctis reliquis, excedere: quod est valdè dissonum, & absurdum.

4. Quod autem Durandus ait: Inæquales fore Beatos in reuelatione cuique à Deo facta mysteriorum ad accidentalem, non ad essentialem eorum gloriam spectat. Denique: quod Deus efficaciùs vnum intellectum, quàm alium in Beatis moueat, vt ait tandem Durandus, cùm neque actu, neque habitu eleuari eos à Deo admittat, sed sola præsentatione Dei immediatè, & in se per impedimenti præfati remotionem, beatam visionem peragi ab intellectu naturaliter docet, locum non habet, nisi imperum naturalem potentiæ in aliis magis, aut minùs arbitrio Dei violenter, & contra naturæ iura cohibere dicat: in quo non largus eorum præmiator, sed malignus gubernator Deus erit: cùm eis è naturalibus decurtet. Ad id autem, quod nonnulli docent, visionem beatam à solo Deo produci, vt huic maior, illi minor pro meritis donetur, recurrere Durandus nequit: tum, quia falsum omninò esse controuers. de visione satis ostendimus: Tum quia cum eius doctrina, quam impugnamus non cohæret, sed omnino aduersatur. Nec tandem refert duas visiones claras Dei in Beatis comminisci: alteram naturaliter ab intellectu partam ex impedimentorum remotione; alteram à solo Deo pro cuiusque meritis datam. Tum, quia chimærica altera ex eis visionibus est, nisi naturali illa non beari Beatos dicatur, contra Durandi sensum, quem impugnamus, & contra ea, quæ cert. 3. dicemus. Tum, quia falsò, & contra Durandum visio à solo Deo infusa asseritur. Ac demum, quia, licèt in altera inæqualitas visionis in Beatis, meritis proportionetur. Ast alia Angeli, ita hominibus præ sui intellectus præstantia excedent, vt absolutè in visione clara Dei B. Virginem, & Christi humanitatem antecellant.

CERTAMEN III.

Inuisibilis ab intellectu creato naturaliter Deus omnino est.

1. ETsi hactenus dicta satis ostendant nullam visionem beatam naturalem esse posse, ac proinde neque vlli rationali creaturæ naturali actiuè, aut exactiuè debitam esse posse (an enim substantia supernaturalis esse queat, eique statim visio connaturalis, ac debita censenda sit? controuers. de ente supernaturali in genere fusè disputabimus)

disputabimus) Restat verò disputandum, an visio aliqua omnino naturalis, atque iuxta exigentiam, vel actuitatem intellectus rationalium substantiarum naturalium (esto beatifica non sit) dari queat? eam enim possibilem esse sententiam Scoti recitatam cert.1.n.5. fuisse existimamus, quam quidem sententiam ex principiis metaphysicis falsitatis convinci non posse, eiusve repugnantiam demonstrari fatetur Soar. d.30. Met. sect.11. n.13. & Vasq.1. par. qu.12. art.4. in comment. asserens sola fide oppositum teneri: cui omninò concordat Martinon. 1.part.t.1.d.7.sect. 5.6. plures duodecim rationes repugnantiæ diluens, ac tandem sola authoritate visionis naturalis Dei impossibilitatem defendens. Ripaldat.1. de ente supernatur. d. 23. Omnes repugnantiæ huius rationes hactenus excogitatas eruditè, & subtiliter enervat.

2. Conclusionem tamen nostram ferè omnes Theologi tuentur: quos videre licèt in Ripalda loco citato, Vasquez, Soar. & Martinon. citat. Molina citato artic.4. cum Maiore in substantiis creatis, seu, quæ ad naturam creatam spectant visionem Dei iudicat impossibilem, licèt in aliqua possibili repugnantiam connaturalis ipsi visionis Dei non agnoscat, de quo, vt dixi modò, non disputamus, nisi enim supernaturalis ea possibilis substantia sit, idem de reliquis substantiis naturalibus possibilibus, ac de reliquis naturalibus aliquando existentibus censet. Denique naturalis visionis Dei impossibilitatem nouissimè defendit Quiros t. 1. de Deo d.27. sect.2. vbi & sect.3. non solùm ab authoritate, sed etiam multo rationis pendere eius repugnantiam conatur ostendere syllogismo, qui de omni etiam substantia possibili creata, quare non solùm de naturalibus, & similibus, sed, & de supernaturalibus, ex hypothesi, quod eæ possibiles sint, etiam probat, quare plus nimio probat, de quo n.4.

3. Nunc autem probatur ab authoritate conclusio. Probari vulgò solet ex his omnibus locis, quibus vita æterna, & gratia Dei dicitur, & præmium Iustorum. Sed, cùm hic de visione, quæ nec beata, nec præmium essentiale Iustorum sit, (quam aduersa sententia supernaturalem fatetur) sed, quæ sit naturalis, nihil ea loca præstant, nisi aliunde probetur omnem visionem Dei absolutè talem, & præmium essentiale Iustorum, & supernaturalem esse. Id autem probatur ex Ioann.14. vbi dicitur: *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum.* Ergo manifestatio Dei in seipso absolutè talis præmium supernaturale Iustorum, & supernaturalis est: atqui quæuis visio clara Dei in seipso est manifestatio absolutè, & simpliciter Dei in seipso: ergo & præmium Iustorum, supernaturalis & beatificat ac proinde nulla visio clara Dei in seipso naturalis est possibilis. Quare Deus viribus naturæ intellectu nostro inuisibilis prorsus euincitur. Inducitur etiam locus Isai. c.64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti spectantibus te.* Sed licèt ita haberet textus, adhuc facilis esset euasio: scilicet Dei auxilio speciali opus ad videnda omnia coniunctim, quæ ad beatè videntes Deum spectant, & Deum beatè spectandum. Sed textus non habet *spectantibus*, vt dicitur, sed *expectantibus*, id est, *sperantibus*, ac proinde è re non est.

4. Secundò probatur ex illis Matth.11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Vbi illud *Nouit*, idem valet, ac potest *Nosse*, vt constat ex illis: *Et cui voluerit Filius*: ergo à solo Deo Deus aliquo sensu innoscibilis est, nisi ex Dei voluntate. Non est autem innoscibilis obscuris viribus naturæ, & abstractiuè, & per alienas species: Cùm ita viribus naturæ, & ex naturalibus principiis non solùm noscibilis, sed demonstrabilis sit, vt vidimus d.1. qu.2. sed neque est innoscibilis clarè, & in se supernaturali Dei auxilio, & lumine, vt videbimus qu.3. ergo viribus solùm naturæ est innoscibilis clarè, & in se: quod ipsum est viribus naturæ inuisibilem esse. Denique probatur ex dictis locis qu.1. cert.2. Quibus Deus in Scriptura inuisibilis absolutè dicitur, quæ non solum de Dei inuisibilitate à creatura oculis corporeis, sed mentis etiam intelligenda sunt, alioqui absolutè inuisibilis non esset: quemadmodum nec inuisibile dicitur obiectum, quod aliquo sensu visibile non est: atqui mente inuisibilis supernaturaliter Deus non est, vt dixi: ergo naturaliter inuisibilis est. Confirmatur: quia ex eis locis Augustinus 12. de Ciuit. cap.9. infert Deum supremo etiam Angelo inuisibilem esse naturaliter, cuius sententiæ Ecclesia, & Patres concordant: non esset autem bona illatio supremæ substantiæ ex creatis negare naturalem operationem possibilem; vrgentiùs in meis principiis substantia excellentior, & superior supremæ, quæ in natura creata, & intra illam creabilis est, supernaturalis est: ergo visio, quæ supremo Angelo, qui est suprema substantia, quæ in natura creata, & creabilis est, naturalis non est, solùmque substantiæ ipso superiori connaturalis esse potest, supernaturalis est. An verò substantiæ illi supernaturali (quam possibilem ex controuers.1. de ente supernaturali, quæ de eo in genere est, suppono) visio clara Dei in se connaturalis esset, non definio. Solùm addo ex substantiæ supernaturalitate id non inferri, de quo suo loco.

5. Ratio repugnantiæ visionis claræ Dei in se, non eadem à pluribus doctoribus datur: quia nulla est satis firma, vt videre est in nostris Ripalda, & Martinone. Noster Quiros tacitè omnes aliorum recognitas per silentium reiicit, atque propriam latè per totas duas sectiones expendit. Nec miror doctos viros aliorum demonstrationes, sumptas plerumque à proportionibus, quæ necessariæ dicuntur, abstractionis à materia inter cognoscentem naturaliter, & obiectum ita cognoscendum, aliisve similibus principiis petitas respuere: eæ siquidem proportiones, abstractiones, & principia audiuntur quidem sæpè, nunquam autem aliquo sensu intelliguntur, aut explicantur, qui mille impugnationibus, & instantiis non pateat. Miror autem nostrum Quiros aliquid clarius, & firmius à se allatum pro hac repugnantia putasse. Cùm tamen nihilo aliis clarius, aut firmius eam euincat. Sic igitur efformat rationem. Nullæ substantiæ propriis viribus est possibilis cognitio, quæ sit formaliter, vel æquiualenter comprehensio obiecti superioris substantia cognoscente; omnis visio formaliter, vel æquiualenter creata Dei est obiecti superioris substantia creata cognoscente: ergo nullæ substantiæ creatæ est possibilis visio creata Dei propriis viribus. Sic dispositus syllogismus est formaliter, nec solùm æquiualenter *celarem*, quare de legitimitate consequentiæ lis esse non potest. Maiorem probat multis. Ex eo nimirum, quod Angelo inferioti non debeatur superioris comprehensio iuxta vulgatam doctrinam, & probationem, quam subdit. Secundò: quia modus cognoscendi, sequitur modum essendi: & cognitum est in cognoscente ad modum cognoscentis. Tertiò: quia potest esse creata substantia æqualis in vi cognoscitiua, & in passiua cognoscibilitate (sicuti Deus in iis æqualis est) quare & quæuis substantia; atque ex alia parte maior vis cognoscitiua arguit maiorem perfectionem entitatiuam cognoscentis: ac proinde maior etiam cognoscibilitas maiorem arguet entitatiuam cogniti perfectionem, prærequam quod esse magis cognoscibile est esse magis perfectum, & perfectiorem actum requirere, vt comprehendatur.

6. Minorem verò probat: quia visio clara Dei æquialenter saltem est supercomprehensio cuiusvis creaturæ, etiam nobilissimæ, cùm sit æstimabilior, & de obiecto infinite nobiliori: pluráque similia in confirmationem huius argumenti confert, quæ ne referre quidem vacat. Ex his autem constat non firmioribus, clarioribúsve aphorismis philosophicis, quam aliàs hanc rationem inniti. Prima enim maioris probatio nititur sententiæ probabili: quia ad comprehensionem plura, quàm adæquata obiecti cognitio requiruntur, omnium scilicet quæ illius sunt, in quibus (si de Angelis loquamur) sunt supernaturales actus plures, ad quos perfectè cognoscendos vires naturales Angeli non sufficiunt. Secunda probatio axiomata quædam cariosa, & quæ plures sensus præter eum, in quo adducuntur probatu difficiles habent. Tertium de æqualitate substantiæ creatæ in vi cognoscitiua, & cognoscibilitate à paritate Dei non probatur: cùm possit vna sine altera in substantiis dari, vt patet in insensibilibus: quare & in sensitiuis poterit dari alterutra, quàm altera minor: imò & datur imperfectior vis cognoscitiua in sensitiuis, cùm sit materialis solùm, quàm cognoscibilitas, quæ in eis etiam est, respectu potentiæ spiritualis. Vltima probatio tendit, vt vis cognoscitiua proportionari debeat entitatiuæ perfectione cum obiecto, quod vetustissimum principium ad præsentem repugnantiam, & similes probandas reiectum est sæpè in simili à Quiros, ex inæqualitate entitatiua potentiæ accidentalis, & cognitionis accidentalis

dentalis respectu substantiæ, quæ eis cognoscitur. Ex quo & priores omnes probationes facilè confutantur. Minoris autem probatio præ sua imbecillitate decumbit.

CERTAMEN IV.

Ratione probatur Inuisibilitas Dei naturalis ab intellectu naturali creato, & diluuntur obiecta.

1. FAcilioribus rationibus, & quæ minus Philosophiæ & Theologiæ moueant conclusionem probo. Primò: quia ens supernaturale nullum potest à naturali intellectu naturaliter videri: atqui Deus ens supernaturale absolutè est: ergo neqnit videri naturaliter ab intellectu naturali creato. Maior est communis contra Scoticos, & alios nonnullos: sitavt opposita grauibus censuris notetur à Bannez, Zumel, & Nazario, licèt non multo iure, de quo controuers. 1. de ente supernaturali in genere, vbi eam maiorem firmiter statuimus: consequentia est legitima. Minor patet: quia Deus, licèt iuxta indigentiam naturæ creatæ, & creabilis sit, quia omnia creata essentialem dependentiam habent à Deo, vt sint; ast supra omnem exigentiam naturæ creatæ, & creabilis est, vt aduerti controu. illa 1. de ente supernatur. in genere d. 1. imò vniuersim supra omnem exigentiam creaturarum omnium, supernaturalium etiam: quare supernaturalissimus, seu supernaturalis. Indigentia enim Dei, quam creata omnia vniuersim ob necessariam ab eo, & essentialem dependentiam actiuam habent, Deum in se, & entitate sua illis immensum excellere demonstrat, vt suprà ostenditum sæpè.

2. Dices Deum, vt authorem naturæ naturalem esse: ac proinde posse, vt talem clarè videri. Si prima assumpti pars vera esset, teneret fortasse quidem solutio, sed solùm in nostris principiis, quæ visionem etiam claram obiecti præcisiuam ex parte obiecti admittimus. Ast in communi ferè omnium opposita sententia non teneret: cùm eiusmodi præcisiones obiectiuas in visione ex parte obiecti visi non admittat. Sed nec in opposita sententia tenet. Ratio enim authoris totius naturæ Deum ens naturale non facit: siquidem principij, & causæ ratio non ponit necessariò causam in eodem ordine cum effectu; licèt ponat eius actionem, si ad exigentiam naturæ sit in eodem ordine naturæ: cùm causa principalis esse æquiuoca possit, de cuius ratione est perfectiorem, nobiliorémque effectis suis esse: ac proinde non in eodem genere, & ordine cum illis; quin potiùs, vt nuper dicebam ratione authoris naturæ supra illam totam ponitur Deus, de quo fusiùs controuers. 1. de ente supernat. in genere. Denique, cùm naturæ author, & principium Deus per omnipotentiam formaliter sit: atque hæc metaphysicè obiectiuè sit potentia omnino infectilis, & indiuisibilis vno ictu formalitatis obiectiuæ ad omnia possibilia, tam naturalia, quàm supernaturalia se extendens: nequit, vt naturalis potentia adhuc abstractiuè, nedum intuitiuè, ex parte obiecti cognosci, quin, vt supernaturalis cognoscatur.

3. Secunda ratio sit, quia, etsi ens supernaturale creatum videri naturæ viribus ab intellectu creato posset, non statim Deus clarè visibilis ab intellectu creato dicendus esset, cùm longè magis creatis omnibus supernaturalibus. quàm hæc naturalibus, excellat, ac proinde ad Timoth. 6. *lucem inaccessibilem habitare* dicitur. Ex quo principium Christianæ Metaphysicæ sumendum ad rem hanc est. Si enim supernaturale, qua tale, quia adeò naturalibus cunctis entitatiua perfectione, & nobilitate excellit, naturalis visionis, claréque cognitionis sui in se viribus excedit, multo magis eas excedet, quod supernaturalibus etiam cunctis infinitè nobilius perfectiúsque est. Tertiò, quo nobiliores veritates sunt, eo maioris perfectionis, & virium cognoscitiuarum potentiam requirunt, vt abstractiuè etiam cognoscantur: Sic enim in iis, quæ discursu, aut ob nobilissimum motiuum diuini testimonij abstractiuè nouimus, experimur: ergo, vt veritatem nobilissimam (Deum scilicet) perfectiori modo, imò perfectissimo ex creatis è suo genere, scilicet intuitiuè, seu visiuè clarè, & in se videat maximæ intellectus vires requirentur, scilicet supernaturale iuuamen. Quartò, ex principiis naturalibus constat visionem Dei, qua talem beatificam esse: idque etiam constat ex illis *Quoniam ipsi Deum videbunt, & videbimus eum sicuti est*: ast omnis visio Dei possibilis est visio Dei, qua absolutè Deum videmus, & videbimus Deum sicuti est, & visio beatifica est: ergo supernaturalis, vt constat ex dictis cert. 2.

4. Reliquum igitur est, vt fateamur Deum entitate sua viribus naturæ ab intellectu creato inuisibilem esse, eóque inuisibilitatis modo, quo Attributum, Dei speciale constituat, vt patet ex dictis q. 1. cert. vlt. de specialitate Attributi diuini inuisibilitatis oculo corporeo. Sed tamen Deum viribus naturæ visibilem esse sic contenditur. Etenim Deus viribus naturæ, seu naturaliter amabilis à voluntate creata est: ergo & visibilis naturaliter ab intellectu creato erit. Probatur consequentia, tum ex parte obiecti, tum ex parte actuum. Ex parte obiecti. Primò: quia, sicut veritas Dei obiectiua, summa, atque infinita est, ita & Dei bonitas. Secundò quia sicut amari, vt causa prima, & author naturæ est, potest & secundum bonitatem, ob quam naturaliter operatur, ita vt author naturæ, ac secundum veritatem huic muneri necessariam videri, admissa in visione possibilitate præcisionis obiectiuæ, quam nos, & iam alij admittunt. Tertiò: quia eadem opinione admissa poterit esse visio Dei, vt entis præcisè: quæ circa eam formalitatem, non est, cur necessariò supernaturalis esse debeat: esto possit circa obiectum naturale actus supernaturalis, quoad substantiam versari. Hoc vnum argumentum his confirmationibus suffultum dignum est, quod diluatur. Plura enim alia, quæ contra hanc conclusionem ab aliis inducuntur, licèt multum Theologiæ moueant, suopte genio, nullo impellente, nutant.

5. Ei tamen argumento, & instantiis, admisso antecedente, alij, atque alij variè respondent: Quitos iuxta suam illam commensurationem potentiæ, seu virtutis cognoscitiuæ obiecti in se, & suo esse, & cognoscibilitatis obiecti disparitatem subtiliter reddit: quia, vt obiectum ametur opus non est, vt eius bonitas in se ametur, & secundum esse voluntati commensuretur, sed vt est in cognitione: aliásque satis consequentes, & subtiles, quas persqui non lubet: ego verò nego antecedens. Censeo enim omnem Dei amorem Charitatis, atque ob eius bonitatem intrinsecam necessariò, & essentialiter supernaturalem esse: ac proinde implicare actum amoris beneuolentiæ Dei naturalem. Id quod ex duobus nostris principiis pender. Alterum ex controuers. 1. de ente supernatur. in genere: nullum scilicet actum naturalem ob motiuum formale supernaturale, multóque minus diuinum, elici posse. Secundum ex hac controuers. d. 2. q. vlt. vbi ostendi quoduis diuinum prædicatum, & attributum indiuisibili suo essentiali conceptu in suo genere infinitum esse, neque vllis partialibus, nedum infinitis, conceptibus obiectiuis metaphysicis compactum. Ex quo fit, vt nequeat cognitione, aut amore vllo creato attingi, non infinitus, & supernaturalis, vt n. 2. dicebamus: quo instantiæ omnes, quæ in confirmationem argumenti, & consequentiæ adducebantur, & pro antecedentis probatione assumi poterant, eneruantur.

QVÆSTIO III.

An Deus viribus etiam supernaturalibus adiuto intellectui creato inuisibilis sit.

HOc etiam ad inuisibilitatem veram Dei dignoscendam, de qua hic, examinandum etiam nunc erit.

CERTAM.

CERTAMEN I.

Negatiua conclusio certa de Fide est, vbi de aliquorum Patrum mente.

1. DEum viribus supernaturalibus intellectu adiuto inuisibilem non esse, sed potiùs supernaturali principio eleuatum intellectum posse Deum in se clarè videre Catholica, dogmatica, & de Fide propositio est contra Armenos, qui nec sic videri Deum ab intellectu creato posse censebant, teste Armacano lib. 14. quæstionum contra eos cap. 1. Castro verb. *Beatitudo*, hæresi 1. Elench. hæres. verb. *Armeni*. Vasq. d. 37. c. 1. apud quem ab hoc errore Armenios purgare contendunt Nicephor. & Sanderus, sed fundamento exiguo Armenos in eo errore secuti dicuntur Abailardus, & Arnaldus Brixiensis à Castro ibidem ex epist. 190. Bernardi, ex qua quidem Arnaldi eum errorem fuisse, si Abailardi fuit, certò colligitur. Abailardi tamè fuisse, neque ex illa, neque ex 189. vbi huius errores recensentur, minimè constat, vt benè Vasq. citatus: qui pro eo errore refert Almericũ tempore Innocẽtij tertij. Et quidem expressa veritas est in Scripturis, quibus Beati Deum visuri dicuntur. Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, c. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*. Ioan. 14. *Manifestabo ei me ipsum* 1. ad Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Et iterum: *Nunc cognosco ex parte: tũc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est*. Idcirco definita ea propositio fuit ab Eugenio Pa. epist. 1. t. 1. Concilior. ex illo 1. Ioan. 3. ex quo etiam Concil. Francofortd. epist. ad Episcopos Hispan. Eugen. Pa. 4. & Concil. Florent. sess. vlt. Benedictus Pa. 11. siue 12. iuxta Molinam 1. p. qu. 12. art. 1. atque oppositam tenentes vt hæreticos puniendos statuit in Extrauag. *Benedictus*, vt refertur à Maiore in 4. qu. vlt. & à supplemento Gabriel ibi d. 49. qu. 2. art. 3. dub. 3. Argentina qu. 4. Bacon. eius libri 4. fine & Castro suprà. Insuper in cap. *Damnamus*, de summ. Trinit. vbi damnatur Almarici error; atque in Concil. Senonensi, vbi damnatur Abailardus, & in Trident.

2. In eandem veritatem conspirant Patres ex eisdem, Scripturæ locis; Dionys. de Cœlesti Hierarch. c. 4. S. Martial. epist. ad Tolosanos c. 27. Origen. 1. periarch. cap. 1. ex illo Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Nazian. orat. 25. fine, comprehensionem Dei pro eius visione, de Patrum more, vsurpans, de qua contra Anomæos disputabant. Irenæus lib. 18. cap. 38. licèt, an ante iudicij diem ab aliquo videndus sit Deus, dubium in Augustino vbi resistit Gregor. Magn. 18. Moral. c. 28. & 36. Damasc. in Barlaam, c. 8. vbi summam damnatorum pœnam visionis Dei priuationem appellat, & 1. de Fide c. 1. vbi, licèt Deum asserat natura incomprehensibilem, id est inuisibilem, addit, nisi cui voluerit filius reuelare. Ioan. Cypariscotus decade 4. cap. 5. Beda in id. 1. Ioan. 3. recitatum, & t. 8. lib. quæst. qu. 9. Hil. can. 4. in Matth. & can. 18. Nicet. in orat. 44. Nazian. vbi & Nazian. & orat. 25. & orat. 20. de Basilio. Isidor. lib. sentent. sentent. 22. Hieron. in illud 1. Corinth. 13. ad quod etiam Theodoret. Chrysost. & Theophilact. Bernard. serm. 31. in Cantica, & epist. 187. August. denique epist. 6. 30. 111. & 112. cap. 4. 7. & 8. epist. 150. 4. de Genes. ad liter. cap. 23. lib. 12. cap. 34. de Trinitat. lib. 14. cap. 8. de Ciuit. lib. 22. cap. 29. quorum, & aliorum Patrum ad ea Scripturæ loca referunt testimonia nonnulla Vasq. d. 37. cap. 5. Granados controuers. 1. d. 3. sect. 2. Illud solùm obseruauit doctè Armacanus suprà cap. 3. atque ex eo Vasquez num. 18. illud 1. Ioan. 3. *videbimus eum sicuti est*, de visione erga humanitatem Christi, seu Christi, qua hominis, intelligi non posse, sed de Deo: quia Christi humanitatem, etiam damnati vibebunt, quam rationem primo dederat Fulgentius respons. 3. ad Ferrand.

3. Verum licèt ita, ex Scriptura, & Patribus res habeat, tamen de aliquorum Patrum, etiam ex citatis, mente addubitatio est non leuis. Etenim Chrysostomus pio, & Catholico in errorem Anomœorum recitatum quæst. 2. odio, adeò sese illi opponere videtur, vt in alium, vt non incidisse, valde tamen, non semel, inclinasse videatur hom. 14. in Ioann. ad id: *Deum nemo vidit vnquam*, ait: *neminem id, quod Deus est vidisse: neque Angelos, neque Archangelos: sed, si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes Gloria in excelsis Deo*. Posset autem de substantia eius à Beatis Angelis auditi, si ab eis eam videri censeret: ac infrà subdit. *Deum videre est impossibile: quia eum nemo nouit, nisi Filius: quousque per carnem assumptam visibilis etiam Angelis factus est*, quod autem Matth. 5. dicitur: *quoniam ipsi Deum videbunt*, & cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: Sic interpretatur: *cogitationem enim, atque imaginationem, quam pro viribus nostris capimus eam visionem appellat*. Clariùs adhuc in ea sententia est hom. 3. de illis Seraphim Dei maiestatem videntibus, faciemque præ aciei suæ imbecillitate velantibus. Isai. 6. *quamquam non ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam: sed quæ videbant condescensus erat, & indulgentia*: quem condescensum & indulgentiam ita subinde explicat: *Cùm Deus, non, vt est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum eiusmodi meruit, eatenus infirmitate videntis suam representationem metitur, ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus, & huiusmodi condescensum nominamus, & indulgentiam*, quibus similia repetit hom. 4.

4. Theodoretus omnino concordat dialogo *Immutabilis*: vbi post alia, quæ roganti Eranisti de modo, quo Angeli semper faciem Dei videant, vt loco citato dicitur, Orthodoxi nomine respondet. *Ita ergo de Angelis intelligamus audientes quotidie, vident faciem Patris vestri: non enim vident substantiam diuinam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam, quæ eorum viribus correspondeat, sitque eis commoderata*. Chrysostomum de more, ac Theodoret. ea in re sequuntur Euthymius, & Theophylactus in id Ioan. *Deum nemo vidit vnquam*. Nyssen. item lib. de beatitudinib. ad id: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Vbi substantiam Dei non nisi per effectus aliquos visibilem à creatura esse docet, ac proinde visionem Dei Beatis ibi promissam, non visionem Dei in se, sed possessionem eius significare, vt Psal. 117. *Vt videam bona Hierusalem*. Pro eadem sententia recitari possent Basil. 1. contra Eunom. post med. Epiphan. hæresi 70. Cyrill. Alexand. 1. in Ioan. & Hierosolymitan. Cathec. 6. sed hi non ita clarè loquuntur, vt facilè in sensum bonum explicari nequeant.

5. Chrysostomum præcipuè (& subinde reliquos) ita explicant S. Thom. part. 1. quæst. 12. art. 1. ad 1. vbi eius interpretes nonnulli, & in 4. d. 49. qu. 2. art. 2. ad 1. Duran. ibi. ad 4. Sixtus Senensis 6. Biblioth. annotat. 182. Ferdinand. Bellosillo aduertent. ad 1. t. Chrysost. cap. 5. Arrubal. 1. p. qu. 12. art. 1. d. 3. Herize d. 36. Fasolus ad eum art. dub. 3. & 4. magna locorum ponderatione, Soarez 2. de attribus, c. 7. n. 18. Primò, de inuisibilitate Dei oculis corporeis. Verùm, cùm de Angelis etiam, qui eorum sententia corporei non sunt, sed incorporei (vt ostendit Vasq. 1. part. t. 2. d. 178.) ita loquantur, locum explicatio non habet. Et Theodoret. de mentis etiam oculis expresè agit. Chrysost. autem ex eo, quod Angeli non viderint Deum nihil posse de eius substantia nobis narrare ait: quòd si eum oculis mentis viderent, vtique possent. Denique Anomæi, contra quos ibi censent oculis mentis visibilem Deum in se esse, imò ab ipsis videri docebant: quos ex inuisibilitate oculis corporeis, nullatenus impugnarent. Explicant Secundò de inuisibilitate Dei in se à nobis in hac vitâ, frigidiùs: quia de Angelis etiam, quos Beatos esse ij Patres fatentur, expresè loquuntur. Ast inquit Arrubal, Chrysostomum hom. 5. de incomprehensibili *Dei* natura satis se explicuisse, quod de visione Dei in hac vita loquatur. Ait enim: *quando igitur ignoratur Dei substantia, summa dementia est velle Deo nomen imponere, nedum comprehendere*. Vbi illud *quando* refertur ad illud *Nunc* loci Pauli. *Videmus nunc per speculum*, quem explicabat: quasi pro tunc beatitudinis designato ibidem à Paulo. *Tunc autem facie ad faciem*, nec nomen Deo imponi, nec videri posse neget, sed admittat, vt expresse vi-

detur admittere hom.3.in epist. ad Philip. his verbis, *iusti siue hic* (in hac vita) *siue illic* (in Beatitudine) *cum Rege sunt: atque illic quidem multo magis proprius, non quasi quodam interiecto vestibulo, non per Fidem, sed facie ad faciem.* Sed certè quid aspectu Dei facie ad faciem, seu faciei diuinæ intelligat, satis constat ex dictis n.3. atque instantiæ illi de impossibilitate enarrandi nobis nequaquam sit satis,

6. Tertia explicatio est: loqui hos Patres de visione comprehensiua Dei, soli Deo possibili. Verùm, licèt quandoque comprehensionis nomine vtantur, dum eam creaturæ possibilem negant: ast comprehensionis nomine, non illam Scholasticam comprehensionem (de qua q. sequenti.) Sed Dei in se visionem intelligunt, vt ibi ostendam. Secundò: quia agunt contra Anomæos, qui comprehensionem pro totius Dei visione accipiebant, vt eorum argumentum ostendit, quod reiecimus, q.2.cert.2. Deinde: quia non ita insanierunt, vt æquè ab ipsis videri Deum asserent, atque à seipso videatur. Tertiò: quia substantiam Dei in se non videri à Beatis Angelis aiunt, sed in aliquo, quod à Deo derivetur. Quartò: quia aiunt nihil nobis de Dei substantia enarrasse, quia eam non cognoscunt; cùm tamen ex visione non comprehensiua enarrare aliquid de illa possent: quare & hanc illis negant. Ea propter Molina 1. p. qu.12. art.1.d.1.Vasq.d.37.c.2.Salas 1.2.tract.2. d.4.n.5. Fernand. de visionib.veteris testam.vis.7.n.3.sect.1. censent hos Patres, inculpabiliter quidem: imò magno in Catholicam Fidem affectu adeò Anomæorum errorem fuisse infectatos, vt in eam sententiam oppositam, falsam quidem, tunc autem nondum ab Ecclesia damnatam ierint: Licèt damnata posthac fuerit, vt sæpè in aliis Patribus contra errores alios disputantibus visu venit, quod ipsum in præsenti de Nysseno, & Theodoreto iudicat Herize d. 36. citata n.4. Ego vero magno fundamento ita hos Doctores iudicasse, negare minimè possum. Tamen ita de eis sentire, in tantos Patres obseruantia, nusquam audeo. Maximè cum videam Catholicam nostram conclusionem, licèt tunc nondum definitam, tot Euangelij locis expressam, illo etiam Matt.11. *Nemo nouit Filium nisi Pater*: ex quo suam sententiam hi Patres præcipuè deducunt: cùm ibi etiam addatur, *Et cui voluerit Filius reuelare*: quibus Dei notitia clara, quæ Deo connaturalis dicitur, nobis ex Dei reuelantis dignatione possibilis denuntiatur: quare censeo præfatos Patres de inuisibilitate Dei à creatura, tam pro hac, quam pro statu beatitudinis esse locutos, viribus tamen naturæ, atque de se considerata, non ex supernaturali Dei adiutorio, sine quo, sicut nec videre, ita neque nobis quidquam de Dei substantia potest creatura etiam Angelica enarrare. Hoc quidem solum errorem Anomæorum satis confutabat, insinuantque illa Chrysostomi verba, *quam pro viribus nostris capimus*, & relata ex hom.3.ad Philippens.

7. De Ambrosij etiam, atque Hieronymi agenda addubitatur, & Isidori mente super hac quæstione. Ambros. enim in 1.Lucæ ad id Ioann.1. *Deum nemo vidit vnquam*: ita scribit. *Et quid de hominibus loquimur: cùm etiam de ipsis cœlestibus virtutibus, & potestatibus legerimus: quia Deū nemo vidit vnquam.* Et statim fere: *ideò Deum nemo vidit vnquam: quia eam, quæ in Chryslo habitat, plenitudinem diuinitatis nemo conspexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.* Sed licèt hæc referens August. epist.112. c.5. nihil respondeat, tamen c.9. vbi de comprehensione agit, de visione comprehensiua Dei Ambrosium explicat, ac de potestate videndi Deum in hac vita, & c.10. & 11. vbi hæc etiam ex Ambrosio refert. *Quid mirum, si in præsenti sæculo, nisi quando vult Dominus, non videatur, in ipsa quoque resurrectione non facilè est Deum videre, nisi his, qui corde sunt mundo*; & ideò *Beati mundo corde.* Concludisque August. *Cernis quam circumspectè loquatur Ambros. etiam de iis, qui in futuro sæculo videbunt Deum.* Et inferiùs: *tandem vide quid adiungat Ambrosius: neque in loco (inquit) videtur Deus, sed mundo corde.* Hieron. autem in id Isai.1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum.* Sic habet: *licèt faciem Dei iuxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura: & tunc mente cernatur, quando inuisibilis creditur.* Quasi sola Fide Deus mente percipi possit: Sed de visione oculis corporis primam testimonij partem interpretatur Aug. citata epist.111. in 2. verò non dixisse oculis mentis credi solummodò à creatura posse, non videri: sed designasse oculos, quibus in cœlo à mundis corde videndus sit. Sunt enim oculi mentis, quibus solùm inuisibilis corporeis oculis esse creditur. Et certè Hieron. ipse in 1. Isai. ita scripsit. *Homo Dei faciem videre non potest: Angeli autem etiam minimorum semper faciem Dei vident. Et nunc in speculo videmus, & in ænigmate: Tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & potuerimus dicere cum Apostolo. Nos autem reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur.* Ad quæ Augustinus. *In his verbis hominis Dei multa consideranda sunt. Primum: quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse Hieronymus sentit tunc nos visuros faciem Dei*: Tandem Hieronymus in id Matth.11. *Nemo nouit Filium*, &c. Eunomium irridet, subditque *quod si contendit inde suam insaniam consolari, quod sequitur: & cui voluerit Filius reuelare: aliud est naturæ æqualitate nosse, quod nouerit, aliud reuelantis dignatione.* Isidorus tandem 1. Sentent. cap.3. in id Exodi 41. *faciem meam videre non poterit*, ait: *quia, quamuis ad pariliatem Angelicam humana, etiam post resurrectionem natura perseratur, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen, eius essentiam plenè non praualet: quia nec ipsa perfectio Angelica in toto, vel integrè attingit scire. Sola enim sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati susceptæ, quæ tertia est in Trinitate Persona.* Sed certè de notitia comprehensiua Dei loquitur, vt aperte illud integrè dicit: aut si illud *integrè* ac *plenè* ad prævalet, seu potentiam refertur, solùm dicetur ex viribus naturæ potentiam videndi clarè Deum creaturæ non esse. Item abstractum *humanitatis*, pro concreto *homo*, posuit, quo solùm pacto, Tertia est in Trinitate Persona, ac eam comprehendit, seu integrè cognoscit: ac proinde eius Scholiastes, *valere ad hanc sententiam idiomatum communicationem*, aiebat ibidem: sed Isidorum audi.2. Offic. Eccles. c.24. *Hic videt per speculum in ænigmate: in futuro autem facie ad faciem cùm ad speciem fuerit perducta per fidem.* Patres alij faciliorem adhuc explicatum habent, vt cert.2. vbi eos pro Armenis opponemus, palam fiet.

CERTAMEN II.

Probatur à ratione conclusio, atque à nonnullis obiectionibus vindicatur.

1. RAtione Theologica probatur Cõclusio. Primò: quia ad Beatitudinem necessaria omnino est clara Dei visio, siue ea totalis, siue partialis beatitudo nostra sit, siue quid ad illam essentialiter, atque necessariò requisitum 2 atqui nostra beatitudo possibilis est, imò de facto pluribus adest secundum fidem: ergo & visio clara Dei est possibilis. Secundò probatur argumento à contrario inuerso, quo q.1. probabamus visionem claram Dei oculis corporeis esse impossibilem. Etenim obiectum, quod intra sphæram obiectiuam alicuius potentiæ clauditur, clarè ab illa percipi aliquo modo potest: atqui Deus intra latitudinem sphæræ obiectiuæ nostri intellectus clauditur: ergo aliquo modo, saltem supernaturaliter, sine auxilio, aut dono aliquo supernaturali adiuto intellectu percipi clarè ab eo poterit. Minor patet: quia Deum ab intellectu creato nostro percipi, cognoscique, licèt imperfectè, notum experientia est, ac proinde, & hunc posse de Deo cogitare, Deumque intra ipsius sphæram esse, licèt ob excellentiam obiecti ipsum in se viribus propriis naturalibus nequeat perstringere. Maior probatur: quia nullum obiectum potest esse intra sphæram obiectiuam alicuius potentiæ, quin sit aliqualis proportio intentionalis inter vtrumque; quæ licèt non omnimoda, & adæquata, seu ad æqualitatem sit, adhuc tamen aliqua saltem inchoata proportio est, quæ licèt complementum non exigat, quia supernaturale est, tamen illius infert possibilitatem: neque enim possibile est inchoatum aliquid facto impossibili, eo, quo potest compleri, & absolui.

2. Tertia probatio sit S.Thom.1.p.qu.12. quam Theologi omnes probant: licèt disputatio inter eos non admodùm levis sit, an demonstratio debeat censeri. Negant Molina 1.p.qu.12.art.1.d.1. Soar. lib.2. c.7. Salas 1.2.tract.2. d.3. sect.1. & Recentiores plures, Affirmant Scotus in 4. d.49. qu.8.

cap.8. Nis.2. metaph.l.3.cap.4.Arrubal.d.15. c.1. Ego non disputo: sicuti nec de probationum aliarum in materiis aliis qualitate, nisi aliquando inuitus. Sunt enim reflexæ quæstiones,& plus damni profunditate sua, quàm commodi Theologiæ,ac Philosophiæ afferentes.Ratio autem sic habet. Naturalis omnium appetitus elicitus de aliquo arguit eius possibilitatem:acqui omnes naturalem appetitum elicitum habemus videndi Deum:ergo videre Deum nobis est possibile.Maior probatur ex illo Augustini 4.contra Iulian. cap.13. *Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales,& beati esse vellemus, nisi esse possemus*; ergo ex appetitu elicito naturali, seu instinctu naturæ rectè infertur rei ita appetitæ possibilitas iuxta Augustin.Et ratio est: quia instinctus naturalis,quo impellimur omnes ad aliquid desiderandum, non magis erga impossibile esse potest; quàm innatus naturæ appetitus: quare, licèt arbitrarius cuiusque appetitus elicitus obiecti desiderati possibilitatem non arguat;ast naturalis omnium appetitus, atque naturæ instinctu elicitus obiecti sic appetiti possibilitatem euincit. Minor ex eodem testimonio suadetur. Nam beatitudo nostra necessariò Dei visionem, vel inuoluit, vel supponit, vt diximus:quare si desiderant omnes naturæ instinctu beatitudinem, omnes etiam Dei visionem,saltem implicitè desiderabunt.Secundò probatur:quia naturale omnibus desiderium est videndi causam,& suam,& cæterorum effectuum, quos cognoscit:Est autem causa hæc Deus, vt monstratum est d.1. atque alibi in physicis controuers. de causis.Sic efformata ratio demõstrationem mihi sapit:sed, vt dixi,de eo non disputo.Quartò demum probatur: Nulla quippeimplicatio apparet in eo, quod Deus ab intellectu creato clarè videatur,qui comprincipio supernaturali eleuetur. Hæc ratio demonstratio non est, vt aliqui putant: alioqui mysteriorum Fidei possibilitas euidens, ac demonstrabilis esset: quia in eis nulla assignabitur repugnantia.

3. Oppones præter explicatos Patres cert. 1. à num.3. Cyrillum Alex.1. in Ioan. cap.22. *Soli enim consubstantiali Filio Pater visibilis est, & nulli præter eum alij*; ac infertius *per creaturarum pulchritudinem videri Deum ab his, qui eum viderint: aciem oculorum hominis tanquam Deus effugiens: quia omnem superat creaturam.* Loquitur tamen de hominibus in hac vita, vt Moyse, & Prophetis,libro item 4.t.1.ad id. *Manifestabo ei meipsum*, ait diligentibus Deum dandam esse cognitionem Dei *perfectam,& exquisitam occultorum Dei reuelationem:non in speculo,& enigmate, sed apertè & perfectè, &, vt ita dicam totaliter:euacuabitur enim,quod ex parte est.*Et inferius. *Mundis corde visio Dei summum præmium est,in quibus Christus per spiritum fulgebit.* Eodem modo explicandus est. Epiphan. hæres. 70. de visione viribus naturæ cum expresse concludat:*inuisibilis igitur est natura, & incomprehensibilis gloria:si vero vult conspici ab homine nihil adaersatur*: quo etiam pacto Cyril.Hierosol.Cateches.6. Cuius hæc sunt verba. *Admonet nos infirmitatis nostræ Deus dicens:Deum nemo vidit vnquam:quid igitur dicet aliquis? Nonne scriptum est quod Angeli eorum semper vident faciem Patris?vident sanè, sed non ita vt est, sed vt est,& ipsi capiunt:vident Angeli, sed ita vt capiunt: vident Archangeli,vt possunt:vident Throni, & Dominationes:sed minus tamen quàm pro rei dignitate. Solus autem Spiritus videt,& Filius Dei vnigenitus*;vbi visione pro rei dignitate, seu, quantum videri absolutè potest, cæteris solùm negat. Neque aliter explicandus Basilius venit 1. contra Eunom. post medium, & Nyssen. de Beatitudinib. ad id: *Beati mundo corde*, vbi de Dei visione in hac vita loquitur, seu eius possessione per cordis puritatem, quam ois, qui per illam ad statum primum conditionis primæ nostræ naturæ reducantur concedit; aliam verò Dei visionem impeditam pro nunc esse ait:quo eam possibilem absolutè decernit. Atque altera ex dictis explicatione intelligenda sunt ea omnia loca 1. ad Timoth. ad Hebr.11. c.1. Ioan.& alia, quibus suprà Deus inuisibilis dicebatur. Sed oppones tandem hic illud ex 1. Petri 1. *in quem* (Deum) *desiderant Angeli prospicere*: ergo neque Angeli Beati, ac proinde neque vlli Beati absolutè Deum vident:quod enim haberur,non desideratur.Respondetur ex Greg.18. Moral. c.18.Isidor.1.Sent.c.10.Beda t.8. lib.quæst.qu.9. solùm eis verbis significare satietatem videntium Deum sine fastidio. Secundò ex Vasq.suprà c.6.in vulgatis, & græcis nonnullis codicibus non legi, *in quem*,sed *in qua*,id est Fidei mysteria,desiderant Angeli prospicere.Ex euentibus,quibus prædicta à Prophetis, impleta successu temporis ab Angelis cernuntur:verum enim successu ea Angelis reuelantur,iuxta id ad Ephes.3.*Vt innotescat Principibus Ecclesia.*

4. A ratione obiicies. Magis distat, imò infinitè, ac proinde multo magis distat, Deus ab intellectu creato, quàm oculus corporeus ab Angelo: & tamen hic nequit supernaturaliter ad videndum Angelum eleuari: ergo neque intellectus ad videndum Deum,Vera,& antiqua solutio communis distinguit maiorem. *Entitatiuè*: concedit, *intentionaliter*: negat. Ne autem solutio petitio principij habeatur, multis non satis firmis Recentiores contendunt. Id autem paucis sic ab antiquis,& à nobis ostenditur.Tum, quia intellectus obiectum est ens,cùm omnia,ad quæ exploratò, intellectus per suam cognitionem extenditur, in ea solùm ratione conueniant: Deus autem intra entia cohibetur. Secundò: quia, licèt imperfectè ob suam tenuitatem,& imbecillitatem intellectus naturaliter Deum sua cognitione pertingat; secùs visus Angelum: vnde virtus inchoata intellectus respectu Dei, vt obiecti, ac proinde aliqualis proportio intentionalis cum ipso deprehenditur; quæque diuinitùs confortari,iuuari,atque eleuari queat ad Deum videndum; secùs in visu ad Angelum videndum,sicuti neque ad iudicandum adhuc de coloribus,de quibus, ne imperfectè quidem iudicat,licèt clarè eos apprehendat. Hæc à ratione naturali satis firmiter dicuntur. Sed firmiùs adhuc ex fide minor illa indistantia intentionalis maiorque intentionalis proportio intellectus,& Dei,quam visus, & Angeli monstratur: cùm ex Fide, vt vidimus, constet Deum à Beatis clarè esse videndum, videriquè de facto: secùs Angelum ab oculo corporis.

5. Sed instabis: non solùm ad obiectum extraneum connaturali virtuti ineluctabilis à Deo potentia vitalis est: sed etiam ad extraneum modum tendendi connaturali modo,quo in suum obiectum tendit; vt patet in visu, qui eleuari nequit ad tendendum abstractiuè in colorem, aut lucem, in quæ connaturali modo visiuè, seu intuitiuè versatur,& in phantasia, seu imaginatiua, qua tali, quæ in obiecta sensuum externorum abstractiue natura sua versatur,nec diuinitùs ad ea intuitiuè cognoscenda potest eleuari: ergo ita hic modus tendendi in Deum abstractiuè connaturalis intellectui nostro non arguit esse eleuabilem à Deo ad ipsum intuitiuè, seu visiue videndum? Respondetur distinguendo antecedens. Ad extraneum modum absolutè,& simpliciter connaturali virtuti potentiæ fateor; circa vnum, vel alterum obiectum: nego. Id enim ob excellentiam obiecti, & potentiæ imbecillitatem prouenire potest, quæ principio supernaturali non vitali possit iuuari: primum probant exempla illarum potentiarum, quarum altera nullum obiectum abstractiuè, altera nullum intuitiuè cognoscit: cùm tamen intellectus ferè omnia minus excellentia intuitiuè, & visiuè connaturaliter percipere queat: vnde negatur facilè consequentia.

6. Instari potest:Deus est quid supernaturale: ergo nequit esse obiectum potentiæ naturalis, qualis intellectus est: ac proinde neque esse ei intentionaliter, aliquatenus adhuc,proportionatus,& indistans.Consequentia probatur: quia potentiæ specificantur ab obiectis:ergo potentia obiecti supernaturalis ab eo specificatur: at nihil naturale specificari potest à supernaturali:ergo neque habere obiectum supernaturale.Secundò quia omnis potentia,essentia, & entitate sua respicit suum obiectum: ac proinde ei necessariò connectitur: nihil autem naturale supernaturali connexum esse potest:negatur tamen consequentia. Ad illud de specificatione cùm extrinseca solùm, ac non intrinseca sit,nego naturale à supernaturali specificari non posse: maximè si inchoata,& imperfecta potentia respectu obiecti supernaturalis sit,vt hic euenit.Ad secundum de connexione:nego potentiam connecti necessariò essentiæ sua cum obiectis,maximè, si inchoata sit, nec complebilis, nisi per supernaturale aliquid, vt de potentia obedientiali passiua rerum, imò & obedientiali actiua communiter docetur: quin completam actiuam ad suos effectus, adhuc vt possibiles, essentia, & entitate sua non referri verior nobis philosophia est, vt controuer.1. de causis docebamus:licèt nos sine eo respectu eam concipere, & explicare minimè possimus: sicuti neque omnipotentiam sine possibilibus. Secundò data connexione, nego naturale connecti entitate sua cum supernaturali non posse, non solùm, vt possi-

bili (quod est manifestum) sed vt existenti, si naturale existens sit, vt contra Ripaldam, & Recentiores reliquos fusè ostendimus controuers. 1. de ente supernaturali, qui tomus tertius nostrarum controuersiarum Theologicarum est, atque hunc Deo dante inmediatè, nec multo post tempore typis sequetur. Denique opponi posset. Deus obiectum infinitum est: ergo, & actus in illud tendés infinitus euadet, quandoquidem ab illo, vt cæteri actus, specificatur. Negatur consequentia. Nam actus non solùm ab obiecto specificatur, sed etiam à potentia: quæ, cum finita, & creata sit, nequit actus infinitus euadere: malum enim ex quocumque defectu. Nec valet scientiam Dei erga creata infinitam esse solùm ex infinitate potentiæ: ergo & creata erga Deum infinita erit solùm ex infinitate obiecti, creata enim obiecta non specificant diuinam scientiam, quæ, quoad intrinsecum sui ab eis creatis, quæ cognoscit, non pendet; quod secùs euenit cognitioni creatæ respectu suæ potentiæ.

CERTAMEN III.

Molestum Philosophiam, & Theologiam, magna ex parte, transcendens calculatorium argumentum eluitur.

1. ARgumentum hoc eodem modo fieri potest contra omnem actum Theologicum, qui obiectum motiuum diuinum aliquid habet, imò & contra abstractiuam Dei cognitionem, quæ Deum obiectum sui terminatiuum habet, imò & contra visionem de Angelo, & de homine infra quos species infinitæ imperfectiores, & imperfectiones possibiles sunt. Addo, & contra potentiam productiuam creatam hominis, & equi, quæ à suis terminis specificatur extrinsecè, atque in vulgari opinione entitate sua ad illos refertur, eisque, vt possibilibus, reuera connexa est; idcirco illud Philosophiam, & Theologiam magna ex parte transcendere dixi. Licèt autem, vel inde eius argumenti fallacia satis prodatur, tamen aliquorum solutiones instantiis pluribus locum ita fecerunt, vt non pauci Recentiores solutu illud difficile iudicarint: quare otiosum hìc minimè iudicaui illud simul, semelque ex instituto dissoluere, ne deinceps in nostris controuersiis legatur.

2. Est autem argumentum huiusmodi. Actus in obiectum essentia sua tendens eo perfectior (paribus cæteris) est: quo obiectum est perfectius: siquidem actus omnis ab obiecto specificatur. Ideò enim visio Angeli perfectior cæteris paribus visione lapidis: ergo, quo gradu obiecta se excedunt, debent se, cæteris paribus, excedere actus exerciti circa illa: atqui Deus infinitè excedit reliqua obiecta creata, collectiuè etiam sumpta, in perfectione: ergo & actus qui circa ipsum versatur, vt Dei visio & reliqui, infinitè debet excedere omnes actus collectiuè sumptos, qui circa infinita obiecta creata, versari queant: ergo debet necessariò infinitus esse absolutè, & simpliciter essentia sua, qui cumque actus circa Deum, vti eius visio, versetur: ast implicat creatum aliquid essentia sua absolutè & simpliciter infinitum esse: ergo visio Dei omnino repugnat. Confirmatur: quia actus, ad quem ab infimo eius generis progrediendo perfectionis tamen determinatæ, per infinitos perfectiores & perfectiores, perfectionibus in vnoquoque determinatis, nunquam peruenitur, infinitus planè est: vt patet in linea, quæ maiores & maiores determinatè infinitas excederet: atqui ad perfectionem visionis Dei non peruenitur per infimum progressum ab actu visionis circa obiectum infimum creatum, per infinitas visiones possibiles perfectiores & perfectiores, circa obiecta perfectiora & perfectiora in infinitum possibilia: ergo infinitus in genere visionis est. Confirmatur Secundò: quia sicut obiectum visionis Dei, scilicet Deus, cuncta creata perfectiora & perfectiora in infinitum excedens absolutè infinitum est: ita & visio eorum omnium infinitas numero perfectiores & perfectiores visiones cunctas excedès, infinita in suo genere & perfectione visionis absolutè & simpliciter esse debet.

3. Fasolus 1. p. qu. 12. art. 1. dub. 7. negat quamcumque obiecti visionem, aut actum è maiore obiecti perfectione, cæteris paribus, perfectiorem euadere altera, quæ minùs perfectum obiectum attingat, si inadæquata, ac non comprehensiua sit; secùs, si adæquata, & comprehensiua sit obiecti illius. Sed certè rem negat ab omnibus admissam, atque ex terminis ipsis ferè notam. Equis enim dubitet visionem hominis, aut Angeli cæteris paribus, & si ipsius cõprehensiua non sit, & adæquata, perfectiorem tamen visione lapidis esse. Eo igitur indubitato principio admisso, Respondetur communiter actum non crescere in perfectione ex perfectione obiecti proportione arithmeticà: id est, vt si obiectum duplo perfectius altero sit, duplo etiam cognitio eius perfectior cognitione alterius esse debeat: id quod ob causæ creatæ limitationem, à qua actus prouenit aiunt euenire; sed solùm crescere proportione geometrica, quam non satis explicant; sed eam satis esse inquit Arrubal, vt si obiectum perfectius certo obiectorum numero sit, eius cognitio eorum cognitionibus perfectior sit. Si autem omnium perfectissimum, & eius cognitio perfectissima omnium de aliis cognitionum euadat, vt ad eius perfectionem nulla alia cognitio peruenire queat.

4. Verùm id satis videtur ad intentum euincendum. Licèt enim non arithmeticè, vt benè dicebatur, ad obiecti perfectionem crescat cæteris paribus actus perfectio, vt actus perfectus vt duo esse debeat, eo ipso, quod eius obiectum vt duo perfectum sit; cùm tamen aliquid perfectionis actus ex obiecto trahat, & magis perfectionis ex perfectiori (vt notissimum atque indubitatum est) ponamus actum ex obiecto perfecto vt quatuor euadere perfectum vt vnum: & tunc quidem euidens erit actum ex suo obiecto perfecto, vt octo trahere perfectionè vt duo. Et sic in actibus perfectiorum, & perfectiorum obiectorum: vt verum sit quod hæc solutio de proportione geometrica concedit, scilicet, vt sicut se habet obiectum ad obiectum, ita proportione seruata, non obiectorum, & actuum quidem, sed actuum inter se, se habeat actus ad actum. Iam verò, cùm in quouis infinito plura infinita includantur, v. g. in infinito vnitatum, infinitum dualitatum, ternionum, & quaternionum, licèt (vt notissimum est) duplo, vel triplo, vel quadruplo minùs perfectionis, quam sit in obiecto, in actum, seu cognitionem eius trahatur; si tamen obiectum infinitæ simpliciter & absolutæ perfectionis sit, & in quo infiniti gradus perfectionis, vel formaliter, vel æquiualenter continentur, vti continentur in Deo, actus in illud terminatus, & tendens perfectionem habebit infinitam, æquialentemque infinitis perfectionibus maioribus & maioribus infinitorum: non quidem obiectorum perfectiorum & perfectiorum ab infimo vsque ad perfectissimum obiectum, scilicet Deum, sed actuum perfectiorum & perfectiorum, qui circa eiusmodi obiecta versari, ad illáque terminari queunt. Hoc autem solùm argumentum eiusque confirmationes contendunt.

4. Ad ea autem omnia respondent Primò nonnulli cum Arrubale, licèt actus circa Deum infinitum versans infinitos maioris & maioris perfectionis actus sub se habeat, eisque æquiualeat, non tamen esse infinitæ perfectionis: quia non est in eadem specie perfectionis, atque illi. Sed malè: quia, nec Deus in eadem specie, imò nec genere vllo, adhuc supremo, cum creaturis infinitis perfectioribus & perfectioribus est: & tamen, quia eis omnibus superior, perfectiórque est, atque earum perfectiones æquiualenter atque eminenter habet, infinitus absolutè, atque infinitæ perfectionis est. Herize disp. 36. c. 4. à n. 63. respondet eis argumento, & confirmationibus solùm euinci actum tendentem in Deum esse negatiuè infinitum. Sed non meliùs: quia perfectio illius actus æquiualens infinitis perfectioribus positiua est. Lugo d. 5. de Incarnat. sect. 3. à n. 36. & Recentiores alij respondent in hac, & similibus difficultatibus, & materiis eis discursibus solùm inferri infinitatem actus secundum quid, aut æquialenter, non autem absolutè & simpliciter. Sed hoc de infinitate æquialenter reiiciendum omnino à creaturis, ac proinde ab actibus creatis est: quibus non minùs æquialens, quam formalis infinitas repugnat, imò multò magis cùm sit infinitatis genus nobilius, quàm formalis si propriè æquialentiæ vox vsurpetur.

6. Quod autem infinitas secundum quid creaturis non repugnat, in pluribus, patet: præcipuè in continuo quantitatiuo, quod in satis communi opinione de eius infinitis partibus proportionabilibus, in mea autem ex infi-

nitis

nitis punctis compositione planum est: ac proinde quamuis quantitatem, imò & eius aliquotam partem, licèt finita absolutè sit, secundum quid, siue secundum partes proportionales infinitatem claudere, atque in se habere. Quæ solutio Murcianis Recentioribus sæpè citatis placet; licèt ex nonnullis prænotatis è tractatu suo de infinito, quæ nobis placere non possunt. Ait enim de conceptu infiniti illud esse, vt eo nihil maius in suo genere esse cogitariue possit: sicque solùm explicari, ac definiri rectè posse. Vnde, cùm tendentia in Deum quàm essentialiter actus visionis includit, & creatum quid sit, & à potentia, & comprincipiis limitatis procedat, & meliorem, atque superiorem aliam in Dei visione circa seipsum necessariò habet in suo genere, & habere potest, adhuc in creatis, ratione melioris comprincipij, & attentionis intentioris potentiæ: quare in suo genere melior omnibus, qui esse, cogitariue possunt non est: quare neque absolutè, & simpliciter in eo genere infinita. Sed certè infinito quantitatiuo extensionis, aut intensionis homogeneæ continuæ, imò & discretæ nullatenùs conuenit. Linea enim quantumvis infinita, maior adhuc esse potest, si medio aut parti sui pars alia addatur, licèt si vtrinque infinita sit à fine, vel initio sui (vt ita loquar) nihil addi possit: quia iam terminus intrinsecus ipsi daretur, qui eius infinitatem destrueret: atque idem est de infinito intensionis homogeneæ, atque de infinito quantitatis discretæ. Ille igitur infinitatis conceptus, conceptus infinitatis specialis Dei est, quorum prædicata infinita, non solum per denegationem termini intrinseci sunt, & quæ proinde aliquid generis illius extra ipsa esse, excludant: sed per denegationem termini etiam extrinseci: & quæ ideo quidquam generis illius non solum realiter, sed & formaliter extra ipsa esse prohibeat, vt sæpè controuersia præsenti, & controuers. de Trinitate docuimus. Denique etsi conceptus ille proprius infinitatis vniuersum sumptæ esset, eius proprietas & secundarius, non autem eius essentia & primarius conceptus foret. Ex eo enim, quod infinitas in se habeat partes, atque progressu infinito ad vltimam peruenire nequit, prouenit, quod maius aliquid infinito in illo genere esse nequeat. Etenim infinitas rei intrinseca est. Maioritas autem, & minoritas: ac proinde earum negatio, comparatio ad aliud extrinsecum in vtriusque entitate fundata.

7. Licèt autem ea solutio infinitatis secundum quid actuum tendentium in Deum, & creaturarum, in quibus calculatorium hoc argumentum locum habet, vera foret: oporteret tamen non admittere infinitos actus, vel creaturas perfectiores & perfectiores determinato excessu visione Dei, aut creatura alia inferiores, aut totam inferiorum collectiuè sumptarum perfectionem formaliter, aut æquialenter in superioribus includi. Si enim vtrumque admittatur implicat eam visionis Dei seu cuiusuis alterius tendentiæ in Deum, infinitatem secundum quid, ac non simpliciter & absolutè talem esse; etenim si tendentia illa in Deum infima in infimum obiectum, etsi à potentia limitata sit, aliquam entitatem, & perfectionem trahit, & superior alia immediata ad obiectum immediatè superius infimo illo, & sic deinceps infinita progressione ascendendo per obiecta, & actus superiores, & superiores vsque ad Deum: ergo, si excessus vniuscuiusque tendentiæ actus superioris, & superioris respectu inferioris determinatus sit, supra determinatam entitatem, & perfectionem illius, quàm formaliter aut æquialenter etiam includat tendentia circa supremum obiectum infinitè ab infimo per excessum perfectionis distans, infinitos gradus determinatos perfectionis formaliter, aut æquialenter habebit: ergo erit perfectionis simpliciter & absolutè infinitæ: quemadmodum linea eo precisè quod infinitas partes determinatas, seu aliquotas, quas vocant, in se claudat infinita absolutè & simpliciter in suo genere esset: vtrobique enim partes lineæ, aut perfectionis tendentiæ illius accipienti restant semper aliæ, & aliæ accipiendæ. Nec refert ad principij, & prædicati creaturæ limitationem recurrere. Inde enim probabitur implicatio tendentiæ creatæ in Deum à potentia limitata potius, quàm soluatur argumentum: cùm inde constet limitatam eiusmodi sententiam necessariò esse, quæ argumento facto infinita, atque illimitata absolutè & simpliciter fore monstratur.

CERTAMEN IV.

Veritas solutionis huius in infinitate secundum quid tantùm Specierum, & actuum Supremorum.

1. VEra nihilominus ea solutio est, quæ eis argumentis solùm probari infinitatem secundum quid contendit, quæ vt diximus creaturis non repugnat. Sed quia negari nequit quin species siuè actus superior formaliter, vel eminenter, seu æquialenter inferioris perfectionem contineat, & aliquid amplius (quod erat alterum è duobus negandum, vt argumenta facta infinitatem simpliciter & absolutè talem in eis non euinceret) negandum necessariò est speciem superiorem supra infimam creatam, & sic de reliquis addere aliquam perfectionem aliquotam supra perfectionem infimæ speciei, quam æquialenter continet, licèt necessarium sit, quod addat aliquem excessum perfectionis proportionale siue ex proportionalibus partibus perfectionis, siue ex eius punctis constatum: quæ infinita adhuc sui repetitione infinitum simpliciter & absolutè excessum perfectionis non constituat.

2. Etenim sicuti neque infinitæ partes proportionales, aut puncta infinita, quibus continuum quantitatiuum iuxta meam, vel alteram communem opinionem constituatur, infinitam quantitatem continuam absolutè & simpliciter constituit, sed intra finitam absolutè & simpliciter quantitatem sunt: ad eum igitur modum finitam absolutè & simpliciter perfectionem, eminentialis continentia perfectiorum & perfectiorum ab infima ad supremam specierum creatarum solummodo proportionaliter se excedentium, quæ in suprema est, infinitatem simpliciter & absolutè talem nusquam constituit: quia ex proportionalibus perfectionis infinitis partibus constatur, non ex aliquotis. Quod si in speciebus obiectorum infinitè sese solùm proportionaliter excedentibus verum id habet: citiùs in eorum cognitionibus, & actibus creatis, quæ ne proportione arithmetica è perfectione crescunt obiectorum, sed minori adhuc, verum habebunt. Quo satis vbique calculatorium argumentum habet, vt vbique quiescat.

3. Sed dices vnde constat res, & cognitiones, seu actus infinitos sese mutuo in perfectione excedentes solùm se excedere perfectione proportionali, ac non aliquota? potiùs enim videtur excessum vniuscuiusque respectu inferioris aliquotum, & determinatum esse debere. Primò enim infima omnium possibilium species, sicut entitatem, ita & bonitatem determinatam, & aliquotam habere debet: cùm nihil solùm proportionale extra aliquotum esse, à Deoque produci possit, vt commune Philosophis axioma est, vnde à pari inferri videtur proximè superioris speciei excessum perfectionis aliquotum esse debere. Secundò quia ex memorato axiomate proximè superior species determinatæ, & aliquotæ entitatis propriæ, & perfectionis non minùs debet esse, quàm infima: & sic de aliis perfectioribus & perfectioribus. Cùm autem diuersa eius perfectio, & excedens sit, debet esse excessu perfectionis determinato, & aliquoto, siquidem proportionalis excessus additus aliquoto nequit facere aliam perfectionem aliquotam, & determinatam maiorem. Sicut neque pars proportionalis quantitatis addita parti quantitatis aliquotæ maiorem aliquotam, imò neque aliquotum potest constituere.

4. Cæterùm ratio, quæ in obiectione hac petitur, cur excessus proximæ in creatis superioris speciei respectu infimæ proportionalis esse debeat, non aliquotus ex absurdo quod infinita simpliciter & absolutè suprema ex creatis species creata, imò & inferior longè supremæ, essentia sua foret, apertè datur. Cùm talis fore argumento calculatorio benè penetrato demonstretur: & tamen infinitas eiusmodi Dei propria sit, ac proinde creaturæ repugnans. Quid ergo robustius ratione qua aliter sentientes in apertam agit, cogitque contradictionem? ad primum autem negatur paritas ab aliquota perfectione speciei, seu actus

infimi ad excessum aliquotum superiorum in infinitum, & superiorum: quia in hoc inuoluitur contradictio, non in illo. Ad rationem ex illo axiomate, quod nihil proportionale, & non aliquotum, & determinatum, sed solùm proportionale esse, aut produci à Deo possit admisso, respondetur; facilè solùm inferri speciem, & actum superiorem perfectionis determinatæ esse & maioris, non autem maioris determinatæ & aliquotæ: ad id enim opus esset, vt perfectionis excessus aliquotus esset ac determinatus, quod abnuimus. Illud autem quod assumebatur, nempe neque posse esse maiorem perfectionem determinatam, quia ex proportionali excessus, & aliquoto, nequit aliquota perfectio constitui, prorsus falsum est; si enim ex puris proportionalibus partibus aliquotum constituitur in opinione communi, citiùs ex proportionali & aliquoto constituetur. Loquor in communi hac continui compositione, quam in Physicis reieci. Nam in mea de infinitis puris punctis faciliùs hæc omnia ibunt. Siquidem duo hæc argumenta locum non habent, & quidem species entis cuiusuis creati superioris perfectionis, inferioris alterius determinatam perfectionem & entitatem non claudit formaliter entitatiue, & aliquid aliud, adhuc proportionale entitatis ac perfectionis addit, sed se tota speciali conceptu suo indiuisibiliter perfectior est: quare locum proprie loquendo, non habent quæ ex augmento quantitatiuo lineæ maioris, per continentiam tantæ magnitudinis, quanta in minori est, & alterius siue aliquotæ, siue proportionalis partis additione.

5. Secundò oppones. Licèt hæc ita habeant in speciebus, & actibus tendentibus in obiecta perfectiora & perfectiora creata in infinitum possibilia; aît in actibus qui Deum attingunt, qui proculdubio infinitum simpliciter & absolutè obiectum est, locum non habent: quare ij actus infiniti erunt, atque ex aliquota absolutè & simpliciter infinitate eius essentiali infinitatem trahent: sicuti traherent ex infinitate aliquota obiecti creati. Respondetur negando actum creatum attracturum perfectionem infinitam ex obiecto simpliciter infinito secundum speciem suam, etsi in creatis esse posset. Sed dixisse nos vniuersim neque actus, neque obiecta creata, etsi supremæ speciei forent, & quæ inferiores & inferiores in infinitum haberent fore ex specie sua simpliciter & absolute infinita. Quia aliæ species perfectiores, & perfectiores in infinitum, tam in actibus, quàm in obiectis inferiores alias proximas non excessu alrquoto, seu determinato, sed proportionali excedunt: quo argumentum calculatorium in præsenti, & aliis materiis cessat.

6. Vnde, etsi infinitum simpliciter obiectum sit (vt de facto Deus est, atque per impossibile esse creatum aliquid admittatur) eo principio statuto actus infinitas non infertur: quia, cum certum sit actum non sumere suam perfectionem ex obiecto proportione arithmetica, sed geometrica, vt explicuimus suprà: atque statutum sit contra hoc calculatorium argumentum species rerum creatarum quarumcunque, superiores & superiores in infinitum solo excessu determinato proximè inferioribus excèdere posse; idem de actibus tendentibus in quoduis obiectum etiam infinitum est dicendum. Insitabis tamen: actus circa obiectum infimum, ex creatis aliquotam perfectionem ab illo trahit: ergo illi proximè superior circa obiectum aliquotè maius, & sic in infinitum, si superiores & superiores aliquotè esse in infinitum possent, obiectis in infinitum traherent: cùm non minùs specificentur, essentialemque dependentiam habeant actus superiores à superioribus suis obiectis, quam infimus actus ab infimo, nec minùs quàm hoc, & illa influxiua perfectionis in suos actus sint.

7. Respondetur in meis principiis de constitutione continui è punctis solis infinitis, instantiam nullam esse. Cùm enim quodvis indiuisibile determinatum quid sit (licèt non aliquotum, id est quod aliquoties repetitum efficiat designabilem, & mensurabilem à nobis determinatam magnitudinem) seorsim vel solum, vel coniunctum cum alio, vel aliis finitis numero indiuisibilibus (quæ tamen aliquotam magnitudinem non faciant) produci à Deo poterit, quare actus ille infimus ab infimo obiecto vnum solùm, vel duo, aut tria indiuisibilia perfectionis ab obiecto infimo trahere potuit, & sic superiores & superiores actus à perfectioribus, & perfectioribus suis obiectis trahere potuerunt, quin ad infinitam simpliciter perfectionem peruenirent, etiam si infinitum aliquod creatum obiectum tandem pertingerent: quare nec actus circa Deum versans illam ex eius infinitate traher. Sed in communi alia continui compositione ex infinitis partibus proportionalibus respondetur, actum infimum determinatam illam & aliquotam perfectionem non trahere ex obiecto, siue ad obiecti exigentiam, licèt tota illa ad obiectum terminetur: quia licet totam illam terminare possit intensiorem & perfectiorem, non tamen illam petit, sed quasi patitur extrinsecè à potentia & comprincipiis actiuis actus illius: quæ ex necessitate effectus, qui nonnisi aliquotus produci potest, ac non proportionalis tantùm, ad aliquotam eius infimi actus entitatem necessatiò concurrunt: deinceps autem in superioribus actibus solùm ad proportionalem excessum, quem vnumquodque obiectum superius de se in suo actu reposcit. Dixi autem sub finem numeri 4. in se totis diuersis perfectioribus specierum instantiam propriam à maioribus quantitatibus respectu minorum esse non posse.

8. Denique dices: ex continentia Dei eminentiali omnis possibilis creaturæ perfectioris & perfectioris, inferri à nobis infinitatem Dei, atque omnipotentiæ: ergo ex continentia eminentiali omnium inferiorum & inferiorum specierum in infinitum in suprema, ad quam peruenìri progrediendo non potest, infinitas deducetur: quod si huic infinitati euincendæ obest, quod superiorum & superiorum excessus solùm proportionalis, ac non aliquotus sit, etiam oberit infinitati Dei, eiusque infinitati demonstrandæ. Respondetur negando consequentiam. Dei quippe, atque omnipotentiæ infinitatem non ex continentia eminentiali infinitarum creaturarum deduximus vtcumque: diximus enim eam deduci etsi creaturæ possibiles infinitæ non essent; sed ex ratione, & modo eas continendi. Eas quippe continet præcisè, quia non repugnent; quæ ratio, si in infinities infinitis chimæris adesset omnes in Deo continerentur, atque, quatenus ex parte Dei eiusque potentiæ est, continentur: vnde, & modus eas continendi eminentialiter est amplissimus, & superfluissimus, vt sic loquar, respectu creaturarum contentarum; quemadmodum continentia omnis spatij & durationis creatæ possibilis, per immensitatem & æternitatem Dei amplissima est, & in qua spatia, & durationes omnes creatæ possibiles quoquouersum agi, moueri atque agitari queant. Species autem suprema illa creata, ita inferiores infinitas proportionali diminutione decrescentes eminenter continet, vt nihil ei præter necessarium ad excessum proportionalem proximè inferioris superfit. Quo labafcit argumentum. Præterquam quod continentia eminentialis actiua, & exemplaris, seu idealis Dei omnem formalitatem effectus debet, etsi excellentiùs, continere, quare & ex eiusmodi continentia infinitorum rectè infertur Dei infinitas simpliciter; species autem perfectior præter genus nihil, quod inferioris, & imperfectioris sit continet; imò verò in differentiali prædicato, quo perfectior euadit, diuersa omnino ab imperfectiori est, & aduersa: quare neque aliquid continet illius, vt diximus.

QVÆSTIO IV.

Sitne Deus ab intellectu creato comprehensiuè inuisibilis.

DEVM naturæ viribus comprehensibiliter videri non posse certum ex dictis est: cùm certa, & Catholica veritas sit Deum naturaliter videri à creaturis minimè posse. Quare id solùm in præsenti inquiritur: an viribus supernaturalibus ita Deum adæquatè, & totaliter videre intellectus possit, vt ipsum comprehendat perfectissima cognitione, quæ strictè comprehensio à Theologis appellatur; non lata illa, qua Dei visio quouis ad

ad Colos. 1. & ad Corinth. 9. Comprehensio ab Apostolo nominatur, ad id autem comprehensionis essentia statuenda in primis est.

CERTAMEN I.

De Comprehensionis natura, & essentia aliorum placita.

1. COmmunis cõprehensionis apud Scholasticos definitio sic habet. *Cognitio rei, qua nihil eius latet cognoscentem.* Traditáque creditur ab August. epist. 112. c. 9. vbi habet. *Aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur, quod præsens, vtcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumstici possunt.* Quibus consonare videtur locis iam citandis, sed certè Augustinus de comprehensione, prout idem cum visione est, non autem de comprehensione stricta, atque contra visionem distincta eis locis agebat. Etenim à cap. 6. Eius epistolæ totus est in referendo, & explicando Ambrosio lib. 1. in Euang. dicente Zachariam non comprehendisse, id est vidisse, Angelum in se, & in natura sua, sed in specie, ac forma visibili, *quam voluntas elegit, non natura formauit*: sicque solùm à Patribus nonnullis veteribus Deum esse visum: etiam à Moyse, qui facie ad faciem ei alloquutus dicitur: subditque rationem: quia *id videtur, vtcumque nempe, quod præsens vtcumque*, id est sub specie aliqua *sentitur*. Comprehenditur autem, *cuius nihil latet*: sub specie nimirum, seu forma, *videntem*. Quin Augustinus hom. 38. de Verbis Domini, ac sæpe alibi comprehensionem Dei Beatis concedit, ac solùm viatoribus, & ex viribus naturæ negat creaturis possibilem, vt ex multis eius locis vidimus q. 3. cert. 3. atque ex aliis inferiùs videbimus. Stet ergo Augustinum nusquam comprehensionis voce eo sensu, quo Scholastici, vsum esse: ac proinde neque Bedam, qui ab Augustino, verba etiam, nec sententiam solùm, mutuatur in 1. Ioann. 3. quod ipsum de aliis Patribus inferiùs ostendemus.

2. Licèt autem hæc ita habeant, tamen non ita malè eis verbis comprehensio definitur, vt si bono accipiantur sensu, bona definitio non sit, vti ex dicendis constabit. Cæterum ita intelligunt illam Vazq. 1. p. d. 53. c. 4. Alarcon. d. 4. c. 6. & alij plures, vt dicant ad comprehensionem requiri (in quo omnes conueniunt, quos viderim) vt quidquid obiecti, siue intrinsecè, siue extrinsecè tandem sit, quia vel formaliter, vel eminenter in eo continetur, vel quouis tandem alio modo esse adhuc extrinsecè potest, comprehensione cognoscatur: quoniam verò sua extrinseca & intrinseca omnia Deus Beatis reuelare posse videtur, ac proinde, & ab illis posse comprehendi. Fasol. 1. p. q. 12. art. 7. dub. 5. negat Deum omnium sibi intrinsecorum, & extrinsecorum cognitionem communicare creaturæ posse: quia ea cognitio, vt pote infinitorum simpliciter & absolutè infinita ex specie sua foret: quod creaturæ repugnat cognitioni. Sed in primis hoc solo illo argumento calculatorio probat, quod q. 3. cert. vlt. diximus: quodque citius Deum essentia sua infinitum videri in se à creato intellectu non posse probaret, vt patet. Secundò comprehensio pluribus cognitionibus haberi debet obiecto, & omnibus quæ ad ipsum pertinèt optimè potest: vt constat ex comprehensione lapidis corporea: vnde ad comprehensionem intellectualem translatum nomen, & metaphora petita est, quæ duplicis manus apprehensione duplici efficitur. Infinitæ autem numero cognitiones finitæ non magis, quàm infinita obiecta repugnant. Secundò Recentiores nonnulli aiunt: omnia, quæ aliquo modo Dei sunt ad comprehensionem cognosci debere secundum statum omnem, quem habeant, tam possibilitatis, quàm existentiæ. Quod si Deus decernat non existere visionem creatam, vel ad illam non concurrere, nulla creata visione huiusmodi decreta actu existentia cognosci poterunt. Cùm omnem creatam visionem alterutrum, nec solùm vtrumque è rebus tollat. Similiter nec scientia visionis de talibus decretis, quæ de facto non est: cùm de facto ea decreta non sint, poterit vt existens visione vlla creata videri; sed solùm vt possibilis. Licèt autem eiusmodi decreta, eorumque scientiam visionis solum secundum possibilitatis, ac non existentiæ statum per diuinam scientiam represententur: ast cum diuina scientia ob suæ excellentiæ in representando infinitatem, ea etiam secundum eum statum immutata omnino representatione sua representaret, si illis status ille adesset; de se quidem comprehensio Dei est.

3. Sed contra primò: quia vel cognitio creata potest immutata in representando ad aliquod obiectum denuò aduenies representandum extendi vel non? si potest etiam illa decreta & scientia casu quo existerent, vt existentia representari à scientia creata possent, sicut à diuina: quare & de se comprehensio Dei esset. Si nequit; inani & superuacuo molimine, & recursu ad decretum de non existentia visionis omnis casu, quo adesset, recurrit: cùm plura decreta, imò & creaturæ plures possibiles de facto non sint, neque cognoscantur vt existentes. Etenim nulla visio, aut scientia creata potest extendi immutata in se, & in representando ad illa representanda vt existentia, casu quo existerent: si autem dicas esse possibilem aliquam in eo casu quæ omnia alia representaret præter illa decreta, & scientiam. Primò: nulla esset possibilis, quæ Dei substantiam representaret: ac proinde eo modo, & hypothesi non solùm incomprehensibilis, sed & inuisibilis Deus ostenditur? quod si ea solùm hypothesi, qua Deus inuisibilis est, incomprehensibilis possit probari: ea sublata æquè comprehensibilis, atque visibilis absolutè dicendus contra communem, vt minimum, Theologorum erit. Secundò ea etiam sublata hypothesi nulla esset cognitio creata, quæ omnia Deo intrinseca, & extrinseca representaret actu existentia suo modo: cùm in his alia positiua, alia negatiua, & contradictorie opposita sint, vt negatio decretorũ, quæ in quauis hypothesi essent: cùm enim negatio decreti, & rei cuiusuis simul cũ illis esse non possit, nunquam dari poterit cognitio, quæ omnia, quæ Dei sunt tam intrinseca quam extrinseca representet actu existentia, pro casu quo existerent, ni dari possit cognitio creata, quæ sine sui intrinseca variatione alia obiecta denuò aduenientia, præter ea quæ semel representauit, representare valeat. Quod hi meritò iudicant impossibile: quare frustrà ac superfluò ad decreta illa, & hypothesim Doctores isti recurrunt: cum eo statuto principio, quod nimirum cognitio comprehensiua obiecti talis esse debeat, vt omnia, quæ in quouis casu & hypothesi aliquid obiecti sint de se representare valeat, in his, quæ absolutè sunt, imò in nulla hypothesi possunt, deficere, nulla cognitio creata, quæ comprehensio Dei sit valeat excogitari.

4. Sed certè principium hoc falsum omnino est, & prorsus inane. Quæ enim nondum aliquid obiecti sunt, imò neque in se sunt, quare neque cognoscibilia sunt (vt decreta, & scientia illa) opus non est vt cognitione comprehensiua, eiusue representatione, quæ tantùm dicit cognitionem eorum, quæ aliquid obiecti sunt contineantur, pro casu quo & in se cognoscibilia, & obiecti aliquid essent: licèt enim hæc non ita pro illo casu cognitione, eiusque representatione contineantur, dum tamen reliqua, quæ absolutè cognoscibilia, & aliquid obiecti sunt ea cognitione represententur, verum absolutè erit talem eiusmodi cognitionem esse, vt nihil rei lateat videntem; quo ex data, & recepta ab his Doctoribus definitione essentia comprehensionis continetur. Quare, & verum erit eam cognitionem absolutè comprehensionem esse. Confirmatur ex comprehensione corporali, à qua ad intellectualem ducta metaphora est. Ad eam quippe sola quantitas, quam de facto, & absolutè corpus habet, contineri, ac deiniri corporali apprehensione debet, vt comprehensio stricta sit; quin talis exuberantiæ, & amplitudinis apprehensio esse debeat, vt totam, quam absolutè, vel in hypothesi aliqua posset corpus quantitatem habere, immutata & inuariata circumscriberet. Alioqui nulla corporea comprehensio esset possibilis, vt patet, ac mox in spirituali & intellectuali expendam. Impugnatur Secundò idem principium ab absurdo; quia cùm nulla creata cognitio non representans actus, & effectus creaturæ cuiusuis mere possibiles, qui actu non sint, eos casu

quo

quo sint, representare queat: fiet planè contra communem sensum Theologorum nullam creaturam ab alia comprehendi intellectualiter posse; imò absurdius aliquid inferetur: nullam scilicet cognitionem de se non representatiuam omnium excogitabilium, tam possibilium, quàm impossibilium pro hypothesi possibili, aut impossibili, quod ad obiectum aliquod pertinerent, ac proinde vera, & in illo cognoscibilia forent, obiecti alicuius comprehensionem esse posse: æquè enim de facto nihil obiecti sunt, atque ad illud non pertinent, quæ de facto non pertinent, atque ea quæ pertinere ad illud non possunt. Hoc autem adeò paradoxum, exoticumque est, vt in nullius calamum, imò mentem, venerit admittere.

5. Tertiò alij ideò non posse omnia tam intrinseca, quàm extrinseca Dei visione creata videri putant, quare neque Deum comprehendi: quia visio Dei creata, quæ aliquid extrinsecum Dei est supra seipsam reflectere, ac se videre, & representare minimè potest, sed per aliam supra ipsam reflectentem, & hæc per aliam, & sic in infinitum procedendo, qui processus infinitus actuum, & obiectorum, à quibus causantur, omnino repugnat: ita Moncæus d.2. c.9.Petr.Thurt. disp.18. de anim. sect.3. & 4. & manuscripto de vis. d. 15. sect. 3. Addunt visione creata non cognita per seipsam, neque reflexa vlla, neque actus amoris erga Deum, qui illam, vel reflexas alias supponunt, posse per illam videri: ac proinde plura, quæ ad Deum spectant, quamuis creatam visionem effugient: quare nulla Dei comprehensio esse poterit. Rationem hanc multis impugnant Murciani Recentiores contendentes obiectum nullatenus scientiam, seu visionem creatam naturâ præcedere: quia aliunde, quàm ab obiectis, habitis speciebus, propriis adhuc, naturaliter haberi possit. Verum præcedentiam naturæ purè termini negare obiecto, respectu visionis minimè possunt: sicuti neque respectu amoris ad quemobiectum purè terminatiuum, imò & motiuum actiuè non concurrunt. Secundò impugnant: quia ea visio directa Dei cum aliis omnibus creatis per vnam aliam visionem omnium poterit diuinitùs saltem cognosci: ac Deus per vtramque comprehendi; sed malè, redit enim de visione illa reflexa, quæ Dei effectus est argumentum, & infinitus processus obiectorum, & actuum. Nihilominus ea ratio est insufficiens: tum quia nihil extrinsecum obiecto, & cum quo hoc connexionem intrinsecam, seu respectum transcendentalem non habeat, cognosci oportet, vt nihil obiecti dicatur cognoscentem non latere. Secundò; quia eodem discursu nihil creatum comprehendi à creatura posse æquè conuincitur: cum nulla eius cognitio esse possit, quæ seipsam representet.

6. Vazq. c.4. & d.60. circa finem, ex quo reliqui, fatetur posse absolutè creatum intellectum omnia Dei intrinseca & extrinseca diuinitùs cognoscere: at verò non posse illũ comprehendere: quia ea ex vi visionis Dei, vt ad propriam comprehensionem oportet, nequit cognoscere: cùm Deus realem respectum ad creata ipsi extrinseca nullatenus dicat, nec medium ad ea cognoscenda esse possit. Cùm autem Dei scientia increata è Deo ipso, tanquam ex primario obiecto, atque adæquato specificatiuo infinitam representationem trahat, qua omnia cognoscibilia, etiam extrinseca secundariò representat, fit planè, vt ex vi visionis Dei cuncta extrinseca Deo, quæ ipsius effectus sunt, esseue possunt, à Deo cognoscantur, atque Dei increata cognitio sit ipsius comprehensio. Multa in hac sententia displicent. Primò id, quod definitioni illi ex Augustino desumptæ additur. Nimirùm comprehensionem ex vi visionis obiecti debere cuncta, quæ ad ipsum spectant videre. Id enim oporteret, vt Augustinus, & Scholastici veteres definitioni addidissent, vt reciperetur à reliquis. Neque enim fas nobis est traditis ab antiquitate definitionibus rerum quidquam addere, vel minuere; alioqui, cùm rerum definitiones scientiarum principia sint, si eæ pro iudicio, libitóque immutari ab vnoquoque possent, nihil in scientiis firmum haberetur. Secundò ex ipsa natura corporeæ comprehensionis, ex qua intellectualis cognitio comprehensio dicta est, impugnatur. In ea quippe opus non est, vt quidquid quantitatis in corpore comprehenso est, ex vi comprehensionis alicuius alterius, quod corporis est, contineatur: vt si dimidium lapidis vna manu contineas, opus non est vt ex huius continentiæ vi dimidium aliud lapidis alia manu contineatur. Displicet secundò modus, quo explicatur visionem increatam ex vi visionis Dei extrinseca omnia, quæ Dei sunt representare. Etenim ex infinitate representationis, quam visio increata è Deo tanquam obiecto primario, & specificatiuo trahit, non magis determinatur ad representanda, quæ Dei aliquid sunt, quàm quæ non sunt: quare non, quia Dei sunt aliquid, ea representat, vti ad formalem rationem comprehensionis oporteret, vt ex vi visionis obiecti, quidquid illius est, per illam cognosceretur: innuitur enim eis vocibus, vt, quia illius aliquid sunt, ex eius visione ad ea cognoscenda comprehendens determinetur: ac proinde, nisi ea ratione ex vi visionis obiecti cognoscantur, formalis comprehensio obiecti visio non erit; quod autem ratione infinitatis, quam ex ipso trahit non magis determinetur ad videnda obiecta, quæ aliquid illius sunt, quàm quæ non sunt aliquid illius, patet: quia, si per possibile, vel impossibile aliquod obiectum esset, quod ad Deum nullatenus pertineret, ratione & titulo infinitatis suæ æquè necessariò increata scientia illud representet. Imò neque vllam creaturam comprehendet Deus ex inconnexis cùm suis extrinsecis, vt inconnexæ causæ sunt cum suis effectibus existentibus; & sic si à causis pluribus indifferenter possint oriri: siquidem neque ex obiecto creato Dei scientia representationem trahit, neque eiusmodi obiecta realiter transcendentaliter connectuntur ac referuntur.

7. Displicet tertiò: quod ea etiam, quæ aliquid rei comprehensæ esse, dicitur extrinseca obiecta possint, debent absolutè cognosci, nedum ex vi visionis cognosci, vt res comprehendantur, etsi hæc nullum intrinsecum respectum habeat ad illa: in quo video Murcianos Recentiores Vazquio, & eius asseclis consentire. Etenim, vt nihil rei non cognoscatur, lateatque videntem, sat est, si omnia eius intrinseca cognoscantur, quæ si absque extrinsecis cognosci non possint, quia horum respectiua sunt, tunc etiam cognosci debebunt, non quidem ratione veritatis, aut cognoscibilitatis suæ, sed quatenus tota veritas rei necessariò cognoscendæ vt comprehendatur, eis ignotis cognosci nequit; at verò cùm extrinseca obiecta respectum essentialem, & intrinsecum rei comprehendendæ non terminant, ac proinde tota illa sine eis videri, cognoscique potest: nulla est ratio, ob quam extrinseca illa omnia in se cognosci debeant, vt res tota cognoscatur, atque visione, seu cognitione absolutè contineri, definiri, ac circumscribi absolutè dicatur. Confirmatur ex comprehensione corporea, ad quam apprehensio extrinsecæ quantitatis corpori comprehendendo non requiritur. Licèt enim corporalis comprehensio terminos respectuum intrinsecorum corporis continere non debeat, quia palpabiles non sunt respectus eiusmodi, vt tactu & contiguitate teneri, apprehendique possint, sicut mente percipi, intelligique valent: ac proinde ad comprehensionem intellectualem percipi debeant, ac subinde eorum termini: ast extrinseca plura quanta, quæ tangi, & corporeè apprehendi queunt, atque aliquid extrinsecum corporis sunt, apprehendi deberent, vt ipsum comprehenderetur: si quidquid rei comprehensæ extrinsecum, & adhuc inconnexum est, apprehendi debeat, vt comprehendatur.

8. Nec refert, si dicas illorum extrinsecorum cognitione rem comparatiuè magis cognosci, cum Murcianis Recentioribus: quid enim est magis cognosci comparatiuè, seu per comparationem ad alia? an quod illius sublimitas comparatione ad inferiora, vel inferioritas comparatione ad superiora magis cognoscatur, vel simile quidpiam? sed id comparatione ad ea etiam, quæ nihil illius sunt obtinebitur. Secundò ea rei per comparationem ad alia cognitio maior in eius cognitione abstractiua, & imperfecta per discursum locum habet; secùs, cùm res tota, quanta quanta est, in se clarè & intuitiuè videtur. Quare in ea cognitione per comparationem non res ipsa clarè visa magis cognoscitur, sed alia, quæ extremum comparationis & similitudinis, vel dissimilitudinis est, nisi aliquid rei intrinsecum, quod extrinsecis illis ignotis cognosci non poterat, eis cognitis innotescat: hoc autem nequit ita innotescere, nisi intrinsecus rei illius conceptus extrinsecorum respectiuus vere sit, atque illis necessariò, & essentialiter connexus, vt contendimus. Hæc ratio rationi alteri eorundem Recentiorum occurrit. Aiunt enim

compre

comprehensionem debere adæquari cognoscibilitati objecti, vt cert. 1. dicemus. Cum autem Deus licèt connexus adhuc cum effectuum suorum possibilitate non sit (imò & causæ omnes id in mea sententia habeant) cognoscibilis tamen per suos effectus, quia eorum causa, sit, cognitio, quæ Deum (& idem est de quacumque causa) non per effectus etiam cognoscat, & in ordine ad extrinseca, ipsius cognoscibilitatem adæquare non posset: quare neque illius comprehensio esse. Cæterum cognoscibilitas rei comprehendendæ, quam æquare debet eius comprehensiua cognitio, non est cognoscibilitas quæ ei extrinsecè à nostris cognitionibus, & potentiis cognoscitiuis (præsertim naturæ suæ virtuti, seu imbecillitati, & imperfectioni relictis) mediisque, quibus ad rei cognitionem qualem qualem vtitur, obuenit; sed cognoscibilitas, seu veritas rei intrinseca, vt cert. 2. dicemus; alioqui ad comprehensionem rei, vt eius nobilissima cognitio essentia sua est, modi omnes imperfectissimi nostri rei cognoscendæ, atque imperfectissimæ etiam nostræ illius cognitiones aduocandæ forent: quas non cum comprehensione rei solùm, sed & eum eius visione impossibiles esse ostendemus controuerso sequenti de Scientia Dei. Sat ergo est, vt eminentiori cognitione intuitiua res tota cognoscatur, vt comprehendatur: ea quippe cognitione tota eius cognoscibilitas, & veritas intrinseca representatione formaliter intentionaliter continetur; atque insuper tota cognitionum imperfectiorum rei eiusdem, ac proinde eius extrinseca cognoscibilitas eminenter habetur. Denique neque ex vi visionis objecti comprehendendi videri debere, aut posse extrinsecos terminos, ad quos res comprehendenda entitate sua intrinsecè referatur, ostendemus fusè citata controuers. de Scientia Dei, ne iustos quæstionis terminos præsens excedat. Præsertim cum ibi propriori sede ea de re disputandum videatur.

9. Hæc satis sint contra eos, qui omnium tam intrinsecorum, quàm extrinsecorum rei cognitionem siue absolutè, siue ex vi visionis illius, ad eius comprehensionem, & necessarium, & sufficiens arbitrantur. Alij autem id etiam supponentes varia ad strictam comprehensionem requirunt. Nominales apud Vazq. eundem c. 3. tradendis quinque comprehensionis acceptionibus, quàm difficultatu de Dei incomprehensibilitate soluendæ, atque naturæ comprehensionis explicandæ insudarunt. Licèt in tertia, & in quinta comprehensionis acceptione suam de comprehensionis essentia mentem videantur explicuisse: dicentes in tertia comprehensionem esse visionem optimam, quæ de obiecto haberi possit: in quinta verò comprehensionem in ea acceptione eandem proportionem cum aliis cognitionibus seruare debere, quam eius obiectum cum aliis seruat. Sed tamen proportio hæc impertinenter ad comprehensionem aduocatur: cùm inter non comprehensiuas cognitiones seruetur, vt pater. Secundò: quia intuitiua Angelica comprehensio lapidis perfectior est cognitione naturali abstractiua Dei; cum tamen obiectum sit longè perfectius. Tertia verò illa acceptio comprehensionis, licèt Deum incomprehensibilem à creatura cuncat; etiam muscam incomprehensibilem facit à creatura: cum nulla creata muscæ cognitio optima sit ex his, quibus cognosci potest: cùm increata scientia à Deo cognoscatur. Quiedo citandus, licèt non approbet, ast ex Recentioribus nonnullis captam sententiã aliam proponendã ob nouitatem duxit §. 2. n. 8. qui denique Recentiores ad comprehensionẽ obiecti requirunt, vt cognitio omnia obiecti eo modo, quo in obiecto sunt, siue formaliter, siue eminenter representet: ita vt, si obiectum possit habere & non habere aliquem actum absque vlla sui mutatione, ita & cognitio comprehensiua sine vlla sui mutatione representare illud, ac non representare queat, si non sit actus. Vnde constat cur Deus à se solo, ac non à creatura comprehendi possit, ast creaturæ comprehendi à creatura queant. Verùm, vt dicebamus n. 3. & 4. falsum omnino est ad comprehensionem requiri cognitionem eorum, quæ obiecti nondum sunt, pro casu quo illius sint, vt hæc ratio Recentiorum supponit. Quare contra hunc modum eadem, quæ ibi dedimus, militant argumenta: Præterquam quod diuinæ libertatis cum eius immutabilitate mysteria ad alias planiores difficultates extricandas extendere, intricare omnia est, atque diuina mysteria demittere.

CERTAMEN II.

Vera comprehensionis strictæ natura, & essentia cum Patribus, & Scholasticis ferè omnibus traditur.

1. VEra igitur comprehensionis definitio eis verbis, *qua nihil rei latet videntem, & qua rei fines circumsticiuntur*, bene intellectis continetur, vt nimirùm nihil cognoscibilitatis intrinsecæ rei ea cognitione, & visione rei lateat cognoscentem: quæ definitio reipsa in eam recidit, qua clarius, ac sine vlla vocum amphibologia maior longè theologorum pars comprehensionem definierunt his verbis. *Cognitio, seu visio rei in quantum cognoscibilis est.* Ita eam definierunt Bonau. in 3. d. 14. art. 1. q. 3. ad 3. Scotus ibi q. 1. & 2. in 4. dist. 49. q. 3. art. 1. & in reportatis q. 210. art. 1. ad 1. multisque locis S. Thom. præcipuè 1. p. q. 12. art. 7. corp. & ad 2. q. 14. art. 3. contra Gentes cap. 55. q. 8. de verit. art. 2. & in 3. d. 14. q. 1. Scotistæ omnes ad Scoti locum, item Nominales, Okam eorum princeps in 1. d. 3. q. 7. & in 4. q. 13. Gabr. in 3. q. vnic. & in 1. d. 3. Greg. in 1. d. 44. Maior in 3. d. 14. art. 1. q. 3. & 15. Ricard. ibi q. 4. Duran. q. 1. ad 3. Carthus. d. 49. q. 4. Bannes ad citatum art. 7. 1. p. Cajet. art. 8. & Thomistæ Dominicani reliqui. Atque in hunc sensum explicandus venit Franciscus Victoria relatus à Vazq. cap. 1. dum ait: ad comprehensionem requiri, vt obiectum secundum totam intensionem cognoscatur. Neque enim doctissimus, atque acutissimus vir (qui id saltem, omnium animis suorum nempe scriptorum desiderium, cudit) de intensione qualitatis propria loquitur (sine qua, & Deum à se, & creata, tum ab ipso, tum à creatura comprehendi posse videbat) sed de intensione perfectionis, & cognoscibilitatis. Ei vero definitioni ex nostris annuunt Valent. 1. p. q. 12. pun. 6. Molina ibi, art. 7. fine, & art. 8. Soar. tit. 1. q. 3. q. 10. d. 26. sect. 1. & 2. & 2. de attribut. c. 5. & d. 29. Salas 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. Arrubal. 1. p. d. 23. c. 4. Herize d. 4. c. 4. Moncæus d. 2. c. 7. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 4. Ruiz. de Montoya tit. de Scientia d. 6. sect. 2. & sequentib. VVadingo d. 6. de Incarnat. dub. 3. §. 2. fine, & §. 3. ac fin. quarti. Oviedo controuers. 7. de anima pun. 5. §. 1. n. 4. Bern. d. 33. de Incarnat. sect. 1. n. 7. & d. 34. sect. 1. n. 5. licet aliam comprehensionis definitionem ex Augustino petitam in sensu à nobis impugnato admittat etiam n. 7. sicuti, & ex citatis plerique.

2. Hanc item comprehensionis strictæ definitionem, etsi non comprehensionis, vt plurimùm, voce, nobis Patres ferè omnes tradidere. Augustinus t. 3. de Trinitate. *Plenam verò*, inquit, *diuinitatis naturam nec Angelus quilibet, nec sanctus aliquis perfectè videre poterit* (nota illud: *Plenam, & perfectè*) *ideo incomprehensibilis dicitur Deus.* Item de cognition. veræ vitæ cap. 3. sic, quod Angelis, qui semper vident faciem Dei, inuisibilis dicatur Deus, conciliat: *quia nulli creaturæ ad plenum intelligibilis, nempe animæ Beatorum, & Angeli suo more, non nostro, eam vident &c. Sed quia non pleniter ab ipsis, sicut à se ipso, conspicitur. Ideo solus inuisibilis dicitur.* Et epist. illa 112. cap. 6. *Propterea Deum nemo vidit vnquam: quia sicut ait disputator Noster Ambrosius, plenitudinem diuinitatis eius nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit.* Et soliloquio 31. *Si sibi integrè notam esse Trinitatem totam*, aiebat August. & 4. de Genesi ad lit. c. 6. *Deum non ita nobis, & Angelis notum esse*, ait, *sicut ipse sibi.* Iterum Gregor. loco citando. *In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest. Sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plenè conuenimur.* Chrysost. hom. 4. de incompreh. Dei natura, & hom. 1. & 3. in epist. ad Corint. ait: *Deum à creatura non ita sicut à se cognosci posse, ac proinde neque ab ea comprehendi, quia nequit ab ea exquisita cognitione, seu comprehensione cognosci.* Concluditque. *Restat vt à Filio, & Spiritu Sancto dumtaxat exquisitè illum cognosci disseramus.* Fulg. q. 3. ad Ferr. de Christi anima ait: *nouisse Deitatem, quantum* (id est, secundum totum) *quod ipsa se nouit, non autem sicut ipsa se nouit: quia Deitas sic se*

nouit, vt hoc se inueniat esse, quod nouit; non ita Christi anima. Sine qua identitate inter cognoscentem & cognitum Deum æqualitas cognitionis qua talis cum obiecti intrinseca cognoscibilitate esse minime potest. Greg. Magn. 10. Moral. c. 7. aliàs 11. *Excelsior*, inquit, *calo est: quia ipse quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudini perfectè non penetrant.* Et rursus: *Habet Deus sublimitatem: quia ipsorum quoque intelligentiam, qui recepti in supernam fuerint congregationem transcendit.* Idem Greg. lib. 18. Moral. cap. 27. & 28. alias 37. vel 40. *Nec tamen videbimus sicut videt ipse se ipsum. Longè quippe dissimiliter videt creator se, quàm videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis: quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.* Ac rursus. *Profectò non ita concipimus Deum, sicut ipse conspicit se: sicut non ita requiescimus in Deo sicut ipse requiescit in se. Nam visio nostra, vel requies, vtcumque erit similis visioni, vel requiei illius, sed æqualis non erit.*

3. Succedat Hieronymus ad id: *Nemo nouit Filium, nisi Pater* &c. his verbis. *Erubescat Eunomius tantam sibi notitiam Patris, & Filij, quantam alterutrum inter se habeant iactitians. Quod si inde contendit in suam insaniam consolari, quia sequitur: & cui voluerit Filius reuelare: aliud est natura æqualitate nosse quod nouerus, aliud reuelantis dignatione,* vt inde non tantùm nosse Deum, quantum Deus se nouit Eunomius videat; quia non ex naturæ æqualitate cognoscet. Huc aduocandum etiam est illud Ambrosij in 1. Lucæ ad id Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, dicentis: *quia eam, quæ in Christo habitat, plenitudinem diuinitatis nemo conspexit: nemo mente, aut oculis comprehendit.* Potius hæreo in voce *plenitudinem*, quam in verbo *comprehendit*: Luculentius Isidorus 1. Sentent. cap. 3. ad id Exodi 41. *Faciem meam videre non poteris*, ita scribit. *Quamuis ad perfectionem Angelicam humana, etiam post resurrectionem natura perferatur, & ad contemplandum Deum indefessa, videre tamen eius essentiam plenè non præualet: quia nec ipsa perfectio Angelica in toto, vel integrè attingit scire. Sola enim sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati suscepta* (id est homini) *qua tertia est in Trinitate Persona.* Atque illud etiam Cyrilli Hierosol. Cateches. 6. recitandum hic est. *Vident sanè* (Angeli faciem Patris) *sed non ita, vt est: sed, vt est & ipsi capiunt; vident Angeli, sed ita, vt capiunt. Vident Archangeli, vt possunt. Vident Throni, & Dominationes; sed minùs tamen quàm pro rei dignitate. Solus autem Spiritus videt, & Filius Dei vnigenitus.* Pro *rei dignitate* nimirùm, siue, *vt oportet*, quemadmodum ipse ibidem ait his verbis. *Solus autem Spiritus Sanctus, ita, vt oportet, videt. Ille enim scrutatur omnia etiam profunda Dei: & vnigenitus Dei Filius, ita, vt oportet etiam cognoscit.* Hilar. 12. de Trinit. col. penult. *Nulla te nec res tua, penetrat: nec profundum immensa maiestatis tua peregrina, atque aliena virtutis causa metitur* Bernard. 5. de considerat. ante med. & Laurent. Iustinian. de casto connub. Dei, & animæ cap. 28. Deum à creatura comprehendi posse negant, quia huius visio creata necessariò futura est, ac non increata sicut diuina. Quod aliis verbis nostram continet sententiam; concordant horum Patrum rationi. Hilar. 2. de Trinit. sub init. Prosper. sentent. 61. & epigram. 60. Iunil. African. de partibus diuinæ legis cap. 14. Hugo Victor. 1. de Sacrament. p. 3. cap. 1. Ricard. Victorin. 2. de Trinit. p. 1. cap. 20. ac tandem ne plura minori operæ pretio, quàm laborem, congeramus, alia ad hanc nostram sententiam testimonia videat, qui velit apud Soar. Vazq. Ruiz. Tanner. Fasol. & alios Scholasticos locis citatis.

4. Sed & à ratione facilis probatu conclusio est, vt videre est apud Soar. locis citatis, præsertim 3. p. d. 26. sect. 1. vbi fusè rationes à S. Thom. tactas persequitur, & illustrat. Primò enim, cùm comprehensio intellectualis adæquari obiecto debeat, non quantitatiue, sicut corporea, sed eius ad instar, intentionaliter, seu intelligibiliter: & nequeat ita adæquari, nisi omnem eius intelligibilitatem representatione sua intentionaliter quasi exhauriat: necessariò tanta debet esse in ratione representandi, quantum obiectum fuerit in ratione intelligibilis. Secundò probatur, quia cum veritas intrinseca rebus sit, & passio metaphysica entis, non minùs, quàm earum bonitas, assignatur, qua maiori, vel minori amore de se dignæ res sunt; ita etiam ad eius perfectionis mensuram intrinseca veritas, seu cognoscibilitas intrinseca assignanda est, pro qua aliæ aliis perfectiori, vel imperfectiori cognitione de se se dignæ sint, vt eleganter tetigit Cyrill. Hierosol. recitatus n. 3. post med. Inde communiter obiectum spirituale corporea potentia percipi non posse dicitur: quia intrinseca cognoscibilitas, & veritas illius omnem cum corporea imperfecta cognitione proportionem intentionalem, præ sui perfectione ab intrinseco detractat. Tertiò probatur: quia per omnes, vt bene Soar. d. illa 26. comprehensio debet esse clara, & euidens, ita, vt non sufficiat nihil obiecti cognoscentem abstractiue, & obscure latere: ergo ad rationem comprehensionis non sufficit totum obiectum, vtcumque representare, sed opus præterea est, vt in modo repræsentandi illud totum perfectionem habeat, ipsius nimirum cognoscibilitati intrinsecæ, & vt in se est, proportionatam. Confirmatur hæc ratio: quia, cum ad rationem comprehensionis opus non sit, vt vna simplici cognitione habeatur; sed satis sit pluribus haberi, inferretur Deum abstractiuis cognitionibus posse à nobis in hac vita comprehendi, ni aliud requireretur, quam omnia obiecti percipi, vtcumque, ac non cum proportione debita intentionali cognitionis, & obiecti: quanto demum apertius inferetur Deum Beatis comprehensibilem absolute esse: cum omnium tam intrinsecorum, quam extrinsecorum Dei ea ratione, quæ ad Dei comprehensionem in aduersariorum sententia sit satis (vt cert. 1. ostendebamus) possint Beati visionem habere.

5. Reliquum est sententiam nostram à nonnullis obiectionibus liberare, vt firmior adhuc subsistat: & primo explicatur, & confirmatur. Quia in rebus, quasi intelligibilibus duplex quantitas, & mensurabilitas cogitari debet, sicut in rebus corporeis, altera quasi extensionis, si partibus constet, altera quasi intensionis, quæ perfectionis, seu virtutis appellatur; atque vtrique quantitati adæquari debet cognitio, vt obiecti cognoscibilitati, & intelligibilitati adæquetur, vt opus ad comprehensionem prorsus est. Sicuti vt qualitas absolute comprehendatur, opus est, vt non solum tota eius extensio, sed & intensio percipiatur; nec video, quare, quasi extensiua rei quantitas necessario ad eius comprehensionem percipienda tota sit, non autem, quasi intensiua percipi debeat. Dices non posse esse visionem, seu cognitionem, quæ representatione æquet rei intrinsecam veritatem, & cognoscibilitatem, quin ad omnia extrinseca rei, quæ eminenter in ipsa continentur extendatur: ergo perperam id ad comprehensionem non requirì asseruimus cert. 1. Antecedens probatur: quia per ea omnia res cognoscibilis absolute est: ergo dum non per ea etiam cognoscitur, non cognoscitur omni, seu tota sui cognoscibilitate. Secundo: admisso respectu reali causæ vniuersim ad suos effectus, probatur: quia implicat respectum videri sine termino, & rem videri sine respectu totam. Respondetur tamen negando absolute antecedens. Probatio illius prima solum probat de extrinseca rei cognoscibilitate, non in se, sed in medio, cui comprehensio æquari non debet: alioqui, cum ea cognoscibilitas rei in alio, seu per aliud abstractiua sit, ad rei comprehensionem eius abstractiua cognitio, nec vna, sed plures etiam necessariæ forent; quod nemo concedet. Item, si veritati, seu cognoscibilitati extrinsecæ rei omni comprehensio æquanda sit cognoscibilitati extrinsecæ rei ab omnipotentia, & cognitione possibili æquari deberet comprehensio: quare nihil à creatura, imo, & à Deo comprehensibile esset, cum nulla potentia possit representare rem omnium cognitionibus, imo neque alterius potentiæ cognitione. Secunda probatio, admisso eo respectu causarum, probat quidem, vt summù, non posse videri causam effectu ignoto secundum eum statum, quo ipsius terminat respectum: id tamè, cum ratione visionis rei sit, non probat comprehensionis, vt à visione diuersæ proprium esse, quod solù concedimus.

6. Secundò rogo: an id visioni, & comprehensioni, qua visionem includit, quatenus realiter respectiua, termini res comprehendendo medium est ad cognoscendum terminum videntem determinans competat: & sic non est rei cognoscibilitas intrinseca, sed cognoscibilitas termini extrinseca solum, non autem intrinseca, nec respectu rei, nec termini ipsius; an verò contra: quia terminus est medium determinans ad cognoscendum rei comprehendendæ realem respectum ad ipsum: & sic est extrinseca solum rei cognoscibi

gnoscibilitas, sicuti & extrinsecus ei est terminus, per quem eius respectus cognoscitur. Et iam cognitio rei per ipsum abstractiua rei cognitio erit ab eius proinde comprehensione releganda: vel tandem, an ideo cognosci terminus debeat, quia respectus relatio sine extremis cognosci nequeat, quia sunt simul natura, & cognitione, vt verius Aristoteles aiebat: sic autē nec res, nec terminus ex alterius visione, vel in altero videtur: sed necessario vterque simul videbitur. Solumque infertur visiones, seu cognitiones vtriusque non esse separabiles; non autem ex maiori penetratione rei, & adæquatione cum eius intrinseca cognoscibilitate terminos eiusmodi extrinsecos esse cognoscendos. Sed dato toto nihil contra nostram illam doctrinam probat argumentum. Solum enim negamus sufficere ad comprehensionem rei totius, atque omnium, quæ ipsius sunt cognitionem satis ad comprehensionem non esse, cum aliunde, quam ex adæquatione cognitionis in representando, cum tota obiecti cognoscibilitate intrinseca haberi possit, licet ex hac adæquatione id haberi admittamus: quod abnuimus: quia in causis realem ad effectus suos adhuc possibiles, respectum negamus.

7. Oppones secundo cum Vazq. comprehensionem corpoream, & quantitatiuam, (cuius ad instar intellectualis cogitanda necessario, metiendaque est) solam dicere, quod vnum corpus totum intra aliud, siue nobilius, siue ignobilius contineatur: ergo intellectualis cōprehensionis solum erit, quod totum obiectum, eiusque omnia illius representatione ambiantur, siue ea representatione tota cognoscibilitas obiecti æquetur, siue non. Negatur facile consequentia: quia in re intellectualiter comprehensibili duplex, quasi quantitas est, alia quasi extensiua, alia quasi intensiua, vt diximus: ac proinde duplex in ea continentia, sine adæquatio cum duplici hac quantitate requiritur, vt ostendebamus exemplo intellectualis comprehensionis qualitatis extensæ, & intensæ: quia, sicut in corporea quantitatiua comprehensione nihil quantitatis extensæ, ad quam solum esse potest, extra illam relinquendum est, ita ad intellectualem, nihil etiam, quasi intensiuæ quantitatis, circa quam etiam versari potest relinquendum est, vt sit comprehensio: quin, si sola representatione quantitatis quasi extensiuæ rerum eius comprehensio esse posset, simplex apprehensio abstractiua dubiaque de re quapiam, eiusque omnibus comprehensio contra omnium æstimationem diceretur: imo & Deus de facto naturæ viribus à nobis comprehenderetur: cum possimus & Deum, & reliqua omnia coniunctim, & confuse vniuersali cognitione concipere, & representare. Quod autem ea omnia, ac Deum distincte per illam non represententur non obesset comprehensioni, si adeo stricte intellectualis comprehensio corporeæ conditionibus metienda, alligandaque sit. Nam, licet hæc, cum plura coniunctim comprehendit, singula distincte non ambiat, sed confuse solum, & coaceruatim eorum nihilominus comprehensio est: vt patet cum tritico cum pugillo continemus.

8. Obiicies tertiò. Nullius creaturæ cognitio æquare potest cognoscibilitatem totam, quantumuis infimi obiecti, non solum naturaliter, sed supernaturaliter adhuc: ergo, si tota rei cognoscibilitas æquanda cognitione, eiusque representatione sit, vt euadat comprehensio, nulla creatura, quantumuis infima, adhuc supernaturaliter, nedum naturaliter, vt omnes supponunt, poterit ab alia creatura, etiam suprema comprehendi: antecedens patet: quia infima etiam creatura cognoscibilis est ab omnibus creaturis intellectualibus, atque à Deo: omnium autem cognitionibus, præcipue Dei, nequit formaliter, aut æquiualenter creatura illa, etiam suprema, adhuc diuinius, eam representare: quare neque eius cognoscibilitati omni adæquari, eamque sua representatione exhaurire, & continere, vt patet. Respondetur facile ex dictis n. 5. de cognoscibilitate rerum intrinseca, & extrinseca à potentiis cognoscitiuis eius, earumque possibilibus cognitionibus extrinsecus desumpta. Huc æquari non debet, nec potest comprehensiua cognitio, vt probat obiectio: secus intrinsecæ rei cognoscibilitati, qua de se res proportionatè ad suam perfectionem petit nobiliori, vel ignobiliori cognitionis representatione percipi, iuxta dicta in nostræ sententiæ probatione. Ac tandem, vt plura sophismata, contra nostram doctrinam quiescant: ne excidat memoria nos in comprehensiua cognitione non requirere adæquationem cum obiecto, eiusque veritate, & cognoscibilitate entitatiuam, sed intentionalem, & in representando, quæ optimè in cognitione inferioris notæ, quàm obiectum, quoad entitatem reperiri potest, ac sæpius reperitur.

CERTAMEN III.

Dei incomprehensibilitas omnimoda ab intellectu creato statuitur. Vbi de eius certitudine.

1. PRonuntiatum ex dictis cert. 2. erit ratione Theologica Dei incomprehensibilitatem absolutam, & omnimodam ab vllo intellectu creato, creabilique in hunc modum ostendere. Comprehensio rei debet æquare in representando, non solùm quidquid in obiecto, seu obiecti est, quasi extensiue, seu clarius prædicatis obiecti, siue physice, siue metaphysice ipsum constituentibus, sed eius etiam intrinsecæ cognoscibilitati, & veritati: atqui nullâ cognitio creata, è possibilibus adhuc, æquare potest in representando intrinsecam Dei veritatem, & cognoscibilitatem: ergo nulla creata cognitio possibilis potest esse Dei comprehensio: ac proinde Deus absolutè, & omnimodè ab intellectu creato, & creabili incomprehensibilis est. Maior probata est cert. 2. consequentia est legitima. Minor probatur ex dictis eodem cert. Quia, cum veritas, & cognoscibilitas intrinseca rerum entis rationem metaphysicæ consequatur, eo gradu, quo entis perfectio augescit, veritatis, & cognoscibilitatis intrinsecæ dignitas, & perfectio accrescet, atque eo perfectiorem in representando cognitionem requiret: maxime, vt adamussim eius veritas, & intrinseca cognoscibilitas per illam æquetur. Quod adeò verum est: vt ob rerum spiritualium entitatem perfectionem, ac subinde veritatis, & cognoscibilitatis intrinsecæ earum dignitatem, corporei sensus illam non æquare modo, sed vllo modo attingere ex communi Philosophorum, & Theologorum sensu minime possint. Denique discursum totum Patrum recitatorum cert. 2. n. 2. & 3. authoritas irrefragabiliter confirmat: præsertim Augustini quæstiuncula illa de Trinit. vbi ideo Deum à creatura incomprehensibilem esse, dicique ait, quia non perfecte, nec plena notitia Deum, etiam dum Deum videt, contuetur, & loco recitato ex c. 9. epist. 112. & de cognit. veræ vitæ c. 3. inuisibilem, pro eo, quod est incomprehensibilem esse ob eandem rationem aiebat. Reliqui vero Patres inuisibilitatem pro incomprehensibilitate Dei eadem ratione probant.

2. Qua vero certitudine Deus incomprehensibilis absolute, & omnimode ab intellectu creato habendus sit, lis inter scholasticos est maior. Contendentibus ex vna parte Vazquezio citato d. 52. de fide non esse; ex alia vero Soario d. illa 26. esse de fide, atque vnoquoque plures in suas partes trahente. Longissimum esset recitare testimonia, quibus esse de fide contenditur. Et quidem, quæ ex scriptura afferri possunt, vel Soarius ipse è re non esse fatetur sect. 2. ab initio. Quæ vero ex Patribus, solito interpretandi acumine ita ex contextu, & intento Patrum eneruarunt Vazquez citatus, & VVadingo d. 6. de Incarnat. dub. 3. §. 1. vt non multum roboris in eis maneat. Quod enim Augustinus serm. 38. de verb. Dom. ait. *Quis ergo oculis cordis comprehendit Deum? sufficit, vt attingat: si purus est oculus. Si autem attingit tactu quodam attingit incorporeo, & spirituali, non tamen comprehendit: & hoc si purus est. Et homo fit beatus contingendo corde illud, quod semper beatum manet, & est beatitudo perpetua.* Hic locus Augustini videtur pro hac re cumprimis vrgens. Sed tamen, si contextus legatur, inueniretur loqui eū de cognitione nostra Dei in via, & per species alienas habita: qua Deus attingitur, seu leuiter tangitur, quod de visione beata dici nequit: probatque ea non cōprehendi Deum à minori ad maius negatiue: quia nec oculus per species proprias obiectorum, suæque facultati connaturales ea comprehendit: multo igitur minus intellectus per species alienas comprehēdet Deum, imo comprehensionē

pro visione Dei in se vsurpat. Nam ait infra: *dolere nos debere, quod non comprehendamus, & impedimenta comprehensionis Dei amouere.*

3. Video aliorum etiam Patrum testimonia adduci: Epiphan. lib.3. hæres. 70. *Deus infinitis modis, & adhuc amplius incomprehensibilis est.* Ac infra. *Omnia quæ ab ipso facta sunt infra ipsius gloriam sunt; sola autem Trinitas incomprehensibilis est.* Sed, licet incomprehensibilitas solius Dei propria, ac non communis illi cum entibus supernaturalibus stricta incomprehensibilitas, vt ab inuisibilitate distinguitur propria Dei sit, ast loqui eum de incomprehensibilitate à nostro intellectu; id est penetratione mysterij illius per discursum, & acumen ingenij, etiam eius fide supposita (quod alia supernaturalia non habent) expedita, & facilis solutio erit. Item dicitur Dei stricta incomprehensibilitas definita à Concilio Lateranensi, vt habetur cap. *Firmiter*, de summa Trinit. his verbis: *credimus, & confitemur vnum esse Deum, infinitum, incommutabilem, & incomprehensibilem.* Vbi cum eodem modo incomprehensibilis, atque immutabilis definiatur, sitque absolutè immutabilis, etiam incomprehensibilis absolutè definitur; sed redarguit acute Vazq. tum, quia eodem etiam modo ineffabilis definitur: cum tamen viribus naturæ solum ineffabilis, proprio, & quidditatiuo physico nomine, licet nomine proprio metaphysico discursibus nostris, & cognitionibus abstractiuis Dei parto, effabilis sit, vt ipse docet d. 57. c.2. Tum etiam quia immutabilitas definitur in Deo etiam respectu sui; cum tamen incomprehensibilitas, respectu sui etiam, definiri nequeat: cum ex fide Deus se comprehendat. Fasolus d.1. n. 3. definitam Dei strictam incomprehensibilitatem ab eodem Concilio putat, relato cap. damnamus, eod. tit. verbis hisce: *Credimus, & confitemur, cum Petro* Lombardo (vtique sententiarum Magistro) *quod vna quædam res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* At Magister de comprehensione, & de incomprehensibilitate theologica, & stricta scholastice egit: ergo stricta scholastica incomprehensibilitas definita à Concilio fuit. Sic etiam hoc capite, & verbis conuinci iudicat Quiros d. 30. sect. 1. n. 12.

4. Et quidem acuta fuit obseruatio. Sed oporteret eos, & Concilij intentum lectione, & meditatione examinare: atque insuper libros sententiarum euoluere, vt auide quærerent, & inuenirent Petri Lombardi de Dei incomprehensibilitate sententiam, quam nobis citata distinctione referrent, vt, & ipsi, & nos merito conuinceremur; nobisque, qui difficilius credimus, eam Magistri sententiam quærendi cassum laborem eximerent: euolui Magistri librum, & loca, vbi aliquid de Dei incomprehensibilitate ab intellectu creato agere posset, nihilque de Dei incomprehensibilitate stricta, & Theologica, siue ex instituto, siue ex nata occasione docuisse inueni, id solum in 3. d.14. ait, animæ Christi scientiam ad omnia extendi, atque diuinam: ac proinde omnia scire, quæ Deus scit, non autem ea scire, sicut scit Deus. in 1. vero lib. d. vbi de modis, quibus Deus eiusque Trinitas cognoscitur nihil de Dei comprehensione, siue incomprehensibilitate agit, in 4. d.49. vbi de differentia mansionum in cœlo, solum ait: inæquali perfectione, & claritate Deum à Beatis videndum; de comprehensione autem, vel incomprehensibilitate nihil. Quare pro Dei incomprehensibilitate stricta Petrus Lombardus in ea capitis *damnamus* definitione citari non potuit. Imò neque de ea in eo sensu tum ibi, tum in Concilio Lateranensi actum est: cum de ea nullus error tunc existeret, neque exitiosset. Solum ergo citatur ibi Petrus Lombardus pro vnitate omnimoda personarum, ac personalitatum diuinarum cum essentia, quæ ibi eo Concilij capite definitur, contra eius impugnatores, qui tempore Petri Lombardi quibusdam distinctionibus inter hæc excogitatis eam impugnabant.

5. Incomprehensibilis autem dicitur ibi, non ex sensu Petri, & stricta, de qua nunc incomprehensibilitate, sed vel discursu nostro per cognitiones abstractiuas, & species alienas, habito: quo pacto Trinitas personarum inasse, quibilis, imo, ne cogitabilis quidem secluſa reuelatione, est: vel pro inuisibilitate prout antea negarà fuerat ab Anomæis, Begardis, & Beguinis: nempe viribus naturæ pro hoc statu. Sicut legitime interpretandi sunt Irenæus lib. 4. c. 36. Deum incomprehensibilem dicens; subdit enim cap.37. *Incapabilis, visibilem se, & capabilem hominibus præstat*: per sui nimirum visionem. Et Damascenus 1. de fide c. 1. & 4. Licet Seraphim oculis Deum incomprehensibilem dicat, subdit tamen, *ni cui voluerit reuelare*: vnde incomprehensibilitatem pro inuisibilitate vsurpat aperte; alioqui de potentia, & voluntate absoluta Dei à creaturis comprehensibilem stricte contra obiectantes docet. Denique eodem sensu loquutus est Nazianzenus orat.1.pag.119. & orat.36.4. de theolog. n.66. vbi & Elias Cretensis orat. 34.2. de theologia n. 9. vbi licet dubitet: an Angeli (& idem est de reliquis videntibus Deum) Deum comprehendant? nihilque eo numero definiat; ast n.19. de Angelis, Deum comprehendere affirmat: atque hominibus Dei comprehensionem, ideo inter alia, datam negat, vt in laboris vitæ huius præmium seruaretur. Quare comprehensionem pro Dei visione manifeste vsurpat, non stricte, & theologice, vt post hac ab scholasticis fuit vsurpata. Explicandus item venit Anselmus c.35. Monolog. dum impossibile reputans Dei scientiam à creatura comprehendi: vt viribus naturæ solum modo loquatur.

6. Sed verò, licèt ita hæc habeant, ac proinde Dei incomprehensibilitas stricte definienda non sit; ast qui eam negaret, plusquam temerarius esset. Neque enim solis scholasticis cunctis, nemine dempto nullo authoritatis, aut rationis fundamento se opponeret (quod plus satis temeritatis esset) verum communi Patrum, quorundam quidem grauissimorum expresso, aliorum vero virtuali, & implicito sensui, sententiæque aduersaretur. Expresse enim Augustinus recitatus certam. 2. n. 2. quæstiuncula illa 13. de Trinit. quia, & Angeli, & Beati reliqui *plenam naturam Dei perfecte videre non possunt: ideo incomprehensibilem dici*, atque esse docet. Pro qua etiam sententia, & ratione idem Augustinus epist. illa 112. c. 9. Ambrosium recitat, vti nos eodem numero recitabamus. Idem ipsum docebat Ambrosius à nobis recitatus ibidem n.3. ex libro eius 1. in Lucam, Anselmus in Euangelium de transfigurat. Math. 17. *Maiestatis suæ celsitudinem scientia nulla comprehendit.* Ne autem de scientia per discursum, & demonstrationem habita explicari posset, subdit statim scholastice satis. *Latet in quadam obscuritate incomprehensibilitatis suæ, nec cognosci potest à creatura, nisi in quantum vult reuelare.* Vbi quia cognitionis quantitatem à Dei voluntate necessario taxandam, & finitam fore ait, Deum incomprehensibilem prædicat. Clarius adhuc in id.1. ad Timoth.1. *immortali, & inuisibili*, inuisibilem Deum esse ait: quia, licet *à Beatis videri possit, secus comprehendi.*

7. Primæ eius rationi consonant Bernardus, & Laurentius Iustinianus citati à nobis cert. 2. n. 3. asserentes Deum à creatura comprehendi non posse, quia creaturæ cognitio creata, & finita necessario futura est. Denique Chrysostomus quinque illis homiliis contra Anomæos, licet incomprehensibilitatem Dei sæpe pro Dei inuisibilitate viribus naturæ vsurpet, tamen, & pro incomprehensibilitate stricta contra eosdem vsurpasse dubium mihi non est; cum non solum Deum à se videri, effutirent illi; sed & comprehendi: tantumque ab ipsis quantum à se cognosci Deum, vt de eis aiebat Hieronymus à nobis recitatus cert. 2. n. 3. quamquam, quia non ita omnes sine controuersia putant, & quia vitibus naturæ Anomæi loquebantur, Concilia quæ contra illos definiunt Dei incomprehensibilitatem non definiant, Beda tamen in illud S. Ioann. 3. *Videbimus eum sicuti est.* expresse pro stricta Dei incomprehensibilitate sterit, sic effatus. *Promittitur nobis videre Deum. Nam comprehendere concedi non potest.* Denique Concilium Basileense sess. 22. damnat Augustinum de Roma asserentem, animam Christi comprehendere Deum. Quod si à creato intellectu absolutè comprehendi Deus posset, non damnandus, sed laudandus potius foret. Licet autem eiusmodi Concilium definitionem nobis non faciat: ast, cum tot constiterit Patribus magnam valde Dei incomprehensibilitati absolutæ, & strictæ, de qua loquimur, fidem facit: atque communem totius Ecclesiæ expressam sententiam ea in re fuisse satis ostendit.

8. Idem, licet non incomprehensibilitatis voce, docuere Patres, qui diuinitatem Spiritus sancti contra Arrium

rium ex illo 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, ita arguit pro Spiritus Sancti diuinitate Athanas. in Concilio Nissen. d. contra Arrium sub finem; vbi *scrutari* idem, atque comprehendere significare vult: sicuti, & Idacius clarus lib. contra Varimandum, Basilius contra Eunomium, S. Thom. in eum locum. Vbi idem significari, & probari ait ex Sap. 7. *Vbi omnia prospicere Spiritus sanctus* dicitur. Et primo quidem scrutari profunda Dei tantundem valere, atque penetrare, & comprehendere certum è vocum proprietate est. Quod autem de comprehensione, & penetratione, seu scrutatione absolutè dicta, ac sine addito *ex propriis viribus* loquantur est compertum. Cum enim comprehensio Dei ex propriis viribus (quomodo creaturæ explorato impossibilis est) apertius Spiritus sancti diuinitatē contra Arrianos euincere, addere illud *ex propriis viribus* non omitterent, vt eius diuinitatem clarius ex eo loco monstrarent, si alienis etiam viribus, ac proinde omnino, & absolutè à creato intellectu Deum comprehensibilem cenferent. Huc etiam spectat illud Ambrosij recitatum à nobis cert. 2. n. 2. sub finem. *Nam quantum ad immensitatem Dei* (quoad eius intelligibilitatem) *quidam nobis modus* (terminus) *figitur contemplationis*: quia *eo ipso pondere circumscribimur*, (ne ipsum contemplatione ambire possimus) *quo creatura sumus*. Tertiò idem implicitè docuerunt Patres omnes à nobis recitati cert. 2. n. 2. & 3. asserentes nullam creatam visionem quantumvis perfectam esse Dei plenam notitiam, Deumve integrè, pleniter, seu plenè perfectè, integrè, totaliter pro rei dignitate, aut, sicut ipse se novit, representare. Denique pro stricta hac Dei incomprehensibilitate stant Patres omnes, qui teste Vasq. 1. p. d. 37. c. 2. variis locis inuisibilem absolutè Deum negant. Cum enim illum à Beatis videri certum ex scriptura sit, contra aperta à Deo Scripturæ testimonia negare non possent inuisibilem, nisi incomprehensibilem intelligerent.

QVÆSTIO V.

De ineffabilitate Dei.

EX attributis Dei negatiuis nomine, quæ creatam cognitionem concernunt, postremum eius ineffabilitas est, ac proinde eius examinandæ propria hic sedes.

CERTAMEN I.

Hac de re Patrum, Scholasticorumque sententiæ.

1. EFfari propriè aliquid idem est, atque illud nominibus alij, vel aliis significare: id quod, & intellectionem loquentis, ac effantis de re, quam loquitur, supponit, & capacitatem eam percipiendi, in eo, ad quem sermo, aut nomen dirigitur. Etenim nemo id, seu de eo, quod nusquam novit, effari potest, aive nomen imponere, vt alteri illud nomine, aut oratione significet: neque de illo cum eo, qui percipere nequit (ni amentia vertet,) sermonem habere, illudve ei nomine intimare. Cùm autem Deus tum ob summam ipsius excellentiam, tum ob ipsius excellentissimam ac creatis spiritibus supereminentem spiritualitatem, sensu corporeo percipi, adhuc abstractiuè, nequeat, sit fanè vt in eo, ad quem nomina Dei dirigi locutione de eo possunt mens, ratio, atque intellectiua potentia necessariò supponatur. Atque hæc quidem apud omnes certa, atque ex ipsis terminis nota.

2. Illud verò non æquè apud omnes est constans: vnde scilicet desumenda, taxandaque sit impositionis, & significationis nominum magnitudo? ex qua incertitudine, atque inde orta opinionum varietate circa præsentem quæstionem sententiarum diuersitas nata est. Quidam enim aiunt eam totam pensandam esse ex perfectione cognitionis in eo, qui nomen imponit; connotando tamen capacitatem eius, ad quem sermo, aut voces diriguntur ad percipiendum ea, quæ nos concepimus eisque significare volumus: quandoquidem inter nomen imponentem, eoque vtentem, nomina signa quædam, & Symbola sunt. Ita Antisiodor. 1. summ. cap. 3. Henricus art. 73. summ. qu. 9. S. Thom. 1. contra gentes cap. 31. & 1. par. qu. 13. art. 1. Alex. 1. par. qu. 48. n. 1. Albert. in 1. d. 22. qu. 1. n. 5. S. Bonauent. art. 1. qu. 1. vbi etiam Ricard. corp. & ad 3. & Thom. de Argentina, Capreol. & Bassolis art. 2. conclus. 3. & 4. & Marsil. qu. 25. art. 2. Caiet. 1. p. qu. 13. art. 1. Ferrar. 1. contra gent. cap. 31. Noster verò Vasquez d. 57. c. 2. à n. 8. & cap. 3. è contra docet nominum significationem non ex perfectione cognitionis eius, qui loquitur, eóque alteri significat; sed eius, cui eis nominibus significatur esse pensandam. Vnde si is, cui aliquis loquitur, aliunde rem melius novit, quam loquens ipsi, nomina perfectius significabunt: id quod exemplis multis ostendit, & ratione, quia nimirum loquens non sibi nomine significat, sed ei, cui loquitur, quique eum audit loquentem.

3. Hinc citati pro prima sententia docent à viatoribus non posse nomen imponi, quod Deum quidditatiuè, &, vt est in se, significet; posse tamen eiusmodi nomen imponi à Beatis, quia nimirum hi Deum, vt in se est, concipiunt, & vident, ac proinde ad illum significandum possunt nomen imponere; secùs autem viatores, qui eum vt in se est, non percipiunt. Cum autem significatio, vt diximus, audienti, siue relata ad audientem sit, Henricus expressiùs aliis ait: à Beatis, multoque melius à Deo imponi posse nomen quidditatiuè, &, vt in se est, significans; non autem à viatoribus, sed Beatis solum: id quod nec reliqui, qui cum ipso sentiebant negare potuerunt. Vasquez verò contra censet, non solum Beatos, sed & viatores posse Deo nomen imponere, quod ipsum quidditatiuè, & sicuti est significet. Siquidem quouis nomine à viatoribus significetur, ex eo Beati, *qui Deum clarè vident sicuti est*, ad quidditatiuè videndum excitabuntur. Refert pro se Scotum in 1. d. 22. qu. vnica. Okamum, & Gabrielem ibidem art. 3.

4. Vt autem clarius, ac sine vllo amphibologiæ periculo nostram sententiam proferamus, circa illud primum dubium opinionem oportet præmittere. Censeo ergo cum Doctoribus primæ sententiæ: significationem nominum, iuxta perfectionem cognoscendi rem, ad quam significandam impositum est, in eo, qui ipsum imponit taxandam, metiendamque prorsus esse. Neque hanc veritatem pendere ex eo, quod voces, seu nomina conceptus nostros formales, ea imponentium significent, vt censet Vasquez c. 1. num. 1. fine. Etenim, licet res obiectas significent, eorumque ad placitum signa sint, eas tamen non aliter significare possunt, quam, vt ex parte obiecti proponuntur, & representantur: quare aliter, quam eis obiiciuntur significari per voces, quæ, vt res ad placitum eorum significent, imponuntur, assumi ab imponentibus minimè possunt: cùm id, quod de re non percipiunt velle significare minimè possint. Etenim, qui de Deo omnipotentiam solum cognouerunt: cum ad id, quod de Deo cognouerunt, significandum aliis Omnipotentiæ, vel omnipotentis nomen imposuerunt, ad alia quæ de Deo non nouerunt significanda illud instituere, nec voluerunt, nec velle potuerunt, v. g. Iustitiam, Immensitatem, Trinitatem; imò neque eis ad id significandum sibi vicissim vti possunt.

5. Quod autem tot exemplis adductis Vasquez probat id solum profecto est: ex nominis vnius, quod de Deo dicitur, auditione, posse in eo, qui alia de Deo, vel Deum aliter, atque is, qui nomen imposuit, aliunde novit ad eum aliter cognoscendum, vel alia plura de eo cogitanda, excitari aliunde posse: nimirum ex adseruatis à me actæ alterius aliunde habitæ de Deo cognitionis speciebus; non autem ex vi significationis nominum Omnipotentiæ aut Omnipotentis. Confirmatur: quia alias his, qui plura de Deo prædicata norunt, imo omnia tam essentialia, quam attributalia, & personalia amplius omnipotens, quam iis, qui pauciora norunt, vi significationis intimaret: imo idem omnino quod prædicata Dei omnia: quod ipsum de quouis Dei nomine dicendum cum sit, ex dictis omnia Dei nomina synonyma forent: quod est & absurdum, & falsum apertè, alioqui iustitia est misericordia, Omnipo-

rentia, &c. in sensu non solum identico, sed formali verè de Deo dicerentur.

6. Inde vero absurdo non mediocri rursus fieri, innumeras propositiones in sensu formali apud omnes falsas verum habere. Denique ratio est: quia, licet voces, & nomina, & alia, quæcumque ad loquendum aliis signa ad placitum, nostros conceptus ad placitum non significent; aut nostrorum conceptuum apud alios substituta sunt: quare in representando aliis obiecta significative metas representandi obiecta, quas formales nostri conceptus de obiectis habent, prætergredi nequeunt. Quoniam vero, vt nos cum omnibus supponebamus, nominum impositio ad significandum aliis instituta, nataque est, ac proinde audientium, siue eorum, ad quos sermo est, percipiendi, quod significari intenditur, capacitatem concernit sit plane, vt non, nisi ad eodem modo percipientes, vel iuxta modum saltem, quo possunt percipere, significatio nominum esse possit. Etenim, si obiecta aliter, quam possent ab eis percipi nomina, & signa illis significarent, qui eis ad illos loquerentur, fabellam, vt aiunt surdo narrrarent.

7. Licèt autem vera omnino hæc sint. Verum etiam est ab eo, qui superiori modo cognoscit obiecta, dum tamen modum inferiorem ea cognoscendi, quem solum ij, ad quos loqui vult, habent, habereque, vel natura sua, vel ex accidenti, aut statu suo possunt, nomina ipsorum capacitati significatiua rebus possit imponere; licet non eo modo, quo significant aliis eas ipse percipiat: quia tunc, licet casualiter & indirectè ipse percipiat, absolutè tamen res percipit, neque significationem nominum è sua cognitione vult metiri, sed ex eorum capacitate, & modo cognoscendi sibi notis, quibus cum loquitur. Licet enim nemo rem vltra id, quod de ea nouit, vel vltra modum, quo eam nouit, significare aliis possit velle, vt supra docebamus: ast minus de ea, ac imperfectius aliis significare velle optimè potest, ac non in totum voces, suo conceptui substituere. Vnde constat quid veri, quidve falsi in eis Doctorum opinionibus, & distinctionibus sit de possibilitate imponendi nominis quidditatiui Dei à viatoribus respectu Beatorum, & à Beatis respectu viatorum.

8. Denique sciendum est nomen Deum significans posse esse significans Deum quidditatiuè, seu essentialiter, ac non quidditatiuè, & essentialiter, sed accidentaliter. Primum est, quod Dei essentiam significat. Secundum est, quod non Dei essentiam, sed eius accidentia seu affectiones designat; cùm autem in Deo accidentia, seu affectiones eius essentiæ physicè, siue, vt physicè est, adesse non possint, fit, vt nomina Deum non quidditative, & essentialiter, sed accidentaliter significantia in nomina ipsum physicè, siue, quatenus physicè est, significantia, & quatenus metaphysicè est diuidi nequeant: Cum necessariò ipsum quatenus metaphysicè est nomina extra essentiam ipsius debeant significare: contra verò in nominibus Deum quidditatiuè significantibus res euenit. Cum enim in duplici ordine, & physico, & metaphysico quidditas, & essentia Dei inueniatur, nomina Deum quidditatiuè significantia in duo membra diuidi merito queunt, nempe in ea, quæ Deum quidditatiuè, & essentialiter metaphysicè loquendo significant, & in nomina, quæ Deum quidditatiuè, & essentialiter physicè, siue, vt in se physicè, & realiter est, representant. De quibus postremis nominibus solummodo quæstio esse potest. Nam de nominibus essentialiter, vel extra essentialiter, seu accidentaliter metaphysicè ipsum significantibus possibilia esse, atque à nobis ipsum per species alienas, atque sensibilium ad instar cogitantibus imponi posse, atque ita à nobis effabilem esse quæstio non est. Cum tota Theologia imponi ita à nobis, eisque nos vti posse, ac Deum, deque Deo effari prorsus demonstret.

9. In eo solùm quæstionis præsentis vertitur Cardo. An Dei nomina quidditatiua physica, siue eius quidditatem physicam, aut eum, vti physicè in se est, significantia imponi à creatura rationali queant? an nequeant? quod ipsum est Deum, vt in se physicè est, à creatura rationali effabilem esse, vel ineffabilem. Quoniam vero in Deo, vt physicè, & vt in se est duplex obiicibilitas, seu representabilitas considerari (vt de comprehensione, & incomprehensibilitate agentes dicebamus qu. 4.) altera quasi ostensiua, altera vero intensiua, cuique Dei comprehensio adæquari debeat. Deum quidditatiuè physicè, & vt in se est effari nominibusque significare dupliciter cogitare valemus: vel, vt in se physicè est, secundum eius quasi extensionem, vel secundum eius quasi intensionem, seu omnimodam intrinsecam obiectiuam cognoscibilitatem.

CERTAMEN II.

Dei à creatura rationali quidditatiuè physica ineffabilitas comprehensiua ac non comprehensiua etiam naturæ viribus certa omnino est; secus secunda supernaturaliter.

1. PRima conclusio. Deus quidditatiuè physicè sumptus comprehensiua effabilitate omnino ineffabilis à creatura, imo & à Deo creaturæ est. Est omnium scholasticorum axioma ferè dogmaticum; idque solum voluit Henricus citatus, asserens Deum non posse seipsum effari, adhuc Beatis, secundum rationem immensitatis, non quidem, quæ attributum est, quasi in ordine ad locum, sed in intelligibilitate immensa, seu infinita, & summa obiectiua: quidquid primo modo eum Scotus intelligat. Hanc conclusionem suadent Testimonia Patrum statim referenda ac definitio Concilij Lateranensis recitata qu. 4. cert. 3. num. 3. ex cap. *firmiter*: ratione insuper Theologica. Et primo quoad primam partem: Etenim cum nominis significatio conceptus qui in imponentibus illud est, representationem prætergredi nequeat atque ex alia parte nulla omnino cognitione creata comprehendi Deus possit, vt ferè dogmaticum est, sit planè, vt Deus à creatura vlla nomine ipsum, vti physicè est, comprehensiuè significante dici nequeat. Secunda pars æqua facilitate probatur: quia nulli aliquis loqui potest de re aliqua, nisi iuxta modum, quo ipse illam potest percipere, vti etiam ostendimus: ergo cum creatura nequeat Deum comprehensiuè percipere, nequibit nomine sui comprehensiuo loqui Deus creaturæ.

2. Secunda conclusio. Deus quidditatiuè physicè sumptus, siue, vt in se physicè est creaturæ viribus naturæ solis ineffabilis est alteri creaturæ viribus eisdem relictæ. Hanc conclusionem tenent etiam omnes, atque, vt minimum, sensu Deum ineffabilem dictum credo, ac definitum cap. illo firmiter, de summ. Trinit. atque dictum à Dionysio 1. de diuin. nomin. *Dei neque nomen esse, neque sermonem*, à Iustino Martyre Apolog. 2. pro Christian. & Orat. Paræneticа med. *Deo nomen imponi non posse*. Inquam sententiam scripsit etiam Nazianz. Orat. 34. 2. de Theolog. ex Platone in Timæo, ac passim Patres alij. Ratio vero Theologica est: quia creatura Deum, vt physicè in se est, naturæ viribus solis cognoscere nequit: ergo neque nomen quidditatiuum physicè, &, vt in se est, sumpti Dei, imponere, aut cum ita effari poterit. Probatur consequentia: quia nominum significatio nequit excedere in significatione obiecti modum representandi illud, quem imponentium cognitio habet: item, cum locutio audientis capacitati perceptiuæ conformari etiam debeat, aliter quam creaturæ viribus naturalibus relictæ intelligere Deum possint nomina illis significare, aut ad illas loqui nemo potest: cum autem creaturæ ex naturalibus Deum, vt physicè in se est, nequeant intelligere, neque pro eis nomina quidditatiua physicè, &, vt in se est Deum significantia poterunt à creatura rationali naturæ viribus imponi.

3. Dico tertiò. Creatura rationalis è solis naturalibus viribus nequit nomina quidditatiua physicè Dei, seu, vt in se est, etiam pro Beatis imponere: est contra Scotum, Gabrielem, Okamum, & Vasq. supra citatos. Probaturque ex eodem principio, eademque ratione, qua prima conclusionis secundæ pars proximè probabatur: quia nimirum nominum significatio nequit prætergredi modum representandi obiecta, qui in cognitionibus ea imponentium est: atqui creaturæ rationalis cognitio, è solis naturæ viribus habita, nequit Deum quidditatiuè physicè ei representare: ergo neque eius nomina creaturæ, adhuc beatæ eum

quid

quidditatiuè physicè, seu, vt in se re ipsa est, significare. Patet vltima consequentia: quia nomina nequeunt obiecta, quæ significant vltra suam significationem significare: esto alius aliunde melius audito nomine ea valeat percipere, atque per illud ad melius ea percipienda excitetur, vt Beatis in re præsenti potest contingere. Id enim vt diximus cert. 1. non ex vi significationis nominum est, sed aliunde ex aduentatis speciebus beatæ visionis, quæ eo nomine Dei abstractiuo audito excitantur: atque inde cum lumen gloriæ, & species impressa Dei adsit, Dei visionem eliciant.

4. Denique conclusio quarta sit. Dei nomen quidditatiuum physicè, seu, vt in se Deus est significans, neque à Deo ipso, neque à Beatis pro creaturis rationalibus relictis ad naturæ vires imponi potest: Bene tamen pro Beatis ipsis, aut aliis, qui è Dei priuilegio adhuc in statu viæ Deum vident: quare absolutè à creatura rationali non posse absolutè quidditatiuum physicè Dei nomen imponi dicendum est. Hæc conclusio est Nostri Vasq. citati, & reliquorum, quos pro veraque opinione certam. 1. referebamus. Probatur: quia creaturæ viribus naturæ relictæ nequeunt Deum, vt in se est percipere; Beati autem ita eum percipere possunt: quare, licet, & Beati eiusmodi nomina quidditatiuè physicè Deum significantia absolutè possint imponere, quia ita eum cognoscunt, ac respectu ita eum percipientium ritè ac cordate possint; aut respectu eorum qui Deum ita percipere non valent non magis ea imponere possunt, quam surdis, aut trunco loqui. Ex quibus omnibus constat Deum nomine sui comprehensiuo ineffabilem creaturæ omnino esse tam actiuè, quam passiuè ineffabilem: atque vtroque modo creaturæ relictæ viribus naturalibus esse quidditatiuè physicè respectu etiam Beatorum ineffabilem. Secus autem actiuè, & passiuè Beatis, seu Deum vt in se est videntibus inter sese.

DISPVTATIO VI.

De attributis Dei negatiuis definitione.

ATTRIBVTA Dei negatiua definitione ea, vt diximus sunt, quorum nomen negatiuum non est, sed positiuum; aut, quod ea significatur non nisi negatione à nobis explicatur, ac definitur. In his vero sunt spiritualitas, vel immaterialitas, seu spiritus prædicatum, quod negatione corporis, seu prædicati corporeitatis à nobis explicatur. Simplicitas quæ negatione compositionis, (cuius occasione an Deus totus possit vt forma aliquid cum creatura aliqua vt subiecto componere disputabimus.) Æternitas, quæ negatione termini in duratione definitur, idemque quod immortalitas est.

QVÆSTIO I.

De Dei spiritualitate, seu incorporeitate.

QVÆSTIONEM hanc de Dei spiritualitate magna ex parte cum Quæstione de Dei simplicitate confundunt Antiquiores nonnulli, existimantes substantiam simplicem, præsertim totalem, corpoream omnino repugnare. Verum cum plures docti Recentiores minimè repugnare opinentur, quæstio de Dei spiritualitate diuersa omnino est à quæstione de Dei simplicitate, seu incompositione, substantiali adhuc. Cum, etsi corporeus foret Deus simplex tamen absque essentiali substantiali compositione esse posset. Item, licet spiritualis sit, vti esse hic ostendetur, ex eo tamen conceptu realis, & vera in eo compositio, tum ex essentia, & subsistentia, seu personalitate, quæ in Angelis vulgo admittitur, tum ex substantia, & accidentibus non excluderetur: quare Dei spiritualitate statuta, quæstioni de eius simplicitate & incompositione locus maneret.

CERTAMEN I.

Deum spiritum esse non corporeum dogmaticè contra errores stabilitur.

1. EX Philosophis Deum esse corporeum Stoici docuerunt: dicebant enim Deum esse hunc mundum, qui sensu percipitur, teste Damasceno de hæres. Licet enim Epiphan. hæresi 5. eos animam mundi fecisse Deum asserat; id tamen de eorum aliquibus solum refert Damascenus ibidem. Et licet id omnes cum Democrito docuissent, non inde ab eo purgarentur errore cum anima corporea esse possit, sitque de facto in compositis naturalibus pluribus. Maximè cum iidem cum Democrito apud Euseb. 14. præpar. Euang. cap. 6. Epiphan. & Damasc. citatos Deum, quem mundi animam putarunt, ignem pilæ formam habere docuerint, pro eodem errore Thaletem Milesi. Euseb. ibi expressè retulit atque Anaximenem Augustin. 10. Confess. plurésque alios Cicero 1. de natura Deor. nec pauciores Aristoteles 1. physicor. alios eorum errores referens, qui hunc etiam supponunt, de illis enim lib. 4. text. 52. & 57. ait nihil non corporeum intelligere vnquam potuisse. In eundem etiam errorem impegere Philosophi omnes, qui sap. 3. ignem, aquamve nimiam, Solem, aut Lunam Rectores mundi putabant. Ac tandem gentiles omnes, Philosophi etiam, qui Romanor. 1. *commutauerunt gloriam incorruptibilem Dei in similitudinem hominum: volucrum, quadrupedum*, &c.

2. Ex his verò, quibus fidei veræ lumen affulsit in eodem deprehenduntur errore ex Iudæis Sadducæi Actor. 23. Atque ex Christianis Manichæi apud Augustin. de hæresi, c. 46. 3. confess. c. 7. & epist. 74. cuius erroris inter eos Antesignanus extirit Audius, vel Audæus pius alias monachus, tempore Arrij teste Epiphan. & Damascen. suprà: licet eum sub Valente, & Valentiniano Imperatore ponat Theodoret. 4. hæret. fabular. c. 13. & 4. histor. cap. 19. cui Tripartita consensit lib. 7. c. 11. Nicephorus autem sub Iuniore Theodosio, ac Recentiores tandem de eius tempore non conueniant: de eius nomine assecla Audiani, vel paulo immutata voce Odiani, vel Vadiani ab Augustino dicebantur. De errore vero ipso Antropomorphitæ. Nec desunt qui præfatos hæreticos ab eo errore purgare velint. Nam Damasc. supra, & Aug. hæresi, seu c. 50. Ex Epiphanio id schisma eorum, non hæresim fuisse affirmant; licet durissimè illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ab eis asserant explicari, quia id nimirum de hominis ad Deum similitudine secundum corpus explicabant. In quo tamen error apertè me iudice continetur.

3. De eodem incusatur errore Tertull. ab August. 10. de Genesi ad litter. cap. 25. vbi contraria docuisse ait: cum Deum impossibilem Catholice semper teneat; & tamen 8. de anima, corpus omne passibile dicat; cum superius corporeum dixisset Deum. Eum tamen ab eiusmodi errore excusat de hæresib. c. 86. quasi solum velit asserere Deum non esse inane quid, & fictum, sed verum, cum corpus eum dixit. Non secus atque ad Colossens. 1. dicitur *plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter*: id est, non fictè, & apparenter inhabitare. Et quidem neque citato loco de anima is apud Tertullian. legitur error, neque locus alius eius ab Augustino aliisque Recentioribus, qui Tertullianum Antropomorphitis adiungunt, notatur. Sed notatur tamen à Nostro Vasquez 2. aduersus Marcion. c. 16. vbi cum errorem his verbis expressit. *Quanta erit diuersitas diuini corporis, & humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit diuersitas, & animi diuini, & humani differentia, sub eisdem licet vocabulis sensuum.* Nec refert lib. de Trinit. cap. 6. & 7. fusè ostendere Deum spiritum esse: is enim liber Tertulliani non est, sed Nouatiani,

tiani, vt bene probat eius interpres Pamelius. In eodem tandem errore fuisse videntur Arnobius 3. contra gent. & Lactant. 1. de ira Dei. Consensit eidem errori Vorstius apud Becanum c. 6. vbi hæc ex ipso pag. 240. refert *videtur esse Paradoxum Deum sic communis quantitatis expertem esse, vt totus substantialiter sit in re qualibet etiam minima.*

4. An vero Meliton Sardensis Episcopus hunc tenuerit errorem? orta inter Eruditos lis est in textu Theodoreti in Latinum versi quæst. 20. in Genes. post medium orta, vbi dicitur: Melitonem Deum corporeum asseruisse illis verbis: *è quorum numero est Meliton, qui scripta reliquit, quibus asserit Deum corporeum esse.* Sed immerito tamen, ac sine fundamento vllo, adhuc in Theodoreto, eum Melitoni errorem appingi ostendunt docte Sixtus Senens. 5. Bibliot. Sanctæ, annot. 18. & noster Vasq. titul. 1. part. 1. disp. 21. cap. 1. v. *verum*, Vbi ea verba non Theodoreti, sed male illum in Latinum vertentis esse ex græco, & proprio Theodoreti textu aperte conuincunt: græco enim illius textui hæc latine ad verbum respondent: *quorum sunt, quæ Meliton scripta reliquit de eo, quod est Deum corporatum esse.* Cuius libri meminere Euseb. lib. 4. cap. 25. & Hieronym. de scriptorib. Eccles. sine vlla nota imo magna Melitonis laude ex testimonio Tertulliani etiam lib. aduers. Eccles. pro Montano: vbi Melitonem à plerisque Prophetam habitum ait: quo aperte ostenditur, vel eum solummodò ex aliis eum errorem libro illo retulisse, & impugnasse, vel voce corporatum, incarnatum Deum significasse. Accedit, quòd Eusebius ipse lib. 5. cap. 23. alias 24. iterum præclaram Melitonis fecit meationem, atque hæc Polycratis Concilij Asiæ (vbi de celebrandi Paschatis die agebatur) Præsidis verba ad Victorem Papam retulit. *Quid porrò Beatum Papyrium, & Melitonem Eunuchum recenseam, qui Spiritus sancti instinctu afflatus totum vitæ suæ tempus pie, sanctèque exegit, qui Sardis conditus est.* Quem textum perperam antiquus quidam Eusebij interpres vertit *Macharium*, quasi nomen proprium, non vt adiectiuum, quod idem, atque *beatum*, est vertens, atque Eunuchum etiam non vt cognomen, sed vt nomen proprium alterius apponens.

5. Cæterum Deum spiritum esse, non corpus, nec corporeum, fides Catholica est, definita ferè cap. *firmiter*, de summ. Trinit. vbi Deum non habere partes in substantia sua definitur: substantia enim totalis, vt Deus esse debet, si corporea sit, nequit non partes, saltem integrales, habere; imo, & partes extra partes localiter, seu extensiuè aptitudinaliter. Constat idem expresè ex Scriptura Ioann. 4. *Spiritus est Deus.* Licet enim *Spiritus* quandoque in Scriptura pro aëre vsurpetur; ast hic, vbi de Dei adoratione agitur spiritus nomine, non aër, sed substantia spiritualis, ac non corporea necessariò intelligitur. Alioqui aër adorandus à Christo concluderetur: quod vix idololatra admitteret. Cõfirmatur: quia ex eo, quod Deus Spiritus sit nullo concluso loco, quare nec Hierosolymitano templo, vllove alio determinato, adorari vbique, & spiritu, id est, anima adorari posse Christus concluserit: quod male de aëris corporei adoratione concluderet: cum & loco aër contineatur, atque à nobiliori animæ spiritualis substantia adorari nequeat. Idcirco spiritum ibi pro spirituali substantia vsurpatum testantur communi consensu Patres relati, recitatique à nostris Maldonato, & Toleto Cardinali: quod autem Patres nonnulli Angelos spiritus esse, & corporeos, subtiles tamen, sicut aëra corporeum, ac proinde depingi posse quondam putarint, præterquam quod errarunt, non tamen ita esse spiritum Deum ex illis aliquis asseruit, cove sensu spiritum eo loco interpretatur.

6. Secundò probatur ex locis Scripturæ, quibus Deus inuisibilis asseritur ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei*, &c. 1. ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili.* Etenim de inuisibilitate Dei oculis corporeis, siue cognitione corporea, vt minimum è Patrum consensu intelligenda ea loca sunt: ast quidquid corporeum est visibile, seu corporeè cognoscibile est, vt patet. Tertiò probatur ex locis, quibus Deus impassibilis, & immutabilis dicitur: Hæc enim propriè intellecta, vti de Deo intelligi debent, de corporea substantia intelligi non possunt. Quartò probatur ex locis, quibus Dei vbiquitas, siue immensitas à nobis probata est d. 4. corpus enim, siue finitæ siue infinitæ magnitudinis ponatur, vbique esse non potest, cum, vbi pars altera est, totum, & partes aliæ esse nequeant. Quintò probatur ex locis, quibus Deum depingi non posse dicitur, neque effigiem, aut imaginem corpoream propriam habere, de quibus controuers. de Adorat. quia vtique corpus non est. Sextò probatur ex loco Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Cui Audiani, siue Antropomorphitæ innitebantur: eum enim de similitudine hominis ad Deum, non secundum corpus, sed secundum animam spiritualem substantiam, quia spiritus Deus, non corpus, est Patres omnes consone docent. Epiphan. & Theodoretus citati, Basilius Hom. 10. exhamer. cap. 8. Nyssen. orat. 1. quæ est in eum locum, August. enarrat in Psalm. 48. fine 1. de doct. Christi cap. 12. atque vno verbo omnes Patres, & Doctores vbivis eum locum interpretantes. Et quidem in reliquis præter substantiam spiritualem plura Deus sex anterioribus diebus corporea in mundo hoc visibili, cùm viuentia, tum inanima, tum sensitiua, & cognoscitiua corporea produxerat, quæ tamen sui imagines non dixit, sed hominem solum; etsi ea non actiuè solum, sed idealiter, & imitatiuè ab ipso fierent: vt planè ratione substantiæ spiritualis, quæ anima hominis est, specialiorem & cæteris præstantiorem imaginem suam hominem esse monstraret: quo Audianorum obiectio euanescit, etsi rationi, nec solum Patrum authoritati itemus.

CERTAMEN II.

Eadem veritas à ratione probatur.

1. NEque fide solum, sed & ratione constat naturali veritas præfata. Eam ideò assecuti sunt ex priscis Philosophis Plato in Timæo, teste Iustino M. Dialogo cum Triphone, Hermes, Trismegistus testante Cyrillo 1. contra Iulianum sub finem, Aristot. 12. metaphys. & 8. physic. Cujus rationem tradit textu 79. quia cum Deus infinitæ virtutis sit, eaque in corpore finito esse nequeat, ne in instanti moueat (quod motui repugnat) cum citius quauis virtute finita debeat mouere, ac proinde in instanti: quia in tempore quouis breuiori augmento virtutis finitæ maiori, & maiori motus tandem peragi poterit: atque ex alia parte nequeat esse infinita magnitudo, seu corpus infinitum (vt ipse probauit 3. physicor.) fit vt infinita illa Dei virtus in substantia corporea esse nequeat, sed in spirituali: ac proinde Deus, qui infinita virtute pollet, spiritus, non corpus, erit: sed certè hæc ratio eodem modo probat, si quid probat, contra infinitam vim motiuam substantiæ spiritualis in instanti moturam: quod si respondeas substantiam spiritualem non agere, aut mouere quantum potest, sed quantum vult, & expedit, id etiam habet substantia corporea rationalis: quare motus instantaneus ex infinita Dei rationalis corporei virtute non inferetur. Secundò vel infinita virtus motiua è conceptu suo respicit motum instantaneum possibilem, vel sine huius possibilitate esse potest, atque intelligi. Si primum ex eius positione ponitur motus instantanei possibilitas, atque repugnantia abletur (in qua ratio Aristotelis nitebatur) licet ex libertate operantis non ponatur de facto: imo ex eadem libertate ad eius potentiæ vsum posse liberè instantaneum motum de facto poni, ni aliunde repugnet, manifestum est.

2. Vlterius consequentia motus instantanei ex infinita virtute motiua non deducitur. Infinitas enim potentiæ non arguit infinitatem effectus, si huius infinitas aliunde repugnet, & potentiæ resistat; vt patet in omnipotentia, ex qua non rectè infertur possibilia esse infinita, neque infinitam rem non repugnare, sed solum posse ab illa finitam maiorem, vel finitas plures, & plures in infinitum syncathegorematicè fieri. Sic ergo ex infinita virtute motiua Dei solum infertur motum minori, & minori tempore in infinitum fieri posse: & minori quidem, & minori quam à maiori, & maiori virtute finita peragi queat, non autem in instanti. Quod autem respondet Sanctus Thom.

Thom. 8. physic. titul. 79. laudatus à Caiet. opuscul. de infinitate Dei intensiua: agens corporeum esse vniuocum: ac proinde oportere, vt tota mouentis potentia in suo motu ostendatur; quod secus cuenit in agente spirituali, nil præstat. Si enim loquitur de virtute corporea infinita Dei supponit probandum, imo improbabile. Cum enim nobilissimum agens corporeum esset (vtpote Deus) æquiuocum sane, & agens, & mouens esse deberet. Si autem loquatur de agente omni corporeo, falsum omnino est: cum sola plurium causa æquiuoca sit, neque in motu, seu effectu suo tota eius virtus manifestetur. Denique, si infinita virtus motiua in corpore infert motum corporis instantaneum, infinita etiam virtus in spiritu inferret motum instantaneum spiritus, quare Angelum in instanti moueri posse eadem vi illationis similis hoc Aristotelis argumento contra Sanctum Thomam euincetur.

3. Sed, licet consequentia modus instantanei ex infinita virtute Dei corporei admitteretur, quid tanti admitteretur absurdi? Etenim, etsi motui successiuo, qua successiuo repugnet instantaneum esse; ast virtus infinita, quæ motum instantaneum ageret non efficeret illum successiuum & instantaneum simul, sed instantaneum solum eum, qui alias, à virtute finita successiuus foret. Id quod in motu alterationis, ni resistentia adsit extrinseca à virtute etiam finita fieri posse certum omnino est: Cum tota alterationis successio a resistentia, vel actiua, vel formali, virtuti actiuæ opposita omnino prouenial, vt omnibus Philosophis est notum; qua de re singulares, & exactas disputationes dedimus controuers. de alteratione, anno millesimo sexcent. trigesimo secundo, cum Compluti Philosophiam profiteremur: quarum doctrinam presso nostro nomine suæ philosophiæ præio honorauit noster Franciscus Ouiedo: imò & vtraque resistentia adstante ad aliquid qualitatis oppositæ, licet non ad totam, fieri instantaneum sæpè motum certissimum est: tum, cum in instanti alteratio inchoatur: tum, cum alteratio est continua. Quare id quod Gregorius ait hic in 1. d. 42. quæstione 2. Infinitam Dei virtutem ex eo, quod instantaneè calidum in frigidum mutare queat falsum est; nisi forte de mutatione instantanea de summo ad summum: imo hæc potius ex infinita virtute Dei demonstraretur, quam hæc ex illa, si demonstraretur: ast non demonstratur, sed solum virtus infinita secundum quid, & superioris ordinis, quam hæ inferiores virtutes. De motu vero locali corporis instantaneo, (de quo loquitur planè Aristoteles ibi) quique intrinsecam habet successionem, cum naturaliter mobile secundum suas partes per omnes spatij partes transire debeat, ac proinde naturaliter fieri in instanti nequit; supernaturaliter tamen fieri id posse vel mutatione de loco in locum, quin corpus per medium transeat, vel ponendo mobile simul in spatio toto mysteria Eucharistiæ, parcusque virginei suadent.

4. Debita Aristoteli obseruantia rationis eius examen, licet non approbationem nobis extorsit. Aliis autem aliorum rationibus, hic adhuc honos non debetur. Cuiusmodi est illa, quæ supra à nobis quæstionis præfatione reiecta: quod scilicet substantia corporea nequeat non materia, & forma constare, quod Deo repugnat, aliæque non farinæ melioris. Omnes igitur rationes solidæ ei innituntur principio: quod scilicet substantia omnis corporea completa partes substantiales extra partes, quoad locum saltem aptitudine habere debeat; vt controuers. metaphysic. ostendimus, lateque probat Soar. tit. 1. metaphys. d. 13. sect. vlt. Estque hic proinde supponendum tanquam principium alibi ostensum. Etenim inductione per omnes substantias corporeas totales facta in eo conceptu ab spiritualibus metaphysicè, & primario differre compertum est, æquè, atque substantiam rationalem primario per principium, seu aptitudinem ad ratiocinandum à brutis distingui. Dixi completam substantiam corpoream, quia id ad præsens institutum est satis, atque, vt indiuisibilia substantiæ corporeæ, quibus totalis illa, saltem inadæquatè, componitur, non includam. Ex hoc vero principio infertur Deum corporeum (etsi incompositus ex materia, & forma sit, atque in eo genere simplex) summè perfectum non esse. Primò: quia quod partes integrales substantiales verè habet, secundum se totum, atque omnem sui essentialem partem, partes habebit, saltem aptitudine extensas: cum tamen perfectiora corpora, vt humana, secundum se tota, atque omnem essentialem sui partem non habeant partes, adhuc aptitudine, extensas. Ex quo substantiis creatis spiritualibus imperfectior etiam euincitur.

5. Secundò vt benè Castro aduersus Audianos hæresi 2. arguit, vel Deus ille corpus substantiale esset finitum, vel infinitum? Si finitum, loco concluditur, aut spatio, vltra quod non sit, v.g. toto mundi spatio contra eius immensitatem, & data pro illa Scripturæ testimonia, vel infinitum occuparet spatium: quod (vt non repugnet infinitum corpus) conuincit saltem vltra finitum mundum de facto per immensum, & infinitum spatium extendi: cum corpus illud Dei non minus ad mundum corporeum spectaret, quam corpora mundi reliqua. Rursus vel ita esset in spatio, siue finito, siue infinito, vt totus esset in toto, vel totus in toto, & totus in quauis eius parte: atque vtrouis modo perstat argumentum. Si autem secundo hoc modo sit (vti ad eius perfectionem summam videtur spectare) natura sua ei modus ille competet. Est autem inintelligibile, & repugnans corpus, quod essentia, vt diximus sua partes extra partes localiter, & extensiuè petit habere, petere simul essentia sua partes easdem habere localiter, & extensiuè intra partes.

6. Probatur tertiò, Partes integrales in substantia Dei locum habere non posse: ac proinde neque corporeas, & quæ diuersum spatium, & locum ab aliarum loco, & spatio reposcant. Primo: quia Deus omnino, ac summe independens substantia est: si autem partibus integrantibus constaret, vtique ab eis tanquam à constituentibus dependeret, & dependentia quidem imperfectiori, quam à causa efficienti. Item: cum nulla earum Deus esset, à se non esset, sed ab alio, ac similiter earum vnio necessaria, ne Deus ens per accidens, & velut cumulus lapidum foret. Vnde hæc omnia, quibus substantia Dei tui constat: imo, quæ sola coniunctiui Deus est, creata forent, & ab alio. Elige à quo alio malis: si à sese vicissim? ecce circulum causalitatis repugnantem; vt ostendimus d. 1. quæst. 2. si ab alio ille erit Deus, non hic, quem partibus integrantibus constare defendis: de illoque alio redimegratur quæstio: an similibus partibus substantiæ suæ constet? Etsi asseras redeunt de hoc consequentiæ, ac rursus de alio, & alio, à quo eius partes sint, in infinitum redibunt. Secundò: quia non esset simplex, & vnissimus Deus, vti eum esse Patres omnes, ac preclarissimè Bernardus, clamant, nosque quæst. 2. ostendemus; imò substantia Angeli cuiusvis simplicior, atque (vt sic loquar) vnior foret. Tertiò: quia implicat ex non diuino diuinum, seu Deum, adhuc è nostro concipiendi modo, compingi: atque eiusmodi partes diuinæ non essent: ergo eis nequit Deus, adhuc metaphysicè, & per rationem conflari. Minor probatur ex dictis. Nam infinitum in sua linea ex suo conceptu metaphysico, & indiuisibili est, quidquid diuinum est: vt supra ostendimus d. 3. qu. 5. cert. 1. & 2. nulla autem ex eis partibus integrantibus infinita è sua essentia, indiuisibilique entitate, ne dum conceptus foret, vt patet.

7. Præcipuum erroris oppositi fundamentum locus ille Genes. 1. erat contra Patrum tamen omnium interpretationem ab hæreticis intellectum. Aliud est nihilo firmius; scilicet in Scriptura Deo sæpè humanorum membrorum nomina accommodari. Si autem inde hæreticorum sententia probaretur, probaretur etiam Deum, leonem, vitulum, & simillia esse, atque alia pleraque eiusmodi habere: quod est ridiculum: eis quippe nominibus sæpè in scripturis compellatur, similiáque dicitur habere. Ea tamen omnia solum metaphoricè Deo in Scripturis attribui, sicque de eo intelligi debere Patres consone docent. Nouatianus c. 6. & 7. de Trinit. Augustin. de vera & falsa relig. c. 50. epist. 112. post med. de essen. diuinit. post init. Hieronym. & Anselm. opusc. de ea re. Gregor. 14. Moral. c. 12. in id *Orabam filios*, &c. Damasc. 1. de fide c. 14. & 15. Isidor. 6. Etymol. Hieron. item epist. ordine 15. tit. 9. & communiter interpretes, vide Sanctum Pagninum in isagoge cap. 48.

QVÆSTIO II.

De Dei simplicitate.

SIMPLICITAS Dei physica, quæ Dei attributum explorato est, idem prorsus est, quod eius physica indiuisibilitas, atque ex partibus incompositio, quæ absoluta negatione compositionis explicatur. Vt ergo plenè Dei simplicitas physica ostendatur, omnis compositionis negatio ostendenda de ipso est. Duplex autem genus compositionis vniuersim in rebus reperitur: alterum substantialis compositionis, alterum compositionis accidentalis: sub primo quatuor species continentur. Altera compositionis ex essentia, & esse, seu existentia, quam, ne in creatis quidem admittebamus in metaphysicis, & à Deo specialibus rationibus ablegauimus d.2. qu. à num. 4. certaminis 1. per totam, quare nihil hic restat de ea disputandum, Secunda compositionis ex essentia, seu natura & subsistentia, seu personalitate. Tertia compositionis ex materia & forma substantiali. Quarta ex partibus quasi integrantibus substantialiter. Licet vero vterque hic postremus compositionis substantialis modus in solis substantiis corporeis (è quibus Deum non esse proximè ostendimus) à nobis deprehendatur; tamen spiritualis substantiæ conceptui metaphysico non repugnat: quare de substantia spirituali Dei disputationi locus manet: an alterutro modo sit composita: compositionis autem accidentalis (quod ad præsens attinet) species vnica solum considerandа est, siue ea in genere examinanda, an Deo repugnet. Primo igitur vniuersim Dei absolutam simplicitatem, physicam indiuisibilitatem, atque omnimodam incompositionem ostendemus. Secundò substantialem eius simplicitatem, & incompositionem. Tertiò etiam accidentalem eius incompositionem singulatim monstrabimus.

CERTAMEN I.

Dei simplicitas vniuersim catholicè stabilitur.

1. CONtra Dei simplicitatem vniuersè, & absolutè loquendo effutiere, quicumque Deum corporeum effutiebant qu.1.cert.1. Item qui Deum mutabilem blasphemabant d.4. qu.2. Denique contra Dei simplicitatem errauit Gilbertus à nobis recitatus & impugnatus controuers. de Trinit. d.8. qu.5. cert.1. asserens personalitates diuinas realiter à natura, & essentia Dei differre. Dogmatizarunt id ipsum Angelitæ, siue Theodosiani, & Anselmi tempore clericus Gallus, ibidem relati. Cum autem Deus non ens per accidens, vt lapidum cumulus, sed ens per se ab his ce admittatur, sit planè eos non solum contra physicam Dei indiuisibilitatem, sed & contra simplicitatem absolutam, atque omnimodam incompositionem erraſſe, nec longè ab horum errore abiit Durandi sententia ibidem etiam à nobis recitata: sub his autem terminis erraſſe Abailardum testatur Prateolus Elencho hæresum. Licet sanctus Bernardus huius in illo erroris non meminerit epist.188.190. & 192. vbi eius memorat, & insectatur errores. Est autem in duplici relato contra simplicitatem, & indiuisibilitatem Dei errore differentia: quod postremi hi compositionem Dei ex essentia, seu natura, & personalitate asserant, vel expresè, vel virtute, in essentia vero, vel communibus siue substantialiter, siue accidentaliter diuisibilitatem, seu compositionem physicam in Deo Catholicè prorsus negent. Primus vero error etiam inter communia realem diuisibilitatem & compositionem admittat: atque ex eius Patronis alij substantialem, alij vero accidentalem tantum.

2. Dei tamen absoluta simplicitas physica, seu realis indiuisibilitas, & incompositio definita fuit in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. contra Gilbertum tit.3. Concilior. par.2. decreto illo recitato d.8. citata qu.1.cert.1. n.1. vbi occasione erroris Gilberti vniuersaliter definitur: *Nihil esse in Deo, quod Deus non sit*, quod, ni Deus simplex omnino, atque indiuisibilis entitas, & incomposita realiter sit stare non potest. Secundo definitur eadem veritas in Concilio Lateranen. sub Innoc.III. relato cap. *Firmiter*, de summa Trinit. Huc etiam faciunt, quæ contra distinctionem realem proprietatum ab essentia referebamus. Secundò loco ex Dionysio Areopag. & ex Damasceno citata qu.1.cert.2.n.4. & quæ ex Bernardo 5. de consideрat. ad Eugen. & Iustin. M. qu.144. ad Orthodox. cert.2. num.4. retulimus. Item quæ ex Nysseno Orat. Catech.1. recitabamus cert.3.n.3. & 5. atque hoc numero ex Cyril. Alexand. cap. 8. circa finem Damasc.1. de fide cap. 12. initio, & cap.13. initio. August.11. de ciuit. cap.10. circa med. & 7. de Trinit. c.1. & 2. init. Athanas. Apolog. pro Syno Nicæn. vbi & Dei simplicitatem realem statuunt, & ex illa realem personarum diuinarum cum Deitate identitatem euincunt. Tertiò, eo etiam spectant, quæ cert. 4. eius quæstionis n.3. & 4. recitauimus ex Iacobo Fratre Domini apud Clement. Rom.8. constitut. Apostol. c.12. Dionys. de diuin. nomin. c.2. 4.5.6. & 7. Cyrill. & Synod. Alex. epist. ad Nestor.1. actor. Concil. Ephesin. cap.14. col.8. Nazian. orat.37. de Theol. S. Athanas.1. de S. Trinit. cont. Anomæ. Basil.15. de fide circa med. & de Spiritu Sancto c.19. sub init. Damasc.1. fid. cap.18. August. serm.38. de temp.1. col.3. Fulgen. de fide ad Petr. cap.2. vers. fin. Prosp. aduers. collator. cap.27. sub init. adduximus in quibus de Deo concrete dicto, ac de personis naturam, & attributa in abstracto prædicari docent, id quod sine horum, & cum personis, & inter sese identitate fieri minimè posset. Legendi insuper in terminis pro Dei simplicitate disputantes erunt Arist.12. met. cap.7. Hilar.8. de Trinit. August.11. de ciuit. cap.10. & lib.15. cap.17. Isidor.1. de sum. bon. cap.1. Boët. de Trinit. cap.3. Bernardo citato lib.5. de considerat.

3. A ratione vero omnimoda Dei simplicitas, & incompositio eis ferè rationibus probatur, quibus quæst.1. cert.2.n.6. Deum ex partibus integrantibus vllis componi minimè posse. Insuper: quia, licet simplicitas rei nihil illi positiuum addat (vt contendit Scotus in 1. d.8. qu.1. ad 1. & quodlib.5. & Soncin.4.met. quæst.14.) sed solam negationem incompositionis (vt vult Caiet. cap. 2. de ente, & essent.) qua à nobis explicatur. Ast inductione per omnes res tam totales, quam partiales inter sese comparatas arguit cæteris paribus perfectionem maiorem: Cum autem Deus ens absolutissimum, perfectissimumque sit omnino simplex, atque indiuisibilis entitas esse debet. Confirmatur: quia, cum ea, ex quibus Dei perfectio coalesceret, si compositus esset, incompleta necessariò forent, omnia imperfecta essent, & inuicem alia ab aliis perfectibilia vicissim: ergo & Deus eam saltem imperfectionem haberet, quod ex imperfectis coagmentaretur. Insuper imperfectiones aliæ tactæ citato illo n.6. Tertiò vel singula, quibus Deus realiter conflaretur essent à se, vel vnum solum? si singula: incidis in pluralitatem Deorum. Si vnum ex eis solum, & reliqua ab ipso in primis redintegratur quæstio, & interrogatio, simplexne, an compositus sit? ac de eius partibus an sint à se omnes; vel solum ex eis altera? & sic in infinitum: quod si de aliqua simplex esse asseratur, & à se esse, reliquas vero ab ipsa; primo ea solum Deus erit, reliquæ vero creaturæ, & ab alio: quare totum coniunctum neque à se, neque Deus erit, sed ab alio, & creatura: cum illud debiliorem partem sequi debeat. Neque hoc argumentum in processionibus diuinis, in quibus vna solum persona innascibilis, & notionaliter à se est, reliquæ vero notionaliter sunt ab ipsa, instari contra nos potest: quia, neque ab illa causa ipsa, instari contra nos potest: quia, neque ab illa causa tiue sunt, vti partes realiter compositi, ac non simplicis Dei essent: neque realiter ita inter sese distinctæ, vt non habeant in substantia, & natura absolutam, simplicemque vnitatem, & identitatem.

CERTAM.

CERTAMEN II.

Substantialis Dei simplicitas, & incompositio speciatim monstratur.

1. SVbstantialis Dei compositio (præter illam, quam reiecimus in quæstionis præfatione ex essentia, & esse, siue existentia) triplex omnino ibi à nobis recensebatur. Altera ex natura, & personalitate, seu subsistentia, cuius ex principiis naturalibus, nec leue indicium est: cum in illis nulla de reali subsistentiæ à natura distinctione ad realem eorum compositionem necessaria, vel leuis vmbra sit, aut suspicio; quin potius illis solum stando realis illarum ideatitas demonstrari videtur. Ad fidei vero lumen, quod eam distinctionem nobis detexit diuinarum personalitatum cum Dei essentia, & natura identitas innotuitur: quare quidquid difficultatis, & nebulæ pro compositione Dei ex suppositis, & natura diuina ex fidei luce excitatur, eiusdem etiam fidei radiis euanescit. Accedit subsistentiam creatam reale, & positiuum nihil supra naturam vllam substantialem addere, sed solum negationem essendi partem vt procem. de Trinitat. quæstione 2. certam. 5. ostendebamus. Aut negatio compositioni inepta, vt constat, omnino est: scio nonnullos de subsistentia, vt sic, siue communi, quam in diuinis admittunt, contendere esse de conceptu essentiali Deitatis, seu essentiæ, ac Deum per essentiam suam non minus subsistere, quam existere. Hæc tamen ratio, & falso innititur principio de subsistentia diuina communi, neque hanc identificari, adhuc realiter cum essentia, æquè atque existentiam probabitur, nisi ad principiorum pure naturalium falsitatem recurratur: quod natura, & suppositum idem reipsa semper sint.

2. De duplici ergo alio compositionis substantialis genere, nempe vel ex materia & forma, vel ex partibus integrantibus in Deo locum non habere ostendendum restat. Et quidem de compositione ex materia, & forma corporeis, atque eiusdem generis integrantibus partibus ostensum satis est quæstione 1. Deo minime competere. Nunc autem neque incorporeis, & inquantitatiuis partibus substantialibus physicis, siue essentialibus, siue integralibus constare Deum posse ostendendum nobis erit: quocirca ex negatione compositionis ex partibus integralibus quantitatiuis Dei, ex essentialibus incompositio minùs rectè, adhuc à posteriori, colligitur. Inde enim solum infertur ex materia, & forma siue partibus physicis essentialibus corporeis non componi Deum; non autem non componi ex materia & forma substantiali incorporea: quas impossibiles esse, ac repugnantes, neque ex definitione, & essentia materiæ primæ, & formæ, neque ex definitione, & essentia metaphysica substantiæ corporeæ, & spiritualis ostenderur: Licet eas ex physicis principiis naturalibus, quæ nobis pro hoc statu innotescunt, non possimus ostendere. Similiter neque ex negatione corporis in substantia diuina monstrata, eius integralem simplicitatem, siue ex partibus integralibus incompositionem demonstrare non possumus. Cum enim integrales corporis partes eæ sint, quæ non solum subsistantialiter, & existatiuè, sed localiter etiam, & extensiuè extra alias esse reposcunt; quod Deus corpus non sit partes, quæ existatiuè solum, & subsistantialiter sint, nec localiter, & extensiuè esse extra alias petant, non videtur ab eius substantia necessario remouere. Quare vtriusque huius generis simplicitas, & incompositio substantialis aliunde erit ostendenda.

3. Igitur præter ea, quæ omnimodam Dei simplicitatem, & incompositionem monstrabant certam. 1. numero 3. Physica illius substantialis essentialis simplicitas, atque ex materia, & forma incompositio specialiùs est probanda. Etenim Deus est physicè ens actuale purissimum, necessarium, & essentialiter existens, vt diximus; ergo nihil habet physicæ contingentiæ & potentialitatis: atqui, si materia, & forma constaret, aliquid haberet potentialitatis, neque absolutè à se, & essentialiter ac necessariò esset, sed ab alio, & contingenter: ergo materia, & forma substantialibus, adhuc incorporeis, non constat. Minor probatur: quia, cum de conceptu materiæ primæ substantialis vt sic, sit esse potentiam receptiuam formæ, vel vnionis, eam proculdubio essentialiter includet, quod ea essentialiter physicè constiterit. Ne vero dicas rationem actus puri diuini esse rationem actus puri in essendo, non autem in recipiendo: ac proinde non excludere potentiam, seu potentialitatem receptiuam, quæ alterius est ordinis, sed solum in ordine existendi: sicut licet materia prima sit pura potentia in ordine receptiuo, etiam dum actu existit, est tamen in actu in ordine essendi, seu existendi. Contra primo: quia eo ipso, quod materia prima sit pura potentia in ordine receptiuo, nequit esse ens à se, atque essentia sua in actu, & necessarium, sed contingens: ergo neque, quod illa constat actus omnino purus in ordine, & linea existendi esse potest, neque ens à se & necessarium: cum eius essentia sine illa, quæ ab alio, & contingenter est, esse non possit. Recte ergo ex ratione actus puri à se, & necessarij in linea existendi infertur Deum materia prima, qualicumque, constare non posse.

4. Inde vero neque forma vlla posse Deum substantialiter componi est omnino decliue. Cum enim correlata necessario hæc sint, cui repugnat constare materia substantiali, & forma substantiali constare repugnabit necessario. Vlterius de forma probatur: quia, si esset dependens à materia illa à se non esset, ac proinde neque actus purus, & necessarius, qui dependentiam actiuam nobiliorem excludit: imo non posset non dependentiam actiuam ab alio habere: quæ, cum à materia ipsa tandem esse nequeat, quia, & ipsa ab alio est, causam aliam efficientem haberet tandem illa forma; quin materia respectu formæ, quæ ex ipsa educitur, vim actiuam non habet: quare alio agente, quod ex ipsa illam educat immediato opus habebit: neque quod ex illa componeretur, Angelo, atque animo rationali spirituali esset perfectior. Si autem esset materia illa independens adhuc receptiuè actu, saltem dependeret possibiliter: ita, vt hac repugnante, & forma illa repugnaret. Item, ni eam formam à se esse dicas, contra proximè adducta, non poteris efficientem causam illi negare. Ac proinde à se non esse. Si autem demus eam esse, ac proinde necessario esse, illa sola erit Deus. Quod ipsum argumentum de vnione factum puta. Tertiò de ratione, & essentia Dei est esse primum ens: atqui si ex materia, & forma constaret, primum ens non foret: siquidem illæ Deum intimè causarent, atque naturæ præcederent: ergo eis non constat Deus.

5. Atque hoc sanè argumento demonstratur Deum ex partibus integralibus substantialiter non componi, sed eius physicam substantiam simplicem physicè, atque integraliter etiam incompositam esse. Alioquin enim ens primum non foret: imo neque à se, neque actus necessarius, & purus. Licet enim partes integrales aliæ aliarum potentiæ receptiuæ non sint, tamen sunt potentiæ compositiuæ, atque entia in potentia ad vnionem cum aliis. Scio Aristotelem citato loco Deum ex materia & forma incompositum demonstrasse, quia ab æterno est. Sed nescio qua firmitate, aut consequentia. Etenim Deum entia permanentia saltem, posse ab æterno producere probabilissimum est: quare ex eo, quod ab æterno sit, nequit Deum esse firmiter inferri. Insuper cum Aristoteles ipse ab æterno cœlum materia & forma constans, & incorruptibile esse affirmarit: etsi Deus ab æterno, & incorruptibilis sit, materia, & forma constare optimè in eius sententia poterit:

quare & arguit inconsequenter,

vt patet.

***

CERTAMEN III.

Physica Dei simplicitas, seu incompositio accidentalis statuitur.

1. PHysicam intrinsecam accidentium Deo inhærentium (de qua solum agimus) compositionem ei tribuerunt Philosophi memorati à commentatore 12. met. text. 36. & à Sancto Thom. 1. contr. gent. c. 23. His annecte Vorstium, & alios hæreticos, quos contra Dei immutabilitatem effutiisse referebamus d. 4. q. 2. cert. 1. n. 2. qui liberos Dei actus in tempore incipere, ac desinere, etiam quoad intrinsecum Dei, censebant, cum tamen Deum in substantia, & essentia sua æternum, ac necessarium cum Catholicis iudicarent: ac proinde eos actus in Deo non secus, atque in nobis accidentia physica putabant. Opposita autem veritas adeo constans, rationis etiam naturalis ductu, est, vt eam sapientiores Philosophi omnes fuerint assecuti: Plato in conuiuio vbi hæc: *de Deo semper est, nec mutatione afficitur, neque vt pars pulchrum est, neque, vt id, cui pulchritudo inest; sed ipse per se pulchritudo, vnde manat cæterorum pulchritudo.* Arist. eiusque peruetustus commentator citato loco met. Et Plutarch. lib. de doctrina Principum: *Non assidet Ioui iustitia, sed ipse est iustitia, lexque exactissima.* In quam sententiam Philosophi alij scripserunt apud Cyrillum, & Nissenum infra.

2. Apud Patres vero, & Catholicos Doctores concors omnino sententia est Deo nulla accidentia physica adesse. Ita censent Boetius de Trinit. Augustin. 5. de Trinit. c. 4. 5. 16. lib. 7. c. 5. serm. 38. de temp. fuse docentes, quæ de Deo accidentium nostrorum adinstar prædicantur substantialiter prædicari, quia substantiam, physicam nimirum, in illo significant. Consonant Athanas. epist. ad Episcopos Africæ. Marius Victorin. 1. contra Arrianos epist. 141. ad Cæsarienses. Nicetas in orat. 40. Nazianz. *ad id cupio dissolui.* Cyril. Al. 11. thes. Nissen. hom. 5. in Cantica, qui duo pro eadem veritate plures Philosophos referunt. Non solum tamen Patres hosce (quod satis eius firmitati esset) conclusio nostra Patronos habet, sed & nostram catholicam fidem: definita siquidem est à Leone Papa I. epist. 93. ad Turib. c. 5. item & à Concilio Rhemensi, vbi contra Gilbertum definitur Deum, & personam quamuis diuinam esse suam sapientiam, bonitatem &c. Quod, nisi attributa hæc, quæ accidentaliter nobis sonant, & inter sese, & cum personis realiter identificentur, fieri minime potest, vt dicebamus cert. 1. n. 2. argum. 3. è plurium Patrum authoritatibus petito: quocirca eorum omnium testimonia nostram hanc conclusionem obsirmant.

3. Nec desunt veritati eidem naturales demonstrationes præter generales datas cert. 1. n. 3. & quidem ex demonstrata Dei immutabilitate contra Vorstium, & similes, in Deo separabilia, atque ipsi defectibilia accidentia physica repugnare satis ostenditur: quoad omnia vero, etiam necessaria, & indefectibilia accidentia physica repugnare probatur primo: quia eiusmodi accidentia physica Dei à Deo distincta realiter erunt: quidquid enim substantiæ alicui identificatur realiter, ipsius reale accidens esse non potest, vt de iure patet: ergo, vel à se, vel ab alio entia. Non à se: tum, quia plures Dij essent chimærice: tum quia etiam ex genere suo substantiis etiam creatis imperfectiora à se esse non possunt. Non ab alio: quia iam creatum quid esset, non diuinum: ac proinde neque Deo inesse, siue inhærere intrinsece possent. Deinde si ab alio sunt, inquiro an à Deo eiusque substantia? an ab alio extrinseco agente? si ab alio extrinseco: aliquid iam bonitatis, & entitatis ab alio Deus recepe-ret: vnde nec Deus esset, siquidem bonorum alicuius egeret: cum tamen dicat Psaltes: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Item, si ab alio extrinseco agente eiusmodi accidentia in Deo fierent, illud agens, quoad eorum inductionem in ipsum, superior, priorque Deo foret, atque eius prouidentiæ Deus, quoad eam, subderetur. Tertio libere tandem, & contingenter ea accidentia Deus reciperet, posseque proinde mutari: cum ab extrinseci agentis arbitio eorum in Deum inductio veniret; vel si non arbitratio, & libere id ab extrinseco agente, sed necessario peragitur, saltem extrinsecum illud agens libere à Deo in sui existentia, & operatione pendet: quare & eorum etiam accidentium in Deum inductio.

4. Hinc autem, neque à Deo ipso, absque immutabilitatis diuinæ præiudicio, induci posse monstratur: cum enim creata illa accidentia sint, vt diximus, nequeunt non libere à Deo fieri, qui ad nihil creatum præstandum vlla necessitate tenetur, vt ex eius independentia, & perfectione operandi ductu ipso rationis naturalis est notum. Ex hoc porro discursu constat ex immutabilitate Dei recte concludi nulla omnino accidentia Deo inesse posse; licet nostri Vazquez, & Soarius non adeo vniuersim id euinci ex immutabilitate putent: quia non viderunt accidentia quæuis, & omnia in Deo excogitabilia, libere tandem producta, quare, & absolute contingentia, & defectibilia esse debere. Ex eo etiam discursu præcluduntur euasiones, & instantiæ, quæ ex actibus liberis Dei peti possunt, quibus fecimus satis d. 4. q. 2. atque vberius (quantum præsentis vitæ status nobis permittit) satisfaciemus controuersi, de volunt. ostendentes eos actus liberos nullatenus re ipsa à Dei substantia distingui, quin identitas hæc cum ente necessario eorum obsit libertati. Quod vero ex sententia Scotica instari etiam poterat ad distincta nimirum solum ex natura rei ab essentia (cuiusmodi attributa diuina eius sententia sunt) actione opus non esse, ex eius doctrinæ confutatione à nobis data satis reiicitur.

5. Secundo eadem veritas speciatim probatur: quia, cum accidentia physica educibilia essentia sua sint, ex subiecto, & potentia eius receptiua: si accidentia physica respectu Dei sint in Deo, erit necessariò potentia eius receptiua illorum: ergo Deus erit ens in potentia, ac non omnino ens in actu, seu actus purus omnino, vt arguebamus cert. 2. à n. 3. vbi solutiones, quæ hic adhiberi possent confutauimus. Secundo: cum ea accidentia physica educibilia sint, erunt entis entia: ac proinde non perfectiones simpliciter, sed secundum quid. Deoque indignæ, ac proinde, quibus melius sit, non esse, quam esse.

6. Tertio probatur id ipsum. Quia Deus è suo essentiali conceptu ens summe perfectum est: ergo nulla perfectio potest ei physice accidere, vt arguebat Cyrillus 11. Thesau. *Perfecto ex se ipso*, inquit, *nihil potest accidere.* Probaturque vlterius. Quia, cum accidentia entia, seu entitates physicæ sint, ac proinde & perfectiones quælecumque, nequeunt non alicui physice inesse, quin perfectiones etiam illi adueniant, quibusque secundum suam entitatem, & substantiam physicam careret: ergo aliquo alio à se distincto ad suæ perfectionis complementum egeret: ac proinde secundum se, substantiam, entitatemque suam physice, & vere summe perfectus Deus non erat; sed indigens potius aliarum perfectionum. Dices, extensiue non esse summe perfectum Deum secundum se, & substantiam suam; secus intensiue, & eminenter: sicut admitti necessario catholice debet extensiue naturam diuinam omnem perfectionem personalitatum non continere, sed solum intensiue, & eminenter.

7. Contra tamen primo. Quia, vel ea, quæ physice Deo accidere dicuntur, è suo conceptu, & essentia imperfecta de se sunt ob sui tenuitatem, vel repugnantiam inter sese, vel secus? si posterioribus Deo enti de se se physice perfectissimo physice formaliter, nec solum physice eminenter, identificari debent. Si primum, nec physice accidentaliter Deo adesse possunt; quandoquidem ex eo, quod accidentaliter insint essentiæ suæ imperfectionem, vel tenuitatis, vel repugnantiæ, nec purgant, nec minuunt, sed augent, vt patet, atque ostendimus num. 5. quare, ni physice formaliter identice ea Deus habeat, physice accidentaliter ea habere non poterit: quare neque intensiue ea habebit. Secundo omnimodo consummata perfectio physica identice claudit omnem perfectionem physicam, tam intensiuam, quam extensiuam. Exemplum illud de personalibus, quæ solum eminenter, & intensiue in natura

tura diuina continentur, non autem extensiue, si de continentia physice identice sit sermo, non solum catholica, quoad negatiuum non est, sed fors hæretica: cum de fide sit essentiam, & personalitates realiter identificari formaliter metaphysice essentiæ solius esse, atque in illa formaliter bonitatem & perfectionem Dei totam contineri dogmaticæ illi propositioni (quod tanta sit vna persona, quanta tota Trinitas est) magis consonat, vt ostendimus controuers. de Trinit. d. 7. q. 3. vbi, & rationes metaphysicas posuimus.

QVÆSTIO III.

Possitne Deus, vt forma cum re alia, vt subiecto componere?

RATIONES, quibus q. 2. ostendimus Deum materia constare non posse, neque proprium accidentium subiectum esse eum non posse, vt subiectum cum re vlla componere satis euincunt, licet vetustus quidam Dauid Dandinus teste S. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. Deum rerum omnium materiam esse somniauerit: an vero possit cum aliquo vt forma componere non ita clare rationibus ibi datis ostenditur: quare hic apertius monstrandum videtur.

CERTAMEN I.

Deum informare proprie, & connaturaliter rem aliam minime posse dogmaticum est.

1. OPpositus præfixæ veritati error Democriti, & Thaletis Milesij fuisse dicitur ab Euseb. 14. præparat. Euang. c. 6. asserentis Deum, vt rerum formam, igneæ pilæ adinstar, esse mundi animam. Etsi Cicero aliter illius sententiam referat. 1. de nat. Deor. Plato, & Pythagoras à Ludouico Vuies in 4. de ciuit. Dei cap. 12. in eoque Stoicos plures fuisse commemorat Damascen. de hæresib. Epiphan. vero vt communem Stoicorum errorem refert 1. de hæresib. hæresi 1. August. 4. de ciuit. c. 11. & 12. pro eo errore recitat Virgilium, & alios, & lib. 7. c. 6. & 16. Varronem, & lib. 13. cap. 16. 17. & 18. Platonem, sicuti & Bernard. epist. 190. vbi ex Christianis hæreticis tamen, refert Abaillardum. Primi autem ea in re hæretici fuere Gnostici effutientes animarum substantias esse Dei naturam. Hos secuti sunt Priscilliani, vt constat ex Concilio Tolet. 1. confes. fid. & Leone Papa 1. epist. ad Turibium, q. 3. alias 91. c. 5. & ex Augustino de hæresib. hæresi 6. & 70. Postremus autem hac in re hæreticus quidam Almericus refertur sub Innoc. 3. teste Turrecremata 4. sum. c. 35. Deum, naturam omnium rerum asserens, ac proinde omnia esse vnum: quare necessario in omnibus, quæ forma constant, Deum formam esse admittebat; etsi naturam, non pro forma acciperet, vt vere iuxta Arist. phrasim 2. physicor. c. 1. & 5. met. c. 4. & Pauli accipiebat. Et quidem Philosophi metaphorice fortasse sunt locuti: quatenus Deum intimè rebus omnibus assistentem, ac rebus omnibus principium essendi, & operandi (sicuti forma, & anima composito, & viuenti est) significarent; non autem quia eas informaret credibile est; hæretici verò manifestè aberrarunt. Denique aduerte pro eo placito referri eos, qui humanitatem Verbi existentia existere in Christo docent, cum Thomistis Dominicanis recentioribus, & qui Deum Beatis pro specie expressa etiam sui esse defendunt. Verum id licet falsum sit, vt vidimus controuer. de Incarnat. ast sine eo, quod Deus forma creaturæ sit, præstari ab ipso posset: sicuti & à Dei personalitate dicitur personari, filiaque Dei humanitas Christi, quin eius sit forma.

2. Cæterum is error damnatus est à Concilio Toletano, & Leone Papa 1. citatis locis, atque ab Innocentio 3. cap. *Damnamus* de summ. Trinit. vbi non tam hæreticus, quam insanus dicitur. Augustinus vero supra ait: *Talia dogmata fabulosissimis plena figmentis.* Vt autem hæc veritas opposita rationibus Theologicis, ac Philosophicis distinctius probetur. Sciendum dupliciter excogitari posse Deum esse aliarum rerum formam informantem. Nempe, vel natura sua, & connaturaliter (sicut anima corporis forma est) vel mere voluntarie, & libere; quia, licet natura sua id Deus non exigat, ast sine eiusmodi exigentia pro libito eas valeat informare: quemadmodum, licet natura sua Deus vniri hypostatice humanitati non exigat; ast pro sua libertate vniri ipsi hypostatice posse ex mysterio Incarnationis, in qua peracta de facto Dei ad humanitatem hypostatica vnio de fide creditur. Contra primum modum informandi vt minimum definitiones procedant, procedentque huius certaminis argumenta.

3. Probatur igitur primo: quia, si connaturalis forma subiecti alicuius Deus esset, natura sua illo indigeret, neque completum ens sine illo foret, sed incompletum, atque sine eo ab ipso diuerso connaturalem statum non habens, quare & eis titulis imperfectum. Secundo quia, cum totum absolute suis partibus perfectius necessariò sit, totum, quod ex Deo, vt forma, & alio quouis subiecto constaret Deo perfectius absolute esset: quare Deus perfectissimum ens non foret. Dices totum illud esse quidem Deo solo extensiue formaliter perfectius, (sicut de hoc composito Christus, fatendum nobis est respectu Dei) secus eminenter, & intensiue: quo solum pacto Deus summe perfectus est. Solutionem impugnaui supra q. 2. cert. 3. iuxta modum, quo exemplo alio proponebatur, & explicabatur. Nunc iuxta modum, quo recitato exemplo proponitur sic impugno. Vel enim subiectum illud, cuius forma Deus est, à Deo est, vel à se ipso? si à se ipso: Deus etiam erit, ac plures erunt Dij, quod implicat: vel forma illa, quæ Deus dicitur, non esse Deum contradictorie dicetur. Ac rursus in Deo forma non continebitur eminenter intensiue subiecti illius, & totius ex ipso compacti perfectio, vt solutione contenditur. A sua vero forma, seu Deo esse non potest.

4. Primo: quia non libere, ne absolute Deus suo connaturali statu carere possit. Non necessario: ne Deum necessitatum ad aliquid ad extra, & creatum apponendum faciamus. Secundo: quia, vt bene S. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. forma & efficiens subiecti sui in idem physice, & realiter recidere nequeunt: id quod inductione per omnes formas notas facta euidentia physica constat: vnde physice etiam euidens est in nulla forma contineri eminenter & intensiue posse perfectionem, & entitatem subiecti, quare neque compositi, seu totius ex vtraque resultantis. In re autem præsenti ea repugnantia metaphysice etiam monstratur: quia ideo Deus continet eminenter, & intensiue perfectionem substantiæ completæ: quia ens perfectissimum est, cui debetur concedi omnis perfectio possibilis, ac non pugnans cum aliis perfectionibus, & prædicatis diuinis. Cuiusmodi hæc eminentialis continentia censetur. Atqui, nec formalis perfectio substantiæ completæ impossibilis est, nec vllam è conceptu suo dicit repugnantiam cum aliis perfectionibus, seu prædicatis diuinis. Cuiusmodi hæc eminentialis continentia censetur. Atqui, nec formalis perfectio substantiæ completæ impossibilis est, nec vllam è conceptu suo dicit repugnantiam cum aliis perfectionibus, seu prædicatis diuinis vt patet: ergo formaliter in Deo debet contineri.

5. Denique probatur conclusio: quia ratio formæ, licet eductibilis non sit, ast, vt bene S. Thom. supra, ratio entis partialis est, in qua necessaria ratio entis in potentia includitur: cum in potentia sit, saltem, vt compleatur, ac totum constituat: quod cum ratione entis à se, & primi, actusque purissimi omnino repugnat: ac proinde cum Deo. Exemplum illud ab Incarnationis mysterio petitum nihil præstat. Etenim, licet in Christo Domino ex persona diuina, & humana natura, vera sit compositio, ex qua vnum per se, ac non per accidens resultet; ast nec diuina natura, nec persona forma in eiusmodi compositione est, adhuc arbitrarie, & obedientialiter, vt cert. 2. iam ostendemus. Vnde neque humanitatem, vt subiectum non solum eductionis, sed neque compositio-

nis pertingit. Ex quo rursus fit, humanitatem vnitam, ac proinde totum Christum ratione illius posse à Deo fieri, atque eius perfectionem eminenter, & intensiue in solo Deo contineri. Quare ad rem exemplum non est.

CERTAMEN II.

Neque arbitrariè, & obedientialiter Deum creati alicuius formam esse posse monstratur.

1. QVæ hactenus dicta à nobis sunt, satis ostendunt: Deum nullius creati formam suapte natura, siue connaturalem esse posse. Quoniam vero plura quæ suopte ingenio, & connaturaliter rebus conuenire nequeunt, absolura, & supernaturali potentia, prouidentia, arbitrioque Dei, & obedientiali rerum potentia spectata possunt absolute eisdem conuenire: ostendendum hic restat, neque hoc quidem modo, Deum rei creatæ formam, neque hanc Dei subiectum esse posse. Id quod ex datis rationibus non ita dilucide demonstrari videtur. Quinimo ex Incarnationis mysterio oppositum videtur posse non magno labore suaderi. In primis enim, licet humanitas connaturaliter, siue suapte natura, totum, non autem pars sit, alteriue, vt supposito, siue in supposito vnibilis, ac proinde neque id in connaturali prouidentia sit possibile; tamen potentia eius obedientiali, absolutaque Dei potentia, & arbitrio inspectis, supernaturali prouidentia esse id totum possibile facto ipso mysterij comprobatur: in quo humanitas, & pars huius compositi *Christus* est, atque alteri, vt supposito, & in supposito vnitur; &, licet creaturæ vniri suapte natura & connaturaliter Deus neque exigat, nec reposcat, ac proinde neque sit connaturaliter vnibilis; tamen supernaturaliter vnibile esse mysterium idem ostendit: ergo, licet natura sua, seu naturaliter Deus forma rei creatæ esse nequeat, supernaturaliter tamen è Dei arbitrio formam illius strictam esse non statim repugnabit.

2. Quinimo, sicut vniri ex voluntate libera Dei humanitati, vt totum quod *Christus* est, componat ex eodem mysterio compertum est, quidnam ei deficiat, vt pars Deus sit? non facile apparet. Physice enim, & realiter totum illud essentialiter componit æque, atque humanitas, quæ pars proculdubio Christi est, qui essentia sua constat vtroque. Cum tamen partis physicæ conceptus in compositione totius, quod ex ipsa constat, omnino consistat. Confirmatur. Quia implicat vnum per se nisi ex actu, & potentia constitutum: si ergo Deo potentiam, seu subiectum esse repugnat, forma, & actus in eo composito erit. Confirmatur vlterius: quia implicat vnum constitui, nisi ex perfectibili, & perfectiuo; licet autem Deus, quia summe perfectus de se per rem creatam absolute, & omnino perfectibilis esse nequeat: ast perfectiuum rei creatæ esse nihil prohibet; ac proinde neque rei creatæ formam, seu actum, quæ è conceptu suo subiecti perfectiuus actus est. Et quidem Deum Christi sibi vnitam humanitatem multifariam perficere concors Theologorum sententia est. Quamuis autem nequeat continentia eminentialis, & intensiua perfectionis materiæ, seu subiecti, ac proinde totius ex vtraque resultantis in parte, seu forma connaturali subiecto esse; ast in non connaturali, sed voluntaria esse posse, idem etiam mysterium euincit: cum humanitatis, & vnionis hypostaticæ, ac proinde totius Christi, qui illis constat, perfectio eminentialiter, & intensiue in Deo vnito omnium sententia sit.

3. Cæterum, licet hæc dubiam, apparenter satis, nostram conclusionem reddant; Nihilominus infirma sunt: quare vniuersim tenendum est Deum; nec voluntariam creaturæ formam esse posse, neque ei, vt subiecto, & materiæ vniri, adhuc ex eius dignatione, & arbitrio. Hanc conclusionem video non satis efficaciter probari à Soario, quia forma, etiam voluntaria, vt cum materia aut subiecto de facto componat, mutari physice debet, quod Deo repugnat. Sed enim, cum, vt de facto componat forma solum vnionem sui ad subiectum requirat: deturque vnio Dei ad humanitatem intima, strictissimaque; quin Deus intrinsece, sed solum extrinsece mutetur, quia ei vnio, licet adhæreat intime, non tamen inhæret: idem etiam, si vniretur, vt forma ipsi euenturum dici posset: quin è præcisa vnione ad materiam animum rationalem intrinsece non mutari mihi probabilius longe semper fuit: cum eius vnio in materia iuxta communem, ac verosimiliorem philosophiam tantum modo recipiatur, subiecteturque, & inhæreat: etsi æque, intimitate æquali, vtraque pars vicissim vniatur. Probat secundo, quia forma substantialis constituit rei essentiam, implicat autem creatam, & defectibilem essentiam increato, & indefectibili constitui. Sed, cum totum in essendo debiliori, & imperfectiori absolute censendum sit, nescio quid sit in eo absurdi. Ecce noster, animus immortalis, & spiritualis corporeos nos mortales ac defectibiles constituit.

4. Conclusio ergo probanda est ex imperfectionibus, quas ratio partis essentialiter includit. Primo enim omnium consensu pars essentia sua perfectibilis per aliam compartem, atque incompletum quid esse debet, ensque proinde in potentia. Hæc autem omnia Deo essentia, & entitate sua nuda, ac sola perfectissimo, seu summe perfecto completo repugnant: ac proinde, neque ex suo arbitrio, & dignatione, nec solum natura sua, pars Deus esse poterit: ergo nec poterit vsquam rei cuiuspiam esse forma: cum forma necessario essentia, & entitate sua pars sit. Totum discursum confirmat Augustinus de Christi compositione agens 3. contra Maximin. c.10. his verbis: *Christus vna persona est gemina substantia, nec tamen Deus pars huius personæ dici potest; alioqui filius Dei antequam acciperet formam serui non erat totum.* Quibus verbis non solum rationem nostram confirmat, sed & rationes, quibus conclusionis nostræ veritas ex Incarnationis mysterio videbatur quæsiri, retundit. Scio Iustinianum Imperatorem suæ fidei edicto, & Deum, & humanitatem in Christo partes vocasse. *Cum*, inquit, *compositionem dicamus, necesse est, & partes in toto esse consiteri, & totum in partibus cognosci.* Et Nicetam or. 42. Nazian. 2. in Pascha §. *proinde agnus* appellasse diuinitatem, *partem, qua humanitas vncta est.* Sed vterque tamen partis nomen laxe, nec rigore philosphico vsurpauit, sed solum pro componente, vtcumque, quod longe est diuersum, vt ex iam dicendis ad rationes oppositas constabit.

5. Etenim, vt controuers. de Incarnat. ostendimus Deus in Christo pars non est, licet Christus vnum quid sit, atque stricte compositum: sed sola humanitas in ea compositione pars est. Huius rationem dedimus proxime: quia de ratione partis est esse ab alio media vnione, & coniunctione perfectibilem: quare, si alterum compositionis extremum ab altero perfectibile non sit (vti Deus non est) neque pars stricte erit. Cum autem humanitas à Verbo Deo perfectibilis sit, & perficiatur in Christo, pars in illo proculdubiò erit: Deusque illi vnitus eius perfectiuus, & actus erit, quod enti summe perfecto, & in actu non repugnat, satisque est, vt ex vtroque vnum per se, & proprie, ac stricte compositum per se sit: cum eius actus ens in actu perfectissimum sit. Quid autem ratio perfectibilitatis seu partis, essentialiter claudat dilucide à nobis explicatum est disp. præm. controuers. de Deo, & Trino, & Incarnat. q. 2. art. 5. à n. 3. scilicet independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud siue actuali, siue possibili, quam non dicit humanitas Christi: quia licet natura, & exigentia sua, neque ab actuali, neque à possibili vnione ad aliud pendeat, ac proinde natura sua totum esse deberet; ast eius existentia dependenter ab vnione ad aliud dari à Deo potest, sicque data humanitati Christi est, vti Patres, & Concilia ibi citata nos docent, dum aiunt Verbo Deo eam inexistere, atque ab eo speciatim dependere, ac sustentari: quare & pars in eo est: in quo non est pars Deus, neque esse potest: quia neque in sui existentia ab vnione ad humanitatem, aliudue creatum dependere: quare nec totius rationem adhuc ex suo arbitrio, & dignatione amittere: quo opposita omnia prorsus euanescunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Dei æternitate.

POSTREMVM ex attributis Dei negatiuis definitione à nobis numeratum est Dei æternitas: quod nihilo differt ab immortalitate: est enim omnimoda negatio finis in duratione, tam à parte ante, quam à parte post, siue indefectibilitas Dei in sua entitate & essentia tam de præterito, quam de futuro.

CERTAMEN I.

Dei æternitas de fide est, rectèque ab Boetio definitur.

1. DEi æternitatem videtur negasse Aureolus apud Capreolum in 1.d.9.art.2. argum. loci 4. asserens durationem omnem necessario successiuam esse, ac proinde in Deo nullam esse durationem. Sed tamen ex his solum infertur Aureolum in Dei æternitate, sicuti, & successionem, ita & rationem durationis negasse, secus Deo æternitatem, quam apud eundem ibidem argum. 1. quinti ordinis admittit expresse, atque ab attributo immutabilitatis metaphysice differre docet. Nihil ergo contra dogma catholicum de Dei æternitate in subtilissimi Cardinalis doctrina suspicari licebit. Dei autem æternitas (quidquid ea sit de quo statim) de fide est. Ad Roman. 6. *Secundum præceptum æterni Dei.* Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum.* Eccles. 18. *Qui viuit in æternum.* Licet enim his sola æternitas à parte post, vel à parte ante significari videatur, dum *ab æterno*, vel *in æternum esse*, ac viuere dicitur Deus: ast dum verba *sum*, & *viuit* de præsenti adhibentur, æternitas Dei significatur, in qua sola præterita, & futura duratio præsenti coniungitur, vt mox dicemus. Eadem etiam veritas illis Danielis: *antiquus dierum*, quæ de Deo dicuntur continetur. Diebus enim antiqui plures sunt; dierum autem antiquus solus Deus est, cuius duratio, seu æternitas dierum antiquissima dies, omnes dies, & omnes durationes præcedens, cunctisque, sine sui successione, succedens, vt Dionys. de diuin. nom. c. 10. ac Patres frequenter loquuntur.

2. Denique id ipsum expresse continetur Isai. 41. vbi habetur: *Deus sempiternus Dominus.* Licet autem Richard. Victorin. 2. de Trinit. sempiternum, non idem quod æternum significare velit, & id quidem ex August. q. 19. ex octoginta tribus: quia æternitas, seu æternum præter negationem initij, & finis permanendi dicat immutabilitatem; verius tamen est idem vtrumque significare, vti ex nomine ipso ostendit Isidor. 7. etymolog. c. 1. Idem enim est sempiternum, ac semper æternus: quo sane Dei æternitas, quæ tota simul, ac semper est, amplius explicatur per ordinem ad extrinsecam omnem creatam durationem possibilem: in eandem veritatem de Dei æternitate Patres in id Exodi: *Ego sum, qui sum, & qui est misit me ad vos.* vniformiter conspirant, ac passim locis hic recitatis, definitaque ab Innocentio III. c. *Damnamus* de Summa Trinit. Est autem hic aduertendum æternitatem, & æternum, quæ de Deo dicuntur in scripturis, Patribus, & Theologis omnibus, atque ab Innocentio citato loco definiuntur, propriissime, atque strictissime vsurpari. Laxius enim tam creata plura, quæ permanentiæ suæque durationis finem non habebunt æterna vocantur, vt Angeli, rationales animi, gloria, & damnatorum pœnæ: licet æterna absolutè & simpliciter non sint, cum à parte ante suæ existentiæ, & durationis initium habuerint. Quin, & ea, quæ tempore incipiunt, temporeque longissimo permanebunt, nec nisi indeterminato, vel etiam determinato, distantissimo tamen, desinent, æterna etiam dicuntur; non solum vulgo, sed & frequenti scripturæ phrasi, vt obseruarunt Dionys. supra August. q. 31. in Genes. & 43. in Exod. Gregor. 16. Moral. cap. 121. sed hæc laxius, & improprius æterna dicuntur, nec sunt eiusdem rationis cum æterno, seu æternitate propriissimis, quæ hic dicuntur, atque statuuntur de Deo.

3. Hanc autem Dei æternitatem, quæ sola stricte dicta æternitas est, vt iam iam apertius ostendam exactissime definiuit Boetius 5. de consolat. prosa 6. cunctis Philosophis, & Theologis consentientibus his verbis: *Interminabilis vitæ tota simul, ac perfecta possessio.* Per primas particulas exprimitur esse durationem in esse, ac vita, quæ sine, & principio durandi caret. Per illa vero: *tota simul* in ea duratione, nec partes vllas, nec successionem esse, imo nec dari posse explicatur. Quare, sicut per primas ab omni finita duratione, per secundas ab omni duratione successiua secernitur, quæ tota simul esse non potest. Inde vero inter Dei æternitatem, & durationes omnes creatas, etiam si æterna, siue potius ex æternitate, ac per æternitatem esse ex eis aliqua possit, discrimen aliud suboritur, satis à Patribus notatum. Quod scilicet in his heri, & cras, ac proinde, & præteritum, & futurum habeant locum; secus in Dei æternitate, quæ, cum simul tota sit, tota semper est præsens, ac proinde hodie perpetuum est. Qua de re docte Plato in Timæo. *Erat, & erit quæ nostri temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa est, & erat, & erit; sed re vera solum esse competit.* Videantur Dionys. c. 5. & 10. de diuin. nom. August. 12. de ciuit. c. 15. com. 2. in Psal. 101. ad id: *In generationem. & generationem.* Et in Psal. 2. in id: *Ego hodie genui te.* 1. Confes. c. 6. & 5. de Trinit. c. 1. & 2. de vera & falsa relig. c. 49. & q. 19. ex 83. Nazian. orat. 42. 2. in Pasch. Euseb. 11. de præparat. c. 7. Greg. 16. Moral. c. 21. Bernar. serm. 80. in Cantica, tamque hi, quam Patres reliqui vbiuis verba Psalmi secundi, & Exodi recitata exponunt.

4. Verbo autem illo *perfecta* multum emphasis, & mysterij contineri Soarius contendit, vt iam referam. Ego vero id solum ea particula explicari reor: nimirum, possessionem illam interminabilis vitæ, ac totam simul in Deo actualem, imo actualissimam esse: cui nimirum proinde nihil potentialitatis ad vllam sui actualitatem pro signo, adhuc metaphysicè, posteriori habendam competat; sed ea sit, cui è conceptu suo actualitas durandi summa conueniat, nec sola possibilitate, potentia, iure aut possessionis actualis radice consistat. Soarius vero d. 50. metaph. sect. 3. n. 6. *perfecta* voce significari contendit quod non solum in esse Dei, sed in omnibus eius actibus, operationibus, perfectionibusque intrinsecis tota simul, ac sine successione sit duratio, vt docet S. Thom. 1. p. q. 10. art. 5. Verum, licet ita in Dei æternitate res habeat, non tamen ea particula explicatur, neque explicari oportuit in definitione. Cum enim physice, & realiter omnia in Deo idem omnino sint, cum eius esse, & vita: neque reliqua esse aliud, aut existentiam, adhuc metaphysice, habeant, quam essentiæ, qua identitatis physicæ iure, & sunt, & existunt adiectiuè metaphysicè, vt de proprietatibus personalibus ostendebamus controuers. de Trinit. d. 7. q. 1. per totam. Eo ipso quod de diuino esse actualis, & perfecta possessio interminabilis dicitur, de attributis, actibusque internis diuinis omnibus, quatenus sunt, sufficienter dicitur: ac præterea actualis possessio attributorum ad aliam lineam, quam durationis formaliter spectat nec est in æternitate memoranda.

5. Maiori hic labore, quam fructu, ab scholasticis disputatur, an æternitatis essentia, & nomen reale solummodo contineat, aut significet? an aliquid etiam rationis? quidam sola formalitate reali obiectum æternitatis, & ipsius nominis coerceri contendunt. Alij vero aliquid etiam rationis imbibere aiunt. Atque ex his alij docent imbibi rationem mensuræ durationis, siue actiue ipsius esse Dei, vel rerum etiam omnium creatarum, siue passiue, in quo mensuræ ratio, quæ rationis relatio est, necessario includitur. Sed tamen, licet actualis commensuratio rationis nostræ opus sit; aptitudinalis, quæ in rebus ipsis est, rationis opus, & relatio non est, sed mensuræ, ac mensurati intrinseca realis magnitudo, siue discreta, siue continua extensiuè in ordine ad spatium locale, vel durationis. Insuper neque actiua mensura durationis diuini

esse

esse potest esse æternitas, quæ ipsa duratio esse diuini est: quare, nisi sui ipsius mensura sit (quod implicat) durationis diuini esse nequit esse mensura. Sed neque ipsius diuini esse est mensura, sed forma. Nec magis potest esse mensura aliarum durationum creatarum: quia omnes infinitè excedit, ac nulli potest aptari, nisi forte in eo sensu, quo Aristoteles mensurarum species enumerans 10. metaph. c. 2. & 3. Primum in vnoquoque genere reliquorum generis eiusdem mensurarum esse dixit. Hoc autem mensuræ genus respectu creatorum diuinis omnibus commune est. Tandem mensura passiua nequit esse æternitatis ratio, & essentia. Ex dictis enim satis constat eius mensuram actiuam, neque in Deo, neque in creaturis posse reperiri.

6. Licet autem certa hæc sint, ac proinde de æternitatis, etiam eo nomine significatæ, conceptu rationem mensuræ siue actiuæ, siue passiuæ non esse, neque ex ea parte relationem rationis includere (id quod fuse ostendunt Gabr. in 2. d. 2. q. 1. art. 3. dub. 1. circa med. Okam. q. 13. sub init. Durand. in 1. d. 19. q. 2. art. 1. Vazq. 1. p. d. 31. c. 6. Soar. d. 50. met. sect. 4. à n. 3.) Vazq. tamen ibi, §. *Tertia pars nostræ opinionis.* Aliter in æternitate, vt eo nomine significatæ, aliquid rationis includit nimirum negationem mensuræ, quæ rationis quidem est, cum mensura actualis, cuius negatio est, sit rationis nostræ opus. Sed in primis negatio mensuræ, quæ in æternitate est, posterius quid est interminabilitate, seu negatione initij, & finis durationis Dei, quæ nomine æternitatis, ac definitione eius à Boetio datæ ea particula *interminabilis* significatur: quare neque æternitatis nomine ea mensuræ negatio significatur; sed solum infinitas durationis illius, ad quam negatio mensuræ metaphysicè consequitur. Secundo negatio mensuræ, nescio quo pacto rationis sit: ex eo enim, quod relatio mensuræ rationis sit, non recte infertur eius negationem rationis esse debere, nisi quatenus à nobis concipitur: nam reuera, quidquid reale est negatio entis cuiusuis rationis est. Quod autem, vt à nobis concipitur in Deo negatio illius entis rationis, quod in mensura actuali est, ens rationis sit, id quidem ex parte modi cognoscendi, non autem ex parte rei obiectæ se tenet: sicque negatio principij, & finis, quæ æternitate significatur, ens rationis dici deberet: quia, cum reuera positiua æternitatis entitas sit, tamen, vt negatiua à nobis concipitur, & significatur; & tamen nihil rationis in eo includi fatetur. Vazq. ibidem: quia id totum non ex parte rei obiectæ, sed ex parte solum nostri modi concipiendi se tenet.

7. Verius igitur est in æternitate, etiam vt eo nomine significatæ, nihil rationis ex parte obiecti includi, vt docent S. Thom. 1. p. q. 10. art. 1. Etsi enim dicat constistere in apprehensione vniformitatis eius, quod est extra motum, seu successionem, non quidem apprehensionem ad æternitatis essentiam, & rem ex parte obiecti apprehensam spectare voluit, sed solum eius obiectum. Consensit Caietan. ibi in reali illa vniformitate essentiæ diuinæ, seu diuini esse essentiam æternitatis, hoc etiam nomine significatæ, totum obiectiuum illius conceptum constituens: qui quidem ille ipse est, quem definitione Boetij explicuimus. Nec plura de mente Caietani indaganda, de qua multa alij superflue. Est etiam sententia Scoti quodlibet. 6. & Soarij d. 50. met. sect. 4. n. 12. quare rectè negatione essentiali successionis, & termini vtrimque explicata illis verbis: *Interminabilis, ac totum simul*, à nobis concipitur æternitas, & explicatur. Quid autem positiuum illud, quod eis negationibus à nobis concipitur tandem sit, inquiri solet: sed inquiritur quod nequit explicari, nisi ad negationes recurratur, quibus nobis innotescit, quid sit totam suam durationem infinitam Deum simul, atque indiuisibiliter habere: conare autem, quid sit totum simul durationis atque infinitudinem hanc sine negationibus præfatis explicare, & cusquam aliter poteris.

8. Naturalibus rationibus ita explicata æternitas Dei demonstrari facile potest. Primo quidem ex prædicato entis à se, ex quo reliqua Dei attributa, eorumque infinitas demonstrantur. Etenim, quod à se est, non solum esse ab alio nequit recipere, sed neque durare: ergo quemadmodum ex hoc prædicato esse illimitatum, reliquaque attributa, & prædicata debet necessariò habere, ita etiam necessariò, & durare illimitatum debet habere: imo & totam sui esse durationem habere simul, ac sine successione vlla necessariò debet. Cum enim à se sit, atque omnia habeat, tempus, seu durationis successionem, vt aliquid habeat durationis expectare nequit: ac proinde, vbi primum est, totam sui esse durationem intrinsecam necessariò habebit. Confirmatur, ac declaratur ratio: quia nil amplius habere potest vnde durare postea cuincatur: quam habet vbi primum est: ergo vbi primum est, totam habet durationem intrinsecam infinitam & simul. Secundo demonstratur ex prædicato immutabilitatis Dei, si enim duratio intrinseca Dei, atque diuini esse successionem haberet, nec esset tota simul, & infinita, mutari intrinsecè Deus posset. Tertio probatur ex infinitate, quam è conceptu suo etiam metaphysico quoduis prædicatum diuinum habet, in qua clauditur successionis, & finitatis negatio in duratione diuina, vt patet. Si vel enim finita, vel non tota simul, duratio diuina foret in suo conceptu non clauderet infinitatem. Quarto demum ex physica Dei vnitate, ac simplicitate summa, quæ talis non esset, si intrinseca eius duratio diuisibilis, ac finita foret. Item successiuum, & finitum cum esse Dei infinito, ac non successiuo identificari realiter nequit.

CERTAMEN II.

Æternitas propria Dei est, atque speciale eius attributum.

1. Conclusio, quam præfixus continet titulus ea est. Æternitatem propriam Dei esse, ita vt creatam, seu creaturæ æternitatem propriam dari repugnet. Est autem conclusio hæc valde diuersa ab ea, quod scilicet Dei æternitate creatura æternari nequeat: sicuti neque vllius alterius prædicati diuini effectum formalem vnionis realis beneficio participare: vti vniuersim d. 3. q. vlt. fine docuimus, ostendimusque controuers. de Incarnat. In hac autem conclusione solum asseritur nullam durationem creatam æternitatem proprie, & rigide dictam solius Dei propriam esse, nec posse durationi alteri à diuina conuenire. Hoc tanquam dogma tradit Fulgent. de fide ad Petr. cap. 6. his verbis: *Firmissime tene, & nullatenus dubites solum Deum æternum, & incommunicabilem* (creaturis, qua æternum) esse id quod docet Psaltes Ps. 101. illis verbis. *Ipsi peribunt, & tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Scilicet de possibili: quare inde Paulus ad Hebræos 1. *Filij* diuinitatem probat, quia ita durat. Iessius noster: quia duratio creaturæ ab æterno pugnat cum prædicato creaturæ de cuius ratione est initium habere: quam rationem recitat ex Augustino 12. de ciuit. c. 15. Fulgent. de fide ad Petr. c. 3. Ambros. 6. exhamer c. 1. Basil. 2. contra Eunom. vbi eo probat Filium Dei creaturam non esse, quia æternus est: atque eiusdem amentiæ sit creaturæ æternitatem, siue ab æterno durationem concedere, atque Deo illam negare: & ex Damasc. 1. de fide c. 8. Vnde Græci Patres communiter, & August. 7. contra Felician. creationem productionem rei ex non esse ad esse definiunt. Si autem non esse creaturæ ad sui esse necessario præcedit, æternitate præcedit: ac proinde nonnisi in tempore, potest incipere creatura. Vt autem breuiter in testimoniis Patrum nihil esse momenti pro hac opinione ostendamus vno verbo eos de non esse, non de facto, sed de possibili æstimo locutos: cum enim creata omnia contingentia sint, eorum esse, è sui non esse apta nata sunt procedere, atque eorum esse, sui non esse succedere: quare & successionem, seu esse ad sui negationem, & negationis ad suum esse, si, vt potest, deficiat, possunt admittere. Secundo citari Patres aliquid de creaturis, vt de facto existere, loquuntur, ac de creatione, quæ de facto fuit.

2. Hæc tamen omnia nec satis firma sunt, neque ad conclusionem nostram necessaria; non quidem firma satis: quia licet creatura ens ab alio, ac non esse essentialitatis sua sit; quare, & initium sui esse necessario ordine causa-

sitatis supponat; non tamen ordine durationis: ergo rectè poterit esse ens ab alio, & creatura, licet sit ex æternitate. Et confirmatur: quia negari nequit, quin Deus ab æterno æque expeditam suam potentiam creatiuam Michaelis habuerit, atque habuit in tempore, quo illum produxit: ergo, nisi in essentia Michaelis passiua increabilitas ab æterno ostendatur (quæ vt dixi ex prædicato essendi ab alia causatiue nusquam ostenditur) ab æterno,& ex æternitate potuit æque, atque in tempore produci. Probatur vlterius: quia creaturæ essentia sua defectibili (vt pote ex libera Dei voluntate permansuræ) non repugnat in æternum permanere: ergo neque ab æterno perdurare: dummodo id à libera Dei voluntate sortiatur: quod si in rebus essentia sua successiuis, vt in nonnullis motibus duratio ab æterno esse non possit; ast in permanentibus rebus duratio ab æterno non ita videtur repugnare. Sed de hoc in physicis fusius. Quare fusiori hic disputatione, accuratiorique examine abstinebo: maxime cum è possibilitate, vel repugnantia durationis creaturæ ex æternitate, veritas primæ huius certissimæ conclusionis minime pendeat.

3. Admissa ergo possibilitate infinitæ creatæ durationis tam à parte ante, quàm à parte post, ac proinde, quæ ex æternitate, & per æternitatem sit: Nihilominus æternitas proprie non erit. Etenim tota simul exercite non erit essentia sua, etsi potentia, & aptitudine tota simul sit, vt de permanentium duratione, maxime de substantiarum spiritualium æuo plures æstimant; qui durationem (earum præcipue) à re durante realiter differre inficiantur; ait actu, & exercite tota simul æternitate non est. Dei autem æternitas essentia, & conceptu suo indiuisibili, vt diximus, actu, & exercite tota simul est, quin aliunde esse non possit, omnique durationis imaginariæ, & vlterioris etiam spatio, & interuallo, quantùm ex se est, nequit non coexistere, licet ex parte alterius extremi possit coexistentia deficere: sicut de coexistentia Dei per immensitatem suam spatio imaginario toti, & vltra superius dicebamus. Licet autem in ea opinione de duratione, quæ æuum est, & tota simul dicitur, atque à substantia spirituali physice indistincta (de cuius veritate examen ad controuersias physicas remittimus, vbi plura pro illo proditurus) de se apta etiam per illam sit substantia permanens spiritualis vt toti spatio imaginario coexistat per æternitatem, atque si ita produceretur, etiam ex æternitate; de se tamen non est determinata, vt ita coexistat: cum de se & essentia sua non existat, sed contingens sit, atque indifferens vt existat, vel non existat: ac proinde de se indifferens, vt toti illo spatio, imo & cuiuis eius parti, & momento existat, ac de facto durationi reali, quæ de facto est, fuit, vel erit, rebusque, quæ pro illa existierint, coexistat, sicut necessario per suæ æternitatis indiuisibilis durationem coexistit, & coextenditur vndequaque Deus.

4. Atque inde satis constat apertum inter æternitatem Dei, atque possibilem creatam durationem per æternitatem totam discrimen: indeque & discrimina alia inter hæc eadem suboriuntur. Sicut enim dicebamus de immensitate, inde etiam æternitas Dei principium obiectium, & exemplar omnis creatæ durationis, etiam quæ per totam æternitatem esset, eiusque fundamentum, & vt diximus cert. 1. primi generis mensura. Rectè enim ac profundè aiebat Dionys. 5. de diuin. nom. *Ipse Deus est principium, & mensura æuorum, & temporum entitas, & entium æuum.* Et rursus: *ipsum æuum, & omnia quæ sunt, & mensura rerum, & quæ sub mensuras cadunt per ipsum, & ab ipso sunt,* & cap. 10. *Ipse est omnium æuum, & tempus, ante dies, ante æuum, ante tempus.* Denique audiendus pro his aliisque æternitatis Dei à creata duratione differentiis. August. 1. confes. cap. 6. *Summus* (inquit) *enim es, & non mutaris: neque peragitur in te hodiernus dies; & tamen peragitur; quia in te sunt, & ista omnia. Non enim haberent vias transeundi nisi contineres ea, & quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies. Et quam multi iam dies nostri, & Patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt; & ex illo acceperunt modos, & vtcumque exiterunt, & transibunt adhuc alij, & vtcumque existent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina, atque vltra, omniaque hesterna, & retro hodie facis, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? gaudeat,*

& ipse dicens: quid est hoc? gaudeat etiam sic, & amet, non inueniendo inuenire potius te, quam inueniendo non inuenire te.

CERTAMEN III.

Æternitas speciale Dei attributum ab aliis diuersum ostenditur.

1. DEi æternitatem speciale Dei attributum non esse duplici ex capite probari posse videtur. Primo: quia omnia diuina attributa videtur transcendere. Æque enim Sapientia, Omnipotentia, amor, immensitas, atque infinitas æterna est, atque Dei essentia, seu Deus infinitus est: vnde vel plura æternitatis attributa in Deo admittenda sunt, quod implicat: siquidem eiusdem generis, seu nationis vnicum solum attributum, & prædicatum diuinum admitti in Deo potest, quodque omnem illius generis rationem è conceptu suo indiuisibili in se claudat: cum infinitum sit absolute, & simpliciter per denegationem termini etiam extrinseci, vt dist. 3. certam. vlt. ostendebamus; vel dicendum est vnicam æternitatem, omnia Dei attributa transcendere: neque enim alius modus superesse huic rei componendæ videtur. Quare æternitas, seu esse æternum speciale Dei attributum non erit à reliquis diuersum.

2. Alio etiam ex capite speciale Dei attributum æternitas videtur non esse. Quia, nimirum confunditur cum Dei immutabilitate, parsue illius est. Etenim in duratione intrinseca non mutari Deum, ad immutabilitatem Dei spectat: id autem ipsum est durationem Dei totam simul, atque infinitam, seu interminabilem vtrinque esse, quæ est æternitatis essentia,& definitio. Secundo Dei immutabilitas etiam claudit immutabilitatem de non esse ad esse. Tertio æternitas immutabilitatem, seu impossibilitatem motus intrinseci, seu ad intrinsecum quoduis includit. Hinc August. q. 19. ex octoginta tribus aiebat: *Licet omne æternum sit immortale, non tamen omne immortale satis subtiliter æternum dicit: quia, etsi semper aliquid viuat, tamen si mutabilitatem patiatur non proprie æternum appellatur.* De natur. boni, c. 39. *Illa est autem vera æternitas, quæ vera immortalitas. Hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.*

3. Sibi vbique similis August. ita in eandem sententiam scribit 12. de Ciuit. c. 15. *Tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc, etiam si immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est, quasi iam non sit, nec futura, quasi nondum sit; tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex præterito in futurum transeunt, & ideo creatori coæterni esse non possunt.* Quibus verbis tertiam à nobis adhibitam probationem expressit. Eidem sententiæ fauet Tertul. c. 39. aduers. Hermogenem, vbi *Leges æternitatis esse*, ait, *vt dispersionem, & demutationem pati non possit.* Nec fauet minus Isidorus 7. etymolog. c. 1. alijque Patres consonè loquuntur sæpe: quare opinio æternitatem Dei cum eius immutabilitate confundens, vel Patrum esse, vel in eis non parum fundamenti videtur habere.

4. Nihilominus æternitatem diuersum ab aliis omnibus Dei attributis esse (præsertim ab immutabilitate, de quo in terminis scholastici Doctores disputarunt) concors Theologorum sententia est: ita S. Thomas 1. p. q. 10. art. 2. cum suis interpretibus id disputantibus; ibi Caiet. art. 1. Aureol. apud Capreol. in 1. d. 9. q. vn. argum. 5. primi ord. Vazq. d. 31. c. 1. Suarez disp. 50. metaph. sect. 5. nu. 16. Et quidem argumenta de æternitatis transcendentia nihil probant. Licet enim æterna omnia attributa sint, vna æternitate, tam ipsa, quam essentia Dei esse possunt, quin hæc illa transcendat: sicuti vnica solum existentia ea omnia existunt, actuque & exercitè sunt omnium sententia, physicè loquendo:

Metaphysicè vero etiam in principiis nostris datis controuers. de Trinit. d.7. q.1. vbi non attributa solum, sed personalitates diuinas, in suo conceptu esse seu entis substantiui metaphysici rationem non imbibere, sed solum entia realia adiectiua metaphysica esse, quæque iure identitatis cum essentia eius entitate entia sint, eiusque existentia existant ostendimus. Hinc autem, cum duratio sit persistentia in esse facile apparet, non aliter attributa quam esse diuini, seu essentiæ æternitate perpetuo durare, quod non est in ipsis formaliter imbibi, vti ad transcendentiam eius oportebat, sed ab ea attributa tanquam à forma æterna denominari.

5. Quod autem ab immutabilitatis attributo diuersum attributum æternitas sit (de quo solum scholastici dubitarunt) facile suadetur. Quia, siue positiuum vtriusque attendatur, siue negatiuum, quo vtramque concipimus, & explicamus diuersa in vtraque sunt. Immutabilitas enim, vt bene Vazquez noster, essendi plenitudinem, & omnium sibi possibilium identitatem realem cum esse, cui nihil denuo ideo possit accedere importat; æternitas vero in eodem esse pleno persistentiam & durationem simul totam, qua omni spatio reali durationis coexistat, atque vltra imaginariam durationem, quantum de se est, actu repleat. Quæ, & in se, & in ordine ad extrinseca, quo illud concipimus diuersa valde ex parte obiecti metaphysicè sunt. Negatiua vero vtriusque, quibus vtramque explicamus, valde etiam diuersa sunt; æternitatis enim est negatio termini, & successionis in durando; immutabilitatis vero negatio, seu incapacitas mutationis cuiusuis: quæ vt patet valde diuersa sunt: ac proinde, siue positiuum, siue negatiuum vtriusque attributi consideres diuersa metaphysicè esse comperies.

6. Sic autem attributa hæc inter se comparantur: vt immutabilitas amplius quoddam attributum sit, & ex quo ranquam ex principio metaphysico æternitas Dei demonstretur. Illud quippe omnem mutationem vniuersim Deo repugnare dicit, ac proinde & à Deo necessario excludit, ablegatque longissime: ex quo necessariò deducitur neque in duratione intrinseca successionem, aut initium, vel finem esse posse: quam negationem in duratione æternitas dicit; eam tamen in ea materia immutabilitas non dicebat. Sic etiam in scientia, in potentia, & aliis attributis negationem mutationis, immutabilitas infert; quam tamen in eis materiis eo conceptu præciso non tangit. Id solum argumenta probant: nimirum vtriusque huius attributi metaphysicam, non identitatem, sed connexionem: ob quam Patres non multum de metaphysicis formalitatibus curantes quandoque confuderunt. Denique immutabilitas in actibus, quam Patres ad æternitatem requirunt, sine essentia æternitatis posset saluari, si ij omnes duratione successiua ex æternitate, & per æternitatem durarent, vt de duratione, seu æuo Angelorum per æternitatem eenſebat sanct. Bonauentura.

QVÆSTIO V.

De Vnitate Dei.

DE diuina vnitate duplici sensu potest disputari. Primo, prout entis attributum est, atque à nobis explicatur pro indiuiso in se, & diuiso à quolibet alio. Secundo pro vnitate singularitatis physicæ, & metaphysicæ, ex qua vnus solus Deus esse debeat: ita vt plures esse Deos physice, ac metaphysice repugnet ab hoc numero Deo numerice diuersos: quia de essentia Dei, seu Deitatis sit singularis vnitas, vel formaliter, vel radicaliter, ac proinde implicet prædicatum specificum Dei, seu Deitatis, non chimericum, assignari. Vtroque autem sensu de Dei vnitate agendum hic erit cum vtroque modo negationis à nobis Dei vnitas explicetur.

CERTAMEN I.

Maxima, entis pediſequa, vnitas in Deo aſtruitur.

1. VNum metaphysica vnitate, quæ entis prædicatum necessariò metaphysicè consequitur, ac proinde passio metaphysica entis appellatur esse Deum negari minime potest: imo à nullo hactenus est negatum. Ij enim, qui inter communia, & personalia, vel inter essentiam, & attributa distinctionem ante intellectus operationem, vel formalem actualem, & ex natura rei, vel virtualem admittunt, in id absurdum à nobis coguntur, vt Dei vnitatem negent: ipsi vero illud vitare variis, nescio an solidis, euasionibus contendunt: contra Gilbertum, & Asseclas, qui inter communia, & personalia vnitatem (de qua hic ex instituto non agimus) negarunt, pugnauimus satis controuers. de Trinit. Adeo constans rationi est hæc Dei vnitas, vt Melissus, Philosophique sapientiores Deum vnitatem ipsam, vel ipsum vnum appellarint apud Eugubinum 3. de peren. philos. c.7. Probaturque facile: quia est ens non diuisum, & plura: ergo vnum. Consequentia est certa: quia licet ens non simplex, seu compositum vnum esse possit; ast ens simplex nequit non vnum esse: pluralitas enim distinctionem importat totalem, ac mutuam eorum, quæ plura sunt: cui magis opponitur simplicitas, quam compositio: cum hæc partialem distinctionem mutuam eorum, quibus constat, importet, quæ necessaria ad compositionem est: simplicitas autem non solum totali distinctioni, sed & huic partiali ad compositionem necessariæ essentia sua repugnat: vnde maximam summamque omnium vnitatem Dei esse statim ostendemus. Sed tamen aduertendum hic est agi nunc de vnitate essentiæ, & communium Trinitati, seu vnitate, & identitate atque indistinctione personarum in essentia. Si qua vero ex personali distinctione personarum diuinarum inter se contra hanc conclusionem difficultas suboritur, maxime contra secundam militat conclusionem.

2. Ea vero secunda conclusio certaminis titulo contenta est: vnitatem Dei præfatam maximam summamque è possibilibus esse, est communis Theologorum cum S. Thoma. 1.p.q. 11. art. 4. vbi eius interpretes Vazq. in comment. Soar. 1. de essent. & attribut. c. 6. Est autem adeo constans veritas conclusionis, vt citatis Philosophis fuerit perspicua: id enim significabant, cum dicebant: *Deum ipsum vnum, siue vnitatem ipsam esse.* Sic enim summum, aut excellentissimum in quouis genere v.g. Sanctitatis, sapientiæ &c. abstracto illius generis explicare solemus, concreto nomine non contenti. Scilicet cum non sanctum, aut sapientem, sed ipsam sanctitatem, & sapientiam compellantes. Rationem autem dedimus num. 1. Ex S. Thom. ex eoque Theologi reliqui dedere è summa Dei simplicitate. Inde enim fit summe opponi diuisioni, & multitudini Deum: cum autem vnitas in oppositione diuisioni entis in se, & multitudini, seu pluralitati consistat, vel in eo, quod per eam à nobis intelligitur, atque explicatur, aperte fit ea summa oppositione summam vnitatem consistere, vel necessario à nobis explicari. Confirmatur ex his, quæ pro diuina simplicitate superius adduximus, vt omnem à Deo compositionem, siue substantialem, siue accidentalem relegaremus.

3. Oppones tamen contra hanc conclusionem ex mysterio Trinitatis personarum. Vnitas opponitur essentia sua diuisioni, & pluralitati, vti cum omnibus Philosophis, & Theologis fatemur: ergo summa vnitas omni diuisioni, & pluralitati opponitur. Atqui vnitas Dei non opponitur omni pluralitati, & diuisioni: ergo non est summa vnitas. Subsumptum probatur: quia vnitas Dei compatitur pluralitatem, ac diuisionem personarum Trinitatis: sunt enim personæ tres.

Et

Et confirmatur, quia, vt diximus controuers. de Trinit. d. 7. q. 4. vnitas hæc metaphysica Dei, quæ entis passio est, pro personarum numero multiplicatur in diuinis: ergo in Deo non est summa vnitas, imo neque vnitas, sed pluralitas, seu, quod idem prorsus est, vnitatum pluralitas. Nec satis videtur vnitatem hanc Dei, summam, quam Theologi omnes hic adstruunt, esse vnitatem essentiæ, non personarum, vt communiter respondetur. Primo; quia ad vnitatem, & summam vnitatem, seu simplicitatem essentiæ non minus spectat vnitas, & identitas essentiæ cum personalibus, quam cum attributis communibus. Secundo: quia, vt citato loco de Trinit. diximus, vnitas, quæ entis passio est, statum realitatis, seu physicæ entitatis entium, non autem metaphysicum, & præcisionis consequitur, ac proinde in Deo pro personarum numero multiplicatur: ergo in Deo non vnitas, sed multitudo, & pluralitas vnitatum absolute erit: cum in statu physico, & realitatis, ac non præcisionis essentia cum personalibus, tribusque personis tantummodo esse possit. Denique: quia alias, qui personalia ab essentia realiter diuiserunt absolute contra Dei vnitatem non errassent; atque adeo male à Rhemensi Concilio, Bernardo, & reliquis Doctoribus ex vnitate summa Dei confutarentur.

4. Nihilominus vero est communis solutio. Nimirum vnitatem essentiæ, ac Dei absolute summam esse; neque ei pluralitatem personarum vllatenus detrahere, seu aduersari; quin potius inde diuina vnitas, & simplicitas maximopere commendatur. Siquidem ex vi vnitatis, & summæ simplicitatis, & identitatis Dei fit, vt non solum plura, & omnia, quæ imperfectionem non inuoluunt cuiusmodi attributa diuina sunt, adunet, atque cum suo esse identificet, sed ea etiam, quæ secundum se considerata, atque in aliis oppositionem, & diuisionem habent, cuiusmodi sunt personalia, quemadmodum, quia vnio physica distinctorum coniunctio est, ea maxima est, quæ distantissima coniungit, atque in vnum cogit: proindeque vnio hypostatica est summa vnio, quia à Deo distinctissima extrema connectit. Inde vero constat, quam sint in diuinam vnitatem, ac simplicitatem Dei iniurij, qui essentiam realiter diuidunt à personis. Licet autem, quia vnitas, vt citato loco de Trinit. docuimus, statum physicum entis consequitur, vnitas pro personarum numero in Trinitate multiplicetur, vt sint tres personæ iuxta fidem, quia tamen in statu etiam physico ex fide vnica Deitas physice etiam est, nulla singularitate essentiæ in personis multiplicata, physice vna est, neque essentiæ amittit vnitatem, sed ex personarum pluralitate, atque eis vnitatibus personalibus augescit, cum ea etiam cum sua vnitate physicè identificet, ac maxime adunet, ita, vt nonnisi per rationem ab eius vnitate diuidantur. Ex quibus constat cum absoluta Trinitate personarum, & vnitatum personalium pluralitate rectè, riteque absolutam Dei vnitatem summam iuxta fidem, & nostra principia consistere.

CERTAMEN II.

Dei vnitas numerica, seu singularitatis physicæ, & metaphysicæ monstratur.

1. COntra vnitatem Dei essentia sua numericam, & singularem physicè, & metaphysicè, quæ Deorum pluralitati opponitur, eamque infra possibilitatem amandat, atque ad impossibilia, & chimærica relegat, errarunt, erranteque gentiles, præsertim Crassiores, qui plures Deos credebant, ac venerabantur; subtiliores vero, potioresque, vt recte obseruauit Vazq. vnum solum cæterorum authorem colebant. Iouemque Diuorum Patrem, atque hominum Regem, & factorem appellabant, vt Poeta aiebat, *Diuum Pater, atque hominum Rex.* Quo cæteros non Deos, atque, vt Iouem, à se, sed ab ipso, esse farebantur: quare & ipsum Deum tantummodo agnoscebant; Cæterosque ob insignia facinora in cælum, ac Dei Iouis societatem, ac proinde Diuos arbitrabantur. Qua in re, licet in Dei persona errabant, atque alia Deo indigna Deo suo Ioui tribuebant; ait contra Dei vnitatem non videntur peccasse. Similiter neque contra Dei vnitatem alij ex rudioribus, qui vnum solem Deum æstimabant, licet circa personam errauerint. Directe vero contra Dei vnitatem, & singularitatem, & expresse, errarunt Cerdon cum suis Cerdonianis. Hos imitati sunt Manichæi: vtrique enim asserebant duo esse rerum omnium principia prima, non quidem distributiue omnium vnumquodque, vel vtrumque simul, sed bonarum omnium rerum Deum; malarum vero omnium dæmonem: ac proinde pro eo errore recensentur communiter à Doctoribus.

2. Sed videndum restat an Dæmonem, quem malarum rerum vnicum principium primum ponebant, à Deo etiam factum negarint. Si enim de Demonum, seu malorum Angelorum creatione à Deo, non aliter, ac de bonorum Angelorum creatione censebant, aliter quidem, non tamen contra Dei singularitatem, & vnitatem, de qua nunc errauerunt. Philoponus apud Suidam verbo *Ioannes grammaticus*, & apud Nicephorum. 18. hist. c. 48. & Peratæ apud Praeolum 1. hæretic. fabul. c. 18. Deitatem in tres personas diuidebant: quare & tres Deos Trinitatis mysterium destruentes inducebant, vt Trinitatem conseruarent: vnde merito Tritheitæ nominati sunt. Horum partibus recenter accessit Valentinus gentilis Caluinianus professione, patria Cosentinus; licet apertis scripturæ testimoniis conuictus ad Arrianismum tandem ierit, in quo quidem non Dei singularitas, & vnitas, de qua hic, sed Trinitas sublata Filij, & Spiritus sancti diuinitate, impugnabatur. Ex quibus constat apertos vnitatis Dei impugnatores solos rudiores gentiles, qui plures venerabantur Deos, atque ex Christianis hæreticos Tritheitas, & aliquando Valentinum gentilem extitisse. Quibus addendi, & alij hæretici sunt, quos cum eis numerauimus controuers. de Trinit. d. 2. q. 4. cert. 1. num. 8. licet Lullium ibi pro hoc errore citatum ex Eimerico in suo directorio excuset Vazq. 1. p. q. 11. comment. art. 4. vt citatur pro errore eodem à Bernardo Lucemburgensi catalogo hæres.

3. Veritas Catholica de Dei singularitate, & vnitate Deorum aliorum pluralitati opposita, adeo est perspicua, vt politiores gentiles nō latuerit, licet in subiecto, seu persona errauerint, vt vidimus. Ex Philosophis ij omnes naturali rerum ductu eam assecuti sunt plures, qui vnum esse ens à se, cæterorum entium principium, authorem, causamque primam (id enim ipsum Deus est) asserebant d. 1. Veritatis huius demonstrationes, licet omittendæ non sint, erunt tamen tantillum differendæ, vt firmioribus ex Scriptura Sacra probationibus primus ordine dignitatis, vt par est, locus detur. Primo igitur probatur ex his omnibus locis, quibus Dei propria, solius, vniusque Dei esse dicuntur in scriptura. Nempe miraculorum de sese patratio, quæ solius, vniusque Dei esse dicuntur testimoniis recitatis d. 2. de Trinit. q. 4. cert. 4. n. 2. item cognitio futurorum de sese, & secretorum cordis vnius Dei propria ex datis locis ibi n. 5. Item iustificandi solius Dei potestas ex datis n. 6. & 7. ac demum ex creatione, & conseruatione, & gubernatione rerum propria vnius Dei, ex locis datis etiam ibi nu. 8. omni vero discursu ex locis scripturæ semoto habetur in ea expresse, & in terminis, vt aiunt, conclusio.

4. Deuteron. 6. *Dominus Deus tuus Deus vnus est*, cap. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum*, Ad Roman. 3. fin. ad Galat. 3. & ad Ephes. 4. *Vnus Deus* ac 1. Corinth. 8. *Non est Deus nisi vnus*. 1. Reg. 2. *Non est Sanctus, vt est Dominus: nec enim est alius extra te*. Psal. 17. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Psal. 83. *Tu es Deus solus*. Sap. 12. *Non est alius quam tu*. Hinc cum recitatum locum Deuter. Scriba Math. 12. ita apud Christum Dominum explicasset: *Quia vnus est Deus, & non est alius præter eum*; subdit Euangelista: *videns Iesus quod sapienter respondisset*. Adeo tandem expressa in veteri testamento recitatis locis, aliisque pluribus Dei vnitas singularis est, vt quoties Filium se Dei Christus apud Scribas nominabat, ac proinde Deum, blasphemiæ ab illis fuerit appellatus. Ex his autem constat

quanto iure Dionys. 2. de diuin. nom. dixerit. *In omnibus fere sacris libris aduertimus diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem, & vnicam ob simplicitatem, atque vnitatem excellentiæ illius indiuidui, ex quo veluti viuifica virtute in vnum tendimus,* & Damasc. 1. de fide c.5. *Apud eos, qui scripturis credunt Deum esse vnum extra controuersiam est.* Idcirco Patrum testimoniis, atque Pontificum & Conciliorum hac de re definitionibus recitandis merito abstinebimus. Id satis notasse fuerit nullum esse Concilium, in quo professione fidei ea veritas definita expresse non sit: atque in omnibus in quibus de Filij, & Spiritus sancti consubstantialitate cum Patre actum est (quorum meminimus q. illa 4. de Trinit.) esse etiam definitam.

CERTAMEN III.

Eadem veritas rationibus demonstratur.

1. VEritatis eiusdem aliunde, quam ex scriptura, suadendæ, ac demonstrandæ plura argumenta superarant. Primo enim ex Philosophorum, & Sybillarum testimoniis suaderi, præsertim gentibus, facile posset: id autem adeò erudite præstitum ab Augustino Eugubino videmus, vt satis habuerimus lectorem ad ipsum 3. de perenni philosophia initio remittere; & de Socrate, Platone, Aristotele, Cicerone & aliis constat Catholice hac super re sensisse locis datis d.1. de Pythagora, Sophocle, Euripide, Orpheo, & Poetis vetustis: videantur insuper Iustin. Martyr. lib. de Monarch. & orat paræner. ad gent. Lactan. 1. diuin. inst. 1 cap. 4. Tertul. Apologet. aduersus gent. Athanas. orat. contra Idola Cyprian. de idolor. vanit. August. 4. de Trinit. Arnob. 2. contra gentil. S. Thom. 1. cont. gent. c. 42. ij omnes Deum necessario vnum solum esse, nec plures esse posse, multis eruditis argumentis, atque efficacibus rationibus contra Idololatras probarunt. Quoniam vero non omnia, quæ ab his, docte quidem, & acutè, congeruntur, intentam veritatem demonstrant: eis, licet satis probabilibus, & efficacibus abstinebimus, ne res, quæ plena rationis luce potest ostendi, sub obscuris argumentis probetur: atque in eorum examine solutionibus, earumque impugnationibus trahatur, seu potius distrahatur tempus.

2. Eadem de causa mitto rationem Arist. 8. physic. de primo motore, & 12. metaph. ex eo quod perfecta, & optima gubernatio requiratur ab vniuerso, vt explicat S. Thom. citato loco c. 43. rat. 3. esseque in illo debeat, quæ melior est ab vno Principe, quam à pluribus. Item illa quæ demonstrat debere esse vnum ens à se, ac non ab alio. Ea quippe necessitas saltem vnius primi principij demonstratur, non autem plurium impossibilitas ostenditur. Quarto mittendæ sunt tres rationes priores nostri Soarij. d. 30. metaph. sect. 11. in resolutione quæstionis à n. 8. ad 21. vsque ad medium: nituntur enim in eo, quod alterum ens, quod vltra vnum, Deus esse dicitur, necessario ab illo vno productus in Deitate, & essentia esse deberet: quo admisso, illud alterum ens Deum non esse manifestum multo ex capite est. Verum qui plures Deos ponerent, nihil prius, faciliusque negarent, quam antecedens: cum enim de conceptu essentiali Dei sit esse ens à se, nihil quod ab alio esse admitteretur ab illis assereretur Deus: sed quotquot Deos, tot entia à se, atque ab alio improducibilia designarent. Totum ergo negotium esse debet in demonstratione antecedentis, seu impossibilitate plurium entium à se, & improductorum, quod est nostra, & Soarij, atque omnium conclusio. Nec fælicius antecedens hoc probat, 1. de essent. & attribut. c. 6. n. 6. post med. ex ratione vltimi finis, & quod Deus super omnia diligi debeat: vtrumque enim Philosophi negarent, nec, nisi ex aliis principiis, quam ab eo ibi, & d. 29. metaph. ad sect. 2. adductis demonstratiue conuincerentur.

3. Sic autem ex prædicato entis à se, ac non ab alio, in quo apud omnes conceptus essentialis Dei est situs, eius multiplicationem, & pluralitatem impossibilem demonstro primo. Quia ex hoc prædicato infertur debere habere Deum esse cum omni perfectione possibili essendi, quæ nullam dicat imperfectionem; atqui, si esset alterum etiam ens à se, siue inæqualis, siue æqualis perfectionis essendi, neuter esset cum omni perfectione possibili essendi: siquidem reipsa perfectione essendi alterius careret: non minus, quam Petrus reipsa non habet perfectionem essendi, quam Paulus, vel Angelus Gabriel, vel Bucephalus habent: ergo neuter esset Deus. Confirmatur: quia ens à se infinitum debet esse per denegationem termini, etiam extrinseci, vt vidimus supra d. 2. q. vlt. vnde nihil eiusdem speciei extra ipsum esse potest, nisi, quod Deo indignum, ob imbibitam in ipso imperfectionem, sit: atqui, si duo essent Dij, neuter esset infinitus per denegationem termini, etiam extrinseci, cum extra ipsum esset alter Deus, in quo nihil Deo indignum imbiberetur: ergo neuter esset Deus.

4. Tertio probatur: quia ex eodem prædicato Deus summè bonus esse debet, non esset autem summe bonus, si esset alter æqualis bonitatis, vti esse deberet alter Deus. Quarto probatur quia esse debet ens à se omnipotens: id est omnium, quæ extra ipsum possibilia, seu non repugnantia sint virtutem, & potentiam productiuam habere; non haberet autem illam, ac proinde, neque esset à se nec Deus, si Deum alterum, qui è possibilibus per te est, producere non posset; sin vero producere posset, iam ille alter non esset ens à se, & Deus; sed creatura. Quinto inde arguitur: non posse Deum habere supremum rerum omnium dominium, vt necessariò habere debet, quod ens à se, Deus, & omnipotens est. Cum enim dominium Dei in reliqua, sit creationis iure, ac proinde in omnipotentia, qua omnia præter se producere potest, fundetur: si non habeat potentiam productiuam alterius Dei, qui aliquid præter ipsum est, supremus omnium Dominus non erit: vel, si illius etiam productiuam potentiam, ac proinde dominium habet, ille alter, qui Deus ponitur, ac proinde Dominus omnium supremus, Deus, ac Dominus supremus omnium non erit. Sexto similiter arguitur ex asio Dei, & entis à se prædicato necessario, scilicet Regis, supremique gubernatoris, & Monarchæ omnium. Erit enim etiam alterius illius Dei, qui proinde Deus non erit, quod implicat; quod si mutuò Deos illos duos, vel plures, & se se posse producere, atque adeo alterum alterius Dominum & gubernatorem, Regemque esse dicas; præterquam quod primis argumentis non respondes, nullum esse Deum, dum plures adstruis ostendis, & rem mille implicationibus intricatam doces.

CERTAMEN IV.

Ex comparatione Dei ad creaturas demonstrationes reliquæ.

1. SEptimo arguitur, non comparatis Diis hisce inter sese, sed in ordine ad creata reliqua ex eisdem prædicatis diuinis dominij gubernationis, & regni supremi diuini, quæ in duobus, aut pluribus simul suprema, & optima esse non possunt. Etenim, si horum ius, & potestas, quoad vsum, alterius voluntati mutuo, vel non mutuo subderetur illius, vel illorum, qui ita subderentur dominium, regnum &c. suprema non essent, neque absoluta, sed subordinata & dependentia ab alterius voluntate, ac proinde ipsi non esse Dij manifestè conuincuntur. Si autem ex eis nullus in eis ab alterius voluntate penderet, alia apertè, etiam repugnantia inferuntur necessario, ex quibus pluralitas Deorum demonstratur impossibilis. Etenim dominium insolidum circa eadem in duobus ad omnem rei vsum simul habituale, & æternum admittendum erit: quod manifestam imbibit contradictionem: licet per instans donationis rei possibile à nostris Recentioribus nonnullis actu simul esse possit. Quos tamen controuers. 2. de Incarnat. abunde, neque admodum leuiter confutauimus. Similiter regia, & gubernatiua potestas absoluta, atque indepen

independens erga subditos eosdem penes duos, aut plures simul esse non posse facilè demonstratur. Et sanè, cum Dei & dominium & potestas, gubernationis optimæ esse debeant: monarchicaque omnium optima sit, vt Aristotel. 12. metaph. ostendit; in pluribus vno simul esse non posse euidentissimum est.

2. Argumentor Octauo, tum ex vsu harum potestatum dominij, gubernationis, & regni; tum ex vsu omnipotentiæ erga creata, quæ in duobus, vel pluribus illis Diis esse posse ad hoc argumentum permitto. Etenim vsus eiusmodi potestatum, & omnipotentiæ, si insolidum & Deo digne ex in eorum singulis sint, independens ab alterius voluntate esse in vnoquoque eorum debet: ergo altero renuente posset alter absolutè rebus creatis vti, easque regere, & gubernare, hoc, vel illo modo producere, conseruare, & annihilare pro libito, & nutu suo solo. Hoc autem aliunde ex pluralitate ipsa Deorum repugnat: siquidem alter pro suo etiam solo arbitrio oppositum omnino in creatis, ac de creatis omnibus agere posset. Si autem eorum neuter causa, & voluntate sua cadat, innumera contradictoria euenient. Si autem alter solus compos voti sui euadat; alter proculdubio Deus non est. Nec valet esse summè in eis vsibus concordes vti summè bonos: concordia enim voluntatum diuersarum, etiam in æquè bonis libera est, & contingens, non naturalis, & necessaria: quare absolutè potest deficere. Confirmatur: quia Deus ad optimum absolutè, imo in aliquo genere, præstandum non tenetur: ergo neque alter Deus tenetur ad præstandum, volendumque siue actione, siue regimine erga creaturas, quod alter vellet quantumuis bonus esset vterque: maximè, si alter optimum non vellet. Denique: vel ita alter voluntati alterius circa regimen productionem, & conseruationem creaturarum concordare tenetur, vt nullatenus voluntate sua ab illa discordare queat; vel ita, vt absolutè discordare possit: si hoc postremum, absolutè absurda, & impossibilia deducta inferuntur. Si primum ea erit mutua dependentia in vsu earum potestatum vnius Dei à voluntate alterius: ac proinde nullus eorum Deus erit, easve potestates in solidum habebit.

3. Tandem nonò. Deus non solum esse debet ens à se, ac proinde necessarium ens in se, sed etiam necessarium creaturis. Atqui, si plura entia à se, atque adeo plures Dij sint, nullus eorum esset necessarius creaturis: ergo nullus eorum esset Deus. Minor constat: quia ad creaturarum productionem, conseruationem, regimen, & gubernationem, quouis eorum permanente, deficientibusque, & sublatis è medio aliis satis foret; ac proinde nullus in particulari necessarius esset. Secundò: quia is solum Deus ad ea omnia requiritur, qui ex iis omnibus adesse demonstratur: atqui ex eis omnibus solum demonstratur vnus Deus, non plures, aut aliquis ex eis vagè necessarius, aut aliquis ex eis determinatè. Hinc autem probatur Maior, quia inde ponitur, atque admittitur in natura ens à se, & Deus: quia necessarius est creaturarum productioni, conseruationi, regimini, & gubernationi, vt ex datis demonstrationibus d. 1. liquido apparet: ergo eisdem demonstrationibus, quibus Dei existentia, seu ens à se existens ostenditur esse necessarium, eiusmodi ens à se, & Deus nullus necessarius creaturis ad ea omnia demonstratur. Secundò probatur Maior: quia natura in omnibus superfluum odit, etiam in rebus, & causis minutulæ quantumuis virtutis, & entitatis: ergo multo magis in entibus infinitis, infinitæque potestatis, & virtutis, cuiusmodi Deus est: ergo in iis solum admitti potest ens naturæ necessarium, vt maiori propositione ponebamus.

4. Ex qua rursus demonstratur Deum vnum determinatè fore: quia Deus vagè, & pluralitatem Deorum supponit, cum terminus vagè supponens nonnisi in pluribus individuis esse possit, quos necessarios creaturis esse non posse satis ostendimus. Ac rursus: quia Deus vagè ad ea omnia necessarius non est, cum, vt sic, nihil possit exercere, & operari. Vnde id ipsum demonstro syllogismo in *Darij*, sic efformato. Deus est ens necessarium non solum in se, sed necessarium etiam creaturis ad productionem, conseruationem, regimen, & gubernationem: atqui vnus determinatè Deus, seu ens vnum à se in singulari est ad ea omnia creaturis necessarium: ergo vnus determinatè, & ens à se singulare est Deus. Ex quibus omnibus patet quanto iure Tertullianus 1. contra Marcion. cap. 3. dixerit. *Deus si non vnus est, non est.* Et cap. 4. *Deum, si semel vnitatem excedat, numero Deorum determinato continerì minimè posse.* Cum enim superfluo, ac sine fundamento, & gratuito contra rationem plures vno Dij chimæricè inducantur, atque arbitrariarum, chimæricerumque rerum numeras statui nequeat, neque plurium Deorum numerus poterit definiri. Si quando vero in Scriptura plures Dij dicûtur ex gentium phrasi, ac non ex Dei sententia dicitur, vel Dei nomen latè sumitur, vt Psalmista, *Ego dixi: Dij estis vos, & Filij excelsi omnes.* Quod de iis, ad quos sermo Dei factus est, Christus Dominus explicuit.

Disputari hic tamen posset: an vnitas, tam passio entis, quam singularitatis, quas Deo conuenire demonstrauimus, sint Dei attributa. Et quidem Dei attributa esse perspicuum ex dictis est: cum Dei essentia metaphysica sit esse à se, seu non ab alio, vt ostendimus d. 2. in quo nec vnitas metaphysica entis, seu esse indiuisum in se, ac diuisum à quouis alio, nec esse vnum singulare, æque immultiplicabile formaliter, seu non plures continentur: imo ex quo, vt vidimus, vtrumque demonstratur: quod autem specialia etiam Dei attributa sint, nec alia Dei prædicata, & attributa transcendant facilè etiam ostenditur. Nam Dei entitatem, & essentiam afficiunt, quam indiuisam in se, atque à quouis alio diuisam singularemque, & immultiplicabilem constituunt: quod nullum ex aliis attributis Dei formaliter præstat: quare neque eam rationem in se imbibitam habet, vt opus ad transcendentiam erat.

DISPVTATIO VII.

De attributis Dei positiuis omnino.

IN attributis Dei omnino positiuis, nomine nimirum, definitione, explicationeque nostra (nam in seipsis omnia Dei attributa positiua sunt) Quædam sunt vniuersaliora, quæ entis, vt sic prædicatum metaphysicè consequuntur indiuiduè: cuiusmodi sunt veritas, & bonitas; quædam vero specialiora, vt perfectio, præsertim simpliciter simplex, quæ dicitur, solique Deo competit. Deinde vitalitas, seu viuentis prædicatum: de quibus seorsim disputandum hic venit, vt de omnibus Dei attributis omnino positiuis disputatio habeatur. Licet enim alia etiam positiua omnino Dei attributa sint, vt prædicatum intellectiui, & volitiui, ea tamen propriori sede, suis nimirum specialibus controuersiis de scientia, & voluntate (quarum quæuis controuersiam integram, præ difficultatum suarum copia, & grauitate reposcit) disputanda sunt. De dominio autem, regno, & sanctitate Dei nonnisi post controuersias de omnipotentia, disputari commode potest, & si sint attributa omnino positiua: quia ex difficultatibus ibi examinandis, earumque resolutione circa ea pendet definitio. Omnipotentia vero iustam disputationem immediatè sequentem explebit.

QVÆSTIO I.

De veritate entitatiua Dei.

DIxi de veritate entitatiua Dei, quæ passio entis est, ne hanc quæstionem cum aliis de veritate Dei in iudicando, seu cognoscendo, quæ ad controuersiam de scientia spectat, ac de veritate Dei in dicendo, quæ ad sanctitatem Dei pertinet veracitas, quæ propriè est, vel confunderem, vel rectæ methodi iniuria miscerem. Hic autem videndum, an præfata veritas in Deo sit? anque speciale eius attributum?

CERTAMEN I.

Veritas entitatiua, quæ passio entis est, Deo ex fide adest.

1. SVpponendum inprimis ex controuers. metaphysicæ est (quod satis etiam, licet breuius, attigimus controuers. de Trinit. d.7.q.2.) entis comitem veritatem rerum entitatiuam, siue in essendo à veritate cognitionis, qua verè de illa iudicatur, (quæcumque ea cognitio sit, siue creata, siue increata & diuina) neque tanquam à termino, neque tãquam à forma pendere. Etenim sublata per possibile, vel impossibile omni, etiam diuina cognitione, lapis verè esset lapis, eo ipso, quod in se esset; tunc autem nulla eius à cognitione, siue tanquam à termino, siue tanquam à forma dependentia esse posset: ergo eius veritas in essendo, siue entitatiua à nulla cognitione pendet. Confirmatur, quia veritas in cognoscendo, seu cognitionis, qua res verè cognoscitur, potius pendet à veritate rei entitatiua, seu in essendo. Neque enim ideo lapis verus lapis est, quia cognoscitur esse lapis. Sed contra potius, ideo verè cognoscitur esse lapis, quia, verè lapis, seu verus lapis in se est. Quod etiam respectu diuinæ scientiæ, & cognitionis de lapide verum habet; licet diuina scientia in se suaque veritate, & infallibilitate à creatis obiectis non pendeat: cum de sese sit infinita representatio vera & infallibilis anticipata omniũ creatorum repræsentabilium. Vt enim creata repræsentet eorum extrinsecam positionem pro diuersis statibus spectat, sine qua in nullo statu creato obiectiuam veritatem, seu cognoscibilitatem habent. Quomodo autem cum hoc stet diuinæ scientiæ independentia & immutabilitas diximus d.4.qu. de Dei immutabilitate, iterumque dicemus controuers. de scientia.

2. Supponendum secundo est veritatem præfatam in essendo, licet nihil reale supra ens addat, tamen aliquid ex parte obiecti addere supra entis formalitatem, seu rationem, nec solum ex parte modi nostri cognoscendi. Hoc est contra Soarium nostrum d.8. metaphys. & 1. de essentia & attribut. cap.7.num.8. loquor in opinione præscindentium ex parte obiecti rei eiusdem formalitates, quam cum Soario eodem, ac reliquis à Nominalibus defendo: vtrumque ex eodem principio, quod veritas in essendo entis passio metaphysica sit facilè suadetur. Si enim reale aliquid supra ens, siue entitatem eius veritas adderet, potentia Dei absoluta posset ab ente deficere, ac proinde inseparabilis absolutè passio illius non esset; licet naturalis passio physicè inseparabilis foret. Secundò, licet demus adhuc diuinitus inseparabilem physicè non esse, si tamen realiter diuersa esse admittatur, non metaphysica quidem, sed physica passio esset habenda. Hac in re cum Soario conuenio. Sed inde etiam probo secundum, in quo ab eo discordo. Etenim in Soaristica præscindentium opinione, passiones metaphysicæ entis essentiæve cuiusuis, cuius passiones esse dicuntur, diuersæ formalitates, & prædicata obiectiua esse debent ab eo, cuius passiones sunt, nec satis est eandem ex parte obiecti formalitatem diuersimodè ex parte solius nostræ cognitionis concipi, aut intelligi posse.

3. Suppono tertio veritatem rerum entitatiuam, siue in essendo, fundamentum esse veritatis cognitionis, seu iudicij, quo verè in se esse cognoscuntur, ac iudicantur; sed tamen neque in eo veritatis entitatiuæ essentiam, & formalitatem metaphysicè intrinsecam eius veritatis esse sitam. In primo cum citato Soario conuenio, probaturque ex dictis facillimè: quia vt diximus n.1. ideo iudicium, quo verum esse lapidem de lapide iudicamus, verum est, quia verè in se lapis est, atque veritatem habet lapidis entitatiuam: ergo veritas eius iudicij veritati entitatiuæ, siue in essendo lapidis illius innititur, atque fundatur: quare & est veri illius iudicij fundamentum. Quod autem in eo essentia & formalitas intrinseca metaphysicè entitatiuæ illius veritatis non stet (in quo à Soario citato dissentior) suaderi haud difficulter potest. Primo quia aere eam formalitatem, & rationem est in veritate entitatiua rerum ratio alia prior, vt explicabo n.4. Secundò quia, vt dixi facta omni cognitione impossibili veritas entitatiua, siue in essendo rerum peritaret ipso Soario annuente: quo in casu veri iudicij fundamentum esse non posset.

4. Suppono denique ex citatis controuersiis rerum entitatiuam, atque in essendo veritatem essentialiter consistere in positiua soliditate essendi rebus omnino intrinseca, qua non solum similitudinariè, & apparenter talis res sit, sed re, & entitate sua sit talis. Vnde secundario ratio illa fundamenti veri iudicij de ipsa, quod talis res sit, metaphysicè resultat. Probatur facile quia eo aurum, verum aurum est, & argentum verum argentum, quod non apparenter solum, & similitudinariè, sicut auricalcum, & stannum, sed entitate sua reipsa aurum, & argentum est, quod autem hæc ratio, & formalitas prior sit aliis, atque omnium prima suaderur: quia nulla alia ratio metaphysica ante ipsam excogitabilis est in veritate entitatiua rerum, atque ipsa prior metaphysicè est ratione fundandi iudicium verum de ipsis, quod tales res sint. Primum patet, negarique minimè potest, nisi ab assignante rationem, seu formalitatem metaphysicam priorem, quæ nullatenus est assignabilis. Secundum vero probatur: quia esse in se solidè, nec apparenter talem reipsa in se rem quampiam est ratio à priori, ob quam potest fundare iudicium verum de ipsa, quod talis reipsa sit; non autem è contra: quia hoc potest fundare à priori ostenderur esse solidè, ac non similitudinariè, & apparenter solum rem in se talem; ergo hæc ratio est illa prior. Secundo quia prius metaphysicè in re quauis est, quod est in ordine ad se, & esse, atque entitatem suam intrinsecam, quam quod est in ordine ad extrinsecum aliud. Tertiò à contrario: quia esse rem solum similitudinariè, & apparenter talem in se, est causa cur iudicium falsum de ipsa, quod talis sit, fundare possit.

5. His positis facile discursu probatur 2. In Deo dari veritatem entitatiuam siue in essendo, quæ entis metaphysica passio est, ac dicitur: quia Deus non apparenter, & similitudinariè solum Deus in se est. Sed reipsa, atque in se solidè entitate sua est Deus, seu ens à se, &c. ergo habet veritatem entitatiuam Dei, nec solum apparenter, & similitudinariè, ac proinde est verus Deus. Atque à posteriori metaphysicè probatur: quia entitate sua fundare potest verum iudicium, quod Deus sit, si cognoscitiua potentia adsit, atque cognitio de ipso sit possibilis. Sed firmius probatur vlterius ex Scriptura Ierem. 2. vbi de Idolis: *opus artificum vniuersa hæc: Dominus autem Deus verus est.* Ioann.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum.* & 1. Ioan.5. *Hic est verus Deus.* Thessalon.1. *Conuersi estis à simulacris seruire Deo viuo, & vero.* Et alibi sæpè: quare veritas hæc de fide est.

CERTAMEN II.

Veritas entitatiua Dei summa, & maxima, atque ipsius attributum est.

1. DVas proposui conclusiones: Alteram, quod entitatiua Dei veritas maxima & summa è possibilibus sit. Alteram, quod sit Dei attributum. Prima est omnium conclusio cum S.Thom. qu.16. art.6. Neque vllam in se, aut in probatione difficultatem patitur. Probatur facilè; quia, sicut Deus est ens à se, seu summè necessarium, ita summam necessitatem habet essendi in se solidè, ac non solum similitudinariè Deum: quod ipsum est esse Deum summè verum. Secundò: quia inde etiam habet esse fundamentum firmius, seu posse maiori firmitate fundare veritatem iudicij de ipso, quod Deus sit. Eo enim ipso, quod maioris necessitatis obiectum est, minus defectibilis est veritas iudicij, quo esse iudicatur, vt pater. Tertiò probatur à paritate reliquorum prædicatorum, tam essentialium, quam attributalium Dei. Omnia enim in suo quæque genere summa è possibilibus illius generis sunt;

sunt: ac proinde antonomasticè talia dicuntur, vt patet in prædicato entis, sapientis, potentis, boni, & similibus: ergo idem veritas entitatiua Dei, ac prædicatum veri in Deo habebit. Quarto inde probatur: quia, licèt ob summam omnium prædicatorum Dei identitatem tam in abstracto, quam in concreto de Deo prædicentur, tamen ob summam eorum præ reliquis sui generis excellentiam significandam, ita prædicantur, vt sapienter insinuauit S. Thom. ibidem. Nec mirum, nam in creatis etiam, vt excellentiam alicuius in aliqua re explicemus abstracta pro concretis de illo dicimus; vt de sapientissimo, ipsam sapientiam: de fortissimo ipsam fortitudinem esse.

2. Quod autem veritas entitatiua Dei ipsius attributum, & proprietas metaphysica specialis sit, licet æquè communis conclusio sit, difficultates patitur in communibus principiis non leues. Probatur à Soare & communiter attributum esse; quia dicere Deum, ac dicere verum Deum omnino synonymum non est: ergo ex parte obiecti veritas Dei, seu Deus, vt verus, aliquid vltra Deum significat: quod ipse putat esse connotationem ad iudicium verum, quod Deus sit, quæ in ratione fundandi eiusmodi iudicium continetur: verum hoc non esse, quod ex parte obiecti significatur supra Deum veritatis nomine ostendimus cert. 1. n. 3. sed ponitiuam, nec solum similitudinariam soliditatem essendi in se Deum: vtroque autem modo videtur nihil addi supra conceptum, & obiectam formalitatem Dei, seu entis à se, ac proinde *Deus*, & *verus Deus*, idem omnino ex parte obiecti significare. Etenim, cum veritas iudicij sit conformitas eius cum obiecto: atque huius conformitas cum obiecto cognito mentaliter, vel significato per voces præcisè, vt concipitur, vel significatur, esse omnino debeat: atque in hoc iudicio vero; *Deus, vel ens à se est Deus, vel ens à se* nihil aliud sit ex parte obiecti, subiecti, & prædicati, quam *ens à se, vel Deus*: quidquid ex parte Dei in ea propositione cognoscitur, & significatur, aliquidque ex parte rei obiectæ ad veritatem, seu cõformitatem eius iudicij cum suo obiecto apponit, solus Deus, seu ens à se, ac proinde Dei essentia est; nihilque supra illam ex parte obiecti adest, quod eius attributum sit, atque iudicij illius veritatem fundet, fundarevè possit.

3. In nostro vero explicandæ veritatis entitatiuæ modo eadem videtur difficultas vrgere. Tum, quia rationem hanc fundandi iudicium verum prædicatum Dei ab essentia diuersum, ac consequens metaphysicè conceptum formalem veritatis Dei esse diximus. Tum, quia primarium huius conceptum in soliditate essendi à se, & non apparenter, & similitudinariè Deum, & ens à se posuimus: in quo nihil aliud ex parte obiecti videtur contineri, quam ratio entis à se seu Dei. Sicuti in auro vero (quorem explicabamus) nihil aliud esse videtur ex parte obiecti, quam essentia auri, quam ex parte obiecti aurum similitudinarie, & apparenter solum tale, vt auricalcum, non habet; sed substantiæ auri negationem, atque rei alterius auri accidentibus substratam, & quasi contectam substantiam. Verum respondetur: in his prædicatis, quæ & solidè, ac verè, & apparenter, ac similitudinariè possunt obiectis rebus competere, cuiusmodi est entis prædicatum, quod figmentis etiam apparenter, ac similitudinariè, re autem vera entibus realibus auri, & entis à se Dei, & similibus, negari non posse, quin diuersum quid sit prædicatum illud, ab eius soliditate seu veritate in subiecto, cui tribuitur: alioqui ex sola terminorum apprehensione eius conuenientia cum subiecto, de quo apprehenditur benè, ac verè iudicaretur, vel saltem ex eisdem principiis, quibus illud concipitur in subiecto, benè ac verè iudicaretur esse in illo; cuius oppositum experientia ipsa suadet: qua aliunde, conueniat nec ne rebus, in quibus apprehenditur, comprobamus, vt in iudicio non erremus.

4. Est igitur soliditas essendi identitas realis prædicati cum subiecto, quæ est motiuum iudicij veri, quæque termino entis, vel auri, vel entis à se, aut Dei, nullatenus explicatur; explicatur vero nomine *verus* adiuncto: sicut nomine *falsus*, explicatur disconuenientia prædicati cum subiecto. Ex quibus patet ad opposita. Licet enim in hac propositione: *Deus est Deus*, quæ vera est, obiectum ex parte terminorum solus Deus sit: ast in hac: *Deus est verus Deus*, iam inuoluitur ex parte termini, seu prædicati identitas illa, ob quam prædicatum Dei, quod de se illam non significabat, Deo conuenit, & ob quam prima propositio vera est. Vnde etiam constat cur veritas fundamentum veri iudicij illius primi sit: nam ea realis identitas & conuenientia est, quæ verum iudicium illud facit; sicuti disconuenientia & negatio identitatis eius falsum aliud de Deo solum apparenti redderet. Hinc etiam patet ad secundum. Verum enim est ens, siue à se, siue ab alio, atque aurum solum apparens, & similitudinarium tale esse, quia sub ea similitudine est negatio entis, seu auri: ac proinde veritatem, & soliditatem auri, vel entis in ente, seu auro vero in exclusione eius negationis stare; ast neutrum nomine entis, siue auri significatur, nisi addatur verum, vel falsum ens, seu aurum.

5. Quod autem veritas entitatiua Dei speciale illius attributum sit, grauiorem adhuc in communibus principiis patitur difficultatem. Videtur enim esse prædicatum omnia Dei attributa transcendens. Tum quia omnia prædicatum entis à se, quod omnia prædicata realia diuina, sicuti & ens ab alio creata omnia videtur transcendere. Tum, quia quodvis solidè, nec apparenter solum, tale est, ac proinde fundare potest iudicium verum, quod tale sit. Cæterum in principiis nostris, quæ entis vniuersim transcendentiam negant, atque etiam entis à se per attributa diuina transcendentiam inficiantur, vt ostendimus supra, difficultas prima euanescit. Atque inde etiam secunda disparet. Cum enim aliud esse physicum, aut metaphysicum præter esse essentiæ diuinæ Dei attributa non habeant, solumque iure identitatis realis cum illo, & sint, & existant, atque ab illo entia adiectiua solum metaphysicè sint soliditatem essendi de se præcisè non habent, adhuc metaphysicè, sed ex esse essentiæ: quare nec propriam sibi metaphysicè intrinsecè veritatem; sed ab essentiæ metaphysicæ Dei veritate ipsis metaphysicè extrinseca vera sunt. Qua de re latius, altiusque diximus controu. de Trinit. d. 7. qu. 1. & 2. quo lectorem remittimus ne eadem inutiliter repetamus.

QVÆSTIO II.

De Dei Bonitate.

DVo hic etiam de diuina bonitate examinanda sunt: an scilicet Deo conueniat? atque, an in eo speciale sit attributum. Loquimur autem de Bonitate Dei metaphysica, quæque entis passio dicitur; non autem de Bonitate morali, aut Beneficentia, seu propensione ad benefaciendum aliis, de quibus agemus controu. 4. & 5.

CERTAMEN I.

Summam in Deo Bonitatem physicam, & metaphysicam esse monstratur.

1. PHysicam Bonitatem rerum non aliter commodius definiemus, quam per physicæ malitiæ, seu mali oppositionem. Cum autem malitia rei defectus sit: quia id solum malum est, cui aliquid deficit, seu quod in aliquo deficit: bonitas per defectus negationem apprimè explicabitur. Eam verò in absolutam, & relatiuam diuisimus, definiuimusque controuers. de Trinit. d. 7. qu. 3. cert. 1. vbi obseruauimus (quod hic etiam dictum puta) de Bonitate absoluta esse sermonem; nam metaphysica bonitas, quæ entis passio, & attributum est, relatiua ad alia non est, vt ibidem ostendimus: quare neque rationem bonitatis vniuersim sumptæ in ratione relationis conuenientiæ ad aliud sitam certissimum esse debet contra Durandum in 2. d. 34. qu. 1. num. 11. & 22. & alios innominatos à Vasq. d. 23. cap. 3. alioqui Bonitas in absolutam, & relatiuam diuidi non posset eum nulla absoluta, ac non ad aliud relatiua, esset possibilis. Nec refert bonum ne

vt

vt re, seu bonitatem in honestum, vtile, & delectabile diuidi adæquatè. Ea quippe diuisio non bonitatis secundum se, sed in ordine ad appetitum est, qui ordo posterior bonitate intrinseca formaliter est. Ibidem autem n.2. rerum bonitatem absolutam (quæ scilicet ad ipsam pertinent rem, cuius bonitas est) in primariam, & secundariam diuidebamus. Primariam appellauimus, quæ ad rei constitutionem intrinsecam essentialem, & entitatiuam spectat. Secundariam quæ solum ad eius accidentariam constitutionem pertinet. Vnde quia rerum essentiæ dupliciter, siue in duplici ordine dicuntur, physico, & metaphysico. Dupliciter etiam bonitas primaria diuidetur.

2. Quoniam vero essentiæ præcipuus, ac primarius conceptus est, esse, siue existere: Ex eo quidem præcipua rerum bonitas pensanda est: ac proinde bonitas hæc absoluta primaria cum esse rerum, seu ente conuertitur. Ita docente Aristot. sæpè atque 1. ethic. cap.6. sub init. *Cum bonum æquè ad id quod est dicatur.* Ex quo Aug.1. de doctr. Christ. *In quantum sumus, boni sumus.* Et qu. 24. ex octoginta tribus. *Omne quod est, in quantum est, bonum est.* Quibus consonat S.Thomas 1. part. quæst.4. artic.1. ac plures alibi; cæterique tam Philosophi, quam Theologi. Inde vero tria obseruanda veniunt. Primum bonitatem primariam rerum, entisque comitem diuidi rursus in bonitatem primariam absolutè talem, & in bonitatem secundum quid iuxta duplicem essendi, seu entis modum in rebus repertum. Nimirum essendi absolutè, qui solis conuenit entibus totalibus, in quouis ordine siue physico, siue metaphysico, quæ absolutè esse dicuntur, atque directè, & per se in prædicamento collocantur; & in bonitatem secundum quid talem, iuxta alium essendi modum secundum quid solum, qui entibus partialibus, seu partibus entium totalium competit, quæ neque absolutè entia sunt, sed cum addito *partialia*, neque per se & directè in prædicamento collocantur, sed reductitiè solum ad entium totalium prædicamenta spectant.

3. Inde etiam obseruandum venit secundum: nempe entia omnia, siue partialia, siue totalia (cum tamen entia in se, & ratione sui entia sint) bonitatem absolutam primariam, vel absolutè, vel secundum quid talem, necessario habere eo ipso, quod vel totaliter, vel partialiter sint, siue physicè, siue metaphysicè; quæ vero in se, & ratione sui entia, seu entitates formaliter non fuerint, nullatenus bonitatem primariam, adhuc secundum quid, habebunt: cum eis præcipuum, ac necessarium bonitatis primariæ fundamentum, nempe esse, deficiat. Id quod solum aliquibus formalitatibus, seu prædicatis metaphysicis, ac metaphysicè aliquod ens componentibus potest accidere in Scotica, & nostra opinione de adæquata entis à suis differentiis abstractione, & præcisione. Tertium rursus inde constat bonitatem absolutam primariam absolutè talem idem omnino formaliter esse, atque perfectionem, quæ quidem in totalitate entis consistit, vt quæstione sequenti videbimus. Ac tandem inde constat bonitatem primariam absolutè talem, quæ entis passio, atque cum illo ad conuertentiam dicitur, non de quouis ente etiam partiali, sed solum de totali ad conuertentiam dici, eiusque esse passionem; ita vt repugnet esse aliquod ens absolutè tale, de quo verum non sit bonum esse.

4. Atque ex his sanè Deo bonitatem physicam, & metaphysicam primariam non solum absolutè, sed summè talem adesse planè demonstratur. Etenim bonitas hæc entis prædicatum absolutè necessariò consequitur, atque in eo fundatur, vt eo gradu, quo sit ens, bonum sit: vnde quod absolutè ens non est, neque est absolutè bonum: atqui Deus non solum absolutè ens est, sed summè, seu summum ens: ergo non solum absolutè, sed summè, seu summum bonum est: ergo & summam habet bonitatem. Probatur secundo ex supra data bonitatis vniuersim dictæ definitione. Ex ea quippe constat bonitatem, hanc primariam rerum, entisque perfectionem dicere negationem defectus in essendo: atqui Deus summè distat à defectu essendi: cum ens à se sit: ac proinde summæ necessitatis in essendo, ensque summè necessarium, seu necessarissimum physicè, & metaphysicè sit: ergo Deus summè, ac summum bonum est. Tertiò probatur: quia Dei bonitas physica, & metaphysica primaria entis comes (sicut & prædicata reliqua diuina) ab alio non sunt, sed à se, atque reliquarum bonitatum possibilium exemplaris causa, & efficiens. Vtroque autem titulo debet esse necessario, atque è conceptu suo indiuisibili infinita, & summa. Scio conclusionem hanc à multis probari ex illo Matth. 19. & Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*; aliisque locis, quasi in eis expressè, atque in terminis, vt aiunt, contineatur. Ego vero eis locis, & similibus Scripturæ, quæ de Dei bonitate sonant, nihil pro præsenti conclusione contineri reor Est siquidem sermo de Dei bonitate morali, vel beneficientiæ, vt legenti ex contextibus constabit. Vnum tamen locum expressum lego pro hac conclusione Exodi 33. vbi ad Moysem de se Dominus: *Ostendam tibi omne bonum*, atque ex aliis, quibus summè diligendus dicitur, euidentissimè eius summa bonitas infertur.

5. Addo Denique propriè, & solummodo Deum essentia sua, seu per essentiam bonum esse. Est communis omnium Theologorum conclusio. Eam tamen non ita intellige, vt eius essentia formalis bonitas sit, cum hæc sit essentiæ diuinæ attributum, vt statim videbimus. Sed quod nullo realiter sibi superaddito bonitas in eo sit, vt docet S.Thom.1. part. quæst.6. artic.5. & quæstione 19. art. 3. quod verissimum esse ex Dei simplicitate constat. Ast proprium Dei id esse videtur difficile: quæuis enim creatura nullo etiam realiter ipsi superaddito bona est: siquidem omnis entis passio metaphysica bonitas est, quæ reipsa separari ab ipsa nequit. Nec valet essentiæ ab existentia creaturarum realis distinctio Thomistica, quam non admittimus: quare, si existentia sua creaturæ bonæ re ipsa sunt, & essentia sua bonæ erunt, responderi posset ex sententia S. Thom.1. part. quæstione 19. art.3. & 6. ad 2. & 1. & quæstione 6. art. 4. & 1. contra gent. cap. 81. ratione vltim. vbi Ferrara, & 4. contra gent. cap. 13. vbi docent entia possibilia, præcisiuè adhuc, nec solum purè possibilia, nec bona esse, neque amari à Deo vt talia: quod verum habere potest, etsi essentia, & existentia re ipsa non differant. Cum enim actu absolutè non sint, neque entia, neque bona absolutè actu pro eo statu sunt, sed solum possibiliter: quod satis est, vt desiderari à Deo possint, vt actu vel de præsenti, vel de futuro sint. Sed, licet probabilis, veraque fortasse solutio sit, de quo fusiùs controuersiis metaphysicis, ac de voluntate Dei. Respondeo euidentius adhuc in omni sententia creaturas ita esse possibiles, vt sint essentia sua contingentes, seu entia contingentia, quæque esse, ac non esse, ac proinde quæ sui esse, & entitatis defectum pati possint, ac proinde quæ essentia sua non excludant sui esse, siue entitatis defectum, & negationem. Deus autem cum essentia sua ens existens, & necessarium sit, essentiæ sua sui esse defectum & negationem excludit, ac necessario excludit, vt diximus: quare & solus essentia sua bonus est.

CERTAMEN II.

Bonitas hæc attributum speciale Dei est.

1. Diximus sæpè attributa Dei diuersam ex parte obiecti formalitatem à Dei essentia præsentare debere, nec satis esse eandem formalitatem entis à se, seu essentiæ diuinæ diuersimodè à nobis concipi: nihil autem diuersum ex parte obiecti à prædicato entis à se diuersum bonitate hac primaria, & entitatiua Dei obiici videtur. Si enim bonitas hæc est negatio defectus essendi, siue essendi negatio, erit negatio negationis essendi, seu entis: quare nihil aliud erit, quam ipsum esse, seu ens, quod solum suæ negationi, seu non esse sui contradicit: ergo nihil ex parte obiecti conceptu, & vocе bonitatis cognoscitur, aut significatur, quod conceptu, & voce entis à se de Deo non concipiatur, aut

signifi

aut significatur : ac proinde bonitas Dei eius essentia, non autem attributum Dei erit. Id quod vniuersim de omni entitatiua rerum bonitate, quæ ad conuertentiam cum ente, eiusque passio dicitur, docuisse videtur August. recitatis locis certam. 1. numero 2. Et quidem Soarius d.10. metaphys. sect.1. numer.14. de hoc modo accepta bonitate & numer.17. eam tandem rationem reddit distinctionis : quod, scilicet, à nobis concipiatur bonitas per modum formæ denominantis ens bonum, atque illi conuenientis ; atque ens, vt subiectum denominatum. Verum id etiam inuenitur inter entitatem, & ens : cum tamen satis non sit, vt alterutro nomine diuersum quid metaphysice ex parte obiecti significetur.

2. Nec magis difficultati occurritur ex eius doctrina ibidem numer.12. quod scilicet, quatenus rationem dicit conuenientiæ ad naturam habentem capacitatem, inclinationem, seu coniunctionem cum illa. Nam inprimis est consideratio hæc bonitatis relatiuæ, & ad aliud, non bonitatis entis absolutè in se, & ad se, extrinsecæ quidem, non intrinsecæ enti, ac proinde, quæ eius passio metaphysica non sit. Secundo : cum nihil sit, quod, licet aliis conueniat, aliis non disconueniat, æquè erit malum passio entis, atque bonum : quare malè bonum, seu bonitas potius, quam malum passio entis diceretur vt & rectè arguebat Vasquez citatibus d. 23. capite secundo, numero quinto. Quod si dicas illud, cui conueniens bonum est, esse appetitum, ac proinde bonitatem esse entis, appetibilitatem, vt indicare videtur Soar. numero 14. hinc, sicut de veritate metaphysica philosophatur, contradicet iis, quæ ipse docet numero 18. ex Caiet. 1. part. quæst. 5. articulo 5. & Capreolo in 2. d.2. quæstione 3. Ferrara 1. contra gent. cap. 3. rectè ita explicantibus S. Thom. docentem rationem boni rationi entis superadditam esse huius appetibilitatem. Nimirum bonitatem entis formaliter non esse formaliter, sed fundamentaliter eius appetibilitatem formalem, eaque priorem : vnde verum à priori est : *quia ens est bonum, est appetibile.* E contra vero esse bonum, quod appetibile est, solum à posteriori infertur, vt bene S. Thom.1. Ethic. cap.1. ad illam Aristotelicam boni descriptionem : *bonum est quod omnia appetunt.*

3. Præfatæ igitur difficultati dupliciter respondeo. Primo pro bonitate Dei, eiusque essentia metaphysica. Licet enim hæc dicat existentiam actualem à se, quæ re vera defectum essendi, seu negationem sui esse in Deo, sicut & in aliis entibus actualibus, excludit : ast existentia entis significata, & concepta, exclusio sui non esse, siue defectus essendi formalissimè, quatenus eius exclusio est, non concipitur, nec significatur. Id enim, nisi negatione, & defectu, qui excluditur, concepto, & significato, concipi, significarique non potest. Hæc igitur exclusio defectus sui esse, seu negationis essendi, qui ex parte obiecti in ente concipitur, tam physico, quam metaphysico, bonitas primaria entis in se, & ad se est, eiusque passio : quia, vt diximus, in negatione, & exclusione defectus essendi consistit, atque per illam apprimè explicatur. Vnde ad argumentum oppositum patet solutio. Indeque etiam patet quo modo bonitas Dei summa sit : quia, licet æquè excludat formaliter existentia entis creati, tam physicè, quam metaphysicè defectum, seu negationem sui esse : tamen cum eius existentia necessaria absolutè non sit, quia ab alio est, non ita necessario ab illa eius negatio, & defectus excluditur, atque ab existentia, seu ente diuino sui negatio, & defectus propulsatur : quia necessitas essendi, qua ita ablegatur sui esse defectus, & negatio, diuersa formalitas est à prædicato essendi, seu entis à se : siquidem ea necessitas essendi metaphysicè per prædicatum entis à se à priori demonstratur, vti omnes Theologi, & Philosophi iam fatentur.

4. Secundo respondeo cum Vasquez capite sexto, numero 18. ex dictis certam. primo, numero tertio, Bonitatem primariam absolutè talem, quæque, vt entis passio, ab Aristotele, & Philosophis numeratur esse entis totalis solummodo, seu entis totius, quod non solum esse, siue existentiam claudit, sed & alia omnia, quibus, vel physicè vel metaphysicè constituitur, ex quorum integritate, seu integratione, bonitas absolutè talis in quouis genere entis resultat, ac proinde bonitas eam dicit integritatem quam entis conceptus non dicit. Licet autem in eo genere siue physicè, siue metaphysicè totum ens eis ipsis componatur : ast eius natura compositio eiusmodi non est, vt rectè aiunt Nazian. orat. 38. illis verbis *Immensus igitur*, & orat. 42. verbis eisdem vbi Nizetas, & Psellus. Ex quo à contrario inferunt, neque simplicitatem Dei naturam esse, sed aliud esse à natura ; diuersitate quidem metaphysica solum & rationis, non reali.

5. Aliunde vero bonitatem adhuc summam, & per essentiam Dei attributum speciale non esse contendere aliquis posset : quia nimirum diuina omnia prædicata non minus quam entis à se prædicatum, vel transcendat, vel saltem consequatur. Etsi, vt diximus, bonum diuersum quid ex parte obiecti ab ente sit. Primo enim diuina omnia attributa, & prædicata entia esse debent, cum nihil purum non sint. Secundò quia per omnes sunt ea omnia perfectiones quod ipsum est, bonitates esse, vel saltem bonitate constare : licet aliquid aliud perfectio addatrimo excellentes bonitates Dei attributa communiter censentur cum perfectiones simpliciter simplices ab omnibus reputentur, atque ideo Deo attribuantur. Verum nihil hæc omnia probant, ac proinde speciale Dei attributum ab aliis diuersum bonitatem esse dicendum, tenendumque omnino est.

6. Primum supponit attributa diuina entis à se prædicatum imbibere, seu esse entia à se metaphysica substantiuè, cuius oppositum supra non semel ostendimus : imo id etiam Personalitatibus diuinis præcisè sumptis negauimus contra. de Trinit.d.7.qu.1.vbi ea de re plura. Sunt tamen entia adiectiuè, quatenus existentia, & entitate essentiæ iure identitatis realis cum illa, & existunt, & sunt physicè, & metaphysicè : ac proinde licet sint nihil reale substantiuè, adiectiuè tamen sunt aliquid, ac non purum nihil sicut negationes, & Chimæræ, vt constat ex dictis ibi in simili de personalitatibus. Ex quo constat eis, ne bonitatem quidem secundum quid competere, nedum absolutè talem quæ Deo enti totali competit. Secundum supponit omnia prædicata diuina perfectiones, & simpliciter etiam simplices esse : quod licet vulgo nullo examine accipiatur, rigidum tamen examen requirit quæstione proxima habendum.

QVÆSTIO III.

De diuina perfectione.

QVID perfectio absolutè talis, & perfectio simpliciter simplex sit, videndum primo accuratè erit, vt post modum, an vtraque, & quo gradu, & modo in Deo sit, dilucide explicetur.

CERTAMEN I.

Perfectionis vtriusque quidditas & essentia examinatur.

1. BOnitatem quampiam rei cuiusuis in se (quo sensu de Dei bonitate disputauimus) idem prorsus, quod eius perfectionem esse censetur communiter, vt videre est in Vasquio, & Soario id sæpè, & docentibus, & supponentibus locis citatis, in Becano 1. part.tract.1. cap.4. initio. Lessio lib.7.de attribut.c.1. initio & supponi videtur à S.Thom.1.p. qu.5.art.1. ad 1. vbi ait : *Bonum dicit rationem perfecti*, ex quo statim ferè sic intulit. *Vnde quod est vltimo perfectum dicitur bonum simpliciter ; quod autem non habet vltimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum*

simpliciter, sed secundum quid. Id quod ex stato apud Philosophos, & Theologos omnes proloquio, & principio: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* (Id enim prorsus perfectum est, quod nullum defectum vsquam habet) legitimè videtur inferri. A nobis etiam ipsis admissum videtur qu.2. cert.3. illat.3. & controuers. de Trinit. d.7.quæst.3.cert.1. Quid autem in hac communi cogitatione veri sit è perfectionis definitione deprehendetur.

2. De ea vero definitione audiendus iterum est Aristoteles recitatus citato loco de Trinit. Etenim 3. physicor. cap.6. text.63. *totum*, inquit, *& perfectum, aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent.* Id quod ex definitionis identitate probat text.64. verbis hisce. *Cuius nihil est extra, id est perfectum, ac totum. Hoc enim pacto totum consueuimus definire, totum dicentes, id esse, cuius nihil est extra.* Eandem perfecti definitionem repetit 1. de Cœlo cap.4. text. 23. vbi perfectum esse, ait, id, extra quod nihil eorum, quæ sunt ipsius, accipi potest. Rursus tandem 5. metaph. cap.16. text.21. vbi duo membra perfectionis initio enumerat, ac tandem perfectionem vniuersim dictis consone definit. *Quæcumque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur. Quadam eo quod secundum bene in nullo deficiunt:* Ecce moralem perfectionem: *nec habent in aliquo genere excessum:* quia nihil in suo genere (quodcumque illud sit) eis deficit: Ecce metaphysicam, seu physicam bonitatem: *neque est quidquam extra:* pertinentium ad ipsa in quouis genere: Ecce definitionem perfectionis absolutè talis, cui definitioni consonat Isidor.7. etymol. cap.1. post med. scribens: *Deus perfectus dicitur, quia nihil ei possit adiici.* consentiunt & scholastici omnes cum S.Thom.5. metaphys.text.21. lect.18. & in cap.2. Dionys. de diuin. nom. lect.1. col.2. & 1. part. quæstione 4. articul.1. ad 1. quæstione 5.art.5. corp. & communis hominum gentiumque sensus. Vnde Latine perfectum, *consummatum omnibusque numeris absolutum* dicitur. Hispane vero: *Acabado, consumado*, linguisque aliis, æquiualentibus vocibus explicatur.

3. Porrò ex his constat perfectum simpliciter idem omnino esse, atque simpliciter bonum, vt aiebat S. Thom. recitatus num.1. de quo bono seu bonitate proloquium illud: *Bonum ex integra causa*, verum habet, ac proinde rei perfectionem, & bonitatem simpliciter dictam, seu consummatam idem prorsus esse: constat item bonitatem, quæ ad conuertentiam cum ente dicitur (de qua quæstione 2.) idem cum rei perfectione simpliciter & absolutè tali non esse. Cum plura quæ ad entis cuiusvis perfectionem, & consummatam bonitatem spectant, reipsa ab ea differant atque alterius sint generis, & ordinis. Nempè alia ordinis physici, alia moralis: & ordinis physici plura accidentia sint, ex his, quibus entis subitantialis perfectio consummata, & simpliciter talis coalescit. Constat Tertiò rei totalitatem intrinsecam præcisè perfectionem simpliciter non esse: quia nullum totum siue ex essentialibus, siue ex integrantibus suis partibus intrinsecè constitutum ita absolutæ perfectionis, & bonitatis est, vt nihil, quo melius sit, esseve absolutè possit, ipsi deficiat; cum sic sumpto toti plura physica, &, si rationale sit, moralia, quibus perfici possit, nondum adsint. Ea vero totalitate habet bonitatem, & perfectionem metaphysicam simpliciter suo in genere entis, quæ ad conuertentiam cum ente dicitur, eiusque est passio: quare, si de ea solum totalitate intelligatur, Aristoteles ex physicis recitatus num.2. rectè dixit, perfectum, scilicet in genere entis, idem esse quod totum. Atque eo sensu rectè dicitur bonitatem, quæ entis est passio perfectionem, scilicet in genere entis esse, atque soli enti tali conuenire. Verum ea perfectio, cum in genere aliquo sit, non absolutè, & simpliciter, sed secundum quid perfectio, & bonitas, scilicet in suo genere est.

4. Claret etiam ex his nihil, quod totum, seu perfectum siue essentialiter, siue accidentaliter physicè, vel moraliter componit, aut afficit perfectionem absolutè & simpliciter perfectionem, sicuti neque simpliciter bonitatem, sed solum secundum quid esse. Si enim bonitas, & perfectio simpliciter in totalitate, & integritate omnium quæ rei sunt, siue ad ipsam spectant constitit, vt vidimus, nihilo magis pars, aut accidens rei eius perfectio absolutè, & simpliciter, quam eius totalitas, & integritas esse poterit. Sunt autem perfectiones secundum quid; quia sunt quid rei perfectionem absolutè, & simpliciter talem sicuti & totalitatem, seu integritatem eius constituens: Ideoque rei perfectiones vulgo dicuntur, & bonitates, præcipuè, quæ vltimo loco ordine naturæ rem integrant: eis quippe res completur, & consummatur, cum reliqua omnia illius supponat. Id autem, quod de partibus, & affectionibus rei diximus, & physicis sunt vera vniuersim; secus de metaphysicis, quæ in se formaliter entis substantiui metaphysici rationem formalem non claudunt: eæ siquidem cum actum entitatiuum de se non habeant (in quo primaria bonitas, & perfectio, adhuc secundum quid, ac reliquarum fundamentum) nec bonitatem & perfectionem adhuc secundum quid habebunt vt quæst.2. cert.2. docebamus; nisi ratio entis, seu existentis alterius prædicari, cuius entitate, & esse, iure physicæ identitatis adiectiuè, & sunt, & existunt, simul aduocetur.

5. Restat conceptum perfectionis simpliciter simplicis exactè declarare: de quo nonnulla diximus controuers. de Trinit. d.7.quæst.3. cert.1.n.5. & 6. receptam eius definitionem dedimus ex Anselmo 5. Prosologij cap. & 14. Monolog. *Quod melius est in aliquo non ipsum, quam ipsum: vt non aurum, quam aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quam aurum.* Nempe, quod melius est omni positiuo opposito, atque cum ipso incompossibili, ipsiusque destructiuo; vti non aurum, quod est homo, melius ipsi est auro, quod est non homo, aut quouis alio ente, quod hominis negationem inuoluit; quam definitionem clarius iam Doctores tradunt, *quod melius in vnoquoque est ipsum, quam non ipsum*, vbi verba pugnare videntur; sensus autem, & sententia vtriusque concordat. Vocibus enim, *non ipsum*, ab Anselmo significatur positiuum, in quo alterius cuiusvis negatio includitur ob incompossibilitatem. Diximus autem contra Gasp. Hurtado, & Ruiz citato loco, id, cui melius esse debet simpliciter simplex perfectio totum esse, non partem alteram, quæ ea perficitur. Tum, quia perfectio simpliciter simplex totius, non partis est. Tum, quia Dei solius est, in quo partes non sunt. Tum, quia id expresse verbis Anselmi excluditur; imo vero melioritatis huius comparatio non ad id, in quo perfectio eiusmodi est, seu respectu totius, quod perfectum simpliciter est, fieri debet, aut potest; alioqui creata tota omnia simpliciter simplicem perfectionem haberent: cum vnicuique melius sit suum esse, quam quodvis aliud esse incompossibile. Et pugnans contradictorie cum ipso, quod, si in ipso poneretur, atque illud aliud esset, periret. Citato vero loco ex communi sententia nondum exactè discussa locuti sumus, quousque hic rigidè rem examinaremus, atque explicaremus, verba Anselmi.

6. Est tamen aduertendum in Anselmi verbis, ne ex illis aberrandi occasio à nonnullis assumatur, notanter ab Anselmo dictum: *quod melius est in aliquo*, non tamen *alicui* quod dici deberet, si melioritas respectu illius, seu totius, in quo simpliciter simplex perfectio est, esse deberet, ac non potius respectu alterius, quod deterius est. Licet autem in exemplo hominis non auri, & auri oppositi, & pugnantis, seu incompossibilis cum homine non auro, dicat melius esse hominem, & non aurum esse, quam aurum homini esse: non ideo dixit, quia ei tanquam termino *cui* melius verè, ac reipsa sit: cum homo non aurum, homo non aurum sit, potius, quam homini vel homini bonum rigidè loquendo; nec esse aurum homini bonum vllatenus sit, vt esse non aurum, quod est homo, melius, rigore sermonis, homini dici, esseve queat. Sed ita locutus est Anselmus (licet, neque ita ex sermonis proprietate, neque ex sententia, quam volebat exprimere) vt eam nobis aliquatenus insinuaret exemplo in quo (vt vulgo dicitur) non requiritur veritas, sed aliqualis similitudo ad intentum explicandum. Paretque id in exemplo eodem hominis non auri, quod adhibuit ad perfectionem simpliciter simplicem explicandam: in qua quidem perfectio simpliciter simplex, sicuti neque in creatura vlla, non est.

7. Quod

7. Quod si melioritas perfectionis simpliciter simpheis respectu alterius, seu aliorum à se perfecto necessario futura sit, vt ostendimus, nullam creaturam perfectionem simpliciter simplicem habere posse aperte monstratur: quia nullius creaturæ, etiam nobilissimæ, esse, quod est aliorum omnium identicum non esse, melius est quam aliorum omnium esse. Cum inter reliqua omnia esse Dei sit, quod est non esse identicum illius creaturæ, eaque infinitè melius. Denique inde etiam facilè ostenditur nullam entitatem partialem in quouis ordine posse vllatenus esse simpliciter simplicem perfectionem. Tum, quia pars quæuis creatura necessario est, cum Deo partem esse repugnet, vt vidimus supra. Tum etiam, quia, vt dicebamus, parti omni repugnat perfectionem absolutè esse, imo & in aliquo genere, atque adeo in illo etiam est perfectio secundum quid vt diximus numero 4. Nequit autem quod perfectio absolutè non est, perfectio simpliciter simplex esse. Licet autem partes physicæ perfectiones secundum quid dici queant: at perfectiones simpliciter simplices, adhuc secundum quid dici non possunt: quia est manifesta in terminis ipsis atque (vt vulgo dicitur) in adiecto implicatio.

CERTAMEN II.

Perfectionem absolutè, & multo magis simpliciter simplicem, Dei proprium, & speciale attributum esse.

1. PLures continet præpositus titulus conclusiones ab omnibus receptas. Prima est Perfectionem absolute, & simpliciter talem Deo conuenire. Probatur facilè ex definitione eiusmodi perfectionis explicata à nobis certam. 1. à numero 2. Perfectum enim per Aristotelem, & Doctores omnes citatos ibi est: *cuius nihil est extra, siue id extra quod nihil illorum*, quæ ipsius sunt, siue ad ipsum spectant, *accipi potest*. Ex quibus perfectionis absolutè talis abstracto nomine significatæ definitio hæc erit. *Coniunctio, & integritas omnium, quæad aliquod ens, vt eius formaliter vel materialiter spectant.* Extremis verbis explicui illud, quæ ipsius sunt, vt creaturas quæ Dei proculdubio sunt effectiuè, & dominatiuè, & tamen Dei perfectionem non intrant, excluderem. Sic autem ex ea definitione pro maiori posita discursum perficio: in Deo est verè coniunctio, & integritas omnium, quæ ipsius esse possunt: ergo perfectio absolutè talis. Minor constat. Nihil enim, quod Dei formaliter esse possit, ei deficit, non solum coniunctione vnionis physicæ, sed connunctione identitatis realis, vt singula percurrendo patebit. Secundo ex prædicato entis à se, infinitatis, & simplicitatis demonstratur. Materialiter autem nihil ei physicè deficit ex his, quod ipsius sit, esseve debeat: quia omnino simplex, & spiritualis, ac indiuisibilis est.

2. Secunda conclusio. In Deo est summa perfectio absolutè, & simpliciter talis per essentiam. Duo in hac conclusione continentur. Primum, Perfectionem Dei esse summam. Probatur primo: quia non est vnde diuina integritas, & coniunctio omnium, quæ ipsius formaliter sunt, limiteur, aut aliquid quod ad eam integritatem possit confluere deficiat: cum ab alio non sit. Hoc argumentum, etsi negatiuum, euidens est ad negationem, & defectum alicuius formalitatis, quæ Dei esse possit à Deo relegandam. Eius vero positionem necessariam positiuo termino, qua negatio, & defectus formalitatis à Deo formaliter excluditur, è positiuo prædicato, & termino entis à se positiuè demonstrare quilibet facilè potest. Ex quo cuiusvis prædicati infinitas, atque, vt sic loquar, summitas demonstratur. Iterum demonstratur ex eo, quod sit in eo omnium entium, perfectionum possibilium creaturam productiua potentia, ad quam eminenter debet omnem rerum perfectionem possibilem præcontinere: ac proinde ei, coniunctim etiam sumptæ, excellere: cum eius coniunctim etiam sumptæ causa æquiuoca principalis, imo prima, & principalissima, sit. Qua de re egregie loquuntur Patres Dionys. 5. de diuin. nomin. Iren. lib. 4. capite 37. Cyrillus 1. contra Iulian. sub fin. vbi plura refert ex Philosophis, Platone, Porphyrio Hermete Trismegisto, quæ hic scripsit in Pimandro cap. 5. fine, & cap. 15. & Æsculapius ad Amnionem Regem, verba recitat Soar. d. 30. metaphysic. section. 1. numero 3. secundum autem, quod ita perfectionem absolutè dictam summam Deus per essentiam habeat ex omnium diuinorum identitate, vnissima vnitate, atque reali indiuisibilitate liquido apparet.

3. Hinc multiplex differentia perfectionis diuinæ à perfectionibus creaturarum aperitur. Prima: Quod in his perfectio ab alio, & participata est; In Deo autem à se. Secunda inde: quod summa in eis non sit, sicut in Deo. Tertia: quod non per essentiam, & entitatem suam, sed per accidentia plura reipsa à creatura cuius perfectionem constituunt, diuersa earum perfectio absolutè integretur, & constituatur. Quarta: quod sit defectibilis in creaturis. Quinta, quod non in omni genere entis perfectio sit, ac proinde non absolutè, sed secundum quid sit perfectio: quia in genere entis creati, quod imbibitos multos defectus habet, dependentiæ, limitationis, quæ omnia, & similia secus in diuina perfectione habentur. Contra præfatas conclusiones solum videtur pugnare communis difficultas de pluribus actibus diuinæ voluntatis, & scientiæ futurorum, quæ possent à Deo decerni, proindeque cognosci, nec tamen eorum decreta, & cognitiones adsunt de facto: cum tamen esse possent. Sed huic difficultati responderi posset, etsi possint Deo adesse, ast non debere adesse physicè, vel moraliter, cum liberi sint: quare eorum ablationem defectum propriè, aut physicum, aut moralem non esse, vt Dei perfectioni obesse queat. Sed certè neque actus virtutum supererogationis debemus vllo genere debiti habere, & tamen ad nostram perfectionem spectant: quæ absolutè dicta, non ea solum, quæ debentur, quorumque carentia defectus, & peccatum sit, siue physicè, siue moraliter; sed ea omnia etiam, quorum in ente perfecto capacitas, & aptitudo est, coercet: est autem in Deo, ac nobis ad actus liberos, atque indebitos capacitas, & aptitudo, vt patet. Respondetur ergo in actibus voluntatis, & scientiæ Dei necessariis quidquid formalitatis volendi, & repræsentandi, in liberis etiam est, formaliter etiam præcontineri: quare eorum positionem, vel defectum nihil Deo in genere volendi, aut sciendi addere vel minuere: quod mysterium libertatis diuinæ est: è cuius explicatione nostra præfatæ difficultates euanescent controu. 4.

4. Tertia conclusio. In Deo est perfectio simpliciter simplex per essentiam: quod in Deo eiusmodi perfectio sit facilè ex eius definitione demonstratur. Nam Deus est melior ipse, quam reliqua entia, quæ sunt non ipse, siue distributiuè, siue coniunctim ea omnia sumantur. Ac proinde melius quid est non ipsa, quod est Deus, quam ipsa reliqua entia: ergo est simpliciter simplex perfectum: ergo in Deo est simpliciter simplex perfectio, sine qua nihil simpliciter simplex perfectum esse potest. Secundo probatur: quia simpliciter simplex perfectio est perfectio pura simpliciter sine vlla mixtura imperfectionis: ac proinde dicitur melior ipsa, & negatio aliorum omnium, quæ in ipsa est, quam reliqua omnia, quia in reliquis ens à se non est simplex perfectio, sed imperfectionibus mixta: atqui in Deo est pura perfectio sine vlla mixtura imperfectionis: ergo simpliciter simplex perfectio. Quod autem Deo per essentiam, & entitatem suam physicam eiusmodi perfectio conueniat eadem ratione demonstratur, qua de perfectione absolutè dicta summa ostendebatur concl. 2. n. 2.

5. Quarta conclusio. Tam perfectio absolutè talis, & summa, quam simpliciter simplex propria Dei, eiusque speciale attributum est, non transcendens prædicata diuina. Duo coercet conclusio. Primum vtramque perfectionem Deo esse propriam, atque creaturis impossibilem. Id quod de perfectione simpliciter simplici, & sine vlla imperfectionis mixtura, patet: cum ab imperfectioni-

bus enumeratis num. 3. & aliis pluribus suppurari creaturæ nequeant: neque melior ipsæ, quam non ipsæ modo explicato esse possint. De perfectione summa constat: quia est è prædicato creaturæ limitata, ac Dei perfectione exemplari omnium possibilium perfectionum causa longè inferior. Item: quia in Deo eminenter actiuè æquiuoce, atque principaliter continetur: quod autem absolutè dicta perfectio creaturæ sit impossibilis: constat etiam, quia neque in genere entis, & absolutè creatura perfecta est, sed summum in suo genere vnaquæque; quare & secundum quid, vt diximus supra hic, & certam. 1. ergo perfectio absolutè talis, ita est Dei, vt repugnet creaturæ vlli conuenire: Quod ipsum est propriam Dei esse. Sed hoc nondum probat vtramque perfectionem, neque earum adhuc alteram, attributum speciale Dei esse: quod est secundum in quarta hac conclusione contentum.

6. Id autem probatur: quia neutra perfectio, siue absolutè talis, siue simpliciter simplex, est essentiæ metaphysicæ Dei formalis, & metaphysicus conceptus, sed extra illum metaphysicè, neque attributa reliqua Dei transcendit (quæ solum duo satis sunt, vt speciale Dei attributum constituatur) ergo quæuis earum perfectionum est Dei speciale attributum. Antecedentis pars prima constat ex dictis quæstione 2. certam. 2. vbi bonitatem Dei extra essentiæ metaphysicæ Dei conceptum esse ostendimus, atque difficultatibus oppositis fecimus satis: quæ imperfectione, siue absolutè tali, siue simpliciter simplici sunt clariora, vt ex secunda probatione statim patebit. Secundo probatur: quia essentia metaphysica Dei solo prædicato entis continetur: ast perfectio; siue absolutè dicta, siue simpliciter simplex, dicit omnium diuinarum formalitatum congeriem, coniunctionem, atque integritatem. Quod autem neutra earum perfectionum reliqua attributa, vel eorum aliquod, transcendat, certissimum mihi est. Cum eorum nullum formaliter metaphysicè sit totum, sed pars metaphysicè integrans, & constituens Deum: ac proinde iuxta perfectionis essentiam, & definitionem, quæ in integritate, & in coniunctione omnium, quæ rei sunt, consistit, nequit in parte metaphysica reperiri. Quod autem physicè quoduis prædicatum diuinum sit totus Deus, nil refert, cum de attributis Dei, qua talibus, agitur: cum in ordine solum metaphysico, non autem physico attributa esse possint.

7. Addo reliqua attributa non solùm perfectiones simpliciter simplices, aut absolutè dictas perfectiones non esse, sed neque esse perfectiones, aut bonitates secundum quid, nisi quatenus integrant metaphysicè Deum. Ratio autem est, quam dedimus supra quæstione 2. certam. 1. numero 2. & certam. 2. numer. 6. & quæst. hac 3. certam. 1. numero 4. quia non solum partes metaphysicè Deum integrantes sunt, sed quæ entia subsistantiuè metaphysicè non sunt, sed solum adiectiuè entia, quæ iure identitatis cum Dei metaphysica essentia, seu ente à se subsistanciuè, eiusque existentia, & sunt, & existunt: quare præcisè, & secundum se' sumptis, sicuti esse, & entitas, quæ prima bonitas, & totius bonitatis fundamentum in quouis ordine est, non adest, ita neque bonitas: quare solum adiectiuè bona (sicuti, & entia) adhuc secundum quid, dici possunt: quia vero, & ita bona sunt, & totum, seu perfectum simpliciter, & integrum metaphysicè Deum constituunt, bonitates, & perfectiones Dei secundum quid dici quodammodo possunt: quouis enim attributo metaphysico Dei præciso perfectus metaphysicè Deus non stat. Quare, quasi causatiuè vnumquodque Dei perfectio est, quam integrat: atque eo sensu Dei dici potest perfectio, non autem sermonis rigore, & proprietate. Perfectio autem, siue absolutè dicta, siue simpliciter simplex omnino abusiuè dicitur, vt ex dictis constat. Vnde patet, quam friuolè pro bonitate propria attributorum Dei, atque ejus transcendentia obiiciebatur cert. 1. n. 5.

8. Denique dubitabis, an perfectio absolutè talis, & perfectio simpliciter simplex duplex attributum metaphysicè diuersum, an vnum solum debeant censeri? Et duplex quidem adæquatè diuersum non posse esse per se patet. Cum perfectio simpliciter simplex, perfectio absolutè talis necessariò esse debeat. Addere vero aliquid aliud, ac proinde inadæquatè differre, ex definitione data videbitur. Nimirum rationem melioritatis respectu aliorum omnium. Sed id etiam dicit diuina perfectio absolutè: cum è prædicato diuinæ infinita, ac summa omnium esse debeat, ac sine imperfectionis mixtura: quod ipsum est maiorem omnibus, ac perfectionem simpliciter simplicem esse: quare vtraque perfectio diuina eadem est, licet aliis vocibus, vel aliis quandoque explicetur; ac proinde sub ea vocum diuersitate idem omnino obiectum, & prædicatum diuinum, idemque, & vnicum attributum diuinum significatur: de bonitate, & perfectione morali Dei agere proximum alicui videretur. Sed exacta de eis disputatio omnium, quæ de voluntate Dei disputanda sunt controuers. quarta, exactam notitiam supponit: quare de eis agere in eius controuersiæ disputationem reseruauimus quintam.

QVÆSTIO IV.

De vita diuina.

NOn agimus de vita, seu actibus viuentis Dei in actu secundo, sed de vita, seu prædicato viuentis in actu primo; cuius examen præsentis disputationis est. Nam de actibus vitalibus diuinis earum potentiis in particulari (cum solum intellectus, & voluntatis sint) ad controuersias de scientia & voluntate Dei spectat disputare.

CERTAMEN I.

Deum viuentem esse: ac proinde in eo esse vitam in actu primo.

1. SVpponendum in primis est ex controuers. de anima in principio vitali, seu viuente in actu primo cuiusuis vitæ creatæ genere, etiam intentionalis, duo inueniri: scilicet rationem principij se mouendi (in qua ratio veri principij actiui physicè & passiui actus vitalis necessario inuoluitur) ac proinde Deo respectu suorum actuum omnium omnino repugnat, cum quibus Deus adæquata identitate physica reali identificatur. Huius enim perfectissimæ vnitati, & indiuisibilitati actio physica & passio realis (quæ non, nisi inter realiter physicè distincta esse potest) omnino contradicit; licet creaturis, quibus ob suam imperfectionem diuisio realis physica à suis actibus, & perfectiuis non repugnat possit conuenire, ac de facto conueniat. Hunc vitæ, & viuentis modum vitam physicam citato loco nominabamus creaturis propriam, Deoque indignam. In nonnullis vero viuentibus perfectioribus, vt intellectualibus, & intentionalibus (è quibus solis Deus est) alius vitæ, & viuentis conceptus, tam in actu primo, quam in actu secundo simul inuenitur. Nimirum, vt in suo connaturali statu posita sese actuent, atque aliquo modo perficiant, possintve perficere, & actuare cognoscendo, vel intendendo, aut amando aliqua. In quo nullus physicus, & realis motus, actioue, aut passio physica viuentis formaliter intercedit (vt de se patet, atque controuers. de scientia Dei ostendemus) sed intentionalis vti eam citato loco appellabamus. De huiusmodi ergo vita intentionali vera, & reali, nec physica, nec per rationem ficta, sed Deo digna agimus, dum de Dei vita, atque an viuens Deus sit? disputamus; licet alio vitæ physicæ genere viuentem non esse Deum respectu suorum actuum omnium (vt diuinas processiones excludam, de quibus, quoad earum vitalitatem, controuers. de Trinit. disp. 3. egimus late) certum Catholicis Doctoribus

ribus est. Idcirco Theologi, qui Deum viuere, quia perpetuo se immanenter, & perfectiue mouet cum Platone docent, de motu, & perfectione intentionalibus benigne interpretandi erunt.

2. Deum igitur viuentem esse, atque vitam habere certum ex fide est. Sæpe enim, ac sæpius quam recitari hic oporteat, Deus viuens, & viuus in scriptura vtraque veteris, & noui testamenti expresse dicitur, vnum tantum, vel alterum locum perstringam Daniel. vlt. *Dominum Deum meum adorabo, quia ipse est Deus viuens.* Ioann. 5. *Pater, & Filius vitam in semetipsis habere* dicuntur. Apocal. 5. *Adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.* Et Prophetæ passim. *Viuit Dominus in cuius conspectu sto.* Id etiam ostendunt ea scripturæ loca, quibus Dei scientia, amor, & prouidentia exprimitur: ea siquidem omnia, & singula vitales actus sunt, &, qui non nisi à principio vitali, & viuente possunt haberi. Ea vero testimonia, tum, quia plura, tum quia pro prioribus eorum actuum sedibus, & controuersiis recitanda necessario sunt, repetitionis vitandæ gratia in præsentiarum omittimus. In hac porro veritate, & alia Scripturæ sacræ veritas fundatur Ioann. 1. illis verbis: *Quod factum est in ipso vita erat.* Id est, quod factum est, quantumuis truncum, & inanime in se sit, in Deo, in quo omnia, tanquam in principio, & exemplari, & efficiente primo, & principalissimo eminenter sunt, imo, in quo Deus ipse creatura omnis est, vita quidem ipsa, & viuens perfectissimum est: quæ, nisi Deus vita, viuensque nobilissimum foret, vera esse nusquam possent, vt de se pater.

3. Naturali vero ratione Deum viuere, vitamque habere adeo constat aperte, vt Augustinus contione 2. in Psal. 113. dicat, gentes nullatenus ligneas, aut lapideas, aut æreas statuas, sine aliquo viuente earum incola, tanquam Deos adorasse. Probarique primo demonstratiue potest. Quia substantia viuens melior è genere suo est substantia non viuente: atqui Deus optima, & perfectissima substantia est: ergo substantia viuens est. Secundo demonstratur demonstratione, qua vsus est Dauid Psal. 93. contra impios stolidos, (ex quo, & nos vtemur controu. 2. Dei scientiam ostendentes) verbis illis *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Et quæ demonstratio ad ostendendum vitæ, ac viuentis prædicatum viuersum ita efformatur. Quidquid creatum est, & singulatim, & coniunctim sumptum, à Deo tanquam à causa prima, & principalissima est: atqui in creatis plura sunt viuentia, & habentia vitam: ergo Deus est viuens, & habet vitam. Consequentia probatur. Quidquid ab alio principaliter est, in eo continetur vel formaliter, vel eminenter: Sed viuentia creata à Deo principaliter sunt, vt in maiori assumebatur: ergo viuentis creati ratio erit in Deo, vel formaliter, vel eminenter. Maior est per se nota: quia nemo dat, quod non habet: quare, quod principaliter dat aliquod esse, habere illud, & continere in se debet principaliter: nequit autem principaliter illud continere, nisi formaliter, vel eminenter illud, & præhabeat, & præcontineat. Elige ergo: an velis in Deo admittere rationem viuentis formaliter vel eminenter: nam alterutrum admitti consequentia cogit: si formaliter (licet aliunde erres, creatam viuentis rationem, etiam qua creatam, in Deo admittens) interitum nobis concedis.

4. Si autem dicas eminenter solum viuentia cuncta tam facta, quam possibilia à Deo contineri; ac proinde, & prædicatum viuentis, non formaliter, sed eminenter solum in Deo esse (quod satis ad potentiam viuentium omnium productiuam est) vim demonstrationis non effugies. Licet enim an omne viuens perfectius sit omni non viuente? vel possint potius aliqua viuentia imperfectiora aliquibus non viuentibus esse, ac proinde eminenter ab his contineri, & produci queant? quæstio esse possit. At vero gradum viuentis perfectiorem de se, & genere suo gradum entis esse, quam non viuentis apud omnes hactenus indubitatum est, atque, vt per se notum, receptum: sicuti & viuentis sensitiui gradum entis perfectionem in sensitiuo, & intellectiuum pure sensitiuo esse meliorem (vt Augustinus ait 11. de ciuit. c. 16. sunt enim nobiliori modo, & immateriaiiori, ac subtiliori aliis operatiua. Hinc euidens est perfectissimum ens ex ordine, & gradu viuentium perfectius necessario fore perfectissimo ente ex inferiori gradu non viuentium: ac proinde à nullo ente ex gradu non viuentium posse eminenter contineri; atqui creata viuentia, non solum nobilissima eius ordinis seorsim, sed cum reliquis omnibus viuentibus, eminenter per te continentur à Deo: ergo Deus non est non viuens, & inanime, sed omnino formaliter viuens, atque eminentiori modo, quam viuentia reliqua viuens. Similis demonstratio Deo causa exemplari, & idea creatorum omnium, & clarior efformatur: siquidem ea omnia, quæ in eius effectis sunt, exemplar debet formaliter continere; eis exceptis, in quibus illi ab exemplari causa deficiunt: cuiusmodi sunt creaturarum imperfectiones, & defectus ipsis necessarij, ac Deo impossibiles.

5. Demonstrari denique ea conclusio posset eis omnibus demonstrationibus, quibus Deum intellectiuum, & volitiuum esse, scientemque, & volentem citatis demonstrabimus controuersiis de scientia & voluntate Dei: ex demonstratione enim speciei legitime, & infallibiliter genus demonstratur. Imo ex intellectuali Dei vita Deum viuentem generice esse demonstrarunt. Arist. 12. metaph. fine, & S. Thom. 1. p. q. 18. art. 3. Ne tamen importune hic scientiæ, & intellectualitatis demonstrationes, postea oportunius necessario adhibendæ, inferantur, modum demonstrationis huius indicasse satis in presentiarum fuit.

CERTAMEN II.

Deum infinite, ac summe viuentem per essentiam, attributaliter tamen, esse: vbi huius prædicati à simili creaturarum distinctio.

1. EX demonstratione proxime facta facile demonstratur Deum summum, infinitumque viuens, & principium vitæ actualis suæ, siue suarum operationum vitalium esse. Cum enim principium omnium possibilium viuentium sit: atque inde ea omnia continere in se, imo præcontinere ad eiusmodi actiuitatem debeat, viuentis ratio in Deo nequit, non eis omnibus in ratione viuentis excellere: quod, nisi summum, & infinitum quid in ratione viuentis Deus sit, fieri minime potest. Sed dices ex potentia productiua omnium viuentium possibilium inferri potentiam excellentissimam, seu continentiam actiuam eorum omnium, quæ quidem vitalis non est, ac proiude nec principium vitale. Etenim ea continentia, & actiuitas omnipotentiæ, vel potius omnipotentia est: quæ formaliter potentia vitalis in Deo non est; cum non sit virtus productiua Dei immanenter, & in se, sed ad extra, & transeuntur secundum se totam. Secundo: quia etiam virtus productiua viuentium creatorum omnium possibilium, etsi formaliter à potentia productiua Dei non viuentium creatorum differret (quod abnuimus, eum in Deo vnicam & indiuisibilem metaphysicè & formaliter adhuc possibilium omnium, ac proinde è conceptu suo indiuisibili omnipotentiam admittamus d. 3. q. vlt.) licet principij; & potentiæ vitalis creati productiua sit; ast potentia vitalis Dei non est: cum viuens creatum actus vitalis Dei non sit.

2. Ex ea vero rationis huius nostræ solutione videtur demonstratio nostra secunda pro prædicato viuentis in Deo efformata cert. 1. n. 3. labefactari. Idcirco eam totis suis nerbis, ac omni suo robore explicato proposui, vt eis succissis enerues, tum pro præsenti, tum pro argumentis aliis similibus, quæ passim ex eodem principio continentiæ eminentialis principalium agentium tam in Philosophia, quam in Theologia instrui solent remaneat. Præcidentur autem si vulgarem æquiuocationem continentiæ eminentialis, & actiuitatis agentium detegamus ea vero in eo stat: quod continentia eminentialis eorum, quæ in effectu, idem formaliter, quod actiuitas, putetur: cum tamen sit quid diuersum & metaphysicè prius. Continentia enim eorum non est in ordine ad effe-

ctum, sed ad id, in quo potentia, seu virtus effectiua est: cui ea omnia eminentiori gradu, quam in effectu adesse formaliter debent: in causa etiam æquiuoca principali ipsius: sicuti in causa vniuoca principali formaliter debent adesse, vt virtus effectus vniuoci actiua in eo sit. Est autem continentia hæc siue formalis, siue eminentialis metaphysicè, quam potentia, & actiuitas sui effectus prior: quia nemo non solum non dat, sed neque dare potest, nisi dandum præhabeatur; de nondum enim habitis, ac præhabitis, nec moralis, aut ciuilis, nec physica donandi potestas esse potest. Ex hoc autem constat, quod, licet, qua potens Deus viuentia producere viuens formaliter Deus non sit, quia eiusmodi effectus vitales Deo non sunt, ac proinde ab omnipotentia, quæ vitalis formaliter non est, vt solutio dicebat, proueniant; ast ratione eminentis præcontinentiæ eorum, quæ viuentia sunt, necessario ad eam potentiam præsupposita viuens formaliter eminentissimo modo Deus esse debeat: ac proinde summe atque infinite viuens vti eis demonstrationibus ostenditur.

3. Probatur secundo non absimili demonstratione conclusio ex prædicato ideæ, seu causæ exemplaris creaturarum, quæ in Deo metaphysicè est, seu quæ est physice Deus. Si enim Deus causa exemplaris possibilium viuentium perfectiorum, & perfectiorum, imperfectionibus seclusis, in Deo esse debent: alioqui aliquorum idea non esset, & exemplar, quod in eorum effectione imitaretur Deus: aliquaque essent viuentia, quæ sui rationes ab ipsis imitabiles in Deo non haberent. Si autem omnium, & singulorum viuentium possibilium perfectiones coniunctim in Deo, eiusque prædicato viuentis formaliter infectili indiuisibiliter metaphysicè sunt; ergo est in eo ratio viuentis infinita. Dices viuentia possibilia finita esse: quare ex omnium continentia siue actiuæ, siue exemplaris causæ in Deo non argui infinitatem gradus, seu prædicati viuentis. Certe, si continentia hæc causæ, & virtutis actiuæ, & exemplaris in Deo vniuoca esset, atque ad amussim, vt dicitur, teneret solutio admissa finitudine viuentium creatorum possibilium, quam admittimus modo. Est autem non vniuoca, sed æquiuoca, principalissima, quæque ad omnia impossibilia, si possibilia essent, quatenus de se extendi potest: cum neque ab illis, nec dependenter ab eorum possibilitate sit, sed ex necessitate omnino absoluta Dei, diuinique physici esse. Tertio huius prædicati summitas, atque infinitas demonstratur ex prædicato entis à se, ex quo diuinorum omnium in suo genere infinitas, ac summitas demonstrata à nobis hactenus fuit. Quarto ex infinitate diuinorum actuum vitalium.

4. Quod autem summe, atque infinite viuens Deus per essentiam sit (dummodo de essentia Dei metaphysica non intelligatur, cuius attributum esse prædicatum diuinum viuentis tertia conclusione ostendam, sed de physica) secunda est præpositi tituli conclusio, facilisque probatu, sicut de aliis attributis quæstionibus antecedentibus probauimus. Primo: quia ad essentiam physicam Dei, entis perfectissimi, atque absolutissimi, spectat, quidquid in genere entis possibilis perfecti quomodolibet inueniri potest ab omni tamen imperfectione suppuratum. Huiusmodi autem est prædicatum viuentis diuinum: ergo Deo per essentiam physicam competit. Secundo ex diuina simplicitate, & indiuisibilitate omnimoda Dei supra demonstrata, cum qua pugnat diuini alicuius prædicati ab essentia, aut quouis alio prædicato physica distinctio. Tertio ex prædicato entis à se, ex quo nonnisi cum omnibus diuinis prædicatis, in suo quodque genere, infinitis esse physicè potest. Ex quo vlterius sit Deum viuentem non solum in actu primo, sed & in actu secundo per essentiam suam physicam eisdem argumentis demonstrari. Hinc multiplex Dei, qua viuentis à creatis viuentibus discrimen. Primum: quod à se viuens sit. Secundum huic proximum: quod infinite, ac summe viuens. Tertium: quod per essentiam viuens non solum in actu primo, sed etiam in secundo. Quartum: quod viuens vita intentionali à physica reipsa distincta Deus sit. Quintum: quod omnis creatæ vitæ, tam in actu primo, quam secundo principale agens, & exemplar sit. Horum nihil viuentibus creatis competit: ac proinde excellentissima eminentia diuinæ vitæ præ creatis cunctis possibilibus viuentibus luculentissime ex eis monstratur.

5. Tertia conclusio. Prædicatum viuentis attributale, seu attributum speciale Dei est. Quod speciale attributum Dei sit, si sit attributum, planum in nostris principiis est, qui diuina attributa neque inter se te, nec cum essentia metaphysicè confundimus: cum nulla in eo sit transcendentiæ per attributa reliqua in prædicato viuentis, vel leuis, vmbra. Quod autem attributum sit metaphysicè ab essentia metaphysica Dei diuisum in nostris etiam principiis patet: quia in ente à se (quo tota Dei metaphysica essentia continetur) viuendi ratio non clauditur. Dices saltem in prædicato viuentis ea ratio clauditur: quare secundum se totum attributum non erit. Hæc obiectio reliqua enumerata attributa diuina tangit; in nostris tamen principiis nihil vrget, siquidem diximus fæpe attributa omnia non esse à se, seu non esse entia à se subsistantiue metaphysice, sed adiectiue. Contra reliquas vtriusque certaminis conclusiones nihil momenti obiici potest. Ex eminenti enim vita pure intentionali Dei, neque realis influxus in actus vitales, quare neque ab eis viuentis Dei realis distinctio infertur vt vidimus cert. 1. num. 1. quod autem non nemo dicere posset: gradum viuentis intellectualis, quem solum Deo adscribimus, supponere in viuente gradus vitæ nutritiuæ, & sensitiuæ, qui Deo repugnant, vt patet excoordinatione prædicamentali substantiæ vsque ad hominem, qui viuens intentionale etiam est, nihil præstat. Tum, quia Deus in linea prædicamentali non est, sed supra illam neque eo modo, quo creata quæ in ea ponuntur, viuens, sed supra viuens. Tum, quia, neque viuentia pure spiritualia perfectiora, quæ vita etiam intentionali viuunt, eos gradus vitæ in sua linea supponunt. Supponit autem eos homo, quia absolute corporeus, atque à sensibus pro hoc statu ad intelligendum dependens.

DISPVTATIO VIII.

De Omnipotentia Dei.

SI omnia quæ ad Omnipotentiam, eiusque operationes, & concursus cum causis secundis spectant, disputanda hic essent, non longam disputationem solum, & controuersiam, sed fortasis tomum integrum texeremus. Sunt enim plura de necessitate & modo concurrendi Dei per suam potentiam cum causis secundis, tum liberis, tum necessariis, tum naturalibus, tum supernaturalibus, & ordinaria, & extraordinaria prouidentia. Hæc autem omnia, quia, & proprioribus aliis Philosophiæ, & Theologiæ locis disputata à nobis, & disputanda sunt, & ad Dei attributa, quæ hic secundum se examinantur, non attinent, sed ad extrinseca attributi Omnipotentiæ operationes, & effectus: proinde eorum examen alio, atque alio remittimus. Hæc igitur in præsentiarum de Omnipotentia examinanda. Primo: an sit Omnipotentia in Deo? Secundo, quid sit? Tertio, an connectatur cum possibilitate creaturarum? vbi, an ex alio prædicato Deus cum illa connexus sit? examinabimus. Quarto, an Omnipotentia, vel aliquid Deo intrinsecum sit formalis possibilitas creaturarum? Quinto, an chimærarum impossibilitas omnipotentiæ, aut diuino alicui identificetur? Sexto, an carentiæ rerum contingentium in aliquo diuino consistant, Deoque proinde identificentur? Tria postrema hic disputare nos cogunt inuitos nescio qui Recentiores.

***

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An sit Omnipotentia in Deo.

ACTIVAM potentiam ad extra creaturarum, quæ de facto sunt, Deo primæ causæ adesse demonstratum est d.1. q.3. cert.2. n. 1. vbi esse ens aliquod à se, primum scilicet actiuum principium cæterorum, quæ de facto sunt ostendimus. Quoniam vero vltra ea, quæ de facto sunt, plura, ac fortasse infinita, sunt possibilia, ad quæ omnia potentia actiua Dei ad extra extendi debet, vt omnipotentia, seu omnium potentia actiua in actu primo sit: id vero potentiæ actiuæ eorum, quæ de facto sunt, demonstratione non ostenditur: secundo ex ea demonstratione cum solum euincitur, Deum mediate omnium, quæ de facto sunt, causam esse, ad quod satis est, quod primam creatam causam producat, & hæc secundam, & secunda tertiam &c. non inde fiet omnium potentiam actiuam habere. Videndum ergo nunc est, an ea potentia actiua Dei ad extra, quæ ea demonstratione euincitur, ad possibilia omnia creata extendatur, ac proinde omnium potentia, siue omnipotentia debeat censeri?

CERTAMEN I.

Omnipotentiam, eamque infinitam in Deo esse certum ex fide, & ratione naturali est.

1. EX Philosophis, qui vnum verum Deum agnouerunt, nemo fuit, qui ipsi omnipotentiam denegauerit. Imo tacite ij omnes, qui Deum primam causam existentium omnium assecuti sunt, eius omnipotentiam tacite videntur admisisse: cum eadem sit ratio de creatis iuxta possibilitatem relictis, vt fieri à Deo possint, atque de his, quæ ab statu eo ad absolutam existentiam traduxit Deus: expresse tamen eam veritatem edidit Agatho Philosophus peruetustus carminibus hisce.

Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur.
Infectum vt faciat, quod factum est, atque peractum.

De Aristotele dubius est Soarius d. 3. metaph. sect. 17. num. 5. an ita de Dei Omnipotentia iudicarit; cum tamen n. 25. fateatur ea Agathonis carmina ab Aristotele recitata, laudataque eorum sententiam esse 6. ethicor. c.2. in qua exemplo illo vnius impossibilis, quod ab sphæra Omnipotentiæ excluditur sola, & cuncta impossibilia excluduntur, atque possibilium omnium potentia actiua, siue omnipotentia in Deo affirmatur. Idem sensit Cicero 2. & 3. de natura Deor. his verbis. *Nihil est, quod Deus efficere non possit; & quidem sine labore vllo:* consentit Seneca 4. de benef. c.7. & 8. ac Poetæ sæpe Iouem suorum Deorum supremum (atque inde etiam Olympum, seu cælum eius sedem pro continenti continens vsurpantes) Omnipotentem vocant. Eumque, vt refert Ludouic. Viues in 4. de ciuit. Dei c. 17. dextra sceptrum, læva vero, vel aquilam vel victoriam tenentem depigebant: quia omnia virtute, & actiuitate sua vincere, à nullioque vinci posse iudicabant: quare & eam inuictam aiebat Seneca supra. Huic tamen veritati aduersari videtur Auicenna 9. metaph. c. 4. qui vnum effectum tantum ait à Deo immediate productum, & medio illo alios, & sic deinceps reliquos. Primum vero immediatum eius effectum substantiam primam separatam esse docuit 5. met. tract. 4. huius errori consensit Auerroes ad 2. de cœlo text. 35. vbi eum videtur indicasse Aristoteles.

2. Cæterum catholica, & de fide veritas est Deum omnium creatorum possibilium potentiam actiuam, siue omnipotentiam habere. Genes. 17. *Ego Deus omnipotens: ambula coram me.* Iob. 42. *Scio quia omnia potest*, centiesque fere in concordantiis Biblicis Deus omnipotens à sacra pagina repetitus inuenietur. Passim insuper nihil Deo impossibile esse dicitur Sap. 11. 18. Math. 19. 26. *Apud Deum autem omnia possibilia sunt*, id quod & Marci 10. 27. eisdem verbis habetur. Item Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Vnde & Math. 17. 20. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, nihil impossibile erit vobis.* Et Marci 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Quia nimirum fide, atque fiducia, seu confidentia in Deum eius potentia, quæ ad omnia se extendit nostræ voluntati, ac desideriis, quasi reuincitur, Dei voluntate humanis votis annuente. Tertio hanc eandem veritatem continent innumera alia scripturæ testimonia quibus neminem, nihilque diuinæ voluntati resistere posse clamatur Genes. 50. *Num Dei possumus resistere voluntati?* 2. Paralip. 20. *In manu tua est fortitudo & potentia: nec quisquam tibi potest resistere.* Iob. 9. *Quis ei restitit, & pacem habuit* c. 41. *Quis enim resistere potest vultui meo?* Psal. 25. *Quis est, qui resistet tibi.* Prou. 30. *Nec est Rex, qui resistat ei.* Sap. 11. *Virtuti brachij tui, quis resistet?* Omnipotenti enim solum omnis resistentia cum victoria impossibilis: ac proinde, vt supra memorauí ad Iouis omnipotentiam significandam in læua eius idololatræ victoriam ponebant. Denique id ipsum probatur ex locis illis, quibus *ea quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt vocare* dicitur. Scilicet quia ex nihilo cuncta ad esse potentia sua potest traducere: ob hæc Dei omnipotentia, vt fidei dogma in omnibus confessionibus, seu professionibus fidei apud Concilia omnia adstruitur, atque in vtroque symbolo cum reliquis attributis de Deo quotidie in Ecclesia, & recitando & canendo.

3. Iam vero pro eadem veritate rationibus naturalibus, ac demonstrationibus pugnandum est. Et quamquam ea demonstratione entis à se, & necessarij, causæque proinde primæ formaliter, & in terminis non demonstretur, virtualiter ea ostenditur. Statuta enim semel per illam potentia Dei actiua ad extra, multifariam ad possibilia, ac non repugnantia reliqua extendi debere demonstratur. Primo, quia infinita esse debet: ast, ni ad omnia possibilia reliqua à Deo extenderetur, eius virtus, & actiuitas infinita non esset: sicuti nec infinita esset eius scientia, ni ad intelligibilia omnia creata repræsentanda se se extenderet. Quod autem debeat esse infinita multo etiam ex capite probatur. Primo: quia, cum ab alio non sit, sed adiectiue metaphysicè, ac substantiue etiam, physicè à se sit, à quo limitetur non est. Secundo, quia quoduis prædicatum diuinum omnem sui generis imperfectionem debet, *qua diuinum*, excludere: limitatio autem potentiæ actiuæ ad extra imperfectio est: ergo, *qua diuina* potentia actiua ad extra debet esse infinita. Tertio: quia maius aliquid ea in suo genere potentiæ actiuæ esse posset; quod repugnat prædicato diuino: quia cuicumque finito addi aliquid potest, & cui addi non potest infinitum est. Quarto: quia, vt sæpe dixi ex d.3. q. vlt. omne diuinum prædicatum Deo intrinsecum, *qua diuinum* indiuisibiliter, non solum physicè, sed metaphysicè etiam, est infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci: quod longe quidem amplius est, quam, quod ad præsens institutum est satis.

4. Secundo: prima illa consequentia ex infinitate potentiæ huius Dei ad potentiam omnium possibilium reliquorum à Deo, siue creatorum, præter similem consequentiam ex scientiæ infinitate ad omniscientiam, sic ostenditur. Quia, quidquid ab alio esse potest, ac proinde possibile creatum est, per aliquius potentiam esse ab alio potest: ergo vel per potentiam Dei, vt intendimus, vel alterius à Deo potentiam: de quo inquiro an à Deo proxime, vel remote sit? si nullatenus à Deo sit, redeunt argumenta processus infiniti, vel circuli causalitatum impossibiles, vt arguebamus d. 1. in demonstratione entis à se, seu Dei, & causæ primæ. Vel plures causæ primæ, ac Dei admittendi erunt contra demonstratam Dei vnitatem singularem, & immultiplicabilem. Quod si illud, per cuius potentiam illud possibile creatum esse potest, à Dei potentia sit, vt altero dilemmatis membro dicitur: ergo hoc ens, eiusque potentia hæc participata à Deo est: ergo, secundum quod perfectionis sine imperfectione dicit, seu, quatenus ab imperfectione decocta est, atque intelligitur,

ligitur, in Deo est: ergo poterit illud possibile ab hac Dei potentia esse. Secundo, si ab alterius potentia, ac non à diuina illud aliquod possibile esse potest: ergo limitata ex ea parte potentia Dei est, ac non infinita: ergo ex infinitate potentiæ Dei actiuæ ad extra recte infertur Dei omnipotentia. Quod probationi primæ illationis responderi poterat confutabitur in subiicienda iam demonstratione deducta ex illa etiam de ente à se, & causa prima huius vniuersi.

5. Tertio demonstratur ex eadem citata demonstratione: qua causa prima creatorum necessario adest ei potentia productiua immediate omnium, quæ de facto creata sunt: ergo adest ei potentia productiua omnium creatorum possibilium: duplex illatio in hoc discursu est, atque vtraque necessaria, & legitima ostendenda erit, vt discursus conuincat, atque euasiones tactæ in quæstionis præfatione omnino immobiliter obturentur. Prima est potentiæ immediatæ actiuæ creatorum omnium, quæ de facto sunt ex prædicato iam demonstrato in Deo causæ primæ eorum: qua ostensa secunda euasio immobiliter præcluditur. Huius autem consequentiæ legitimitas, & necessitas ostensa satis est n. 4. probatione 1. Dices tamen eam rationem præ continentia virtutis & potentiæ actiuæ immediate creatæ in causa prima increata non inferre in causa prima virtutem actiuam immediatam eorum omnium, quæ de facto creata sunt. Non enim ex virtute productiua potentiæ vitalis, quæ proximum principium actuum vitalium est, infertur in Deo, qui eam produxit, esse virtutem actiuam proximam vitalem actuum nostrorum vitalium; imo hanc in Deo esse repugnat. Sed certe consequentia legitima est, atque, vt talis, à Theologis omnibus admissa. Cum enim proxima actiuitas, vt sic, perfectionem sine imperfectione, vel potius nullam imperfectionem dicat, atque quidquid ab alio principaliter æquiuoce est præcontineri debet eminentiori modo formaliter in illo, manifeste fit, virtutem omnem actiuam proximam creatorum, quæ imperfectionem non dicat Deo assignandam esse. In potentia autem, seu principio proximo vitali creato, & est proximitas agendi, & modus agendi immanenter, siue recipiendo in se actum, & actionem (si ab eo distinguitur) qua fit: hoc autem imperfectionem dicit principij receptiui, & subiecti, quæ Deo proinde repugnat: quæque non ex virtute actiua immediata creaturæ, qua tali venit, sed ex imperfectione modi operandi, & & principij passiui viuentis: quare nec Deo proxima actiuitas repugnat: sed necessario admittenda in eo est ob rationem datam: sicque immediate nobiscum ad actus vitales concurrere Deus admittitur; quin inferatur, quod eos debeat positiue recipere: sicuti, neque, quod possit, aut debeat esse subiectum, aut materia, ex eo quod materiam omnem, & subiectum producat, quia hæc imperfectionem inuoluunt.

6. Iam vero illationis secundæ (quod, si ad omnia possibilia, quæ creata de facto sunt, potentia actiua Dei extendatur, etiam ad possibilia omnia, seu in se non repugnantia) necessitas ostenditur, atque euasio prima præoccupatur. Primo enim extendi ad possibilia omnia eorundem specierum cum creatis euidentissimum est: vt propterea hispano proloquio dicatur: *quien hace vn cesto, hara cien*: milleque exemplis artificum probari apertissime poterit. Sed vniuersim de omni possibili, cuiusuis speciei sit, ostenditur. Quia titulus, quo Deus ad possibilia creata, quæ de facto creata sunt, concurrit, est ratio entis non à se, sed alio indigentis, vt sit: atqui hæc ratio communis est omni enti, quod essentia sua non includit negationem essendi (cuiusmodi solum est chimæra, & impossibile) ergo in omni ente possibili est titulus, & ratio, quam Dei potentia actiua respicit, cuiusque titulo Deus ad illud concurrere, illudque agere queat. Ergo in Deo est potentia actiua respectu omnium possibilium, & non repugnantium, seu implicantium contradictionem. Hæc ratio est, quam instruxit S. Thom. 1. contr. gent. c. 22. argumento 2. licet non satis illam nonnulli Thomistæ callluerint; censentes S. Thomæ doctrinam esse Deum ad solum entis prædicatum concurrere: quasi actio physica præcisiua prædicatorum effectus esse possit: cum vix id actioni intentionali, seu cognitioni, imo, ne vix quidem, à plerisque concedatur. Sed tamen titulum solum concursus, & actiuitatis diuinæ, non autem effectum, entis prædicatum ibi designauit S. Thom. ac proinde dixit ens esse, effectum per se, & proprium Dei; non, quia illud solum prædicatum in rebus agat, sed, quia illud ratione sui, & per se formaliter à Deo fit in rebus; cætera vero ratione, & titulo illius, solumque materialiter, & identice: quia, illi identificata cum sint, nequeunt non simul cum illo prædicato fieri.

7. Præter hæc autem aliæ etiam sunt, quæ efficaciter diuinam omnipotentiam summamque Dei potentiam suadeant. Primo enim facilitas summa, qua Vniuersum hoc Deus produxit, verbo scilicet solo, Genes. 1. & Psal. 148. summam eius potentiam, seu omnipotentiam suadet. Secundo: quia, qui tot, tamque varia, & pene innumera produxit, quæ nouimus, & multo plura, quæ nondum nobis ex ignotis orbis plagis propalata sunt, nonnisi ex summa arte, & potentia, cui nihil non subiaceat, se gerere in vniuersi productione potuit. Tertio: quia ex nulla suppeditata ipsi materia, vel extrinsecæ virtutis inuamine, ac proinde omnino ex nihilo, seu non esse puro rerum. Nulla autem maior potentia esse excogitariue potest, ea, quæ res ex non esse puro earum, seu puro nihilo, ad esse potest traducere. Quæ enim longissime ab esse distant summa virtute, vt ad esse trahantur opus habent. Ast, quæ neque in potentia materiæ, neque in alia quapiam sui causatiua virtute sunt, sed in puro nihilo sui, longissime, ac distantissime ab esse sunt: ergo summa virtute actiua; vt trahantur ad esse opus habent. Dices hanc rationem, vel implicare in terminis, vel nihil probare: si enim omnis causatiua virtus etiam actiuam, complectatur, non erit potentia actiua rerum in Deo. Nam eam semoueri oportet, vt quæ ante creationem non erant, in puro nihilo sui essent. Si autem virtus causatiua eam non includit, ratio videtur leuis: nam concursum causæ materialis receptiuum, seu passiuum supplere virtute creata aliqua non iudico impossibile. Multa hic de creatione, & potentia creatiua dicenda essent, non vulgaria, sententiis autem quasi dogmaticis in Philosophia non solum consona sed necessaria. Ne tamen ea propriis extrahamus sedibus, ad difficultatem præsentem dico. In exclusione omnis virtutis causatiuæ necessaria ad purum nihil actiuam etiam virtutem includi, non eam de qua disputatur, sed alterius cuiusuis agentis, è cuius exclusione recte infertur Dei virtutem actiuam summam esse debere: quia quidquid alterius actiuitatis in aliis non solum esse, sed cogitari posset, vt rerum esse in aliquo sui præcedere extra Deum intelligeretur, in solo Deo est, in quo purum nihil non sunt. Cum tamen tam in se, quam in reliquis causis earum, quæ nullatenus præcessere, purum nihil essent.

CERTAMEN II.

Nonnullis difficultatibus occurritur, vbi amplius omnipotentiæ essentia, & infinitas explicatur.

1. Dices primo: iuxta dicta omnipotentiæ obiectum, seu adæquatus terminus in tota sua latitudine est, quidquid possibile est: ergo nequit naturali ratione demonstrari: imo nec probabiliter suaderi. Ex quo liquido apparet rationes omnes efficaciores, quas elformauimus ex naturalibus principiis deductas, ac proinde naturales rationes, imo demonstrationes, appellauimus, fallaces vniuersim esse. Probatur consequentia illa; quia intra latitudinem possibilium plura supernaturalia continentur. Vel ergo probatur ratione naturali ad hæc potentiam actiuam Dei extendi, vel non: si non probatur, non probatur omnium possibilium potentia, seu omnipotentia in Deo ratione naturali; si probatur: ergo probatur lumine naturali possibilitas supernaturalium fidei mysteriorum, quod est absurdum: quia, ni id probetur, non probatur extendi Dei potentiam ad omnia possibilia. Secundo: quia semel ex ratione naturali statuto Deum posse omnia possibilia, facile colligi potest hæc, & plura alia posse. Multa circa hanc difficultatem Soar. d. 30. mer. sect. 17. à n. 24.

2. Breuiter

2. Breuiter tamen, ac diluciде respondeo: rationibus datis nec demonstrari potentiam actiuam Dei extendi ad omnia possibilia secundum peculiares rationes, seu materialiter sumpta: sed secundum rationem communem possibilitatis, seu non repugnantiæ, quæ abstrahit ab eorum naturalitate, vel supernaturalitate: ac proinde opus non esse, vt naturale, vel supernaturale, qua talia, cognoscantur, vt ad omnia possibilia, qua possibilia, illam extendi, demonstretur. Licet materialiter, & identicè supernaturalia plura è possibilibus sint. Vnde patet ad secundum: statuta enim extensione omnipotentiæ ad omne possibile, qua tale, adhuc aliunde cognoscendum est, quodnam eiusmodi possibilitatem habeat, seu materiale possibilitatis, ac non repugnantiæ, vt ad illud extendi omnipotentiam inferatur. Id quod ex naturalibus principiis dignosci nequit de entibus supernaturalibus, maxime quoad substantiam: quin, eis solum principiis stando, repugnantia & impossibilia eiusmodi supernaturalia videbuntur.

3. Argues secundo. Possibilia, vt possibilia, sunt obiectum, seu terminus omnipotentiæ: ergo terminus formalis, seu formale obiectum omnipotentiæ est possibile, seu rerum possibilitas qua talis: atqui rerum possibilitas, seu possibile, vt possibile, est ipsa omnipotentia, à qua formaliter possibile est possibile, seu, quæ est formalis possibilitas creaturarum: ergo omnipotentia habet pro termino, seu obiecto formali seipsam: quod implicat. Hoc argumentum vim habet contra Recentiores, qui omnem possibilitatem rerum cum omnipotentia realiter formaliter identificant, contra quos certauimus q. 4. Alij communiter respondent. Possibilitatem rerum aliam esse rebus intrinsecam, quæ est earum non repugnantia, quæque non constituitur omnipotentia Dei formaliter, seu tanquam à forma; aliam vero extrinsecam, quæ ab omnipotentia, tanquam à forma, extrinseca denominatio est: Et hanc non esse terminum, seu obiectum formale omnipotentiæ, vt probat obiectio; sed primam, de qua id non probat: sed adhuc contra hanc solutionem, qua quiescere difficultatem omnes putant, argui non segniter potest.

4. Possibile, vt possibile, ad quod terminatur omnipotentia, est possibile creatum, seu creabile, atque ab alio, qua tale: atqui, qua creabile, & ab alio possibile, non includit solam non repugnantiam essendi; sed, & non repugnantiam essendi ab alio, seu creabilitatem, quæ ab omnipotentia, tanquam à forma est: ergo in termino formali Omnipotentiæ ipsa Omnipotentia clauditur, vt obiectione contendebatur. Maior videtur certa. Primo: quia, si sola non repugnantia in se, atque, vt præscindit à creabilitate, seu non repugnantia essendi ab alio, esset obiectum formale omnipotentiæ, cuicumque ea non repugnantia vt sic, & præscindens conueniret, & competeret esse terminum omnipotentiæ: quare, & Deus, in quo non repugnantia præscindens adest, terminus, & obiectum omnipotentiæ esset. Secundo: quia conceptus entis, seu essendi à se, vel ab alio indiuisibiliter sunt conceptus primo, ac se totis ex parte obiecti, seu formaliter, & metaphysicè diuersi: quorum primus indiuisibiliter formaliter, & est conceptus entis absolute, & simpliciter talis, alter vero entis secundum quid: sicut de substantia, & accidente dicitur; alioqui Deus in prædicamento sub genere vniuersalissimo entis poni cum creaturis posset contra superius à nobis dicta. Tertio: quia, quousque ens non à se, sed ab alio possibiliter concipiatur, non concipitur capacitas obiectiua essendi ab alio: ergo obiectum omnipotentiæ claudit conceptum non solum entis, quod non includit non ens, seu negationem entis, quod est ens non repugnans, atque excludens contradictionem, sed entis ab alio. Demum (cum repugnantia, & contradictio in nullo ente sit ex conceptu entis præcise, sed, vt coniuncto cum aliis prædicatis, quorum alterum alterius negationem inducat) spectandum est ad obiectum omnipotentiæ statuendum illud à se, vel ab alio, vt alterum ab obiecto omnipotentiæ excludatur, quia à se est, quod contradicit esse, seu enti ab alio; alterum vero in eo obiecto includatur, quia ab alio est ens; & cui à Deo esse non repugnet.

5. Hæc ratio prædictis fundamentis innixa ab scholasticis, vel neglectu, vel minus attenta, seu intenta meditatione prætermissa, summa, me iudice, in re præsenti videtur; & cui diluendæ, intensiori discursu, ac subtiliori metaphysica sit opus. Et quidem, licet de maiori propositione (ex suppositione terminationis omnipotentiæ ad possibilia creata, qua possibilia) minus metaphysici, atque Patrum, & Theologorum sententiis, quam nos, addicti dubitare possent; tamen ob rationes attactas, & communem Patrum, & Theologorum doctrinam, de Dei exclusione à prædicamento cum creaturis communi, concedenda sine dubio maior illa argumento est; neganda vero minor: nimirum prædicato entis ab alio, qua ab alio Dei potentiam actiuam, siue omnipotentiam; tanquam formam denominantem, terminumue metaphysicè formalem formaliter concerni: in hoc enim, quod est esse ab alio, solum concernitur potentia actiua respectu rei, quæ ab alio esse potest. Licet enim re vera creata omnia à Deo, etiam immediate, esse possint; non tamen ab eo solum possunt immediate esse, neque secundum totam eminentiam diuinæ actiuitatis, & potentiæ, omnipotentia diuina formaliter egent; licet ratione perfectionis diuinæ realiter illa egeant. Vnde probata ratione potentiæ actiuæ diuinæ, & possibilitatis creaturarum ab alio, aliis indeductis discursibus ad ea omnia se extendi probandum est: quo satis ostenditur possibilitatem creaturarum ab alio, qua ab alio etiam, non à potentia actiua Dei formaliter, neque, vt à termino essentiali respectus ab alio metaphysicè desumi. Secundo: etsi capacitas essendi ab alio creaturarum possibilium esset essendi determinate à Deo, ac proinde passiuæ eius capacitatis ipsarum terminus essentialis potentia actiua Dei foret, non inde inferretur Dei potentiam actiuam ad seipsam terminandam esse; quia, quod terminatur ad aliquid natura sua respectiuum, ad terminum respectiui huius termini sui terminari nullatenus debet; vt in mutuo respectiuis omnibus patet. Solum infertur neutrum sine altero consistere posse, quia mutuo connexa essentialiter sunt. Tertio demum omnipotentia ex natura & conceptu suo respectiua possibilitatis creaturarum non est, sed ab ea omnino independens, etiam tanquam à termino, vt statim dicam, fusiusque ex instituto monstrabo. q. 3. quo omnia quiescunt negata maiori argumenti efformati n. 4. quam ex suppositione solum ab aliis asserta determinatione omnipotentiæ ad possibilitatem creaturarum solummodo, & notanter admisi.

6. Iterum argues possibilia creata finita sunt: ergo in ordine ad illa nequit esse, conuincue potentia actiua Dei infinita. Patet consequentia. Nam ad finitum terminum, seu effectum finita sufficit actiuitas, & potentia. Dupliciter respondeo negando consequentiam. Primo: quia, si omnium possibilium creatorum causa, & singulatim, & coniunctim respectu totius etiam coniuncti possibilium, æque ea principalis sit, vt Deus: quod omnia possibilia plura, & plura, ac proinde, vt minimum, infinita syncathegorematice potest, infinita virtute (vt sæpe ad simile argumentum dixi) potest quod ipsum de præcontinentia eminentiali priori metaphysicè ad actiuitatem dictum puta, & de continentia ideali, & exemplari omnium possibilium, quæ in Deo est. Secundo negatur eadem consequentia. Neque enim adæquatus omnipotentiæ terminus, ita sunt possibilia, vt vltra ea, quæ de facto possibilia sunt, Dei virtus, & potentia actiua Dei, quantum ex se est, non extendatur. Ita, vt, si impossibilia omnia ad non repugnantiam, seu possibilitatem traducerentur, quatenus ex parte Dei est, potentia eadem ad illa producenda satis non esset: sicut de immensitate, & æternitate ad spatia loci, & durationis vltra possibilia omnia per imaginationem, & rationem nostram chimærice posita, quatenus ex parte Dei est, repplenda sufficere dicebamus. Et ratio à priori est: quia neque hæ aut spatiis realibus, neque omnipotentia à rebus veris, ac possibilibus adhuc, vt possibilibus, tanquam à terminis pendent in sua essentia, siue physica, siue metaphysica; sed à se suo modo sunt, atque illimitatione entis diuini commensurari debent; non autem extrinsecorum magnitudini; licet, vt expedita ad operandum sit, non solum quatenus de se est actiuitas, ac intrinsece, sed etiam ex parte extrinseci, quod extrinseca actio Dei concernit, necessario possibilitas expectetur rei faciendæ, sine qua actio nequit esse possibilis, etsi tota Dei actiuitas persistat. Ex quo etiam constat infinitatem potentiæ ad possibilia finita solum minime superfluere: quia non propter illa efficienda, sed ex perfectione, & necessitate in Deo est.

7. Denique

7. Denique opponitur siue possibilia sint finita, siue infinita, si omnia potest simul: ergo omnia simul efficere poterit: hoc autem repugnat, quia exhauriretur potentia Dei, ni aliquid vlterius efficere posset, quod repugnat infinitati: maxime, si possibilia finita sint: si autem infinita, posset infinitum in actu efficere, quod etiam repugnat. Hoc argumentum distinctione vulgari simultatis actus, & potentiæ prorsus euanescit; à simultate enim potentiæ ad omnia possibilia, quam in Deo pro antecedenti fatemur, ad simultatem actus, seu actionis omnium eorum, quam argumentum contendit, consequentia non tenet, vt in potentia intellectiua, & volitiua animo nostro identificata, simulque ad omnes suos actus, quos tamen omnes nequit simul exercere: & in potentia ad motum localem omnem, quæ simul in viuente est, nec tamen simul motus omnis valet exerceri. Et ratio est: quia potest esse in coniunctione omnium, vel aliquorum possibilium simul repugnantia, vt in durationis successiuæ partibus: ac proinde potentiæ defectus non est, quod simul actu coniungi nequeant, sed eius coniunctionis repugnantia, ad quam potentia nulla extenditur.

8. Cæterum, etsi respectu eorum, quorum coniunctio simultanea repugnat, solutio consistat; respectu tamen aliorum omnium possibilium, quorum alterum negationem alterius essentialiter non importat, tenet omnino in re præsenti opposita consequentia: cum respectu illorum, quod simul produci à Deo non possent, in defectum potentiæ Dei necessario proueniret: cum eorum omnium coniunctio possibilis absolute, ac non repugnans sit; ac proinde, si ad id potentia Dei non extenderetur, omnium possibilium potentia, siue Omnipotentia non esset. Quod si in nullius è possibilibus cum aliis coniunctione simultanea impossibilitas, & repugnantia adesset, omnia possibilia simul produci à Deo posse fatendum ex dictis necessario foret, quin rationes oppositæ quidquam præstent. Illud de exhauritione: si ad modum vasis intelligatur potentia sua exhauriri Deum, est ignorantia crassa arguentis; si ex extrinseco effectu, & actione idem est, atque conclusio, quæ impugnatur scilicet Deum simul semelque effecisse omnia, quæ fieri, & esse simul non repugnant: quod non repugnare certissimum est. Dices repugnare potentiæ infinitæ, ac omnipotentiæ nihil vlterius factis etiam in eo casu facere posse. Negatur tamen facile: cum vlterioris effectus impotentia ex parte ipsius repugnantis in se, non tamen potentiæ infinitæ Dei tunc esset.

9. Secunda ratio: quod posset Deus infinitum in actu, & categorematice efficere, si admittatur possibilia eo infinitatis genere infinita esse, non est consequens repugnans; sed necessarium, vt dixi. De possibilitate autem eiusmodi infinitatis, eiusue repugnantia disputare, nec locus præsens, nec animus est: admissaque repugnantia non tenet consequentia. Tunc enim defectu obiecti, seu termini à Deo infinitum in actu effici non posset. Hic etiam disputatur extra rem, & chorum, an Deus possit efficere species, resue alias ab his, quas de facto produxit? negantibus erronee Abailardo, Viclepho, aliisque hæreticis, an saltem adeo perfectam speciem possit semel producere, qua nequeat producere perfectiorem? vt docent Duran. in 1. d. 44. q. 2. & 3. Aureolus apud Capreol. ibi. Atque inclinare videtur Scotus in 3. d. 13. q. 1. Hoc autem totum ex repugnantia, vel non repugnantia in se rei, aut speciei creatæ summæ perfectæ pendet; non autem ex actuositate potentiæ Dei, quam ad omnia possibilia extendi diximus. Eiusmodi autem, similiumque repugnantiarum pluium in creatis examen proprias in Philosophia habet sedes.

***

QVÆSTIO II.

Quidnam metaphysicè Dei Omnipotentia sit?

PHYSICE loquendo, quidquid formalitatis in Deo, siue essentiale, siue attributale est, Deus est, vti ex eius simplicitate, & vnissima vnitate Dei supra contra omnem compositionem, siue substantialem, siue accidentalem demonstrata euidens est. Quare de essentia physica omnipotentiæ, alteriusue prædicati, aut attributi diuini quæstio esse non potest: ac proinde de metaphysica solum essentia omnipotentiæ inquirimus.

CERTAMEN I.

Aliorum sententiæ reiiciuntur.

1. PRima sententia docet in actu scientiæ diuinæ, non quidem, quatenus obiecti faciendi formalis repræsentatio est, sed quatenus practicum imperium faciendorum est, diuinam omnipotentiam, seu causam proximam creaturarum esse: cui fauet D. Thom. 1. 2. q. 17. asserens imperare ad intellectum spectare: atque illa: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux* &c, & illud: *Ipse dixit, & facta sunt*, quæ recitabamus q. 1. cert. 1. Insuper: quia operari per intellectum perfectissimus operandi modus, ac proinde Deo proprius videtur. Sed enim imperium istud potentiam applicans ad opus debet esse, vel cognitio, aut iudicium Dei, si ad ipsum sit, vel externa aliqua locutio, si sit ad alia. Intellectus enim potentia adæquate, & essentialiter cognoscitiua est: ac proinde nequit esse imperium hoc, nisi per modum iudicij ad ipsum Deum imperantem sit, aut per modum iudicij ordinati ad alios, si sit ad illos. Neutro autem modo posse esse iudicium Dei potentiam actiuam Dei facile suadetur. Non ad ipsum Deum: quia tale iudicium, vel est iudicium de re facienda, seu factibili antequam fieri decernatur: Et sic non est ratio proxima agendi in Deo; cum post illud sit decretum ante operationem ad extra; nec determinet ad opus, cum relinquat indifferentiam voluntatis diuinæ ad opus decernendum; imperium autem omne ad opus determinet, Sed neque post decretum (quod plane volunt huius sententiæ Doctores) potest esse iudicium, seu imperium illud respectu Dei ad opus impellens proxima ratio agendi in Deo ad extra. Quia solum applicare potest iudicium imperatiuum potentiam proximam imperantis sibi ad executionem: ergo ipsum potentia proxima executionis rerum in Deo non est: alioqui seipsam applicaret, quod repugnat: scilicet, esse applicationem sui ipsius: ergo alia est potentia proxima executiua rerum in Deo.

2. Secundo. Iudicium illud, quod post decretum imperium ad Deum sit impellens ad opus liberum necessario, & contingens erit: cum tamen omnipotentia necessaria Dei sit. Tertio solum esse potest iudicium de existentia decreti, vel de necessitate executionis eius operis, quod decretum iam est: totum autem hoc, & speculatiuum, & pure est existentiæ, & efficaciæ diuini decreti, non practicum, & imperatiuum. Et inepte imperatiuum esset de re nimirum necessaria, & ineuitabili per antecedens decretum. Ac rursus: quia, vel est aliquid aliud vlterius applicandum in Deo ad opus, & hoc erit potentia proxima operandi in eo; vel non est, & iam nihil erit cui, seu ratione cuius imperare sibi possit operis executionem. Denique iudicium hoc imperatiuum, seu imperium iudicij post voluntatem efficacem operis respectu ipsiusmet iudicantis & operaturi (quicumque operaturus simul, & iudicans sit) vniuersum

vniuersim esse omnino impossibile ostendimus controuer. de anim. Etenim dictaminis repræsentatio ad potentiam executiuam non cognoscentem omnino est impossibilis, & intentionalis motio per illam (est enim surdo, vt aiunt fabellam narrare) quare nullo alio modo moueri potentiam exequentem cuiusuis, quam imperio decreti voluntatis despotico per motionem sympaticam ibidem ostendimus: intellectuque motio hæc sympatica facillima est in nostra sententia potentias animæ ab ea realiter non distinguente; licet in opinione eas ab anima distinguente non sit difficilis, sed mille exemplis illustris. Ex quo à priori ostenditur nullum iudicium Dei, quod post decretum Dei de effectu quouis sit imperium respectu Dei ipsius esse posse: multoque minus potentiam Dei proximam operandi ad extra, siue omnipotentiam diuinam, quod nunc solum contendebamus.

3. Inde vero probatur facile iudicium diuinum ad res ipsas producendas ordinari non posse, tanquam imperium, & proinde nec potentiam proximam earum: imperium enim cognitionis, & locutionis, nonnisi ad cognoscitiuum esse, dirigique potest, quin *surdo fabella narretur*. Deinde, quia ad eos solum imperium esse proprie potest, in quibus propria obedientia potest esse. Ex rebus autem producendis plura, imo pleraque, non solum non cognoscitiua, & insensibilia, sed & inanimata sunt, quibus obedientia repugnat: ergo respectu horum nequit esse eiusmodi imperium, & actiua proxime potentia Dei. Vnde neque respectu rerum cognoscitiuarum, & intellectualium; cum eadem sit omnipotentia Dei formalis respectu creaturarum omnium: atque in nostris veris principiis formaliter etiam, & metaphysicè indiuisibilis obiectiue. Secundo imperium hoc ad creaturas si potentia Dei proximas illas producendi sit, propriori naturæ ad ipsarum esse, & existentiam est: ergo etiam ad eas, quæ, cum primum sunt, cognoscitiuæ essentialiter sunt, terminatur, & dirigitur cum nondum sunt: ac proinde nec cognoscitiuæ sunt: quod, vt dixi, repugnat. Quod autem creaturæ Deo obedire, Deusque ipsis imperare, eaque, quæ non sunt, vocare, ac dicere, vt sint, in scripturis dicantur, metaphoricum negotium est, vt efficacia potentiæ, & voluntatis diuinæ nobis insinuetur. Et certe metaphoricum etiam hoc Dei ad creaturas omnes imperium, vt sint in eius voluntate, non autem in actu intellectus constituebat aperte S. Thom. 1.p. q.19. art. 4. q.25. art. 1. ad 4. art. 5. ad 1. Et certe quid actus intellectus diuini creaturis intimare poterit quæ, quantumuis intellectuales sint, diuinis actibus vti ad aliquid percipiendum minime possunt?

4. Secunda sententia docet omnipotentiam ad intellectus diuini actus pertinere, quatenus scientia Dei, quæ voluntatis actus præcedit, est idea, seu exemplar formale possibilium, à qua applicita per decretum de re faciendа perfectissimo modo res à Deo fit, sine alterius potentiæ exequentis interuentu; quæ in creatis artificibus vlterius requiritur, ob artis, seu ideæ creatæ imperfectionem. Dubio enim procul perfectior ars esset, quæ se sola artefactum efficeret. Ad eum modum excogitari potest tertia sententia huic affinis: Dei potentiam in idea, siue exemplari obiectiuo (quod verbum diuinum est) constituens. Confirmarique posset illis Genes. verbis. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*, & similibus pluries eo libro datis; & illis Psalmi: *Ipse dixit, & facta sunt*: atque aliis. *Verbo Domini cæli confirmati sunt*. Vbi Verbi nomine secundam personam Trinitatis communiter Patres intelligunt, vt sæpe ostendimus controuer. de Trinit. Huius sententiæ meminit Duran. in 1. d.45. q. 2. eamque segniter satis impugnauit: neque admodum fortiter impugnari posse censet Soar. num. 43. Tertia vero hæc facile impugnatur: quia cum esse ideam obiectiuam, & exemplar, seu verbum creaturarum personale filij sit, potentia actiua Dei ad extra siue omnipotentia personalis verbo esset, nec Trinitati communis, quod est hæreticum, & contra Athanasij symbolum. Qua vero ratione verbum ad creaturarum productionem, & communiter cum aliis personis per omnipotentiam concurrat actiue, & specialiter, vt exemplaris causa obiectiua intentionalis creaturarum, diximus citata controu. idque solum citata testimonia, & Patres volunt.

5. Secundæ illius meminere idem Durand. in 1.d.45.q.2. vbi eam segniter satis impugnauit, & Soar. supra num. 42. eam satis probabilem, atque impugnatu difficilem æstimans num. 43. verum à num 46. non admodum leuiter eam impugnat ex ipsa ideæ formalis, seu, quod idem est, artis natura, & essentia, quæ, si distincta formaliter, & metaphysicè à virtute actiua absolute ostendatur, etsi physice in aliquo aliunde identificata, vti in Deo, inueniatur, metaphysicè tamen, & formaliter diuersa à virtute actiua censebitur. Quo posito sic eam sententiam secundam impugno. Essentia artis, & ideæ formalis solum dicit vim directiuam operantis ad opus exequendum: quo in genere, si infinita sit, quin ad aliud genus causandi transeat, Deo omnino digna erit. Potentia vero, seu virtus actiua nullum dicit respectum ad directionem operantis, sed ad solam operis executionem, & effectum: ergo sunt diuersæ formaliter. Dices in Deo vtrumque formaliter, & metaphysicè coniungi. Tum ob artis, tum ob potentiæ, seu virtutis actiuæ perfectionem summam. Contra tamen: quia, si ex se hi conceptus formaliter metaphysicè differunt, cuiusuis summitas, & excellentia in sua linea esse formaliter metaphysicè debet, quin transeat ad aliam: licet physice omnia in Deo idem esse debeant ob eius simplicitatem, & physicam indiuisibilem perfectionem; alioqui nulla possemus diuina prædicata ab aliis formaliter metaphysicè diuidere, quantumuis è genere suo diuersa forent. Contra secundo: quia ex infinitate artis, seu ideæ formalis in sua linea, & potentiæ actiuæ in sua, satis intelligitur decens Deo prædicatum. Contra tertio: quia idea, & ars, seu vis directiua operantis ad agendum connotat formalissime potentiam eius, seu virtutem actiuam ad operis agendi executionem; cum tamen se ipsam formaliter connotare nequeat. Atque ex his etiam (vt absurdum erroris ex tertia illa sententia deductum cessaret) sententia tertia facile impugnaretur. Nam ideæ obiectiuæ motio, & causalitas tota obiectiua est ad operantem, & intentionalis, non autem physica ad effectum agendum è genere, & linea sua.

6. Quarta sententia præter intellectum, voluntatem etiam diuinam ad constitutionem Omnipotentiæ aduocat; vt ex vtroque omnipotentia, quæ neutrum eorum seorsim est, constituta resultet. Hanc è citandis pro voluntate diuina in vltima sententia amplexari videtur Ferrara, eamque expresè docet Vazq. d. 102. c. 3. atque dandis Aristotelis, & S. Thom. locis, additaque Aristoteli ponderatione confirmat. An vero intellectus, & voluntas in actu primo, an in actu secundo omnipotentiam constituant? censet Vazq. c. 4. intellectum in actu secundo, seu, vt scientia actualis faciendorum practica, & ars est, ad potentiam constituendam confluere: ac proinde intellectum non in actu primo, in quo remotior ab operatione est, sed in actu secundo. Contra vero voluntatem in actu primo, non in actu secundo, omnipotentiam constituere: quia decreta omnia de rebus agendis efficacia, quæ sola operantur, libera, & contingentia sunt, ac proinde necessariam Dei omnipotentiam nequeunt constituere, vt supra de imperio iudicij post decretum de re facienda habiti arguebamus. Sed certe artis diuinæ, seu scientiæ practicæ, aut ideæ formalis ad potentiam Dei cum voluntate formaliter constituendam aduocatio supra impugnata est ea ipsa ratione qua Vazq. illam ad id aduocauit: quia artis munus totum non actiuitatis physicæ, sed motionis intentionalis, & directionis est. Secundo: quia, vel in ea directione est efficacia actiua physica diuina, nec ne? si est adæquata actiuitas physica erit, ac proinde in ea sola erit potentia infinita, seu omnipotentia Dei, nec poterit formaliter ea, & voluntate diuina constari. Patet primum ex principio illo nostro sæpe reperito, quod prædicatum diuinum, cuiusuis generis, qua diuinum, nequit non per denegationem termini etiam extrinseci infinitum esse.

7. Quinta sententia omnipotentiam formaliter extra omnia, quæ ad intellectum & voluntatem diuinam spectant, formaliter constituit: imo ante ea omnia: scilicet in prædicato entis, seu essendi infinito, quod omne ens creatum eminenter præcontinet per omnes, ita Soar. supra n. 47. probat. Quia, sicut calor eadem indiuisibili formalitate, qua subiectum formaliter calidum constituit,

calefactiuum etiam constituit, ac proinde eadem in illo formalitas est esse calorem, & principium formale actiuum caloris in alio: & similiter, si ignis forma de se caloris in alio productiua esset, eadem formalitate, & ignem, & principium calefactiuum constitueret: ita in esse infinito diuino contingit, vt sua essentia, & formalitate, qua infinitum ens, atque omne ens possibile eminenter continens, constituit principium actiuum cæterorum omnium entium. Confirmatur: quia, eatenus est Deus formale principium actiuum cæterorum omnium entium, quatenus ea omnia eminenter in se continet, seu præcontinet: atqui ea continet, seu præcontinet, quatenus ens infinitum est: ergo quatenus ens infinitum est, est formale principium actiuum cæterorum omnium entium, ac proinde infinitas essendi, seu essentiæ est in Deo formaliter potentia actiua ad extra, seu omnipotentia creaturarum. Quod autem substantiis, siue entibus substantialibus creatis potentia, & virtus actiua proxima superaddatur ob limitationem, & imperfectionem earum est: ac proinde, ne formaliter quidem, Dei essentiæ, seu diuino esse est addenda.

8. Verum immerito Soarius infinitatem secundum essentiam, siue infinitatem entis diuini cum omnipotentia diuina confundit. Etenim omnipotentia ab omnibus ipso antiquioribus Theologis, imo & in symbolis, vt Dei attributum, atque extra metaphysicam Dei essentiam recensetur. Secundo, vel loquitur de infinitate secundum essentiam physicam, seu in genere entis, & essentiæ physicæ, (quo solum pacto attributum Dei infinitas eius per essentiam est, vt dicebamus d. 4. q.1. cert. 4. n. vlt.) atque eo modo implicat esse infinitam essentiam metaphysicam Dei formaliter, & metaphysice, cuius attributum, & passio metaphysicè est: vel loquitur de infinitate Dei in genere entis, & essendi, seu per essentiam metaphysicam. Et neque hoc modo accepta infinitate in genere entis quidquam probat; licet in eo formaliter continentia omnis entis possibilis ab imperfectione superati imbibatur. Licet enim ad virtutem actiuam principalem continentia omnium, quæ in effectu sunt, vel formalis, vel eminentialis formaliter requiratur; in ea tamen continentia actiuitas effectus formaliter non est: alioqui nullibi ea continentia formalis, vel eminentialis aliorum formaliter reperiretur, quin actiuitas in illo principalis adesset, quod est aperte falsum: cum plures sint substantiæ perfectiores, vel æque aliis perfectæ, in quibus alterutra continentia formaliter est; cum tamen respectu æque, vel minus perfectarum principalis actiuitas non sit. Aliquid ergo aliud actiuitas hæc continentia est, vt ipse Soar. alibi fatetur. Continentia ergo, seu præcontinentia alterutra requiritur, vel potius prærequiritur, in causa ad actiuitatem: quia nemo dare potest, quod non habet. Vnde, sicut ad ciuilem potestatem absolutam donandi rei dandæ habitio, seu præhabitio supponitur pro priori, ita ad virtutem actiuam ea præcontinentia producendorum præsupponitur, ac proinde formaliter metaphysicè differunt: sicuti in materia prima diuersa formalitas est posse pati, seu recipere formam & posse componere cum illa, licet in eadem materia vtrumque physicè, & realiter idem sit, vt omnes fatentur, atque respectu animorum nostrum, vnum sine altero materia habet.

CERTAMEN II.

Voluntas diuina omnipotentia Dei tota formaliter est.

1. SExta demum sententia in voluntate Dei eius omnipotentiam formaliter ponit. Ex ea enim venit, vt res eo modo, & tempore sint, quibus Deus esse decernit. In hanc, etsi aperte non ierit, inclinauit tamen Caiet. 1. p. q. 25. art. 1. Canar. q. 27. art. 1. d. 4. p. 2. docuerantque iam olim Scotus in 1. d. 37. q. 1. Bassolis in 2. d. 8. q. 1. §. *quantum ad primum*. Ferrara 2. cont. gent. c. 10. (licet c. 1. & 16. in alterutro scilicet, vel in intellectu, vel voluntate fitam esse dicat) subscribo. Plura pro hac scripturæ loca inducuntur, quibus Deus omnia in sua voluntate posita habere, atque iuxta voluntatis suæ nutum facere in rebus, ac de rebus omnibus dicitur. Sed tamen vere hæc dicentur, etsi voluntas omnipotentia formaliter non sit, sed realiter solum: imo in nobis, etsi realiter à voluntate potentia executiua distinguatur, si tamen ei subdita sit, illius actus in nostra voluntate esse dicuntur. Inducitur etiam pro hac sententia S. Thom. citatis supra locis n. 3. sed certe Sanctus Thomas loquitur plane de identitate reali potentiæ actiuæ Dei cum eius voluntate, vt legenti patebit. Inducitur etiam Aristoteles 3. de anima c. 10. textibus pluribus, vbi ait, appetitum, imo & intellectum, localis motus animalis principium esse, licet corporeis facultatibus diuersis, dum corpori est immersus, ad eiusmodi corporeos motus, vt instrumentis egeat. Ex quo inferri videtur (si separata esset anima, & vniuersim substantiæ spirituales, & completæ vt Angeli, longeque melius Deus) eiusmodi potentiis, & instrumentis adhuc formaliter diuersis, eas ad suos effectus non egere, sed solo appetitu, seu voluntate sua adæquatum principium eorum habere. Cæterum solum probatur in eis substantiis mere spiritualibus potentiam actiuam realiter ab appetitu diuersam necessariam non esse, vt de Deo Aristoteles aiebat.

2. Cæterum. Licet hæc Aristotelis, & Sancti Thomæ loca, ea etiam ponderatione adhibita, non videantur amplius, quam negationem potentiæ executiuæ ad localem motum realiter appetitui spirituali pure substantiarum superadditæ probare; tamen nulla potentia, adhuc formaliter ab appetitu diuersa eas ad eum motum (si in aliis præter Deum earum voluntati realiter superaddita non admittatur executiua potentia) egere, satis videtur ostendi. Etenim, cum motus hic earum substantiarum voluntati subiaceat, cuius volitioni efficaci subditur. Determinatio potentiæ loco-motiuæ earum per voluntatem efficacem, si vera determinatio, ac veræ, & realis potentiæ alterius, adhuc formaliter à voluntate sit, præuia vera, & realiter esse debet; ast nequit esse vere præuia alterius potentiæ adhuc formaliter diuersæ, si hæc realiter cum voluntate identificatur: ergo ex identitate reali loco-motiuæ potentiæ Angeli cum eius voluntate recte infertur vtriusque formalis identitas. Maior probatur: quia vera, & realis subiectio alterius determinationi nequit esse, vbi vnum, & alterum vere, & realiter non est, vt alterum alterius determinationem vere expectet; vt agat, & moueat actione sua. Minor inde claret: quia sola formalis distinctio earum facultatum cum reali identitate non facit vere, & realiter vnam, & alteram facultatem: ac proinde neque veram vnius subiectionem determinationi alterius.

3. Confirmatur: quia nihil eius determinationis est, quod non sit formalissime determinatio voluntatis, ac præterea nihil reale est, quod vere obediat despotice, aut sympatice eiusmodi determinationi, quod voluntas ipsa vere non sit. Confirmatur secundo: quia, si eadem realiter vtraque facultas est, nulla est vera applicatio potentiæ loco-motiuæ ad motum per voluntatem, quæ vere non sit applicatio voluntatis ipsius: quare, etsi, cum facultas exequens realiter diuersa est bene intelligatur verum munus voluntatis efficacis applicandi potentiam exequentem, cum tamen idem realiter hæc cum voluntate asseritur eiusmodi munus verum applicandi potentiam exequentem, quid vlterius sit ab applicatione eiusdem voluntatis est imperceptibile: quod inde satis constat: quia ni in aliquibus potentia exequens diuersa realiter à voluntate, & appetitu deprehenderetur, chimærica prorsus eius per voluntatem applicatio censeretur.

4. Iam vero, si è negatione realis diuersitatis potentiæ loco-motiuæ ab appetitiua in substantiis spiritualibus: ac proinde ex impossibilitate veræ, & realis subiectionis, determinationis, & applicationis vnius per aliam diuersitas, formalis etiam, earum excluditur, atque identitas vtriusque metaphysica, & formalis probatur: potiori sane iure in Deo potentiæ actiuæ ad extra, seu omnipotentiæ formalis identitas concedenda est; in quo realis earum identitas summa catholice debet admitti. Sed etsi ea formalis identitas potentiæ executiuæ, & appetitiuæ

tiuæ in creatis ex reali earum identitate non inferretur; in Deo tamen admittenda necessario foret. Cum enim voluntas diuina efficaciter increata actibus, decretisque propriè suis ex prædicato voluntatis diuinæ ferri possit respectu eorum essentia sua efficaciam habet: si autem potentia alia exequente formaliter adhuc diuersa egeret, efficaciam è suo genere infinitam, & summam formaliter non haberet: quod cum efficacia diuina repugnat. Dices habere efficaciam in suo genere voluntatis applicandi nimirum potentiam exequentem: sed hæc, ni diuersa realiter potentia exequens sit, est chimærica efficacia. Et sanè hæc summa agentis liberi perfectio est, vt nullius alterius, quam voluntatis suæ virtute, adhuc formaliter omnia peragat, vt de suo Ioue nutu solo *tremere fecisse Olympum* Poëtæ aiebant.

5. Dices cum Durando: diuinam voluntatem non esse principium proximum operationum: cum decreto medio creata operetur: & tamen Omnipotentia principium proximum operationum esse debet. Nego primam antecedentis partem. Ad secundam, qua illa probatur distinguo: medio decreto tanquam potentia, nego: tanquam potentiæ voluntatis applicatione, concedo. Dices iterum ex ipso: diuinam voluntatem æquè versari, imo magis versari circa Deum, cuius tamen potentia actiua non est, quam circa creaturas. Negatur facilè consequentia. Est enim eiusmodi: non est potentia respectu eius, quod fieri nequit: ergo nec respectu eius quod fieri potest. Similiter non est potentia ad desiderandum Deum: ergo neque ad desiderandum creaturas. Arguit Soar. Deus non ideo potest producere quia vult, sed potius ideo vult, quia potest, vt rectè S. Thom. quæst. 25. art. 5. ad 1. ergo potentia diuersa est formaliter in Deo à voluntate. Negatur consequentia. Neque enim potentiam, siue Omnipotentiam in volitione, sed in voluntate constituimus: ac proinde, quia potest producere, vult producere, quia nimirum eadem est potentia volendi, & producendi.

6. Denique dices volitionem Dei necessariam erga seipsum, & (vt aliqui volunt) erga creaturas possibiles, mediare inter Dei voluntatem, & liberam volitionem efficacem de earum existentia: ac proinde in ea esse ponendam Omnipotentiam. Maximè, cum ex simplici complacentia erga possibilia videatur Deus moueri, vt eas existentia donare velit, sicuti ex complacentia amici ad volendum illi bona mouemur: quo instatur nostri, quoad hanc partem, soluto Vasquezij: quod scilicet simplex illa complacentia non sit actiua, seu impulsiua ad opus. Si enim ad decretum efficax, impellit ad opus. Negatur tamen antecedens. Dei enim volitio, & amor necessarius erga seipsum, atque erga creaturas possibiles non mediat inter decretum efficax de earum existentia, & diuinam voluntatem: tum quia possibilium adhuc præcisiue, amor in Deo non est, vt tit. 2. controu. 4. videbimus: tum quia ad quodcumque obiectum comparetur eadem formaliter infinita Dei volitio, & amor indiuisibiliter est. Sicuti, & omnipotentia, ad quamcumque creaturam comparatur, eadem formaliter indiuisibiliter infinita Omnipotentia Dei est ex parte obiecti, etiam per nostram rationem infectilis: quia, sicut reliqua attributa diuina, qua diuina è genere, & conceptu suo infinita per denegationem termini, extrinseci etiam, sunt, vt sæpè diximus; quo impugnata est sententia Soarij diuidentis per rationem potentiam productiuam vnius possibilis, à productiua alterius possibilis, vt videre in illo est n. 51.

QVÆSTIO III.

An omnipotentia, ac Deus connexus, an inconnexus, seu independens sit à possibilitate creaturarum?

1. STENDIMVS Deum esse ens à se, seu, quod idem est, à nullo tanquam à causa pendere posse: ac proinde nullius principij existentiam, vt sit, pro naturæ priori supponere posse. Restat nunc pro ampliori, ac summa Dei independentia à reliquis entibus enucleanda, an saltem, tanquam à termino connexionis, seu respectus sibi intrinseci ad illas, à creaturis pendeat: sicut actio à suo termino dicitur dependere. Et quidem creaturis existentibus inconnexum, & independentem, adhuc tanquam à termino, ab illis esse Deum ambigit nemo. Tum, quia, & Dei in illis exequendis libertas, & earum contingentia deficeret: ac proinde possibilia omnia semper ab æterno, & in æternum Deo coæva extitura exinde forent: contra experientiam euidentem, & certiorem omni euidentia fidem. Tum, quia, quauis earum non existente Deus non solum defectibilis conuinceretur, sed deficiens: quare, & Deum non existere, non ex vno solum, sed ex tot capitibus, quot sunt possibilium negationes, conuinceretur.

2. Cum autem præfata incommoda è connexione Dei cum creaturarum possibilitate, quæ, nec contingens, sed necessaria est, nec libero Dei subiacet decreto, minimè inferantur; eius à creaturarum possibilitate, tanquam à termino dependentia liberius tuiusque videtur affirmanda: quare ipsius independentia à possibilibus tanquam ab intrinsecæ connexionis termino quæstioni adhuc videtur subiacere: & quidem sub vnius quæstionis nomine duplex Recentioribus, latet quæstio pro connexionis duplicitate, physica nimirum, & metaphysica, seu logica, quam appellant. Primam nouimus omnes, respectumque realem transcendentalem vnius ad aliud esse dicimus: cuiusmodi est in actione, tum ad termini, tum ad sui principij existentiam: atque vniuersim modi cuiusvis ad rem, cuius modus est. Logicam vero, seu metaphysicam illam vocant Recentiores connexionem consequentiæ, quæ ex vno prædicato ad aliud, cui reipsa identificatur, legitima efformatur consequentia: quæ quidem vera propositionum connexio est; non autem vera prædicatorum connexio, sed identitas: cum eiusdem ad seipsum vera connexio esse non possit. Sed quidquid de vera eiusmodi prædicatorum connexione sit, de ea nihil nobis agendum in præsentiarum est. Nisi enim creaturarum possibilitas cum Deo, eiusque omnipotentia identificetur (de quo postmodum quæstione tota agemus, ac negatiuam partem contra Recentium argumenta obfirmabimus) dubio de Dei cum possibilibus metaphysica, seu logica connexione locus non est. Quare de physica solum, realique ac vera connexione Dei cum possibilibus creaturis tota hæc instituitur quæstio.

CERTAMEN I.

Deus nullatenus creaturis possibilibus physicè connexus est; imo vero ab eis, etiam tanquam à suæ entitatis termino, est prorsus independens.

1. PHysicam Dei cum possibilibus connexionem docuisse referuntur ex antiquis nonnulli, vt Caietanus, & Thomistæ vetustiores; quorum tamen nemo non nostræ conclusioni adsentitur, vt apud profundum Doctorem, sagacissimumque alienarum mentium indagatorem Gabrielem Vasquez videre est 1. part. tom. 1. d. 104. cap. 6. n. 23. vers. *verum, vt supra dixi.* Ex Recentioribus tamen Dominicanis (quos Thomistas nominant.) Ita sanè docuere Bannez, Albelda, Ioann. à S. Thoma, quibus, & Lorca accessit. Ex nostris opinionis huius primipilus refertur eximius Doctor Franciscus Soarez 2. de attribut. cap. 25. & 26. cuius tamen mentem dubiam reddit Pater Franciscus Alfonsus d. 10. physicor. sect. 3. num. 38. verum in ea fuisse sententia certissimum, vel inde est, quod ipsi, sub Recentiorum nomine, impugnando citatum caput Vasquez scripserit: & coram cum simul ambo Compluti legerent celebri illo argumento de Dei necessario defectu similia, vel eius figura deficeret, quod eo capite vers. 3. *Manifesta ratione*, ac deinceps Vasq. persequitur, Soarium impugnasse oculatos, & auritos Prouinciæ

huius Toletanæ testes plures audiui. Idcirco Soarium secuti eandem sententiam ex nostris, non admodum vetustis, tenuere Salas, Thomas Pius, Herize, Fasolus, Tannerus, Zuniga, Ruiz de Montoia, Granados, Arriaga, Martinon, Ribas, Franciscus de Lugo, Franciscus Amicus, quos sequitur nuperrimè Ribadeneira de scientia d.7. cap.1.

2. Verum, cum plura sint in Deo prædicata, in eo assignando, cuius titulo Deus cum possibilibus creatis connectatur, citati Doctores minimè conueniunt. Ex eis enim non adeò recentes ex prædicato omnipotentiæ eiusmodi connexionem Deo competere cum Soario putarunt: atque inde ex prædicato ideæ, ac verbi, quod in secunda persona Trinitatis, & omniscientiæ communis, ac diuinorum decretorum autumant conuenire. Nostet autem Antonius Perez à Castellana Prouincia, vir ingenij acumine nulli secundus, non solum ex eis prædicatis, sed ex prædicato entis à se, ac summè necessarij eiusmodi connexionem cum possibilibus creaturis in Deo suadere conatur speciosis adeo, atque subtilibus sophismatibus, vt nobiles quosque, tam suæ, quam Toletanæ nostræ Prouinciæ Recentiores ad suas traxerit partes, ac reliquos contrarium sentientes malè vexauerit. Ea tamen omnia (ne vlterius contra veritates Theologicas in hac materia; atque in aliis ad quas fallaces illi arguendi modi facilè traducuntur, militent) vrgebimus certam.2. vbi ita ea diluemus, vt vitia formæ etiam deregamus.

3. Iam vero Deum possibilitati rerum creatarum physicæ non connecti, imo vero ab ea, etiam, vt à termino, independentem prorsus esse, totius antiquitatis sententia fuit: ita expresse S.Anselm. cap.14. Monologij, S.Thom. 1. part.quæst.13.art.7. vbi Caiet. §.*quead quartum*. Item 2. contr. gent. cap.12. vbi Ferrara §.*circa istum* S.Bonau. & Capreol. in 1. ad 30. qu.1. art.11. concluſ.3. ad 1. Gregorij, & art.2. ad 3. Greg. Deza Hispal. art.1. concluſ.3. cunct. & art.4. ad 1. *Gregorij contra 3. concl.* Ægyd.Rom. & reliqui Thomistæ vetustiores, Scotus in 1. d.30.§. *Ad 2. quæstionem*, quem sectantur Scotistæ omnes, & Nominales. Greg. Okam. Gabriel, Aureolus, Pessantius, & Faber. His accessit Durand. dist. eadem. Præcesserant vero citatis Alex. Alens. Albertus Magnus, Ricardus, atque Henricus quodlib.9. quæst.1. Ac demum ex nostræ societatis Doctoribus Profundus Vasq. citato loco, Arrubal, Becan. Raynaudus, vterque Hurtado Complut. & Salmantin. Albertin. Luis Torres Hemelman, Alarcon, quos retuli loco citando ex nostra controuers. de Trinit. Ouiedo. Franciscus Alfons. & Ripalda: quibus adde Gamach. & Basilium Legionensem. Atque huius sententiæ fidem facit tot grauissimorum Patrum, & scholasticorum, non solum in sententia, sed, & in eius fundamento consensus; in quo aduersæ opinionis doctoribus minimè conuenit: id, quod falsitatis indicium est minimè leue. Posuit autem illud Anselmus, atque magis ad scholas Scotus: illustrauit autem ad scholas etiam noster Vasquez: eique nos nonnihil lucis adiecimus controuers. de Trinit. d.5.q.2.cert.1.n.2. adiiciemusque in præsenti.

4. Est autem argumentum huiusmodi. Deus è conceptu, & existentia sua est ens summè necessarium ex iis, quæ esse, vel excogitari possunt; si enim aliud magis necessarium, possibile, vel excogitabile esset hoc aliud esset Deus, non autem hoc, quod Deum esse dicimus. Arqui, si Deus connecteretur possibilitati creaturarum non esset ens summè necessarium ex iis, quæ esse, vel excogitari possunt: ergo neque esset Deus: consequentia est legitima, Minor autem aduersarijs ipsis est certa. Siquidem relatio, & connexio sublato termino stare nequit: quare, si connexio cum possibilitate creaturarum Deo intrinseca, & identificata, & proinde Deus reipsa est, sublata earum, vel cuiusvis: etiam ex eis, possibilitate, Deus non existet, imo & repugnabit per locum intrinsecum: valebitque consequentia, Deus existit: ergo possibilis est creatura; atque ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: non est possibilis creatura, v.g. simiæ cauda, vel musca: ergo neque est Deus. Vt aduersarij & admittunt, & contendunt. Maior vero nostri syllogismi ex terminis videtur nota, & ratione ibi subiuncta satis probata. Sed tamen eam distinguunt aduersarij, est summè necessarium ens absolutè, ac negatiuè, concedo Maiorem: quia absolutè necessario Deus est, atque existit, neque est aliud magis necessarium possibile, vel excogitabile; comparatiue nego Maiorem: quia nulla est necessitas, intrinseca præsertim, maior altera imo neque esse potest.

5. In huius solutionis impugnatione tota rationis nostræ virtus consistit: quare vnam necessitatem essendi posse esse altera necessitate essendi, siue non repugnandi, maiorem ostendendum nobis hic erit, ac proinde Deum esse ens summè necessarium eorum, quæ esse excogitative possunt etiam comparatiuè. Id autem probatur primo: quia, licet necessitas rei ita excludat omnem physicam contingentiam, tam in rebus, quam in veritatibus; tamen potest suscipere magis, & minus. Vt enim citato loco de Trinitate ostendebamus; Certitudo propositionis, quæ omnem etiam contingentiam excludit essendi rem aliter, ac enuntiatur, magis suscipit, & minus. Nec valet id esse ratione mediorum, quibus innititur, certiorum; quia, si necessitas è suo conceptu maior esse non potest, neque id ab extrinseco poterit habere: tum etiam: quia ad prima principia veniendo, quibus propositiones deductæ innituntur, intrinseca ea maior necessitas vnius, quam alterius esse debet. Ac de fide aiebat Paulus certiorem de se esse, quauis euidentia illis Petri.2. cap.1. *Sed habetis firmiorem propheticum sermonem*. Atque eo quidem valdè necessitas essendi, & impossibilitas non essendi, seu aliter essendi, à veritate propositionis, & æqualitate, ex qua arguunt, ad indiuisibilitatem necessitatis ita essendi, vel impossibilitatem, non ita, seu aliter essendi Recentiores Complutenses discordat. Illæ enim in indiuisibili physico, ac metaphysico consistunt: vnde magis, & minus nullatenus suscipiunt; secus hæc, vt vidimus: nam possunt esse aliqua, tam intrinseca, quam extrinseca, quæ fortius opposito modum essendi, longiusque propulsent: ac proinde, & necessitas, ita essendi, atque impossibilitas aliter essendi longius arceatur: quare, & propositionis, & rei veritas, atque esse, fortius, certiusque consistat. Vnde S. Thom.1. part. qu.2. art.3. quarta via Deum esse ostendit: quia in rebus inuenitur aliquid magis verum, bonum, & nobile: ac proinde, & esse debere aliquid, quod sit summè verum, bonum, & nobile, quod ipsum Deus est.

6. Atque inde etiam constat, cur, licet, quoduis suum contradictorium æquè excludat, atque aliud quodvis: ita, vt nullam contingentiam huius admittat, sed necessario illud excludat, faciatque impossibile: tamen non sit æqua necessitas in omnibus illud excludendi, reddendique impossibile: quia non omnium æqua est necessitas essendi. Vnde, etsi existentia Petri omnino eius negationem impossibilem reddat; ast, quia minus constans est Petri existentia, quæ eius negationem excludit, redditque pugnantem, quia contingens est, non efficitur ea negatio absolutè impossibilis: ergo, si Dei existentia maioris constantiæ, quam creaturarum possibilitas adstruatur, minus erit impossibilis impossilitas creaturarum, quam non esse Dei: licet coniungi vtrumque extremum implicet: quia vt Petri, v.g. impossibilitas inducatur minus constans, ac fortis, minorque necessitas vincenda metaphysicè foret, quam sit in existentia Dei, vt eius inducatur negatio. Confirmatur, & explicatur: quia ex prædicato creaturæ creatura possibilis supponit tanquam terminum suæ intrinsecæ possibilitatis Deum, licet non actu operantem, ast actu existentem; cum essentia sua Deus actu existens sit: ergo è conceptu suo Deus existens magis necessarius est, quam creaturæ possibilitas. Quod enim explorato ad aliud supponitur, magis necessarium est eo, ad quod supponitur, vt, patet in conclusionibus, & præmissis, de quibus constans est illud Aristotelicum proloquium. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

7. Probatur secundo maior necessitas, & impossibilitas vnius rei, quam alterius: quia alioqui in eis, quæ contradictionem implicant, non posset vnum alio magis implicatorium, & falsum esse, quam aliud: at hoc est contra expressam doctrinam Aristotelis 4. metaphysicor. text.18. dicentis inter falsa, & ea, quæ contradictionem implicant vnum esse magis falsum, quam aliud. Et contra exempla manifesta: ergo necessitas, & impossibilitas vna potest esse alia maior. Exempla sunt plura, & obuia vnum solum, vel alterum proferam. Primum sit Aristotelis citato loco, vbi hoc exemplo suum axioma confirmat, *Magis enim*, ait, *falsum est dicere duo sunt mille, quam*

quam duo sunt quinque : cum tamen vtrumque impossibile, & implicatorium sit, atque ex inde falsum. Secundum exemplum sit ex æqualitate impossibili, atque inæqualitate necessaria minoris quantitatis continuæ cum maiori. Licet enim eius, cum quauis maiori æqualitas impossibilis sit, & inæqualitas necessaria; tamen, quo maius & minus extremum vtrumque commensurationis est: magis eorum necessaria est inæqualitas, magisque impossibilis æqualitas: v.g. templi cum toto cœlo, quam cum toto orbe terrarum: quia, licet, per impossibile, toti terrarum orbi templum æquaretur, ac respectu illius inæqualitatem amitteret; tamen toti cœlo necessario inæqualis maneret, atque eius cum illo æqualitas maneret impossibilis: quare, licet contingentia æqualitatis templi, & impossibilitas inæqualitatis respectu vtriusque remota ab illo sit; ast longius respectu cæli remota est, quam respectu terræ.

8. Probatur tertio eadem maior necessitas, & impossibilitas metaphysica oppositi in vno, quam in altero: quia maior impossibilitas est identificandi, siue admittendi Deo peccatum graue, quam peccatum leue: & tamen vtrumque est impossibile: ergo datur vna impossibilitas maior altera, atque necessitas oppositi altera maior. Probatur maior propositio. Vbi est maior ratio repugnantiæ ibi est impossibilitas maior. Atqui maior est ratio repugnantiæ identificandi, siue admittendi Deo peccatum graue, quam leue: ergo maior est impossibilitas admittendi, siue identificandi Deo peccatum graue, quam leue. Minor (quæ sola videbitur aduersariis probatione egere) sic probatur. Ratio repugnantiæ admittendi, siue identificandi peccatum Deo, est malitia peccati: hæc est maior in graui, quam in leui: ergo maior ratio repugnantiæ est admittendi, siue identificandi Deo peccatum graue, quam leue. Confirmatur primo: quia malitia maior magis opponitur Deo, ac proinde magis validiusque illud destrueret admissa, quam minor. Secundò: quia maius peccatum, & malitia magis improportionata, distatque à bonitate Dei infinita, quam peccatum, & malitia minor. Quod si vna necessitas essendi, & impossibilitas non essendi, seu aliter essendi maior in vno, quam in alio esse potest: manifestum est summam, etiam comparatiuè ad possibilitatem creaturarum, Deo concedi debere.

9. Denique probatur nostra sententia, & simul maiorem necessitatem, & impossibilitatem aliter essendi in vno, quam in alio esse posse. Etenim impossibilitas omnium possibilium maior est impossibilitate vnius possibilis: v.g. Petri: plures enim repugnantiæ, vincendæ sunt, vt omnia possibilia sint impossibilia, quam, vt solus Petrus sit impossibilis. Vnde inprimis fit: posse esse vnam impossibilitatem altera maiorem saltem extensiue: quo admisso nulla assignari repugnantia potest, vt maior intensiuè etiam non admittatur: imo ea in Dei negatione intensiuè maior, quam in alio quouis possibili facilè ostenditur, quia Deus, vt minimum, à suo conceptu est, vt eius necessitas æquiualeat saltem necessitati omnium possibilium collectiuè sumptorum: ergo habet secum identificatam impossibilitatem non essendi, quæ æquet ad minus, collectionem impossibilitatum repugnandi omnium creaturarum simul: ergo intensiuè, ac identicè est ens maioris necessitatis, quam sit necessitas cuiuslibet possibilis seorsim; imo, & omniù: cum in omnibus simul non sit necessitas possibilitatis, atque impossibilitas non repugnandi intensiuè maior, quam in creatura vna, sed solum extensiuè. Ex quo rursus infertur absolutè maiorem, & perfectiorem esse repugnantiam non essendi, & necessitatem essendi in Deo, quam in aggregato omnium possibilium simul: argumento, quo probatur Deum perfectiorem intensiuè esse cunctis creaturis: quia continet in se identicè, ac proinde eminenter, omnium simul sumptarum perfectionem.

***

CERTAMEN II.

Itur obuiam aduersariorum argumentis.

1. PRæfata argumenta non pietate solum, vt autumant Recentes, sed rigido etiam scholastico iudicio in connexionem, atque independentiam Dei à creatis possibilibus, etiam tanquam à termino, euincunt: fuerat quidem vnicum sententiæ aduersæ argumentum, è prædicato omnipotentiæ, & similium, quorum voces respectum sonant, petitum. Cui satisfactum hactenus fuerat in voce quidem respectum sonare, in prædicato vero Dei esse nullum; ac proinde omnibus deficientibus creatis possibilibus manuram intrinsecam Dei virtutem, quam ob vocum, non æquiuocarum, defectum diximus esse virtutem producendi creaturas, si non implicent, quæque ab extrinseca creaturarum absoluta seu potius extrinsecè etiam expedita ad agendum, virtus & potentia denominatur. Ita, inquam vereres aduersarij arguebant: atque ita eorum argumento fiebat satis. Sed iam Recentes ita ex prædicato eodem omnipotentiæ nos impetunt, & vrgent.

2. Omnipotentia è conceptu suo est potentia productiua Petri, v.g. ac non chimeræ: ergo è suo conceptu infert distinctionem Petri, à chimæra: ac proinde possibilitatem Petri. Consequentia patet: nequit enim esse idem realiter, nedum formaliter, potentia, & impotentia respectu eiusdem termini. Confirmatur, & impugnatur solutio præcedens: quia omnipotentia, de se, est potentia producendi Petrum, si sit possibilis, secus, si sit impossibilis, vt dicebamus. Item de se est complebilis in ratione absolutæ potentiæ per Petrum possibilem, non autem per impossibilem, & chimæricum: hæc autem aptitudo intrinseca Omnipotentiæ infert necessario distinctionem Petri veri à chimærico: ergo Omnipotentia connectitur cum ea distinctione, ac proinde cum altero extremo, cuius est potentia, & quo constat tanquam parte distinctio. Sed negatum est antecedens primum de potentia absolutè tali dicta. Confirmatio peccat in eo, quod ponit conditionem necessariam ad potentiam absolutè dictam in antecedenti, nempe possibilitatem ipsam Petri, licet non affirmatam absolutè formaliter, ast apprehensam in hypothesi, & æquiualenter affirmatam ad illationem, vt in omni enenit conditionali: ex ea autem possibilitate suppositâ nihil ingenij habet, quod eadem possibilitas in conclusione deducatur. Nec inde probatur ex Deo intrinsecis inferri, sed ex seipsa. Est enim rerum possibilitas complementum omnipotentiæ absolutè dictæ, extrinsecum quidem, & quod virtus, seu omnipotentia quoad intrinsecum absoluta, & actiua nec respicit, nec curat: quare ea possibilitas in hypothesi ponit in hypothesi omnipotentiam, non quoad intrinsecum eius, quæ absoluta à possibilitate omnino est, sed quoad extrinsecum, quo omnipotentia absolutè dicta talis resultat, ac denominatur, cuiusque capacitate, passiua, vt fiat ad eius operationem actiua de se adæquate omnipotentia expeditur.

3. Vnde constat quoad intrinsecum Omnipotentiam non esse potentiam producendi Petrum, si sit possibilis: id enim esset non esse absolutè, sed conditionatè potentiam: ac proinde connecti cum possibilitate, vt quoad intrinsecum potentiæ absolutè esset: Talis igitur est, quoad totum, quod dicit intrinsecum, & extrinsecum omnipotentia absolutè dicta talis: quare falsum est omnipotentiam, de se, & quoad intrinsecum, esse potentiam producendi Petrum, vel quidpiam aliud, si sit possibile, vt assumebatur: licet omnipotentia absolutè talis dicta, & quoad denominationem, quæ capacitate passiua, seu possibilitate rerum constat, potentia productiua Petri dicatur conditionatè fore sub hypothesi, & conditione possibilitatis Petri. Sed inde solum infertur ex hypothesi possibilitatis Petri Petrum possibilem distingui à Petro chimærico; ac proinde idem inferri ex seipso, quod nullo eget discursu, neque aduersariorum intento conducit. Illud de complebilitate

bilitate, omnipotentiæ, seu aptitudine, vt compleatur possibilitate Petri, non autem chimeræ: si sermo sit de omnipotentia intrinseca Dei, complebilis non est: cum, quo ad intrinsecum, completa sit, si autem secundum quod dicit potentia absolute dicta talis nostro modo concipiendi, & quoad denominationem, est vera, sed contineret complexum ex intrinseca potentia Dei, & possibilitate Petri, ex qua infertur, & Petri possibilitas, & distinctio eius à chimera non autem ex omnipotentia quoad intrinsecum sumpta, vt contendebatur.

4. Eodem vitio plura alia sophismata laborant, quale est illud, Deus essentia, & ab intrinseca entitate connectitur cum hac veritate: *si Petrus existat cum suis prædicatis essentialibus Deus cognoscet illum vt existentem sine contradictione.* At hæc connectitur cum possibilitate Petri. Etenim ex eo, quod, si Petrus existat, cum suis prædicatis, cognoscetur à Deo existens sine contradictione, id ipsum possibilitas Petri est: ergo, & Deus essentia, entitateque sua connectitur saltem mediate cum Petri possibilitate. Maior est absolute falsa de Deo secundum intrinsecum sumpto. Ratione autem conditionis positæ in maiori, vbi possibilitas Petri claudatur est vera. Item ex cognitione Dei, quoad intrinsecum sumpta, non infertur Petri existentia sine contradictione, casu quo existat, seu, quod idem est, eius possibilitas. Sed ex ipsa, & obiecto, in quo eadem conditio, & possibilitas continetur: vade Petri possibilitas ex se ipsa infertur, non ex Deo intrinsecis. Nec alia eget solutione illud sophisma Deus à prædicato intellectiui connectitur cum eo, *quod si Petrus existat ita sciat* Petrum existere, vt non ignoret eius existentiam: atqui inde infertur ita Petrum existere, vt non detur eius carentia: quod ipsum est Petrum esse possibilem: ergo ex intrinsecis Dei infertur Petri possibilitas, quod est Deum cum illa connecti. Sed tamen, vt dixi, è prædicato intellectiui præcise non connectitur cum cognitione, & non ignoratione existentiæ Petri, sed ex hypothesi ipsa, quod Petrus existat. Quod additur necessario vt infinitas simpliciter, & è suo genere cognitionis diuinæ ad illam, sicut & ad creata quæuis obiecta sine sui extensione intrinseca extendatur.

5. Neque aliud est duorum sophismatum, quæ ex parte diuinæ voluntatis, seu volitionis assumuntur à nonnullis. Primum est, Deus habet connexionem cum eo, quod nihil sit nisi eo volente, aut permittente: at nequit velle, aut permittere chimæram: ergo habet connexionem cum eo, quod non sit chimæra. Cæterum Deus, secundum se solum, cum ea veritate, quæ ponitur pro prædicato maioris, connexionem non habet; licet ea veritas connectatur cum Deo: continet enim essentialem dependentiam creaturarum à Deo, eiusque voluntate in existendo: atque earum continet possibilitatem; quare, & connexio Dei cum creaturis inferenda, supponitur in maiori clanculum. Est enim huic æquiualens. *Deus habet connexionem cum eo, quod si creatura existat detur decretum, vel diuina permissio.* Alterum est. *Deus de se, atque ab intrinseco est determinatus, vt sua decreta habeant effectum:* ergo de se & ab intrinseco connexus est cum eo quod sua decreta non frustrentur: atqui, si Petrus existeret, & non existeret simul diuinum decretum frustraretur; ergo periret Deus, si Petrus implicaret, ac non esset possibilis. Verum quis non videat falsum esse antecedens primum, & in terminis implicare. Etenim supponitur in illa existentia decreti, & creaturæ decretæ possibilitas, quæ ad decretum de ipsa supponitur, ad quorum neutrum determinatus de se, & ab intrinsecis prædicatus Deus est: ac proinde, neque de se cum decreti infrustratione connexus, sed solum ex decreti liberi, & possibilitatis creaturarum suppositione: ex quibus nulla syllogistica artis ope possibilitas creaturæ deducitur, quæ in antecedenti supponitur.

6. Atque, vt semel clarius fallacia antecedentium horum, & similium de veritatibus conditionalibus, cum quibus Deus nonnexus de se ab aduersariis assumitur ad oculum pateat, aduerte impotentiam frustrationis decreti absolutam (quod ipsum de falsificatione diuinæ cognitionis suo modo dictum puta) duo includere, & infinitam Dei potentiam, & perfectionem intrinsecam necessariam, atque indefectibilem, & possibilitatem creaturæ, seu decreti; vnde Deum connecti cum infrustratione decreti nihil aliud ex parte Dei dicit, quam connecti cum eo, quod existente decreto, seu possibilitate creaturæ Deus, eiusque intrinseca perfectio existat; non autem cum eo, quod non existente decreto, & possibilitate creaturæ Deus, eiusque intrinseca perfectio non existat, vt opus erat ad hoc, vt Deus de se, & ab intrinseco connexus cum creaturæ possibilitate monstraretur. Etenim cum quoduis ex pluribus complexum alterutrius defectu necessario deficiat, è sola deficientia decreti seu possibilitatis creaturæ deficiet infrustratio decreti, quin Deus, eiusque perfectio intrinseca deficiat. Si autem decreti, & creaturæ possibilitas (quæ alterum ex constituentibus complexum illud est) non deficiens, sed esse, ac suo modo existere supponantur: cum nequeat complexum illud ex parte horum deficere, quæ supponuntur, sed solum ex parte Dei, eiusque intrinsecæ perfectionis, quod vnice ex constituentibus complexum illud restat: atque hoc sit omnino necessarium, & indefectibile; fit sane ex suppositione decreti, & possibilitatis creaturarum connecti cum eo quod detur complexum infrustrationis, seu infrustrabilitatis decreti; sed hoc est idem formaliter, atque connecti (si ita de eodem ad seipsum loqui liceat) cum se ipso Deum. Etenim connecti vnam partem complexi cum eo, quod existente altera parte eiusdem, existat complexum, idem formalissime est, atque connecti illam partem cum eo, quod ipsa existat; cum nihil aliud sit existentia complexi, quam vtriusque partis existentia.

7. Instant adhuc ex prædicato Dei intellectiui infinite. Si Petrus existeret, & non existeret simul: legitime inferretur Deum cognoscere Petrum existere, & non existere: atqui eiusmodi cognitio esset chimæra, ac insuper identificata cum Deo: ergo Deus esset chimæra, si Petrus existeret, & non existeret simul, siue esset impossibilis; ac proinde cum Petri possibilitate connectitur è prædicato intrinseco infinitè intellectiui Deus. Item eiusmodi cognitio contradictorij obiecti esset falsa, ac Deo repugnans: ac proinde è positione cuiusvis obiecti impossibilis contradictorij repugnaret Deus. Verum eiusmodi cognitio contradictoriorum, ex hypothesi quod existant, falsa nusquam esset: cum ex se representaret illa, vti esse supponuntur. Sed neque esset ipsa chimæra, sed obiectum, quod supponitur, & ad quod ex eius positione, & infinitate representationis suæ, sicuti ad vera, ac non chimærica obiecta ex eorum extrinseca positione, terminatur: quas solutiones faciliores, ac veriores, iudico eis, quæ admittunt esse falsam, & chimæricam eiusmodi cognitionem, quoad denominationem, atque ita Deum defecturum solummodo inferri. Etenim ex eo quod Deus chimæram, & ens rationis in hac propositione cognoscat. *Si equus esset rationalis, esset risibilis*, vt communiter admittitur, nemo inferre somniabit Dei cognitionem, vel falsam, vel chimæricam esse; sed omnem falsitatem obiectiuam, & chimæræ rationem in obiecto sistere: neque ad diuinam cognitionem transmeare.

8. Clamant deficientibus creaturis possibilibus liberalitatem, misericordiam, iustitiam, & plura alia diuina attributa, Deoque intrinseca defectura, ac proinde tollendum è medio Deum. Ecquid autem aliud est ab intrinseco Deum cum earum possibilitate connecti, quam ad eius defectum necessario deficere? Respondetur facilè non peritura eiusmodi attributa, quoad intrinsecum earum, sed quoad materiam, qua, vt absolutè talia dicantur, ac denominentur, seu potius exerceantur, opus habent ex omnipotentia: tandem ita sibi obiiciunt ingeniosi Recentiores. Si esset creatura, quæ non dependeret à Deo legitimè inferretur carentia Dei: quia non esset omnipotens; ast si Petrus existeret, ac non existeret, simul esset creatura independens à Deo, ac proinde esset chimæra: ergo eo casu deficeret Deus, minor patet. Si Petrus existeret, ac non existeret simul, existeret, ac non produceretur à Deo: quod ipsum est non dependere ab illo. Respondent ipsi non fore Deum, si esset creatura ab ipso independens positiuè, independentia orta ab esse positiuo creaturæ, seeus independentia negatiua orta ab eo, quod creatura non sit quo solummodo Petrus existens, & non existens simul à Deo non dependeret. Verum facilius negatur minor. Nam Petrus existens, & non existens simul creatura non esset, sed chimæra, quæ nullatenus à Deo dependere posset nec Dei potentiæ, & arbitrio subiacere. Nam tam existentia creaturæ,

turæ, quam eius negatio, cum vtraque contingens sit, è Dei arbitrio, & concursu, siue positiuo, siue negatiuo pendet, dummodo vitalis, ac libera creaturæ eiusmodi negatio non sit.

CERTAMEN III.

Alia Recentium eorundem argumenta.

1. VEnio iam ad Recentium argumenta: ea vero ex prædicato entis summe necessarij, ex quo Dei independentia omnis à creatura, etiam tanquam à connexionis termino, demonstrari tot retro sæculis visa Theologis est, à Recentioribus petuntur. Primum, illudque apud ipsos validissimum est. Deus è prædicato intrinseco entis summè necessarij est possibilitas coexistendi Petro possibili, & impossibilitas coexistendi Petro chimærico: sed hæc prædicata inferunt distinctionem Petri possibilis à chimærico: cum possibilitas, & impossibilitas identificatæ respectu eiusdem termini esse nequeant: ergo Deus è prædicato entis summè necessarij infert possibilitatem Petri possibilis, ac proinde cum ea connectitur. Patet consequentia: quia Petri possibilitas nihil aliud est, quam distinctio ab omni implicatorio, chimærico, & impossibili. Maior probatur: quia quidquid necessario est, eo ipso potest coexistere omnipotenti existere, cuiusmodi est Petrus possibilis: quod autem sit impossibilitas coexistendi Petro chimærico suadetur: quia Deus, ex se, est impossibilitas distinctionis sui à seipso: sed si coexistere posset Petro chimærico, siue Petro existenti, & non existenti posset distingui à seipso Deus: ergo esset Deus potens, ac impotens simul coexistere Petro chimærico: ac proinde Deus implicatorius, & chimæricus. Minor probatur. Si Petrus existat, & non existat simul, ita existet, vt verum sit nullo modo existere: quare & verum erit Deum Petro coexistere, & nullatenus coexistere Petro: ergo distingueretur à seipso Deus. Probatur consequentia hæc hoc syllogismo in Darij: omne nullo modo coexistens Petro distinguitur ab omni coexistenti Petro; sed Deus est nullo modo coexistens Petro: ergo Deus distinguitur ab omni coexistenti Petro: quare & à seipso, qui Petro coexistens est. Alio item syllogismo in Camestres. Omne existens est simile Petro: sed nullum existens est simile Petro: ergo nullum existens est existens: ac proinde nec Deus est existens, cum aliquod existens sit Deus.

2. Verum, si argumentum hoc demonstratio sit, vt autumant Recentiores, ac non, vti nos censemus, purus paralogismus. Primo: Deus non cum possibilibus solum, sed, & cum impossibilibus è prædicato summæ suæ necessitatis, intrinseco connectetur: cum non minus intrinseca Deo sit impossibilitas, seu impotentia coexistendi chimærico Petro, quam possibilitas, seu potentia coexistendi Petro possibili: ac proinde non minus inferetur ex extrinseco Dei prædicato impossibilitas chimæræ, quam possibilitas creaturæ cuiusvis. Quod est omnino paradoxum, atque ridiculum. Secundo: eodem argumento demonstratur æquè nullum esse ens possibile, quod cum cuiusvis alterius possibilitate non connectatur: ac proinde intra sphæram Omnipotentiæ eiusque terminos nullum ens ab vllo alio quouis absolutum excogitari, ne dum esse vsquam posse: quod æquè inauditum est, & paradoxum. Tertiò: nullum creatum existens esse posse, cuius existentia ipsa, à reliquorum possibilitate, imo, & existentia non pendeat: cum quoduis è prædicato existentiæ potens sit coexistere cuiuis alteri existenti, & impotens coexistere non existenti. Vnde vel Omnia possibilia existent, vel existet è possibilibus nullum. Quartò: nullum erit ens creatum quod non sit contingens: possibilitas cæterorum: quia possibilitas cuiusvis nihil aliud est, quam impossibilitas vt inuoluat duo contradictoria: sed Petrus existens est impossibilitas, vt quodvis aliud non inuoluat duo contradictoria, & est contingens: ergo Petrus existens, & contingens est possibilitas contingens cæterorum possibilium. Quintò: cum Deus vnum è possibilibus sit, idem probatur de Deo: nimirum Petrum contingenter existentem esse possibilitatem contingentem Dei: id quod vlterius etiam probatur: quia quidquid identificatur cum Petro contingens est, & defectibile: sed Dei possibilitas, quæ idem est atque impossibilitas, vt Deus duo contradictoria inuoluat, identificatur cum Petro: ergo possibilitas Dei est contingens, & defectibilis, quod sensu quouis dissonum, atque horrendum est. Denique id ipsum probatur de contingenti negatione Petri, quæ æquè suum contradictorium existentiæ Petri excludit, atque ab ea, cum adest ipsa, excludatur.

3. Nihil autem horum, & similium absurdorum, quare neque vllam Dei entis necessarissimi connexionem cum aliquo, adhuc è possibilibus, demonstrari, imo neque probabiliter suaderi fallaci illo arguendi modo facile ostendo. Etenim, sicut coexistentia plurium ab eorum omnium existentia non differt, siue hæc ab essentia distinguatur, siue non: ita coexistendi eorundem possibilitas à possibilitatum, quæ in cunctis illis simul sumptis est, congerie nihilo differt. Quare nulli eorum seorsim conuenire magis potest, quam eorum omnium existentiæ, vni existentiæ vnius solum possint conuenire. Vnde constat falsam esse argumenti maiorem, in qua, & affirmatur de Deo solo possibilitas coexistendi Petro possibili (quod non minus repugnat, quam affirmare de parte complexi complexum totum) & insuper impossibilitas coexistendi Petro chimærico, quæ intrinseca Deo nullatenus est. Ex eo enim, quod ex parte Petri chimærici detur impossibilitas existendi, cuius possibilitas existendi, tanquam pars, possibilitatem coexistendi, & Dei cum ipso, & ipsius cum Deo debebat necessario componere, deficit possibilitas coexistendi, daturque huius impossibilitas absoluta, quin ex parte sua aliquid ad eam coexistendi impossibilitatem Deus apponat, cum quo, vtpote ente necessarissimo, nihil impossibilitatis identificari potest. Ad eius autem maioris probationem, Respondeo; In ea hypothesi impossibili existentiæ, & non existentiæ simultaneæ Petri illius chimærici Deum coexturum, & non coexturum simul Petro chimærico, & chimæricè quidem, non ex parte sui, sed termini alterius extremi necessarij ad coexistentiam, qui Petrus chimæricus est.

4. Hinc ad syllogismum in Darij, respondeo distinguendo. Maiorem: *omne nullo modo coexistens Petro ex defectu Petri solius*. Nego maiorem. *Ex defectu sui*, concedo maiorem. Et similiter minorem. *Deus est nullo modo coexistens Petro*, ex defectu Petri fateor: ex defectu sui nego minorem, & inde consequentiam. Ad alium in Camestres distingue maiorem. *Est simile Petro vt existenti*, fateor; *vt non existenti*, diffiteor: & similiter minorem, & nego consequentiam. Insuper facilius distingue maiorem primi syllogismi, nullo modo coexistens Petro, ac simul coexistens distinguitur ab omni coexistendi Petro, falsum: nullo modo coexistens solum verum est. Deus autem ita est nullo modo coexistens Petro, vt simul coexistens sit in ea hypothesi. Quare nihil infertur. Sed instas: quotiescumque duo nequeunt existere simul, siue coexistere sibi, existente vno, nequit existere aliud: at Deus & Petrus chimæricus nequeunt existere simul: ergo existente Deo, nequit existere chimæra, neque existente chimæra potest existere: Deus distingue facilè maiorem ex oppositione illorum duorum inter se, fateor. Ex impossibilitate præcisa alterius, quæ est in Petro chimærico, diffiteor, & nego inde consequentiam.

5. Arguunt secundò. Distinctio Dei à Petro, & chimæra extensior, amplioreque est, quam distinctio Dei à solo Petro: ergo infert Petrum non esse chimæram: sed è prædicatis intrinsecis Deus est distinctio Dei à Petro, & chimæra: ergo ex prædicatis intrinsecis Dei infertur Petrum non esse chimæram. Apertior est adhuc paralogismi huius fallacia. Distinctio enim apertius plura, vt plura includit extrema essentialiter, & quo maior, & amplior est, plura, & plura; eiusdem enim ad seipsum distinctio esse, imo cogitari, minimè potest. Vnde concesso antecedenti primo distingue consequens; secundum omnia extrema, quæ includit distinctio, concedo consequentiam; secundum vnumquodque eorum, nego consequentiam. Hinc constat negandum prorsus esse subsumptum antecedens ad consequentiam secundam. Nam, sicut Deus tria illa extrema, quæ in distinctione, tanquam fundamentum, & terminus (sicut in

aliis omnibus relationibus prædicamentalibus) essentialiter claudantur, esse secundum sui intrinseca nequit: ita neque secundum intrinseca eorum omnium distinctio esse vsquam potest.

6. Arguunt Tertiò, celebri illo sophismate Alberti de Saxonia, & Soti. Etenim in omni disiunctiua vera ab exclusione vnius partis necessario infertur positio alterius: quia ad eius veritatem vna saltem disiunctiua propositio vera esse debet. Vnde ex hac: *Petrus currit, vel Ioannes sedet*: si Petrus non currat legitimè, & necessario infertur: ergo Ioannes sedet: ergo ex hac disiunctiua vera: *Petrus est rationalis*, vel *possibilis*, *vel datur carentia Dei*: si Petrus supponatur non rationalis, vel possibilis legitimè infertur: ergo datur carentia Dei. Respondent Recentiores disiunctiua vera ab exclusione vnius partis valere consequentiam ad positionem alterius, tunc solum, cum id quod infertur magis impossibile non est, quam id ex quo infertur. Etenim minus impossibile nequit connecti cum impossibili maiori (vt opus est ad hoc, vt ex vno impossibili minori, inferatur aliud impossibile maius) si autem ex exclusione possibilitatis Petri, quæ impossibilis est, inferretur carentia Dei, cuius existentia maioris, magisque necessariæ necessitatis est, quam Petri, imo creaturarum cunctarum, simul etiam sumptarum, possibilitas, vt ostendimus certam. I. numero 5. Ex impossibilitate minori maiori impossibilitas infertur: minus quippe impossibile est totam disiunctiuam etiam ex vtraque parte, nec solum ex parte vna impossibilitatis Petri, falsam simul, ac veram esse, quam Dei carentiam apponi, seu Deum absolutè non existere.

7. Ob quam eandem rationem non tenet simile argumentum quo probare aduersarij possent Petri possibilitatem cum possibilitate, seu non repugnantia Ioannis necessariò connecti hoc pacto: vel Petrus possibilis est, vel repugnat Ioannes (quod est omnino verum; cum Petrus necessariò sit possibilis, atque ad disiunctiuæ veritatem alteram è propositionibus verificari satis sit) ergo, si Petrus non est possibilis, Ioannes repugnat, ac proinde huius possibilitas, seu non repugnantia cum Petri possibilitate connectit r. Etenim, cum pars altera disiunctiuæ, ratione cuius verificari in eo argumento contenditur disiunctiua, cum Petrus impossibilis supponitur, siue non esse possibilis, sit necessario falsa, vtpotè negatiua in materia necessaria, vera simul, & falsa erit: si autem inde inferatur repugnantia Ioannis, quæ falsò affirmabatur in altera disiunctiuæ propositione, tanquam vera, (quæ tamen non potest non falsa esse, vtpotè affirmatiua propositio in materia remota & impossibili) Ex altera etiam parte disiunctiua simul vera, & falsa conuincetur: ac proinde ex vno contradictorio simul vero, & simul falso alterum inferetur contradictorium simul verum, & falsum, atque disiunctiuam veram ex vtraque parte falsificari: quod magis impossibile est, quam falsificari ex vna tantum. Cum maius impossibile sit dari duo impossibilia, quam vnum solum, vnde constat fallax esse argumentum.

8. Atque vniuersim eiusmodi argumentationis fallacia amplius in omni materia ostenditur: cum enim ex veritate disiunctiuæ veræ ratione vnius solum propositionis ex pluribus, quibus constat, argumentum sumitur: ea quidem propositio excludi non potest vt falsa, vt altera inferatur (in quacumque materia vtraque propositio sit) alioqui veritas ipsa disiunctiuæ, ex qua solum argumentum ad tolligendum certo in conclusione verum duci potest, in exclusione, quæ in antecedenti ponitur destruetur: ac proinde ex falso antecedenti argumentum procedet; vt patet in argumentis factis, atque in disiunctiua tota v.g. *Petrus currit, vel Ioannes sedet*, quam suppono veram esse solum, quia Petrum currere verum est: Quam si secludas vt falsam totam disiunctiuam falsam esse supponis: ac proinde implicas in antecedenti, atque ex antecedenti falso discurris: neque adest vis ad inferendum ab exclusione vnius, ad veritatem propositionis alterius. Etenim vis tota illationis eiusmodi est, ne sit falsa disiunctiua, quæ vera est: aut eo ipso, quod ponitur vel absolutè, vel æquiualenter ex hypothesi, vel suppositione in antecedenti falsa ea propositio, ratione cuius tantum tota disiunctiua est vera, tota illa disiunctiua falsa redditur: ergo nulla est vis ad inferendum in consequenti alteram propositionem, ne deficiat à veritate disiunctiua, quæ iam in antecedenti à veritate supponitur defecisse. Vnde illud axioma ab exclusione partis vnius disiunctiuæ veræ, ratione vnius partis solum ad alteram partem inferendam valere argumentum, tunc solum verum est, cum pars quæ excluditur ea non est ratione cuius tota disiunctiua vera est.

9. Denique oppones. Non est maioris constantiæ, & necessitatis impossibilitas chimæræ, quam possibilitas creaturæ: atqui Deus sine suæ necessitatis summæ iactura connectitur cum aliqua chimæra: ergo sine eiusdem iactura connecti potest cum possibilitate creaturæ. Maior videtur certa; neque enim maior difficultatis, aut repugnantiæ transitus est ab impossibilitate chimæræ ad possibilitatem creaturæ; quam à possibilitate creaturæ ad impossibilitatem chimæræ. Minor probatur: quia Deus è prædicatis intrinsecis connectitur cum impossibilitate alterius Dei, ita, vt ex alterius Dei possibilitate Deus periret. Negatur tamen minor. Ad cuius probationem dicito, Deum non connecti cum impossibilitate alterius Dei intrinseca alteri Deo, atque Deo vero extrinseca; sed cum impossibilitate, seu carentia alterius Dei, huic extrinseca, Deo autem vero intrinseca. Ipse enim Deus, cum vnissimus, singularissimus, atque (vt sic loquar) *Hicciissimus*, siue hæc entitas determinata sit: atque alter Deus sit Deus, non hæc entitas determinata, quæ significato Dei alterius proinde repugnat, estque positiuum, quod contradicit mediate formaliter positiuè chimæræ Dei alterius, qui ex prædicatis intrinsecis impossibilis est, ac proinde intrinseca necessaria carentia sui: constat primo maiorem aliis chimæram, & impossibilitatem esse in secundo, seu alio Deo, quam in chimæris aliis: quia esse positiuo Dei, quod maioris necessitatis est, quam positiuum quodvis aliud esse creatum, quod sibi oppositum impossibile excludat. Constat etiam Deum propriè non connecti cum alio, cum dicitur connecti cum carentia necessaria alterius Dei, sed cum ipso, cum quo nequit esse vera, & realis connexio Dei, sed logica rationis, & fictitia, & quidem Deus alter chimæra est, non eius necessaria negatio, & formalis immediata, & intrinseca, veraque a rebus exclusio, quam includit, infertque vnitas, & singularitas hicciissima Dei: ex qua illatione, non cum chimæra alterius Dei, sed cum eius totius formali motione & à rebus exclusione immediata Deus verus connexus euincetur.

QVÆSTIO IV.

An Omnipotentia, vel aliquid Deo intrinsecum sit formalis possibilitas creaturarum?

LICET rem hanc antiquiores nonnulli attigerint, eâque pro Omnipotentia affirmatiuè resoluerint, non tamen eis impensis, quibus eidem sententiæ Recentiores non solum ex prædicato Omnipotentiæ, sed entis etiam necessarij diuipi adhæsere. Idcirco apud non admodum iuniores breuis quæstio erat, quæ iam iustus, nec satis brevis, est liber. Consulto dixi formalis possibilitas creaturarum. Nam omnipotentiam esse actiuam earum possibilitatem citra dubium est; cum creatum nihil sine omnipotentia fieri esseve possit.

CERTAM

CERTAMEN I.

Opiniones, & nostræ fundamenta nonnulla.

1. PRima sententia est accutissimi ex nostris Recentioris Antonij Peræ Valiende è Prouincia nostra Castellana, quem plures eiusdem Prouinciæ atque aliarum sectantur. Ex eo eam didicerunt, typisque mandarunt magna, & claritate, & breuitate, Spinula d. 1. metaphys. sect. 2. concl. 1. & alij ex nostra hac Toletana Prouincia Recentiores. Hi omnes essentiam necessariam, & inuariabilem rerum ab existentia, seu essentia contingenti earum cum antiquis nonnullis distinguunt: aliter quidem, atque Thomistæ, qui essentiam contingentium etiam ab existentia rerum, quæ contingens etiam ipsis est, discriminant. Cum autem rerum essentia, quam necessariam vocant, nil aliud sit, quam necessaria connexio, & inseparabilitas prædicatorum earum quamuis constituentium: atque possibilitas rerum nihil sit aliud, quam eorundem prædicatorum amica connexio, & compatibilitas necessaria inter sese: constat necessariam, quam vocant, essentiam rerum, nihilo ex parte rei obiectæ ab earum possibilitate, quæ necessaria item eodem necessitatis genere, quo essentia est, posse differre. Esto: ex parte nostri modi significandi, & concipiendi inter se discrepent non paucis: quare doctores iidem eodem modo de rerum essentia, ac de earum possibilitate, & è contra philosophantur.

2. Aiunt ergo tam essentiam, quam possibilitatem necessariam rerum creatarum Deo identificari: quia nihil necessarium, atque indefectibilis veritatis extra Deum esse potest. Cui autem prædicato diuino formaliter identificetur non multum ex eis plures decertant, aut curant: licet omnipotentiæ formaliter identificari, & consequentius videatur, & aliqua eorum argumenta contendant. Ab eo igitur prædicato diuino (quodcumque illud formaliter sit) tanquam ab extrinseca forma creaturis, esse constitutique illas possibiles autumant, quæ tales denominantur secundum esse contingens tanquam subiectum denominationis, & concreti, quod est possibile; cum autem videant impossibilitatem impossibilium, & chimærarum æque, atque possibilium possibilitatem, necessitatis, atque indefectibilis veritatis esse: Deo etiam impossibilium impossibilitatem consequentiæ gratia identificant. Hinc cuiusvis creaturæ possibilitatem, cuiusvisque chimæræ impossibilitatem cum cæterarum possibilitate, & impossibilitate connecti logice affirmant. Huic suæ doctrinæ inniti aiunt ex quolibet impossibili, quodlibet inferri, vt dialectici nonnulli axioma esse volunt. Tertiò carentias necessarias, & indefectibiles rerum Deo etiam identificant, vtpote necessarias, & impossibilitati chimærarum, vt minimum annexas. Pluraque alia inde deducunt pro carentiis contingentibus, Deo, vt volunt etiam, identificatis, de quibus nos infra certabimus.

3. Opposita sententia verior asserit possibilitatem creaturarum nihil includere absolutè, & simpliciter existens: quare, neque in omnipotentia sitam formaliter esse, tanquam forma à qua denominetur constituaturque essentia contingens, siue existentia creaturarum absolutè possibilis. Ita ad hæc vsque tempora nostræ Societatis, imo & antiquiores ferè omnes Doctores Valquez, Soarius, Valentia, Alarcon, Herize Ruiz, Hurtado, Arriaga, Ouiedo Franciscus Alfonsus, Pontius, Basilius, Legionensis, quos citat & sequitur Ouiedo controuers. 2. metaphysic. section. 2. conclus. 1. vbi, & alios refert Recentiores. Licet autem Valentia pro aduersa sententia referatur, me tamen iudice non de intrinseca necessaria creaturarum possibilitate, quam inquirimus, sed de extrinseca earum producibilitate, quæ idem prorsus, atque potentia productiua Dei, siue omnipotentia, est, loqui putandus est. Et (quidquid tandem de aliorum mente, & iudicio sit) nobis pro hac sententia standum omnino est.

4. Probatur primo. Ante absolutam existentiam Petri eius essentia attenta, & quouis alio secluso verificatur, quod si Petrus existat: existet sine contradictione: at hoc est Petrum esse possibilem: ergo secluso quouis alio essentia Petri est possibilis. Maior, quæ sola ab aduersariis negatur, suadetur. Quia vt propositio verificetur, sat est dari eius obiectum, eo modo, quo enunciatur: ast ante absolutam Petri existentiam sola eius essentia attenta, secluso quouis alio, datur quod si existat, existet sine contradictione: ergo. Minor probatur, quia in ea propositione non enuntiatur, quod Petrus sit absolutè; sed quod sine contradictione, esset, si esset, quomodo, licet non absolutè, ast conditionatè, & sub ea hypothesi verè, secluso quouis alio, ipsemet Petrus existit. Confirmatur argumentum, & minoris eiusdem probatio. Quia Petrus se solo quandocumque existit, existit sine vlla pugna, & contradictione suorum prædicatorum essentialium, atque excludit carentiam sui: ergo semper est verum ex parte etiam obiecti per solam essentiam, & entitatem Petri, quod quandocumque existat, siue, si extiterit, existet sine vlla contradictione: quod si quouis alio secluso verum ex parte obiecti est Petrum esse possibilem, profecto Petri possibilitas in nullo Dei intrinseco fita esse potest. Siquidem quidquid Deo intrinsecum est, aliud à Petro est.

5. Secundò implicat cognosci possibile, qua possibile, quin eius cognoscatur possibilitas: sicut implicat cognosci album vt album, quin cognoscatur albedo, à qua formaliter album est: atqui cognoscitur Petrus possibilis, quin aliquid aliud distinctum à Petro, ne dum diuinum aliquid, cognoscatur ea cognitione: ergo Petri possibilitas non stat in prædicato aliquo diuino, neque in alio quopiam distincto à Petro eiusque essentia. Dicunt primo me non posse cogitare de Petri possibilitate, quin cogitem de Deo. Sed pugnant cum experientia manifesta, quæ suam euidentiam facit: instant corrigendam esse apprehensionem, & iudicium hoc experimentale ex illa ortum, per rationem: sicut iudicium de coloribus iridis ortum de errore apprehensionis visus, & imaginatiuæ. Tenerent quidem, si rationem aliquam physicè, vel metaphysicè in re præsenti euidentiorem nostra experimentali euidentia afferrent, qua hæc nostra corrigeretur: sed, cum nullam afferant, vt ex solutione argumentorum constabit, stat pro nostra experimentali euidentia iudicium. Dicent non posse cognosci possibilitatem Petri, seu Petrum, qui creatura est, vt possibilem, quin de Deo, eiusque potentia cogitetur: sed nihil præstat solutio. Solum enim probat cogitandum esse de Deo, quando de Petro possibili, vt creatura est, cogitatur: &, ne tunc quidem, cogitandum esse de Deo, tanquam forma constituente creaturam in esse possibilis, aut etiam creaturæ, sed solum tanquam termino relationis intrinsecæ creaturæ ad creatorem.

6. Tertiò. Hæc propositio est falsa: essentia Petri est essentia, vel aliud quoduis prædicatum Dei: atqui, si Petri possibilitas sit aliquod prædicatum diuinum, erit necessario vera ea propositio: ergo possibilitas Petri non est essentia, vel aliud quodpiam prædicatum diuinum. Maior est certa: alioqui admitteretur Petrum identificari cum Deo. Minor suadetur; quia essentia Petri nil aliud reipsa, & quoad intrinsecum, secluso que nostro concipiendi, & significandi modo, est; quam Petri possibilitas: at per hosce Petri possibilitas est Dei, vel Omnipotentia, vel essentia, vel quodpiam aliud attributum: ergo essentia Petri est essentia Dei, vel aliud eius attributum. Dicent aduersarij essentiam Petri esse necessariam vnam, contingentem alteram: de hac non posse, nisi absurde affirmari identificari cum Deo; secus de necessaria. Cæterum cum essentia, quam contingentem hi vocant, non essentia absolutè, sed existentia propriè loquendo dicatur, ac sola essentia illa, quæ ab hisce necessaria dicitur, absolutè, & propriè dicatur essentia, absolutè & propriè loquendo ab eis admittitur, vt vera hæc propositio: essentia Petri, est essentia, vel aliquod attributum Dei: quod hactenus à nullo hæ-

retico, nedum à Catholico doctore, admissum vllus vel legit, vel audiuit.

7. Quartò. Petrus possibilis est concretum ex esse contingenti, & intrinseco Petri, tanquam subiecto, & omnipotentia, seu quouis alio prædicato diuino tanquam formali possibilitate: ergo nequit esse Petrus possibilis, quin & possibilitas, & subiectum eius aliquo modo existat, siue absolutè, siue conditionatè sine contradictione vlla: atqui concretum hoc Petrus possibilis est, antequam Petrus absolutè existat, imo ab æterno, vt hi etiam admittunt: ergo Petrus, siue eius essentia contingens, aut existentia Petri sine vlla contradictione est saltem conditionatè, antequam idem Petrus absolutè existat: siquidem neque ab æterno absolutè est, ac proinde, neque eius absoluta existentia expectari potest, vt ab eo diuino prædicato, in quo eius possibilitas ab his collocatur, absolutè possibilis Petrus denominetur. Tum sic: sed in ea existentia Petri sine vlla contradictione sub conditione, quod existat, stat Petri possibilitas necessaria, & æternæ veritatis: ergo in intrinsecis Petri, non autem in prædicato vllo diuino stat eius possibilitas necessaria. Nec valet existentiam illam conditionatam Petri sine vlla contradictione stare formaliter in prædicato etiam diuino. Cum enim existentia hæc conditionata Petri requiratur ex parte subiecti ad concretum, seu denominationem Petri possibilis: si ea etiam identificetur cum Deo, totum concretum cum Deo identificabitur: scilicet Petri possibilitas, & existentia necessaria subiecti, seu Petri denominati, vt ab ea denominetur: vnde fiet Petrum, & quamuis creaturam possibilem secundum totum, quod dicit, nec solum secundum formam possibilitatis, esse Deum; quod temerarium, imo erroneum est.

8. Quintò argumentor, & confirmo proximum discursum. Vel diuinum illud, in quo formalis possibilitas creaturarum sita per vos est, requirit non repugnantiam, seu capacitatem aliquam ex parte denominandi possibile, vel nihil horum requirit, sed quidquid ei applicetur, obiiciaturque; denominabit, reddetque possibile. Si hoc postremum: ergo quamuis chimæram denominabit, reddetque possibilem. Si autem requirit non repugnantiam, seu capacitatem ex parte rei subiectæ, ac denominandæ illam, nobis explica, atque in Petro possibili assigna, ac simul ostende non esse in vlla ex chimæris, nihilque aliud in Petro inuenies, quod non in chimæra, quam prædicata Petri inter se non pugnare, ac proinde totum Petrum nullam in sui existentia contradictionem inuoluere, quandocumque existat: in chimæra autem prædicata eius inter se pugnare, ac mutua contradictione se inuicem destruere: ac proinde totam illam in sui existentia repugnare: at hoc ipsum est Petrum possibilem, chimæramque impossibilem de sese, atque ab intrinseco, esse, sine vllius diuini ope ad formalem sui, vel possibilitatem, vel impossibilitatem. Nec valet Petri capacitatem, seu non repugnantiam recipiendi possibilitatem necessariam à prædicato omnipotentiæ, vel alio quouis diuino esse essentiam, siue existentiam contingentem ipsi Petro intrinsecam, quam etiam Petro intrinsecam contingentem possibilitatem appellant, quæque chimæræ repugnat. Etenim solutio hæc verba dat: quid enim aliud est essentia, seu possibilitas contingens Petri intrinseca, nisi posse existere sine repugnantia? id est existurum sine contradictione, si existat, quæ est, vel ipsa possibilitas necessaria, æternæque veritatis Petri, vel saltem eius explicatio, quæ datur. Secundò possibilitas hæc, seu essentia contingens Petro intrinseca, ita est de sese possibilitas contingens, vt repugnare, neque ab intrinseco, neque ab extrinseco queat: ergo de sese necessario, atque indefectibiliter est possibilitas contingens existendi Petrum. Neque enim est contingentia ipsius possibilitatis, quæ reddatur necessaria extrinsecus à prædicato diuino: ergo de se habet Petrus necessario possibilitatem necessariam contingenter existendi sine ope vlla extrinseca prædicati diuini.

9. Sextò, cum Petrus existit seipso absolutè excludit ab existentia sui impossibilitatem: ergo, cum existit Petrus, contradictorium impossibilitatis Petri identificatur cum ipso Petro: atqui contradictorium impossibilitatis Petri, est Petri possibilitas: ergo Petri possibilitas identificatur cum Petro, neque est aliquid extrinsecum diuinum. Respondent dari duo contradictoria possibilitatis Petri, alterum contingens identificatum cum Petro; alterum necessarium, Deoque identificatum. Sed contra: quia nullus terminus potest habere plus vno contradictorio formaliter ipsi opposito: ergo, si existat absolutè identificatum Petro, quod conditionatè sumptum est contradictorium formale impossibilitatis Petri, nequit esse aliud eiusdem impossibilitatis formale contradictorium. Consequentia est vera. Antecedens probatur. Pone enim *B* opponi formaliter, immediatè, & adæquatè (vt opponitur quodvis contradictorium suo termino) huic termino *A* cui etiam opponatur eodem modo *C* ac proinde eodem modo opponi alterutri, nempe *B*, & *C*. Tunc *B* erit absolutum, non esse *A*, seu absoluta formalis immediata, & adæquata exclusio illius. Similiterque erit *C*. Inde autem nec *B* erit *B*, nec *C* erit *C*, quia *B* distinguitur à *C*; sed *C* est formalis immediata, & adæquata exclusio termini *A*, ergo distinguitur à formali, adæquata, & immediata exclusione termini *A*; atqui ipsum *B* est immediata formalis, & adæquata exclusio termini *A*: ergo *B* distinguitur à seipso. Atque eodem argumento *C* à seipso distinguetur. Item, & *A* à seipso distinguendum erit: quia *B* distinguitur à *C*: ergo formalis exclusio *B* non est formalis exclusio *C*: sed *A* est formalis exclusio *B*: ergo non est formalis exclusio *C*: ac proinde non est *A*, quæ esse debet per hosce formalis exclusio vtriusque, atque neutrius, exclusio esse conuincitur: sed quidquid sit de hac demonstratione, quam ingeniosi Recentiores inuenerunt. Negari potest sexti huius argumenti maior. In quocumque enim possibilitas necessaria Petri consistat pro suo signo, & priori ad absolutam existentiam Petri, eius impossibilitatem absolutè excludit; absoluta vero Petri existentia, & cuiusvis creati solam sui carentiam, ac non esse absolutum è rebus tollit, quin eius negationis possibilitatem aboleat.

10. Septimo. Hæc propositio est vera, etiamsi, per impossibile Deus deficeret: *si existeret Deus, qui produceret Petrum, existentia Petri nullam inuoluere: contradictionem.* At hæc veritas non eget aliquo diuino absolutè existenti, estque indefectibilis, atque ipsamet possibilitas necessaria Petri: ergo hæc non stat in aliquo diuino. Dices, in eo casu esse illam propositionem simul veram & simul falsam: ex quouis enim impossibili dato omnia possibilia fiunt impossibilia, & impossibilia possibilia. Bene: ergo cum impossibili defectus Dei compatitur verificatio illius propositionis, vt ego contendo. Non enim potest compati verificatio, & falsificatio simul illius, nisi vtrumque compatiatur: quare ad verificandum esse impossibilem defectum possibilitatis Petri, ac proinde huius possibilitatis necessitatem, præscindi potest ab existentia Dei. Dices tandem in eo casu de nullo posse verificari solum quod sit impossibile; sed etiam quod sit possibile. Sed eidem impugnationi subiaces, atque sententiam quam q. sequenti insectabor de identitate impossibilitatis chimærarū cum Deo cogeris hac solutione deserere, vt eo loci monstrabo. Simile argumentum fieri potest: secluſa hypothesi impossibili eius propositionis, si existat Deus existentia Petri non inuolueret contradictionem. Dei siquidem existentia solum in hypothesi ponitur, ac non absolutè, vt in re est. Vide alia plura argumenta apud Ouiedo, & alia malè soluta ab Spinula citatis locis, atque aliud quod reformabimus q. sequenti de chimærarum impossibilitate agentes contra eosdem Recentiores eam Deo identificantes.

CERTAMEN II.

Satisfit aduersariorum Recentium argumentis.

1. OPponunt Recentes argumentum, quo Thomistæ Dominicani essentiam ab existentia reipsa distinguendam

stinguendam contendunt. Petrum, qui nondum existit, imo, qui nunquam extitit, neque existet esse possibilem est necessarium quid, & indefectibile, nec solum pro hoc instanti, sed pro reliquis æternitatis anteactis, ac futuris verum: ast nihil necessarium indefectibile æternæque veritatis datur præter Deum: ergo Petri possibilitas Deus est. Respondetur communiter, nec male, distinguendo Maiorem. Petrum esse possibilem est quid necessarium & absolute existens negatur Maior. Conditionate existens conceditur. Petri siquidem possibilitas est existentia Petri sine vlla contradictione, sub conditione quod existat, siue huius propositionis obiectum, *si Petrus existat, existet absque vlla contradictione*. Vnde distinguitur minor: Nihil æternum absolute existens est præter Deum fateor; conditionate solum existens dissiteor. Et negatur facilime consequentia. Verum inde fortius Recentiores, suoque iudicio ita euidenter insurgunt, vt neglectis solutionibus, (quas omnes tantum verbis ludere posse putant) intentum conuinci clament.

2. Vel illa veritas conditionalis obiectiua absolute existit, vel solum conditionate existit. Si absolute: ergo non identificatur cum Petro, qui nondum absolute existit; imo neque extitit, neque existet vnquam. Si solum conditionate: ergo nec poterit verificari de Petro absolute quod sit possibilis, sed solum, quod esset possibilis, si talis conditio accederet, atque apponeretur. Probant consequentiam. Possibilitas Petri stat in illa veritate obiectiua conditionata: atqui hæc existit solum conditionate: ergo possibilitas Petri non est absolute, sed conditionate, eique solum in eo statu competit, ac proinde non est absolute possibilis: quod est manifeste falsum, & contra id, quod supponimus. Vrgent, possibilitas, & impossibilitas opponuntur contradictorie: ergo dari possibilitatem Petri idem est, ac eius impossibilitatem deficere: siquidem vnum contradictorium est formale exclusiuum alterius eodem modo, quo illud datur: quare, si deficit absolute Petri impossibilitas, Petri possibilitatem absolute esse necesse, prorsus est.

3. Respondeo argumenti æquiuocatione detecta. Conditionalis tota obiectiua veritas ipsa Petri possibilitas est, in qua clauditur in hypothesis parte, quæ totam illam componit, conditio sub qua altera est, *si Petrus existat*, à cuius purificatione pendet absoluta existentia Petri sine contradictione; quæ quandiu prima illa pars non purificatur solum conditionate, ac dependenter à conditione siue eius purificatione est; atque asseritur; ast tota illa veritas obiectiua, qua stat Petri possibilitas secundum se totam soluta, atque absoluta est ab omni alia conditione: cum à nulla dependeat: inde existentia absoluta Petri independens à conditione in ea obiectiua veritate non est, sed solum conditionata; ast Petri possibilitas, quæ in tota illa veritate obiectiua conditionata (prout etiam conditionem existentiæ claudit) absolute est, cum ab alia conditione, tota illa non pendeat: quare, sicut verum absolute est, Petrum absolute exiturum sine contradictione, si existat: verum etiam est, Petrum absolute esse possibilem, atque eius possibilitatem absolute esse: cum sit nihil aliud, quam tota illa veritas conditionalis obiectiua, quæ absolute veritas conditionalis obiectiua est: quæque Petro, licet absolute non existenti, absolute competit: atque absolute ipsius impossibilitatem excludit: vnde Recentium argumentum, & instantia euanescunt.

4. Hæc dixerim iuxta communem modum explicandi, & constituendi rerum creatarum possibilitatem per conditionalem illam veritatem obiectiuam, siue existentiæ sine contradictione rei absolute possibilis conditionate: scilicet dependenter à conditione existentiæ rei eiusdem, vt nihil contra eiusmodi possibilitatis conceptum tot Recentium argumentis confici ostenderem, quo eam in aliquo absoluto necessarioque existenti diuino ponendam demonstrent, vt contendunt, & clamant. Sed (vt de possibilitate rerum agens in metaphysicis obiiciebam) implicat aliquid à se ipso dependere, adhuc tanquam à conditione: atqui existentia Petri in ea obiectiua veritate pontur dependens ab ipsamet existentia Petri: ergo in conceptu obiectiuo possibilitatis inuoluitur implicatio, & impossibilitas. Nec satis est in ea veritate conditionata poni pro conditione existentiam Petri, ac sub ea affirmari eiusdem existentiam sine contradictione, in quo aliquid aliud clauditur, quod in conditione non claudebatur. Etenim vel existentia illa Petri, quæ conditio eius veritatis conditionata est, est vera existentia contracta ad talitatem existentiæ Petri, quæ vera est, & non repugnans, vel vt abstrahit ab ea talitate existentiæ Petri, & subiecti positi in hypothesi? secundum hoc dici nequit. Tum, quia in hypothesi ponitur Petrus, cuius dicitur existentia: tum, quia, si ponitur existentia sine illa talitate existentiæ Petri: etiam in conditionali, qua, iuxta hanc sententiam, sita est impossibilitas chimæræ, non ponetur pro conditione in hypothesi existentia cum talitate chimæræ, ex qua habet esse existentiam chimæricam, in hac: *si existat chimæra*: quare non verificabitur, existet cum contradictione: quia si chimæra non existat existentia chimærica non existet cum contradictione; nam chimæra absque implicatione, & contradictione esse nequit: quare si existere sine illa supponatur in hypothesi, absque illa data hypothesi existet: ac proinde æque verum erit, quod si existat chimæra, existet sine contradictione: atque, quod si existat Petrus sine contradictione existet: quare & possibilitas ita explicata per conditionalem illam veritatem obiectiuam æque de chimæra, ac de Petro verificabitur: cum tamen possibilitas Petri, quæuisque possibilitas vera, de chimæra verificari repugnet.

5. Si autem admittatur primum, atque in hypothesi existentiam Petri, qua in ea etiam hypothesi ponitur, ac proinde cum talitate veræ existentiæ, quæ chimæricam excludit, necessario apponi asseratur, hæc omnia cessabunt, atque de chimæra eiusmodi possibilitatem verificari non posse facile suadebitur: siquidem in obiecto conditionalis huius, si existat chimæra, existet cum contradictione. Existentia posita in hypothesi erit etiam cum talitate existentiæ chimæræ, quæ in hypothesi etiam ista clauditur: quare & ponetur pro conditione existentia chimærica, & implicatoria. Sed tunc recurrit argumentum primum. Si enim ponitur in hypothesi vera Petri existentia ponitur existentia Petri sine contradictione, quæ solum sub ea hypothesi affirmatur: ac proinde idem à se ipso pendens affirmatur implicatorie, vt dicebamus; atque nugatorie insuper: erit enim dicere, si Petrus existat sine contradictione existet, si existentia Petri, quæ in hypothesi ponitur existentia sine contradictione sit. Nec satis est Deum non semel, nec nugatorie, sed serio in veteri testamento simile aliquid de se dixisse illis verbis: *Ego sum, qui sum*. Licet enim vox eadem sit, non tamen idem vtrobique significatum habet, sed diuersum: in primo enim essentiam significat verbum *sum*: in secundo existentiam quam de sua essentia vel physica, vel metaphysica esse Deus eis locis testatur. Nunc autem mittam pluribus videri aliunde posse, eodem modo verificari possibilitatem de chimæra, ac de Petro, si ita etiam de chimæra asseratur sicut de Petro, si chimæra existat sine contradictione, existet sine contradictione: sed certe in ea hypothesi chimæra alia reflexa est; nempe chimæræ existentia sine contradictione: quod æque chimæricum est, atque chimæra directa, de qua supponitur: quare, & tunc existentia chimæræ cum contradictione supponitur: ex qua hypothesi chimæræ existentia sine contradictione nequit inferri.

6. Respondent tamen ingeniosi Recentiores (qui magno acumine Recentium aduersariorum sophisticas argutias compescunt, & sedant) argumento præcipuo existentiam conditionatam non pendere physice à se ipsa, in quo manifesta inuoluereturr eius obiecti conditionati repugnantia, sed solum pendere intentionaliter, in quo repugnantia est nulla. Eam vero intentionalem dependentiam in eo fitam aiunt, vt solum sit affirmabilis existentia de Petro, quouisue alio possibili sub conditione existentiæ eiusdem: eam vero affirmabilitatem nil aliud esse reputant, quam capacitas passiua rei cuiusque possibilis, vt de ea existentia conditionate sub conditione existentiæ ipsius vere enuncietur. Cæterum solutione hac non curatur difficultas. Primo enim dependentia hæc intentionalis conditionatæ illius veritatis non est dependentia, quam veritas illa obiectiua à propositione, qua cognoscitur, & à iudicio illo conditionato sortitur; quia veritas illa conditionata obiectiua, & sui cognitionem, & assensum iudicij præcedit: imo ita vere affirmatur, quia ita vere ex

parte obiecti est, sicut affirmatur: quare independenter ab esse & dependentia illa intentionali, & ante illud suum conditionatum esse, & existentiam dependenter à conditione debet habere, sicut enunciatur: quod si vere non habet, imo neque habere potest, vt argumentum ostendit: nec vero iudicio affirmari potest, neque in eo obiecto est passiua illa capacitas vt vere affirmetur. Cum autem ante, & absque intentionali dependentia reliqua sola dependentia physica conditionate ab hypothesi, seu conditione, sub qua erit, possit inuenirj; si in ea physica dependentia existentiæ Petri, cuiusuisque alterius possibilis repugnantia, & implicatio deuoluitur, vt iidem admittunt, possibilitatis rerum possibilium, quæ in illa veritate obiectiua conditionata ab eisdem constituitur erit implicatoria, & repugnans.

7. Cæterum, vt in metaphysicis docebam, possibilitatis rerum conceptus non in ea conditionata existentia rei possibilis absque vlla contradictione consistit, sed in absoluta eius non repugnantia, qua, neque vllum prædicatum rei possibilis contradictionem inuoluat, neque alterius prædicati cum quo, eiusdem essentiam (quæ idem quod possibilitas rei est) amice componit. V.g. animalis prædicatum, quo Petrus essentialiter constat, neque vllam repugnantiam in se coeret, neque cum rationali, aut petreitate, alioue prædicato Petri essentiam componente vllatenus repugnat, sed amice componitur. Hæc autem veritas essentiæ, ac possibilitatis rerum æterna est: quia ad sui verificationem à tempore abstrahit, ac præscindit? non quidem positiue, sicut diuina omnia; sed præcisiue (quo modo solum Deus æternus non est) cum absoluram existentiam, quæ rebus non nisi in tempore competit, non concernat: vt inde antiquum illud argumentum Thomistarum, & Recentium argutiæ conquiescant. Estque necessaria & constans: quia tam prædicatorum essentialium, quam eorum inter se conuenientia, atque amica connexio nequit non esse. Est absoluta: quia à nulla omnino conditione pendet; priorque ratione est, quam illa conditionata existentia sine contradictione, qua in se existet, & qua vulgo possibilitas explicatur: siquidem ideo Petrus, si existat sine contradictione existet, quia in se contradictionem eius prædicata non inuoluunt, neque aliis, quibus essentia constat contradicunt; si enim vel in se, vel cum aliis essentialibus rerum prædicatis contradictionem haberent, verum non esset, quod si res existeret sine contradictione existeret.

8. Aeuunt sese Recentiores secundo. Summæ suæ perfectionis titulo debet habere Deus omnem perfectionem, quæ nullam imperfectionem deuoluat: atqui rerum possibilitas nullam deuoluit imperfectionem: eam ergo Deus habere in se debet. Sed negatur facile minor, de rerum creatarum possibilitate, de qua disputatur: nam de possibilitate Dei, in quocumque illa sita sit, dubium non est, quin Deo ipsi identificetur. Etenim creaturæ prædicatum, quod in creata possibilitate clauditur indigna prorsus imperfectio est Deo repugnans. Item, quæ inde oriuntur limitatio, defectibilitas in existendo, atque existendi contingentia, quæ à possibilitate creata, siue creaturarum separari, ne metaphysicè quidem possunt, pluraque alia manifestæ imperfectiones sunt. Alia, quibus Recentes iidem contendunt rei cuiusuis possibilitatem esse necessitatem, vt reliqua omnia possibilia fiant, mittenda hic sunt: tum, quia apertius adhuc suam fallaciam produnt; tum, quia satis sunt confutata, dum connexionem Dei cum creatis possibilibus, atque ab eis tanquam à termino dependentiam contra eosdem euertebamus.

9. Denique ita ex prædicato omnipotentiæ (de quo præcipue hic, vt pote suo loco, quæstio est) ita nobis obiiciunt. Creaturarum possibilitas est earum producibilitas: at creaturarum producibilitas identificatur cum Deo: ergo creaturarum possibilitas identificatur cum Deo. Probatur minor. Creaturarum producibilitas, nil aliud est, quam creaturam posse produci à Deo: at creaturam posse produci à Deo identificatur cum Dei omnipotentia identificata cum Deo: ergo creaturarum producibilitas est Dei omnipotentia identificata cum Deo. Minor hæc probatur. Deum posse producere creaturam, idem prorsus est, ac creaturam posse produci à Deo: atqui Deum posse producere creaturam, est formaliter omnipotentia Dei identificata cum Deo: ergo, & posse produci creaturam est formaliter omnipotentia Dei identificata cum Deo. Maior videtur aliquibus Recentiorum explorata. Siquidem posse producere, ac posse produci nihilo amplius, quam vox actiua, & passiua eiusdem verbi significant: ac proinde, sicut idem formalissime significatur, cum dicimus: *Ego amo Deum*, ac quando dicimus: *Deus amatur à me*, ita etiam idem prorsus significat, *Deus potest producere creaturas, ac creaturæ possunt produci à Deo.*

10. Sed vero totus hic discursus, sicut & primus nullius est momenti, Atque, vt ab hac postremæ Maioris probatione ordiamur, vox actiua & passiua verborum, non potentiam actiuam, & passiuam terminorum significant, de quibus loquimur in præsenti, dum de omnipotentia Dei, & possibilitate creaturarum loquimur. Iam syllogismi primi negatur Minor. Ad cuius probationem negatur absolute Maior: quarundam enim creaturarum producibilitas à Deo solo esse non potest; vt patet in actibus vitalibus, atque vniuersim in omnibus actionibus quæ à Deo, & causis secundis prouenium: hæc quippe omnia à Deo solo producibilia non sunt: cum essentialiter creatam virtutem, tanquam ipsorum actiuam potentiam respiciant, quæ Deo eiusque potentiæ non identificatur: sed ea permissa, negatur eius secundi syllogismi Minor, ad cuius probationem negatur tertij syllogismi Maior. Posse enim creaturam produci à Deo est capacitas, seu potentia passiua intrinseca creaturæ, vt Dei terminet influxum, & actionem, quæ longe diuersa est à potentia actiua, seu omnipotentia Dei, à qua eiusmodi actio, & influxus prouenium. Quod si extra intentum posse produci à Deo creaturam, & posse producere illam Deum, prout absolute ex parte vtriusque sonat, vsurpes, vtramque potentiam, & actiuam Dei, & passiuam creaturæ claudit: quare non magis alterutri, quam totum parti identificabitur: falsaque proinde maior illa, eo etiam sensu erit.

QVÆSTIO V.

An chimærarum impossibilitas Deo identificetur?

DIximvs quæstione proxima eosdem Recentiores Deo, consequentiæ ergo impossibilium, seu chimærarum omnium impossibilitatem, etiam identificare. Id quod quæstione præsenti in examen vocamus.

CERTAMEN I.

Impossibilitas chimærarum vsquam Deo, eiusue identificatur potentiæ.

1. COnclusio pauculos solum admodum Recentes aduersarios habet; licet in vno, vel altero antiquiori verba aliqua quandoque legantur, quibus in sententiam aduersam trahi, vtcumque, possint. Id quod notasse satis nobis fuerit, qui plus sententiarum veritatem, atque à ratione, vel firma authoritate momenta, quam patronos expendimus. Nobiscum vero censent ex priscis & Recentioribus Doctores reliqui communiter, qui in eam quæstionem inciderunt, quorum aliquos ita de carentiis, vt à necessaria (quæ idem quod chimæræ, atque impossibilia sunt) & contingentibus abstrahunt censentes dabimus inferius quæst. sequenti. Dixi, qui in eam inciderunt quæstionem: quippe Deo chimærarum impossibilitatem identificare est à ratione alienum.

2. Probatur conclusio primo: quia impossibilitas est carentia necessaria: est quippe repugnantia inter sese prædicato

prædicatorum, quibus constat impossibile, in quo eius remotio, & necessaria à rebus, & existentiæ exclusio continetur: atqui carentia necessaria nihil positiuum includit: ergo nihil diuinum. Patet extrema consequentia: omne quippe diuinum, siue omnipotentia, siue quoduis aliud sit, positiuum necessario est. Minor de se claret. Sed vlterius probatur. Quia carentia necessaria, neque è prædicato carentiæ positiuum quid includit, vt mox de carentiis contingentibus agentes videbimus; sed neque claudit positiuum ex prædicato necessariæ, seu necessitatis: ergo absolute nihil positiuum includit. Minor hæc suadetur: quia formalis necessitas non essendi in ipso non esse inclusa, vti est in carentiis necessariis impossibilium, constantia sola negationis ipsius essendi est, atque essendi impossibilitas, quæ seipsa remota ab essendo est: at nihil positiuum seipso remotum, aut formalis remotio ab essendo est: ergo necessitas carentiæ è prædicato necessitatis non essendi, nihil positiuum includit.

3. Probatur secundo Minor illa syllogismi primi: quia eisdem terminis vtimur ad negandam existentiam rei contingentis, quibus ad negandam existentiam rei impossibilis, siue ad significandam negationem necessariam chimæræ: atqui termini, quibus vtimur ad negandam existentiam rei contingentis, nihil positiuum significant: ergo termini, quibus vtimur ad negandam existentiam rei impossibilis, siue significandam negationem necessariam chimæræ nihil positiuum significant. Maior est de fese nota. Sicut enim dicimus: *Petrus, aut Ioannes non est*, ita etiam dicimus, *impossibile, aut chimæra non est*. Minor probatur abunde quæsit. sequen. Consequentia est legitima. Ea vero admissa, vt necessario ex eis propositionibus admitti debet, cum legitima sit, hic discursus pergit. Id quod termini propositionis significant affirmamus, vel negamus in ipsa propositione: sed termini, quibus in ea propositione negamus existentiam impossibilis, vel chimæræ cuiusuis, nihil significant positiuum: ergo negatio existentiæ necessaria chimæræ, vel impossibilis nihil habet positiuum.

4. Secundo probatur conclusio. Quia pugna, & repugnantia, quæ est in coniunctione prædicatorum, quibus chimæra, quoduis aliud impossibile (puta mons aureus, hirco-ceruus, aut coniunctio existentiæ Petri cum eius negatione simul tempore) mente compingitur, aut confingitur tametsi in ipsis extremis seorsim non sit, est tamen in eorum coniunctione imbibita intrinsece, in qua stat essentia chimæræ; quin alio positiuo creato, ne dum diuino, formaliter aliquatenus consistat. Pone enim nihil creatum, imo per impossibile, neque diuinum esse: eodemque modo quoduis eorum prædicatorum cum altero coniunctione, seu identitate pugnabit, sibique in ea contradicent: ergo repugnantia, & contradictio coniunctionis, seu identitatis eorum prædicatorum non stat formaliter in aliquo positiuo creato, vel diuino. Confirmatur: quia, licet impossibilitas non stet in obiecto conditionali eius propositionis: *si chimæra existat existet tum contradictione* (vt in simili de possibilitate creaturarum dicebamus quæst. proxima, fusiusque in metaphysicis) aut ex natura, & essentia impossibilitatis chimæræ verum necessario illud obiectum, eaque propositio est: aut, etsi Deus non esset, verum esset quod si chimæra existeret, existeret cum contradictione, & repugnantia: ergo essentia impossibilitatis chimæræ non stat in aliquo diuino.

5. Nec satis est, ex quolibet impossibili (vt hi Recentiores existimant) quoduis aliud impossibile sequi: ac proinde nil mirum, si ex impossibili defectu, seu non existentia Dei, impossibilitas chimæræ perseueret, quæ licet eo existente possibilis esset, fieret tamen ex impossibili defectu Dei, & ipsa etiam impossibilis. Etenim, vt mittam modo illud principium, cui solutio innititur, absolute falsum esse, vt in metaphysicis ostendi. Ex impossibili autem Dei defectu, & non existentia possibilia omnia, quæ extra Deum, ac proinde essentialiter creaturæ sunt, fore impossibilia: quia creaturæ prædicatum esset impossibile, ac repugnans: aut in horum Recentium doctrina ex quolibet impossibili, sicut possibilia omnia impossibilia fierent, ita etiam impossibilia fierent possibilia: quare & omnia essent chimæræ è possibilitate, & impossibilitate compactæ: cum tamen nihil tunc diuinum esset, quod impossibilitas foret eorum, sed sola prædicatorum repugnantia, quæ nunc etiam existente necessario Deo in quauis chimæra inuenitur: ergo in ea repugnantia stat nunc chimæræ repugnantia. Denique fieret in casu illo impossibilis defectus Dei chimæra, quæ nunc chimæra est aliunde impossibilis; aut repugnantia illa prædicatorum essentialium, quibus compingitur, tunc adesset: ergo inde esset impossibilis: quod cum modo adsit vt impossibilis ex ea sit, satis, superque chimæræ erit.

6. Tertio probatur conclusio. Quia, vel illa impossibilitas formalis chimærarum, quæ diuinum quid est, aliquid requirit impossibilitatis intrinsecæ, quod ex parte subiecti, seu chimæræ eam constituat impossibilem (sicut diuinum illud, in quo possibilitatem intrinsecam creaturarum contingentem possibilitatem, stare iidem aiunt) vel potius existentiam ad eas constituendas possibiles ex parte subiecti reposcit: vel nihil impossibilitatis intrinsecæ ex parte chimæræ requirit. Secundum hoc dici nequit: quia æque me, atque chimæram poterit diuinum illud impossibilem constituere; imo & de facto constituet: cum ea sola repugnantia intrinseca chimæræ, quæ ad eum effectum non conducit, essentiæ meæ deficiat. Si autem dicas repugnantiam, seu impossibilitatem illam intrinsecam ex parte subiecti in chimæra requiri, vt ab eo prædicato diuino constituatur impossibilis: ergo seclusa illo diuino impossibilis, ac necessario à rebus seclusa essentia sua chimæra est: ergo non à prædicato illo diuino. Patet: quia nil aliud impossibilitatis in chimæra est, quam suorum prædicatorum repugnantia constans, atque à rebus amotio, & seclusio necessaria, ac minime contingens. Sin explica mihi, quidnam aliud impossibilitatis his addat prædicatum illud diuinum?

7. Denique (vt mittam nullum, siue essentiale, siue attributale, siue personale prædicatum diuinum hactenus cognitum, imo neque excogitabile, assignari ab his, in quo chimærarum impossibilitas, vel apparenter, ac verosimiliter constituatur) probatur conclusio, ostenditurque oppositam Recentiorum sententiam cum alio eorundem, ex qua necessario inferri putant (nempe identitate possibilitatis creaturarum cum Deo) omnino repugnare. Etenim, si possibilitas creaturarum, & impossibilitas chimærarum identificantur cum simplicissimo, atque vnissimo Deo, veraque sane eadem simplicissima atque vnissima entitas Dei erit: hoc autem implicatorium est, & impossibile: ergo & identitas possibilitatis creaturarum, & impossibilitatis chimærarum cum Deo est implicatoria, & impossibilis: ac proinde veritatique conclusionis contradictio est chimærica. Minor probatur. Per illud prædicatum formale distinguitur formaliter vnumquodque ab alio, per quod formaliter constituitur in suo esse: atqui possibile constituitur in esse possibilis per possibilitatem formaliter; impossibile, similiter in esse impossibiliter per impossibilitatem: ergo possibile & impossibile distinguuntur per possibilitatem, & impossibilitatem. Totus discursus est planus, infero inde: ergo possibilitatem possibilis, & impossibilitatem chimæræ identificari cum Deo est implicatorium, & impossibile. Probatur illatio. Implicat eandem indiuisibilem entitatem esse formale, & verum distinctiuum duorum, quæ in ea conueniunt, ac sunt idem: atqui, si impossibilitas chimæræ, & possibilitas possibilis creaturæ identificentur cum Deo vtraque erit eadem, & indiuisibilis entitas Dei: ergo implicat eam esse distinctiuum possibilis ab impossibili chimæra: constat autem in horum sententia ex primo discursu fore eandem eorum distinctiuum: ergo in horum sententia inuoluitur implicatio: ac proinde continetur in ea implicatorium, & chimæricum impossibile: quod erat ostendendum.

8. Dices Maiorem discursus primi, quo probatur prima Minor, falsam esse. Non enim distinguuntur res per ea, per quæ formaliter in suo esse constituuntur. Cæterum in metaphysicis, & controuers. de Trinit. abunde ostendimus per ea res distingui, per quæ in suo speciali esse constituuntur: quare ab huius vniuersim sumptæ impugnatione facili in præsentiarum superfedeo. Quod autem ad rem præsentem attinet, sic eam impugno. Quia, si possibilitas Petri & impossibilitas chimæræ eadem indiuisibilis entitas est: à qua Petrus possibilis, & chimæra impossibilis constituitur: ergo in ratione possibilis, & impossibilis non distinguuntur: non secus ac duo albedi-

nem

nem eandem habentia in ratione albedinis idem essent. Nihil enim in eo distingui ab alio potest, in quo idem cum illo est, vt est ex terminis notum. Secundo: nulla forma potest effectus diuersos præstare nisi terminis, seu extremis alias de se diuersis: ergo, ni supponantur aliunde, ac nō ab entitate diuina, possibile, & impossibile distincta in ratione possibilis, & impossibilis (quod hi Recentiores admittere, nec volunt, nec queunt) nequit constituere possibile, & impossibile. Nec valet illud diuinum, re simplicissimum, in varias formalitates præscindi, ac diuidi posse. Sed quid inde. Cum independenter ab intellectu præscindente distincta, & constitura sint, possibile, & impossibile. Nec magis præstat diuinum illud esse multiplex realiter virtualiter, sed, si ad alia, quam mysteria fidei explicanda ea distinctione abutimur, tota Philosophia, ac Theologia ruit. Siquidem cuiuis continenti doctrinam aduersam de contradictione realis virtualis distinctionis prompta erit euasio.

9. Illud tamen contra hanc sententiam Recentiorum prætereundum hic silentio minime fuerit. Nempe in ea melius longe fore Petro chimæræ fortunam, quam verum suum esse absolute, & actu fortiri. Probatur aperte: quia, si Petrus coniungatur cum aliquo perfectiori resultabit plane aliquid ipso Petro maius, perfectius & melius, vt per se notum axioma mathematicum fert, *si æqualibus inæqualiter addas, remanent inæqualia*: at, si Petrus fortiretur chimæræ fortunam coniungeretur cum infinite perfectiori entitate diuina, in qua chimæræ impossibilitas per hoc se constitit: ergo esset infinite perfectior, nobilior, & maior. Dices implicare in terminis maiorem: quia impossibilitas adiuncta Petro, eius possibilitatem, & essentiam destrueret. Sed primo. Quomodo eam destrueret, si tam possibilitas Petri, quam impossibilitas chimæræ eadem infectilis Dei entitas est? Secundo: coniunctio possibilitatis cum impossibilitate Petri chimæra est, quam Petro casus ille affigit: quare non implicatur in terminis alia repugnantia ab ea, quam hypothesis affert casus illius, quem fatemur impossibilem. Ac tandem implicetur in terminis, ac destruatur Petri possibilitas, nec maneat in hypothesi illa cum eius impossibilitate, ac proinde neque eius perfectioni accrescat. Tamen infertur Petrum impossibilem perfectiorem Petro absoluto esse.

CERTAMEN II.

Oppositiones Recentiorum eleuantur.

1. EX nuper dictis constat impossibilitatem chimæræ non esse perfectionem sine imperfectione, ac proinde non solum Deo dignam non esse, sed Deo, imo & creaturæ cuiuis possibili indignam fore: cum in se implicationem inuoluat, atque si simul cum possibilitate creaturarum Deo, vt hi Recentes volunt, identificetur, ipsi etiam Deo implicationem affigat, atque illum proinde Deum chimæricum reddat, quo cessat primum Recentium argumentum: quod scilicet impossibilitas necessaria chimæræ sit perfectio sine imperfectione; ac proinde Deo identificanda. Obiiciunt secundo. Nihil necessarium est distinctum à Deo, cui, quidquid necessarium est, identificatur: at carentia, seu negatio existentiæ termini impossibilis, seu chimæræ necessaria est, ac formaliter, vel saltem reipsa impossibilitas chimæræ: ergo eiusmodi carentia, & impossibilitas chimæræ identificatur cum Deo. Respondetur. Nihil necessarium, quod vere absolute sit esse distinctum à Deo, sed Deo identificari; ast purum nihil necessarium, siue necessariam negationem essendi, seu impossibilitatem adeo ab ipso esse distinctum, vt sit necessitati existendi quæ Deo competit, omnino, atque è regione aduersum: quo argumentum euanuit.

2. Obiiciunt tertio. Nihil distinctum à Deo potest esse existens æquā necessitate, ac ipse Deus: sed carentia chimæræ, siue eius impossibilitas est æqua necessitate existens, ac ipse Deus: ergo non distinguitur à Deo. Respondetur, hoc argumentum eadem, qua præcedens, æquiuocatione laborare in termino *existens*: quod propriè acceptum veram maiorem reddit, & eadem acceptione, falsam aperte Minorem. Sed eam confirmabis: quia nunc, atque ab æterno, & in æternum verum est chimæram non existere, ac proinde existere negationem & carentiam chimæræ, siue eius impossibilitatem: ergo vere datur, dabiturque necessario per æternitatem existentia vera chimæræ, & impossibilitatis eius. Respondetur, vere dici per æternitatem, ac necessario non existere chimæram: sed id probat nunquam existere chimæram, esseque illius: ac proinde vere, ac necessario esse non ens, neque existens: quod ipsum dicitur, cum dicitur necessario existere negationem chimæræ, licet in hac propositione negatio existentiæ pura ad modum existentis, & entis concipiatur ab intellectu: in quo stat entis rationis, quod negatio à logicis dicitur, fabrica, & architectura: ac proinde illud esse, & existentia, quæ puto non esse tribuitur, atque affigitur ens rationis est, quod quidem neque negationi puræ existentiæ chimæræ, eiusue impossibilitati necessario, & absolute competit; sed, cum ita fingendo cogitatur. Et tandem his tribus argumentis non solum probaretur chimærarum impossibilitatem, sed chimæras ipsas & impossibilia Deo identificari, vt consideranti patebit: quod est erroneum: quod autem veritatis æternæ chimæræ, & impossibilis cuius impossibilitas, eiusque à rebus (quæ id ipsum est) necessaria amotio, & negatio, quod diuinis solum videtur posse conuenire, dissectum supra est in simili de æterna veritate possibilitatis creaturarum distinctione illa æterni positiue, quod Deo soli competit, & præcisiue atque à tempore abstrahendo, quod cuiuis competit obiecto propositionis in materia necessaria, & essentiali veræ.

3. Obiicies quarto. Id est carentia, & negatio necessaria, seu impossibilitas chimæræ, quod illam immediate, & formaliter excludit ab existentia: ast Deus id seipso præstat: ergo Deus est carentia, & negatio necessaria, seu impossibilitas chimæræ. Sed negatur facile minor. Sola enim negatio existentiæ est formalis immediata exclusio existentiæ termini, quem à rebus excludit, vt pater. Quare exclusio immediata, formalis, & necessaria chimæræ est negatio necessaria existendi, quam in suæ essentiæ, qualis qualis, implicatione, & repugnantia imbibitam habet; non autem Deus, quidue aliud positiuum. Sed sic arguunt pro sua hac Minori Recentes. Id excludit formaliter immediate chimæram ab existentia quod formaliter reddit illam impossibilem: atqui Deus seipso reddit chimæram formaliter impossibilem, vtpote eius impossibilitas: ergo Deus formaliter immediate excludit chimæram ab existendo. Sed quonam probabunt falsam minorem, quam assumunt, nisi supponendo, vt in ea supponunt, quod negamus? nempe Deum esse chimærarum omnium impossibilitatem.

4. Cæterum, licet videant ægre suaderi posse Deum chimærarum omnium vniuersim impossibilitatem esse. Ita fælicius pro aliquibus decertari posse putant. Primo, quia Deus per suammet entitatem immediate, & formaliter excludit à rebus plures, imo & alterum Deum, qui chimæra, & impossibilis, ac necessaria carentia sui est: ergo entitas Dei est necessaria carentia, & negatio alterius Dei, siue eius impossibilitas. Consequentia est legitima. Antecedens probatur: quia Deus per suam entitatem, & essentiam vnissimus, singularissimus, atque vt sic loquar *hiceissimus* est. Vnitas autem, & singularitas per essentiam est formalis immediata exclusio alterius Dei, qua huius impossibilitas constituitur. Respondetur minorem esse veram de mediata formali exclusione, & negatione, seu impossibilitate, alterius Dei; secus de immediata, formali exclusione, quod ad Recentium intentum nihil præstat. Ad eius probationem concessa maiori negatur minor. Vnitas enim, & singularitas Dei, seu cuiuslibet per suam essentiam singularis entitatis, est exclusio necessaria, & negatio, seu impossibilitas pluralitatis illius essentiæ, & entitatis mediata virtualis, & in actu primo, non autem formalis, & in actu secundo. Itaque singularitas Dei per essentiam est extremum mediatum contradictionis pluralitatis Dei positiuum; necessaria vero carentia, negatio, seu impossibilitas alterius Dei est alterum extremum contradictionis negatiuum; quod formalis carentia, & negatio existentiæ, seu impossibilitas

plurium

plurium Deorum est: quodque plures Deos formaliter remouet ab existendo tanquam formalis exclusio necessaria, & impossibilitas eorum: ac proinde non immediata formalis necessaria exclusio, seu impossibilitas plurium Deorum Deus esse potest; licet sit actus primus, ex quo formale non esse necessarium, seu impossibilitas plurium Deorum inferatur: sicut ex quouis singulari, per suam entitatem, impossibilitas, seu necessaria negatio pluralitatis eius entitatis infertur.

5. Ex his plura alia eorundem Recentium argumenta eraemantur, quæ eadem possibilitatis in actu primo, seu impotentia Dei pro impossibilitate formalis chimærarum similium acceptione in æquiuoco laborant. Aiunt enim: Deus per suam entitatem, & essentiam habet impossibilitatem peccati proprij: est quippe impeccabilis per essentiam: item impossibilitatem moriendi: cum sit per suam essentiam immortalis. Impossibilitatem insuper comprehensionis à creaturis, vt pote incomprehensibilis per essentiam: ergo impossibilitas, seu carentia necessaria peccati proprij, mortis, & comprehensionis sui à creatura, pluriumque aliorum simili, identificantur cum Deo. Sed, vt nuper dicebam, de impossibilitate eorum omnium in actu primo, seu impotentia, & incapacitate Dei ea recipiendi, verum est antecedens. De eorum vero impossibilitate, seu necessaria negatione, & exclusione formali in actu secundo, quæ ex illa Dei impotentia infertur, est omnino falsum. Et quidem, cum impossibilis, & chimæræ cuiusuis existentia solum fictitia & per rationem esse queat, ac proinde ex suorum prædicatorum pugna in se, & à se remotum à rebus sit, atque veræ existentiæ necessariam exclusionem & negationem formalem immediatam imbibitam habeant, reale, & positiuum aliquid cui identificentur, quodue eorum negationem inducat, inquirere perinde omnino est ac quærere, cuinam enti reali ens rationis identificetur? quoue alio ente, & causa reali à rebus & existentia reali amoueatur, quod in se, & à se ab eis exclusum est? vtrumque autem non otiosum solum, sed & stupidum forte videatur.

6. Sed adhuc opponunt inferri ex nostra sententia duo contradictoria, nempe Deum posse efficaciter nolle remotionem chimæræ, ac non posse efficaciter illam nolle. Posse quidem, quia potest efficaciter nolle quidquid summe perfectum non est, vti non sunt remotiones, seu carentiæ chimæræ. Non posse autem: quia virtualiter vellet ea nolitione carentiæ, seu remotionis chimæræ huius existentiam, quod est impossibile. Sed non vident ad nolitionem efficacem Dei præter summæ perfectionis defectum requiri in obiecto possibilitatem non defectionis, quæ in necessaria chimæra carentia, seu remotione non adest. Etenim in obiectum impossibile, cuiusmodi est defectus remotionis chimæræ efficacia diuinæ voluntatis, imo non amentis hominis, ferri non potest.

QVÆSTIO VI.

An carentiæ contingentes rerum in aliquo diuino formaliter consistant?

OCCASIONE impossibilitatis, siue necessitatis negationis, atque formalis exclusionis chimæræ Recentiores iidem, qui eas Deo identificabant, ac non, nisi in diuino aliquo prorsus necessario earum veri-ficatiuum assignari posse, censebant, ad carentiarum, seu negationum contingentium creatarum rerum verificatiuum assignandum, ad diuinum etiam aliquid recurri oportere iudicarunt: tantaque opera, & contentione suum hoc iudicium persecuti sunt: vt, quæ vix in Philosophia (propria nimirum sede) de carentiæ, seu negationis contingentis essentia quæstio occuparet locum, non ibi solum, sed in Theologia spatium petat amplissimum, atque grauissimos de scientia, & voluntate Dei, atque alios tractatus oppleat. Idcirco nos eadem vicinitatis carentiarum contingentium cum necessariis impossibilium occasione & iure simul, semelque Philosophiam, & Theologiam ab his in præsentiarum purgabimus.

CERTAMEN I.

Referuntur opiniones de constitutiuo formali carentiæ contingentis.

1. ETsi opiniones omnes Philosophicas de formali carentiæ contingentis impugnare animus non sit, eas tamen referre placuit, vt, qua possint ei, quam propulsandam, atque ablegandam suscepimus, inseruire, confutentur. Prima igitur sententia fuit carentias contingentes in nolitione, seu decreto efficaci, quo rem, cuius carentia est, vult Deus non existere, atque à rebus, & existentia semouet, formaliter plerumque consistere; licet quandoque in entitate creata positiua consistat. Referuntur pro hac sententia Ægidius in 2. d. 34. quæst. 1. art. 3. videturque consentire Greg. d. 24. art. 1. quibus accessit Sforcia Pallauicinus. 5. assertionum Theologicarum, aiens stare in relationibus creatis terminatis ad id quo vltimo determinatur subiectum ad carendum tali forma, quod plerumque erit decretum, seu nolitio Dei de existentia illius. Verum, si semel in decreto efficaci, seu nolitione Dei, quæ necessario in rei cuiusuis ab existentia exclusione intercedat, & vt hi autumant, præcedat, formaliter rei contingentis carentia collocetur: nescio, quo pacto ea adesse possit, quin carentia rei illius sit.

2. Consequentius igitur secunda Recentiorum sententia docet, contingentes rerum carentias semper, statuque lege, in nolitione Dei, seu decreto eius efficaci de non existentia rei, cuius est carentia sitam formaliter esse. Noster Antonius Perez Valiende sententiæ huius Antesignanus, quem ex sua Castellana Prouincia Recentiores plures sequuntur, atque è Toletana nostra non pauci: ex quibus nonnulli actum scientiæ essentialiter veri, siue diuinæ, siue creatæ, ac proinde incompossibilis cum obiecti existentia illius carentiam formalem addunt. Et hi quidem in eo, quod addunt de scientia, non satis consequenter loquuntur. Cum enim scientia essentialiter vera de negatione existentiæ obiecti, Petri v. g. negationem existentiæ Petri necessario supponat suo modo existentem, & constitutam ipsius constituiuum esse minime potest. Secundo: cum in horum etiam sententia carentiæ, seu negationes contingentes in decreto efficaci, seu nolitione diuina de existentia rei formaliter consistant, atque hæc scientiam negationis rei præcedat: quo pacto carentias eiusmodi constituet, quas supponit constituras? tertio entitati cuiuis plura contradictoria dabuntur, quod impossibile esse ostendemus cert. 4. num. 6.

3 Tertia sententia in relationibus creatis positiuis rerum carentias, & negationes collocat: quas tamen connotare ait plerumque nolitionem, seu decretum Dei prædictum, quo res ad non existendum determinatur, licet non semper: vt docet noster Sfortia Pallauicinus lib. 5. assertion. Theologicar. num. 182. atque alij ex nostris Salmanticenses Recentiores, qui consequentius, vt ex num. 1. constat illud plerumque reiiciunt, ac semper eas relationes diuinum aliquid rei connotare defendunt. Licet addant, in consequentia, qua citatus Sfortia, actum etiam scientiæ creatæ essentialiter verum. Præterquam quod, tam hi, quam Recentiores citati num. 2. pro additione simili, aliud implicatorium, quod infra persequemur, incurrunt: nimirum, quod extremo vni contradictionis plus, quam vnum, siue plura designent.

4. Quarta sententia Monzæi nostri d. 1. c. 3. quem Recentiores nonnulli sequuntur, asserit: carentias, &

negationes rerum esse ipsas res possibiles connotantes propositionem, negatiuam veram de earum existentia v.g. *Petrus non existit.* Citat pro hac sententia Aureolum Gabrielem, Sotum, & alios. Verum, cum propositionis cuiusuis veritas in conformitate cum suo obiecto, quod supponit, sita sit, oportet, vt negatio, seu carentia rerum ante, & independenter à propositione, qua vere rei existentia negatur, sit formaliter, ac vere ex parte obiecti constituta, nequit ergo in ea relatione, seu connotatione veræ propositionis negatiuæ, quæ ab eiusmodi propositione necessario pendet, collocari. Idcirco aiunt dicere pro fundamento positiuum impedimentum rei, cuius carentia dicitur, vt nonnulli explicant apud Antonium Perez citatum, scilicet carentiam frigoris, existentiam caloris, atque vniuersim cuiusuis carentia existentiam sui contraria.

5. Sed certe hæc sententia, ita etiam explicata, curta, & falsa est. Curta, quia ad rerum, quæ contrarium non habent, carentias, non extenditur. Falsa: quia, cum forma opposita, & contraria solum exigat, vt summum, expulsionem alterius secum incompossibilis, cui Deus potest non annuere, atque vtramque conseruare: poterit esse existentia vnius, quin sit oppositæ carentia: quare in existentia formæ oppositæ essentia carentiæ alterius formæ, neque fundamentum ad quod necessario carentia essentialis resultet constitere minime potest. Accedit quod Deus vtrumque contrarium destruere potest, quorum defectus sine vtriusque carentiis dari nequit; cum tamen neutrius carentiæ, aut essentia, aut fundamentum, ex quo necessario resultet contrarij existentia, quæ tunc non est, esse queat.

6. Quinta sententia: rerum carentias tenuissimum, ac valde exile esse positiuum, siue existentiam tribuit intrinsecam, vt aiunt nonnulli apud nostrum Thomam Comptonum Carleton d. 18. log. sect. 4. num. 4. Id quod docere alij videntur apud Spinulam d. 1. physic. sect. vlt. dum esse positiuum, quod carentiis tribuunt abusiuum appellant: quod ita exile, tenueque, vel abusiuum illud esse fit, vt in nihilum abeat, sitque non esse purum termini, quem carentia à rebus, & existentia secludit: quod proinde abusiue solum esse dicatur. A veritatis scopo hi non aberrant, vt videbimus; sed male loquuntur, dum positiuum esse illud appellant. Si tamen aliquod esse positiuum exile abusiuum, & vmbraticum, cuiusmodi mens tribuere eis solet, quæ verum, & reale esse nullatenus habent, sed solum in cognitione, cum de eis cogitatur, vt alij apud Spinulam, & Carletonem existimant, in ente rationis carentias rerum ponunt.

7. Sed hi tamen errant manifeste. Tum, quia res quam plures non dari à parte rei certissimum est, atque omnino ab intellectu, & cognitione independens: ac de fide plures esse mortuos, imo, & res omnes ex æternitate non fuisse, cum omnia in tempore sint facta. At vero, quandiu res non sunt, earum carentias reipsa dari, & per se notum est, & ratione euidens; alioqui duplex contradictorium falsificaretur simul. V.g. *Adamus est, Adamus non est*: quare ex contradictoriis alterum in rebus esse necessarium omnino est. Si autem reipsa, atque independenter prorsus à cognitione res non sunt, independenter etiam à cognitione earum carentias dari euidens erit. Tum etiam: quia, cum entia rationis, tunc solum, cum cognoscuntur adsint: peccata omnia omissionis, quæ in carentiis, seu negationibus actionum sunt, tunc solum, cum considerantur, atque ab eo, à quo considerantur, erunt, si in ente rationis sint posita. Item is solum, qui defectum diuitiarum in me considerat, earum carentiam in me ponet; non, qui eas mihi subripuit. Vnde qui, vt meam subleuet egestatem, atque ei ex misericordia succurrat, illam considerat prius, quam misericors, fur erit: & qui Christi mortem contemplatur potius, quam carnifices, Christicida erit. Nec Dæmon gloria carebit, nisi ab aliquo cogitetur, quæ sunt absurdissima, atque à sana mente abhorrentia.

8. Iam vero, si illo esse positiuo, quantumuis tenui, & gracili, quod carentiis tribuitur rerum, positiuum verum esse, atque existentia realis intelligatur, aliarum sententiarum, quæ verum esse positiuum carentiis contingentibus rerum attribuunt, difficultates non euadent, vt ex dicendis patebit: itaque in eo relatæ hactenus sententiæ (si hanc de ente rationis omittas) conueniunt: vt carentiæ rerum contingentes aliquid positiuum sint, veréque, & realiter positiuum: discrepat autem secunda Recentiorum sententia, atque maiore sui parte sententia prima à reliquis sententiis memoratis: quod illæ duæ in diuino decreto efficaci eas collocent; reliquæ vero in aliquo positiuo creato, siue illud relatio, siue forma opposita aut contrarium illi, cuius carentia in rebus datur, siue quidpiam aliud sit vti earum relatione data liquet. Et quamuis eas solum sententias, quæ in diuino aliquo prædicato contingentes rerum carentias formaliter ponunt, impugnare animus sit: quia tamen, si vniuersim in nullo ente positiuo collocari posse monstretur, consequenter neque in prædicato diuino, quod positiuum necessario est, stare posse deducatur: idcirco generatim primum ostendam, ac deinceps secundum.

CERTAMEN II.

Carentiæ rerum contingentes in nullo vero esse positiuo consistere; sed puras rerum remotiones, & non esse earum monstratur vniuersim esse.

1. SI Doctorum tantum momentis agenda res foret, nulla egeret probatione conclusio: adeo est probatis Doctoribus communis; licet enim eorum plerique carentiis rerum contingentium, verum esse negatiuum concedant, dum negatiuum aiunt, esse illud, quod prima voce videbantur carentiis tribuere, non solum corrigunt, sed euertunt, ostenduntque solum asserere rerum eiusmodi carentias à parte rei (nec solum ficte, & per rationem, vt chimæras) fore admittendas. Ita censet expresse S. Thom. 1. p. quæst. 48. art. 2. vbi negationes in rebus ait esse, *non ponendo in eis aliquid, sed tollendo*. consonat. quæst. 1. de malo art. 2. & quæst. 21. de verit. art. 1. Scotus apud Thomam Comptonum d. 18. logicæ, Gabriel in 1. d. 24. quæst. 1. dub. 3. Capreol. in 2. d. 34. quæst. 2. ad 1. Ferrara 3. cont. gent. c. 19. Soncinas 6. metaphys. quæst. 8. & lib. 10. quæst. 15. Aureol. in 1. d. 36. art. 2. Sotus 1. physic. quæst. 8. noster Fonseca 4. metaph. c. 2. Pasqualig. tom. 2. metaph. d. 65. sect. 2. num. 8. & Mastrius apud Pontium iam citandum. Atque hi quidem omnes purum non esse, & remotiones rerum carentias appellant, quin de eis negatiuum esse affirmant: licet idem negatiuum esse, atque purum non esse significet. Eo tamen nomine esse negatiui aliquando admisso eandem conclusionem tradunt nostri Molina apud Comptonum citandum, Vazq. 1. p. d. 61. c. 1. & 2. Soar. d. 54. metaph. sect. 3. num. 3. vbi satis pro se, & pro aliis per esse negatiuum de carentiis loquentibus pro nostra hac conclusione se & illos explicuit, dum eas non esse entia realia, sed rationis. *Sed non entia & quæ in rebus nihil ponunt, sed solum tollunt*: affirmat sancti Thomæ phrasi. Repetit sect. 5. num. 2. & num. 5. ac sæpius alibi, atque sect. 4. Item Conimbricenses 1. physic. c. vlt. quæst. 7. art. vlt. Rub. in log. de ente rationis num. 13. & 1. physic. d. 3. sect. 2. & d. 9. met. §. 66. & 72. Arriaga d. 3. physic. sect. 12. dist. 6. metaph. sect. 5. Quiedo controu. 12. met. d. p. 4. Thomas Comptonus Carleton supra sect. 2. 3. & 4. Pontius lib. 1. d. 34. q. 1. & additione contra Mastrium, qui pro eadé conclusione est, etsi voce à Pontio dissideat, contendens esse negatiuum carentiis hisce concedendum non esse.

2. Ex quibus constat solo tantorum Doctorum pondere, & numero, qui vigesimus est (in quibus Theologiæ Princeps S. Thom. & Scotus, cum scholis suis totis, Vazq. & Soar. numerantur) satis firmiter conclusionem nostram fundari. Sed maius, ab authoritate etiam, pondus eidem conclusioni accedit ex Ecclesiæ, & Theologiæ

giæ Lumine Augustino de Genesi ad litteram cap. 5. ita scribente: *Non enim Deus fecisse tenebras dictus est: quoniam species ipsas Deus fecit; non priuationes, quæ ad nihilum pertinent.* Firmiora etiam adsunt Scripturæ, & Conciliorum testimonia. Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil.* Nihil autem omne positiuum excludit esse; quia est coniunctum remotionum positiuorum omnium: quare docte aiebat recitatus Augustinus, priuationes ad nihilum pertinere: quia ex omnibus absolutum nihil conflatur. Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et sexcenta alia sacræ paginæ in eandem sententiam testimonia. Item de fide est: *Deus de nihilo vtramque condidit creaturam.* Atque item: *Deus omnia potest in nihilum redigere.* Vellem ergo mihi ab aduersariis explicari quid per nihilum Sacra pagina intelligat? quidque purum nihil præter omnis entis veri remotionem? & quomodo ex nihilo omnia Deus fecerit, atque in nihilum redigat? si in ipso nihilo puro aliquod ens positiuum, siue creatum, siue increatum continetur? sed de hoc iterum à ratione contra eosdem agemus.

3. Iam à ratione probatur generatim conclusio: quia, sicut huic propositioni: *Omne ens positiuum existit.* Contradictorium assignari potest, ita, & eius obiecto vere, & à parte rei contradictorium assignandum est. Atqui, si rerum carentiæ in positiuo quouis consistant, nequit esse neque assignari contradictorium eius propositionis obiecto: ergo rerum carentiæ, seu negationes in nullo esse positiuo consistunt. Minor suadetur, nam cætera patent. Quia, si in aliquo ente positiuo carentiæ rerum consistant, vt vere, & à parte rei aliqua rerum, seu rei alicuius negatio detur, quod obiectum propositionis contradictoriæ sit, aliquod ens positiuum dari vere, & à parte rei debet, in quo carentia, seu non esse rei alicuius consistat: sed aliquod ens positiuum vere, & à parte rei existens, non contradicit, sed subalternatur potius, & continetur in obiecto illius primæ propositionis: *Omne ens positiuum existit*, vt patet, cuius obiecto obiectum contradictorium assignandum erat: ergo, si carentiæ rerum in aliquo positiuo consistant, non potest dari, assignariue à parte rei, verum obiectum contradictorium obiecto illius propositionis. Nec valet aliquod ens positiuum negatum contradicere omni enti positiuo affirmato. Si enim in ente illo positiuo negato adhuc ens verum, & reale positiuum clauditur, vt in horum sententia claudi debet, perstat argumentum, si non clauditur est nostra conclusio. Vt mittam affirmatum, & negatum ex parte obiecti non esse, sed esse denominationes ipsi à propositionibus extrinsecus aduenientes, quæque in veris propositionibus ex parte obiecti solum, vel ens positiuum, vel eius negationem, & remotionem; seu ens, si ita loqui velis, negatiuum supponant.

4. Dices primo in hac doctrina, non omni propositioni, assignari posse contradictorium, neque eius obiecto. Etenim huic propositioni. *Omne cognoscibile est cognoscibile.* Cuius contradictorium esse debebat: *aliquod cognoscibile non est cognoscibile.* Quæ propositio, eiusque obiectum subalternatur primæ, ac proinde neque ipsa, neque eius obiectum, primæ, eiusque obiecto contradicere queunt. Minor probatur: quia aliquod cognoscibile subalternatur, & continetur sub omni ente cognoscibili. Video Recentiores, tam leui probatione, minorem admittere, atque, vt se ab argumento expediant, multa quæ melius quiescerent, mouere. Cum tamen Minoris illius nulla ea probatio sit. Etenim solum probat subiectum eius propositionis sub vniuersali contineri, quod omnino opus est, vt ei contradicat: cum aliter eiusdem de eodem non esset, vt omnis contradictoria esse debet; non autem probat totum obiectum illius propositionis contradicentis vniuersali affirmatiuæ sub huius obiecto contineri. Etenim *non cognoscibile*, quod in particulari negatiua illius contradictoria ponitur est cognoscibili, quod erat vniuersalis affirmatiuæ prædicatum, negatio, seu cognoscicile negatum. Sed dices id ipsum, quod negatur cognosci debet: atqui ex parte prædicati negatur cognoscibile in contradictoria negatiua: ergo quod ponitur ex parte prædicati est cognoscibile, quod includebatur ex parte subiecti, sicut vniuersali ponebatur: ergo totum obiectum negatiuæ particularis subalternatur, seu continetur sub obiecto vniuersalis. Negatur hæc consequentia: cognoscibile enim negatum, seu negatio eiusdem cognoscibilis non est cognoscibile, sed eius contradictorium, vt in hac: *Petrus non est Petrus*, idem Petrus negatur, qui in contradictoria *Petrus est Petrus*, affirmabatur; & tamen non est idem Petrus negatus, seu negatio Petri, ac Petrus. Argumentum autem probationis solum probat propositionem illam negatiuam particularem falsam, & implicantem in terminis esse, sicut hæc, quæ à nobis in exemplum adducitur: quod extra rem est.

5. Probatur secundo conclusio. Quia, si negationes, & carentiæ rerum in positiuo, non autem in pura negatione ab omni positiuo distincta, consistant, non solum propositioni præfatæ, eiusque obiecto, sed nulli propositioni dari contradictoria potest, sed sola contraria, quæ est inter positiua impedimenta mutuo se impedientia, ac sub eodem genere entis se expellentia. Id, quod & receptissimam diuisionem oppositionum in contrariam, & contradictoriam, tanquam inane delirium, & chimæram irridet, & totam dialecticam, imo & scientias omnes euerteret. Assumptum suadetur. Quia, nisi dentur negationes rerum puræ ab omni positiuo distinctæ, non dantur obiecta contradictoria. Sed his non datis, nec dantur propositiones contradictoriæ: ergo. Maior probatur: quia enti sola, ac pura negatio entis contradicit, sicut non esse contradicit esse: at ens, seu non esse nequit esse idem quod ens, sed pura negatio entis, seu esse: ergo, nisi negationes puræ ab omni positiuo distinctæ dentur, nequit esse obiectum contradictorium entis, seu esse. Minor probatur. Quia obiecta deriuant oppositionem in propositiones: ac ideo assensus affirmatio est: quia obiectum esse apprehenditur, sicut enuntiatur; & ideo negatio, & dissensus à prædicato est, quia negatio illius esse in subiecto percipitur. Sed accipe huius confirmationem ex Arist. in Dial. c. de oppositis. Ita scribente. *Vti affirmatio, veluti sedet, negationi, seu non sedet, opponitur: sic, & res, quæ sub vtrumque cadunt, sedere inquam, & non sedere, sibi mutuo aduersantur.* Dicant nunc Recentiores: ita à nobis contradictoria apprehendi, & iudicari, vt alterum extremum pura negatio sit; ast in re aliquid positiuum claudi: ac proinde corrigendam esse à ratione, & discursu eiusmodi apprehensionem, & erroneum commune iudicium: corrigantque, dum fateantur se Aristotelis, atque omnium sapientium errorem iudicij corrigere.

6. Tertio probatur conclusio. Carentia rei est obiectum enuntiatum per negatiuam propositionem: atqui obiectum per illam enuntiatum nil positiuum est: ergo carentia rei nil est positiuum, sed merum negatium, & nihil. Probatur minor primo. Quia sola remotione formali, & defectu entis positiui, quod negatur, verificatur ea propositio: cum ex ea præcise, secluso quouis alio positiuo, conformetur suo obiecto. V. g. Antichristus non existit; sola, ac pura remotione Antichristi à rebus nunc posita conformis suo obiecto est, quin aliquid positiuum in rebus existat. Tum etiam. Quia in ea nihil positiuum enuntiatur, neque plerumque cogitatur ab enuntiante: imo, ante aduersariorum sententiam, nunquam ab vllo cogitabatur: at nequit verificari propositio nisi detur obiectum per illam enuntiatum: ergo obiectum enuntiatum per propositionem negatiuam, formaliter, nil positiuum est, sed pura entis positiui remotio. Secundo probatur, vrgentius adhuc, eadem minor. In hac propositione, *nil positiuum contingens existit.* Enuntiatur carentia cuiusuis, & omnis entis positiui: at id, cuius carentia enuntiatur, seu, quod negatur per propositionem, nequit enuntiari, per eandem: ergo nihil positiuum in ea propositione enuntiatur: ac proinde in eius propositionis obiecto enuntiato nihil positiuum est, quod per illam enuntietur: sed sola, ac pura entis positiui cuiusuis, seu omnium positiuorum remotio, vt in ea minori dicebatur.

7. Dices. In ea propositione idem reipsa latenter affirmari, quod negatur expresse. Siquidem rei carentia ea expressione, qua dicitur negatur, & latenter affirmatur aliquid positiuum, in quo carentia oppositi contingentis cuiusuis consistit. Sicut hæc propositione, *positiua impedimenta cuiusuis entis positiui existunt*, expresse entia positiua affirmantur, & latenter eadem remouentur, & negantur. Nec mirum est idem reipsa sub vna expressione

propositionis vnius affirmari, quod sub alia alterius propositionis expressione negatur. Sicut sub vna propositionis expressione possumus negare rationale, & simul affirmare animal eum illo identificatum. Sed locum simile hoc non habet, est quippe chimæricum, vt patet. Etenim præcisiones formales locum non dant, vt idem reipsa affirmari, & negari admittatur; imo vero, neque concipi vnum prædicatum rei eiusdem non concepto alio posse contendit. Præcisiones vero obiectiuæ, licet apprehensioni vnius prædicati præscindendo ab alio secum identificato dent locum; non tamen apprehensioni, & iudicio vnius cum negatione alterius secum identificati sine expressa contradictione, & chimæra: ac proinde sine necessaria iudicij illius falsitate, & apprehensionis errore.

8. Secundo. Vt verum in animali, & rationali, quæ vel diuersæ obiectiue formalitates sunt, vel saltem diuersa habent connotata, exemplum haberet: ast in carentiis rerum contingentium, quæ in solo positiuo impedimento sunt, in horum sententia sitæ, verum habere non potest. Nam idem ipsum tam realiter, quam formaliter eadem propositione affirmari, & negari nullatenus, nisi cum aperta contradictione, potest: ergo, licet impedimenti positiui, in quo realiter, & formaliter rei contingentis carentia, per te, consistit, possit, vnum prædicatum, seu vna formalitas affirmari, & negari aliud cum ipso realiter identificatum; non autem affirmari, & negari carentia, seu impedimentum ipsum totum, nisi contradictorie: non minus, quam affirmari, & negari simul animal, vel Petrum. Sed quidquid de hoc sit, vlterius, vel respondentes præscindunt obiectiue, vel formaliter solum? si obiectiue, aliud concipiunt cum affirmant impedimentum rei contingentis existere, ac quando negant rem existere: ac proinde id quod concipiunt formaliter positiuum non erit, sed purum nihil, quod cum positiuo identificari repugnet. Si autem præscindant formaliter solum, idem exprimunt cum negant, & quando affirmant, licet diuersus expressionis modus sit, qui affirmantem, & negantem simul idem ipsum, quod solum cognoscit, à contradictione, excusare non potest: cum idem sub ratione eiusdem (eo solum quippe modo illud cognoscit: cum cognitionibus illis directis non existentiæ vniuersalis omnis entis, quam negat, & existentiæ positiuorum entium impedientium, quam affirmat supra ipsas, & modos expressionis non reflectat) affirmet, ac neget.

9. Tertio probatur eadem illa minor, ac simul confirmatur illius probatio prima: quia hæc propositio, *Antichristus non existit*, vere enuntiata fuit à mundi exordio: ergo eius obiectum enuntiatum à mundi exordio fuit cognitum à proferentibus (alioqui omnes illam proferentes stupidi, ac vesani essent: imo impossibile est à vesanis, & stupidis adhuc, enuntiari incognitum, & incogitatum) sed ad hæc vsque tempora nemo cogitabat, nedum censebat, carentiam in positiuo consistere: ergo solam remotionem, & negationem puram, seu carentiam existentiæ Antichristi: ergo sola remotio, carentia, & negatio pura existentiæ Antichristi, ac nihil positiuum, fuit obiectum ea propositione enuntiatum, vt proponebatur in minori. Insuper: cum vera semper ea propositio fuerit: eiusmodi obiecto vera erit: atque illa sola pura carentia, & negatio, quin aliquid positiuum sit, satis à rebus Antichristum removebit, vt contendimus. Item & nunc reliqui à Recentioribus hinc vere iudicant. Antichristum non existere; cum tamen, dum id iudicant nihil positiuum cogitant, sed solum eius defectum & purum non esse; quos, si falli dicas, quia nullum datur impedimentum positiuum, ridendo dicere poterunt se de Petri carentia, & pura, & remotione, agere, non de impedimento positiuo, quo ea carentia, & remotio inducitur. Sane si roganti: an carentia consistat in positiuo? respondeas. *Datur Deus, vel aliud positiuum* iuxta, varios modos assignandi impedimenta rerum, quod æquiualet in sua doctrina huic: *Omnis carentia in positiuo consistit*: ridendus merito esses. Quæ his responderi possent statim subdam, & refellam num. 10.

10. Quid plura? ne Recentiores quidem ipsi, contra quos agimus, negare possunt se carentiam puram, atque ab omni positiuo distinctam concipere, dum illam indistinctam negant. Etenim nemo dubitare, aut negare potest id quod nullatenus apprehendit, & cogitat, sed prorsus illud ignorat. Atqui aduersarij inquirunt, an carentia à positiuo distinguatur, ac sit mera negatio? idque esse negant: ergo eam cogitant, & apprehendunt, vt meram carentiam ab omni positiuo distinctam. Quod si ex suo conceptu obiectiuo, ab omnibus hactenus admisso, atque ab aduersariis admittendo, imo admisso de facto, pura negatio ab omni positiuo distincta, erit plane è suo conceptu indentificabile ipsi. Confirmatur. Quia, ni carentiæ conceptus obiectiuus diuersus ab impedimento positiuo sit, dum inquiritur, an carentia rerum in positiuo consistat? erit inutilis quæstio, & addubitatio, ac si rogaretur an *Petrus distinguatur à Petro, vel sit Petrus?* erit enim sensus, an impedimenta rerum contingentium sint impedimenta rerum contingentium? vel à se ipsis distinguantur? quod assertu ridiculum est. Sed dices te concipere fictam à nobis, & chimæricam carentiam. Bene: vel ergo concipis chimæram omnino ex positiuis compactam, & sic dubitas, & negas distinctionem de obiecto, quod non concipis, sed prorsus ignoras: quod insanum est; vel illam concipis ex positiuo & mere negatiuo ab omni positiuo distincto fabricatam, & iam concipis carentiam puram. Insuper, tunc cum ea chimæra à te negatur, vel negatur carentia positiua, & mere negatiua simul, & sic negatur duplex contradictorium, atque affirmatur duplex contradictorium simul falsum esse posse: vel negatur illa solum chimæræ pars, quæ ex suo conceptu omne positiuum excludit (altera enim pars chimæræ, quæ positiuum claudit, est tua sententia) ergo concipis negationem rei ab omni positiuo distinctam, vt contendebamus.

11. Quarto hæc vox *nihil* aliquod habet significatum. Vel ergo eius significatum est aliquid verum, & positiuum, vel non, sed omnis positiui negatio, & carentia pura. Si secundum: ergo cum significet carentiam puram omnis entis, eius significatum in pura carentia ab omni positiuo distincta consistit. Si autem significat aliquid verum, & positiuum: ergo nihil est aliquid, ac vera erit hæc propositio in terminis implicatoria: *nil non est nil*, quæ eadem est cum hac. *Nil est aliquid*. Verum *nihil* puram rerum carentiam, & remotionem significare, seu purum nihil, probatur vlterius ex Ioanne 1. *Sine ipso factum est nihil*. Si enim aliquid positiuum significaret, sensus esset, sine Deo factum esse aliquid; quod est erroneum. Nec satis erit Recentioribus illud positiuum, quod *nihil* significatur, diuinum quid esse, ac proinde non factum. Etenim nihil illud factum sine Deo dicitur: ac proinde ad Deum recurri nequit, vt nihil factum dicatur. Item nulla vox significans positiuum est synonyma, siue æquiualens huic voci *nihil*: ergo hæc non significat positiuum aliquid. Antecedens patet in his fide sanctis propositionibus. *Deus omnia quæ fecit potest in nihilum redigere*. Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Iob. 5. *Nihil in terra sine causa fit*. Math. 10. *Nihil est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur*. Lucæ 5. *Magister tota nocte laborantes nihil cepimus*. In quibus, quocunque termino positiuum significante *nihil* explices, absurdos sensus efficies. Dices, *nihil* significare aliquid respectu Dei, non autem respectu creaturæ. Contra primo: ergo sine Deo factum est aliquid Dei, quod multifariam est implicatorium, & erroneum. Etenim quod est nihil respectu creaturæ: aliquid, per te, est respectu Dei: sed respectu creaturæ factum est nihil: ergo factum est aliquid respectu Dei. Contra secundo. Impedimentum positiuum, quatenus respicit creaturas est, ac dicitur nihil; sed quatenus respicit creaturas est aliquid: ergo quatenus nihil est aliquid.

12. Probatur quinto conclusio: quia bruta per imaginatiuam cognoscunt rerum carentias. Sic de catulis subreptis rugit leena; atque carniuora animantia non egrediuntur ad raptum, quousque noctem adesse, abesseque lucem cognoscunt: vel, quod nobis magis faueat, lucem, vel catulos non vident: sed bruta non percipiunt tunc impedimentum positiuum existentiæ illarum rerum, vel in se, vel in loco, & spatio illo. (Maxime, si eiusmodi impedimentum sit decretum Dei) ergo carentiæ rerum non stant in positiuo impedimento existentiæ rerum. Minor probatur. Quia in primis Dei decreta nequeunt percipere: atque ex creatis impedimentis lucis;

vel

vel solis ea non percipiunt: cum sint vltra sensuum sphæram. Dicunt Recentiores, bruta non cognoscere Dei decreta, & nolitiones sub hac ratione, secus quatenus sunt lucis, vel catulorum impedimenta. Contra: quia per te formaliter, quatenus decretum, seu nolitio Dei efficax de existentia lucis est, est impedimentum formale lucis, eiusque negatio: ergo nequit cognosci nolitio Dei, vt impedimentum formale lucis, eiusque negatio est, quin cognoscatur, vt nolitio efficax Dei de existentia lucis.

13. Denique probatur ex illo receptissimo axiomate: *sicut affirmationis causa, est affirmatio, ita & negationis causa est negatio.* Quod in causis, & effectibus receptissimum in Philosophia, & Theologia est. Nempe ex puro non esse, siue negatione causæ, & influxus necessarij requisiti ad effectum præcisè poni effectus remotionem, seu negationem, quin aliud, siue positiuum, siue negatiuum intercedat, sicut ex positione causæ, & influxus necessarij ad effectum ponitur effectus. Et ratio est manifesta. Etenim si causa hæc, & influxus positiuus ad positionem effectus requiritur, eis, vel eorum aliquo deficientibus effectus non erit, licet reliqua eius impedimenta non adsint; alioqui ea necessariò non requirerentur, vt esset effectus: ergo non esse rei, seu effectus illius semotis quibusvis impedimentis, ex eo præcisè, quod causa, & influxus necessarius ad illum deficiant, apponetur, suoque modo à parte rei erit. Tunc autem in nullo positiuo impedimento illius carentia, seu non esse potest consistere; cum tamen cuiusvis essentia esse nequeat sine seipsa: ergo carentiæ rei contingentis essentia, & formalitas non stat in positiuo rei impedimento, sed in pura rei illius negatione, ac remotione mera. Confirmatur: quia sublato Deo, eiusve decretis efficacibus de rerum existentia, quæ causa necessaria, & essentialis rerum omnium sunt, non essent res ex mero defectu causæ necessariæ, & essentialis earum: vt idcirco recitatis verbis ex Ioann. 1. dicatur *sine ipso factum est nihil*, vt persequar certamine sequenti.

CERTAMEN III.

Carentias contingentium rerum in nullo prædicato diuino stare speciatim contra Recentes nostros monstratur.

1. VEnimus tandem ad præsentis instituti certamen, atque præcedentis certaminis scopum: ostendendi, nimirum, in nullo decreto efficaci, seu nolitione Dei de existentia contingentis huius defectum, & carentiam posse consistere, vt nostri Recentiores enixe contendunt. Si enim in nullo positiuo stare eiusmodi carentia potest, in decreto, seu quouis alio Dei prædicato (cuius prædicata omnia positiua sunt) stare nequibit. Verum speciale hoc Recentiorum inuentum specialibus rationibus confutandum nobis in præsentiarum est: & præterea ea, quæ, dum generatim eiusmodi carentias in nullo positiuo impedimento stare posse monstrabant, neque in vllo decreto diuino consistere obiter ostendebant cert. 2. arg. 5. & 6. n. 12. & 13. arguo primo ex verbis Ioann. 1. *sine ipso*, id est verbo, ac Deo *factum est nihil*: ergo sine vllo decreto Dei, aliove prædicato diuino de non existentia rerum. Probatur consequentia: quia sine Deo, nec decretum, neque aliquid diuinum est: sed sine Deo factum est rerum contingentium nihil: ergo sine decreto, vel prædicato vllo diuino factum est nihil. Sed quidquid factum est eo modo est, quo factum est: ergo sine vllo decreto, aut prædicato diuino est nihil. Probatur subsumptum antecedens licet de se, ac ex terminis pateat. Inde enim probatur euidenter, imo ibi reuelatum est, verbum esse hominem: quia verbum factum esse hominem: dicitur Ioann. 1. *Et verbum caro factum est.*

2. Dices; Carentias rerum factas dici non posse: sed potius non factas res: ac proinde ex subsumpto probato, & admisso nihil pro nobis inferri. Non dubito rerum carentias non fieri vero positiuo influxu, & actione, sed eius defectu, vnde probabam cert. 2. num. 13. rerum carentias nullo positiuo impedimento, vt suo modo sint? egere, sed solo influxus, & actionis defectu res non fieri? ac proinde neque esse: ast eodem defectu, quo res non factæ dicuntur, nihil factum esse ab Spiritu sancto dicitur, nec solum res non esse factas. Et sanè, licet silentium negatio loquelæ, & vocis sit, factum esse in cælo silentium ab eodem Euangelista in Apocalypsi dicitur. Sæpiusque sacra pagina, & Latinæ linguæ periti eadem phrasi, vt propria loquuntur, sim. Verque de aliis rerum carentiis Scriptura, & prophani authores. Cædes enim, & clades magna, ideit interitus, & mors factæ in Israel, & in exercitibus frequenter dicuntur. Ea enim, quæ actionem physicam terminare nequeunt, possunt tamen terminare actionem grammaticalem: quod satis est, vt proprietate sermonis facta dicantur.

3. Probatur secundo conclusio. Quia, si rerum carentiæ stant in decreto de non existentia rerum, seu in nolitione existentiæ earum positiua, nequit assignari huius decreti obiectum intentum. Probatur: quia obiectum efficaciter intentum non est rei existentia, sed non existentia potius, seu rei carentia: ergo, si rei non existentia, & carentia sit ipsum decretum, vt non existentiam rei velit ipsum decretum velle debet: ergo decretum illud, in quo rei carentia consistit, debet esse decretum reflexum: siquidem directi nequit assignari pro obiecto non existentia, seu carentia rei, quæ intenditur, vt non sit: vnde rursus probatur, neque decretum primum reflexum esse posse rei carentiam, seu non esse: quia cum habeat pro obiecto decretum directum, quod rei carentia non est, vt vidimus, nequit dum illud intendit, & vult, rei carentiam, seu non esse velle: ac proinde neque ipsum decretum reflexum poterit esse decretum efficax rei non esse, seu carentiam intendens: quare neque erit decretum hoc reflexum rei carentia, seu non esse: Vnde rursus infertur, nec etsi secundo alio reflexo decreto reflexum illud primum efficaciter intendatur, & tertio alio reflexo reflexum aliud, & aliud in infinitum, nullo ex infinitis reflexis posterioribus, & posterioribus supra reflexa decreta priora & priora rei carentiam, & non esse intendi posse: ac proinde in nullo excogitabili Dei decreto rei non esse, seu carentiam posse collocari.

4. Dices simili argumento probari contra satis vulgarem opinionem. peccatum remitti, ac destrui non posse per extrinsecam Dei condonationem: fateor. Sed quid inde roboris huic argumento decrescit, ex eo quod rem aliam mihi etiam veram cuineat simile aliud argumentum, & affine? dices obiectum huius decreti esse existentiam rei, non quidem volitam, sed odio habitam, eam quippe decretum efficax, & eius nolitio auersatur, & fugit: qui modus diuersus tendendi satis est, vt eo affectu res omnino à rebus tollatur. Quemadmodum identitas, siue esse idem prædicatum, & subiectum propositionis obiectiuæ est obiectum, quod mens iudicio affirmatiuo, siue assensu prosequitur; negatiuo vero, seu dissensu negat, atque speciali suo tendendi modo aduersatur. Contra: quia, licet decreti efficacis de non existentia rei, siue nolitionis positiuæ existentiæ rei, atque efficacis auersionis, & fugæ ab eius existentia, existentia ipsa sit obiectum, & materia circa quam deliberationis diuinæ; non tamen est obiectum efficaciter intentum: omnis autem efficacis voluntatis diuinæ intentum obiectum dari debet: quod, nisi existentiæ oppositum, scilicet non existentia, seu rei non esse, seu carentia, esse non potest. Confirmatur: quia fuga, & auersio positiua, ac non mere negatiua, quæ est in suspensione actus, nisi inter extrema opposita dari nequit, vt in omni fuga, & auersione positiua materiali, & spirituali cernere licet: ergo prosecutionis efficacis existentiæ, atque efficacis auersionis ab existentia, oppositi termini, in quos tendant, seu, quos intendant, debent assignari: scilicet rei existentia, atque opposita ipsi non existentia rei eiusdem.

5. Id ipsum confirmat exemplum ab aduersatiis adductum de diuerso tendendi modo assensus, & fugæ dissensus positiui circa identitatem extremorum propositionis. Licet enim vterque circa eam versetur: ast, quia dissensus per modum fugæ, & auersionis versatur, ad eius oppositum extremum, & obiectum tendit, scilicet eius negationem, vt expresse Aristoteles aiebat citato capite

de oppositis verbis hisce datis cert. 2. n. 5. *vti affirmatio, veluti sedet, negationi, seu non sedet opponitur: sic, & res quæ sub vtrumque cadunt. Sedere inquam, & non sedere sibi mutuo aduersantur.* Nil aliud sunt autem res, quæ sub vtramque illam propositionem cadunt, nisi vtriusque obiecta, quæ in prosecutione iudicij affirmatiui assensus, & fuga, seu auersione iudicij negatiui dissensus, opposita esse debere & contradictoria teitatur Aristoteles; licet materia, circa quam iudicij deliberatio versatur, sit identitas extremorum: ergo diuinæ prosecutionis voluntatis existentiæ, & auersionis, seu fugæ positiuæ eiusdem existentiæ obiecta intenta debent esse opposita; licet materia deliberationis, circa quam, sit rei existentia.

6. Confirmatur primo: quia materia etiam deliberationis non est sola existentia rei, sed non existentia proposita: sicut materia etiam deliberationis ad prosecutionem, seu ad non prosecutionem, seu fugam actus. Etenim ex sola propositione existentiæ eiusque conuenientiarum nequit fuga actus oriri; sed ex propositione inconuenientiarum existentiæ eiusdem, quæ eius negatione vitentur. Confirmatur secundo: quia tota nolitio, seu efficax fuga positiua, ac decretum efficax de non existentia rei, totusque modus tendendi in illis repertus hac solum ratione rectè explicatur: volo rem non esse: in hac autem oratione, quis non videat non esse rei esse obiectum volitum? nisi tota etiam Grammatica corrigenda, imo & euertenda sit. Atque his quidem satis impugnata manet solutio illa, quam simili argumento contra extrinsecam condonationem peccati Recentiores alij solent adhibere. Nempe, eiusmodi decretum de non existentia Peccati, siue volitionem non existentiæ illius, non esse volitionem non existentiæ affectiuæ, id est, quæ in non existentiam, tanquam obiectum volitum feratur, sed effectiue solum, ideſt, quæ peccatum ex speciali tendendi modo à rebus semoueat: vt enim vidimus hactenus, atque oratio, qua voluntas positiuæ volitionis existentiæ Petri hactenus, ab omnibus etiam Grammaticis, explicata fuit, explicarique potest, ostendit, positiuus actus, ac decretum de non existentia Petri affectiue etiam in non existentiam Petri necessario fertur.

7. Probatur vlterius: quia modus ille tendendi nolitionis existentiæ Petri, quicumque ille sit (est siquidem, vt Recentes aiunt inexplicabilis, vtique, quia inintelligibilis) est modus tendendi affectus voluntatis: ergo affectiuus, imo voluntatis affectum in aliquid effectiue, ferri, quin & affectiue feratur est ad hæc vsque tempora inopinatum. Imo vero ea solum ratione voluntates efficaces in aliquid effectiue ferri posse, quatenus affectiue in illud feruntur, atque inde vel seipsis, vel potentiarum exequentium applicatione illud exequuntur, quod intenditur fixum apud Philosophos, & Theologos semper fuit. Secundò positiuæ illius voluntatis, qua ex speciali illo tendendi modo effectiuo, ac non affectiuo circa Petri non esse à rebus Petrus amouetur obiectum aliquod assignandum est, quod remotio à rebus, seu carentia Petri non sit: cum autem nullum præ aliis accommodatius sit, vt modus ille tendendi in ipsum, effectiuus, ac non affectiuus circa rei non esse inueniatur, vel cuius affectui modus ille tendendi arbitrario affigatur: Dici posset, ea, qua vtuntur Recentes, libertate, affectu erga musicam, vel raphanoscum speciali quodam tendendi modo effectiuo, ac non affectiuo circa Petri carentiam, & non esse, Petrum ex rebus tolli: id quod, ridiculum est: ac proinde & solutio hæc de tendentia effectiua, ac non affectiua erga rei non esse, ex qua eiusmodi consectarium infertur.

8. Denique eiusmodi tendendi modus effectiuus, ac non affectiuus in illo voluntatis actu inexplicabilis, ipsis, Recentibus fatentibus, omnino est: quod, vt ab ipsis non defenderetur satis esse debebat. Cæteris autem omnino, & ipsis est inintelligibilis. Sed dicunt plura etiam ab omnibus admittenda, quæ satis explicari nequeunt. Ecce enim, inquiunt, voluntas superioris dantis facultatem subdito, vt aureos duos in vsus honestos impendat in vsum ipsum, seu impensionem pecuniarum à subdito sæpe non fertur affectiue, cum potius sæpe, dum eam facultatem facit, nollet à subdito pecuniam illam in eos vsus expendi. Et tamen cum vsum pecuniæ effectiue licentiatum facit qui modus tendendi effectiuus specialis à nemine satis amplius explicatur: ergo similiter in nostro casu atque in voluntate condonatiua peccati potest euenire, vt res, & peccatum efficaci condonatione, & nolitione tollantur: quia vtraque effectiue in non esse rei, & peccati tendat, quin tendat affectiue, licet specialis tendendi modus effectiuus, ac non affectiuus circa rei, siue peccati non esse explicari amplius non possit. Cæterum nescio quo pacto ex eo, quod aliquid inexplicabile sit, liceat aliud explicatu alias facile in alia sententia (vt in nostra de carentiis, ac non condonatione extrinseca peccati contingit) ita in opposita defendere, vt etiam sit inexplicabile mysterium. Inde enim omnia ita defendere possemus, vt inexplicabilia fierent: quia mysterium Trinitatis inaccessibile, & inexplicabile est, totamque Philosophiam, & Theologiam mysteria facere.

9. Sed ostendamus in exemplo inexplicabilis illius modi tendendi voluntatis superioris facultatem facientis subdito ad pecuniarum vsum nihil inexplicabilis modi tendendi circa vsum pecuniarum effectiui esse, qui affectiuus non sit; sed clarè, & aperte affectiuum esse. Etenim subditus voro paupertatis physicæ potestatis vtendi pecunia, & bonis, impotem moraliter, & illicitum vsum sibi fecit, independenter à voluntate superioris erga vsum bonorum à subdito faciendum: ergo sola voluntas superioris circa illum ipsum, subditi vsum potest expedire: cuius voluntatis manifestatio satis subdito est, vt vsum pecuniarum licitum ipsi reddat. Quod autem sæpe superior eum subditi vsum pecuniarum nollet, de nolleitate, seu nolitione inefficaci, cum qua voluntas efficax eiusdem vsus subditi in superiore rectè componitur, est intelligendum. Dices primo satis esse voluntatem permissiuam vsus illius in superiore, quæ affectiua non sit: esto: sed, si volutas illa permissiua vsus subditi positiua est vel formalis, vel interpretatiua, nequit non vel formaliter, vel interpretatiue affectiue in eum vsum ferri, vt contendimus; sin vero neutro modo positiua est, non est ad rem exemplum. Agimus enim de voluntate positiua remotionis, & carentiæ rei contingentis.

10. Dices secundo: voluntatem illam superioris esse faciendi facultatem subdito ad rei vsum, cum qua stare potest efficax etiam nolitio vsus rei à subdito. Sed in primis non capio quo modo cum voluntate efficaci, saltem interpretatiue vsus rei subdito (cuiusmodi in superiore est, cum illius vsus subdito perenti facultatem facit) efficax nolitio eiusdem vsus stare in eodem superiore queat. Alioqui cum voluntate efficaci mediorum efficacium ad effectum stare poterit efficax eiusdem effectus nolitio: nec volita ab incendiario domus successio censenda erit quia ignem ipsi applicuit, vt succendatur, nec mors etiam proximi ei, qui gladio illum confodit: siquidem vtrumque ab his nolitum, vt sic loquar, efficaciter simul esse potuit. Secundo quodnam obiectum vult vel formaliter, vel interpretatiue, nisi vsum rei in subdito superior, cum vult in eo vtendi facultatem, quam concedit? Tertiò quidquid aliud facultas sit, & velit superior à voluntate vsus subditi cum re vtendi facultatem vult, & facit, id tamen, quod vult, & affectiue apponit est forma cuius negatio illicitum illum faciebat, & moralem impotentiam re vtendi formaliter inducebat in subdito: quare licentiæ, quam affectiue, & effectiue apponit, appositio, est appositio formæ, qua licitus redditur vsus subditi: ac proinde sine vllo speciali modo tendendi voluntatis superioris, in vsum tuæ sententiæ, apponitur forma affectiue, & effectiue simul, qua posita nequit non vsus licitus esse: sicut nequit non paries dexter constitui posita in debito loco mea dexteritate, etiam, cum non recordor, ne dum non volo, dexterum illum constituere: quocirca, vt in re nostra exemplum teneret, oporteret, vt forma, qua à rebus remouetur formaliter contingens eo decreto affectiue inmouetur formaliter contingens eo decreto affectiue immouetur, sicque effectiue apponeretur simul, vt contendimus, atque in tua hac sententia fieri nequit; sicque in vtroque casu sine vllo modo tendendi inexplicabili doctrina consistit.

***

CERTAM.

CERTAMEN IV.

Veritatis eiusdem argumenta plura statuuntur.

1. TErtiò argumentor : Carentia contingens decreti diuini de productione Petri, vel alterius mundi pure possibilium non stat formaliter in positiuo impedimento decreti diuini, sed in pura omissione decreti diuini de existentia Petri, aut alterius mundi pure possibilium : ergo carentia rei contingentis vniuersim non stat in aliquo positiuo impedimento decreti diuini, sed in puro non esse, seu negatione, ac non esse decreti diuini de Petri, vel alterius mundi existentia : imo, cum non alia sit ratio de carentiis contingentibus aliarum rerum, idem de omnibus, ex eo antecedenti infertur. Suadetur antecedens : quia nullum decretum, quod de facto est, de rerum existentiis pugnat cum decreto de Petri, vel mundi illius existentia. Sed ne recurratur ad inexplicabilem illum specialem tendendi modum decreti cuiuslvis diuini. Probatur vlterius illa minor, atque occurritur alteri solutioni : quia in Deo datur libertas contradictionis nec solum contrarietatis erga Petri, vel alterius mundi, atque rei cuiuslvis productionem, vel decretum de ea producenda : at, si carentia decreti sit formaliter decretum aliud positiuum, decreto de re producenda oppositum, non autem purum non esse eius decreti, non erit in Deo libertas contradictionis, sed solum contrarietatis : ergo carentia decreti de Petri, aut cuiuslvis mere possibilis productione non stat formaliter in decreto opposito, sed in pura carentia eius decreti. Maior (licet consequentiæ ergo, sicut alia plura firma in Philosophia, & Theologia passim negetur ab aduersariis negantibus Deo puræ omissionis possibilitatem) probatur facilè. Tum, quia perfectio libertatis est, ac proinde in creaturis liberis eam aduersarij admittunt : Tum, quia cum perfectio earum sit, quæ nullam dicunt imperfectionem, Deo summe perfecto libero denegari non potest : id quod vrgebimus adhuc n. 4.

2. Et sane nescio, quo pacto in hac sententia libertas contradictionis humana admitti, saluarique possit. Idcirco quartum argumentum contra ipsam instruendum ita erit. In creaturis liberis potest esse libertas contradictionis : atqui, si omissio, & carentia actus formaliter stet in aliquo decreto, vel prædicato diuino, nequit esse in creaturis liberis contradictionis libertas : ergo non stat formaliter pura omissio actus in aliquo decreto, vel prædicato diuino. Minor probatur : quia libertas contradictionis est potestas indifferens operantis, seu in operante ad vtrumlibet ex oppositis extremis contradictionis, vt Philosophis, Theologisque omnibus, etiam aduersariis est in confesso : atqui, si omissio, seu carentia actus stet formaliter in decreto, seu aliquo prædicato diuino, non est potestas indifferens creaturæ liberæ, seu in creatura libera, imo neque esse potest, ad vtrumliber ex extremis oppositis contradictionis, nempe actus, & omissionis, seu carentiæ actus : ergo neque est libertas contradictionis. Consequentia est certa. Minor ostenditur. Nam, si consistat formaliter omissio, seu carentia actus in decreto, vel alio quouis diuino, libero etiam, potestas illud apponendi, vel secus, non est potestas, seu in potestate creaturæ liberæ, sed Dei : ergo, si in eo formaliter stet omissio, seu carentia actus creaturæ liberæ, non est potestas creaturæ liberæ, siue in creatura libera ad omissionem, seu carentiam actus : ergo neque potestas ad vtrumliber. Quod si libertatem creaturæ componi facis dicas ex potestate creaturæ liberæ ad vnum extremum, & Dei ad aliud; gratulabuntur tibi prædeterminantes, tam Thomistæ, quam Caluiniani.

3. Argo quintò. Si Deus creata omnia in nihilum redigeret, nihil esset positiuum adhuc in Deo, quo ea formaliter à rebus remouerentur : ergo eorum carentiæ non stant formaliter in decreto, seu aliquo positiuo diuino. Probatur antecedens : formale non esse creaturarum aliquando, & à parte ante, & à parte post desinit esse : sed nullum decretum, aut prædicatum diuinum definit desinetve per æternitatem : ergo nullum prædicatum, seu decretum diuinum est formale non esse creaturarum. Dices decretum esse formale non esse creaturarum pro duratione solum, pro qua efficaciter vult creaturam non existere : pro quo solum eius existentiam impedit, ac formaliter removet, seu virtute actiua decreti, suam applicat efficaciam. In efficientia locum haberet solutio. In effectu formali formæ locum non habet. Posita enim forma & subiecto, vel inhæsionis, vel denominationis, nequit non effectus formalis, vel physicus, vel denominatiuus apponi. Quod si circumstantia talis durationis, vel eius defectus tanquam determinans requiritur, vt remoueantur ab existentia creaturæ iam negatio durationis nec solum decretum formale erit carentia creaturarum, ac de non esse, seu carentia durationis redibit quæstio : an stet in solo decreto diuino, an requiratur vlterius aliquid determinans per modum circunstantiæ : quidque illud sit? quia positiuum nihil distinctum à Deo est, neque duratio, si à rerum existentia distinguitur ; negatiuum autem, si in solo decreto, aut alio quouis prædicato diuino consistat omnia fuerunt quando creaturæ existebant : quo effugium ad tempus, seu durationem, etiam imaginariam, diuersam, præeiditur : quia, cum duratio imaginaria sit solum duratio possibilis, eius possibilitas identificatur cum Deo in aduersariorum sententia : quare, & extitit, sicut diuina cætera, ab æterno, nedum quandiu creata existebant : simile argumentum fieri potest de æternitate à parte ante, qua nihil productum à Deo fuit.

4. Sexto argumentor : omnia contingentia positiua possunt simul deficere, ac non esse : at tunc nullum esset decretum Dei : ergo cæterorum contingentium defectus, ac non esse non stant in decreto Dei : consequentia est legitima : quia nihil sine sua formalitate, seu forma esse potest : ergo si formalitas non essendi cæterorum, siue eorum carentiæ formaliter stent in decreto Dei, nullo existente decreto Dei nulla esset cæterorum carentia. Minor probatur : quia omnia decreta Dei contingentia sunt : ergo omnibus contingentibus simul deficientibus nullum decretum Dei existeret, atque omnia deficerent : maior sola, in aduersariorum sententia probatione eget, quatenus defectum omnium simul decretorum Dei continet. Eam vero, quoad hanc partem sic probo. Potuit Deus circa omnes suos actus liberos pure omissiue se habere, omittendo eos omnes, qui circa obiecta, quæ libero amore, vel odio prosequitur versantur. Etenim, neque creatum aliquid, neque cuncta physica, infinitam habent turpitudinem, neque bonitatem, qua Dei voluntas rapiatur ad amandum, vel odio habendum. Secundò : quia, si Deus ad aliquid creatum amandum, vel odio habendum cogeretur, voluntatis, & arbitrij sui perfectè, & omnino dominus non esset : imo imperfectius longè, quam nos nostri arbitrij, & voluntatis, dominium haberet, qui muscam, vel quidvis aliud creatum amare, vel odisse non cogimur. Denique, si omnes actus Dei bonitatis æquales adstruantur, ac Deus ad vnum vel alium oppositum habendum cogatur, non adeo facilè alterutrius laudabilitas saluabitur in plurium, & Recentium, quibuscum agimus, sententia, cum tantundem bonitatis necessario apponere alio actu debeat, si hunc, quem apponit, omittat : quare nulla moralis, vt hi aiunt, in alterius appositione præ alio erit, etsi physica sit libertas.

5. Denique eadem maiori illius pars egregiè ad hominem contra Recentes hosce ab ingeniosis aliis Recentioribus discipulis nostris, ad hunc fere modum probatur : quia necessitas Dei non omittendi omnes suos actus liberos simul, & collectiue, sed apponendi vnum actum, ni alium apponat, nequit esse maior, quam necessitas non coniungendi duplex contradictorium, siue necessitas, quod ex suppositione, quod non sit alterum contradictionis extremum, non possit non apponi aliud : atqui in horum Recentium sententia possunt, duo extrema contradictoria simul, & collectiuè non apponi, neque ex suppositione vnius extremi contradictionis non appositi, alterum necessario esse apponendum : ergo possunt decreta diuina omnia collectiue, ac simul deficere, ac non apponi, seu non esse. Minor probatur : quia Recentes isti asserunt fieri posse, quod pro aliquo instanti determinato neutrum e duobus contradictoriis existat, siue quod ne-

que

que hoc contradictionis extremum, neque alterum ipsi contradictorie oppositum extremum adsit: quia, inquiunt, hodie, neque datur contradictorium existentiæ Adami pro ea mensura durationis, qua extitit, neque Adami existentia pro eadem mensura: ac proinde vtrumque contradictionis huius extremum hodie simul non est. Hoc argumentum ad hominem apposui, quia absolute falso principio contra totam Philosophiam innititur: *Duæ propositiones contradictoriæ falsificari simul in vno instanti queunt.* Id quod eorum ratione leuiter quidem probat: cum certissimum sit propositionem negatiuam existentiæ Adami pro ea duratione qua extitit verissimam in hoc instanti esse, imo necessariam: cum sit negatiua in materia impossibili, scilicet coniunctionis duarum partium durationis in instanti eodem.

6. Septima nostræ conclusionis ratio sit, quam persequi promisimus cert. 1. n. 2. atque ex opposito principio per se noto, & stata lege contradictoriarum desumitur. Est enim eadem cum illo principio, *quodlibet est, vel non est*: nimirum, non posse dari duo contradictoria simul falsa magis quam simul vera. Sed in hac Recentium sententia possunt dari duo contradictoria simul falsa: ergo eorum sententia est falsa manifeste. Probatur minor: quia in hac sententia, vt ab aliquibus eorum, & Complutensibus, & Salmantinis admittitur, carentia cuiusvis contingentis est, & decretum, & scientia vtrumvis scilicet, & quidquid diuinum est incompossibile cum rei contingentis existentia: ac proinde dabuntur in horum sententia plura non esse, seu carentiæ plures existentiæ rei contingentis: quod est dari plura contradictoria existentiæ cuiusvis creaturæ contingentis. Atque vniuersim idem contra omnes, huius sententiæ Recentiores euincitur: quia, etsi in decretis solum incompossibilibus contingentium carentiæ constituantur, cum rei cuiusvis existentiæ decreta plura Dei, ex variis finibus, & motiuis habiti repugnare nequeant, plura etiam contradictoria illius admitti ab hisce omnibus necessario debent. Tum sic: nequeunt vnius rei plura contradictoria dari, quin simul duplex contradictorium falsificarit possit: vt vidimus citato n. 2. ergo, si rerum carentiæ in decretis diuinis cum eius existentia incompossibilibus collocentur, falsificari simul duplex contradictorium poterit. Minor hæc probatur: quia ex eo præcisè, quod vnum contradictorium rei adsit, etsi alterum deficiat, res illa, eiusque existentia non erunt: ergo erit falsum rem existere, atque erit etiam falsum alterum decretum, quod eius etiam carentia, & contradictorium est, suo modo existat, & adsit.

7. Octauo probatur conclusio: quia eo modo, quo carentiæ viuentis multiplicari possunt ei mortes: atqui, si in decreto incompossibili cum existentia viuentis stet viuentis carentia, possunt eius carentiæ multiplicari: ergo & eius mortes multiplicari poterunt, atque esse plures Petri mortes simul: quod est impossibile: alioqui plurium mortium Petri reus esset, qui plurima impedimenta incompossibilia cum eius vita apposuisset. Nec satis firmum illud Spiritus sancti proloquium esset: *statutum est omnibus hominibus semel mori*: cum pluries ex pluribus decretis, cum vniuscuiusque vita incompossibilibus pluries emori possint. Respondebunt fortasse huic, & antecedenti argumento Petri, & cuiusvis contingentis contradictorium, & carentiam esse hoc, vel illud decretum: ac proinde non esse carentias, seu contradictoria Petri plura. Sed contra: quia, vel quodvis eorum sufficit ad tollendum adæquatè, & absolutè è rebus, & existentia Petrum; vel non sufficit, sed vtrumque, vel omnia decreta requiruntur. Hoc extremum dici ab aduersariis nequit: cum asserant quodvis incompossibile cum Petri existentia, quod habet vnumquodque decretum seorsim, esse absolutam eius remotionem, & carentiam. Primum autem est insufficiens solutio. Si enim vnumquodque solum est sufficiens, & adæquata absoluta Petri remotio, vtrumque simul duplex adæquata eius remotio erit: & sane, nisi vnumquodque absoluta, & adæquata, & sufficiens Petri remotio sit, ac proinde ad Petrum remouendum alterutrum, ac non vtrumque requiratur, alterutrum requiri non potest, vt patet in hac propositione. *Alter oculus requiritur ad videndum*, & similibus.

CERTAMEN V.

Pro veritate eadem argumenta reliqua, oppositionum solutiones, reique totius conclusio.

1. ARguo nono. Quia in hac Recentium sententia illud per se notum principium. *Melius est esse, quam non esse*: delirium, vel somniantium vel amentium est. Si quidem melius longe est decretum, vel prædicatum quoduis diuinum, in quo contingentis creati carentia consistit, quam quoduis esse contingens creaturæ. Decimo. Cum nolitio existentiæ Petri, & existentiæ Pauli eadem in Deo esse possit; poterit identificari non esse Petri, cum non esse Pauli, quod est contra Philosophos omnes, & omnium hominum rationem: Vndecimo. Negationes erunt affirmatione demonstrabiles contra omnes Philosophos. Duodecimò. Cum melius longe, imo infinities melius sit non esse, quam esse creati cuiusuis contingentis in hac sententia, infinities etiam melius erit, Deum non amare, non glorificare, non videre, atque ipsi non obedire, quam videre, glorificare, amare; quæ de physica etiam bonitate sunt absurdissima. Atque his similia absurda innumera in hac sententia facile quisque deducet.

2. Videamus iam quibus tandem fundamentis tam arduæ opinationis machina innitatur. Arguunt primo. Negatio datur à parte rei, ergo non est pura negatio, sed ens positiuum. Probatur consequentia: quia pura negatio solum remouet suum oppositum. Si autem à parte rei datur negatio non solum suum oppositum remouet, sed à parte rei seponit: ergo non est pura negatio. Negatur tamen consequentia prima. Ad cuius probationem nego minoris suppositum: scilicet aliud esse in negatione à parte rei seponere, atque suum oppositum remouere: imo neque in oppositio positiuo seponere, & sui carentiam formaliter à rebus remouere distinctum est; licet positiua entia alia semper munia habeant, quam sibi contradictorias negationes à rebus (eo improprio modo, quo in rebus esse dicuntur) remouere. Instant secundo probando consequentiam: quia, si à parte rei carentiæ puræ sunt, conueniunt eis entis passionse, veritas transcendentalis: quia est apta terminare iudicium verum affirmans: nimirum esse illam à parte rei. Vnitas item: quia cuiusque carentia vnica est in se insectilis, atque diuisa à carentia alterius cuiusque. Bonitas: quia carentiæ plures amabiliores sunt, quam suum oppositum: vt patet in carentia pænarum inferni. Verum nulla ex his entis proprietatibus conuenit carentiis. Non veritas, quæ stat in positiua essendi soliditate non apparenti, sicut auricalchi, quod aliud est, quam apparet; eam autem soliditatem essendi, quod nullatenus est nusquam habebit: imo vero iudicio affirmatiuo, nisi aliquid rationis intercedat de negatione iudicari nequit. Nec bonitas physica; cum solum carentiæ pænarum bonæ sint, quatenus disconueniens nobis, licet in se bonum physicum, remouent. Vnde physice, & in se loquendo, Teruntius melior est, quam carentia pænarum inferni. Quod autem omissio libera actus prohibiti bona sit, atque actus præcepti mala bonitatis, aut malitiæ moralis, non physicæ (quæ sola entis est passio) argumentum est. Sed neque vnitas entis conuenit carentiis, quæ omnino non sunt, quare neque ens vnum, sed purum nihil, licet vnius solum entis remotio sit.

3. Obiiciunt rursus. Omissio libera est vere peccatum: ergo absolute est, quando est, ac proinde est ens, & aliquid. Alioqui per nihil Deus sic omittentem damnaret. Distinguo maiorem; est peccatum omissionis, fateor; commissionis, diffiteor; & distinguo consequens: ergo est vere in morali æstimatione, seu moraliter quando est, concedo; physice, nego. Et similiter distinguo consequens secundum, atque confirmationem per nihil physicum, concedo; per nihil morale, nego. Ens autem morale,

morale, quod in puro physico non esse omissionis inuenitur: est æstimatio quædam communis, qua agere contra legem quis censetur, cum eam omissione transgreditur cum aduertentia legis, & libertate. Sed pertinent debere esse ens physicum, nec solum morale: quia eiusmodi omissioni conuenit transire de potentia ad actum, quod entis physici proprium est. Sed tamen proprius entis physici creati transitus de potentia ad actum est per positiuam actionem, siue ab eo distinctam, siue ipsi identificatam, non autem per actionis defectum, seu negationem, vti puræ omissiones, seu carentiæ de potentia ad actum transeunt.

4. Opponunt de fide esse omnia in tempore cæpisse: sed, si carentiæ puræ dentur, vere & realiter fuerunt ex æternitate: ergo non cæperunt in tempore. An, si in nolitione existentiæ earum diuina, vt obiicientes volunt carentiæ rerum stent, in tempore incipient? Nos autem facilè respondemus esse, & fuisse realiter, nisi figmento rationis intercedente dici de carentiis non posse: quare vere, & realiter loquendo implicare in terminis minorem, imo quia rerum carentiæ impropriosuo essendi modo ab æterno fuere, verum de fide est omnia in tempore cæpisse: quia propriè nihil creatum ex æternitate fuisse, nisi quia ex ea non fuit aliquid, sed suo modo omnium remotiones fuere, verum esse potuit. Dices iterum, ni Dei nolitio carentia rei sit, Deus non poterit se expedire à rei existentia, vel negatione: ergo saltem cum alterutro extrinseco connexus erit. Distinguo antecedens; non poterit se expedire ab alterutro ex necessitate intrinseca Dei ipsius, nego; ex necessitate extrinseca, & intrinseca extremorum contradictorie oppositorum, scilicet rei, vel eius carentiæ, quia alterum ex eis necessario verificandum est, concedo; & nego consequentiam.

5. Opponis. Nihil caret existentia, quin detur nolitio existentiæ vel saltem scientia Dei de non existentia ipsius: ast alterutro ex his posito implicat rem existere: ergo alterutra saltem est carentia existentiæ rei. Probatur hæc consequentia: quia, cum earum quauis rei existentia est incompossibilis. Sed negatur facilè consequentia: ad cuius probationem respondeo: non quidquid incompossibile absolutè; & vtcumque, est, antecederet, vel consequenter cum altero extremo contradictionis, esse formaliter extremum alterum cum illo incompossibile, vt mille exemplis lippis est, & tonsoribus notum. Alioqui volitio efficax Dei de existentia, seu entitate Petri esset ipse Petrus: quandoquidem absolutè cum eius negatione est incompossibilis. Et scientia item de eius existentia, & entitate Petrus esset, cum eius carentiæ repugnet. Sed quia horum incompossibilitas cum Petri carentia altera antecedens, altera consequens, neutra est realiter formaliter Petrus. Ita ergo accidit nolitioni existentiæ Petri, & scientiæ de eius carentia diuinis. Quare oporteret ostendi incompossibilitatem earum cum rei existentia formalem realem esse, vt in earum alterutra rei carentiam stare monstraretur. Id autem, probabiliter adhuc, suaderi vetant exempla de volitione, & scientia diuinis existentiæ Petri, quæ, nuper dedimus, aliaque innumera, quæ tædet recensere: sicut, & alias Recentium instantias referre, ac diluere.

6. Possibile est, inquiunt, nihil malum, seu imperfectum de facto dari: ast, si dentur puræ carentiæ, ac non esse rerum ab omni positiuo diuersæ, id erit impossibile: ergo stant in aliquo positiuo. Minor probatur: quia, & lux mala physicè, seu imperfecta est: & carentia lucis similiter est mala. Alterutrum adesse necesse est, si carentiæ non in positiuo consistant. Maiorem probant: quia alias Deus connecteretur cum aliquo imperfecto & malo hoc, vel illo disiunctim. Ad hoc de connexione Dei respondimus numero quarto. Cæterum argumentum totum etsi carentiæ rerum in positiuo consistant tenet, si tenet. Nam vel rem, vel eius carentiam dari necesse est: atque rem creatam imperfectum quid esse, & eius carentiam esse priuatiuè malam, in quocumque stet, quatenus remouet ens positiuum, quod bonum transcendentaliter est: quare eo sensu imperfecti & mali priuatiuè oppositi ab omnibus negandum est antecedens: nam necessario dandum esse, vel suo modo, in rebus malum priuatiuum, vel entitatem positiuam illi contradictorie formaliter oppositam, & repugnantem necessarium est: quare & vtrumque abesse simul est omnino impossibile.

7. Rursus obiiciunt. Deus non est mortalis, compositus, circumscriptus, mutabilis, &c. nihil significant à positiua entitate Dei distinctum: ergo nec Petrus non existit, & similes quidquam à rebus distinctum important. Vtræque enim propositiones negatiuæ sunt. Negatur facillimè consequentia. Nam propositiones illæ, quæ negatiuæ videntur de Deo dici, negatiuæ vocetenus solummodo sunt, re autem vera, atque ex parte obiecti significati omnino affirmatiuæ. Nam immortalitas, quæ negatione mortalitatis; simplicitas, quæ negatione compositionis; Immensitas, quæ negatione circumscriptionis explicantur, positiua prorsus prædicata diuina sunt, vt omnes Theologi statuunt. Negatiuæ vero propositiones de creaturis, negatiuum quid ex parte obiecti denuntiant, suntque non voce solum, sed re vera, & ex parte obiecti negatiuæ. Vnde argumentum est. Propositiones ex parte obiecti affirmatiuæ positiuum significant: ergo & ex parte obiecti negatiuæ positiuum etiam significabunt.

8. Obiiciunt alij apud Comptonium supra. *Quod non est*, iuxta Aristotelem, *non scitur*: ergo, quod scitur, est: atqui sciuntur, seu cognoscuntur negationes, seu carentiæ: ergo non sunt ex his, quæ non sunt, sed quæ sunt: ac proinde positiuum aliquid. Sensus axiomatis est: non sciri vt ens, quod non est, à verè cognoscente, vt ibi S. Thom. siue à nobis non sciri, vt non ens pure, sed entis adinstar, vt obseruat Augustinus cap. 3. de vita; atque experimur omnes. Instant; res per seipsas existunt: ergo per seipsas sine superaddita carentia non existunt: consequentia hæc ridicula probatur. Primo: quia alioqui duo contradictoria simul falsa dari poterunt, v.g. *Nunc Antichristus est per seipsum sine superaddito*: atque: *Nunc Antichristus non est per seipsum sine superaddito*. Secundo infertur alias, nulla dari contradictoria. Cum affirmatiua habeat pro obiecto ens, siue existentiam; negatiua vero non existentiam, seu entis carentiam quæ aliud ens est: ac proinde non sunt eiusdem de eodem. Respondetur ad primum secundam propositionem negantem esse manifeste veram: neque enim affirmat negationem Petri nunc esse per ipsam entitatem Petri sine superaddita negatione, seu carentia; sed Petri per seipsum, ac sine superaddito actualem existentiam, quæ in affirmatiua contradictoria asserebatur. Ad secundum nego non fore contradictoria eiusdem de eodem. Nam eadem existentia, seu entitas, & esse rei quæ affirmatur de illa in contradictoria negatur: in quocumque carentiæ consistant: multoque magis premit aduersarios argumentum: cum ex eis nemo carentias cum ente positiuo, cuius carentiæ sunt, identificet, ne omnia chimæras reddat; sed cum alio, quod rei carentiam impediat, quod implicat esse idem cum illa. Nos autem idem obiectum & affirmatum, & negatum assignamus.

9. Ex quibus omnibus constat rerum contingentium carentias in mera rerum remotione, & defectu formaliter stare sine vllo positiuo, atque esse purum rei non esse, vt hactenus Philosophis, ac Theologis omnibus in confesso, atque in manifestis veritatibus fuit. Constat item nihil ab hisce Recentioribus afferri, quod communem omnium apprehensionem, fixumque, & statum sapientium omnium iudicium corrigendum aduersariorum argumentis euincat.

DISPVTATIO IX.

De dominio, & Regno diuino.

Dominivm, Regnumque Dei in hac disputatione coniunxi, quia vtrumque sub generali dominij ratione coercetur. Etenim dominium alee-

rum proprietatis, alterum iurisdictionis est. Illud dicitur dominium specialiter dictum, vt à Regno distinguitur. Dominium proprietatis est, potestas *vtendi re pro libito sine iniuria alterius etiam venientis.* Dominium iurisdictionis, *est potestas legitima ius dicendi in alios.* Vnde superiores omnes passim domini dicuntur. Quod si potestas hæc suprema in aliquo ordine sit, ac proinde in eo superiorem potestatem non habeat regia potestas, & Regnum est. Posui autem vltimo huius controuersiæ loco post disputationem de omnipotentia Dei nonam hanc de dominio Dei disputationem: quia dominium omne Dei præsertim, quod proprietatis est, in libera rerum à Deo creatione, & conseruatione fundatur, vt patet ex dictis controuersia 2. de Incarnat., ac proinde in eius omnipotentia. Licet autem creatio, & conseruatio rerum videatur ad hanc potestatem requiri: tamen non requiritur ad potestatem ex parte Dei, seu dominium purum, sed solum ad possessionem, quæ quidem relatiua verè est, & extremorum existentiam requirit: ac proinde attributum dominij Dei non est in actu primo, sed in actu secundo, Et quidem verum est, neque dominium proprietatis, neque iuridictionis irrationalibus posse competere, ac proinde disputatio hæc alias de prædicato intellectiui, & volitiui, siue de scientia, & voluntate videtur necessario supponere: quia vero horum integram vnumquodque controuersiam requirit, prædicata hæc supponenda vt certa hic sunt, ne disputationem de dominio ab omnipotentia, quæ eius fundamentum est, tam longè diuidamus, vt capacitatem subiectiuam illius tam longo examine in Deo prius statuamus.

QVÆSTIO I.

De Dominio proprietatis diuino.

DE dominio hoc videndum est, an Deo conueniat? Quibusque titulis: atque eius præ creatis dominiis reliquis excellentia.

CERTAMEN I.

Dominium proprietatis Deo competere erga purè creata omnia, & vltra certissimum est.

1. QVoad creata omnia, quæ de facto sunt est conclusio de fide: frequentissimè enim in Scriptura, & se dominum appellat Deus, & à Prophetis, & sacris scriptoribus appellatur. Omniaque creata Domini esse dicuntur, Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.* Psalm. 49. *Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ.* Psalm. 88. *Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem, & mare tu creasti.* Ex hoc dominio omnia Deo seruire dicuntur, sine inanimatorum exceptione, in quibus larga solum quædam, licet propria, seruitus esse potest: cum strictæ seruitutis solum rationales creaturæ capaces sint: ac proinde de his strictissima seruitute Deo seruire, atque in Dei seruis censeri. Primum constat ex Psalm. 118. *Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.* Secundum ex Iob 4. *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem.* Et 1. ad Timoth. 6. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Dicitur sicut in Apocalyps. Dixi autem dominium Dei ad omnia pure creata extendi, vt Christi humanitatem, seu Christum, etiam, qua hominem, à stricto Dei dominio proprietatis, atque à correlata propria seruitute secluderem ob rationes datas controuers. de incarnat. quarum proinde repetitione abstineo.

2. Probari solet hæc conclusio ex multiplici titulo, qui in Deo ad dominium, atque in creaturis ad seruitutem eius est: generalissimi ad creaturas aliquando existentes sunt, titulus creationis, & conseruationis. Si enim ex eo, quod bello capti perimi ab hoste possunt, & tamen seruantur, iure naturali gentium in captis victis seruitus, atque in capientibus victoribus dominium proprietatis suboritur, vt controuers. de incarnation. ostendebamus: Potiori sanè iure in creatis omnibus, quæ Deus, non solum liberè conseruat, cum posset pro suo arbitratu destruere; sed & cum non erant liberè etiam, & omnino gratuito è nihilo sui produxit, stricta, & propria seruitus, atque in Deo ita eas producente, & adseruante dominium proprietatis adnascetur. Hoc Dei in creata omnia eis titulis dominium expressit apertè verbis recitatis numero primo, Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Rationem statim Psaltes subdit: *quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.* Esther. 13. *Tu fecisti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur, dominus vniuersorum tu es.* Ad Roman. 9. *O homo, tu quis es, vt respondeas Deo?* seu rationem factorum ab eo exigas. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se fingit: quid me fecisti sic: an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Quod argumentum à minori titulo ad maiorem deducitur, ac proinde efficacissimè probat. Nam nec figmentum ita essentialiter, neque ita adæquatè, & totaliter à figulo pendet, sicut creatura à Deo. Nam & ab alio effingi posset: & non nisi ex massa argillæ supposita posset ab illo effor-mari.

3. Porrò creata omnia ita essentialiter à Deo pendere in fieri, vt sine ipsius actiuo concursu nihil fieret expressum est Ioan. 1. *Et sine ipso factum est nihil*, quoad conseruationem vero ex eadem essentiali dependentia facilè etiam constat, si enim creaturarum absolutum esse essentia, & entitate sua à Deo dependens est, quandiu erit earum esse absolutum dependentia à Deo necessario erit: ac proinde in conseruari etiam necessario dependebit à Deo earum absolutum esse, neque in hoc vlla est inter Doctores scholasticos, qui hactenus scripta sua viderunt, controuersia. Nam licet Durandus singulariter, imo temere iuxta nonnullos, censeat, Deum ad omnia immediatè non concurrere, tamen ad ea, ad quæ immediatum eius concursum admittit, scilicet materiam primam, & substantias per se subsistentes, non solum in fieri, sed etiam in conseruari ad eas concurrere, atque ad ea, ad quæ mediatè in fieri concurrit etiam in conseruari mediatè concurrere fatetur, vt patet ex eius doctrina in 1. d. 37. quæstione prima, quare nullam in creaturarum dependentia à Deo in conseruari, & earum ab ipso dependentia in fieri differentiam recognoscit. Imo eandem veritatem de rerum, in conseruari etiam dependentia à Deo asseuerant Philosophi Platonici, qui dicebant, mundum pendere à Deo, sicut lumen à sole, & vmbram à corpore teste Marsilio Ficino 2. Theolog. Platonic. capite septimo, & Aristotel. primo, de cælo capite nono, sub finem scribens. *Ab æterno, & immortali æuo dependere esse, & vitam aliis perfectius, aliis obscurius*, &c. Vt benè expendit Scaliger exercitationibus contra Cardanum.

4. Atque vti ex ratione facta constat, nisi essentialis dependentia in sui existentia, & absoluto esse creaturarum à Deo negetur, earum ab illo conseruatio negari minimè potest. Ea vero negata & à se, & ab alio quouis esse, ac fieri poterunt, quin à Deo. Neque maior repugnatia inueniri potest in eo, quod creata à se, ac non à Deo fiant, quam in eo, quod non à Deo conseruetur.

Secundo

Secundo infertur, minus pendere creata à Deo, quam actus vitales à viuentibus: plantæ, & animantia à cælo, & sole. Infertur tertio: effectus non magis à Deo, quam à causis particularibus pendere: ab vtroque enim in fieri indiuisibiliter pendent, quare ni à Deo in conseruari pendeant non magis à Deo pendebunt. Quarto mundus non pendebit à gubernatione Dei, nisi ratione primæ conditionis, qua rebus, vt se tueantur, & seruent vires, & facultatem indidit. Vnde non magis à Deo pendebit, quam artefactum quoduis firmiter extructum ab artifice: ac proinde, pene otiosus in mundo esset Deus. Denique nullam substantiam creatam totalem, imo, neque materiam primam, posset Deus destruere. Neque enim id potest subtractione concursus conseruatiui, quem in opposita sententia negante Deo rerum conseruationem non præstat; neque productione alicuius incompossibilis repugnantis cum illis in rerum natura, atque earum destructiuis, vt patet. Substantia enim substantiam perimere non potest, vt omnibus patet. Supponuntque Patres Concilij Francfortdiensis respondētes Felicianismo cuidam, vt vidimus ac retulimus d. proœm. de Trinit. & Incar. q.2. cert. 5.

5. Sed veritatis eiusdem, firmiora adhuc, ex scriptura, & Patribus fundamenta habentur. Sapien. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* posset autem permanere, ni ab eius voluntate omnium conseruatio penderet. Quod autem additur: *aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?* non ideo est, quia ea solum ratione, qua primo facta, & vocata, seu euocata ex nihilo sunt, à Deo conseruata dicantur: sed quia permanentia, & conseruatio rerum præter influxum, anteactam primam earum existentiam concernit: ac proinde totum quod conseruatio dicit à Deo esse his verbis adiunctis ostenditur. Ad Hebr.1. *Per filium fecisse sæcula Deus dicitur.* In quo rerum permanentia, duratio, & conseruatio continetur. Secundo hæc rerum dependentia à Deo in conseruari continentiæ vasis, quo fluida tenentur, ne dissoluantur, effluant, & pereant, metaphora appositissima nobis explicatur Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis,* qua, inter alias, phrasi id nobis docuere. Origin.2. Periarch. *Quomodo in Deo viuimus, mouemur, & sumus? nisi, quia virtute sua vniuersum constringit, & continet mundum?* infra: *vniuersum mundum virtutis sua plenitudine replet, & continet.* Damasc. 1. fid. orth. c. 3. *Creatura connexio, conseruatio, & gubernatio docet nos Deum esse, qui istud vniuersum constituit, & continet, & prouidentia sua regit.* Idem docet c. 16. & Hieron. epist. ad Pesiphont. & Augustin. 4. de Genes. c.12. ex quo Prosper. sent.277. illud pendens. *Pater meus vsque modo operatur,* ait. *Continuationem quandam operis eius, qua simul omnia continet, & administrat, ostendit.* Sed omnium illustrissime Dionys. 10. de diu. nom. *dicitur, quod sit omnium sedes, omnia continens, & complectens, & cuncta stabiliens, fundans, atque constringens, & vniuersum in se insolubile præstans: & ex se veluti ex omni tenente radice, cuncta producens, atque ad se, vt ad omnitenens fundum vniuersa conuertens, & continens, vt omnium sedes omni capax: omnia contenta vna præexistenti connexione communi teens, neque sinens ea sibi excidere, no tanquam exactissimo domicilio mota discrepent.* Denique Anselm. illud ad Colos. 1. *Omnia in ipso constant,* ita exponit, *Quia sicut omnia creauit, omnia continet, & regit. Omnia in ipso constant, quia secundum immensitatem incircumscripta, & incomprehensa diuinitatis eius. Omnia sunt intra ipsum. & ne in nihilum redeant, per eum consistunt.* Chrys. homil. 2. in Epist. ad Hebr. *Illud portans omnia.* ex c. 1. *Sic ediserit feretque omnia, id est, gubernet omnia, siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet.* Idque maius, quid creatione esse ait. *Nam in faciendo rerum quidem essentia producta sunt: in continendo vero ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Quæ etiam habentur in commentario, quod Ambrosio tribuitur, in Haimone, Theophylacto, & aliis.

6. Alia metaphora æque illustri manutentionis diuinæ, qua vniuersa creata teneat, ne decidant, eorum à Deo conseruatio explicatur à Psalmista verbis illis Psal. 118. *si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ab Augustino, & prospero vbi proxime immediatis hisce ante recitata verbis. *Creatoris omni tenentis omnipotentia causa est subsistendi omnē creaturæ: qua virtus, si ab eis, quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura conuideret.* A Dionys. proximè recitato verbis illis. *Omnitenente radice,* quod alij: *Omnipotente* vertunt: cum tamen vox græca παντοκράτωρ. Omnipotenti potius, quam Omnitenenti æquiualeat. Huic valdè metaphoræ sustentationis, & portationis omnium conseruatio cunctorum creatorum à Deo tradditur à Paulo verbis de Dei filio immediatè sequentibus recitata ex prima, ad Hebr. quæ sic habent: *qui, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ,* &c. quem locum ita exponit Anselmus. *Id est sursum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerant: & sustentat ea, non labore, & difficultate, sed imperio suæ potentiæ.* Idem significatur illis ad Colos.1. *Omnia in ipso constant;* ad quæ Chrysost.homil.3. in eam epist. legens: *In ipsum pendent,* ita scribit, scilicet: *in ipsum pendet omnium hypostasis. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc, vt essent, produxit, sed, & idem ipse, nunc quoque, ea conseruat, & tuetur: ita, vt, si ipsius cura destituerentur mox perirent, & corrumperentur.* Additque: non crassiori *conseruandi,* sed subtiliori *in ipsum pendendi* vocibus Apostolum vsum: *quia dumtaxat ad ipsum annuere, & inclinari satis est ad conseruandum.* Bernard. præfat. in Psalm. *Qui habitat,* illud: *portans omnia.* Sic expendit. *Quid enim timendum nobis, si adsit, qui portat omnia? Quid est, quod totam terræ molem sustinet? & vniuersus orbis, cui innititur? Nam si est aliquid, quod sustineat omnia, ipsum à quo sustinetur? Non inuenitur, nisi virtus verbum omnia portans. Verbo enim Domini cæli formati sunt,* &c. Hugo de Sanct. Vict.1. erudit. Theolog. *Nec sine eo potest aliquid subsistere, etiam per momentum ex omnibus quæ fecit: quia omnia continet, & penetrat, & à nullo continetur.* Bernard. item 5. de consider. *In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.* Et serm.6. in dedicat. Eccles. *Est in omni loco, omnia vniuersaliter continens, omniaque disponens.* Gregor. Mag. 17. moral. capite 18. metaphora illa manutentionis rem nobis ita explicuit. *Cuncta ex nihilo facta sunt: eorumque essentia rursum in nihilum tenderet, ni eam author omnium regiminis manuteneret.* Dixerat autem paulo superius. *Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt: & nisi gubernantis manuteneantur: esse nunquam possunt.* Vtraque vero continentiæ, & sustentationis metaphora ad rem explicandam fuit vsus 2. Moral. cap.12. ad illa verba. *Cælum palmo metiens & terram pugillo concludens. Ostenditur,* inquit; *quod ipse sit circumquaque rebus cunctis, quas creauit exterior. Per sedem ergo cui præsidet intelligitur esse interius, supraque: per pugillum, quo continet exterius subterque signatur: quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Et superior per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia parte superior, aut alia parte exterior, atque alia manet interior: sed vnus idemque totus vtique præsidendo, sustinens sustinendo, præsidens,* &c.

7. Idipsum continua Dei in rebus, operatione, influxu, submministratione tradditur Ioan.5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Conseruatione scilicet rerum. August.4.de Genesi ad litt.cap.12. *vsque nunc à creatione, & vltra operatur eorundem generum administrationem, qua tunc instituta sunt: non vt ipso saltem die septimo potentia eius à cæli, & terræ omniumque rerum, quas condiderat gubernatione cessaret; aliqui continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia causa est subsistendi omnē creaturæ: qua ab eis, qua creata sunt regendi; si aliquando cessaret, species, omnisque natura consideret. Neque*

enim sicut Domus ab architecto, inquit, *in fieri solum à Deo creata pendent. Proinde cum Dominus ait: Pater meus vsque modo operatur: continuationem quandam operis eius, quæ vniuersam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Quod fusius ex Scriptura probat: Et cap. 27. Enchirid. *Non sane creatoris desistente, bonitate, & malis Angelis subministrare vitam, viuacemque potentiam: quæ subministratio, si auferatur, continuo interibunt.* Quæ pluries alibi repetit. Ambrosius 7. in Luc. cap. 23. *Denique: vt Deus ab operibus mundi quieuit? non ab operibus, cuius sempiterna, & iugis operatio est: sicut filius ait: Pater meus vsque modo operatur & ego operor.* In quem sensum hunc locum interpretantur Chrysost. hom. 27. in Ioann. Cyrill. 2. in Ioann. cap. 183. Theophylact. in 5. Ioan. apud Caten. S. Thom. Augustin. iterum tract. 17. in Ioann. & quidem, cum ex Dei operatione sabbato erga omnia à mundi initio, paralytici curationem in Sabbato à se factam licitè contra obmurmurantes Pharisæos ostendat eo loci Christus malè ostenderet, si rerum conseruatio à Deo non esset, nisi, quatenus primo in mundi creatione produxit, quæ posteà sese conseruarent, ac propria operatione tuerentur. Neque enim magis operari posteà cunctis diebus, Sabbati etiam Deus dici posset, quam, qui die Lunæ horologium, aut aquæ ductum continuo, ac proinde etiam Sabbati die, currentem struxisset. Accedat illud Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Quibus quotidianam in nos Dei beneficientiam, non antiquam solum in prima rerum conditione, Christus commendat: maximè, cum tunc mali, & iniusti non fuerint. Dionys. 13. de diuin. nom. *Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indeficientibus largitionibus, & interminabilibus operationibus, eamque largitionem esse semper eandem, & incessabilem, & immiuibilem*: essentialem creaturarum à Deo dependentiam in essendo quandiu sunt hæc omnia scripturæ, & Patrum testimonia supponunt, quam supra diximus, quamque clarius nos docuit Bern. 5. de considerat. his verbis. *Quid item Deus, sine quo nihil est? Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest: ipse sibi est: Ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse.* Ex quibus constat rerum omnium à Deo conseruationem de fide esse (vt supra citatus Hieronymus) Sicut etiam Dei cooperationem cum illis. Quare titulus hic Dominij diuini increata omnia, quæ sunt, inconcussa fide tolli nequit.

2. Quod autem rerum omnium finalis causa Deus, eiusque gloria sit probatur communiter ex Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus: impium quoque ad diem malum.* Et ad Hebr. 2. *Propter quem omnia.* Et ad Roman. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso* (græcè ἐις αὐτὸν) *in ipsum seu propter ipsum, sunt omnia.* Sed, vt taceam Deum eiusve gloriam causam ipsi finalem omnium, quæ facit, propriam non esse, vt controuer. de volunt. ostendam, neque id citatis locis, maximè Pauli, contineri: quod dicitur eum esse titulum necessarium, & essentialem dominij creaturarum omnium falsissimum est. Ordinatio enim alicuius in alium tanquam finem, neque fini, dominij, neque ordinato ad illum, seruitutis respectu illius, titulum affert, vt mille exemplis claret. Dicuntur autem media, & quæcumque, siue natura, siue ex arbitrio ordinata sunt, fini seruire, siue inseruire, non quidem seruitute propria, quæ dominio proprietatis respondet, (de quo in præsenti) sed quatenus seruitus conducentiam significat, & seruire, conducere: id clarius significat verbum *inseruio*; quod in re hac verbo *seruio*, de mediis respectu finis dicto, prorsus æquiualet, & rigore sermonis respondet.

3. Sed, licet solidiores duo illi tituli creationis, & conseruationis pro dominio diuino adstruendo appareant, communiterque à Doctoribus habeantur: Censeo tamen dominium diuinum eis titulis non fundari; sed solius omnipotentiæ secundum se spectatæ, titulo à rebus, & operationibus ad extra absoluto diuinum dominium reuera inniti. Licet enim dominium respectum ad id cuius, seu in quod dominium est necessario sonet, neque aliter à nobis concipi queat: ac proinde illud concernat; re tamen vera è genere suo, neque illud connotat, nec respicit. Quemadmodum neque actiua potentia è genere suo effectus possibilitatem concernit; licet nec significari, nec concipi sine respectu ad illam à nobis possit, vt de omnipotentia diuina ostendimus d. 7. quæst. 3. & de creatis potentiis agentis cuiusvis naturalis verosimilius iudicabamus controuersia physicor. Et sanè, quidquid de physica potentia, seu potestate esset: De ciuili vero dominij potestate planius est: cum potestas iudiciaria, quæ non minus subditos concernit sine eis actu assignatis absoluta esse possit: vt constat ex antiquis iudicibus Castellæ, qui nondum designatis subditis, & iurisdictione, potestatem absolutam iudici iam habebant; licet ex parte obiecti conditionatam: & in potestate ordinis sacerdotalis, antequam ab ordinario ad confessiones audiendas approbentur. Si autem dominium, qua dominium, realem, & verum respectum non dicit ad rem, in quam est, ita est de Dei dominio censendum: cum diuinum quoduis prædicatum independentia omnis à creatis rebus, adhuc possibilibus, nedum existentibus, etiam tanquam à connexionis terminis magis deceat.

4. Insuper probatur: quia dominium Dei absolutè attributum Dei est, ac proinde Dei intrinsecum, & essentiale physicè: ergo omnino absolutum à creaturis, maximè existentibus; alioqui eis, vt possunt, deficientibus aliquid Deo intrinsecum deficeret. Quod autem dominium Dei attributum intrinsecum sit constare videtur. Inde enim prouenit, quod nullius creaturæ dominio abdicare se Deus possit, vt fusè ostendimus controuer. 3. de incarnat. d. 1. quæst. 2. Dices dominium creaturarum non esse attributum Dei intrinsecum, & essentiale, ac proinde inabdicabile; sed, quia, cum funderur in necessaria creatione, & conseruatione illarum à Deo eo ipso, quod sint, sub dominium Dei non cadere, ab illoque subtrahi nequeunt: sicuti neque dependentiæ ab ipso se subtrahere. Sed contra est: quia, nisi aliud in Deo supponatur, nempe omnipotentia, & voluntas, quibus potest rem producere, & conseruare, vel secus, ex præcisa productione, & conseruatione, nec dominium, neque inabdicabiliter illud haberet: est ergo in Deo ius, & potestas antecedens creationem, & existentiam rerum, vt, vbi primum sint, sine alicuius iniuria eius voluntati, & arbitrio subiaceant in omnem earum vsum. Hoc autem ius dominij proprietatis est. Quemadmodum ergo omnipotentia absoluta est à possibilitate creaturarum: quia est potentia omnium possibilium productiua, si fuerint: ita est potestas Deo intrinseca absoluta ad omnem rei vsum,

CERTAMEN II.

Præfati, aliique tituli dominij diuini examinantur. Vbi de huius ad possibilia extensione.

1. DVos alios, vel tres titulos dominij diuini video ab authoribus circumferri, qui mihi non probantur. Primus est gubernationis rerum omnium, quem quidem, si secludas rerum conseruationem, quæ in earum gubernatione includitur, atque secundus titulus dominij diuini increata censetur; tertium eius dominij titulum esse non video, sed iurisdictionis, seu Regni diuini actum, atque in creaturis rationalibus gratitudinis incitamentum; Quartus titulus redemptionis censetur à seruitute peccati, diaboli, & pœnæ. Sed præterquam titulus hic creatis omnibus communis non est, hominum tantum redemptorum dominij diuini, de quo disputamus titulus non est; sed dominij humanitatis Christi, seu eius, qua hominis in sic redemptos. Quintus titulus numerari solet (sed præcipue à Lesio 10. de attrib. cap. 5. §. *quartus titulus*) dominij diuini increata ratio vltimi finis, quæ in Deo respectu creaturarum est, ita, vt omnia natura, & essentia sua ad Dei gloriam, & propter Deum, eiusque bonitatem sint facta: sicut artefacta, quia ad commodum, voluptatemque hominum condita sunt, eis necessario debent inseruire.

si fuerit: ita vt conditio non apponatur dominio, sed eius actibus, & obiecto. Vltima probatio huius conclusionis ex probatione sequentis desumetur.

5. Dico 3. Dominium Dei vltra existentia ad possibilia omnia extenditur. Probatur ex scriptura dicente Deum *vocare ea, quæ non sunt, sicut ea quæ sunt*: scilicet possibilia in statu puræ possibilitatis, & ex pura sui negatione: ea vero vocatio actus dominij est, quo excellentia dominij diuini prædominiis creatis claresçit. Cum enim nulla sit potestas extrahendi res ex nihilo sui, nisi in Deo; ita, nisi in illo, dominium in nondum existentia esse non potest; sed solum in existentia, quæ destrui pro arbitrio creato possunt, vel conseruari: quare in creatis Dominiis rei existentia ad dominium expectatur, secus in Deo, ob rationem datam: ex quo vlterius constat dominium intrinsecum, & attributale Dei amplius, quam ad possibilia extendi. Neque eis solum commensurari. Cum enim in omnipotentia Dei fundetur, æque, atque ipsa patere debet: ac proinde, sicut hæc amplior de se possibilibus est, sicut & immensitas omni loco etiam possibili amplior: ita & de dominio Dei philosophamur, vt, de se, vltra possibilia extendatur. Rerum igitur creatio, & conseruatio earum possessio Dei est non dominium, vt initio quæstionis docebamus.

6. Restat vero examinare an dominium hoc in creata omnia Deo intrinsecum, quod eius attributum esse diximus, distinctum attributum ab omnipotentia sit. Nihil enim amplius esse videtur, quam potestas producendi, & conseruandi, vel secus pro arbitratu Dei cuncta, & singula creata possibilia, vel existentia. Sed tamen distinctum ab omnipotentia attributum est, licet in ea fundetur, tanquam in titulo, vt hactenus ostendimus. Etenim omnipotentia est virtus, & potestas physica producendi, & conseruandi creata, vel secus, in voluntate Dei formaliter stare, vt supra docuimus, admittatur. Potestas Dominij vero est potestas ciuilis, moralisque potentia, non quidem creandi, & conseruandi, vtcumque, sed sine iniuria alterius. Denique disputari hic posset an dominium proprietatis diuinum sit abdicabile à Deo, atque in aliquam creaturam transferibile? atque an aliqua ex parte Deo minui possit? & de secundo patet ex dictis nulla ex parte Deo minui posse, etsi creaturæ omnes perirent, imo, per impossibile, possibilia omnia ad impossibilitatem migrarent: cum absolutum à creatis, earumque existentia, & possibilitate eiusmodi dominium sit. De primo vero fuse egimus citato loco de incarnatione: vbi à Deo in abdicabile eiusmodi dominium ostendimus. Quod ipsum de potestate iurisdictionis, seu regali dictum puta ob rationes similes, ne iterum ea de re quæst. 2. vel inquiratur.

QVÆSTIO II.

De Regia Monarchica Dei potestate, quæ iurisdictionis Dominium est.

HOc est alterum dominij genus, quod iurisdictionis dicitur. Estque potestas gubernandi subditos: cuius actus sunt præcipere, prohibere, permutare, præmiare, quæ, si absoluta nullique alteri subiecta sit in eo ordine, quo absoluta à superiore est, regia potestas est: quod si nulli omnino in ordine vllo subdatur est suprema. Vnde apud homines suprema potestas nec datur nec potest, licet Monarchia possit dari, quæ in totum mundum sit: quia & hæc Dei potestati necessario subiecta est.

CERTAMEN VNICVM.

Dominium supremum iurisdictionis, seu regia Monarchica suprema Dei potestas de fide adstruitur.

1. COnclusio, vt titulus fert, est de fide 1. ad Timoth. 1. *Rex sæculorum*: dicitur Deus, sicuti & Psalm. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* & c. 6. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quæ etiam habentur Apocal. 19. num. 16. Ex quibus totius mundi supremum Monarcham, & Regem aperte, ac de fide Deum esse monstratur. Cum eorum, qui reliquorum mundi Reges sunt, Rex, & Dominus ab scriptura dicatur esse, foreque per sæcula, & æternitatem. De irrationalibus etiam, & inanimatis plura habentur in libris Iob testimonia, quibus vocare ea Deum, ipsaque præsto esse, atque eius voci obedire suo modo dicuntur: Mathæique 8. cum Christi imperio æstuantis ventorum incursu maris magna tranquillitas fieret, mirantes spectatores clamabant: *quis est hic: quia venti, & mari obediunt ei?* vbi Hieronym. *Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; sed Maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.* Et Apoc. 5. dicitur: *Omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & in mari omnes audiui, dicentes: sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas* (græce *imperium*) *in sæcula sæculorum.*

2. Probatur secundo: quia actus omnes, actus potestatis, seu dominij iurisdictionis, & regiæ exercere potest: imo, & exercet. Præcipit, & prohibet legitime, iustissimeque, vt ex scriptura passim constat à Deo extraordinaria & præcellenti iurisdictione, à materia independente, vt leuissima quæque, voluntate sua grauia efficere, ac sub mortali possit vel præcipere, vel prohibere: vt proh dolor! in prohibitione prima esus de fructu arboris scientiæ boni, & mali malo nostro didicimus. Secundo: summam habet potestatem puniendi, de factoque malos æternis suppliciis addicit, punitque ex scriptura, & fide. Summam item potestatem præmiandi, ac de facto ineffabilibus præmiis bene de se meritis rependit, vt scriptura etiam, & fides docent. Denique: quod permittendi habeat potestatem certius est, quam, vt probatione indigeat; pleraque enim nobis permittit, quæ posset prohibere: imo vero tam pauca, & exigua horum comparatione prohibet, vt omnium fere nobis copiam faciat. Peccati permissio huius potestatis permittendi, de qua nunc, actus non est, sed vel potestatis puniendi, si in pœnam peccati sit, vel dominij proprietatis Dei erga sua dona, & rationales creaturas, vel prouidentiæ.

3. Regiæ huius supremæ potestatis, seu dominij iurisdictionis tituli naturales sunt. Suprema ipsius excellentia, tum in essendo, tum in scientia, & voluntate, & potentia: ob quæ natura sua ad gubernanda omnia præstantissimus est. Sicuti animus rationalis, qua talis ob sui præstantiam ad gubernandum corpus, eiusque membra: ac Spiritus Angelici ad gubernandum mundum inferiorem corporeum, & sublunarem: & maritus vxorem. Quia nimirum hi omnes rebus præfatis natura sua in scientia, voluntate, & potentia præcellunt, ac proinde eis natura sua præsunt. Secundo ratione causalitatis, seu causæ in actu primo omnium. Naturale hoc iurisdictionis dominium, & regium ius, ac potestatem Deus habet. Sic naturale ius gubernandi filium quandiu directione, & gubernatione eget, habet Pater. Imo in creaturas participatiue, & imitatiue ob eiusmodi titulos dominium naturale iurisdictionis à Deo descendit: nec non naturalia iurisdictionis dominia creata, quæ tyrannides non

sunt, sed legitima à Dei voluntate promanant, vt Christus ad Pilatum aiebat. Imo, & quæ tyrannica sunt è Dei permissione descendunt, vt pote omnium potestatum Domini.

4. Ex dictis quam plures regiæ Dei potestatis à similibus creatis differentiæ facile comperientur, quare & eas recensere omitto. Possunt autem de regia hac Dei potestate, seu dominio iurisdictionis ea omnia disputari, quæ de dominio proprietatis diuino discussa à nobis sunt quæst. 1. Primo an dominij naturalis diuini titulus causæ vniuersalis, sit causæ vniuersalis in actu secundo? an in actu primo? qua in quæstione postremum censeo, ob rationes, quas in simili dedi quæstione illa 1. Secundo an huiusmodi dominium iurisdictionis sit, siue in totum, siue in partem à Deo abdicabile, atque in creaturam transferibile? cui in terminis respondi eadem quæst. cert. 2. n. vlt. negatiue. Tertio, an ex parte saltem possit Deo imminui? etiam respondi negatiue ibidem. Quarto an regia hæc potestas, & iurisdictionis dominium sit attributum Dei à reliquis distinctum? & quidem ex dictis etiam constat attributum Dei, & prædicatum Deo intrinsecum esse: cum eius tituli omnes intimi Deo sint, neque aliquid extrinsecum spectent: quod autem diuersum à reliquis attributis, & essentia prædicatum sit facile etiam ex dictis apparet. Est enim diuersa omnino potestas, atque ad diuersos actus ordinata, quam nullum attributum eorum, in quibus tanquam titulis fundatur, formaliter continet. Et hæc satis de Dei essentia, & attributis non vitalibus, quæ Dei scientiam, & voluntatem in se non continent; nec supponunt.



CONTRO

enim sicut Domus ab architecto, inquit, *in fieri solum à Deo creata pendent. Proinde cum Dominus ait: Pater meus vsque modo operatur: continuationem quandam operis eius, quæ vniuersam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Quod fusius ex Scriptura probat: Et cap. 27. Enchirid. *Non sane creatoris desistente, bonitate, & malis Angelis subministrare vitam, viuacemque potentiam: quæ subministratio, si auferatur, continuo interibunt.* Quæ pluries alibi repetit. Ambrosius 7. in Luc. cap. 23. *Denique: vt Deus ab operibus mundi quieuit? non ab operibus, cuius sempiterna, & iugis operatio est: sicut filius ait: Pater meus vsque modo operatur & ego operor.* In quem sensum hunc locum interpretantur Chrysost. hom. 27. in Ioann. Cyrill. 2. in Ioann. cap. 183. Theophylact. in 5. Ioan. apud Caten. S. Thom. Augustin. iterum tract. 17. in Ioann. & quidem, cum ex Dei operatione sabbato erga omnia à mundi initio, paralytici curationem in Sabbato à se factam licitè contra obmurmurantes Pharisæos ostendat eo loci Christus malè ostenderet, si rerum conseruatio à Deo non esset, nisi, quatenus primo in mundi creatione produxit, quæ posteà sese conseruarent, ac propria operatione tuerentur. Neque enim magis operari posteà cunctis diebus, Sabbati etiam Deus dici posset, quam, qui die Lunæ horologium, aut aquæ ductum continuo, ac proinde etiam Sabbati die, currentem struxisset. Accedat illud Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Quibus quotidianam in nos Dei beneficientiam, non antiquam solum in prima rerum conditione, Christus commendat: maximè, cum tunc mali, & iniusti non fuerint. Dionys. 13. de diuin. nom. *Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indeficientibus largitionibus, & interminabilibus operationibus, eamque largitionem esse semper eandem, & incessabilem, & immiuibilem*: essentialem creaturarum à Deo dependentiam in essendo quandiu sunt hæc omnia scripturæ, & Patrum testimonia supponunt, quam supra diximus, quamque clarius nos docuit Bern. 5. de considerat. his verbis. *Quid item Deus, sine quo nihil est? Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest: ipse sibi est: Ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse.* Ex quibus constat rerum omnium à Deo conseruationem de fide esse (vt supra citatus Hieronymus) Sicut etiam Dei cooperationem cum illis. Quare titulus hic Dominij diuini increata omnia, quæ sunt, inconcussa fide tolli nequit.

2. Quod autem rerum omnium finalis causa Deus, eiusque gloria sit probatur communiter ex Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus: impium quoque ad diem malum.* Et ad Hebr. 2. *Propter quem omnia.* Et ad Roman. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso* (græcè ἐις αὐτὸν) *in ipsum seu propter ipsum, sunt omnia.* Sed, vt taceam Deum eiusve gloriam causam ipsi finalem omnium, quæ facit, propriam non esse, vt controuer. de volunt. ostendam, neque id citatis locis, maximè Pauli, contineri: quod dicitur eum esse titulum necessarium, & essentialem dominij creaturarum omnium falsissimum est. Ordinatio enim alicuius in alium tanquam finem, neque fini, dominij, neque ordinato ad illum, seruitutis respectu illius, titulum affert, vt mille exemplis claret. Dicuntur autem media, & quæcumque, siue natura, siue ex arbitrio ordinata sunt, fini seruire, siue inseruire, non quidem seruitute propria, quæ dominio proprietatis respondet, (de quo in præsenti) sed quatenus seruitus conducentiam significat, & seruire, conducere: id clarius significat verbum *inseruio*; quod in re hac verbo *seruio*, de mediis respectu finis dicto, prorsus æquiualet, & rigore sermonis respondet.

3. Sed, licet solidiores duo illi tituli creationis, & conseruationis pro dominio diuino adstruendo appareant, communiterque à Doctoribus habeantur: Censeo tamen dominium diuinum eis titulis non fundari; sed solius omnipotentiæ secundum se spectatæ, titulo à rebus, & operationibus ad extra absoluto diuinum dominium reuera inniti. Licet enim dominium respectum ad id cuius, seu in quod dominium est necessario sonet, neque aliter à nobis concipi queat: ac proinde illud concernat; re tamen vera è genere suo, neque illud connotat, nec respicit. Quemadmodum neque actiua potentia è genere suo effectus possibilitatem concernit; licet nec significari, nec concipi sine respectu ad illam à nobis possit, vt de omnipotentia diuina ostendimus d. 7. quæst. 3. & de creatis potentiis agentis cuiusvis naturalis verosimilius iudicabamus controuersia physicor. Et sanè, quidquid de physica potentia, seu potestate esset: De ciuili vero dominij potestate planius est: cum potestas iudiciaria, quæ non minus subditos concernit sine eis actu assignatis absoluta esse possit: vt constat ex antiquis iudicibus Castellæ, qui nondum designatis subditis, & iurisdictione, potestatem absolutam iudici iam habebant; licet ex parte obiecti conditionatam: & in potestate ordinis sacerdotalis, antequam ab ordinario ad confessiones audiendas approbentur. Si autem dominium, qua dominium, realem, & verum respectum non dicit ad rem, in quam est, ita est de Dei dominio censendum: cum diuinum quoduis prædicatum independentia omnis à creatis rebus, adhuc possibilibus, nedum existentibus, etiam tanquam à connexionis terminis magis deceat.

4. Insuper probatur: quia dominium Dei absolutè attributum Dei est, ac proinde Dei intrinsecum, & essentiale physicè: ergo omnino absolutum à creaturis, maximè existentibus; alioqui eis, vt possunt, deficientibus aliquid Deo intrinsecum deficeret. Quod autem dominium Dei attributum intrinsecum sit constare videtur. Inde enim prouenit, quod nullius creaturæ dominio abdicare se Deus possit, vt fusè ostendimus controuer. 3. de incarnat. d. 1. quæst. 2. Dices dominium creaturarum non esse attributum Dei intrinsecum, & essentiale, ac proinde inabdicabile; sed, quia, cum funderur in necessaria creatione, & conseruatione illarum à Deo eo ipso, quod sint, sub dominium Dei non cadere, ab illoque subtrahi nequeunt: sicuti neque dependentiæ ab ipso se subtrahere. Sed contra est: quia, nisi aliud in Deo supponatur, nempe omnipotentia, & voluntas, quibus potest rem producere, & conseruare, vel secus, ex præcisa productione, & conseruatione, nec dominium, neque inabdicabiliter illud haberet: est ergo in Deo ius, & potestas antecedens creationem, & existentiam rerum, vt, vbi primum sint, sine alicuius iniuria eius voluntati, & arbitrio subiaceant in omnem earum vsum. Hoc autem ius dominij proprietatis est. Quemadmodum ergo omnipotentia absoluta est à possibilitate creaturarum: quia est potentia omnium possibilium productiua, si fuerint: ita est potestas Deo intrinseca absoluta ad omnem rei vsum,

CERTAMEN II.

Præfati, aliique tituli dominij diuini examinantur. Vbi de huius ad possibilia extensione.

1. DVos alios, vel tres titulos dominij diuini video ab authoribus circumferri, qui mihi non probantur. Primus est gubernationis rerum omnium, quem quidem, si secludas rerum conseruationem, quæ in earum gubernatione includitur, atque secundus titulus dominij diuini increata censetur; tertium eius dominij titulum esse non video, sed iurisdictionis, seu Regni diuini actum, atque in creaturis rationalibus gratitudinis incitamentum; Quartus titulus redemptionis censetur à seruitute peccati, diaboli, & pœnæ. Sed præterquam titulus hic creatis omnibus communis non est, hominum tantum redemptorum dominij diuini, de quo disputamus titulus non est; sed dominij humanitatis Christi, seu eius, qua hominis in sic redemptos. Quintus titulus numerari solet (sed præcipue à Lesio 10. de attrib. cap. 5. §. *quartus titulus*) dominij diuini increata ratio vltimi finis, quæ in Deo respectu creaturarum est, ita, vt omnia natura, & essentia sua ad Dei gloriam, & propter Deum, eiusque bonitatem sint facta: sicut artefacta, quia ad commodum, voluptatemque hominum condita sunt, eis necessario debent inseruire.

CONTROVERSIA II.

DE SCIENTIA DEI.

DIVINAM ſcientiæ infinitudinem exiguo noſtro diſcurſu percurrere, profunditatem metiri, modum penitus explicare, non ſolùm factu eſt impoſſibile, ſed prorſus etiam tentatu ridiculum, & temerarium. Multò enim amentius eſt, quàm velle *cælum* (vt aiunt) *palmo menſurare*. Idcirco Auguſtinus in Pſal. 49. de Diuina ſcientia acturus id primum fatetur, quod potiori iure rudiores longè eumdem ingreſſuri tractatum debemus profiteri. *Ne fortè* (Auguſtini verbis loquor) *hoc à me expectetis, vt explicem vobis quomodo cognoſcat Deus. Hoc ſolum dico: non ſic cognoſcit, vt homo: non ſic cognoſcit, vt Angelus. Quomodo cognoſcit, dicere non audeo: quoniam, & dicere non poſſum.* Cæterùm, cùm diuina à nobis, nonniſi humano modo, atque increata, nonniſi ad creaturarum vmbram, & exemplar tractari pro hoc ſtatu queant: ea omnia de Diuina ſcientia (quæ ſubſtantia eſt, æquè, atque ipſa, cui identificatur, Deitas, improducta) diſcutiemus, quæ de noſtris cognitionibus (phyſicis nempe, creatiſque accidentibus) ſolent diſputari.

Et quidem controuerſiæ huius, ſicut & aliarum ſubiectum ſtatuendum erit: ne de re chimærica tam longè, atque exactè diſceptare videamur. Quare de ſcientiæ Diuinæ exiſtentia texetur diſputatio primum. Secundo: de ijs, quæ ſcientiam noſtram præcedunt; eademne præcedant diuinam? Tertio: ad quænam obiecta ſecundum ſe ipſa cognoſcenda Diuina ſcientia extendatur? Et primo quidem de Deo ipſo, deinde de aliis ab ipſo. Quarto de ſtatibus, in quibus creata cognoſcit. Quinto: quidnam Deo ſit ratio, medium, ſiue materiale, ſiue formale determinatiuum, aut verificatiuum, ſeu motiuum vniuerſa, & ſingula cognoſcendi? Sexto; de Diuinæ ſcientiæ partitione, quæ ex præcedentium examine perſpicue, ac ſine æquiuocatione, & quæſtionibus de nomine, quoad rem ipſam apparebit. Septimò: de diuinæ ſcientiæ metaphyſicis affectionibus. Quibus nihil erit de Diuina ſcientia diſputatione dignum, quod in controuerſia hac noſtra diſputationem deſideret.

DISPVTATIO PRIMA.

De Diuinæ ſcientiæ exiſtentia.

TOTA hæc de Diuinæ ſcientiæ exiſtentia circa quæſtionem, an ſit? verſatur: omiſſa quæſtione quid ſit. De hac enim ſatis controuerſia. 1. d..... q..... cert..... num..... ſtatuimus etiam formaliter, & metaphyſicè eſſentiæ diuinæ exiſtentiâ attributa Dei omnia exiſtere, atque entia realia adiectiua ſolum metaphyſica eſſe: quare eadem de ſcientia Dei (quam d. 2. q. 2. cer. 2. & 3. ab eſſentia metaphyſica Dei relegauimus) ſententia erit. Tres igitur circa diuinæ ſcientiæ exiſtentiam inſtituemus quæſtiones. Primam de eius exiſtentia ab authoritate. Secundam an eius exiſtentia à ratione monſtretur? Tertiam an è Dei immaterialitate, ſeu ſpiritualitate oſtendatur.

QVÆSTIO I.

An Dei ſcientiam exiſtere ſatis omnibus ab authoritate monſtretur.

CVM omnibus, nec ſolum cum Chriſtianis, ſiue Catholicis, ſiue Hæreticis, Iudæiſque, qui vetus Teſtamentum admittunt, ſed & cum paganis agam: ſicuti & in aliis fidei noſtræ veritatibus: vt omnes aberrantes à vero conuinci poſſint.

CERTAMEN I.

Ex omnium gentium authoritate ſcientiæ Diuinæ exiſtentia monſtratur.

1. DEum omniſcium, nec ſcium ſolummodo, eſſe gentium, nationumque omnium conſenſus ſemper fuit. Et ſi enim Deitatem pluribus plures erroneè detulerint; aſt inſcium Deum eſſe non poſſe omnes, quantumuis ſtolidi, & barbari, cognouerunt. Vt clareat citiùs Dei ſubſtantiam & vnitatem, quam eius ſcientiam ignorari ab hominibus poſſe; cùm, ijs etiam, quibus circa Dei ſubſtantiam, & eſſentiam, ac proinde vnitatem, & ſingularitatem, craſſus adeo error obrepſerat, eius tamen ſcientiæ ignoratio minime potuerit obrepere. Hoc autem inde inprimis conſtat, quod ad Deos ſuos nemo fuerit, qui non preces funderet, vt bona ſibi obuenirent, atque à ſe mala arcerentur. Neque vllus tam amens, ac veſanus eſſe potuit, qui eum, à quo percipi, cognoſcique non valeat de ſuis commodis conſequendis, maliſque vitandis oret. Accedunt ſacrificia, quæ gentes omnes diis ſuis ſtata inſtituerunt lege; atque obtulerunt: quæ ſiue, vt eos beneficos, ſiue ſuorum criminum non vindices haberent, peragebant, vtique eos, & obſequiorum, & criminum gnaros profitebantur: tanta nimirum conſtantia, vt cùm lapides, & truncos in Deos ſibi erigebant, tamen horum conſcios iudicabant: quo ſuper à Regio ridentur

vate

vate psal. 113. *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient &c.*

2. Quid? quod ipsum nomen, quo à Græcis omnibus Deus Θεὸς nominabatur, ita clare eius scientiam inclamat, vt eos, qui aliter sentiant, non absurditatis modo, verum, & surditatis etiam incusет, vt enim eius vocis proprietatem explicans aiebat Dyonis. 12. de diu. nom. circa med. est *omnia contemplans prouidentia.* Et Clemens Alex. 1. strom. fine ita dictum Deum ex *positione, & ordine, & administratione*, seu prouidentia, quæ quidem sine scientia, imo omniscientia (si rerum omnium, vti in Deo, sit) esse non potest. Pulchre hanc nominis eius etymologiam tradit Damasc. 1. fid. cap. 12. med. *Theos à theasthe, ideſt intuendo omnia. Nam nihil eum latere potest, imo omnium inspector est.* Ex quo sententiam mutuatur S. Thom. aureis his verbis totum hoc argumentum nostrum expressit. 1. contr. g. cap. 44. fine. *Huius autem fidei veritas tantum apud homines inualuit, vt ab intelligendo nomen Dei imponerent. Nam Theos, quod secundum græcos Deum significat dicitur à theaste, quod est considerare, vel videre.* Ad quam rem plura Athanas. de definitionibus colum. 2. §. *quid est Deus?* & dial. 1. contra Macedon. fere init. Nyssen. lib. *quodnon tres dij* ad Ablabium circa med.

3. Eo vero vsque exploratum omnibus fuit Deum scientem, sapientemque esse, vt, neque, pro, rudioribus adhuc, doctrina paranda, ex instituto à priscis Philosophis fuerit disputatum: quod neminem quantumuis rusticum de eo dubitantem viderent. Quare id potius supposuerunt, quàm disputarunt: cùm Deum præfato nomine *Theos* compellarent: passimque ex stata omnibus sententia omniscium, rerum omnium gubernatorem, bene, maleque gestorum iudicem, ac vindicem assererent. Quæ tam multis locis docent, vt hic ea recensere prolixum valde sit: maxime, cum controuersia de prouidentia sint postmodum recitanda. Idcirco Platone, & Stoicorum Principum frequentibus testimoniis omissis, vnum, vel alterum Aristotelis locum adnotare hic placuit. Etenim 10. ethic. c. 8. & 12. met. c. 9. à textu 36. hanc veritatem docuit. *Siue nil*, inquit, *intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens, quid præcellens erit?* quibus & scientiæ Dei demonstratio. q. 2. edisserenda continetur.

4. Et vero ex his, qui Deum agnouerunt, nemo, vt dixi, fuit, qui Deum scium negauerit; licet aliqui eum omniscium esse, nollent potius, quam corde diffiterentur. Licet enim perditi illi, quorum meminit regius vates Psal. 93. suorum criminum in Deo ignorationem optantes, vt supplicium vitarent, affigere illam Deo vellent, ne pœnæ metu frænarentur: aliorum tamen, quorum notitia sua non intererat, scientiam Deo, nec tentarunt quidem, negare: ita enim eos vicissim bono se, ac libero animo pro admissis criminibus esse iubentes inducit Psaltes. *Et dixerunt, non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Eosdemque, vel similes alios Psal. 72. *Et dixerunt: quomodo scit Deus? etsi est scientia in excelso*: suorum, scilicet, operum. Cùm viderent enim se moribus perditissimos bonis omnibus affluere; contra vero iustos, ac pios homines egere, atque ærumnis mille conflictari: nihil de hominum meritis Deum, qui ita res sæculi huius distribuit, agnoscere iudicarunt. Vtrisque vero ita respondet vates, vt Dei scientiam, & prouidentiam demonstret, vt ex ipso nos etiam q. 2. demonstrabimus. Itaque Dei scientiam absolutè nullus negauit: licet aliqui eius omniscientiam negarint.

CERTAMEN II.

Diuinæ scientiæ existentia catholica de fide veritas est.

1. PRobatur conclusio primo ex 14. Esther. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Secundo ex Iob. 21. *Numquid Deum docebit quispiam scientiam?* Tertio ex Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Quarto ex Psal. 93. vbi præfatum, impiorum errorem confutans ait. *Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* In quibus non vna, sed multiplex scientia Dei demonstratio continetur, vt q. 2. videbimus. Quinto ex 23. Eccles. *Oculi Domini lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi.* Sexto ex Eccles. 42. *Cognouit enim Dominus omnem scientiam.* Septimo ex 2. ad Rom. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Octauo ex 2. ad Colos. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Sexcentaque alia his similia passim in scriptura occurrunt. Item illa omnia, quibus Deus, eiusque oculi, aut aures intentæ rebus, precibusque nostris dicuntur, aut à Prophetis desiderantur. Illa etiam, quibus ad Prophetas, & per Prophetas locutus, quibus abscondita, & profunda Dei, cordisque humani scrutari, intueri, ac penetrare enuntiatur. Nihil enim horum absque scientia præstare Deus poterat.

2. Opponi possunt plura Patrum testimonia negantium Deo intelligentiam, sapientiam, & similia. Verum eis locis solum contendunt non esse in Deo sapientiam, & scientiam nostræ creatæ omnino similem, quæque & accidens physicum, & discursiua, causataque vere, tum à potentia, & obiecto, tum à præmissis. Aſt Deo scientiam ab his imperfectionibus liberam, quæque idem reipsa cum Deitate, Deique substantia sit, quam catholicè ex fide fatemur, nusquam Patres negant. Ex qua doctrina, & veritate Catholica occurritur argumentis, quæ contra hanc conclusionem obiecit sibi S. Thom. 1. p. q. 13. art. 1. quod scilicet scientia conclusionum, ac proinde discursiua sit, si propria significatione vturpetur. Secundo: quia scientia, vel habitus, vel actus sit: ac proinde qualitas potentiam, & subiectum reale supponens. Constat enim eiusmodi nomen propria significatione ad creatas cognitiones relata ita solum significare, quia absque eis imperfectionibus scientia in creatis non est, aſt propriori, & perfectiori significatione ad perfectissimam diuinam relata absque eis scientiam significare: cùm præcipuam, & nobilissimam, longeque excellentissimam scientiam significet, quæ principale eius vocis significatum est: cum eam scientiam significet, cuius creata omnis scientia infinite per decrementum perfectionis imitatio, tenuissimaque potius adumbratio est.

3. Difficilius oppones, vt probes veritatem de existentia diuinæ scientiæ non posse esse de fide in hunc modum. Assensus fidei diuinæ essentialiter est ob testimonij Diuini infallibilitatem, siue ob authoritatem Dei dicentis; aſt in Deo esse scientiam ob infallibilitatem Diuini testimonij non possumus, præsertim primo, assentiri: ergo nec possumus, primo præsertim, assentiri fide diuina. Minor probatur: quia infallibilitas diuini testimonij, Deique dicentis authoritas ex diuina scientia infallibili, & Dei veracitate (seu quod idem est) è Dei vtraque actiua, & passiua infallibilitate, qua & falli, & fallere nequit, essentialiter conflatur: ergo non potest esse assensus ob diuini testimonij infallibilitatem, authoritatemque diuinam; quin ob scientiam Dei infallibilem sit: ergo, si assensus sit existentiæ scientiæ diuinæ ob diuinam infallibilitatem, authoritatemque Dei dicentis, vti esse debet, si diuinæ fidei assensus sit, assentiemur existentiæ scientiæ Dei ob ipsam scientiam, quod implicat; idem scilicet ob idem, tamquam motiuum sui assensus credi, & iudicari. Quod autem in eo, quod primo creditur, eiue primo fidei diuinæ assentiamur, maior sit difficultas, constat ex dictis controu. 1. d. 2. q. 5. quia motiuum assensus, vt motiuum ipsius præcognitum necessario esse debet, vt latè ibi in simili de existentia Dei, quam primo per fidei actum iudicari non posse, aliorum solutionibus confutatis, satis ostendimus: quare hoc nobis certo admittendum est, ne iterum solutiones, & impugnationes ibi datas inutiliter repetamus.

4. Magnus meus Magister Didacus Daza in hanc incidens difficultatem respondebat, argumentum probare, non posse nos existentiæ scientiæ Dei reuelantis in se esse scientiam, ob infallibilitatem huius determinatæ scientiæ reuelatæ, cui assentimur, primo assentiri, sed alterius, quam ex fide supponimus, & prænouimus in Deo esse, scilicet, scientiæ Dei vagæ, seu vagi, & indeterminati obiecti,

obiecti, ob quam, inquit, assentimur esse in Deo scientiam huius determinati obiecti. Duo mihi, cum debita tanti Magistri obseruantia, in eius solutione non assequor. Primum fide diuina à nobis credi scientiam illam, ob quam mouemur ad assentiendum existentiæ scientiæ Dei, vt ex fide huic assentiamur. Id enim, vt citata q. 5. cert. & num. vlt. ostendi, necessarium non est. Imo tandem assensus ille existentiæ scientiæ Dei ex fide, nequit vltimo resolui in assensum scientiæ illius Dei, quæcumque illa sit, ob quam huic veritati reuelatæ assentimur, qui ex fide, seu fidei assensus sit, vt ibidem, in simili ostendimus. Secundo displicet, quod ob scientiam Dei vagam, seu vagi, & indeterminati obiecti, huic determinato obiecto reuelato, nimirum existentiæ scientiæ Dei assentiamur. Etenim reuelatæ veritati ob scientiam infallibilem Dei de illa assentimur, non autem ob scientiam infallibilem Dei de obiecto aliquo vago: quæ saluari dicetur ex infallibilitate circa aliquod vnum, licet fallibilis circa alia foret.

5. Æstimo autem scribentis discipuli errorem, & æquiuocationem fuisse, non tanti Magistri: qui dicebat scientiam, quam fide in Deo credimus, esse indeterminati obiecti, eam vero, ob quam credimus tanquam motiuum esse scientiam determinatam huius determinati obiecti, nempe existentiæ scientiæ Dei, quæ reuelatur: idque optime fieri potest, cùm scientia Dei sit supra seipsam identice reflexiua, quod diuinæ scientiæ ita esse proprium, vt creare repugnet, ostendemus. d. 2. Nec refert omniscientiam esse datis locis reuelatam: ac proinde, & hanc determinatam suæ scientiæ scientiam reflexam. Est enim reuelata vniuersaliter, & coniunctim, quod satis est, vt assentiamur ob illam huic particulari scientiæ de scientia sua: quemadmodum ex præmissa vniuersali, in qua coniunctim omnibus particularibus assentimur, deducimus assensum propositionis particularis, cum vi consequentiæ conclusioni assentimur. Scientiæ autem reflexæ de omniscientia Dei reuelata non assentimur eodem actu fidei, sed neque fidei actu, ne processus infinitus motiuorum, & assensuum nostrorum detur; sed aliunde tandem quousque ad aliquam particularem scientiam, ex qua prima reuelatio sit facta, perueniamus, cuique vel naturali assensu, vel ex alio, quam fidei diuinæ motiuo assentiamur iuxta dicta citata contr. 1. d. 2. q. 5.

QVÆSTIO II.

An diuinæ scientiæ existentia non fide solum certa, sed ratione etiam naturali sit euidenter nota.

NON quærimus, an diuinæ scientiæ existentia sit per se, seu ex terminis nota. Si enim Deum esse, per se, & ex terminis notum non est, vt vidimus contr. 1. d. 1. q. 1. quo pacto scientiæ diuinæ existentia, quæ Dei existentiam supponit, per se, & ex terminis nota erit? solum igitur est quæstio, an per discursum euidentem, seu demonstrationem nobis innotescat.

CERTAMEN I.

Existentia scientiæ diuina euidens nobis demonstratiue est.

1. EST omnium Thelogorum, imo & ex Philosophiæ Principum conclusio, quam ostendent demonstrationes de existentia scientiæ diuinæ subiiciendæ. Et primo quidem omnium gentium, & nationum consensus, quem diximus q. 1. cert. 1. moralem de existentia diuinæ scientiæ certitudinem, euidentiam, ac demonstrationem faciunt. Etenim si Romam esse certum, ac euidens moraliter est, iis etiam, qui nunquam Romam viderunt, quia plures valde, licet non omnes, ita censent. Quare Dei scientiam adesse euidens, ac certum moraliter non erit. Cùm ita gentes, nationesque omnes, in quibus tot sapientes floruerunt omni tempore, ita censuerint. Reor autem ex hoc hominum consensu physicam, ac metaphysicam euidentiam concludi. Omnium quippe hominum de veritate aliqua communis, perpetuus, constansque consensus, eam, vt non per se notam, ad eo tamen principiis primis naturalibus vicinam, proximamque coniungunt, ac demonstrant, vt nulla fere arte, sed solo naturali rationis ductu facile patefiat: quia adeo prope ad plenum (vt sic loquar) rationis lumen posita est, vt ni per se, & ex terminorum apprehensione cunctis pateat, ast solo primorum principiorum lumine ratio egeat, vt statim illi assentiatur. Quo argumento pro existentia Dei demonstranda plures, vt vidimus contr. 1. d. 1. q. 2. ex sapientioribus sunt vsi.

2. Sed demonstratio hæc, quasi reflexa est. Iam directo scientiam Deo adesse demonstremus. Et à posteriori in primis. Deinde à priori. A posteriori quidem primo. Quia Deum esse totius mundi gubernatorem, & Principem demonstratum est citata qu. 2. imo inde Deum esse ibidem demonstrabamus: atqui nequit esse mundi gubernator, & Princeps, ni omnium, quæ in mundo sunt, possuntque esse, scientiam habeat, vt euidens etiam est; ergo adest Deo scientia. Secundo probatur: quia Deus totius mundi prouidentiam habet, vt demonstrabimus contr. 4. Prouidentia autem sine scientia esse non potest, vt patet. Tertio. Quia Deus est bonorum, malorumque creaturæ rationalis operum remunerator, vti ex demonstratione præcipua de immortalitate rationalis animi euidens est: ast nemo potest præmio, aut pœna opera, quæ ignorat, compensare. Quarto: quia Deus agens liberum est creatorum omnium; vt demonstrabitur controu. de voluntate: nequit autem sine scientia faciendorum, & rationum, seu motiuorum, ob quæ ea possit facere, vel secus, agens liberum ad ea peragenda, vel non agenda constitui: vt patet, demonstratumque in physicis contr. de agente libero: ex qua quod satis huic demonstrationi est, desumetur contr. citata de volunt. ergo Deo adest scientia.

3. Quinto probatur ex summa fælicitate Dei, quæ perfecta esse nequit in bonis, nisi cognoscantur à possidente. Ec quis enim fœlix, nedum summè fœlix, sit bonis, quæ inditione sua habet, dum ea ignorat? essent enim perpetuo dormientes, vel amentes bonis, quæ habent, aliis fortunæ fælices. Sexto probatur ex summa Dei delectatione, quæ sine cognitione, & scientia, boni esse nusquam potest. In Deo autem summam delectationem esse debere probatur facile: quia ea perfectum quid, ac bonum est, quodque proinde summo optimo, ac perfectissimo enti (cuiusmodi Deus est) deesse nequeat. Assumptum probatur primo: quia delectatio propria est gradus cognoscitiui, qui cæteris paribus nō cognoscitiuo perfectior est, vt patet. Secundo probatur ex Arist. 10. metaph. & 1. ethicor. c. 13. ita scribente. *Nobiliori enim modo se habet res existens delectabiliter, quam non delectabiliter. Cuius signum est, quod bestiæ, & homines eam prosequuntur. Vnde omnes existimant solam vitam fælicem delectabilem esse: & implicat delectationem esse cum infelicitate.* Denique tot à posteriori scientiæ Dei demonstrationes sunt, quot sunt de actibus voluntatis diuinæ, qui eam necessario supponunt demonstrationes. Ideo eis expendendis singulatim supersedeo: cum ita generatim eas indicasse sit satis.

CERTAMEN II.

A priori existentia scientiæ Dei demonstratur.

1. PRima diuinæ scientiæ à priori demonstratio sit. Quia Deus est summe perfectum ens tam physicè, quàm metaphysicè: vt de se patere diximus supra: ac insuper demonstrauimus controu. 1. ac proinde, cui nullum prædicatum, cuius negatio melior ipsi non sit, deesse possit: atqui negatio scientiæ, & cognitionis melior sui negatione

Deo non est: ergo hæc deesse Deo non potest. Negatio autem hæc negationis scientiæ, scientia ipsa est. Secunda demonstratio huic similis sumitur ex prædicato viuentis perfectissimi, quod Deo adesse demonstrauimus ibidem. Est enim viuentis perfectissimus gradus, viuentis cognoscitiui, vt patet, ac proinde Deo est necessario concedendus. Vtramque demonstrationem præit Aristoteles subtiliter, & acutè satis verbis illis recitatis ab Aureolo ex 10. met. atque à nobis q.1. cert.1.n.3. paulo immutatis ex alia versione verbis, immutata vero omnino sententia sic Aureolus legit. *Si Deus non intelligit, quid vtique in eo insigne? se enim habebit, vt dormiens.*

2. Tertia demonstratio à priori existentiæ scientiæ Dei exhibita à Dauide fuit verbis illis recitatis q. 1. cert. 2.n.1. ex Psal.93. vbi recitatum impiorum contra scientiam Dei errorem repellebat: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui docet hominem scientiam?* quibus hæc in primis demonstratio continetur, omne agens principale adæquatum de se debet continere quidquid in effectu est: atqui omnis cognoscitiui creati Deus agens de se adæquatum, & principale est: ergo deber in se continere prædicatum cognoscitiui. Dixi de se esse agens principale adæquatum ne recurratur ad iuuamen causarum secundarum generantium viuentia: nam sine eis potest Deus solus viuentia cuncta producere. Præterquam quod, cum & agentia omnia creata, cum quibus operatur, Deus producat, quidquid in ipsis etiam est, atque hæc ex parte sua viuentibus cognoscitiuis impertiuntur, Deus eorum omnium author, & causa debet, si certa est maior, continere.

3. Maior autem euidens est: quia, vt sæpe diximus, estque naturæ lumine notum, nemo dat, quod non habet: causa autem omni dat effectui, quidquid in ipso producit suo modo: partialiter, si partialiter producit, & totaliter, si producit totaliter. Quare, si adæquatum de se agens est, omnia, quæ in effectu sunt, debet continere. Dices cum Aureolo in causis æquiuocis (vti Deus respectu creatorum omnium est) prædicata formalia effectus in causa principali, adæquata etiam esse formaliter non debere: alioqui non æquiuoca causa, sed vniuoca foret. Id, quod patet in prædicatis pluribus effectuum creatorum, vti accidentis, corporis, & aliis pluribus, quæ in Deo formaliter non sunt, milleque aliis causarum æquiuocarum principalium exemplis apertis. Cæterum causa æquiuoca principalis, licet non debeat habere formaliter omnia prædicata sui effectus æquiuoci secundum omnem effectus formalitatem; ast ea eminenter, ac superiori, siue excellentiori, & nobiliori formalitate, & prædicato debet continere, vt fateris, euidensque est.

4. Ex hoc autem euidenter deducitur Deum, vt pote adæquatam causam principalem æquiuocam cognoscitiui, & intellectiui effectus cuiuscumque creati, hæc prædicata cognoscitiui, & intellectiui à creatis imperfectionibus defæcata formaliter continere. Vt enim ea eminenter contineat, vt continere admittis, debes in eo assignare prædicatum aliud cognoscitiuo, & intellectuali nobilius, quod tamen cognoscitiuum formaliter non sit, adhuc seclusis cognoscitiui creati imperfectionibus: ast hoc est impossibile, & inassignabile: ergo debes in Deo admittere formaliter prædicatum cognoscitiui, & intellectiui ab imperfectionibus creatis defæcati: minor probatur: quia illud aliud prædicatum nobilius non assignabit. Secundo: quia prædicatum cognoscitiui, & intellectualis, non cognoscitiuo, & non intellectuali nobilius esse euidentissimum est. Si dicas non assignari, neque hactenus esse illud dignotum; ast esse tamen posse. Dicam, quod vere Christus olim Samaritanæ; *nos affirmamus, quod scimus, vos autem, quod nescitis.*

5. Dices secundo: esse prædicatum entis à se, in quo formaliter metaphysicè intellectiuum, aut scientia non clauditur: quodque est nobilius longe cunctis creatis. Contra tamen est: quia, si ea valet solutio, nullum aliud prædicatum, seu attributum formaliter in Deo erit: cùm hoc sit primum & principalius Dei prædicatum, & quod creatis emineat omnibus. Vnde demonstrationes omnes prædicatorum quæ ex creatis effectibus in causa prima, atque eorum authore Deo esse formaliter ab imperfectionibus suppurata euincunt, prorsus corruent. Habent autem vim manifestam: quia ex eo etiam, quod ens à se, & infinitum physice è suo genere sit, atque omnium causa, infertur & omnia, quæ in creatis nouimus perfectionis sine imperfectione in se formaliter cohibere: indeque omnia creata posse producere: quia ea omnia formaliter, eminentiori tamen, & nobiliori modo, in se coercet: idest ab imperfectionibus defæcata, vt vtraque hac demonstratione proxima à priori demonstratum hoc certe est. Tertiam à priori etiam demõstrationem citatis Psalmi extremis verbis videtur Regius Psaltes continere: qui docet hominem scientiam, qui enim nescit, docere minime potest: vt lumine naturæ patet. Verum an euidés sit rationis solius ductu Deum homines scientiam docere, quin aliqua ex datis hactenus demonstrationibus tangatur, non ita euidenter constat, vt aliam omnino demonstrationem constituat.

CERTAMEN III.

Existentiam scientiæ diuinæ demonstrari de fide non esse. Vbi & obiectionibus fit satis.

1. VEras adeò censent Albiz, & Herize citandi q.3. aliique Doctores diuinæ scientiæ demonstrationes, vt eas tales esse de fide putent. Primò, Quia demonstratio vltima à priori ex Psal.93. ab Spiritu Sancto fuit dictata, vt vidimus. Ergo de fide est ea demonstratio. Vrgetur, quia ea discursu etiam stolidos, & insipientes conuincendos testatur vates: qui vix demonstrationibus tanguntur: ergo dicit discursum illum suum demonstrationem esse. Antecedens constat ex procemio discursus, qui eo loci continetur, Sic enim inchoauit argumentum contra impios illos Regius vates. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet?* &c. Secundo probatur ex 1. ad Roman. *Quod notum est Dei manifestatum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* Pende illud: *manifestauit, manifestatum, conspiciuntur, & vt sint inexcusabiles.* Tria enim prima euidentiam significant, quæ si eis non adfuisset, excusationi eorum de diuinorum ignorantia locus esset.

2. Cæterum demonstrationes existentiæ scientiæ Dei esse demonstrationes, nobis fide non constare verius nobis est: quia nil suadere potest efficacius oppositum, quàm adducta loca, quæ id non præstant. Licet enim demonstratio illa ex psal. 93. adducta fuerit à Deo reuelata, non tamen reuelarum, dictumue à Dauide est demonstrationem esse. Potest autem Deus absque suæ veritatis, & veracitatis præiudicio rationes, & discursus probabiles solum nobis, & in se præsertim veros, suis Prophetis reuelare; maxime, si ad eorum, ad quos docendos diriguntur, captum sint accõmodi. Imo licitum, & honestum esse litium Patronis, seu aduocatis falsa, & futilia, vt ad verum, & iustum iudices trahant, si illae pro suo captu eos suadendos videant, saris cõsonum, & suo muneri debitum est. Quod ipsum dico de concionatoribus, qui id quotidie præstamus præcipue, qui peccatis nostris nullam iniuriam, seu offensam strictam contra iustitiam recognoscimus, sed solum dignum odio Dei obiectum, & motiuum; & tamen, vt peccatores ad contritionem debitam de peccatis inducamus, ita de his, ac de iniuria, atque offensa stricta contra iustitiam pie, & laudabiliter è suggestu agimus: quia fortius id, & accommodatius, vt eos suorum peniteat delictorum, iudicamus. Nec firmior est Pauli locus. Ea enim omnia de sola morali certitudine, valdeque probabili discursu sufficienter explicantur. Id, quod satis est, vt Philosophi sint in sua idololatria inexcusabiles: ea enim adeo efficax, ac verosimilis ratio pro vero Deo, cui nulla alia pro simulacrorum cultu possit verosimiliter opponi, satis erat, vt inexcusabiliter idola colentes peccarent.

3. Licet autem daremus ea verba Pauli demonstrationem physicam, & metaphysicam strictam significare; non quidem scientiæ Dei eam demonstrationem esse Paulus ait, sed existentiæ Dei vnius, maiestatis, & omnipotentiæ,

portentiæ, seu veritatis eius, vt verba ipsa perspicuè sonant. Mitto leuiorem aliam aduersariorum rationem. Nempe: de fide esse demonstrari plura de Deo, quæ scientiam eius vel claudunt, vel supponunt, vt prouidentiâ, & alia, quæ cert. 1. attigimus: ergo de fide est scientiam Dei, sine quibus illa esse nequeunt, demonstrari. Si verum esset antecedens de his, quæ scientiam Dei euidenter claudunt, teneret consequentia; sed in primis negatur facile aliquid diuinum demonstrari esse de fide: maxime de his, quæ diuinam scientiam formaliter claudant, tamquam prædicatum, ex quo metaphysicè coalescant. Id enim de sola prouidentia censent nonnulli, nec patum iudicio aliorum, qui aliter opinantur, imo & suo, præstabunt, si probabiliter suadeant. Quod autem ex demonstrationibus aliorum diuinorum, quæ fide monstrari de fide sit, scientiamque diuinam euidenter supponant, euidenter scientia Dei demonstretur, satis non est, vt hæc demonstratio talis esse de fide, credatur. Solum enim immediate reuelata de fide esse posse communior, ac verosimilior opinio fert.

4. Oppones contra existentiam scientiæ Dei à ratione. Cognitio stat formaliter, & metaphysicè in physica, & vera emanatione, vel illam essentialiter suppouit: est siquidem vera imago realis obiecti: imago vero realis essentialiter dicit emanationem veram, ac non fictam ab artifice, seu imaginante, vt diximus controu. de Trinit. d. de propriis, & appropriatis personar. q. 2. atqui nullius prædicati diuini communis potest dari vera, ac non ficta emanatio, non solum causalitatis, sed neque originis, vt certum, & dogmaticum est: ergo nullum prædicatum diuinum potest esse cognitio, seu scientia formaliter, sed eminenter, vt summum. Respondetur negando maiorem, scilicet, cognitionem, & scientiam vniuersim, prout etiam increatam continet, vel esse, vel essentialiter supponere veram, & realem physicam emanationem. Ad probationem distinguo maiorem: vera imago realis intentionalis concedo maiorem; realis physica, prout distinguitur contra intentionalem, nego maiorem. Minor de reali physica imagine, vt à reali intentionali distinguitur, est vera; prout hanc etiam coercet, est falsa: neque aliud ex citato loco de Trinitate, vlloue alio nostro colligi potest. In ratione enim formalis expressionis, & repræsentationis intentionalis obiecti sufficienter, & adæquatè ratio cognitionis saluatur; licet in creatis etiam procedere actiuè à cognoscentis potentia inueniatur. Quia ab alio eis esse non repugnat, sicuti prædicato diuino communi repugnat.

5. Rursus maiorem illam primam proximæ obiectionis probabis: quia intellectio essentia sua est actio, seu actus vitalis: de ratione autem actionis, seu actus vitalis est ratem esse, vt illo se moueat viuens, quod nequit esse, nisi is actus, seu actio à viuente procedat: ergo de ratione cognitionis est à viuente procedere. Distingue minorem de ratione actus vitalis physici, & realis concedo minorem, actus vitalis, licet veri, intentionalis solum (cuiusmodi Dei cognitio est) nego iuxta doctrinam communem à nobis datam de vita duplici, physica, scilicet, & intentionali contou. de anima. Vtraque vero vitæ ratio in cognitione creata inuenitur: ac proinde, & in ea inuenitur à viuente, cuius cognitio est, vera, & realis processio: scio nonnullos loca illa sacræ Scripturæ, quibus scientia Dei asseritur de scientia Dei non formali, sed eminentiali explicare. Verùm ea solutio nequit sustineri ob rationes datas cert. 2. n. 5.

6. Secundo malam esse interpretationem iuxta statam regulam interpretandi sacras Scripturas traditam à pertinacissimo Tychonio, atque ab Augustino, & reliquis Patribus, & scholasticis approbatam: nimirum scripturæ loca, & verba in sua rigorosa, & formali significatione, & propriissimo sensu esse accipienda, ni aliquid inde absurdi contra expressa alia scripturæ testimonia, dogmaue Theologicum inferatur: alioqui nullum esset contra hæreticos firmum scripturæ testimonium, quod distorta eius, & impropria explicatione eludi non posset: ex scientia autem formaliter in Deo asserta, vt propriè scripturæ verba significant, nil absurdi contra scripturam, & bonam Theologiam asseritur; sed necessarium aliquid ad plura scripturæ loca, & dogmata fidei, ac bonæ Theologiæ tuenda. Denique in scriptura duo in re præsenti sæpè habentur, vt vidimus locis datis. Primum Deum esse causam omnis cognitionis, & scientiæ creatæ: in quo scientia eminentialis, seu eminentet in Deo asseritur. Licet autem ex hac eminentiali scientia Dei formalis non inferretur, vt euidenter inferri ostendimus, nobilior scientia creata; aliis pluribus locis scientia Dei asseritur, vt non solum eminenter, quod primis locis continebatur, sed formalissime scientiam Deo adesse crederemus.

QVÆSTIO III.

An ex prædicato substantiæ spiritualis, seu immaterialis diuino, scientiæ Dei existentia demonstretur.

HANC etiam (vt & similes alias de qualitate probationum, quibus conclusiones Theologicæ probantur reflexas quæstiones) aliorum potius exemplo, quam iudicio proprio omnino inuiti instituimus, vt nō semel monuimus. Vt autem inutilibus, futilibusque pro alterutra parte impugnationibus, solutionibus, & instantiis replicatis semel occurratur, titulus præfixus non de spiritualis prædicato, prout idem, atque immaterialis prædicatum est, solamque negationem corporei importat, aut de spirituali vniuersim, adhuc positiue sumpto, prout accidentia spiritualia coeret, dicitque vel impenetrabilitatem, vel independentiam entis positiui à materia. (Hæc enim sine prædicato cognoscitiui saluantur) sed prout substantiæ prædicatum contrahit, atque substantiæ spiritualis genus, siue speciem metaphysicè constituit: eo quippe sensu tradita à priscis Doctoribus scientia Dei demonstratio hæc fuit.

CERTAMEN I.

Demonstratio instruitur atque de eius qualitate sententia.

1. SAnct. Thom. in 1. d. 35. q. 1. a. 1. & 1. contra g. c. 44. q. 2. de verit. a. 2. & opusc. 3. c. 28. & 35. & 1. p. q. 14. a. 1. præsentem demonstrationem in hunc fere modum proponit. Quo substantiæ magis spirituales, atque à materia abstractæ sunt, eo maiori vi cognoscitiua possent, & cognitione: atqui Deus substantia summe spiritualis, atque à materia abstracta est: ergo & summa vi cognoscitiua, & cognitione, seu scientia pollebit. Minor, & consequentia euidentes sunt. Maiorem ostendit: quia viuentia cognoscitiua, adhuc materialia, magis, quàm non cognoscitiua à materia abstrahunt: sunt enim receptiua formarum sine materia, ideſt obiectorum quoad esse intentionale, quod spirituale quodammodo est, si cum physica eorum entitate comparetur. Vis item cognoscitiua potentiæ vitiuæ, quia nobilior, perspicaciorque est, magis à materiæ conditionibus abstrahit in operando. V. g. grauitate, alteratione physica, propinquitate, & similibus. Absolute item intellectiuum omne abstrahere à materia debere probatur ex eodem S. Th. quia in cognitione fit communicatio obiecti ad cognoscens, quod illud in se suscipit, tamquam pertinens ad propriam sui perfectionem: quod nequit fieri per communicationem obiecti, secūdum esse reale, in quo nequit alteri à se communicari, nec communicare; sed per formam aliquam, ab ipso obiecto distinctam, atque ab his separatam, quæ eiusmodi communicationem impediant; id quod, nisi à conditionibus materialibus abstrahat cognoscens, suo quodque perfectionis gradu, fieri minimè potest. Siquidem materiale ad formam propriā coarctatur.

2. Ideireo Caietanus, Zumel, Bañez, Machin. Nazar. Ripa, Ferrara, Capr. Carmelitani Salmant. Ioan. à S. Th. d. 16. art. 1. Cornelio d. 1. dub. 2. Auersa sect. 1. discursum demonstrationem reputant: quibus accessere Soarez d. 30. met. sect. 14. & d. 35. sect. 3. num. 18. Herize 1. p. d. 1. c. 3. Ruiz d. 1. de scientia sect. 3. Noster Deza manuscripto de scientia q. 14. art. 1. Fasol. ibi dub. 2. Franc. Amico

d. 12. num. 1. Martinon. d. 9. Franc. Lugo lib. 1. d. 27. c. 1. Ribas tract. 4. d. 1. c. 1. Gaspar Ribadeneyra d. 1. c. 2. à §. 2. Pasqualigus tract. 1. de Deo, d. 19. falso referens Molinam, qui solum satis probabilem discursum reputat: cum eo etiam nouissimè censet Quiros noster de Deo tract. 4. d. 34. sect. 3. licet non omnino S. Thom. discursum probent, sed paulo aliter cum ex spiritualitate substantiæ deducant. Soarius maiorem illam ita vniuersaliter probat: quia substantia spiritualis perfectior non spirituali substantia est: ast quo perfectior substantia est, perfectioris operationis principium est, quam non spiritualis: sed nequit esse principium perfectioris operationis, nisi sit intellectionis principium. Quiros sic discursum efformat. Quia substantia spiritualis titulo excessus excludit materialem, supraque illam est, vt patet: ergo debet habere perfectionem cognoscitiui, quod in substantiis materialibus reperitur, eminenti, & nobiliori modo, scilicet, intellectiuo, & spirituali. Etenim quod cognoscitiuum non est, nequit æquare, nedum superare in perfectione cognoscitiuum. Probat secundo, quia spiritualis substantia è genere suo, & ordine perfectior est materiali cæteris paribus; ideoque Deus in ordine spiritualium, ac non materialium substantiarum collocatur. Sed, nisi sit cognoscitiua, non est cur perfectior ex genere, & ordine suo sit. Nam materiæ exclusio potest per defectum, ac non per excessum perfectionis esse, ac proinde non est cur rem in gradu perfectiori constituat, aliquidque excellentiæ præ materiali in illa ponat. Confirmat: quia spirituale ex eo, quod intellectiuum sit præcisè fundat in naturalibus genus perfectius materiali: nam reliqua prædicata, vel possunt inueniri in materiali, vel materialem non excedunt: nec apparet quid materialitas præter perfectam cognitionem, seu intellectionem impediat; ergo quod è genere suo perfectius materiali est, debet esse intellectiuum.

3. Verum omnes isti discursus non ita plane, & placide currunt, vt in aliquot salebras apud alios non incurrant. Primus ex S. Th. vt à nominatis Thomistis intelligitur, atque efformatur, vt vidimus in secunda probatione maioris. Etenim, vel loquitur de coarctatione rei materialis ad formam propriam, ac non alienam secundum esse physicum eius recipiendam, vel ad non recipiendam intentionaliter: si primum: id etiam spirituales substantiæ habent, omnes quidem quantumuis perfectæ: si secundum: cum receptio intentionalis sit, vel ipsamet obiecti, vel specierum intentionalium receptio, in primis peretur principium, atque idem per idem probabitur; scilicet, esse intellectiuam substantiam spiritualem, quia est receptiua alienarum formarum sine materia, seu intentionaliter, quod ipsum est intellectiuam esse, non autem substantiam immaterialem, quod erat probandum. Secundò. Cùm bruta, nosque per materiales sensus sensibilium species, seu formas recipiamus, atque eorum materiales cognitiones efformemus, quin ea obiecta, eorumque formas physicè recipiamus, sed solum cognoscitiue, & intentionaliter: nescio cur intentionaliter etiam alienarum formarum in receptiuæ materiales substantiæ dicendæ absolutè sint. Maxime iuxta opinionem nostri Valentia, Arriaga, & Ripalda, quos refert, & sequitur noster etiam Quiros tract. 3. de vis. d. 21. sect. 5. & hic sect. 1. de possibilitate potentiæ materialis discursiuæ, & intellectiuæ, æque atque animus rationalis. Idcirco discursui huic, vt à S. Th. efformato ex tanti Doctoris authoritate potius, quam ex principiis (quæ non satis nobis eius veteres discipuli, & interpretes, vt pleraque alia, explicuere, nosque præ nostri ingenij imbecillitate non assequimur) consentiemus.

CERTAMEN II.

Reliquorum discursuum examen, & quæstionis resolutio.

1. NEc firmior videtur aliquibus Soarij nostri discursus è perfectiori operatione necessaria ad perfectius substantiæ genus, quale est spirituale substantiæ, constituendum. Etenim aiunt empyreum cælum perfectioris substantiæ est, quàm sint reliqui inferiores, & tamen perfectiorum operationum principium non est: cum iuxta probabilem opinionem nullam operationem habeat, neque in inferiora, & sublunaria corpora influxum, quem dubio procul habent inferiores: secundæ item qualitates, vt albedo, cæterique colores primis qualitatibus perfectiores sunt, frigore, v.g. & siccitate: & tamen ab eis causantur, quin alias causent qualitates. Cæterum, licet empyreum in sublunaria non influat, suas tamen nobilissimas passiones producet, nobiliori quidam, quam sit inferiorum influxus, operatione: quare, vt pauciores, quam inferiores orbes, operationes habeat; ast nobiliores habebit, quod Soarij argumento satis erit. Secunda item obiectio nil conficit. Non enim sicuti substantiæ, ita & accidentium perfectio, è perfectiori operatione taxanda necessario est: cum hæc genere suo non ad operationem, sed ad ornamentum substantiæ sint data: quare, licet nihil operentur, dum tamen magis, nobiliusque eam ornent, in genere suo æstimabuntur perfectiora: vt in pluribus Beatorum corporum dotibus licet videre. Secundo colores perfectiorum operationum vitalium, nimirum visionum, vel per se, vel per sui vicarias species principia sunt, licet alias qualitates mortuas non efficiant.

2. Facilius quidem, & melius illud Soarij principium ad rem præsentem impugnabitur. Etenim, licet deuius operationem intellectualem nobilissimam è possibilibus esse, de quo statim; ast posse esse substantiam spiritualem, longè materiali nobiliorem, quæ intellectualiter operatiua non sit, videtur certum. Deus quippe (esto intellectiuus sit) ast non est vere physicum, ac sine nostræ figmento intellectionis principium: ergo inprimis in Deo verum non est substantiæ eius perfectionem stare in eo, quod sit eius operationis intellectiuæ physicum principium. Secundo infertur inde posse dari substantiam creatam spiritualem, quæ eiusmodi intellectionis principium non sit, cùm infinite excellens substantia spiritualis diuina detur, quæ non sit eius operationis physicum principium: insuper non videtur aliunde implicare creatura substantialis spiritualis, quæ intellectiua non sit: cum spiritualitatis etiam substantialis prædicatum omnino absque intellectiuo metaphysicè saluetur, vt patet: in ea vero, vel illud principium de perfectiori operatione necessaria perfectiori substantiæ deferendum est, vel admittendum posse esse perfectiorem intellectione operationem: quare alterum ex principiis, quibus Soarij discursus innititur, ac proinde totus discursus euertitur.

3. Et Herizè quidem citato loco admittit planè metaphysicè, ac de potentia absoluta Dei loquendo, possibilem eiusmodi substantiam spiritualem, quæ intellectiua non sit; verum demonstrari ait ex spiritualis substantiæ prædicato prædicatum intellectiui in his spiritualibus substantiis, quas de facto habemus. Sed ego, ea possibilitate admissa, nescio, quo pacto, in his adhuc, quas de facto habemus, eiusmodi demonstrationi locus maneat. Neque enim potest esse demonstratio à priori, vel à posteriori, vel à pari. Non à priori: quia ea substantia spirituali possibili admissa, substantiæ spiritualis prædicatum non infert necessario intellectiuum, sine quo esse absolutè potest; non à posteriori: tum quia substantiæ spiritualis prædicatum, nec est effectus potentiæ intellectiuæ, nec necessario cum illa ad conuertentiam dicitur. Non à pari: nam à pari nihil adhuc probabiliter (nedum demonstratiue) probatur, nisi ratio eadem à priori vel à posteriori vtrobique ostendatur, quæ hic non apparet, vt vidimus. Nec refert in prædicato substantiæ spiritualis, quæ de facto est, esse ad intellectiuum necessariam consequentiam. Iam enim non ex prædicato substantiæ spiritualis, sed alio quod in his speciale sit, inferetur: nec video quodnam aliud prædicatum in his sit, præter prædicatum intellectiui, quod illud vniuersalius substantiæ spiritualis contrahat ad harum, quæ sunt de facto species: quodque proinde non magis quam rationale ex animali, ex prædicato suo generico spiritualis substantiæ inferri queat.

4. Nihilo vero firmiores sunt nostri Quiros discursus; imo multa in eis non satis cohærent. Probatione enim prima assumit, prædicatum substantiæ, spiritualis titulo, excessurum supra materialem. In secunda probatione ait talem esse è genere, & ordine suo cæteres paribus; ergo

ergo cæteris non paribus potest non esse in perfectione superà materialem: inde omnia nutant. Secundo vel prædicatum substantiæ spiritualis de se habet titulum excessus supra materialem, vel non, sed ex prædicato alio. Si primum sat erit prædicatum illud ad inferendum intellectiuum contra te; si id habet ex alio prædicato, ex illo quidem non è prædicato substantiæ spiritualis intellectiuum inferetur. Quod si (vt ipse postea assumit) nihil aliud esse potest hoc prædicatum, per quod cæteris materialibus superet substantia spiritualis per excessum, nisi prædicatum intellectiui ex intellectiuo intellectiuum (idem nimirum per idem) malè probabit, vt ipse in Thomistis reprehendit. Ad hæc, vt spiritualis substantia cæteris, vt hic ait, paribus, sit talis per excessum respectu materialium, sat est conceptus solus substantiæ spiritualis, ex quo habet impenetrabilitatem, & immaterialitatem. Denique S. Thom. cuius rationem Quiros tuetur, non sumit spiritualitatem, seu immaterialitatem per excessum, imo nec pro stricta spiritualitate, sed pro immaterialitate, quæ in omnibus cognoscitiuis etiam brutis materialibus reperitur.

5. Ex his sane constat, quam infirme ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis, substantialis etiam, prædicatum intellectiui, seu scientiæ vniuersim, atque è summa spiritualitate prædicatum summè intellectiui, seu scientiæ in Deo probetur: multaque in D. Thom. reuerentia, & fide opus fuisse subtilissimo nostro Molinæ, vt satis probabilem discursum diceret, & crederet, sicuti, & Valentia 1. part. d. 1. qu. 1. & Quiros supra: idque certum nunc est: cum discursum, vt ab aliis à S. Th. intelligitur, torque effugiis, ac difficultatibus patet, longè à demonstratione esse. Quin Okam, Gabriel, Basolis, Gregorius de Arimino in 1. d. 35. & quod pluris est, doctrinæ D. Thom. addictissimi nostri Puente Hurtado manuscripto de scientia, & Arriaga 1. part. d. 15. sect. 1. sub sect. 1. damnino eum enerues, & inefficacem iudicarunt. Et sanè, nisi eo modo, quo maiorem illam S. Thom. primo probabamus, eius doctrina intelligatur, non assequor eius discursus probabilitatem. Scio Gasparem de Ribadeneyra, citato loco satis acutè interpretari S. Th. vt immaterialitatem, atque à materialitate abstractionem pro perfectione rerum, siue materialium, siue spiritualium vsurper: atque inde pro maiori cognoscitiui immaterialitate perfectiorem vim cognoscitiuam, & cognitionem, & pro summa in Deo summam rectè colligi à S. Thom. putat: atque eandem esse hanc demonstrationem cum illa, qua ex summa Dei perfectione summa Dei scientia demonstratur.

6. Sed neque huic discursui acquiesco. Primo: quia ea immaterialitatis pro perfectione, & immaterialis pro perfecto vsurpatio, valdè æquiuoca voce, & quæ difficulter rem nobis significet, de se esse apparet: cum directè, & propriè immateriale independens à materia, seu quid simile significet: perfectum autem nonnisi analogicè, & impropriè per quandam nimirum analogiam satis obscuram, & difficilem, vt videre in hoc authore est, §. 2. esset autem vitium non leue, S. Th. si ad demonstrationem terminis in sensu improprio, & analogico vteretur, non autem in sensu proprio: maximè, cum terminus proprius ad perfectum, seu imperfectum significandum, si id significare vellet, ipsi suppereret. Secundo: Constanter S. Thom. ex rerum immaterialitate, & earum à materia abstractione earum probat perfectionem: si autem idem immaterialitas, atque perfectio in eius phrasi significet: idem per idem vitiosè probabit. Tertiò demum, vt ij Recentiores aiunt citato §. 2. n. 28. illud, quod ait in hoc discursu S. Thom. nempe: *secundum modum immaterialitatis*, seu perfectionis, *verum esse modum, seu mensuram cognitionis*, non ita intelligendum est vniuersim, vt quidquid aliqualem habet perfectionem, aliqualem etiam habeat cognitionem: est siquidem aperte falsum: cum nihil sit, quod aliqualem non habeat perfectionem, & plura cognitionem, ac vim cognoscitiuam non habeant; sed ita, vt in his, quæ cognoscitiua sint, maior, vel minor perfectio, seu immaterialitas mensura sit maioris, vel minoris virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis. Ex hoc autem infertur manifestè ex immaterialitate, seu perfectione etiam maiori, & maiori, imo & summa præcisè non colligi maiorem, vel summam, imo neque vllam vim cognoscitiuam, seu cognitionem: siquidem vis cognoscitiua aliunde supponenda est, vt ex perfectione rei, virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis magnitudo taxetur: nec satis ut perfectio rei per te ad eas inferendas. Tædet in quæstione inutili plura proferre.

DISPVTATIO II.

De his, quæ diuinam scientiam verè præcedunt.

NIHIL Dei physicè naturæ, seu originis prioritate tanquam effectum productum vere, & physicè absque rationis figmento eius scientiam in Deo præcedere, tam certum est, quam nihil commune in Deo diuisum, siue ab aliis Deo intrinsecis physicè distinctum esse: eiusdem quippe ad seipsum realiter realis, physicus ordo, prioritasve, & posterioritas vera esse minimè potest: vt ex terminis patet. Idcirco de præcedentia vera, etsi non physica, potentiæ intellectiuæ diuinæ respectu diuinæ intellectionis tanquam termini, & quasi effectus solummodo intentionalis quærimus: an ea omnia, vel aliqua saltem, quæ creatæ scientiæ in nobis præcedunt, increatam etiam antecedant cognitionem? Ea vero sunt potentia, habitus, species, seu obiectum. Vt autem, metaphysicus adhuc ordo prioritatis, & posterioritatis, physici ordinis ad instar, & imitatiuus, poni à nobis in re eadem rationabiliter possit, requiritur, vt rei eiusdem prædicata metaphysicè diuersa sint. Sicut enim, nonnisi irrationabiliter, & implicatoriè eiusdem realiter ad seipsum ordo prioris, & posterioris realis, & physicus admitti potest: ita eiusdem ad seipsum metaphysicè metaphysicus prioritatis, & posterioritatis ordo, nonnisi stolidè potest admitti: vtriusque vero ratio est: quod in nulla linea, seu statu rerum idem ad seipsum ordinari concipiué prius adhuc, sine implicatione potest. Statuta vero metaphysica prædicatorum rei eiusdem constantia, & diuersitate metaphysica locus quæstioni est: an eorum alteri alterum metaphysicè præcedat? sic statuta constantia, & metaphysica diuersitate prædicatorum entis, siue substantiæ à se, cognitionis, volitionis, immensitatis in Deo locus quæstioni est; quodnam eorum alij, vel aliis metaphysicè præeat? ac proinde essentiæ metaphysicæ loco habendum, ponendumque sit: ita, vt cætera ipsum tanquam passiones metaphysicæ, & eius attributa metaphysicè sequantur. Primo igitur examinandum hic erit, deturne in Deo potentiæ intellectiuæ prædicatum à prædicato intellectionis, huiusque intrinseca possibilitate formaliter metaphysicè diuersum? Secundò an detur in Deo vera & formalis ratio obiecti? Tertio an in ipso vera habitus intellectualis ratio inueniatur? Quartò an vera ei ratio adsit speciei intelligibilis? Hæ enim omnino sunt, quæ nostram scientiam antecedunt, ex quibus tandem quintò eorum, quæ in hac scientiæ, & intellectualitatis linea in Deo esse comperiantur præcedentia, vel subsecutio facilè definietur.

QVÆSTIO I.

Deturne in Deo verum potentiæ intellectualis, prædicatum ab intrinseca scientiæ, siue intellectionis diuinæ possibilitate formaliter, & metaphysicè diuersum?

INTRINSECAM rerum, seu prædicatorum possibilitatem voco non repugnantiam, seu repugnantiæ in sui existentia exclusionem, quæ in

eorum quovis intrinsecè reperitur potentiaque eius logica vulgo nuncupatur, nullique rei, siue prædicato vero, ac non chimærico, & ficto deesse potest. Vnde à rei, vel prædicati cuiusvis actu ad potentiam, logicam scilicet, valere infallibiliter consequentiam certissimum, ac Logicis etiam vulgatissimum axioma est. Quare statuta semel diuinæ scientiæ, & cognitionis existentia, quam d.1. demonstrauimus, de eius potentia logica dubitari à nullo cordato potest. Idcirco de potentia intellectuali, à potentia hac logica, & intrinseca diuinæ intellectionis diuersa nostræ quæstionis titulus inquirit: quæ nimirum non sola intellectionis, seu scientiæ diuinæ possibilitas sit, sed intellectiua potentia, & facultas. An scilicet, quemadmodum in nobis non sola cognitionis, & intellectionis possibilitas, seu intrinseca eius potentia est, sed etiam intellectiua potentia, ita etiam eueniat in Deo?

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ, atque imbelles verosimilioris affirmatiuæ rationes.

1. POtentiæ intellectiuæ prædicatum à potentia logica, siue possibilitate intellectionis diuinæ adhuc metaphysicè diuersum constanter negarunt olim Aureol. apud Capreolum in 1.d.35. quæst.1.art.2. Gabriel dub.2. & 3. quam sententiam non mediocriter illustrauit Herize d.2.c.1. & 3. & post ipsum Albiz d.2.sect.3.num.6.& sect. 4. Hemelman t.1. tr.3.d.1. cap.5. Ruiz d.3.sect.2. Petrus Hurtado d.20. metaphys. sect.2. Pasqualigo d.19. sect.2. Garspar. Hurt. d.1. diff.1.Fassol.quæstion.14. art.1. dub.6. Salas 1.2. tract.11.d.2. sect.6. n.31. & 34. Zuniga d.2. de Trin. dub.5. & 20. Sfortia lib.1. suæ Theol. num.40. Ribadeneyra de scientia d.2. cap.2. §.2. Referuntur & ex antiquis alij, quorum ea in re mens satis est dubia. Referri vero pro ea possunt quotquot Dei essentiam metaphysicam scientia, seu intellectione actuali constituunt. Ij siquidem primum in omni linea metaphysica prædicatorum Dei actualem scientiam, etiam metaphysicè, fatentur: cum tamen potentia intellectiua à possibilitate, seu potentia logica diuinæ intellectionis diuersa, si adsit, (vt minimum) debeat metaphysicè in Deo præcedere. Idcirco Soar. d.30. metaph. sect.15. n.4. & 9. potentiam intelligendi plusquam logicam intellectionis ipsius diuinæ negare videtur: cùm Dei essentiam metaphysicam intellectione constituat, sed tamen num.12. & 13. concedit Deo vim intelligendi, & penetrandi obiecta, quæ è suo conceptu vt sic significata, & accepta præscindit ab eo, quod sit actiua physicè intellectionis à se diuersæ realiter, (qualis nostra vis intellectiua est) vel non sit eius physicè actiua, sed ei realiter identificata. Hæc autem quomodo inter se, & cum opinione illa eiusdem Doctoris de constitutione metaphysica Dei per intellectionem cohæreant, videri[illegible] alij.

2. Secunda, ac verosimilior nobis sententia est dari in Deo prædicatum potentiæ intellectiuæ à potentia logica, & intrinseca intellectionis diuinæ, cui reipsa identificatur, metaphysicè, & formaliter diuersum ita Henric. 1. part.art.36. qu.1.3. & 2. ad fin. Alens.1. part.quæst.19. num.1. Scotus in 1. d.2. quæst.7. & 8. quem suæ imitatur schola, Durandus d.35. qu.1. num.8. S. Thom. ibi qu.1. art.5. ad 4. ac 1. part.quæst.41.art.4.ad 3.vbi ait: *Saluari in Deo rationem potentiæ secundum modum intelligendi.* Et qu.1. de potentia *dari in Deo aliquod principium suæ operationis secundum rationem.* Quod vt disputationis præfatione notabamus fieri nequit, ni vera potentia plusquam logica intellectionis in Deo admittatur, licet sola ratione, & metaphysicè ab ea diuersa. Et communiter Dominicanorum schola. Molina 1. par.qu.41.art.4.§.*tota rei*, & qu.27. art.5. d.2. Vasquez quæst.13. art.2. num.30. d.60. cap.1. d.102.cap.1.n.1. d.119. cap.3. Arrubal.d.28. c.3.& 4. Ruiz d.3.sect.4. Smising. tract.3.d.2. qu.1. n.13. Gilius 1. par.lib.2. tract.1. cap.12. tract.2. cap.4.Granad. controu.2. tract.1. d.1. num.5. & 6. d.3. sect.2. Alarcon. sect.2.d.1.cap.1. Tanner.d.2. qu.11.dub.5. Soar. n. citato, Machin. Raynaudus, Luiz. Torrel. Ribus, Portugal. Florauante citati ab Hemelman supra, quibus adde Martinon 1. part.d.13. num.7. & Arriagam 1. par. d.15. sect.3. sub sect.3. quos refert, & sequitur, quoad hoc prædicatum in Deo adstruendum, Quiros tract. 4. d.25. sect.2. num.8. & quotquot huius prædicati veram, nec solum ratione nostra metaphysicam prioritatem respectu diuinæ intellectionis cum ipso defendunt, quos infra referemus. Licet autem nobis vera, adeoque in scholis omnibus communis hæc opinio sit, non tamen ita firmis argumentis ab omnibus eius patronis suadetur, vt eorum plura reiicienda non sint, ne eorum infirmitas minorem de eius veritate pariat æstimationem. Huiusmodi autem illa omnia sunt, quæ inde petuntur, quod scilicet in Deo sit ratio veri, & realis principij suæ intellectionis. Etsi enim inde horum prædicatorum metaphysica diuersitas legitimè inferatur. Est tamen antecedens hoc probatu longè, quam conclusio præsens, difficilius, vt patet de se, clariusque ex dicendis qu.2.

3. Nec firmius arguitur. Deus intelligit: ergo potest intelligere: ergo habet potentiam intellectiuam diuersam metaphysicè à potentia logica, seu possibilitate intrinseca actualis intellectionis. Probatur consequentia siquidem ab actu ad potentiam legitima est consequentia per omnes, etiam summulistas Dialecticos. Cæterum consequentiæ ab actu ad potentiam necessitas ad potentiam logicam, seu possibilitatem actus vi formæ solum esse facilè dicetur; licet ratione materiæ in actibus, seu entibus actualibus, quæ essentialiter à potentia aliqua dependent, potentia, & vis operatiua illorum sæpè etiam concludatur. Ad id autem supponi debet ea dependentia, quam in diuina intellectione à potentia intellectiua aduersarij negant. Imo de physica dependentia negant omnes, quare nihil siue ratione formæ, siue materiæ ea consequentia in re præsenti concludit. An vero aliunde ex illo antecedenti Deus intelligit potentia intellectiua, nec solum logica intellectionis, inferri in Deo aliunde possit, inferius videbimus.

4. Arguitur pro eadem sententia, sed robore non maiori. In Deo non est cognitio existentis, seu futuri Petri, qui pure possibilis est: & tamen, si extra puræ possibilitatis, ad statum absolutæ existentiæ aliquando extractus, vel extrahendus foret, cognosceretur à Deo absolute existens, vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro: ergo est actu in Deo potentia ad cognoscendum Petrum illum, cuius actu cognitio non est: ergo potentia cognoscitiua Petri illius diuersa ex parte obiecti (loquor semper ex suppositione veræ mihi sententiæ præscindentium formalitates ex parte obiecti rei eiusdem) à potentia logica, seu possibilitate intrinseca, seu non repugnantia diuinæ de Petro illo intellectionis. Nam reuera actu potest cognoscere illum. Vnde & respectu omnium existentium contingentium, quæ de facto sunt eadem potentia in Deo conuincitur. Cum ea potuerint absolute non existere: ac proinde, & actualis eorum cognitio; cum tamen Deo posse illa cognoscere, ac proinde, potentia illorum cognoscitiua, deficere nequeat. Cæterum respondetur facile primo: re quidem vera actu esse in Deo potentiam illam cognoscendi Petrum illum pure possibilem, existentem, cuius cognitio, vt existentis actu non est: sed illam potentiam esse ipsammet possibilitatem, seu potentiam logicam putam cognitionis illius, quæ suo modo, & statu absolute est, etiam, cum actu, & exercite cognitio illius non est: vt de omni ente pure possibili necessario fatendum est.

5. Secundo, & verius respondetur; quoad totam intrinsecam formalitatem cognitionis, & repræsentationis formalis diuinæ cognitionis existentiæ Petri illius non existentis actu totam eius cognitionem esse: quia è conceptu cognitionis diuinæ, quæuis formalitas diuinæ cognitionis infinita, etiam per denegationem termini extrinseci, actualis repræsentatio, & cognitio est, vt vniuersim de omni prædicato diuino sæpe controu.1. docuimus; quare omnium, quæ repræsentari, cognosciue, pro quouis eorum statu, possunt, de se formalis, & actualis est repræsentatio; licet eorum positio desideretur extrinseca, si creata obiecta sint: cum autem hæc absit, non re-

præsenta

præsentationis actualis intrinsecæ Dei, sed obiectorum defectus est. Vnde potentia, quæ ad illa repræsentanda est, non est potentia ad cognitionem Deo intrinseca, sed potentia obiectorum ad existendum, siue eorum contingens possibilitas. Mitto alia, quæ ex dictis, atque statim dicendis facile infirma aperte cuiuis apparebunt. Probant alij, quia datur in Deo vera ratio obiecti suæ cognitionis: ergo, & vera ratio potentiæ. Probatur consequentia: quia non minus importat ratio obiecti in creatis distinctionem, & influxum in sui cognitionem, quam ratio potentiæ respectu cognitionis ipsius eadem importet. In primis antecedens dubium est negantibus nonnullis cum Herize vt q. vltima videbimus. Secundo in plurium opinione ratio obiecti, adhuc in creatis, non dicit influxivam vim in cognitionem, sed solam determinationem potentiæ, atque terminationem cognitionis: quod nec dicit posterioritatem, aut prioritatem realem obiecti, & cognitionis: cum nec respectu actionis, & termini eam dicat: quandoquidem actionem cum termino, & effectu suo sæpè identificari plures docent. Posse autem identificari nullus negat. Tertiò posse dari (imo & de facto dari) cognitionem creatam sui ipsius repræsentatiuam de visione beata plures asserunt, & noster Martinon. 1. part. d. 9. sect. 1. num. 5. cum quo alij ex nostris Recentiores omnem cognitionem, sui ipsius experimentalem cognitionem, & repræsentationem esse docent: ex quo constat, quam dubio antecedenti hoc argumentum innitatur, quamuis veræ nobis adhuc eæ solutiones non sint. Verius tamen facilitusque respondetur; rationem formalem obiecti, vt sic, non dicere distinctionem, & influxum respectu suæ cognitionis, vt contra Herize, qu. vltima ostendemus; dicere autem vtrumque potentiam cognoscitiuam vt sic. Cuius oppositum probandum contra aduersarios erit alia ratione, quam dabimus cert. 4. non autem à paritate petita ex obiecto.

CERTAMEN II.

Solidiores affirmatiuæ nostræ sententiæ probationes.

1. Præfatam sententiam docuisse in primis videtur Arist. 1. ethicor. cap. 8. med. vbi, ne Deus dormiens, aut mortuus cogitetur, ait viuere, atque adeo in seipso operari debere cum autem actio, & operatio physica (nihil enim de personalibus productionibus naturalis, ethnicusque Philosophus cogitabat) intrinseca in Deo admitti nequeat, *quidnam* (inquit ille) *aliud præter contemplationem restat? quare Dei operatio præcellens beatitudine contemplatiua sine controuersia erit.* Vbi autem propria operatio est, & potentia ad operandum eiusdem generis, & ordinis esse debet. Mera enim rei possibilitas, non ad illam operandam, eiusve operationem est, sed solum ad eius esse, siue existentiam sine repugnantia. Sed de hoc loco iterum qu. 2. Mitto Iustinum Martyrem qu. 3. ad Græcos aientem: *quæ differentia est potentiæ ad actum, ea est voluntatis diuinæ ad ipsum velle*: quia, licet Recentium solutio, & interpretatio non placeat, vt statim similibus Nysseni verbis applicata displicebit; tamen hoc opus Iustino impositum magnis fundamentis ostendit Cardinalis noster Bellarminus de scriptorib. Eccles. circa annum quinquagesimum.

2. Sed audiamus Nyssenum de opificio hominis c. 5. in hæc scribentem. *In natura diuina mens est & sermo. Consentaneum his quiddam est in homine: Nam in te ipso animaduertis, & sermonem esse, & vim intelligendi; quæ sunt vera illius mentis, & sermonis imago.* Nec valet loqui de mente, quæ *sit verbi, seu sermonis increati*, quæ secunda est Trinitatis persona, notionalis potentia: loquitur enim de mente, quæ est vis intelligendi, seu intellectiua propriè: quæ quidem, nec respectu verbi erit talis, si sola intellectio in Deo sit: quæ mens quidem nonnisi impropriè, & abusiuè dicetur, licèt potentia notionalis dici possit. Neque enim mens, & intellectio synonyma nomina sunt: quare in significatione propria, de eadem metaphysica formalitate obiectiua in sententia obiectiuarum præcisionum, quam supponimus, vtrumque dici minimè potest. Ad hæc, vt mysterium suadeat diuinarum processionum assumit, quod in intellectione, & mente, qua talibus, non autem, vt notionali potentia, & processione contingit; ne idem per idem suadeat, nec re dubia doctrinam Catholicam confirmet: cùm dubium sit in nobis verbum à formali intellectione diuersum, cum intelligimus, produci; certum autem ex mente produci intellectionem: ex quo aliquid à Deo ex mente produci interius posse suadetur. Nec satis est, quod respondebant Recentiores Iustino: nempe loqui de distinctione mentis à cognitione secundum nostrum modum intelligendi, & significandi, non autem ex parte obiecti. Etenim Nyssænus expressè duo illa mentem, & sermonem, seu cognitionem in natura diuina esse fateretur, ad eiusque instar in nobis: quare non in solo nostro concipiendi modo, sed in obiecto ipso eorum ponit metaphysicam diuersitatem.

3. Probatur viterius. Quia intellectus, & voluntas frequenter in Scriptura, & Patribus Deo tribuuntur, quæ sunt synonyma intellectiuæ potentiæ: ergo hæc proprietate sermonis est in Deo admittenda diuersa metaphysicè ab intellectione. Antecedens patet ex Cyril. 11. Thes. fin. & 1. in Ioan. cap. 5. post med. Damasc. 1. fid. disp. 15. sub med. Euseb. Cæsar. 11. præparat. cap. 10. ac mentis nomine præter datum Nyssænum Dionys. 7. de diuin. nom. circa med. Iren. lib. 2. cap. 48. init. præter eos, qui verbum ex mente Patris procedere dicunt apud Ruiz disp. 2. de Trin. sect. 2. & apud nos disput. 3. & 4. de Trinit. insuper August. & alij ex memoria fœcunda Patris. Denique 6. Synodo sæpe, & in epist. Agathonis art. 4. duplex in Christo voluntas, duplexque operatio diuina scilicet, & humana definitur. Ac Iustinus Martyr, & alij voluntatem ab actu volendi in Deo, formaliter distinguunt ex quo ad intellectum, eiusque actum euidens est consecutio. Vnde constat, quo iure Ruiz d. 3. de scientia temeritatis notet Aureolum, quod potentiam intellectiuam Deo absolutè neget. Nec satisfit his locutionibus potentia intellectiua, siue intellectu virtuali, qui talis absolutè, & simpliciter non est, nec dici potest, sed cum suo addito *virtualis*, quod à Patribus non apponitur. Nec magis præstat intellectus, & mentis nomine potentiam logicam intellectionis significari, vt statim ostendam cert. 3. ostendimusque. Consequentia quoad proprietatem acceptionis constabit certam. 3. vbi ostendemus è propria eius vocis acceptione nihil absurdi Theologici inferri: inde autem eius ab intellectione obiectiua metaphysica diuersitas probatur: quia, vt nuper dicebamus, intellectus, & intellectio proprietate sermonis synonymæ voces, & conceptus formales non sunt, sicut *gladius, & ensis*: ergo diuersum habent signineatum proprium, quod menti, & audienti obiiciant (in opinione præscindentium obiectiue, in qua disputamus) vel idem sub diuerso respectu, & connotato, in præscindentibus solum formaliter, quod satis ad diuersitatem prædicatorum in horum opinione est. Nec satis est intellectum nonnunquam in Scriptura pro actu vsurpari, vt cum Regius Vates sæpè à Deo exposcit: *da mihi intellectum*: quibus non facultatem, & potentiam intellectiuam petit, sed intellectionem. Primo enim ibi intellectum impropriè pro intellectione vsurpari ratio cogeret, si ita acciperetur: quæ in casu præsenti non adest, vt videbimus infra, ac proinde propriè est ea vox accipienda. Secundò nec Dauid intellectionem nomine intellectus impropriè accepto à Deo petit. Siquidem illum petit, vt scturetur & consideret Dei mandata, legem, & mirabilia tanquam medium, & facultatem ad ea habenda. Petit ergo intellectum, idest eiusmodi potentiam à sæculi erroribus, passionibus, vanitatibusque expeditam. Potentia enim impedita perinde est, ac si non esset. Vnde delirio occupatos amentes, idest sine mente esse vulgo dicimus.

4. Stat rursus hæc eorum prædicatorum diuersitas ex illo ad Ephes. *Secundum propositum voluntatis suæ*: vbi *propositum* significat Dei volitionem, hæque dicitur esse voluntatis diuinæ: ergo diuersa formalitas est, & significatur nomine voluntatis, cuius volitio, & propositum est, à volitione, quæ illius est, & propositi nomine significatur. Neque enim nisi inepte sui ipsius aliquid esse dicitur, sed esse idem ipsum. Respondent Recentiores

primo

primo diuersitatem ex nostro modo concipiendi satis ad id fore, licet nulla sit ex parte obiecti, seu significati diuersitas. Sed contra quia iuxta hanc solutionem ensis idem gladij eiusdem significati dici rectè poterit, quod est ridiculum. Respondent secundo; Illud *propositum*, non significare dilectionem Dei necessariam, sed liberum Dei decretum: sed quid inde an respectu decreti, seu dilectionis liberæ Dei admittitur potentiæ, & voluntatis ratio siue formalis, siue virtualis? hæc nequit esse volitio necessaria: ergo aliud prædicatum est in Deo voluntatis, quæ formaliter metaphysicè volitio non sit. Secundo in verioribus principiis quidquid volitionis diuinæ formalis in decretis liberis Dei est, formalissimè, & indiuisibiliter in volitione Dei, qua in se necessario fertur, est: cùm sit infinita è suo conceptu per denegationem termini, etiam extrinseci, sicut reliqua omnia prædicata diuina: quare, si ad volitionem liberam, qua volitio est, admittitur potentia volitiua, nequit non ad volitionem necessariam assignari. Illa enim ipsa volitio Dei necessaria respectu sui, libera est respectu creaturarum: omnem quippe volitionem, volibilium, pro cuiusque dignitate, & pro modo necessitatis, seu libertatis in se continet: estque è suo conceptu indiuisibili omnivolitio, sicuti & scientia Dei est omni scientia. In eoque est libertatis diuinæ ineffabile mysterium, nusquam pro hoc statu satis explicandum, imo neque assequendum: quod scilicet sine additione illa volitionis supra eam, qua se necessariò amat, alia præterea à se libere nolit, aut velit. De quo plura (pro nostro tamen modulo) controu. 4. tomo secundo.

CERTAMEN III.

Vlteriores à ratione probationes.

1. A ratione probatur eadem sententia primò. Quia Deus proprietate sermonis verè, formaliter, & propriè est potens intelligere: ergo habet potentiam intellectiuam. Probatur consequentia. Quia effectus formalis nequit alicui adesse sine forma: ast forma huius concreti, seu effectus formalis, *potens intelligere*, est potentia intellectiua: ergo nequit proprietate sermonis Deo adesse, ni ei potentia adsit intellectiua. Dices, vt supra aiebas concretum hoc potens intelligere satis constitui potentia logica, siue possibilitate intellectionis. Sed contra: quia, vt diximus supra, potentia logica, siue possibilitas tantum est potentia essendi in se illud ipsum, cuius potentia logica, siue possibilitas est; non autem potentia ad operationem, siue physicam, siue intentionalem, siue grammaticalem: ergo nequit constituere potentem intelligere, quod est aliquo ex his modo operari. Antecedens: quia intellectio nostra è sua possibilitate nequit dici potentia intellectiua, neque ab illa constitui proprietate sermonis potens intelligere, adhuc grammaticali operatione intellectionis. Alioqui nos duplicem intellectiuam potentiam, intellectum, & mentem, ac duplicem etiam voluntatem proprietate sermonis haberemus. Quod absque propria stoliditate, & alieno risu dici nequit. Dices intellectionem nostram esse necessario operationem physicam, vel illam supponere: quare, & potentiam physicam operatiuam: quod nequit esse potentia Logica, seu possibilitas intellectionis ipsius, cum nequeat sui ipsius physica operatiua potentia esse? ac proinde in creatis nequit constituere potentem intelligere; secus vbi nulla alia potentia præter logicam est ad intelligendum, sicuti in Deo. Præcluso solutionem verbis illis potentia ad operationem adhuc intentionalem, vel grammaticalem.

2. Contra secundo: intellectio creata, qua intellectio physica operatio non est; licet quia creata physica operatio, seu effectus illam supponens sit: quare neque potentia creata intellectiua physicè actiua erit, qua intellectiua formaliter, vt certam. 4. ostendemus. Tertio. Si in creatis proprietate sermonis forma constituens id, quod propriè potens intelligere, dicitur, qua tale, est aliud prædicatum potentiæ physicæ operatiuæ intellectionis, neque huius potentia Logica, siue intrinseca possibilitas sufficit, vt propriè loquendo potentem intelligere constituat in Deo, in quo potentia intellectionis diuinæ physicè operatiua non est, prædicatum potentis intelligere proprietate sermonis admittendum non erit: sed hoc à Deo erit relegandum: quemadmodum & prædicata alia, quæ in creatis proprietate sermonis aliquid Deo impossibile significant. Audendum ergo necessariò aduersariis erit à Deo prædicatum potentis intelligere reiicere, & proprietate sermonis huius argumenti antecedens negare. Quod nescio an satis tutò negabunt, sine vllius Theologi scholastici exemplo; Imò contra receptam ab omnibus locutionem. Tertiæ huius impugnationis robur exeritur. Etenim, quia ratio potentiæ productiuæ physicè in creatis proprietate sermonis concernit necessario in effectu physicam producibilitatem, atque causæ, & effectus realem distinctionem, ac proinde nec potentia Logica rei creatæ satis est ad constituendum potentem rem ipsam producere: nequit Dei potentia Logica, seu intrinseca possibilitas esse, dicive potentia physica producendi Deum, ab eave constitui Deus potens seipsum producere: ergo, si conceptus potentiæ intellectiuæ creatæ proprietate sermonis dicit vim physicè operatiuam intellectionis, ac proinde potentia logica, seu possibilitas intellectionis potentia intellectiua dici, aut potentem intelligere proprietate sermonis nequit constituere: nec potentia logica, seu possibilitas intrinseca intellectionis diuinæ potentia intellectiua Dei erit, neque potentem intelligere Deum proprietate sermonis poterit constituere.

3. Probatur secundò: quia Deus proprietates sermonis intelligit: ergo in Deo est id, quod intelligit, & intellectio, qua formaliter intelligens redditur: ergo potentia intellectiua. Prima consequentia probatur: quia de formalitate intellectionis solum est esse intellectionem, seu repræsentationem formalem sui obiecti: intelligens autem vlterius aliquid proinde requirit, quod physicè, aut metaphysicè ea afficiatur, aut informetur. Dices denominationes metaphysicas, & in concreto metaphysico significatas, quandoque eius abstractis competere, quin vlla alia formalitas addatur ex parte obiecti, sed tota diuersitas sit ex parte modi nostri concipiendi, & significandi, vt patet in hoc nomine *entitas*, & *ens*, substantiue, & neutre sumpto, quod idem prorsus metaphysicè ex parte obiecti significat, vt controuers. 1. contra nonnullos Recentiores docebamus. Contra vero, quia id specialissimum est in eis concreris, & abstractis entis existentis, & quæ esse significent, & existere: neque in aliis vllis, quæ de formali operationem, adhuc grammaticalem, important (vt in nostro casu) simile aliquod reperietur: neque enim operatio physica dicetur absolutè operans physicè, neque intentionalis operans intentionaliter, neque operatio grammaticalis operans grammaticaliter, vt notum omnibus est.

4. Ratio autem specialis nominum illorum, quæ esse, & entitatem, seu existentiam significant, vt idem omnino substantiua concreta, neque amplius, quàm abstracta significent, est: quia formale significatum earum vocum adeo intrinsecum, & essentiale, ac necessarium ipsis est, vt sine eo esse, concipique nequeant: quare nec seorsim significari: cum autem insuper in re, & formalitate sua sint abstracta ipsa entitatis, & existentiæ, sintque rationes formales, & primæ in linea formali essendi rei toti, & cuicumque concrete siue physicè, siue metaphysicè enti, seu existenti, se etiam ipsas denominant, atque concretè significatæ sunt, & existunt: ne in infinitum formalitatum, seu formarum essendi, aut existendi progrediamur, atque ipsæ primæ formalitates essendi, ac existendi in linea formali esse desinant. Sicuti, & operatio non solum effectus producti, sed sui etiam ipsius productio est, atque à seipsa denominatur producta: & præsentia seipsa suo spatio præsentatur ob rationem eandem, quæ in concreto intelligentis, & intellectionis nusquam apparet. Iam vero admissa diuersitate formali metaphysica intellectionis, & eius, qui ea intelligit, in Deo, inferri in ipso prædicatum potentiæ intellectiuæ, vt secunda consequentia huius argumenti deducebamus

cebamus, probatur: quia, etsi per possibile, vel impossibile iuxta varias opiniones constituentes intellectionem, vel in actione, vel in sola qualitate) Deus se solo intellectionem produceret, ac trunco vniret, tamen non redderetur truncus intelligens, ex eo præcisè, quod non habet potentiam, siue capacitatem intelligendi: ergo ex parte subiecti denominandi intelligentis necessario potentia intellectiua, seu capacitas intelligendi supponitur. Confirmatur: quia sensationes materiæ primæ in vulgari, & veriori sententia subiectantur, quin eam sentientem reddant: quia capacitatem, seu potentiam sensitiuam non habet. Cum ergo Deus intelligens dicat vltra intellectionem subiectum ea denominatum, ex parte etiam huius dicet potentiam, seu capacitatem intellectiuam, vt secunda consequentia inferebatur.

5. Probatur tertiò: quia vt controu. 1. d. 2. qu.... probabamus, essentia metaphysica Dei in prædicato entis à se adæquate constituitur: quod quidem est radix metaphysica, licet non physica, cæterorum Dei attributorum, ac proinde intellectionis diuinæ, quæ vnum ex diuinis attributis est: ergo & respectu huius præcedit metaphysicè saltem, & radix metaphysica est: ergo & est potentia intellectiua. Nihil enim nomine potentiæ intellectiuæ, siue physicæ, siue metaphysicæ contendimus, nisi prædicatum, seu rationem, quæ & in Deo sit, & alterutro modo radix sit intellectionis. Secundò: in sic præcedente metaphysicè essentia metaphysica Dei, seu Deitate, & Deo essentialiter metaphysicè constituto, est capacitas suorum attributorum, ac proinde intellectionis, & intelligendi, siue eam formalem, & proximam, siue remotam, & radicalem appelles, siue positiuam, siue præcisiuam: quia, licet à potentia etiam formali intellectiua præscindat, aptum tamen natum est pro signo rationis posteriori intelligere, sicut esse æternum, immensum, & omnipotentem, &c. atqui ea capacitas, & aptitudo est intellectiuitas diuina: atque ex alia parte negari esse potétia logica, siue possibilitas intellectionis: hæc quippe intellectionis est solius possibilitas, seu capacitas essendi ei solum, quod possibile per ipsam formaliter metaphysicè, seu nostro intelligendi modo constituitur. Nihil enim aliud est, quàm non repugnantia essendi id ipsum, cuius possibilitas est; non autè capacitas, seu potentia prædicati alterius, vt intelligat, vel operetur, vt patet. Ex quo impugnata manet Recentium solutio: quod capacitas intelligendi, quæ est in essentia metaphysica Dei ad intellectionem (quod eius attributum est) secum identificatam, sit potentia logica, seu possibilitas intellectionis, licet in creatis, in quibus potentia, seu capacitas illa ad distinctam à se realiter intellectionem est, sit prædicatum diuersum.

CERTAMEN IV.

Quarta eiusdem sententiæ à ratione probatio ex prædicato viuentis.

1. QVarto arguo: quia Deus dubio procul viuens proprietate sermonis est: sic enim sæpe de eo absolutè Scriptura clamat: atqui de ratione viuentis est, quod sit operans in se siue physicè, siue intentionaliter: ergo Deus est in se operans siue physicè, siue intentionaliter: aut nequit constitui principium operans alterutro modo per operationem, siue physicam, siue intentionalem: v.g. intellectionem, vel amorem: ergo præter hæc prædicata dari debet aliud, quo, saltem intentionaliter, principium eorum intentionale constituatur. Id autem ipsum est ratio intellectiuæ, seu volitiuæ potentiæ. Dices Deum dici viuentem propriissimè vita omnino actuali, secluſa omni ratione vitæ potentialis, quod est genus vitæ nobilissimæ. Contra tamen: quia de conceptu vitæ actualis est esse operationem immanentem saltem intentionalem: atqui operatio in nulla linea saluari potest sine principio, seu potentia: ergo datur in Deo prædicatum potentiæ, quæ principium intentionalis operationis, siue actualis vitæ intentionalis sit, vel neque vita actualis, seu Deus actu viuens propriè admitti potest. Nec locus est effugio illi aduersariis trito, & familiari potentiæ logicæ, seu possibilitatis intrinsecæ ipsius intellectionis, seu vitæ actualis, quod sæpe præclusimus, vt patet. Dices Deum viuentem adhuc dici posse: quia processiones operationes vitales sunt, vt controu. de Trinit. dicebamus, verum conceptus viuentis in Deo communis Trinitati est, nec solum personalis: esse autem viuentem notionaliter personalis solum conceptus est, & proprius personarum producentium, non autem Spiritus sancti procedentis in Trinitate solum, nec producentis ad intra: quare hic viuens iuxta hanc solutionem non erit.

2. Respondent tandem Recentiores de conceptu viuentis, vt ad Deum viuentem extendi potest, non esse rationem principij operationis in se immanenter: sed solius viuentis creati, cuius vitæ, siue in actu primo, siue in actu secundo rationes omnes Deo adesse non possunt: in his quippe, & distinctio, & productio physica vitæ in actu secundo à viuente in actu primo, siue potentia vitali, reperitur: insuper esse accidens extra ea omnia, quæ in statu connaturali, & debito viuenti debentur: quæ omnia in Dei vita actuali per intellectionem, vel amorem deficiunt: quare mirum non est, si eidem deficiat potentiam, suique principium supponere: quod & distinctionem ab eis operationibus Deo indignam dicit. Sed sic respondentes rogo: quidnam operationis vitalis adhuc intentionalis, seu vitæ actualis intellectioni, aut amori relinquatur? Dicunt reddere intelligentem identice. Bene: ergo reddere æternum, immensum, omnipotentem identicè satis erit, vt æternitas, immensitas, & omnipotentia vita actualis Dei dicatur, ac Deus per hæc æquè propriè viuet. Dicunt primo id admitti à nostro Martino Perez de Trinitate: verum satis non est solutionis probabilitati ab vno admitti, cuius oppositū reliquis Doctoribus, non modo non asseritur, sed, tanquam indubitatum supponitur potius, quàm disputatur: imo neque à sic respondentibus Recentioribus admittitur.

3. Respondent secundo, eas solum rationes, quas in viuentibus creatis vitam actualem esse nouimus vitam etiam actualem in Deo esse admitti debere, imperfectionibus semotis: eiusmodi autem esse intellectionem, & amorem, non autem præsentiam, durationem, aut potentiam operandi ad extra, eorumve productiones. Contra tamen est; quia vel standum est prædicatis essentialibus vitæ actualis creatæ, vt in creatis essentialiter est, ad hoc vt in Deo admittatur; vel solum, vt est, esseve in Deo potest? Si primum: Deus nullatenus est viuens, quod expressè Scripturæ repugnat. Si secundum; idem omnino reperitur in æternitate, immensitate, &c. ergo & hæ vitæ actuales Dei erunt, ac per eas Deus propriè constituetur actu viuens contra omnes (Martino Perez excepto) imo & contra Recentiores sic respondentes, qui in eo ab ipso dissentiunt. Dices per nos etiam plura intellectioni Dei deficere, vt vita actualis sit, si essentia vitæ actualis creatæ sit seruanda: quare vita actualis diuina alio modo esse per omnes debet: ac proinde argumentum de vita actuali æternitatis, immensitatis, &c. contra omnes est. Sed contra est: quia admissa potentia intellectiua intentionali intellectionis, & volitionis, harumque ab altera intentionali, licet non physica, productione saluatur præcipuus vitæ tam actualis, quàm potentialis conceptus, & ratio: scilicet posse in se immanenter operari intentionaliter, & operatio immanens intentionalis sine vllo incommodo, aut imperfectione Deo indigna, earum, quæ in aliis vitæ creatæ, siue potentialis, siue actualis conceptibus intercedunt; ast hoc prædicato etiam sublato ab intellectione, & volitione diuinis nullum aliud restat, ex quo ad vitam actualem possit spectare, & ratione cuius nequeant spectare ad vitam actualem diuinam æternitas, & immensitas. Quod si hæ etiam metaphysicè, & immanentia identitatis à Dei essentia, & natura metaphysica procedere dicuntur, vt à metaphysica sui radice, vera metaphysica processio non est. Intentionalis autem respectu earum esse non potest sicut respectu intellectionis, & volitionis, quæ lineæ intentionalis sunt.

4. Dices tandem: totum hoc, vocibus quidem, plenum esse, re tamen, & ratione vacuum. Nam immanentia quidem identitatis in natura metaphysica, & essentia Dei, etiam æternitati competit, & immensitati: neque magis obueniunt Deo in naturali suo statu constituto intellectio, & volitio omnium cognoscibilium, volibiliumque, quam æternitas, & immensitas: cùm ea omnia Deo physicè æquè identificentur, æquéque necessario Deum metaphysicè

taphysicè in sua essentia constitutum, metaphysicè etiam consequantur: processio autem illa, seu progressio intellectionis,& volitionis intentionalis vera,& plusquam metaphysica non est: quam etiam habent æternitas, & immensitas. Verum facilè respondetur æternitatem, & immensitatem nostris durationibus, & localibus præsentiis respondere: quæ suo conceptu, vitales, nedum intentionales actus, & operationes, non sunt, resque, qua entia sunt, & existunt, comitantur: quare neque gradum viuentis consequuntur; sicut intellectio, & volitio: quæ licet æquè connaturaliter Deo physicè identificentur, ac metaphysicè essentiam eius consequantur; tamen vt operationes eius immanentes intentionales non proueniunt, sicut intellectio, & volitio, quæ post naturalem potentiam suæ lineæ illam consequuntur: in quo creatas omnes vitales operationes, quoad in Deo admitti potest, imitantur. Quod autem vera, nec solum metaphysica progressio eorum actuum sit, licet non physica, intentionalis tamen, videbimus qu.4.

CERTAMEN V.

A ratione probatio vltima, & obiectionum solutio.

1. VLtima sententiæ nostræ probatio sit, quam Recens Theologiæ auditor contra recens cusum Herize efformabam, doctisque posthac placuisse video: quia prædicatum potentiæ intellectiuæ est perfectio sine imperfectione: ergo Deo concedenda. Antecedens, quod solum probatione eget, suadetur. Duplex enim imperfectio in prædicato potentiæ intellectiuæ excogitari potest. Alterum, quod naturæ, & essentiæ diuinæ metaphysicæ potentiæ prædicatum superaddatur: quasi aliud quo, adhuc metaphysicè, ad has egeat operationes. De quo modo non disputatur: an scilicet hac potentia ab essentia Dei diuersa metaphysicè egeat Deus, necne? quamuis ex dictis d.2. constet aliunde ad essentiam Dei metaphysicam non pertinere: neque id ex indigentia naturæ esse, sed ex metaphysica præcisione, ex qua neque alia attributa, sine quibus Deus re ipsa esse nequit, ad essentiam metaphysicam Dei expectant: quia solum prædicatum entis à se, & primum est, & reliquorum metaphysica radix, ex qua discursu metaphysico per legitimam consequentiam inferuntur. Atque admissa in Deo vera potentia intellectiua, ab essentia eius metaphysica distingui debere censent Molina, Albiz, & Alarcon citati, Basil. leg.1.par.variat. qu.8. schol. cap.6. §.*Ego vero*, Granad. contr.1. tract.2. d.9.num.2.& alij. Contra vero non distingui iudicant Salas, Arriaga, Gilius citati,& Recentiores alij: Aſt licet nos primis consentiamus (vt dixi citata d.2.& hic inferius) nunc tamen ea quæstione abstinemus.

2. Secunda imperfectio, (&, cui maximè aduersarij insistunt) est: eiusmodi potentiam intellectiuam, seu volitiuam physicè actiuam sui actus, ac proinde ab eo distinctam esse debere: hanc autem imperfectionem potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ, vt sic, non conuenire, sed vt contractæ per prædicatum potentiæ eiusmodi creatæ, sic ostendo. Intellectio, qua intellectio, actio physica, aut effectus physicè productus essentia sua non est, alioqui intellectio, qua talis Deo repugnabit: ergo nec potentia intellectiua, qua intellectiua est physicè actiua. Patet consequentia: quia potentia actiua physica essentialiter est ad physicam actionem, vel effectum: atqui intellectio, qua intellectio, nec physica actio, neque effectus est: ergo potentia intellectiua (quæ, qua talis, ad intellectionem, qua intellectio, est) ad actionem, vel effectum physicum non est: ac proinde neque actiua physicè est, neque proinde à suo actu, vel effectu diuersa realiter esse debet. Antecedens primum certissimum est. Etenim, si de conceptu essentiali intellectionis, vt sic, & vniuersim sumptæ esset actionem, vel effectum physicum, ac proinde realiter à sua potentia diuersam esse; Deo propriè loquendo intellectio neganda contra Scripturam, & fidem necessario foret. Nec satis est hoc argumento euinci solum logicam potentiam supra à nobis impugnatam. Probat enim, etsi pluspuam logica sit atque admittatur, actiuam è conceptu, & formalitate sua non esse: quare eiusdem tealiter ad seipsum esse posse.

3. Huic rationi à priori, vt vim habeat, inniti debet argumentum illud Salmanticensium Recentiorum Thomistarum, quorum adhuc puerorum ingenium magni nobis, quasi ex diuinatione fuit, iam vero adultorum, & docentium cunctis in plausu est. Nempe: licet intellectio nostra imbibat physicam egressionem, & receptionem ab intelligente, ac proinde physicam distinctionem ab illo, tamen datur absque his cum omni proprietate, & rigore intellectionis in Deo: ergo licet potentia intellectiua dicat actiuitatem physicam in suum actum, creatam scilicet intellectionem, ac proinde distinctionem realem ab illa, dabitur cum omni proprietate, & rigore in Deo, licet sui actus actiua physicè, & ab eo distincta non sit, sed ipsi potius realiter identificata. Ratio enim vtriusque est: quia intellectio, qua talis vniuersim, & præcisè sumpta non dicit physicam à sua potentia egressionem, atque in ea receptionem: quare neque potentia physicam actiuitatem in illam: ac proinde neque ab illa physicam distinctionem. Vnde nec repugnat vtramque reipsa identificari, atque in re physicè infectili, & vnissima (Deo nempe) vtrumque prædicatum potentiæ intellectiuæ, & intellectionis cum omni proprietate, & rigore reperiri.

4. Inde etiam constat ad præcipuum aduersariorum argumentum aperta, & expedita solutio: Negando, scilicet, potentiam intellectiuam (& idem de volitiua esto) dicere essentialiter physicam in suum actum actiuitatem, quare, & realem ab illo distinctionem, seu (vt Recentiores aiunt) posse augere per illum numerum rerum, quod actu identificato realiter cum sua potentia est factu impossibile. Constat enim ex ratione data assumptum hoc quouis modo explicatum de potentia intellectiua, seu volitiua, earumque actibus vniuersim falsum omnino esse; licet de specialibus potentiis, & actibus eiusmodi creatis sit verum. Quanquam neque de his ita absolutè verum sit, si in actione intellectio, & volitio creata constituantur. De ratione enim actionis physicæ non est à sua potentia physica progressio, & distinctio, vt quæst.2. ostendemus, sed solum termini, qui per illam progreditur realis à potentia distinctio: obiectio altera ex identitate etiam formali, & metaphysica essentiæ Dei cum scientia (ad quam necessario saltem metaphysicè debet potentia præcedere, cum tamen nihil adhuc metaphysicè essentiam Dei præcedere queat) constat assumptum de identitate etiam metaphysica, scientiæ, & essentiæ metaphysicæ Dei falsum prorsus esse.

5. Tertia oppositio. Potest concipi viuens, & intelligens in actu sine ratione viuentis in potentia, siue sine potentia. Idque nobilissimum genus viuentis, & viuendi è suo conceptu est: ergo & diuinum: quare à Deo relegandæ potentia vitalis, & intellectiua erit. Respondetur negando maiorem. Nam eo ipso, quod concipiatur intelligens actu, concipitur ex parte subiecti subiectum capax intelligendi: in quo implicitè potentia deuoluitur intelligendi, & viuendi: quare falsum est ea ex parte antecedens. Quod si dicas: potest concipi intellectio, & vita actualis sine potentia, &c. distinguo antecedens, *siue potentia*, pro eo signo metaphysico fateor: pro signo priori metaphysicè saltem, nego. Est enim diuersa metaphysicè formalitas à potentia; cum sit essentia sua operatio vitalis, intentionalis saltem, quæ eadem metaphysica formalitas respectu sui esse nequit. Quoad secundam partem negatur etiam antecedens. Nobilius quippe viuendi, & vitæ genus est potentiæ, & actus vita, quam actus solius: cum potentiæ prædicatum nullam dicat imperfectionem, vt non dicere ostendimus proximè. Secundò, quia, vt cap. 3. ostendebamus, vita actualis sine potentia vitali chimærica est, atque impossibilis: quare imperfectissima,

6. Explicato antecedenti in bono sensu quo nos posset vrgere, satisfecimus. In alio vero, ex quo vrgeri non possumus (scilicet vitam actualem, excludendo vitam in potentia, quo excluditur actualis coniunctio cum actu) verissimum est. Sed inde contra nos nihil: cum potentiam intellectiuam Dei necessario, & identicè semper coniunctam cum actu in Deo ponamus: nec Deum in potentia ad intelligendum vlquam esse posse admittamus: quod optimè docuit sæpe Sanctus Thomas & 1. contra gent.

gent. cap. 28. (ex quibus locis contra nostram sententiam obiici solet) negans in voluntate Dei potentialitatem: *quasi* (inquit) *consideretur in potentia ad vtrumque: vt primo sit volens, potentia, & postmodum actu volens; sed semper est actu volens quidquid vult, non solum in se, sed etiam circa creata.* Verbis autem aliis, quæ ex quæstione 41. 1. part. articul. quarto, ad 3. à Recentioribus opponuntur, solum agit D. Thom. de potentia, prout principium physicum actiuum est, dum eam in Deo respectu communis intellectionis, & amoris negat. Ac solum secundum nostrum modum intelligendi, & significandi concedit, vt ex contextu patet. Rursus opponi posset, non dari ad processiones diuinas (quæ actus intellectus, & voluntatis sunt) potentias notionales, ne vltra quinarium numerum notiones excedatur, si vltra processiones diuinas potentiæ notionales denturergo neque respectu actuum communium scientiæ, & amoris. Sed antecedens est falsum, vt constat ex contr. de Trinit. d. 4. qu. 1. ex eius vero oppositio non inferri plures quinque notiones esse vidimus eadem contr. d. de notionibus diuinis, quod si inferretur idem etiam ex conceptu processionum inferretur. Denique permisso antecedenti negari consequentia poterat: quia ex ea illud absurdum non deduceretur, quod ex antecedenti deducebatur.

7. Denique opponit Aureolus, atque iudicio Recentium euidenter. Non minus est Deus idem re ipsa cum sua intellectione: quam intellectio nostra cum expressione obiecti, actioque, & vnio cum productione, & coniunctione: atqui ob eam identitatem horum non datur vera potentia in intellectione ad exprimendum obiectum, in vnione ad coniungendum extrema, aut in actione ad producendum: ergo neque in Deo ad intelligendum, seu intellectionem. Respondetur negando minorem. Nam expressio obiecti, & intellectio, vnio, & coniunctio extremorum, actio, & productio effectus idem non solum realiter, sed formaliter sunt: ac proinde nonnisi ficta potentia in his ad illa munera, seu actus esse potest. In Deo autem sunt formalitates, & prædicata diuina, vt ostendimus, inter quæ sine ficto prædicato aliquo, possumus distinguere metaphysicè instabis: Potentia hæc Dei ad intelligendum est potentia, vt sit realiter ipsa intellectio, seu idem cum ipsa intellectione: Hoc autem est potentia logica, cùm Dei, tum ipsius intellectionis: ergo non est potentia intellectiua à potentia logica differens. Maior probatur: quia est potentia intelligendi identicè, siue per intellectionem secum identificatam, non autem non identificatam. Respondetur negando maiorem: Ad cuius probationem dicito: potentiam intellectiuam non dicere, qua talem, physicam identitatem cum intellectione, neque illam negare, sed ab illa in suo formali conceptu præscindere; licet ex prædicato simplicitatis, quo omnis realis compositio à Deo excluditur, tam potentia, quam reliqua Dei prædicata dicant identitatem cum intellectione, & aliis: ad actum autem identitatis huius nulla in Deo datur vera, & realis potentia, sed logica, vt summum seu rationis quemadmodum, & relatio identitatis vnius cum alio rationis est: cum sit eiusdem ad seipsum, quæ nonnisi rationis esse potest: vt differte docet S. Thom. 1. part. qu. 28. art. 1. ad 2. Tandem dices: de conceptu potentiæ, maximè actus necessarij, esse, exigere actum; sed ad realem, & veram exigentiam requiritur inter exigens, & exactum vera distinctio, quæ non est in Deo respectu suæ intellectionis: ergo nec vera potentia ad illam. Sed in primis actus omnis verus potiori iure exigit potentiam veram: quare hac sublata respectu intellectionis in Deo, & intellectio auferetur. Respondeo: exigentiam propriissimè acceptam, seu physicam veram solummodo esse de conceptu veræ potentiæ, physicæ, non autem veræ potentiæ vt sic, & intentionalis solum: licet exigentia minus propria pro connexione metaphysica sit de eius conceptu: ad quam satis est vnum conceptum ab alio distingui, metaphysicè atque ex illo inferri.

QVÆSTIO II.

An potentia intellectiua (idem esto de volitiua) veram physicam, & absolutè talem respectu sui actus prioritatem habeat?

Idem inquirimus, atque alij his terminis: an detur in Deo vera ratio actus primi respectu suæ intellectionis, vel amoris? inquiritur autem de vera prioritate, veroque actu primo. Nam de actu primo metaphysico statuta semel vera ratione intellectiuæ potentiæ, à possibilitate, seu potentia logica intellectionis diuersa, dubium esse nequit, quin potentia hæc in Deo metaphysicè præcedat. Sicut essentia metaphysica Dei ea etiam ratione præcedit attributa, eorumque metaphysica radix ab omnibus Theologis habetur. Ea vero potentia ab intellectione metaphysicè diuersa admissa his adhuc esse potest, an inter eas vera aliqua, ac non pure metaphysica prioritas, & posterioritas intersit? vel physica absolute talis, de qua hic, vel physica; quam dicunt virtualis, de qua q. 3. vel intentionalis, vera tamen, vt docti Recentiores contendunt. In qua multum de nomine à plerisque certatur, vt videbimus q. 4.

CERTAMEN I.

Vera physica prioritas absolutè talis potentiæ intellectiuæ communis respectu communis intellectionis à Deo relegatur.

1. Conclusio est omnium nullo excepto, Theologorum licet enim distinguentes formaliter ex natura rei cum Scoto, vel realiter virtualiter inter diuina prædicata proportionatam suæ distinctionis modo potentiam vere productiuam physicè, seu physicè priorem, vel formalem ex natura rei, vel realem virtualem respectu intellectionis, & amoris communis defendant, vt videbimus: aut sine addito, vel formalis ex natura rei, vel virtualis, nemo hactenus potentiam intellectiuam, aut volitiuam physicè, & realiter suorum actuum actiuam, & priorem absolute esse asseruit. Ratio est perspicua: quia actiuitas, & prioritas physica vnius respectu alterius est actiuitas, seu prioritas causalitatis, vel originis: aut neutra harum actiuitatum, seu prioritatum inter potentiam intellectiuam, aut volitiuam Dei, earumque actus esse potest: ergo neque est actiuitas, prioritas realis, & physica earum potentiarum respectu suorum actuum. Minor (quæ sola probationem desiderat) facile ostenditur. Quia nihil sui ipsius actiuum realiter, seue ipso prius realiter, vel causalitate, vel origine esse potest (alioqui probandæ distinctionis personarum Trinitatis ratio nulla suppereret: cum ea vnica sit ex prioritate originis, & processionis vnius personæ ab alia, nec alia à Conciliis, Patribus, & Theologis assignetur) atqui potentiæ eiusmodi absolute idem omnino physicè, & realiter cum suis actibus sunt: ergo neque eorum actiuæ physicè, & realiter, eisue absolute ita priores esse possunt. Secundo probatur: quia si absolute physicè à potentia, & virtute Dei actiua procederent: cum non procederent originaria, & propria personarum processione, procederent causaliter: vnde & & essent creaturæ, atque non à potentia vitali intellectiua, seu volitiua (vt aduersa sententia adstrueret) sed ab omnipotentia procederent.

2. Verum contra hanc catholicam, méque iudice, dogmaticam, conclusionem nonnulla ab authoritate, &

à ratione satis subtilia opponi possunt. Primo Chrysost. hom.1.de incomprehensibili Dei natura dicens: *Non ex sapientia substantia, sed ex substantia sapientia est*, in Deo nimirū, quibus similia passim apud Patres inuenies: atque item Dei essentiam esse principium actiuum, radicem, & receptiuum intellectionis, & volitionis, atque vniuersim attributorum. Hæc autem de principio vtroque, & radice metaphysica, non autem physica intelligenda sunt, & modo nostro concipiendi, vt Cyrillus, qui sæpè ita loquitur, pro omnibus respondit.11. Thes. cap. vnico his verbis. *Frustra igitur contenditis nullo modo aliquid accidere Deo posse; cum multa in essentia eius, quasi accidentia concipiantur*: licet accidentia, & effectus essentiæ verè non sint: vt statim clarius edisserit scribens. *Nonnunquam, quasi accidentia, etiamsi non omnino accidant Deo, hac dicere, & mente accidentium modo concipere, nos cogi.* Hunc etiam explicatum habent Augustini verba qu.15.& 16. ex libro octoginta trium. Nempe: *Deum esse causam suæ sapientiæ*, atque ex 7. de Trinit. cap.1. *illi*, (scilicet Patri) *qui est causa, vt sit, est etiam causa, vt sapiens sit*, quamuis germanior postremi huius loci sensus sit: Patrem, neque suæ essentiæ, neque sapientiæ causam, aut principium, otiginis adhuc, habere: cùm à se, & causaliter, & originariè, seu non ab alio sit.

3. A ratione oppones primo: distinctionem principij, seu potentiæ actiuæ à suo termino ideo præcisè poni debere, quia realiter sui termini respectiua transcendentaliter est: Dei autem potentiam physicè actiuam respectiuam realiter transcendentaliter esse non debere, vt de omnipotentia supra ostendimus, quam à creaturis, quarum actiua physicè est, quæque distinctæ realiter ab ipsa sunt, re ipsa omnino absolutam esse docuimus. Citius ergo potentiæ Dei, physicè etiam actiuæ ad intra, à suis terminis absolutæ realiter transcendentaliter asseri debent, vbi eiusmodi reali respectui obest identitas: ac proinde ad terminum secum identificatum re ipsa esse poterunt. Verum non inde probatur necessitas distinctionis realis potentiæ physicè productiuæ à termino producendo, quod sui termini realiter transcendentaliter respectiua esse debeat. Hoc enim adhuc in creatis sub lite, & iudice est. Distinctio autem necessaria causæ, aut principij physicè productiui à termino causando, & producendo certissima, & indubitata à Patribus, & scholasticis est: qua sublata mysterium Trinitatis sine ratione, ac probatione manebit.

CERTAMEN II.

Subtiliores obiectiones propulsantur.

1. OBijcies iterum à ratione. Datur potentia actiua physica, seu principium actiuum notionale respectu processionis, seu actus notionalis, cum quo physicè identificatur in diuinis: ergo & dari poterit in Deo potentia physica actiua intellectualis, & volitiua respectu intellectionis, & amoris, seu actuum, cum quibus re ipsa, & physicè identificantur. Communis nobiscum in præsenti conclusione sententium solutio est; diuinas processiones alias actiuas esse identificatas realiter cum personis diuinis producentibus, alias passiuas personis diuinis procedentibus realiter identificatas, vt communius Theologi ferunt id quod, licet verum sit, non tamen vt eorum plures reputant dogmaticum, vt ostendimus controu. de Trinit.d.3.eo vero posito distinguunt antecedens *respectu processionis passiuæ*, realiter distinctæ à principio notionali, vtpote identificatæ cum persona procedente, realiter à producente diuersa, concedunt antecedens; *respectu processionis actiuæ*, cum potentia notionali, & principio producente identificatæ realiter, negant antecedens: ac subinde consequentiam, in qua infertur potentiam intellectiuam, seu volitiuam physicè actiuam esse respectu intellectionis, seu amoris ipsis identificati: in quo solum est repugnantia, vt vidimus. Atque hæc sane solutio vera quidem, facilis, & valde probabilis est: cum respectu processionis actiuæ potentia actiua notionalis communis à Theologis non admittatur.

2. Cæterum cum huius oppositum probabile etiam sit, nobisque verosimilius controu. & d. citatis de Trinit. (dari scilicet potētias notionales actiuas physicè respectu processionum, etiam actiuarum, re ipsa cum illis, & personis producentibus identificatarum) nolumus argumenti huius solutionem ex oppositæ sententiæ probabilitate (licet magna) pendere. Tum: quia, licet adeo probabilis vera tamen nobis ea sententia non est. Tum: quia nolumus argumenti contra certissimum, ac ferè dogmaticum euidentque principium, de impossibilitate productionis eiusdem à seipso, solutionem doctrinæ solum probabili inniti: tum denique, quia solutio à nobis in oppositā opinione adhibenda vtilem aliis difficultatibus doctrinam exhibebit. Admisso ergo iuxta oppositam nostram sententiam memoratam antecedenti respectu processionum etiam actiuarum, neganda est consequentia, vt clarius constet eius argumenti, debilitas, atque principij illius de repugnantia productionis physicæ à seipso, ac proinde & eiusdē ad seipsum physicæ actiuitatis, veritas inconcussa.

3. Disparitas est: quia actiuitas notionalis physica ad actiuam processionem secum realiter identificatam non est ad eam tanquam ad terminum producendum, inter quem, & potentiam actiuam physicam necessaria est distinctio, vti principium, quod statuimus, & defendimus, docet, atque in mysterio Trinitatis constat; sed solum est ad processionem sibi identificatam, & actiuam tanquam ad viam causalem, vel causalitatis, seu originis. De cuius ratione non magis est à principio, quam à termino re ipsa distingui, vt fusè citata controu. & d.de Trinit. monstrauimus, licet formaliter, & metaphysicè ac nostro concipiendi modo diuersa sit: quia ad instar viæ inter Thebas, & Athenas (vt ait Atistoteles) cogitatur, quæ ab vtroque termino, & extremo re ipsa diuersa est. Si autem respectu intellectionis, & amoris communis, communis potentia siue intellectiua, siue volitiua actiua physicè admittatur, ad ea, tanquam ad producenda, atque suæ actiuitatis terminos, comparari debent: atque respectu sui tanquam termini producendi, nec solum viæ ad producendum terminum vlteriorem daretur actiuitas, idemque re ipsa, seipsum physicè produceret (cum vlterior terminus producendus non adsit) quod implicat.

4. Dices tamen: cur non posset potentia intellectiua communis comparari re ipsa ad communem intellectionem tanquam ad viam solum. Respondeo facilè, & apertè, quia id solum via realis causalitatis, seu originis physicè, realiter, & verè est, per quam ponitur in rebus aliquid, siue identificatū cum ipsa, siue realiter ab ipsa diuersum, diuersūtamen realiter à potētia physica actiua; via enim realis, ac non ficta eiusdem ad seipsum cōcipi, nedum esse re ipsa, nequit, intellectione vero, vel amore communibus nihil re ipsa à potentia diuersum ponitur, siue identificatum cum eis actibus, siue ab eis realiter diuersum: ac proinde, si ad illos potentia notionalis actiuè physicè comparatur, ad illos non tanquam viam solum, sed tanquam terminum etiam producendum comparanda est: cum non habeat terminum vlteriorem, ad quem eius potentiæ actiuitas physica sit: hoc autem repugnat, vt diximus, cum potentiæ communi, siue intellectiuæ, siue volitiuæ, earum actus re ipsa absolutè identificentur.

5. Ex hoc vero occurritur etiam facilè alteri obiectioni, quæ ex alia nostra doctrina eiusdem controu. de Trin. d.4.q.2.peti posset. Docuimus enim ibi potentiam notionalem siue proximam, siue remotam, non ita ex communi, & personali personæ producentis cōstitui, vt horum quodvis partialis potentia actiua notionalis formaliter sit; sed ita, vt commune (pura intellectiua potentia) de suo conferat energiam, seu virtutem seminalem, & fæcunditatem, impeditam tamen, si secundum se spectetur, identitate cum termino producendo; personalitas vero, v.g. Patris, ipsi adiuncta identicè conferat expeditionem: quia, cum à personalitate filij differat, potētiam intellectiuam in huius identitatis statu differre eam à filio facit producendo; ex quo illa qualis, qualis energia, & seminalis virtus intrinseca potentiæ intellectiuæ communis, cum intrinseca ipsi sit, respectu processionis (quæ intellectione communi etiam constat, vt ibi d.3. ostendimus) videtur adhuc admittenda: ac proinde aliqualis physica actiuitas potentiæ intellectiuæ

intellectiuæ communis tanquam viæ. Respondetur tamen obiectionem hanc maiorem vim habere, si in communi potentia intellectiua actiuitatem partialem formaliter admitteremus, vt patet, sed nihil probat.

6. Etenim energiam illam potentiæ intellectiuæ communis actiuam realiter formaliter esse nō admittimus, sed partem solum potentiæ notionalis actiuæ formalis, eamque energiam impeditam esse per identitatem cum termino producendo, quo impedimento per identitatem cum persona producente liberatur. Si autem eo impedimento liberari non posset per identitatem cum persona à termino illo producendo, sicut impedimentum necessarium, illi esset potentiæ communi, ita etiam energia, seu fœcunditas illa, inchoata, & seminalis adhuc, esset chimærica, & impossibilis: cum autē respectu intellectionis communis distinctio realis ab illa impossibilis sit, quia neque per identitatem cum persona producente (cui etiam intellectio communis identificatur) ab identitate reali potentia intellectiua liberatur, atque intellectio, qua communis præcise est, processio actiua, vel passiua non sit, sed vt identificata cum persona producente sit actiua processio, & cum persona procedente processio passiua, & vtrumque habeat non respectu sui, sed respectu personæ procedentis, sit plane potentiam intellectiuam communem, nec secundum se, nec vt identificatam adhuc personæ producenti, esse physicè actiuam respectu communis intellectionis, siue tanquam viæ, quia vt sic processio non est, siue tanquam termini, quia intellectio communis terminus producendus non est. Licet vt identificata personæ Patris vtraque potentia intellectiua ad intellectionem vt potentia notionalis actiua physicè tanquam ad viam comparari queat.

7. Dominicani Recentiores, ingenio nobiles, manuscripto de scientia Dei relati à Ribadeneira supra. c.4. n. 55. admissa distinctione virtuali potentiæ intellectiuæ à cognitione contingenti, seu contingentium in Deo, aiunt saluari posse in potentia hac physicam absolute, & simpliciter actiuitatem, & actum primum respectu eius cognitionis, licet absoluta, & simpliciter ratio productionis physicæ saluari nequeat. Extremum hoc addunt, ne vnicum argumentum distinctionis realis formalis diuinarum personarum ex absoluta, & simpliciter productione, & processione physica earum à Patribus datum vel incurrant, vel euacuent. Sed certe cum non maior distinctio inter producens, & productum actu, quam inter productiuum, & producibile requiratur: si ad productiuum, & producibile absolute, & simpliciter tale distinctio realis virtualis satis est, ad producens, & productum actu absolute, & simpliciter satis etiam erit: vnde male Patres, & Theologi omnes ex productione, & processione personarum absolute, & simpliciter inferunt absolutam, & simpliciter talem distinctionem: cum hæc inter solum distincta realiter virtualiter, æque atque actiuitas, & producibilitas physica absolute, & simpliciter talis, dari queat.

8. Quod autem non maior distinctio inter producens, & productum actu absolute, & simpliciter tale, quam inter productiuum, & producibile absolute tale requiratur, probari facile potest. Primo, quia æqua est oppositio relatiua absolute, & simpliciter inter productiuum, & producibile absolute, atque inter absolute producens, & productum: ergo tanta est inter illa, atque inter hæc distinctio: quare si ad eam oppositionem relatiuam sat est virtualis distinctio, & ad hanc etiam oppositionem sufficiet: ex magnitudine enim relatiuæ oppositionis relatiuæ distinctionis oppositorum magnitudo taxatur. Secundo probatur: quia actio non addit causæ, & effectui distinctionem, eamue formaliter in ipsis ponit: sed supponit potius, vt in Trinitate etiam euenire ostendimus controu. de Trinit... d... q... cerr.., & in aliis omnibus omnes censent ad vnum. Quare ea solum in producente, & producto actu distinctio requiritur, estque, quæ in productiua, & producibili esse debet. Tertio tandem: cum vnumquodque eo, quo in se constituitur intrinsecè, ab omni alio, quod ipsum non est, distinguatur, nequit ex actuali productione distingui magis, quam per suam entitatem distinguatur ab alio; licet ex productione bene inferatur distinctio productioni proportionata eorum, vt si absoluta, & simpliciter talis productio physica sit, absoluta, & simpliciter talis principii, & termini secundum se, & intrinsecas suas entitates distinctio realis arguatur; si autem virtualis, eorum etiam virtualis distinctio.

9. Cuius ratio est: quia, cum nihil possit producere seipsum eo ordine, & genere, quo productiuum est, identitatem cum illo excludit, atque ab eo dicit distinctionem, si realiter formaliter, realem formalem; si solum virtualiter productiuum illius est, realem solum virtualem: ex quibus constat Recentiores istos non ita sartam, tectamque rationem Patrum pro personarum distinctione, atque ipsi putabant, volebantque seruare. Constat etiam, eo absurdo omisso perperam philosophatos esse, cum pro absoluta, & simpliciter tali actiuitate sufficere distinctionem virtualem principij à termino putarunt: atque inconsequenter eam ad productionem absolute, & simpliciter talem negasse. Et quidem principij, & causæ actiuæ, & simpliciter talis, à principio, & causa actiuis secundum quid distinctio in eo solum stat, quod illa possunt agere, seu sunt principia operandi absolutè, & simpliciter; hæc vero sunt principia operationis solum secundum quid. Quare implicat actiuitati potentiæ intellectiuæ Dei respectu intellectionis solum respondere virtualem productionem.

QVÆSTIO III.

Num in potentia intellectiua, aut volitiua Dei physica actiuitas, & prioritas cum addito formalis ex natura rei, *vel* virtualis *admitti queat.*

Rejecta à Dei intellectu, & voluntate, absoluta, & simpliciter tali actiuitate, & prioritate respectu suorum actuum quæstioni huic inter Recentiores celebri locus proximus est.

CERTAMEN I.

Authorum sententiæ.

1. Actiuitatem physicam, aut productionem formalem ex natura rei, vel virtualem non hic intelligimus coniunctionem identicam potentiæ intellectiuæ cum intellectione, quarum prima in creatis actiua physicè secundæ est; hæc vero à prima producta. Si enim ita virtualis, aut formalis ex natura rei actiuitas, & productio intelligatur, nequit Deo negari, sed est impropria earum vocum vsurpatio. Si enim nomen virtualis prædicati, siue distinctionis, siue actiuitatis, siue actionis, siue alterius cuiuspiam, ita accipi cum proprietate valeat, innumera prædicata Deo indigna, & absurda cum addito *virtualis*, seu *formalis ex natura rei* adscribi poterunt, quæ fuse persequitur, & recenset Alarcon vbi hoc sensu à se intellectam virtualem prædicatorum Dei distinctionem à Recentioribus assertam confutans mille eiusmodi absurdorum exemplis eam distinctionem infectatur. Illum igitur adeat lector, ne in re certa tempus inutiliter consumatur. Et hoc sane sensu Becan. tract.1, c.1. q.1. num.9. potentiam intellectiuam virtualem realem ad summum admisit. Me autem iudice solum admisit eius ab intellectione realem virtualem distinctionem, ex qua realis virtualis actiuitas minime deducitur, vt statim ostendam.

2. Verum non adeo facile sensus Doctorum eiusmodi actiuitatem physicam, vel formalem ex natura rei, vel virtualem potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ in suos actus intellectionis, & amoris, in vnum cogetur. Vt ex Arrubalis, & aliorum alio, & alio sensu recitando constabit. Germaniot est, qui eam ad modum distinctionis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis exponit, vt productio, & actiuitas inter eiusmodi potentias, earumque actus sit: formalis quidem ex natura rei, *quæ res absolute, nec phy-*

sice productiua, nec producta formaliter tamen, & ex natura rei, atque omnino ab intellectu independenter habeant esse productiua altera, altera vero producta. Virtualis vero actiuitas, & productio sit: *qua ea, inter qua nec actiuitas, nec productio physica absolute adest, adesse ue potest; tamen in ordine ad munus proprium physicæ actiuitatis, & productionis ita se gerunt, ac si alterum alterius productiuum esset, alterum vero producibile, & & productum.* Ita virtualem physicam productionem explicant Recentiores apud Herize tract. de volunt. d.12.n. 1. *quod scilicet res non producens, ita se gerat, ac si produceret*, quod in nostram recidit explicationem, à qua, eiusque sensu virtualis productionis solus Arrubal, eius vocis primus in diuinis inductor, discordat. Contra quem proinde agendum nobis pro nostra conclusione ad huius certaminis calcem seorsim erit.

3. Alensis igitur 1.p. q. 20. & Scotus in 1. qu. 7. circa med. §. *obiicitur* versu *ad primum*, & §. *contra istam* versu *ad Tertiam instantiam* referente Quiros supra sect. 2. init. actum primum physicum, siue physicam actiuitatem potentiæ intellectiuæ diuinæ respectu suæ intellectionis, scilicet formalem ex natura rei admittit: pro qua sententia citat ibidem Quiros, Smising. tract. 3. d. 2. q. 1. n. 13. citatique posse ait Scotistas reliquos, qui distinctionem formalem ex natura rei cum suo præceptore admittunt. Sed certe ex hac distinctione, ad similem productionem, & actiuitatem inter diuina non adeo expedita consequentia est. Porro virtualem productionem, siue actiuitatem inter intellectum diuinum, eiusque intellectionem omnem communem, & voluntatem, & amorem, etiam communem necessarium, primus atque sine sectatoribus docuit Arrubal 1.p.d.28. c.4. & d.49.c.1. sensu, vt dixi peculiari: scilicet productionis, & actiuitatis conditionatæ. Quia potentia intellectiua Dei eiusmodi in se est, vt, si à sua intellectione distingueretur reipsa, re etiam ipsa illam produceret: ad eum nimirum modum, quo Dei omnipotentiam ad extra creaturarum productiuam dicimus, si creaturæ possibiles sint, ac non repugnent. Hanc sententiam, & explicationem primus dictauit Arrubal, licet prior cuderit Albelda loco citato supra.

4. Ex aliis vero, qui proprius productionem, & actiuitatem physicam virtualem intelligunt neminem fere vidi, qui potentiam intellectiuam, aut volitiuam respectu suorum actuum communium, & necessariorum physicam virtualem siue actiuitatem, siue productionem admittat. Recentiores solum Complutenses (à quibus semper genio potius, quam animo discedo) in manuscriptis de scientia, & de volunt. in voluntate respectu suorum actuum communium, etiam necessariorum, physicam actiuitatem, & productionem virtualem admittunt: quia inquiunt ad hos etiam Deus, eiusque voluntas prævia cognitione obiecti vere, & realiter, mouetur: implicat autem id, ad quod aliquid vere, & realiter mouetur ab eo, quod ad ipsum mouetur vere, & realiter non pendere, atque produci: cum autem nequeant eiusmodi actus à Deo, eiusque potentia volitiua, cui absolutè, & simpliciter identificantur, realiter, absolute, & simpliciter physice produci, restat produci realiter virtualiter: ac proinde voluntatem realiter virtualiter earum actiuam esse. Secundo: quia hæc denominatio mouendi se ad amorem per obiecti propositionem, quæ Deo proprie, ac sine fictione nostra conuenit, est denominatio, quæ in creatis absque dependentia vera physica, & absoluta amoris ab amante stare nequit: non minus quam communicari, & non communicari absque absoluta reali distinctione: ergo sicut ideo in Deo distinctio realis virtualis admittitur; ita, & realis virtualis productio amoris, etiam necessarii, à voluntate diuina, atque huius in illum actiuitas, & prioritas realis virtualis admitti debet.

5. De potentia vero intellectiua respectu suorum actuum necessariorum actiuitatem, & prioritatem physicam, & realem virtualem horumque ab illa realem physicam virtualem productionem eo argumento probari non reputant d. 2. de scientia n. 2. §. 3. num. 39. quare alias probationes vulgares magis assignant. Prima est ex prædicato vitæ perfectissimæ diuinæ. Secunda ex doctrina quadam Capreoli in 1. d. 35. q. 1. a. 2. ad Aureoli arg. dicentis actum primum in Deo esse perfectionem fixam, & quietè manentem: quod ita explicant, & intelligunt præfati Recentes, vt è prædicato, & formalitate sua nequeat deficere adhuc conditionate, si aliud deficiat, extrinsecum etiam: inde aiunt actum secundum in Deo esse prædicatum in quauis linea non ita fixe, & constanter de se manentem, sed quod Deo è prima, & quasi vniuersaliori formalitate sua potest deficere: cum autem intellectio diuina prout præscindit ab hoc, vel illo obiecto necessario, vel contingenti eam necessitatem eliendi, & persistendi non habeat: quandoquidem in cognitione contingentis, quæ deficere potest obiecto contingenti deficiente, diuinæ cognitionis prædicatum est; sit vt cognitio diuina, vt sic, atque prout abstrahit, ab hoc, vel illo obiecto, possit deficere, ac non fixe maneat è ratione, & formalitate sua in Deo: ac proinde actus secundus censeatur. Quoniam vero potentia intelligendi, seu intellectualitas, & posse intelligere à nullo obiecto, eiusue contingentia pendeat, sed de se, & conceptu suo determinatum sit ad cognoscendum, si fuerit aliquid cognoscibile, sit, vt fixe maneat è conceptu suo in Deo, neque contingentiæ subesse è genere suo possit: quare, & actus primus sit, & virtualis quidem actiuitas diuinæ omnis intellectionis; quia de se illam produceret, si reipsa ab ea differret. Quo in Arrubalis tandem sententiam præfati Recentiores eunt.

6. Hinc vero arguunt: quia necessitas, & contingentia nequit non solum eidem formalitati, sed neque realitati esse necessaria, & contingens, imo hæc reperiri sine noui alicuius fluxu vero, & reali aduentu, & accessu in creatis nequit: ergo nec sine virtuali reali non solum distinctione, sed fluxu, & aduentu vnius ab alio, quod sit eius actiua virtualis realis potentia, & actus primus, respectu contingenter aduenientis, quod actus secundus realis virtualis proinde erit. Iam vero inquiunt, si distinctio realis virtualis in Deo admittitur: quia ei adsunt prædicata contradictoria, quæ in creatis sine reali formali distinctione saluari nequeunt, etiam realis virtualis productio admitti debet cum in eo prædicata contradictoria inueniantur, quæ in creatis sine reali formali fluxu saluari non possunt. Viderunt Recentiores hoc argumentum solum probare directe potentiam actiuam, seu actum primum realem virtualem respectu cognitionis diuinæ obiectorum contingentium, quam distinguentes realiter virtualiter inter diuina prædicata communiter admittunt: secus vero respectu cognitionis diuinæ necessariæ. Sed tamen indirecte, & secundario, ac mediate etiam respectu huius tenere argumentum arbitrantur: quia cognitio libera, & necessaria non ex fluxu, aut non fluxu à sua potentia differunt, sed ex eius necessitate, & determinatione, aut indeterminatione, & libertate. Tandem respectu actuum necessariorum, seu actus necessarij diuinæ intellectionis argumento illi vulgari è vita perfectissima Dei in primis fidunt: cum tamen si quid argumentum illud suum de actu primo reali virtuali, & simili actiuitate voluntatis diuinæ respectu amoris, etiam necessarij, ex vera motione Dei ad amorem per obiecti propositionem probet, æque de intellectiua potentia respectu necessariæ intellectionis diuinæ probare videatur: cum & ipsa assensus, & iudicium sit, ad quod ex veritatis propositione, & apprehensione moueatur Deus. Consentiunt præfatis Recentioribus Complutensibus Murcianialii à nobis sæpe laudati manuscripto de scientia: quoad scientiam vero liberam, & volitionem liberam Dei solum. Quæ à suis potentiis non solum distingui realiter virtualiter debent, sed & ab alio realiter virtualiter esse, siquidem id, quod contingens realiter formaliter est, à seipso esse nequit, sed necessario ab alio reipsa distincto: ita quod virtualiter est contingens, vt actus liberi Dei, ab alio virtualiter sint, necesse est. Id enim munus est proprium contingentium realiter formaliter creatorum non minus, quam contradictoria prædicata subire, munus proprium realiter formaliter distinctorum, quod si ab alio realiter virtualiter esse libera Dei cognitio, & volitio proinde debent:

à sua vnaquæque potentia erit. Quare dabitur
in Deo potentia intellectiua realiter, &
physicè, virtualiter tamen, suæ
intellectionis actiua.

***

CERTAM

CERTAMEN II.

Vera realis formalis ex natura rei, seu virtualis actiuitas, seu prioritas potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ diuinæ respectu suorum actuum necessariorum reiicitur.

1. SIt prima conclusio. Non datur in Deo realis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis actiuitas, aut prioritas potentiæ intellectiuæ, aut volitiuæ respectu suorum actuum communium necessariorum. Probatur, quia nequit intelligi vera vlla actiuitas, aut productio physica, & realis, sine vera potentia ab actu, seu termino producendo physica, & reali distinctione saltem proportionata reali actiuitati, & productioni: euidens enim est nihil eo ordine, quo idem, atque indistinctum est, seipsum producere posse: atqui in diuinis prædicatis communibus, saltem necessariis, nulla est distinctio realis formalis ex natura rei, siue virtualis: ergo nequit in eis realis actiuitas eius ordinis, realis scilicet formalis ex natura rei, siue virtualis vnius respectu alterius reperiri. Dixi saltem necessariis: quia, licet in contingentibus etiam neutram ex eis distinctionibus admittam, ac proinde etiam respectu contingentis intellectionis, & amoris ratio in nostris principijs probet; ast ea distinctionis siue realis, siue ex natura rei, siue virtualis inter prædicata communia exclusio, & à ratione certior est, atque ab authoribus distinctionis huius virtualis admittitur: quia in eis munus illud subeundi prædicata contradictoria realiter (ex quo virtualis hæc distinctio arguitur) nusquam inuenitur; Scotica vero formalis ex natura rei prædicatorum diuinorum necessatiorum inter sese distinctio minori, imo nullo omnino apparenti fundamento innitur, vt vidimus controu. 1. & si inter necessaria, & contingentia, ac personalia aliquale fundamentum eius distinctionis esse admittamus.

2. Quod autem Recentiores Complutenses pro opposita conclusione adducebant, nullius est ponderis. Atque illatio illa ex contingentis intellectionis, & amoris diuini reali virtuali productione adeo facilis non est, atque ab eis reputabatur, cum respectu contingentium, in eorum sententia ordinis eiusdem, in quo realis virtualis productio ponitur, realis etiam virtualis distinctio sit, quæ, vt minimum, ad realem virtualem productionem eiusdem ordinis necessaria omnino est; inter prædicata vero communia necessaria (ipsis etiam Recentibus annuentibus) virtualis adhuc ordinis distinctio non adest. Itaque distinctio contingentis, & necessarij effectus, seu actus, penes produci, ac non produci non est, vbi termini, seu actus producibiles sunt; ast vbi ratione identitatis realis, omnimodæ potentiæ, & actus, vti in necessariis Dei actibus, productio omnis, siue realis, formalis, siue virtualis est impossibilis, ea etiam improducibilitate ex præcisato superiori à producibilibus distinguuntur, & specie superiori etiam, vel genere differunt: quemadmodum homo ab insensibili, & planta ex sensibilitate, quæ speciem superiorem, vel genus ad sensitiuum, & rationale constituit. Vulgare illud argumentum, cui tandem maxime fidunt, è vita perfectissima intellectuali Dei petitum, cum de intentionali vita sit, nihil probat. Ostendimus enim ad eam physicum viuentis influxum in actus vitales eius generis non requiri, sed ad summum intentionalem, qui an verus, licet non physicus, atque sine vlla mentis fictione sit? an solum mataphysicus, & per rationem? q. 4. examinabitur.

3. Denique acuta illa actus primi, & secundi realis ex Capreolo meditatio seipsa præ sua subtilitate euanescit. Neque in cognitione diuina, vt sic, atque vt ab hoc, vel illo obiecto præscindit contingentiam euincit: alioqui, si in ea, vt sic præcisa, contingentiam euinceret, omnium Dei cognitio contingens foret: quemadmodum, quia animal sensitiuum est, omnes eius species sensitiuæ esse esse debent: quidquid enim superiori conuenit, qua tali, siue secundum se sumpto, & inferioribus debet conuenire: constat autem cognitioni Dei de seipso, vel de obiecto alio necessario contingentiam non adesse. Solum ergo ea præcisione admissa in sic præcisa cognitione Dei capacitas metaphysica admitteretur ad necessitatem, vel contingentiam in suis inferioribus, non quidem omnibus, sed in aliis necessitatem, in aliis contingentiam pro obiecti sui, vel contingentia, vel necessitate: ea vero capacitas contingentiæ, licet distinctionem metaphysicam intellectionis sic acceptæ à virtute intellectiua arguat; non autem distinctionem realem virtualem, quæ solum in contradictoriis realibus, atque independenter ab intellectus operatione, subeundis sita est, non autem in contradictoriis metaphysicis, solum ratione nostra subeundis, vt iidem asserunt Recentiores. Multo autem minus ad productionem realem virtualem satis erit, quæ non, nisi inter ita, vt minimum, distincta versari potest, vt diximus, neque ad formalitates præcisas, & communes est, sed ad singularia, in quibus eæ continentur: cum actio omnis, & actiue, & passiue singularium sit, non vero prædicatorum abstracte communium, vt ex Aristotele axioma vulgare fert: *actiones sunt suppositorum.* Quare Dei cognitio, nonnisi vt in contingenti est, contingentiam vllam, aut virtualem distinctionem, & producibilitatem habere potest.

4. Illa etiam suppositio præcisionis diuinæ intellectionis ab hoc, vel illo obiecto est prorsus falsa. Licet enim admittamus ab intellectione diuina, & creata posse abstrahi conceptum intellectionis communem, qui ad obiectum in communi referatur prout à creato etiam, & increato præscindit: ast omnino ab obiecto nequit magis, quam ab intelligente in communi præscindere: quia essentia intellectionis est tendentia actualis, actualeque exercitium circa obiectum, ac sine alterutro non esse solum, sed nec concipi potest. Atque hic quidem conceptus cognitionis ab increata, & creata abstractus abstrahit etiam à creato, & increato obiecto; ast vbi semel diuina concipitur ab obiecto increato, seu Deo nequit præscindere: cum Deus eiusque essentia obiectum primarium sit, ex quo, tamquam specificatiuo, non solum primario, sed totali totam suam essentiam, & repræsentationem infinitam habet, æque atque ab ipso Deo tanquam à principio: quin obiecta creata quidquam formalis, & intrinsecæ repræsentationis addant, addereve cognitioni diuinæ queant: siue ea in statu necessariæ possibilitatis, siue contingentis existentiæ absolutæ suæ considerentur, vt latius inferius ostendemus.

CERTAMEN III.

Reiicitur etiam respectu contingentium actuum.

1. SIt secunda conclusio. Neque respectu cognitionis diuinæ contingentis, siue quæ circa contingentia creata obiecta versatur, datur in Deo, eiusque intellectiua potentia realis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis actiuitas, & prioritas. Conclusio hæc fere omnibus distinguentibus realiter formaliter ex natura rei, vel virtualiter contingentia prædicata à necessariis in Deo aduersa est, si Ribadeneyram excipias supra, c. 4. num. 62. concluſ. 4. in nostris principijs, qui omnem inter contingentia etiam, & necessaria diuina prædicata virtualem, siue formalem ex natura rei distinctionem realem abnuimus, argumento iam efformato pro necessaria Dei cognitione satis suadetur. Id autem, quod nunc supponimus, probatum abunde est variis nostrorum operum locis, atque controu. 1. sed ne ex eo solum principio huius conclusionis veritas pendeat, admissa adhuc inter contingentia, & necessaria Dei prædicata tam formali ex natura rei, quam virtuali distinctione. Probatur secundo conclusio ex alio nostro principio, quod attigimus cert. 2. n. 4. ex controu. 1. eadem, vbi ostendimus nullum prædicatum diuinum ex homogeneis cum ipso partialibus prædicatis

dicatis posse, adhuc metaphysicè, conflari, nedum rebus homogeneis virtualiter adhuc diuersis physicè realiter virtualiter componi. Inde enim euidens est eandem cognitionem necessariam Dei erga se (primarium eius obiectum, & adæquatum specificatiuum) esse formaliter, adhuc in ratione cognitionis, cognitionem extrinsecorum omnium in particulari, etiam contingentium: quia eadem insectili, etiam metaphysicè, formalitate est omniscientia, & omnicognitio, cui nihil in ratione cognitionis addi queat. Hinc autem fit non posse cognitionem contingentem, seu contingentium produci realiter virtualiter in Deo ab eiusque potentia, improducta in ordine reali virtuali necessaria eius cognitione, vt improductam, & improducibilem esse ostendimus cert. 2. quia eadem formalitas metaphysica nequit in vllo ordine producibilis, & producta esse, ac simul improducibilis, & improducta. Difficultatem libertatis actuum diuinorum formaliter indiuisibiliter etiam necessariorum emolliemus, quoad fieri in hac vita potest, d. vlt. de diuinæ scientiæ qualitatibus. Et controu. 4. de voluntate, quò, si impatiens difficultatum ingenium habes, poteris statim adire. Hic enim ea explanare recta methodus vetat.

2. Tertio distinctione virtuali inter prædicata Dei contingentia, & necessaria admissa probatur conclusio argumento, quo iam pridem oppositam sententiam impugnabam. Quia non est admittenda in diuinis realitas virtualis alicuius generis, cuius realitas formalis in creatis reperta repugnat, nisi vbi in Deo inuenitur munus aliquod proprium, quod in creatis realitatem formalem illius generis ineuitabiliter, & necessario requirit: atqui nullum munus proprium realis formalis actiuitatis, & prioritatis, seu productionis physicæ realis formalis creatæ reperitur respectu intellectionis, (& idem est de amore libero) diuinæ contingentis. Ergo nec respectu eius datur in Deo actiuitas, prioritas, aut productio physica realis virtualis. Consequentia est legitima. Maior perspicua est; ac percursu omnium realium virtualitatum eorum, quæ in creatis realia formalia sunt, patebit. Sed clarissime exemplo realis virtualis distinctionis, ex qua eius authores oppositam nostræ huic conclusionem communiter statuunt: etenim ideo inter communia, & personalia Dei prædicata, inter necessaria item, & contingentia realem virtualem distinctionem admittunt, quia in eis verificantur realia, & independentia à fictione mentis contradictoria, essendi, & non essendi, communicatur, & non communicatur: est defectibile, seu potest deficere, imo deficit, eorumque contradictoria: quod munus ita proprium realiter formaliter distinctorum in creatis est, vt sit ipsa distinctio realis formalis: scilicet: esse idem, & non esse idem, & vnum realiter formaliter. Quod, quia in Deo ob sui esse eminentiam infinitam cum reali formali identitate inuenitur, non arguit distinctionem realem formalem; quia tamen realiter adest, virtualem arguit, quæ cum summa Dei vnitate, & identitate reali formali amice componitur: cuique realis formalis distinctio prorsus repugnat. Stet ergo fixa maior nostri syllogismi eius nimirum generis realitatem virtualem posse solum admitti, cum munus tale in eo reperitur, quod necessario ineuitabiliter, & essentialiter realitatem formalem eius generis importat in creatis.

3. Reliquum est, vt ad argumenti firmitatem probemus minorem in hunc modum. Munus siquidem vnicum actiuitatis, prioritatis, & productionis physicæ realis formalis in creatis solum est physica actiuitas, & productio realis formalis eius, respectu cuius realis formalis actiuitas, & productio est; huiusque ab illa realis formalis dependentia: neque aliud munus essentiale, & necessarium inuenies: atqui realis formalis actiuitas, & productio physica adhuc respectu intellectionis, & amoris contingentis, in Deo non inuenitur, vt q. 2. monstratum est, ratioque, & mysteria fidei nostræ conuincunt: ergo nullum munus proprium, & essentialiter requisitum actiuitatis physicæ, & productionis realis formalis creatæ in Deo reperitur respectu intellectionis, & amoris, etiam contingentis. Dices primo reperiri munus viuendi proprie: quod in creatis sine reali physica actiuitate, & productione esse non potest. Sed id negaui de vita intentionali.

4. Dices secundo non minus pugnat distinctio cum identitate, quam productio cum improductione; & tamen cum identitate, & indistinctione reali formali componitur, in hac hypothesi argumenti huius, realis virtualis distinctio in diuinis respectu contingentium: ergo & cum reali formali improductione realis virtualis productio in diuinis componetur. Sed nos non tangit obiectio. Nam, licet non magis pugnent productio, & improductio realis formalis inter se, quam identitas, seu indistinctio, & distinctio: ast distinctio hæc in creatis habet munus proprium, quod absolute cum identitate reali formali componitur in diuinis; secus productio realis formalis: quare cum reali formali virtualis productio componi nequit. Nec valet contingentis prædicatum importare necessario esse ab alio in creatis physicè & realiter formaliter: quare, & munus proprium physicæ realis formalis productionis in liberis Dei actibus reperiri, vt Murciani Recentiores aiebant. Verum esse ab alio ita repugnat Deo, vt si in eo contingentia esset, Deo esset neganda, ac proinde negandum est de essentia contingentiæ, seu libertatis, vt sic, esse, quod ab alio sit: quare id muneris, si vniuersim loquamur, non est munus proprium physicæ productionis. Secundo contingentia actus liberi diuinæ cognitionis non est quoad intrinsecum cognitionis à potentia contingenter operante: sed à potentia necessario operante reipsa, siue in actu necessario diuinæ cognitionis; quia sola extrinseca obiecti positione, sine vllo cognitionis accessu illud repræsentat: quia cognitione sui omniscius Deus formaliter est: quare ni ad actum necessarium potentia physica virtualis admittatur, nequit ad liberum admitti. Licet autem Murciani hi Recentiores, vt hanc inconsequentiam subodorati admittant in Deo potentiam physicè actuum virtualiter respectu intellectionis necessariæ Dei ipsius, aliunde à suæ doctrinæ consequentia deficiunt: cum enim inter eam potentiam, & intellectionem necessariam distinctio virtualis iuxta ipsos non adsit, qui eam merito in iis omnibus negant, in quibus contradictoria necessario ex fide proxime, vel remote non debent admitti: vbi autem distinctio in aliquo ordine siue absolutæ, siue virtualis realitatis inter potentiam, & actum non est, actiuitas physica realis illius ordinis esse nequit, vt cert. 2. ostendimus à numero 1. & q. 2. cert. 2. à num. 7. Præterquam quod ratio illa fluxus actus contingentis vitalis, & liberi ab alio, id est à sua potentia vitali, & libera, cui specialiter, & meo iudicio acute conclusio hæc à Recentioribus actiuitas physica imponitur, imo imponi vnice potest, in actibus necessariis deficit. Tertio: cum hi actus vitæ intentionalis sint, neque in creatis physicum influxum dicunt: licet ex sua imperfectione illum adiunctum habeant: sed solo intentionali fluxu satis essentia sua habent: quare non ita est munus proprium contingentis, & liberi physicus fluxus ab alio, atque distinctorum contradictoria subire.

5. Opponi alia satis debilia solent. Quod scilicet, sicut distinctio virtualis nullam imperfectionem dicit: ita neque productio virtualis. Quare Deo respectu suæ intellectionis contingentis etiam erit concedenda. In nostris principiis suppositum est omnino falsum. Nam & distinctio omnis virtualis dicit imperfectionem abolendi summam, dignamque Deo vnitatem, & omnium, quæ in eo sunt identitatem. Sed dato supposito: dixi proxime virtualem productionem pugnare cum absoluta productione eorum, quæ in Deo sunt. Dices. Pater sine vlla imperfectione realiter formaliter producit Filium: ergo & sine illa natura, seu potentia intellectiua diuina produceret realiter virtualiter intellectionem. Nego consequentiam à paritate disparata. Alia denique opponuntur ex non intellecta productione, & actiuitate physica virtuali, in qua disputatur, quibus, sola explicatione quæstionis occurretur.

***

CERTAMEN

CERTAMEN IV.

Arrubalis, & sequacium sententia explosa.

1. ARrubalis, Albeldæ, & Complutensium Recentiorum, qui in eam tandem sententiam inciderunt; sensus actiuitatis virtualis, quia peculiaris fuit, seorsim, atque specialiter confutandus erit. Primo: quia potentiæ actiuitas intrinseca entitatiue potentiæ cuiusque est. Vel ergo maneret potentia intellectiua, quæ modo est, eadem intrinsece in omni ratione præter distinctionem ab intellectione sua, atque hæc etiam eadem in omnibus aliis præter distinctionem ab eiusmodi potentia; vel secus, atque variata vtraque maneret in intrinsecis? si variata maneret; ergo alia esset in ratione potentiæ ab ea, quæ nunc est, ac proinde non inferetur potentiam, quæ nunc est intellectiua in Deo, esse actiuam intellectionis etiam ex suppositione, quod ab intellectione realiter distingueretur: cum non hæc tunc esset actiua, sed alia. Si autem dicas eandem tunc inuariatam in aliis mansuram præter identitatem, & indistinctionem realem ab intellectione, quæ distinctione reali ab illa in ea suppositione periret: ergo actiua non esset: quandoquidem ea secundum præcisata intrinseca reliqua actiua modo non est.

2. Dices modo etiam esse actiuam conditionate sub conditione distinctionis à sua intellectione, qua purificata conditione eadem intrinseca actiuitas in absolutam migrat, ac transit. Sicuti de omnipotentia Dei diximus. Id quod vicinori alio exemplo intrinsecæ actiuitatis diuinæ ad intra, clarius adhuc, probatur, atque illustratur. Etenim essentia Dei similem actiuitatem notionalem habet respectu personarum procedentium: quia, licet ipsa ratione identitatis cum illis actiua absolute illarum non sit: ast sub conditione distinctionis ab illis prout cum personalitate producentium identificatur, actiua de se notionaliter est: atque ea conditione identificationis cum persona producente, atque vt sic distinctionis à producenda, & procedente persona per identitatem realem actiua, vt sic, notionaliter absolute est. Similiter ergo natura, seu facultas intellectiua Dei suæ intellectionis, cui realiter identificatur, actiua etiam ad intra est sub conditione distinctionis ab illa, eaque si adueniret absolute, & purificaretur actiua absolute intellectionis suæ eademmet potentia intellectiua foret: quia vero conditio eius distinctionis purificari nequit, solum remanet potentiæ intellectiuæ Dei actiuitas conditionata respectu suæ intellectionis.

3. Hæc porro sunt, quæ similius vero dici in hac sententia ad nostrum argumentum possunt. Cæterum illi haud quaquam faciunt satis: exempla enim ad rem non sunt. Primum enim de omnipotentia è re non est. Licet enim omnipotentia à creaturarum possibilitate absoluta prorsus sit, vt vere est; actiuitas tamen ex parte sui absoluta est, licet nostro concipiendi modo, vt eius absolutæ actiuitatis ab illarum possibilitate independentia explicetur, ea conditionali propositione vtamur. Quia actiuitatem nullam nisi in ordine ad terminum concipere, & explicare pro hoc statu valemus: sicuti neque æternitatem, aut immensitatem absque respectu ad spatium, vel durationem, à quibus tamen prorsus absolutæ sunt. Sed esto re vera conditionalis actiuitas sit ex parte sui, vti à nobis necessario concipitur; in eius tamen physica, & reali entitate, ac conceptu non imbibitur impossibilitas purificationis conditionis, neque enim metaphysicè, aut physicè omnipotentia impossibilitas creaturarum est, quæ conditionem possibilitatis earum excludat. Ast impossibilitas conditionis imbibitur in potentia intellectiua diuina, de qua agimus: qua diuina enim imbibitam habet essentialiter identitatem realem cum suo actu, & intellectione, quæ impossibilitatem distinctionis ab ea, ac proinde purificationis conditionis illius facit, & constituit: cum alterum sit contradictionis, & repugnantiæ huius necessarium, & ineuitabile extremum.

4. Similiter notionalis actiuitas, quæ in essentia, & natura diuina conditionalis appellatur, sub conditione distinctionis à termino, seu persona procedente naturæ eidem secundum se spectatæ impossibilis, sub conditione, nec physicè, nec metaphysicè absolute possibili, non est. Siquidem, vti in instantia, quam pro aduersariis dedimus, dicebatur: licet secundum se spectatæ naturæ diuinæ distinctio à persona procedente non competat; ast in statu identitatis cum personalitate personæ producentis ipsi competit ab illa distinctio: quare actiuitas ipsius conditionata, & inchoata respectu personæ procedentis sub conditione distinctionis ab illa nec physicè, nec metaphysicè continet impossibilitatem purificationis conditionis, sub qua inchoata, & conditionalis actiuitas notionalis est. Ex quibus constat primo aduersam opinionem nullum ab exemplo, & paritate ex creatis, aut increatis potentiis tam extrinsece, quam intrinsece subsidium habere, quare mere arbitrariam, fictamque pro libito eiusmodi actiuitatem physicam conditionalem, seu eo sensu virtualem potentiæ intellectiuæ Dei respectu suæ intellectionis haberi, æstimarique debere: ipsamque potentiam, quæ nunc est, nullam habere in se imbibitam actiuitatem; sed illam, quæ in hypothesi ponitur distinctionis illius, aliam omnino in ratione potentiæ, & actiuitatis esse, vt contendimus.

5. Ne vero, quod sine exempli alicuius subsidio esse monstrauimus, chimæricum tamen, & fictitium per rationem, contra rationem tamen esse ab aduersariis negetur; sic ex dictis ratio à priori intruenda est, vt id etiam probetur. Implicat è conceptu suo in terminis potentiæ actiua, siue actiuitas physica conditionalis realis sub conditione, cuius purificationis, in eo, in quo eiusmodi actiuitas ponitur, imbibitur intrinseca metaphysicè, aut physicè impossibilitas. Atqui in potentia intellectiua diuina, qua tali, imbibitur intrinseca impossibilitas physica, & metaphysica purificationis conditionis, sub qua in ea conditionata actiuitas ponitur: ergo implicat in ea conditionata illa actiuitas. Maior est certa ex solo percursu, & enumeratione omnium actiuitatum conditionalium, siue ad extra, siue ad intra, quas tam in diuinis, quam in creatis nouimus: vltra omnia enim omnino, quæ nouimus, in materia aliqua aliquid fine ratione vlla afferre commentum purum ac figmentum non solum præter, sed contra rationem est. Secundo à priori probatur: quia nulla actiuitas realis, ac non ficta potest in se inuoluere metaphysice, aut physice suæ operationis, indispensabile impedimentum: atqui actiuitas conditionalis rei includentis in se physicè, aut metaphysicè impossibilitatem, & repugnantiam purificationis conditionis includit in se impedimentum ineuitabile suæ operationis: ergo nulla actiuitas, nisi ficta, & chimærica est. Maior est ex terminis nota, nam actiuitas imbibens in se impedimentum ineuitabile suæ operationis physicè, aut metaphysicè esset actiua, & non actiua simul, siue haberet potentiam, & impotentiam operandi, quod est implicatorium.

6. Minor illa (quod scilicet intellectiua potentia Dei physice habeat imbibitam repugnantiam, & impossibilitatem purificationis conditionis, sub qua ab his Doctoribus actiua dicitur, nempe distinctionis realis) facile suadetur. Quia habet imbibitam physicè identitatem cum intellectione, cuius actiua sub conditione distinctionis ab illa dicitur: sed ea identitas est repugnantia, & impossibilitas vera, & realis illius distinctionis ab intellectione: ergo habet imbibitam physicè impossibilitatem, & repugnantiam purificationis conditionis, sub qua actiua intellectionis suæ asseritur. Vrgetur: quia causæ actiuæ realis à suo effectu distinctio, realis essentialis, saltem physicè, omni causæ est, vt vidimus: ergo ponere actiuitatem potentiæ reipsa identificatæ cum termino sub conditione distinctionis realis eiusdem potentiæ ab illo chimærica est; ponere nempe actiuitatem potentiæ sub conditione, quod per impossibile physicè actiua foret: seu quod actiua esset, quæ actiua essentia sua esse non posset, aliaque potentia, & res physica per

impossibile foret: egregia quidem hypothesis, & conditio impossibilis, quæ affert conditionem essentialem prædicato, quod affirmat de subiecto, cui ea conditio repugnat. Cur non dicis lapidem physicam etiam habere actiuitatem producendi seipsum, aut producendi hominem, aut equum, imo creandi Angelum sub conditione, quod ab ipso realiter distinguatur, vel sicut homo, equus, aut Deus ab ipso distinguitur.

7. Atque vt doctrinam vniuersalem hypotheseon impossibilium inutilium, & vtilium tradam, & simul euasionem, & instantiam Recentiorum Complutensium contra hoc nostrum argumentum ex, vtili quidem, illa hypothesi, & quæstione: *an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo?* petitam exarmem. Hæc regula generalis esto: quoties hypothesis impossibilis, repugnansque subiecto cui adhibetur est de essentia prædicati, quæstio est inutilis, & affirmatiua resolutio nugatoria. Præsertim, cum reliqua essentialia prædicati de subiecto non dubitantur: tum enim inutiliter quæritur in hypothesi, an conueniat prædicatum, quod constat non posse conuenire, nisi purificata conditione, quæ explorato nequit in subiecto purificari: nugatorieque affirmatur prædicatum de illo, vt patet in casu nostro, aliisque similibus. Confirmatur: quia, si liceat in hypothesi ponere conditionem impossibilem subiecto, quæ tamen vel de essentia est, vel conditio sine qua non prædicati, quod de illo dubitatur, aut affirmatur: cum Deus, si non esset author, & causa prima peccaret permittendo peccatum, dubitari posset, imo affirmari, habere potentiam realem virtualem, seu conditionatam ad peccandum: quia ex suppositione impossibili, necessario tamen, vt permittens peccata eis posset peccare: quod perinde est, ac si affirmetur posse peccare, si posset peccare, vel sub eis terminis disputetur nugatorie. Quæstio autem illa vtilis de Spiritu sancto est: quia distinctionis essentia productio à distincto non est, neque in diuinis ab aduersariis necessaria reputabatur; licet de facto necessaria esset; sin minus tanquam formale constitutiuum, & distinctiuum, vt ostendimus contr. de Trinit. tamen, vt vnicum distinctionis earum apud Catholicos, & admittentes scripturam sacram argumentum.

8. Quarto impugnatur præfata sententia: quia, vt diximus in illa hypothesi distinctionis realis potentiæ intellectiuæ diuinæ à sua intellectione nec potentia diuina eadem esset, neque item intellectio illa, cuius esset illa actiua potentia, fieret à potentia intellectiua, sed ab omnipotentia foret producenda: siquidem quidquid Deus non est ab omnipotentia, non autem ab intellectiua Dei potentia debet necessario prouenire; ne omnipotentia aliquorum, ac non omnium potentia actiua sit. Denique cum physica actiuitas potentiæ intellectiuæ in illa hypothesi non esset notionalis, esset dubio procul stricte causatiua: vnde & indigentiam causæ in intellectione diuina, vt existeret, supponeret, ac prædicatum essendi à se causaliter, diuino omni prædicato essentiale, destrueret: quæ omnia cum diuinæ intellectioni repugnent, sit plane respectu diuinæ intellectionis actiuitatem potentiæ intellectiuæ diuinæ sub conditione distinctionis realis earum in terminis repugnare.

9. Denique Recentiores Complutenses post multam meditationem aiunt potentiam hanc virtualiter actiuam suæ intellectionis esse in Deo necessitatem cognoscendi quoduis obiectum casu, quod sit. Hoc autem prædicatum formalissime est potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi eiusmodi obiecta: atqui hæc potentia non est potentia logica per hos, & per rationem: siquidem potentia logica, siue possibilitas cognitionis huius actiua nequaquam est: ergo est potentia physicè absolutè, & formaliter talis, ac sine addito illo virtualis. Patet, quia est necessitas, seu potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi absolute talis: ergo sine addito virtualis contra re.

10. Opponunt Murciani recentiores. Licet de conceptu vitæ intentionalis non sit physica emanatio à viuente: tamen perfectius viuere viuens, cuius actualis vita, seu operatio vitalis ab eo physicè etiam, procedit, id quod in viuente libere, seu per liberam operationem, seu actum multo verius est: cum nihil aliud sit libertas actus, quam indifferentia principij actiui ad illum ponendum, vel non ponendum: si enim in eius potentia actiua non sit illum ponere, vel non ponere, quo pacto actus ille sub eius dominio, & potestate erit? Cum igitur Deus perfectissimum viuens, & liberum sit, actiuitatem physicam in suos actus vitales, & liberos necessario habebit, non realem formalem, quæ ipsius simplicitati repugnat: ergo realem virtualem. Si antecedens tam de vita, quam de libertate admittamus, vt ad vtriusque perfectionem physica actiuitas requiratur: fiet Deum non quidem perfectissimum viuens, & liberum esse, sed ne simpliciter quidem, & absolute esse tale sola virtuali actiuitate eius in suos actus admissa. Nam eo perfectionis gradu viuens, & liber erit, quo actiuus suorum actuum sit: quare si solum sit eorum actiuus physicè virtualiter, non autem simpliciter, & absolute, nec simpliciter, & absolute viuens, & liberum erit, sed solum virtualiter: quare nec viuens, & liberum perfectissimũ, sed multis creatis viuentibus imperfectius. Respondeo ergo perfectius longe viuens, & liberum esse, quod vita solum, & dominio, seu potestate intentionali viuens, ac Dominus suorum actuum est: ac ideo Deum esse creatis viuens, & liberum perfectius longissime.

QVÆSTIO IV.

An potentia intellectiua Dei veram aliquam intentionalem actiuitatem, aut prioritatem, nec solum rationis, & metaphysicam respectu suæ intellectionis sortiatur?

SVBTILIOR meditatio, quæstioque recentior proxime examinatis de actiuitate, & prioritate vera, & reali physica potentiæ intellectiuæ Dei respectu suæ intellectionis, siue absolute tali, siue formali ex natura rei, siue virtuali, siue conditionali examen inpræsentiarum subest. An scilicet, licet neutra eiusmodi realium actiuitatum, prioritatumque physicarum, in potentia intellectiua diuina respectu suæ intellectionis detur (vt non dari hactenus probauimus) vera nihilominus realis actiuitas, seu prioritas intentionalis, vti à Recentioribus dicitur, sit admittenda.

CERTAMEN I.

Recentiorum sententiæ, & fundamenta.

1. NOster Ioannes Martinez de Ripalda manuscripto de volunt. Dei, quem secutus est noster etiam Quiros t. 1. de Deo tract. 4. d. 35. tota sect. 3. aliique Recentiores in manuscriptis de scientia asserunt dari veram, & realem prioritatem non physicam, sed intentionalem respectu suæ intellectionis, siue liberæ, siue necessariæ (quod ipsum de voluntate, & amore Dei dictum volunt) quæ physicè ab illa nec fluit, producitur que, neque vllatenus produci potest. De actiuitate vero intentionali vera, & reali, an eiusmodi potentiis respectu suorum actuum conueniat nihil expresse docent: imo Quiros in huius conclusionis probationibus eo contentus videtur, vt probet Deum esse principium intentionale rerum operans *vt quod*, seu receptiuum intellectionis, vt constat ex num. 17. & 18. vbi eius rationes id solum euincunt. Probat primo: quia potest dari actio, seu operatio physica, ac respectu eius vera physica actiuitas, & prioritas, quin ea ab hac actiuitate physicè fluat, vt constat in physica actiuitate potentiæ notionalis identificata realiter cum processione actiua: ergo & potentia prior realiter, respectu operationis, quæ physicè ab ipsa non procedat. Reliquas probationes nunc sileo, quia eas commo

commodius, & forte fortius proponam cert. 2. quam hic referam.

2. Noster etiam Ribadeniera d. 2. citata c. 2. num. 15. qui primus huius sententiæ prælo meminit, totis nisibus, viribusque eam impugnat; eiusque fundamentis, & præcipue huic primo fuse respondet ibidem, & c. 2. §. 3. per totum. Primo huic respondet negando antecedens, vt communius (licet mihi non verius) à Theologis negatur: scilicet potentiam physicam notionalem esse actiuam, realiterque priorem respectu actiuæ processionis realiter identificatæ cum ipsa: multisque contendit nullam potentiam actiuam realem, ac veram dari posse, siue physicam, siue intencionalem respectu eius, quod ab ipsa vere non producatur. Cum autem neque intellectio, quæ operatio intentionalis est, à potentia intellectiua reali fluat, producaturue, neque quidquam aliud præter illam, quænam potentia actiua vera, aut vere prior, & realiter sine mentis figmento esse poterit, quæ ad nihil verum, & reale operandum contendit? quod autem nil præterea verum, & reale à potentia intellectiua Dei vere, & realiter fluat, probat: quia inprimis non intellectio ipsa, sed neque obiectum intellectum, quod esse intencionale per illam dicitur recipere. Illud enim esse extrinsecum pure obiecto est ab intellectione: est enim esse intellectum, seu intelligi, quod ipsi ab intellectione sola formaliter adæquate extrinsecus venit: quare, intellectione inproducta, nequit esse intencionale obiecti produci.

3. Censeo horum Recentium, tam probantium, quàm respondentium, & impugnantium discursus peccare: etsi enim falso postremi negent antecedens, vt vidimus q. 2. cert. 2. num. 2. tamen eo admisso probatio primorum nulla est, negatur enim facile consequentia, redditurque aperta disparitas. Etenim, licet dari possit potentia vere actiua, etiam physica, respectu actionis identificatæ cum ipsa tanquam viæ, licet non tanquam termini: vt ibi nu. 3. dicebamus: ast potentia actiua vere, & realiter talis, ac non ficta, & pure rationis, quæ nullius neque actionis, neque termini alterius per ipsam fluentis productiua sit, nihilque omnino producere queat, non dari solum in re, sed neque mente concipi potest: est enim in terminis ipsis repugnantia actiuitas enim vera nihil aliud esse videtur, quam termini alicuius virtus productiua. Id quod exemplo ipso virtutis notionalis actiuæ, quam etiam respectu processionis actiuæ tanquam viæ actiuam esse censemus, cernere licet. Est enim vere, & realiter productiua termini vlterioris, atque ab ipsa distincti producendi; licet processionis ipsius cum ipsa identificatæ productiua, tanquam termini producendi, minime sit.

4. Confirmatur amplius. Quia virtus productiua vera nequit intelligi sine vera, nec solum ficta actione possibili, siue ab extremis diuersa, siue cum termino, aut agente identificata, vt patet: atqui vbi terminus producendus, aut producibilis vere non adest, nequit esse actio vera: ergo neque vera, ac non solum ficta potentia. Maior est per se nota: vbi enim impossibilis est actio, impossibilis est potentia: maxime in casu nostro, in quo ratione identitatis potentiæ cum actione terminus producendus est impossibilis iuxta dicta à nobis q. 3. cert. 4. n. 6. & 7. ex quibus euasio, quæ adiri poterat, omnino præcluditur de vera potentia actiua, conditionali tamen si actionis, aut termini producendi distinctio à potentia actiua vera esset possibilis. Minor est etiam euidens, ex illo principio: quod nihil sui ipsius vere actiuum sit. Si enim actio sine vllo termino verè producendo, distinctoque vere à potentia vere actiua esse posset: idem posset vere sui ipsius productiuum esse: quocirca Ribadeneira noster, qui tandem hanc rationem attigisse videtur, quod nullus sit terminus per eam potentiam vere producendus, nullo fructu negauit constanter antecedens, quod probabile, nobisque verosimilius est, vt argumento responderet, cum eo admisso solutio clara, atque efficax adeo sententiæ impugnatio à nobis data ad manum esset.

***

CERTAMEN II.

Nostra sententia.

1. DIco primo pro statuenda suppositione, quam quæstionis titulus præse fert (scilicet potentiam intellectiuam Dei metaphysicè esse priorem, & radicem seu principium actiuum suæ intellectionis) eiusmodi potentia radix, & principium actiuum suæ intellectionis ipsaque prior metaphysicè est: est omnium fere Doctorum conclusio: à qua solum nostrum Ribadeneiram video discessisse. Probatur facile à paritate essentiæ diuinæ, quæ ab omnibus radix metaphysica suorum omnium attributorum est, ipsisque metaphysicè prior, non obstante reali, & physica eorum identitate cum ipsa: ergo eadem non obstante potentia intellectiua Dei prior metaphysice, radixque, & principium actiuum metaphysicum suæ intellectionis erit. Ratio vtriusque est: quia distinctio radicis, & principij actiui à suo termino eius solum generis requiritur, in quo hæc inter extrema assignantur: ergo actiuitas, prioritasque metaphysica inter aliqua solam distinctionem metaphysicam eorum requirit: atqui hæc datur inter essentiam diuinam, eiusque attributa: ergo quantum ad distinctionem attinet, prioritas, & actiuitas metaphysica dabitur inter eadem.

2. Sed quoniam non sola distinctio extremorum ad actiuitatem, prioritatemque, & posterioritatem inter illa satis in vllo genere, siue physico, siue metaphysico, est (vt patet in pluribus physice distinctis, quorum nullum alterius actiuum physice est: v. g. Petrus, & Angelus Michael, lignum, & lapis: atque in metaphysice distinctis æternitas, immensitas, omnipotentia) oportet quiddam aliud præter distinctionem metaphysicam prædicatorum ad metaphysicam vnius respectu alterius actiuitatem statuendam requiratur: vt ea in potentia intellectiua Dei respectu suæ intellectionis adinuenta (idemque erit in natura diuina respectu attributorum omnium) merito, & rationabiliter à nobis, Theologisque reliquis eam ipsi, nec solum arbitrario, & imprudenter attribui sit exploratum. De physica enim actiuitate statuenda in rebus adhuc inter realiter diuersa, nulla certa regula potest assignari præter experientiam, licet ad eam pluribus rebus respectu aliarum denegandam plures præter experientiam rationes, ac regulæ suppetant, vt constat ex controuersia nostra de rerum, seu causarum actiuitate.

3. De metaphysica vero prædicati vnius respectu alterius prioritate rationabili ea regula in vniuersum est: vt quoties prædicatum, seu conceptus cum alio identificatus realiter, metaphysicè autem diuersus eiusmodi est, vt eius generis res aliæ ita se habeant respectu aliorum ab ipsis realiter diuersorum, vt eorũ actiua physicè sint, ipsisque priora; & conceptus, seu prædicatum illud per imitationem, & analogiam quandam actiuus, & prior metaphysice iure dicatur. Sic etiam distinctio metaphysica rationabilis, & ratiocinata, seu cum fundamento, talis est, ac dicitur per analogiam quandam, & similitudinem ad realem distinctionem. Inde vero facile obiectioni Recentioris memorati occurretur. Non enim, inquit, satis est concipi Angelum corporeum, vt, quod reuera non est, corporeus metaphysicè asseratur: ergo nec prædicato metaphysico concipi à nobis actiuum respectu alterius distincti metaphysicè ab ipso satis erit, vt actiuus metaphysicè dicatur. Negatur consequentia. Angelus enim non ex analogia corporis ad modum cuius concipitur, concipitur corporeus: cum spiritus essentia sua sit, qui corpori essentialiter, & omnino repugnat: sed ex nostri modi pro hoc statu cognoscendi indigentia: cum enim nonnisi ministerio sensuum, atque sensibilium adinstar cognoscere possimus Angelum corporis ad instar, ac per eius species cognoscere possumus, quin tamen illum corpus esse iudicemus. Ast essentiam metaphysicam priorem metaphysicè, atque radicem suorum attributorum, sicque potentiam intellectiuam intellectione actuali metaphysice priorem, & radicem iure censemus: quia & essentiæ, & potentiæ ratio vt sic capax eiusmodi prioritatis, & actiuitatis è conceptu suo est,

atque

atque physica, quam metaphysica imitari debet, & per analogiam, ad quam essentia, & potentia metaphysica talis est, ac dicitur reuera, & prior, & actiua suarum passionum, & actuum est.

4. Sit secunda conclusio. Probabile est potentiam intellectiuam Dei verè priorem, & radicem actiuam intentionalem suæ intellectionis esse. Probatur: quia intellectio vera realis, ac non ficta operatio in Deo est: non physica: ergo intentionalis: atqui implicat esse veram operationem in aliquo genere, quin in eodem sit vera potentia actiua, & prior: ergo in Deo potentia intellectiua, quæ potentia illius operationis est, potentia verè, & realiter actiua, & prior intentionaliter erit. Secundo: quia Deus verè re ipsa intentionali vita actuali viuit: nequit autem viuere actu, nisi immanenter in eo genere operetur: ergo quin in se habeat in eo genere vitæ intentionalis verum, & reale principium actiuum, & receptiuum suæ operationis, ipsaque prius. Probatur consequentia: quia de conceptu vitæ actualis vniuersim sumptæ est ita immanens operatio: & de ratione operationis immanentis est habere idem principium actiuum, & receptiuum sui in viuente, seu vitaliter operante in eo genere, quo viuens viuit: ergo in genere vitæ intentionalis veræ, verum principium vitæ actiuum, & receptiuum reale intentionale: vtrumque harum probationum antecedens, imo & probationem vtramque videtur dedisse Aristoteles 1. ethic. cap. 8. dicens: *viuere Deos vniuersi putant: quare & operari. Non enim opertet eos, vt Endymionem dormire: viuenti igitur ei* (Deo) *cui actio, & multo magis effectio* (actiue, & in se immanenter,) *non tribuitur, quidnam aliud præter contemplationem restat? quare Dei operatio præcellens* (non igitur ficta, sed vera: quid enim boni figmenta habent rationis?) *beatitudine contemplatiua sine controuersia erit.* Ecce operationem veram, & realem immanentem in Deo agnouit Arist. quæ physica actio, aut effectio non sit.

5. Vnicum est, quod vim habere videatur, contra hanc conclusionem argumentum leuiter à Ribadeneyra tactum ex principioque illi notissimo, quod nihil seipsum possit producere innixum. Expendimus illud olim ad rem præsentem aptissimè controu. & d. citata de Trinit. & nuper hic cert. 1. n. 3. si enim vera actiuitas, & prioritas realis distinctionem veram, & realem, sin minus ab actione, & operatione sua, à termino producendo requirit, quod nihil seipsum possit realiter producere: ergo veræ, & realis cuiusvis potentiæ actiuæ, & operationis terminus verè, & realiter ab illa, & producente distinctus siue productus, siue producendus assignandus necessario erit, vt vera realis, ac non ficta potentia actiua, & prioritas sit. Hic autem vt eo num. 3. & 4. vidimus actiuitati potentiæ intellectiuæ diuinæ assignari verè, & realiter distinctus ab ea, & intelligente minimè potest: siquidem neque intellectio diuina realiter, & verè à sua potentia diuersa est: neque per illam aliquid aliud vere, & realiter producitur: ergo eius potentiæ actiuitas, & prioritas intentionalis vera, & realis absolutè non est, sed solum ficta, & metaphysica: quare dum veram, & realem intentionalem dicimus, non physicam, vocibus ludimus, ni addito *intentionalis*, eius actiuitatis, & prioritatis ita voces illas *vera*, & *realis*, imminui volumus, vt earum significatum proprium destruatur: tantundemque significari, ac si diceretur ens rationis vere ens rationis esse.

6. Hæc difficultatis, in re quidem præsenti summæ, summa est: cui si probabiliter saltem, absque solo verborum ludo, seu illusione satisfiat, tenenda ab omnibus conclusio erit: cum & Aristoteli recitato, eiusque menti sit conformior, & melius dogmaticæ veritati de proprietate vitæ actualis Dei adsonet, & concordet: vti ex eius probationibus liquet: & sane, si distinctio operationis, & potentiæ intentionalis à physica potentia, & operatione penetretur, & solutio satis probabilis, & forte vera apparebit, qua & reliqua aduersariorum argumenta euanescant; ea vero est: quod potentia physica actiua, eiusque ratio ad producendum aliquid physicè denuo est: siue ab actione re ipsa diuersum, siue ipsi identificatum, cum qua pugnat, producibile physicè, & realiter identificari. Potentia autem intentionalis in suo genere, & linea intentionali actiua, eiusque operatio veræ, & reales, ac non fictæ alterius physicè termini actiuæ non sunt (id enim esset actiuas physicè esse, atque ad illud actiuitatis, & actionis, genus à quo intentionalem actiuitatem diuidimus implicatorie reuocare) sed solum actiuæ realiter perceptiue, id est quod vera realis hæc potentia versari actu circa obiectum possit, illudque percipere, atque ad se repræsentatione formali, seu cognitione trahere, aut illud assensu, aut affectu prosequi, aut fugere dissensu, aut odio queat, atque alterutrum vere, ac sine fictione actu exercere: quod totum in Deo vere, realiter, ac sine illa fictione reperitur, vocibusque non synonymis significatur.

7. Ex quo patet ad argumentum solutio. Etsi enim de potentia actiua physica vera, & reali recte probet in potentia intellectiua Dei communi non reperiri: quia hæc vbi terminus aliquis, siue actioni realiter identificatus, siue inidentificatus, ab operante realiter diuersus producibilis non est, repugnat, aut de intentionali actiua potentia vera etiam, & reali nihil probat, dum non probat non posse actu obiecta percipere, ad seque repræsentatione trahere: assensu, & amore prosequi, dissensuve, ac odio auersari. Constat etiam leuiter à Ribadeneyra hanc conclusionem referri, dum totus est in probando intellectionem Dei physicè non produci à potentia intellectiua diuina: nec tam extra rem, ac ipse putat, ad quæstionem de actiuitate vera, & reali potentiæ intellectiuæ diuinæ, eiusque vera prioritate, respectu suæ intellectionis hanc distinctionem de actiuitate, & prioritate reali intentionali, ac reali physica fuisse excogitatam: etsi non satis ab eius inuentoribus hactenus explicaretur: imò ipse tandem in argumentorum solutione c. 3. §. 3. fatetur sæpe à num. 47. esse in Deo principium verum operandi intentionaliter circa obiectum, quod solum percipiendum est, atque esse intentionale recipit, non autem intellectionis, qua intellectio formalis, & directa: sed certè, cum esse illud intentionale obiecti nihil aliud sit, quam repræsentari formaliter (quod ipsum intellectio est, vt hic Recentior fatetur) nescio quo pacto obiecti percepti, siue secundum esse intentionale, potentia operatiua, & actiua vera intentionalis sit, non autem ipsius etiam intellectionis.

8. Pro huius quæstionis coronide disputari hic poterat, an potentiæ intellectiuæ duplex conceptus concedendus Deo sit. Alter potentiæ radicalis, remotæ, alter potentiæ formalis, & proximæ: quorum primus in natura, seu essentia metaphysica Dei claudatur; secundus sit primo superadditus: sicut in homine, & animali quovis ad cognitionem eliciendam plures præsertim Thomistæ admittunt. Dicendum est dari in Deo vtramque potentiam intellectiuam metaphysicè: quia datur potentia intellectiua, siue intellectualitas formalis: daturque essentia Dei metaphysica, quæ intellectualitas formalis non est, neque ad intellectionem seipsa formaliter comparatur: quia est solum ens à se, vt vidimus controu. 1. d. 2. q. 3. estque radix metaphysica eiusmodi potentiæ, sicut & attributorum reliquorum: ac proinde remote ad intellectionem metaphysicè comparatur, vt principij eius principium. Vnde patet solutio ad argumentum Complutensium Recentiorum qui in natura, & essentia metaphysica Dei vnicam rationem potentiæ intellectiuæ formalis, & proximæ intellectionis defendunt sine interiecta potentia; quia neque in creatis animæ rationali, aut sensitiuæ datur interiecta potentia, adhuc formaliter diuersa: nec si eis daretur, gradui intellectiuo Dei superaddi adhuc formaliter deberet: quia importaret potentiæ intellectiuæ essentialis indignam prædicato diuino insufficientiam: sed negato supposito (quod in Dei essentia sit prædicatum intellectiuæ potentiæ, sicut est in creatis) omnia euanescunt: in ea quippe solum est prædicatum entis à se, cuius attributum est intellectiuum esse, æque atque esse immensum, æternum &c.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An ad Dei scientiam quoad intrinsecam eius rationem aliquod obiectum aliquo modo præcedat?

QVONIAM ex obiecto, & potentia tanquam necessariis creatæ cognitionis principiis, ipsam prouenire certissimum est: statuto iam, etiam Dei scientiam, potentiam intellectiuam, non solum metaphysice, sed realiter intentionaliter actiue supponere: videndum restat, an aliquod essentia sua obiectum supponat: & quidem tam certum est Dei scientiam circa plura, imo circa omnia creata, & increata sua formali repræsentatione versari, quam certum est Deum omniscium esse: id quod & fides, & ratio d. 3. monstrabunt. Adhuc autem litem nobis nonnulli fecerunt: An Deus scientiaque ipsa huius obiectum proprie, & stricte sit: quod examinandum inprimis est, vt de præcedentia tam materiali, quam formali, & specificationis scientiæ diuinæ tam à Deo, seque ipsa, quam à creaturis tanquam obiectis postmodum disputetur.

CERTAMEN I.

Deus, eiusque intrinseca omnia, ac proinde scientia ipsa, diuinæ scientiæ obiectum propriissime sunt.

1. HErize noster d. 4. de scient. c. 1. primus (quem sciam) essentiæ, & cognitioni diuinæ veram obiecti, & termini eiusdem cognitionis rationem negauit: quia ad veram rationem obiecti, & termini cognitionis cuiusvis illorum à sua cognitione realem distinctionem necessariam putabat: cuius fundamenti rationes nobis infra obiiciemus, vt diluamus. Addit autem ea, quæ reali virtuali distinctione in diuinis distinguuntur (vt diuinæ proprietates, volitionesque liberæ) atque prædicata transcendentia, quæ respectu aliorum diuinorum prioritatem maioris vniuersalitatis habent, veram, & propriam rationem obiecti, & termini diuinæ cognitionis absolute fortiri. Generalis doctrina de necessitate realis distinctionis obiecti, & termini proprij cuiusvis à sua cognitione euertenda nobis postmodum erit, vt nostram conclusionem statuamus. Nunc autem ea, quæ hic Doctor addit, cum eo principio minime cohærere paucis ostendam. Et primò quidem cum prioritas maioris vniuersalitatis prædicatorum transcendentium puræ rationis sit, ad veram rationem termini, & obiecti diuinæ cognitionis, quæ realem obiecti, & termini à sua cognitione distinctionem per se requirit, sufficiens non erit.

2. Secundo: si eiusmodi realis distinctio termini, & obiecti à sua cognitione requiritur, pro magnitudine, vel paruitate, seu pro qualitate distinctionis eorum à sua cognitione ratio obiecti, & termini in eis inuenietur: ergo in distinctis, realiter, virtualiter tantum à sua cognitione, solummodo erit ratio termini & obiecti virtualis, vt in simili contra Salmantinos Dominicanos recentiores contendentes potentiam physicam actiuam simpliciter, & absolute talem è sola distinctione virtuali eius à sua intellectione arguebamus. Tertio: si sufficit ad veram rationem termini, & obiecti huius à sua cognitione realis solum virtualis distinctio: cum hæc inter essentiam, & scientiam contingentem seu contingentium, æque, atque inter essentiam, & volitionem liberam in diuinis ab Hetice & reliquis distinguentibus, realiter, virtualiter in Deo admittatur, ea etiam rationem veram obiecti & termini suæ cognitionis contra Herize habebit. Quarto: quia in nullo signo scientia propria sine obiecto proprio esse potest: atqui pro priori, quo scientia, volitionem (vti eius dux, faxque teste Herize) præcedit, non præcedit volitio vlla, neque contingens, neque necessaria; neque personalia: imo hæc omnia vel tanquam attributa, vel tanquam modi, & termini scientiam (in qua Herize essentiam Dei constituit) consequuntur: ergo pro illo priori aliud ab his, obiectum proprium assignari in huius authoris principiis debet.

3. Hæc de huius Doctoris inconsequentiis. Iam generalis illius doctrinæ euersione probanda nostra conclusio est. Etenim Deum totum secundum omnia, quæ reipsa habet, ac proinde eius scientiam, per eandem reipsa scientiam à Deo cognosci, ac circa ea omnia eius intellectionem intentionaliter penetratiue, & comprehensiue versari dogma Catholicum est, à Scriptura, Conciliis, Patribus, & Theologis omnibus expressum: Et, ex quo plura alia Catholica, & Theologica dogmata pendent, de diuinis processionibus, aliisque rebus & veritatibus integrantibus Catholicam fidem: atqui de ratione proprij, verique obiecti solum est quod cognitione formaliter repræsentetur cognoscenti, atque illud per eam intentionaliter & repræsentatiue cognoscens attingat, circa illudque, vt à se cognitum, versetur: ergo Deus totus, scientiaque diuina eiusdem scientiæ obiectum proprium verum & stricte dictum est. Illud solum (quod in minori probandum est contra Herize, vt necessitatem distinctionis realis à ratione obiecti, qua obiectum essentialiter est, à sua cognitione excludamus) expressit S. Th. 1. p. q. 87. a. 3. sic fatus: *Est aliquis intellectus* (diuinus nempe) *qui est suum intelligere: Et sic in Deo idem est quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam: quia sua essentia est suum intelligere.* Et præclarius Aristoteles 12. met. c. 9. de diuina intellectione scribens ad rem hanc dixit. *Seipsam ergo intelligit, si est quidem quod optimum est: & est quidem intellectionis intellectio.* Vbi rationem suo ingenio dignam pressit, quam nos mox exprimemus: sed dices: Hæc probare Deum se, suamque scientiam eadem reipsa, scientia intelligere, quod in nostri argumenti maiore, nemine dubitante, assumebamus; non autem esse obiectum proprie, aut in eo solum, quod aliquid intelligatur, & si realiter à sua intellectione non differat, rationem proprij, verique, & stricte dicti obiecti sitam omnino esse vt assumebatur in minori. Contra vero; & simul istud probo. Nam esse proprie, stricte, & vere obiectum, est proprie & vere mente obijci cognoscenti: atqui Deus totus, eiusque scientia, vere, & proprie menti obijcitur per scientiam ipsam eiusmodi obiectis realiter, & quatenus ad scientiam attinet, formaliter identificatam cum scientia ipsa, eo ipso, quod totus Deus eiusque scientia per se ipsam vere, & proprie intelligatur: ergo illis Aristotelis, & S. Th. verbis memoratis continetur, probaturque particula illa *solum*, quæ probanda solum restabat.

4. Probatur, secundo eadem particula *solum* minoris illius. Nam, licet obiectum cognitionis creatæ sæpe à cognitione sua realiter distinguatur, non distinguitur ex munere, seu ratione rei repræsentabilis, seu repræsentatæ vere, ac non ficte per illam sed ex munere complendi principij actiui suæ cognitionis: quia in potentia cognoscitiua creata non est adæquata virtus actiua cognitionis talis, vel talis obiecti: tum, quia in linea actiuitatis suæ ad cognoscendum hoc obiectum, vel illud indifferens est: tum, quia omnia prædicata cognitionis huius obiecti determinati, imo neque obiecti, illi non correspondent: quare, vel actiuitate partiali obiecti, vel speciei, quæ ab illo frequenter actiue procedit, compleri, determinarique actiue indifferentia, & insufficientia actiua illius potentiæ debet. Atqui munus repræsentati, vel repræsentabilis vere, & proprie per cognitionem est ratio veri & proprij obiecti, neque distinctionem realem à sua cognitione requirit: licet munus aliud comprincipij actiui ad illam realem ab ipsa distinctionem requirat: ergo ratio propria obiecti veri non dicit distinctionem realem à sua cognitione, sed solum ea intelligi, & repræsentari. Minoris prima pars constat: quia munus principij actiui respectu cognitionis est agendi physice, & actiuum; munus autem obiecti respectu eiusdem cognitionis est passiuum

suum illius ; scilicet, quod ea cognoscatur, attingatur, & repræsentetur. Constat etiam : quia plura obiecta, quæ per species à Deo inditas cognoscuntur à nobis sæpe, & ab Angelis frequenter, vera & propria suarum cognitionum obiecta sunt; & tamen actiuè ad illas non concurrunt, ac demum plura pro statu possibilitatis, & futuritionis conditionatæ (ad agendum, scilicet ineptè) obiecta vera, & propria sunt suæ cognitionis. Secunda vero minoris pars (quod scilicet munus hoc passiuum cogniti repræsentati, aut repræsentabilis per cognitionem distinctionem realem ab ea non requirat) probatur facile. Tum, quia neque fieri passiuè physicè effectum, realem distinctionem à sua physica actione reposcit: tum, quia munus illud cogniti repræsentati, ac repræsentabilis (in quo rationem propriam stricti & proprij obiecti esse monstrauimus) proprie & verè in Deo, cuiusque scientia cum identitate summa cum ipsa stare certissimum, & dogmaticum est.

5. Probatur secundo conclusio : quia, licet in creatis non detur potentia vitalis, sine physica actiuitate sui termini, ac proinde reali distinctione adæquata ab illo ; ast quia, qua intentionalis potentia, eam distinctionem ab illo non requirit, detur in Deo vera potentia notionalis, etiam actiua, sine eiusmodi distinctione & actiuitate physica : ergo, licet obiectum cognitionis creatæ distingui ab ea realiter debeat, vel ratione actiuitatis in illam, vel aliunde : quia tamen id ratione obiecti, & termini repræsentati per suam cognitionem non habet, dabitur in Deo ratio propria & stricta obiecti sine vlla reali distinctione à sua cognitione. Tertio probatur conclusio : quia nulla propria operatio potest dari in vllo genere sine termino proprio, sicuti nec sine principio : imo, neque sine alterutro, adhuc concipi vllatenus potest : atqui terminus proprius operationis intentionalis, seu, quod idem est, cognitionis, est proprium obiectum : ergo nulla vera cognitio seu operatio intentionalis dari potest sine proprio, & vero obiecto : sed intellectio diuina vere & propriè intellectio & operatio intentionalis est : ergo nequit dari sine proprio & vero obiecto. Pergo : nihil creatum potest esse proprium obiectum, sine quo non sit intellectio diuina, ne diuinum aliquid à creaturis in aliquo statu, adhuc possibilitatis intrinsecæ earum, dependeat, ac proinde maioris necessitatis, & constantiæ in sui existentia non sit, quam creaturæ, etiam possibilis, nec sit ens summè necessarium comparatiuè, vti esse Deum ostendimus controuers. 1. d. vltim. de omnipot. ergo obiectum proprium, seu terminus proprius intellectionis diuinæ debet necessario esse diuinum aliquid ab ea realiter indistinctum, ipsique re ipsa identificatum : tantum abest, vt Deus eiusque scientia proprium obiectum & terminus proprius diuinæ intellectionis non sit, vt nihil præter Deum ipsum obiectum proprium & necessarium *sine quo non* diuinæ intellectionis esse queat.

6. Quartò probatur conclusio ratione ab Aristotele attacta : quia diuina cognitio è prædicato diuinæ debet esse infinita physicè & metaphysicè per denegationem termini, etiam extrinseci, vt vniuersim de omni prædicato diuino ostendebamus controu. 1. ac proinde debet esse summa, siue vt Aristoteles recitatus aiebat num. 3. *quod optimum est*, in sua linea intellectionis : Ergo debet esse omniscientia, seu intellectio propriè omnis obiecti proprij, & vere intelligibilis : atqui Deus eiusque scientia est proprium, & verum obiectum intelligibile : ergo Dei totius, eiusque scientiæ tanquam veri obiecti intelligibilis cum ipsa identificari intellectio, & scientia, diuina scientia, & intellectio est : ac proinde Deus eiusque scientia huius metaph. scientiæ verum & proprium obiectum est. Ex hac sane ratione constat, obiectum, & terminum verum, ac proprium scientiæ, vniuersim loquendo, ne formaliter quidem, nedum realiter, à sua scientia, aut cognitione, distingui debere ; licet realiter à creata sua cognitione debeat differre.

7. Oppones obiectum à sui cognitione differre debere, ex S. Thom. 3. controu. 9. cap. 26. argum. 3. dicente: *ipsum intelligere, quod intellectus intelligit, alicuius obiecti est. Vnde oportet, quod vel procedatur in infinitum, vel, si est deuenire ad primum intellectum, hoc non erit primum intelligere* : quia, scilicet, esset sui ipsius intellectio, seu intelligere, quod repugnat. Ratio autem est : quia intellectio est vera relatio ad suum obiectum, veraque illius repræsentatio ; nihil autem seipsum repræsentare, realiterve respicere potest. Respondent nonnulli, obiectum inadæquate solum, non autem secundum se totum à sui cognitione realiter distingui debere : vt patet in hoc iudicio, *omnis propositio est expressio atque assensus, vel dissensus circa iuditatum*, in cuius obiecto necessario hæc eadem propositio cum reliquis aliis sub termino *omnis* continetur : quare eius obiectum inadæquatè solum ab ea cognitione, & propositione distinguitur. Cum autem scientia diuina non in seipsam seorsim feratur, sed in Deum totum, in quo plura alia continentur, eius obiectum ab ipsa scientia inadæquatè diuersum erit : quod ad obiecti proprij rationem satis est. Sed certè, vel admittitur cognitionis ad suum obiectum realis relatio, ac proinde realis distinctio ab illo, vel secus. Si primum : Cum ad terminum realem, atque vt re ipsa est, realis relatio esse debeat : atque in Deo realiter sumpto simplicissimo & indiuisibili, vnum, & aliud non sit, ad idem ipsum diuina scientia terminabitur realiter cum respicit, ac repræsentat essentiam, atque cum repræsentat æternitatem, vel scientiam : nec locus erit partiali vel totali obiecto, vt re ipsa est realiter transcendentaliter repræsentato ; cum, vt sic indiuisibilis sit, nec partibus constet.

8. Secundò non minoris repugnantiæ est aliquid ad seipsum simul cum aliis, quam ad se seorsim sumptum referri. Respondit Magister Didacus Daza secundum diuersas formalitates rectè posse idem cognitum, & cognitionem esse : atque ita euenire scientiæ diuinæ : vt formaliter sumpta sit sui ipsius identicè realiterque sumptæ cognitio. Id quod exemplo illius propositionis vniuersalis confirmari etiam poterat. Sed perstat prima impugnatio data contra solutionem primam. Sic enim in cognitione realis, & physicus respectus, transcendentalisque relatio ad suum obiectum, ac proinde vtriusque realis distinctio, formalis eiusdem scientiæ à seipsa diuersitas nihil confert. Secundo cum identitas realis scientiæ cum diuinis aliis non destruat scientiæ formalitatem, sed solum metaphysicam eius ab aliis prædicatis diuinis præcisionem, rationisque ratiocinatæ distinctionem, si in seipsam, vt realiter identificatam cum diuinis aliis feratur, referaturque, in seipsam secundum suam veram formalitatem referetur, ac simul in alia : quare solutio hæc penetrata in primam recidit ; solum enim respondet: scientiam non posse esse sui ipsius adæquatum obiectum, bene tamen cum aliis, cum quibus adæquatum obiectum constituat : quare & solutionis primæ impugnationibus patet. Propterea dixi posse exemplo illius propositionis vniuersalis confirmari. Illud autem exemplum ad rem non esse facile ostenditur. Siquidem propositio illa vniuersalis non habet seipsam pro obiecto secundum specialem & peculiarem rationem ; sed solum rationem communem propositionis, & singularitatis : quomodo propositio omnis vniuersalis indiuidua omnia tantummodo coercet. Equis enim indiuidua omnia speciei vnius secundum indiuiduationes in particulari cognoscit, dum vniuersalem profert propositionem?

9. Negandum igitur est cognitionem & repræsentationem obiecti vniuersim realem physicum transcendentalem respectum ad obiectum & repræsentatum imbibere : non quidem, quia solum prædicamentalem ex ipsa, & obiecto conflatam dicat (vt asseruit doctus, & acutus alias VVadingo d. 6. incarnat. dub. 6. §. 4. num. 80.) sed, quia operatio & modus ac repræsentatio vera quidem, & realis, sed intentionalis est : de cuius proinde ratione non sit realiter, imo neque formaliter differre : licet obrationes alias in creatis cognitionibus realis à suis & physica distinctio necessaria sit, vt statim dicemus. Constat id quidem in diuina sui, ac Dei, cum quo re ipsa identificatur, cognitione, rationibusque pro hac veritate hactenus datis. Secundo : quia non minus est operatio intentionalis realis & vera intellectio respectu potentiæ intellectiuæ, quam respectu obiecti : & tamen cum potentia hac re ipsa identificatur, vt vidimus. Imo actionem physicam cum altero extremo, scilicet termino identificari posse, de factoque sæpe identificari realiter cum termino per ipsam producto communiter Auctores docent. Imò & cum principio actiuo æquè identificari quan-

doque

doque verosimilius esse ostendimus: quare in Deo scientiam, & obiectum realiter, imo & formaliter identificari posse, licet in creatis, ne realiter quidem, identificari queant; ac proinde in his realiter physicè respectiua transcendentaliter sui obiecti cognitio omnis sit, facile suadebitur.

10. Primo: quia creata cognitio, cum solum entia rationis, sua quasi actiuitate facere possit, reliqua cognoscenda, quæ non ficta, sed vera cognoscibilia sint supponere necessario debet: maximè, cum cognitio iudicatiua est, quæ materiam iudicij necessario supponit: nequit autem seipsam cognitio supponere, ne sit antequam esse, non solum physice, sed & mente concipiatur. Secundo: quia vis cognoscitiua, & cognitio eo magis minusve sibi coniunctorum cognoscitiua est, quo perfectior, imperfectiorve est. Hinc imperfectiora animalia nihil suorum actuum percipere valent: atque è sensibus, externi (qui imperfectiores sunt, adhuc in brutis perfectioribus) suos actus non percipiunt: quos tamen internus percipit sensus in vtrisque: si ergo supra suos actus reflexiua virtus à perfectione potentiæ cognoscitiuæ debet prouenire, vti eis experimentis euincitur, fiet sane, imperfectam, nec summè cognoscitiuam potentiam, non summè, sed valdè limitatam virtutem reflexiuam supra actus suos habere posse: ac proinde eodem actu non posse supra ipsum reflectere; posse autem ita reflectere diuinam, quæ summè cognoscitiua potentia est, nihilque ex prædicato entis à se, ad sui, suæque cognitionis & scientiæ existentiam supponere potest: maximè, quia alias infinita ac summa scientia non esset.

11. Testimonium ex S. Th. pro necessitate distinctionis realis scientiæ à suo obiecto, distorto sensu adducitur: vt pleraque testimonia ab vnoquoque pro sua sententia induci solent. Id quod, vel inde satis constat, quod expresse loco à nobis citat. ex 1. part. de scientia Dei loquens dicat; primum cognoscitiuum, seu intellectiuum; qui Deus est, primamque eius scientiam esse idem ipsum primum intelligibile: loco ergo oppositio ex 3. contra genres agit expresse de amore & intellectione creatis: disputans in quonam eorum actuum nostra formalis beatitudo consistat, in creatis autem non negamus obiectum, & adusum, siue intellectionis, siue amoris primum intelligibile esse non posse. Illud denique de repræsentatione, quæ realiter à repræsentato debeat differre, de intentionali repræsentatione falsum esse ex dictis constat: imo Rex vt potest, si velit seipsum in scæna repræsentare: sicque Christus Dominus seipsum in cruce patientem, mactatumque cruente, in incruente Eucharistiæ sacrificio, quod illius cruenti memoriale & repræsentatio est, repræsentat.

CERTAMEN II.

Deus solus, & qua Deus, siue secundum essentiam specificatiuum diuinæ scientiæ formaliter est.

1. REcentiores Complutenses, cum quibus ingenij quam animi dissidium nobis, tam in philosophicis, quam in Theologicis semper fuit, manuscripto de volunt, negant Deum suæ scientiæ, etiam prout in Deum ipsum fertur, specificatiuum obiectum esse; licet verum obiectum sit: quia specificatio, vera quædam causalitas specificantis in specificatum est, atque huius ab illo dependentia, quæ eiusdem ad seipsum esse nequeunt: quia vero facilè huic argumento distinctione virtuali satisfieri posse putant (eum tamen inter Dei scientiam respectu sui nulla virtualis distinctio intercedat) aliter conclusionem probant: quia infinitas cognitionis, & repræsentationis diuinæ competit diuinæ cognitioni præcisè: quia Dei. & diuina est: ergo non sumitur ex Deo, vt obiecto. Probant antecedens: quia alia attributa omnia infinita sunt, præcise qua Dei attributa sunt, quin Deum habeant pro obiecto: imo, cum habeant obiectum creatum vt patet in omnipotentia: inde vero probant consequentiam: quia id prædicato diuini, seu quod Dei possessiuè sit competit diuinæ cognitionis sui, suæque repræsentationis infinitas tota, competit quidem ei è prædicato superiori, & communi attributis omnibus omnibus: quare impertinenter se habebit ad illam Deus, vt obiectum: sicut, quia cognitio i Angeli ex prædicato accidentis substantiæ spiritualis superius est, omnibus eius accidentibus conuenit spiritualitas, quod sit huius obiecti spiritualis, vel materialis impertinens est ad eius spiritualitatem. Confirmant: quia opera humanitatis Christi independenter ab obiecto honesto infinitum habent valorem: præcise ex infinita operantis dignitate prouenient ex vnione hypostatica: ergo, & cognitio diuina infinitatem habebit independenter ab obiecto vllo, è sola Dei cognoscentis infinita perfectione. Neque enim minus repugnat, actum, & operationem infinitæ essentiæ diuinæ limitatæ perfectionis esse, quam limitati meriti actum naturæ vnitæ Deo hypostaticè. Cum non magis determinata sit dignitas vnionis ad infinitum meritum, & valorem suorum operum, quam infinitas naturæ ad infinitatem suorum actuum.

2. His tamen non obstantibus vera nostra conclusio est: scientiam Dei à Deo ipso non solum, vt intelligente intentionaliter actiuè, sed ab ipso, vt obiecto veré specificari adæquatè, vt communiter Theologi dicent: qui propterea Deum suæ scientiæ primarium, & specificatiuum obiectum vocant; reliqua verò creata secundarium: ita sentiunt S. Thom. 1. par. qu. 19. art. 5. Vbi eius interpretes Caiet. & Dominicani reliqui, Vasquez ibi & d. 60. Arrub. d. 29. cap. 3. Magn. Albert. in 1. d. 35. art. 1. Ægyd. qu. 3. Dur. quæst. 2. Argentina qu. 1. Scotus quæst. 1. § *ad istā*, Alens. 1. par. qu. 23. met. 1. & 2. atque qu. 25. metaph. 2. art. 2. Henricus quodlib. 9. qu. 2. & vno verbo fere Theologi omnes: & quidem nihil creatum, siue possibile, siue futurum scientiam Dei specificare posse facile probatur: quia si ab eis specificaretur maioris necessitatis, quam creata, à quibus specificaretur, scientia Dei esse non posset: id quod cum summa diuinorum omnium, adhuc comparatiua, necessitate stare minimè potest. Secundo hoc volunt Doctores omnes, qui creaturas obiectum secundarium diuinæ scientiæ esse docent: quod autem Deus suæ scientiæ specificatiuum sit, probatur primò ex consensu Theologorum etiam, qui Deum obiectum primarium suæ scientiæ esse tuentur. Neque enim obiectum scientiæ primarium est, quod est nobilius illorum, quæ per illam repræsentantur. Alioqui è duobus æque primo per eandem cognitionem repræsentatis nobilius obiectum primatium esset: ac proinde altero, ex repræsentatione etiam, deficiente cognitio eadem in creatis perseueraret: dum tamen nobilius aliud repræsentaretur, quamdiu enim obiectum primarij cognitionis perseuerat, perseuerat etiam cognitio: quia hoc solum est obiectum per se illius; secundaria vero obiecta eius, sunt obiecta per accidens.

3. Respondent Recentiores Deum dici, esseque obiectum primarium, & motiuum suæ scientiæ, non, quia nobilius præcisè illius obiectum est; sed, quia, licet de se Deus, vt intellectiuus, determinatus sit, vt quandoque cognoscat infinitè cognoscat, habeatque infinitam cognitionem: tamen Deus ipse, vt obiectum mouet obiectiuè, vt de facto ea infinita scientia, & cognitio sit: ac proinde trahit ad se illam infinitam cognitionis perfectionem, quam eidem cognitioni, vt intellectiuus determinat Deus. Contra tamen est: quia vel, ita determinatus est Deus, qua intellectiuus, vt infinitè cognoscat, quandocumque cognoscat, vt quodcumque obiectum occurrat menti diuinæ mouere possit, vt de facto sit ea infinita cognitionis perfectio, ad seque illam trahere independenter ab eo quod Deus ipse diuinæ mēti obuersetur, & cognoscatur, vel non? Si primū æquè vtrūque, creatura, & Deus primarium scientiæ diuinæ obiectū erūt: ni obiectiuū primatū obiectis è suo nobilitatis, & perfectionis entitatiuæ eorū primatu contra omnes, & rationē factā deseras: quod refugiebas. Si autē sine Deo cognito nequit esse ea motio obiectiua, vt de facto sit ea infinita perfectio diuinæ cognitionis, ad quam Deus, vt intellectiuus non aliter determinatus est, quam sub conditione, quod Deus per cognitionem menti diuinæ obiiciatur: ergo non est Deus, vt intellectiuus, adæquata ratio, & principiū absolutè infinitæ perfectionis suæ scientiæ, sed solū inadæquatum, quod completur Deo ipso, vt obiecto, & sub conditione, quod Deus, vt obiectum moueat ad sui cognitionem intentionaliter. Hoc autem ipsum est esse obiectum

obiectum primarium ſpecificatiuum: ergo eiuſmodi obiectum eſt ſolus Deus reſpectu ſuæ ſcientiæ.

4. Probatur ſecundo: quia cognitio eſſentia ſua æque eſt obiecti alicuius cognitio, atque eſt alicuius intellectus: eſt enim actuale exercitium repreſentandi aliquid alicui, atque eſt potentiæ intellectiuæ exercitium: ergo nulla eius perfectio, aut infinitas eſſe, intelligive poteſt independenter ab omni obiecto: implicat enim eſſentiæ perfectionem eſſe, aut intelligi non intellecta, ſeu ſublata eſſentia: maxime, cum perfectio, ſeu infinitas, ne formaliter metaphyſice quidem, ab eſſentia infiniti differt, vt in diuinis euenit; quæ omnia per eſſentiam ſuam infinita ſunt. Et quidem, ſi cognitio ex genere, & eſſentia ſua eiuſque perfectio independenter ab obiecto, primario ſaltem, intelligi, & eſſe poteſt: non eſt cur in creatis attendenda ſit obiecti perfectio, vt cognitioni perfectio entitatiua taxetur; ſed ſolius principij eliciendis habenda ratio erit. Dices in creatis principium eliciens, ſeu cognoſcens, non eſſe determinatum ad tantam perfectionem cognitionis, ſicut in diuinis ad infinitam determinatum abſolute, & adæquate principium eliciens ad infinitam ſuæ cognitionis perfectionem, in Deo, ſed ſolum inadæquate, & ex parte ſua, ac ſub conditione obiecti infiniti etiam, ſeu Dei obiectiue mouentis. Contra ſecundo: quia, ſi ſemel illud principium negetur: quod ſcilicet cognitionis, vt ſic, eſſentia eiuſque perfectio nequeat eſſe, aut intelligi ſine ordine ad obiectum, atque dependenter etiam ab illo æque atque à principio ſeu potentia cognoſcente; non eſt vnde probetur cognitionis creatæ entitatiuam perfectionem non poſſe determinari è ſolius potentiæ cognoſcitiuæ perfectione: ratio enim vnica ad id probãdum eſt: quia cognitio è genere ſuo æque primo, & indiuiſibiliter reſpectiua eſt obiecti, & potentiæ: ac proinde ex alterutro poteſt eius eſſentia, atque entitatiua perfectio limitari.

5. Hinc apparet falſum eſſe illud antecedens, cui ſuam doctrinam ſuſtinendam imponebant recentes. Nempe infinitatem diuinæ cognitionis è prædicato ſuperiori, quam eius reſpectus ad obiectum ipſi conuenire: nempe ex prædicato diuini communi omnibus eius attributis: licet enim, quidquid diuinum eſt, infinitum eſſe debeat per eſſentiam ſuam, tam phyſicam, quam metaphyſicam, non tamen abſque ſua eſſentia aliquid infinitum per eſſentiam eſſe poteſt: id enim in terminis implicat: ex eo ergo, quod diuinum eſt per idemtitatem, cum Deo debet eſſe quidquid diuinum eſt infinitum per eſſentiam: Ad id autem opus eſt, vt quidquid eſſentia ſua reſpectiuum extremorum eſt, vtrumque extremum infinitum ſimpliciter habeat, neque aliter in Deo eſſe poſſit: quæ etiam ratio præcipua eſt, vt Dei omnipotentia à creaturis omnino abſoluta aſſeratur (quamquam recentes hi non animaduerterunt reſpectuam illarum eſſe docere: ac ſubinde ſublatis poſſibilibus defecturam: quare nec fore omnipotentiam, nedum infinitam fore, eadem conſequentia, qua nunc contra ipſos abſque obiecto cognitionem, nedum infinitam, ſed neque cognitionem fore) atque vt clarius videas æquiuocationem eius vocis *diuinum*, quæ recentes hoſce decepit: aduerte diuinum vniuerſim propriè dici, quidquid identice Deus reipſa eſt: & actus intellectionis, & amoris, qui ſunt vitales intentionales, diuinos ſpecialiter dici: quia à potentia intellectiua, vel volitiua diuina vitaliter intentionaliter eliciuntur: rogo ergo Recentes an intellectionis *diuinæ* infinitas è prædicato illo ſuperiori, & vniuerſali omnibus diuinis attributis, ſcilicet diuinæ, per ſolam phyſicam idemtitatem cum Deo, adæquatè determinetur, an per ſpecialius aliud *diuinæ* per elicientiam intentionalem ab intellectu diuino? ſi primum: ergo contra hos recentiores non determinatur infinitas diuinæ cognitionis ex prædicato *diuinæ* intentionalis elicientiæ à diuino intellectu: quia ex ſuperiori alio *diuinæ* identice, ſi quid eorum argumentorum probat determinatur: ſi ſecundum: cum eodem gradu ſit cognitio à potentia elicitiua, & ab obiecto, non conuenit ei ex prædicato ſuperiori, ceſſatque argumentum, ſeu æquiuocatio recentiorum.

6. Itaque è prædicato *diuini* identice infinitum eſſentia ſua quodvis prædicatum diuinum debet euadere, quod eſſentia ſua reſpectiuum neque realiter, neque intentionaliter eſt; ſed adæquate, & abſolute ad eiuſmodi infinitatem eſt determinatum; quod eſſentia vero ſua reſpectiuum alterutro modo eſt, nequit in ſuæ eſſentialis perfectionis infinitate ab extremis magis, quam ab eſſentia ſua præſcindere: quare determinatio ex prædicato diuini identice abſoluta, & adæquata proxima ad eorum infinitatem per eſſentiam non eſt; ſed dependenter ab extremorum infinitate, & remotè: quatenus ad extrema infinita determinat. Hinc euaneſcunt paritates omnipotentiæ, æternitatis, immenſitatis, & ſimilium, quæ reſpectiua aliorum eſſentia ſua non ſunt. Item ſpiritualitatis accidentium Angeli, quæ, qua talia ſolum ſubſtantiam ſpiritualem tamquam ſubiectum requirunt.

7. Quoad præcedentiam, & prioritatem veram Dei, vt obiecti reſpectu ſcientiæ ſuæ videbitur alicui poſſe concedi veram prioritatem intentionalem, licet non phyſicam: ſicut de prioritate actiua vera intentionali potentiæ intellectiuæ reſpectu ſcientiæ eiuſdem dicebamus. Non ſatis capio poſſe eſſe veram prioritatem vllam eiuſdem formalitatis ad ſeipſam, adhuc formaliter: quare, licet ſcientia reſpectu aliorum ab ipſa prædicatorum, & formalitatum diuinarum poſterioritas vera atque in illis prioritas vera obiectiua concedi poſſet; aſt ſcientiæ reſpectu ſui ipſius vera prioritas aſſignari non poterit. Cæterum nihil diuinum prioritate vera obiectiua diuinam ſcientiam præcedere vero mihi ſimilius eſt: quia conceptus obiecti terminantis præciſè cognitionem nullum dicit in illam influxum verum, ſicut eum dicit potentia intellectiua ex ſpeciali ratione ſua, & vniuerſaliori vitalitatis. Ex eo autem, quod formalitates aliæ à ſcientia diſtinguantur formaliter ab illa, ſatis non eſt, vt ſtatim obiectiuus influxus verus in illam, veraque prioritas concedatur: tum quia influxus ex diſtinctione vnius ab alio non infertur: vt patet in pluribus, ſed ex munere, quod in obiecto, qua tali terminandi primario, ſeu ſecundario eſt, non influendi. Nec ſatis videtur munus obiecti primarij eſſe ſpecificare cognitionem: id enim ſolum eſt terminum neceſſarium eſſe quod prioritas & influxus non eſt; vt patet in actione, & termino reſpectu illius: quod ſi eam ſpecificationem extrinſecam prioritatem fore contendas, non multum grauabor. Cum terminus extrinſecus aliquo modo ſit neque à diuina ſcientia poſitus vt terminus actionis per ipſam ponitur, ſed ſuppoſitus.

8. Denique aſſero tertio, obiectum primarium & ſpecificatiuum diuinæ ſcientiæ, formaliter, & metaphyſice loquendo, non eſſe diuina omnia, adhuc neceſſaria, ſed ſolum prædicatum eſſentiale, ſeu eſſentiam metaphyſicam Dei: licet phyſice, identice, & materialiter ſint omnia neceſſaria, communia, non autem perſonalia & contingentia: eſt concluſio noſtri Granados 1. p. tract. de ſcientia Dei 1. n. 4. & Vaſq. d. 40. c. 3. & d. 69. c. 5. & recentiorum plurium, & doctorum omnium, quos dedimus contr. de Trinit. d. 5. Vbi oſtendimus, verbum non procedere per ſe quarto modo ex cognitione creaturarum, perſonarum, & actuum liberorum; & ſi contra magnum meum magiſtrum Didacum Daza, & alios qui aſſerunt, Deum ſecundum omnia ſibi identica primarium & ſpecificatiuum ſuæ ſcientiæ obiectum. Ratio de perſonis, & contingentibus eſt: quia pro priori naturæ, ſeu originis ſtare debet obiectum per ſe quarto modo requiſitum ad proceſſiones, ac proinde ad cognitionem infinitam per eſſentiam: quare, quæ pro poſteriori aduenunt, nihil cognitionis in Deo ponunt, neque obiecta primaria, ſeu ſpecificatiua eſſe poſſunt: quod ipſum habet cognitio reſpectu volitionis præſertim libere, quâ ſuo modo intentionaliter vere præcedit & à quâ vt tali, nequit ſpecificari; ceſſ contingés formaliter ſit. Sed tam de his, quâ de reliquis ab eſſentia metaphyſica Dei, vt ab ea præciſis, non ſpecificari formaliter & primatio diuinam ſcientiam loco citato de Trinit. probauimus: ac rurſus probo: tum, quia ordine metaphyſico primum eſt, atque in genere entis ſimpliciter, imo ſimpliciſſime talis, obiectum infinitum per eſſentiam: ac proinde ſufficiens infinitam ſimpliciter infinitate diuina terminare cognitionem: quare reliqua nihil, metaphyſice loquendo, cognitionis, & repræſentationis addunt: cum, quaſi poſterius cognoſcantur, tum præcipue, quia tota veritas obiectiua diuina formaliter in eſſentia metaphyſica Dei, ſeu prædicato entis à ſe in

diuinis

diuinis est: ratione cuius reliqua diuina siue communia, siue personalia, vera adiectiue metaphysice sunt, habentque positiuam soliditatem essendi non apparenter, in quo veritas metaphysicè sumpta consistit: vt constat ex controu. de Trinit. l. 6. q. 2. & ex contr. 1. quare, cum cognitio à veritate, tanquam à formali specificatiuo, & primario obiecto specificetur, per se metaphysicè, & formaliter loquendo, ab essentia metaphysica adæquare specificabitur: quæ his opponi poterant (quod Dei cognitio, vepote intuitiua, nequit vere concipi in vnum Dei prædicatum sine alio ferri) falsum esse constat ex dictis sæpe, tam hoc tomo quam controuersiis de Trinitate, & incarnatione, vbi docuimus cognitionem, etiam intuitiuam, præcisiuam ex parte obiecti esse posse; secundo, eo admisso, solum probat reliqua ab essentia obiecta necessaria simul cum essentia cognitionis diuinæ obiecta esse debere; non autem specificatiua formalia, seu ratio, sub qua, ab ea attinguntur, sed solum materialia, quæ ratione essentiæ, cui identificantur materialiter, iure identitatis, attinguntur.

CERTAMEN III.

Qui obiecta alia à Deo ad diuinæ scientiæ obiectum primarium & specificatiuum aduocant, confutantur.

1. NOn defuere, qui, licet Deum respectu cognitionis sui primarium obiectum & specificatiuum adæquatum esse docerent: imo, & cognitionis eiusdem, quatenus inde ad creaturas indirecte terminetur; ast respectu cognitionis Dei de creaturis directe immediate habitæ independenter ab eo, quod seipsum cognouerit, creaturas solas esse directum primarium specificatiuum, & adæquatum obiectum, docuerint: ita Scot. in 1. d. 35. q. 1. §. *Ad ista* (quidquid aliter eum in meliorem interpretur sensum Valentia. 1. p. d. 1. gener. q. 14. vt clare ostendunt Vasq. d. 60. c. 1. Soar. 3. de attrib. cap. 21.) sequuntur Scotum Gregor. d. 36. & alij in manuscriptis referentes nostrum Vasq. d. 50. & 60. citata: Cum tamen ille solum neget Deum, vel beatos cognoscere illas in seipso, tanquam in obiecto adæquate primario & specificatiuo suæ omniscientiæ & cognitionis obiectorum quorumque, vt semper asseruit: atque eo sensu Patrum testimonia, quæ cognitionem creaturarum à Beatis, vel à Deo in seipso, tanquam in medio fonare videbantur, constanter vbi vis exponit. Cæterum doctrina hæc duplicem ponit in Deo creaturarum cognitionem, alteramque ab altera omnino independentem, & inconnexam: quod repugnat prædicato scientiæ diuinæ, quæ, qua diuina præcise cognitio, è suo essentiali conceptu indiuisibiliter, etiam formaliter, infinita in suo genere per denegationem termini, adhuc extrinseci, quare & omniscientia esse debet. Vt cert. 2. ac sæpe alias in hac controuersia attigimus, fuseque controu. 1. monstrauimus: sicque & omniscientiæ infinitæ per denegationem termini, etiam extrinseci, è conceptu suo essentiali repugnat alia quauis obiecti cognitio, quoad substantiam, vel modum in illa ita infinita, adhuc formaliter, non inclusa.

2. Ad hæc cognitio illa alia directa creaturæ, atque à creatura ipsa tanquam ab obiecto primario, & specificatiuo Deo addita essentia sua à creatura, tanquam à termino specificante ipsam, penderet: quare nec maioris necessitatis, quam creaturæ ipsam specificantis foret; cum maioris longe necessitatis, quam creaturæ, etiam secundum statum possibilitatis præcisiuæ, quidvis diuinum sit esseque debeat: vt de inconnexione omnipotentiæ cum creaturis possibilibus ostendebamus controu. 1. d. de omnipotentia. Etsi enim possibilitas rerum necessaria sit, neque atque non esse: nec possibilia proinde possint ad impossibilia, siue ad impossibilitatem migrare: ast magis necessarius rerum possibilitate Deus est, magisque illi repugnat non esse, quam possibilibus impossibilitas repugnet: vt late ibidem ostendimus, fundaturque in doctrina Aristotelis 4. met. cap. 4. necessitatem vnam maiorem alia necessitate expresse admittentis. Tertio cum Deus creata non solum, vt possibilia, sed, vt absolute futura, & existentia directe, & independenter, à Deo tanquam à suæ scientiæ specificatiuo & primario obiecto, (horum sententia) cognoscat atque absoluta rerum existentia, & futuritio caduca de esse sit, & defectibilis: & cognitio ipsa Dei de illis iuxta hanc doctrinam caduca de esse, atque absolute defectibilis erit; quod diuino prædicato secundum intrinsecum sui conuenire repugnat: quarto demum infertur cognitionem hanc diuinam, & cognitionem alia, qua se Deus, & creaturas in se, tanquam in obiecto primario, & specificatiuo, indirecte & mediate (vt hi loquuntur) cognoscit, esse imperfectionem intrinsecus: & directam creaturæ cognitionem eo alterius creatura directa cognitione imperfectionem intrinsecus esse, quo creatura illa imperfectior, & imperfectior fit; iuxta dicta cert. 2. & doctrinam Aristotelis 3. met. tex. 15. & 1. de anima tex. 86. & alibi pluries; & tandem nequit non ex vtilitate obiecti primarij, & specificatiui creati cognitio diuina, quoad intrinsecum vilescere.

3. Secundo Arrubal noster. 1 p. t. 1. d. ... c. ... ait Deū obiectum primarium, & specificatiuum sua scientia esse, etiam vt versatur circa creaturas, atque ad illas repræsentandas porrigitur. Cæterum id muneris, non qua Deum, sed solum, qua omnipotentem, habere: vt verum omnino sit Deum habere in se rationem omnia creata cognoscendi, eo præcisè, quod in se omnipotentiam, siue illorum omnium virtutem, & principium habeat. Secuti illum sunt recentiores complouinciani nostri, quos eius Doctoris asseclas non tam illius amor, quam in nostrum Vasquez, & eius Asseclam magnum Magistrum meum Daza odium, & inuidia, non multa laude, fecit, in eandemque sententiam ire mihi visus est Herize noster. 1. p. tract. 1. d. 5. c. 3. §. 1. qui sane inconsequenter negat rationem obiecti primarij, & specificatiui cognitionis diuinæ de creaturis, cognitioni ipsi, in qua formaliter, nec solum eminentialiter (quod satis ipsi est, vt omnipotentia obiectum primarium specificatiuum sit) contineantur, quod enim ait contineniam creaturarum in omnipotentia realem, robustioremque esse, in earum vero cognitione intentionalem, ac debiliorem, friuolum est. Nam, & intentionalis contineniia creaturarum in cognitione earum diuina, non ficta, & chimærica, sed vera, & realis est, sicuti vera & realis est illarum representatio: atque ex alia parte formalis, clarior, & expressior, quam earum in omnipotentia quod, vt in eius cognitione, tanquam in primario obiecto, & specificatiuo, clarior & expressior earum cognitio euadat, vt ad illas representandas clarius extendatur, magis proculdubio iuuat, quam robustior alia continentia earum in omnipotentia, quæ in linea physicæ actiuitatis, non in linea continentiæ intentionalis, & representationis, ad quam munus obiecti primarij & specificatiui spectat, tota continetur. Secundo quia citato loco ait: non solam omnipotentiam, sed, & cognitionem seu comprehensionem diuinam possibilium, quæ solum, est intentionalis, & debilis (vt ipse loquitur) earum continentia, esse medium, in quo possibilia omnia cognoscantur: ergo intentionalitas, & debilitas contineniiæ creaturarum in sui cognitione comprehensiua diuina non oberit, vt à Deo, vel beatis in ipsa, tanquam in obiecto primario, & specificatiuo cognoscantur.

4. Sed, missis Doctoris huius inconsequentiis, sic primo sententiam ipsam impugno. Ponamus enim per impossibile sublata omnipotentia creaturas possibiles manere possibiles: quod, etsi repugnet, admitti ad quæstionis examen rigidum debet, cum quæstionem, eiusque suppositum non destruat; hæc siquidem solum est de obiecto formali primario, & specificatiuo, ratione cuius creaturæ cognoscantur à Deo; non autem de obiecto materiali, & pure terminatiuo, cuiusmodi esse supponimus creaturas, siue possibiles, siue existentes, videcunque illæ, possibiles, vel existentes sint, quod quæstionis non refert: quemadmodum quærimus: an si spiritus non procederet à filio, distingueretur realiter ab illo? quæ sane hypothesis impossibilis est, & tamen admittitur, vt inde dignoscatur, an à filio procedat, quia cum de fide distinguendus sit, si sublata per impossibile eius

à filio processione non distingueretur, rectè infertur à filio procedere; si autem adhuc ea processione sublata distingueretur, ob quam ponitur eius à filio processio, quia inferetur à filio distinctio & non ratione processionis ab illo. Ponamus secundo (id quod mihi, Arrubali, & eius in quæstione præsenti sectariis verissimum & certissimũ est) nempe Dei infinitatem in mutua attributorum, & essentiæ inclusione minimè stare, sed diuinam ob quam eius à filio processio ponitur, quare & ipsum à filio non procedere) essentiam de se formaliter infinitam esse absque attributi alicuius iuuamine. Tũ sic sublata per possibile vel impossibile à Deo omnipotentia adhuc ab ipso cognoscerentur creaturæ, si manerent possibiles: ergo ratio eas cognoscendi non est Deo eius omnipotentia, tanquam obiectum primarium, & specificatiuum suæ, vt ad illas porrigitur, cognitionis. Consequutio est legitima. Rectè enim infertur non esse rationem alicuius id, quo sublato, illud aliud nihilominus perstat. Antecedens probatur. Sublata à Deo omnipotentia Deus perstaret infinitus in essentia, vt aduersarij etiam fatentur, atque ipsum cognosceret: quandoquidem Dei erga seipsum cognitio, aduersariis etiam fatentibus, omnipotentiam pro obiecto primario, & specificatiuo nullatenus habet: ergo perstaret deficiente omnipotentia cognitio diuina infinita simpliciter, etiam per denegationem termini extrinseci. Patet consequentia; quia perstaret cognitio diuina ab obiecto, & potentia reali intentionali simpliciter, & è genere suo infinita per denegationem etiam termini extrinseci: ergo perstare Deo omniscientia est apertum: quia, ni omniscientia sit, infinita per denegationem etiam termini extrinseci è genere suo esse non posset: quandoquidem aliquid generis eiusdem restaret extra ipsam, quod addi ipsi posset: quemadmodum, & quantitati alicui infinitæ non ex genere suo, sed ex plurium partium coniunctione coalesceret, nec infinitas reliquas possibiles intra suam magnitudinem clauderet: iam vero, si ita infinita Dei scientia est, omniscientia necessariò, ac proinde creaturarum pro quovis earum statu possibilitatis, & scientiæ, erit, etsi per impossibile omnipotentia Deo deesset, vt in antecedenti dicebamus.

5. Dices ex hypothesi impossibili, quod omnipotentia deficeret, non esse imperfectionem, quod possibilia à Deo non cognoscantur, etsi per impossibile manerent, nec infinitæ perfectionis diuinæ scientiæ derogare, quod ea non repræsentet. Sicuti nec derogat in eo casu, quod omnipotentiam non repræsentet: neque Deitatis infinitati, quod ei attributum omnipotentiæ deficiat. Sed tamen neutra paritas præstat. Non vltima: quia omnipotentia infinitatem simpliciter talem Deitatis nullatenus formaliter constituit: quare nil mirum, si omnipotentia sublata formalis Deitatis infinitas simpliciter, & ex genere suo talis non deficeret. Non primum: quia sublata omnipotentia eius scibilitas obiectiuaque veritas non esset: quare, quod tunc non cognoscatur non esset defectus omniscientiæ Dei, sed obiectiuæ veritatis, quæ tunc non esset: quare infinitati scientiæ Dei non officeret: ast obesset, si possibilia, quæ eo casu ponimus permanere, non cognoscerentur: quia, & scibilia, ac vera obiectiuè forent: ad quæ, ni diuina scientia perringeret, omnia scibilia non repræsentaret: quare nec omni scientia esset, nec simpliciter è genere suo infinita. Dices secundo: Arrubalem, & asseclas loqui de omnipotentia radicaliter sumpta; quo pacto idem cum essentia est; non de omnipotentia formaliter: quare argumentum euanescit. Contra vero: quia facta impossibili omnipotentia formali, nec radicalis conceptus omnipotentiæ magis esset in essentia diuina, quam alterius cuiuspiam chimæræ. Secundo æquè est essentia diuina, immensitas, misericordia, bonitas, æternitas, ac cætera attributa radicaliter, atque est omnipotentia radicaliter: imo omnium indiuisim radix est: ergo radicaliter sumpta, prout sunt in essentia, omnia erunt obiecta primaria, & specificatiua & rationes cognoscendi creaturas possibiles, æquè atque omnipotentia radicaliter sumpta, quod hi Doctores negant. Tertiò sic sumpta omnipotentia nil aliud, quam essentia diuina est: ergo asseris solam essentiam esse obiectum primarium, & specificatiuum cognitionis Dei, non solum erga seipsum, sed etiam, quatenus creata pertingit contra tuam conclusionem. Quartò neque esse potest comprincipium per modum speciei impressæ cognitionis creaturarum (vt Arrubal asserit, etiam de omnipotentia eodem modo à se intellecta) sed vnum, & idem principium cum illa. Denique exalio hæc, etsi ab asseclis Recentioribus pro sententia Arrubalis excogitata contra eius mentem est, qui de omnipotentia formaliter sumpta loquitur.

6. Impugnatur secundo sententia eadem: quia in omnipotentia quouis modo, siue formaliter, siue radicaliter sumpta, non continetur adæquatè plurium præcipue possibilitas, sed solum inadæquatè, vt patet in actibus vitalibus, qui essentialiter pendent à potentiis vitalibus creaturarum viuentium, sicuti ab omnipotentia essentialiter pendent: atqui inadæquata continentia actiua non sufficit, vt in illa eiusmodi actus, siue tanquam in obiecto primario, & specificatiuo adæquato cognitionis earum cognoscantur creaturæ; ergo non ita cognoscuntur à Deo in sua omnipotentia. Minor probatur: quia alias vitales sui actus ab Angelis vel hominibus in suis vitalibus potentiis, in quibus actiuè inadæquatè continentur, eodem modo cognoscerentur; quod, ne partialiter quidem fieri posse aduersarij admittunt, debentque fateri: ac proinde omnipotentiam non esse adæquatum specificatiuum, seu medium, siue totam rationem cognoscendi possibilia creata contra suam conclusionem debent fateri, vt de se est perspicuum: nec satis est in omnipotentia, in qua potentiæ vitales nostræ actiuè continentur, esse continentiam mediatam, actus vitalis creati, etiam, prout à potentiis vitalibus procedunt possuntve procedere. Contra primò: quia saltem, sicut non continentur adæquatè, & proximè in ratione entis, ita neque in ratione veri, & cognoscibilis. Cum autem ea continentia adæquata actiua necessaria sit ad specificationem, & rationem cognitionis rerum contentarum, proxima adæquata necessario erit expectanda vt in actum prodeat earum cognitio: nam non, nisi à potentia proxima adæquata potest actus exerceri: quare ad specificatiuum & motiuum cognitionis creaturarum suas partes potentiæ vitales necessario obibunt, nec totum specificatiuum & ratio cognoscendi possibilia omnipotentia, vt hi volunt, erit. Secundo in actibus liberis, cum assistente omnipotentia & posita per ipsam potentia, indifferens hæc maneat, non magis cognoscetur in eis determinatè consensus quam eius negatio: quod si dicas conclusionem esse de cognitione possibilitatis, qua vtriusque extremi est, & in omnipotentia cognoscitur: nil præstat.

7. Acrius pugno: quia in respectu ad possibilitatem præcisè non est potentiæ creatæ vitalis ad omnipotentiam subordinatio, sed solum in essendo, & operando absolutè. Neque enim ex eo, quod possibilia respectum essentialem dicant ad omnipotentiam, habent etiam, vt postea ad potentias creatas referantur: sed ex eo, quod absque illis poni in rebus repugnet, quia principium essentiale earum actionum potentiæ creatæ sunt: quod non inde habent, quod omnipotentia alterum sit earundem comprincipium: vnde rursus arguo: quia actiua continentia, siue actiuitas omnipotentiæ non est in ordine ad possibilitatem rerum, sed in ordine ad earum executionem, & absolutam positionem: quare omnipotentia, qua actiua, seu ratione continentiæ actiuæ, ad rerum possibilitatis, quam actiuè non efficit, cognitionem inferuire non posse argumentum proximum nostrum euincit: & patet ex data solutione. Non enim possibilitatem ponit, sed supponit, vt earum absolutam existentiam ponere queat cognoscendam; ad possibilitatem vero earum cognoscendam, non, qua actiua, seu continens eas actiuitate sua omnipotentia est; sed qua terminus essentialis respectu earum, inseruire poterit. Is autem respectus æque primo, imo indiuisibiliter in vtrumque essentiale suum principium fertur, respicitque: nempe in omnipotentiam, & potentiam creatam, neque in alteram ratione alterius.

8. Tertiò eandem sententiam impugno. Scientia in Deo prior est quam omnipotentia: ideo enim *Deus omnipotens, quia omniscius*, non cõtra in cõmunioti sentẽtia, præcipuè nostr

nostri Herize, contra quem pugnamus, & reliquorum, qui cognitionem Dei eius essentiam asserunt, omnipotentiam vero eius attributum: ex aliis vero, qui in Deo potentiam intellectiuam cognitione Dei anteriorem, & ante vtramque conceptum entis à se, vel alium quempiam, in quo essentiam metaphysicam Dei constituant, recognoscunt, plures qui omnipotentiam in Dei voluntate collocant, eiusque affectibus: atque vniuersim, cum in Deo potentia etiam ad extra operatiua rationabiliter, nec aliter operatiua sit: ea cognitionis prioritas respectu omnipotentiæ admitti debet: ergo, cum nondum metaphysice sit omnipotentia, quæ specificare ac mouere Dei cognitionem ad creaturas deberet, est cognitio infinita ex genere suo, & omniscientia: quare, & cognitio earum ab alio anterius præcedente specificata. Negat Herize (cuius maxime solutio refert) consequentiam: quia de ratione pure termini, ac non specificatiui, seu rationis formalis cognoscendi; non est, quod sui cognitionem præcedat: vt pater in possibilibus, quæ cognitionem diuinam non præcedunt, nec sunt eius specificatiua, sed pure terminatiua obiecta, ad quæ sola ipsorum positione extenditur aliunde præhabita diuina cognitio. Sed contra: ergo omnipotentia, antequam supponitur aliunde habita cognitio, & representatio de se creaturarum possibilium, vt argumentum probat, ratio, & specificatiuum cognitionis creaturarum ex tua hac solutione (qua specificatiuum & motiuum cognitionis debere supponis præcedere) minime est. Apparentius negaret consequentiam; quod scilicet, omnipotentia in alio genere, obiecti, scilicet, specificatiui, etsi ordine essendi metaphysico, sit cognitione posterior, prior non sit: vt de verbo, & Spiritu S. quos è sui vel cognitione vel amore procedere asserunt: ac proinde eis in genere essendi posteriores sunt, ad quos tamen obiective præcedunt, philosophantur. Verum contr. de Trinit. d. 6. sic philosophantes confutauimus: & vniuersim mutuam causalitatem causarum, quæ ad causandum sui existentiam requirunt, diximus contr. de causis & in fine controu. de incarnatione.

9. Denique quarto eandem doctrinam impugno ex cognitione diuina de rerum negationibus, quæ actiue in omnipotentia non continentur: imo rerum, quæ actiue in omnipotentia continentur remotiones sunt. Ergo negationem possibilium cognitio diuina non habet pro specificatiuo, & ratione motiua omnipotentiam actiuam earum in ipsa: & tamen aliunde habet rationem representationis formalis earum: ergo, & habebit aliunde, quam ab omnipotentia esse formalem repræsentationem rerum possibilium. Dices cognosci habitum per negationem iuxta vulgare axioma: atque illum actiue in omnipotentia contineri. Sed an inde probabitur contineri actiue in omnipotentia negationem proxime, vel remote, quia habitus, cuius remotio est, in illa actiue continetur? hoc autem necessarium est, vt ratio tuæ conclusionis persistat. Secundo cum habitus seipso sit formalis suæ negationis remotio, implicat per illum, adhuc remote, causari eius negationem, quam seipso excludit, ab omnipotentia: quare, ne remote quidem, per illum, seu medio illo, actiue eius negationem in omnipotentia contineri: illud autem axioma solum vult maiorem vel minorem imperfectionem entitatiuam negationis, non, nisi cognito habitu, quem à rebus remouet, cognosci posse: nam tenebras non, nisi media luce cognosci videriue posse vel non posse non visa luce videri suo modo rediculum est & repugnans: cum lux tenebrarum remotio sit: quare, vbi ea videtur, tenebræ videri non possunt. Respondebis cum recentioribus memoratis Arrubalis assectis: continentiam actiuam habitus in omnipotentia, non esse causæ necessariæ, sed liberæ, quæ est potestas indiuisim, ad eum, & eius contradictorium apponendum: quare, & eius remotio, seu negatio actiue in omnipotentia continetur. Verum, si omnipotentiam in Dei voluntate formaliter hi recentiores constituerent, locum solutio haberet; constituta vero in alia formalitate, & prædicato diuino locum non habet. Etenim potestas libera ad vtrumvis præstandum voluntatis formaliter, qua talis, est; non autem adiunctarum, & quasi subditarum ipsi, quoad vsum, & exercitium, facultatum: vt pater in nostris voluntatibus, quæ, ideo liberæ sunt ad effectus mediis facultatibus efficiendos, quia administris potentiis sibi subditis vti possunt, ac non vti; non quia potentiæ aliæ de se se operari, & non operari pro suo libito queant: quatenus siquidem de se est, operari tantummodo valent, & si à libera nostra voluntate possint ab exercitio suspendi: secundo: quia, eisdem fatentibus, negationem identitatis hominis & equi, & reliquarum chimærarum necessarias negationes Deus cognoscit: cum tamen earum habitus, v. g. identitatem hominis & equi nequeat Deus absolutè, necdū libere, efficere: Ergo possibiles, imo necessarias has negationes absque vlla earum continentia in omnipotentia actiua, adhuc somniata, per habitum cognoscit Deus. Tertio omnes chimæras, quæ dubio procul in omnipotentia actiue non continentur, nec Deo (vt fert recentissimum aliquorum insomnium) idemtificantur, Deus cognoscit: ergo aliunde, quam à continentia extrinsecorum in omnipotentia, Dei habet cognitio, vt ad extrinseca obiecta porrigatur.

10. Concludamus igitur cum nostro Vasquez d. 40. & 60. citatis è sola essentia metaphysica Dei, tanquam primario obiecto specificatiuo adæquato totam cognitionem diuinam in suo, atque è suo genere simpliciter infinitam, etiam per denegationem termini extrinseci, ac subinde omniscientiam formalem cognoscibilium omnium euadere, vt sola earum positione ipsi vel physice, vel metaphysice extrinseca egeat, vt ad ea extendatur: quare ad diuina attributa primum: deinde ad possibilia omnia, tam positiua, quam negatiua, & rationis entia, siue impossibilia: postmodum ad conditionata futura, ac demum ad absolute futura absque vlla sui variatione extendatur: vt optime obseruauit, citatis locis Vasquez noster; quo etiam respexit Dionysius 7. de diuinis nominibus. *Neque enim*, inquiens, *ea, quæ sunt, ex his, quæ sunt, nouit diuina mens, sed ex se & in se* &c. Et Lactant. 3. diuinar. instit. c. 3. *in se ipso habere propriam scientiam non hominis sed Dei est; mortalis autem natura non capit scientiam, nisi, qua veniat extrinsecus.* Duo huic conclusioni obiici poterant primum: Dei cognitionem vtpote intuitiuam, non posse non ferri in rem, sicuti est: quare nec in suam essentiam præcise, sed ipsis omnibus identificatam & vnissimam, sicuti solum est. Sed cognitionem, intuitiuam etiam, posse ex parte obiecti præscindere ostendimus sæpe contr. de anima & de visione Dei, & de scientia animæ christi: atque illud *sicuti est* in visione tantum significare non cognosci rem per illam abstractiue, per alienas species, & admodum alterius. Secundum est, obiectum, primarium saltem, & specificatiuum, diuinæ cognitionis non posse ipsi identificari, vt diuina omnia ipsi identificantur: nihil enim sibi ipsi speciem tribuit, sed potiùs est, quod illam ab alio recepit: hoc argumentum contra Arrubalem, & reliquos, æque militat, qui Deum totum vt in re est, vel aliquod eius prædicatum primarium, & specificatiuum docent: respondeo tamen verum esse antecedens de diuinis prædicatis ipsi cognitioni formaliter identificatis, quod nullum aliud præter ipsam habet: quare ipsi soli repugnat seipsam specificare, non autem essentiæ diuinæ, vt dicebamus cert. 2. num. 7. Vbi de eius etiam prioritate respectu diuinæ cognitionis quid verosimiliter dici possit statuimus.

Pro Arrubalis sententia, & sua obiiciunt memorati recentiores inter obiectum primarium specificatiuum, & obiectum materiale, & pure terminum cuiusvis cognitionis debere esse respectum aliquem transcendentalem, qui solum est in creaturis ad Deum, qua omnipotentem, ac proinde, qua talem, solum modo debere esse Deum obiectum primarium & specificatiuum cognitionis suæ de creaturis. Antecedens de respectu in genere entis est falsum; & si verum esset debere esse in obiecto primario, & specificatiuo ad secundarium, ad quod ex illo mens duceretur, quasi filo connexionis illius ab ipso, ad secundarium; quem in omnipotentia ad creaturas recentiores ipsi merito non admittunt. Est igitur verum antecedens de connexione in genere scibilis, quæ inter Dei essentiam, & creaturas adest vt ex dictis patet. Denique, pro specificatione cognitionis cuiusque creaturæ ab ipsa, dices, alias confundendas esse in eandem omnium creaturarum cognitionem. Respondeo; id quidem, si quoad intrinsecum cognitionis diuinæ loquamur, non solum verum esse, sed necessarium: cum essentia sua infinita Dei scientia, & omniscientia sit, vt diximus: reliqua ex dictis euanescunt.

QVÆSTIO VI.

Præcedantne alia, quasi actiue ad diuinam scientiam ex parte potentiæ vel obiecti.

RELIQVA quæ ex parte potentiæ, vel obiecti creatam scientiam præcedere solent, duo sunt. Alterum habitus, qui ex parte potentiæ præcedere sæpe à pluribus dicitur. Alterum species obiecti cogniti, & quamuis habitus omnes (supernaturalibus exceptis) ad species reuocarim, quæ ex parte obiecti se tenent, de anima disputans; tamen oppositum in præsentiarum suppono, vt nihil quod ab aliis disputari possit, indispuratum omittam.

CERTAMEN I.

Nullus habitus cognoscitiuus in Deo est admittendus, idemque est de volitiuo habitu.

1. DE supernaturalibus habitibus nemo hactenus in Deo, eiusque potētiis esse cōcedendos, somniauit: hi siquidē solum dantur ad actus altioris ordinis, quàm potentiæ, vt hæ nimirum vltra intrinsecam, & naturam virtutem superioris ordinis rebus agendis proportionentur atque eleuentur: id quod Deo, eiusque potentiis, qui in supremo rerum ordine de se realiter, & formaliter, ac metaphysicè sunt, prorsus repugnat. Secundò ex eo, quod ea ad habitus supernaturales admittendos improportio cum actibus, ad quos admittuntur, in potentiis requiratur, infertur etiam eiusmodi potentias, pro quibus supernaturales habitus admittuntur, de se insufficientes, & partiales potentias esse: quod etiam diuinis potentiis tam physicè, quàm metaphysicè contradicit, vt vidimus sæpè, atque ex illo nostro principio certissimo (scilicet diuina omnia prædicata infinita e genere suo per denegationem termini, etiam extrinseci esse debere) euidenter deducitur: quare lis tota præsens de habitibus, quos naturales vocamus solummodo esse potest, & quidem, licet acquisitis habitibus produci ab actibus in creatis contingat, id in diuinis euenire, eoque sensu acquisitos esse non posse certissimum. Restat ergo de intrinsecis habitus acquisiti prædicatis facilitandi potentiam, determinandi, seu inclinandi ad suos actus potiùs, quàm ad oppositos, v.g. ignorantiam, & errorem, examinare, an in Deo dentur potentiæ intellectiuæ Dei formaliter superadditi.

2. In ea vero quæstione Henricus 1. par. art. 37. q. 1. & 2. Mairon. in 1. dist. 36. qu. 1. art. 1. Arriaga disp. 15. sect. 3. sub sect. 4. tam intellectui, quam voluntati diuinæ habitus metaphysicè ab eiusmodi potētiis diuersos concedunt: tum, quia in eiusmodi potentiis facilitas ad suos actus Deo adest: tum, quia nemo Deo negare potest, tam voluntatis virtutes, vt misericordiam, iustitiam, & similes, quam virtutes intellectus ab Aristotele numeratas 6. ethic. cap. 3. prudentiam, scientiam, & artem, quæ necessariò habitus sunt. Reliqui tamen Theologi tam prisci, quam iuniores nobiscum censent eiusmodi habitus potentiæ intellectiuæ, adhuc formaliter, & metaphysicè, superadditos non esse admittendos: ita Salas 1.2. tract. 11. disp. 2. Val. 1. par. qu. 14. punct. 1. Suar. disp. 30. metaph. sect. 15. n. 10. sect. 16. num. 68. 3. de attrib. cap. 1. num. 1. Ruiz disp. 4. sect. 4. Albiz. disp. 1. sect. 1. num. 10. Hemelm. tract. 4. disp. 7. cap. 1. Alarc. disp. 1. cap. 1. num. 5. Sfortia. lib. 1. num. 42. Fasol. qu. 14. art. 1. dub. 5. Ribadeneyra. Quiros, & alij apud ipsos. Ribadeneyra, d. 2. citata cap. 6. n. 77. quia hi habitus solum assignari possunt potentiis plusquam logicis intellectionis, aut volitionis, quæ in Deo non dantur; sed fallo innititur principio, vt constat ex quæstionibus antecedentibus. Quiros disp. 35. sect. 4. n. 26. probat: quia in Deo ea solum potentia intentionalis danda est, quæ, satis sit, vt denominetur Deus intelligens, & amans, ad quod opus non est, neque habitu neque potentia physica, cuius solius, est habitu iuuari; sed sola substantia Dei, quæ sola denominatur intelligens, & amans: sed certè præter capacitatem subiecti denominationum earum, vel in ipsa capacitate imbibitur potentia intentionaliter actiua (siue formalis ea sit, atque essentiæ metaphysicæ Dei metaphysicè superaddita, vt nos censemus, siue in essentia Dei metaphysica inclusa, vt alij opinantur) ac proinde, in ea linea actiuitatis intentionalis, ab ipso Quiros admissæ, potest concipi conceptus facile operatiuæ superadditus metaphysicè: quod solum ab aduersariis contenditur. Vnde impugnatur ratio adducta: quia ad conceptum & denominationem cognoscentis, & amantis facilè, satis non est potentia præcisè cognoscendi, & amandi, sed potentia facilè amandi, & cognoscendi: ac proinde potest prima ratio concipi in Deo, sine fictione potentiæ, sed potentiæ veræ, quæ in Deo est, quin eius facilitas, quæ in eo etiam est, concipiatur; ni id aliundè ostendatur impossibile.

3. Ostenditur autem primò: quia habitus, seu facilitas operandi suos actus est perfectio in genere potentiæ: atqui potentia diuina, qua diuina, est summè perfecta in genere potentiæ: ergo potentia diuina, qua diuina in suo conceptu formali includit facilitatem ad suos actus: ac proinde potentiæ intellectiuæ, seu volitiuæ diuinæ superaddita metaphysicæ formalis facilitas non aderit. Confirmatur, quia facilitas formalis his solum potentiis superaddita cogitari potest, quæ secundum se, vel difficiles sunt, vel impeditæ, aut saltem non expeditæ: at horum quoduis imperfectio est, quæ in potentiam diuinam veram, præcise etiam sub conceptu potentiæ diuinæ consideratam, cadere nequit: ergo neque illi potentiæ habitus formalis metaphysicè superadditus potest verè, ac non fictè cogitari. Minor est certa metaphysicè, atque insuper probatur: quia difficultas ad primum actum solummodo esse potest: in potentiis enim ad primum actum expeditis, & facilibus, v.g. calefactiua, vel visiua, nemo superadditum habitum somniauit, somniaretve: in Deo autem vnicus tantum actus intellectionis, vel volitionis, quoad intrinsecam eorum formalitatem, adhuc metaphysicam est: considera ergo potentiam intellectiuam diuinam formaliter sumptam cum obiecto primario, & specificatiuo eius adæquato: an dices difficulter, ac non cum summa expeditione in illum actum intentionalem prodire. Minimè: ergo is à potentia nuda diuina præcisè sumpta facile prouenit: ac proinde metaphysicè intrinseca illi facilitas, nō autem superaddita est: ad alium autem actum superaddi nequit, cum alius actus, siue intellectionis, siue volitionis diuinæ in Deo non sit. Aliud verò intrinsecum habitus prædicatum inclinandi potentiam intellectiuam Dei, atque impellendi in certam cognitionem potius, quam in ignorantiam, vel errorem circa obiectum, constat potentiæ indifferentis ad omnes eos actus imperfectionem potentiâ diuina indignam continere, quæque perfectione intrinseca, & essentiali potentiæ diuinæ sine superadditto metaphysicè prædicato excludatur.

4. Ex his facile diluitur ratio, quam n. 2. contra nostrum Quiros attigimus. Negandum enim est, posse concipi in Deo rationem potentiæ diuinæ, veræ, ac non fictæ, sine conceptu facilitatis, expeditionis, atque determinationis, seu impulsus in actum suum certum potiùs, quam in errorem. Nec quidquam præstare possunt metaphysicæ distinctiones esse, & attributorum, cognitionisque, & volitionis: licèt re ipsa ea omnia in Deo identificentur. Siquidem nihil eorum, quæ ita in Deo distinguimus, diuinaque prædicata vera sunt, in alterius essentiali, & metaphysico conceptu, qua diuina sunt, continetur, sicut facilitatis ad suos actus conceptum in potentia diuina, qua diuina, includi monstrauimus: imò eundem indiuisibiliter potentiæ diuinæ conceptum esse. Nec refert summam perfectionem metaphysicam prædicati diuini non includere perfectionem, nisi sui generis, & signi, non autem alterius generis, & signi posterioris; alioqui in summa perfectione metaphysica essentiæ diuinæ omnia attributa diuina, contra nostram sententiam metaphysicè claudentur; atqui habitus

habitus perfectio diuersi generis, & signi metaphysice posterioris à genere, & signo potentiæ diuinæ est: ergo non spectat ad perfectionem diuinæ potentiæ. Negatur tamen facile Minor: nam facilitas potentiæ essentia sua summe perfectæ, ac non indifferentis ad actus erroneos, vel certos, bonosque, vel malos (cuiusmodi est diuina) ad idem signum, & conceptum metaphysicum potentiæ spectant; licet in creatis, & imperfectis potentiis diuersum quid, non solum metaphysice, sed physicè sit.

5. Oppones tertio, & difficilius, pro habitibus voluntatis diuinæ, (de quibus hic etiam diximus: ne eadem quæstio, atque ex eisdem principiis dirimenda controuersia de voluntate repeteretur) virtutis moralis diuinæ propensiones voluntatis in eorum obiecta v. g. misericordiæ, iustitiæ vindicatiuæ, & distributiuæ (quæ Deo intrinsecæ ante suos actus, & effectus sunt) nequeunt in nuda voluntate Dei metaphysicè constituì; alioqui diuersa attributa à voluntate Dei non essent: imo voluntatis diuinæ attributum ex eis omnibus propensionibus ad ea obiecta virtutum moralium conflaretur: ac proinde ex misericordia, iustitia, fortitudine &c. adde facilitatem, & propensionem hanc, si de conceptu potentiæ volitiuæ sit, indiuisibiliter, etiam metaphysicè, in omnes actus honestos ferri debere: quia infinita è conceptu, & genere suo est per termini, etiam extrinseci, denegationem, vt sæpè diximus, atque de omnipotentia ostendimus. Vnde iustitia à misericordia, ne formaliter quidem, & metaphysicè distinguetur: vnde non minus erit vera hæc propositio: *Deus, qua misereors punit, & qua iustus peccata remittit*: quam hæc: *Qua misereors peccata remittit, eaque qua iustus punit*, quod est paradoxon à Theologia merito explosum. Hæc, me iudice, summa in re præsenti, ac iuxta principia nostra difficultas.

6. Respondetur tamen, præcipuam difficultatem hic tactam, etiam in opinione aduersa admittente habitum in voluntate diuina ab hac formaliter, & metaphysice diuersum, locum habere: etenim facilitas, seu habitus ad honestè operandum vniuersalis, quæ moralis sanctitas Dei est, negari Deo nequit: in quo cum infinita in genere moris, & sanctitatis moralis facilitas, seu habitus, & propensio ad omne honestum formaliter indiuisibiliter cõtinetur, iuxta rationem, & paritatem omnipotentiæ: neque enim, sicuti nobis, Deo pro diuersitate materiæ diuersæ sunt difficultates in distinctarum virtutum exercitio diuersis habitibus expediẽdæ: vnde propositiones illæ obiectæ æque vtraque verificabitur, quare difficultas hæc non tam contra hanc conclusionem, quam contra illud nostrum firmissimum principium est: quod amplius patet: quia in Deo actus voluntatis vnicus, & indiuisibilis est circa seipsum, omnem in se perfectionem actuum voluntatis claudens, ad quem nulla impotentia volitiua difficultas est; sed summa potius necessitas. Item neque in hoc, vt ad hoc, vel illud obiectum virtutum moralium eademmet Dei volitio, sine vlla sui intrinseca mutatione extendatur, vlla difficultas, apparet habitu expedienda; sed sola ad summum extrinseca denominatio, & obiecti extrinseca positio additur, vt de liberis Dei actibus diximus controu. de volunt. licet pro hoc statu libertas hæc diuinorum actuum ad plenum inexplicabilis sit. Inde verò horum attributorum distinctio metaphysica ex parte obiecti pendet: quare ea libertate inibi pro nostro modulo explicata, & eorum distinctio opportunius, commodiusque explicabitur.

CERTAMEN II.

Nulla in Deo speciei impressæ ratio ab obiecti ratione metaphysicè diuersa admitti debet.

1. CVm duplex obiectorum diuinæ cognitionis genus sit, primarium nempe, eiusque adæquatum specificatiuum (quod Deum ipsum esse diximus) & secundarium, seu terminatiuum solum; de vtroque an ad sui cognitionem specie aliqua potentiam intellectiuam Dei adiuuet? vocari in quæstionem potest. Et nostèr quidem Arrubal. to. 1. disp. 31. c. 3. ad diuinam cognitionem, quatenus ad extrinseca & creata obiecta terminatur, diuinam omnipotentiam, tanquam principium ex parte obiecti determinans, & influens, nec solum terminans, concurrere, ac proinde munus speciei impressæ obire putauit: ita vt verum sit, Deum habere in se principium omnia creata cognoscendi, quia habet in se principium omnia producendi. Respectu autem cognitionis sui nullam speciei impressæ rationem in Deo recognoscit; sed solam rationem obiecti specificatiui, quam adstruxerat disp. 29. c. 3. vt. q. proxima referebamus; Ledesma. q. 9. de diuina perfect. a. 2. conclu. 3. de specie impressa respectu cognitionis diuinæ circa creata refertur sensisse in Deo esse rationem formalem repræsentatiuam creaturarum, quæ speciei impressæ rationem ad ipsarum cognitionem habeat: ita apud Pasqualigo disp. 23. sect. 2. num. 11. à quo etiam refertur Vazquez dist. 60. c. 2. & 3. & Arrubal disp. 30. c. 3. & 4. sed mala fide vterque recitatur, vt de Arrubale constat ex proxime dictis, Vazquez solam speciem expressam creaturarum in Deo agnouit. Referri verosimilius possent alij, qui in idea diuina omnipotentia, vel alio prædicato Dei cognosci ab ipso creaturas, docent: sed cognosci in alio tanquam medio diuersum est, atque cognosci per illud tanquam per speciem impressam, de cuius ratione non est, vt præcognoscatur. Circa cognitionem sui noster Granados 1. p. disp. 1. num. 9. respectu cognitionis sui in Deo veram speciei impressæ rationem admittit, quem Recentiores alij, non omnino Theologicæ rei ignari, postmodum in manuscriptis secuti sint: imo Vazquez etiam noster disp. 60. c. 1. n. 5. fine. Deo rationem speciei impressæ æquè, atque expressæ videtur tribuere; licet mihi exploratum non sit, an id ex propria sententia doceat, an, vt punctum propositæ ibi difficultatis resolutione expediat, cursim ea, quæ dici de Deo respectu suæ cognitionis, vtcumque possent, recensens. Atque extremum hoc mihi verosimilius circa eius mentem videtur: denique posset aliquis in Deo veram speciei impressæ realis virtualis, non formalis, rationem ponere, sicuti, & veram rationem potentiæ realis virtualis actiuæ, vt hæc ex parte obiecti in ordine suo realis virtualis actiuitatis compleretur.

2. Dicendum tamen nobis iuxta præfixum certaminis titulum primò est: non dari in Deo rationem veram speciei impressæ respectu cognitionis sui metaphysicè rationi obiecti primarij illius superadditam. Vt clarius huius conclusionis veritas ostendatur, statuendum est duplex solum munus intrinsecum, & essentiale speciei impressæ notum hactenus iuxta varias opiniones esse. Alterum iuuandi, & complendi potentiæ cognoscitiuæ actiuitatem: alterumque, vt aliqui volunt, determinandi indifferentiam potentiæ ad obiectum hoc potius, quam illud cognoscendum: vtrumque autem munus essentialiter supponit obiecti, pro quo in eis substituit, vel absentiam, ac distantiam, vel improportionem, vt se ipso ea munera obeat: vbi enim obiectum de se proportionatum, & accommodum potentiæ, satisque illi præsens, & coniunctum sit, species ipsius impressa, vt cognoscatur, omnino superflua iudicanda est, ac prorsus relegenda, vt constat ex his, quæ diximus latè controu. de speciebus impres. ad tract. de anima: vbi eam ob causam plurium, sensibilium etiam, obiectorum species impressas, vt à suis sensibus percipiantur, omnino reiecimus. Ex hoc autem notato facile, neque ex vno tantum; sed multiplici ex capite conclusio hæc prima suadetur.

3. Primo: quia speciei impressæ ratio, & essentia est obiecti non satis coniuncti, aut improportionati vicariam esse: atqui Dei essentia, nec magis distans, minusue coniuncta identice intellectui diuino est, minusue ipsi proportionata, quam species illa: ergo nequit esse vera vicaria species, adhuc metaphysice superaddita essentiæ Dei, vt hæc ab intellectu diuino percipiatur. Sed dices: essentiæ Dei vere conuenire munera dicta speciei impressæ, vt fatemur: ergo eius ratio vere datur in Deo. Sed rogo, an conueniat essentiæ Dei vere pro se ipsa substituere, ac sui vicariam vere, ac sine vlla fictione nostra esse? Erit enim mirabile aliquid sui vicarium substitutum, ac delegatum vere, & realiter esse. Hoc autem argumen-

tum solum contendit essentiam Dei (& idem est de quouis alio prædicato diuino) non posse sui ipsius verè, ac reipsa vicarium, & substitutum esse, ac proinde neque speciem impressam ad sui cognitionem. Dices secundo: eorum munerum rationem esse extra conceptum essentiæ metaphysicæ Dei, quæ sola ratione entis, seu substantiæ à se continetur, in quo esse determinatiuum intellectus diuini ad sui cognitionem non clauditur: ergo est ratio superaddita essentiæ metaphysicæ Dei: ergo & speciei ratio est Deo superaddita. Negatur tamen secunda consequentia: licet enim ea ratio superaddita sit prædicato entis à se; est tamen ratio obiecti, seu veri, vt de se patet: vltra hanc vero rationem quæritur in Deo detur speciei impressæ ratio: quam non dari ostendimus, quia suimet vicaria ad sui cognitionem essentia diuina vere, ac sine mentis fictione esse non potest.

4. Probatur secundo conclusio: quia speciei impressæ, hactenus notæ ratio essentialis est iuuare, complere, ac determinare actiuè physicè potentiam cognoscentem, vt verior, & communior sententia fert. Inde verò duæ aliæ probationes obueniunt. Prima quod partialem actiuitatem ad obiectum, siue physicam, siue intentionalé, atq; indeterminationem ad obiecti cognitionem in potentia supponat: atqui indeterminatio hæc, & partialitas, seu inadæquatio actiuitatis ad cognitionem obiecti, & imperfectio ex parte potentiæ intellectiuæ est, quæ in Deum cadere nequit, qui omnino perfectam, & adæquatam potentiam necessario habet, estque determinatus ad cognoscendum quidquid est cognoscibile etiam in particulari: ergo Deo repugnat species. Nec valet: actiuitatem, & determinationem speciei se tenere ex parte obiecti; non autem ex parte potentiæ: quare hanc in sua linea adæquatam perfectissimam, & determinatam esse posse, etsi ex parte obiecti, in eiusque linea ab specie impressa iuuetur, ac determinetur: quemadmodum licet voluntas diuina ex parte potentiæ adæquata, & perfectissima sit, tamen non respuit iuuamen cognitionis sui obiecti, vt in illud feratur. Contra tamen: quia, licet in creatis eæ duæ lineæ actiuitatis sint respectu cognitionis, est quia partialitas, & indeterminatio ad cognitionem obiecti potentiam creatam non dedecent, sicut dedecent diuinam: ast, cum ratio principij productiui intellectionis sit ratio potentiæ intellectiuæ si adæquatum principium non sit, in sua linea inadæquatum principium erit: linea vero obiecti à linea potentiæ intellectiuæ diuersa est linea terminandi, & mouendi tanquam medium, aut motiuum ad sui, vel alterius obiecti cognitionem: in quo nulla actiuitas, seu ratio principij intellectionis actiui adest. Paritas ex iuuamine voluntatis ab intellectione sui obiecti nulla est: quia ad amorem cognitio obiecti actiuè non concurrit, vt docuimus tract. de anima. controu. de volunt.

5. Ex eodem principio rationis essentialis speciei impressæ iuuandi scilicet, & complendi, ac determinandi incompletionem, & indeterminationem potentiæ sic infero secundo (eritque tertia nostræ conclusionis probatio) ergo vbi physica productio, & actiuitas ad cognoscendum est repugnans, repugnat etiam ratio, & essentia impressæ speciei. Dices primo: etsi in Deo non detur potentia intellectiua actiua physice cognitionis: ast per nos dari vere actiuam intentionaliter: ergo dari poterit ratio comprincipij ex parte obiecti vere intentionaliter actiui. Et speciei impressæ, etsi primam consequentiam admitteremus, negare possemus secundam; quia id totum per se, nec per sui substitutum, essentia Dei ad sui cognitionem solummodo præstare posset iuxta argumentum primum. Sed tamen, vt hoc secundum persequar contra est: quia, licet intentionalis actiuitas intellectus diuini ad cognitionem secum identificatam, admittatur, ideo tamen admittitur, quia principium vitale est, vt Deus intellectione vere viuat: ast ex concursu obiectiuo, qui ex se vitalis non est, non viuit Deus: ergo is, neque eius principium obiectiuum vere actiuum, adhuc intentionaliter admitti potest respectu intellectionis cum ipso vere identificatæ. Contra secundo: quia nulla vera actiuitas intentionalis, vltra vitalem (quæ in Deo, vt obiecto esse nequit) eiusdem ad se ipsum esse cogitariue potest, vt supra ostendimus Deo vt obiecto veram respectu cognitionis sui prioritatem negantes.

6. Dices secundò, admitti à nobis in notabili probationibus his præmisso eam opinionem, licet minus probabilem, & communem: quod, scilicet, munus speciei impressæ non sit determinare potentiam actiue, sed solum extrinseca obiecti sui propositione. Sed, licèt hæc sententia, sola sui propositione, suam satis falsitatem prodat, satisque à nobis confurata sit controu. citata de speciebus impressis; in ea tamen vel maxime vrget argumentum nostrum primum: quia, si sola extrinseca obiecti positione ac propositione indifferentia potentiæ cognoscitiuæ determinatur sufficienter ad illud cognoscendum nullo alio quam obiecti proportionati positione, & coniunctione opus erit. Secundò determinatio potentiæ cognoscitiuæ pura per speciem ad hoc potius, quam aliud obiectum percipiendum supponit essentialiter indifferentiam potentiæ ad ea cognoscenda: atqui ea indifferentia in intellectu diuino ad se, vel aliud cognoscendum non est: ergo neque speciei ratio potest esse. Maior est per se nota. Minor probatur: quia intellectus diuinus determinatus de se est ad Deum, non autem indifferens ad Deum, vel obiectum aliud primò cognoscendum; quin nullo alio modo alia à se cognoscere potest, nisi quatenus se primariò cognoscit, atque inde eius cognitio infinita, ac omnis cognoscibilis repræsentatio formalis, & species expressa euadit, ita vt sola cognoscibilium reliquorum positione sine vllo intrinsecæ repræsentationis augmento, aut intentionali noua elicientia cognitionis diuinæ ea formaliter intellectui diuino, siue Deo formaliter intentionaliter repræsententur: denique terminatio, & specificatio cognitionis à nullo obiecto per speciem sui, sed se ipso formaliter exrinsece præstatur: id autem solum Deus respectu suæ cognitionis muneris obit.

7. Dico secundo: Non datur in Deo ratio veræ speciei impressæ virtualis ad sui intellectionem. Conclusio hæc neminem aduersarium habet: ne autem aliquem deinceps habeat, proponitur, & probatur: quia, vt ostendimus q. 3. cert. 3. actiuitas virtualis, siue ex parte obiecti siue potentiæ (de qua eo loci agebamus) sine distinctione virtuali virtutis ab effectu esse non potest: inter Deum autem obiectum, suique cognitionem necessariam distinctio realis virtualis nullatenus intercedit: quare neque ratio actiuitatis obiectiuæ, siue ex parte obiecti esse poterit: vnde neque speciei impressæ ratio. Vide quæ citato loco contra similem actiuitatem ex parte potentiæ intellectiuæ pro simili argumento proposuimus. Vt autem virtualem actiuitatem obiectiuam siue speciei impressæ, rationem respectu contingentis cognitionis Dei, siue contingentium obiectorum euertas; vide quæ in simili de potentia actiua virtuali respectu contingentis cognitionis diximus citato certam. 3. Nec refert rationem speciei impressæ virtualis non actiuitatem virtualem; sed veram virtualem determinationem potentiæ ad Deum cognoscendum potius, quam obiecta alia importare: tum quia vbi determinatio vera realis formalis in ipso obiecto, imò & in intellectu diuino est, vt concl. 1. ostendimus, frustra virtualis determinatio speciei, metaphysice adhuc; superaddita admitteretur.

8. Dico tertiò contra Arrubalem: diuina omnipotentia non habet rationem speciei impressæ respectu cognitionis diuinæ, quatenus creata repræsentæ. Probatur facile; quia id tantum est species impressa, quod, vel adiuuat, vel determinat, siue actiue, siue aliter potentiam cognoscentem ad cognitionem, seu repræsentationem formalem intentionalem obiecti: atqui omnipotentia, qua talis, formaliter, non adiuuat, nec determinat, siue actiuè, siue aliter potentiam ad cognitionem, seu repræsentationem formalem creaturarum: ergo non est species impressa respectu cognitionis earum. Minor (de qua solum dubitare aduersarij possent) suadetur; quia, vt suprà ostendimus, ipseque Arrubal fatetur, obiectum primarium specificatiuumque adæquatum diuinæ cognitionis, & repræsentationis, quantæ quantæ in ratione cognitionis, & repræsentationis quoad intrinsecum infinitæ, est (si metaphysicè loquamur) essentia metaphysica Dei, physicè autem, & identicè diuina omnia, seu simplicissima entitas Dei, diuina omnia indiuisibili identitate continens, ergo non magis omnipotentia, qua talis, quam immensitas erit species impressa Dei ad creaturarum cognitionem, physicè loquendo; metaphysicè autem sola essentia Dei erit. Secundò vrgentius: Et si ea omnia, physicè

physicè loquendo, totum, quod cognitionis intrinsecæ Deo est, etiam quatenus ad creata extenditur, ex parte obiecti adæquati diuinæ præsentent cognitioni; id tamen non præstant, vt species impressa; sed, vt obiectum primarium, & specificatiuum adæquatum diuinæ cognitionis: ergo nihil diuinum se gerit, vt species impressa cognitionis diuinæ creaturarum. Secundò probatur eadem minor; quia omnipotentia, qua omnipotentia formaliter adæquatè, est virtus productiua solum ad extra, in quo nullus respectus, nedum actuitas, seu determinatio intrinsecæ cognitionis Dei continetur.

9. Secundo esse principium producendi, non est esse principium obiectiuum cognoscendi: ergo nec in Deo esse principium omnia producendi est esse principium obiectiuum omnia cognoscendi. Antecedens est certum: alioqui omnis causa esset species impressa ad cognitionem sui effectus. Secundò, quia alioqui, cum Deus causa adæquata omnium possibilium non sit (siquidem plura sunt, quæ essentialiter à causis secundis etiam dependent, vt patet in actibus omnibus vitalibus, atque actionibus omnibus eductiuis) Dei omnipotentia non esset adæquata species cognitionis eorum, vt Arrubal contendit; sed insuper causæ creatæ, siue actuales, siue possibiles ad speciei impressæ diuinæ cognitionis creatorum totalitatem, contra Arrubalis doctrinam, adnocatentur. Nec refert, eas etiam creatas causas in diuina omnipotentia contineri, vt supra q. 5. cert. 3. dicebam: vel enim eis proximè iuuatur, vt per modum speciei impressæ respectu cognitionis diuinæ, quatenus circa eos versatur effectus, se gerat, ac iam creatis causis: etiam ratio speciei impressæ ad cognitionem eorum creatura completur contra te, Deusque creata specie partiali egeret. Vel non iuuatur: & tunc specialis ratio actuum vitalium, & actionum quatenus à creata causa sunt, vel actu, vel possibiles in omnipotentia, à qua secundum eam rationem non sunt, species proxima, ac proxime vt species concurrens, omnipotentia non esset; licet esset species ad causas illas creatas videndas, quarum adæquatum proximum principium est. Si, iuxta rationem potentiæ, & connexionis creaturarum, ratio speciei Deo in sua omnipotentia concedi debeat, vt iuxta hunc philosophandi modum debet concedi: Consequentia prima patet in hoc discurrendi modo. Si enim ratio principij ratio speciei non sit, ratio principij omnium, ratio speciei impressæ omnium plane non erit. Diuina ergo omnipotentia ad futurorum cognitionem diuinam requiritur, quatenus eâ ponit, ponetue in rebus: quare, vt obiectorum baiula, non vt impressa species: respectu vero possibilium, vt terminus extrinsecus, & præsuppositus possibilitati eorum solummodo. Imo, cum respectu futurorum determinatum principium omnipotentia non sit; sed decreto diuino determinetur, atque species obiecti ad illud præ alio cognoscendum aliquo modo, siue actiue, siue alias, debeat determinare, nescio quo pacto species impressa eorum cognitari queat.

10. Denique nihil diuinum speciem impressam cognitionis creaturarum esse posse probat generaliter ratio, quam contra Arrubalem dedimus num. 7. secundo probatur: quia quidquid illud diuinum sit, vel determinat Deum ad creaturarum cognitionem vt cognitum: sicque non species, sed medium ad illarum cognitionem erit: species enim non determinat ad sui obiecti cognitionem, vt cognita, sed medium cuius determinatio eo à determinatione speciei differt, quod hæc incognita, illud vero nonnisi vt cognitum ad obiecti determinat cognitionem. Si dicas diuinum illud, quodcumque sit, incognitum determinare ad creaturarum cognitionem: primo rem dices inauditam: secundo, æque primo Deus cognosceret creaturas, ac seipsum: vnde & hæc obiectum primarium, & specificatiuum diuinæ cognitionis, quoad intrinsecum eius, forent. Tertiò, cum speciei determinatio necessaria, ac non libera ad obiecti cognitionem sit, etsi creaturæ deficerent, ac repugnarent, ad earum cognitionem determinaret, scientiaque Dei falsa esse posset: neque enim tunc diuinum illud deficeret, cum ab eis non pendeat.

***

DISPVTATIO III.

De obiecto increato scientiæ Dei vt Deus de facto est.

STATVTIS diuinæ scientiæ existentia, eiusque principiis, & obiecto intrinseco necessario examinatis, iam ipsius obiecta omnia, etiam extrinseca vniuersim examinanda, & statuenda sunt: sed quoniam Deum præcipuum primarium, & specificatiuum adæquatum esse diximus, atque aliquatenus de secunda probauimus, non tamen ita fuse, vt tanta veritas requirit: atque alia circa Dei scientiam erga seipsum, tanquam purè terminum suæ cognitionis examinare accurate oporteat: & primum illud statuendum paulo firmius hic est, & reliqua alia, quæ respectu Dei ipsius, tanquam termini pure talis, occurrere possunt examinanda. Nulla tamen habenda hic ratio de Deo tanquam specificatiuo, nec de determinatiuis, seu mediis, in quibus, vel Deus totus, vel diuinum aliquid attingi à scientia Dei, tam respectu sui, quam respectu obiectorum creatorum possunt. Huius generis sunt: an scientia Dei libera sit, an necessaria? & respectu quorum? secunda, vnde ei libertas, vel necessitas adueniat? in quoue consistat? & similes, quas commodius suis locis definiemus. Ergo hic disputabitur: an Deus totus, siue secundum omnia metaphysica necessaria, quæ in Deo de facto sunt, cognoscatur? Secundo: an cognitione sua circa sua præscindat. Tertio: an etiam secundum libera omnia versetur? Quarto: an etiam vt aliquo modo futura? Quinto: an scientia Dei circa Deum totum, vel circa aliquid illius scientia formaliter, ac metaphysice reflexa, licet physice eadem, cognoscatur?

QVÆSTIO I.

An Deus totus, siue secundum omnia necessaria, quæ de facto habet à seipso cognoscatur?

VIDIMVS d. proxima. q. vlt. Deum obiectum terminatiuum esse suæ cognitionis, imo & specificatiuum adæquatum illius: quorum vtrumuis Deus à seipso cognosci supponit: imo inde obiectum proprie esse, contra nonnullos ostendimus, quod certo se cognoscat. Hoc ergo suppositum probationum nostrarum stabiliendum hic est, primo vniuersim, deinde secundum prædicata omnia necessaria, quæ in Deo de facto sunt, singillatim.

CERTAMEN I.

Deum se cognoscere certum de fide atque ex naturali ratione est.

1. PRæstitutam veritatem de fide probant in primis quæ d. 4. q. 1. cert. 1. nu. 2. Deum omniscium ex scriptura monstrabunt. Cum enim Deus aliquid, imo principalissimum omnium ens, longè, imo infinite, reliquis perfectius, veriusque sit, non solum ea vniuersali propositione, qua scriptura omnium scientiam in Deo adstruit, absolute; sed & principalius continetur. Secundò specia-

tim

ciatim hæc veritas expresse traditur Math. 11. *Nemo nouit filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius:* 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, idque non solum authoritate, sed & ratione à pari docuit iterum Paulus inferius illis verbis: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei.* Tertio probatur eadem veritas ex pluribus locis veteris testamenti, quibus Deus de se suæque voluntatis decretis, siue vindicibus, siue misericordibus testatur. Quartò ex Prophetis omnibus, quibus tam in veteri, quam in Nouo Testamento aliquid de se, suisque attributis reuelauit: neque enim fieri vsquam potest, vt quis sibi ignota alteri reueleret. Quinto ex dogmatica veritate processionis Verbi à Patre e sui cognitione, & Spiritus Sancti ab vtroque ex mutuo vtriusque amore; qui tamen absque præuia Patris, filiique cognitione haberi non potest.

2. A ratione insuper eadem veritas demonstratur: & primo duplici ratione à Paulo secundo loco tacta. Altera est: quia nemo æquè alterum, ac semetipse cognouit: atqui nos Deum absolute imo euidenter cognoscimus: multo ergo melius, longeque perfectius seipsum cognoscet Deus. Altera vero est: quia intellectiuum omne seipsum cognoscit, ac intelligit, vt experimento patet in nobis omnibus: vnde, vt aliquid aliud cognosci à nobis, certoque cognosci testemur, dicere solemus: *Hoc æque ac me ipsum noui*: Hispane: *Conoscolo como ami mesmo*: atqui Deus intellectiuus est, vt supra demonstrauimus: ergo se ipsum nouit Deus. Tertia ratio est: quia Deus beatus est; atqui rationalis (vt Deus est) suppositi beatitudo stat in Dei summi boni perfecta cognitione, seu visione, siue in eius fruitione, quæ visionem, seu cognitionem perfectam eiusdem boni essentialiter suppont: ergo Deus perfecte summum bonum, quod ipsemet, est cognoscit, ac videt. Maior est euidens ac supra demonstrata. Minor autem est omnium Philosophorum, & Theologorum sententia (si ex Philosophis pauculos crassiores, & epicureos, vel potius pecudeos excipias) vt controu. de Beatitudine nostra vidimus: quare & ratione naturali euidens censeri debet.

3. Quarta ratio sit: quia Deus se amat, vt controu. de volunt. demonstrabitur: ergo & sese Deus intelligit. Consequentia est euidens ex illo notissimo principio: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Quinta ratio: quia Deus omniscius esse debet, nec alicuius veri, & cognoscibilis ignarus: atqui Deus aliquid verum, & cognoscibile est, imo ex veris perfectissimum: ergo sui conscius, ac se ipsum cognoscens esse debet. Maior est certa, & euidens, nam aliquod scibile ignorare imperfectio explorata est. Minor æque certo, & euidenter est nota: tum, quia à nobis Deus cognoscitur, & verè cognoscitur, licet imperfectè cognoscatur: tum quia est ens perfectissimum, & summum, & per cuius analogiam reliqua entia & sunt, & dicuntur: vtpotè ipsius entia per participationem: ergo & summum verum, & vere cognoscibile. Patet: quia veritas positiua, quæ stat in positiua, nec solum apparente, soliditate essendi necessaria passio metaphysica entis est. Sexta ratio ex hoc sumitur, quia summum verum, summeque intelligibile ad summe intellectiuum maxime spectat: imo, ni summe intellectiuæ potentiæ esset, summe intelligibile esse non posset: atqui Deus solus summe intellectiuus est: ergo intra eius intellectiuitatis, vt sic loquar, sphæram obiectiuam Deus ipse est. Antecedens est euidens: nam vere intelligibile virtutis alicuius intellectiuæ, siue ab aliqua virtute intellectiua vere intelligibile est: ergo summe intelligibile à summa aliqua virtute intellectiua intelligibile est, quæ quidem in solo Deo esse potest.

4. Septima ratio: quia, vt dicebamus d. 3. q. 5. cert. 2. scientia, & cognitio diuina summe necessaria est, nec sine aliquo obiecto æquæ necessitatis, quod attingat, ac repræsenter, esse potest: ergo Deus sua cognitione sibi repræsentatur, & à seipso cognoscitur. Probatur consequentia: quia, vt vidimus citato loco, solus Deus obiectum cognitum æquæ necessitatis cum sua scientia, & cognitione est. Octaua ratio ex eodem principio desumitur: quia, cum cognitionis essentialis perfectio, & magnitudo non ex potentia solum, sed ex obiecto pensanda necessario sit: cum vtrumque æque primo essentialiter indiuisibiliter concernat: infinita cognitio non solum principij, seu facultatis intellectiuæ; sed obiecti, in quod feratur, quodque repræsentet, infinitatem requirit; sed scientia, & cognitio Dei infinita essentia, & concepta suo esti: ergo infinitum essentia sua, non solum principium, sed obiectum, quod repræsentet, necessario habet: atqui obiectum essentia sua infinitum solus Deus est: ergo hunc attingit, & repræsentat Deo essentia sua cognitio diuina: quare & sua scientia se cognoscit Deus. Nona ratio: quia Deus verum ens est, & vere cognoscibile est sufficienter proportionatum in entitate, spiritualitate, & perfectione, atque insuper sufficienter coniunctum potentiæ intellectiuæ diuinæ: ergo & ab illa cognoscitur; alioqui hæc non summe intellectiua, & infinita in sua linea erit; ac proinde nec diuina. Decima ratio: quia Deum se cognoscere perfectio, sine imperfectione est: ergo Deo concedenda.

CERTAMEN II.

Deus secundum se totum quoad diuina omnia coniunctim à seipso cognoscitur.

1. PRima ex præpositis conclusionibus est: Deum seipsum secundum se totum, & secundum omnia diuina necessaria coniunctim, & identice sumpta se cognoscere. Probatur primo ex locis scripturæ recitatis cert. 1. Ratione vero probatur: quia ita sumptus Deus verum quid est, & cognoscibile: ergo à se (à quo nihil potest ignorari ob suæ virtutis intellectiuæ, atque intellectionis infinitatem) cognoscetur. Confirmatur: quia cognosci obiectum eo modo esse, quo reipsa necessario est, ita vt reipsa aliter esse nequeat, est perfectissimus modus cognoscendi illud: atqui Deus totus idem secundum omnia diuina necessaria reipsa necessario est, ita vt aliter reipsa esse nequeat: ergo cognosci Deum totum secundum diuina omnia necessaria eundem, & indiuisum, est perfectissimus modus cognoscendi illum. At vero Deo perfectissima cognitio, etiam quoad modum cognoscendi obiectum tribuenda est: ergo Deus se totum secundum omnia necessaria eundem, & indiuisum cognoscit. Maior adeo est certa, vt plures existiment cognitionem rei omnino physicè eiusdem secundum aliquod prædicatum præcisum ab aliis, cum quibus reipsa identificatur, esse chimæricam: alij vero imperfectionem nostri modi cognoscendi, pro hoc statu saltem esse: quare id non Deo solum: sed beatis etiam, & rem intuentibus, impossibilem physice, vel saltem indignam.

2. Probatur inde secundo: quia (quidquid sit de his opinionibus, quibus non assentior) Deum seipsum cognoscere certissimum est: ast cognosci Deum vt præcisum à suis necessarijs prædicatis, & attributis sub lite est: ergo quod sub lite non est, est Dei, vt reipsa est idem cum illis, à se ipso cognitio. Probatur tertio: quia infinitas cognitionis Dei, imo & essentia saluari nequit, nisi Deus seipsum cognoscat, vt d. 3. quæst. 5. certam. 2. atque hic certam. 1. num. 4. docebamus. Cum autem sub lite sit, an aliter, quam, vt reipsa est, cognosci à se ipso Deus possit? ita à se ipso cognosci fixum statumque esse debet. Probatur quarto: quia, etsi perfectissimus modus cognitionis Dei tanquam obiecti non esset cognoscere Deum totum, vt reipsa est secundum omnia necessaria secum identificata; ast ita illum cognoscere perfectio est sine imperfectione, Deoque subinde concedenda: imo vero cum sic sit verum ens cognoscibile intellectiuæ Dei virtuti proportionatum, satisque applicatum, vt dicebamus cert. 1. n. 4. à Deo cognoscetur: ni in eius virtute intellectiua defectum, limitationem, & imperfectionem admittamus. Probatur vltimo: quia Deus vt reipsa est secundum omnia necessaria secum identificata physicum bonum, & amabile est: imo summum verum bonum, de factoque à se ipso amatum: ergo & ita est à seipso cognoscibile, & de facto cognitum, cum nihil amabile sit,

sit, quin eo modo quo amabile est, sit ab ipso cognoscibile, & cognitum eo modo, quo amatum iuxta fixum illud Philosophis, & Theologis axioma.

3. Secunda conclusio est; Deum in seipso cognosci est omnium, certaque conclusio: licet enim an Deus se in, vel ex creaturis cognoscat? quæstio celebris apud Recentiores sit; in se autem cognosci etiam à nemine negatur: quin, vt certum à plerisque supponitur, etiam ab his, qui in alio, scilicet in creaturis, cognosci rursus defendunt, de quo postmodum d. 5. per otium agemus. Probatur conclusio primo: quia Deus secundum se, & in se intimè, atque independenter à quouis alio habet veritatem entitatiuam: imo, vt nuper aiebam, reliqua omnia solum habent veritatem à Dei veritate entitatiua participatam, veraque analogicè solum sunt, relate ad principale analogatum verum, scilicet Deum: atqui reliqua extra Deum, quia in se, & secundum se vera sunt, atque veritatem analogicè, ac non strictissima, & propriissima significatione habent, in se ipsis à Deo cognoscuntur: ergo potiori iure à se in seipso cognoscetur Deus.

4. Probatur secundo: quia de ratione infinitæ, & omnicognoscitiuæ virtutis est de se, & à se ad omnis veri cognitionem habendam determinatam esse: ergo non eget alio determinatiuo, quam veritatis, seu veri positione: quare, cum summum verum Deus necessario sit, nec determinatiuo alio extrinseco eget, vt in ipsum feratur, illumque cognoscat, quod ipsum est in se ipso, à se ipso cognosci Deum. Denique, si in seipso Deus se non cognoscit: sed in alio à se: vt se cognosceret, egeret determinatiuo extrinseco alio: quare, si creata omnia repugnarent, Deus se non cognosceret: ac proinde non esset scientia Dei summe necessaria, maiorisque constantiæ, quam possibilia creata: quod est absurdum. Adde nec fore infinitam cum ab aliquo finito, & creato ex parte obiecti, & principalius, quam à se, in linea illa obiectiua penderet. Contra has conclusiones nihil est, quod vel leuiter, pugnet, diluendum: quod enim difficultatem aliquam præ se fert ex eo quod ad seipsam scientia feratur, seque cognoscat, quod videtur impossibile, diluimus citata quæst. 5. An vero metaphysicè scientia alia supra scientiam directam reflexiua metaphysicè ab illa diuersa assignanda sit? q. vlt. de actibus liberis difficultas communis est cum cognitione extrinsecorum contingentium; quo scilicet pacto eius scientiæ constantia cum obiectorum contingentia consistat, cui eo loco fiet satis.

QVÆSTIO II.

An Deus sua omnia necessaria singulatim, ac præcisiue alia ab aliis cognoscat?

DVPLICITER aliquid videri totum, seu totaliter potest. Primò implicite, quin partes singulatim attendamus: Secundò explicite singula, quæ illud quoquomodo, constituunt, videndo. Primo modo Deum à seipso videri ostendimus quæst. 1. de secundo modo præsens quæstio instituitur. Licet enim Deus vnissimus simplicissimusque sit; metaphysicè pluribus constat, essentia nimirum, attributis, & personalitatibus.

***

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ referuntur, & expenduntur.

1. QVæstionem hanc inde omnino Murcianj, & reliqui Recentiores dirimendam putant, quod scilicet visio possit, vel non possit in obiecto viso vnum prædicatum ab alio, cui identificatur, ex parte obiecti præscindere; ego vero aliunde quæstionem dirimendam reor. Imo in opinione negante vniuersim præcisiones obiectiuas, etiam per abstractiuam cognitionem, atque formales solumnodo admittente, asserendum omnino esse cognitionem Dei, quatenus ad omnipotentiam tendit, non esse metaphysicè eandem cum cognitione Dei, quatenus ad essentiam, iustitiam, vel aliud quodpiam attributum attendit: ac proinde in Deo dari cognitionem veram circa vnum attributum diuinum, quæ metaphysicè diuersa sit à cognitione Dei, quæ versatur circa attributum aliud, ita vt cognitio Dei ex pluribus partialibus cognitionibus, quarum singulæ singula præcise formaliter repræsentet, totaque Dei erga seipsum cognitio compositione formali metaphysica, (quæ sola in ea sententia esse potest) ex eis omnibus compingatur: non secus atque è suis prædicatis essentiæ, & attributorum in eadem sententia componitur Deus.

2. Ratio est conspicua: quia in ea opinione prædicata metaphysica rem physicè eandem metaphysicè constituentia, non aliter diuersa metaphysicè sunt, quam conceptione rei physicè, & ex parte etiam obiecti eiusdem in ordine ad connotata diuersa? cum autem cognitio Dei, quæ fertur in essentiam, feratur in obiectum formaliter metaphysicè diuersum, (eo modo, quo in hac opinione formaliter solum præscindentium diuersitas metaphysica esse potest) ab omnipotentia, immensitate, & aliis: quod insuper diuersa habeat etiam cõnotata tam proxima, quam remota ab eis, ad quæ eadem realiter cognitio quà omnipotentiæ est, refertur: quare nequit non ab ea metaphysicè distingui, modo distinctionis metaphysicæ in opinione formaliter solum præscindentium possibili.

3. Respondebis ex Murcianis cognitionem intuitiuam obiecti è conceptu intuitiuæ in totum obiectum indiuisibiliter ferri: quare cognitionem intuitiuam in eius vnam formalitatem, & in ordine ad vnum connotatum, seu prædicatum eiusdem rei visæ esse chimæricam, & fictitiam. In primis solutio hæc falso supponit eum esse intuitiuæ cognitionis, seu visionis essentialem conceptum, vt vidimus controu. de Trinit. & controu. de Incarnat. & fusius controu. de actibus intellectus tract. de anima. Secundo, vt ea solutio in præscindentibus ex parte obiecti etiam verum haberet, secus in præscindentibus solum formaliter, sicque solum diuidentibus metaphysicè rei eiusdem physicè metaphysica prædicata. Hi enim è sola diuersitate connotatorum prædicata rei, conceptusque obiectiue formaliter metaphysicè diuidunt: quare implicat rem, seu conceptum obiectiuum vnum posse concipi à nobis in ordine ad connotatum diuersum ab alio, ad quod idem metaphysicè, & obiectiue referri potest, atque è conceptu suo formali essentiali metaphysico ad vtrumque, vel plura (si plura habere possit) formaliter indiuisibiliter referri, vt patet. Secundò in hac sententia formaliter solum præscindente discrimen illud visionis intuitiuæ, & abstractiuæ cognitionis non est: cum neque cognitioni abstractiuæ aliquid rei, non cognito alio, admittatur, esto in sententia præscindentium obiectiue, quam illi, sicut nos, sequuntur, locum habeat.

4. Cæterum in hac præscindentium obiectiue sententia, qui visioni etiam præcisionem obiectiuam æstimant possibilem, per consequens reputant Dei scientiam singula, & omnia prædicata diuina præcisiuè etiam, ac seorsim repræsentare: quare Deum à se non implicite solum; sed explicite secundum partes sui metaphysicas totum cognosci. Probant: quia eo admisso principio, nihil videtur obstare, quominus intuitiua Dei scientia ad

vnum prædicatum diuinum feratur, quin ei, quatenus ad illud tendit, ex parte obiecti aliud occurrat: sicque ex partialibus metaphysice scientiis pro partibus, seu prædicatis metaphysicis, quibus Deus metaphysice constat, scientia etiam Dei metaphysice confletur; quin, cum eiusmodi metaphysica prædicata diuina vera in se, & secundum se, & cognoscibilia mutuò independenter ab aliis sint, eo etiam modo à Deo cognosci debere, qui omnes & singulas veritates, & modos cognoscibilitatis obiecti è sua infinita perspicacia, & cognitione attingere, & penetrare debet.

5. Ex aliis verò, qui præcisiones obiectiuas admittentes, eas tamen per solam abstractiuam cognitionem, non autem per intuitiuam fieri posse admittunt, consequenter asserendum existimant, non posse in Deo dari verum scientiæ diuinæ conceptum, qui non in totum Deum, eiusque omnia prædicata simul ex parte obiecti repræsentatum feratur: quare neque ex parte obiecti per partes sui, siue prædicata metaphysica singulatim, ac seorsim præcisiue cognita Deum totum à se cognosci posse. Ratio est, ex qua nuper argumento nostro numeri secundi responderi posse dicebamus n. 3. si enim de visionis, seu intuitiuæ cognitionis essentia, & conceptu specifico est in rem, omniáque prædicata indiuisibiliter ferri: circa vnum veram, ac non fictam, visionem, quin in alia omnia, ferri prorsus repugnat: quare & diuinæ scientiæ, quæ intuitiua essentia sua est circa vnum Dei prædicatum seorsim, ac præcisiue sumptum ab aliis ferri prorsus repugnabit. Quæ solutio licèt in opinione præcindentium solùm formaliter locum non habeat, vt eo n. 3. ostendimus; in opinione tamen admittentium præcisiones obiectiuas per abstractiuas cognitiones suum locum videtur habere, vt ibidem notabamus, licet moderamen iam subiiciendæ opinionis tertiæ possit admittere.

6. Tertia sententia in admittentibus etiam præcisiones obiectiuas, non autem in rei visione, & intuitione, non omnino contemnenda esse potest. Dei scientiam, licèt non explicite totum Deum per partes omnes metaphysicas singulatim, & præcisiue alias ab aliis repræsentatas possit pertingere; ast posse illud per aliquas seorsim propositas Deo ipsi repræsentare: quia, licet non possit non omnia, quæ in Deo nullarenus, nec realiter, nec formaliter ex natura rei distinguuntur, ex prædicato essentiali, & specifico simul, atque indiuisibiliter pertingere: ast ea, quæ in Deo realiter virtualiter siue formaliter ex natura rei verè, iuxta illas opiniones separantur (vt personalia, & libera Dei prædicata ab eius prædicatis communibus, & necessariis) ritè, rectèque posse alia ab aliis seorsim vera Dei scientia præcisiue cognosci; quin intuitionis prædicato scientiæ Dei derogetur. Si enim verè, ac non fictè, alia, & alia res seu formalitas vnumquodque ex eis prædicatis sit, etsi vnum ex eis videatur sine alio aliter ac est, non videbitur: quod solum visioni, & intuitioni repugnat.

7. Nec satis est quod huic argumento Murciani respondebant recentiores: distinctionem nempe virtualem ex aliqua veritate Catholica, certaue theologicè inductam in ordine ad aliquod munus proprium distinctorum, in ordine ad aliud munus proprium distinctorum induci in diuinis non debere: quare, licet inducta sit distinctio virtualis, vel formalis ex natura rei inter necessaria Dei, & libera in ordine ad subeunda prædicata contradictoria defectibilitatis, & indefectibilitatis, defectionis, & non defectionis, atque inter communia, & personalia in ordine ad alia communicationis, & non communicationis; non tamen statim licere eam inter eiusmodi prædicata distinctionem admittere in ordine ad hoc aliud munus distinctorum proprium, *videtur & non videtur*: licèt illa alia contradictoria magis realia, & physica videantur: hæc verò realia intentionalia solum; ac proinde quæ minori reali physica distinctione indigeant.

8. Non, inquam, est satis. Primo: quia aliud est, quorum occasione distinctio in diuinis admittitur; aliud est ea ex occasione vrgente in diuinis admissa, quid consequens theologicè sit, statuere. Ratio facta distinctionem veram, & physicam inter ea diuina siue realem virtualem, siue formalem ex natura rei supponit aliunde inductam; indeque probat, vnam præcise ab alia videri posse, quin visionis naturæ derogetur, quia diuersa res verè, ac non fictè realiter virtualiter est; non autem quod alia contradictoria subeat. Si enim visionis essentia in eo cognitionis modo circa ea obiecta saluatur, nulla, neque respectu visionis, neque respectu obiecti est contradictio: quia circa idem omnino omniuera identitate, ac indistinctione reali non est. Secundo in præcisione obiectiua cognitionis siue abstractiuæ, siue intuitiuæ nulla est vera, & realis contradictio, vt vidimus controuers. de vniuersalib. in logica; ipsique Recentiores Murciani, qui nobiscum præcisiones obiectiuas tuentur debent fateri. Neque verò maior est contradictio in eo, quod idem physicè, & realiter intuitiuè cognoscatur, & non cognoscatur: atque in eo, quod cognoscatur, & non cognoscatur abstractiuè, vt citata controu. & aliis de Trinit. & Incarnat. ostendebamus.

CERTAMEN II.

Nostra verosimilior sententia stabilitur.

1. ETsi visio, & intuitio rei possit aliquod prædicatum illius, non cognito alio attingere, ac proinde ex parte obiecti præscindere, quin essentiali visionis conceptui, & quidditati derogetur; tamen censeo cum Doctoribus secundæ sententiæ; scientiam Dei erga seipsum (imò, & circa quoduis aliud obiectum) non posse vnum prædicatum Dei, siue personale, siue essentiale, & commune, siue contingens, siue necessarium, quod de facto in Deo sit, sine aliis omnibus coniunctim, atque indiuisim ex parte obiecti per eandem formaliter scientiam nec solum, realiter eandem, repræsentare: quare nec se totum explicitè, seu per partes metaphysicas singulatim cognitas, posse cognoscere Deum. Ratio huius conclusionis est: quia licet rationi visionis non obsit vnum rei prædicatum præcisiuè ab aliis rei eiusdem videri; obest autem scientiæ diuinæ intuitiuæ cuiusuis obiecti qua diuina est, vt enim sæpius diximus, scientia diuina, qua diuina, infinita per suam essentiam est per denegationem termini, etiam extrinseci, sicut cætera prædicata diuina: vnde fit (vt etiam sæpius diximus) non posse ex partialibus prædicatis scientiæ, adhuc metaphysice, conflari: sicut nec reliqua attributa ex homogeneis formalitatibus compingi, metaphysice poterunt.

2. Ex his autem duobus principiis nostris abundè probatis controuers. 1. duplex ratio confletur. Prima; quia si scientia Dei, quæ circa essentiam Dei est, non item esset circa omnipotentiam, aut aliud quodpiam prædicatum, quod in Deo est; sed circa vnumquodque scientia alia partialis metaphysicè admitteretur: iam scientia Dei adæquata ex metaphysicæ partialibus scientiis, ac proinde attributum diuinum ex partialibus formalitatibus homogeneis metaphysicè compingeretur contra statutum illud nostrum principium. Secundo: quia iam scientia Dei non esset è suo genere, & conceptu essentiali infinita, nec cui addi aliquid in suo genere aliundè non posset; vt infinitas diuina in quauis linea, & genere requirit. Neque enim Deus diuinaque prædicata infinita solum in suo quodque genere est: is enim infinitatis modus creaturis etiam conuenit: puta quantitati continuæ extensæ per partium infinitarum generis eiusdem additionem: discretæ per additionem infinitarum vnitatum: qualitati intensæ per infinitorum graduum speciei, seu generis, & rationis eiusdem. Verbi gratia, caloris, aut gratiæ adiunctionem. His enim infinita earum vnaquæque in suo genere, siue intra suum genus, apud admittentes earum rerum infinitum, euaderet.

3. Deus autem, diuinaque omnia non ita solum in suo quodque genere infinita sunt; sed ex genere, & conceptu suo essentiali infinita, quomodo nihil creatum, ac non diuinum infinitum esse potest, ac proinde scientia diuina, qua diuina, infinita non solum in genere scientiæ;

scientiæ; sed è genere suo esse debet: ac proindè omnis scientia, cuique nihil in ea linea, & genere scientiæ addi adhuc metaphysicè possit: ergo scientia hæc diuina erga ipsum Deum, vt vere diuina, ac non ficte diuina sit, è conceptu, essentia, & genere suo infinita, atque adeo omniscientia illius obiecti Dei esse debet: vel ergo non solum totus Deus physicè sumptus; sed quodvis eius prædicatum metaphysicum, vt præcisè ab aliis concipitur à nobis verum est, & cognoscibile, vel secus, si sic præcisè vnumquodque sumptum verum non est: ergo nullum ex eis seorsim scientia diuina repræsentatur: ac proinde, nec singulatim ea omnia à Deo cognoscuntur, nec se explicite per cognitionem partium, seu prædicatorum suorum metaphysicè à nobis distinctorum secundum se totum cognoscit Deus. Si autem vera omnia præcisè sumpta sint: ergo in ea omnia simul fertur diuina scientia metaphysicè vere sumpta, nec potest etiam qua scientia diuina concipi ferri in vnum, quin in aliud etiam positiuè feratur: ergo implicat ferri in vnum, præscindendo ex parte obiecti ab aliis: quare & concipi explicite totum Deum secundum omnia prædicata metaphysica singulatim.

4. Dices, ea omnia prædicata vere in Deo esse, cognoscique à nobis sine fictione vlla ex parte rei obiectæ: quare, & à Deo etiam cognosci ea omnia debere, licet simultate cognitionis diuinæ erga Deum quoduisue diuinum versante, non autem simultate ex parte obiecti: quemadmodum, licet ex prædicato diuinæ formaliter indiuisibiliter in extrinseca omnia feratur à Deo distincta; non tamen simultate ex parte obiecti; cognoscit enim Deus ea ex parte obiecti, & inter se, distincta esse, & à se ipso. Cæterum, cum obiecta alia reipsa ab ipso, atque inter se vere distincta cognoscit, locus est distinctioni simultatis ex parte cognitionis, & non simultati ex parte obiecti: quia hanc habent obiecta de esse, ac non cognitione inductam; in re autem eadem, & insectili (vt Deus totus est) eius prædicata de se distinctionem non habent, sed solum inducendam beneficio cognitionis, quæ vnum, non cognito alio, repræsentet: quare cognitione, quæ essentia sua omnia necessario repræsentat, nequit ex parte obiecti induci: siquidem per illam nequit vnum sine alio cognosci. Vnde idem est respectu obiecti eiusdem, & insectilis cognosci à Deo simultate obiecti, atque cognosci simultate cognitionis, vel è contra.

5. Secunda ratio specialis pro impossibilitate cognitionis diuinæ reliquorum attributorum ab essentia sumitur ex parte obiecti, inituturque alteri nostro principio, quod satis statuimus controuers. de Trinit. d. 6. quæst. 2. & hic controuers. 1. scilicet vnam solum veritatem, sicut & vnam entitatem essentiæ, adhuc metaphysicè, propriam in diuinis esse: quare essentiam diuinam solam esse ens, & verum neutre, & substantiuè; cætera verò siue personalia, siue communia esse entia, & vera adiectiuè metaphysicè solum, iure nimirum identitatis cum essentia à qua, & entitatem, & veritatem, essèque vera, & entia metaphysicè mutuantur. Inde verò fit, reliqua ab essentia in Deo, nisi ex identitate cum essentia vera positiue non esse, ac proinde neque vere cognoscibilia: ergo neque à Deo præcisa ab essentia, siue non identice cum illa cognoscuntur, cognoscique possunt: licet essentia, quatenus ex se est, sine illis cognosci à Deo posset, ni aliunde ex prædicato scientiæ diuinæ, vt diximus, repugnaret: quod obiici hic poterat ex fundamento illius tertiæ sententiæ memoratæ certam. 1. num. 6. (quod non omnino contemnendum esse, diximus) dilutum ex his nostris rationibus est: tum quia simul debent Deo repræsentari omnia diuina, etsi aliqua ab aliis distinguantur, vel ex natura rei, vel virtualiter: tum quia ex secunda hac ratione personalia, & contingentia præcisa ab essentia veritatem, & cognoscibilitatem respectu intellectus verè, ac non ficte cognoscentis non habent: tum præcipuè quia ea virtualis distinctio fictitia prorsus, & puræ rationis in diuinis est.

***

CERTAMEN III.

Difficiliorum obiectorum solutio.

1. INstabis adhuc: Deus cognoscit nostras cognitiones præscindentes ex parte obiecti sua metaphysica prædicata, atque repræsentantes vnumquodque ex illis præcise, quin aliud aliquid repræsentent: ergo, & cognoscit obiecta harum præcisionum, quatenus illarum obiecta sunt, & ab eis repræsentantur. Pater: quia cognitio sine obiecto, quatenus ab ea repræsentatur, cognosci nullatenus potest: vnde d. 4. q. vlt. certam. vlt. Deum cognoscere, ac subinde facere entia rationis, quæ nos confingimus, deducemus. Tum sic; obiecta eatum cognitionis sunt prædicata diuina omnia seorsim, ac præcise ab aliis cognita, seu repræsentata: ergo ita ea cognoscit Deus. Nec satis est cognitionem connecti solum cum eo, quod repræsentat; non autem cum eo, quod non repræsentat: quare, vt cognitiones nostræ præscindentes ex parte obiecti cognoscantur à Deo, opus non esse, vt negatio, seu præcisio obiectiua ab aliis Dei prædicatis cognoscantur; sed satis esse cognosci à Deo prædicatum præcisum, non tamen vt præcisum: quia licet eam præcisionem, seu negationem obiectiuam prædicati illius ab aliis diuinis intellectus apponat, & faciat, non tamen eam facit illam cognoscendo; sed non cognoscendo alia prædicata, cum quibus prædicatum illud idem reipsa est: ac proinde satis erit cognosci à Deo illud prædicatum; sed non cum præcisione obiectiua: quare bene poterit à Deo cognitio illa præscindens cognosci cognoscendo iustitiam non cum præcisione identitatis ab omnipotentia, quam, vt dixi, cognitio diuina nequit habere, cum omnia obiecti debeat è suo essentiali prædicato simul repræsentare.

2. Id autem obiectioni satis non esse dices. Tum: quia iustitia, vt identificata omnipotentiæ & reliquis diuinis, non specificat hanc nostram cognitionem præscindentem iustitiam ab eis; sed iustitiæ conceptus secundum se, ac seorsim ab aliis: ergo satis non est, vt nostra hæc cognitio præscindens cognoscatur à Deo, eam cognosci aliis identificatam. Secundò: quia in nostris principiis, Controuers. de vniuersalib. eo ipso, quod iustitia præscindatur à nobis, seu cognoscatur, non cognita omnipotentia, & aliis in statu obiectiuo, habet adiunctam carentiam identitatis cum omnipotentia, & aliis, quæ negatio, seu carentia impossibilis reipsa est, ac proinde negatio rationis, quæ vtique licet sine influxu nostræ rationis, seu cognitionis de ipsa fiat: quia negatiuum ens rationis influxu, vt sic loquar, positiuæ cognitionis de ipso non egeat; sed sola negatione cognitionis rei cum eo, sine quo esse nusquam potest: vti ad negationem physicam satis est actionis in rem, cuius est negatio, defectus; tamen hoc ens rationis negatiuum, seu carentia identitatis iustitiæ præcise, cum diuinis aliis cognosci debet à Deo non minus, quam reliqua rationis entia cognoscenda esse ab illo dicemus d. 4. quæst. vlt. non quidem ex necessitate eius negationis vt sic; sed ex necessitate cognoscendi omnem veritatem, quæ in Deo est. Nequit autem à Deo negatio illa obiectiua identitatis illius attributi, ac reliquorum cum aliis cognosci, quin vnum, & aliud à Deo cognoscatur, ac proinde vnum obiectiue, non aliud: quod & est præscindere, & distinguere sua prædicata, atque se totum explicitè per cognitionem suorum prædicatorum singulatim cognoscere.

3. Respondeo instantiæ primæ posset: cognitionem præscindentem prædicatum vnum Dei, aut cuiusuis alterius, ab aliis cum illo identificatis, non esse exclusiuam identitatis eius cum illis: quare neque minus recte concipi à Deo cum concipitur eius obiectum, ac simul res tota, & omnia illius identice cum illa, sed quoniam potest esse cognitio præcisiua negatiue excludendo identitatem obiectiuam illius prædicati cum aliis Dei, siue rei alterius, in qua idem omnia sua prædicata sunt. Respondeo vtrique instantiæ simul: Deum eas omnes obiectiuas negationes fictas

siue per cognitiones nostras præcisiuas vnius prædicati ab aliis, siue per præcisiones negantes cum aliis identitatem cognoscere; sed tamen eas non ad constitutionem veram Dei spectare; sed longe ab ea, & Deo esse, cum impossibiles, & pure rationis negationes sint; Deusque totus possibile, & reale quid necessariò essentia sua existens. Item similiter cognoscere ea omnia diuina simul, atque ea omnia esse reipsa idem: quare neque tunc præscindit ex parte obiecti, cum vnum non cognitis reliquis non cognoscat; licet cognoscat nos præcindere: quia vnum sine alio cognoscimus ac proinde nec sigillatim ea omnia cognoscit, nec se totum explicite.

4. Oppones rursum ex nostra doctrina controuers. de Trinit. d. 5. vbi statuimus Deum per se quarto modo è solius essentiæ cognitione procedere, quin pro eo signo diuinum aliquid, persona Filij, aut Spiritus Sancti, vt obiectum per se quarto modo præcedat: ergò pro eo signo diuinum aliquid à Deo scitur; cum tamen aliquid diuinum non sciatur. Id autem ipsum est, Deum circa sua præscindere sua cognitione. Secundò d. proxima. quæst. 5. certam. 2. essentiam solam Dei specificatiuum adæquatum scientiæ diuinæ esse, nihilque aliud diuinum: indeque ex parte obiecti infinitatem suam omnem trahere scientiam diuinam, vt reliqua omnia obiecta siue creata, siue increata exercite formaliter repræsentet: quod fieri, intelligique nequit, ni scientia diuina in essentiam præcise sumptam prius terminetur: ac proinde pro tunc præscindere ex parte obiecti intelligatur. Respondeo, neutram nostram memoratam sententiam præcisiuam essentiæ ab attributis, & personalitatibus cognitionem euincere. Obiectum quippe per se quarto modo processionis verbi cætera diuina ab obiecto scientiæ diuinæ, qua illud procedit, neque includit absolutè, neque excludit: sed designat id, ratione cuius Verbum procedit; & ex quo, etsi per impossibile cætera identificata illi deessent, æquè eodem modo procederet: quoque sublato, etsi per impossibile adessent cætera, nusquam Verbum procederet. Ad hoc autem opus non est, essentiam præcisè ab aliis diuinis cognosci: quod ipsum dictum puta de specificatiuo scientiæ diuinæ. Ad id enim muneris opus non est præcise ab aliis diuinis cognosci; sed tale esse, vt diuinorum, quæ simul, atque indiuisim repræsentantur, imo & creatorum cognitioni diuinæ infinitam tribuat ex parte obiecti repræsentationem: quia eiusmodi est, vt reliquis diuinis per impossibile deficientibus, aut ignotis ex illo solo obiecto cognito scientia diuina infinitatem traheret, quam ex aliis, si essentia deficeret, aut non cognosceretur, reliquis cognitis non traheret, imò nihil, ea incognita, cognosceretur. Indeque primarium obiectum eius scientiæ dicitur; non autem, quod vere hæc in illam præcisam prius terminetur, posteriusque natura in diuina alia. Ad illud de priori originis ad Verbi processionem, in quo nec Verbum, nec Spiritus sanctus est, verum est nec posse cognosci, vt citato loco dicebamus: id tamen non tollit, quod eadem indiuisibili scientia absolutè cognoscantur: sed solum quod pro eo priori non cognoscantur: quod signum prius præcisionis non est; sed processionis, & originis: siquidem in Dei scientia, quæ præcedit, actualis repræsentatio etiam exercita est personarum procedentium pro suo signo posteriori, imò & omnium creaturarum. Cum autem personæ procedentes cum essentia ac Deo idem omnino sint, ac non realiter ab eo distinctæ, sicut creaturæ, ac eadem indiuisibili Dei scientia exercitè, & formaliter repræsententur; nequit ex parte obiecti esse præcisio vnius ab alio, quæ sola repræsentatione vnius, quæ non sit repræsentatio alterius, induci potest, vt ad argumentum respondebamus. certam. 2. num. 4.

***

QVÆSTIO III.

An secundum statum possibilitatis præcisiuæ, alicuiusue futuritionis se cognoscat Deus?

DEVM se totum, suaque omnia simultatè obiecti, & cognitionis eo modo, quo est, ac proinde secundum statum existentiæ, quam essentia sua habet, cognoscere planum ex dictis, atque citra omnem quæstionem est. An verò, licet essentia sua actu, & exercite existens sit, atque ita necessario à se cognoscatur, cognoscatur à se etiam esse possibilis, an aliquo modo secundum aliquid sui futurus disputari adhuc potest: dirimendumque omnino inde est, quod Deo conceptus verus, ac non fictus possibilitatis metaphysicè per rationem nostram ab eius existentia diuersus eo modo, quo in nobis (si contingentiam essendi, ac non essendi secludas) concedatur, vel negetur: atque vera aliqua futuritio, quæ ex tempore, ac duratione non desumatur. (Hæc enim Deo, ac diuinis omnibus aperte repugnat) in diuino aliquo inueniatur.

CERTAMEN I.

Statuitur circa cognitionem possibilitatis suæ à Deo.

1. PRima hac de re sententia sit eorum, qui actualem Dei existentiam, siue esse actu extra essentialem Dei conceptum metaphysicum constituunt: hi enim (in quocumque essentiam Dei constituant) cum eam in chimærico, & repugnanti aliquo non collocent, atque illud ante actualem existentiam, vel logicè, vel metaphysicè statuant, esse non repugnans, ac præscindens ab existentia actuali manifestè docent: quod est Deum eiusque essentiam possibilem præcisiue docere: ac proinde Deum se secundum statum possibilitatis præcisiuæ cognoscere, licet simul existentiam suam actualem iuxta proxime dicta cognoscat. Hi vero Doctores sunt Mairon, Bargius, Trombeta, Picus Mirandulus, Vazquez, Salas, Granados, Ruiz, Arriaga, Murciani Recentiores citata controu. 1. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 2. Præter hos autem alii etiam, qui existentiam à se actualem, siue prædicatum entis, & existentis à se actu nobiscum ad essentiam Dei metaphysicam eodem loco n. 3. aduocant, non admodum leuibus fundamentis eandem sententiam possent docere.

2. Et primo quidem: vel Deus, eiusque essentia, licet necessario existat, repugnans est, vel non repugnans, siue possibilis, vel impossibilis: alterutrum enim, cum contradictoria extrema sint, verificari de Deo, eiusque essentia debet: atqui repugnans, ac impossibilis non est: ergo est non repugnans, & possibilis. Ne autem dicas in prædicato existentiæ Dei includi non repugnantiam: contra est probatio secunda: quia existentia, quæcumque, & quomodocumque sit, solum excludit formaliter non existentiam rei, cui soli immediatè formaliter opponitur: licet præsuppositiue excludat repugnantiam, & impossibilitatem: quatenus rei existentia eius possibilitatem necessariò prioritate logica supponit, quæ sola formaliter immediatè, & contradictorie impossibilitati opponitur. Tertia probatio. Distincta veritas negatur, saltem quoad statum, cum negatur, Deum existere, ac, cum negatur, Deum esse possibilem: ergo non solum primus status existentiæ; sed & possibilitatis præcisiuæ conuenit Deo.

3. Quarto. Notissima in omnibus, & legitima consequentia est ab actu ad potentiam, logicam saltem quæ

quæ est intrinseca cuiusvis existentis possibilitas : ergo in Deo etiam legitima est consequentia: existit : ergo potest existere, seu est possibilis. Cum autem eiusdem obiecti ad seipsum consequentia non solum legitima : sed vera esse non possit, apertè conficitur, hanc propositionem: *Deus existit*, ab hac, quæ ex illa legitimè infertur, diuersâ ex parte obiecti, saltem quoad statum, esse : ac proinde Deum possibilem, nec solùm existentem, præcisiuè esse, atque vt talem à seipso cognosci. Quintò : quia idipsum, quod Deus necessariò, & à se existat, nec possit existere solum in potentia, seu non existere possibile omnino est, ac non repugnans : ergo non excludit Dei possibilitatem præcisiuam ; licèt negatiuam, seu coniunctam cum negatione existentiæ excludat. Iam verò si possibilitas præcisiua saltem quoad statum, diuersa ab essentiæ necessaria existentia in Deo admittitur : & eam etiam in eo statu præcisiuæ possibilitatis à Deo cognosci, certum erit.

4. Sit nihilominus conclusio, Deum præcisiuè adhuc, possibilem non esse : quare neque secundum statum possibilitatis à seipso cognosci. Primum (ex quo postremum inoffenso, vt aiunt, pede, ac necessariò currit) Probatur: quia status possibilitatis præcisiuè distinctus formaliter ab statu existentiæ non est in his, quæ nequeunt ab exercitio existentiæ, siue ab existentia exercita præscindere. Sic enim existentia ipsa exercita rerum status possibilitatis esset : à quo omnium sententia differt, reliquos, vt exercite existentes, atque vt in exercita existentia actu sunt, essent in statu possibilitatis præcisiuæ, quod omnibus aduersum, atque de se repugnans in terminis est : cum status possibilitatis præcisiuæ ab statu exercitæ actu existentiæ præscindat, quomodocumque status vterque explicetur. Cum autem Deus, eiusque essentia ens actuale à se sit, atque è suo conceptu, necessariò, & essentiali, actu, & exercitè existens, nequit in eo status possibilitatis distinctus ab statu existentiæ inueniri : quare neque possibilitas præcisiua, quæ actu exercitam eius existentiam non claudat : in creatis verò, non necessariò, sed contingenter existentibus, duplex ille status concipi optimè potest: quia è suo essentiali conceptu actu exercitè non existunt : cum eorum negatio dari absolutè possit : quare, licet actu, & exercitè existant, status ille possibilitatis præcisiuæ concipi in creatis potest.

5. Probatur secundò ex dictis controuers. 1. d. 2. qu. 3. certam. 2. num. 3. quia ens actuale, & exercitè, siue necessariò existens, qua tale, includit existentiam necessariam sui : atqui existentia necessaria, siue à se actu, & exercite formale exclusiuum impossibilitatis est, qua impossibilitas arceatur, ergo & est formaliter sumpta formalis sui possibilitas. Probatur Antecedens : quia impossibilitas non existendi formalis, est formalis, & necessaria negatio negationis existendi : negatio autem negationis nequit non positiuum quid formaliter esse : ergo negatio necessaria negationis existendi positiuum quid necessario actu, & exercite existens, siue existentia à se, seu necessaria, quæ Deus essentialiter est, est formale exclusiuum impossibilitatis, ac proinde possibilitas formalis Dei. Confirmatur primò : quia Deus non aliter possibilis est, quam necessariò existens actu, & exercite. Confirmatur secundò à contrario : quia negatio à se siue negatio necessaria sui idem prorsus quod impossibilitas est, & formale exclusiuum possibilitatis : ergo à contrario, existens à se, & necessario, siue existentia necessaria, quæ Deus essentialiter est, erit formale exclusiuum impossibilitatis, ac proinde conceptus, seu status verus possibilitatis præcisiuæ ab statu actualis, & exercitæ existentiæ in Deo chimæricus est, & impossibilis. Denique exstat argumentum, quod ibidem num. 4. attigimus. Neque enim ens possibile præcisiuè solum potest esse cum fundamento radix metaphysica attributorum, & præcipuè existentiæ suæ : quare in Dei essentia status existentiæ exercitæ includetur, à qua nequeat proinde status possibilitatis alius vllo modo præscindi.

6. Iam argumenta facta pro opposita sententia solum probant in Deo possibilitatem, seu non repugnantiam inueniri ; non autem formaliter adhuc, secundum statum ab existentia actuali, & exercita ipsius, seu, quod idem est, ab existente à se actu, & necessario diuersam inueniri, quod nos solum negamus : atque aduersarios probare oportebat. Ad primum distinguo consequens : ergo possibilis præcisiuè : nego ; inclusa possibilitate in statu existentiæ : concedo. Ad secundum negatur, existentiam à se, siue necessariam non excludere formaliter impossibilitatem, sicuti, & opposita impossibilitas, siue negatio actualis à se, siue necessaria chimærarum, quæ formalissimus conceptus impossibilitatis est, formaliter earum possibilitatem excludit, vt vidimus num. 5. Ad tertium respondeo negando assumptum : vocibus enim solum diuersæ ea propositiones sunt : *Deus existit*, *Deus est possibilis* : nam solùm necessariò & à se existens, è conceptu suo adhuc, Deus possibilis est, vt quintum aduersum argumentum supponit : cui respondendum est : esse quidem non repugnantiam, seu possibilitatem inclusam formalissimè in conceptu existentiæ à se, ac necessaria, atque ab ea impræscindibilem, adhuc quoad statum existentis necessario, & à se, ac subinde non esse possibilitatem præcisiuam. Ad quartum denique respondeo. In his, quæ non sunt necessario ; sed contingenter esse consequentiam ab actu ad potentiam logicam, siue possibilitatem : ac proinde inferri distinctam veritatem, quoad statum ; secùs in ente à se, ac necessariò existenti, in quo solùm infertur diuersa formalis propositio contra ignaros, & proteruos synonymam negantes propositionis, quam admittunt.

CERTAMEN II.

De cognitione futuritionis sui à Deo statuitur.

1. DEum se, suaque omnia, vt existentia actu absolutè, & de præsenti cognoscere Catholica veritas est : cum diuina omnia æternitate Dei indiuisibili, totaque simul (quæ tamen sine vlla sui, partiumve diuisione suprà, & vltra omne tempus durationem creatam, creabilemque expenditur) durent, nullum est tempus, seu duratio adhuc eis extrinseca, in qua quidquid diuinum est per sui coexistentiam depræsenti non sit. Vnde nihil diuinum vulgari, & frequenti futuritionis acceptione, qua denotatur, rem non esse in tempore, respectu cuius duratio, in qua existet, futura est, futurum esse potest : quia, & duratione propria semper est, & mensuræ extrinsecæ semper, & pro omni extrinseca mensura creata semper de præsenti coexistit: ex quo vlterius fit, neque à se Deum futurum in ea vulgari futuritionis acceptione, nisi per dissensum iudicari à Deo posse : cum nihil falsò iudicare per assensum valeat. Etenim, licèt eiusmodi futuritio concernat tempus, quo ipsum habetur, in eoque futuri negationem : cum duratio, in qua, & cum qua Deus iudicat, æternitas sit (vt diximus controuers. 1. d. de attribut. negatiu. non vitalib. quæst. de Dei immutabilitate) omni tempore coexistens, atque superfluens : neque sic locum in diuinis ea futuritio habebit, vt esse in illis à Deo iudicetur. Sed neque à nobis, si verè cognoscamus, & iudicemus, licet enim nos nostro tempore iudicemus, atque illud, in quo iudicamus, iudicia nostra concernant, non æternitatem : ast, cum Deus, & quidquid diuinum intrinsecè est duratione sua æternitatis nostro toti tempore coexistat, implicat in aliquo ex omnibus, quibus iudicare de Deo possumus, Dei negationem esse : quare & respectu illius verè iudicari à nobis Deum ita futurum.

2. Sed licet futuritio non dicat negationem rei futuræ in duratione, qua adest cognitio de ipsius futuritione, imo neque in duratione aliqua ; sed solum fore etiam in alia ei, in qua primò est, posteriore : adhuc nihil diuinum intrinsecumque Deo futurum propriè est, vt tale vè à Deo cognoscitur : quia duratio, qua durant diuina omnia intrinseca, æternitas est, in qua non est prius, & posterius. Cum autem esse, & non esse depræsenti, & fore vnicuique secundum intrinsecam durationem conueniat, Deus absolutè non est; & erit, sed est: cumque duratio, quæ iudicio Dei de suo esse concernitur, non extrinseca, & creata, sed æternitas ipsa sit, in qua nec aliquid præteritionis, aut futuritionis est, sed tota simul ; sit planè, nec

clatè ad durationem, in qua Deus de suorum prædicatorum esse, & existentia iudicat, fuisse proprie, aut fore, neque de eis ita posse iudicare. Hinc cum Deus de eloquitur, solummodo dicit: *qui est*, quod autem in Apocal. dicitur: *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Ab homine atque ad humanum captum, & concipiendi modum dictum est: quia homines suam durationem creatam in suis iudiciis concernunt, respectu cuius extrinsecæ durationis & *est*, & *fuit*, & *erit*: sicque à Deo etiam cognoscitur; respectu autem intrinsecæ suæ durationis, qua propriè est, & durat, seque cognoscit, ac iudicat, semper & præsens est: ac proinde non erit, neque fuit formaliter; sed solum virtualiter, quatenus sua duratione indiuisibili, totaque simul præterito, præsenti, & futuro nostro æquiualet, imo excedit.

3. Verissimum tertiò est, sui futuritionem, suorumque omnium vtroque modo explicatam Deum cognoscere apprehensiue, imo diiudicatiue per dissensum. Ex secundo hoc pendet, inferturque necessario primum. Probatur ergo secundum: quia neutro modo de sua futurum se iudicat duratione, aut præteritum esse; sed solummodo de præsenti duratione, seu æternitate sua: ergo iudicat se non durare de præterito, aut de futuro, ac proinde dissentitur suæ præteritioni, aut futuritioni in duratione, tanquam sibi chimæricis: quemadmodum iudicat hircocerui, aut chimæræ alterius cuiusuis negationem necessariam esse, atque eius existentiæ, aut possibilitati dissentitur, vt dicemus d.4.q. 1t. Hinc autem, vt inibi dicemus, probatur manifestè, Deum suam futuritionem, ac præteritionem in duratione vtroque modo explicatam simpliciter apprehendere. Nemo enim obiecto propositionis alicuius cordate, imò nec physice, aut metaphysice assentiri, dissentirive potest, ni illud totum obiectum, apprehensiue saltem, cognoscat, vt patet: nec minus ad prosequendum assensu, vel fugiendum, seu auersandum dissensu præ cognitione opus intellectus habet, quam ad amandum vel odio habendum suum obiectum voluntas. Ad hos enim actus æque mobilis intentionaliter, seu per cognitionem essentia sua vtraque potentia est. Vnde probatur simili discursu ex dictis. n. 2. hoc ipsum. Nam cognoscit Deus, nos cognoscere ipsum nostro concipiendi modo, saltem secundo modo præteritum, & futurum: atque à præue, & erroneè de sua duratione iudicantibus modo etiam primo.

4. Præter hanc verò futuritionem durationis, (quæ propriissime talis, & principalissima est) alia etiam analogica, & per huius imitationem vera, & realis futuritio est, quæ primam futuritionis temporariæ, & vulgarem modum imitatur ex instantibus veris, & realibus naturæ, & causalitatis à Philosophis ac Theologis inter causâ, seu principium verum, & eius effectum inuenta, & obseruata. Si enim causa, aut principium productiuum verè, & realiter priùs suo effectu est, atque hic illo posterior satis apte respectu illius prioris instantis naturæ, in quo causa, seu principium est, effectus, qui in posteriori instanti, seu signo naturæ erit, dicetur verè, licet imitatiue, futurus. Hoc futuritionis genus expresse traditur à S. Thom. 1. periherm. lect. 13. & 1. p. q. 19. art. 3. ad 2. & q. 12. de verit. art. 10. ad 7. vbi docet in causa determinata ad effectum hunc esse, dicique posse futurum; cuius verba nonnulli innominati à Suar. prolog. 2. de gratia cap. 7. num. 4. perperam intelligentes nullam aliam in rebus futuritionem præter hanc, quæ causalitatis, & naturæ est, recognoscunt, vt d. 5. videbimus q. 1. eisdem verò S. Thom. verbis minus, sed aliquantulum, decepti plerique respectu solius causæ in actu primo determinatæ ad effectum, non autem indifferentis ad ipsum, vel eius oppositum, ipsius futuritionem naturæ, & causalitatis tantummodo esse defendunt. Cum tamen S. Doctor non ad futuritionem ipsam causalitatis effectus; sed, vt ipsius futuritio talis à nobis ex causa cognoscatur, eiusmodi determinationem causæ ad illum requisierit.

5. Certum etiam sit quartò, diuinum aliquid hoc imitatiuæ futuritionis naturæ, & quasi causalitatis genere verè esse futurum, ac, vt tale, à Deo cognosci. Probatur: quia in diuinis vera realisque prioritas originis, & principij productiui, licet non causatiui, est in personis producentibus, veraque eiusdem ordinis, & lineæ posteioritas in personis procedentibus, vt ostendimus controu. de Trinit. d. de comparat. personarum inter sese: ergo relate ad instans priùs originis personarum producentium, pro quo procedentes personæ non sunt; sed posterius erunt pro sequenti, in linea originis vere sunt futuræ. Confirmatur: quia licet ad huiusmodi futuritionem causæ, seu principij determinatio ad agendum, (vt falsò plerique censent) requireretur: neque id personis producentibus in Trinitate deficeret: cum ad personas procedentes producendas ita determinatæ in actu primo, ac de sese sint, vt nequeant earum productione vllatenùs abstinere, etiam à productione spiritus sancti: quam licet liberam Patri, & Filio docuerit Scotus (contra quem egimus citata controu. d. 3.) tamen liberam re vera pro voluntario vsurpauit, quare nomine solum, impropriaque eius acceptione, non autem sensu aberrauit.

6. Circa diuina alia (actus nimirum, seu operationes liberas immediate voluntatis, ac mediate liberas scientiæ contingentium obiectorum, quæ Deus nouit) maior de eorum præfata futuritione naturæ, & quasi causalitatis physicæ controuersia esse posset; præsertim apud recentiores, qui sicuti virtualem physicam actiuitatem, & productionem, quare, &, prioritatem veram, & posterioritatem virtualem inter hæc admittunt, ita, & futuritionem hanc virtualem etiam admittere tenentur. Nec satis est in eis potentiis in actu primo consideratis non esse determinationem necessariam principij ad effectum, vt hic respectu illius prioris naturæ dicatur futurus: siquidem eo ipso, quod hi actus contingentes sint, ac libere à suis potentiis eliciantur, hæ indifferentes ad illos eliciendos, vel non eliciendos esse debeant.

7. Cæterum respectu actuum diuinæ scientiæ circa obiecta contingentia locum solutio non habet; siquidem posito ex Dei decreto libero obiecto creato indifferens Deus ad illud cognoscendum non est. Secundo: cum futuritio quæuis in sua linea satis constituatur per prioris instantis, in quo non fuit, connotationem, quin requiratur in priori instanti esse determinationem, vt sit in posteriori, in quo erit; sed solum quod in posteriori illo sit vndecumque ibi ponatur: atque in causa indifferenti sit vera prioritas realis & instans vere priùs naturâ respectu effectus, qui in illo non est, sed in posteriori, planè conficitur: respectu eius prioris causæ indeterminatæ esse pro posteriori causalitate, seu natura effectum futurum. In horum ergo de virtuali actiuitate, & effectione actuum liberorum Dei à suis potentiis vera virtualis futuritio causalitatis asserenda necessariò videtur; secùs respectu actuum necessariorum voluntatis, & intellectus diuini, quæ tamen eis impugnationibus datis contra hanc virtualem, tam distinctionem, quam productionem confutanda erit. Secundo quia actus scientiæ, & voluntatis diuinæ quoad intrinsecum scientiæ, & amoris liberi etiam, formaliter adhuc identificantur, vt controu. de voluntate ostendemus: quare nequit actus liber futurus in linea causalitatis respectu suæ potentiæ esse, quin & necessarius eodem modo sit futurus.

8. Ego verò censeo actus potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ, siue liberos, siue necessarios in linea & ordine causalitatis vere esse futuros, causalitatis, inquam, non physicæ, siue absolutæ, siue virtualis; sed intentionalis. Atque hæc sit quinta nostra conclusio. Probatur facilè ex dictis d. 2. vbi probabamus, potentiam intellectiuam, & volitiuam Dei esse verè suorum omnium actuum, licet non physicè intentionaliter tamen actiuam, ipsisque verè priorem. Ex quo facilè deducitur relatè ad illud intentionale instans priùs suæ potentiæ, pro quo actus non est, tamen pro posteriori erit hoc causalitatis intentionalis, & futuritionis genere vere cum esse futurum. Cui conclusioni nihil aduersari potest præter ea, quæ contra veram actiuitatem, & prioritatem intentionalem harum potentiarum respectu suorum actuum citato loco obiecimus, atque diluimus. In cæteris verò diuinis præter personalia, & actus intellectus, & voluntatis, seu originis vera futuritio assignari, admittive potest.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An scientia Dei per seipsam formaliter sumptam ab ipso cognoscatur?

AD exactum, plenumque examen metaphysicum cognitionis Dei erga seipsum totum in seipso, vt exploratum habemus, hæc etiam quæstio spectat. Licet enim d.2. ostenderimus Deum totum, ac proinde eius scientiam per eandemmet reipsa scientiam videri; adhuc tamen subtilior metaphysica quæstio inter scholasticos Theologos est: An scientia directa Dei circa obiecta alia per seipsam formaliter sumptam Deo innotcat, tanquam per sui formalem cognitionem? An scientia alia formaliter, & metaphysicè diuersa, quæ supra primam directam formaliter sit, metaphysicè assignari debeat, vt Deo prima illa directa repræsentetur.

CERTAMEN I.

Duabus confutatis, tertia sententia eligitur.

1. PRima in proposita quæstione sententia fuit nostri Ruiz d.7. de scientia sect.2. num.1. & 8. asserentis, scientiam Dei de aliis obiectis ab ipsa per seipsam formaliter metaphysicè Deo nec repræsentari, nec posse; sed per aliam formaliter metaphysicè diuersam, quæ reflexe circa directam formaliter versetur: quæque à nobis ratione ratiocinata præscindi, diuidique ab illa queat. Addit verò reflexam hanc scientiam non per aliam; sed per seipsam Deo repræsentari. Sed præter ea, quæ nostram sententiam subiiciendam probabunt, non assequor, quidnam habeat formaliter, & metaphysicè secunda hæc, & reflexa Dei cognitio, vt sui ipsius formalis repræsentatio, & scientia sit, quod non habeat prima, vt se etiam ipsam formaliter repræsentet: Vnde rursus fiet, nec secundam reflexam seipsam repræsentare posse formaliter sumptam; sed alia rursus formaliter diuersa, ac supra ipsam reflexa egere, & sic in infinitum.

2. Idcirco consequentius Salas noster 1.2. quæstion.3. tract.2. d.3 sect.4. fine. Granad.1. par. controu.1.tract.6. d.1.sect.8. & controuers.2. tract.1, d.4. à num.4. Lugo de Incarnat. d.19. sect.1. num.14. Gaspar Hurtado, d.2. de scientia diffic.1. (quibus non abnuit Albiztandem d.13. num.18.) æstimantes scientiam diuinam seipsam formaliter repræsentare formaliter non posse, sed alia formaliter reflexa necessariò repræsentari formaliter debere: de reflexa hac eodem modo, ac de prima directa philosophantur, vt scipsam formaliter sumptam non repræsentet; sed secunda alia formaliter diuersa, quæ ipsius formalis repræsentatio sit; omnino indigeat; quæ etiam supra reflexam primam formaliter reflectat, & supra secundam hanc reflexam tertia alia, supra quam reflectat quarta alia, & supra hanc quinta, sicque in infinitum alia, & alia supra aliam & aliam reflectant: denturque proinde infinitæ scientiæ Dei formaliter diuersæ inuicem metaphysicè subordinatæ nostro intelligendi modo: qua in re, ni fallo niterentur principio, rationabilius, vt dixi, philosophantur.

3. Verum, licet hi processum infinitum formalitatum metaphysicarum in scientia diuina absurdum non reputent: quia, infinita cum sit, atque omnium veritatum cognoscitiua, seu potius cognitio, & actualis formalis repræsentatio infinitam illam formalitatum scientiæ reflexionum capit, quin hæc illius amplitudinem excedat; si tamen rectè infinitas scientiæ Dei, formaliter etiam sumptæ, ab eis doctoribus penetraretur, inuenirent, planè nil magis infinitæ illi aliarum cognitionum Dei supra alias reflexioni obesse, quàm scientiæ Dei formaliter, & metaphysicè sumptæ infinitatem, ex qua illi rectè, facileque componi posse arbitrantur, vt ex nostræ sententiæ, iam subiiciendæ probationibus clarebit. Mitto huius infiniti reflexiuarum cognitionum processus impugnationem: quia scilicet, aliqua tandem maneret incognita, neque enim infinitum hoc in actu aduersarij, seu cathegorematicum admittunt; sed syncathegorematicum, & in potentia: cum illud ex formalitatibus mente nostra diuisis asserant: quæ tamen infinitas actu nequit diuidere, licet nunquam tot diuidat, vt nequeat plures supra vltimam, & vltimam reflexiuas cogitare, ac proinde, quæ cogitatas in vltimo reflexe repræsenter.

CERTAMEN II.

Tertiæ nostræ sententiæ solidæ probationes.

1. TErtia sententia est, scientiam Dei directam de reliquis obiectis formaliter esse suiipsius repræsentationem formalem: neque alia scientia formaliter ab illa diuersa, & supra ipsam reflexa egere, vt Deo formaliter repræsentetur. Huic assentimur: cui expresè Soar.2.de attrib. cap.18.num.8. Herize d.4. cap.1.num.6. & 11. Albiz. d.3. sect.1. n.16. Alarc. tract.2. d.1. cap.3. num.3. Hemelm. tract.4.d.1.cap.22.num.8.& alij Recentiores: estque nostri Vasquez sæpè supposita sententia. Probatur à nonnullis testimonio epistolæ 9. Dionysij ad Litum, Aristotelis 12. metaphys.cap.9. textu 51: à nobis supra recitato, S.Thom.1.par. quæst.14. art.4. ad 3 & 3. contr. gent.cap.26. trat. 2. sed facile de eadem scientia realiter, non autem formaliter sumpta intelligentur: quare eis probationibus, & aliis ex testimoniis Patrum, quæ supra dedimus d.2. quæstione 4. merito abstineo. Neque enim puto, Patres vnquam de hac nostra metaphysica quæstione cogitasse.

2. Sola igitur ratione probanda nostra sententia est: & primo quidem ex dictis hic quæst.2. & fusius d.2.quæst.4. & controuers.1. vbi generale principium posuimus: nempe prædicatum quoduis diuinum, qua diuinum, infinitum per essentiam in sua quodque linea esse debere per denegationem termini, etiam extrinseci; ex quo tam ibi, quàm sæpe alibi hoc tomo inferri, euidenter ostendimus, nullum diuinum attributum veris, ac non fictis, & chimæricis prædicatis homogeneis metaphysicè cum ipso posse metaphysicè adhuc componi. Atque inde pro Dei scientia sæpè (quod maximè ad rem præsentem est) intulimus è conceptu, & essentia metaphysica scientiæ diuinæ formaliter indiuisibiliter in omnia cognoscibilia ferri: atqui ipsa scientia aliquid cognoscibile est: ergo è conceptu, & essentia sua metaphysica fertur in seipsam, suique scientia, & repræsentatio est.

3. Probatur secundo ex dictis d.2. quæst.5. quia, quo perfectius viuens cognoscitiuum est, eo magis sibi coniuncta, & intima cognoscit, ac supra suos actus reflectit: ergo summe cognoscitiuum viuens summe supra suos actus reflexiuum erit: ac proinde eius cognitio, non solum supra seipsam realiter sumptam, sed supra seipsam etiam formaliter sumptam reflecter. Porrò quæ contra hanc conclusionem obiici poterant, soluta sunt citata quæst. 5. quare eis proponendis, diluendisque in præsentiarum erit abstinendum.

***

DISPVT.

DISPVTATIO IV.

De sphæra obiectiua extrinseca scientiæ diuinæ.

DE obiectis extrinsecis diuinæ cognitionis instituitur præsens disputatio, postquam de increatis egimus. An scilicet extrinseca Deo secundum se sumpta, atque in seipsis à Deo cognoscantur? Et id quidem vniuersim præscindendo ab eorum statibus, quos vocant possibilitatis futuritionis absolutæ, & conditionatæ, de quibus d.5. agetur? Intelliguntur autem obiecta extrinseca tam creaturæ, quam earum negationes contingentes; imò, & negationes necessariæ, quas chimæras, seu impossibilia, vel habent, vel potius sunt.

QVÆSTIO I.

An creata positiua sciat Deus?

ET hoc quidem, licet adeò apertum nonnulli in quæstionem vocare referuntur, vt non sit omittendum.

CERTAMEN I.

Deum creata positiua cognoscere, certum ex fide, & ratione est.

1. CApreolus in 1. d.35. qu.2. argumentis contra secundam conclusionem refert, Aureolum negasse creata à Deo secúdum proprias entitates cognosci formaliter, solumque admisisse cognosci ab eo eminenter, quatenus essentiam suam, in qua creata omnia eminenter sunt, contemplatur. Hanc, sicut alias Capreoli, acutissimo Cardinali impostúram conqueruntur merito alij, cum quibus & ego: eamque ostendunt ex Aureoli ad purum edito nuper textu: Et quidem ad eam ostendendam satis est quod ipse Aureolus eadem quæst. 2. docet: nempe Deum, licet ratione suæ essentiæ intelligat creaturas, per se tamen primo ad ipsas eius intellectionem terminari: quod planè est ad ipsas in seipsis formaliter repræsentandas diuinam cognitionem extendi, licet quatenus ad diuinam essentiam terminatur, eminentialis solum earum cognitio, & repræsentatio sit: quod solum voluit Aureolus; non negare Deo scientiam formalem creaturarum, vt ipsum distorte interpretatus Capreolus, quam eadem, qu. ac sæpè alibi expresè admittit; Pasqualigus d.23. licet sect.1. Catholicam doctrinam contra Auerroem statuat, tamen sect.4. n.28. negat creaturas esse terminum proprium diuinæ cognitionis secundum propriam essentiam, explicatque terminum proprium esse terminum repræsentatum in argumento; quo & sibi, & Catholicæ veritati videtur aduersari.

2. Itaque præfixam conclusionem nullus Theologus, imo nec philosophus expresè negauit: est quippe fide certa atque euidens, & ratione naturali. Fide quidem Eccles.17. *Oculi eius sine intermissione inspicientes*, creata, de quibus ibi, & c.23. vbi Dei oculi, *profundum abyssi, & hominum corda intuentes* dicuntur: & cap.39. *Non est quidquam absconditum ab oculis eius: A sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in oculis eius*, Iob 28. *Ipse fines mundi intuetur, & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit*; & cap.21. dixerat: *Nunquid Deum docebit quispiam scientiam.* Docere autem posset, si aliquid non sciret. Et clarius in eandem sententiam Ecclesiast.42. *Cognouit enim Dominus omnem scientiam*, cap.18. *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & qua in eis sunt in conspecta illius.* Ad Hebræos 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Psal.137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Et passim in aliis psalmis. Vnde Psal.138. ironice Psaltes dixit: *Forsitan tenebræ conculcabunt me, ne videat Deus.* Statimque addit: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: id est, æque in tenebris, atque in media luce intuetur: Esther. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Ioan.vlt. *Domine, omnia nosti*: cum aliis locis, quæ attigimus d.1. quæst.1. & attingemus agentes de possibilium futurorumque, tam absolute, quam conditionatè, scientia Dei. Item de cognitione secretorum cordis. Denique omnia loca, quæ diuinam erga creata causalitatem, gubernationem, prouidentiam, & prædestinationem tradunt, mediate præsentem veritatem testantur.

3. Ratione insuper naturali eadem veritas ostenditur. Primo: quia scientia Dei, qua Dei, seu diuina, infinita illimitata, summaque in sua linea esse debet, non minus quam reliqua diuina prædicata: ergo debet esse scientia, & cognitio omnium veritatum, & obiectorum scibilium, seu cognoscibilium, in quibus indubitato creata obiecta sunt. Alioqui, si creata nesciret Deus, eius scientia limitata argueretur, nec summa foret. Secundo quia Deus vult aliqua extra se: ergo & ea cognoscit; alioqui vellet, quod ignorat, quod & stolidum est, & impossibile. Tertiò: quia non solum ea, vtcumque vult; & amat in eis complacendo, vt Genes.1. dicitur: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, scilicet voluntate complacentiæ; sed voluntate desiderij, & eorum effectiua. Est enim prima, & vniuersalis causa perfectissima, ac proinde omnium pro suæ voluntatis, & libertatis arbitrio effectiua: nequit autem voluntate agere, nisi facienda prænouerit, neque libertate, nisi in agendorum, & non agendorum rationes perfectissimè, si perfectissima libertate acturus sit, (vt acturus est Deus) penetret, & percalleat: quare nisi, & agendorum naturas, & essentias perfectissimè cognoscat. Quartò probatur conclusio: quia Deus omnium creatorum prouidentissimus est gubernator: nequit autem eis, quæ ignorat, prouidere, eave, quæ nescit, gubernare: sunt enim hæc munera essentia sua intelligentis, & volentis, vel formaliter vel præsuppositiuè, vt suis locis videbimus.

4. Quintò denique: quia extrinseca obiecta cognoscere est perfectio sine imperfectione: ergo Deo est concedenda. Non disputo modo, an possibilia in seipsis cognoscat Deus? Id enim alterius difficultatis est: licet ex rationibus hic datis definienda. Solum enim contendo creata extrinseca (quæcumque illa sint veritatemque habeant) à Deo esse cognoscenda: an vero eam in se habeant possibilia? quomodove eam habeant futura, præterita, aut existentia? infra erit videndum.

CERTAMEN II.

Obiectiones nonnullæ expediuntur.

1. OBiicitur primò Arist.12. metaph.text.51. vbi Deo creaturarum scientiam negasse videtur. Sed quid inde cum fides, & naturalis ratio ab eius nos reuocant errore? An vero ita eo loci errauerit? dubium est: errasse censent Nemes apud Nyssen. 8. philosoph. cap.4. Iandun.12. metaph.quæst.2. Arimin. in 1. d.35. qu. vnic. Aureol. apud Capreol. qu.2: Valent.1.par.qu.14. punct.4. Vasq. d.87. cap.1. Molina, & alij ab eo excusant errore Aristotelem. Siquidem 4. metaph. text.15. & 1. de anima text.80. & sequentibus probat ex effectuum perfectione: & vt absurdum contra Empedoclem infert, Deum non cognoscere elementa. Insuper 2. physic.textu 75. docet, naturam semper agere propter finem: quod nisi ex primæ causæ intentione, & directione fieri nequaquam

Potest. Rursus 2. de anima tex. 37. & sequentibus, & 10. eum. lib. 1. metaph. ante textuum diuisionem cap. 3. alias 4. præfert Anaxagoræ sententiam, quod intellectus sit mundi causa, & 12. metaph. cap. vlt. Deum principem, & unicum omnium gubernatorem fatetur, eiusque ergà res omnes prouidentiam 10. ethic. cap. 8. circa finem, & 7. ethic. ad Eudem. cap. 17. & 18. ostendit bonam fortunam immittentem bonas cogitationes, & motus indeliberatos ad bonum nil aliud esse, quàm Deum qui est vniuersalissimum rerum, & actionum principium, ac proinde & motus in anima: concluditque: *Rationis autem non ratio sed præstantius quidpiam est. Quid autem præstantius, nisi Deus?* Quomodo autem hoc cohæreat cum cap. 8. libri 2. Magnor. Moral. vbi negat Deum bonam fortunam esse, viderint alij. Denique etsi minimarum rerum prouidentiam negauerit, vt aliqui volunt, non statim negasse earum scientiam infertur, cum prouidentia curam addat, quam potuit de minimis, etiam notis, negligere. Denique primam causam vnicam Deum, eamque perfectissimam nouit: quare & omnium per intellectum, & voluntatem effectiuam, vt aperta à nobis data ratio suadet, quam assecutum non esse Aristotelem credere non possum: quare censeo ipsum creaturarum notitiam ab ipsis creaturis acceptam Deo negasse, non autem absolute earū scientiam, vt de Dionysio Areopagita, & S. Th. statim dicam.

2. Oppones Dionysium 7. de diuinis nom. scribentem: *Deus ea, quæ sunt, nouit, non rerum notitia; sed sui*: ergo creata solummodo cognoscit Deus, quatenus in ipso sunt, (quo modo non sunt creata; sed increatus Deus iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum est in ipso erat vita*) non autem quatenus in seipsis sunt, siue secundum essentias, & entitates proprias distinctas à Deo. Respondit optimè Vasquez noster d. 60. cap. vlt. solum negari Deo à Dionysio scientiam creaturarum ab ipsis creaturis acceptam, non disciplina solum; sed dependentiâ, tanquam à termino necessario ad intrinsecæ cognitionis diuinæ existentiam. Idque satis aperte ostenditur ex his ab eodem Dionysio ibidem præmissis: *Non ea, quæ sunt ex his, quæ sunt diuersa nouit diuina mens.* Quo etiam sensu S. Thom. 1. par. quæst. 14. art. 5. negauit *Deum videre creaturas in ipsimet*; sed in seipso. Denique Augustinus, qu. 46. ex libro octoginta trium, dum ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, vt secundum id constitueret, quod constituebat*: solum voluit, Deum non habuisse exemplar aliquod extrinsecum, quod in mundi creatione imitaretur, non autem res in seipsis non vidisse, constat ex ipsis verbis, atque ex immediatè sequentibus: *Nam hoc, inquit, opinari sacrilegium est*: sacrilegium autem secundum hoc non est; sed illud primum.

3. A ratione oppones: scientia Dei ad creata formaliter, & secundum proprias entitates, & essentias repræsentanda extenditur, ac terminatur: ergo & ab eis specificatur, quoad intrinsecum repræsentationis, & cognitionis diuinæ; ac proinde diuinum aliquid à creatis dependebit, saltem tanquam à termino, sine quo non, quod abnuimus. Patet: quia cognitio omnis qua cognitio, à suo obiecto ita specificatur, ac pendet, vt sine illo esse non possit. Solutio communis, & firma negat consequentiam. Ad eius probationem de obiecto primario, & specificatiuo cognitionis admittit assumptum antecedens; de secundario, ac non specificatiuo (cuiusmodi solum obiecta sunt cognitionis diuinæ creata cuncta) negat. Instabis. Dependentia cognitionis ab obiecto non prouenit obiecto, quod primarium, & specificatiuum illius sit; sed ex eo quod sit eius terminus, circa quem cognitio actuale exercitium aliud repræsentandi, seu actu formalis repræsentatio est. Inde enim esse cum obiecto connexam habet ipsius cognitio: vel ergo creata obiecta in se, suoque speciali esse, & entitate sunt proprie obiecta, & proprij termini diuinæ cognitionis, vel non: si posterius; non cognoscit Deus creata, nisi quatenus ipse Deus sunt; si primum: cognitio Dei circa creata connexa, quoad intrinsecum cognitionis, cum creatis erit, ab eisque dependens.

4. Nihil præstat instantia. Vaiuersim enim loquendo fallum est, connexionem essentialem cognitionis cum obiecto esse cum illo, non quia primarium, & specificatiuum eius sit; sed quia illius sit formalis actualis repræsentatio. Licet enim id in creatis cognitionibus, & repræsentationibus actualibus formalibus verum omnino sit: quia, cum sint repræsentationis limitatæ, quæ vnum tantum obiectum attingit, ac repræsentat, nequit inuariata intrinsecè aliud repræsentare formaliter, vel illud ipsum non repræsentare; ac proinde quidquid verè in se repræsentatur, & attingitur cognitione creata, eiusque terminus actualis est, est terminus sine quo non; inde tamen euincitur, omnia obiecta respectu cognitionis creatæ, quæ in se, & secundum proprias entitates ab illa attinguntur, & repræsentantur, non solum purè terminos, seu obiecta non specificatiua illius esse; sed esse vera specificatiua suæ cognitionis: solumque obiecta, quæ in se non cognoscuntur; sed quatenus aliquid illorum cognoscitur, & repræsentatur esse obiecta materialia secundaria, ac non specificatiua cognitionis: vt patet in substantia, quæ videri, sentirique materialiter dicitur, cum ejus accidentia videntur, aut sentiuntur, qua etiam deficiente, eadem sensatio perseuerat, vt patet in visione panis ante, & post consecrationem. Mitto obiecta formalia assensus, vel dissensus, inter quæ, & materialia aliud discrimen est.

5. In cognitione verò, & scientia diuina ex conceptu, & genere suo illimitata, infinita, & summa, res aliter habet: vt, scilicet, è suo obiecto primario æqueque, atque ipsa constanti, & necessario (scilicet Deo) adeo perfecta in genere cognitionis euadat, vt omnium cognoscibilium scientia sit: nihilque ei aliorum obiectorum accessu cognitionis possit accedere: quare reliqua à Deo cognitionem quoad intrinsecum anticipatam sui à primario obiecto habent, qua actu formaliter repræsententur, cum accedunt: nihilque in eo intrinsecæ cognitionis suæ ponunt. Ac proinde purè materialia obiecta sunt. Sicut panis substantia cum per accidentia sua, vtcunque sentitur, licet hic in se non sentiatur; in se autem à Deo cognoscantur creaturæ. Hinc facilè apparet, diuinam scientiam ad creata etiam abiectissima repræsentanda sine vlla summæ suæ perfectionis iactura extendi posse.

QVÆSTIO II.

An creata omnia secundum speciales, & atomas eorum rationes cognoscat Deus?

STATVIMVS Deum alia à se, nimirum creata obiecta, nosse. In terminis autem omnia creata ab ipso cognosci statutum hactenus non est: cum tamen circa hanc etiam Catholicam veritatem nonnulli aberrauerint.

CERTAMEN I.

Errores contra præfatam veritatem recensentur ab eisque vindicatur Hieronymus.

1. ARistoteles 12. metaph. cap. 2. & 9. sublunaria hæc; præsertim imperfectiora, à Deo non cognosci, indicauit: quia viliora & imperfectiora sint, quàm oculos supremæ Maiestatis deceant: incassum autem ab eo errore ipsum excusare conantur Soar. d. 30. met. sect. 11. Ruiz. d. 9. de scient. & alij: eū in eo ipsum intelligant Clemens Alex. Nyssen. Naz. Epiph. Eusebius Cæsarien. Theodor. Ambr. Saluianus, Nizetas, & Patres alij relati à nostro Vasquez d. 87. cap. 1. à num. 2. qui cum fuisse Aristotelis errorem, cum citato loco, tum lib. de mundo ad Alex. propè finem, tum lib. magnor. moral. c. 8. solita eruditione demonstrat. Eundem errorem secutus est Auicenna, quem refert & sequitur Auerroes 12. met. comm. 51. & 10. 9. opusc. *Distinctio distinctionis*, quē nullo operæpretio excusare conatur

Ferrara 1. controu. cap. 50. fine. Imo Auicenna, & Auerroes hunc Aristotelis errorem non tam secuti sunt, quàm ampliarunt: censent enim, Deum cætera omnia singillatim, & distinctè minimè cognoscere, sed tantum seipsum. In qua sententia alter è duobus, vt minimum error asseritur; vel Deum seipsum solummodo nosse, & creata solum, quatenus in seipso, vel Deus ipse sunt: quia dedecet Deum creata intueri, vel Deum creata non secundum peculiares, & proprias eorum rationes, sed solum secundum communem eorum rationem cognoscere, vt innominati quidam Doctores apud S. Tho. docuere: & in alterutro quidam Aristotelis error manifestè ampliatur.

2. Restrictum autem Aristotelis errorem videtur sonare vulgatissima illa Hieronymi sententia in illud Abacuch. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*, ita scribentis: *Absurdum est ad hoc deducere Dei Maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: qua cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum præda cedere debeant.* In Catholico verborum horum sensu indagando multi sunt scholastici. Soar. 3. de attriburis, c. 3. n. 3. censet solum negari à Hieronymo antecedentem Dei voluntatem efficacem de his animalculis producendis, seruandis, auferendisve causarum ad aliquid ex his naturalium præuisioni. Sed quid actus voluntatis cum scientia de his, quam hæc verba denegare videntur? Secundò ea præfinitio circa supernaturales solum effectus, teste Soario, versatur: ergo nec circa ortum naturalem, interitumve hominum eam Deus habet contra Hieronymi verba. Mitto eam præfinitionem Dei circa effectus supernaturales proximè, vel remotè liberos in Deo non esse, imò neque esse posse, vt contr. de volunt. contra Soarium ostendam. Molina, & Herize, & ante illos Magister, & Episcopus Lucensis in aduertentiis ad 6. tom. Hieronymi, quæsito. 5. aiunt solum negari a Hieronymo earum rerum successiuam, siue temporis successiu, seu, vt ille ait, per momenta singula habitam scientiam. Sed cum eam, quâ de his rebus Deo negat, scientiam, ipsi de hominibus concedat, in aliam hæresim declinare Hieronymum ea explicatio facit: nempe de hominibus successiuam scientiam habere Deum. Tertiò Valentia noster Catholico verborum sensu desperato, censet eum locum ex illis esse, quos in Prophetis ex aliena sententia à se scriptos, Hieronymus testatur Apolog. contra Rufinum: laxior tamen est solutio, desperatiorque, quam verba Hieronymi velint.

3. Germanam igitur eius loci interpretationem contextus dedit, qui, nisi Vasquiano more legatur, plurima, vt è truncatis Patrum sententiis, absurda deducentur. Præmiserat immediatè recitatis Hieronymus verba hæc: *In cæteris* (ab homine) *animalibus generalem quidem Dei dispositionem, & ordinem, eursumque rerum intelligere possumus: v. g. quomodo nascatur piscium multitudo, & viuat in aquis: quomodo reptilia, & quadrupedia oriatur in terra, & quibus alantur cibis: cæterum absurdum est*, &c. recitata. Solum ergo negat Hieronymus scientiam, & prouidentiam, specialemque attentionem Dei circa ortum, interitumque eorum animalium propter ipsa, ac non propter hominem potius, cuius commodo, & temporali, & æterno ea condidit, seruat, atque interimit, de quoque specialem curam, attentionemque gerit; quo sensu, 1. cor. 9. dicitur: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Constat sensus hic Hieronymi. Siquidem generalem Dei prouidentiam erga illa etiam expresè admittit. Neque enim generalis dispositionis vox significat (vt vult Vasquez) quod eis in particulari sumptis, neque attendat, nec prouideat Deus; sed quod eis non specialiter, sicut homini attendat, sed generali, & communi creaturis omnibus, & singulis prouidentia eis prospiciat. Hunc etiam sensum Hieronymi suadet textus immediatè locum initio propositum sequens. *Non simus tam fatui adulatores Dei, vt, dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nosmetipsos iniuriosi simus, eandem rationalium, atque irrationalium prouidentiam esse censentes:* vtque apertius eum loqui de speciali hominum prouidentia constaret, ex qua Angeli eorum custodiæ deputantur, vt ad Deum, quid de eis per momenta singula agatur, referant, ab eaque opem implorent, & de impertita gratias agant: subdit tandem: *Ex quo liber ille stultitiæ damnandus in quo scriptum est: quendam Angelum nomine Tyrij præesse reptilibus.* Et quidem nihil aliud Doctorem maximum ingenij, & constantiæ laudè præstantissimum sensisse, patet ex his, quæ ad illud Matthæi. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt*, &c. scripsit: *Si parua animalia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus semper est prouidentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei viuata prouidentia.* Eandem sententiam docuit expresè ad id Ierem. 32. *Nunquid mihi difficile*, &c.

4. Doctores aliquot tacito nomine citati à S. Th. eundè errorem videntur habuisse, quem in Auicenna, & Auerroe secundo loco notabamus, n. 1. fine. Nempe Deum creata quidem nosse, ast non secundum proprias, speciales, & atomas singulorum rationes; sed solum secundum rationem, seu prædicatum commune, quod solum prædicatum entis ab alio esse potest: cum nullum aliud creatis cunctis commune inueniatur: in eum sensum Mahometanum vtrumque, & innominatos alios Doctores interpretantur hic S. Th. & alij, non desunt tamen, qui eos aliter interpretentur; nempe asserere cognosci creata à Deo secundum omnia sua prædicata, confusè tamen cognita. Hæc tamen interpretatio solum videtur differre in admittendis præcisionibus formalibus & non obiectiuis in cognitione diuina erga creata: si enim confusè omnia simul cognoscit, non, nisi vt existentia seu in ordine ad existentiam ea omnia cognosceret, in quo solum conceptu confusè omnia adunari queunt: quare ea interpretatione sententia hæc non mitescit, imò initiosior est diuinæ cognitioni, cui confusionem in cognoscendis, seu repræsentandis præterea affingit.

CERTAMEN II.

Diuina scientia creatorum adhuc vilissimorum prædicata omnia, atoma etiam clarissimè attingit.

1. NOn vnam tantùm Catholicam veritatem præstitutus continet titulus: ac proinde variis conclusionibus statuendus, probandusque erit. Prima sit: Vilissima etiã creata Deus cognoscit. Conclusio hæc de fide inprimis est, atque opposita error expressus Aristotelis, & ciuorum Mahometanorum errori cõformis: imo & Manichæorum, qui visibilia, vilia præsertim, à Deo fieri, & gubernari, quare & attendi negabant. Probaturque ex longis tractatibus Augustini, & aliorum Patrum contra Manichæos, & ex Conciliis, quibus is error damnatus est; quorum testimonia, & loca notabimus contr. 6. de prouidentia. Insuper expressa est sapientiorum Philosophorum sententia. Platonis in epimen. & 10. de legib. Plotini. lib. de prouidentia, quorũ testimonia referunt Auguit. 10. de Ciuit. c. 14. & Ludouic. Viues ibi: Mercurij Trimegisti in Pimandro, Socratis apud Xenophontem lib. 4. de eius dictis, & factis, Thaletis Mil. apud Ciceronem dictis de peccatore: *Sed neque cogitant quidem latet Deum*: Sophoclis Poetæ apud Clementem Alexandrinum 5. Stromat. ante med dicentis: *Deum diuina semper exhibere sapientibus*, item Platonis apud Cyrillum Alexand. 3. contra Iulianum. aientis: *Deos neque ignorare, neque vim sustinere possibile esse.* De Ægyptiis refert Clemens Alex. inferius: *Aures, & oculos fabricantes ex materia pretiosa consecrasse, Dijs dedicantes: hoc vique significantes: quod Deus omnia videat, & audiat*: ac de eisdem Cyrill. Alex. 9. contra Iulia. versus med. *Volentes significare Deum, hoc est, summam, & qua super omnia est, naturam pingebant oculum, cui baculum substituebant, vt per hoc intelligatur, quod omnia videat, & sit ei regia dignitas.* Accedunt Philosophi, qui rerum omnium, etiam minimarum, prouidentiam, quæ sine earum scientia esse nequit, Deo concedunt, Zeno Ciceronis eum aliis stoicis; Alexander Aristotelis discipulus lib. de prouident. quæ recitat Cyrillus Alexandrinus 2. contra Iulianum post med. vbi & lib. 3. sub med. refert Platonis ideas rerum omnium, quæ absque earum cognitione esse in Deo non valent, & commissionem creationis animalium Angelis à Deo datam; quæ licet falsa sit, verumtamen de diuina animalium cognitione in sententia Platonis supponit quoad vilia aliqua, expressa veritas est, citato loco Matthæi 10. de passeribus, de liliis, de fœno agri, imo

&

& de capillis nostris fere solum sterquilinio, & ruderibus natis: quos, in numero etiam, notatos à Deo idem textus docet: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*: Vnde ad viliora (si quæ sunt) creata reliqua cuidens ducitur argumentum; cum eadem sit reliquorum vilium ratio, nec maior in reliquis, quam in enumeratis intuendis Dei indecentia, atque à ratione difficultas. Communem Patrum sensum, tam pro hac, quam pro duabus sequentibus testimonia recitat Ruiz d.illa 9.sect.4.

2. Probatur secundò ex his, quæ tam ab authoritate, quàm à ratione omniscientiam Dei probant: & quæ ab authoritate data iam à nobis sunt, qu.1. certam.1. num.2. & 3. atque nonnulla concl.2. addentur: vbi etiam adiungemus rationes præter datas citata quæstione 1.certam.2. num.tertio, quas præsenti materiæ applicare non est difficile. Primò enim vilissima etiam quæque à Deo causantur perfectissima actiuitate, & operatione, quæ cognitionis & voluntatis, imo & libertatis interuentu in operante necessario est. Secundo ex munere gubernatoris vniuersi, atque creatoris cunctis prouidentissimi parentis. Tertiò ex prouidentia speciali, quam de hominibus habet, & specialissima de prædestinatis, quibus vilissima animalcula mortificationis, ac meriti materia sunt. Quartò: quia hæc eadem, quantumuis vilia, determinatam habent entitatem, veritatem, & cognoscibilitatem: ergo & à Deo cognoscuntur: ne curta, ac limitata eius scientia sit. Vltimo: quia eiusmodi cognitio est perfectio sine imperfectione: ergo Deo concedenda. Antecedentis probatio præcipua, est solutio fundamenti Aristotelici, cui occurrimus qu.1. certam.2. num.4. fine, ex speciali natura cognitionis diuinæ. Cum enim omnino à creatis obiectis absoluta, & independens sit, nihil prorsus intrinsecæ suæ entitatis, & repræsentationis formalis, creatorum etiam emendicans, nil creatuæ vilitatis, imperfectionis, aut limitationis creatorum obiectorum trahit: quemadmodum solis radij purissimi sordida quæque obuia inuisunt, perserutantur, ac permeant, quin sordes inde patiantur, à suaue puritate, & splendore deficiant: quia non ex illis; sed è sole, scilicet limpidissimo, ac pellucido luminis fonte: ita etiam diuinæ mentis radij ex Deo solum ipso (tum, vt intelligente, tum vt obiecto) amplissimo luminum Patre lucem accipientes, ab obiectorum creatorum imperfectione, limitatione, vilitateque, multo solatibus radiis indemniores cuncta perlustrant: vt ideo etiam diuinæ mentis claritas solares faces longè superare dicatur Ecclesiast. 13. *Oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes.*

Et hæc sane solutio firmior (vtpote nulli instantiæ patens) est ea, quam subtiliter adhibuit Gregorius de Arimino, vetus scholarum delicium: & si cognitio creata speciem sumat ab obiecto, quod repræsentat, non autem eius imperfectionem, aut vilitatem, quia non obiecti speciem ipsam sumat, sed aliam suam. Neque enim vile est vilia cogitare eum, qui eorum cognitione à nobilioris obiecti cogitatione non remouetur: neque eorum cognitione in vile aliquid inducitur: quorum neutrum accidere Deo, imò nec beatis potest. Desumpta autem videtur solutio hæc ex Augustino de vtilitate credendi. cap.11. vbi ita scribit: *Intelligere semper sine vitio est: nam intelligere magna & honesta, vel etiam diuina beatissimum est: intelligere autem superflua nihil nocet; sed fortasse discere nocuit, cum tempus necessariorum occupauit. Ipsa etiam noxa non intelligere, sed facere, aut pati miserum est. Non enim si quis cogitet, quomodo possit inimicus sine suo periculo occidi, intelligentia, & non potius cupiditate reus est: quæ si absit, quid innocentius dici potest?* Cæterum si diuina cognitio à creatis obiectis, etiam quatenus circa ipsa versatur, quæque repræsentat, quoad intrinsecum sui specificaretur, ac dependeret limitata foret, & quo obiectorum creatorum imperfectiorum, & imperfectiorum, imperfectio crescret, proportione saltem geometrica & diuinæ illorum cognitionis perfectio minutior, & minutior foret: physico quidem, & metaphysico vitio, licet non morali, de quo Augustinus ibi: quare solutioni primæ standum merito censebam, & exemplo, quo eam olim illustrauit Nemesius Emisen.lib. de nat.hominis, cap.44.§.4. post med.

4. Sit secunda conclusio: creata cuncta secundum omnia eorum etiam atoma prædicata, & indiuiduantes differentias cognoscit, & penetrat scientia sua Deus. Est etiam Catholica conclusio contra Auicennam, Auerroem & innominatos à S.Thom. Doctores ex eis omnibus locis, quibus omnium creatorum scientia, seu omniscientia Dei in scriptura, Patribus, & Conciliis asseritur. *Omnia*, enim singularia omnia designat, non solum secundum rationem communem, in qua vnum potius sunt; sed qua plura, atque inter sese singulariter, atque indiuidualiter differunt. Secundo probatur ex illo Genes.1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, ex quo loco verbo *cuncta* idem argumentum desumitur: verbo autem *fecerat* aliud satis efficax: nam ea omnia in indiuiduo fecerat, atque omnia eorum etiam indiuidualia prædicata: ergo indiuidua omnia creata, & eorum etiam indiuidualia prædicata vidit: ex laude & complacentia diuina erga omnia creata illis verbis, *Et erant valdè bona*: tertium, nihilo segnius, argumentum instruitur: nisi enim intimè speciales, & indiuiduas etiam creatorum naturas penetrasset, imprudenter ea omnia laudaret: cum ex speciali natura, & prædicato cuiusque defectuosa, & indigna laudis esse possent; licet communi entis prædicato bona forent. Bonum enim ex integra causa; malum vero ex quocumque defectu: imo bonitas, & perfectio nil aliud, quam rei totalitas, & integritas, est. Tertiò Psal. 146. notitia Dei indiuiduarum omnium stellarum indiuiduatim esse expresse dicitur: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, vnde ad creata reliqua facilis est consequentia, & perspicua. A ratione verò totidem, eademque argumenta militant pro hac, ac pro prima conclusione: ex eo, quod omnia creata, ac secundum omnia prædicata, etiam indiuiduationem, à Deo intellectu, & voluntate ac libere fiant. Secundò quia secundum omnia sua prædicata sunt cognoscibilia, & vera. Tertiò: quia omnia indiuiduatim cognoscere perfectio sine imperfectione est; imò necessarium, vt Deus omniscius sit, sicuti necessario fore naturali ratione demonstratur.

5. Sit tertia conclusio etiam Catholica: ea omnia singulatim sine vlla confusione clarissimè, & distinctissimè cognoscit Deus. Probatur ex 4. ad Hebræ. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius*; quæ autem confusè solum videntur, nuda, & aperta oculis non sunt. Secundò ex Ecclesiast. 13. vbi *Oculi domini multo lucidiores sunt super solem circumspicientes.* Confusio verò obscuritas potius, quam claritas cognitionis est. A ratione probatur conclusio: quia, etsi Deus posset vnum prædicatum ab alio ex parte obiecti præscindere; ast potest etiam rem, vt physicè est, intueri: re autem ipsa, & physicè res quæuis indiuisa, & insectilis in se est: ergo nequit esse in ea cognitione rei, vt physicè, & re ipsa in se est, confusio, & complicatio, quæ solum in re partibus constante esse potest. Nihil autem partibus metaphysicis (de quibus hic loquimur) physice, atque, vt re ipsa est, constat; imò nec physicis partibus constant creata plura: ergo si qua in rerum, vt physicè sunt, cognitione confusio sit, in ipsa cognitione erit: ergo in Dei cognitione confusionis imperfectio in aduersa conclusione admittetur, quæ summæ perfectioni cognitionis diuinæ manifestè repugnat. Quod si Deus (vt fert valgarior sententia) nonnisi, vt physicè, ac re ipsa sunt, res potest cognoscere, clarius adhuc probata conclusio manebit; in alia verò admittente Deum ex parte obiecti, physicè etiam insectilis, posse cognitione sua præscindere, eadem ratio probat: quia, si omnia, & singula rei cuiusvis prædicata præscindendo cognoscit; in nullo ex his potest esse ex parte obiecti confusio: cum, adhuc metaphysicè indiuisibilia, prorsus omnia, & singula sint: quare, & cuiusvis complicationis, & confusionis obiectiuæ de se, & in se, omnino incapacia: ergo tota rota confusio Dei cognoscentis erit, atque in diuinam refundetur cognitionem: quo nihil absurdius, & eius perfectioni summæ repugnantius.

***

QVÆSTIO III.

An Deus creata omnia in seipsis specificatiue, nec solum secundum proprias eorum entitates, cognoscat?

QVÆSTIO etiam hæc vniuersim exagitatur præscindendo à creatorum statibus, siue possibilitatis, siue futuritionis absolutæ, vel conditionatæ: neque habetur in eo sensu, quo ea, quæ secundum propriam esse, & entitatem cognoscuntur in se, id est, secundum se, & idipsum, quod sunt, dicuntur cognosci: eo enim pacto creata in se à Deo cognosci ex fide, & ratione naturali, q. 1. & 2. certum esse vidimus: solum ergo inquirimus an creata in suæ entitatis veritate, qua diuinam terminant cognitionem, satis habeant, etiam determinatiui vt à Deo cognoscantur, quin aliquo alio egeant, vt in illa tanquam obiecta repræsentanda, & repræsentata diuina scientia feratur.

CERTAMEN I.

Duplex quæstionis sensus aperitur, Doctorumque in vtroque sensu sententiæ.

1. ADhuc in sensu secundo explicato cognitionis obiecti alicuius in se duplex sensus latet primo loco explicandus. Dupliciter enim potest obiectum, quod satis veritatis terminatiuæ habet, vt secundum se, atque eo sensu in se cognoscatur, alio nihilominus egere, vt in ipsum cognoscentis feratur cognitio, quam pure terminat, ita, vt illo alio deficiente, seu non cognito, & applicito, cognoscitiuæ potentiæ, quod illo eget, vt cognoscatur, nullatenus cognosceretur: ac proinde dupliciter potest habere obiectum determinatiuum necessarium ad sui cognitionem. Primo modo: quia alterum necessarium specificatiuum cognitionis illius est, & ipsum, quod cognoscendum per illam dicitur, pure terminatiuum est, vel satis de se non habet, vt suam specificet, aut moueat obiectiuè cognitionem: ita enim altero, vt necessario ad specificationem cognitionis, illius obiecti cognitio determinabitur: quare in se specificatiue, adæquatè, seu omninò non cognoscetur. Secundo modo, cum altero tanquam medio cognitio eget, in quo, aut ex quo illa, vel alia cognitio ad ipsum cognoscendum procedat: vt cum nos ex visione, aut cognitione causæ occultum nobis effectum cognitione deducimus, vel contra, & de vtroque determinatiuo dubium est, an creaturæ egeant, vt secundum se cognoscantur à Deo? ac proinde in se nequeant cognosci? an altero tantum? Verum qu. hac de primo modo, scilicet, specificatiui alterius necessitate agemus, ersi vtriusque meminerimus, vt confusam doctorum pro vtroque citationem abiiciamus.

2. Duplex hoc determinatiuorum genus distinxi 1. explicuique, vt distinctè Doctorum hac in re sententias proponerem, non confusè, sicut alij, qui determinatiua hæc non distinguentes eos, qui primo determinatiuo increato egere creata docent, vt cognoscantur, cum aliis, qui secundo determinatiui genere egere putant, miscent, duplicemque quæstionem satis diuersam confundunt. Inde Quiros noster tractatu de scientia, d. 44. in eius explicatione circa finem, versu, *Nihilominus* partem in dubio hoc affirmatiuam vniuersæ scholæ Societatis esse dixit: quasi hæc etiam sententia, quod creata obiecta non solùm secundum se, sed omnino in se à Deo cognoscantur, quin alio egeant determinatiuo, Thomisticam schoam Societatis nostræ à Thomistica Dominicanorum diuidat. Idque ex eo exploratum putat, quod nostri omnes in futuris creatis liberis id expressè contra Dominicanos fateantur. Sed certè de vtroque genere determinatiui necessarij, sine quo cognitio Dei erga creaturas esse nequeat, fallitur apertè: nam id, in quo nostri à Dominicanis conspirato, atque vnanimiter circa cognitionem diuinam futurorum liberorum in seipsis dissentiunt, non est circa cognitionem eorum in seipsis, tanquam in determinatiuo specificatiuè adæquate, & sufficienti ad ipsorum cognitionem: sed (vt sic loquar) medialiter: id est, non egere eiusmodi futura libera medio alio medialiter determinante Deum ad ipsorum cognitionem, v.g. decreto absoluto Dei, physicave præterminatione, vt Thomistæ, quasi iurato consensu, & sententia, contra nostram auxiliorum efficaciam, scientiamque mediam defendunt. Determinatiuum verò specificatiuè necessariò vt creata à Deo cognoscantur, plures nostri ex primoribus Doctores admittunt: ac subinde creata in se specificatiue (quod hac qu. examinare contendimus) cognosci negant, vt iam videbimus.

3. His ita explicatis, prima in proposita quæstione sententia est: creata vniuersim, ab eorum statibus præscindendo, in seipsis à Deo cognosci tam specificatiuè, quam medialiter, seu quod idem est, nullo determinatiuo à se diuerso, siue tanquam medio, siue tanquam specificatiuo ad diuinam erga ipsa cognitionem egere. Pro hac sententia refert Quiros sect. 1. n. 19. eos omnes, qui omnem Dei connexionem cum creaturis negant: quasi necessario hanc sententiam docere inde teneantur, cum tamen ex connexionis præfatæ negatione, vt summum inferatur, non cognosci in Deo tanquam in medio, ac proinde in se cognosci, quin alio determinatiuo tanquam medio egeant; non autem alio specificatiuè determinante non egere, ac proinde specificatiue non, nisi in alio, cognosci. Refert verò ex aliis, qui eiusmodi connexionem admittunt pro sententia eadem nostros Henrizę d. 5. cap. 4. Martinon. d. 10. sect. 1. Arriaga d. 19. sect. 4. Moncæum d. 3. selectar. cap. 11. § *quod ergo*, Cardinalem de Lugo in manuscriptis, quibus addę Albiz d. 5. de scientia, Becanum: 1. par. cap. 10. qu. 4. n. 4. ac insuper Recentiores Complurentes, & Murcianos sæpè à nobis citatos. Pro eadem Murciani eos omnes stare putant, qui docent, creaturas possibiles in seipsis cognosci. Sed certè, qui ex antiquioribus ita docent, solam necessitatem cognitionis creaturarum in Deo tanquam in medio negant; quare non asserunt in seipsis etiam tanquam in determinatiuo specificante, seu specificatiuo cognitionis ipsarum creaturas cognosci. Vnde non omnino in se cognosci defendere non tenentur.

4. Secunda sententia est, creaturas in seipsis nullatenus à Deo cognosci, sed Deo tanquam determinatiuo egere: Durand. Capreol. Caiet. Bannez, Zunel, & Thomistæ reliqui, quos refert, & sequitur Ruiz d. 10. de scientia sect. 2. d. 11. sect. 3. Molina 1. par. qu. 4. d. vnic. concl. 2. Valent. ibi punct. 4. Soar. 3. de attrib. c. 2. Arrubal. d. 29. cap. 3. Gonz. d. Albiz d. 37. sect. 2. Tanner. d. 2. qu. 3. dub. 3. & alij. Cæterum neque huic citationi fidendum: quia Thomistæ, & reliqui ferè solummodo loquuntur de necessitate cognitionis creaturarum in alio tanquam in medio prius cognito, ac necessariò cognoscendo, vt in illo creaturæ à Deo cognoscantur; non autem de cognitione earum in Deo, tanquam in necessario specificatiuo, seu determinatiuo specificatiue cognitionis suæ erga creaturas. Licet enim medium determinans cognitionem illius specificatiuum habeatur, id tamen non tollit, quod obiectum in illo tanquam medio cognitum, eandem etiam, imo intimius specificet. Et quidem Recentiores pro his duabus sententiis citati pro sua quique citant Scotum in 1. d. 35. & 36. Gregorium, Okam & Gabrielem, qui, me iudice, pro prima potius stant, vt videre est in Scoto d. 36. q. 1. §. *Ad ista*. Gregorio, qu. vnic. §. *Ex his contra secundum*, & §. *Ideo dico sequenti formali*. Gabriele qu. 2. art. 2.

5. Tertia sententia est asserentium, creaturas ad sui cognitionem à Deo ipso, vt medio prius cognito non egere, ac proinde eo sensu in se cognosci à Deo posse, de facto que cognosci; ast in seipsis specificatiuè nullatenus cognosci; sed in Deo adæquato cognitionis suæ obiecto primario, & specificatiuo: ac proinde respectu cuius creata, & extrinseca obiecta materialia solum obiecta sunt. Ita noster Vasquez 1. par. d. 60. cap. 3. Arrubal loco citato,

citato, Alarcon tract. 2. d. 2. cap. 3. & 5. Gaspar Hurtado, d. 2. diff. 2. Quarta denique sententia esse posset, creaturas in se specificatiue quidem cognosci à Deo, secus mediate: quia Deo, aliquoue prædicato diuino, vt medio præcognito egent, vt cognoscantur. Non secus ac propositiones non per se notæ; sed ex mediis à nobis illatæ, sua veritate specificant conclusionem, licet medio præcognito, vt eis assentiamur, opus habeant: esto extrinsece, aut physice à medij cognitione conclusionis assensus determinetur in nobis: in Deo autem sit eiusmodi determinatio à cognitione sui ad cognitionem creaturarum metaphysica solum: quia reipsa vtriusque cognitio eadem reipsa est huius sententiæ.

CERTAMEN II.

Nostra prima conclusio stabilitur.

1. DIco primo: creata obiecta in se specificatiue nullatenus cognoscuntur: Pro hac conclusione stant, præter proxime citatos, hi omnes, quos recensuimus d. 2. q. 5. cert. 2. num. 2. Probatur facile ex dictis ibi: quia adæquatum obiectum specificatiuum, sine quo non, diuinæ cognitionis Deus solus est: ergo nequeunt in se specificatiue cognosci: alioqui & ipsa etiam specificatiua diuinæ cognitionis essent: ac subinde non adæquatum specificatiuum Deus solus. Probaui Antecedens citato loco ex independentia prædicati cuiusuis diuini ab extrinseco omni, in quouis statu, maiorique illius necessitate, & constantia essendi, quam reliqua, adhuc possibilia. Ex qua certo infertur, Dei scientiam totam eis per impossibile repugnantibus fore. Dices, fore erga seipsum, non circa possibilia. Contra: quia scientia Dei circa possibilia necessaria est, ac non contingens: ergo non distinguitur realiter, virtualiter adhuc, à scientia Dei erga seipsum. Hinc infero primo: ergo tunc reipsa omnino persisteret scientia Dei erga possibilia secundum omnia intrinseca ipsius scientiæ: siquidem persisteret scientia Dei erga seipsum quæ scientia possibilium realiter, etiam virtualiter est.

2. Si dicas non dari in Deo scientiam possibilium secundum se, sed solum, vt sunt in Deo d. 5. confutaberis, vbi possibilia secundum seipsa, nec solum, vt in Deo sunt, ab ipso cognosci ostendemus. Deinde ea solutio Thomistarum est, qui Deo suæ totius scientiæ adæquatum specificatium non negant. Secundò infertur, deficiente scientia Dei erga possibilia in ea hypothesi repugnantiæ eorum, scientiam Dei defecturam iure identitatis realis, etiam virtualis, cum illa, quam cum fundamento, adhuc apparenti, inter prædicata Dei communia nemo potest admittere: ego autem etiam inter contingentia, & necessaria, personaliaque, & communia nusquam admittendam reor: quare vtraque illatio in scientia diuina contingentium, & diuinorum necessariorum fieri optime in nostris principiis, & earum vltima, maiore, siue clariore, absurditate potest.

3. Probatur secundò conclusio: quia casu, quo creata omnia deficerent, imo repugnarent, scientia diuina daretur, saltem erga seipsum. Inquiro ergo, an aliquid repræsentationis intrinsecæ diuinæ scientiæ tunc deesset? necne: si deesset aliquid repræsentationis formalis intrinsece Deo possibilis, imperfecta neque omniscientia de se esset: quare neque scientia diuina; si nihil repræsentationis intrinsecæ deficeret: ergo eis ablatis, & repugnantibus omniscientia, & omnirepræsentatio de se, & quoad intrinsecum maneret: quare & creaturarum omnium, si illæ, aut existant, aut non repugnent: quemadmodum de omnipotentia philosophamur: ergo creaturæ scientiæ diuinæ circa ipsa exercite & actualis, quoad intrinsecum cognitionis, ac repræsentationis specificatiuum non sunt: etenim scientiam sine suo specificatiuo esse repugnat. Quod autem non esset scientia earum, quoad denominationem, & nostro imperfecto modo cognoscendi nihil præstat, vt de Dei scientia circa creata, prout in seipsa, & quoad intrinsecum quod vere Dei, ac diuinum est, iudicamus.

4. Probatur tertiò conclusio, & confirmatur ratio præcedens: quia scientia Dei actu, & exercite talis (vt de reliquis attributis controu. 1. statuimus) è prædicato diuinæ infinita esse debet; ac proinde omniscientia actu, & exercitè, seu omnis veri, & cognoscibilis actualis cognitio de esse: atqui deficientibus, imo repugnantibus omnibus Deus se cognosceret, esseque absolutè scientia diuina actu, & exercite, quoad intrinsecum: ergo infinita, & omniscientia actu, & exercite creaturarum, quoad intrinsecum sui, à creaturis non specificatur, vt legitime inferebamus nuper. Specificatiuum enim obiectum scientiæ est obiectum, sine quo non, scientiæ ipsius. Dices non minus debere pendere scientiam ab obiecto terminatiuo, quod vere, ac non solum denominatiuè attingit, quam ab specificatiuo: cum non minus illius, quam huius sit actualis, & exercita repræsentatio: ergo hoc argumentum probat contra hactenus statuta; scilicet, creata secundum se non à Deo vere cognosci, & repræsentari: imo, si terminatiuè secundum se repræsententur, ac proinde ab eis pendeat, vt diximus, diuina cognitio, erunt obiecta, sine quibus non, diuinæ cognitionis æque, atque Deus eiusdem cognitionis, vt ad se versatur; quid ergo eis deficiet, vt cognitionis diuinæ erga ipsas, verum ac proprium specificatiuum sint, an solum quod ita eas nolumus nominari?

5. Dicito scientiam vniuersim non minus ab aliquo obiecto terminatiuo, quam ab specificatiuo pendere, vt d. 2. q. 5. cert. 2. contra Recentiores Complutenses probauimus, atque in creatis cognitionibus speciatim verum habere antecedens, ac proinde legitimas etiam in eis fortasse consequentias esse, vt obiectum terminatiuum specificatiuum sit, licet non totale; ast in diuina scientia in speciali solum ex eo antecedenti inferri debere habere aliquod obiectum, sine quo non, tam terminatiuum, quam specificatiuum: cum, vt constantissime omnium sit, tum vt infinita, vtpote diuina, ac subinde omniscientia è conceptu suo essentiali sit. Vt autem hæc habeat, solum potest habere obiectum, sine quo non, summæ necessitatis, atque essentia sua infinitum: cuiusmodi solus Deus est: ac proinde obiecti terminatiui, sine quo non, seu, quod idem est, specificatiui suæ scientiæ solus Deus rationem habet, habereque potest; vti vidimus. Creaturæ autem terminatiui solum, licet secundum se ea cognitione (quæ aliunde esse omnium, ac subinde earum repræsentationem actu, & exercite habet) actu, & exercite repræsentantur. Quare, licet non denominatiue solum cognoscantur, sicut coloris subiectum, cum is videtur; sed vere, ac secundum seipsas; ast, quia ipsarum repræsentatio, & cognitio diuina, qua ipsarum etiam, quoad intrinsecum repræsentationis, non magis pendet, quam à substantia, in qua color est, coloris sensatio, inde pure terminatiui, ac non specificatiui, materialisque, & secundarij obiecti rationem respectu diuinæ scientiæ (etiam vt ipsarum repræsentatio quoad intrinsecum totum scientiæ diuinæ) rationem habent, ac merito eis nominibus communiter à Doctoribus respectu scientiæ diuinæ compellantur.

CERTAMEN III.

Secunda conclusio statuitur.

1. DIco secundo: creata in seipsis absolutè à Deo cognoscuntur, tanquam in obiecto formali, & motiuo cognitionis ipsarum. Hæc conclusio videtur esse contra Gasparem Hurtado, Procœmio disputationis 2. de scientia, vbi docet, Deo nullum esse obiectum formale motiuum ad aliquid cognoscendum; imo nec nobis, nisi ad assensum fidei. Videtur etiam conclusio hæc primæ nostræ hactenus statutæ aduersari: idem enim obiectum specificatiuum formale, & motiuum cognitionis omnibus semare videntur. Cæterum neque ita Gaspari Hurtado aduersatur, neque primæ nostræ conclusioni contradicit. Gaspar enim Hurtado scientiam Dei, vt simplex obiecti cuiusque a prehensio est, præcise considerabat, cum obiectum formale motiuum illi deneg bat: virque iudicij ingenuitate præclarus communem plurium doctrinam, qui

nostris omnibus cognitionibus, imo cognitioni omni vniuersim, obiectum formale,& motiuum designandum censent, præ sua ingenuitate exosus, omni cognitioni negandum iudicauit præter fidei actum, ideſt, assensum, & iudicium, qui discursu non comparatur; sed simplici sola motiui applicatione habetur. Intelligit ergo simplicem, ac non discursiuam cognitionem; nisi assensus, seu iudicium sit, obiectum formale & motiuum non habere, maximè à materiali diuersum præter assensum fidei: id quod verissimum esse, ostendimus contro. de anima, de potentia intellectiua, eiusque actibus, atque hic iterum breui perstringam, dum meam conclusionem probabo, atque cum prima componam.

2. Vtrumque autem præsto, supponendo in cognitione, & scientia diuina cuiusque obiecti duas formalitates necessario esse præscindendas: primam simplicis apprehensionis obiecti, & veritatis propositæ: secundam iudicij, & assensus, qua Deus iudicat, assentiturque ita rem, seu veritatem illam esse, sicut ipsi proponitur: similiter cum alicui obiecto dissentitur, simplici apprehensione non esse cognoscit. Ratio est: quia iudicium de incognitis, ac non apprehensis, neque assensu, nec dissensu haberi potest, sicut certum apud omnes est: atque à paritate voluntatis, quæ nec odisse, aut fugere, neque prosequi, aut amare bonum, vel malum potest, quod ignorat. Supponendum item est contra communem plurium, qui res non satis dispiciunt, & examinant, doctrinam memoratam in actibus intellectus obiectum formale, seu motiuum pro simplici apprehensione non dari, sed solum pro iudicio; & pro hoc ita necessario dari, vt nequeat iudicium sine obiecto formali, seu motiuo aliquo haberi: quod pro iudicio dari motiuum, siue dissensus, siue assensus cuiusuis sit necesse, exploratum apud omnes est: siquidem rem ita esse, vt iudicanda est, aut non ita esse, oportet prænosci ad assentiendum, siue id ex terminis per se innotescat, vt in primis principiis euenit, siue ex medio, cum ex discursu esse, vel non esse iudicamus: siue ex motiuo extrinseco, vt cum alterius testimonio ita esse, vel non esse credimus. Et sanè huic quæstioni *astra sunt paria? vel hoc anno veniet legatus Turcæ Matritum?* nemo assentietur, dissentieturue, si ad alterutrum motiuum non apprehendat. Idcirco dicebamus suppositione 1. Deo simplicem apprehensionem de obiectis iudicandis negari minime posse.

3. Quod verò simplex apprehensio motiuum, siue obiectum formale non habeat, licet illud percipiat, atque pro iudicio habendo intellectui proponat, facile probatur: quia alioqui cuiuis simplici apprehensioni motiuum proponendum per simplicem aliam apprehensionem, vt minimum, & huic per aliam & sic in infinitum assignari oporteret. Secundo: quia ad apprehendendum specie, vel obiecto excitante, & determinante, ac complente actiuè potentiam, satis est, vt experimur. Ratio verò à priori est: quia simplex apprehensio, nec prosecutiua, nec fugax obiecti est; sed solum repræsentatiua simpliciter, iudicio assensum, vel dissensum referuans: ergo motiuo obiecto non eget: imo neque illud habet: Motiuum enim solum ad assensum, seu prosecutionem, vel dissensum, vel fugam potentiæ proponitur. Ex quibus omnibus constat cognitionem vniuersim, diuinamque speciatim, non secundum sui omnem formalitatem debere habere obiectum formale motiuum; licet cognitio omnis aliquod obiectum, sine quo non, ac proinde specificatiuum habere debeat, vt contra Recentiores citata d. 2. quæst. 5. ostendebamus certam. 1. & 2. constatque tandem ad rem præsentem obiectum formale motiuum, idem non esse cum obiecto specificatiuo, vt plures autumant: quare neque secundam hanc conclusionem primæ, quam certam. 2. posuimus, aduersari.

4. Iam verò secunda hæc conclusio facile suadetur: quia motiuum formale obiectiuum scientiæ diuinæ, qua assensus circa obiectum Deo propositum per simplicem diuinam scientiam, eandem realiter cum Dei iudicio, formaliter verò diuersam (vt diximus, atque de diuisione formalitatum diuinæ scientiæ circa idem obiectum dicemus) est ita rem esse, vt repræsentatur, & proponitur: qua dissensus verò non esse ita, vt proponitur, & repræsentatur: atqui hoc est veritas intrinseca, vel falsitas obiecti propositi, non autem aliquid ab eo diuersum, siue creatum, siue increatum sit obiectum: ergo obiectum formale motiuum scientiæ Dei circa creata obiecta intrinsecum semper ipsis est: ergo creata in seipsis, tanquam in obiecto formali motiuo à Deo cognoscuntur. Vltima consequentia est legitima: penultima etiam ex dictis n. 3. si vera est vtraque præmissa, (vt veram statim ostendam) est etiam manifesta. Nam obiectum formale motiuum scientiæ Dei, de quouis obiecto solum esse potest scientia Dei, vt iudicium de illo obiecto est: ergo solum pro iudicio diuino de creatis obiectis esse potest: ergo si pro hoc debet esse obiectum formale motiuum veritas intrinseca creatorum obiectorum, semper erit obiectum formale motiuum scientiæ diuinæ circa creata intrinsecum ipsis creatis obiectis.

5. Restat solummodo probandum Antecedens, cuius Maior est certa: ideo enim assentitur intellectus omnis (præcipuè infallibilis in iudicando, cuiusmodi diuinus est) quia apprehendit saltem, rem ita esse, sicut per obiectiuam propositionem ipsi proponitur; ideoque dissentitur, & fugit, quia non esse ita, sed aliter ac proponitur, apprehendit. Minor æque est conspicua. Etenim rem, vel obiectum creatum, seu increatum ita esse vel non esse extrinsecum rei non est: v. g. hominem esse rationalem intrinsecum, & essentiale homini est: Item hominem existere, esse album, vel nigrum identice idem est cum subiecto prædicationis proposito adhuc in obiectiua propositione accidentali. Ideo enim verum est obiectum cuiusuis propositionis: quia prædicatum idem reuera est quod subiectum. Hoc autem intrinsecum est vtrique, seu potius rei, & obiecto eidem, quod vtrumque est; & à contra ideo est falsum obiectum, quia non est idem in re subiectum, & prædicatum, sicut proponitur, veraque est negatio identitatis in vtroque: v. g. homo est equus, vel est albus cum albus non est: ac proinde ei dissentitur Deus. Hæc autem omnia ita in obiectis habent, quia in seipsis ita reipsa habent; non autem quia Deus, vel quia aliquid diuinum est formaliter loquendo; licet effectiuè in contingentibus ita se habere, vel non habere à Deo pendeat: positis autem obiectis creatis in se, & ita se habentibus, etsi per impossibile à Deo non ponerentur imò nec Deus esset, æque daretur motiuum formale assensus vel dissensus, vt patet.

6. Obiicies: obiectum formale motiuum assensus, vel dissensus nequit non esse eius specificatiuum: ideo enim speciem iudicij generatim, & in specie assensus, vel dissensus sumunt: ac proinde eiusmodi obiectum formale motiuum est obiectum, sine quo non iudicij, quod ob ipsum habetur: in quo essentiam obiecti formalis motiui fuisse diximus: atqui per nos nihil creatum potest esse specificatiuum cognitionis sui à Deo quoad intrinsecum cognitionis: ergo neque obiectum formale motiuum: Respondetur distinguendo, Maiorem. Nequit non esse eius assensus specificatiuum, seu obiectum, sine quo non, creati, concedo Maiorem; increati, nego Maiorem. Sicut enim independenter ab omni obiecto terminatiuo creato est omnis scientia apprehensiue Dei scientia, ita & est omnis iudicium, siue omnis veritatis obiectiuæ assensus, omnisque falsitatis dissensus ob motiuum cuiusque; sicut ob veritatem terminatiuam pure est omnis apprehensio. Itaque ea omnia ad denominationem siue apprehensionis, siue iudicij diuini de obiecto creato solummodo requiruntur, non ad intrinsecam formalitatem, siue apprehensionis, siue iudicij diuini, ad quam solam obiectiuè terminatiuo, & motiuo: sicut diuina bonitas, ad amorem, vel odium Dei, etiam ob motiuum bonitatis, vel malitiæ creatæ, si affectus quoad intrinsecum ipsorum consideretur.

***

CERTAMEN IV.

Tertia & vltima conclusio, qua tandem tota quæstio dissoluitur.

1. Dico tertio: creata omnia obiecta in seipsis immediatiter cognoscuntur à Deo, siue sine medij interuentu necessitate; etsi demus in mediis aliquibus etiam à Deo cognosci, de quo d. 6. Hæc conclusio est contra Thomistas, tam Dominicanos, quam recentes Iesuitas aliquos, aliosque, quos omnes citauimus certam. 1. num. 4. est autem certo, & aperte eorum omnium, quitam à nostris, quam ab aliis, citantur num. 3. & nu. 5. probatur facilius adhuc, & manifestius. Etenim creata omnia entitatem solidam nec solum apparentem habent in se ipsis: ergo, & veritatem: hæc enim, & entis individua passio est, atque in positiua, nec solum apparente soliditate essendi consistit, vt ostendimus in metaphysicis, & diximus controuers. de Trinit. d. 6. quæst. 2. atque hic controuers. 1. ac sepius. Iam vero, si veritatem in seipsis habent, satis etiam habebunt in se ad determinandum obiectiue omnintellectiuum Deum, seu Dei intellectum de se determinatum ad omnis veri, seu veritatis cognitionem: ac proinde in seipsis à Deo cognoscentur. Confirmatur: quia sublato quouis alio, creatisque permanentibus, entitas, veritas, ac proinde earum cognoscibilitas perstitet, & seipsis cognoscibiles essent: atqui existente etiam Deo eadem ipsarum entitas, essentia, & veritas perstisteret: cum Dei existentia illarum essentiam, & entitatem, ac proinde veritatem, & cognoscibilitatem non mutet, sed potius eam actiue pro sua voluntate in actu exercito ponat, positiue apponere: ergo à Deo in seipsis, ac sine medio cognoscentur, ni Deus omniscius non sit.

2. Probatur secundò conclusio facilius ex dictis d. 2. quæst. 5. certam. 2. & hic etiam: quia diuina scientia ex Deo, tanquam principio, & obiecto solum, euadit omniscientia, & omnirepræsentatio formalis intentionalis actu, & exercite talis, quoad totum intrinsecum cognitionis, & repræsentationis diuinæ: ergo sola veri positio, seu propositio requiritur, vt actu, quoad denominationem etiam, anticipata sui cognitione, à Deo cognoscatur: atqui creata seipsis, atque intrinseca sua essentia sui veritatem formaliter ponunt: ergo in seipsis cognoscuntur, quin alio egeant, vt actu cognoscantur, & cognitæ à Deo concipi, denominarique possint. Id quod speculi exemplo, quod obuia quæque proposita repræsentat, doctores, quibus ea in re consentimus bene explicarunt: physicum in his influxum specierum ad sui cognitionem, qui actuus planè, ac non pure obiectiuus est, ab obiectiua terminatione mente segregantes; licet autem respectu potentiæ ab obiecto mouendæ non ita facile obiectiuus concursus ab influxiuo, mente adhuc, diuidi posse videatur: at respectu cognitionis formalis, & repræsentationis sui, quoad totum intrinsecum repræsentationis aliunde anticipato habitæ facillime per rationem diuiditur, atque speculi exemplum ad rem nostram adaptatur.

3. Tertio denique probatur: quia etiam dum in alio, tanquam in medio (quodcumque illud iuxta varias opiniones sit) creata cognoscuntur ad ipsa secundum se formaliter repræsentanda diuina cognitio extenditur, neque in medio illo sistit, ne ad ea progrediatur, vt aduersarij fatentur, ex fideque, & ratione ostendebamus q. proxima. Hoc autem fieri minimè potest, nisi ad eam cognitionem Dei quatenus ipsarum repræsentatio est, satis vetustatis in se habeant, vt ipsam terminare queant: ergo respectu illius cognitionis, qua ipsa repræsentat in se ipsis, tunc etiam cognoscuntur, & repræsentantur: quid ergo eis deficit, vt sine illo etiam medio cognoscantur in seipsis à Deo? dices possibilia tantum nullam habere entitatem, seu esse; nec futura conditionatè, imo neque futura absolutè actu esse aliquod habere: ergo nec veritatem, & cognoscibilitatem. Difficultates istæ, nec quæstionis, nec dilucidationis præsentis sunt, sed quintæ, vbi eas suo ordine examinabimus. Sed neque præsentes conclusiones tangunt, quibus satis est creata actu existentia, quæque omnium sententia actu vera, & cognoscibilia sunt, à Deo in seipsis cognosci. Præscindunt enim conclusiones istæ, vt diximus, à quæstionibus de istantibus, quibus creata in se habeant cognoscibilitatem veram; sed solum contendimus in quocumque illam habeant, in seipsis à Deo cognosci.

4. Magis ad speciem opponuntur S. Tho. 1. p. q. 14. a. 5. fine dicens: *Quod Deus seipsum videt in seipso: quia seipsum videt per essentiam suam; alia autem à se videt non in ipsis, sed in seipso.* Et Dionys. 7. de diuin. nom. sub med. illis verbis: *Ea quæ sunt nouit, non rerum notitia, sed sui.* Augustin. 5. de Genes. ad lit. id. Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat*: ita explicans: *In qua vita vidit omnia, quando fecit: & sicut vidit ea, ita fecit: non præter seipsum videns; sed in seipso.* Cæterum, si vt sonant, hæ Patrum negatiuæ propositiones, accipiantur, omnem sensum cognitionis creaturarum à Deo in seipsis excludunt, ac proinde, & secundum seipsas cognosci à Deo, negant iuxta dicta in quæstionis præfatione, quod est erroneum. Idque clarius sonare videtur particula illa *Præter* Augustini. Nonnulli volunt negari à Patribus hisce influxum creatorum obiectorum in sui ipsorum notitiam diuinam; ac proinde huius ab illis dependentiam: id quod, si ita esset, verum certe à Patribus diceretur; sed certe profundius aliquid Patres docere nos volunt; non autem aduersariorum, doctrinæ, sed nostræ consonum valde, quodque alta subtilique, & solita sibi Patrum interpretatione nostet Vazquez supra fuit assequutus.

5. Ex illo igitur, & aliis postea respondeo: Patres hoc se solum docere, quod nos cum ipso docuimus cert. 2. Nempe scientiam Dei erga seipsum omniscientiam, & cognitionem, quoad intrinsecum cognitionis, actualem, & exercitam creatorum, & cognoscibilium omnium esse. Ideo S. Thomas immediate obiectis annectit: *In quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*: vtique intentionalem cognitionis suæ, quæ eius essentia est, vt sibi aiebat, & quidem alia à Deo in seipsis cognosci docuit expresse a. 6. ad. 1. a. 13. corp. q. 57. a. 3. corp. & ad 3. 2. 2. q. 171. ar. 6. ad 2. & 1. cont. gent. a. 66. fine. q. 2. de verit. a. 4. & 6. in 1. d. 38. q. vn. ar. 5. corp. Id etiam per se sonant Dionysij verba. *Non rerum notitia sed sui*: inaxime, si vicinam eiusdem sententiam addas? *Non igitur proprium sui notitiam Deus habet, aliam autem, qua communiter, & generaliter ea, quæ sunt, omnia comprehendit.* Eadem quippe, & insectisi adhuc formaliter scientia sui alia etiam cognoscit; ac illa; *Eadem etiam causa vna simul, vt à se profecta, & in se ante constantia cognoscat: neque ab his, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiat.* Eadem est Augustini sententia, ex qua constat, quomodo Deus quauis formalitate suæ scientiæ beatus sit: quia vna sola formalitate, qua se, & creata obiecta indiuisibiliter ex parte cognitionis repræsentat. Secundo quomodo Dei scientia sit sui comprehentio, atque ex vi eius (si id requiratur ad comprehensionem) videantur à Deo creaturæ? constat denique, neque plura verba, & generationes in diuinis, adhuc formaliter fore: cum eadem formaliter sit Dei, & creaturarum diuina cognitio, etsi in eis, qui eas scientias formaliter metaphysicè diuidunt, & verbi formalitates, & generationes etiam in diuinis dijudere non videatur absurdum. Est autem iuxta nostram doctrinam proximam ita, ne formaliter quidem, diuidere, & Deo dignius, & solidæ Theologiæ multo congruentius.

QVÆSTIO IV.

An creaturarum negationes cognoscat Deus?

QVæ hactenus de creatorum omnium diuina cognitione diximus, de creatis posticiis rebus, à Deo nimirum diuersis, apertius probant. Ea siquidem

quidem creata entia sunt,& quæ à Deo propriè causantur, ac necessario eius potentiam supponunt, sine qua esse de facto, imo & de possibili, minime possunt; cum essentia sua entia ab alio sint: quare, & huius sublata potentia repugnarent, atque esse adhuc possibiliter desinerent. Negationes autem possibilium tam in statu possibilitatis, quam suæ qualis qualis existentiæ,non ita à Dei potentia, & influxu pendent: quia, vt aliquid non sit, nulla potentia, aut influxus requiritur; sed satis habeat causam, & influxum ad positiuum quod per ipsam formaliter à rebus amouetur, non esse. Ea igitur de causa, & quia in creaturarum carentiis difficultates aliæ occurrunt,de illis seorsim disputandum nobis fuerit. Animaduertendum tamen est, quæstionem præsentem solummodo esse de diuinæ scientiæ ad creaturarum carentias terminatione, & attigentia. An, scilicet, ad eas secundum se sumptas repræsentandas æque, atque ad positiua creata repræsentanda, diuina scientia extendatur? non autem de medio, vel determinatiuo, aut verificatiuo, in quo, vel ex quo ad eas repræsentandas determinetur, an aliquid ab eis diuersum sit? an contra in seipsis eiusmodi carentias solummodo repræsentatione sua pertingat? hoc enim secundum ad disputationem sequentem (si rectæ methodi habenda ratio) attinet aperte. Solum ergo nunc quæritur: an negationes, seu carentias rerum creatarum possibilium secundum seipsas, atque in ipsismet tanquam sufficientibus diuinæ erga ipsas scientiæ terminatiuis obiectiuis,sine repræsentandis obiectis cognoscat Deus? In quo, etsi affinis valde, duplex veritas examinanda continetur, vt decursu quæstionis clarebit.

CERTAMEN I.

Doctorum placita.

1. PRimus hac in re sentiendi modus esto: negationes creaturarum secundum se sumptas, atque in suo quali quali esse negatiuo per Dei scientiam nullatenus repræsentari; sed solum quatenus positiuas entitates (quarum illæ reales formales remotiones sunt) Deus scientia sua, nec pertingit, cum absint, nec realiter formaliter sibi repræsentat: neque aliter illas cognosci à Deo posse: quemadmodum & nos tenebras oculis corporeis carenus solum videmus, ac videre dicimur, quatenus, cum tenebræ suo modo sunt, & adsunt, abestque lumen, hoc non videmus; non autem visu aliquam eius negationem pertingimus.Ea vero carentiæ cognitio priuatiua eius cognitio vulgo nominatur. Porrò hic opinandi modus sicuti etiam subiiciendus secundus male intellecto vulgari illo proloquio: *Quod non est, non scitur*, vnicè innititur.

2. Alter opinandi modus in re præsenti sit: carentias rerum à Deo cognosci non solum priuatiuè (vt modus ferebat primus) quatenus entia, quæ è rebus tollunt, Deus non cognoscit; sed quatenus quasi reflexa cognitione se entia illa non videre cognoscit: ac proinde, & illa entia in rebus non esse. Non secus atque nos tenebras esse intellectu reflexè concipimus, ac iudicamus: quia cognoscimus nos lucem visu neutiquam videre, cum abest. Hic tamen modus facile specialibus (præter communes, quibus nostram statuemus conclusionem) impugnationibus refellitur. Si enim cognitionis entis positiui carentia veritatem obiectiuam & cognoscibilitatem habet, qua secundum se sumpta diuinam cerminet cognitionem, atque à diuina mente cognoscatur: cur non & carentiæ entium aliorum veritatem obiectiuam habebunt, vt secundum se diuinam cognitionem terminare queant? exemplum è nostra tenebrarum cognitione è re non est: quia negatio, seu priuatio, & carentia visionis lucis eadem potentia visiua non percipitur, extra cuius obiectiuam sphæram omnino est; sed à potentia nostra intellectiua,intra cuius obiectiuam est, cognoscitur, discursuque pertingitur: ast si negatio, aut carentia aliqua secundum se veritatem obiectiuam,& cognoscibilitatem habeat, carentiæ vtique omnes eam habebunt, atque intra sphæram omniscij intellectus diuini obiectiuam erunt: ac proinde ab illo secundum seipsas cognoscentur.

3. Tertius hac in re opinandi modus est, rerum carentias non cognosci à Deo secundum se sumptas sed solem, vt vestitas entitate quadam rationis. Atque hæc opinio tribuitur Enrrico, & Canariensi 1.p.q.14. a.9. atque nonnullis primoribus quidem nostris Doctoribus, Valentiæ nimirum tom.1. d.1.q.14. pun.7. §. *Hoc autem vt rectius intelligatur*, Molinæ 1. p.q.14. art.9. Fonsecæ in sua metaphysica. Cæterum Valentia citato loco nihil eiusmodi asseruit, quin expresse concedit Deo conceptum directum, quo cognoscat in re non esse illud bonum,seu positiuum, quod de illa negatur, seu quo illi negetur eiusmodi positiuum,quod ab illa per negationem remouetur: solumque ait, negationem, & priuationem,vt ens rationis est conceptu alio reflexo cognosci; quia directo illo primo ens rationis compingi putat.Molina nec verbum ea de re citato loco habet, solumque ait: priuationis, & negationis esse, rationis esse: quod verissimum est: neque aliud docet Fonseca, quin vt vidimus, carentiis rerum possibilium aliquod esse verum negatiuum concedit, licet esse positiuum illarum rationis solummodo esse posse, defendat. Neque aliam fuisse Enrrici,& Canariensis, fauiue cuiuspiam Doctoris mentem existimo: quam carentias, vt esse, seu cum esse à quocumque cogitentur, entitate rationis eas induci opottere: quod certissimum est, cum esse positiuum, quod verbo substantiuo importatur, nullatenus vere, sed solum ficte, & per rationem habeant: quare æstimo neminem negationes, seu carentias secundum se sumptas cognosci à Deo negasse.

4. Circa secundum, quod hac quæstione examinatur: an scilicet non solum secundum seipsas, sed in seipsis à Deo cognoscantur, quin ad id alio egeant determinatiuo motiuo, aut medio? esto illud habere possint de quo,(vt dixi d. sequenti) maior est authorum dissensio. Primo enim, qui censent creata positiua licet secundum proprium ipsorum esse à Deo cognoscantur,tamen non in seipsis immediatè cognosci; sed in Deo;idem de carentiis omnibus creaturarum docent; sed specialiter de his non posse cognosci in se,sed in habitibus seu positiuis entibus, quæ de medio tollunt, docent Durand. sicuti nec mala, ni per bona, quibus priuant. Quæ sententia vulgo tribuitur S. Thom. a. 9. & 10. & quidem a. 9. vbi de non entibus inquirit, non agit de non entibus, qua non entia formaliter, siue de eorum negationibus; sed de materiali non entis. V. g. Petri possibilis, cuius negatio de facto adest, vt ex textu manifeste liquet. Item a.10. vbi de malis agit, cognoscique per bona, quibus priuant, ait, non loquitur de medio cognitionis malorum; sed de termino in ordine ad quem cognosci debent, vt recte eum intellexit Valentia vbi proximè, §. *Iam vero*, Albiz tract. de scient. d.4. post sectionem 1. in explicatione art.9. Vazquez in eiusdem articuli expositione.

5. Nihilominus, qui sono verborum potius, quam sensu Authorum ducuntur,sententiam prafatam tanquam ipsissimam, (vt sic loquar) S.Thomæ mentem defendunt; cum quibus nunquam de illa contendam, ne de textu iurisperitorum more lites theologicas totas transigam, in quibus vbi fidem, & dogmata non concernunt,præcipuum habet ratio locum. Sat enim speciali obseruantiæ erga Angelicum Doctorem nostræ erit, si eius, quam assequor, menti obsequar, non aduersor. Neque enim doctrinam S.Thom. eius interpretes faciunt; sed eius scripta. Præfatam igitur sententiam communiter Dominicani Thomistæ docent, Nauarrete, Zumel, & alij, Durand. & Palacios, quos refert, & sequitur Fasol. q. 14. a. 10. dub. 2. & a.9. dub.1. Albelda d.40. Arrubal. d.34.35. & 36. c. 2. Granados tract.2.d.2.n.7. d.3.n.2. Videtur aliquibus huic sententiæ fauisse Vazquez d.62.c.2. sed vir consequentiæ laude præstantissimus nullatenus sua iam referenda opposita sententia, quam d. 61. tradiderat, adeo proxime recessisse putandus est, maximè, cum citata d.61. c.2. n.6. eius quod dicturus erat d.62. c.2. meminerit, sensumque prædixerit. Solum igitur docet malitiam peccati, etsi semper in priuatione consistat, non per bonitatem Dei, vt aliqui putabant; sed per bonitatem virtutis oppositæ esse necessario cognoscendam: scilicet, tanquam per terminum, non tanquam per medium necessarium, in quo, ac non in se, priuatio eiusmodi cognoscatur.

6. Noster Soar. tom.2. met.d. 54. sect.3. nu.... aliam circa secundum hoc punctum sententiam excogitasse videtur

derur his verbis: *sed est considerandum perfectam cognitionem negationis non consistere in hoc, quod ipsa distinctè, & per modum entis repræsentetur; sed in hoc, quod cognoscendo clarissimè entia positiua in eis cognoscatur eorum non esse aliud, seu hoc non esse vnitum illi absque alia directa repræsentatione ipsius priuationis, vel negationis*: quibus de omni negatione, seu carentia tam contingenti, quam necessaria, qualis est negatio chimæræ, aut hyrcocerui docere videtur à Deo non in se directè, & distinctè, sed in fundamentis, seu rebus positiuis solummodo cognosci. In quo sentiendi modo duo videntur contineri. Primum: carentias huiusmodi nunquam directè, & in se cognosci à Deo. Secundum: neque secundum propriam rationem, qua à positiuis differunt, siue secundum proprium suum quale quale, esse negatiuum, quod dicunt, ipsi repræsentari. Verum si totus textus recitatus attendatur, ac præsertim contextu totius sectionis adiuncto, nihil horum eximius Doctor asseruit; sed solum non debere à Deo carentias per modum entis, siue vt entia rationis necessario cognosci; sed perfectius ab eo cognosci illas entitate positiua nudatas, vt reipsa suo modo negatiuo sunt: expresse enim ait, cognosci à Deo hoc non esse illud, aut non habere, seu non esse vnitum illi, quod ipsum est negationes ipsas secundum se cognosci: atque eo solummodo cognosci eas in se, seu directè negat, scilicet vt aliquid positiuum. Verior circa prædicta sententia, eiusque patroni commodius certam. 2. vbi eandem duplici conclusione statuemus, referentur.

CERTAMEN II.

Carentias rerum creatarum secundum seipsas atque in seipsis cognoscit Deus.

1. CReatarum carentias secundum seipsas, propriumque ipsarum negatiuum, quod dicunt, esse à Deo cognosci (quod prima nostra conclusio est) à nemine negarum video, sed potius ab omnibus, vel supposítum, vel asserum, imo communiter de fide non abs iure putatur. Verum loca scripturæ quibus in eam censuram plerique feruntur, ad rem non sunt. Probant ex his, quibus supra, Deum habere omnium scientiam dicebatur Ps. 138. Ad Hebræos 4. & aliis pluribus similibus. His autem responderi facile posset omnium nomine, carentias rerum, quæ purum nihil sunt, minime contineri. Si dicas esse purum nihil entitate, non autem verificatiue, siue in entitate quidem, non in veritate, seu cognoscibilitate. In primis dicere quis posset omnium nomine, res secundum entis rationem proprie significari, non secundum rationem veri. Secundo, id quod non est, nec veri, quod entis passio est, rationem habere iuxta illud Aristotelicum: *Quod non est, non scitur*. Probant insuper ex loco, vt ipsi putant expressiori ad Rom. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* minori tamen operæ pretio. Ea enim, quæ non sunt positiua entia significant, quæ existentium non habent, non autem negationes sui, quas, vt sic loquar, & illa entia habent, & suo modo negatiuo sunt. Ex his igitur & similibus locis conclusio nostra de fide non est: imo nec proxima fidei, cum satis probabiliter, & eis, & discursibus inde ductis posset responderi.

2. Firmius, & fidei proximam, ac de fide nostram conclusionem ostendunt ea loca, quibus Genes. 1. tenebras, quæ formalissime carentia pura lucis sunt, à luce diuisisse, nomenque noctis imposuisse dicitur Deus; quæ necessario eius de tenebris cognitionem supponunt: item Exod. 10. vbi tenebras super vniuersam Ægyptum esse iubet. Neque enim esse iubere potest, quod ignorat: item Iosue 24. 7. & 2. Reg. 22. nu. 12. vbi tenebras dicitur posuisse; cum poni nihil possit ab eo, qui illud ignorat. Secundo probatur ex eis locis, (quibus citandis adhuc præ eorum multitudine abstineo) Deus inducitur expresse intuens, cognoscensve nostras miserias, infirmitates, ignorantias, noctem, tenebras, mortem, peccata, & priuatiuas pœnas: quæ omnia (si positiua peccata, de quibus lis Doctoribus est excipias) in priuatione, & carentiis consistunt. Tertio innumeris locis, quibus Deus per se, vel Prophetas suos negatiua prædicit, vt non ingressurum Moysem & Aaron in terram promissionis ob eorum incredulitatem ad aquas contradictionis. Similiter pluribus Regibus, vel ipsos, vel de eorum genere regnaturos non esse deinceps in Israel: atque id genus sexcenta, quæ passim in sacra pagina occurrunt. Quarto: ex omnibus præceptis Dei negatiuis simile ad rem hanc argumentum instruitur.

3. Ratione autem naturali eadem conclusio facile ostenditur. Quia negationes creaturarum habent veritatem, & cognoscibilitatem sine vlla fictione, aut falsitate: at Deus omne cognoscibile ac verum cognoscere debet, ne alicuius veritatis sit ignarus, ac proinde imperfectus: ergo cognoscit carentias creaturarum. Maior, ordine, ac forma syllogistica minor, probatur: quia à nobis vere cognoscuntur. Nec valet non cognosci vere, ac sine fictione Deo indigna: quia à nobis cogitantur sub tegumento entis rationis, qua eas, vt cognoscamus, inducimus. Etenim per dissensum eas sic non attingimus; sed potius negamus esse entia, quæ ipsis remouentur. V.g. Adamus nunc non est, quo in ipsam negationem Adami iudicium nostrum ferrur. Et quanquam nos cum de ea affirmatiue, & per assensum iudicamus negationem esse illud esse quo eam induimus, & copula importatur, architectemur, tamen ipsam rei positiuæ, non existentis negationem non fingimus, sed independenter à nostro intellectu suo modo vere est. Probatur secundo eadem Minor, quia, tam verum est modo atque à nostræ mentis fictione independens Antichristum non esse, atque suo tempore verum erit Antichristum esse: atque tunc erit verum absolute Antichristum esse, non minus quam nunc me existere: ergo & nunc verum absolute est, Antichristum non esse, seu vera, ac vere, repræsentabilis, iudicabilisque est negatio Antichristi. Probatur tertio conclusio ex communi Doctorum sensu contra errorem Aristotelis ex demonstratione aperta asserentium alteram partem contradictionis in futuris contingentibus necessario esse veram.

4. Atque hinc sumitur probatio tertia à ratione naturali theologica: quia Deus cognoscit futurum contingens, vt contingens, sed nequit cognosci, vt contingens, quin cognoscatur eius negatio, seu carentia, saltem possibilis: ergo negationem eius, saltem vt possibilem, cognoscit Deus: vnde citius, vt existentem suo modo cognoscet pro tempore, quo suo modo erit. Probatur Minor: quia contingens, vt contingens dicit essentialiter possibilitatem non essendi, seu negationis sui: quod enim ita potest esse, vt non possit non esse, ens necessarium, ac Deus profecto est, non contingens. Consequentia vero est perspicua, sicut & Maior. Probatur quarto: quia ni extremum vtrumque contradictionis in faciendis noscat Deus, liber in eis efficiendis non erit; sed ita faciet, vt posse se non facere, seu rem posse non fieri, prorsus ignoret. Probatur quinto conclusio ratione Theologica: quia Deus, vt supremus nostrorum meritorum, ac demeritorum iudex, vindexque, & remuneratur omnia nostra merita ac demerita præmiat: ergo ea omnia cognoscit: atqui in peccatis, omissionis, etiam, quæ in priuatione consistunt, atque in obseruantia præceptorum negatiuorum, quæ omissione prohibitæ actionis cum merito (physice enim vnicus scientiæ actus in Deo est) vt plures volunt, implentur, nequit esse ab eo vindicta, aut remuneratio, ni priuationes eiusmodi ab ipso cognoscantur: ergo cognoscit Deus prinationes. Sexto denique probatur ratione theologica conclusio: Deus vult carentias, & priuationes rerum: ergo eas cognoscit. Consequentia est certa: quia nihil volitum, quin præcognitum, vt axioma philosophicum fert, ostensum à nobis controu. de anima. Antecedens probatur in remotione occasionis peccandi, quæ gratia externæ protectionis est, atque ex nostri beneuolentia amatur à Deo. Secundo in permissione peccati, in pœnam præcedentis positiua voluntate à Deo decretæ: quæ in negatione auxilij efficacis consistit.

5. Quo autem actu metaphysicè, & nostro cognoscendi

modo (physice enim vnicus scientiæ actus in Deo est) carentias secundum seipsas cognoscat Deus? posset aliquis rogare: Atque eas, vt in se sunt à Deo apprehendi, ac simpliciter repræsentari, dubium non est: cum de eis iudicet verè. Cum autem dupliciter iudicari de obiectis possit per assensum scilicet, vel per dissensum. Vtroque modo de carentiis à Deo iudicari censet Vazquez d. 61. c. 2. sed eius consequentiam non assequor, cum neget à Deo rationis entia confingi. Neque enim iudicare de se directè potest, per assensum, quin cognoscat: negatio Antichristi est: nequit autem id cognoscere, quin esse importatum per copulam negationis, quæ purum nihil est, de se, tribuat, confingat. Æstimo ergo cum Soario loco recitato certam. 1. per solum dissensum posse à Deo de carentiis rerum creatarum iudicari. V.g. Antichristus non est, ni ens rationis comminiscatur: quare & hoc ponè statui in primis debet, vt per assensum de negationibus iudicare posse asseratur. Sed illo etiam admisso hoc nullatenus posse Deum mihi verosimilius etiam est, in hac quippe propositione: *negatio Antichristi est*, esse importatam per copulam prædicatur de Antichristi negatione, quæ, vt dixi, nullum esse habet; sed est purum nihil: ac proinde falso prædicatur; quare si ita assentiretur Deus falso etiam iudicaret: licet nos, quia negationes pro hoc statu secundum se, atque, vt in se sunt (vt pleraque etiam alia quandoque) non percipimus, sub entis rationis tegumento, & entis ad instar eas percipiamus, ac sub illo entis prædicato, quo eas tegimus, quasi illud de eis prædicemus, in negationem ipsam feramur: ac proinde nostro modo concipiendi vere iudicemus: vnde & Deus, qui nostros assensus omnes sua cognitione peruadit, ac penetrat, illud esse rationis penetrat; illud autem negationi iudicio suo non attribuit; sed solum cognoscit, & iudicat nos illud esse rationis, & fictum negationibus nostro concipiendi imperfecto modo tribuere.

6. Secunda conclusio: Deus carentias rerum, quas, vt in se, suo modo reuera sunt, cognoscit in se, quin vt absolutè eas cognoscat medio, determinatiuo vllo indigeat. Esto: possit aliunde rursus ad eas aliter cognoscendas determinari, quod d. sequente examinabimus. Est contra Doctores citatos certam. 1. nu. 5. est autem conclusio expressa, & constans nostri Vazquez d. 61. c. 2. Tanneri 1. p. d. 2. quæst. 8. dub. 8. assert. 4. Herize. d. 8. c. 4. num 27. Alarcon d. 3. c. 4. Gasparis Hurtado d. 3. dis. 5. Complutensium, & Murcianorum, aliorumque communiter Recentiorum in manuscriptis. Probatur facile: quia carentiæ rerum creatarum in se, & per se habent veritatem, & cognoscibilitatem; ergo non egent alio determinante ex parte obiecti, siue medio determinatiuo, vt absolutè cognoscantur; sed solum potentia cognoscitiua, quæ circa illas versari queat: ergo in se & per seipsas possunt cognosci absolutè à potentia, quæ circa illas versari queat. Vtraque consequentia est legitima: quia id eget medio determinante, vt cognoscatur à potentia sua, quod in se & per se verum, & cognoscibile non est. Antecedens constat ex conclusione 1. adeo enim verum, & cognoscibile est in se, & per se Antichristum non esse, atque esse Angelum Raphaelem: sublatis enim, imo factis per impossibile impossibilibus reliquis veritatibus, & obiectis, æque esset verum: sed Raphaelem esse in se, & per se est absolutè cognoscibile à sua potentia: ergo & negatio Antichristi (idem est de carentiis reliquis rerum) est in se, & per se cognoscibilis à sua potentia. Tum sic; sed potentia intellectiua Dei est potentia cognoscitiua omnis cognoscibilis, & verè (vtpote infinite cognoscitiua) atque de carentiis rerum, vt in se sunt speciatim probauimus conclus. 1. ergo carentiæ rerum in se, & per se sunt cognoscibiles à Deo, imo, & ita cognoscuntur cum diuina infinita mens determinata sit ad cognoscendum de facto quidquid cognoscibile est omni modo, quo est cognoscibile.

7. Probatur vlterius secundo. Quia scientia, & cognitio Dei est actualis, quatenus de se est omniscientia, & cognitio omnium cognoscibilium, solumque opus habet, vt extrinseca, in quouis statu, cognoscibilia cognoscantur, cognitaque denominentur, eorum in illo statu appositione, vt sæpè diximus, non secus atque, vt omnipotentia Petri possibilis, aut existentis potentia denominetur, sola Petri extrinseca possibilitate, aut existentia opus habet: ergo nullo alio medio, & determinatiuo ex parte obiecti opus habet vt cognitio carentiæ cuiusuis, adhuc quoad denominationem Dei cognitio sit, quam eius in statu, siue possibilitatis, siue existentiæ suo modo positione; quandoquidem ea carentia secundum se vera est, & sine fictione cognoscibilis, & actu cognita à Deo. Probatur tertio conclusio. Quia pone dari (vt posse suppono ex libertate contradictionis diuinæ quam controuerf. 4. asstruam) negationem, seu carentiam rei è sola suspensione diuini decreti quin adsit efficax nolitio existentiæ rei illius decreto de rei existentia contraria. Tunc quidem nullum est medium, aut determinatiuum ex parte obiecti ad illam negationem rei à Deo cognoscendam; & tamen à Deo cognoscitur; ergo in se ac per seipsam à Deo cognoscetur. Consequentia est legitima. Antecedens probo: quia non adest efficax nolitio existentiæ rei illius. Vel ergo cognoscitur in mera suspensione decreti de rei existentia vel non? si hoc postremum: nihil aliud est, in quo, aut per quod Deus ex parte obiecti, siue obiectiuè determinetur ad carentiam illam cognoscendam. Si primum: ergo cognoscit Deus suspensionem liberam puram sui decreti de rei existentia: cum determinatiuum, seu determinans medium obiectiue ad alterius cognitionem debeat cognosci, ac prænosci. De hac redit quæstio, an in se, vel in alio medio determinante à Deo cognoscatur? aliud medium determinans non apparet, cum sola voluntas Dei indifferens, ac libera in actu primo libertate contradictionis præcedat: in qua proinde repugnat cognosci suspensionem decreti, ad quam indifferens voluntas Dei est, ac non determinata, & cum qua non magis connectitur, quam cum illi contradictorie opposito decreto. Si autem pura illa suspensio decreti de rei existentia in se, & per seipsam, etsi nihil purum, seu carentia mera sit, à Deo cognoscatur: reliquæ omnes carentiæ, etsi purum nihil sint, in se & per seipsas cognosci à Deo euincemus.

8. Sed dices: memoria nos aperte cadere, cum dicimus, nihil aliud ab enumeratis esse, vt decreti carentia, reiue negatio à Deo cognoscatur; siquidem media necessaria, in quibus, seu, per quæ carentiæ à Deo cognosci debeant habitus illi oppositos esse, seu res, quas remouent, dicebamus. Verum huius solutionis impugnatio quarta, & efficax conclusionis probatio sit. Etenim negatio per id quod remouet à rebus nequit tanquam per medium cognosci, nisi forte, vt Recentiores putant, cum illud comprehensiuè cognoscitur: ergo id quod negatione remouetur, non est medium, per quod, seu, in quo necessario negatio cognoscatur: quare in seipsa cognosci à Deo poterit: esto possit cognitione comprehensiua rei in illo, quod remouet cognosci (de quo modo non disputo, sed postea.) Aliud est enim, posse cognosci in alio; aliud non posse in se, seu necessario debere cognosci in alio, vt patet. Antecedens probo: Nam vel potest cognosci negatio in re, quam remouet existenti, vel possibili: non inexistenti, quia, dum negatio eius est, implicat rem, cuius negatio est, esse, vel existere: quare existens cognosci nequit: vel in re, vt possibili, siue secundum statum possibilitatis: sic autem cum ens necessarium creatum ens non sit, indifferens est ad existendum, vel non existendum, ac non magis infert negationem sui, quam suam existentiam: ergo nec determinat ad cognitionem suæ negationis: quin imo, etsi ens non necessarium non determinet ex statu possibilitatis suam existentiam, ast secundum intrinsecum sui illam concernit tantum: licet possibilitas negationis sui, qua eius completur contingentia in actu primo logico, negationem actualem eius concernat. Patet: nam possibilitas tantum dicit in eius existentia repugnantiam, seu contradictionem non inuolui: quod solum connotat eius negationem non esse necessariam, non autem esse possibilem.

***

CERTAMEN

CERTAMEN III.

Oppositionibus obuiatur.

1. OPpones primo contra primam conclusionem illud Aristotelicum ex 1. poster. c.2. satis vulgare proloquium: *Quod non est, non scitur*: atqui negationes, & carentiæ rerum vere non sunt: ergo nec secundum seipsas sciuntur. Proloquium intelligit noster Vazquez vniuersim de scientia non entis per assensum, quasi solo dissensu cognosci negationes possint: vel, vt solum velit Aristoteles ei, quod falsum apparet, ac non esse, vt proponitur in propositione obiectiua intellectum non assentiri; sed dissentiri: sicque intellectum veri, seu entis per assensum prosecutionem, & accessum; secundi per dissensum, recessum, & fugam. Displicet vtraque explicatio: prima, quia nos, vt diximus, negationi entis sub regumento entis, seu esse ficti assentimur; nec solum dissentimur: vt in hac propositione *negatio Antichristi est*. Secunda: quia, si ei solum, quod non apparet verum, dissentimur; assentimur autem ei, quod verum apparet: cum modo appareat, sitque omnino verum Antichristum non esse, & non esse alia omnia, quæ nunc suis negationibus à rebus semouentur, eorum negationibus assentiemur, non autem dissentiemur; licet existentiæ rerum, quas remouent, dissentiamur. Vnde efficaciter ad hominem prima expositio euertitur per secundam. Facilius, germanius, vniuersalius, ac verius proloquium intelligo. *Id, quod non est, non sciri*: ac proinde id, quod negatione remouetur, quandiu negatio adest, nusquam sciri esse: negatio autem rei negatione ipsa non remouetur; sed suo modo est, cum remouet positiuum: ac proinde cum res non cognoscitur, quia non est, eius negatio cognoscetur.

2. Oppones secundo: veritas, seu verum est passio metaphysica entis: ergo ad conuertentiam cum illo dicetur: ergo nequit conuenire negationi: quia iam de non ente dicetur, eique, nec solum enti conueniet. Huius autem communis, & vera responsio est, veritatem positiuam, quæ stat in positiua, nec apparenti solum soliditate essendi (vt diximus controu. met. ac sæpè controuers. de Trinit. & hic controu. 1.) esse entis passionem, ac proinde ad conuertentiam cum illo dici: secus negatiuam veritatem non entium, seu carentiarum propriam. Tertio oppones ex eo quod res est, propositionem, & cognitionem esse veram; ex eo vero quod non est esse falsam, vt vulgo dicitur: ergo non entis vera cognitio esse non potest: ac proinde Deus, qui nihil, nisi vere cognoscere valet, non entia non cognoscit. Distinguo Antecedens: de cognitione, seu affirmatione positiua, seu positiui, vt Petrus est, vel est albus, concedo Antecedens: de negatiua nego. Hæc enim potius ex eo, quod res non est, est vera; esseque falsa, si res esset, vt patet. Quarto oppones: cognitionem esse veram repræsentationem, & similitudinem positiuam cum obiecto cognito, quæ ad negatiuum positiua verè esse non potest: ac proinde neque negatio cognosci valebit. Respondeo: veram positiuam similitudinem physicam non posse esse ad non ens seu cum negatione, posse autem esse veram positiuam intentionalem cum negatione.

3. Quinto: Iocosa, & puerili æquiuocatione argues: vt Deus cognoscit carentiam rei, cognoscit nihil: qui nihil cognoscit, nullam habet cognitionem: ergo Deus extra carentiam rei nullam habet cognitionem: æquiuocatio est in voce *nihil*, quæ verbo præposita negat cognitionem omnem; postposita designat cognitionis obiectum: præterea rigorose loquendo carentia vna non est absolute nihil, hoc enim est omnium entium remotio, illa vero vnius solum. Instabis: visus eo solum modo videt tenebras: ergo & intellectus etiam diuinus. Negatur consequentia: tum, quia visus obiectum color & lux est; non autem verum, & cognoscibile in tota sua latitudine, quod est intellectus obiectum, negationesque, & carentias omnes rerum comprehendit. Respectu autem intellectus diuini specialis alia disparitas intercedit. Nam visus potentia, & principium cognitionis inadæquatum est, quod obiecto per se, vel per speciem actiue debet compleri: id quod negatio neque proxime, neque remotè præstare potest: cum negatio actiua esse non possit. In Dei autem intellectu potentia adæquata ad cognitionem cuiusuis obiecti est: quare nulla obiecti actiuitate eget; sed sola terminatione, seu extrinseca eius positione, & veritate in quouis statu, vt in eo cognoscatur, suaque infinita scientia repræsentetur. Eiusmodi autem veritatem, & cognoscibilitatem carentiis adesse, affatim monstratum est.

4. Tandem, si veritas, & cognoscibilitas carentiis adest, erunt intra sphæram obiectiuam intellectus creati: ergo vt in se sunt, poterunt ab intellectu creato videri, nec solum per species alienas; sed per proprias à Deo saltem immissas. Inde enim Deum videri posse ab intellectu creato per speciem propriam, & vt in se est; nec solum abstractiuè communiter probatur: quia, verum, & cognoscibile cum sit, ab illoque proinde naturaliter abstractiuè cognoscatur, nequit non absolute posse ab illo intuitiue, & per speciem propriam videri. At implicat videri, & per species proprias ab intellectu creato secundum se sumptas carentias rerum: ergo & habere veritatem, & cognoscibilitatem. Minor suadetur: quia vt videatur, per species proprias debet videri, vt est in se, atque habere esse obiectiue in mente cognoscentis: implicat videri vt est in se quod nusquam est: habereque esse obiectiuè quod nullum habet esse. Hoc argumentum (quod minori doctrinarum sumptu in mente Dei enormaretur) æquiuocationis fallacia laborat: illud quippe, *vt est* cognitionis intuitiuæ non significat vniuersim esse positiuum, & absolutè tale; sed vel positiuum, vel negatiuum; atque excluditur cognosci ad modum alterius, atque aliter quam suo modo sit, siue positiue, si positiuum obiectum sit, siue negatiuè, si negatiuum: quo pacto à Deo carentia videtur esse nihil, seu non esse aliquid rei, cuius carentia est: sicque casu, quod Deus speciem propriam carentiæ intellectui creato infunderet, ab eo videretur.

5. Contra secundam conclusionem oppones. Non entia nequeunt esse obiecta motiua: atqui quidquid cognoscitur in se obiectum motiuum suæ cognitionis esse debet: ergo non cognoscitur in se à Deo. Absolutè distinguitur Maior communiter: de motione physica conceditur, de intentionali negatur. Licet enim nequeant non entia mouere physicè potentiam producendo in illa, vel sui speciem, vel partialiter cognitionem; possunt autem, inquiunt, mouere intentionaliter determinando sua veritate, & cognoscibilitate intellectum Dei, vt in ipsa feratur, Similiterque distinguitur Minor, & negatur consequentia: vnde ad instantiam quæ fieri posset, quod non entia non specificent diuinam cognitionem, vt deberent, si in se cognoscerentur, negant illam non specificare. Ego verò Maiorem plane admitto iuxta verosimiliorem mihi doctrinam supra traditam: quia intellectio diuina è suo primario obiecto, & adæquato specificatiuo Deo infinita, atque omniscientia euadit: determinataque est non solum ad repræsentandum per accessuram repræsentationem, sed repræsentatio actualis cuiusuis veri, & omnium, quæ occurrerint in quocumque statu cognoscibilitatis, & veritatis, quin ei aliquid formale, & intrinsecum repræsentationis actualis addatur, vt sæpe diximus: vnde eis obiectis nec determinari potest, nec specificari, cum vtrumque adhuc respectu illorum antecedenter habeat, Sed Minor de motione physica per speciei, vel cognitionis suæ physicam productionem adhuc respectu intellectus creati falsa est omnino propositio: nam cognosci in alio ad solam obiectiuam determinationem spectat, qua ex præcognito aliquo mens in alterius ducitur cognitionem: quo modo species obiecti non mouet, ac proinde neque efficit, quo minus ob illam obiectum in se videatur, ac non in alio, vt patet in visione coloris, & beatifica creati intellectus.

6. Oppones rursus contra eandem conclusionem illud satis ad rem hanc vulgare Dionys. 7. de diuin. nom. sub med. *Non quod per speciem singula consideret: sed vno causa complexu omnia sciat, & contineat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam, & informatam habet, quod non aliunde,*

aliunde, quam ex luce tenebras nouit: quæ ita contra nos, & pro aduersariis interpretatur S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 10. corp. *Sic autem est cognoscibile vnumquodque, secundum quod est: vnde, cum hoc sit esse mali, quod est priuatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala: sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Vnde dicit Dionys. 7. c. de div. nom. quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quam à lumine.* Ad 4. vero subdit: *Malum non est per se cognoscibile: quia de ratione mali est, quod sit priuatio boni: & sic nec definiri potest, nisi per bonum.* Respondetur (quod ad præsens attinet) his testimoniis: aliud esse cognosci aliquid necessario in alio, seu per aliud tanquam per medium præcognitum; aliud cognosci per aliud tanquam per terminum. Primum obest quominus, quod ita in alio, seu per aliud necessario cognoscitur, cognoscatur in se; secus secundum: relatiua enim omnia, seu relationes in se, & per se cognoscuntur, & tamen necessario per suos terminos cognoscuntur: non tamen per illos præcognitos; sed simul cognitos, vt de relatiuis aiebat Aristoteles *esse simul cognitione*. Hoc modo solum docent Dionys. & S. Thom. cognosci priuationes, seu non entia per entia, quæ remouent, tanquam per terminos, vt postremis verbis expressit S. Thom. non autem per illa, tanquam per media, quod solum secundæ nostræ conclusioni poterat aduersari. Reliqua quæ in textu Dionysij ad alias quæstiones spectantia continentur suis locis, vel exposita sunt, vel postea suis locis exponentur.

7. Disputatur seorsim, & à S. Thom. & ab aliis an Deus cognoscat mala? atque in S. Thom. etsi titulus diuersus sit de scientia diuina non entium, & scientia diuina malorum: tamen sub extremo hoc titulo de negationibus, & carentiis rerum agit, de quibus nos in præsenti, vt legenti patebit, in priori enim titulo de cognitione Dei erga possibilia, quæ non existunt, solummodo agit, non autem de illius non existentia, siue remotione. Mala igitur triplicis generis sunt, vel physica, & metaphysica, quæ physicam, vel metaphysicam rerum bonitatem remouent, vocaturque malum naturæ, quia rebus, quibus natura constat, disconuenit, quibus etiam positiua aliqua incommodant, vt aquæ calor; vel moralia, seu culpæ, cuiusmodi solum sunt mala peccata; vel pœnæ; & de tertio genere mali, hæc eadem omnino mala quæ primi generis sunt: addito solum quod in pœnam delicti immittantur. Secundi generis mala sunt peccata, siue in priuatiuo omnia, siue in positiuo, quæ commissionis sunt, consistant. Atque hæc posse etiam mala pœnæ esse Recentiores Murciani censent: ego vero cum ex nullo fine amari posse à Deo peccata videam, pœnamque omnem ab infligente illam amari debere, de eorum permissione solum malum pœnæ posse esse indico: non autem peccata ipsa, si propriè, & rigore scholastico loquamur. Hæc autem omnia malorum genera, eorumque indiuidua singula secundum se à Deo cognosci fide sanctum est. De malis physicis, seu naturæ ex illo Sap. 8. *Monstra scit antequam fiant*: De moralibus ex Amos 5. *Cognoui scelera vestra*. De malis pœnæ ex Amos 3. *Si est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*, atque adeo cognouerit. Ratione autem, secundum se ea omnia, & in se à Deo cognosci probant omnia, quæ à quæst. 2. huc vsque diximus. Cum enim ea omnia mala vel positiuis entitatibus, vel earum negationibus constent, atque positiua omnia, eorumque negationes & carentias secundum se, & in se vnumquodque cognosci à Deo ostenderimus: & mala triplicis illius generis secundum se, & in se cognosci à Deo, certissimum est. Deinde in ipsis generale illud argumentum sæpè efformatum euidenter instauratur: quia ea omnia, & singula secundum se, & in se veritatem, & cognoscibilitatem habent: quare omniscium Deum nequeunt latere.

***

QVÆSTIO V.

An impossibilia, & chimæras, siue negationes possibilitatis cognoscat Deus? vbi de cognitione diuina entium rationis.

DIXIMVS disputationis præfatione, negationes, seu carentias communiter diuidi in carentias rerum, quæ esse possunt, ac proinde contingentes, & in carentias eorum, quæ esse non possunt, ac proinde necessarias. De primis q. proxima diximus; de secundis in hac seorsim dicemus: etsi enim indiscriminatim ac simul, quasi de vna, eademque difficultate vulgo disputetur, tamen est in vtraque quæstione valde diuersa difficultas, ita vt primo admisso, negari possit magno fundamento secundum, vt ex dicendis patebit.

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ expenduntur.

1. TOtidem ferè sunt in quæstione præsenti, quot in proxima sententiæ fuere; quia eadem vtraque, atque vtriusque difficultas æstimatur. Enricus, Canar. 1. p. qu. 28. a. 2. d. 3. dub. 1. Molina ibidem d. 3. conclus. 4. docere dicuntur, impossibilia, & chimæras, seu necessarias negationes cognosci à Deo, quatenus quadam rationis entitate induuntur, non autem secundum se sumptas: quemadmodum de negationibus omnibus, etiam rerum creatarum, quæ nunquam erunt, docuisse iidem referuntur, ac insuper Valentia, & Fonseca, de quibus supra. Sed certe sicut de Valentia, & Fonseca diximus, nil tale Molina docet loco citato, neque verbum ea de re; sed solum de distinctione formali metaphysica ex parte obiecti vnius attributi ab alio, tam respectu intellectus creati, quam diuini. Canariensis vero sententiam ex loco citato refert ibidem, quæ tota circa idem punctum est, nihilque de præsenti agit; licet vterque Deum entia rationis, quæ creatus intellectus in distinguendis attributis confingit, cognosci à Deo asserat: ex qua doctrina, & ea etiam, quæ, dum negationes chimærarum cogitamus compingimus, à Deo cognosci consequens est. Sed de hoc nulla hic est quæstio; sed an negationes possibilitatis chimærarum secundum seipsas, &, vt vere, ac non fictione nostra sunt (si certe suo negatiuo modo sint) Deus intueatur. Idcirco in hac sententia refutanda hostem, quem impetamus, non habemus, cum nullus exploratus eius patronus adsit. Cæterum, si vt dixi, sub regumento illo rationis vera negatio chimæræ lateat, satis constans ex dictis est, eam secundum se, atque in se videri à Deo.

2. Secunda sententia sit: Non posse à Deo videri vlla ratione, quia positiuum aliquid impossibile, & chimæra vere non est; sed negatiuum: quare neque verum, & cognoscibile, atque adeo solum cognosci à Deo negatiue quatenus chimæram, quam à possibilitate remouet, non cognoscit, vt proxima quæst. de negationibus rerum possibilium certam. 1. in prima sententia referebamus; cuius fundamenta omnia diximus certam. 2. & 3. eius impugnationibus, & solutionibus fundamentorum referendis ideirco abstinemus, cum facile omnia ea à quolibet transferri huc possint. Tertia sententia esse potest, quam in simili de negationibus possibilium non existentium certam. 1. citato secundo loco retulimus, scilicet: cognosci negationes impossibilium, de quibus hic agitur, à Deo solum quatenus cognoscit se possibilia, quæ remouent, non videre. Hæc etiam sententia ad rem præsentem eis rationibus confutanda est, eisque

solutio

solutionibus à fundamentis eruenda, quibus similem ibi confutauimus atque radicitus conuulsimus, nihilque præterea hic erit agendum.

3. Quarta sententia sit, quam ex recitata, tanquam Soarij, certam. 1. citato num. 6. primus excogitauit magnus meus magister Didacus Daza manuscripto de scientia, tanto subtilis, solidique ingenij sui acumine, vt me, non solum tanti Doctoris, & Magistri authoritate, & obseruantia, sed rationis etiam pondere traxerit, triginta que & quinque totos annos tenuerit. Negabat ergo suppositum quæstionis nempe impossibilium, seu chimærarum negationes dari: ac proinde neque à Deo secundum se cognosci, cum secundum se vere non sit; sed solum eorum fundamenta, scilicet homo, & equus v.g. quorum vterque adæquatè positiuum quid sunt, quin negatiuum aliquid re ipsa inuoluant, vt vel homo non sit equus, vel equus non sit homo: ac proinde Deus, qui res, vt sunt, intuetur, cognoscendo hominem, & equum, cognoscit, vnum non esse alium, quin negatiuum adhuc, siue negationem ad id necessario cognoscat; licet, quia à nobis negatio concipitur, eam etiam, quam nos concipimus, & fingimus, percipiat: in ordine tamen ad nostram cognitionem. Quod autem vera negatio chimæræ, seu impossibilis non sit, sed conficta probat satis acute: quia impossibile neque est actu, neque potentiâ: ergo nequit esse vera illius negatio, seu remotio. Patet: quia, quod seipso remotum ab omni vero statu rerum est, nequit verè per aliud remoueri: ergo illius solidari potest ficta per rationem nostram negatio, atque remotio.

4. Dices, remoueri possibilitatem identitatis, quæ prædicatis chimæræ, hominis scilicet, & equo posset aduenire. Contra primò: quia, cum possibilitas à re possibili re ipsa non differat, vt controu. metaph. demonstrauimus, idem est rem esse impossibilem, atque ipsam possibilitatem re ipsa esse impossibilem. Secundo, vel hæc possibilitas potest re ipsa aduenire identitati hominis & equi in vero priori aliquo, vel secus. Si postremum: ergo in omni priori reali, & vero impossibile hoc (& idem est de cæteris) de se est impossibile: ac proinde negatio, seu remotio illius possibilitatis reuera, ac non fictè nusquam esse potest. Vbi enim habitus omnino, & pro omni vero signo reali impossibilis est, omnino etiam, & pro omni signo reali eius negatio, & remotio est impossibilis. Si autem admittas primum: nempe in aliquo vero, & reali priori posse impossibile accipere possibilitatem, vere pro illo priori, & signo, poterit eiusmodi potentia ad actum pro posteriori aliquo signo vero, & reali re ipsa reduciiac proinde identitas hominis, & equi, cuiusuisque alterius chimæræ: ac proinde chimæræ omnes erunt possibiles quod repugnat: cum impossibili æque possibilitas, atque existentia omnis repugnet: se igitur ipsis omnino, & pro omni signo impossibilia remota à possibilitate ipsa sunt: ac proinde implicat dari impossibilium veram, & realem remotionem, seu negationem: quare eorum negatio vera non est, & quæ à Deo secundum se cognoscatur; sed, vt nostris mentibus negatiuo modo explicatur.

5. Recentiores Complutenses respondent: negationem possibilitatis impossibilium non supponere possibilitatem aliquam eorum, quam remoueant, sicut negatio existentiæ rei possibilis supponit rei possibilitatem. Dicit enim ita illam remouere, vt res esse possit: conuenire autem in eo vtramque docet: quod, sicut si negatio existentiæ non esset, Petrus v.g. existeret; ita si negatio possibilitatis chimæræ, v.g. hominis equi, non esset, homo equus esset possibilis. Doctrina quidem horum Recentium vera est, sed, quæ, ni magis explicetur, argumentis factis non satisfaciet: etenim, si eiusmodi chimæra homo, & equus, eorumque identitas positiuum quid, adhuc potentia sit, quomodo eius negatio vera esse potest, quæ nonnisi positiui, quod remoueat, natura, & essentia

potest esse, vt per se notum est? Altius ergo pensanda res est, vt difficultas proposita plenè expediatur.

CERTAMEN II.

Deus cognoscit secundum se, & in se negationes possibilitatis, seu necessarias negationes impossibilium.

1. Conclusio prima præfixi tituli est: Deum cognoscere negationes necessarias impossibilium, & chimærarum, v.g. hominem non esse equum secundum se sumptas: nec solum quatenus cognoscit hominem, & equum, sed quatenus cognoscit negationem identitatis necessariam inter hominem & equum. Suffragantur omnes præter meum citatum Præceptorem: nec Soarez dissentit, solum enim negat, vt eiusmodi negationes à Deo cognoscantur, opus esse, vt eas Deus tanquam quid positiuum, siue sub tegumento entis rationis cognoscat, vt vidimus, qu. proxima certam. 1. quin perfectissimam earum cognitionem in ipsas secundum se sumptas tendere contra primam sententiam à nobis recitatam hic cert. 1. num. 1. expressis verbis recitatis docet. Ratioque est manifesta; quia verum est ex parte obiecti, hominem non esse equum siue non esse eorum identitatem, non solum actualiter, sed neque possibiliter: ergo vera est negatio possibilitatis identitatis hominis & equi, adeoque necessaria, vt non possit positiua possibilitate auferri. Insuper est diuersa à possibilitate, seu entitate positiua hominis, & equi: quia negatio nequit positiuo alicui identificari: ergo ab omniscio Deo ea negatio secundum se, nec solum, quatenus homo, & equus ab illo cognoscuntur, intelligetur.

2. Dico secundò: eiusmodi negationes possibilitatis chimærarum non solum secundum se; sed in se à Deo cognoscuntur: esto modò, cognoscantur etiam in alio: est æquè ac prima communis conclusio. Probatur; quia quidquid in se habet veritatem, & cognoscibilitatem potest obiectiue determinare (licet nequeat determinare effectiue) suam potentiam ad sui cognitionem: quin egeat determinatiuo alio, vt cognoscatur; id quod apertius est in Deo, cuius intellectum, seu potius cognitionem nullum extrinsecum obiectum aliter determinat ad cognitionem sui, quam extrinsecæ suæ veritatis positione in aliquo statu ex his, in quibus cognosci potest: quia ex se Deus ad omnia obiecta extrinseca cognoscenda determinatus est, imo est determinata omnium extrinsecorum cognitio exercite, & repræsentatio actualis de se, vt sæpius diximus. Hæc verò de negationibus chimærarum, tam secundum statum possibilitatis, quam existentiæ ita intelligenda sunt: quemadmodum de Deo docebamus, d. 3. qu. 3. certam. 1. num. 4. vbi ostendimus, nusquam esse, cognosciue à se secundum statum possibilitatis præcisiuæ, quæ nullatenus in Deo est diuersa ab statu existentis actu, & exercite à se, siue necessariæ suæ existentiæ: vbi etiam quidquid hic in oppositum obiici posset, satis diluimus. Quod suo modo de negatione à se, & necessaria chimærarum actu, & exercite tali est etiam verum.

3. Opposita Magistri nostri argumenta solum euincunt impossibilia, & chimæras per distinctas ab ipsis negationes veras, neque ab existentia, neque à possibilitate remoueri, cum seipsis à vtroque statu remotæ sint; non autem seipsis, atque indistinctis à suo, quali quali, esse ab vtroque non remoueri; se quippe; & e conceptu suo impossibilia sunt, atque à possibilitate remota (vt ille in suis argumentis supponit) non secus atque possibilia seipsis possibilia intrinseca possibilitate sunt, quin superaddito repugnantiæ exclusiuo opus habeant; sic igitur repugnantia, & impossibilitas intrinseca chimærarum omnium superaddito aliquo opus non habet, vt possibilitatem, seu non repugnantiam excludat. Si ergo seipsis homo equus, seu idem cum equo, reliquæque chimæræ in se, ac secundum se remotæ à possibilitate, & citius ab existentia rerum sunt, negatiuum quid, seu puræ negationes veræ sunt, atque obiecta vera, nec ficta, nisi casu, quo, vt entia cogitentur: ac proinde constat, verum esse quæstionis huius

supp ositum : vereque à Deo chimæras , & cognoscibiles, & cognitas esse.

4. Sed quid inquies hæ impossibilibus intrinsecæ negationes remouent, cum equi , & hominis , seu hominem, equum ab existentia , & possibilitate etiam , formaliter propellunt ? Nam veræ priuationes , seu negationes, nonnisi veri positiui habitus sunt : cum tamen existentia , & possibilitas positiua, ac veræ chimæræ nullius esse possit, vt Magister noster arguebat. Sed rogabo te : quam impossibilitatem , repugnantiam , seu necessariam negationem existentiæ remoueat possibilitas intrinseca rebus possibilibus ? Æquè enim negatio per positiuum amouetur, atque positiuum per negationem remoueatur : & tamen nulla impossibilitas, repugnantia, negatiove necessaria possibilibus potest accidere. Quod mihi responderis , à contrario quæstioni tuæ satisfaciet. Secundò Deus , qui à se ens , & existens est , atque inde ens necessarium demonstratur , ita est , vt nec possit non esse. Rogo : quodnam non esse esse non potest ? An non esse suum : hæc quidem negatio non essendi , est non essendi chimærici in Deo ; & tam en vero positiuo prædicato Dei remouetur. Cur ergo non & vera negatione chimæræ impossibili remoueatur possibilitas ? Respondeo : ergo contradictoria extrema possibilitatis , & impossibilitatis , nec possibilitatem , nec impossibilitatem eorum, à quibus oppositum contradictorium remouent, veram supponere , quod remoueant: quin, vt alterutrum extremum verum sit , alterum debere esse impossibile : quia alias illud formaliter non remouerent iuxta statam contradictoriorum legem , & naturam. Non secus atque negatio existentiæ ex ea lege nihil existentiæ in rebus relinquit , neque existentia aliquid negationis existentiæ.

5. Obiiciunt sibi Recentiores Complutenses : Impossibilitatis essentia in eo est , quod si , quod impossibile est, existat , duo existent contradictoria : siue , si existat identitas hominis , & equi duo contradictoria existent : ergo, vt Deus impossibilitatem, seu negationem possibilitatis chimærarum, v.g. identitatis hominis , & equi , cognoscat , illam hypothesim cognoscet. Antecedens est certum, atque ab oppositio probatur : quia possibilitas rei in horum , & communi sententia , nihil aliud essentialiter est , quàm, quod si res possibilis existat , non existent duo contradictoria. Consequentia est legitima , & euidens: siquidem veritas conditionata cognosci nequit , hypothesi ignota. Inde verò infertur , Deum independenter ab intellectu humano , atque vt impossibilia , seu negationes possibilitatis chimærarum cognoscat cognoscere, ac facere entia rationis. Respondent sibi Recentiores cognoscere de se entia rationis ex infirmitate mentis , & imperfectione modi cognoscendi imperfectum quid, Deoque indignum esse ; ast ex necessitate cognoscendi veritatem aliquam aliter incognoscibilem summæ , atque infinitæ mentis, & cognitionis perfectionem esse, quæ eam etiam cognoscere debet, saltem apprehensiue , ne verum aliquid ignoret.

6. Laudo solutionis doctrinam , iuxta quam statim nonnulla statuam ; sed tamen doctrinam de essentia possibilitatis , & impossibilitatis satis communem , quam solutio supponit, probare nunquam potui, quin eam satis multis confutaui controu. met. vbi de conceptu impossibilitatis chimærarum , & possibilitatis rerum fusè disputaui. Ad rem autem præsentem falsum omnino est , impossibilia , & chimæras , siue negationem possibilitatis identitatis hominis , & equi in ea conditionata veritate consistere : ac proinde neque aliter cognosci à Deo posse. Etenim impossibilitatis conceptus essentialis est conceptus negationis necessariæ , in quo nulla veritas conditionata est : quemadmodum neque in ente necessario Deo, qua ente necessario , vlla conditionata veritas est , imo, vt citato loco dicebam , quemadmodum ratio entis necessarij in Deo posterior metaphysicè est prædicato entis à se, ex quo metaphysicè à priori demonstratur , ac proinde in essentiam metaphysicam Dei non ingreditur , ita neque ratio negationis necessariæ essentia impossibilitatis est ; sed quid metaphysicè essentiam metaphysicam impossibilitatis consequens , quæ in præciso conceptu negationis à se constituitur : in hoc autem nihil conditionatum inuoluitur ; sed totum est absolutum. Verum est ex eo conceptu negationis necessariæ essentiam metaphysicam impossibilitatis metaphysicè , consequenter induci etiam illam veritatem conditionatam , si existat impossibile aliquod , siue chimæra existet contradictorium : non quidem , vt plures æstimant , quia in impossibili vtrumque contradictionis extremum claudatur ; sed , quia negatio necessaria inuoluitur : cui hypothesis existentiæ rei impossibilis contradicit : ac proinde ea purificata hypothesi , positaque in statu absoluto esset absoluta contradictio: quare & eam cognosci à Deo debere de se , & directè nec solum quatenus ab intellectu creato concipitur , vt iam dicam.

CERTAMEN III.

Cognitio , & efficientia diuina entium rationis discutitur.

1. IN quæstione de cognitione, & effectione entium rationis à Deo , tribuenda ipsi sit necne ? Dico primò: Deus directè cognoscit de se entia rationis, nec solum indirectè, quatenus cognoscit creatas cognitiones, quæ illud repræsentant , atque effingunt. Probatur primo conclusio ratione facta cert. 2. num. 5. quia , vt cognoscat , atque assentiatur prædictæ veritati conditionatæ , *Si existeret chimæra , aut homo identificatus cum equo, existeret duplex contradictorium* , oportet cognosci , & apprehendi identitatem hominis , & equi , vt dicebamus , de seque notum est: Secundò : quia, vt hoc iudicium absolutum de se, & directè efformet : *homo non est equus*: oportet etiam, vt identitas hominis & equi significata per copulam, quæ negatur , à Deo etiam apprehendatur : neque enim negari potest , à sano homine adhuc, quod ignoratur : ast identitas hominis , & equi ficta solum , & per rationem est: ergo de se & directè cognoscitur à Deo. Dices , identitatem , quæ in vtraque cognitione à Deo cognoscitur , esse identitatem veram sub conceptu communi veræ , & possibilis identitatis , quæ quidem solum eo iudicio remouetur : non ficta, qua per rationem homo , & equus idem sint : ac proinde nihil rationis à Deo apprehendi , vt vtrumque iudicium efformet. Sed contra : quia cognoscit identitatem contractam ad identitatem hominis , & equi in particulari , ipsiue applicatam, quomodo nequit non ex parte obiecti ens rationis intercedere ; cum autem eam videat ens rationis meræ, quod absolutè non est , esse absolutè inter extrema illa *homo, & equus* , negat si dicas inde inferri Deum entia rationis facere, nihil absurdi infertur, vt constabit ex concl. 3.

2. Dico secundò, Deum cognoscere entia rationis indirectè : quatenus cognoscendo cognitiones creatas, quæ illud confingunt facta à creaturis contemplatur. Hæc conclusio , licet præcedenti certior non sit , est tamen inter Doctores communior. Probatur facilè : quia Deus cognoscit cognitionem , qua efformatur à me chimæra: ergo cognoscit chimæram. Probatur consequentia : quia efformatur à me chimæra , v.g. homo, equus cognitione chimæræ, qua intrinsecè, & essentialiter cognitio , & repræsentatio formalis , realis intentionalis chimæræ est : atqui nequit cognosci repræsentatio , qua talis sine repræsentato : ergo nec cognitio , seu repræsentatio chimæræ quin cognoscatur simul chimæra. Minor constat ex generali communi doctrina de relatiuis ab Aristotele, quod relatiua , præsertim essentialiter connexa cum termino simul cognitione , atque cum illo , ac non aliter cognosci debeant. Dices inferri inde dependentiam creatæ cognitionis realis, & veræ ab ente rationis, à quo implicat pendere realem , & veram entitatem : atque insuper mutua causalitas vera inter ens rationis & cognitionem , qua causatur. Respondetur : dependentiam cognitionis ab ente rationis tanquam à causa vera , & reali admittendam non esse : ea enim est , quæ implicat ; tanquam à termino , cuius effectio cognitio est , & à posteriori , verè dari : ad id enim non requiritur verus , & realis influxus entis rationis in ipsam : quare neque quod habeat esse pro priori aliquo independenter ab ipsa : id quod essentiæ entis rationis repugnat , vt patet. Vt autem terminus cognitionis

gnitionis sit, sat est, quod repræsentari per illam queat. Vnde constat, non esse mutuam causalitatem intentam, magis, quam inter actionem physicam, eiusque terminum, seu effectum.

3. Dico tertiò: entia rationis, non solum vt actu cognita ab intellectu creato; sed etiam vt possibilia extrinsecè, & factibilia ab intellectu creato cognoscit Deus, secus vt possibilia intrinsecè negatiuè, bene autem præcisiuè. Prima conclusionis pars probatur facilè ex dictis conclusione 2. quia cognoscit possibilem cognitionem entis rationis, quæ facto impossibili suo modo, seu incognoscibili per ipsam enti rationis repugnaret: ac proinde, vt possibilis, non cognosceretur à Deo, quin Deus decipereturr; quod repugnat. Secundò: quia Deus videt veram potentiam intellectus creati ad fabricanda entia rationis: quare & ea videt ab illo esse factibilia, ac proinde extrinsecè suo modo possibilia. Secunda conclusionis pars videtur difficilior; sed, me iudice, facilius probatur: quia, cum totum intrinsecum esse actuale entis rationis sit cognosci, nequit à Deo cognosci, vt factibile ab intellectu creato; quin à Deo cognoscatur, atque esse actuale recipiat intrinsecè: ac proinde nequit cognosci à Deo non existens: quod ipsum erit, si à quouis intellectu creato, vt factibile cogitetur: quæuis enim mens entium omnium rationis causa adæquata est existentiæ intrinsecæ eorum, quam non aliter tribuit, quàm ea cogitando: quare respectu cogitantis eorum aliquod non est possibile præcisiuè adhuc; sed existens, & factum; licet respectu non cogitantis possibile extrinsecè, & factibile manent: possibile autem intrinsecè solum esse posset ens rationis, si nemo, nec Deus de illis cogitaret: quemadmodum effectus, qui à pluribus causis physicis adæquatis causari physicè posset, si ab vna fiat respectu aliarum factibilis solum, & possibilis extrinsecè est. Respectu autem illius facta, atque absolutè existens, nec solùm possibilis. Cognoscetur autem ens rationis, vt possibile intrinsecè præcisiuè solum: quia conceptus possibilitatis suo modo entis rationis præcisiuè non pugnat cum eius existentia, nec falsam Dei illud cognoscentis cognitionem redder.

4. Dico quartò, & vltimò: Deus entia rationis architectatur. Conclusio plures habet aduersarios; sed, vt reor, nec sententiam, nec entis rationis essentiam, & naturam, quam statuunt, penetrarunt. Sunt tamen pro nobis Valentia, Fonseca, Molina, Canar. suprà citati, & alij plures, in quibus Complutenses nostri, & Murciani recentiores. Est facilis probatu: quia Deus cum, vt cognoscat nostras cognitiones entium rationis, tum, vt cognoscat modum, quo à nobis possunt efformari, tum denique, vt cognoscat veritates plures tum in hypothesi, tum absolutas opus est chimæras, & obiecta impossibilia, ac seipsis ab omni positiuo diuersas, & amotas nosse, vt possit positiuum concipere, vt de identitate hominis, & equi obtendimus: & idem de aliis iudicium necessario erit: ergo eis omnibus existentiam tribuit obiectiuam: quo illa nil amplius, vt à cognoscente fiant, neque cognoscens, vt ea faciat, requirunt. Dices primò: si Deus ea omnia percipiat, & agat cognitione sua, ab æterno, & in æternum cognoscet, & aget infinita entia rationis, quæ omnia, cum nihil sint, tota æternitate occupatus, distentusque fuit, & erit in nihil agendo, non sine otiositatis, & inutilis occupationis nota. Responderunt benè à nobis supra laudati Recentiores Complutenses, non esse inutilem, & otiosam occupationem eam, quæ, vt tot veritates necessario à Deo cognoscibiles, ne aliquam ignorer veritatem, impenditur: cum constet, eas sine apprehensione simplici entium rationis cognosci à Deo non posse.

5. Oppones: entia rationis non posse cognosci, nisi ab eo, qui res aliter, ac sunt, cognoscit: at Deus res, vt in se sunt, cognoscit, nec potest aliter cognoscere: ergo Deus nec cognoscit, nec potest entia rationis cognoscere: nedum facere. Negatur absolutè Maior, etenim, vt Deus plures veritates, vt reuera in se sunt, iudicatiuè cognoscat, oportet illum entia rationis apprehendere. Minor est vera: vnumquodque enim, vt in se est, cognoscit negationes etiam possibilitatis, & entia rationis, quæ ad iudicandum de illis debet apprehendere, atque ad cognoscendas nostras de entibus rationis cognitiones: inde verò nullatenus infertur consequentia, cum negata sit, & absolutè falsa Maior. Instabis; entia rationis non esse: ergo cum cognoscuntur, esse cognoscuntur aliter ac sunt: ergo ab eo, qui obiecta, aliter ac sunt, nequit cognoscere (vt Deus nequit non cognoscere) non cognoscentur. Secundò: cum nihil reuera sint, nisi cum deceptione, & fictione cognoscentis, quæ etiam Deo repugnant, nusquam cognoscuntur. Distinguo Maiorem. Non sunt realiter, concedo; per rationem nego: & distinguo consequens: esse realiter à Deo non cognoscentur, fateor; esse per rationem à Deo non cognoscentur, diffiteor: idque satis est, vt cognoscantur, ac de veritatibus dictis à Deo iudicetur.

6. Ad secundam instantiam dicito: entia rationis sine fictione, id est, effectione entis rationis, quod eo ipso, quod cognoscitur, fit, atque effingitur, cognosci non posse; eiusmodi autem effectionem seu fictionem non esse Deo indignam, & repugnantem; sed prorsus dignam, vtpote necessariam, vt nullam veritatem ignorer, licet fictio, seu falsitas in cognoscendo, aut dicendo Deo repugnet: hæc autem Deo, ne in cognitione quidem entium rationis, adest; cum cognoscat, nihil verè esse; sed solum ficte, & per rationem. Vnde constat, neque in entis rationis cognitione diuina deceptionem, adhuc passiuam esse: cum ea esse, quod sunt cognoscat, & negationes necessarias, seu chimæras in se etiam cognoscat; licet nequeat de veritate obiectiua illarum iudicare, quin identitatem impossibilem apprehendat, vt diximus. Itaque Deo ad cuiusque siue positiui, vel negatiui realis apprehensionem apprehensione entis rationis opus non est, cum in se omnia tam positiua, quàm negatiua secundum seipsa penetret, vti ad perfectam eius intellectiuam vim spectat; at ad vere, vt debet, de chimæris, seu vnam rem aliam realiter diuersam non esse iudicet, opus illi est vtriusque identitatem purè rationis apprehendere; quæ proinde necessitas ex perfectione summæ intelligentiæ diuinæ promanat. Si autem entia rationis apprehensiuè etiam necessario cognosceret, quia aliter negatiuas veritates, & obiecta apprehendere nequiret, sicut nos: id sane imperfectio esset, mentisque sicut in nobis indigentia, & penuria.

7. Demum ex dictis constat, entia rationis à Deo per eius scientiam, prout apprehensio est, cognosci, atque efformari. Item cum de eis iudicat per iudicium tam assensus, cum assentitur esse rationis figmenta, quam dissensus cum ea verè & physicè esse dissentitur. Si iudicium subiecti, & prædicati repræsentationibus tanquam sui partibus constet: de quo controu. de actibus nostri intellectus ex instituto: tractatu de anima agebamus, quæstiunculas alias de intellectu diuino respectu entium rationis omitto: tum, quia ex his, quæ controu. metaph. de creatis cognitionibus respectu entium rationis diximus, dirimi facilè (refectis modi nostri cognoscendi imperfectionibus) de intellectu diuino possunt; tum, quia ad bonam Theologiam inutiles: tum denique, quia præsentis materiæ grauissimæ patientiam, nostramque etiam, satis onerauimus his, quæ de laruis figmentisque istis serio disputauimus.

DISPVTATIO V.

De statibus, in quibus præfata obiecta creata secundum se diuinam terminant cognitionem.

DISPVTATIO præsens creata obiecta omnia, ad quæ repræsentanda diuinam scientiam extendi docuimus, admittit, tam negatiua, quam positiua verè, ac sine mentis fictione talia (de entibus quippe rationis, quod ad verum statum, in quo à Deo cognoscuntur, plus satis diximus qu. proxima, certam. 3. num. 3.) quorum omnium statibus aptis, vt secundum eos diuinam

terminent

terminent cognitionem, eadem est, & communis difficultas. Triplex igitur eiusmodi obiectorum status à Theologis recognoscitur. Primus possibilitatis, qui amplissimus est, ac proinde prioritate maioris vniuersalitatis, quam vocant, primus. Secundus, proximo strictior, ampliorque sequente, quare & eodem vniuersalitatis ordine inter vtrumque medius, est futuritionis conditionatæ, contingentium scilicet, & liberorum: quæ non solum possibilia sunt; sed sub aliqua conditione existerent, si ea apponeretur: cuius tamen appositio, vel negatio pro eo statu absolutè non est; sed solum in hypothesi, quæ nec absolutè esse, nec non esse absolutè dicitur: ac proinde, quod sub ea hypothesi fore dicitur, non dicitur absolutè esse: vnde proloquio vulgari conditionalem nihil ponere in esse dicimus.

2. Anonymus quidam apud Annatum nostrum d. 2. contra ipsum cap. 3. num. 51. medium hunc statum conditionatæ futuritionis contingentium rerum, quibus solis est proprium, non admittit; sed negat absolutè: quia putat conditionata, quorum conditio purificatur, futuraque absolutè proinde sunt non esse quidem futura conditionata; sed absoluta; quæ autem futura absolutè non sunt, nec esse sub conditione futura; sed mere possibilia: qua in re non solum à reliquis; sed à Dominicanis etiam Thomistis discordat: licet enim hi conditionata, vel ad simplicem intelligentiam, vel ad visionem putent pertinere, statum tamen illum futuritionis conditionatæ contingentium diuersum ab statu possibilitatis eorum recognoscunt, atque ad illum statuendum decreto Dei absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus esse contendunt, vt suo loco videbimus, & confutabimus; reuocant autem eius status, & veritatis conditionatæ cognitionem, vel ad scientiam simplicis intelligentiæ: quia ex decreto de futuritione conditionata contingentis ad ipsam conditionatam futuritionem consequentia omnino necessaria est, non minus quàm hæc: si est homo, est animal rationale, vel ad visionis scientiam, quia est status, quem ponit liberum, & absolutum actuale Dei decretum. Licet autem hæc suas difficultates patiantur, & repugnantias; tamen diuersa sunt ab Anonymi sententia statum illum conditionatum ab statu futuritionis absolutæ in conditionatis, quæ absolutæ sunt pro aliqua temporis differentia, vel ab statu possibilitatis inconditionatis, quæ nusquam absolutè sunt, non admittente.

3. Singularis autem opinio hæc. Etenim futuritio conditionata, vt ab absoluta futuritione, vel non futuritione contingentis præscindit, absolutam eius futuritionem, vel non futuritionem non dicit, & tamen aliquid aliud dicit, quàm eius possibilitatem. Etenim cum de homine, & genio, & vsu fure sui pene impote, dicimus, si incideret in arcam pecuniosam furaretur, nec solum furandi periculum, & probabilitatem; sed furtum fore iudicamus, iudicamus simul possibile, vt non furetur, siue possibilem etiam tunc esse negationem furti. Item Christus Dominus cum dixit conditionatam Tyriorum fidem, & pœnitentiam sub conditione signorum, quæ facta Bethsaidæ fuerant, simul iudicabat esse negationem fidei, & pœnitentiæ illorum possibilem: eo enim ipso, quod contingens aliquid est, eius negatio possibilis esse debet: licet autem in vtroque casu negatio furti, & pœnitentiæ Tyriorum possibiles tunc sint, & iudicentur ab his, qui furtum, & pœnitentiam sub eis conditionibus fore iudicant, tamen vtriusque negationes non sunt futuræ conditionatæ sub eisdem conditionibus: in nulla quippe hypothesi potest idem esse, & non esse simul, si hypothesis ipsa contradictio, & chimæra non sit: ergo futuritio conditionata contingentium illarum negationum, ac proinde positiuorum contingentium diuersum quid ab statu possibilitatis est.

4. Secundò: si negatio conditionata, qua absolutè est, quia eius oppositum absolutè non est, à possibili præcisiuè, vel futura absolutè negatione non differt: cum negatio pœnitentiæ Bethsaiditarum, & Corozaitarum æquè possibilis, & absolutè suo modo existēs fuerit atque Tyriorum pœnitentia, æquè etiam fuit sub conditione signorum futura in hac sententia, atque fuit pœnitentia Tyriorum sub conditione illorum signorum; hoc autem & falsum esse constat: quia eis positis signis eorum pœnitentia non adfuit; & quia alias eluditur increpatio seria Christi Domini. Respondet, male differre solum nostro concipiendi, & enunciandi modo, non autem ex parte obiecti, futuritionem conditionatam ab absoluta, & possibilitate. Si enim absque vllo fundamento ex parte obiecti, arbitrarieque modus noster concipiendi, & enunciandi eam facit diuersitatem, Christus Dominus, imo & nostrum quivis pro suo quisque arbitrio potuit facere Corozaitarum pœnitentiam conditionatam, & contra, conditionatam sub eisdem signis negationem pœnitentiæ Tyriorum: conquerique merito illi possent Christum non eo modo idemmet obiectum pœnitentiæ suæ quoad status alios duos vèros ab Anonymo admissos, atque pœnitentiæ Tyriorum voluisse cognoscere, & enunciare, vt conditionata (eo modo, quo per Anonymum potest) sua, sicuti, & Tyriorum pœnitentia euaderet; vel eo modo pœnitentiam Tyriorum cognoscere, & enuntiare, quo non euaderet conditionate futura, vt eorum comparatione dire adeò non increparentur: sed quæ vesana, & dementis increpatio esset infidelitatis, & impœnitentiæ comparatione Tyriorum, quorum impœnitentia ex se in omni statu vero, ac non ficto æqua erat eo præcisè quod alius aliter, atque aliter de vna, atque de alia, voluit concipere, & enunciare. Debet ergo ex parte obiecti aliquod fundamentum esse, vt conditionata verè talia, nec solum possibilia, vel futura absoluta verè enuncientur, nec arbitrio nostro futura conditionate sint, quæ talia non sunt, vel contra ab vtroque illo statu diuersum quod quidem fundamentum status conditionatus est.

5. Tertius, & strictior, minusque vniuersalis obiectorum status est absolutæ existētiæ de præsenti, vel pro quauis temporis differētia, siue præteriti, siue futuri: & sane de existentibus actu creaturis à Deo secundum seipsas, & vt absolutè in se sunt, cognosci à nemine negarum video: quia ex hactenus disputatis, nulla in eo vel vmbra difficultatis apparet. Pro eis enim apertè militant omnia, quæ pro cognitione creaturarum, & negationum secundum seipsas, & in se dedimus. De eis quippe negari ab vllo nequit esse absolutè, ac vere entitatem, veritatemque, & cognoscibilitatem sufficientem terminationi cognitionis diuinæ. Solum ergo disputandum restat de obiectis à Deo extrinsecis secundum tres illos status: possibilitatis, futuritionis conditionatæ, futuritionis, & (quod idem ad præsens est) præteritionis absolutæ. Cum enim pro nullo eorum statu absolutè sint, imo vero eorum plura absolutè non sint; sed solum vel esse possint, vel sub tali conditione essent, vel pro alia duratione à præsente erunt, vel fuere: quare actu, & depræsenti entitatem, veritatemque metaphysicam absolutè non habeant, neque cognoscibilitatem veram videntur habere, neque cognitionem Dei etiam per aliud medium determinatam terminare (nedum determinare) vsquam posse. Disputabimus autem de positiuis obiectis solum: ex quibus ad negationes eorum pro eisdem statibus facili negotio doctrina à quouis poterit facilè deduci: siquidem quoad status à positiuis non differunt.

QVÆSTIO I.

An creaturas secundum statum possibilitatis cognoscat Deus.

POSSIBILIA dupliciter dicuntur: nempe possibilia purè, seu tantum, quia eorum existentia non datur; sed potius eorum remotio, & possibilia præcisiue, vt à sui actuali existentia, quam habent, vel absoluta sui negatione præscindunt. Cum autem vtraque in conceptu, seu statu possibilitatis conueniant, licet prima statum absolutæ existentiæ suæ secludant, atque eius negationem importent; secunda verò statum existentiæ habeant, siuique negationem de facto, ac reipsa excludant: quidquid de alterutris secundum illum statum, in quo conueniunt, à Deo cognosci probauerit, probabit etiam à Deo secundum eum statum de alteris.

CERTAM.

CERTAMEN I.

Affirmatiua sententia eligitur.

1. POssibilia, siue obiecta Deo extrinseca secundum statum possibilitatis ab ipso non cognosci in se videntur docere Henricus, quodlib. 9. qu. 2. post med. Ægyd. in 1. d. 35. qu. 3. Arg. qu. vnica Ricard. qu. 3. corp. & q. 7. ad 4. Capreol. qu. 2. art. 1. concl 1. Carthusian. quæst. 1. post med. Bonacent. d. 39. art. 1. quæst. 1. §. *argumenta*. Albert. 1. par. qu. 60. met. 2. Alexand. 1. par. qu. 25. m. 2. Bannez, & Zumel ad 1. par. qu. 14. Ioannes S. Tho. ad qu. 18. art. 2. Molina ad q. 14. ar. 5. d. 11. m. 2. Soar. lib. 3. c. 2. Ruiz d. 10. sect. 2. n. 2. referuntur etiam Aureolus in 1. d. 35. 1. par. ar. 4. & par. 2. ar. 4. §. *Nec valet*, & propos. 3. ad 6. & 7. Valentia d. 1. qu. 14. punct. 7. Pasqualigus d. 23. sect. 4. & d. 24. sect. 1. possentque eadem fide, qua Valentia, & Pasqualigus citati Doctores omnes, quos d. 4. qu. 3. referebamus pro sententia negante creaturas in seipsis cognosci à Deo: illi enim sicut Valentia de possibilibus creaturis speciatim loquuntur, eoque ducuntur argumento, quod pro ratione dubitandi disputationis huius præfatione adducebamus, scilicet: possibilia secundum statum possibilitatis præcisiuæ neque esse, neque entitatem in se habere: ac proinde neque veritatem, neque cognoscibilitatem: quare neque à Deo cognosci posse: maximè cum verbum *est*, absolutè prolatum existentiam denotet obiecti, quam nullatenus creaturæ in eo possibilitatis statu habent: ac proinde nonnisi falsò, ac deceptione passiua, aut actiua, seu mendacio eas esse iudicari, dicive possit, quod Deo repugnat: quare prout in ipso eiusque omnipotentia sunt cognosci à Deo possunt, vt Valentia, & Pasqualigus videntur expressius docere.

2. Sed certè, si ea ratione Doctores citati, vt sonat, ducerentur, non solum negarent creaturas possibiles in seipsis, seu determinatiuè à Deo cognosci; sed & secundum seipsas, seu terminatiuè cognosci ab ipso, quod enim secundum le veritatem, seu cognoscibilitatem absolutè non habet, non solum determinare; sed, & terminare, cognitionem sui nequit. Quare consequentissimè Pasqualigus vtrûque expresè negauit d. citata 23. sect. 4. licet, quoad terminationem duriusculè possibilium, qua talium cognitio Deo absolutè negetur. Censeo ergo, quoad horum Doctorum, & consequentiam, & mentem primo: à terminatione cognitionis diuinæ ad determinationem, vel è contra, in quouis obiecto, ac proinde in creaturis possibilibus, legitimam esse consequentiam vti ex d. 4. q. 3. satis constat: licet respectu cognitionis, & intellectus creati consequentia non teneat: quia infinitæ, ac summe cognoscitiuum, atque illa omniscientia, seu omnirepræsentatio formalis in creatis non est: ac proinde neque omnem veritatem, modumque cognoscibilitatis obiectorum attingere debet.

3. Censeo secundò: præfatos Doctores mutuam hanc à terminatione ad determinationē diuinæ cognitionis in obiectis possibilibus, siue secùdum statum possibilitatis consequentiam nusquam ignorasse, sed potius negasse vtramque: non quidem eo sensu, qui duriusculus, vt dixi est, atque communiter ex ipsis refertur (ni tardiores aliquot ex illis excipias) scilicet, quasi negent absolutè creata secundum statum possibilitatis determinare, ac terminare diuinam ipsorum cognitionem, siue secundum propriam quidditatem, & essentiam, atque essentialem ipsis, & necessariam veritatem in seipsa. Solum enim negant cognosci à Deo secundum aliquod eorum esse, atque in eo proprie esse, quod extra Deum reuera in creatis secundum statum possibilitatis præcisè sumptæ de facto sit: quod nullatenus esse multis, atque efficacibus rationibus merito ostendunt, cum quibus id ipsum nos inferius, dum difficultatis, & rationem dubitandi solutiones aliquot retellemus. Itaque minus distinctè, confusiusque hi Doctores locuti sunt: ac proinde vocibus solum à verò discordare videntur.

4. Secunda, & communior sententia est, creata omnia secundum possibilitatis statum, siue, vt possibilia secundum proprias essentias determinatas, atque in seipsis à Deo cognosci: est sententia (meo iudice) concors Scotistarum, & Thomistarum scholæ vtriusque, Dominicanæ, & Iesuiticæ. Atque in primis est sententia S. Thomæ 1. p. q. 14. a. 5. & 6. ad primum ar. 13. corp. q. 57. ar. 3. corp. 2. 2. q. 171. ar. 6. ad 2. 1. contr. gent. c. 66. fine. q. 2. de verit. ar. 4. & 6. & in 1. d. 38. q. vnic. ar. 5. corp. Ferrariæ ad locum citatum contr. gent. S. Bonau. in 1. d. 39. art. 1. q. 1. Richard. d. 35. ar. 1. qu. 4. Durandi qu. 2. Gregorij Arim. qu. vnic. Argentinæ, qu. vnic. concl. 4. Molinæ ar. 9. Soarij lib. 3. cap. 2. licet pro opposita, vt vidimus, referantur: quia in sensu à nobis explicato loquuntur. Item Caietani 1. part. q. 14. ar. 6. vbi Bannez pro opposita etiam citati, Vasquez d. 60. c. 2. Ruiz d. 11. sect. 3. & 4. Scoti in 1. d. 36. qu. 1. qu. vnic. & in 4. d. 1. qu. 2. art. 1. quibus locis communiter Scotistæ Rada 1. part. contr. 28. cap. 3. Maior in 1. d. 35. qu. 1. & 2. Smising. 3. de Deo vno d. 2. qu. 3. Quiros & alij citati à nobis d. 4. qu. 3. sect. 2. pro prima, & tertia sententia, & certam. 4. pro nostra tertia conclusione.

CERTAMEN II.

Deus creata possibilia secundum suæ possibilitatis statum secundum seipsas cognoscit.

1. DVplicem habet partem conclusio, & quoad priàmam de cognitione diuina secundum proprium quidditatiuum, licet non actualis existentiæ determinatum, & proprium esse à nemine præter Pasqualigum & Ioannem de S. Thoma negatum video, qui in benigniorem sensum intelligi nequeant. Probatur quoad hanc partem conclusio, quæ, me iudice, fidei dogmatibus proxima est. Primò enim de fide est, Deum pro suæ voluntate, & arbitrio perfectissimo omnia fecisse, vt in se facta de facto sunt: ergo eorum, quæ facienda erant, cognitionem præhabuit: at non potuit eorum, vt existentium cognitionem præhabere: neque enim pro illo priori, quo facienda, seu factibilia voluntati diuinæ proponebantur ante decretum de eorum effectione, & absoluta existentia (quod existentiæ eorum causa efficiens, vel potentia effectiuæ Dei, sine omnipotentiæ applicatio est, ac proinde absolutam eorum existentiam præcedit) existunt absolutè: ergo pro eo priori proponebantur Deo in statu præscindente ab existentia absoluta, ac proinde possibilitatis præcisiuæ. Confirmatur: quia pro tunc naturæ proponuntur à Deo, vt fiant, & ab eo recipiant esse: ergo non facta, neque existentia absolutè: alioqui proponerentur, vt Deus actum ageret, agereque actum decerneret.

2. Confirmatur secundò: quia, vel proponuntur vt existentia à Deo, & hoc repugnat habere ante decretum, ad quod ea propositio Deum solicitat: vel ab alio sine Deo: & hoc etiam repugnat, cum essentia sua creata à Deo pendeant: nec sine Dei concursu absolutè esse vsquam possint. Confirmatur tertiò: quia, si pro illo priori absolutè facta, & existentia creata nouit, non posset earum negationem absolutè ponere, cum ad apponenda simul cum contradictoria potestas vera, ac non chimærica nullatenus sit: ergo ea non appositit ex arbitrij libertate: ac proinde cognitio creaturarum, quæ ad libertatem Dei in creatorum efficientia adstruendam admittitur, eam omnino destrueret. Iam verò si ea, quæ de facto creata à Deo sunt, prout à suæ absolutæ existentiæ statu præscindunt, siue in statu possibilitatis præcisiuæ cognita à Deo fuere: idem de reliquis creatis possibilibus dicendum necessario est. Tum, quia hæc in statu illo cum creatis omnino conueniunt: tum, quia hæc ex electione præaliis possibilibus, quæ omisit, & condere posset effecit: neque enim hæc solum, quæ effecit, posse à se fieri, nouit Deus. Porrò discursus & confirmationes istæ æquè de negationibus in statu possibilitatis probant: cum ex libertate apponendi, vel non apponendi ea de facto in rerum natura posuerit, atque cætera non posuerit: ad quod effectionis suæ & existentiæ creaturarum omnium negationes, antequam suo modo

absolutè essent in statu etiam præcisiuæ possibilitatis debuit prænoscere.

3. Dices cum Pasqualigo citata d.23. sect.4. num.33. Deum pro illo priori solum cognoscere possibilia, vt in potentia sunt: scilicet, vt in seipso, ac in sua potentia continentur, quomodo distincta, & determinatæ entitatis, ac esse proprij actu non sunt; sed esse diuini, atque distinguibilia, seu distincta in potentia solum: ex qua cognitione possibilium in seipso, siue secundum esse non proprium eorum; sed diuinum directum solummodo Deum ad condenda omnia aiebat Augustinus 5. de Genes. ad litteram illud Ioan.1. *Quod factum est in ipso vita erat*, his commentans: *In qua vita vidit omnia, quæ fecit, & sicut vidit ea, ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso.* Locum Augustini explicui d.4. qu.3. cert.4. n.5. loqui Augustinum de visione creaturarum, tanquam scientia earum, seu omniscientia in seipso tanquam specificatiuo: Addo (quod verius, & germanius iudico) loqui Augustinum de cognitione ideæ, siue exemplaris etiam creaturarum, quod extra se positum videri à Deo negat, quemadmodum & quæst. 46. ex libro octoginta trium dixisse vidimus eadem d.4. qu.1. certam.2. num.2. *Non enim extra se quidquam positum instruebatur, vt secundum id* (siue ex eius imitatione) *constitueret, quod constituebat.*

4. Sed iam solutionis doctrina impugnatur: quia, licet facienda secundum modum, & substantiam ea faciendi, vt actu facta, & absolutè existentia secundum proprium esse, non debeat Deus cognoscere, vt libere ea secundum substantiam, & modum, quo ea fecit, producat; ast eius quod faciendum, vel non faciendum erat, quoad substantiam, & modum effectionis ad libertatem effectionis eorum debet præhabere cognitionem ante absolutum, imò, & conditionatum etiam ex parte obiecti (si hoc etiam necessarium sit) decretum, de eorum quoad substantiam, & modum effectione: atqui creaturæ secundum esse diuinum in quo eminentialiter, & potentialiter sunt, ac sunt ipse Deus, vtraque diuina, faciendæ, factibilesque à Deo non magis sunt, quam Deus à seipso faciendus, & factibilis sit: ergo à Deo cognosci debuerunt factibiles secundum esse proprium. Confirmatur: quia in huius, nostraque, & veriori sententia, quæ Deum, eiusque omnipotentiam absolutam à possibilitate creaturarum, creaturisve possibilibus statuit, non magis continetur Petrus possibilis, quam hircoceruus impossibilis, vterque enim non continetur absolutè; conditionatè verò sub hypothesi possibilitatis continetur vterque: ergo in continentia eminentiali Dei secundum esse diuinum non magis cognoscitur absolutè factibile à Deo, quod est possibile, quam impossibile, nisi possibilis prius prædicata videantur, non repugnantia, possibilia absolutè, siue vera absoluta sui possibilitate, vt contendimus. Confirmatur secundò: quia id Deo proponitur, vt fiat, quod vult facere decreto suo: atqui vult facere creaturas secundum proprium earum esse, non autem secundum esse diuinum, quod in Deo habent, & in quo sunt ipse Deus: ergo eas secundum esse proprium earum cognoscit: non vt actu factum, & existens; sed vt factibile, & possibile.

5. Probatur vlterius conclusio: quia Petrum secundum proprium esse, v.g. esse possibilem verum & cognoscibile est: ergo & à Deo omniscio necessario cognoscitur. Consequentia est certa, sæpeque à nobis probata. Antecedens probatur Primò: quia id ita à nobis verè cognoscitur: neque negari nisi falsò potest, Petrum esse possibilem, seu habere in suis prædicatis intrinsecis non repugnantiam, seu aptitudinem ad existendum, quam non habet hircocerus, seu aliud quidpiam impossibile, in quocumque demum ea non repugnantia, & aptitudo ad existendum, seu possibilitas, aut potentia logica existendi formaliter constituatur, eique opposita repugnantia, & ineptitudo ad existendum, siue impossibilitas, & impotentia logica existendi. Id quod facilè in quauis de possibilitate rerum, & impossibilitate chimærarum sententia clarebit. Etenim si possibilitas ster iuxta communiorem iam sententiam Recentium politiorum in hac veritate conditionali necessaria: *Si Petrus existat, non existet duplex contradictorium*, velut Murciani malunt, *Si existat habebit potentiam ad existendum*, imò (vt falsò nonnulli dicunt) licet possibilitas creaturarum sit ipsa omnipotentia Dei, vel iuxta veriorem cæteris opinionem nostram iam attingendam. Id quidem cognoscibile, ac verè cognoscibile est, vt patet.

6. Nec valet, id ita esse à nobis verè cognoscibile; relatè non ad veritatem possibili obiecto intrinsecam, quæ nulla est, sed ad conceptum, seu veritatem obiectiuam, quam fingit mens nostra, dum possibile iudicat: quia aliter ipsum cognoscere, ac de eo iudicare nequit quod in Deo locum non habet. Contra enim est. Primò: quia de eo esse obiectiuo, & rationis puro, sine quo possibile non cognoscimus, verum non est, posse reuera existere; sed licet sub eo tegumento, aliud cognoscitur, de alioque iudicium fertur, nempe de quidditate, & prædicatis Petri, dum possibilis iudicatur: vt, dum, quia aliter Deum, & Angelum, quàm, vt corporeos cognoscere pro hoc statu nō valemus, de sic conceptis spiritualeis esse iudicamus, & verè iudicamus: quia de re ipsa asserimus non de corporea illa veste, qua ex parte obiecti illos necessario pro hoc statu vestimus. Secundò, quia licet chimæræ cognitæ illud esse obiectiuum ratione nostra contingat, non tamen sunt, aut iudicantur verè possibilia, neque vt talia à Deo cognoscuntur, cognoscive possunt: ergo veritas possibilitatis, quam creaturis possibilibus tribuimus, in quauis de earum possibilitate sententia, & explicatione, nō est illud esse obiectiuum, & rationis, quo possibilia necessario induimus, cum de illis cogitamus; sed proprium, & quidditatiuum eorum esse ab illo prorsus in sui veritate indepēdens; licet dependens ab illo sit noster cognoscendi modus: quod est valdè diuersū.

CERTAMEN III.

Secunda nostræ conclusionis pars, & obiectionum solutiones nonnullæ.

1. SEcunda nostræ præfixæ cert. 2. conclusionis pars ex prima probata cer. 2. facilè probatur ex dictis d.4. q.3. atque hic à tactis cert.1. à n.2. vbi ostendimus respectu cognitionis diuinæ necessariam ab obiecti terminatione ad determinationem consequētiam deduci: tum quia Deus ratione sui infiniti intellectus determinatus est ad omnis veritatis, seu veri cognitionem: tum quia eius infinita cognitio à Deo, vt intellectiuo principio; &, vt obiecto, omniscientia, omniumque actualis repræsentatio formalis euadit: quocirca extrinseca quæuis veritas quæ satis est, vt terminet, satis etiam est, vt determinet diuinam suam cognitionem. Porrò: quæ contra hanc conclusionem præcipue, atque speciatim militare aduersariis videntur, ea sunt, quæ ex S. Dionysio, Augustino, & Thoma d.4. q.3. cert.vlt. n.5. atque hic cert.2. n.4. disiecta à nobis sunt: quæ verò vtramque conclusionem à ratione difficilem reddunt, præsimusque disputationis huius præfatione ex defectu absolutæ existentiæ, quæ verbo *est* absolutè prolato significatur: ac proinde, & cognoscibilitatis dissoluenda in præsentiarum erunt.

2. Scotus in 1.d.36.q.vn. & in 4.d.1.q.2.a.1. Rada 1.p. contr.28.c.3. Smising.tract.3. de Deo vno d.2.q.3. & communiter Scotistæ apud eosdem à cognitione Dei circa possibilia actu ea produci à Deo volunt, non in esse physico, & reali; sed solum in esse cogniti, seu intentionali: ac possunt respondere, consequenter creata obiecta, licet pro statu possibilitatis præcisiuæ actu physice nec sint nec habeant entitatem, ac veritatem physicam, esse tamen actu in esse cogniti, seu intentionali, quod satis est vt habeant veritatem, & cognoscibilitatem. Sed contra: primo, quia, vt sint in esse cogniti, seu intentionali, oportet cognosci à Deo, atque ab ea cognitione esse illud intentionale recipere: ad cognitionem autem eorum supponi aliquo modo in ipsis debet esse seu entitas, veritas, & cognoscibilitas, quæ nec physica per te in eis est, nec intentionalis illa, quæ est post cognitionem earum, vtpote per illam causata, & producta intentionaliter. Contra: secundo, quia vel illud esse intentionale est aliquid in rebus intentionaliter politiuum, vel sola earū denominatio extrinseca à diuina cognitione earum prouenies. Si hoc vltimum (quod verius certe est) asseras: asseres à Deo cognosci, cum nullum esse, aut veritatem obiectiuam habent, quod est impossibile. Si primum, vel

vel illud esse obiectiuum intentionale est rationis purum opus, vel reale. Si rationis non possibilia; sed ens rationis actu habebit suum quale quale esse, & cognoscibilitatem: si reale, vel illo existunt realiter, & actu possibilia, vel non existunt? primum pugnat cum statu possibilitatis: postremum difficultatem propositam non emollit.

3. Respondent alij possibilia pro statu possibilitatis habere quoddam esse reipsa distinctum à Deo, quod essentiæ est, & æternum non temporale, non existentiæ, secundum quod non solum terminare, sed, & determinare, possint diuinam cognitionem. Vnde eiusmodi propositiones necessariæ, & æternæ veritatis dicuntur, v.g. Petrus est possibilis. Contra hanc doctrinam multo inuehitur stomacho noster Valentia loco citato. Neque absre quidem: licet enim veram solutionem ferè attingat, dum illud esse re ipsa à Deo distinctum esse ait: illud actu extra Deum absolutè esse, & existere videtur admittere: quod falsum omnino est, atque in fide periculosum: cum constet omnia, quæ sunt, reuera à Deo distincta, à Deo esse facta, ac *sine ipso factum esse nihil*: & tamen illud esse possibilium præcisiuè à Deo factum minimè est. Item eum statum habent possibilia plura, quæ nunquam erunt, in quibus aliquod esse absolutè admitti nequit. Admittitur autem ab his: quia realis actualis distinctio duorum vtriusque existentiam realem actualem essentialiter importat. Denique illud esse quidditatiuum esse æternum repugnat Scripturæ asserenti, omnia in tempore esse facta atque ex tempore, non autem ex æternitate extitisse.

4. Recentiores alij, qui rerum possibilitatem ipsis omninò extrinsecam esse cum eodem Valentia defendunt, dicere possunt: possibilia creata secundum statum possibilitatis præcisiuæ veritatem quidem habere actu, & absolutè: scilicet Omnipotentiam Dei, quæ eorum possibilitas est, à qua possibilia formaliter constituuntur: sicque, & esse possibile, & veritatem actualem sortiri: atque ea omnia absurda cessare. Et sanè cessare absurda præfata, si eorum opinio vera foret, certum mihi est; æquè tamen certum, eam sententiam falsam omninò esse, vt controu. 1. ostendi. Secundò ex ea admissa infertur, Petrum possibilem non cognosci, & idem est de cæteris possibilibus. Etenim possibilitas omnium in hac sententia est Omnipotentia, possibile autem Petrus, Paulus, equus, & cætera, vt ab ea denominata, & extrinsecus affecta: vel ergo cognoscitur quod ex parte subiecti dicit Petrus ab omnipotentia denominatus possibilis, vel Omnipotentia, seu eius possibilitas sola. Si hoc habent aduersarij intentum, scilicet creaturas possibiles non cognosci; sed solam possibilitatem, quæ increatum quid est, & diuinum, quodque non magis est possibilitas Petri, quam Bucephali, imo & chimæræ: quia non magis sunt possibilia vt præcisa ab omnipotentia huius, quam illorum prædicata: cum nullam (vt sic dicam) possibilitatem imbibant, vel repugnantiam de se se, si primum aliquid cognoscetur quod absolutè actu non est. Confirmatur: quia, vt cognoscatur possibile concrete, debet cognosci non sola forma possibilitatis; sed subiectum illa affectum.

CERTAMEN IV.

Verior solutio.

1. VT expeditius respondeatur, suppono: possibilitatem creatam (de qua solum in præsenti loquimur) distingui à Dei possibilitate, quam ab existentia impræscindibilem cum fundamento in re à nobis esse docuimus. Est enim possibilitas Dei eius existentia necessaria. Acrursus esse distinctam à negatione necessaria existentiæ, in qua impossibilitatem chimærarum constituebamus, mediantique inter vtramque interiacere, cum neque necessaria existentia sit, neque necessaria existentiæ negatio; sed existentia contingens quare sicut existentiam necessariam Dei in prædicato entis à se posuimus: & necessariam negationem chimærarum, & impossibilium in prædicato negationis à se collocamus: quia seipsis, & essentiâ sua non sunt, & non existunt: sicut essentia sua, & seipso est, & existit Deus: possibilitatem creatam in prædicato entis ab alio constituendam censemus. In eo enim & aptitudo ad existendum, seu potentia logica existendi continetur, quo necessitas non existendi, quæ impossibilitas est, excluditur, & necessaria existentia, quæ Dei propria est: cum nihil, quod ab alterius arbitrio in suo esse pendeat, necessario esse possit.

2. Supponendum est secundò, existentiam à possibilitate, aut essentia rerum re ipsa non distingui: ac proinde neque ens, aut existens ab alio, ex quo manifestè infertur sublata absolutè è rebus existentia, seu ente actuali non remanere absolutè in rebus ens possibile: formaliter autem metaphysicè loquendo ens possibile, & existens ab alio neutre substantiue acceptum, seu (quod idem est) possibilitas, & existentia ab alio creaturæ ab essentia metaphysica speciali creaturarum differt, sicut superius ab inferioribus metaphysicis, parsque metaphysica à toto. Etenim ens ab alio substantiue acceptum, siue possibilitas, aut existentia ab alio adæquatè ab omnibus differentijs abstrahitur creaturarum, estque prædicatum vniuocum, & generalissimum genus earum, in quò omnes vniuocè conueniunt, substantiæ saltem species, vt latius ostendimus controu. 1. metaph. neque admodum leuiter attingimus controu. de Trinit. d. 3. qu. 3. & d. 6. q. 1. ex quo patet, sublato eo prædicato, nullam speciem creatam, adhuc metaphysicè manere posse: sicut sublato metaphysicè animali, implicat metaphysicè homo. Si autem ens possibile, aut actuale ab alio adiectiuè sumatur pro existente, seu potente existere iure identitatis realis cum eo prædicato entis substantiui, siue possibilitatis, & existentiæ, differentiæ inferiores entia, ac non repugnantia adiectiuè metaphysicè manerent: quia sic acceptum ens & existens differentias transcendunt, vt citatis locis dicebamus.

3. Ex his constat Tertiò possibilitatis entis ab alio prædicatum essentiale metaphysicum prædicatum creaturis esse æquè, atque reliqua prædicata, quæ essentias metaphysicas rerum constituunt, v.g. prædicatum animalis, aut rationalis in homine quod sicut in materia necessaria propositionem constituunt, ita & prædicatū entis sumptū pro entis possibilis prædicato: quoniam verò possibilitas hæc existendi non est existendi necessario, vt diximus, prædicatum entis, seu existentis ab alio actu, & exercite, etsi idem ipsum, atque entis possibilis, ex parte obiecti prædicatum sit, est prædicatum contingens, atque in materia contingenti propositionem collocat. Vnde rursus cum statutum apud omnes sit, copulam propositionum in materia necessaria à tempore abstolui: secus autem in materia contingenti sit planè hanc propositionem: *Petrus existit*, siue *absolutè est*, à tempore non abstolui: ac de Petro actu non existente tempore, quo profertur, quodque per copulam importatur, falsam esse: hanc verò: *Petrus est possibilis* quouis tempore, imò ex æternitate conceptam esse veram: quia ab omni tempore absoluitur, idque Doctores omnes volebāt intelligi, cum hanc, & similes propositiones in materia necessaria æternæ, necessariæque veritatis esse, docuerunt. Ex quo patet solutio ad illud, quod pro aduersa sententia proponebatur: nempe, verbum *est* absolutè prolatum actualem existentiam subiecti, & prædicati significare. Id enim in materia contingenti verissimum est: in necessaria verò (cuiusmodi creaturarum possibilitas est) prorsus est falsum.

4. Sed explicandum restat, quomodo subiectum, & prædicatum in propositione: *Petrus est possibilis*: aut est rationalis, & reliquis, quæ in materia necessaria sunt, accipiantur: in sensu quippe, & acceptione reali, cum Petrus non est, nec subiectum est, neque prædicatum reuera, vt patet: si quidem neque Petrus, neque eius possibilitas, quæ eius existentiæ identificantur, sunt, cū existentia Petri non adest, vt diximus. Id autem ita Recentiores nostri explicant, vt sensus realis solum conditionatus sit, licet conditionatum sensum non eundem assignent. Recentiores Complutenses hunc designant: *Si Petrus existat, non existet duplex contradictorium*. Murciani: *Si Petrus existat, poterit existere, seu habebit potentiam ad existendum*. Quemadmodum hæc propositio. *Si Petrus existat, erit rationalis, seu habebit potentiā ratiocinādi*, & similes in materia necessaria: & vtraque quidē conditionata propositio vera in sensu reali conditionato est. Sed Murcianorū postrema possibilitatis conceptum non explicat, qui quidē & prior, & independens ab existentia est: in ea autem propositione dependens ab existentia ponitur, atque cum ex parte rei entitas, & ens subiantiuē, atque existentia, & existens idem realiter

imò & formaliter sint, erit conditio, & conditionatum idem, ac si diceretur: *Si Petrus existat, existet*, quod scientiis inutile, imo nugatorium est.

5. Prima etiam verissima est; quia impossibilitas est negatio necessaria, vt diximus, optimè explicata per hanc conditionalem: *Si impossibile existat, existet duplex contradictorium*: non quia duplex contradictorium in impossibilitate contineatur formaliter (vt malè iidem Recentiores cum aliis censent) sed quia, cum impossibilitas sit negatio à se, seu necessaria existentiæ impossibilis, atque in hypothesi ponatur eius existentia, infertur bene extiturum contradictorium duplex, alterum negatiuum quod essentiâ sua imbibitum habet impossibile; alterum positiuum existentiæ eius, quod ponitur in hypothesi. Cum ergo nullo alio modo explicari aptius rerum possibilitas possit, quàm per oppositum impossibilitatis, cui contradicit, in sensu conditionato bene explicatur per conditionatum illum sensum horum Recentiorum: *si existat Petrus, non existet duplex contradictorium*; siue *non existet simul ipsa, eiusque negatio*. Vt simul existeret, si existeret chimæra: & tamen hoc totum conditionatum obiectum verum esse, ac proinde à Deo cognosci certissimum est; sed tamen neque hic est ipsissimus possibilitatis, seu creaturæ possibilis, qua talis conceptus (sicuti neque oppositæ conditionalis conceptus essentia impossibilitatis) sed quid illum consequens, vt vidimus; neque sensus iste ita realis est, vt à Recentioribus asseritur, atque, vt oporteret ad satisfaciendum difficultati. Nam status conditionalis nihil ponit in esse; sed potius ab esse absoluto abstrahit æquè, atque possibilitas: quare de non existentibus verificatur, solumque mente nostra conceptus est: quia status conditionalis nihil magis in esse ponit, quàm possibilitatis præcisæ status: cum hypothesis non ponatur; sed mente solùm supponatur: maximè cum hypothesis, seu conditio idem ipsum est cum eo, quod sub ea fore dicitur, vt in præsenti.

6. Solum ergo veritatem habent propositiones in materia necessaria in statu, & sensu obiectiuo, qui quidem rationis, & fictus non est, licet realis actualis obiectorum non sit: quia absque mentis fictione esse reuera possunt, quæ ita concipiuntur: ac proinde non solum per rationem, sicuti figmenta rationis, quæ esse nequeunt, habent esse: Nullo quippe cogitante, essent, sicut repræsentantur modò, quandocumque existerent. Vnde, licet illud esse per rationem, seu à ratione, vt iam explico, sit, ens tamen rationis non est. Est autem illud esse obiectiuum, non quidem à ratione, seu cognitione prædicatis illis ex parte obiecti superadditum, vt nuper dicebamus, sed sola extrinseca denominatio cognitorum, subiectique, & prædicati terminis, seu prædicato, & subiecto materialibus propositionis illius ab ipsa cognitione, & iudicio obueniens: quod quidé ex his, quæ experimento constanti didicimus pluriú, quæ in rebus generis, specieve eiusdem existentibus, identice conuenientium nouimus, iure habetur. Inde enim ex parte saltem obiecti ab eorum existentiæ statu præscindendo (quia contingens est, vt diximus, ac proinde scientiis inutile) necessaria entium prædicata cognoscimus, quæ scientiis necessaria sunt: indeque prædicamenta rerum coordinamus, quidditates, siue essentias earum statuimus, diuidimusque. Qua in re multæ sunt suprà rerum, & prædicatorum cognitiones, reflexi conceptus, & cognitiones: imo verò frequenter plura rationis figmenta, sine quibus vix ea prædicata metaphysica (verò quidem, vt diximus, non ficta) concipi à nobis pro hoc statu minimè valent. Vt inde non omninò insipienter dicepat Murciani Recentiores possibilitatem, & existentiam entia rationis esse docuerint.

7. Quod si eorum prædicatorum essentialium species propriæ vndecumque à nobis haberentur, quibus ea ab existentia exercita præscindendo in seipsis cognoscerem, sine vllo vtique figmentorum rationis iuuamine perciperemus. Cum autem ea Deus perfectius nostris intuitionibus videat, rectè de eis prædicatis, non solum apprehensionem, sed & iudicium, sine vlla fictione, & fallitate concipit: sicque iudicat Petrum possibilem, seu ens ab alio, vt ab statu existentiæ exercitæ (quæ reuera nonnisi in diuiduis est) præscindat. Item esse animal: esse rationale: illo enim esse, seu copula est, non existentia exercita (à qua, vt diximus, eiusmodi propositiones vt necessariæ & scientificæ sint, abstrahere debent) sed connexio metaphysica identitatis prædicati cum subiecto cognito, & è contra importatur (quæ verè, ac sine vlla intrinseca ipsis fictione est; licet à nobis cum fictione etiam obiectiua cognoscatur) non autem tempus, quod solum in propositionibus contingentibus copula earum significat. Ex quibus vt interminis propositæ difficultati satisfaciam, respondeo entitatem, seu ens physicum creatum, eiusque physicam veritatem nonnisi entium physicè existentem, & contingentem esse, ex quibus res in statu possibilitatis, siue puræ, siue præcisiuæ non sunt; ast entis, & veri, siue entitatis, & veritatis necessariæ metaphysicæ, quæquamque fictæ rationem (quæ solum scientiis ex vsu esse potest, vt diximus) possibilibus, reliquisque prædicatis conuenire, vt ab existentia exercita abstrahentibus: ac proinde à Deo verè, & sine vlla fictione, falsitateve cognosci secundum se absolutè posse: & similiter veritates illas conditionatas essentialem possibilitatis creatæ conceptum metaphysicè consequentes.

QVÆSTIO II.

An Deus certo cognoscat futura contingentia conditionata secundum se?

SECVNDVS ordine maioris vniuersalitatis à possibilitate status, mediusque inter illam, & absolutam rerum existentiam, & futuritionem, est status futuritionis conditionatæ earum. ac proinde an secundum eum etiam statum à Deo cognoscantur examinandum secundo loco venit. In qua quæstione plura ab aliis disputari video, quæ simul disputata confusionem lectoribus offundunt, neque huius loci sunt propria: quale est illud, an futura contingentia conditionata cognoscantur in se, an in alio? in qua adhuc tres quæstiones latent: An scilicet in alio tanquam ponente, & afferente statum conditionatæ futuritionis rerum contingentium? quod est cognosci in alio, tanquam in medio materiali an in alio tanquam in medio formali? scilicet, ducente Deum ad eius futuritionis vndecumque positæ, cognitionem. Rursus: an in alio tanquam indeterminatiuo aut verificatiuo diuinæ cognitionis? Quæ omnia ex aliis, atque aliis principiis definienda sunt: ac proinde seorsim siue locis disputanda, vt debita claritate, & methodo disputentur. Hoc igitur loco, à reliquis quæstionibus abstrahentes, solum examinamus: an futura contingentia conditionata secundum se, & conditionatæ futuritionis statum à Deo cognoscantur? Oportet autem primò, vt materia disputationis propria ab aliis, quæ ad eam non pertinent, segregata innotescat, rigide eam à reliquis in primis discernere.

CERTAMEN I.

Quæstionis materia propria, & pura statuitur.

1. FVtura conditionata contingentia in præsentem quæstionem vocamus, non conditionata quæuis obiecta contingentia absolutè in essendo, sed solum quæ contingentia sunt in ordine ad causas, seu conditiones, sub quibus futuræ sunt, seu enuntiantur, si illæ apponerentur: quia hypothesis causarum illarum, sub quibus, si apponerentur eiusmodi contingentia essent, non ita oppositum futuri illius excludunt, vt ad illud loco futuri apponendum ab eiusmodi causis absolutam potestatem, & libertatem, quare & futurorum contingentiam excludant. In hoc quidem nemo Theologorum Catholicorum discordat. Certum enim apud omnes Doctores Catholicos est futurum liberum contingens, & in quouis statu, siue absolutæ, siue conditionatæ futuritionis liberè, & contingenter à suis causis prodire: ac proiude progredi ab eis cum earum potestate, siue in sensu composito, siue diuiso ad non agendem,

agendum, siue ad agendum oppositum: alioqui libertas actuum humanorum cum Caluinistis hæreticè negabitur. Quomodo autem eorum libertas, (quam Dominicani patres cum reliquis Catholicis defendunt) cum ipsorum principiis, præfinitionibus, & prædeterminationibus stare possit, ipsi viderint, nosque, cum quibus ea dere lis est antiqua, suis locis controuersiis sequentibus videbimus. De his ergo solum conditionatis futuris contingentibus respectu suarum causarum, & conditionum, sub quibus, si eæ adessent, & illa apponerentur, & forent, præsens est examinanda difficultas.

2. Alia sunt conditionata suis conditionibus causisque non contingentia, & libera vt: *si sit homo, erit animal*, vel *erit rationale*, vel *erit animal rationale*, aut *risibile*, quæ conditionibus suis, metaphysicè adhuc, contingentia non sunt, & similia alia in ordine physico, *vt si sol lucet, vel nostro emisphærio adsit, erit dies*: vel *si ignis debitè applicetur passo capaci & erit in passo calor*, quæ physicè contingentia suis physicis causis non sunt: nec aliam veritatem, nec statum à possibilitate diuersum constituunt. Idem enim earum propositionum obiectum, licet aliis vocibus significatum, est, atque harum: *Homo est animal, & rationale: ignis est calefactiuus de se, & sol est illuminatiuus*, quæ omnium sententia in materia necessaria, & essentialium prædicatorum suis subiectis sunt: ac proindè quæ nullatenus existentiæ, & Futuritionis statum vllum ex parte obiecti diuersum concernant; sed rebus qua possibilibus, & secundum essentiam suam metaphysicam competunt. Dixi autem futura conditionata ordinis physici suis causis, & conditionibus in ordine physico contingentia non esse, de causis, & conditionibus eorum creatis solummodo, & naturaliter loquendo. Si enim Deus earum exigentiæ absoluta potentia non annuat, neque earum actuitatem sua potentia compleat, & iuuet, physicè contingentia absolutè erunt: non quidem respectu earum, cum determinatæ causæ sint, nec possint suum concursum ex parte sui cohibere, aut in oppositum diuertere; sed respectu Dei, qui vtrumque pro sua potestate, & arbitrio præstare potest: quare respectu Dei futura, physicè etiam contingentia conditionata debent conferi.

3. Quoniam vero, vt ex nuper dictis constat, alia sunt contingentia futura, quæ respectu Dei contingentia sunt, & libera, non vero causis creatis: alia vero causis etiam creatis sunt & libera, & contingentia, quia causæ liberæ in actu primo sunt, ac non necessariæ, vt patet in creatis omnibus voluntatibus tam Angelicis, quam humanis. Aduertendum est, in hac quæstione solum agi de futuris contingentibus conditionatis respectu causarum creatarum, non autem respectu increatæ causæ, scilicet Dei. Huiusmodi sunt primo effectus omnes causarum necessariarum, & naturalium cum creatis omnibus requisitis tantummodo in hypothesi positarum, absque decreto diuino concurrendi cum ipsis, vel secus. Posito enim etiam decreto, concurrendi, vel posito decreto non concurrendi cum illis in hypothesi, futurum, eiusue negatio contingens conditionate non erit: neque statum futuritionis conditionatæ diuersum ab statu possibilitatis alterutrum habebit, vt patet ex dictis num. 2. sunt etiam libera, & contingentia respectu Dei, cum omnes suæ voluntatis actus, tum etiam eorum puræ omissiones; si hæ in voluntate diuina admitti queant, de quo controu. de voluntate disputabimus, in præsenti autem de contingentibus conditionatis respectu Dei non quærimus, quia aliquorum Doctorum sententiæ aliam de his, ac de contingentibus conditionatis respectu causarum creatarum quæstionem esse voluerunt: quare de eis q3. agemus.

4. Eodem etiam iure ab hac q. relegantur futura conditionata, quæ disparata vocantur, è quibus est vulgare illud: *si gallus cantauerit, Turca conuertitur*: quia, licet veritatem cum independenter à decreto, tum dependenter à decreto actuali habere possint, ac proinde à Deo cognosci, tamen neutro modo ad statum conditionatæ futuritionis, medium inter statum possibilitatis, & futuritionis absolutæ habent. Etenim veritas eorum independenter à decreto actuali Dei (quam late probat Ruiz d. 68. vel 78. de scient. sect. 5. num. 21. appendicis contra Vazquez 1. p. d. 67. c. 3. nu. 17. Lessium de efficac. gra. c. 23. nu. 3. Arrubalem d. 45. c. 4. Alarcon. 1. p. tract. 2. d. 2. num. 7. & 8. & alios) solum est veritas coexistentiæ absolutæ, seu concomitantiæ in existendo vtriusque extremi, quæ quidem ad statum futuritionis absolutæ spectat, tantundemque iudicium nota conditionali valet, concipit, & significat, atque hoc *galli cantus, & conuersio Turca coexistent absolutè*; vel vt minimum *quidquid exiterit tempore, quo est aliud, & video absolute exiturum coexistet illi*, quæ veritas necessaria est non minus quam reliqua in essentiali materia constituta, vt Petrum esse rationalem, vel possibilem: quia existens non coexistere existenti est impossibile, & ei coexistere est necesse. Si autem vltra coexistentiam extremorum necessitas existentiæ vtrius extremi positi in hypothesi, vt vtrumque coexistat, significetur (vt significari vere posse, certum omnino contra præfatos etiam Doctores, & contra Soar. lib. 2. de scient. conting. c. 6. num. 4. c. 7. num. 5. & 13. Fonsecam t. 3. met. lib. 6. c. 2. quæst. 4. sect. 10. Curielem lib. 1. controu. 7. a. 3. n. 162. Ruiz d. 78. c. 2. & alios) veritas tamen illa obiectiua, & significata ad statum possibilitatis, & necessariæ veritatis omnino pertinet, non autem ad statum medium conditionatæ futuritionis. Solum enim est veritas necessitatis existentiæ vnius extremi, vt existant duo: quæ quidem veritas necessitatem physicam, & metaphysicam continet, & quæ in vtroque ordine contingentiam omnem excludat: non minus, quam essentiales omnes propositiones, quarum copula, vt superius diximus, ab existentia absoluta, & tempore omnino præscindit.

5. Sin vero disparata hæc futura conditionata, eorumque veritas dependenter à decreto Dei de positione vnius ad positionem alterius considerentur, vt considerati necessario debent in illo 4. Reg. 13. Elisæi ad Ioas Regem Israel: *Si percussisses Syriam vsque ad consumationem*: & in illo Eliæ ad Elisæum 4. Reg. 2. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti*, etsi quibus similibus: quæ sanè iam disparata formaliter non sunt inter sese: quando quidem è Dei decreto alterius ad alterum, nec solum ad vtriusque coexistentiam conducentiam & minimum habent; ad quam suapte natura opus non est, vt conditionis, seu hypothesis conditionati, siue antecedentis, & consequentis materialiter solum disparate se habentium, imo neque alterius ex ipsis absoluta existentia supponatur, ac videatur: vt in prædictione rei recitatæ constat, in qua, nec conditio antecedens, nec conditionatum, seu consequens vsquam extitit absolutè; sed solum prædicitur vnum apponendum, si alterum apponeretur. Conducentia autem hæc moralis conditionis de se disparatæ in conditionatum ex Dei decreto vel esse potest ex decreto actuali Dei de ponende vno ad positionem, siue ex hypothesi, quod apponatur aliud, vt omnes supponunt, siue ex decreto omnino conditionato tam ex parte actus, quam obiecti, vt bene docet Alarcon supra c. 10. cum aliis: quia, vt vnum sub conditione alterius sit, opus non est, vt aliquod eius principium, seu conditio absolutæ existentiæ eius absolutè apponatur: sed satis est, vt ponatur suspense, & in hypothesi solum: imo, vt conditionate promittatur, opus non est actuali illo decreto apponendi conditionatum, si ponatur conditio; sed sufficit decretum promittendi, & iuxta varias sententias se obligandi ad decretum concipiendum de appositione conditionati & apponatur conditio.

6. Quod si decretum actuale, conditionatum tamen, ex parte obiecti, vel absolutum promissiuum decreti, & conditionati de se disparati, si ponatur conditio de se etiam disparata, huic moralem conducentiam tribuant, veritas eius conditionati, non ad statum, & veritatem obiectiuam mediam conditionatæ contingentis futuritionis (de qua hic) sed ad veritatem necessariam propriamque possibilium, & reliquorum, quæ in materia necessaria sunt, prorsus spectat. Si quidem decreto, & promissioni Dei, quod decretum, promissum ve est apponi, atque adimpleri nullatenus, adhuc respectu Dei, contingens in vllo statu esse potest, cum ex fidelitate, tum ex infrustrabilitate, & immutabilitate diuina. Possent autem ea futura conditionata sub disparata de se conditione absque vllo decreto, aut promissione actualibus Dei esse, eo præcise quod Deus pro libito ad positionem eius conditionis esset cuentum illum decreturus. Et tunc quidem conditionatum illud contingens esset, sed respectu Dei, quod posset

ad promittere, ac reuelare Propheris supra recitatis. Etenim tunc ita libere sub ea hypothesi se decreturum, & acturum sciret, vt quæst. 3. ostendemus, quod satis erat, vt serio promitteret, & vere reuelaret. Sed tamen, licet verum statutum medium futuritionis contingentis conditionatæ conditionatum illud de se disparatum ex decreto Dei haberet, quia tamen ratione, & comparatione creatæ contingentiam, & libertatem illius status non habet; sed solum respectu Dei (cui soli liberum est in ea hypothesi decretum, à quo sub ea hypothesi conditionatum ponerctur) de eius cognitione à Deo cum cæterorum decretorum conditionatorum cognitione simul, semelque agetur.

7. Videó in aliquibus ex his conditionatis de se disparatis, ac non disparatis ratione decreti sub ea conditione de se disparata libere concipiendi aliqua esse per liberas causas, creatas etiam, neque à solo Deo, exequendas: in quibus futura alia conditionata contingentia, & libera creatis causis, & conditionibus suis necessario intercedunt: & quæ generali quæstionis præsentis decisione continebuntur: quandoquidem, vt diximus tota hæc quæstio vniuersim de creatis omnibus futuris conditionatis contingentibus, & liberis respectu causarum, & conditionum creatarum sub quibus, si apponerentur, forent, versatur. Voluimus autem (quia ad hæc ab aliis, quæ futura conditionata vocibus sonant, discernenda de disparatis conditionatis, earumque veritate aliquid prænotare oportebat) ita exacte disparatorum conditionatorum naturam, & veritatem euoluere, vt iterum examinandum non esset quæstionibus aliis apud alios non magno operæ pretio profusis, an hæc à Deo, an etiam per scientiam, quam vocamus mediam, cognoscantur? constat enim ex dictis quouis ex declaratis modo veritatem obiectiuam in se habere, ac proinde secundum se à Deo cognoscibilem, cognitamque eius omniscientia esse. Item nonnisi in modo postremo declarato n. 6. ad scientiam vere, & stricte conditionatam, & mediam pertinere posse; si hæc, vt ostendemus, ad futura contingentia, & libera conditionata respectu Dei cognoscenda extendatur.

CERTAMEN II.

Negatiua in re præsenti sententia Recentiorum Thomistarum primorum scientiæ mediæ impugnatorum fuit.

1. SEntentia negans Deo scientiam contingentium sub conditione futurorum secundum se, & intrinsecam eorum obiectiuam veritatem, sed solum coniecturalem, & probabilitatis prudentis eorum scientiam in Deo admittens, fuit omnium non admodum recentiorum Thomistarum, qui scilicet primo apud sanctæ Inquisitionis Tribunalia: deinde apud sedem Apostolicam Molinam nostrum scientiæ eorum ex scriptura, Patribus, & principiis theologicis effossorem accusarunt. Sententiam hanc typis primus mandauit Thomista Hyeronimianus Cabrera 3.p.q.1.a.3.d.1.§.22. à num.380. Ledesma Dominican. d.2. de scientia futurorum contingentium dif.2. concl. 5. fol. 590. affirmantem oppositam sibi improbabilem dicens. Neque aliud potuit docere, qui omnem viam cognoscendi eiusmodi futura secundum se Deo è principiis propriis, & Thomisticis præclusit: fol. siquidem 574. col. 2. §. *Primus modus* negat contingens futurum cognosci à Deo in suis causis proximis. Quod autem futura contingentia conditionata in præsentia æternitatis cognoscat, nec ipse, nec Thomista vllus admittet. Omnia enim huius generis futura eodem modo, ac via eadem in eorum sententia cognoscuntur. In eorum autem pluribus, quæ scilicet absolute nunquam erunt, fueruntue, ea præsentia æternitatis non adest: quare neque in ea poterunt à Deo cognosci. Sed neque in decreto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus, quod impugnat, & inferius ineptum esse ait fol. 582. & (cum Vazquez d. 67. c.4. num. 21. & Soario lib. de scientia conditionata c. 7. n. 9. eius decreti impugnatoribus) refellit. Vltima denique eorum contingentium à Deo cognoscendorum (non in seipsis, vt contendimus contra Thomistas) via est in decreto prædeterminatiuo omnino conditionato tam ex parte actus, quam obiecti; & hoc modo non Thomistæ recentiores ferent eorum sententiam in Deo à Ledesma contra ipsos admitti, ac minime ab eo admissam fatetur Hyeronimus Viues Dominicanus d.19. nu. 9. apud nostrum Mathiam Borull. in defensione scient. med. d. 4. sect. 1. num. 238.

2. Eidem negatiuæ sententiæ subscripsit Balthasar Nauarrete Dominicanus 1.p.q.14. a. 14. controu. 56. §. 2. concl. 6. & §. 3. prope finem omnem eorum scientiam formalem Deo negans, solumque virtualem admittens. Qua in re, licet quid amplius, quam Thomistæ reliqui negasse videatur, me tamen iudice, id ipsum, quod alij, nec quidquam amplius negat; scilicet probabilitatem, quæ in conditionibus est, ad ea quæ sub illis forent, coniectanda, formaliter à Deo cognoici, non ipsa futura; quia solum respectu absolute futurorum est in Deo actuale decretum, in quo cognosci ab ipso queant, vt §. 3. citato docet circa futura conditionata: *At vero nihil prorsus cernimus, ex quo colligere possimus determinationem conditionatam*, inquit ille: eamque eius probabilitatis cogitationem, & scientiam Dei formalem virtualem futurorum illorum scientiam esse: quia eius obiecti scientia est: ex quo (ni Dei perfectioni, atque in cognoscendo infallibilitati, & certitudini aduersaretur) coniecturaliter futura illa acutius, meliusque nobis cognosceret: quod ipsum reliquos Thomistas docuisse, dum Deo scientiam coniecturalem, falsitatique obnoxiam, & dubietatis comitem tribuerunt, pium, & vrbanum erit æstimare. Nunnius item Cabezudo 3.p. post q.62. & solut. ad 12. contingentium conditionatorum scientiam Deo negat, atque in Tyrio, & Sidoniis meliorem solum dispositionem, quam Corozaitis & Bethsamitis ad conuertionem sub eisdem signis à Deo cognitam, ait Ripa Dominicanus etiam 1.p. q.14. a. 13. conditionatorum contingentium scientiam absolute, ac sine vlla limitatione Deo negauit: quin decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti meminerit, ficuti nec Cabezudo, eandem sententiam probabilem esse docet Curiel lib.1. controu.7. a.1. nu.37.

3. Sed præter hæc testimonia veteriorum Thomistarum, qui primi hac de re typis scripta euulgarunt, reliqui ætatis illius in eadem fuere sententia, ipsis Thomistis referentibus. Ledesma siquidem citatus post recitatam fol. 574. editionis Salm. anno 1611. nostrorum, (quos alienos ab schola diui Thomæ ait) sententiam decreta Dei cognitione eiusmodi futurorum, negatiuam oppositam refert fol. 579. col. 2. subditque: *Hanc sententiam sequuntur omnes discipuli D. Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illum, & omnes, qui sequuntur eius doctrinam in materia de auxiliis diuinæ gratiæ.* Franciscus Zumel è iuratis pene Thomistis to.1. variar. disput. in 1. p. dub.5. ita scribit: *Alij theologi putauerunt, Deum non cognoscere futura conditionata: quia cum talis futuritio non sit vera, neque reponenda conditio vllo tempore, otiosa esset, & impertinens cognitio illorum futurorum:* & post pauca: *Vnde nonnulli theologi hac difficultate pressi dixerunt scientiam, quam scriptura insinuat, Deum habere de his futuris, solum esse coniecturalem quandam cognitionem, in qua sententia veniunt enumerandi omnes illi, qui censent in Deo vnicam præcise esse rationem cognoscendi certo futura contingentia, nimirum realem præsentiam eorum in mensura æternitatis.* Qui autem ita censentes, nisi Thomistæ sunt? & de Nauarrete quidem testatur Ioannes Gonzalez Albella Dominicanus d.44. sect.2. nu.12. & conditionatorum contingentium scientiam formalem & decreta absoluta ex parte actus circa illa negasse. Idipsum de Thomistis testatur cursus Discalceatus Theologus Salmantinus 1.p.tract.3. dicens: *Prima sententia asserit, quod iuxta Scripturam Sacram Deus non cognoscit prædicta certitudine futura contingentia conditionata, de quibus loquimur. Ita Ledesma & alij ex iunioribus Thomistis.*

4. Hæc omnia fusius solito recitaui, vt appareat, quo iure primus dixerit de se, suisque Dominicanis Matthæus Rispolis 1. de auxil. concl.1. *Aduerte nos cum aduersariis conuenire, Deum habere perfectam scientiam futurorum conditio*

conditionatorum. Secundo Ioannes à S. Thoma Dominicanus t.1. in 1.p.d.20. ar.1. conqueritur, quod nostri absque vllo fundamento tubicinent de Thomistis antiquis triumphum, quasi testimoniis, & rationibus suis negantes Deo contingentium conditionatorum scientiam conuicerint, ab eaque sententia scholæ thomisticæ successores deterruerint adeo, vt litem alio diuertere sint compulsi (ne omnino in nostra viderentur castra transire, manusque inermes victoribus dare) scilicet ad eam quæstionem: an ea contingentia cognoscantur à Deo in decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti: *Cum vix vlla, imo nulla vnquam dubitatio inueniatur, aut fuerit Dominicanis cum Iesuitis controuersia de hoc puncto: an Deus simpliciter cognoscat ista obiecta conditionata futura? sed an Deus cognoscat illa certo, & infallibiliter ante decretum suum:* idque ex thesi vtrisque ad disputandum proposita Romæ à Clemente Papa 8. statim probat. Sed historiam huius authoris, & similium disputationum harum Romæ habitarum apocryphum, & falsum decreto addito declarauit Innocentius Papa Decimus. Nec multum authoritatis historiis suis conciliat, qui in re præsenti recitata suorum Magistrorum typis etiam, & publicæ oculorum vsuræ data testimonia cæco, & obstinato inficiatur: imo & cum veritate, & cum sciipso pugnat. Eodem quippe loco pag.211. fatetur, aliquos ex Thomistis (e non admodum scilicet recentibus) decreta absoluta ex parte actus, & condicionata ex parte obiecti circa plura, quæ ad hanc prouidentiam non spectant, futura conditionata non admisisse: sine quibus concordi Thomistarum sententia, vt idem statuit, eorum scientia in Deo esse non potuit. *Et neque hoc*, (scilicet decreta eiusmodi circa ea conditionata, quæ ad præsentem Dei prouidentiam spectant) *ita esse illis certum, quin possint aliqua scripturæ loca exponi in sensu probabili sine talibus decretis.* Teste igitur ipso Thomistæ illi scientiam probabilem solum, seu coniecturalem eorum contingentium, vel (vt vrbanius loquar) probabilitatis eorum in Deo admittebant: vnde a. 2. pag. 620. ait: *Recedimus tamen ab his Thomistis, qui recusabant concedere decreta Dei libera circa talia obiecta conditionata.*

5. Maioris tamen miraculi instar est Hyeronymus Viues Dominicanus Valentinus lib. de primatu diuinæ libertatis &c. contra scientiam mediam, qui visis plerisque datis testimoniis Thomistarum apud illustrem scientiæ mediæ defensionem à nostro Francisco Annato editam Tolosæ anno 1645. dicere audet d.19. a.n.9. sententiam affirmantem, Deum certo scire futura conditionata in decreto omnium Thomistarum certo fuisse, & quidem vt ea testimonia non extarent Hieronymo Viues, Rispoli & Ioanni à S. Thom. suorum Dominicanorum Thomistarum principia, eorumque consequentia satis esse debebant, vt plures Thomistarum pro sententia hac negatiua esse crederent: aliquosque pro affirmatiua fuisse mirarentur. Primo enim præsentiam in mensura æternitatis contingentia nulla pro statu conditionato habent, eorumque plerasque, quæ nunquam absolute erunt, (in quibus sunt conditionata, quæ in scriptura assignantur:) cum tamen à Thomistis Molinæ fere coætaneis, imo (vt hi volunt) à pluribus antiquis, quos refert Aluarez d.10. de auxiliis tota ratio cognoscendi futura, & sine qua nullum sciri à Deo potest, sit præsentia eorum realis in mensura æternitatis: vt inde merito recitatus Zumel huius sententiæ de necessitate præsentiæ realis futurorum in mensura æternitatis, vtà Deo cognoscantur authores omnes pro sententia negante Deo conditionatorum scientiam vniuersim recenseat. Secundo cum eiusmodi futura, non, nisi in decreto actuali Dei conditionato ex parte obiecti in horum Thomistarum recentium principiis cognosci à Deo possint, certum illis, vel inde esse deberet Ledesmij, Nauarretes, & Thomistas alios vetustiores, qui suborta iam apud aliquos de scientia conditionatorum decreta ista horrebant, & impugnabant, & alios, quibus, & in mentem non venerant, eorum contingentium scientiam Deo denegasse, etiamsi eorum aliqui adeo expresse de hac sua sententia non loquerentur, credere Recentiores isti deberent.

6. Accedit, Thomistas omnes, etiam ab huius controuersiæ initio, scientiæ mediæ primos impugnatores inde iam impugnasse, quod Dei scientia adæquate in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ diuisa fuerit, ac semper dividenda adæquate foret; cum tamen horum contingentium scientia ad neutram posset spectare: ex quo eorum scientiam, quam Molina inducebat, à Deo relegandam absolute clamabant. Præterea quonam eorundem illud argumentum contra nostrates tendebat, quod ex testimoniis Augustini, Prosperi, & Hilarij dicentium semipelagianos recurrentes ad opera conditionata, si diutius viuerent, in paruulis illis ante vsum rationis decedentibus altero baptizato, altero non baptizato assignasse opera futura, quæ non essent futura efformabant, nisi vt futura conditionata neque futura vllo modo esse ex eis testimoniis Thomistæ illi ostenderent: ac proinde à Deo cognoscibilia non esse? nulla enim, siue Patribus, siue Thomistis illis in eo argumento mentio, an ex Dei gratia, an ex viribus naturæ conditionata illa opera forent, sed solum esse futura. Adde, Thomistas illos primos inde præcipue horum conditionatorum scientiam in primis impugnasse, quod semipelagianorum doctrina foret: quæ nusquam, nec contra, neque pro decreto hoc, in quo ea conditionata à Deo cognoscerentur fuit; sed solum de diuina eorum cognitione, quam nostri defendebant, eliminanda, quin si de decreto illo, in quo conditionata cognoscerentur, non autem de sola eorum scientia, Thomistæ illi primi cum nostris tot machinis, accusationibus, atque ad scandalum vsque publicum, tumultibus vbique certassent, minus fortassis prudentes apud æquos rerum æstimatores haberentur.

7. Etenim, si æqui iudices rerum esse velimus, qua precor prudentia contra Molinam, & nostros primi illi Thomistæ adeo turbarentur, atque ad Inquisitionis tribunalia, & sedem Apostolicam hæresis deferrent, quod conditionata omnia, quorum pleraque nusquam absolute erunt, fuerunt ue, & esse, & cognosci absque actuali decreto à Deo, tunc docerent, cum tot Catholici, sapientesque theologi doctis, laudatisque scriptis contra Caluinistas, & Lutheranos docebant, nullum futurum contingens, & liberum à decreto Dei illud efficaciter decernente in sui existentia, aut cognitione pendere: cum certum omnino sit, plus (vt sic loquar) decreti futuris absolute, quæ aliquando absolute erunt, opus esse, quam conditionate futuris, quæ plerumque nunquam absolute erunt; sed in hypothesi, suspense, & sub conditione solum essent, si conditio poneretur. Nota item omnibus theologis tunc etiam erat sententia Patrum, Magistri, & S. Thomæ (de qua postea) docentium præscientiam futuri absolute latius præfinitione, Deique decreto, ac prædestinatione patere: ac proinde futura etiam absoluta sine decreto à Deo præsciri. Qui ergo viri docti (imo non probatæ amentiæ) Molinam, & nostros hæresis toties appellarent, quod conditionata solum futura absque vllo eorum diuino decreto sciri à Deo docerent? scientia igitur ipsa de conditionatis contingentibus, nihil de ea cogitantibus doctis illis viris, ac primum in solis semipelagianis eam animaduertentibus, & legentibus, atque ab Augustino, Prospero, & Hilario tam scientiam illam, quam ipsam conditionatorum futuritionem, licet alio repudiatam videntibus, in causa fuit, vt turbarentur, ac fidei, & prædeterminationis suæ physicæ zelo eam aperirentur; nec negarent solum, sed hæresis semipelagianæ toties accusarent. Mitto ex illorum solutionibus ad loca scripturæ, quæ Certam. 3. proponemus, satis ostendi illos, vel absolute scientiam conditionatorum contingentium, vel (quod eodem recidit) eius certitudinem, & infallibilitatem Deo negasse.

8. Cum ergo, tam è veterum Thomistarum testimoniis propriis, & aliorum Thomistarum etiam relationibus, quam ex scholæ Thomisticæ principiis, & litis cum nostris contestatione, & argumentis liquido constet, primos illos Dominicanos rei scholasticæ proceres scientiam conditionatorum contingentium Deo denegasse, nostrosque Doctores pro illa cum scripturæ, & Patrum testimoniis, tum rationibus acerrime pugnauisse, tamque ipso Ioanne à S. Thom. & reliquis scientiæ mediæ nuperis impugnatoribus fatentibus) nemo Thomistarum Dominicanorum, eiusque scholæ sequacium eam conditionatorum contingentium scientiam Deo non deferat: viderit lector, an *foliorum solum sonitus, inanesque vmbra* (vt Ioannes à S. Thom. aiebat) esset triumphum de aduersariis

riis à nostris conclamari, &, vt ipse ait, *Tubicinari*, atque hostes ad nos transisse, manusque dedisse elatis vocibus asserere? sed certe nostri præ modestia sua nihil horum præstiterunt; sed solum quod recta dispuſandi methodus exposcit, difficultates, quæ in controuersia hac de scientia media esse poterant, vt confusio vitaretur, seorsim quamque proponentes, antiquam illam Dominicanorum Patrum cum nostris controuersiam, an contingentium conditionatorum scientia in Deo admittenda sit? & ipsorum negatiuam sententiam fideliter, vt vidimus, retulerunt. Non defuere tamen ex aliis qui hanc nostrorum de hac in re aduersariis non inani foliorum sonitu: sed fausiis acclamationibus victoriam celebrauerint: R.P.Fr.Petrus à S.Ioseph. è sacro S. Bernardi Ordine in defensione S. Thomæ à physica prædeterminatione d. 2. sect. 10. n. 1. sub fin. ita scripsit: *Quod Thomistæ mentem doctoris in hac re nunquam assecuti sint, vel ex eo constat, quod illi admodum varij sint in quæstione de scientia conditionalium, quam versamus. Nam initio cum primum agitari cæpit controuersia de auxiliis diuinæ gratiæ aliqui omnino negabant Deo scientiam futurorum sub conditione; sed postea victores conuicti manifestis scripturæ testimoniis, talem scientiam admiserunt.* Gabriel Penotus Canonicus regularis S. Augustini in propugnaculo humanæ libertatis lib. 3. c. 26. n. 2. ait: *Thomistæ initio responderunt, futura conditionata à Deo coniecturaliter solum cognosci; sed postea assidua concertatione certiores facti affirmarunt, Deum illa certo, & infallibiliter cognoscere.*

CERTAMEN III.

Affirmatiua sententia vera, & omnibus iam scholis communis stabilitur.

1. CErta adeo, & aperta veritas est, Deum non solum causas, seu conditiones, sub quibus contingens conditionatum esset, si ponerentur, probabiliaque illius apponendi fundamenta, quæ in eis sunt perfectissime cognoscere; sed ipsa etiam contingentia sub eis conditionibus apponenda esse, si conditiones apponerentur: ac proinde scientiam Dei ad eiusmodi contingentia conditionate futura secundum se, propriamque sui veritatem spectata terminari, vt non solum Scotiæ scholæ, earumque assectis omnibus cum nostra, eiusque assectis; sed Academiis, & Theologis omnibus conuenerit: idcirco authores pro illa singulatim non refero; sed vno verbo iam omnes: videatur Herize d. 7. de scientia, c. 1. nu. 7. quinimo Ioannes à S. Thom. cit. a. 1. & 2. næuum dissormem suæ scholæ antiquioribus procertibus à nostris imponi clamat, qui illos pro negatiua sententia fideliter referebant. Solus Anonymus de ordine apud Annatum nostrum d. 3. defensionis scientiæ mediæ contra ipsum c. 1. sub initium argumento 1. in antiquata iam negante sententia videtur persistere; sed tam sunt, & illud, & reliqua occulti huius doctoris de ordine argumenta deordinata, & seipsis subruentia, vt aperta, ac non velata facie, & in occulto etiam à tardo, & hebete homine proponi minime potuerint. Cæterum, etsi affirmatiua sententia adeo vera, certa, constansque iam omnibus sit, ac negatiua adeo infra mortuos amandata: quia tamen singularia, & sinistra hominum ingenia fædas, & emortuas opiniones ad cæcorum suorum discursuum tenebras suscitandi infaustam habent potestatem: operæ pretium nobis visum est, sententiam affirmantem sine suorum fundamentorum, & rationum luce non relinquere; ne posthac emortuæ negatiuæ manes & larvæ vel appareant, vel vbi primum apparuerint, dispareant.

2. Et in primis affirmantem sententiam adeo certam, fideique consonam reputant, vt ex aduersariis plures, vt oppositam negatiuam censuris grauibus infectentur. Franciscus Zumel supra a. 13. d. 8. concl. 1. ait: *Non est tutum negare infallibilem, & certam cognitionem futurorum in Deo*, de nostraque assertione subiungit: *Hæc assertio est D. Augustini lib. de bono perseu.* c. 10. & tom. 3. d. 5. post concl. primam: *Non solum non esse tutum id negare, sed neque vllo pacto ferendum.* Curiel cit. contiou. 7. a. 4. nostræ tandem subscribit, *vtpotè scripturæ, & Patribus magis consonæ, & necessariæ pene difficultatibus theologicis soluendis: tuendisque fidei veritatibus*, inquit, Stapletonius in id Matt. 11. n. 21. de conditionata Tyriorum, ac Sydoniorum præ Bethsaidiris, & Corozaimitis agens: ac de scientia coniecturali, seu probabilitatis eorum ex dispositione causarum, & conditionum *absque verbi Dei corruptelæ intelligi non posse.* Alexander Pesantius 1. p. q. 14. d. 5. contrariam sententiam *merito à nostro Molina* ait, *vocatam periculosam in fide.* Illustrissimus Ferdinandus Mascareñas de auxiliis diu. grat. par. 3. & 4. d. 2. *Hæc scientia* (scilicet media) *ab his tantum repudiari potest, qui nec diuinas litteras apte interpretantur, nec doctrinam Patrum perspectam habent, nec satis considerant diuinæ prouidentiæ, prædestinationis, & gubernationis ordinem.* Quo autem iure hæc ita scripserit, & relati proxime Doctores, aliique plures innominati ab Herize tract. 1. d. 7. c. 3. n. 14. fine, negatiuam sententiam tutam in fide non esse, sed prorsus periculosam dixerint, is solum ignoret, qui aperta pro scientia Dei ergà contingentia sub conditione futura testimonia iam à nobis subiicienda, non solum non intellexerit, sed ne legerit quidem: vt mirum sit priscos illos Thomistas recitatos illis respondere, ac detorquere sensum fuisse conatos.

3. Nullus ferè est Scripturæ Sacræ liber, in quo scientia hæc Dei futurorum conditionate contingentium non exprimatur. Gen. 11. de Nembrot, & sociis turrim, quæ cælum pertingeret molientibus ait Deus: *Cæperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*: non quidem absolutè: neque enim absolute eas compleuerunt, sed sub conditione, ni à Deo impedirentur linguarum diuisione, vel aliter Exod. 34. prohibentur Iudæi à Domino per Moysem alienigenas vxores ducere: *Ne postquam fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.* Cumque ita Salomoni iam grandæuo ob vxores gentiles, Moabitas, Amonitas, Idumæas, Sydonias, Hethæas, & Pharaonis filiam accidisset, notatur 3. Reg. 1. num. 13. hanc prophetiam in Salomone fuisse impletam, sic ab Spiritu sancto sensus recitatur: *Non ingredieminì ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* vbi illud *certissime* hic ab Spiritu sancto, suæ scilicet illius prophetiæ interprete, additum ostendit, vt docte observat noster Ruiz in aliis similibus contingentium, etiam conditionatorum, diuinis prædictionibus esse subintelligendum: quo scientia eorum coniecturalis ex omnibus scripturæ locis, quæ de eorum diuina prædictione, & scientia proinde (neque enim Deus quæ nescit reuelare, & dicere à sano quopiam dici potest) conditionatorum contingentium à Deo efficaciter propulsatur. Tertio extat hæc veritas 4. Reg. c. 2. vbi perenti Elisæo Magistri Eliæ spiritum duplicem, hic respondit: *si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiisti: si autem non videris, non erit.*

4. Eodem lib. Reg. c. 13. num. 18. Elisæus Regi Ioas sistenti in terra terræ percussione iratus ait: *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumationem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Vbi plura futura conditionata prædicuntur, scicuti in duobus immediatis testimoniis, licet condicio disparata de se sit, tamen extrinsecus conducentiam ad conditionatum habet, vel necessariam, si Dei promissio, vel decretum actuale sit, vel liberam saltem respectu Dei, si solum ponatur sub conditione decretum, ex quo ad conditionata libera respectu creaturarum valet consequentia. Quinto: Hieremias 38. dubium Sedechiam de euentu sic alloquitur: *Si profectus exieris ad Principes Regis Babilonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igne, & saluus eris tu, & domus tua: si autem non exieris, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igne: & tu non effugies de manu eorum.* Cumque de transfugis Iudæis ad Chaldæos, ne ab eis traderetur, & illuderetur, si exiret, sollicitus adhuc esset Sedecias, respondit iterum Hieremias: *Non te tradent.* Sextum testimonium desumitur ex 3. Ezechielis, vbi Dominus illum ad domum Iuda mittit, is ait: *Non ad popu-*

lum

lum profundi sermonis, aut ignotæ linguæ tu mitteris, etsi ad illos mitteretis, ipsi audient te, ad quæ M. Gregor. hom. 10. in Ezechiel. col. 3. *Aperte declaratur quæ quandoque prædicatorum voces essent sine tarditate sequuturæ.* His similia passim in scriptura occurrunt, quæ videri apud nostros possunt præsertim apud nostrum Ruiz.

5. Venio ad celebriora. Septimum testimonium sit ex 1. Reg. 23. nu. 10. vbi Dauid Dominum consuluit, eiusque oraculum accepit his verbis: *Audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me? si tradent me viri Ceilæ in manus eius? etsi descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus; indica seruo tuo:* & ait Dominus: *descendet. Dixitque Dauid: si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum in manus Sauli? & dixit Dominus: tradent.* Quorum neutrum absolute euenit, sicuti, nec pleraque ex dictis in testimoniis superioribus; ac proinde solum fuit descensus Saulis, & Dauidis traditio, Ceilitis conditionate futura, si Ceilæ Dauid maneret. Respondent 1. aduersarij; nec Dauid consuluisse Dominum, neque hunc respondisse de Saulis descensu, & traditione Dauid à Ceilitis; sed de animo Saulis ad descendendum, & Ceilitarum ad tradendum Dauid cum suis. Sic enim paraphrasis Chaldaica legit: *Num cogitat descendere, sicut audiuit seruus tuus?* Cui Dominus: *Cogitat descendere.* Verum, licet Chaldaicus paraphrastes in aliis libris à Pentatheuco Rabbinorum nugis, & fabulis vitiatus non esset, vt notauit D. Franciscus Ximenez de Cisneros Præs. in Bibl. Complutens. & noster Ruiz, Vulgatæ, & S. Hieronymi, atque eruditissimorum Hæbræorum, qui ei adfuerunt, versioni credere debet: in vtraque enim, & Dauid de descensu, & traditione consulit Deum, qui ei *descendet: tradent:* respondit; non autem de eorum animo, & cogitatu. Secundo: id animo concepisse Saulem, satis ex fama didicerat Dauid, ac si descenderet, tradendum esse à Ceilitis, vt vrbem suam, seque ipsos ab excidio, & euersione liberarent, nemo, etiam hardus, nedum sapientissimus Dauid, discursu non assequeretur: idque satis erat cordato cuiuis, vt inde abscederet, ae se, suosque in tuto reponeret: ergo Deum consuluit de euentu ipso descensus, & traditionis, si ibi maneret, ne probabilis solum euentus coniectura ex animo cum Saulis, tum Ceilitarum sibi satis perspecto ab vrbe sibi commoda discederet, non habito euentus ipsius certissimo oraculo diuino.

6. Inde enim præclusa manet euasio aduersariorum altera: Deum scilicet, prædixisse euentus illos conditionatos non certo absolute, sed moraliter, quatenus ex præsenti rerum peristhasi colligi poterat. Nam eo etiam modo noti erant Dauidi euentus illi conditionati: ac proinde oriosè Deum consuleret, ni certius oraculum speraret, nec quid, non æque Dauidi ex se notum, Deus responderet etiam. Præterquam quod Thomista nemo ea solutione, quin in sua principia impingat, vti potest: cum enim in conditionali, cum scientia, tum obiecto connexionem infallibilem inter antecedens, & consequens semper Thomistæ requirant, requisierintque, eaque ex illa rerum peristhasi inter antecedens, & consequens non detur, nec morali certitudini, nec probabili coniecturæ diuinæ (etsi hæc metaphysicam etiam diuinæ cognitionis infallibilitatem non dedeceret) de euentibus conditionatis locus relinquetur. Nec maioribus expensis ablegatur tertia, eaque affinis solutio, quæ huic postremæ impugnationi ad hominem videtur occurri: quod consultatio hæc, & Dei responsio, non de euentibus ipsis; sed de probabilitate eorum certa physice, & metaphysice ex illa peristhasi rerum fuerit. Primo enim refellitur ex dictis num. 5. vbi ostendimus de euentibus ipsis consultum esse Deum, redditumque ab eo oraculum. Secundo ex proxime dictis; quia ea probabilitas nota erat Dauidi, quin Deum consuleret. Tertio: quia æquæ fere certitudinis diabolicum, & Angelicum oraculum forent, ac diuina: cum Angeli, ac dæmones, & probabilitatem euentus ex dispositione causarum, quidque probabilius inde euenturum sit, acutissime cernant. Hoc autem adeo absurdum visum est S. Thomæ in 1. d. 40. quæst. 3. vt inde probet, Deum habere scientiam infallibilem futurorum absolutorum; quia alias non essent Angelicis certiora eius oracula. Quarto: quia non teneremur ea conditionate reuelata credere magis, quam opinionem à Deo reuelatam esse probabilem; quod absurdum peruersissime solum, & insanissime admitti posse, dicit Augustinus proxime citandus. Quinto quia inde etiam facile fiet, vt neque futuris absolute à Deo reuelatis fides adhibeatur, imo nec debeatur. Cum enim de his haud clariora sint, quam de conditionatis oracula diuina, æqua facilitate dici poterit solum probabiliter futura absoluta, vel eorum probabilitatem à Deo prædici; quo statuto, liberum erit ea credere, vel secus. Denique Anonymi solutio apud Annatum nostrum d. 2. solum periculum eorum euentuum, & rogatum à Dauide, & à Deo prædictum esse, eadem fere cum solutione de probabilitatis prædictione est. Rursusque impugnatur: quia huius sententia traditio Dauidis a Ceilitis, adhuc ex hypothesi descensus Saulis non futura cognita à Deo erat, & certo cognita non futura: ergo illusorie respondit Deus, periculum esse, seu probabilitatem traditionis sub ea hypothesi. Paret: quia periculum solum est incerti euentus, non autem euentus, qui certo non erit: ac proinde nonnisi illusorie, & falso respondebit fidelis pagano periculum esse, ne mundus non finiatur.

7. Octauum testimonium esto ex Sapientiæ 4. vbi de iusto in iuuenta maturo, atque hominum iudicio immature correpto dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius:* vbi cum morte ipsa præmatura mutatio, & deceptio absoluta non fuerit, imo ne absoluta esset correptus immature iustus fuerit: eius scientiam, qua Deus ad immature illum corripiendum, ne absolute mutaretur, ac deciperetur, si diutius viueret mutationis, & deceptionis contingentis solummodo conditionatæ, non absolutæ fuisse, certissimum est. Verum Magister Curiel citata controuers. 7. in hoc Sap. caput rem præsentem in vtramque disputans partem euasiones omnes tentauit, quibus tantum postea Dominicani illi pro negatiua sententia vsi fuere. Ille igitur ad hunc locum (& ex eo Ledesma, & reliqui) putant ex hoc loco in primis confirmari Dei solum coniecturalem, & probabilem, summumque, moraliter certam conditionatorum contingentium scientiam, vel certam probabilitatis eorum in causarum dispositione, quam nuper impugnabamus. Id quod suaderi putat ex August. de prædest. sanctor. c. 14. vbi datum testimonium his commentatur: *Dictum est secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qua hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; ideest, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quibus & scientia Dei conditionatæ ruinæ iusti immature correpti negari videtur initio, solumque periculorum huius vitæ, & incerti tentationum concedi notitia, in quibus probabiliter conditionatus ille lapsus, si non corriperetur, videtur contineri. Confirmari ex ipso contexu facile potest: eius enim sententiæ ratio immediate subnectitur: *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transfuerit sensum sine malitia:* quibus, & futuræ illius mutationis, & deceptionis sub conditione, si diutius iustus adolescens viueret, & scientiæ conditionatæ Dei mundi fascinium, & concupiscentiæ fragilitas causa, & medium assignantur: è quibus solum conijecturaliter illæ, vel earum probabilitas à Deo cognoscatur.

8. Sed enim Augustini sententia de scientia Dei conditionatorum contingentium secundum se certa quidem (vt diuinam decet) & infallibili, tam multis eius locis expressa est, vt, vel inde solum oppositi huius interpretationem aduersariorum adulterinam, atque ab eius mente alienam æstimare deberemus. Dedit autem ipse ad idem Sap. testimonium adeo clare suam mentem non semel, vt reliqua superfluat. Etenim c. 9. de dono perseuerantium. Quomodo donum Dei sit perseuerantia contra semipelagianos, modosque, quibus fragilem, & auersam voluntatem ita obfirmare possit, vt tentationi non succumbat; nec supra id, quod potest, tentetur, vt dicitur 1. Corinth. 10. ostendens ait: *Certe poterat illos Deus præscius esse lapsuros antequam id fieret, auferre de hac vita:*

vita: sicut dicitur loco citato de immature correpto. Eidem intento, & modo contra eosdem Semipelagianos incumbens lib. de correptione, & gratia c. 8. de his, qui non perseuerant, ita scribit: *Respondeant, si possunt: cur illos Deus, cum fideliter, & pie viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrum hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nesciuit? Nempe nihil horum, nisi peruersissime, & insanissime dici potest.* Scientia autem illa peccatorum futurorum, quæ Deo liberum relinquat peccatorem corripere, antequam & peccata absolute sint, & ante tempus, quo visa sunt patranda futurorum absolute peccatorum non est, quæ nisi eo tempore, & peccatore existente esse absolute non possunt: ac proinde scientia conditionatorum contingentium, si diutius viuerent, esse potest, quam Augustinus absque insania, & peruersitate negari Deo non posse affirmat, confirmatque relatis etiam verbis testimonij, quod versamus. Quocirca loco oppositè ex c. 14. de prædest. sanct. in eiusdem testimonij interpretatione non potuit adeo aperte, & à se, & à veritate deficere, vti aduersariorum auersa intelligentia illum defecisse conuinceret. Negat igitur præscientiam peccatorum absolutorum absolutam, non conditionatorum conditionatam.

9. Constat primo: quia inde probat quod præscierit mortem, & negationem peccati absolutas incompossibiles cum peccati futuritione, eiusque proinde cognitione: absoluta autem futuritio, & mortis, & negationis peccati cum huius futuritione conditionata, scientiaque diuina illius, incompossibilis non est. Secundo constat: quia eo loci Augustinus agebat contra Semipelagianos asserentes ex operibus conditionate solum visis paruulorum, si diutius viuerent, alterum cum baptismo, alterum sine illo corripi: quare vnum saluari, damnari vero à Deo alterum ex meritis, ac demeritis: quibus refutandis, tam ibi, quam alibi ea familiari sibi, & verissima doctrina vtitur: scilicet in solis operibus absolutis, seu absolute futuris; non autem in futuris conditionate meritum esse posse: quare ex præscientia solum conditionata circa futura opera paruulorum non potuisse Deum moueri meritue ad alterum saluandum, & præmiandum; alterum vero puniendum, & condemnandum, adstante præscientia eorum absoluta, quæ vere non adfuit, neque posita absolute immatura morte, & negatione proinde operum adesse potuit: illud vero, quod ait: *secundum periculæ vitæ huius, & vt tentationum subtraheretur incerto*: non ad Dei scientiam referendum est, vt eo medio ducatur, vt mutationem, deceptionemque probabiliter coniectetur, siue in earum probabilitatis cognitione sistat; sed ad eas ipsas mutationem, & deceptionem, quas pericula, & tentationes, licet non necessario, & certo, causarent tamen, si iuuenis diutius viueret, ac successu ætatis tentaretur? quarum etiam causam solum assignauit sapiens verbis ex contextu oppositis. Ea vero futuritione conditionata posita, cognitaque à Deo, motus ipse misericorditer est ad præmaturam mortem, tanquam medium ad salutis finem, non tanquam ob merita adolescentis, seu paruuli iusti ex baptismo, vt Semipelagiani dicebant: quia meritum, & demeritum in operibus absolute futuris tantummodo inuenitur, quod in paruulo hoc non fuit: imo vero in eo fuit demeritum conditionatum, quod, si satis esset, vt puniretur, sine baptismo debebat decedere in pœnam, non cum baptismo, & gratia, vt hoc testimonio docetur: ex quo ita Semipelagianos vexabat ibi, & sæpè alias Augustinus, vt desperata solutione authoritatem Canonicam negauerint sapientiæ libro.

***

CERTAMEN IV.

Postremum, & celeberrimum testimonium expenditur, & firmatur.

1. NOnum, & postremum testimonium, illudque celeberrimum est de conditionata Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentia prædicta à Christo Domino, Math. 11. num. 21. & Lucæ 10. illis verbis: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Cum autem, nec virtutes apud eos factæ absolute fuerint, neque ipsos de peccatis suis absolute pœnituerit: certum omnino est Christum Dominum, de futura eorum pœnitentia, non quidem absoluta, sed conditionata præscium, & euulgatorem ibi fuisse: nec solum, qua hominem; sed qua Deum; quem vtique nihil, quod homines cognoscunt, latere vsquam potest; sed huc etiam recurrunt solutiones illæ de scientia coniecturali pœnitentiæ illius conditionatæ ex causarum naturali dispositione meliori ad conuersionem, & pœnitentiam in Tyriis, & Sidoniis, quam in Bethsaidiis & Corozainitis, & affinis alia de scientia non pœnitentiæ, sed probabilitatis eius, quæ in ipsa naturali dispositione erat. Quibus solutionibus fauere videtur sequens contextus, qui sic pergit: *Verumtamen dico vobis Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis: & tu Capharnaum &c. quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hunc diem: verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.* In his autem particula *forte* coniecturantis solum, ac non certo scientis est: iudicium vero remissius, ac seuerius de absoluta dispositione, & statu iudicandorum est: ac proinde cum tantum Christo Domino, cum, qua homine, tum qua Deo cognitum, & in illo probabilitas eorum conditionatorum videtur suaderi.

2. Verum præter impugnationes harum euasionum ad præcedentia alia scripturæ testimonia supra à nobis datas, quatenus præsenti testimonio aptantur, facit specialiter: primo quod videntur solutiones istæ, vel nuncupatiue, vel dono acceptæ ex Caluino, cuius hæc ad verbum solutio, & interpretatio testimonij huius extat apud Stapletonium ad eundem locum Matthæi: *Christus hic non disputat, quid de eis præuiderit Deus futurum; sed quid facturi illis fuissent, quatenus ex reipsa percipi poterat ad, communem humanæ mentis captum sermonem accommodat*: inferius iterum, *humano more loquitur Christus, non autem profert, quid præuiderit futurum, si Sodomitis Prophetam aliquem misisset.* Quam solutionem auide Caluinistæ arripiunt, vt videre est in Tuissio Caluinista apud nostrum Annatum in defens. Scientiæ med. d. 1. Ego autem nollem cum Caluino (& Caluinistis reliquis, interpretibus) Catholicis aduersio interpretationem (maxime hanc, quam sine corruptela verbi Dei admitti non posse, Stapletonius ait) habere communem. Contra secundo: quia est interpretatio non solum aduersa; sed & reprobata, damnataque ab Augustino ita ad eum locum scribente c. 9. de dono perseu, sub fin. *Numquid possumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent diuinarum illa signa virtutum.* Consonat huic suæ interpretationi ostendens paruulum decedentem sine baptismo ob originale damnari, non ob peccata, quæ ageret, si diutius viueret; concluditque: *Quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis, seu malis, quæ fecerat, si non moreretur, acturus: alioquin Tyrij, & Sidonij non secundum ea, quæ gesserunt, pœnas luerent; sed potius secundum ea, quæ gesturi fuerant, si in eis illa virtutes Euangelica*

gelicæ factæ fuissent per grandem panitentiam, & per Christi fidem consequerentur salutem. Quod aduersari Euangelio dicenti, eos puniendos, licet remissius Corozaimitis, ait paulo superius. Item c. 95. Enchiridij, vbi habet de beatitudine loquens: *Tunc non latebit, quod nunc latet: cur apud quosdam non sint facta virtutes, quæ si factæ fuissent, illi homines egissent panitentiam, & facta sunt apud eos, qui nunquam fuerant credituri: apertissime namque Dominus ait: Væ tibi Corozain &c.*

3. Sed & S. Prosper Aquitania. Præceptoris Augustini in ea verissima interpretatione (sicuti & in aliis ad scientiam conditionalem spectantibus) ne latum quidem discrepat vnguem: ita enim loquitur ad excerpta Genuensium responsi. 8. *De Tyriis, & Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum, vt crederent? quos etiam credituros fuisse, ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa vidissent.* Possemus autem dicere contra Augustinum, & Prosperum non credituros etiam, si eis ea signa adhiberentur, si solum scientia, & cognitione probabili, & moraliter solum, ac non physice, & metaphysice certa, & infallibili fides, & pœnitentia illorum conditionata à Christo Domino prædicerentur, vel non illæ secundum se; sed sola earum illatio probabilis in naturali causarum, & circumstantiarum dispositione. Etenim probabilitas solum euentus, cuiusque cognitio probabilis solum, & moraliter solum certa; neque huius falsitatem, neque ita asserti, & cogniti euentus oppositum impossibile, imo vero absolute possibile demonstrat. Quemadmodum, & effectus, reluæ quæuis contingens possibilitatem sui oppositi extremi absolute non excludit; sed in sua contingentia essentialiter claudit: vnde possibile, contingens, necessario, & impossibili contradicere, puerulis etiam dialecticis summulistis est notum in modalium contradictoriis assignandis. Mitto ex naturali rerum dispositione oppositum potius conuersioni, & pœnitentiæ Tyriorum conectandum: & probabilius asserendum fuisse, vt iam expendam poit recitata alia in eandem sententiam verba, quæ sic inferius Prosper adiecit: *Nos autem, etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius* (in denegatione signorum Tyrus, & Sidoniis) *penetrare non possumus, manifestè tamen scimus, & verum esse, quod dixit, & iustum esse, quod fecit.* Similiter S. Thom. 3. p. q. 1. a. 3. ad 2. relatæ Augustini sententiæ ex c. 9. de dono pers. Insistens ait: *Deus hos, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit, aliis non subuenit:* quibus in huius loci interpretatione pro sententia nostra cum reliquis Patribus stat apud Ruiz d. 62. sect. 1.

4. Tertio huiusmodi interpretationis effugium à ratione præcluditur. Etenim ex naturali Tyriorum, & Sidoniorum dispositione probabilius longe, certumque moraliter erat prædicationi, & signis, quibus Bethsaiditæ non crediderant, eos non crediturros: ex illa ergo & signis, quibus Iudæi populi memorati non crediderant perpetram Deus, imo & sanæ mentis homo, crediturros illos conjecturetur, ac prædixerit. Antecedens constat ex scriptura. Bethsaiditæ enim, & Corozainitæ Iudæi erant, vni, & in vnum Deum credentes, & quibus signa aduentus Christi, quæ videbant, fuerant per Prophetas (quibus vtique adhibebant fidem) prænuntiata; Tyrij vero, & Sidonij idololatræ anarithæ, delitijs ac omnivitiorum genere corruptissimi, teste Isaia, c. 23. n. 1. Ezechiele c. 26. nu. 2. c. 27. nu. 3. c. 28. num. 2. & 12. Amos c. 1. nu. 9. ergo ex hac naturali rerum dispositione longe probabilius, & certum moraliter erat, hos nec prædicatione, nec signis ad hibitis crediturros, nec pœnitentiam acturos, quibus adhibitis Iudæi nec pœnitentiam egerunt, nec crediderunt. Neque vero Christi Domini tempore ad frugem meliorem fuerant Tyrij, & Sidonij reuocati: illorum quippe, vtique constanti, & veritate, & fama perditissimorum, comparatione vsus Dominus apud Iudæos illos fuit, vt ipsorum duritiem apertius ipsis ostenderet, quo magis erubescerent, dolerent, & conuertertentur: quemadmodum comparatione Sodomorum ad Capharnaitas consilio eodem fuit statim vsus. Secundo: Tyrius, & Sidonius, vt olim etiam erant perditissimi, comparabat illis verbis: *Olim in cilicio, & cinere panitentiam egissent:* quare melior eorum tunc dispositio succedens vim argumenti nihilo eneruat. Tertio: quia ea cuasione ridicula prorsus Domini increpatio redditur: quia quatuor hæ vrbes Tyrus, Sidon, Bethsaida, & Corozain vicinæ erant ad eundem locum, seu sinum Genesareth sitæ, & quarum subinde nulla reliquarum mores ignorabat: quare reprehendenti Domino, & eorum præ Tyriis, & Sidoniis duritiem, & incredulitatem exprobanti responderе Iudæi infaciem possent ægrius Tyros, & Sidonios ad pœnitentiam, & fidem iisdem signis, & prædicatione frangendos: quippe qui idololatria, ac deteriori vita pejus essent dispositi, & maiora impedimenta posuissent: ac subinde falso eos pœnitentiæ Tyriorum obiurgari. Certum ergo Catholicis Doctoribus sit, Christum Dominum, &, qua hominem, & qua Deum non probabilitatem moralem solumue certitudinem pœnitentiæ Tyriorum; sed certo illam, nec solum probabiliter, & morali coniectura ex naturali eorum dispositione penetrasse, & Iudæis illis exprobrasse.

5. Iam quæ pro absona sua interpretatione è contextu discurrebant, leuia sunt. Particula enim illa *forte* dubitantis non est: his siquidem, *vtique, certe, sane*, æquialet, vt è græco textu docte obseruat Salmeron. to. 4. in Euang. p. 3. tract. 14. sub med. vers. *Ad secundum dubium.* Est enim vox *an* quæ eis respondet: quo sensu sæpe in scriptura vsurpatur, Ioann. 4. *Tu forsitan periisses ab eo.* c. 8. *Si me scireris forsitan & Patrem meum sciretis.* Matth. 5. *Ne forte tradat te aduersarius iudici.* c. 7. *Ne forte conculcent eas pedibus suis.* Actor. 8. *Panitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi:* in quorum plerisque ea vox græca habetur. Ne vero in doctis (sicuti, & aduersariis) ab errandi vox *forte* occasio foret, pleraque ex datis illa omissa legerunt Irenæus lib. 4. c. 3. Cyprian. 1. contra Iudæos c. 18. August. hom. 45. de verb. Dom. (vt obseruat Toletus) ad locum Ioan. 8. & lib. 16. contra Faustum c. 26. id Ioan. 5. *Si enim Moysi crederetis forsitam & mihi:* siue *forsitam* legit: pluresque Patres ad loca similia eam vocem omittunt reste Maldonato ibi, & Alcuino apud S. Thom. videantur nostri Ribera in cap. 2. Ioel num. 22. Toler. & Maldonat. proxime Salmeron Prologom. 16. & vbi nuper Ruiz d. 70. sect. 2. qui eruditissime ex Patrum consensu ostendunt particulam *forte* in his, & similibus scripturæ oraculis nihil de pleno certoque affirmationis sensu minuere; sed vel ad nostram incredulitatem ostendendam apponi, vel, vt voluntatis nostræ, cui præuntatus euentus contingens est, liberras eius vocis contingentiam sonantis additione monstretur.

6. Secundo hoc sensu appositam censet Hyeronimus ad c. 26. Hyerem. fatus: *Verbum ambiguum forsitam Maiestati Dei non potest conuenire; sed nostro loquitur affectu vt liberum hominis seruetur arbitrium:* quibus consonat ad caput 3. Ezechiel, & ad id Matth. 2. *Forsitam verebuntur filium meum:* sicuti & Chrysost. hom. 77. in Matth. col. 11. Remigius apud caten. S. Thom. ad quem versamus locum, in cuius commentario, & in cap. Ioan. 5. fine. Hæc S. Thom. dicit: *Forsitam ad significandam libertatem arbitrij, non quod in Deo sit aliquod dubium.* Primo sensu sic explicat locum Ioan. 5. Augustin. tract. 3. in Ioan. sub init: *Ille, qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim, quomodo increpatiue dicatur ipsum forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis: sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente: cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, non opinatur diuinitas.* Quo ipso sensu alia dubitatiua particula Lucæ 18. num. 8. *Putas ne inueniet fidem super terram* vsum Dominum addit: atque grammatice interpretantibus similia Christi verba acriter succensem, & minatur. In eumfere sensum alter recidit, quem dubitatiuis particulis Ezechiel. 2. Matth. 24. & loco Lucæ proximo dedit M. Gregor. hom. 9. in Ezechiel: nimirum, *ut rei difficultas ostendatur:* stet ergo *forte* & similes voces Dei, atque eius nomine loquentium, ac propheratium certitudini scientiæ Dei de prænuntiato Patri, & interpretum omnium sententia non obesse; sed pro materiæ diuersitate aliud quid ex dictis, non autem dubitationem profe-

rentis significare videantur. Salmeron Prolog. 16. pag. 406. Riuera proxime, Vazquez, Soar, Molina hac de re disputantes, apud quos plura extant Patrum testimonia aduersam eius vocis rigidius, vel remissius interpretationem damnantia: multo vero plura apud Ruiz citata d.70.sect. 2. illud demum, quod increpatio, & iudicium non de conditionatis; sed de absolutis operibus esse debeat, certissimum est; ast ex his, quæ alij sub eisdem signis fecissent, quibus Iudæi exobedierunt, aperte conuincitur maiori hos obstinatione, quam illos absolute peccasse: quare merito remissius Tyrijs, & Sidonijs, quam Iudæis hisce iudicium fore. Non quidem ob conditionatam illorum pœnitentiam, & fidem; sed ob minus grauia infidelitatis, & impœnitentiæ absoluta peccata, quæ leuiora quam horum Iudæorum fuisse è conditionata fide, & pœnitentia illorum sub eisdem signis manifesto conuincuntur.

7. His testimoniis plura alia emphasis, & efficacia ad rem hanc similis facile erat annectere. Illud in primis Abrahæ ad diuitem epulonem è tartaro clamantem Lucæ 16. *Si Moysem, & Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent*, vbi è rei natura oppositum potius coniectandum vibebatur. Siquidem miraculi veritate, & defuncti, rediuiui conuersos etiam obstinatissimos sæpe legimus; conuertendosque potius, quam viuorum prædicatione, & librorum lectione alios præter experientiam ratio suadeat c.22. fine: *si vobis dixero, non credetis.* Item Ioan. 4. *Si scires donum Dei, tu forsitan petiisses ab eo*, cap. 5. *Si enim crederetis Moysi crederetis forsitan, & mihi* quorum primo *forsitan*, vt petituræ libertas denotaretur dictum volunt Patres, & interpretes recitati in secundo illud Maldonatus, & Alcuinus ex vetustissimis codicibus, & authoribus omittunt, in quibus Cyprianus, & Augustinus 16. contra Faustum. Item illud Ioan. 6. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent* (scilicet si ibi maneret) *vt raperent eum, & facerent eum Regem* (humanum) *fugit iterum in montem ipse solus.* Ex quibus aliisque quam plurimis (quæ nec referre, nedum expendere opus est, nec vacat: maxime cum videri apud Ruiz supra omnia possint) liquet non magis aperte ex sacra pagina deduci futurorum absolute, quam conditionatorum prædictiones, & oracula diuina: quare neque alia aliis certius à Deo cognita, præscitaque esse: vt, quidquid certitudinem, & infallibilitatem scientiæ diuinæ de conditionatis quatiat, impulsu eodem de absolute futuris infallibilitatem quasset, vel potius euertat: sed præstat iam absurdiores nouiorum, & nouatorum euasiones præcidere.

CERTAMEN V.

Anonymi, & Caramuelis euasiones obturato clauduntur.

1. ABsurdius longe respondit Anonymus apud nostrum Annatum d.2. quæst. 3. à num.52. Primo: Christum, quia hominem solum habuisse conditionatæ pœnitentiæ Tyriorum, & Sidoniorum scientiam, non qua Deum; sed certe, vel, qua homo, vere cognouit, vel secus: si secus: ergo falsa eius, qua hominis scientia creata fuit, quod est hæreticalis blasphemia. Si vere verumque cognouit: ergo Deum hæretice etiam veritatis alicuius secundum se absolute cognoscibilis fatetur ignarum, & omniscium negat. Respondet secundo: cognitam à Deo fuisse probabilem, & moralem connexionem fidei, & pœnitentiæ Tyriorum cum miraculis, signis, & prædicatione: in primis cum miracula &c. apud eos facta absolute non fuerint, connexio illa absoluta esse non potuit, sed conditionata. Nec satis erat connexio possibilis; hanc enim cum negatione fidei, & pœnitentiæ ea signa habebant: quare neutra determinate, sed vna, vel altera vel potius vtraque indifferenter (vti ad eorum actuum libertatem opus erat) & sub disiunctione cognosci à Deo, prædicique poterat: imo connexio possibilis, seu in statu possibilitatis præcise cum tam ad actus eos, quam ad eorum negationem sit, implicat in terminis, quod sit cum altero eorum extremorum determinata, atque cum eo sit absolute connexio, & vt talis verè à Deo cognoscatur; sed, ad summum, alterum. Tertio: cum, iuxta huius sententiam memoratam præfat. disputat. num.2. scientia visionis certo Christus, qua Deus etiam, viderit pœnitentiam Tyriorum absolute non esse sub signis, quæ absolute illis non adfuerunt: ergo neque absolutam horum cum illis connexionem: ergo non potuit videre connexionem illam pœnitentiæ cum signis probabilem, & moralem ni videat aliquid aliud diuersum ab eius possibilitate, & futuritione absoluta: quod nihil aliud est ab statu conditionato connexionis, & pœnitentiæ illius, quam verum, & cognoscibile, ac subinde à Deo cognitum esse solummodo contendimus. Quarto signa illa potius cum infidelitate, & impœnitentia Tyriorum probabilem, & moralem connexionem habere ostendimus cert.4. n.4.

2. Tertio: ex innominatis aliis respondet: Christum Dominum nihil minus, quam de conditionata Tyriorum pœnitentia cogitantem per exaggerationem fuisse loquutum. Amentiæ, blasphemiæ, & hæresis plena solutio: ne cogitare quidem Christum de extremo comparationis, quo serio affirmat & qua infidelitatem Iudæorum, & duritiem exprobrat ipsis, & iuste reprehendit. Respondet quarto: Dominum senum prudentum more iuxta Aristotelis Rhetoricam non admodum affirmare, etiam quæ certo sciunt, loquentium dubitanter ibi loquutum. Sed quoniam solutio hæc, etsi ad sententiæ dubietatem affatim disiectam certam, 4. à num. 5. recurrat, non tamen ad dubitatiuam particulam *forte*, vel *forsitan* prouocat; sed ad Aristotelis rhetoricam: inde disiicienda erit. Primo: quia, si senum prudentum more ex Aristotelis doctrina, & praxi locutus eis locis est: ergo, cum illi iuxta id præceptum, quæ certo sciunt, dubitanter proferant, & debeant proferre: id quod ipsorum more, ex eoque præcepto Aristotelico dubitanter de conditionate futuris dixit, & certi nouit, ac nosse debuit, vt contendimus. Alioqui, non ex eo rethorico Aristotelis præcepto, & senum prudentum exemplo; sed ex ignorantia dubius loqueretur. Secundo oportebit, si ea arte, & exemplo locutus ea testimonia tam in vulgata, quam in Hæbraica, græca, & aliis omnibus editionibus aliter, quam hucusque extitere interpungi, atque eius, & similium testimoniorum finibus interrogationis notam apponi; quam in nullo, siue originali, siue editione habent. Ita enim suo illo rhetorico præcepto quandocumque vsus Aristoteles fuit: notamque aliquam interrogantis suis sententiis modeste adhibuit *an*, vel *ne*. Tertio: id quod additur in textu, mitius cum Tyriis in iudicio agendum omnem dubij speciem excludit: quod etiam in materia seriæ increpationis per comparationem ad meliorem dispositionem Tyriorum ex conditionata eorum sub iisdem signis pœnitentia comprobatam locum non habet. Denique quomodo Christus cognoscens certo (vt fatetur Anonymus) non futuram, sub ea adhuc hypothesi, affirmaret? an id prudentum senum, an potius garrulorum, & mendacium?

3. Facilioris, quam fœlicis ingenij Doctor Caramuel Benedictinus theologia fundamentali thesi 6. in hac controuers. ab schola nostra discedit concl. 1. scientiam mediam negans: & à decretis Dominicanorum recentiorum absolutis subiectiuè, & obiectiuè conditionatis concl. 2. & 3. statuit concl.4. conditionata contingentia, quæ necessario ab alio absolute non inferuntur absolute futuro non esse determinate vera, vel falsa: neutiquamque conditionate fore potius, quam non fore: & concluf. 5. futura conditionata contingentia, quæ habent causam absolute futuram, à qua necessario, & infallibiliter oriantur, si adfit condirio, habere determinatam veritatem: inde concl. 6. concludit: huius generis esse conditionata contingentia, quæ locis scripturæ datis prænunciantur: & Dauidis traditio Saulî à Zeilitis, si apud eos maneret; sub ea, inquit, conditione foret ex absoluta hac saltem subiectiuè Saulis voluntate multis diebus absolutè duratura: *Si Dauid Zeila maneat descendam, & illam euertam*: Et quia subiectiuè etiam absoluta Zeilitarum vo-

luntate

luntate diebus totidem duratura: *Si Dauid maneat, & defendat Saul, petatque illum tradidemus*: Ex vtraque animi voluntate absoluta subiectiue, & Saulis ad Zeilitas defensus, si ibi maneret Dauid, & huius ab illis, si Saul descenderet, traditio necessariò, tanquam ab absolutis causis sub eis conditionibus operaturis, necessariò inferuntur sub conditionibus eisdem. Item Hebræorum idololatriæ, si ad alienigenas mulieres ingrediantur absolutam causam designat eorum voluntatem absolutam concedendi idololatris vxoribus, quod primo petierint, & aliam harum petendi ab eis primum, vt colant idola. Id Ezechiel 3. *Si ad illos Babilonios mittereris, ipsi te audirent*, & pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorum conditionatam causam habuisse absolutam in eorum absolutis efficacibus conuertendi se, & obediendi, si ea signa, & prædicatio Ezechielis ipsis exhiberentur. Illud demum Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, & prouenire posse, ait, ex decreto absoluto libero voluntatis humanæ per duos, v.g. dies perseueraturo respiciente obiecta de se indifferentia, quæ primo die ab extrinsecus adiacentia sint bona; secunda verò die ob superuenientes circunstantias sint mala: quas tamen Deus, quin scientia media vtatur arbitrio humano illæso poterit impedire. Quid enim prohibet, quem pridie diei ieiunij specialis Mattriti nil de eo cogitantem voluntate efficaci biduo duraturâ statuere eis duobus diebus cœnare: & tamen amici precibus Mattrito Complutum adire, & ibi cœnarè: hunc autem nec biduali voluntate ex præcepti inadvertentia Mattriti concepta peccaret, neque cœna Compluti, vbi ieiunij præceptum aberat ex ea voluntate pridie concepta, & perstante, executa: quare optimè absque vlla scientia media, eiusve vsu intelligitur quomodo ex voluntate illa efficaci Mattriti concepta, & biduo duratura, si ibi secundo die maneret, cœnando peccaturum; si verò Complutum adiret cœnando non peccaturum: ac proinde ex ea absoluta voluntate, & causa sub conditione manendi Mattriti, vel adeundi Complutum vtrumque infallibiliter, & necessariò fore cognoscerentur.

4. In primis opinatio hæc futura contingentia conditionata, quæ supponit, euacuat. Siquidem concl. 4. & 5. ait: contingentia conditionata, quæ causam absolutè futuram, ex qua necessariò, & infallibiliter sub ea hypothesi non inferantur, haud quaquam fore magis, quam non fore; eaque solùm contingentia conditionata determinatè fore, quæ eiusmodi causam absolutam suæ existentiæ necessariam sub ea hypothesi habent: ergo eiusmodi conditionata contingentia, & libera, quæ talia esse supponis, contingentia, & libera (contra tuam ipsam suppositionem) minimè sunt. Patet: quia supponunt causam sui sub ea hypothesi infallibilem, ac necessariò de se connexam cum ipsis sub ea conditione, atque sub eadem cum ipsorum negatione incompossibilem: qua solum de causa stupæ combustio sub conditione applicationis ignis ad ipsam conditionatum contingens, & liberum non est. Euidens meo, & plurium iudicio ratio hæc d. sequenti contrà Dominicanos Recentiores vrgenda ad hominem, vt aiunt, Caramuelem conuincit. Primò enim Concl. 2. & 3. physicam prædeterminationem, & decreta efficacia contingentis conditionati absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti hac ipsa ratione negat, & refellit, quod contingentia, & libera conditionate non essent: quia causam necessariò connexam sub illa conditione cum euentu, & cum eius negatione incompossibilem in eis decretis haberent. Confirmatur: quia per te ad futurum absolutum contingens, & liberum principia omnia indifferentia debent esse ad vtrumuis, & prædeterminatio physica, recensque Dominicanorum decretum ablegandum: quia sunt principia determinantia futurum absolutum de se connexa cum illo, & cum extremo opposito, seu eius negatione incompossibilia: quod totum habet causa quæuis absoluta necessariò connexa cum futuro sub hypothesi, & cum eius negatione incompossibilis: ergo eius pro eo statu contingentia, & libertas, quam aduersus, tuâ hac doctrina ex tuis etiam principiis perit: inde arguo ad hominem Terminò: sublata necessariò per te causa absoluta necessariò, & infallibiliter de se connexa cum futuro absoluto contingenti, & libero non erit absolutè futurum absolutum contingens potius, quam non erit: ergo sublata causa absoluta contingentis conditionati connexa necessario, & infallibiliter de se cum eius futuritione sub hypothesi sua non erit magis, quàm non erit conditionatè, Quarto: nullum contingens conditionatum potest determinatè esse conditionatè futurum sublata causa absoluta determinante necessariò ad ipsum sub ipsius hypothesi: ergo sublata causa determinante consensum quempiam contingentem sub hypothesi, sub eadem hypothesi erit negatio contingens ipsius determinatè, quod est aliquam veritatem contingentem, & conditionatam esse, in eo negationes omnes determinatè: vel, vt proprius loquar, determinatè non esse potius, quàm esse contra tuam hanc conclusionem 4. Patet consequentia: Nam deficiente causa essentialiter requisita ad quemuis effectum in quouis statu ponendum, loco eius ponitur necessariò in illo ipso statu eius negatio.

5. Sed in consequentiis missis, & doctrinæ repugnantiis Caramuelis discursus nihil in his, ad quæ extendi potest, conficit, neque ad contingentia omnia conditionata potest extendi. Constat primum: quia nulla voluntas creata, quantumuis absolutè duratura, de effectu sub hypothesi aliqua edendo, se sola illum potest absolutè sub illa ponere absque aliquo Dei decreto, aut voluntate ipsum etiam concursu suo apponendi: cum & hic essentiâ sua à Dei voluntate pendeat, & creatæ omnes causæ à causa prima pendeant in operando: atqui per te non supponitur decretum absolutum Dei subiectiuè, & obiectiuè conditionatum de contingenti illo futuro conditionato sub sua hypothesi, vt constat ex tua concl. 3. quod ergo decretum Dei liberum absolutum ad futuritionem illam determinatam contingentis sub ea conditione à voluntate creata voliti, pro priori ad purificationem conditionis iuxta tuam doctrinam hanc requisita, principalius quidem essentialiter requisitum, vel pro posteriori ad hanc voluntatem creatam, quod tamen ex ipsa necessariò, & infallibiliter inferatur in Deo futurum? Etenim in decreto absoluto subiectiuè, & conditionato obiectiuè, de effectu eodem sub eadé hypothesi, sub qua volitum efficaciter, & perduratiuè à voluntate creata fuit, ab hac sola, nequaquam necessitari infallibiliter physicè, & metaphysicè (vt oportebat ad diuinæ scientiæ infallibilitatem de eo contingenti conditionato) Deus potest, vt sub ea conditione posita ad illum effectum cum creata illa voluntate concurrere velit: vt sic saltem mediatè infallibiliter ex voluntate tua absoluta creata contingentis sub hypothesi sua necessariò eius futuritio, & ineuitabiliter sit sub ea futura. Si dicas, subintelligi & si non vi voluntatis creatæ positum ex parte conditionis, & in hypothesi etiam decretum concurrendi diuinum. Dices quidem re ipsa benè; sed pessimè contra te: quia decretum ad eum effectum in quouis statu ponendum est æquè essentialiter in eo principalius requisitum, quàm voluntas, & causa quæuis creata, quantumuis essentialiter requisita ad ipsum: ast per te ad futuritionem determinatam contingentis illius non requiritur absoluta existentia decreti Dei; sed illud in hypothesi apponi est satis: ergo & voluntatem, seu quamuis causam creatam in hypothesi etiam apponi ad contingentis conditionatam futuritionem determinatam satis erit: nec requiritur ad illam absoluta voluntas creata ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti.

6. Tertiò, & quod ostendit secundum (nempe doctrinam hanc ad omnia contingentia conditionata extendi non posse) argumentum conformo: Decreta contingentia, & libera diuina, quæ non sunt absolutè; sed sub innumeris hypothesibus forent, sunt contingentia determinata conditionatè futura: & quorum nulla causa absoluta, & necessariò determinans, & infallibiliter connexa, nec creata, nec increata datur: ergo, & contingens conditionatum creatum determinate futurum absque vlla causa absoluta determinante, & connexa infallibiliter cum illo sub ea hypothesi verè consistet: ex quo vt dixi, patet Caramuelis doctrinam ad omnia contingentia conditionata non extendi; siquidem non extenditur ad diuina decreta, imò neque potest extendi, ni decretorum diuinorum reflexorum & reflexorum in infinitum regrediamur absurdè. Sed idem ostenditur de contingentibus conditionatis aliis. Etenim voluntas illa efficax, &

& perduraturæ de contingenti sub quauis hypothesi, quam Caramuel statuit, sub aliquod motiuum fuit, ac non à causa aliqua determinata necessariò, & infallibiliter ad illam, siue creata, siue increata, vt ipse statuit concl. 2. & 3. ergo fuit futura conditionatè sub conditione, & hypothesi motiui illius: à qua ergo causa absoluta determinata, & determinante illam sub eius motiui conditione determinatam suam conditionatam futuritionem, & statum illum accepit? An ab alia voluntate efficaci reflexa absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti, si motiuum illud occurreret. Atqui & hæc rursus ex aliquo motiuo fuit concepta, ac proinde statum, & futuritionem conditionatam sub eius motiui hypothesi habuit, de qua redintegratur quæstio; quamnam absolutam, & determinantem causam determinatæ suæ futuritionis, & status conditionati habuerit? Quod si ad aliam reflexiorem volutatem absolutam subiectiuè & obiectiuè recurras, de hac quæstio redibit, percurrendusque tibi erit implicatorius causarum, quæstionum, & responsionum processus, quem ambulando, nedum regrediendo, transmeare stulti, & impossibilis laboris est: quare lassus tandem aliquas voluntates creatas à te assignatas pro euentibus contingentibus conditionatis reuelatis, inuenies quarum conditionatum statum tuâ hac doctrina componebas, pro quarum conditionato statu determinato statuendo causam absolutam determinantem assignare, inuenireve non possis. Accedit, quod in conditionatis pluribus eorum, qui nunquam fuerunt, neque erunt, voluntates eorum absolutæ, & efficaces à Caramuele assignatæ locum non habent, vt patet; neque vlla alia causa absoluta, ac determinans statum illum excogitabilis est: & tamen cognita eorum contingentia, conditionata futura à Deo Theologorum, & Patrum sententia est: quidcirco aliquos non esse à Deo conditos: quia cogniti à Deo fuere peccaturi, si crearentur, merito supponunt. Potuisse autem eos post præscita eorum conditionata peccata, si crearentur, non creare: ac proinde peccatorum conditionatam futuritionem determinatam absolutam eorum efficacem voluntatem vllam minimè supposuisse, à qua determinaretur, & penderet, docent Patres omnes illam quæstionem proponentes: *Cur Deus Angelos, & hominem, quos peccaturos præsciuerat, si crearentur, nihilominus creauerit?* Cum ad eos non creandos in futuris conditionatè eorum peccatis plus satis motiui habuerit: nec parum piæ suæ operæ impendunt in motiuo diuino creandi illos, quod vitandis, si non crearentur absolutis peccatis præualeat.

7. Sed ad locorum Scripturæ interpretationes Caramuelis veniamus, pro quibus nil in textu fundamenti, vel adumbrati, est, nihilque in eis, nisi temerariam diuinationem, & solutam per somnum phantasiam reperies: Nam illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, de infantibus ante vsum rationis baptizatis decedentibus, in quibus voluntas nulla fuit, intelligitur ab Augustino. Sed neque in raptis adolescentibus iustis illa Caramuelis voluntas absoluta habet locum: cum à voluntate efficaci vitæ illorum prouenire non possit peccatum, nec præuiderit pro die mortis, in quo non erant, neque vllam eorum voluntatem: quare solum præuiderit potuerunt peccaturi, si tunc viuerent, à voluntate alia non absoluta, sed conditionata, si perduraſſent, ac diutius viuerent: ac proinde exemplum illud de eo, qui Compluti cænauit sine peccato ex voluntate concepta pridie, & perdurante, nihil præstat ad vim loci huius eludendam. Sed nec si perduraſſent iusti postridie ex voluntate pridie sine peccato è simili inaduertentia concepta infallibiliter inferretur peccatum postridie illorum: quia, vt durans pridie non aliter peccatum postridie causare poterat, nisi quatenus sui durationem postridie inferret: eam autem non infert, nisi cum simili inaduertentia, cum qua non causaret peccatum secundo die, sicut nec causauit primo. Voluntas enim ex inaduertentia peccati merè concepta, sicut, si tunc notitia peccati adesset, non conciperetur, ita ea adueniente secundo die, cessabit: quod si adeò pertinax per fas, nefasque agendi concepta fuerit, vt adueniente adhuc postea aduertentiâ peccati, non cesset (vt opus est ad inferendam infallibiliter sui persistentiam die postero cum aduertentia peccati) virtualis, & æquiualens, ac interpretatiua peccandi voluntas, primo etiam die foret, atque etiamsi tunc adesset peccati notitia conciperetur: quare non iusti, vt supponitur tunc, sed peccatoris: quemadmodum de promissione illa obstinata Herodis dandi saltatrici agnatæ quidquid petiisset, etsi nihil tunc de Ioannis nece cogitantis, temerariam illam, & sacrilegum homicidium eam reputant Patres communiter Augustinus ser. 16. & alij. Ad hæc: peccatum, cuius vitandi gratia correptus iustus etiam adultus est, potuit esse voluntas aliqua prima praua, nec ab alia reflexa imperata, cuius respectu doctrina, & exemplum Caramuelis obmutescit.

8. Hinc patet temeritas interpretationis de conditionata peruersione Hæbreorum ad idololatriam; si ad mulieres alienigenas ingrederentur: etsi enim voluntate illa efficaci concedendi mulieribus illis quidquid primò peterent, idololatriæ petitio, & concessio non clauderetur expressè; ast vt audita petitione, non cessaret, ac proinde esset connexa infallibiliter cum idololatria sub hypothesi ingressus ad illas, oporteret, vt eius efficaciæ, & obfirmationis esset, vt perfas, nefasque primam, petitionem, cuiusvis conditionis esset, concedi ab ipsis statueret: quare per summam iniuriam, & temeritatem Hebræos omnes tunc temporis Deo obsequentes, non idololatriæ; sed omnium scelerum ea voluntate, & interpretatione sistit reos: vt de Herodis voluntate diecebamus. Imò, cum ex sacro oraculo mulieres ab ipsis idolatriam petituras, si ad eas ingrederentur (id enim significat illud: *Certissimè auertent corda vestra*) ipsis constaret, si adhuc in ea voluntate persisterent subiectiuè absoluta, obiectiuè conditionata, vt ex ea conditionata eorum idololatriæ futuritio determinata, iuxta Caramuelis doctrinam, consisteret, non virtualem modo, æquiualentem, implicitam, seu interpretatiuam idololatriæ voluntatem; sed formalem, & expressam cunctis Hebræis affigit. Illa verò interpretatio ad locum traditionis Dauid à Zeilitis, si apud eos maneret, impugnata ex dictis est: etsi enim ibi maneret multis de causis, & motiuis, ac circunstantiis poterant Zeilitæ à semel concepta primò voluntate postea absistere; & quidem cum abscedente Dauid, ac non aduentante Saul, nihil iam de illo tradendo Zeilitæ curarint, cogitarintve, illius primæ voluntatis cessatio sub hypothesi abscessus Dauid, conditionatè etiam fuit determinate futura. Item primo conceptæ voluntatis tradendi illum, si ibi maneret, perduratio purè conditionata manit eius abscessu: cum tamen neutrius huius conditionati futuri causa absoluta determinans eorum determinatam futuritionem conditionatam affingatur, ac nisi chimærica possit affignari. Denique obedientiæ Babylonum Ezechielis prædicationi, & pœnitentiæ Tyriorum ob signa à Christo apud Iudæos facta, si apud illos fierent, interpretatio in meliorem illorum dispositionem supra ab aliis allegatam, & à nobis impugnatam certam. 4. n. 4. recidit.

CERTAMEN VI.

Sententiæ nostræ veritas Augustini testimoniis illis etiam, quæ magis aduersari videbantur, aperte illustratur.

1. PRimus ex Patribus producendus pro nostra sententia Augustinus merito fuerit: vt pateat, quam immerito à primis Recentium Dominicanorum contingentium conditionatorum secundum se scientiam negantium affirmanti nostræ sententiæ clamabatur aduersus. Vidimus hactenus aperta eius pro nobis testimonia ex cap. 14. de prædest. Sanctor. certam. 3. num. 7. ex cap. 9. de bono perseuer. & ex cap. 95. Enchiridij certam. 4. num. 2. plerasque multò in eandem eius sententiam videbimus, d. sequenti quæst. 1. & 2. ea tamen adducenda hic sunt, quibus nobis à Dominicanis illis putatur aduersus; à nostris verò nihil fauens: igitur 9. cap. de bono perseuer. conditionata illa merita, & demerita semipelagiana sic refutat:

Cui

Cur enim non dicatur ipsum Euangelium cum tanto labore, passionibusque sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiam frustra prædicari, si iudicari poterant homines, etiam non audito Euangelio, secundum contumaciam, vel obedientiam, quam præsciuit Deus eos habituros fuisse, si audiuissent? Rursus ibi, & cap. 9. de prædest. Sanctorum ex alio suo testimonio hæc recitat: *Dixi, quod in his temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse, præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt.* Hæc item: *Quid mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis nouerat, vt eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat.* Præscientia autem incredulitatis gentium præscientiæ Christi Euangelij prædicationi, & signis eorum, quibus ipse, prædicatio, & signa absolutè defuere, conditionata solum esse potuit, non absoluta. Item eius infidelitatis scientia motum Deum fatetur Augustinus, vt Christi præsentiam Euangelij prædicationem, & signa gentibus denegaret, à quorum absoluta positione absoluta eorum infidelitas, atque ipsis incredulitas essentialiter pendebat: ergo præscientia incredulitatis, quæ absolutam eorum omnium gentibus priscis denegationem prædicationis natura anteceſſit, absolutæ incredulitatis gentium non fuit: ne secundum esse absolutum ea infidelitas prior esset naturâ, ac seipsa posterior: fuit ergo scientia, quam his locis admittit, & asserit Augustinus in Deo infidelitatis solummodò conditionata, si gentibus illis Christi præsentia, Euangelij prædicatio, & signa tunc adessent: quare scientia conditionatorum secundum se, siue conditionata, quam adstruimus.

2. Locus autem, quem Augustinus vtroque illo cap. memorat, est ex libro suo, siue epistola. 42. de tempore christianæ religionis, contra Porphyrium, vt constat ex cap. illo 9. de prædest. sanctor. in eius libris, qu. 2. Cum enim perfidus apostata quæstiones sex, quas Paganorum vocat Augustinus, obiecisset. Secunda erat: malè componi necessitatem aduentus Christi, euangelicæ prædicationis, & religionis ad salutem consequendam, cum eorum per tot sæcula toti orbi, & per multo plura tot nationibus irrationabili subinde dilatione. Redarguit tamen difficultatem Augustinus: quia malè etiam componetur necessitas religionis gentilicæ Apollinis, &c. cum eius proinde irrationabili dilatione, & necessitas institutionum Pythagoræ ad piè, beateque viuendum à Porphyrio asserta, cum earum per tot etiam sæcula, quibus, necdum innotuere, irrationabili dilatione: communi igitur difficultati Christianis, & Paganis, sic pro his respondet: *Si tanta potestatis fuisset Pythagoras, vt vbi vellet, & quando vellet, sua dogmata prædicaret: si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam: fore, vt nusquam, & nunquam appareret, nisi vbi, & quando sibi homines credituros esse prænosceret.* Cuius responsi, vtpotè aptissimi, acceptatione à Paganis suppositâ, ita simili difficultati pro Christianis respondet: *Quid respondebunt si (excepta illa altitudine, sapientiæ, & scientiæ Dei, vbi fortassis aliud diuinum consilium longè secretius latet sine præiudicio aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt) hoc solum breuitatis causa in huius quæstionis inuestigatione dicamus? Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí.* Scientia autem tam crediturorum, quibus apparuit, & prædicari Euangelium voluit, quam incredulorum, quibus vtrumque noluit exhiberi, non absolutæ incredulitatis horum, neque credulitatis aliorum fuisse; sed conditionatam eis verbis ab Augustino assertam cuidens est: tum quia incredulitas absoluta essentialiter pendere debuit ex præsentia Christi, & prædicatione, quibus resistendum erat absolutis; cum tamen absolutè fuerint illis denegatæ: tum etiam: quia scientia tam credulitatis, quàm incredulitatis ab Augustino hic asserta præcessit decreto concedendi aliis suam præsentiam, & prædicationem absolutam, & aliis eam absolutè denegandi: cum tamen absoluta credulitas, vel incredulitas (ac subinde alterutrius absoluta scientia) alterutrius decretam, & absolutam existentiam necessario supponat, & sequatur.

3. Huic mihi apertissimo Augustini pro nostra sententia testimonio, nemo ex nostris fidit: retractatum vtroque cap. 9. de bono perseuer. & de prædest. sanctor. suspicantur ipsi, & aduersarij clamant adhibito S. Thomæ suffragio: & Annatus noster scientiæ ibi ab Augustino assertæ retractationem eis capitibus contineri ratus, cam non quidem conditionatam toties constanter, semper, & vbique ab Augustino scientiam assertam, sed absolutam fuisse contendit d. 3. contra Theologum cursus Carmelitani discalceati Salmanticensis; Ait enim: Augustinum non tam ex propria sententia, sed ex præsumpta Paganorum approbatione solutionis, quam difficultati communi pro eis dedit de scientia absoluta loquutum, & ad hominem quasi pro Christianis ex ea scientia absoluta respondisse: ita enim solummodo locutum fuisse, non quidem ex sententia propria verba illa, quibus eam doctrinam retractasse videtur cap. 9. de prædest. Sanctor. sub fin. satis produnt: *Cernitisne me sine præiudicio latentis concilij Dei, & aliarum causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur.* Cæterum, cum pro Paganis, quod pro eis dici aptissimè poterat, Christianis respondisset, & quod proinde ab illis libentissimè admittendum esset, posseturque admissum ad cogendos, vt simili responsione pro Christianis adhibenda quiescerent, supponat Annatus: Responsio autem quæstioni & difficultati communi pro Paganis de gentilium antiquiorum (quibus nec Christus, neque Euangelij prædicatio absolutè adfuerunt) de absoluta incredulitate, deque absoluta eius præscientia (adhuc ex hypothesi, quod eam præscientiam incredulitatis omnium anteactorum hominum Pythagoras haberet,) adeò vecors sit, & in terminis ferè ipsis repugnans, vt nuper ostendimus: quomodo ea aptissima, vt simili pro Christianis ad Paganorum silentium responderet ab acutissimo, & profundissimo Augustino iudicaretur? Quomodo insuper acceptandam illam responsionem à subtilissimo Philosopho Porphyrio crederet, & acceptatam supponeret? atque à simili adeò explorato falsæ doctrinæ & responsionis pro Christianis difficultati eidem audacter diceret: *Quid respondebunt?* Quasi nec vnde doctrina solutionis eius possit reiici, vel impugnari?

4. Nec satis est; locutum fuisse Augustinum de absoluta præscientia infidelitatis absolutæ, quæ incredulitas non esset, & repugnantia Euangelij prædicationi, & aduentui Christi absolutè suppositis. Etenim adhuc erat stolidior difficultatis solutio: non venisse Christum antiquioribus temporibus, nec tunc, cum venit, nationibus pluribus prædicari Euangelium voluisse: quia infideles absolutè erant; potius enim, quia tales erant absolutè futuri, &, si Christus eis aduenisset, vel peruenisset ad eos Euangelij prædicatio, futuri essent fideles, eis Christus, & Euangelij prædicatio videbatur merito concedenda, & immerito, vt Pagani arguebant, denegata. Ac demum Augustinus statim recitandus, responsionem hanc suam, locum in Tyriis, & Sidoniis, qui absolutè infideles erant, & tales absolutè præsciebantur, non habere fatetur: quare absoluta infidelitatis præscientia vsum minimè fuisse in ea responsione Augustinum constat aperte. Stet ergo Augustinum ibi, tam in responsione pro Paganis, quam pro Christianis de præscientia conditionata, siue credulitatis eorum, quibus prædicatio Euangelij concessa est, siue incredulitatis eorum, quibus fuit absolutè denegata sub conditione prædicationis Euangelij futurarum respondisse: sicuti ex hypothesi, quod Pythagoras præscientiam similem eorum, qui suis institutionibus crederent, & obedirent, & qui eis repugnarent, si eis exhiberentur, simili difficultati in Paganos à se retortæ pro ipsis anteacto responderat: vt inde difficultati simili à Paganis propositæ facilius satisfaceret.

5. Cæterum nusquam Augustinus vtroque illo cap. 9. eiusmodi responsionem, & scientiam propriissimam Dei de conditionatis contingentibus sub hypothesi sui aduentus euangelicæ prædicationis futuris, quam hic defendimus, retractauit. Nihil enim tale credi potest Augustinum fecisse de scientia toties à se constanter asserta. Secundò:

cundò : quia si eam ex eis locis retractasset : retractasset etiam ex innumeris aliis, quibus eam docuerat, quod neque eis capitibus, neque alibi præstitit. Tertio : quia neque verba illa recitata num. 4. ex fine capitis 9. de prædest. sanctor. quibus, vel in primis, retractatio putabatur contineri, quidquam retractationi simile sonant. Sed solum ea solutione sua aliis, siue ex occulto Dei consilio, siue aliunde docte adinueniendis solutionibus aditum occludere minime voluisse ; sed ea tunc fuisse visum, quæ quæstioni, & difficultati tunc à Paganis obiectæ, diluendæ sufficeret, quo & solidam veritatem doctrina, & sufficientiam confirmat denuo potius, quam eneruat : imo vero supina ignorantia eorum videtur, qui scientia media non visum in ea responsione Augustinum, vel ea visum nihilominus recitatis verbis retractasse arbitrantur : cum illis hæc immediate subnectens denuo eam scientiam iterato verissimam asserat, & vti apertissimam sola eius simplici propositione confirmet : *Quid enim*, inquit, verius, *quam præscisse Christum, qui & quando, & quibus in locis in eum fuerant crediturí* : nempe sub conditione, quod ipsis prædicaretur ; vt sic eis prædicationem absolutam disponeret, ex illa sua scientia, quæ, & absolutam prædicationis absolutæ dispositionem, item ex illa ortam in Christum fidem, atque de hac absolutam etiam Dei scientiam antecedit.

6. Haud obscurius ex c. 9. de bono perseu. Et scientiæ conditionatæ in ea responsione vsus, & eius ab Augustino approbatio constat : etenim ita ipse contra suam illam responsionem obiicit circa eius cap. medium : *Si quaratur à nobis : cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea non fuerant crediturí, & apud eos facta non sint, qui crederent, si viderent : quid respondebimus ? numquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, vbi sex quibusdam quæstionibus Paganorum (sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt inuestigare) respondi ?* Recitataque ex parte responsione aptari propositæ nunc à se quæstioni, & difficultati his fatetur. *Hæc certe de Tyro, & Sidone non possumus dicere & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum latentium causarum præiudicio, tunc ita respondere me dixi.* Quibus, dum docet rationem illam responsionis ad quæstionem Paganorum ad nouam hanc suam extendi non posse, duo hæc aperte demonstrat. Quod scientia credulitatis, & incredulitatis, ex qua tunc respondit, earum sub conditione solummodo futurarum, non autem futurarum absolute fuerit, ac proinde proprie, & mere conditionata, non absoluta, sicuti, & scientia, ex qua difficultatem hanc proponit conditionata solum, non autem absoluta est. Secundo, dum in vtroque casu eam scientiam in Deo esse supponit, non retractat quidem) sed eam in Deo esse confirmat. Quod secundum ex ipsa responsionis, seu rationis eius limitatione, vt ad præsentem hanc suam quæstionem extendi nequeat. Iterum confirmat : quia negatam absolute prædicationem, & signa ait, etiam si sub illis futura præscirentur eorum fides, quæ nec absolute fuit, nec præsciri absolute potuit. Confirmat iterum exemplo Tyriorum, in quibus fides quidem conditionata, & pœnitentia ad signa, & miracula Christi, si eis exhiberentur, præscitæ à Deo fuere ; cum tamen, neque signa absolute exhibita sint, neque illis absolute posita fides. Longeque inferius rationi limitationis eius insistens in Tyriis obstrmatius adhuc fidei, & pœnitentiæ conditionatarum, si signa denegata fuissent ipsis concessa, futuritionem, & proprie conditionatam de illis scientiam tradit illis verbis : *Sed numquid possumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios, talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut crediturós non fuisse, si fierent : cum ipse Dominus attestetur.* Quæ cum à Deo pro conditionata scientia sint vulgaria, & trita, miror aliquibus in mentem venire potuisse eam scientiam illo eodem capite vbi hæc legunt, fuisse retractatam.

7. Sunt tamen c. 9. de prædest. sanctor. sub finem verba, quæ, quasi paraphrastice, responsionem suam ad Paganorum quæstionem continent, & scientiæ conditionatæ in responsione ad Paganos assertæ, & tamen decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti non iunixæ retractationem Augustini Dominicanis recentibus, nescio quo pulsu sonant ; Annato vero nostro sonant scientiæ solummodo absolutæ Dei in ea responsione Augustini vsum. Sunt autem verba hæc : *Posset etiam sic dici : tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam : quando sciebat, & vbi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Huius electionis nomine decretum suum subiective absolutum, & obiective conditionatum quasi ex Augustino audiunt aduersarij ; cum tamen electio ante mundi constitutionem absolutum omnino etiam ex parte obiecti decretum deuoluat, siue prædestinationem absolutam : indeque Iudæos absolute incredulos, sub aliqua tamen hypothesi, quæ non adfuit, crediturós, & Christianos ideo electos ante mundi constitutionem, nonnisi stultissime dicendos ait August. c. 16. de prædest. sanctor. & c. 14. de bono perseu. Vbi prædestinationem (quam electionem ante mundi constitutionem alias etiam appellat) definit, ab ea exclusos Tyrios, & Sidonios ait ; etsi tam hi, quam illi pœnitentiam acturi essent conditionate. Vnde constat contra Dominicanos primo : recitato loco, nihil prorsus subiective absolutis, & obiective conditionatis decretis per voces electionis ante mundi constitutionem contineri. Nec satis est, Augustinum aliquando lib. de prædestinatione Dei, qui post librum de bono perseu. extat, prædestinationem pro quouis Dei decreto etiam conditionato ex parte obiecti accepisse. Primo enim liber hic, vt Augustino indignus in indiculum certo non Augustinianorum operum reiectus à Louaniensibus in sua operum Augustini impressione fuit, quorum, & suo iudicio Pseudo-Augustinum à nostro Eminentissimo Bellarmino damnatur : quod cum Ioanes à S. Thoma fateatur pag. 368. cum eo testimonio adeo instanter pro suis decretis ibidem vtitur, quam parum subsidij in Augustino sua illa decreta habeant, satis demonstrat. Secundo : etsi is liber Augustini esset, eiusque pro his Dominicanis decretis allegata sententia : cum alibi semper prædestinationem, & electionem ante mundi constitutionem Augustinus pro omino absolutis decretis vsurpet : vndenam recitatis verbis pro decreto suo absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti electionem ante mundi constitutionem vsurpatam ab Augustino probabunt ? siquidem communiori apud ipsum earum vocum acceptioni standum merito erit ; non autem minus apud ipsum frequenti, imo semel tantum apud eum repertæ : ad sonantius, quam Thomistæ, Annatus noster eis verbis deceptus est cum enim præscientia illa responsionis ad Paganos citatis verbis fuisse illorum, qui electi ante mundi constitutionem fuerant, siue absolute prorsus prædestinati, Augustinus videatur asserere, absolutam fuisse præscientiam docere videtur, non conditionatam : sola quippe absoluta operum præscientia prædestinationem, etiam prædestinatos absolutè operaturos supponit, & sequitur ; conditionata vero operum præscientia prædestinationem operaturorum minime sequitur, sed solummodo antecedit.

8. Verum recitata verba responsi ad quæstionem Paganorum periphrasis, seu explicatio non sunt ; sed nouum aliud responsum ad eandem continent quæstionem, fatente demum Annato num. 62. versus : *Atque hinc etiam intelliges*, id autem contextu capitis clarescet, Conscius siquidem de abusu eius responsionis suæ à Semipelagianis pro errore meritorum conditionatorum è propriis prædestinatorum viribus ad prædestinationem obtinendam vsurpate respondet, se absque *latentis consilij Dei & aliarum causarum* tunc, quod satis erat, respondisse : additque : *Sed vtrum prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent fidem ? An Deo donante sumpturi ? Id est, vtrum eos tantum præscierit.* Ex propriis operantes, an prædestinauerit Deus ? (de quo cum Semipelagianis alia iam quæstio) *quærere, ac disputare tunc necessarium non putauit* : & quamuis de præscientia, & prædestinatione absolutis sit, alterius responsionis ad aliam Paganorum quæstionem, veritatem, & scientiam conditionatam, cui inniterebatur, non euacuat : tum quia non fore donum Dei fidem absolutam eorum, quibus ex meritis propriis, & naturæ virtute habitis, siue conditionate, siue absolute præuisis constans vbique sententia Augustini contra Pelagianos, & eorum reliquas Semipelagianos est

scientis: *Iam gratiam non fore gratiam*: tum quia ab statu absoluto ad conditionatum ineuitabilis consequentia sit proposita de operibus in statu absoluto quæstione, an viribus naturæ, an ex Dei dono debeant esse absolutè futura? atque statuto Dei dono, & gratiâ, seu prædestinatione, non autem naturæ viribus esse absolutè posse: nec posse in statu conditionato absque Dei gratiâ, & prædicatione conditionata esse diffinitum implicite, virtualiter, & æquipollenter est. Vnde id seorsim de conditionatis operibus, ex quorum præscientia Paganis respondit, quæstionem hanc: An sub hypothesi etiam gratiæ Dei, nec solum sub hypothesi solius externæ prædicationis & naturalium virium essent conditionata futura etiam contra Semipelagianos? Vtcrius in terminis proponere, ac diffinire opus Augustinos non fuit. Vnde, vt huic nouæ quæstioni, & errori occurreret, addit statim verba, quæ præfatos Doctores deceperunt: *Proinde quod dixi: tunc voluisse hominibus apparere*, &c. *posset etiam sic dici*: Non quidem idem ipsum sensu, & sententiâ inuariata; sed plane additis quæ contra Semipelagianum errorem; & ad denuo subortam cum ipsis controuersiam necessaria erant, poterantque ex statu operum absoluto, de quo hic contra Pelagianum errorem agit, ad conditionatum de quo in responsione ad quæstionem Paganorum egerat facile, ab quoque traduci, vt immediatè adiungit Augustinus: *Sed quoniam, si ita diceretur, lectorem facerent intentum ad ea requirenda, qua nunc ex admonitione Pelagianorum necesse est copiosius, & laboriosius disputari, visum mihi est, quod tunc satis erat breuiter esse dicendum, excepta, vt dixi, altitudine sapientia Dei*, &c. quæ in negotio absolutæ gratiæ, & prædestinationis diuinæ, (de qua cum Pelagio, eiusque reliquiis) intercedunt. Ex quibus liquet oppositio loco ad controuersiam nonam prædestinatione, & electione vsum qua conditionatam sequitur, ex qua ad quæstionem Paganorum respodit Augustinus, nusquamque eo loco retractauit; sed supposuit, & virtualiter ex gratia etiam Dei eum etiam statum sortiri bona opera conditionata docuit; totiesque illis ipsis capitibus, quibus eam retractasse putatur, clarius, fortiusque confirmauit, & asseruit.

CERTAMEN VII.

Ex aliis Patribus eadem sententia monstratur.

1. PLus æquo certamen creseeret, si omnia, quæ ex Patribus selecta eruditione congessit Didacus Ruiz de Montoya d. 65. & 66. recitaremus: maximè, cum eorum plura de mediis conditionatæ cognitionis postea sint opportunius recitanda. Dedimus Prosperum præcipuum post Augustinum diuinæ de contingentibus conditionatè futuris secundum se sumptis scientiæ patronum cert. 4. num. 3. dabimus nunc Patres alios eidem in materiis diuersis contra omniscientiam Dei difficultati respondentes, & ad purum scientiam contingentium conditionatorum secundum se suis responsis confirmantes. Ita illam profuit Cyril. Alex. 9. in Ioan. cap. 10. *Si omnia scire Christus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegit? Cur Saulem elegisti, quem sciebas gratiam tuam abiecturum? Cur primum hominem de terra formasti, quem sciebas mandatum tuum non seruaturum? Cur Angelorum naturam creasti, cum, vt Deus, præuideres futuram omnium rebellionem?* Atque in vno, vel altero vel electis à Deo ex præscientia euentus, quæ ipsum posset retrahere, ad munus aliquod, vel creatis; eandem Patres alij quæstionem proponunt: in qua planè futuri euentus sub creationis, electionisve ipsarum præscium Deum fatentur, vt ter quaterque fatus proximè est Cyrillus: ac subinde contingentium conditionatorum secundum se sumptorum præscium Deum aperte fatentur. Secundò: cum illorum euentuum præscientia Deo asseratur quâ posset, vel peccaturos non creare, vel electione, aut donis suis abusuros non eligere, suaue gratiâ non donare scientia absolutè futuri ab illis abusus creationis, electionis, & gratiæ esse non potuit: quia absolutè futurus eorum abusus illa omnia absolutè existentia, atque absolutè à Deo facta, & donata supponit: quare ad ea, vel non facienda, vel non donanda abusus eorum absoluti præscientia absoluta nullam Deo relinqueret electionem, & potestatem: sicuti neque quæstioni locum. Sed nec fuit scientia simplicis intelligentiæ, seu possibilitatis puræ abusus eorum donorum: Tum, quia, & futurus à Patribus dicitur, quæ vox in solum possibilia non cadit: Tum, quia, & reliquis à Iuda Apostolis, & Angelis bonis (de quibus nec quæstio est, neque esse potest, creationis: electionis, & gratiæ) abusus possibilis fuit, talisque à Deo præscitus, & antequam eis donarentur, & postquam eis fuerunt donati: siquidem ita illis vsi bene sunt, vt abuti tunc etiam absolute possent: ergo præscientia Dei de futuro præfatorum abusu creationis, electionis, & gratiæ ad eam quæstionem à Patribus supposita, & asserta abusus contingentis conditionatè solummodo futuri aperte fuit.

2. Sed hoc ipsum solutiones quæstioni huic à Patribus datæ apertius ostendunt. Cyrilli solutio ibidem sic habet: *Ex istis, cæterisque huiusmodi illud porro sequitur, vt præcognitionis causa, nihil omnino creare debuerit, aut insensatam naturam solummodo producere*: quâ absurda illatione, non solum probat præscientiam conditionatam abusus illorum, si crearentur, aut electione, & gratia sua donarentur præhabita ab eorum creatione, electione, donorumque collatione absistere Deum non debere: verum & rationalium omnium, quos condidit, condereve absolute potest, similem conditionatorum euentuum sub conditione futurorum scientiam Deo adesse. Consone in eandem sententiam scribit 1. in Genes. col. 3. *Quod homo corruptioni subiiceretur* (vtique si crearetur, futuræ) *Creator omnium minimè ignorauit: imo verò id certo sciebat, cum creare decreuit.* Tertulli. 2. aduersus Marcion. eidem in Iudæ, & Saulis electionibus difficultati respondet: *Deus præsentia iudicat*, id est absoluta, *non futura* (conditionate) *nec condemnat ex præscientia quem nouerit talem fore, qui sibi displiceat* (si eligatur;) *sed tantæ bonitatis est & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum* (si eligatur) *dans ei potestatem conuersionis.* Anselm. eidem difficultati in malis Angelis ita satisfacit acutè: *Propter ornatum sui operis: vt enim pictor nigrum colorem substernit, vt albus, vel rubeus pretiosior sit: sic in collatione malorum iusti clariores fiunt.* Augustinus eidem difficultati contra dæmonum, & hominum à Deo creationem oppositæ sic respondet 2. de Genesi contra Manich. t. 28. præscium de eorum lapsu, si crearentur, creasse nihilominus eos Deum: *quia de peccato, nulla bona opera facere poterat.* & 11. de ciuit. cap. 17. post med. *Quoniam Deus, cum diabolum condoret, futuræ malignitatis eius non erat vtique ignarus: & præuidebat, quæ bona de malo eius esset ipse facturus.* cap. 18. init. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eum bonorum vsibus commodaret.* Nyssenus Orat. Cathec. cap. 8. præscientiam lapsus Adami, si condoretur longè à med. his fatetur: *Quod enim à bono homo esset auertendus, non ignorauit, qui omnia suo dominatu continet, sua præuidendi virtute aquè intuens id, quod deinceps* (post decreta sua) *futurum, atque id, quod præteritum.* Et tamen merito hominem ita præuisum auertendum, si condoretur fuisse creatum sic probat: *Quid ergo erat melius? An nostram naturam non omnino ad ortum deducere, quoniam videbat futurum, vt à bono aberraret? An cum aberrasset, & morbo laborasset reuocare ad gratiam, quam habuit ab initio?* Atque hoc extremum melius fuisse concludit.

3. Damascenus aduersus Manich. circa med. & Chrysost. hom. de anathemate communi vtique sententia eadem quæstioni respondet: *Mortuus est pro inimicis, pro Tyrannis, pro maleficis, pro eosdibus, pro crucifigentibus, atque pro his ipsis, quos tales fore ante constitutionem mundi sciebat: eosque præscius formauit vincente præscientiam bonitate.* Vtique conditionata scientia abusus suorum beneficiorum ab illis conditionate futuri, si crearentur: nam præscientia illius abusus futuri post absolutam illorum creationem ab ea Deum retardare non poterat, quam factam supponebat: quare nec cum illa certare Dei bonitas, vt vinceret. Idem Chrysost. hom. de Adam, & Eua,

col.2. *Confitetur vniuersa lingua, Deum præsagum esse futurorum; antequam* (naturæ prioritate) *essent vniuersa, præscisse præuaricaturum primum Angelum, & primum hominem*, scilicet conditionata scientia futuri hominis casus,& casus Angeli,ex cuius creatione ab infidelibus impugnari illam posse ait : quia qui præsciret, nec præceptum videtur homini impositurus, neque Angelum creaturis : cum, & illius impositione, & huius creatione ex ea scientia merito abstineret : solum autem abstinere eis poterat ex conditionata futura sub conditione casus, non ex absolutè futuri absoluta præscientiâ : quæ & creationem Angeli, & hominis absolutam, & absolutam præcepti impositionem necessariò supponit : & in Angeli creatione respondet:*Omni ratione sciuit Deus futurum irreparabilem casum eius, sicut sciuit quanta bona facturus esset de malo eius* : atque in bonis ex malo subortis numerat : *vt boni eorum comparatione fierent clariores* : Sicuti & Anselmus recitatus n.2. In præcepti vero impositione Adamo inferius respondet : *Deus noster faciens hominem dedit præceptum in creatura, id est, in arbore : eligens, vt per transgressionem in creaturam peccaret, quam sine mandato in creatorem offenderet, in Deum ipsum superbiendo* : vt de Angelis dixerat nuper.

4 Theodoretus, quæst.36. in Genes. *Deus, quæ nondum facta sunt, perinde nouit, ac si facta iam essent: quæpropter præuidens, & præscius ipsum Adamum mortalem futurum ob violatum mandatum, talem naturam eius iam ante composuit.* Ne verò quis hæc, & similia Patrum testimonia de scientia coniecturali, aut probabilitati solum conditionatæ futuritionis euentus distortè interpretetur, aduertat præscientiam à Patribus conditionatis euentibus contingentibus assertam visionis, & intuitionis eorum nominibus sæpè in suis testimoniis appellari; quæ sanè voces in coniecturalem solum de illis, siue de illorum probabilitate pura minimè cadunt. Secundò : ratione omniscientiæ suæ ea omnia scire,atque non secus, ac si iam facta, & præsentia essent, non est solum coniecturaliter, & euentus probabilitatem scire. Audiendus Olympiodorus, & Polychronius in Catena Græcor. Patrum, nostri Comitoli in Iob ad capitis 1. verba : *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt:* ita loquentes *cum futuri ignarus sit diabolus : neque in hominum corda insinuare se penitus possit, frustra sibi eladem iusti pollicetur* : & tamen tentationum pondus ad inclinandas nostras voluntates in ruinam; maximè cum adeo sunt ærumnæ, & calamitates ingentes : quare casurum à iustitia, & patria Iobum & coniectabatur, & ita probabile diabolus merito iudicabat, vt de illo triumphum sibi polliceretur : frustra tamen aiunt hi Patres: *Verum Deus* (Pergunt) *qui multo ante prospicit, cum de iusti victoria minimè dubitaret* (dat autem coniecturalis, & solius probabilitatis de euentu scientia dubio locum) *vt pro sua libidine in virum frugi impetum faciat, diabolo largitur.*

5. Respondet Ledesma, mutuatis à Curiel verbis, controu. illa 7. præscientiam à Patribus assertam eorum euentuum creatione, & electione &c. esse priorem iuxta eorum verba; decreto vero creandi, eligendi, &c. posteriorem : ac subinde absolutam, non conditionatam. Arguebatur enim ab ethnicis, vel Deum tollendum, si eorum euentuum futurorum scientia tolleretur : cum autem conditionata tunc, nec nota esset, nec nominata, de absoluta planè loquebantur : vel ab eis futuris rationem malitiæ : quia cum à Dei præscientia necessario homines agerent, ne eius infallibilitas operum omissione cassaretur, si liberè adhuc, ac non necessariò agerent, tota operum malitia refunderetur in præscium Deum. Contra primo : quia, si præscientia illa absoluta, & absoluto decreto creandi, & eligendi erat cum eo absolutè posito (vtpote cum negatione absolutæ creationis, & electionis pugnante) creatio, & electio non apponi absolutè nequiret : ne à Bardis quidem, nedum à Philosophis, & acutissimo Porphyrio proponi difficultas non posset : neque ea notissima ratione adstante, quæ locum quæstioni præcludebat; alias Patres ei quæstioni incassum occurrerent. Secundò : cum à Deo non aliter creatio apponi, nisi per decretum suum de illa possit :rogare : cur creauerit?idem est arrogare : cur creare decreuerit,cum præscierit? Cum autem ex præscientia absoluta, & supponente decretum non potuerit non decreuisse, seipsa quæstio euanescerer. Tertiò : quia quæstio non in eo stabat, quod præscientiæ infallibilitas cum nostra libertate componeretur : ac proinde, vel Deo imputandum esset peccatum, vel Deus defectu infallibilitatis, & veritatis suæ præscientiæ, sibi identificatæ esset tollendus; sed quomodo, euentus malè præscientia, si homo crearetur, v.g. cum adhuc posset non creari à Deo, cum huius bonitate ipsum creare compati posset : quare de scientia conditionata conditionate futuri euentus, non de absoluta absolutè futuri, cum qua non poterat non decernere, siue non decreuisse, erat quæstio, vel in Deo non dari, vel Deum ita præscium, nihilominus hominem, vel Angelum absolutè creantem bonum non esse : quare, licet scientiæ conditionatæ, seu mediæ nomina tunc, nec Philosophi, nec Patres nossent: quia eius nomenclaturæ destinatus à Deo patrochus Molina noster, necdum aduenerat, rem tamen ipsam Philosophi, & Patres ita nouerant, vt eius definitionem dederint, dum præscium Deum futuri lapsus hominis, & Angeli, antequam eos creare decerneret (quod ipsum est si crearentur) in quæstione, & responsionibus supponunt, & probant : quia omniscius, seu omnium cognoscibilium, & veritatum, (in quibus non minus, quam absolutè futura contingentia, conditionatè futura continentur) cognitor est. Demum argumenta contra libertatem nostrorum operum ex præscientia illorum absoluta, si naturæ etiam præcedat ipsa, atque item ex absoluto prædeterminatiuo decreto, quæ Dominicani admittunt, adeò sunt efficacia, & expendenda contra ipsos, d. sequenti, vt eorum solutionem non omitterent, si ea difficultas in his quæstionibus ab ethnicis tangeretur : sicuti nec omissa ab eis solutio fuit, quoties ab ethnicis, vel hæreticis fuit attacta,vt sequenti d. patebit.

6. Denique S.Thom. vbique pro diuina præscientia futurorum contingentium conditionatorum secundum se constans vbique, & apertus stetit 1. par.qu.92. art.1.proposita difficultate : cur Deus prænoscens Euam,si crearetur, fore Adamo occasionem ruinæ, eam creauerit ? Respondet,præscientiam illam vti certam supponens : *Creandam fuisse mulierem : quia non debuit tolli, vt vitaretur particulare malum.* Et Commentar. in Matth.Habet: *Quidam dixerunt, quod non saluabuntur nisi, quos præsciuit Deus,quia si prædicaretur eis,conuerterentur* : quod solum ab opposito intellectum respicit, vt supra Augustinus eodem Tyriorum exemplo, qui, etsi fuerint præscitti conuertendi,si eis prædicaretur, male tamen in iudicio habebunt, qu.24. de veritate art.14. corp.ait : *Omnes autem interiores motus à diuina prouidentia moderantur, secundum quod ipse iudicat, aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus.* Iudicium autem illud, quod præcedit decretum conferendi vocationem, quâ iudicauit, eum effectu excitandum, non absolutè excitationis, quæ decretum,& vocationem absolutam supponit,sed excitationis conditionatæ, seu futuræ, si ea vocatione vocetur, planè est, & asseritur à S.Thom. q.6. de verit.art.3. certitudinem causæ, quam habet per ipsum prædestinatio cum salute prædestinati ita componit : *Licet omnia singularia speciei sint corruptibilia in particulari, tota autem species,quia alteri indiuiduo alius perenniter succedit diuina prouidētia gubernante,corruptibilis non est:ita in eo quem Deus prædestinat, & adminicula præparat,quod vel nō cadat,vel si cadat,quod resurgat.Si igitur consideremus salutem prædestinati respectu causæ proximæ,scilicet liberi arbitrij habet contingentiam; respectu autem causæ primæ prædestinantis habet certitudinem* : quia nimirum nouit cui auxilio, si detur, cooperaturus sit prædestinatus salutem,in quo præscientiâ de conditionato futurorum contingenti sub eius auxilij, ac non alterius conditione asseritur. Id de copia auxiliorum contra efficaciam auxilio intrinsecam efficacissimum testimonium est, de quo alibi.

***

CERTAM.

CERTAMEN VIII.

Eiusdem sententiæ nostræ firmæ à ratione probationes.

1. RAtio prima è contingentium futurorum sub conditione à Deo reuelationibus factis desumitur. Si enim ea determinate & certo non nosset, non solum ea, quæ nesciret temeritatis vitio, & mendacij periculo diceret, sed ea etiam, quæ coniecturaliter tantum, seu quorum solam probabilitatem cognosceret, non autem omninò certo præsciret, iudicio ipsius de reuelatis determinate falsum subesse posset: sicut, & cuiuis coniecturali, & probabili iudicio. Vnde non solum fidei nostræ firmitas labaret, sed temeritatis etiam, & mendacij periculo loqueretur, cum aliter, ac asserebat, res se habere possent. Secunda ratio: Deus potest nostrarum omnium opinionum lites dirimere, atque de eis, vtra earum determinate vera sit iudicare, & irrefragabilem ferre sententiam: ergo certissimè scit, quid determinatè verum sit ex eis omnibus, quæ probabiliter discurrentes asserimus, vel negamus. Patet Consequentia: Cum enim iudicij veritas in eo stet, vt ita in ipsis obiecta sint, sicut esse iudicantur; nequit de opinione quauis, vtrum determinatè vera sit, vel falsa iudicium certum haberi, certaque ferri sententia, nisi à certo cognoscente, & iudicante, ita se determinate habere, vel non habere obiectum, sicut ab opinante determinatè putatur, se habere, vel non habere. Tum sic: ast de contingentibus conditionatè futuris homines frequentissimè iudicamus determinate fore, vel non fore: ergo vera eorum opinio de conditionatis illis vera sit, Deus certò, & infallibiliter cognoscit: ac proinde, & certò cognoscit determinatè contingentia conditionatè futura, vel non futura. Subsumptum tam in practicis, quàm in puré speculatiuis patet experientiâ quocidiana: quotidie probabiliter coniectamur modestum, ac virtutis studiosum iuuenem, si cum graui, pioque aliquo Religioso habeat necessitudinem religionem ingressurum; alieni alias notum appetitorem si in arcam diuitis apertam incidat futurorum: puerum huius, vel illius indolis datorum studiis operam vel non daturum: in speculatiuis exemplum esto celebris inter Thomistas omnes Dominicanæ, & Iesuiticæ nostræ scholæ cum schola Doctoris subtilis controuersia illa: *An Adamo non peccante, Christus venisset?* In qua venturum schola vtraque Thomistica determinatè opinatiuè negat; Scotica, opinatiuè etiam, venturum determinatè affirmat: ac subinde alterutra de contingentibus, etiam decretis diuinis, conditionate futuris determinate opinatur.

2. Tertia ratio: quia circa omnia nostra dubia de contingentibus conditionate futuris ritè, rectèque possumus Deum consulere: sicut Dauid, & alij in lege veteri consuluerunt, pieque quotidie à Christianis Deus de eis consulitur, & rogatur: vt si matrimonium, de quo agitur, vel in religionem, ad quam inclinamur, ingressus ruinæ occasio nobis est futura: vel matrimonium, vel religionis ingressum à nobis auertat: quod si quis de his Deum minimè consulendum, orandumque diceret, malè ipsius fides audiret, maleque ipse à fidei quæsitoribus acciperetur: maiori siquidem pietate, & vtilitate de contingentibus conditionatè futuris, quam de futuris absolutè Deus consulitur, & oratur. Horum enim sciendorum cupido, vana plerumque curiositas esse potest: ac verò conditionatorum contingentium cognitio de nostris actionibus deliberationi maturæ, quam maximè semper inseruiet: atque adeò prudentes, sapientesque omnes omni arte quid futurum sit, si hoc, vel illud eligant, aut aggrediantur, indagare videmus, priusquam opus aggrediantur. Et tandem cum similes eiusmodi conditionatis contingentibus consultationes, & orationes ad Deum à Sanctissimis Patriarchis, & Prophetis in lege veteri sint habitæ, eorumque votis Deus annuerit, ac quid determinate futurum sit, responderit, eas imprudentiæ, vanitatis, & superstitionis incusare temerarium & erroneum esse: Atqui si Deus certo, quid determinate sub eis conditionibus futurum conditionate erat, nesciret, imprudenter, vane, & superstitiosè consuleretur, oraretur que à nobis: ergo Deus certo scit, quid determinate sub eis conditionibus futurum subsumptum probatur: quia de euentu determinate sub eis conditionibus contingenter futuro Deus consulitur, & oratur à nobis de vtroque dubitantibus, verum ex eis futurum sub eis conditionibus sit: cum dubij de eo sumus, nec de alterius determinate futuritione securi: ac consulere eum, qui futurum ex vtroque determinate certo nesciat, vt securi de eo reddamur euentu, imprudens, vanum, & superstitiosum est: ergo Deus certo scit, quid determinate sub eis conditionibus sit conditionate futurum. Confirmatur ex omnium, non fidelium modo, sed ethnicorum statu, atque insito, & naturæ congenito iudicio. Omnis quippe, etiam idololatrarum, natio, quibus, falsò etiam diuinitatem deferebat, Deos de euentibus contingentibus conditionatis consulere, antequam bellum, aut grande aliquid aggrederentur, consuerunt: vt si bonum ipsis determinate fore respondere nt, executioni mandarent: sin secus abssisterent, nulloque alio magis damones suam apud idololatras diuinitatem ambiebant, atque venditabant, quam de alterius determinatæ partis, simulata diuinatione.

3. Quarta ratio à priori: quia (vndecumque ea consistat contingentis futuritio, quod nunc minime disputamus) futurum contingens conditionatum sufficientem habet veritatem obiectiuam, siue cognoscibilitatem ad terminandam veram de ipso cognitionem (esto: non habeat ad determinandam quod valde diuersum, & d. sequenti examinandum esse, quæstionis præfatione monuimus) ergo à Deo cognoscitur conditionate, & determinate in se fore potius, quam non fore: ergo cognoscitur certo, & infallibiliter fore determinate: siquidem cognitio non certa, neque infallibilis veritatis, siue obiecti cuiusque Deo indigna est, & impossibilis. Prima consequentia est legitima: quia, cum Deus omniscius ex fide, & naturali ratione certissime sit, eius scientia ad omnem veritatem obiectiuam, siue ad omne vere cognoscibile necessario extenditur. Antecedens primum solummodo restat probandum. Id autem probatur facile. Primò: quia, si futurum contingens conditionatum determinate verum ex parte obiecti non est, nullamque habet ex parte sui cognoscibilitatem, siue capacitatem terminandi veram de ipso cognitionem, stulte homines prudentes, & inaniter siue ad statum sibi, vel suis eligendum, siue ad contractus ineundos, siue ad mittendos liberos studij gratia in academias, ad militiamve, aut officio applicandos prius ex eorum genio, & aliis rerum circunstantiis quid, si aliquid ex eis faciant, euenturum sit discurrunt, & coniectantur: prudentiores, peritioresque de eis conditionatis euentibus consulunt, iudicium explorant, & expectant: eoque inanius, & stolidius, quo sapientiores, & prudentiores sunt, se homines gerunt. Hi quippe studio maiori, atque impensiori cura per se, & per alios eiusmodi conditionatos euentus inuestigare, præsagire, ac perscrutari conantur, quam iudiores: quibus longè melius scire deberent, irrito se ea indagare, quæ, quia nec veritatem obiectiuam in se, neque cognoscibilitatem, seu capacitatem habent, vt verè cognoscantur, dum ea cognoscere conantur, conantur in impossibile.

4. Probatur secundo antecedens: quia hominum iudicia circa eiusmodi euentus contingentes conditionatos positiuos, vel negatiuos è personarum geniis, studiis, inclinationibus, & aliis circunstantiis perpensis, ac penetratis deducta reuera omnium sententia probabilia sunt: ergo contingentes illi euentus conditionati, siue positiui, siue negatiui, obiectiuam veritatem, & cognoscibilitatem, & aptitudinem, vt verè cognoscantur, ac veram terminet cognitionem omnium hominum iudicio, & sententia habent Probatur consequentia: quia iudicium de eo, quod, nec obiectiue est verum in se, nec secundum se vere vsquam cognoscibile seu veri iudicij terminatiuum essentia sua falsum est: iudicium autem essentia sua falsum essentia etiam sua est improbabile: quod autem iudicium de eiusmodi conditionatis contingentibus, si obiectiuam veritatem non habeant essentia sua falsum sit, facile probatur: quia iudicium de illis cum suo obiecto confoi nari nusquam potest, quod est essentia sua falsum iudicium esse

alioqui, si conformari cum illo posset, & illud veritatem obiectiuam, & cognoscibilitatem, seu aptitudinem, & capacitatem haberet terminandi secundum se iudicium verum: quod solum de eo obiecto conditionato contingenti antecedens, quod probamus, aiebat. Confirmatur contra Dominicanos hos vrgentissimè argumentum hoc. Ipsi enim Deo horum conditionatorum contingentium scientiam coniecturalem probabilem, & moraliter certam, & infallibilem satis absurde concedunt: quia, quanquam physicè, ac metaphysicè certa, & infallibilis eorum scientia non est, absolutè, & simpliciter fallibilis, & incerta est, sed ea indignitate scientiæ huius coniecturalis probabilis, & moraliter etiam certæ, & infallibilis omissa: ex eius tamen admissione veritas obiectiua conditionati contingentis, eiusque vera cognoscibilitas, & aptitudo terminandi iudicium verum vrgentius argumento proximè facto conuincitur, ea siquidem obiectiua veritate à contingenti conditionato sublata, iudicium de eo omne essentia sua falsum est, & probabilitati proinde omni nedum morali sui certitudine & infallibilitati repugnans.

5. Tertiò idem antecedens ostenditur: quia ex hac propositione: *Petrus cum hac vocatione* (& reliquis, quæ ad absolutum consensum præcedere absolutè volueris, de quibus nulla nunc quæstio) *absolutè consentit*, infertur necessariò, & inexitabiliter hæc propositio prima: ergo, *si hac vocatione* (& reliquis, quæ volueris) *Petrus vocetur consentiet*: ergo, si illa absoluta propositio prima vera, vt potest, de facto sit, secunda item hæc vera erit. Patet extrema hæc consequentia: nam ex vero non, nisi verum, inferri legitimâ consequentiâ potest: atqui propositio secunda per bonam illam consequentiam deducta conditionalis propositio est de obiecto conditionato contingenti: ergo propositio de obiecto contingenti conditionato est, esseve potest vera: ergo contingens conditionatum est vero iudicio cognoscibile, atque terminatiuum veræ cognitionis, ac subinde veritatem obiectiuam in se habet. Duæ consequentiæ postremæ inexitabiles etiam sunt: quare ex toto hoc argumento solum antecedens primum demonstrandum restat in hunc modum: quia ex statu absoluto rerum purificata, seu posita absolutè conditione ad statum earum absolutè, & è contra mutuò valet, estque inexitabilis, & necessaria consequentia. Vnde, quia lucente absolutè Sole, dies absolutè est, certò valet ex sole suspensè, & in hypothesi posito ad diem sub eius conditione futurum; ergo, *si sol lucet, dies est*, & ex conditionali hac propositione pro antecedenti posita, & purificatione conditionis eius, irrefragabiliter deducitur, diem absolutè esse, in hunc modum: *Sol lucet, ergo dies est*: imò nullo aptiori, efficaciorique medio probatur, probarive vsquam potest, veram, falsamve conditionalem fuisse, quam ex comperta positione, vel non positione effectus absolutè, purificata conditione: ac proinde ex deprehensa veritate, vel falsitate propositionis absolutæ conditionatæ veritas, vel falsitas, & in hac quidem mutua legitima illatione à conditionali propositione ad absolutam, & absoluta ad conditionalem statu vis tota syllogismi hypothetici conditionati. Cum enim ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valeat consequutio, si purificata conditione, deficit absoluta existentia rei sub illa conditionatè futuræ, ac subinde illata de eius absoluta existentia propositio, ab huius negatione ad conditionati antecedentis negationem consequentia tenebit. Cum autem conditionati syllogismi hypothetici forma concludendi legitima sit, cuicumque materiæ propositionum, siue de necessario, siue de contingenti obiecto æqua efficacia concludit.

6. Quam ratio idem antecedens simul confirmat. Si ponantur conditio, & quæcumque velis, hypothesim complere, ac prærequiri (de quibus nihil modo, vt dixi) non potest non poni alterum extremum contradictionis: quia impossibile est in casu, aut hypothesi vlla, nec rem, nec eius contradictorium esse: seu idem nec esse, nec non esse, quod est impossibile, & chimæricum: quare nec sub vlla vera, ac non chimærica hypothesi eius repugnantia miteſcere, aut eicurari poterit, vt sub ea sit absolutè possibilis. Confirmatur ea impossibilitas sub hypothesi vlla. Æquè enim pugnat cum eo principio: Idem nequit esse, & non esse simul, rem simul esse, & non esse, ac rem neque esse nec non esse in aliqua hypothesi. Tum, quia posset dari simul duplex contradictorium simul falsum in aliqua hypothesi non chimærica: quod æque pugnat, ac sub illa simul dari duplex contradictorium simul verum: tum, quia, cum immediatum non esse negationis rei sit res ipsa, qua sola formaliter eius negatio à rebus excluditur, idem ipsum est sub aliqua hypothesi non ficta simul rem neque esse, nec non esse, atque rem esse, ac non esse simul, quod principio illi formaliter immediatè contradicit: ergo conditionatum contingens sub hypothesi sua, v.g. consensus Petri, si hac vocatione vocetur, est futurus determinatè in se, vel determinatè non est futurus. Dices, hæc verum in categoricis propositionibus habere, & hypotheticis etiam, in materia necessaria, secus in hypotheticis in materia contingenti: quales sunt propositiones conditionales de futuris contingentibus. Cum enim eorum conditiones, seu principia, quæ in hypothesi ponuntur, libertatem, & indifferentem ad vtrumuis potestatem compleant, vel constituant sub contingentis conditionati hypothesi alterutrum disiunctim confusa suppositione, solummodo esse, necesse est; non autem alterum ex eis determinata suppositione, vt vno extremo determinatè excluso, necessariò sit aliud: quare neque sub ea hypothesi licet alterum determinatè certo cognoscere; sed vt summum ex ea, & circunstantiis coniectari. Mittam (quod nuper dicebam) sublata scilicet contingentis conditionati futuritione determinata, & veritate obiectiua, ne coniecturæ prudenti de illa locum patere; aliunde solutionem argumento, quod persequor, oportunius impugno.

7. Primò: quia ea solutio solum probat ex hypothesi contingentis, quæ potestatem indifferentem, & libertatem causæ in actu primo ad vtrumuis constituat, aut relinquat neutrum determinate ex eis necessario, & vi consequentiæ inferri, asserique posse: quia hypothesis, & cum ea arbitrium, non magis cum vno, quam cum alio extremo connexa est; ac proinde pugnat arbitrium sub ea hypothesi liberum esse in actu primo, & vi consequentiæ ex eis futurum inferri pro statu quouis. Tamen ea potestate indifferenti ad vtrumuis disiunctim posita, & purificata conditione, non solum ea libera potestas absolutè erit; sed & contingenter, ac non necessariò ab ea potestate, & conditione ortus absolutè consensus, v.g. contingens absolutè ponetur: ergo, etsi in hypothesi, & suspense eadem principia, & conditiones potestatem indifferentem ad vtrumuis constituant, quæ disiunctim vtrumvis solummodo respiciat, neutrum verò determinatè; tamen contingenter, ac minime necessariò ex illa hypothesi, poterit sub illa extremum alterum conditionatè poni, & statum futuritionis conditionatæ præ extremo opposito dererminatè sortiri; imò de facto sortitur. Probatur Consequentia efficacissimè: Primò ex necessitate consequentiæ ab statu futuritionis absolutæ effectus purificata, & posita absolutè conditione, ad statum eiusdem effectus conditionatum, posita eadem conditione, suspensè, & in hypothesi, vt num. 5. expendebamus. Secundò probatur non segnius consequentia. Indifferens potestas causæ liberæ absolutæ cum omnibus requisitis ad operandum solum respicit disiunctim vtrumque suæ indifferentis potestatis extremum, nec magis vnum determinatè, quam aliud; & tamen ea indifferentia absolutæ potestatis causæ adæquatè, & completè liberæ absolutæ non tollit, quominus consensus ab ea contingenter egrediatur, & in se sit, vel præsens, vel futurus absolutè determinatè, potius, quam sui negatio: ergo indifferentia potestatis ad vtrumuis solummodo disiunctim causæ liberæ in actu primo non pugnat cum futuritione determinata effectus sui contingentis in seipso: quare indifferens potestas suspense, & in hypothesi posita nusquam pugnabit cum determinata contingentis conditionata futuritione. Et quidem euasio hæc præclusa Dominicanis Recentioribus Thomistis omnibus est: siquidem, cum quibus nunc pugnamus, non admodum recentes physicam prædeterminationem in hypothesi ponebant, Iuniores decretum absolutum ex parte actus, & ex parte obiecti conditionatum ad liberi, & contingentis (quem cum his liberum adhuc, & contingens etiam volunt) effectus conditionatam futuritionem, ex quorum alterutro non determinatè solum: sed necessariò, & infallibiliter consensus in se sit sub conditione futurus contingenter, atque

atque ex potestate ad vtrumvis in hypothesi posita.

8. Vrgeo tandem: quia, vel dari potest casus, in quo principium illud per se notum: *Impossibile est idem esse, ac non esse simul*, deficiat, vel secus. Si non potest: ergo neque in propositionibus hypotheticis, & conditionatis materiæ cuiusvis potest deficere. Si potest dari casus, aut hypothesis, in qua deficiat: ergo absolutè, & simpliciter necessitate metaphysica non est verum, certumque principium, omnisque ars syllogistica, saltem quoad reductionem per impossibile, corruit. Secundo repugnantia, & impossibilitas essendi simul rem, & non essendi est terminorum inter se repugnantia, & contradictio per se, & ex terminis nota, prorsus independens ab alio absque vllo ordine, aut dependentia à simplicitate, compositione, aut modo procedendi rerum à suis causis: ergo quod obiecta simplicia vel composita sint, vel contingenter, aut necessario à suis causis procedant, ac propositiones de illis sint Cathegoricæ, hypotheticæ, causales, conditionales in materia necessaria, vel contingenti, repugnantiam eo principio assertam nec auget, nec euacuat: quare, si de aliquo obiecto, aut propositione negetur, æqua facilitate de omnibus negatur; scientiæque omnes pessum ibunt.

CERTAMEN IX.

Communis alterius rationis efficacia examinatur.

1. Consulto alias pro nostra sententia rationes, & euasiones aduersariorum referre, ac persequi prolixius omisi, quia illæ non mihi satis firmæ; & vtraque medium, in quo Deus conditionata contingentia cognoscat, debeat ve cognoscere, attingunt: quare sequentibus disputationibus sedem habebunt propriorem. Vnam verò hic probationem producam, quam video à doctis pluribus recentioribus nostris pluris quam à me fieri: quia fallo nobis, & doctoribus, atque vetustioribus principio nititur: etsi ad hominem contra Dominicanos recentiores satis habeat energiæ: idcirco omittenda hic ea ratio non fuit: cum, vt cunctis quanti æstimanda eius efficacia sit, appareat: tum etiam, vt efficax in re præsenti, ad hominem contra aduersarios, argumentum in nobis non desideretur. Est autem huiusmodi: Deus potest absolute efficaciter, & antecedenter præfinire actus honestos liberos voluntatis creatæ, vt Dominicani omnes recentiores fatentur, reputanteque de fide Ruiz d. 69. & alij nostri, qui argumentum efformant: at repugnat eiusmodi præfinito, si Deus certo, & infallibiliter non prænoscat eos actus præfiniendos sub conditione, seu in statu conditionato futuros: ergo in eo statu prænoscit: Consequentia est legitima. Probatur Minor: quia præfinitio eorum actuum efficax, infrustrabilis essentia sua est, &, cui carere effectu præfinito physice, ac metaphysice omnino repugnat: at, ni prænotio eorum actuum sub conditione futurorum decretum, seu præfinitionem ipsorum dirigat, & antecedat, non erit præfinitio essentia sua infrustrabilis; ergo præcedit in Deo eorum actuum sub conditione futurorum prænotio ad præfinitionem eorum concipiendam, vtpote ipsius directiua.

2. Minor proxima probatur: quia nisi scientia directiua præfinitionis eorum actuum sit prænotio futuritionis conditionatæ eorum sub hoc medio, & conditione erit prænotio solius possibilitatis eorum actuum ab hoc, & æque ab aliis quibusque auxiliis, sufficientibus potentiam liberam in actu primo ad ipsos constituere: in qua, & posse illos efficere, & illos posse ab ea effici continetur; at hoc non sufficit infrustrabilitati essentiali præfinitionis diuinæ: ergo, ni prænotio futuritionis conditionatæ eorum præcedat, ac dirigat diuinam de ipsis præfinitionem, hæc natura sua, & essentialiter non erit infrustrabilis. Immediata Minor suaderur: quia, cum media, seu conditiones illæ potentiam liberam, vel constituant, vel relinquant, & indifferentem ad vtrumuis, sub eis tam est possibilis negatio actus præfiniendi, quam actus ipse: ergo scientia simplicis intelligentiæ æque prænoscitur possibilis negatio actus, atque actus ipse præfiniendus: ergo ea scientia componibilis æque est cum negatione actus præfiniti ex ipsa, atque cum actu ipso præfinito: quare, & præfinitio per illam solam regulata, & directa cum negatione eadem præfiniti actus componibilis erit: quod ipsum est natura, & essentia sua fruitrabilem, non autem infrustrabilem esse. Nec satis est, eam præfinitionem dirigi per scientiam solum probabilem coniecturalem, imo moraliter certam de conditionata futuritione consensus præfiniendi: nam ex omnes scientiæ de conditionata futuritione actus præniendi absolute, & simpliciter fallibiles sunt: & cum negatione futuritionis actus conditionatæ, & absolute etiam purificata conditione, physice, ac metaphysice compossibiles: quare neque ex earum essentiali præsuppositione, & directione præfinitiones diuinæ physice, & metaphysice, ac subinde absolute infrustrabiles erunt: vnde neque erunt eorum actuum præfinitiones, quæ, nonnisi absolute infrustrabiles essentia sua esse possunt, absolute possibiles, ni Deo adsit certa absolute ac physice, & metaphysice infallibilis de eis actibus conditionata scientia, qua illæ dirigantur.

3. Confirmatur. Quia nemo potest prudenter præfinire, siue efficaciter antecedenter aliquid intendere, quin prænouerit, habere se in sua potestate media, quibus appositis, illud consequatur. Ex quo fit, vt, quo gradu prudentior, prouidentiorque alicuius intentio consequendi esse debeat, eo perfectior esse debeat eiusmodi notitia de mediis, quibus illud consequendum sit: atqui in Deo summa prudentia, & prouidentia, summeque perfecta in quouis intendendo est: ergo, & in eo est summe perfecta cognitio de continentia in sua potestate mediorum, quibus illud, quod intendit, non solum assequi possit, sed & assequatur. Hæc autem perfectissima præscientia Deo non aderit, nisi ante intentionem efficacem actus nostri liberi, & contingentis prænoscat certo, & infallibiliter habere se in potestate sua media, per quæ eiusmodi actum de facto assequetur, si ab ipso apponatur: ergo id ad præfiniendum, & intendendum actum, ac proinde futuritionem eius conditionatam prænoscere necessario debet, vt illum debita sibi necessaria perfectione prudentiæ, & prouidentiæ efficaciter intendat, ac præfiniat.

4. Nec satis pro Dominicanis illis Thomistis, non admodum iunioribus, quos impugnamus, respondeas: sub conditione, ac per media physicæ prædeterminationis, ac præfinitionis Thomisticæ Dominicanæ Deum certo, & infallibiliter physice, & metaphysice prænoscere actus præfiniendi conditionatam futuritionem sub eis, siue illum fore, si apponantur, vt apponi ea media ab ipso queunt. Id enim & præsenti nostræ conclusioni satis est: (licet de prædeterminationis, & præfinitionis eius Thomisticæ cum actus præfiniti, ac prædeterminati contingentia, & libertate repugnantia cum eisdem Thomistis suo deinceps loco sit nobis quæstio futura) & eorum principiis adeo inquitabile consectarium, vt mirum sit, aliquot ex eis statim à controuersiæ huius de certa scientia conditionatorum principio à nostris in re præsenti discordasse: sicuti & iuniores eorum cæteros ad decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti pro certa, & infallibili omnino conditionatorum contingentium scientia statuenda confugisse: aliis scilicet, atque aliis tanti ponderis difficultatibus multo sudore, nulloque fuæ adhuc de prædeterminatione, & præfinitione sententiæ fructu subcollantes.

5. Cæterum principium illud, quod in hoc argumento pro maiori assumebatur, & confirmatio supponebat: Deum, scilicet, posse absolute actus nostros liberos, & honestos præfinire, non ita de fide est (quidquid incassum tentet Ruiz noster) vt oppositum per principia intrinseca non sit longe probabilius. Per extrinseca autem principia ab authoritate Theologorum petita sententia præfinitiones actuum nostrorum liberorum Deo possibiles adstruës, non est ita communis, vt licet præter Dominicanos speciales illas suas præfinitiones admittentes Soarez cum Sectariis suis, (in quibus nostet Franciscus Annatus sæpe in defensione scientiæ mediæ) & recentiores Salmantini, qui plerumque Soarizant; & nuper ex Complutensibus nonnulli illas præfinitiones tueantur; at Molina & Vazquez cum asseclis, (in quibus Lessius, & Becanus, atque

ad hæc fere tempora, noſtri omnes, imo & externi Complutenſes Magiſtri, atque ex Auguſtiniana familia viri doctiſſimi numerantur) eas mordicus impugnant, & horrent: ac iure, me iudice, non exiguo, vt controu. 4. d. de intentionibus diuinis. quæſt. de intentionibus efficacibus actuum liberorum creatorum videbimus. Idcirco argumentum hoc, niſi ad hominem contra Thomiſtas illos, &, ſi qui impoſterum poſſibilitatem præfinitionum erga noſtros liberos actus admittentes, ſcientiamque conditionatam eorum Deo negantes, vtendum tuto non erit.

6. Hoc tamen argumentum, quod è poſſibilitate diuinarum præfinitionum efformatum, & confirmatum etiam à Recentioribus, parum roboris habet, quia falſo pleriſque, & nobis etiam, de præfinitionum noſtrorum actuum liberorum principio nititur; è prædeſtinationis diuinæ certitudine, & infallibilitate, quæ non ſolum poſſibilis; ſed exiſtens in Deo abſolute, & de facto eſt maiori longe robore pro diuina noſtrorum actuum liberorum ſub conditione futurorum, vt eo futuritionis ſtatu ſunt, conditionata ſcientia inſtruuntur. Etenim diuinam prædeſtinationem eſſentia ſua infruſtrabilem eſſe, de fide eſt: cum autem intrinſecam antecedentem efficaciam & connexionem non habeat cum liberis, & honeſtis noſtris actionibus, per quas obtinenda de facto ſalus noſtra eſt, ad quam per illam prædeſtinamur, ne earum officiat libertati, nulla alia infallibilis, & neceſſaria prædeſtinationis cum ſalute prædeſtinati connexio, ac ſubinde prædeſtinationis infruſtrabilitas eſſe poteſt, niſi è conditionatæ noſtrarum actionum, & ſcientiæ de eis in ſtatu illo conditionatæ, qua eſſentia ſua prædeſtinatio dirigatur, & reguletur præſuppoſitione: ex qua proinde ſolum Deus in negotio prædeſtinationis noſtræ, qua Deus ſerio de noſtra agit ſalute, prudenter, & abſque fruſtranei conatus periculo ſe gerat.

CERTAMEN X.

Oppoſitionibus ab authoritate obuiatur.

1. OPponit Ledeſma d. 2. de auxil. dif. 2. §. *Primo probatur* ex Curiel loco citato in c. 4. Sap. illud Geneſ. 3. *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ.* vbi Septuaginta vertunt. *Ne quando extendat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ*: Chaldaica aduerbio *forte* etiam vtitur: Vatablus: *Et nunc periculum eſt, ne forte omittat manum ſuam.* Deuter. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem* &c. *ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem maſculi, vel faminæ*, c. 7. *Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ.* Iſai. 48. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent mala, indicaui tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt.* E quibus locis, è ſola concordantiarum lectione poſſet pluribus argui particula *forte* ſatis ſignificari eorum contingentium conditionatorum dubietatem proprietate ſermonis, quæ à catholico interprete in omni ſcripturæ loco tenenda eſt, quando eius proprietas, nec fidei, nec rationi aduerſatur, iuxta regulam vetuſtiſſimi Tichonij probatam ab Auguſtino S. de Doctrina Chriſtiana. c. 10. hic autem nullum eſt inconueniens, ſi dubietas non ex parte cognitionis diuinæ intelligatur, ſed ex parte obiecti, quod dubium in ſe eſt, nec magis ad vnam partem, quam ad aliam determinatum, quod Deus ita certiſſime cognoſcat: id quod confirmari poteſt, quia Deus cum cognoſcit meum de aliquo iudicium eſſe probabile, meue eſſe de aliquo dubium, & probabile ex parte obiecti ſine vlla imperfectione, aut dubietate ex parte ſuæ ſcientiæ cognoſcit: quod ipſum illis Dei ad Moyſen verbis Exodi 4. continetur: *Si non crediderint tibi neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis: quod ſi, neque duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam. & quidquid hauſeris de fluuio vertetur in ſanguinem.* Vbi euentus incertitudo ſub primo, & ſecundo ſigno ſatis declaratur.

2. Sed etſi eis locis particula *forte* dubietas obiectiua ſolum enuntiaretur, atque eius ſolum cognitio argueretur in Deo; aſt in aliis ſupra adductis vbi ea particula, aliaue eam dubietatem innuens non adeſt; ſed conditionati euentus prædicuntur abſolute: ſcientiam Dei certam de illis, nec ſolum de eorum probabilitate contineri, inficiari aduerſarij nequeunt, vel ex allegata ab ipſis regula interpretandi ſcripturas, imo inde in his ipſis locis, quæ nobis opponunt, conditionatorum ſcientiam diuinam contineri planum eſt. Siquidem, ſi ad aliqua conditionata contingentia ſcientiam Dei extendi fatendum aduerſarijs neceſſario eſt: ad omnia itidem extendi neceſſaria illatione connincitur; cum, & Deus omniſcius ſit, nec vnum conditionatum ſit alio magis cognoſcibile, aptumque certam Dei, & infallibilem terminare cognitionem. Et quamquam negare non poſſimus, Deum dubietatem obiectiuam, ſicuti & iudiciorum noſtrorum probabilitatem, atque mentis noſtræ dubitationes cognoſcere: aſt euentus ipſos ſub eis conditionibus indifferentibus, atque obiectiue dubiis, & indeterminatis futuros, de quibus eis locis loquitur, à Deo cognoſci ſine omniſcientiæ diuinæ detrimento negari non poteſt. Licet enim conditiones illæ indifferentes, & indeterminatæ, tam ad illos, quam ad eorum oppoſita de ſe ſint; aſt, quod ſub eis libere licet, & contingenter, atque abſque cauſarum, & conditionum determinatione antecedente futurum conditionate eſt, determinatum conditionate, & ſub eis conditionibus eſt: non ſecus atque quod, ab eis abſolute poſitis, & natura ſua indifferentibus, abſolute in ſe determinatum eſt; licet in cauſis determinatum non ſit; ſed indifferenter, vel ipſum, vel eius oppoſitum.

3. Quod ſi ea conditionum indifferentia, & indeterminatio obeſſet determinationi conditionatorum in ſe ſufficienti, vt diuinam terminarent (eſto non determinarent) cognitionem, eadem earundem conditionum abſolute poſitarum indifferentia, & indeterminatio abſoluta obeſſet determinationi abſolutæ futurorum ſufficienti, vt ad ea repræſentanda diuina etiam cognitio extenderetur: quare & præſcientia abſoluta futurorum liberorum ſecundum ſe, & determinatam ſuam entitatem negari Deo eodem diſcurſu deberet: ſolaque probabilitatis, aut dubietatis obiectiuæ, quæ in conditionum illarum abſolute poſitarum indifferentia ad vtrumuis, & in determinatione ad futurum illud abſolute eſt, ſcientia in Deo admittenda foret. Ex his autem conſtat non ſine magno rationis, & Theologiæ incommodo illud in oppoſitis, & ſimilibus locis diuinarum prædictionum, ſiue de conditionatis, ſiue de abſolute futuris aduerbium *fortè*, & ſimilia dubitationem præſe ferentia eo ſenſu accepiſſe: germaniſque cum recitatis Patribus interpretandas eſſe, vt, vel ad ſignificandam arbitririj libertatem, vel voluntatis humanæ duritiem, atque in euentibus, ſiue conditionate, ſiue abſolute ponendis difficultatem, aut paucitatem eorum, qui eos poſituri ſunt, appoſitæ ab Spiritu Sancto dicantur. Id quod teſtimonio illo ex c. 4. Exodi ſolummodo ſignificatur; ſcilicet Iudæos difficulter Moyſi, eiuſque ſignis creditouros: nec omnes primo ſigno; ſed aliquos: neque item reliquos ſecundo, licet plures, ſed tertio: eos autem omnes ſingulatim ſuo quemque loco, & ſigno creditouros, certo Deus ſciebat, eorumque in credendo difficultatem: ac proinde de eo Moyſen præmonuit: ne, cum vtrumque experiretur cæptis, Deique mandato peragendo animum deſpondens abſiſteret.

4. Secundo opponitur Auguſt. epiſt. 105. ad Sixtum, & c. 12. de anima, & eius origine, & loco à nobis explicato certam. 3. à n. 8. ex cap. 14. de prædeſt. ſanctor. vbi opera ſub conditione futura paruuli baptizati, & ingratia ob illa à Deo, vt Semipelagiani dicebant, correpti vocat *futura non futura*: eorumque diuinam præſcientiam *exinaniri* ait loco cit. de anima, id eſt, inanem, Deoque indignam reddi. Verum, vt citato loco dicebam, Auguſtinus ſolum negat Deo abſolute opera illa infantis præmaturè correpti, quæ meritorie Deum mouere poſſent, præſcita ad eum tunc in gratia baptiſmali corripiendum; cuiuſmodi ſolum abſoluta, ſiue abſolute futura

opera

opera esse possunt: quare & ea opera futura non futura dixit, quia absolute talia non sunt, vti ad meritoriam motionem opus erat: ac proinde præscientiam eorum, qua moueri meritorie Deus debebat, absolutam, inanem, & falsam fore: miraturque c. illo 14. de prædest. sanctor. aliquem, è puris conditionatis operibus, eorumque præscientia Deum ad præmium, vel supplicium præreptis, vel in gratia, vel in originali Deum mouendum, fuisse, arbitratum, his verbis: *Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio: vt futura, quæ non sunt futura,* absolute, & sine addito diminuente *puniantur, aut honorentur merita paruulorum:* & c. 12. de anima citato, exinaniti Dei præscientiam ait: *Si quod præscitur non erit*, in sic ante absoluta opera præreptis, scilicet absolute, vt ad præmium moueant, vel pœnam recipendam, vt immediate subnectit: *Quomodo enim puniuntur peccata, quæ non erunt.*

5. Et sane, cum, non, nisi ex manifeste falsis, & per se fere notis veritatibus oppositis, admiratione sola, vel eius, quod asseruit, inculcata solum interrogatione, aut simplici oppositi assertione refelli aliquis prudenter possit: dum ea opera immature ante eorum operationem præreptorum assertione, quod non sint futura, seu non erunt, admirationeque, & interrogatione solis refellit, ostendit sed è constanti omnibus, vel ex terminis ipsis non futuritione operum loqui, quæ præreptorum morte demonstratur: ea vero absoluta solum est, &, quæ merito, ac demerito pæneque, vel supplicio, apta ea reddebat; non de conditionata eorum futuritione, quæ à præreptorum per durationem, imo neque absoluta infantium aliquando existentibus solum; sed, & de nusquam extituris operibus, non ab Augustino solum toties asseritur; sed ab omnibus, etiam aduersariis: etsi ad eius futuritionis conditionatæ operum consistentiam decretum de illa efficax subiectiue absolutum, & obiectiue conditionatum requirant: de quo nunc non disputamus.

6. Opponitur tertio S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13. corp. dicens eum, qui contingens cognoscit, non in se, sed in sua causa, *solum habere de illo coniecturalem cognitionem*: at Deus nequit cognoscere contingens in se; sed in sua causa: ergo solum coniecturaliter illud cognoscit: argumentum probat contingens absolute futurum, nec solum conditionare, imo & absolute præsens coniecturaliter solum à Deo cognosci; si quid probat: quia falsa est minor; in ipsa quippe maiori supponit S. Thom. contingens ab aliquo posse cognosci in se: si ab aliquo autem cur non à Deo, qui omnia, & omni modo, quo absque imperfectione cognosci possunt, cognoscit: secundo contingens, etsi in sua causa non habeat determinationem essendi, quia causa ad neutrum extremum determinata est, sed indifferens ad vtrumque: ac proinde in ea, & ex ea neutrum determinate cognosci certo valeat; sed vt summum ex aliqua maiori propensione causæ ad alterum ex illis coniecturaliter solum, vt S. Thom. ibi aiebat: ast in se determinatam entitatem, & veritatem, nec cum extremo oppositio indifferentem, & communem; sed prorsus diuersam, & aduersam: quare in se positum semel cognitionem terminare valet, & certam: quia ex suppositione, quod sit, nequit pro tunc non esse. Vnde contingentis scientia, quæ illum in quouis statu, siue absoluto, siue conditionato, siue possibilitatis in seipso supponit incerta, & infallibilis non magis esse potest, quam possit idem quandiu est, simul non esse, id est, duo contradictoria sibi mutuo coexistere, & amice componi.

7. Opponitur quarto idem S. Doctor recitatis verbis adnectens: *Contingens aliquod dupliciter considerari potest: vno modo in seipso, secundum quod iam actu est, & sic non consideratur vt futurum: sed vt præsens. Alio modo potest considerari contingens, vt est in sua causa*: atque altero è duobus modis cognosci posse à Deo, ait. Sed per nos nequit à Deo cognosci in sua causa, seu conditione conditionatum contingens: quia solum coniecturaliter cognosceretur à Deo, vt nuper ex S. Thom. dicebamus: sed neque potest cognosci in se contingens conditionatum, vt actu est in se: siquidem actu in se non est, vt patet: ergo neque eo modo cognosci à Deo potest: quare neque vllo modo cognosci, cum alius modus ipsum cognoscendi non sit. Respondetur facile: S. Thomam ibi de cognitione contingentium absolute futurorum solummodo egisse, non de cognitione contingentium conditionatorum: quare monebam proxime, argumenta omnia ex eo loco petita contra cognitionem diuinam futurorum absolute contingentium æque pugnare, & quidem magis ad textum. De futuris autem absolute certissimum est non posse in se absolute esse futura, quin pro aliqua duratione actu absolute sint. De conditionatis vero, quæ absolute futura non sunt; sed conditionate solum suspense, & sub hypothesi, id est, quæ essent, si conditio poneretur, opus non est, vt actu absolute aliquando sint, vt in se conditionata sint futura; sed satis omnino est, vt, si poneretur conditio, forent, vt sint sub hypothesi, & conditione in seipsis futura, atque vt talia, & in eo statu conditionato in se futura cognoscantur. Imo vt certam. 8. num. 5. demonstrabam ab statu futuritionis absolutæ contingentis in se, eiusque cognitione, ad statum futuritionis conditionatæ eiusdem contingentis in se, eiusque vt in se pro eo statu conditionato est, cognitionem sit ineuitabilis consequentia: ex doctrina hac S. Doctoris de cognitione, & cognoscibilitate contingentis futuri absoluti, vt in se actu est ad cognoscibilitatem eiusdem in statu conditionato, vt in eo statu est, ineuitabilis est consequentia.

8. Opponitur quinto Damasc. Dial. aduers. Manich. longe à medio scribens: *Si cum* (diabolum) *peruertendum præsciebat, certe, & omino futurum præsciebat. Etenim eius, quod non omnino futurum sit, præscientia, non præscientia, sed ignoratio est, & impostura.* Infra: *Quonam autem modo præscire queat quod futurum non est? Nam, si aliquem peccaturum præsciuisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset, sed impostura.* Cum autem Damascenus ibi quæstioni illi respondeat Manichæorum: cur Deus de lapsu Angeli præscius illum nihilominus creauerit, quam præscientiam conditionatam solum lapsus Angeli si crearetur, esse, docuimus, eamque neget Damascenus: vtique conditionate futuri contingentis præscientiam Deo negat. Secundo: præscientia eius, quod absolute futurum, non est, ignoratio, & impostura per Damascenum est: ergo præscientia, quæ absoluta non est, ignoratio, & impostura est: quia omnis præscientia absolute futuri præscientia absoluta est: ast præscientia contingentis conditionati, siue conditionate futuri præscientia absoluta non est: ergo impostura, & ignoratio à Deo alienissima est per Damascenum. Communis est nobis cum magis recentibus Thomistis huius testimonij difficultas: vndecumque enim conditionata contingentis futuritio proueniat, & constitat, siue è subiectiue absoluto, & obiectiue conditionato Dei efficaci decreto, vt hi volunt; siue ex hypothesi plena, & pure, vt nos volumus, eam à Deo præsciri, videtur negare Damascenus: quare valde discalceata est cursus Carmelitani Theologici è decreto illo solutio, vt huic testimonio satisfaciat: solutio pro omnibus solida sit. Damascenum quæstioni huic ex præscientia conditionata, & antecedente decretum creandi Angelum prius respondisse, vt vidimus certam. 7. num. 3. præscientiam hanc conditionatam à Dei bonitate superatam, vt ea pro priori ad decretum Angeli creandi ab eo retrahente, non obstante Angelum creare nihilominus absolute decerneret, ac de facto crearet. Postea vero quia præscientiæ vox æquiuoca erat, ac proinde Manichæorum, vel ignorantia, (quæ, teste Augustino, magna erat) vel consueta hæreticis malitia absolutam poterat sonare etiam eam oppositis verbis confutauit, vt docte Ruiz obseruat.

CERTAMEN XI.

Oppositis à ratione occurritur.

1. PRimo opponitur à ratione. Assertores scientiæ conditionatæ certæ, & infallibilis de contingentibus sub conditione futuris variant: at varietas opinionis defendendæ de falsitate illam, vt minimum, valde suspectam facit: ergo ei noræ subiacet conditionata de contingentibus sub conditione futuris, quam Deo appingimus. Respondetur: falsam esse maiorem. Nulla quippe est nostro

nostrorum Doctorum varietas de scientia conditionatorum contingentium secundum se eam terminantium in Deo asserenda. Sin ostendant obiectantes ex nostris aliquem, qui eam Deo, vel negarit, vel solum coniecturalem, ac non physice potius ac metaphysice certã, & infallibilẽ concesserit: de quo solum nunc quæstio: quin, neque in aliis de medio, siue materiali, siue formali eorum à Deo cognoscendorum, vel vnus ex nostris ab aliis discordat. Omnes siquidem decreta absoluta subiectiue, & obiectiue conditionata ad conditionatæ eorum futuritionis consistentiam, atque vt in eis cognoscantur, impugnant, ab hypothesi etiam, sub qua contingentia conditionate futura sunt, physicam prædeterminationem, decretumque eorum prædeterminatiuum prorsus abiiciunt, cum, vt illa conditionate futura sint, tum, vt à Deo cognoscantur. Nil autem præter ea aliud opus est, vt scientia conditionata, & media, quæ à nostris asseritur, consistat: sin dent ea nobis aduersarij, & nulla nobis cum ipsis posthac controuersia erit: ergo in his, quæ ad scientiam conditionatam tuendam spectant, nemo ex nostris ab alio discordat. Certe aduersarij in oppositio defendendo pauci cum aliis concordarunt. Negarunt quippe conditionatorum contingentium scientiam Deo, atque, vt summum coniecturalem concesserunt hi omnes, cum quibus nunc pugnamus. Decreta absoluta subiectiue, & obiectiue conditionata plures ex eis merito sunt exosi, & pluribus aliis inter se discordant, vt proximis disputationibus patebit. Maior ergo in eis solum est vera: ac proinde, si minor esset firma regesto in ipsis argumento, suo ipsi telo perirent. Sed falsa etiam est Minor: varietas enim aliquid defendendi eius difficultatem probat, non autem falsitatis generat suspicionem. Alioqui Trinitatis mysteria Verbi præ Spiritu Sancto filiatio, diuinorum decretorum libertas, & sexcenta alia de fide certa falsitatis suspecta vehementissime forent: cum tanta sit ea defendendi, & explicandi, quanta Doctorum diuersitas, nullo fere alterius defensione, & explicatione quiescente.

2. Obiiciunt iterum: futurum contingens conditionatum non habet sufficientem, & determinatã obiectiuam veritatem: tum, quia, qua tale non habet entitatem, seu esse in aliqua duratione æternitatis, extra quam nihil esse potest: tum: quia contingenti (cuiusmodi conditionatum futurum illud est) repugnat determinatio essendi præ alio extremo oppositio: tum denique, quia cum principia indifferentia sint ad vtrumuis, non est cur vnum determinate sit præ alio. Antecedens falsum esse, plus satis à nobis ostensum est toto certam. 8. Ad duas eius postremas probationes ex natura effectus contingentis, & ex necessario indifferente causarum eius potestate abunde respondimus certam. 9. num. 2. & 6. contingentiam contingentis non esse in suo intrinseco esse, quod quidem determinatum in se est, & determinate diuersum, & aduersum oppositio extremo, nec cum ipso componibile: totamque eius contingentiam esse respectu suarum causarum, à quibus, quia indifferentis, nec determinatæ ad ipsum potius, quam ad eius oppositum potestatis sunt, ita prouenium, cum ab eis proueniunt, vt non prouenire absolute potuerint: quare ex parte suæ causæ nulla est, esseue ratio necessaria potest, cur illud potius, quam eius oppositum de facto proueniat: imo, si ea non esset indifferens contingentis illius causa non esset: quare neque ipsum contingenter ab illa fieret, neque contingens absolute ipsum foret, siquidem ab indifferentia sua causæ ad ipsum, eiusue oppositum, ac subinde à sui ex illa productione ita, vt potuerit pro priori natura ex illa non procedere contingens est: vnde, si immediate, & proxime in se contingens, & liberum sit (cuiusmodi sunt omnes actus directi voluntatis, nec imperati, aut supponentes alium voluntatis actum, à quo necessario proueniant) actuam causam, & rationem, ex qua determinate necessario, nec solum sufficienter illum præ oppositio proueniat, indagare, perinde est, ac noduin in cyrpo quærere: cum principij ex parte sui prorsus indifferentis, & liberi, nulla alia nisi eius determinata immediata operatio, seu immediatus actus formalis determinatio esse possit, quæ actus eius indifferentis potestatis secundus est, ac tamen ex parte potentiæ illius, seu actus primi ad ipsum prorsus repugnat. Denique (vt ex citatis locis, & ratione ipsa claret) postremæ istæ duæ antecedentis probationes, non solum obiectiuam conditionati futuri contingentis veritatem determinatam impugnant; sed, & absolute futuri, imo & absolute existentis actu, & de præsenti contingentis: cum & contingens absolute sit, & à causa, & potestate indifferenti ad vtrumuis prouenat: quod Thomistæ obiectantes non admittent.

3. Mitto rationes hasce in obiectantes eas Ledesmæ ex Magistro Curiel nullam vim habere: eum ipse ex parte hypothesis physicam prædeterminationem, & prædeterminatiuum decretum, cum quibus nec indifferens ad vtrumque potestas causæ in hypothesi (sicuti nec absolute) ponitur, nec contingentis effectus conditionate futura contingentia subsistit, vt in sequentibus ostendemus. Imo neque in Thomistis aduersariis junioribus, qui eadem principia ad conditionatum contingens ponunt, addunque absolutum subiectiue, seu ex parte & obiectiue, seu ex parte obiecti conditionatum decretum, vt conditionata contingentis futuritio consistat, & ex quo certo, & infallibiliter, tanquam ex causa, & medio inferatur: cum quibus determinatis, & determinantibus antecedenter ad eam futuritionem principiis, neque ex parte causæ indifferentia potestatis ad vtrumuis, neque conditionata contingentia effectus conditionate futuri stare vlquam potest. Sed quoniam iuniores isti (etsi incassum) saluari vtrumque contendunt, de coque male apud Ledesmam iam citandum audiant, & impugnentur, eisdem duabus rationibus respondere tenentur: vt mirum sit, eos illis ipsis rationibus contra nostram in rebus hisce doctrinam, vti non semel. Mittenda tamen hic non est Ledesmæ eiusdem impostura Patri Soario facta d. illa 2. de affin. dif. 2. concl. 5. fol. 597. col. 2. lit. B. ita parraphum vnum inchoantis: *Alij vero Authores conueniunt cum præcedenti* (Soario) *quantum ad hoc, quod dicunt illud futurum conditionatum habet determinationem &c. & dicunt, quod illa determinatio ad alteram partem conuenit futuro secundum se, & non prout est in suis causis.* Cum autem conuenire illos cum Soario partim solum dicat in margine: ac verbis recitatis dicat conuenire quoad primum, quod dicunt; quoad secundum scilicet conditionata futura contingentia habere determinationem in se, non in suis causis; in hoc à suis illis Dominicanis dissentire Soarium tacite, vel asserit Ledesma, vel supponit; falso tamen; cum Soarius vbique id ipsum cum nostris omnibus doceat: & expressis verbis lib. 2. de scientia futurorum contingentium conditionatorum c. 6. nu. 3. ex quo loco ibi à Ledesma refertur.

4. Duæ vero probationes aduersariorum primæ antecedentis eiusdem nihil præstant. Prior enim solum probat, conditionata futura contingentia præcise, prout in statu illo non habere esse, siue existentiam actualem absolute, siue absolutam: quare neque, vt absolute futura, veram sui de absoluta existentia cognitionem, & assertum iudicium non posse terminare; ac subinde neque habere prout in statu conditionato veritatem obiectiuam, seu cognoscibilitatem passiuam, quam habent absolute futura, & existentia, quæque vero de illis iudicio asseri potest. At in eo statu conditionato cognosci vero iudicio affirmatiuo contingentia futura conditionata, vereque de illis asseri, fore si conditio, sub qua essent, poneretur; atque adeo veritatem suam obiectiuam, & cognoscibilitatem, seu capacitatem vt veram terminent cognitionem de sua illa conditionata futuritione habent: quia ad cognitionis veritatem solum est opus, vt eius obiectum ita sit, vt enuntiatur; non autem vlterius aliud sit, aut habeat, ab eo quod de ipso cognitione, seu iudicio asseritur: siquidem, illo præciso, inter iudicium, & obiectum, de quo fertur, conformitas erit, in qua veritas iudicij illius formaliter omnino consistit: quare, si de obiecto futuro absolute iudicatur absolute fore verum prorsus iudicium est, etsi tunc, cum iudicium illud habetur, & exittit, obiectum illud actu absolute non sit: quia de eo non affirmatur esse; sed solum modo fore: quin, si iudicium de puro futuro sit, falsum esset, si tunc, cum iudicatur, actu absolute esset illud obiectum, de quo pura futuritio enuntiatur: quia eius futuritio pura non esset, sicut de illo iudicatur, & asseritur. Cum ergo scientia conditionata dicatur, & asseritur. Cum ergo scientia conditionata de conditionato contingenti non asserat, actu absolute esse, vel absolute fore; sed solum fore, si conditio poneretur, esti, nec tunc, cum illud de eo iudicium habetur, imo ne-

quæ

que vlla anteriori, vel posteriori duratione esse actuale absolutum habeat, vere de eo iudicatur, eo præcise, quod illud haberet, si adhiberetur conditio, atque adeo suam illius status proprium veritatem obiectiuam, & cognoscibilitatem habet: eaque propter merito prouerbij, & axiomatis dialectici circumfertur, *conditionalem propositionem nihil ponere in esse.*

5. Inde posterior etiam è duabus primis probatio euanescit: scilicet non esse, nec veritatem obiectiuam habere conditionate futurum contingens, quia in nulla duratione æternitatis est, fuit, aut erit. Id enim solum probat in eo statu obiectiuam veritatem absolutam non habere, quam id, quod absolute est, habet. Id quippe solum, quod absolute est pro aliqua duratione, vel præterita, vel præsenti, vel futura esse actu absolute debet. Vt autem vere iudicetur, quod neque absolute est; sed solum suspense, & in hypothesi, vt conditionatum contingens futurum, quod pro eo statu solum habet esse, aut fore, si ponatur conditio, atque id solum de eo cognoscitur, & iudicatur, existentia absoluta ipsius pro duratione aliqua, neque ipsi, nec veritati propositionis de suspensa ipsius futuritione opus est. Ab hac solutione communi Philosophorum, & Theologorum, rationisque perspicuæ suffragio nonnihil, & male variauit Borrul. noster d. 4. de scient. med. sect. vlt. num. 305. dicens: futurum contingens conditionatum tale dici à negatione existentiæ nunc, & existentiæ postea, si conditio poneretur. Nam & id, quod nunc est purificata absolute conditione, est pro priori maioris vniuersalitatis conditionatæ futurum: imo ex eo quod purificata, & posita absolute conditione contingens absolute est, nequit non esse verum, quod esset, si conditio poneretur: cum ab statu absoluto ad conditionatum, & è contra cum purificatur conditio, mutua sit incuitabilis consecutio. Secundo in Tyriis, & Sidoniis, eorumque conditionata conuersione, quæ nunquam fuit, neque erit, impingit solutio, & ratio vtriusque est: quia conditionata contingentis futuritio non ex prioritate, & posterioritate durationis, sed maioris vniuersalitatis status conditionati respectu status existentiæ rerum absolutæ, à quo ad primum valet subsistendi consequentia, non autem contra à conditionato ad absolutum censetur. Hæc omnia ex dictis quæst. 1. certam. 4. de veritate obiectiua, & vera possibilium, qua talium, etsi absolutum esse pro aliqua duratione æternitatis non habeant, manifeste confirmantur. Ea quippe veritas, & ab absoluta existentia, & duratione omni abstrahit: ac proinde necessaria, & æterna obiectiue est, ficuti, & eorum propositiones æternæ sunt veritatis formalis, & nominantur: quia solum cognoscuntur esse posse, non autem physice absolute esse: quare & solum esse metaphysicum eorum, id est, prædicatorum cum subiectis identica connexio: quia subiectum sine identitate cum prædicatis illis esse nequit: ac subinde solummodo identificatum cum eis esse potest, vt enuntiatur; quod in vere, ac non ficte possibilibus absque vllo rationis figmento ipsis intrinseco verissimum est; licet intellectus noster ea enuntiare non valeat, quin veris illis obiectis extrinsecus figmentum aliquod rationis affingat.

6. Tertio opponunt: inter conditionem, & futurum contingens sub illa, nulla est necessaria connexio: ergo nulla specialis veritas præter veritatum extremorum coexistentiam, seu futuritionem simul; quemadmodum distinxi certam. 1. de disparatis conditionatis, quæ vocauimus, *Si gallus cantauerit, Turca conuertetur*: casu, quo galli cantus, & Turcæ conuersio in idem tempus concurrerent: imo vero cum conditionalis propositionis veritas nil aliud, quam consequentiæ bonitas sit, quæ sine necessaria connexione antecedentis cum consequente esse non potest, nulla in conditionatis contingentibus veritas erit. Nego consequentiam primam: ostendi enim certam. primo citato: in conditionatis contingentibus, etsi nulla sit conditionato sub illa contingente futuro necessaria connexio, vt verè non est, non significari solam coexistentia absolutam, vti in disparatis ideo à futuris conditionatis contingentibus, ibidem exclusis, sed fore sub conditione ad ipsum, conducente quidem, sed non determinante, aut prædeterminante ne conditionati pereat contingentia, & libertas: sicuti in disparatis conditionatis euenit, si extrinsecus ex Dei decreto conditionato obiectiue conditio cum conditionato connectatur necessario. Hinc patet illud falsum de identitate veritatis conditionati contingentis cum bonitate illationis, seu consequentiæ à conditione ad conditionatum; quæ, si esset, conditionati contingentiam destrueret, eiusque cognitio ad scientiam simplicis intelligentiæ spectaret: quia necessariæ veritatis esset, æque, atque hæc conditionalis: *Si Sol lucet, dies est*, vel conditionales de se disparatæ, si ex decreto Dei conditio, seu hypothesis necessariam cum altero extremo connexionem habeat, vt dicebamus. Cæterum cum hæc opponens Ledesma cum necessaria connexione physicæ prædeterminationis, siue in hypothesi ad conditionatum, siue absolute positæ ad absolutum contingens huius contingentiam in vtroque statu autumet saluari, ac omni conatu contendat: atque Dominicani iuniores contingentiam conditionatam cum decreto absoluto subiectiue, & obiectiue conditionato, ex quo conditionata contingentis futuritio inferatur eius libertatem, & contingentiam, conditionatam componant, nescio qua fronte, & Ledesma contra iuniores suos Dominicanos, & vtrique contra nos hoc argumento secundo vtantur: cum ipsi tam absolutam purificata conditione, quam conditionatam contingentis effectus libertatem, & contingentiam cum ea necessaria connexione conditionis cum illo debeant Catholice in vtroque statu admittere, ac diuersimode se illam veritatē habere, atque hæc naturalium, & necessariorum conditionatorum veritas se habeat, *Si sol lucet, dies est.* Reliquæ Ledesmæ oppositiones à ratione nihil præter prædictorum prolixam repetitionem, & complicationem habent, vt videre in ipso est. fol. 601. col. 2. litt. B. & breuius in nostro Borrul. vbi proxime sect. vlt. nu. 312. col. 2. §. *Instat*, quo vitio reliquorum Thomistarum nobis aduersantium instantiæ laborant: ac proinde otiose hic apponerentur.

7. Quarto opponit Anonymus apud nostrum Annatum: iudicium conditionatum stare nequit cum iudicio absoluto de eodem obiecto: ecquis enim non vecors videns lucere absolute lunam dicat: *Si Luna luceret, illam viderem?* tenensue, & legens librum: *Si librum tenerem, legerem illum?* ergo de his contingentibus, quæ Deus absoluta scientia nouit, nequit conditionatam scientiam habere, siue illa in statu conditionato cognoscere: vt probaret obiectio de his solum contingentibus, quæ absolute erunt, probaret; non de innumeris, quorum nusquam purificatæ, aut purificandæ conditiones sunt: quare neque ipsa absolute vsquam sunt, atque absoluta Dei scientia cognoscuntur. Sed nec de his, quæ absolute sunt, fuerunt, vel erunt, quidquam absolute probat; sed solum scientiam eorum conditionatam absolutam de eodem absoluto obiecto non sequi; non autem non præcedere, vt prioritate maioris vniuersalitatis semper, naturæ vero prioritate sæpe præcedit: quoties nimirum ex conditionata præscientia conditio purificatur, & absolute ponitur, vti ponitur quotiescumque ordine prædestinatiuo ponitur, atque ex ea contingens absolutum, quod per illam conditionate fore, præuisum est: exempla vero è re non sunt: quia visio lunæ, & libri lectio absolute supponuntur à nobis præhaberi nihil prius conditionate de eis obiectis cogitantibus: quare iudicium posterius conditionatum, qua iudicium præcise inutile esset, & ineptum: maxime, quia iam præhabiti desiderium sonat. Cæterum, vt conclusio, & consequentia non ineptum, sed omnino necessarium iudicium illud est: quia ab absoluto ad conditionatum necessaria est consequentia, vt diximus sæpe: ergo si teneo librum, lego, vel si luna lucet, illam video. Sicuti, & causalis propositio infertur etiam, *quia luna lucet, illam video, & librum quia teneo, lego.* Reliqua Anonymi argumenta, nihil præter eius de scientia conditionata ignorantiam probant.

8. Eiusmodi illud est: scientia conditionata nihil ponit in re, seu esse, nihilue affirmat, aut negat futurum: ergo neque aliquid in Deo ponit. Antecedens de esse, & futuritione absoluta obiecti verum quoad vtramque partem est; de conditionato esse, siue futuritione obiecti quoad primam partem etiam: quia illam conditionata scientia non ponit, aut efficit, sed supponit. De cogno-

scente vero falsum omnino est, scientiam conditionatam nihil ponere: maxime in Deo, in quo præter formalem suum effectum ponit prædestinationis perfectissimam prouidentiam, atque infallibilitatem effectus contingentis, ad quem prædestinamur, cumque eius contingentia, & libertate nostra componit. Tale est etiam illud: de quibuscumque fieri possunt propositiones absolutæ Categoricæ, possiunt fieri hypotheticæ, & conditionales; at illæ de rebus omnibus fieri possunt: ergo & conditionales: quod à nostris omnibus merito negatur. Sed quia falsissima est argumenti maior. Cum enim scientia re, neq; solo nomine, conditionalis eorum solum, quæ inter possibile & absolute futurum medium statum habent: siue inter absolute necessarium, & absolute liberum, seu absolute existens contingenter, (quod solum in contingentibus, & liberis, siue immediatè, siue mediate ab arbitrio prouenientibus actionibus, & effectus habet locum, vt constat ex certam. 1.) de his solummodo vera est maior, vt de quibuscumque fieri propositiones absolutæ possunt, possint, & conditionales hypotheticæ fieri, si causæ, & principia, à quibus absolute positis, vel sunt absolute, vel erunt in hypothesi, siue suspense ponantur: quod ipsum de eorum omissionibus liberis est. Quicumque enim sub vno auxilio consensurus esset, si poneretur, sub aliquo saltem, si daretur, non consentiret, & qui non consentiret sub vno, sub alio consentiret. Id quod mihi certum omnino est: quia cunctis coniunctim sumptis auxiliis eius creaturæ rationalis resistentiæ possibilitas eius omnipotentiæ, & supremo in creaturas omnes, & singulas rationales dominio derogat: creatura vero rationalis omnibus, & singulis cogitationibus in bonum à Deo immissibilibus consensura Dei misericordiæ, & gratiæ erga illam detrahit, non parum: atque adeo ex misericordia Dei, & supernaturali dono inprædestinabilem reddit.

9. Nec melioris conditionis tertium aliud Anonymi argumentum. Nihil Deus scire potest, ni omnes eius causas necessario prærequisitas nouerit: ast pœnitentiæ Tyriorum, & Sidoniorum, & plurium similiter causas omnes necessario prærequisitas non nouit: ergo nec eorum pœnitentiam sciuit. Minorem probat: quia, quod non est, non scitur: non fuerunt autem signa apud eos facta, neque habita apud ipsos prædicatio, quæ necessariæ causæ pœnitentiæ illius ob illa futuræ à Christo Domino fuerunt præsignatæ. Quidquid de maioris veritate absolute, & formaliter loquendo sit (quo sensu absolute non est vera; qui enim veritatem sola eius extrinseca positione attingit, vti Deus, causarum cognitione non eget, vt eam cognoscat, licet veritas ipsa earum positione egeat, vt consistat) distinguo maiorem conuenienter ad statum eius, quod à Deo scitur, fateor; absolute positas nego: & hoc solum modo causæ pœnitentiæ Tyriorum positæ non sunt, secus in hypothesi, & suspense, quo modo ad illius conditionatam futuritionem fuit satis. Et negatur consequentia. Talis demum est illa eiusdem obiectio: scientia conditionalis dicit compositionem particula *si* denotatam: quæ compositio simplicissimæ Dei scientiæ repugnat. Sed eodem argumento negandum Deo iudicium esset; siquidem particula *est* denotat etiam vtriusque extremi compositionem, & *non est* diuisionem, quæ simplicitati repugnat. Ea tamen compositio, & diuisio tota sit ex parte obiectorum, & nouum, seu conceptuum nostrorum habet; non autem ex parte diuinæ cognitionis, quæ, simplicissima in se cum sit, diuisa quæque repræsentat. Instat: ergo discurrit Deus, & discursu nostris discursibus assentitur. Sed nescio, vnde inferat: quia discursus, & nomen, & res dicit deductionem vnius cognitionis ex alia, quæ insectili omniscientiæ simplicissimæ diuinæ prorsus repugnat, vt diximus, atque Anonymus ipse supponit.

***

QVÆSTIO III.

An Deus suos etiam liberos actus conditionate cognoscat futuros.

AN, suos etiam contingentes actus sub conditione futuros, sicuti nostros, Deus cognoscat, quæstionis huius noua materia est, ob speciales in eorum cognitione difficultates adinuentas: & in primis futuritionis etiam conditionatæ nomen nonnullis religionem iniecit: quia futuritionem in ordine ad durationem videtur sonare: quæ in Dei actus liberos ipsi ab æterno coæuos minime cadit. Potuissent vero religionem deponere, vel contingentium creatorum exemplo, in quibus conditionata futuritio in ordine ad tempus nusquam est, neque ab vllo, nisi per inaduertentiam intelligi potest; cum in præsentibus, & præteritis etiam, locum habeat ea futuritio, abstrahatque omnino, vt diximus à tempore. Quocirca Bortul. d. 4. sect. vlt. §. *Respondeo in primis* num. 305. supponens eam futuritionem dicere carentiam existentiæ nunc, & existentiam postea, si conditio ponatur (cum solum pro eo statu contingens ab existentia absoluta præscindat, non autem eam, suamue durationem neget solus ex nostris æquiuocationem passus de subiecto non supponente potest, quæstionem hanc æstimare.

CERTAMEN I.

Notanda, & aliorum sententiæ.

1. NOta primo, sub hanc quæstionem non diuina solum decreta, sed & scientiam diuinam, quæ illa sequeretur, si conditio adhiberetur, ob quam decreta à Deo conciperentur, vel quæ de facto secura est, quia & conditio de facto adhibita, & decreta fuerunt concepta. V. g. de decreto conferendi gloriam, si adesset pœnitentia tam peccatori, quem de peccatis pœnituit, quam peccatori, quem de peccatis non pœnituit, ac de scientia, quæ, si primum pœniteret, esset de decreto, & gloria illa, quam de decreto, eiusque, & gloriæ scientia, quæ absolute est, quia pœnituit secundum. Abstrahit quippe conditionata futuritio à tempore, & eis, quæ in illo aliquando sunt, vt diximus sæpe: ac proinde eam conditionati absolutam futuritionem pro aliquo tempore, neque includit, neque excludit.

2. Nota secundo; non agi hic de conditionatis omnibus, in quibus est necessaria à conditione ad conditionarum illatio, v. g. *Si Deus est ens à se, est æternus: si est Pater, est in diuinis filius*: Hæc quippe necessariæ veritatis cum sint statum medium inter absolute contingens, & possibile non habent: quare, etsi nomine earum veritatum scientia conditionata sit; re tamen ipsa ad simplicem intelligentiam, sicuti & reliquæ necessariæ veritates spectant: quare quæstionis præsentis titulus de conditionatis contingentibus, seu liberis diuinis, quæ nimirum ex sua hypothesi, seu conditione non necessario inferuntur, sed orirentur contingenter, merito inquirit, iuxta dicta in simili q. 2. certam. 1.

3. Nota tertio: in conditionatis contingentibus diuinis alia esse, quorum conditio contingentis existentiæ est: alia, quorum conditio est existentiæ necessariæ. Primi generis conditionata contingentia sunt, quæ creatum aliquid pro conditione habent, ex quo Deus ad aliquid vel volendum, vel producendum libere moueatur, vel quæ liberam aliquam Dei voluntatem, siue absolutam omnino, siue omnino conditionatam, siue subiectiue absolutam, & obiectiue conditionatam, aut liberam aliquam Dei scientiam, ex qua Dei voluntas libere moueatur,

retur, si adesset, pro sui conditione, fortiuntur. Secundi generis conditionata diuina sunt, quorum diuinum aliquod prædicatu ex necessariis conditio: ea quippe sola ab existentia physice saltem (esto metaphysice præscindant) non abstrahunt: ac proinde necessariæ existentiæ ea sola sunt. V.g. *Si Deus sit omnipotens, liber &c. mundum creare velit*: quod & contingens est, & conditionate verum considerato Deo pro illo priori maioris vniuersalitatis ad absolutam existentiam decreti diuini de mundi creatione. Oportuit autem duo hæc contingentium conditionatorum diuinorum genera diuidere: quia in conditionatis de conditione necessario existente ardua est specialis, præter vtique generi communes, difficultas.

4. Nota quarto: non omnia, quæ in diuinis conditionata contingentia nominantur in hanc quæstionem vocant: etenim, & conditionatorum creatorum scientia hactenus in Deo adstructa, & iam ab omnibus admissa (quidquid ad eam iuxta varias scholas admittatur, aut præcedat) & decreta subiectiue absoluta, & obiectiue conditionata (quæ necessaria Dominicani Thomistæ ad conditionatorum contingentium consistentiam reputant, nostri vero ad id superflua, imo implicantia, absolute tamen Deo possibilia arbitrantur) contingentia sunt, & ex obiectis suis contingentium nomen sortiuntur: cum autem ea omnia ex parte actus absoluta in Deo sint, inter absoluta contingentia diuina computanda pro eo statu sunt, quem habent, non inter contingentia conditionata, nisi pro alio statu considerentur.

5. Sed ne de subiecto non supponente videamur instituere quæstionem, quinto aduerte: contingentia aliqua conditionata diuina negari minime posse: etenim, etsi Deus, quid hac, vel illa conditione posita faceret, possit absolute decernere decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti, vt nunc dicebamus; ast circa omnia, & in quauis rerum possibili peristhasi, vel vniuersali decreto, vel particularibus innumeris, nonnisi otiose inutiliter, & ipso indigne, actu absolute ex æternitate, & per æternitatem decreuisset: cum eorum pleraque, & peristhases, & operationes, neque futuræ, vnquam in rerum natura sint, imo neque ad rerum naturam, & vniuersum, quod est, vel erit, spectent: ac in super ita ipso omni occasione quid faciendum sit anticipato decernere, his solum, quibus inopinato possunt occasiones occurrere (quod Deo repugnat) prudentiæ vertetur: quare ea adeo anticipata Dei de omnibus obiectiue conditionata efficax voluntas subiectiue absoluta eum, vel minus sapientem, vel minus prouidum arguet: quin Dominicani recentiores, etsi eiusmodi decreta necessaria ad conditionati contingentis futuritionem constituendam asserant: non tamen ea necessario à Deo haberi; sed omnino contingenter, & libere circa eo solum conditionata aiunt, quæ velit: quare absoluta eorum conceptio ob hoc, vel illud motiuum libera Deo est: ac proinde fore suo illo contingenter conditionate, est omnino certum. In super, cum diuinorum decretorum omnino absolutorum libertas notissima sit, atque ab omnibus scholis asserta, in his conditionata contingens futuritio negari minime potest, adhuc à Dominicanis; etsi ægre cum decretis absolutis illis suis de conditionata futuritione contingentia rerum saluari queat.

6. His positis, prima sententia docet, Deum diuina contingentia conditionate futura pro eo statu nullatenus cognoscere: ita illi non admodum recentes Thomistæ Dominicani, qui conditionatorum contingentium creatorum scientiam Deo negarunt rationibus contra diuinorum etiam contingentium conditionatorum scientiam communibus; sed specialioribus aliis fundamentis diuinorum solummodo contingentium scientiam Deo negauit noster Molina 1.p.q.14. a.13. d.17. & 18. tum ob impossibilitatem supercomprehensionis diuinæ (sine qua actus arbitrij diuini cognosci à Deo non posse ait) respectu diuini arbitrij: tum ne præhabita à decreturo Deo eorum actuum scientia ante eorum positionem absolutam eorum actuum absolutæ contingentiæ officiat. Citatur Herize d. 17. de scientia, c. 9. nu. 57. sed solum negat dici ea conditionata contingentia diuina futura sub conditione proprie: quia non concernunt durationem, qua anteriùs non fuerint, & postquam sint quam æquinoca-

tionem præfatione quæstionis huius, & q.2. certam.1. satis diximus.

7. Secunda sententia docet, diuina contingentia conditionata de conditione contingentis existentiæ à Deo cognosci; secus quæ de conditione necessariæ, & indefectibilis existentiæ sunt. vt. nu.3. distinximus, & explicuimus. Ita Diotaleuius lib.2. de scient. futurorum conting. conditionatorum. c.8. nu.6. versu. *Secundo de his decretis liberis*, cuius initio videtur fauere, sed tamen ab eius numeri medio ad num. 9. inclusiue: ea etiam prosigno priori ad suam absolutam existentiam, vt conditionate futura à Deo cognosci, late defendit: & quidem secunda hæc sententia potius negat eiusmodi actus diuinos conditionis necessario existentis esse conditionate futuros contingenter, quam scientiam eorum: quia (inquiunt eius authores) eorum conditio purificata est, atque vt talis cognita: quare & decretum contingens absolutum, siue absolute existens, ad quem statum purificata conditione transit omne conditionatum, etiam contingens: quare eiusmodi actus liberi diuini quantumuis conditionate sonent, absoluti sunt: atque eorum subinde cognitio ad absolutam Dei præscientiam, non autem ad conditionatam eius scientiam spectant.

8. Tertia sententia docet, diuinam conditionatorum scientiam ad diuina omnia contingentia vniuersim, siue de conditione necessaria, siue de contingenti sint, extendit. Ita Thomistæ omnes, præter paululum vetustiores illos, cum quibus q.2. pugnauimus. Nostri etiam omnes præter Molinam: Vazquez 1.p. d.55.n.17. d.66.& 67. n.18. Soar. vbi proxime n.15. Prolegom. 2. de gratia c.8. Fonseca to.3.met.lib.2.c.2. q.4. Arriaga. d.47. Herize proxime c.9. Ruiz d.77. sect.2. Diotaleu. proxime, Complutenses, & Murciani Recentiores, etsi Diotaleuus, & Complutenses Recentiores contingentia conditionata diuina de necessario existente conditione à contingentibus diuinis conditionate futuris ablegent, vt num.7. vidimus, quo, non tam vniuersalem hanc sententiam, quam eius suppositum ex parte negant. Huic sententiæ, & Nos iam diu subscripsimus.

CERTAMEN II.

Tertia, & communior sententia variis conclusionibus stata.

1. DIcendum primo: Deum conditionata contingentia diuina de conditione existentiæ contingentis scientia conditionata cognoscere: probatur ex 4.Reg.18. *Si percussisses &c. deleuisses Syriam &c.* Ps.80. *Si populus meus audisset me pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam*: & frequenter in scripturis Deus dicit, quid ipse decerneret, seu faceret, quod sine decreto suo nequit, si hoc vel illud homines facerent: quod tamen quia homines plerumque non fecerunt, neque ipse absolute decreuit, à Deo prænuntiata, & præcognita ad statum absolutum non transierunt, vt scientia absoluta prænosci possent: ergo solum cognita à Deo sunt scientia de ipsis conditionata. Hinc vero, & de decretis, quæ à Deo absolute concepta sunt, quia homines id præstiterunt, cognita à Deo fuisse constat in statu anteriori contingentis conditionatæ futuritionis, Quia, quemadmodum absolute præstita ab homine conditione libere absolute à Deo concepta decreta illa sunt, ita libere à Deo concipienda esse, si conditio ab homine poneretur, verissimum est. Dices: ita à Deo absolute ex parte actus decretum esse, si conditio poneretur: verum præclusum paulo vetustioribus Thomistis Dominicanis, contra quos nunc agimus, hoc effugium est, cum ipsi similia decreta pro contingentium futurorum conditionatorum consistentia, vt ridicula, & inepta execrentur. Secundo: in his, qui admittunt, quam multum diuinationis est, vt veritates istæ, & scientia de ipsis diuina reuelata consistant. Tertio: cum per decreta omnino conditionata

sit cognitionis diuinæ cum eis adæquatio, & conformitas, absque absoluti subiectiue, & obiectiue conditionati decreti litigiosa necessitate, ad veram de illis scientiam satis erit. Quarto: ea etiam admissa, saluari debet ab ipsis conditionata decreti sub ea conditione futuri contingentia; quod præsenti sufficit conclusioni. Quinto demum: eum decreta illa subiectiue absoluta, conditionata obiectiue, ob aliquod motiuum à Deo concipiantur contingenter sub eo motiuo, & occasione concipienda esse, verum conditionate pro priori ad eorum absolutam conceptionem erit: quare si ad horum conditionatam futuritionem decretis aliis reflexis subiectiue solum absolutis sit opus, in infinitum decretorum processum regrediemur.

2. Dices secundo: illis ipsis decretis subiectiue absolutis, & conditionatis obiectiue, illa, quæ Deus sub conditione fore à se facienda, prænuntiat, sufficienter apponenda, casu, quo purificetur conditio, quin alia tunc omnino absoluta decreta apponantur: ac proinde non esse in Deo scientiam de decretis vllis suis in statu suspensæ futuritionis conditionatæ: nam decreta omnia sua, quæ ad ea præstanda, si conditio ponatur, absoluta ex parte actus sufficiunt, & solummodo sunt: ea siquidem ipsa decreta purificata ab hominibus conditione, in absoluta transeunt: quemadmodum vulgo dicitur conditionata purificata conditione in absolutam transire. Hoc autem admisso, nihil scripturæ loca pro nobis vrgent, cum in nullo ex eis dicatur decretum omnino conditionatum prænosci, foreue sub assignata conditione sua; sed solum effectum à Deo præstandum, si talis conditio ab homine apponatur: quod decreto absoluto subiectiue, & obiectiue conditionato purificatione conditionis in absolutum transeunte à Deo satis præstaretur: sed vero assumptum euasionis huius falsum est, nec satis axiomate illo fundatum: etsi enim de obiectis ipsis verum plane axioma sit; at vero de actibus ipsis voluntatis, quibus ea fore statuuntur, si apponatur conditio, falsum est illos ipsos purificata conditione in absolutos transire: siquidem diuersimode conditionata ex parte obiecti voluntas in illud fertur, atque fertur in obiectum idem, iam obiectiue absoluta: illa enim in illud sub conditione, seu conditionate; hæc vero fertur in illud absolute sicuti & conditionata scientia conditionate solum fore obiectum affirmat, absoluta vero fore, aut esse absolute: quare nec prima, purificata etiam conditione, in absolutam eademmet transit; sed alia scientia opus est, vt absoluta obiecti, seu rei eiusdem existentia cognoscatur. Secundo: si eademmet conditionata voluntas purificata conditione, in absolutam transiret, non posset putificata conditione esse voluntas efficax absoluta de oppositio in eodem subiecto simul: siquidem duplex opposita voluntas efficax mutuo sibi repugnant: & tamen quotidie nos eius, quod sub conditione decreuimus efficaciter oppositum purificata conditione (ob quam conditionata efficax absoluta iuxta eam doctrinam redditur) efficaciter decernimus.

3. Tertio: cum purificatur conditio, sæpe voluntas illa conditionata nostra physice non adest, quod fieri non posset, si eademmet in absolutam physice esset transitura: & eadem inintelligibile, ac imperceptibile prorsus est, quomodo voluntas eadem, quæ in effectum absolute non fertur sola extrinseca conditionis purificatione, intrinseca sui tendentia in illum absolute feratur: quare prorsus contingentia decreta absoluta diuina, vt ea, quæ in scripturis sub conditione contingenti à Deo præstanda dicuntur, absolute præstentur, admittenda necessario sunt: quæ proinde ante conditionis purificationem pro statu contingentis conditionatæ futuritionis & sint, & ita esse à Deo cognoscantur: verum quidem est moraliter, & ciuiliter conditionatas voluntates, purificata conditione, in absolutas transire: quia verum etiam est tam ex voluntate, & decreto conditionato, quam ex scientia conditionata purificata conditione, inferri, & decretum, & scientiam absolutam in Deo immutabiliter decernente, & infallibiliter cognoscente; eius enim decreti absoluti efficacis obligationem conditionatam inducit, quæ in absolutam transit purificata conditione; cui Deus immutabilitatis titulo, & fidelitatis (si eius ad aliquem promissio intercessit) physice, aut metaphysice deesse minime potest: & quamuis defectibiles homines vtroque modo possint absolute deficere, atque absolutam voluntatem, etiam purificata conditione, physice non ponere; nequeunt tamen tunc moraliter & ciuiliter illa non apponere: quia purificata conditione, independenter à voluntate eorum absoluta, est absoluta obligatio apponendi id, quod sub conditione promissum serio, seu voluntate efficaci conditionata alteri intimata decretum est: ac proinde moralis est obligatio apponendi purificata conditione voluntatem efficacem absolutam, sine qua apponi illud à promittente nequit.

4. Ad instituum vero præsens redeundo: etsi citata scripturæ testimonia plerumque de his solum conditionatis contingentibus diuinis sint, quorum purificata, & adhibita conditio absolute non est, atque de immediate contingentibus liberis (cuiusmodi sunt diuina decreta) tamen æque efficaciter, licet non æque immediate, de his etiam, quorum purificata conditio est, atque in Deo absolute fuerunt, & de scientia Dei mediate solum libera, & quæ decreta illa, & effectus eorum sequeretur, si apponeretur conditio, & quæ illa absolute posita, sequuta est, probant. Siquidem, vt sæpe dixi, quod absolute contingenter, & libere mediate, vel immediate purificata conditione est, non ideo non habuit, aut perdit statum futuritionis contingentis conditionatæ verum, in quo pro priori maioris vniuersalitatis præcessit: sicuti neque, quod absolute de præsenti est, absolutam sui futuritionem, quam posteriori tempore, vel æternitate habebit, amittit, nec si antea duratione præcessit, perdit antea extitisse ex eo, quod nunc absolute existat.

5. A ratione vero probatur facile conclusio: quia, siue dependenter, siue independenter à decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti (de quo in præsenti non disputamus) verum, vereque enuntiabile est, tam de his decretis, quam de scientia ipsis posteriore, quod absolute in Deo non sunt, quia eorum conditio purificata, & absolute posita non est, quam de his, quæ absolute sunt, quia eorum contingens conditio purificata est vel purificabitur; quod, si ea conditio purificetur, atque apponatur, decreta illa, & scientia diuina apponenturve omnia, quibus id ipsum de contingentibus conditionatis creatis probabamus, euincunt: atqui Deus omniscius est: ergo ea omnia, & fore vnumquodque sub conditione, & hypothesi sua, sub qua esset, si apponeretur conditio cognoscit Deus; alioqui omniscius non esset: & de his quidem conditionatis diuinis, quorum existentia absoluta est, quia conditio contingens purificata est, (v. g. de decreto Incarnationis, si Adamus peccaret, vt absolute peccauit, ac proinde decretum à Deo est conceptum) specialis est ratio: quia ex veritate rerum absoluta, quia absolute purificata est conditio, ad veritatem conditionatam eorum sub illa, est euidens probatio, & consequentia à posteriori: ergo ex veritate cognitionis absolutæ decreti, aut scientiæ diuinæ ab eo motiuo, & causa absolute posita, est etiam euidens consequentia ad veritatem cognitionis diuinæ de decreto, & scientia illa sub hypothesi, & cognitione eiusdem causæ, & motiui. Pro his autem, quæ in Deo non sunt, quia purificata eorum conditio nusquam est, specialiter facit: quia alioqui, si Deus ea sola contingentia, & libera sua cognosceret, quæ absolute talia in ipso sunt, cum plura alia contingentia conditionate futura illius sint, quæ absolute non sunt, quia eorum purificata conditio non est (v. g. omnia decreta ad prouidentiam connaturalem, & supernaturalem spectantia, si alium, aliosue mundos, Angelos, & homines alios creasset) manifeste fiet, plura, imo, pene infinities plura de suis contingentibus conditionatis Deum ignorare, quam scire. Porro, licet hæc specialia, vnumquodque pro alterutro conditionatorum genere sint ratione communis, & eiusdem vtrique status pro vtroque etiam facile quoduis eorum probabit. Tertio probatur: quia, ni ea omnia conditionata contingentia sua Deus nouerit, se minime comprehendet. Etenim ad cognitionem, tam voluntatis, quam intellectus sui in tota sua latitudine perfectionis, tam intensiuæ, quam extensiuæ, quam earum comprehensio essentialiter importat, debent cognosci omnia decreta, omnisque scientia, quæ Deo sub quauis hypothesi adessent: ergo ni ea omnia

Deus

Deus noverit, intellectum, & voluntatem suam non comprehender. Antecedens probatur primò: quia si ea omnia conditionata intellectus, & voluntatis creatæ Deus non cognosceret, neutrum comprehenderet. Secundò: quia, ni omnia sua possibilia decreta, omnemque suam scientiam possibilem contingentem cognosceret, eas potentias suas non comprehenderet: ergo multo minus, ni cognosceret omne suum decretum, & scientiam conditionatam, quæ sub quauis hypothesi essent: quandoquidem proximus earum actiuitatem, & exercitium eliciti-tium, (vt sic loquar) pertingunt. Denique à priori: quia alias potentias illas suas non cognosceret omnimodo, & ex omnibus suis actibus in omni statu ex quibus verè, cognoscibiles sunt: ac proinde earum cognoscibilitatem omnem cognitione sua non æquaret, vt æquare debet earum comprehensio. Tandem ni horum scientia in Deo admitatur, non poterit Deus diiudicare de nostris plurimis iudiciis circa actus suos liberos sub conditione ditione contingenti futuros, vera ne, an falsa sint? v.g. Christum decernendum, vel secus, si Adam non peccaret: nequit eorum veritas, vel falsitas cognosci, ni eorum conformitas, vel diformitas cum obiecto enuntiato cognoscatur, quæ, in cognito obiecto ipso, cognosci nequit.

6. Dico secundò: conditionata diuina sub conditione necessariæ existentiæ, seu prædicati alterius diuini necessarij futuritionem conditionatam contingentem non amittunt, ac proinde scientia proprie conditionali (sicut de futuris similibus hactenus ostendimus) à Deo cognoscuntur: est expressa conclusio Soarij citati certam. 1. num. 7. & Ruiz d. 77. sect. 4. & Recentiorum: item Bellarmini 2. de amissione gratiæ cap. 17. Fonsecæ 6. metaph. cap. 2. sect. 8. Soarij iterum opusc. de scientia futur. conditionator. init. & (licet inconsequenter) Aluarez d. 7. de auxil, & Thomistarum: quatenus asserunt, omne contingens absolutum, (cuiusmodi sunt omnia absoluta Dei decreta) fuisse prius prioritate maioris vniuersalitatis futura conditionate. Est tamen conclusio contra Dicataleuium, & Recentiores Complutenses citatos certam. 1. num. 7. Probatur: quia, licet in re, (etsi placeret etiam in apprehensione) conditio illa, sub qua fore ea contingentia diuina enuntiantur, à sui existentia diuina non præcindat, quia essentiâ sua existens est: ast in modo enuntiandi præscindit: neque enim affirmatur, Deum eiusque omnipotentiam existere, neque negatur existere. Quod satis est, vt verè affirmetur, fore decretum de mundi creatione, si Deus omnipotens omniscius, &c. sit; quin eo iudicio conditionis, aut decreti illius affirmetur existentia. Confirmatur: quia, licet Deus seipso, & essentiâ sua impræscindibiliter adhuc existens exercite, & exercita sua existentia sit: vt docuimus plures controu. 1. & 2. ex modo enuntiandi, cum dicimus: Deus est possibilis, imo, cum id de se iudicat Deus, licet eandem omnino esse suam existentiam, & suam possibilitatem (quia nonnisi existens exercite possibilis Deus est) cognoscat; tamen non affirmatur eius existentia ex modo illo enuntiandi. Confirmatur secundò: quia, licet possibilitas, seu essentia creata vniuersim ab eius existentia non differat, ac proinde existente absolute conditione contingenti nequeat eius possibilitas à Deo cognosci, quin & existentia eiusdem exercita cognoscatur; tamen locus est, vt ex modo enuntiandi non fit in hypothesi existentia exercita eius, neque purificata intelligatur conditio; ac proinde, quod futurum absolute quidem est, quatenus sub ea hypothesi præcisè posita fore iudicatur, futurum solummodo conditionate verè sit, atque enuntietur. Denique confirmatur in nostris principiis: quia omnia prædicata, & attributa diuina metaphysicè Dei essentiam consequentia, existentiam in suo conceptu formali metaphysicè non claudunt, sicuti de eis, & personalitatibus, & proprietatibus personalibus latè probaui controu. 1. de Trinit. d. 6. quæst. 1. per totam: quare ad omnes conditiones omnipotentiæ, arbitrij, omniscientiæ æquè à sua existentia, atque à Dei essentia abstrahunt: quare etsi eadem formalissime scientia Dei de sua essentia, & existentia indiuisim adhuc, metaphysicè, cognoscantur, vt docui d. 3. quæstione 1. certam. 2. id tamen ex parte obiecti præsertim suspense, & in hypothesi positi (vt in casu) conclusionis prorsus se habet materialiter.

7. Hinc euanescunt Dicataleuij, & Recentorium Complutensium pro opposito argumenta. Primum est: conditio essentia sua existens absolutè, & exercite nequit magis esse, aut cognosci in vllo statu, aut modo cognoscendi sine existentia absoluta, quàm esse, aut cognosci sine sua essentia: atqui eiusmodi sunt necessaria omnia adhuc præcisiue diuina enumerata: ergo nullo modo esse, aut concipi præcisiue ab existentia absoluta, & exercita possunt: ergo in hypothesi etiam, & sunt, & cognoscuntur exercite, & absolutè existentia: ergo in hypothesi ipsa est, & cognoscitur purificata conditio: atqui conditionatum quoduis, cuius conditio purificata est, non est conditionatum, seu conditionatè futurum, sed absolutum, seu absolutè futurum, & præsens, eiusque cognitio non conditionata, sed absoluta: ergo contingentia diuina sub conditione necessariæ existentiæ, seu sub condirione prædicati cuiusuis necessarij diuini non conditionatè, sed prorsus absolutè existentia sunt. Respondetur facilè in meis principiis negando minorem syllogismi primi de existentia cuiusvis prædicati diuini attributalis formaliter, nec solum materialiter se habentis ex parte obiecti: essentia enim sua metaphysica nullum attributum diuinum, secundum se formaliter ex parte obiecti est existentia exercita sui, magis, quam Dei essentia. Sed iuxta opposita aliorum principia distinguo primam consequentiam: in statu, & cognitione suspensiua debet cognosci formaliter, & exercite eius existentia, nego; materialiter solum concedo consequentiam; in quouis statu, & cognitione non suspensiua debet cognosci, ac esse eius existentia formaliter, & exercite, concedo consequentiam: licet enim de essentia, etiam metaphysica existentia exercita necessariorum prædicatorum Dei sit; ast in ordine ad statum illum cognitionis suspensiuæ, qua hypothesis apprehenditur, quod exercitè, & formaliter, siue essentia sua, siue contingenter quæ in hypothesi sunt, & cognoscuntur, ac significantur, materialiter se habet: cum in ordine ad eum statum, & cognitionem his vocibus respondentes, si existat omnipotentia, vel Deus sit omnipotens, & decretum, quod sub ea hypothesi fore enuntiatur eius, quod in hypothesi ponitur, existentia exercita, siue essentialis, & necessaria, siue contingens conditionis sic apprehensæ, &, veritati, cum formalis enuntiationis, tum obiectiuæ totius illius complexi nihil conducat, aut præstet sed, quod casu, quod ea existentia conditionis detur, & conducat ad conditionati existentiam, & cum huius existentia coniungatur. Similiter distingue secundam consequentiam in hypothesi, & sunt, & cognoscuntur diuina illa absolutè existentia exercite formaliter nego, materialiter concedo: similiter tertiam consequentiam, & nega quartam, & quintam. Oportet enim, vt purificata intelligatur, & sit conditio, ac proinde futurum conditionatum transeat in absolutum, atque scientiæ visionis absolutè obiectum sit, ac non scientiæ conditionatæ cognosci, ac esse absolutè existentiam exercitam formaliter, ita, vt absolutè conditioni adsit, vt obiicitur, ac de ea absolutè possit prædicari; vt autem suspensè obiiciuntur, & apprehenduntur in hypothesi prædicata illa diuina necessaria, neque absolutè existentiam formaliter habent, nec de ita solum apprehensis potest absolutè exercita existentia prædicari: quare neque purificata per absolutè exercitam existentiam sunt, vt intelliguntur.

8. Opponunt secundò Recentiores Complutenses: status conditionatus contingentium conditionatorum prior est prioritate maioris vniuersalitatis statu absoluto eorundem, & à quo ad absolutum non valet subsistendi consequentia, sicut, neque à scientia conditionata eorum ad scientiam visionis, seu absolutæ existentiæ eorundem: quia ex obiecto suo illa prior prioritate maioris vniuersalitatis, quam absoluta eorum visio est: atqui scientia conditionatorum diuinorum sub conditione cuiusvis prædicati diuini necessarij, prior non est prioritate maioris vniuersalitatis, & à

qua non valeat subsistendi consequentia, quam absolutum eorum visio, nec status conditionatus obiectiuus eorum, quam absolutus: ergo eorum status, & scientia conditionatus, & conditionata non est. Minor probatur: quia valet consequentia à decreto de mundi creatione, si Deus est omnipotens (& similiter de aliis eiusmodi de conditione necessaria) ad absolutam eiusdem decreti existentiam, & visionem absolutam eius, vt patet: quia conditio essentiâ sua purificata, & absolutè existens est: ac proinde nequit esse verum obiectiuè conditionate decretum illud, neque vera formaliter eius cognitio conditionata, quin vtrumque verum absolutè sit. Respondetur tamen facile ex dictis statum conditionatum, vt omnem statum conditionatum complectitur, priorem esse prioritate maioris vniuersalitatis statu absoluto, ac scientiam conditionatam absoluta obiecti eiusdem priores esse prioritate maioris vniuersalitatis formaliter; non autem debere esse priores etiam materialiter, seu ratione materiæ obiecto, & scientia absoluta, qua solum ratione in conditionatis de conditione necessaria, & eorum scientia probat argumentum ab ipsa absolutè, & absolutam scientiam consequentiam valere ratione materiæ conditionis; formaliter autem loquendo adhuc ex iis conditionatis, vt in eo conditionato statu obiectiuo vero sunt, suspenseque cognoscuntur, non valet à conditionato statu, & scientia ad absolutum eorum statum, & scientiam consequentia: nisi eæ conditiones necessario imo, essentia etiam, si placet sua metaphysica, exercitè existentes ita cognoscantur, & iudicentur verè existere absolutè, iudicarique proximè possint: quod nusquam habent, quæ solum in hypothesi sunt, & cognoscuntur. Quid autem sit veritas illa obiectiua status conditionati, à qua verus, & non fictus status sit, constat ex dictis in simili de veritate possibilium pro statu possibilitatis, quæst. 1. certam. 4. à num. 4. & quæstione 2. cert. 11.

CERTAMEN III.

Argumenta aduersa vniuersaliora retunduntur.

1. MVlta hic sibi opponunt ex Dominicanis Thomistis Recentiores nostri, qui seorsim, & singulatim difficultates, & controuersias de scientia conditionatorum contingentium non disputant; sed omnes, vel earum plures simul. Nos verò eorum plura omittemus in præsenti: quia alias controuersias de cognitione eorum in decreto, vel in seipsis, seu de medio, siue materiali, siue formali, & determinatiuo cognitionis diuinæ de ipsis tangunt disputationibus sequentibus examinandas. Primò opponit Nauarrete tom. 1. controuers. 56. §. 5. scientia conditionata suorum decretorum sub quauis hypothesi futurorum ipsi est prorsus inutilis: cum, neque ad creaturarum productionem, neque ad directionem ipsorum absolute habendorum à Deo quidquam referat: ergo à Deo est reiicienda. Negatur antecedens, quod subsumpta ratio non probat. Tum: quia, licet ad ea ibi numerata vtilis non esset; ad diuinæ tamen scientiæ perfectionem, seu, vt omniscientia sit (vt necessario est) eorum etiam diuinorum contingentium conditionatorum scientia non vtilis modo; sed & necessaria omnino est. Tum etiam: quia ad productionem creaturarum, & purificationem conditionis, quare & mediatè ad decreta ipsa absolutè habenda eorum sub hypothesi habendorum conditionata scientia conducit: conduxit enim dubio procul ad Adami creationem, ac de ea decretum scientia hæc conditionata: si Adamum creauero, eique peccatum permittam, decernam Christum in eius, & successorum Redemptorem: & magnam mei nominis gloriam, & exaltationem. Similiterque scientia conditionata de Michaëlis, & reliquorum Angelorum obedientia, ac dæmonum inobedientia sub hypothesi creationis eorum, & impositionis præcepti, quodcumque illud fuerit.

2. Obiicit idem Nauarrete secundò: Decretum primum est primus actus liber Dei: siquidem voluntatis diuinæ, sicuti & humanæ est prima libertas; reliquarum vero potentiarum est solum libertas secundaria, & solum quatenus à libero aliquo voluntatis in aliquo eius actu habito exercitio earum actus pendent: atqui, si in Deo detur suorum decretorum contingentium sub hypothesi futurorum conditionata scientia, nec decretum primum erit primus actus liber Dei, nec voluntatis diuinæ prima, ac primaria libertas: ergo in Deo suorum decretorum sub hypothesi futurorum scientia conditionata non est. Consequentia est legitima. Probatur Minor: quia ante omne decretum absolutum, & ante omne exercitium liberum voluntatis diuinæ absolutè existens erit scientia conditionata decretorum omnium Dei sub hypothesi quauis futurorum: deinde erit libera, & contingens; siquidem est de obiecto contingenti, & absolute suo modo defectibili, &, quod potestate antecedenti diuinæ voluntatis potuit absolute non esse: cum non habeatur à diuina voluntate adhuc ex hypothesi illa necessario; sed liberè, atque ita, vt posset sub ea hypothesi ab ea non haberi. Casu autem, quod sub ea hypothesi habendum illud decretum non esset, eius conditionata scientia, quæ absolutè ex parte subiecti in Deo nunc est, nullatenus foret: ac proinde ante absolutam decreti illius libertatem absolutè libera ex parte subiecti, licet non ex parte obiecti, scientia illa conditionata erit: ergo erit absoluta eius libertas ante libertatem absolutam decreti cuiusvis diuini: ac proinde non erit absoluta eius libertas secundaria, & participata à decreto absolutè libero, & exercitio libero absoluto diuinæ voluntatis; sed potius prima, & primaria à potentia proinde intellectiua Dei immediate participata libertas.

3. Respondeo: libertatem actus, & potentiæ primariam diuinæ voluntati, eiusque actibus conuenientem non stare in actus contingentia, vndecumque illa proueniat precisè: sicuti neque libertas actus, & potentiæ primaria humanæ voluntatis absolutè stat in contingentia actus, vndecumque proueniat: alioqui quæuis alia facultas, & actus, imo causa quæuis naturalis, eiusque effectus primariam, & immediatam libertatem habebunt: cum absolutè vndecumque sit, creatus cuiusvis potentiæ actus, & creatus effectus quiuis contingentes absolutè sint, & defectibiles. Primaria ergo, & immediata actus, & voluntatis vtriusque libertas in contingentia actus, non vtcumque; sed à voluntate ipsa, ad quod in voluntate potestas ad actum, eiusque oppositum, vel contrarium, vel contradictorium (si vel contrarietatis, vel contradictionis libertas sit) omnino indifferens requiritur, ac supponitur: libertasque in actu primo censetur, ac nominatur. Ex quo fit, vt cum actu, & exercite ad actum potius suum præ oppositio per actum, ipsum se determinat, ita se determinet, vt tunc etiam in actu primo ad oppositu alterutro modo se potuerit absolutè determinare, illo ad quem se determinauit, & per quem exercite indifferentem suam illam potestatem determinauit, prætermisso: quare contingentia, & defectibilitas actus cuiusvis ex illis oppositis à voluntate, eiusque indifferente ad vtrumvis potestate est: contingentia autem, & defectibilitas actus seu effectus à quocumque alia potentia, causaue producti, non à sua potentia, causaue proueniet; sed aliunde: quare, etsi absolutè contingens actus, & effectus sit, primarium, & immediatam exercitam, & in actu secundo libertatem non habet: neque potentiæ, causæue suæ libertatem in actu primo supponit, arguitve illius indifferentem ad vtrumuis potestatem. Cum autem scientiæ Dei de suis decretis conditionatis contingens appositio, etsi ex parte actus absoluta, ab intellectus diuini determinatione propria, non proueniat; sed potius à conditionati illius obiecti, seu decreti pro eo statu positi, ad quod pro statu illo repræsentandum intellectus diuinus, vel potius omniscientia Dei determinatur, necessarioque, ac sui impos extenditur, fit, vt primariam absolutam libertatem non habeat, sicut habet, non quidem à potentia sua intellectiua; sed aliunde, contingentiam, non quidem absolutam, & intrinsecam, seu immediatam sed mediatam, atque ab obiecto participatam extrinsecus, quare, & solum conditionatam,

4. Vnde

4. Vnde neque decreti absoluti Dei primariam absolutam libertatem præueniet, tametsi præueniat exercitium absolutum contingentiæ, quatenus absolutum decretum vt sit sui ipsius sub conditione futuri conditionatam scientiam supponit, quæ purificationem conditionis præcedit, quam absoluta decreti illius existentia sequetur. Etenim cum actus contingentia absoluta ad connexionem cum absoluta eiusdem primaria, & immediata libertate non dicatur; vt vidimus, poterit absoluta contingentia scientiæ illius absolutè, quasi causalitatis, & naturæ priori decreto illi absoluto præcedere, quin huius absolutæ libertati absque vlla repugnantia præcedat. Ac rursus contingens absolutè scientia illa esse, quin absolutè libera sit; sed solum conditionate. Id quod ita planè scientiæ conditionatæ cuiuis de quouisque contingenti conditionato vsu venit: siquidem mediatam solum extrinsecam, mutuoque acceptam libertatem à suis obiectis habet, cum eam à sua intellectiua potentia immediatè trahere in sui conceptione nequeat: quarè nec aliam ab ea, quam eius obiecta alteriusve rationis libertatem habebit: nempe, vel absolutam, si eius obiecta libera absolutè sint, vel conditionatam solum, si (vt in præsenti) sint libera solummodo conditionate. Dices: nihil præter decreta libera Dei posse esse absolutè contingens, quin absolutum Dei contingens decretum supponat; ad hanc verò scientiam conditionatam de contingentibus diuinis conditionatis actibus, nullum absolutum, & contingens decretum Dei supponi: ergo & ipsa absolutè contingens, non absque repugnantia admitteretur. Negatur absolutè Maior: In diuinis actibus, præter decreta: scientia quippe Dei essentiâ sua omniscientia actualis, & formalis repræsentatio etiam exercite, quantum de se est, omnium veritatum est, quin alio, quam extrinseca obiecti, & veritatis positione egeat, vt ad illud terminetur, ac determinetur absque vlla potentiæ alicuius contingenti actiua determinatione: quare quod satis est, vt in statu apto obiectum apponatur, satis est, vt ad illud contingens terminatio, ac determinatio scientiæ consistat. Satis autem conditionata cuiusuis contingentis siue creati, siue increati futuritio absque actuali aliquo decreto Dei, vt statum cognitioni sui aptum sortiatur.

5. Præueni aliam Nauarretæ instantiam: quod scilicet, cum scientia conditionata in se primario, & immediate libera non sit, debet esse libera ratione alterius, quod in se primario, & immediatè liberum sit; nequirque esse aliud, quam decretum: ergo proinde aliquod Dei decretum absolutum debet ad scientiam istam supponi. Negatur enim consequentia: quia, vt diximus, scientia hæc nullatenus libera absolutè, adhuc mediatè, est; sed conditionatè solum libertate mediata, extrinsecusque mutuata à suo conditionato obiecto: vnde propriè media inter absolutè liberam, & absolutè necessariam merito dicitur, vt d. penult. dicemus, quo & præcedens proximæ obiectio eneruatur: siquidem admissa absolutè maiori, scientia media absolutè libera & contingens eo sensu, non est, quod si absolutè esse illam in Deo, potuis seque absolutè non esse, quare & absolutè contingentem esse contendas passiue quidem mere habet, non actiue à sua potentia sed solum à suo obiecto non, qua actiuo, sed, qua terminatiuo solum, vndecumque illud actiue in suo statu conditionato ponatur, vt autem terminatiue contingentiam absolutam scientiæ suæ causet, existentia absoluta sui opus non habet, vti ad illam actiuè causandam opus haberet: inde verò perspicuum est maiorem obiectionis eius de quouis actu aut effectu contingente, & absoluto prorsus etiam ex parte obiecti veram esse, ait, cum ex parte obiecti actus conditionatus est esse falsam esti enim contingens quodvis, futurum, adhuc conditionatum, è Dei liberâ determinatione debeat necessariò prouenire, cum ad eum statum, Dei determinationem, siue reliqua principia contingentis illius, in hypothesi positi satis sit, vt proportionatè ad statum illum contingentis præcedat: atque mediatè scientiam absolutam ex parte actus, & conditionatam ex parte obiecti terminatio huius influxiui absolutum eius esse non requirit, causet, & antecedat.

6 Obiicit Molina: decreta conditionata libera non sunt determinatæ in se veritatis; ergo nec in se cognoscibilia; sed neque in sui causa voluntate diuina ad vtrumuis indifferenti: ergo neque in ea possunt cognosci: Probat consequentiam: quia in causa indifferente, & indeterminata nequit cognosci effectus, seu actus determinatus præ eius opposito, nisi per super comprehensionem excedentem in linea cognitionis cognoscibilitatem obiecti, quod cognitioni diuinæ respectu diuinæ voluntatis æquè in genere obiecti infinitæ repugnat. Negatur prima antecedentis pars ex dicendis d. de mediis materialibus diuinæ cognitionis iuxta ipsius Molinæ doctrinam, quem mirqr, id pro antecedenti assumere: cum in conditionatis contingentibus creatis determinatam veritatem, & cognoscibilitatem cognoscat, & contra Thomistas Dominicanos euincat eisdem rationibus, quæ æquè idipsum euincunt in contingentibus conditionatis diuinis. Principium aliud de supercomprehensionis causæ indifferentis ad vtrumvis, & indeterminatæ necessitate, vt in ea actus determinate futurus præ suo opposito cognoscatur, ipsius Molinæ proprium est; sed falsum confutandumque à nobis d. de mediis formalibus scientiæ diuinæ: eoque permisso, cum super comprehensio causæ indeterminatæ, & indifferentis eatenus solum Deum duceret in cognitionem actus determinatè præ eius opposito futuri, quatenus perfectissima causæ illius penetratio est: idque etiam respectu suæ voluntatis Dei cognitio habeat, quod respectu eius supercomprehensio non sit, atque excessum non habeat respectu illius, quem habet respectu causæ creatæ entitatiuum, nihili ad rem præsentem attinet; cum nil cognoscibilitatis, & penetrabilitatis voluntatis diuinæ in se, & in ordine ad suos actus scientiam Dei lateat, quæ ipsius perfectissima comprehensio est, & Molinæ sensu præfato supercomprehensio dici posset.

6. Opponit vrgentius Molina 1. par. q. 14. ar. 13. d. 17. versu; *quæret fortasse aliquis* & d. 17. versu: *Præterea vt disputationi*, ex quo Albeda 1. par. d. 45. sect. 5. num. 43. & Perdu. relect. de Scient. med. pag. 13. & 36. vbi Molinæ argumentum esse recognoscit. Ne autem puri transcriptores videantur, nonnulla de suo addunt, quæ, quia solutu facilliora, prætermitto. Sic autem argumenti difficultatem totam à Molina propositam efformo: In Deo est scientia decreti sui conditionati, sub hac nimirum, vel illa conditione futuri: ergo hæc scientia conditionata Dei præcedit eiusdem decreti absolutam positionem prioritate naturæ, seu quasi naturæ, quæ inter diuinos actus non repugnet. Probatur consequentia: quia purificatio conditionis, atque absoluta positio ex ea scientia est, vt ex perfecta prouidentia absolutè ponatur, cum conditio, tum decretum, & quod per ipsum decreuit, appositurusque vlterius Deus est: quare tandem decretum ipsum, & per illud apponenda in statu absoluto ab eius conditionata scientia, etsi mediate, pendebit: ac proinde illam absolutè positam pro naturæ, vel quasi naturæ, priori supponet. Hinc infert: ergo scientia conditionata decreti destruet eius in statu absoluto libertatem: ac subinde, & in statu conditionato, cum vtriusque status libertas eadem sit, solo statu differens: quare, & scientia eiusmodi suum destruet obiectum, eritque implicatoria. Prima consequentis huius pars (ex quo reliqua legitimè inferuntur) probatur: quia & scientia hæc conditionati decreti est inconiungibilis, purificata conditione, cum negatione, seu omissione decreti: quare ex suppositione ipsius, & purificatione conditionis nulla est potentia, adhuc antecedens, ad omissionem decreti apponendam, nisi chimærica: erit enim potentia ad coniungendum duplex contradictorium, siue impossibile qua impossibile. Cum autem conditionis absoluta positio, & scientia item, ex qua conditio apponitur absoluta existentia pro naturæ priori ad absolutam decreti appositionem supponantur: ac proinde nec auferri ab illo possint, nec impediri, nequit decretum absolutè omitti, quin illæ cum omissione decreti coniungi possint, quod vt diximus, contradictionem inuoluit.

7. Hoc argumentum vrget, inquit Molina, cum in eo, à quo concipiendum absolutè decretum est: nempe in Deo, & scientia de conditionato decreto, & de purificatione absoluta conditionis sub qua fore cognitum est, coniungitur, & antecedit: siquidem vtraque scientia præhabita ab eo, qui decreturus absolutè est, conatus in oppositum decreti nonnisi frustraneus esset, & amentissimus, vtpote conatus in impossibile cognitum vt impossibile.

Verum

Verum vt ex argumento constat, eadem vis eius est, etsi scientia vtraque in Deo sit, & contingens à voluntate creata apponendum; imo etsi sola scientia in Deo præcedat, & extrinseca sola purificatio conditionis apponatur. Cum enim, vt diximus, conditione appositâ, nequeat contingens absolutè non esse, ni scientia conditionata Dei, quæ supponitur, deficiat, falsave reddatur, atque implicet vtrumque, nulla potentia eis antecedenter, & pro naturæ priori positis fieri potest, vt cum eis à creatura decreti cogniti sub ea conditione ponatur omissio: sin verò, vel id fieri aliqua potentia absolute potest, etsi vtraque in Deo decretuo absolute scientia præcedat, omitti à se decretum absolute posse cognoscet: quare neque si omittere velit decretum, conabitur in impossibile cognitum, vt impossibile: obiectio ergo specialem contra scientiam Dei mediam de suis actibus contingentibus difficultatem non habet; sed æquè omnem scientiam mediam de conditionatis contingentibus nostris impugnat: quare communi solutione erit occurrendum, quam fusius dabimus controu. 7. de decreto collatiuo auxilij efficacis, & scientia, qua reguletur, disputantes. Breui nunc respondeo: scientiam illam conditionatam, quæ physicè præcedit, purificationem conditionis, & contingens absolutum quod sub ea fore, repræsentat, connexam de se adhuc purificata conditione physicè non esse; sed solum cum suo conditionato obiecto, eiusque ratione, & connexione (quæ solum consequens est) cum absoluto contingenti connecti? quare, & necessitate, & connexione consequente solum. Item ratione futuritionis conditionatæ, cum qua vti suo obiecto connectitur, dependentiam habet à contingenti absoluto, cum purificatur conditio. Si enim tunc absolute non apponeretur contingens, futuritio conditionata, ac subinde nec scientia conditionata, non foret: quare & scientia ipsa ab absoluto contingente in sui positione, & existentia pendet, potuitque impediri, ne esset, ac præcederet pro priori, quo fuit, ac præcessit: quocirca neque absolutè contingentis potest liberæ positioni obesse, quam in alio ordine exercitam supposuit, vt in alio præcederet: neque vsquam in casu dicto potestas ad coniungendum duplex contradictorium, antecedens admittitur. Mutuam verò hanc causalitatem, & diuersum genus vtriusque explicare, atque à nonnullis difficultatibus expedire loci proximè citati proprius est.

QVÆSTIO IV.

An futura absoluta, etiam contingentia, secundum se, qua talia, diuinam terminent cognitionem, sintque proinde obiecta saltem materialia ipsius?

1. DE absolutè existentibus de præsenti dubium non est, quin diuina cognitione attingantur secundum se, sintque proinde ipsius materialia saltem obiecta: quia de eis nulla potest esse, vel difficultatis vel æquiuocationis, aut paralogismi occasio, vt omniscientia Dei non repræsentari iudicentur: cum actu in se sunt, ac entitatem, & veritatem metaphysicam cum ente conuertibilem habeant, extra quam nullam veritatem cognoscibilem, atque enunciabilem aliqui recognoscunt; licet ex hoc eorum iudicio difficultas illa contra scientiæ diuinæ Deique ipsius immutabilitatem, grauium recentiorum sententia humana naturali ratione insolubilis, acuatur; & augescat: inquirimus autem in præsenti solum an futura, nondum in sua propria duratione existentia terminent diuinam cognitionem, sintque secundum se, & vt futura nondum, relatè ad durationem creatam successiuam durationem, existentiam absolutam habentia obiecta saltem materialia illius? vt (sicut in præcedentibus de possibilibus, & futuris sub conditione obiectis) à quæstionibus de mediis, tam materialibus, quam formalibus, seu determinatiuis diuinæ scientiæ, vt circa futura ipsa versetur, postmodum rectæ methodi causa instruendis abstrahamus.

2. Futurum autem omne, creatum necessario est: cum, quidquid diuinum est, siue ex prædicatis necessariis, siue contingentibus eadem Dei æternitate indiuisibili, ac tota simul ab æterno & in æternum sit, ac duret: cum autem creata omnia, & singula esse, & existentiam actualem in se independenter à Dei decreto libero aliquo habere non possint: fit, vt futura omnia absolute contingentia, & libera sint: quia decreti diuini libertatem exercitam supponunt, à qua libere & contingenter existentia secundario denominantur: sicuti, & causarum, & facultatum arbitrio & libertati nostræ subditarum opera libera, & contingentia sunt, ac dicuntur respectu, nostræ etiam voluntatis, sine cuius exercitio antecedenti non sunt, & à quo secundario libera & contingentia denominantur. Quoniam verò libertas, & contingentia illa secundaria à præuio exercitio libertatis diuinæ futuris omnibus (seu à causis necessariis secundis, siue à causis secundis liberis, mediate, vel immediate, oriuntur) conuenit, vt hæc ab illis diuidantur, ratio & causa esse non potest: cum autem specialis sit in his, ex libertate, quam à voluntate creata etiam specialiter habent, quæ non in illis, difficultas, seorsim propterea à Theologis examinanda: futura contingentia, & libera specialiter ex libertate arbitrij creati, ab aliis diuidendo, futura contingentia, & libera absolute; alia vero reliqua futura necessaria Theologi nominarunt, in præsenti ergo quæstione de futuris, solum qua futuris, & qua, tam futura necessaria, quam libera, & contingentia respectu nostræ libertatis, in eis continentur, inquirimus, vt communem vtriusque difficultatem examinemus.

CERTAMEN I.

Dominicanorum Recentium futuritionis contingentium formalis constitutio exploditur.

1. RECentiores Dominicani Thomistæ, quos refert Hieronymus Viues (& ipse Dominicanus Thomista) de primatu diuinæ libertatis aduersus scientiam mediam d. 1. & d. 10. & d. 18. asserunt contingentium futuritionem puram formaliter, dicere quidem futuri de præsenti negationem absolutam, non autem absolutam eius existentiam pro vlteriori duratione; sed determinationem anteriori duratione, vt absolute existat pro posteriori. Hanc sententiam idem Viues citatis locis amplectitur, multisque stabilire conatur argumentis. Porro determinatiuum hoc futuris, vt existant posterius, decretum Dei de eius futuritione in sua & suorum sententia dicit esse Viues, citata d. 1. nu. 30. & nu. 118. Et hanc sane sententiam præfati Dominicani Recentes confectariam doctrinæ suæ de auxiliorum efficacia, & scientiæ mediæ tuentur; cum tamen nihili suarum sententiarum referat: etsi enim futuritio rei posteriori existentia inadæquate, iuxta communem omnium aliorum sententiam, ipsa terminorum apprehensione notam, formaliter constitueretur, dummodo ad eam pro ea decretum illud Dominicanum necessarium eius principium admitteretur, satis pro suis sententiis haberent: sed, cum tanti stet suarum harum doctrinarum difficultas, maioris adhuc stare volunt, vt aliò pugnam diuertant: quo, non bene solum (vt vulgo iactatur) sed, male etiam soluturos pignora non dolere nobis frequenter probent.

2. Et quanquam, neque decreta eiusmodi ad rei futuritionem admittenda sint, (vt sequentibus disputationibus monstrabimus) eis tamen admissis, nequaquam illis contingentium futuritionem formaliter constitui ex eisdem eorum principijs ostenditur. Primo: quia rei futuritio non

non minus dicit existentiam rei pro vlteriori duratione, quam esse rei præsens, eius existentiam actu, & de præsenti in hac præsenti duratione: atqui decretum non est rei existentia tempore præsenti: ergo nec inadæquatè rei de futuro existentia, vel futuritio. Maior est certa: Nam verbi substantiui significatum quouis inflexionis, seu coniugationis suæ tempore, siue præsenti, siue præterito, siue futuro idem omnino est; ast, cum de præsenti dicitur *contingens est*, dicitur, & significatur eius contingentis existentia, idque est eius significatum: ergo, cum dicitur *erit*, substantiuo eodem verbo de futuro, dicitur eius existentia pro vlteriori duratione, non minus quam existentia rei de præsenti indicatiui modi prolato, quo de ea dicitur futuritio. Minor item probatur primo: quia decretum de existentia, duratione vlterieri contingentis, non magis eius est existentia vlterior: quam decretum de eius existentia præsenti præsens, & actualis eius existentia sit: atqui decretum de eius existentia de præsenti, illius existentia de præsenti, per vos, non est: ergo nec decretum de eius existentia vlteriori duratione eiusdem existentia vlteriori duratione erit.

3. Secundò: quia posito decreto de rei existentia, pro quauis duratione, sublataque per impossibile rei existentia pro illa non intelligitur res esse pro ea duratione, siue esse de præsenti, præterito, vel futuro: ergo nec decretum est existentia rei pro illa, nec eius præsentia formalis, futuritio, aut præterito. Tertiò: per hoc ce decretum est de rei futuritione: ergo, cum efficax sit, futuritio rei est decreti effectus, & obiectum: atqui decretum, nec obiectum, nec effectus sui ipsius est: ergo neque est eius futuritio. Confirmatur; ex decreto efficaci de existentia de præsenti, siue præsentiæ rei in essendo: quæ, quia eius effectus, & obiectum est in decreto sui stare nullatenus potest: quod etiam verum est, etsi melius sapiens, aut minus male despiens, asseras decretum illud esse non de futuritione adæquatè sumpta; sed de existentia rei pro duratione vlteriori. Minus inquam despiens: nam futuritio per hoc ce negationem futuri de præsenti formaliter includit: quare decretum de existentia rei tempore vlteriori, non est decretum futuritionis; sed partis, vt summum, vnius ex duabus, quibus futuritio constituitur. Vnde quarto arguitur: neque eo posse, quoad partem illam, decreto formaliter futuritionem constitui: quia rei non esse de præsenti, quod altera futuritionis rei pars est, decreto de eius non esse, siue non existentia de præsenti, quam causat, neque inadæquatè constituitur; sed rei non esse, siue non existentia intrinseca rei, quæ ab illo causatur: ergo neque decreto de existentia inadæquata postea, quam causabit adhuc inadæquatè, constituetur futuritio; sed existentia ipsa intrinseca rei per illud causanda. Probatur consequentia, quia non dicit futuritio stricta, & pura, magis intimè non esse nunc, quam esse postea. Confirmatur: Nam non esse tunc rei, quam dicit futuritio, non tollitur formaliter decreto de eius existentia de præsenti, & nunc, sed sola intrinsecæ rei existentiæ negatione nunc, & intrinseci esse de præsenti: ergo esse rei postea, quo non esse rei tunc formaliter pelletur, sine cuius formali expulsione non intelligitur formalis rei futuritio, solo esse & existentia intrinseca rei constituitur formaliter; non autem decreto adhuc de eius existentia postea.

4. Quintò arguitur, & confirmatur vlterius: quia futuritio dicit formaliter realem formalem transitum rei de non esse nunc ad esse postea: atqui realis hic formalis transitus de non esse nunc ad esse postea, nequit esse nisi transeat ad oppositum reale formale contradictorium: ergo neque esse potest per decretum de eius rei existentia postea: Probatur consequentia: nam reliqua sunt nota: decretum de rei esse, siue de existentia postea non est reale formale contradictorium oppositum illi non esse, siue non existentiæ rei de præsenti, à qua ad extremum contradictorium essendi, siue existentiæ postea transitus futuritio est: ergo, nec potest esse per decretum de rei existentia postea realis formalis transitus de non esse, seu non existentia rei nunc, ad esse seu existentiam rei postea, quam dicit formaliter eius futuritio: quare neque in eo decreto rei formalis futuritio formaliter adhuc inadæquate, constitui potest: quod rursus inuerso huius transitus formalis ordine à decreto existentiæ rei postea (in quo aduersarij partem, vt minimum, futuritionis eius formaliter constituunt) ad decretum de negatione existentiæ rei nunc, siue ad decreti, de eius existentia nunc negationem, quæ solum contrarie, vel contradictorie realiter formaliter opponuntur. Confirmari potest: deberet enim proinde non esse rei nunc, per decretum de eius non existentia seu negationem decreti de eius existentia nunc formaliter constituti: quod aduersarij negant, ac non esse rei nunc, siue negatione existentiæ de præsenti formaliter ex ea parte constituti asserunt inconsequenter.

5. Sextò arguitur: Nam, etsi decretum illud sit determinatiuum, seu determinatio futuritionis rei, siue, vt res sit postea, quod est pars futuritionis; tamen aliunde nequit esse adhuc quoad eam partem futuritio in quocumque esse rei postea, & non esse nunc, quæ futuritio claudit, formaliter constituantur. Probatur: quia decretum illud nunc formaliter realiter est: ergo si id reale formale esse rei sit, & per quod realiter formaliter adæquate res transit ad esse nunc, & pro nunc transibit ad esse formaliter, quo definat realiter formaliter non esse. Patet quia posita reali formali forma adæquata essendi implicat pro eodem instanti quo posita est, rem non esse; atqui posita est nunc, per vos, decreto hoc existentiæ rei postea forma adæquata existentiæ rei, siue essendi rem postea: ergo implicat nunc rem non esse. Confirmatur: quia ex eo, quod negatio existentiæ rei forma adæquata sit non existendi, & nunc sit, implicat rem non nunc non esse: ergo, si decretum forma adæquata sit essendi rem, & nunc sit, implicabit rem nunc non esse. Vrgetur: quia implicat coniungi in eodem instanti, ac simul formam adæquatam essendi rem absolutè, pro quocumque instanti talis absolutè sit cum forma non essendi adæquata pro quocunque instanti talis sit: coniungetur enim necessario duplex pro eodem instanti contradictorium. Confirmatur vlterius: quia inter formas, quæ simul sunt, nequit esse transitus temporarius rei ab vna ad aliam, quem dicit futuritio. Nec satis est decretum illud esse formam adæquatam existentiæ rei postea, ac proinde non posse rem nunc existentem, & in esse formaliter constituere; sed solum postea: sicut in nostra sententia simul existunt ab æterno decreta determinatiua existentiæ rei præsentis pro nunc, & non existentiæ anteriori tempore, vel posteriori, sine vlla contradictione, aut destructione futuritionis, aut præteritionis rei in his est, & instantia, & solutio. Principia enim contradictoriorum, pro diuersis tamen durationibus, vt sunt decreta illa, sibi non repugnant, & contradicunt: ac proinde simul esse possunt, secus formæ adæquatæ contradictoriorum.

6. Solutio etiam inanis est: vel enim duratio sequens affert aliquid, quo formaliter saltem inadæquatè res sit, transeatque ad esse pro tunc, à non esse pro nunc, vel nihil affert? si affert, illud est forma, ad quam transibit pro ea duratione; si nihil, quia decretum est forma adæquata essendi tunc, & essendi ac transeundi nunc, forma erit, cum nunc est; duratio enim cum aduenit solum facit durare rem pro suo nunc, atque ad eum solum effectum formalem præstandum expectatur; non verò ad alios aliarum formarum effectus præstandos, nisi, vt ipsa forma, & subiectum, si diuersum ab illa sit, coexistant: vt ad effectum formalem seu compositum tunc ponendum oportet: quare ex eo, quod albedo adæquata forma sit constituens album, in quauis duratione deprehendatur, infertur legitimè album constitutum formaliter esse, pro quacumque duratione in subiecto sit, existentia vero, seu esse rei cum à re vel non differat, vel sit, eius primus actus non supponens rem in actu, sed omnino illam à pura potentia, in qua solum ad eum actus supponitur, extrahens, si quacumque duratione talis esse deprehendatur rem facit formaliter esse & transire formaliter à non esse ad esse, in quauis alia duratione, in qua sit, eadem consequentia vi conuincitur. Nec refert, si dicas, nihil aliud esse rem pro quauis durarione, quam pro ea durare iuxta sententiam asserentem, durationem à re durante, & è contra rei esse, & existentiam à duratione non distingui. Eo quippe etiam supposito solum obtinebis ea duratione posteriori non autem decreto existendi de præsenti, & ab æterno transire formaliter contingens, & rem quamuis futuram non esse nunc, ad esse postea pro illo tunc, quo erit: quare futuritionem, quæ in eo transitu formaliter stat, neque inadæquatè eo decreto formaliter constitui, sed duratione posteriori.

7. Septimò contra eam sententiam arguitur: quia rem esse nunc formaliter futuram, nihil aliud est, quam esse

posterius in rerum natura in existendo, comparatè ad instans præsens: vt ex ipsa terminorum apprehensione patet: ast id habent res formaliter præcisè per non esse, seu negationem existentiæ nunc, & per esse, seu existentiam tempore posteriori, (vt in ipsa duratione priori, & posteriori, seu futura clarius, si potest cernitur) quorum neutrum est decretum: ergo contingentis futuritionem est decretum. Respondet Viues sæpe d. 1. d. 10. d. 18. n. 44. & 45. negando maiorem. Primò: quia certo, & infallibiliter futurum de præsenti debet habere determinationem ad existendum postea, quam nequit de præsenti habere ab existētia postea, quæ nō potest retrotrahi ad præsens, neque cū sui præsente negatione sine contradictione coniungi, aut misceri: quare eam solum habere potest formaliter à decreto determinate de præsenti existentiam futuri tempore posteriori, & cum negatione præsenti existentiæ amicè componibili. Secundò: quia determinatio præsens decreti sufficit, vt existat res postea; nec aliter possit euenire: quare cum hoc sit prius in eo stabit primaria futuritio rei; licet inde inferatur posterior illa rei futuritio, quam dicimus, completa per existentiam rei postea, & ex qua rursus, vera illa, & primaria formalis rei futuritio à posteriori inferatur. Dedi non solum solutionis secundæ verba, sed mentem: ea tamen aperta est principij petitio, & conclusionem ipsam pro solutione, & ratione dare: cuius nulla alia ratio, tentata sæpe, ab authore, redditur, quam existentiæ postea contingentia; quæ prima tangitur solutione: & cuius proinde confutatione impugnabitur.

8. Est igitur contra primam: quia, licet in priori naturæ ad existentiam contingentis postea contingens sit existentia contingentis futuri postea, ast pro posteriori naturæ existentiæ eius postea ponendæ, certo & infallibiliter ita est ponenda postea, vt non possit non poni: non secus atque ex suppositione, quod actu, & de præsenti idem contingens ex priori naturæ, & ex sua causa indifferenti contingens ponatur, in se pro actu secundo nō potest non poni, nec contingens est, vt non ponatur; ac proinde certo, & infallibiliter positum de præsenti est: quidquid enim est, quamdiu, & ex suppositione, quod sit, necesse est esse, neque vlia est potestas, adhuc diuina, esseue potest, vt nō existat de præsenti postea (cras v.g.) quod cras, vel de præsenti existere supponitur, alterutroue tempore in se existit; licet sit potestas vt non existat antecedenter natura ad eius existentiam: quia nulla est potestas, esseve potest ad coniungendum pro vlla duratione duplex contradictorium, ergo sublata omni determinatione, seu decreto Dei, vt cras, v.g, existat contingens, quod hodie ac de præsenti nō existit, ex eo præcisè, quod pro posteriori naturæ ad suam causam in se postea cras existat, certò, & infallibiliter, ac necessariò necessitate consequente est cras extiturum, & futurum, & ex nunc futurum, quin opus sit existentiam posterioris durationis ad præsentem retrotrahi seu anticipari, misceriue cum præsente existentiæ negatione, sed sua duratione posteriori esse, vt nunc sit ab illa res, quæ non est, futura, dicaturque: est enim futuritio ab absenti existentia constituta, ac denominata æqueque denominata, non secus atque præteritio; quin opus sit vt existentia anterior cum negatione præsenti misceatur trahaturque ad tempus præsens, in quo est res, quæ præteriit: quocirca, neque vt sui principium actiuum decretum prædurans de futuri existentia posteriori per se formaliter, & é sui exigentia, & indigentia requirit; sed satis, si à Deo, pro ea duratione, pro qua rei existentia primo erit, conciperetur, illi foret, vt d. sequenti ostendemus; licet quia non ita à Deo concipi decreta sua in tempore debuo possunt, sed omnia in sua, & ex sua æternitate concepta sunt, ac necessariò, ita concipi debent, materialiter præconceptam tota æternitate requirat.

9. Octauò ex nuper dictis hanc Recentium Dominicanorum sententiam impugno, communemque nostram probo. Præteritio contingentis seu esse contingens præteritum formaliter adæquatè stat in eius nonexistentia nunc, & existentia tempore anteriori, quin formalem eius constitutionem intret decretum de præteritione, aut existētia anteriori ipsius, à quo actiuè extitit anterius contingens: quare ex anteriori existentia contingentis illius, quæ non est de præsenti, & negatione existentiæ de præsenti erto, & infallibiliter præteritio illius, quod nunc, & de præsenti præteritum est, formaliter adæquate consistit: ergo, licet futuræ rei existentia postea, non sit nunc, cum de præsenti res est futura, in illa tamen, & negatione eius præsenti stabit adæquata formalis futuritio, qua res sit nunc, & de præsenti futura, sicque absque vllo decreto, ex eis solis res formaliter erit. Respondet Viues d. 18. n. 48. præterītionem rei esse solam denominationem extrinsecam ab existentia eius, quæ fuit, ast futuritionem non ab existentia postea, sed à determinatione præsenti ad ipsam: sed quia, vel cæcus, videat ea solutione principium peti, & reiponderi conclusiue, reddit eius disparitatis rationem solutione secunda: quia res fuit: cum de præsenti erat, determinata erat ad esse) & postea determinata manet prorsus ad fuisse, neque ad non esse, vel non fuisse contingentiam habet; at vero futurum contingens, cum nondum fuerit, nec sit, determinatum non est ad esse postea.

10. Hoc tamen impugnatum est n. 8. cum solutione 2. ad argumentum 7. à qua non differt, æque enim præteritum atque futurum contingens antecedenter potest non esse in sua duratione; at ex suppositione, quod sit, necesse est esse, qua suppositione vel futurum, vel præteritum, est atque constituitur pro nūc, ac non sine illa: quare, & determinate, ac necessario est, vel futurum, vel præteritum infallibiliter, etsi de præsenti nulla sit decreti determinatio, vt postea sit, vel antea fuerit. Verum quidē est, quod profundè obseruauit de præteritis Anselmus libro de cōcordia præscientiæ cū lib. arbitr. columna 2. *in re præterita est quoddam, quod non est in re præsenti, aut futura. Nunquā enim fieri potest, vt res quæ præterita est, fiat non præterita; sicut res quadā, quæ præsens est, potest fieri non præsens: & aliqua res, quæ non necessitate futuræ est, potest fieri, vt non sit futura.* Cuius rario est, quia, cum duratione signa, & instantia omnia naturæ, cum causæ ad vtrumlibet indifferentis, & potentis, tum contingentis effectus, qui in seipso pro illa sua anteriori duratione ita fuit, abierunt, vt nequeant rursus ad rerum naturam reduci, ac reuocari: neque nunc, neque vlla alia duratione, quæ fuerit, eam in qua, & pro qua contingens extitit, subsecuta, vlla iam est, vt non fuerit, potestas; quare, & fuisse omnino necessarium nunc est, & non fuisse prorsus impossibile: cum tamen in re præsenti contingenti, aut futura, cuius nondum elapsa duratio est, vt pro sua duratione, vel præsenti, vel futura non sit, absolutè sit potestas antecedens, ex qua absolutè non esse possit: licet potestare consequenti non possit, vel nunc vel postea non esse, sed necessario de præsenti sit, vel sit futurum, vt diximus ac proinde cum eiusmodi consequens futuri in seipso necessitas ex nunc futuritionem eius constituat, determinate, ac necessario futurum esse facit contingens, quod de facto erit.

11. Nonò tandem, (vt plura scribendi in re adeo clara tædio reliquis abstineam) eandem Dominicanorum sententiam ad hominem impugno, & communem nostram ostendo primò: quia futura hæc, eorumque futuritionē absolutam in decreto Dei, cognosci tanquam in medio, & Viues, & reliqui iuniores Thomistæ consentiunt: ergo futura non sunt formaliter futura per decretū: nec hæc est eorum formalis futuritio: nihil enim medium est ad sui cognitionem. Secundò: conueniunt illi etiam futura, eorumque futuritionem in seipsis non posse cognosci: ergo nec decretum est eorum futuritio: patet, quia hoc in seipso cognoscitur: quare, si decretum futuritio ipsa futuri formaliter est, nequit decretum in se cognosci, quin in se etiam futuritio, & futura, qua talia, cognoscantur, ni contradictoria admittantur. Tertiò: malitia peccati crastini, vel alterius etiam futuri, (v.g. peccati Antichristi) futura, nunc, vereque futura est, & peccatum qua peccatum formaliter, per illam tale ex nunc, imò ex æternitate est futurum: atqui per vos nullum nunc, neque ex æternitate datur Dei decretum, aut determinatio ad malitiam peccati, neque ad peccatum formale, seu formaliter tale, (alioqui, ne verbis quidem, discrepabitis à Caluino) nec ad materiale ipsum physica præmotio, quæ cum formali connectitur peccati futuri, nunc, aut ex æternitate est: ergo malitiæ peccati futuræ ex nunc & ex æternitate, seu formalis peccati datur ex nunc, & ex æternitate vera futuritio absque eius decreto, aut determinatione, quæ nunc sit aut ex æternitate fuerit: ergo futuritio contingentium aliorum absque eiusmodi decreto constituitur. Respondet Viues d. illa 18. n. 52.

num. 52. sequenti tomo se respondurum; interim vero admitti posse decretum Dei ab æterno intrinsecè efficax, circa malitiam formalem peccati, vt duo includat tale decretum Dei circa peccatum, & præfinitionem, ac prædeterminationem circa materiale, & permissionem circa malitiam, & formale illius: sed si permissio, quæ est in eo decreto ad malitiam de se, cum illa infallibiliter connexa sit, (vt ad solutionem opus est,) cum sit connexio illa & determinatio antecedens, & durationc, & natura aperte est præfinitio diuina malitiæ, & formalis peccati, nec solum materialis, quæ verbis etiam ipsis, quibus Dominicani consentiendum Caluino fatentur, plane suus Vives solutione consensit. Melius ergo erat illi, à malè soluturorum more, sua illa solutionis dilatione teneri, quam in adeo præceps agi.

12. Missum nunc facio permissionis nomine eum abvti, ac proinde in ea connexionem cum malitia, & formali peccati futuri admisisse. Neque enim permissio de se cum peccato connexa est, nisi medium cum permissa malitia connexum sit, neque item impermissum obiectum, seu effectum de se tendit positiue: quocirca, ni prædeterminationem physicam ad formale peccati futuri, tanquam medium admittat, nequit in decreto illo, qua permissiuum est malitiæ, connexionem cum malitia, & determinationem, vt postea sit, assignare: &, ne tunc quidem argumenti vires infringet: cum physica illa prædeterminatio malitiæ futuræ nunc, ne dum æternitate tota anteacta, ex qua malitia futura est, nondum sit. Porro omnia, quæ pro sua, & contra nostram communem sententiam Dominicani Recentiores inducunt, vel ad hominem è nostri Ribadeneyra doctrina de necessitate verificatiui præsentis ad veritatem propositionum de futuro contingenti sunt, quam reliqui Societatis nostræ Doctores abiecerunt, abiicientque, & nos deinceps confutatabimus non paucis: vel ex non penetrata futuri contingentis ex parte vna contingentia in causis suis, & actu primo, quibus, & in ordine ad quas, contingens est, cum eis contingenter adiungatur; & ex alia parte necessitate essendi in se, vbi primum est, siue ex suppositione, quod pro sua posteriori durationc sit: vnde cum hac existentia posteriori rei in se futuritio constituatur, futuritio contingentis in se certa ac necessaria est; neque ea certitudine differens à certitudine & necessitate futuri non contingentis, sed omino necessarij; sed alia, scilicet, necessitate antecedenti, in suis causis, quibus illud coniungi necesse etiam est: cum ergo argumenta omnia horum ignorationi, at inde ortis æquiuocationibus innitantur, singulatim ea diluere otiosum erit: solum aduerto, nihil pro sua sententia à Dominicanis istis afferri, quod in contingenti de præsenti, vel de præterito instari eadem vi contra eosdem nequeat.

13. Quæ obiiciuntur à Thomistis pro sua sententia, diuecta sunt impugnationibus solutionum à Vives adhibitarum, omniaque ei innituntur principio notissimè falso: quod vere futurum, ac non fictum, aliquam actualem sui formam tempore præsenti, ex quo futurum est, debeat habere, nec satis esse negationem actualem de præsenti, quam etiam habent pure possibilia: sed ordinem actualem ad existendum postea, qui intrinsecus rei existenti esse nequit, sed extrinsecus à decreto; cum tamen futuritionem sola actuali futuri negatione, sed posteriori eiusdem existentia compleatur: quare implicat totam eius formam actu, & de præsenti esse, nec ordine vllo actuali ad existentiam opus habeat, quæ extrinseco posteriori completur: vti in omni extrinseca denominatione pura vsu venit: quæ verò ex S. Thom. de effectus in suis causis futuritione pro se etiam assumunt, de futuritione penes signa prioritatis, & posterioritatis naturæ, & causalitatis sunt, imitatiua nimirum, ac non propria futuritione temporaria, de qua hic disputatur.

***

CERTAMEN II.

Veræ communis contigentium futuritionis sententia explicata, atque in doctos Recentiores animaduersio.

1. VEra omniumque, siue Philosophorum, siue Theologorum cæterorum communis sententia est: contingentium futuritionem (puram, & perfectam intellige, iuxta mox dicenda) sola negatione existentiæ contingentis in duratione, seu æternitate anteacta ad ipsum, in qua, & ex qua pure futurum est, & existentiæ eiusdem pro durationc posteriori formaliter adæquatè constitui. Longum esset priscos omnes ita docentes, vel citare; ideirco Recentiores aliquot tantummodo referam, apud quos, vel generatim, vel singulatim reliqui videantur: ita Vasquez, Soarius, & Valentia in sequentibus citandi, & vbicumque de futurorum præscientia, vel obiter, vel ex professo disputant. Herize 1. part. d. 6. capite 6. Fassolus quæstione 14. articul. 13. numero 66. Petr. Hurtado d. 9. de anima lect. 6. sub sect. 1. Theophil. Raynaud. d. 2. disciplin. Moral. numero 342. Ruiz tomo de Scientia Dei d. 23. Alarcon tractat. de Scient. Dei d. 4. capite 1. numero 3. & 5. Bartolus Amicus tractat. 21. Logic. d. 4. dub. 4. Franciscus Lugo 1. de Deo vno d. 29. capite secundo, numero 14. Ribadeneyra d. 10. de Scientia capite primo, Pasqualig. tom. 1. d. 25. section. 2. numero 17. licet in præcedentibus aliquid æquiuocationis passus videatur Quiros 1. tractat. de Scient. d. 26. section. 2. numero sexto, Bortull. de sensibus Scient. med. d. 1. section. 2. numero 13. asserens eam esse omnium Societatis Doctorum sententiam. Diceret tamen melius eam non solum omnium Doctorum, sed & Grammaticorum; atque vniuersim omnium hominum sensum esse: quorum syllabum non minuunt pauculi, qui contra vocum, & terminorum, quibus vtuntur sensum, & apprehensionem, etiam suam, vt vidimus, obstinato sententiam ferunt.

2. Sententiæ huius probationes datæ à nobis abunde sunt cert. 1. toto: quare pro quæstionis clariori decisione notandum est primo: futurum, qua tale, siue rei futuritionem in duplici differentia esse vel puram, vel non puram, seu præcisiuè talem: sicut de possibilitate diccebamus: quare, sicut pura rei possibilitas, addit insuper negationem absolutam existentiæ absolutæ in quauis temporis differentia: ita, & pura rei futuritio duo dicit: & absolutam negationem existentiæ in durationc præsenti, respectu cuius futura est, & dicitur, & absolutam eius existentiam in durationc posteriori. Vnde rei futuritio intrinseca illi adæquate non est; sed partim intrinseca partim extrinseca: intrinseca, quatenus eius existentiam absolutam ipsi intrinsecam & identificatam pro posteriori durationc importat; extrinseca, quatenus pro præsenti anteriori tempore negationem absolutam existentiæ rei ipsi coniungibilem denotat: sicut autem possibilitas præcisiua solam dicit non repugnantiam absolutæ existentiæ rei possibilis, cuius proinde existentiam absolutam non ab omni, imo neque ab aliqua remouet durationc, quare, & rebus absolute pro aliqua, imo, & pro omni durationc (si quæ sint, esseve possint) existentibus, & extituris competit: ita & futuritio præcisiua rebus de præsenti anteriore durationc, etiam existentibus competit: solumque dicit eorum durationem præsenti anteriore totam absolutæ existentiæ earum durationem non claudi, sed porrigi vlterius, & extendi: quo etiam pacto de præteritione rerum philosophandum erit, quanquam præteritio, si perfecta sit, & absoluta tempore præsenti atque posteriori, respectu cuius, & pro quo præterita absolute res est absolutæ eius existentiæ negationem inuoluat; secus si imperfecta sit præteritio præterito imperfecto verborum significata. Vnde Deo æterne omnino existenti

illud Apocalyp. propriè conuenit, *qui est, qui erit*, seu qui *venturus est*.

3. Hinc fit propositioni,& iudicio omni, quo rei futuritioni assentimur,quaque de re futuritionem enuntiamus, si præcisiuam enunciemus, aut iudicemus nullatenus eius negationem absolutam pro tempore, quo ita illam iudicamus, aut enuntiamus, repræsentari, iudicari, aut enuntiari debere; imo neque posse, quia in futuritione ipsa præcisiua obiecta significata, iudicata, aut etiam enunciata, non clauditur. Propositione autem vel iudicio quibus futuritio rei pura significatur, iudicatur, ac dicitur eius absolutam existentiam pro posteriore durationc, ac eiusdem insuper negationem pro præsenti anteriore duratione significari, dici, atque iudicari: quia id totum in essentia eius obiecti continetur. Hæc apud omnes certa, & citra controuersiam sunt, & apud nostrates, licet aliter, atque aliter rem explicent. Dominicani vero Recentiores in ordine causarum ad existentiam, & durationem futuri, siue perfecti, siue imperfecti, vt vidimus, & confutauimus certam.1. decepti locis Sancti Thomæ, quibus analogicam tradit effectus futuritionem prout in causis earum pro naturæ priori continentur ante sui existentiam formalem, & intrinsecam pro posteriori apponendam; non autem futuritionem propriam, & principalem, quæ in ordine ad tempus anterius est, de qua in præsenti; futuritio enim illa effectus in causis penes prius, & posterius naturæ etiam in rebus, quæ de præsenti sunt, inuenitur, nec proprie verbi tempore futuro significatur: illud autem inter nostrates certum non est. An eius iudicij & enunciationis duratio præsens, qua futuritio, siue pura siue præcisiua, (eadem quippe, quoad dubium hoc est de vtroque difficultas) iudicatur, ac dicitur, iudicio illo, quatenus eius iudicij, & enunciationis duratio formaliter est, eis significetur, iudicetur, & enuncietur: ita, vt iudicium, & enunciatio supra suam ipsorum durationem, quatenus ipsorum duratio est, ac supra se etiam ipsa reflectant, vt ipsorum etiam durationem significet, atque implicitè saltem enuntiet? Nam materialiter durationem præsentem, in qua iudicium, & enuntiatio sunt, significare, & enuntiari per copulam *erit*; aut verbum aliud temporis futuri, quo propositio constat certissimum est.

4. Docti Recentiores censent, copula, aut verbo iudicij, & enuntiationis de rei futuritione significari, & iudicari tempus præsens anterius, quo res vel non est (si pura futuritio enuntietur) quoque id enuntiatur, ac iudicatur, vel vltra quod erit (si iudicatur & enuntiatur futuritio præcisiua) formaliter, vt duratio iudicij, & enuntiationis ipsius est: ac proinde iudicium, & enuntiationem illam esse reflexiuam supra seipsam; alioqui esse iudicij ipsius durationem significare, & enuntiare non posset, nec rei puræ futuræ existentiam, & durationem esse posteriorem duratione actus. Probant, quia per affirmationem enuntiatiuam existentiæ rei de præsenti affirmatur simultas rei, & enuntiationis: ergo per affirmationem de futuro affirmatur existentia enuntiationis in duratione præsenti, in qua habetur, vt eius duratio est, & anterior ad durationem posteriorem absolutæ existentiæ rei futuræ. Probant vlterius à priori: quia cognitio futuri non est præcisè cognitio existentiæ rei pro sua duratione; id enim habet cognitio rei de præsenti habita in eadem duratione, qua, res absolutè existit; quæ tamen diuersa est non ex parte modi cognoscendi, sed obiecti cogniti: nihil autem aliud potest ex parte obiecti per illam cognosci, nisi durationem rei esse posteriorem illa, in qua cognoscitur, & enuntiatur res fore, ergo id totum cognoscitur, & enuntiatur, ac proinde id totum intrat in futuritione rei obiectiua, & id totum cognoscitur & enuntiatur.

5. Nihilominus censeo concerni quidem tempus præsens, quo proferens iudicat, & enuntiat propositionem de rei futuritione, materialiter quidem, vt dixi, non autem, vt ipsi actui correspondet, atque eius mensura temporaria formaliter est. Moueor: quia, vt nuper aduersarij dicebant tempus illud præsens, vt mensura actualis iudicij, & enuntiationis de rei futuritione incognito reflexe iudicio ipso, ac enuntiatione per ipsamet, cognosci nequit; implicat autem cognitionem creatam sui repræsentatiuam, ac supra seipsam reflexiuam esse: vt fusè controuers. de actibus intellectus creati ostendimus, nec nimis curtè controuers. hac 3. d. 2. vbi ostendimus reflexionem cognitionis supra seipsam summè intellectiui, & intelligentis Dei summæque scientiæ, & cognitionis diuinæ proprium esse: ergo implicat per iudicium, seu enuntiationem de rei futuritione tempus præsens, vt mensura est eius iudicij, & enuntiationis per ipsam cognosci, ac enunciari. Moueor secundò: quia eo præcisè, quod res nunc non sit postmodumque pro vlteriori duratione, & tempore existat est futura etsi nulla sit huius cognitio: ergo hoc solum cognito, & enunciato nunc iudicatur, & enuntiatur totum, quod dicit eius futuritio: atqui totum hoc cognoscitur non cognito præsenti tempore, quo futuritio de re cognoscitur, & enuntiatur, vt est mensura cognitionis iudicij, ac enuntiationis, quæ tunc habentur: ergo, vt cognoscatur, iudicetur, ac enuntietur de re futuritio, opus non est cognosci,iudicari, ac enuntiari tempus præsens, vt mensura formaliter est iudicij, ac enuntiationis de ipsa.

6. Fundamenta Recentiorum debilia sunt seipsis, & ex datis proximè rationibus subruentia. Neque enim negamus per copulam propositionis de præsenti consignificari tempus in quo est actus, proferens, & iudicans, eiusque propositio profertur, atque cum proferenti tum, eiusque propositioni proportionatur: cognoscitur enim, sed non formaliter, vt est tempus eius cognitioni, & propositioni respondens; ac similiter dicimus significari per copulam, seu verbum de futuro ipsum præsens cum negatione absolutæ existentiæ rei futuræ, si pure fututa cognoscatur, & iudicetur: sicut de præteritione re perfecta, proportione seruata ad tempus anterius, pro quo extitit, dicendum est; negamus vero aliqua ex eis propositionibus cognosci præsens tempus, vt mensuram iudicij, & enuntiationis, quæ in illo habentur. Ad secundum constat diuersitas obiecti futuritionis rei, quæ enuntiatur propositione de futuro obiectiuo propositionis, & iudicij de præsenti obiectiua veritate.

CERTAMEN III.

Futura, qua futura, ac secundum se à Deo cognosci certissimum de fide, & ex ratione est.

1. Conclusio hæc communis Philosophis, & Theologis omnibus, nullo excepto est. Licet enim Philosophi nonnulli, quos q. sequenti cert. 1. referemus, futura contingentia nostra cognosci à Deo negauerint vt libertatem nostram tuerentur: ast de futuris nobis non liberis, sed necessariis, in quibus ea ratio non adest, nullatenus cognosci à Deo negarunt, & quamuis Theologi, ex Recentioribus etiam nostris nonnulli,ad id omne,quod actu cognoscitur, determinatiuum, seu verificatiuum cognitioni coexistens tunc, cum habenda, concipiendaque est, requirant, tamen ad futura ipsa diuinam scientiam terminari, tanquam ad obiectum saltem materiale, iidem omnes defendunt, idcirco hic cum nullo Doctore super hac conclusione certabimus.

2. Sed neque cum Catholico aliquo certare poterimus: cum adeo sint aperta cognitionis diuinæ de futuris absolutis contingentibus nobisque liberis (in quibus,præter futuritionem, & actualis absolutæ existentiæ negationem alia est ex eorum libertate apparentior difficultas) scripturæ testimonia q. sequenti recitanda, quibus propterea recitandis nunc abstinemus. A ratione igitur probatur primo: quia præterita, etiam perfectè præterita, qua talia, nemine dubitante cognoscit Deus: ergo etiam cognoscit futura pure qua futura. Probatur consequentia: quia præterita perfectè præteritaæque absolute non

sunt

sunt de præsenti, cum cognoscuntur; atque non sint absolute pure futura de præsenti: ergo æque poterunt à Deo cognosci, qua talia: solus enim defectus absolutæ actualis existentiæ de præsenti poterat eorum cognitioni de præsenti apparenter obesse. Tertio: quia cognitio nostra, non ad existentia solum de præsenti, terminatur, sed ad futura, ac præterita, quæ de præsenti non existunt: potiori ergo iure ad ea etiam omnia terminabitur cognitio, & omniscientia diuina.

3. Quarto: distantia localis non impedit, quo minus obiecta loco dissita intellectu nostro, imo tardiori sensibili potentia (v. g. visu, auditu) percipiantur, earumque teminent cognitionem, multoque minus impediret diuini intellectus perspicaciam infinitam, vt etiam loco distantia, sua scientia penetraret, etsi immensitas, ratione cuius omnibus intime præsens, & penetratus Deus est, ipsi deesset: ergo nec distantia temporaria obiectorum pure futurorum oberit infinitæ Dei cognitioni, quo minus ipsa anteacta duratione, imo ex æternitate pertingat. Confirmatur: quia, etsi præsentia, & simultas localis, ac durationis existentiæ obiecti, & cognoscentis requireretur in duratione, & loco, quibus obiectum pertingit, Deo non deficit: cum duratio, & locus, vt sic dicam, quo Deus obiecta cognoscit, & iudicat, æternitas, & immensitas sint: quæ rei futuritioni secundum se totam coexistunt; siquidem coexistit æternitate sua indiuisibili Deus tempori nostro in quo futurum non est, & posteriori durationi, in qua est: sicut immensitate sua tota loco nostro in quo non est, & loco etiam in quo obiectum est; cum autem duratio significata, & denotata per copulam *est*, aut quoduis verbum enuntiationis, sit duratio propria, & proportionata iudicanti, non autem obiecto, vt dicebamus controuers. 1. sit, vt, licet de obiecto nostræ durationis non existenti de præsenti, sed propositeriori duratione, cui, & existentia eius absoluta, & eius negatio absolute coexistunt, cognoscat, & iudicet Deus.

4. Hinc euanescunt, quæcumque contra certam hanc conclusionem obiici poterant, & in primis illud, quod difficillimum, & fere inexplicabilis paralogysmi plenum est, de Dei mutatione, cum obiectum de præsenti aduenit, cuius præsentem veritatem ab æterno cognosci à Deo non potuisse, si, vt futurum cognoscatur ac futuritio rei diuersa ab actuali eius præsentia sit. Cui difficultati satisfecimus citato loco controu. 1. ex doctrina data in confirmatione proxima: ex qua etiam facile constat vim, ne apparentem quidem, vllam non habere illud, quod facit contra nostram de rerum futuritione cognitionem, quando actu absolute non sunt, cum iudicantur, & enuntiantur fore, quia quod non est, non scitur: etsi enim vim aliquam haberet respectu nostrarum cognitionum, & iudiciorum, quæ tempus nostrum transiens, & essentia sua successiuum concernunt; ast respectu diuini iudicii, quæ suam indiuisibilem, ac totam simul, æternitatem concernit, cui toti omnia, tam positiua, quam negatiua, suo quæque tempore, coexistunt, difficultatis vmbram habere non possunt. Idcirco Isaiæ 45. dicitur, *qui fecit, quæ futura sunt*. Explicat Augustinus in Psalm. 104. Ad id: *Vocauit famem super terram*, his verbis: *Apud Deum quippe iam factum est, quod eius dispositione futurum est*. Et Hieronym. in 1. Ierem. sub initio. *Priusquam te formarem in vtero noui te*: ait. *Non quod ante conceptionem (vt hæreticus suspicatur) fuerit Hieremias, sed quod præscierit eum Deus, cui, necdum facta, iam facta sunt*. Et Gregor. Mag. 20. Moral. c. 23. circa medium dubitat: qui Deus, cui nihil præteritum transiens, aut aduenies est, præscius dicitur? ac respondet: *quia ea, quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt* (relate ad eius durationem) *præscius dicitur: quamuis nequaquam futurum præuideat, qui præsens videt*: quia scilicet æternitate sua videt.

5. Sed neque respectu alicuius cognitionis nostræ, etiam, quæ tempus nostrum concernit, difficultatem in præsentiarum habet: tum, quia in hac quæstione abstrahimus ab ea quæstione, an futura hæc in se cognoscantur? an solum in alio, quod de præsenti debeat esse eius cognitionis determinatiuum, ac verificatiuum? solum enim, vt de reliquis hactenus obiectis diuinæ scientiæ, disputabimus, de his etiam futuris: an secundum se diuinæ scientiæ obiecta terminatiua sint? siue vt ea pertingat Deus determinatiue, aut verificatiue alio de præsenti, & actualiter absolute existenti habeat, siue non habeat, opus; de quo disput. ab hinc 2. & 3. longa nobis erit cum Thomistis Dominicanis, & vno, vel altero e nostris Recentioribus controuersia: quare hic plura de his addere extra locum, imo extra chorum importune saltare nobis est visum.

QVÆSTIO V.

An futura contingentia secundum se obiecta sint materialia, ac terminatiua diuinæ cognitionis?

QVID futurorum contingentium absolute à Theologis nominatorum voce intelligatur, constat è quæstionis quartæ, præfatione num. 2. scilicet, quæ à libertatis creatæ exercitio absoluto pendent, siue elicitiue proxime, cuiusmodi sunt arbitrij, ac liberæ & indifferentis voluntatis nostræ actus, siue remote, & mediate, vti subditarum ei potentiarum, & facultatum nostrarum operationes, externorum agentium, ex libera nostra applicatione operaturorum. De iis siquidem omnibus, quoad contingentiam eorum ex parte sui principij consideratorum eadem est difficultas.

CERTAMEN I.

Deum cognoscere ab æterno futura contingentia nostra de fide est.

1. CIcero teste Augustino 5. de Ciuitate Dei cap. 9. negauit Deo futurorum contingentium nostrorum scientiam, ne, si eam anticipato haberet, eisdem contingentibus necessitatem imponeret, quæ eorum euerteret libertatem, ita ille 2. de diuinat. & 2. de nat. Deor. prope fin. *sicque homines*, inquit Augustinus, *dum vult facere liberos, fecit sacrilegos*. Etsi autem 3. de nat. Deor. Balbi præscientiam, & præuidentiam Deorum propugnantis, quam Cottæ, & eas, & Deos inde negantis sententiæ adhæreat, vitandæ tamen inuidiæ communis causa, non autem ex proprio sensu id à Cicerone factum Aug. ait: in eodem errore recensetur à Patribus, & Scholasticis Aristoteles ob rationem eandem. Ita, solum seruandæ nostræ libertatis (quam attigisse videtur) causa, cum propositionem de futuro contingenti determinate veram, aut falsam esse vniuersim negauit 1. Periherm. c. 8. hac ratione. *Nam, si omnis affirmatio vera est, aut falsa* (scilicet determinate) *& omne necesse est esse*. Ac statim fere: *Nihil ergo, aut est, aut fit fortuna; neque est quidquam, quod aque fieri, aut non fieri possit, sed omnia necessario eueniunt*: Ex quo errantis sui rationem mutuatus videtur Cicero 2. de natura Deorum prope finem. *Nam, si, inquit, scit Deus certe euenire: quod si certe euenire; nullus est casus, neque fortuna*: aliunde etiam futurorum contingentium scientiam Deo negasse Aristoteles putatur à Patribus: quatenus sui ipsius solum contemplatione absorptum nihil vltra considerare docuisse videtur. Verum ab hoc errore vltimo eum liberauimus d. 4. q. 1. sed de primo titulo libertatis nostræ euertendæ ex scientia Dei de nostris contingentibus futuris eam Deo denegasse fatentur ex Theologis Gregorius in 1. d. 38. quæst. 1. a. 1. & Sanctus Bonauent. ibidem ad 3. Vasquez 1. p. d. 66. c. 1. & 2. Soar. Opusc. de scient. futur. contingent. c. 2. nu. 11. ex Philosophis Conimbr. ad illud caput q. vn. a. 3. & fere omnes eius Commentatores Recentiores ad eum locum. Noster vero Ruiz sect. 5. & 6. cum vetustioribus, eum etiam hoc titulo ab eo errore liberat, de quo nos contr. de anima. In eodem tandem errore fuere teste Herize

d.6.c.1. Stoici, Simon Magus, Lutherus, Caluinus, VVicklefus, & Bardacenſes.

4. Veritas tamen Catholica eſt: ad contingentia futura ſecundum ſe diuinam ſcientiam extendi ac terminari conſtat ex vulgaribus ſcripturæ locis Exod. 3. *Ego Scio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam.* Deuteronom. 31. *Scio cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie.* Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe: & omnes vias meas prouidiſti.* Sapient. 8. *Scit præterita, & de futuris æſtimat*, c. 19. *Præſciebat enim futura illorum*, & Eccleſiaſtici 23. vt probet Dei oculos omnes vias hominum circumſpicere, & corda hominum ait: *Domino Deo antequam creaerentur omnia ſunt agnita.* c. 39. *Opera omnis carnis coram illo: & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius. A ſeculo, & vſque in ſeculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius, cui prauidenti nihil nouum.* Daniel. 13. *Abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant.* Sap. 8. *Signa, & monſtra ſcis, antequam fiant, & euentus ſæculorum, & temporum.* Iſaiæ 44. *Quis ſimilis mei? vocet & annunciet, ordinem exponat mihi ex quo conſtitui populum antiquum: ventura, & quæ futura ſunt annuntient eis.* c. 45. *Hæc dicit Dominus ventura interrogate me.* c. 48. *Prædixi tibi ex tunc: antequam euenirent.* Ioan. 13. & 14. *Dixi vobis, priuſquam fiat, vt, cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.* vnde Ioan. 2. *Recordati ſunt diſcipuli, quia hæc dicebat, & crediderunt.* Iudæ epiſt. *Subintroierunt quidam, qui olim præſcripti, ab æterno præſciti erant in hoc iudicium impij*, & 2. Petri 2. *Quibus iudicium iam olim non ceſſat*, ad Rom. 4. *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*, quem locum de futurorum nondum exiſtentium ſcientia intelligunt Hieronym. recitatus q. 4. cert. 2. num. 4. Auguſtinus ibidem recitatus, Damaſc. Dialog. contra Manich. prope medium his verbis: *Deus, quæ non ſunt vocat, & quæ futura ſunt, velut iam facta, perſpicit ac iudicat.* ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, c. 11. *Plebem ſuam, quam præſciuit.*

3. Præfatæ veritati adſtipulantur Petrus Apoſt. apud Clem. Rom. 1. recognit. verſ. med. *Qui ſolus ſcit* &c. *quæ erunt, ita vt erunt.* Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 7. *Deum in ſe verum omnium ſcientiam anticipatam habere* aſſerit: & ita, *vt quæ ſunt omnia ex ſe, atque ab ipſo, vt ſic dicam, initio* (quod abſque initio æternitas eſt) *cognita haberet.* Boëtius 5. de Conſol.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole reſiſtunt:
Non nox atræ nubibus obſtat:
Quæ ſint, quæ fuerint, veniuntque
Vno mentis cernat intuitu:

Et proſa 2. *ille ab æterno cuncta proſpiciens prouidentia cernit intuitus: & ſuis quæque meritis prædeſtinata diſponit.* Auguſt. Nazianz. Irenæ. Baſil. Nyſſen. Chryſoſt. Athan. Cyrill. Alex. Damaſc. Hieronym. Hilar. Proſper. Ambr. Baſil. Mag. Gregor. Fulgent. Leo Mag. Anſelm. multis quiſque locis recitatis à noſtro Ruiz d. 9. de ſcientia ſect. 3. d. 17, ſect. 1. 3. & 5. & d. 28, eis vero nunc, ſicuti, & aliis ſcripturæ teſtimoniis tranſcribendis parco, quia ibi facile videri poſſunt, adeoque ſunt aperta, vt nulla noſtra pôderatione, aut ingeniij induſtria ad rem præſentem euincendam, ſed ſola lectione egeant: id tamen Auguſt. de Ciuit. Dei c. 9. *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt*: omittendum non fuit: ſed nec longius aiebat Tertullianus de dæmonibus in Apolog. *Æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem*: & ſtatim fere: *idoneum opinor teſtimonium diuinitatis veritatem diuinationis*, & Iſaiæ 41. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Conſone Hieron. 3. contra Pelag. *Cui præſcientiam tollis, tollis, & diuinitatem.*

4. Eidem atteſtantur veritati libri omnes Prophetarum, tam veteris, quam nouæ legis in vtroque teſtamento, imo & oraculorum certis hiſtoriis commemoratorum, vniuerſim enim verum, & ſapientiſſimum eſt illud Tertulliani 2. contra Marcionem c. 5. *Præſcientia Dei, tot habet teſtes, quot fecit Prophetas*: nec firmius, imo neque firmum aliquid Deo, eiuſque legi comprobandæ, quam prophetia inuenitur. Docte enim Chryſoſtom. hom. 18. in Ioannem ad illam Chriſti prophetiam. *Tu es Petrus filius Ionæ: tu vocaberis Zephas*, inquit, *Propheta Dei maxime opus eſt, quod neque dæmones imitari poſſunt, quamuis maiorem in modum adnitantur: in miraculis enim, ſub veritatis vmbra, decipi poſſumus*, & quamuis vnum, vel alterum vaticinium caſu poſſit facto ipſo impleri, ac proinde certam illud proferentis ſcientiam non arguat (vti in nonnullis dæmonum oraculis, & vaniloquorum hominum prædictionibus) tamen conſtans ſemper, & conformis diuinis propheturum veterum ac Chriſti Domini & ſanctorum legis nouæ prophetiis, euentus eos, Deumque reuelantem ex certa futurorum ſcientia loqui, ac reuelaſſe indubitato conuincit: quod enim certo, & conſtanti experimento ſemper euenit, atque alteri coniungitur, aut ſuccedit, non caſu, ſed ſtata lege, & connexione cum illo coniungi, vel ipſi ſuccedere, euidentiſſimum eſt.

5. Accedit Chriſti Domini myſteria, totamque legis nouæ, ſiue Euangelij noſtri veritatem nullo alio, quam legis veteris Prophetarum teſtimoniis in noua impletis, fortius, imo neque æque firmiter obfirmari teſte Petro Epiſtola 2. c. 1. vbi Thaboris gloria & Patris de Filio ſuo Chriſto Domino conteſtationem. *Hic eſt Filius meus dilectus*, relatis ſubdit: *habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caligineſo loco* ex ipſo enim conſtantium ſemper euentuum, quos de Chriſto Prophetæ prædixerunt, euidenti experimento adeo euidentius nobis veritates conſtant, vt inde capta notitia aliunde captis, quaſi præ tenebris lux clareſcere videatur, vt ibi OEcumenius expoſuit. Maiorem vero firmitatem ibi etiam à Petro aſſertam explicat Auguſt. ſerm. 27, alias 29. de verbis Apoſtoli. *Certiorem ſane eſſe dixit; certiorem non meliorem, non veriorem: quid eſt ergo certiorem, niſi in quo magis confirmetur auditor? quare hoc? quia ſunt homines infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, vt dicant eum magicis artibus feciſſe, quæ fecit. Poſſent ergo infideles etiam iſtam vocem delatam de cælo per conieĉturas humanas, & illicitas curioſitates ad magicas artes referre, ſed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem. Nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas.* Quam ſententiam repetit tract. 35. in Ioan. circa finem.

6. Hinc Chriſtus ipſe Dominus cum diſcredentibus Iudæis, tum credentibus Apoſtolis doctrinæ, & myſteriorum ſuorum veritatem Prophetarum veterum teſtimoniis citatis, recitatiſque probauit: idque Euangeliſtæ diligentiſſime notarunt: poſteaque, tam ipſi quam Apoſtoli, & diſcipuli reliqui Chriſti Domini monitu *ſcrutamini ſcripturas*. Ioan. 5. in Euangelij prædicatione imitati ſunt, vt in Actibus Apoſtolorum ſæpe legitur: quia omnium, quæ Euangelium ſtabiliunt, firmiſſimum fundamentum eſt, quod ex Prophetis ita illud prænunciantibus iactum prouidentiſſime à Deo, eius præſcio, tot ante ſæculis fuit: id quod eleganti illa hyperbolica eiuſdem loci ponderatione docuit Vmbertus Cænomanſis (apud noſtrum Turrianum, de Hierarchico Ordine c. 1.) libro de Azymo dicens: *Deleto vetere Teſtamento nouum euaneſcet: neque poterit retineri abſque charactere ſuo quoniam, neque paries ſtabit abſque fundamento, quod ipſe Dominus ſuis factis, & dictis ſuppoſuit: & Apoſtolis prædicatoribus ſuis inſpirauit, vt narrationis ſuæ curſum firmaret ancora veteris teſtamenti, cuius authoritatem primus Magiſter Eccleſiæ profitetur firmiorem eſſe illa voce, quam ſuper Dominum tranſiguratum factam audiuit: firmiorem vero intelligamus dixiſſe, non quidem ſimpliciter ſed ratione eorum, qui veteri tantum teſtamento credebant.*

CERTAMEN II.

Rationibus eadem veritas ſtabilitur.

1. A Ratione diuina ſcientia futurorum contingentium probatur: quia, quod omnibus hominibus, quaſi congenitum iudicium, & rationis dictamen eſt, certiſſimum, ac naturæ, & rationis lumine notum eſt: inde plura,

pluta, vt certissima, atque naturali ratione euidentissima in Philosophia & Theologia habemus: in quibus Deum esse, siue existentia Dei numeratur, vt vidimus contr. 1. d.1. Atqui Deum futura contingentia cognoscere omnium hominum iudicium, & dictamen est: ergo id certissimum, & naturæ lumine notum est. Minor est perspicua. Nulla siquidem tam hebes, rudisque natio vnquam fuit, quæ Deum aliquem, etiam falsum, coleret, rebusque præesse putaret, quæ non illum de contingentibus futuris euentibus consuleret, atque, & certa rebus suis disponendis prouidendilque oracula, non obseruaret: ac proinde Deum suum præsciu futurorum contingentium iudicaret: nemo quippe ita vecors, & prorsus stupidus, super eo quod sciri ab alio non iudicat, illum consulit. Hinc apud Gentes oracula dæmonum delphica &c. frequentata Deorum, seu dæmonum potius: Sacerdotes fatidici, ac diuinatores tanquam numine afflati à populis, & Principibus de futuris contingentibus frequenter rogati, acrespondentes crediti: eisque dæmones in eis falsis diis, seu idolis adorati naturalem hanc rationis lumine *notam diuinitatis* cum contingentium futurorum præscientia connexionem agnoscentes, de iis futuris contingentibus, quæ ignorabant, rogati, quandoque iram causati in rogantes non respondebant: quandoque vero, vbi iræ occasio non aderat, æquiuoca reddebant oracula; ne suam de eis ignorantiam proderent, ac subinde apud eos Deitatis æstimationem amitterent. Hinc Isaiæ 41. dicitur: *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus* (non dixit credemus) *quia dij estis*, & Augustin. 5. de Ciuit. Dei c. 9. *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissimæ insaniæ est.*

2. Sed tamen adhuc Theologis sub lite est (neque exigua) an scientia hæc Dei de contingentibus futuris sit ratione naturali demonstrabilis: Soar. tom. 2. metaph. d. 30. sect. 15. n. 28. affirmantem amplectitur vt Theologorum communem paucis nominalibus exceptis: ita etiam censent Vasquez 1. p. t. 1. d. 64. c. 1. num. 4. & fusius d. 65. c. 4. Albiz d. 6. de scient. sect. 1. num. 6. omnesque (præter Gabriel & Nominales pauculos) Theologos consentire refert Ruiz noster d. 22. sect. 2. à num. 20. Negatiuam vero sententiam tenet Herize (cuius discursibus docti Recentes subscribunt) tract. 1. d. 6. c. 1. referens Okamum 1. d. 39. q. 1. Gabriel a. 2. post 2. conclusionem, & rursus dub. 3. Gregor. q. 2. a. 2. Anton. de Corduba 1. quæstionar. q. 55. dub. 8. imo Soarium ipsum Opusc. 2. lib. 1. c. 3. & Bellarminum tom. 3. lib. 4. c. 15. quatenus asserunt difficilem explicatu exacte & comprehensione pro hoc statu modum, quo Deus futura hæc cognoscit, quo etiam pacto loqui Augustinum recit. nu. 3. ex tom. 3. lib. 15. de Trinit. & tom. 7. lib. de dono perseuer. c. 14. sed potest esse modus quo fiat, siue aliquid, non exploratus, & comprehensibilis; cum tamen illud esse euidenter monstretur: idque in diuinis fere omnibus prædicatis contingit nobis. Augustinus vniuersim de Dei scientia loquitur testimonio 2. non de scientia futurorum contingentium specialiter: cum tamen euidenti ratione naturali constet Dei scientia. Primo vero loco de scientia Dei, tam de præteritis, & præsentibus, quam de futuris nulla habita ratione contingentiæ eorum agit: quomodo in scientia Dei sint coniuncta hæc omnia simul quin transeant, aut desint ibi temporum successu.

3. Nos igitur affirmatiuæ sententiæ subscribimus: existimamusque cum præcedente discursu, tum aliquibus ex subiiciendis demonstrari. Præcipuum, & generale est: quia Deus omniscius est, atque eius scientia omniscientia, non esset autem omniscientia, nisi in omne verum, & cognoscibile terminaretur: atqui futura contingentia vera obiectiue absolute, & actu sunt, seu cognoscibilia duratione anteriori: ergo diuina scientia duratione antecedenti cognoscuntur. Huic demonstrationi insistunt Soar. loco 1. citatus & Vasquez citato c. 4. & Recentiores Complutenses, qui minorem subsumptam probant: quia esse absolute verum obiectiue, seu cognoscibile, nihil aliud est, quam fore veram obiecti cognitionem, si forte detur: atqui, si detur anterius actu, & absolute cognitio futuri contingentis, vera erit: ergo futurum contingens actu, & absolute verum obiectiue est tempore, ac duratione anteriori, seu cognoscibile verum: Minor, nec demonstrata, nec satis probata videtur aduersariis; imo nec Magistro Albiz, & doctis Recentioribus: quia ea probatione solum probatur esse actu cognoscibile denominatiue extrinsece ab actuali cognitione in ea hypothesi, quæ tamen anteriori tempore in terminis implicat: cum futurum contingens actu determinate ab æterno, neque in se sit, neque in causa aliqua in verisimilioribus saltem principiis nostris Dominicanæ Scholæ aduersis: ac proinde, nec sit verum.

4. Cæterum Doctissimi Patres Vasquez, & Soar. de cognoscibilitate ea futuri contingentis actuali, & absoluta per extrinsecam denominationem anterioris actualis intellectionis minime loquuntur. Acrioris enim discursus sunt, quam, vt probandum supponant: vti ita intellecti supponerent: loquuntur ergo de capacitate obiectiua futuri contingentis, vt terminet actualem anteriorem cognitionem: idque satis probant ex eo, quod, si detur eius, vt sua duratione erit, cognitio actualis anteriore duratione, vera determinate, & absolute erit: ex quo euidenter infertur capacitas, & veritas seu noscibilitas obiectiua futuris contingentibus intrinseca; nec solum extrinseca per denominationem ab actuali cognitione in hypothesi posita, siue supposita; ex qua idem per idem probaretur, vt aduersarij & Albiz, ac docti Recentes dicebant. Quod autem obiectiua illa futuris contingentibus intrinseca veritas, & cognoscibilitas inde probetur, sic ostenditur. Etenim, si ea non esset determinate, & absolute vera, si daretur, sed vera simul ac falsa, quia de obiecto, & vero, quod tunc non esset, sed pro tunc chimærico, & impossibili, vnde ea probatio Doctissimorum Patrum eadem cum illa (quam demonstrationem merito reputant docti iidem Recentiores) est: scilicet propositiones de futuro contingenti, quod ita posteriori tempore erit, sicut anteriori duratione iudicatur, atque enuntiatur, esse determinate veras, sicuti, quæ aliter, ac postea erunt, anterius enuntiant, determinate esse falsas: quod demonstrari iidem Recentiores merito censent & nos quæst. 6. ostendemus.

5. Secundo ita eadem veritas obiectiua futuri contingentis ostenditur. Futuritio contingentis, qua futuritio præcise, non obest eius capacitati, & veritati obiectiuæ sufficienti ad terminandam sui cognitionem, & iudicium actuale: imo iudicium actuale certum, infallibile, & euidens; sed neque eius contingentia: ergo futurum contingens verum, & cognoscibile obiectum est, & capax terminandi sui actualem cognitionem, & iudicium præsens, ac proinde terminabit diuinum quod nihil verum potest latere. Prima antecedentis pars probatur, primo ex dictis q. 4. quia futurum non contingens futurum est, & actu cognoscibile nemine negante. Secundo: quia Eclypsis futura demonstratur euidenter à Mathematicis, & Astrologis, antequam sit, & tamen futurum est: ergo futuritio contingentis, qua futuritio, non obest eius obiectiuæ veritati cognoscibilitati, seu intrinsecæ capacitati, vt terminet actualem sui cognitionem, & iudicium de præsenti: eiusdem antecedentis probatur pars secunda: quia eius contingentia solum est in sua causa indifferente in actu primo ad ipsum, & eius oppositum, siue positiuum, siue negatiuum; non autem est eius contingentia in seipso, & dum est, & extitit in actu secundo, quo illa indifferentia, & potestas ad vtrumuis causæ suæ determinatur: quando enim, & quamdiu contingens est, siue de præsenti, siue de præterito, siue futuro tempore, necesse est esse, & non esse contingens non est, sed omnino impossibile: & proinde non minus supponit contingentiam, & indifferentiam causæ determinatam, & potestatem ad oppositum excluſam pro duratione, pro qua erit, aut fuit, per suum esse, quam pro duratione de præsenti, cum de præsenti est, atque à sua causa indifferente in rebus, atque extra causas ponitur: ergo contingentia causæ, siue in causa, licet obsit, vt in ipsa certo cognoscatur, sicut obest, vt in illa actu esse cognoscatur, quando actu, & de præsenti contingens est: ast, vt secundum se cognoscatur non oberit pro duratione futura, aut præterita, in qua in se determinate, secundum suum esse determinatum erit, aut fuit, non minus, quam, cum de præsenti, & actu est: ac proinde esse determinate cognoscitur non obstante contingentia sui in sua causa, & actu primo.

6. Rursus capacitas illa obiectiua futuri contingentis, vt anterius cognoscatur, ita euidenter ostenditur: quia

quia à nobis cognoscitur, vel coniecturaliter, vel certo iuxta medij existentis actu, vel coniecturalem, vel certam moraliter, aut physice, aut metaphysice connexionã cum eius pro illa posteriori duratione existentia: ergo in se habet capacitatem vt intrinsecam, terminet sui cognitionem. Probatur consequentia: quia, nisi haberet in se intrinsecam capacitatem, vt terminaret materialiter, & pure terminatiue cognitionem, nihil aliud posset esse medium determinans intellectum ad illius cognitionem, siue certam physice, aut metaphysice, aut moraliter, imo neque coniecturaliter: esset enim determinatiuum ad cognitionem impossibilem, cum sit impossibilis cognitio potentiæ de obiecto de se incapaci seu non capaci terminandi illam, ac proinde non attingibilem ab eiusmodi potentia. Hinc nihil potest esse determinatiuum auditus, vt percipiat colorem, neque visus, vt eliciat visionem circa sonum, vel relationem coloris transcendentalem ad Deum: quia eiusmodi obiecta aptitudinem, & capacitatem obiectiuam non habent, vt sint obiecta, pure adhuc terminatiua, cognitionum eorum. Iam vero, si habet in se capacitatem intrinsecam, seu veritatem obiectiuam futurum contingens, vti habere demonstrauimus: euidens etiam est à Deo omniscio cognosci, atque eius omniscientiæ materialem terminum esse; licet determinatiuum eius non sit, de quo postea: nunc enim esse terminum, ad quem repræsentandum diuina scientia siue absque alio medio ac determinatiuo, siue illo intercedente extendatur, solummodo demonstrandum suscepimus.

CERTAMEN III.

Demonstrationes aliæ expenduntur.

1. DEmonstratur tertio: quia absolute actualis absentia absolutæ existentiæ, & determinationis, quæ tamen absolute aliquando sunt, non extrahit contingens à sphæra obiectiuæ cognoscibilitatis, siue à veritate obiectiua intellectualis cognitionis: atqui Dei scientia totam permeat, exhauritque repræsentatione sua formali sphæram cognoscibilitatis, seu veritatis obiectiuæ; ergo ad omne absens, etsi non determinatum absolute actu, extenditur, ac terminatur scientia diuina: dummodo pro aliqua duratione eius existentia, & determinatio sint: atqui futuri contingentis, licet actualis existentia, & determinatio, non sit, est tamen pro aliqua duratione: ergo ad illud repræsentatione sua formali repræsentandum diuina scientia extenderur. Antecedens probatur primo: quia obiectum non esse in loco, in quo habetur cognitio, dum modo alicubi, siue ante, siue retro absolute sit, non extrahit illud à sphæra obiectiuæ cognoscibilitatis, & veritatis; ergo, quod nunc absolute non sit, dummodo aliquando sit, non extrahet illud à sphæra eadem. Secundo probatur, quia præteritum absolute actualiter non est; quia tamen pro aliqua duratione est cognoscibile obiectiue absolute, siue intra sphæram obiectiuæ cognoscibilitatis, & veritatis est. Tertio probatur à priori idem antecedens: quia pura veritas, siue cognoscibilitas obiectiua, & capacitas terminandi sui cognitionem, non importat aliquid actiuitatis, seu physicæ causalitatis, materialis, formalis, aut efficientis in cognitionem, ad quam simultanea terminatiui, siue localis, siue temporaria coexistentia obiecti cum cognitione opus sit; licet sæpe obiecta respectu potentiarum creatarum, & cognitionum, maxime sensibilium, etiam habeant physicum influxum, & actiuam determinationem; quæ respectu diuinæ scientiæ in nullo obiecto creato esse potest.

2. Herize loco citato circa finem, licet rationem hanc à priori non tetigerit, tamen secundam Antecedentis primi probationem argumento à paritate sibi oppositi præteritorum contingentium cognitionis diuinæ ad eandem futurorum contingentium, diuinam etiam, cognitionem: cui respondet primo: negando adeo præteritorum cognitionem euidentem esse, quia id solum, quod actu absolute est cognosci à Deo euidens est; sed certe eadem euidentia, saltem morali, qua animi immortalitas demonstratur ex futuro necessario præmio ac supplicio, bonorum, & malorum post hanc vitam, probatur de præteritis cognitio diuina; ignota enim transacta opera, nec præmio, nec pœna affici posse euidentissimum est. Secundo respondet: admisso antecedenti cognitionis diuinæ de præteritis, negando consequentiam cognitionis de futuris: quia præterita, licet actu non sint, neque eorum in se determinatio; fuerunt tamen: ac proinde pro tunc, quo de præsenti fuerunt cognita à Deo sunt, esset autem potentiæ, non obiecti defectus à semel cognitorum scientia deficere. Contra tamen est: quia si actualis absoluta existentia, & determinatio contingentis necessaria est, vt actu determinet cognitionem obiecti contingentis, quod iam præteriit defectus erit, cum actu absolute non sit, neque eius determinatio, non autem potentiæ; si autem necessaria non est actualis illa determinatio, & existentia contingentis, sed satis est, vt pro duratione alia non præsenti, & actuali sit, vt ad illud cognitio terminetur, id æque competit futuro, atque præterito contingenti: quare æque vtramque, vel neutram poterit terminare diuinam cognitionem. Addeæquam cognoscentis, & potentiæ imperfectionem argui cognoscendi aliquando cognitione carere, atque carere cognitione, aliquando etiam cogniti,

3. Quod autem fuerit existentia, & determinatio contingentis præteriti, nihil magis, & existentiæ, & determinationis eius absolutæ ponit actu, & de præsenti, quam futuri, nihilque minus existentiæ, & determinationis in se contingentis futuri supponit natura, & quasi causalitate cognitio actualis, & præsens illius, quam cognitio præsens, & actualis de contingenti præterito: vtriusque enim actualis cognitio præsens eius existentiam, & determinationem causæ suæ, & potentiæ indifferentis per ipsam propria cuiusuis durationc supponit; neutraque actu, & de præsenti illam ponit. Quod autem contingens futurum ponendum, & determinandum nunc dicatur; præteritum vero, positum iam, & determinatum ordine durationis ita dicuntur, non in ordine naturæ, & causalitatis: quo tam supponitur existentia absolutæ contingentis, & determinatio potentiæ, & causæ indifferentis per illam pro sua duratione, quam præteriti contingentis, eiusque causæ pro sua: nullum enim contingens absolute futurum est, cuius absoluta existentia, & determinatio per ipsam suæ causæ indifferentis pro sua duratione non sit. Accedit, quod q.4. certam. 1. à num. 3. dicebamus: durationem, qua Deus cognoscit, actusque suos exercet, esse æternitatem omnino simplicem, atque indiuisibilem, siue totam simul durationem, qua, cum Deus, tum diuina omnia, & singula durant, & cuius respectu æque coexistant, & quæ futura, & quæ præterita respectu temporariæ nostræ durationis sunt; imo, & vtraque, æque atque præsentia: nam respectu æternitatis indiuisibilis Dei, quæ tota omnibus, & singulis creatis durationibus, & imaginariis successiuis, earumque partibus, & indiuisibilibus, etiam singulis, & omnibus coexistit, nihil transit, nihilque futurum est: quare neque respectu sui præteritum aliquid, aut futurum cognoscit. Atque ex hoc rationem reddit Anselmus Dialog. de casu diaboli c. 21. sub init. cur à Deo non autem ab Angelis futura contingentia naturaliter prænoscantur.

4. Quarta demonstratio: quia Deus cognoscit contingentia præsentia, & quæ actu sunt de præsenti, saltem quando de præsenti, & actu sunt: v.g. hodie ne Angelis, dæmonibus, imo, & rudibus hominibus etiam minus sapiens sit, magisque ignorans: secundo, quia alias rerum omnium gubernator Deus eis prouidere, non posset, si euentus hos omnino ignoraret: siquidem ex eo, quod ij euentus, vel oppositi concurrant, aliter, atque aliter de rebus disponendum, & cum causis secundis concurrendum erit. Vel ergo, quod nunc de præsenti contingenter, ac libere à creaturis est, nunc solum ac primum nouit Deus, vel ex æternitate. Si hoc secundum habetur demonstrationis intentum: nimirum Deum, antequam de præsenti sint, imo tota æternitate, antequam essent futura contingentia prænosse. Si autem, nunc primum ea nouit, cum antea ea minime nosset: sed ignorasset: ergo mutatur de non sciente in scientem hæc obiecta. Cumque scientiam sequi debeant decreta ad vniuersi prouidentiam, & gubernationem, nonnisi ex eorum contingentium cognitione oriunda, denuo etiam in tempore concipiet Deus decreta, quæ tota æternitate non habuit: inde & in decreris

mura

tionem suscipier, qua à non decernente ad decernentem denuo in tempore transeat. Rursus, cum contingens transactũ, & præteritum absolute non sit, æque, atque pure futurum non est, tam eius scientia, quam decretum illud supponens cum eo transibunt, eritque vtrumque absolute in Deo defectibile, ac subinde Deus à scientc contingens, ac decernente ex eius absoluta scientia in non scientem, ac non decernentem mutabilis. Accedit demum Deum esse purum actum, nec posse esse in potentia ad actum aliquem suum, vt fuisset anteacta tota æternitate, si contingens, quod nunc primo est, nunc etiam primo cognosceret, & decretum nunc primo conciperet.

5. Respondent Herize supra, & docti Recentiores; non esse demonstrabile ratione pure naturali Deum non posse incipere denuo in tempore cognoscere contingens, quod nunc primum absolute est, ac proinde nunc primum est verum absolute, & cognoscibile obiectiue, vt posset Ethnicus respondere; neque enim Dei immutabilitas euidens naturæ lumine est; sed solum ex fide, ac proinde fidelis solum conuincet discursus. Addit Herize iuxta suam Vasquij, & Arrubalis, ac aliorum sententiam de constitutione decreti, ac scientiæ liberæ Dei per extrinseca connotata, nihil scientiæ, aut decreti liberi Dei intrinsecum, & perfectiuum ipsius incipere in tempore: neque proinde in vlla intrinseca perfectione Deum mutari, aut denuo adquirere illam: tum, quia, quod denuo aduenit extrinsecum connotatum est: tum, quia scire, quod scibile nondum est, perfectio esse non potest, cum sit potius chimæra, & prorsus aperta repugnantia, in primis satis contutidini nostræ conclusionis erit, si certo & infallibiliter ex fidei principiis euincatur. Secundo: quod ait Herize de constitutione diuinæ scientiæ liberæ, vt decreti diuini per extrinseca connotata, ipsa intrinsecum scientiæ, & voluntatis liberæ, & vitalis diuinæ constituant, euidenter est falsum: vt controu. 4. de libertate decretorum egentes ostendemus.

6. Si autem constituant liberos illos actus extrinsece tanquam termini connotationis intrinsecæ actibus liberis, præter alias difficultates, non soluitur difficultas. Nam illa connotatio intrinseca Dei, vel potest esse absque actuali absoluta existentia de præsenti contingentis pure futuri; vel non? si nequit esse absque illa: iam in tempore incipiet aliquid intrinsecum Deo, ac proinde quoad intrinsecum mutabitur: si potest esse absolute sine illa cognoscet, & decernet ab æterno futura contingentia Deus, & ex eorum scientia decernet, vt contendimus. Secundo: cum constitutio hæc actuum liberorum Dei ab Herize, etiam positis fidei principiis, adstruatur, inquiro: an ex ea probabiliter saluetur immutabilitas Dei, quoad intrinsecum, quæ solum est de fide, vel non saluetur; si saluatur ex fide adhuc quod scientia, & decreta Dei in tempore non incipiant, ac proinde quod Deus mutari intrinsecus, quoad illas etiam, nequeat, certo concludetur pro scientia contingentium, & decreti in tempore incipientibus: si non saluatur probabiliter, erit solutio inde petita improbabilis: quare ex immutabilitate Dei in suis actibus, etiam libertis, demonstratio tenebit. Denique ex demonstrationibus secunda, & tertia veritatis, & cognoscibilitatis obiectiuæ futuri contingentis, ipsimet intrinsecæ euidenter confutantur solutiones omnes præsenti demonstrationi ab Herize, & doctis Recentioribus adhibitæ: quæ in opposito principio, vt patet, male fundantur.

7. Obiectionibus fiet satis q. 7. propriori sede: solum respondeo hic: Diuum Thomam, & Philosophos asserere sæpe, esse, vt verum conuerti; vnde inferunt aduersarij, id quod actu non est, sicut absolute non est actu, non esse absolute verum, seu cognoscibile obiectiue: cæterum verum conuertibile cum ente non est veritas obiectiua, sed positiua soliditas essendi absque qua plura veritatem obiectiuam, & cognoscibilitatem habent, vt patet in negationibus, & entibus rationis, quæ cognoscibilia, & vera obiectiue sunt: quare, licet futura non habeant veritatem cum ente conuertibilem, seu positiuam essendi soliditatem nisi quando actu sunt; obiectiuam tamen cognoscibilitatem, & veritatem, quam habent ea etiam, quæ nunquam sunt, esseue possunt, habebunt. Insuper idem Sanctus Thomas dum ait in 1. d. 38. ad 2. *Futurum contingens non est determinate verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam; sed dum est in actu est determinate verum*: nihil contra nos docet; illud quippe *antequam* non significat anteceſſionem temporis, sed naturæ, & causalitatis: dum scilicet est in potentia suæ causæ; id quod satis expressit Sanctus Doctor termino illo quem opposuit. *Sed dum est in actu*, qui respondet termino *est in potentia*, quem illo aduerbio *antequam fiat* explicauit. Deinde idem ratione subiuncta explicuit: *quia non habet causam determinatam*, quod non ad prioritatem, & posterioritatem durationis, sed naturæ, & causalitatis spectat, locumque in contingentibus actu existentibus de præsenti habet, quæ nec de præsenti causam determinatam ad eorum esse habent; & tamen quia in se in actu, nec solum in potentia, sunt, quia in actu sunt, determinate sunt pro hac duratione de præsenti: id quod etiam habent futura, & præterita contingentia suis quæque durationibus, quibus in actu fuere, vel erunt: vt diximus certam. 2. & de se patet.

QVÆSTIO VI.

An contingentium futurorum cognitio propria Dei sit?

OSTENDIMVS hactenus futurorum contingentium scientiã Deo competere: nunc vero an ita ad Deum pertineat, vt nulli alteri, ni ex eius dispensatione, & reuelatione possit competere: ac proinde, ita in Dei propriis eorum præscientia numeretur, vt iure naturæ suæ nulli alteri siue Angelo, siue homini competat quæritur; loquimur autem de scientia, siue præscientia certa, & infallibili: quia nos etiam late sumptam scientiam pro opinatiua coniecturali, & moraliter certa de illis, futurorum contingentium scientiam habere posse indubitatum est.

CERTAMEN I.

Certam futurorum contingentium scientiam in proprio Dei censu esse authoritate probatur.

1. HAc in re egregiam nauauit operam noster Ruiz d. 22. à sect. 3. Primum testimonium est Eccles. 7. *quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit?* Ad quæ Olympiodorus. *Hac authoritas omnem funditus euertit diuinandi superstitionem. Nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest.* Isai. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos:* & infra: *quis annuntiauit ab exordio, vt dicamus iustus es?* Ad quæ Hieron. *vbi Apollo Delphicus, & Loxias, Deliusque, & clarius, & cætera idola futurorum scientiam pollicentia* &c. *cur de Christo nihil potuerunt prædicere, nihil de Apostolis eius, nihil de ruinis, & abolitione templorum? si ergo suum interitum non potuere prædicere, quomodo aliena, vel mala, vel bona potuerunt annuntiare? quod si aliquis dixerit multa ab idolis esse prædicta; hoc sciendum: quod semper mendacium iunxerint veritati: & sic sententias temperauit, vt, seu boni, seu mali quid accidisset vtrumque posset intelligi. Vt est illud Pyrrhi Regis Epirotarum. Aio te Eacida Romanos vincere posse: & Cræsi: Cræsus transgressus Halim maxima regna perdet.*

2. Pergit infra Isai. capite eodem; *Quis annuntiauit ab exordio, vt sciamus, & à principio, vt dicamus iustus es? non est neque annuntians neque prædicens?* Ad quæ ita interpretatur Hieronymus: *quæ ego iuxta consuetudinem prophetalem feciſſe me dico: quasi iam praterita sint, vel (iuxta Symmachum) futura pollicear, nullius dæmonum, & idolorum potest prædicere:* & Cyrill. Alex.

4. in Isai. c. 41. ex hoc illius loco sic fatur: *diuina, & infallibilis gloria proprium, & peculiare est, omnia scire, nihil prorsus ignorare, neque præteritorum, neque instantium, neque futurorum*: & paulo post: *veniant itaque qui putantur ab his esse Dei: annuntient, qua contingere dicant priora & nouissima & ventura: cognoscemus enim tunc, quod dij sint; verum, inquit, non potestis annuntiare.* In quam sententiam plura multo subnectit idem Cyrillus proxime citatus circa eiusdem capitis finem.

3. Idem Isaias c. 44. sub init. *Ego primus, & nouissimus, & absque me non est Deus quis similis mei? vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum, ventura, & qua futura sunt annuntient eis.* Quæ Hieron. ista periphrasi interpretatur: *quis similis mei est? vocet ea quæ non sunt, quasi sint* (nempe iuxta id ad Roman. 4. *& exponat ordinem creaturæ meæ, qua cuncta ratione librauerim ex quo feci hominem super terram. Nec solum volo, sed quæro etiam futurorum scientiam.* Atque in eadem Isaiæ verba ita scribit Cyrill. Alex. 4. in Isai. orat. 2. colum. 4. *Deo enim natura conuenit omnem habere etiam præteritorum, & futurorum notitiam: sin nemo reperiatur in falso nuncupatis Dijs, qui hoc sit consecutus, eos, qui cognitione diuina prædiri non sunt, Deos non esse obscurum non est.* Addit eodem cap. 44. Isaias. *Ego sum Dominus, &c. irrita faciam signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens*: super quibus præter alia in eandem sententiam Cyrill. loco proximo ait: *falsæ diuinationes passim, & impostura, ac fuci dæmoniorum, quæ scire se fingebant, & prænuntiare posse futura; cum nihil quidquam vel dicerent, vel scirent.*

4. Sextum testimonium Dan. 2. *Respondentes Chaldæi coram Rege dixerunt: non est homo super terram, qui sermonem tuum Rex possit implere &c. exceptis Dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Vbi Hieron. *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis scientia sæcularis literatura præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur Prophetas Dei spiritu locutos, qui futura cecinerunt,* eidem vero Regis interrogationi inferius respondet his Daniel. *Mysterium, quod Rex interrogat sapientes Magi, Arioli, & Haruspices non queunt indicare Regi; sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt nouissimis temporibus.* Ad quæ Hieronymus. *Tollit Regi prauam suspitionem, ne humana æstimet inueniri posse solertia, quod Dei notitiæ reseruatur.* Ibi etiam Theodoretus, *Deum esse asseruit arcana reuelandi Magistrum. Et adiecit: in cælo: ijs diis, qui deorsum versantes colerentur, ejectis. Et quidem singulari nomine, Deorum, qui non sunt, expellit multitudinem: eo vero quod in cælo degere ipsum dixit, eos, qui deorsum viderentur, non esse Deos ostendit.*

5. Septimum testimonium Ioan. 13. *A modo dico vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis, quia ego sum*: cuius hanc periphrasim, & interpretationem dedit Cyrill. Alex. 9. in Ioan. c. 11. *Dico igitur à modo vobis, vt cum factum fuerit exitum rerum videntes illum me esse credatis, qui nihil falsi, nihil vanum proferre soleam, & quem scriptura venturum prænuntiauit.* Octauum testimonium Ioan. 16. sub init. *Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini &c.* Ad quæ Chrysost. homil. 26. post med. *ex his & reliqua credetis. Neque dicere poteritis me ad gratiam loqui, aut, vt vos fallam: neque enim decepturus, qua mendacij argui possent prædiceret: ideo prædixi, ne in non expectata incidentes perturbaremini: ac etiam, ne non præuidisse futura diceretis.* Rursus idem Homil. 18. in Ioan. ad illud Ioa. 1. *Tu vocaberis Cephas*, ait: *Prophetiam maxime Dei opus esse, quod neque dæmones imitari possunt.* Et Hieron. vltra recitata comm. in Hierem. ad id c. 28. *Et tulit Ananias*, ait: *demonstrari nequaquam Prophetas suo tantum arbitrio loqui; sed domini voluntate; maxime de futuris, quorum solius Dei notitia est*; inde celeberrima, & vulgatissima sententia illa Tertulliani 4. contra Marcionem c. 25. & contr. Prax. c. 19. ex testimonio dato Isaiæ 44. & c. 20. Apologet. aduersus gentes, vbi habet: *idoneum opinor testimonium diuinitatis veritatem diuinationis.*

6. In eandem sententiam ferunt Orig. 7. cont. Celsum colum. 4. *Diuini sermonis character est futurorum prædictio.* Ac sibi consonans 4. Periarch. c. 2. circa finem ex loco recitato Isaiæ 41. docens eiusmodi scientiam, non solum humana, sed nec diuiniori scilicet Angelicæ naturæ vlli; imo nec, quæ creata demum, sit competere; Clem. Alex. 2. Stromat versus med. ait, quæcunque fore Prophetæ prædicunt, prius à Deo cognita, & manifestata esse, & lib. 6. versus, & circa, & post. med. *Proprium Dei esse dicit futurorum cognitionem per fidem communicare* iuxta illud Sap. 8. *Signa, & monstra scit, antequam fiat.* Et fine, ac lib. 7. post init. gentium diuinos, & Poëtas fatidicos, eorum, quæ præsagia, vti falsas fabellas irridet. Idem de dæmonum, & fatidicorum vatum oraculis censet Iustin. M. Apolog. 2. ante, & post med. & q. 81. ad Orthodoxos, & q. 146. *Quorum*, ait, *dij non sunt dij, horum, ne vates quidem, sunt veritatis Prophetæ: nec eorum prædictio inuitabilem, ac verum habet euentum: vt enim procul absunt à vera diuinitate, sic & à futurorum prænotione*, & q. 19. ad Gent. *Futurorum prædictio est animæ, quæ à diuino spiritu illuminatur ad cognitionem rerum hactenus incertarum.* Athanasius in vita sancti Antonij post medium de dæmonum præsag. *Non enim ea, quæ nondum facta sunt* (scilicet naturali causarum suarum ordine ni Deus impediat) *referunt: quia Dominus solus conscius est futurorum.* Vnde lib. de Incarnat. Verbi, & eius corp. aduentu vers. fin. eorum oracula falsitatis accusat.

7. Anastas. Episc. Nicæn. qu. 23. in scripturam col. 2. *futurorum, aut arcanorum nihil præsciunt dæmones; sed solus Dominus, qui omnia nouit, priusquam fiant.* Et confirmat testimonio illo Isai. 41. & col. penult. ex Cyrillo, *Non est ergo dæmonibus adscribenda cognitio. Nos autem eam Deo potius tribuemus tanquam eximiam.* S. Max. centur. 4. c. 32. tom. 5. Biblioth. *Cum igitur eorum, quæ sunt, nullum omnino seipsum, aut aliud cognoscat, quidnam sit secundum substantiam; iusta de causa nihil extat, quod futura secundum naturam præcognoscat, præter eum, qui est super omnia, Deum, qui, tum seipsum. nouit, quid sit secundum substantiam: tum subsistendi prænouit rationem eorum, quæ facta sunt ab ipso antequam fierent.* Euseb. 5. præparat. Euang. sex vltimis capitibus, & lib. 6. quatuor primis exemplis, & gentilium confessione falsa, & ambigua fuisse oracula dæmonum, qui nihil de futuris contingentibus scire poterant, quod ipsum probat testimoniis Plutarchi & Porphyrij, & oraculorum ambiguitate, & contrariis euentibus lib. 10. de Euangel. verit. cognitione ex Philosophia Gentil. siue de curandis Græcorum affectionb. & in lib. Reg. & Paralip. de Pythonissa Sauli mortem prænuntiante. Damasc. 2. de fide c. 3. circa med. de Angelis. *Per diuinam gratiam futura enuntiant.* c. 4. à med. *futura quidem neque Angeli neque dæmones sciunt: prædicunt tamen Angeli Deo illis reuelante, & prædicere præcipiente. Prædicunt, & dæmones quandoque ea, quæ longe futura sunt prospicientes quandoque coniicientes; vnde & pleraque mentiuntur*, c. 29. vers. med. *in comprehensibilis est diuina prouidentia, & cogitationes nostræ & actiones & futura illi soli* (Deo) *cognita*, & lib. 3. c. 16. ex Athanas. serm. aduers. blasph. in Spiritum Sanctum *quoniam autem supra naturam est Spiritus Sanctus, & aliud præter generabilium naturam, proprium enim diuinitatis est, ea quæ retro, futuraque sunt conscire.*

8. Pro eadem sententia stetit semper Augustinus 9. de Ciuit. Dei c. 22. 4. de Trinit. c. 17. lib. de diuinat. dæmon, totis quinque capitibus, à quarto. 2. de Genes. ad lit. c. 17. post. med. 13. cont. Faust. c. 14. 15. &. 17. asserens dæmones plura nobis è futuris à causis naturalibus prospicere, naturali nimirum, non absoluta certitudine, & coniectari: quare & sæpe falli, cum non fallantur Angeli, qui Dei leges immutabiles, & voluntatis eius statuta immutabilia pro eius voluntate in Patria vident; è cuius sententia Isidorus 1. Sentent. seu de summo bono cap. 10. sub med. *Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia* (nempe, quæ ita ab eterno cognoscunt antequam in re fiant) subditque: *qua apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam reuelante Deo nouerunt.* Anselm. dia. de casu diaboli cap. 21. sub init. ait, *Non posse sciri, quod potest non esse, quod enim non esse potest nequaquam, esse, potest certa ratione colligi: qua propter constat illum diabolum nullatenus potuisse præscire casum suum, quem necesse non erat futurum.* Concluditque post pauca: *casum suum futurum ne in suspicionem quidem*

potuisse

potuisse Diabolo venire. Leo item M. Serm.7. de natiuit. c.3.dæmonum de futuris prædictiones mendaces reputat. Denique sententia hæc de futuris contingentibus absolute talibus omnium (nemine dempto) Theologorum est, cum Magistro 2. d.7. à cap. *Et licet* & cum S.Thom.1.p.q.57. a.3. Controuersistarum item Medinæ de recta fide c.3.c.2. fol.33.Arborei 4. Theosoph.u.27. Bellarm.tom.1 lib.4.de notis Eccles.c.15. Bocij tom.1. lib.6. c.2. ideirco conclusionem hanc ita certam, & dogmaticam puto: vt contradictoriam negatiuam non solum temerariam,& erroneam, sed prorsus hæreticam censeam, cum expressis Patrum omnium interpretatione, & intelligentia, testimoniis scripturæ aduersetur. Quibus omnibus præiuit Aristoteles lib.de præsensione per somnium sub init. & med.docens: certæ præsensionis per somnium futurorum contingentium nullam sufficientem causam præter Deum immittentem reddi posse.

CERTAMEN II.

Eiusdem veritatis rationes, à posteriori.

1. A Posteriori naturali discursu, & ratione probatur; imo demonstratur eadem veritas. Primo: quia dæmones à mundi fere exordio, vti Deos haberi, & coli ab hominibus omni arte, & studio ambierunt: ergo si futura contingentia præscirent, præscireue possent: nunquam falsò prænunciarent, vti experimentis certis de euentibus aliter, quam ipsi prænuntiarunt, non solum ex Patrum, sed, & suorum Idololatrarum historiis,& confessione compertum est. Ergo dæmones non præsciunt, nec præscire possunt futura. Prima consequentia sola probationem desiderat, quam sic præsto: quia falsa prænuntiatio euidens argumentum est (quod dæmones non ignorant) negandi diuinitatem falsò prænuntianti: ergo ambienti omni arte dæmonij diuinitatis opinionem, & cultum per oracula necessario vitanda omni etiam arte erant oracula falsa, ex quibus cum Deum non esse demonstraretur, ac proinde, si præsciret, præscireue omni sua arte, & naturali industria, & facultate futura contingentia valerent, non, nisi vera, prædicerent.

2. Probatur 2. ex eo quod ad opinionem, & cultum Deitatis adeo ambientes Dæmones eo medio fundendi, cum per se è Tripode,& cortinis, tum per suos vates oracula de contingentibus futuris ambigua (vt mendaces non deprehenderentur) cum ita prædicere poterant,& cum aliter non poterant determinate (si forte casus prænuntiationi concordaret, & quasi forte fortuna præscientiæ futurorum æstimationem, ac proinde opinionem Deitatis sibi lacerarentur) fundebant: cum autem ex iis quæ alteri, quam Deo, conuenire queunt, assequi diuinitatis opinionem non possent, dum id per hoc in primis medium assequi, adeo cœpere fraudulenter, & tandem sub fortuna alea conantur, Dei propriam esse futurorum contingentium præscientiam recognoscunt, & fatentur. Confirmatur hæc secunda ratio: quia ideo etiam æquo studio, & arte, vt Deos se hominibus dæmones mentirentur, miraculorum apparentium Architectos, & Patratores se se ostendebant: quia eorum patratio, & architectura euidenter propria Dei supra naturam totam, eiusque dominium est, esseque ab illis cognoscebatur; ergo idem etiam de præscientia, & prænuntiatione futurorum contingentium, cum hac ad idem assequendum vtebantur, cognoscebant: scilicet eam esse euidens diuinitatis argumentum.

3. Dices: hæc solum probare dæmones, siue Angelos malos non habere præscientiam futurorum, secus autem de Angelis bonis, qui dubio procul plura, quam dæmones, cognoscunt; ac proinde nec probant præscientiam futurorum contingentium esse propriam Dei. Contra tamen: quia, si futurorum contingentium præscientia posset naturaliter, & absque Dei gratuita, & supernaturali reuelatione bonis Angelis competere, id Cacodæmones non ignorarent, imo saltem, dum viatores ante lapsum erant, fuissent experti: ergo illam non affectarent, vt euidens argumentum conuincendæ opinionis affectatæ à se Deitatis. Contra secundo: quia in peccati sui pœnam Cacodæmones naturali scientia præcipue omnium generis vnius obiectorum, priuati non sunt: ergo, si naturale obiectum scientiæ naturæ Angelicæ, secundum se ac sine lapsu spectatæ, essent futura contingentia, etiam naturæ lapsæ Cacodæmonum obiectum forent, vt plurimum saltem, licet ob hominum bonum, & salutem aliqua ab eis ignorari Deus quandoque disponeret: sicuti, & ob eundem finem aliqua naturaliter à bonis Angelis ignoranda cognosci facit. Confirmatur ex S.Tho. 1.p.q.64. de malo a.6. Magist. in 2.d.7. circa medium vbi Sanctus Bonauent. p.2.a.1.q.1.& reliqui Commentatores: Alex.2.p. q. 113. tota, scilicet naturalem cognitionem integram dæmonibus relictam iuxta Dionysium de Diuinis nominibus c.4. p.4. vbi ait: *nec mutatum bonum vniuersum, quod eis situm est; sed ipsi à toto bono, quod eis datum erat deflexerunt; dataque eis Angelica munera, nequaquam mutata esse dixerimus, sed sunt integra, & nitidissima.*

4. Præoccupatur hac doctrina secunda euasio: quod, scilicet, dæmones impediri possint à Deo, impediaturque à futurorum naturali cognitione: ac proinde solam contingentium futurorum naturalem, atque impedibilem absolute cognitionem à Dæmonibus eis oraculis affectatam esse diuinitatis argumentum: constat enim primo naturalem cognitionem nullatenus esse in Dæmonibus impeditam. Secundo: quia omnibus Dæmonibus vniuersim impedire naturalem cognitionem circa aliqua, alienum à prouidentia Dei esse ait Dionysius c.4. citato circa finem, sic fatus: *Nec enim prouidentia est naturam interimere, & tollere: itaque, vt prouidentia vniuscuiusque naturæ conseruatrix, ea qua suis appetitionibus vtuntur: gubernat: & vniuersos, & singulos accomodate vtrisque: quatenus eorum, qua prouidentia reguntur, natura capit, vniuersa prouidentia beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur.* August.7.de Ciuit.c.30. *Sic Deus administrat omnia, vt ipsa etiam propriis exercere, & agere motus sinat:* 5. contra Iulianum: *Neque Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit, motibus cuiusque naturæ.* Tertio: quia ea impeditione opus non est: cum Deo imperante nihil Dæmones dicerent de futuris contingentibus, quæ naturaliter nossent. Quarto: quia naturæ lumine nota certæ Diuinitatis est, certa futurorum contingentium prænotio: mentitæ vero eorum ignoratio; at naturæ lumine scire nequit, an eorum cognitio è Deo non impediente sit, atque ignoratio è non impediente: ergo inde non, vt vera, vel falsa, Deitas naturæ lumine dignoscetur. Et quidem si contingentium futurorum cognitio eo solum, quod contra naturæ suæ debitum impediantur Angelis desit, eorum scientia propria Dei maxime à scriptura non diceretur: vt contra pauculos asserentes cognitionem secretorum cordis Angelis connaturalem, à Deo tamen impeditam. Arguunt Doctores in 1,d.7.& 8.& 1 p.q.57. art.4. ad censuras vsque: quia ea cognitio Dei propria in scriptura dicitur, non esse autem Dei propriam, si alteri connaturalis esset,& demum ex nulla actione naturali à Deo impedibili creaturæ, & non impedita, eius Deitas arguitur.

5. Dices: medium oraculorum ad conciliandam sibi apud homines opinionem,& authoritatem,& cultum Deitatis à Dæmonibus assumptum esse; non quia euidens, ac certum medium reuera,& apud ipsos sit; sed ex falsa hominum opinione, quibus id dæmones suadere contendebant. Verum ex hac solutione alia tertia demonstratio deducitur: id enim quod omnium hominum generi apud nationes omnes concors iudicium, & sententia est, euidens naturæ lumine, rationisque naturalis ductu ipso est: vt nuper, ac sæpius diximus: atqui omnibus hominibus, atque apud omnes nationes fixum iudicium, firmaque, ac constans sententia est, prænuntiationem futurorum contingentium signum, & notam certam Deitatis esse: ergo euidens naturæ lumine Diuinitatis argumentum est prænotio,& prænuntiatio contingentium futurorum. Minoremi dat nobis proxima solutio, euidensque illa ipso experimento est. Nulla enim natio; nullusque populus ab alio, quam ab eo, quem, vt Deum colebat, eiusue vatibus ipsius spiritu afflatis de futuris contingentibus consuluit: nec super illis oracula, & prænuntiationes recepit. Hinc vates omnes *diuinatores*, atque oracula eorum,& vaticinia *diuinationes* apud omnes gentes dictæ sunt, atque semper vocantur: quia, nimirum, à Diuinitate demum ortum ducere, ac diuinum sonare,& redolere eiusmodi prædictiones omnium hominum sententia est.

CERTAMEN III.

A priori eadem veritas probatur.

1. SEd tamen, an veritas hæc à priori per alia principia naturali ratione demonstrari queat? inter nostros Vasq.1.p.d.208.c.2.& Didac.Ruiz supra sect.4.n.7. contr. est. Negat ille; affirmat hic; eis tamen conuenit in causis futurorum contingentium non posse hæc, ab Angelis adhuc, cognosci: cum omnes illæ indifferentes ad vtrumque sint, etiam, cum de præsenti pro sua duratione adsunt, vel adsint. Dissentiunt tamen: quia Vasquez ait id non obesse determinationi futuri contingentis cum in actu secundo pro sua duratione sit; id quod neque Ruiz, nec sanus Philosophus, aut Theologus negat, negareue potest: inde vero infert nullam reddi posse naturalem rationem, cur non possit à natura Angelica naturaliter cognosci in se secundum illud esse determinatum quod in se habet: sicuti cognosci à Deo communiter admittitur, atque Ruiz ipse fatetur. At vero Ruiz, licet hoc esse determinatum futuri contingentis pro sua duratione, quin causæ suæ indifferentia obiiet, ingenue, ac vere fatetur; tamen non posse ab Angelo futurum contingens illudque esse determinatum ipsius in actu secundo pro sua duratione in se cognosci naturali virtute naturæ Angelicæ demonstratum ait citata eadem d. & sectione, scilicet n. 2. & 3.

2. Eius tamen rationes non demonstrationes quidem; sed ne firmiusculæ probationes sunt. Prima enim est: quod cognitio futurorum contingentium in se ipsis propria sit Dei, cui soli sola futuritio intra sphæram cognoscibilitatis ponit futura contingentia; sed ratio hæc pro antecedenti assumit conclusionem probandam, idemque per idem probat. Secunda ratio: quia cognitio futurorum in se ipsis absoluta, & determinata, etiam ex parte obiecti est: cum tamen futurorum contingentium cognitio Angelica solum possit esse de eorum futuritione; *si Deus velit, ac non impediat* fore. Nam neque futura ex causis naturalibus v.g. solis eclipsim, aliter, quam ea conditione ex parte obiecti posita, Angelus cognoscit. Nihilo tamen solidior præcedente probatio. Si enim certum sit cognitionem absoluti futuri cuiusuis in se absolutam omnino etiam ex parte obiecti atque determinatam; neque aliquatenus ex parte obiecti suspensam, ac sub hypothesi, ac conditionatam esse debere; ita sane est Angelica cognitio de futuro quouis in se, esseque de futuro contingenti, quin esset sub ea conditione *si Deus velit, & non impediat*, cuius euidens ratio est: quia esse determinatum, & absolutum futuri in se pro sua duratione voluntatem Dei absolutam, vel positiuam, vel permissiuam ac non impeditiuam, vt pro illa duratione absolute sit, supponit: quare cognoscitur ab Angelo vidente futurum, quoduis in se secundum suu esse absolutum, & determinatam entitatem illam conditionem esse impossibilem, neque ex parte obiecti ponendam; cum opposita voluntas absoluta Dei obiectum absolute existens præcedat: cum autem ex causis earumque dispositione naturalique cursu futurum absolutum ab Angelo cognoscitur, vt eclipsis, ac proinde non in se est ea conditio ex parte obiecti imbibenda, atque ab Angelo, ita illud fore cognoscente, ex parte etiam obiecti necessario apponenda: quia scit naturalem causarum secundarum cursum voluntati diuinæ subiacere concurrendi iuxta naturalem earum seriem, & exigentiam, vel secus.

3. Ego vero ratione naturali ita à priori probari censeo. Quia, obiectum quoduis respectu cuiusuis intellectus creati non se habeat solum pure terminatiue (sicut solum se habet respectu intellectus diuini) in ordine ad sui cognitionem, siue mediate siue immediate; sed etiam determinatiue efficienter, & actiue, cum in se ac non in causis, seu per species alienas, cognoscitur, vt ostendimus controuersijs de anima controuers. de concursu obiecti in sui cognitionem, ferque Aristotelicum illud, & vulgare in philosophia proloquium, *ex obiecto, & potentia paritur notitia*: ergo obiecti, cuius nequit esse actiua determinatio naturalis mediata, nec immediata respectu potentiæ ad sui cognitionem eliciendam, nequit esse naturalis cognitio. Atqui obiecti absentis, & pure futuri nequit esse actiua determinatio naturalis, siue mediata, siue immediata potentiæ ad sui cognitionem: ergo à nullius potentiæ creatæ actiua obiecti determinatione indigentis ad ipsius cognitionem, potest dari de futuro contingenti in se, & per propriam speciem cognoscendo naturalis cognitio. Consequentia prima euidens est: subsumptum antecedens suadetur: quia nulla causa efficiens, neque actiua, neque ex actiua effectus sui, aut concursus diuini ad illum, esse potest nisi actu existat absolute, vt centrou. de conditionibus ad agendum cum omnibus Philosophis demonstrauimus: atqui futurum contingens, pure tale, actu absolute non est: ergo nequit determinare actiue naturaliter potentiam ad sui cognitionem mediate, aut immediate, siue efficiendo, siue exigendo à Deo concursum, siue speciem ad illam eliciendam.

4. Duo huic rationi responderi poterant. Primum: probare multum: quare probare nihil. Probat enim Angelum, neque posse cognoscere naturaliter futura contingentia præterita, quæ absolute actu non sunt; sed tamen inanis est solutio hæc, & instantia à naturali Angelica de præteritis cognitione: cum enim actu absolute iam fuerint, actiue, vel exactiue pro sua duratione vel mediis speciebus, vel immediate pro sua duratione ad sui cognitionem concurrerunt: & vtraque semel posita, vel specie, vel cognitione pro naturali sui natura vel minori permanentia naturaliter sui exigunt diuturniorem, vel breuiorem conseruationem: insuper cognitio speciem sui, & obiecti, vt cogniti, speciem relinquit memoriæ vtriusque, cum ipsa deficit, inseruientem: quæ omnia obiecto contingenti pure futuro deficiunt. Secundum est futurorum contingentium species congenitas naturaliter Angelis esse à suæ conditionis initio; sed hæc vana est aliquorum Doctorum, & superuacanea suspicio de futuro etiam non contingenti, & libero, sicuti, & plura alia, quæ à nonnullis arbitrio de Angelis, vt controuersia de anima separata, & Angelis sæpe monui & ostendi) diuinantur: & species istæ congenitæ de futuris specialiter ratione facta impugnatur à priori.

5. Secundo: quia adhuc futura à causis naturalibus, vt terræ sterilitas, & eclipsis, arbitrio creato non contingentia, sed solum diuino siue per ordinariam prouidentiam libere statuenti de illis, non cognoscit Angelus naturaliter in seipsis, sed solum coniecturaliter aut morali, vt summum, certitudine, in causis earumque influxu & dispositione; semperque sub hypothesi, quod Deus non impediat, vt ex Athanasio in vita Antonij circa med. Anastas. Nicæn. quæst. 23. in script. colum. 2. Eusseb. Cæsar 6. Præparat. c. 1. & 4. Porphyr. apud ipsum. Damasc. 2. de fide c.4. post med. Aug. c. 9. de Cuit. c. 12. 4. de Trinit. c. 17. de diuinat. dæmon. c. 6. à med. & communi scholasticor. probat Ruiz citatus sect. 5. ergo eorum species proprias congenitas sibi naturaliter nullus Angelus habet, nedum nostrorum futurorum contingentium. Tertio: quia ex Patribus recitatis certum. 1. Angeli non, nisi per reuelationem, & in verbo vident futura: nec quidem omnia, neque è suæ naturæ iure, sed ex statu beatifico, quæ aliquatenus ad ipsos spectant, ratione custodiæ hominum, alteriusue ministerij: ergo non sunt eis futurorum species à creatione sui congenitæ. Patet consequentia: essent quippe otiosæ: nec possunt species, quæ solum ad cognitionem obiectorum dantur deberi eis, quibus non debetur cognitio eorum. Denique species illæ obiectorum existentium essent; quare, si nunc, cum eis eliceretur, eorum in se visio actu existentia illa repræsentaret, non minus ac quando præsentia absolute fuit, mediisque suis speciebus videntur.

6. Nec valet: esse species, non solum existentiæ absolutæ futurorum contingentium, sed vt futurorum, seu existentium pro sua duratione posteriori, ac non pro hac. Contra enim est primo: quia futuritio, vt dicebamus q. 5. dicit negationem absolute existentiæ rei pro nunc, siue eius absolutam negationem actu: atqui negationis nequit species propria dari: ergo nec futuritionis rei, siue rei futuræ vt futuræ. Dices: non cognosci in se negationem absolutam rei actualem actu intuitiue: species autem solum requiri, atque inseruire, vt obiecta in se videantur; ita ergo ab Angelis naturaliter futura etiam

etiam contingentia cognoscuntur: vt scilicet, existentia absolutè mediis speciebus ipsorum videant pro sua duratione, atque hanc esse posteriorem, ex negatione cognitionis existentiæ eorum pro nunc, & pro anterioribus durationibus, quam experiuntur, expertique sunt, euidenter euincant. Contra tamen: quia experientia illa cognitionis tempore anteriori de existentia futuri contingentis, nequit capi ab Angelo, qui toto anteacto tempore cognouit eius absolutam existentiam, cum potius expertus sit toto anteacto tempore eius absolutam existentiam cognouisse, si futuri existentiam nouit: quare, nisi cognoscat positiue eius pro nunc negationem absolutam, nequit ab experientia educere posterioritatem durationis, qua absolutè futurum existet, atque nunc, seu anteriori duratione non existere: ac proinde nec cognoscere ex speciebus congenitis, & experientia illa futurum contingens, vt futurum. Mitto plura, quæ species has congenitas Angelis futurorum impugnant.

CERTAMEN IV.

Obiectionibus occurritur.

1. Quæ obiici contra prædictam fide, & naturali ratione certam veritatem possunt, ad duo capita reducuntur. Primum est, ob aliquas bonorum Angelorum prænuntiationes veras, quas Scriptura sacra, tam antiqua, quam noua commemorat: atque ob alia dæmonum vaticinia vel per se, vel per suos vates, & fatidicos, cum in Scriptura sacra, tum fide dignis gentium, imo & Patrum historiis relata, quibus vere prænuntiata à dæmone plura futura contingentia fuisse probauit euentus, vt constat ex prophetia Balaam num. 23. & 24. & ex prænuntiatione mortis Saulis 1. Regum 28. & ex pluribus Sybillarum vaticiniis, & bonis quidem Angelis constat ex scriptura eadem, eorumque ibi datis testimoniis eos Dei spiritu afflatos, & missos futura illa prænuntiasse: ac proinde non naturæ viribus; sed ex Dei voluntate, & reuelatione eiusmodi futura prænuntiasse eorum, & Dei testimonio constat ex prophetia vtraque Balaam memorata (licet alias falsus dæmonum vates vaticiniis aliis falleretur, ac falleret iuxta S. Thom. 2.2. quæst. 172. art. 6. ad 1.) capite enim vtroque sub init. dicitur, *Dominus posuit verbum in ore eius*, Saulis mortem apud Pythonissam, si dæmon (vt vult Augustin. 2. ad Simplician. qu. 3.) Samuelis specie, & nomine prædixit, ita etiam prædixit, Verum Samuelis animam prædixisse ex Eccles. 41. fine constat, ita enim de Samuele dicitur: *Dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ suæ. & exaltauit vocem suam de terra in prophetia*: idque censet Sanctus Thom. 2.2. quæst. 174. ar. 5. ad 4. & ex multis Patribus, & ratione, Bellarminus tom. 1. lib. 2. controu. de purgator. cap. 6. Mart. Martinez 9. Hypothipos Reg. 21. Ruiz sect. 9. num. 11. *& irruente in se spiritu Dei assumpta parabola ait*: Sybillas etiam, vel ex sacris literis, earumque relatione vel immediatè Dei spiritu afflatas de Christo vera prænuntiasse concors Patrum sententia est, vt diximus controu. de Trinit. d. 1. & controu. 1. de Incarnat. d. 1. & sanè dæmones è Dei voluntate immediatè, vel mediatè Angelis suggerentibus, sæpe futura prænoscere docent: Anastas. Nicæn. qu. 23. in Scriptura col. 2. August. in 2. ad Simplician. qu. 3. post med. de Genes. ad liter. cap. 17. 4. de Trinit. cap. 17. Isidor. 1. Sentent. cap. 10. sub med. & Magister c. *Diximus autem* 2. d. 7. ad cuius literam S. Bonauentura, & par. 2. dist. art. 1. quæst. 3. S. Thom. 1. par. qu. 46. art. 1. ad 4. & 2. 2. qu. 172. art. 6. ad 1. Ruiz sect. 9. num. 2. iidem ex reuelatis à Deo in Scripturis pro tota Ecclesia, vel priuatim Sanctis aliquibus fideliumque sermonibus plura didicere, edidicumque etiam ex futuris, & mysteriis, quæ aliis, prænuntient, ac tanquam oracula sua venditent, vt docet August. citato loco de Trinitate, & Magn. Anton. apud Athanas. in eius vita post med.

2. De vatibus verò dæmonum, qua talibus, deque ipsorum dæmonum oraculis futurorum contingentium quæ euentus vera esse probauit responderur: multiplici ex capite non probare certam fuisse eorum de eiusmodi futuris prænotionem naturæ iure, & viribus habitam: quinimo, quoties ex sui intellectus naturali prænotione prædixerunt temerè, quæ ignorabant, prædixisse, casu sæpè euentum concordasse prædictioni, quemadmodum dum pueri ludentis prædictione par, vel impar numerus forte apparet. August. 4. Confess. c. 3. lib. 7. cap. 6. lib. 12. de Genes. ad liter. cap. 17. & 22. ait: cumque multa prædixerint, mirum non est aliquem ex eis euenisse iuxta adagium illud: *Si multa torqueas, modo hoc, modo illud erit*: quod Garrulis, & Melancholicis aptat ob similem rationem Arist. de præsens. per somnium circa med. prædixerunt autem temere, ne eorum de quibus consulebantur ignorantiam detegerent, diuinisque honoribus à populis spoliarentur, cum silentij causas alias prætendere non poterant, sorti, & fortunæ euentus diuinitatis æstimationem malentes committere, quam ignorantiæ sua confessione certo amittere. Accedit oraculis plurimis ambiguis dæmones, eorumque fatidicos vsos sæpe fuisse; quibus alterutrum ex oppositis æque significaretur; quorum exempla aliqua celebriora dedimus supra atque alterutro euentu id prænuntiatum populi crederent, cum id argumentum sit clarum ignorantiæ de vtroque in ita prænunciante, & fallaciæ diuinationis: de qua Tertull. cap. 22. Apolog. circa finem Theodor. 5. præparat Euang. cap. 10. & lib. 10. de cur. græc. affect. & Aristot. 3. Rhet. cap. 5. circa med. hanc dæmonum fallendi oraculis suis artem aperuit his verbis. *Dicendum est: non ambiguè, nisi consultò ita quisquam faciat, quod faciunt, qui, cum nihil habeant facere aut dicere, aliquid tamen edicere simulant: vt potest fit. & Empedocles facit, decipit enim circuitio, cum crebra sit, ac ita auditores afficiuntur: sicut multi cum ambigua oracula dicunt*: Aliamque fallendi similibus vaticiniis artem statim subdit, scilicet res generalius, quam specialius prænuntiare, quoniam minus est aberrandi periculum: *ideirco*, inquit *rem in genere, qui vaticinantur dicunt. Dicet enim forte aliquis verum magis in ludo paria, vel imparia dicent, quam quot & magis, quod erit, quam quando: quocirca Aruspices non determinant quando.*

3. Denique cum dæmones clarius, acutiusque nobis, atque indistantius, etiam loco & tempore causarum naturalium concursum, & dispositionem, imo & liberarum habitus, passiones, & inclinationes, ex quibus naturales effectus certitudine physica, & naturali (licet sub conditione, quod Deus eorum exigentiæ è iure naturæ annuat, atque absoluto suo dominio & potestate non impediat) fore discurrat; liberos autem sæpe morali certitudine coniecterur, vt supra diceebamus: plura eiusmodi minori erroris periculo poterit prænoscere ac prænuntiare: imo cum physica, moralive certitudine naturali sola intellectus sui virtute: & sæpe ita euenient, sicut prænuntiauerit. Nihil tamen ex eis cum metaphysica certitudine, & cui falsum subesse protsus, & absolute nequeat: sicut Deus omnia ea prænouit, prænuntiatque quæcumque vaticinatur, & ex qua suæ præscientiæ, & vaticiniorum constanti semper & vbique certitudine, & infallibilitate suam nobis demonstrat veram diuinitatem. Multa item dæmones prædicunt, quæ sua naturali potentia facere possunt; quare & afferre, atque ita se facturos statuerunt iam, & prænuntiant, vel ex prænuntiatione, vt homines decipient, exequuntur: sed eæ etiam prænuntiationes eidem periculo alterius aduersæ dispositionis diuinæ, de qua illis non constat, expositæ sunt; idque dæmones non ignorant.

4. Secundum caput continet obiectiones ex hominum diuinationibus petitas de quorum animis refertur à S. Th. 1. par. qu. 87. ar. 4. ad 2. dixisse August. *habere vim sortis, vt natura sua futura prænoscant*. Sicque 12. de Genes. ad lit. cap. 17. circa med. refert Phræneticum quendam mox futuram fœminæ mortem, funus, eiusque comitatum, & viam paulo post futura, quasi iam à se visa narrasse, & c. 22. post med. iuuenis saltantis, & quasi per iocum, & fatidicorum actiones imitantis vaticinium protulisse cum iis omnibus circumstantiis, quibus fere statim euenit; sed certè verba & sententia illa Augustini non est, in eiusque saltem operibus non extat teste Ruiz sect. 10. num. 2. Solum hæc inueniuntur 7. Confessionum c. 6. sub init. *Coniecturas hominum habere vim sortis, & multa dicendo dici pleraque uentura nescientibus eis, quid dicerent, se in ea non tacendo incurrentibus*: vt etiam aiebat Aristote-

les de diuinat. seu præsen. per somnium vulgari illo proloquio: *si sapè iacias, aliud alias iaceris*: est tamen sententia illa Gregorij M.4. dialog.c.26. init. dicentis: *ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliqua præuider*, scilicet absque reuelatione, & supernaturali eleuatione, à qua eam præuisionem statim distinguit, & confirmat exemplo moribundi, qui prædixit Romæ se per viam Appiam ad B. Sixti Ecclesiam esse processurum: cumque testamentarij id nescientes, nec curantes alio corpus eius efferri decreuerunt, ac funus dirigerent, repente mutato Consilio, & via eo illud, sicut prædixerat, detulerunt; sed in ea sententia excessisse Doctor Sapientissimus merito videtur noster Ruiz num.8. maximè, cum prædictio huius cum euentu concordia casualis, & fortuita iudicari potius debeat; sicut, & aliarum, quas ex Augustino retulimus: vt hic, & Aristoteles de similibus generaliter aiebant verbis datis, & ipse Augustinus iterum 12. de Genes. ad liter.cap.18. sub initio his verbis: *Ego visa ista omnia visis comparo somniantium; sicut enim ali quando, & hæc falsa; aliquando autem vera sunt, sic etiam illa omnia* plerumque etiam sunt falsæ, atque ideo, quia rarissimæ, quæ veræ sunt notantur. Accedit: quod hæc, & similia, vel per iocum, vel phrænesim, ex eis, quæ familiariter ex vsu, & circumstantiis accidere solent, ac moribus præsertim de se fore coniectantur, & prædicunt; ac proinde ita ex vsu eueniant: vel tandem licet ex raro contingentibus casus sint, industria, vel Angelorum inspirantium, vel dæmonum suggerentium ac disponentium, quæ serio fieri desiderabant euenire naturaliter possunt: maximè, si dæmon ita prænuntiari ab illis fecit, vt homines diuinationibus credere faciat, ac Deus in horum pœnam aliove fine illius industriam non impediat.

5. Denique oppones: homines per somnum, exstasim, aut phrenesim, à sensuum vsu alienatos futura cognoscere teste Aristotele proximè: vbi è communi sui temporis fama refert quosdam apud Herculis columnas, & Boristhenen diuinare futura; aitque somnia nec credenda, nec contemnenda semper esse; sed certe contra Leuit.19. dicitur. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Et Ecclesiast.5. *Multas curas sequuntur somnia*, nempe inanes. Et Eccles.34. *Multos enim errare fecerunt somnia*, de quorum detestatione magna ponderatione ait M. Greg.4. dial. cap.48. ante med. quæ generaliter de somniis, non à Deo, vel Angelis è Dei voluntate, & imperio immissis, sed frequentibus, & naturalibus intelligenda sunt. Nam de illis extant plurima credenda in Scriptura: cuiusmodi sunt Patriarchæ Iosephi de manipulis, Soleque, Luna, & Stellis: de statua Nabuchodonosor à Daniele explicatum, & tandem dicitur. Ioël.2. n.28. *& Senes vestri somnia somniabunt*: in Messiæ aduentu, vt explicuit S.Petrus Actor. 2. Neque Aristot. citato libro de diuinatione per somn. oppositum docuit: cum eodem libro dixerit, vt supra retulimus: somnia quandoque à Deo immitti: quare ratione horum docuit non esse semper contemnenda. Ex aliis verò somniantium, atque abusu sensuum per phrenesim, aut extasim abstractorum præsensionibus probabile indicium futurorum, maximè circa corporis bonam, vel malam valetudinem, ac proinde eius curationem futuram colligi, & coniici probabiliter potest, oriuntur enim è corporali corporis dispositione, & inclinatione appetitus, ad quam facilius mouetur dormientis, & ab vsu sensuum alienati imaginatiua, cuius vis ad alia obiecta non distrahitur, totaque ad obiectum interiori sensu per naturales intrinsecas causas propositum colligitur. Vnde Medici iure iis valetudinariorum somniis attendunt, sæpe eiusmodi somnia dormientibus, ac extasticis ab Angelis, siue bonis, siue malis immittuntur: aptioribus scilicet, tum ob collectionem vitium imaginatiuæ ad obiectum interius repræsentatum, aptioris proinde ad eiusmodi impressiones patiendas, teste Aristotele citato libro & Sancto Thoma q.87. art.4. ad 2. tum, quia sensibus vtens, seipsum etiam agit, nec solum patitur, vt ab eorum vsu alienatus: quare magis impedit motum, & operationem agentis: quæ proportione seruata minoris probabilitatis sunt de liberis futuris, etiam hominum, qui naturalibus inclinationibus, vel ex consuetudine, & habitu, vel aliunde obremperant, non rationi. Demum iudiciarios Astrologos naturales minus certo, maiorique aberrandi periculo effectus astrorum prædicere, quam dæmones: quia non æquè, atque hi, causarum naturalium collectionem penetrant, imo vix minorem partem illius: quare circa pluuias, ventos, sereni-tatem, sæpè falsò prædicunt.

QVÆSTIO VII.

Num propositiones singulares de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falsitatem habeant.

PROPOSITIONVM singularium nomine non intelliguntur in re præsenti ab scholasticis propositiones singulares entitatiue; sic enim propositio quæuis indiuidua, reque existens, singularis est, de quocumque obiecto sit: intelligitur ergo nomine propositionis singularis obiectiue, siue de obiecto singulari; qua acceptione diuidi à logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam &c. propositio solet: quare hoc titulo inquiritur de propositionibus de obiecto singulari, contingenti futuro: cui nimirum soli per se, & ratione sui potest contingentia conuenire, & ratione cuius vniuersalibus, & communibus aliarum propositionum obiectis; & quamuis ad rem præsentem Theologicam de diuina nostrorum contingentium futurorum præscientia, & difficultatibus inde subortis componendis, ita vniuersim de veritate propositionum omnium singularium de futuro contingenti disputare necessarium non videatur; est tamen valde vtile, & quod doctrinam hactenus traditam de eorundem obiectorum præscientia confirmet: cum enim veritatem formalem determinatam habere eiusmodi propositiones nequeant, ni eiusmodi futura contingentia futura singularia, quæ ita fore enuntiantur, vt erunt, veritatem obiectiuam, seu capacitatem, vt veram cognitionem actualem duratione anteriori habitam terminent, habeant: fit, vt ex earum formali veritate, veritas eiusmodi contingentium obiectiua demonstretur: qua ostensa à Deo præsciri euidens subinde erit: idcirco, licet vniuersalis hæc quæstio philosophica sit, hic tamen iure optimo à Theologis disputatur.

CERTAMEN I.

Doctorum placita, & pro veræ decisionis claritate notata.

1. EPicurei apud Ciceronem lib. de fato longè à medio num.28. docuere: eiusmodi propositiones, nec veras, nec falsas esse: *aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius veras esse ex contrariis disiunctiones; sed quæ in hu enunciata essent* (determinatè) *eorum neutrum esse verum*: quasi dicant: Petrum eras pugnaturum, vel non pugnaturum, verum quidem esse, vereque dici disiunctiue; ast pugnaturum determinate, vel non pugnaturum determinate, nec verum esse seorsim, nec falsum, nec verè seorsim dici, nec falso, siue eras pugnet siue non pugnet. Quorum fundamentum illud proculdubio fuit: quod alterum ex contradicentibus esse, tempore quouis signato, seu fore necessarium est: cum simul nequeat vtrumque esse pro vlla duratione; esse vero alterum ex illis determinatè pro omni, & quauis duratione, eorumque contingentia repugnat id quod cæteris, qui aliter, ac veritas fert, de eiusmodi propositionum veritate, aut falsitate determinata sententias tulerunt, præcipua atque vnica extitit causa. Extremæ huic sententiæ Epicureorum parti consentiunt scholastici nonnulli asserentes: in his propositionibus contradictoriis de futuro contingenti determinato, & singulari, licet actu veritas,

veritas, vel falsitas sit; nullam tamen determinate distinctè, ac designate veram esse, nullamque determinate, ac designate falsam: sed alteram esse indeterminate veram, alteram vero indeterminate falsam. Quod si aduerbium *indeterminate* cadat supra subiectum, scilicet, *alteram propositionem*: est in terminis ipsissima sententia Epicureorum pars extrema, vt patet; sin autem cadat supra prædicatum *veram* reipsa in eandem recidit: quod enim verum, vel falsum indeterminate est sub disiunctione verum, vel falsum est, nec magis falsum, quam verum: fuit autem sententia hæc Aureoli in 1. dist. 39. p. 1. a. 1. concl. 1. a. 3. concl. 1. & 2. Bapolid. d. 38. q. 1. a. 3. ad 1. Ægid. ibi q. 3. Argent. d. 40. de Prædest. quæst. vnic. a. 3. colum. vlt. ad 1. & 2. Bargij d. 39. q. 1. §. *Ad argumenta principalia* Cather. libello de verit. enuntiationum.

2. His accedere videntur nostro Ruiz, & doctis iam citandis, Aluarez de auxiliis num. 13. §. *Confirmatur*, & d. 13. concluſ. 2. probat. 3. & subdubius Ledesma d. 2. de scient. futuror. dub. 2. solut. 1. Hieronym. Viues de primatu diuinæ lib. d. 1. & 10. ac 18. & alij (Dominicanæ scholæ Recentiores) asserentes has propositiones, nec determinate veras, nec determinate falsas esse ante decretum actuale, & omnino absolutum prædeterminans voluntatem ex omni anteacta duratione, respectu cuius futurum contingens futurum determinate est, ad eius futuritionem, siue existentiam absoluram pro duratione, pro qua futurum determinate est: id quod Hieronymus Viues locis citatis supra, & quotquot ex familia, & schola Thomistica Dominicana censentur Recentiores iam communiter sequuntur. Esti autem in principio illo de necessitate decreti actualis absoluti, & prædeterminantis voluntatem ad rei futuritionem, siue absoluram existentiam pro sua posteriori duratione vehementer decepros iudicem: ast præfatæ sententiæ ita proxime accedere non censeo. Hi siquidem eiusmodi decreto contingentem omnem futuritionem determinatam præ non futuritione constitui arbitrantur, vt vidimus, formaliter, aut minimum, virtualiter, tanquam principio essentiali futuritionis absolutæ, & determinatæ contingentis: ac proinde eo decreto sublato omnis contingentis seu positiui seu negatiui futuritionem abolent manereque in statu possibilitatis, & intra causas docent: abstrahente nimirum ab existentia, seu futuritione, ac non futuritione absoluta, & pro quo neutrum determinate est, sed solum vtrumque esse potest. Non secus, ac docent actualem contingentis existentiam determinate absolutam de præsenti, sine simili actuali decreto prædeterminante esse non posse: ac nos sine præuio decreto indifferenter concurrendi cum causa indifferenti, nec fore contingens potius, quam eius negationem, dicimus: quia neutrum eis sublatis contingenter erit: at vero Aureolus, & reliqui ipsi cõsentientes admissa contingentis futuritione, aut non futuritione, propositionibus de eo singularibus veritatem, aut falsitatem determinatam negant: verum quidem est aliquot ex Thomistis citatis, qui eiusmodi prædeterminantia decreta circa peccata futura negant. Sententiam hanc vniuersim docere non posse, atque rationibus pro sententia communi absolute affirmatiua, quam iam subijcio, & sequar, in peccatis futuris omnino refelli.

3. Sententia igitur absolute affirmatiua propositionibus singularibus de futuro contingenti veritatem, seu falsitatem determinatam deferens, & vera, & communis Philosophis, Patribus, & Theologis est. Quoad Patres, & Philosophos, eos etiam, qui pro negatiua stare ab huius, Patronis putabantur, attinet, ex eorum testimoniis recitandis cert. 2. clarebit. Quoad reliquos vero S. Thom. 2. Periherm. c. 8. lect. 13. 14. & 15. vbi eius discipuli & nostri Coimbricenſ. q. vni. ar. 4. & reliqui Arist. Commentatores. item 1. p. q. 14. a. 13. q. 16. a. 7. ad 3. a. 8. ad 3. & 4. & eorum locor. Commentatores. q. 6. de veritate art. 3. arg. 6. cum eius solutione. Albert. 1. p. q. 25. m. 2. a. 3. partic. 1. ad 4. & reliqua, & part. 3. ad 3. Alex. 1. p. qu. 15. m. 5. & 6. fine ac 7. toto. S. Bonauent. in 1. d. 38. a. 2. q. 1. ad 3. vbi Stephan. Brulefer a. 2. in solutionibus oppositam Romæ damnatam fuisse referens, ex distinctionariis citata d. 38. Greg. q. 1. a. 2. Richard. a. 1. q. 1. ad 2. & q. 5. ad 1. Gabriel. q. 1. a. 3. nota b. 7. a. 2. post 5. conclusion. Carthus. q. 2. Capreol. q. 2. a. 2. ad 3. contra 7. concluſ. & colum. penult. Palacios. d. 2. inter med. & fin. Scotus d. 39. q. 1. §. *Viso de contingentibus*, & §. *Ad argumenta principalia*, vbi Lychetus, & eius Commentatores, & Asseclæ Marsil. in 1. q. 40. ad 3. *Principale*: licet eius verba aliud possint sonare. Aliacens. d. 11. a. 1. lit. B. Holcot in 2. q. 2. a. 7. Abul. p. 2. defensorij c. 28. Sotus in caput 9. ad Rom. circa finem, Fonseca 6. Metaph. d. 2. sect. 6. 7. & 8. Vasq. 1. p. d. 66. Soar. opusc. de præscient. futurorum. c. 2. Herize d. 6. de scient. c. 7. Fasol. 1. p. q. 14. a. 13. Petrus Hurtado d. 9. de anima sect. 6. sub sect. 1. Raynaud. noster disciplinæ moralis d. 2. Albiz d. 7. de scient. sect. 1. n. 8. Ruiz d. 23 sect. 2. Amicus tract. 21. Log. d. 4. dub 4. Francisc. de Lugo 1. de Deo vno d. 29. c. 1. Mathias Borrull. defens. scient. med. d. 1. sect. 6. num. 68. licet verbis in oppositam lapsus partim videatur.

4. Vt clarius communis huius, & nostræ sententiæ veritas ostendatur, & hinc æquiuocatio argumentorum, quibus decepti aduersarij sunt, euanescat, aduerto: propositionem singularem esse determinate veram, dupliciter intelligi posse. Primo, vt de se, atque essentia sua determinate vera sit, siue determinata ad sui veritatem, vt ipsi esse falsam repugnet. Secundo: ita esse veram determinate, vt, licet eius entitati, & essentiæ falsam esse, non repugnet, tamen de facto vera, atque cum obiecto, de quo enuntiat, conformis sit, quia ita illud erit, de facto, vt per illam enuntiatur: quomodo propositionibus in materia contingenti veritatem determinatam absque necessitate, seu determinatione essentiali ipsarum ad illam competere exploratissimum est in omnibus propositionibus de præsenti, quæ in materia contingenti sunt. Paret in his, *Petrus peccat, Petrus amat, vel currit*, & similibus; quæ quidem peccante, amante, vel currente Petro veræ sunt determinate, seu veritatem determinate habent, potius quam falsitatem; cum tamen de se, ac essentia sua ad veritatem determinatæ non sint, vt patet, siquidem non peccante, vel amante, aut non currente Petro (vt absolute potuit euenire) non quidem veræ, sed falsæ potius determinate eædem propositiones existerent.

5. Et hanc sane determinatæ veritatis propositionum diuersitatem, & postremam acceptionem solam propositionibus singularibus de futuro contingenti seorsim sumptis conuenire obseruauit Boëtius comment. in 1. Periherm. c. 8. his verbis: *in his quidem* (propositionibus de contingenti futuro) *totam contradictionem dictam vnam partem veram habere alteram falsam, & necessario; sed non vt aliquis diuidat ac respondeat hanc quidem ex necessitate veram esse; illam vero ex necessitate falsam*: id quod planissime ab Aristotele dictum præmisit eo loci, cuius ea sunt verba citato c. 8. vers. fin. *Esse quidem, vel non esse omne necesse est, & futurum esse, vel non esse. Non tamen contingit diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem, vt necesse est esse futurum bellum nauale eras, vel non futurum esse, sed non est necesse futurum esse eras bellum nauale: neque rursus est necesse non futurum esse eras bellum nauale.* Ad quæ S. Thom. lect. 15. comment. 2. Boëtio consentiens ait: *Necesse est de vno quoque, quod sit: vel non sit, & quod futurum sit, aut non sit, & hoc sub disiunctione. Hæc necessitas fundatur super hoc principium: quod impossibile est contradictoria simul esse vera, vel falsa: vnde impossibile est nec esse, nec non esse: ergo necesse est esse, vel non esse. Non tamen, si diuisim alterum accipiatur, necesse est illud esse absolute.*

8. Ex quibus constat tam Aristotelem, quam accuratissimos sagacissimos, profundissimosque eius interpretes Boëtium & S. Thom. citatis locis duplicem hanc determinatam veritatem, seu determinationem propositionum destinxisse, alteram illis necessariam, siue determinationem earum de se ac essentia sua, ad veritatem, vel falsitatem; & hanc contradictoriis singularibus in materia contingenti sub disiunctione conuenire docuisse; secus eorũ alteri. Alteram vero non necessariam veritatem, seu ortam ex determinatione essentiali, & intrinseca ac de se propositionis ad ipsam; determinatam tamen ad hanc quidem cuiuis earum, siue de præsenti, siue de futuro æque non solum non negasse, sed omnino concessisse: ita, vt, licet hæc bona consequentia non sit; contingens affirmatiua non est necessario vera: ergo eius contradictoria negatiua necessa-

rio

rio est vera: quia supponi eos confuse facit, non determinate, vt in summulis cũ omnibus Philosophis diceb amus, (vt patet in hac: *aculus requiritur, necessarioue est ad videndum* & similibus) sit tamen hæc bona consequentia: altera ex contradictoriis contingentibus, siue de præsenti, siue de futuro (v. g. *Petrus currit, vel curret*) non est vera: ergo negatiua contradictoria (v.g. Petrus non curret, vel non curret) est vera; & contra, affirmatiua non est falsa; sed vera: ergo contradictoria negatiua est falsa: quod est alteram esse de facto, etsi non necessario, determinate veram; alteram vero de facto, & determinate, licet non necessario, falsam.

CERTAMEN II.

Affirmatiua sententia authoritate Aristotelis fundatur.

1. PRima ab authoritate probatio ab Aristotele petenda est, eo etiam ipso c.8. quo nobis ab aduersariis opponitur: ex quo loco Aristotelis discursu, & demonstratione nos pro hac communi veritate, multa Boëtius in 1. Periherm. edit. 2. lib. 3. circa med. §. *Ad adstruendum* & §. *sensus argumentationis.* §. *Planissime* hæc præmittens: *qui Aristotelem arbitrati sunt vtrasque propositiones in futuro falsas arbitrari, si hæc qua nunc dicit diligentissime perlegissent nunquam tantis laberentur errorib us.* Statimque distinguit, vt suprà: aliud esse in propositionibus esse verum ac esse definite, seu necessaria earum determinatione verum: quam eandem demum, vti Aristotelicam, persequitur S. Thom. lect. 13. citata circa fin. Ea autem Aristotelis pro hac veritate demonstratio, tam de propositionibus singularibus de obiecto contingenti præsenti, quam futuro (de quibus 1. Periherm. c.8. in terminis agit, vt vidimus) sic habet circa cap. medium. *Nec dicere quisquam potest neutrum esse verum: veluti neque fore, neque non fore.* Ac rursus ibidem: *Si hic dicat futurum esse aliquid, ille vero non futurum dicat, hoc ipsum manifestum est, quod necesse sit verum dicere alterum illorum.* De qua demonstratione: quod, scilicet, ex oppositio vtramque propositionem simul esse falsam chimærice, & repugnanter inferatur fusius agemus cert. 3. num. 2. Secundo: sibi ipsi contradiceret Aristoteles, si oppositum docuisset, eius enim est illud principium, quo altera pro præsenti veritate instruitur demonstratio. *Ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera vel falsa.* Quod, vt certissimum statuit Aristoteles 9. Metaph. tex. 21. & citato cap. 8.

2. Item, & alterius demonstrationis firmissimo principio apud Aristotelem: scilicet: *de omni re oportet verum esse affirmare, vel negare*: quod his tradit 3. de anima c.6. fine *est dictio quidpiam de quopiam, quemadmodum affirmatio: atque omnis est vera vel falsa*, & 6. Metaph. text. 20. *vnaquaque contradictionum partiuntur sibi ad inuicem verum, & falsum; ita, quod altera pars est vera, & altera falsa.* Quod certissimo eiusdem principio, & dignitate innititur, 4 Metaph. tex. 9. *Idem simul inesse, & non inesse eidem, & secundum idem impossibile est: hoc autem omnium principiorum certissimum.* & c.7. alias 5. text. 27. *Nec inter contradictionem possibile est quidquam medium esse; sed necesse est dicere, aut negare vnumquodque de vno: quia*, addit, *qui dicit esse quod est: aut negat esse, quod non est: verum dicit: & è contra, qui negat esse, quod est, & affirmat esse quod non est, dicit falsum: quare, & qui dicit esse, aut non esse verum dicit, aut mentitur.* Medij autem impossibilitatem inter contradictoria probat: quia nullum est medium inter ens & non ens: alioqui, *neque verum dicet aliquis, neque non verum, aut prater ens & non ens* concludit ab absurdo. Hoc ipsum principium constanter supponit, & repetit 1. periherm. c.8. init. illis verbis. *Nam si omnis affirmatio, vel negatio vera vel falsa est*: & paulo inferius: *At vero, nec quoniam est verum neutrum, contingit dicere: vt quoniam nec erit, neque non erit.*

3. Sed neque multum à principio capitis, & veritatem præsentem, & aliam eius demonstrationem dedit Aristot. ita scribens: *si album est, nunc verum erat dicere prius, quoniam erit album: quare semper fuit verum dicere, quodlibet eorum, qua facta sunt, quoniam, est vel erit.* Vnde circa medium. *Nihil enim prohibet in millesimum annum hunc quidem dicere futurum esse, illum vero dicere non futurum*: Rursus eandem veritatem supponit Aristotel. sæpe, veram præcognitionem futurorum contingentium singularium, & prænuntiationem supponens: cum per somnium à Diis immissum lib. de præsens. seu diuinat. per somnum sub init. cum per fatidicos homines toto eo libro: ac proinde non esse eiusmodi diuinationes omnino contemnendas (qua de re Nicolaus Leonicus in eius libri argumento) tum per Deorum, & vatum ab eis afflatorum oracula, & responsa, & alia ex animalibus capta præsagia 3. de historia animal. c.20. longe à medio de Lemnij Capro & 1. Rhetor. ad Theodect. c. 15. ante med. & lib. de mirabilib. auscultation. à medio §. In Cuma fatidicam concedit esse Sybillam. Et ex lib. eius, qui non extat, refert, Cicer. 1. de diuinat. circa med. num. 49. cum somnio cuidam Eudemij tanquam à Deo immisso de duobus euentibus contingentibus futuris credidisse testatur: atque alterum eorum, qui non ita accidit, vt verba videbantur sonare, interpretatum ita esse, vt euentu, in eo sensu, verificaretur. Ex quo constat illum in eiusmodi prænuntio, & præuisioni veritatem determinatam recognouisse. Mitto cum lib. de mundo Lacheſim (qua Deum, sicuti & reliquis Parcis, significari ait) præesse futuris rebus, quibus absque earum præscientia præesse nequit, docuisse, is enim liber certo Aristotelis non est.

4. Denique, vt mens Aristotel. eo cap. 8. (vbi oppositum docuisse non ab aduersariis modo, sed à Conimbricens. supra a. 3. & Vasquez supra etiam c. 1. & 2. & Suarez citato Opusc. cap. 2. n. 11. puratur) pro nostra, & communi sententia aperta monstretur, præter data ex eodem capite illius verba, præcipue recitata n. 3. ex eius in eo capite intento fine monstratur. Finis totus fuit explicare, non quidem quomodo futura multa non necessario, sed, si vere, & contingenter sint euentura (quod, vt notum supponit potius, quam explicet, aut probet) generalis regula quam c. 7. statuerat (nempe ex contradictionibus necessario alteram determinate veram esse, & alteram falsam) in propositionibus singularibus de futuro contingenti, firma etiam persisteret? asseritque: persistere quidem in his etiam æque, atque in aliis, quæ sunt in materia necessaria & remota; cum hoc tamen discrimine: quod necessitas hæc essendi alteram veram, alteram falsam propositionibus in materia necessaria, vel remota singulis conueniat: quia altera secundum se, & in essentia sua determinata est ad veritatem: v.g. affirmatiua materiæ necessariæ, & negatiua materiæ remotæ; altera vero ad falsitatem: scilicet affirmatiua materiæ remotæ, & negatiua necessariæ. At vero necessitas essendi alteram ex contradictoriis contingentis materiæ veram, & alteram falsam, iuxta eam generalem regulam, neutri secundum se, & determinate sumptæ competere, sed vtrique iunctim, & confuse sumptæ: vt scilicet necessarium sit hanc vel illam esse veram, & hanc, vel illam falsam: licet determinate huic, quæ fore enuntiat, quod erit, veritas conueniat contingenter, ita, vt ei secundum se sumptæ, & existenti potuerit non conuenire; illi vero quæ fore negat, quod erit, eodem modo falsitas conueniat: id quod, vt diximus, propositionibus etiam de præsenti contrariis in materia contingenti eodem modo conuenit; nisi hæc contingens præsens supponat, atque contingentiam, seu libertatem causæ in ipsis exercitam: ac proinde cum eo connectantur: tum enim necessariam veritatem habet de se, & natura sua determinata illa propositio: sed ex suppositione, quod contingens in se sit quod pro signo indifferentiæ, & libertatis suæ causæ in actu primo potuit absolute non esse: quo etiam pacto necessariam ex suppositione veritatem habere possunt iudicia, & enuntiationes de contingentibus futuris, vt præscientia diuina, atque inde ortæ de eis reuelationes, & prophetiæ: vnde, cum harum certitudine, & necessaria veritate nostrorum actuum liberorum conciliabimus ex Patribus, & ratione, quæstione sequente libertatem.

5. Hinc

5. Hinc tamen obiicis: diuersam necessitatem veritatis, vel falsitatis nouit Aristoteles eo cap. in propositionibus de præterito, atque in propositionibus contingentibus de præsenti, & de futuro; cum tamen his necessitas ex suppositione conueniat, quæ sola propositionibus de præterito posset conuenire. Respondetur: propositiones de præterito supponere exercitium libertatis transactum natura, & duratione: quare necessario semper esse veram, quæ vera est, & falsam, quæ falsa est; quod enim fuit ficuti enuntiatur, non potest non fuisse, & quod non fuit non potest fuisse. Ast in propositionibus de præsenti, & de futuro contingenti, cum transactum instans non sit, nec opus est, vt omnia signa, & instantia naturæ actus primi, & secundi libertatis, & contingentiæ transacta cum sua duratione supponantur, sicut supponuntur transacta cum sua duratione in propositionibus de præterito: ex quo capite maior contingentia veritatis, & falsitatis, quam in his, in illis esse potest, nisi ex suppositione libertatis exercitæ habeantur. Item: cum præsens decursu temporis transeat, futurumque eodem decursu fiat præsens, transeatque in præteritum propositiones de eis, veræ etiam, quæ enuntiantur cum tempore, huius solum lapsu falsificari possunt, si sequentibus durationibus enuncient contingens obiectum, quod prius vere enuntiabant, de præsenti, nimiram, vel futuro; secus autem, quæ suum obiectum semel enuntiarunt vere de præterito: quia, quod nunc præteritum respectu præsentis durationis est, & respectu durationis etiam æternæ à parte post ei succedituræ, præteritum est; ac proinde propositio de præterito, etiam contingenti, semel vera, semper, ac necessario vera erit quin possit vnquam esse falsa. Totum hoc docte notauit Anselmus lib. de concord. præsc. cum lib. col. 2. dicens *in re præterita est quoddam, quod non est in re præsenti vel futura. Nunquam enim fieri potest, vt res quæ præterita est, fiat non præterita; sicut res quædam, quæ præsens est, potest fieri non præsens? & aliqua res, quæ non necessitate futura est, potest fieri non futura*: præsens quidem etiam in se præsens temporis solius successu: futura vero cum inde, tum ex libertate, quæ anteribri tempore exercita non supponitur. Hanc ob dicta hactenus Aristotelem pro nostra sententia; ac conclusione iteriisse constantem, eo etiam c. 8. Doctores omnes, qui pro ea etiam stare citati à nobis sunt, plane fatentur; si tres illos memoratos n. 4. excipias.

CERTAMEN III.

Aliorum, & Patrum authoritate eadem veritas stabilitur.

1. EIdem veritati patrocinatur Cicero libro de fato longe à medio n. 28. ita generatim principium illud eius demonstrandæ statuens; *quod verum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non verum esse*, idest omnem propositionem necessario veram, vel falsam esse debere. Item, & illud principium eiusdem demonstrandæ, *de omni re oportet verum esse affirmare, vel negare*: *si enim* (ibidem ait: exemplum in propositione de futuro contingenti adhibens) *ex his necesse est alterum verum esse, alterum falsum: vt sanciabitur Philoctetes omnibus ante saculis verum fuit* (recitatis verbis) *non sanciabitur falsum*. Pauloque inferius ait: *Ratio ipsa cogit, & ex æternitate vera esse quadam, & ea non esse connexa causis æternis, & à fati necessitate libera*. Nisi forte, &c. quod ipsum etiam de propositionibus seipsas falsificantibus certissimum putat in *Lucullo* seu lib. 2. Academicar. quæst. post med. edit. 1. demum. lib. de fato post med. num. 21. *Vt præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerint instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicimus.*

2. Boëtius citatis locis Aristotelis mentem pro hac veritate non solum explicuit, sed & secutus est citatis locis & recitatis, cùm cert. 1. n. 7. & cert. 2. n. 1. & postremo hoc loco oppositam sententiam insimulauit erroris. Paragrapho autem: *Sensus argumentationis*, prope finem, vbi illam demonstrationem Aristotelis pro veritate, aut falsitate, cuius meminimus certam. 2. circa finem: eius sequentia verba: *Si autem neque erit, neque non erit cras, non erit vtrumlibet, vt nauale bellum: oportet enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri*: ita interpretatur, & pro eadem veritate complectitur. *Si affirmatio dicat cras bellum nauale futurum, quoniam falsa est, non erit bellum nauale. Rursus, si idem neget negatio dicens: non erit cras bellum nauale, quoniam hæc quoque falsa est, erit cras bellum nauale: quia affirmatio falsa est; nec non erit bellum nauale, quia negatio falsa est: sed hanc ineptiam nec animus sibi ipse fingere potest, quis enim vnquam dixerit rem aliquam ex necessitate neque esse, nec non esse? quod ille dicit, qui dicit vtrasque propositiones in futuro falsas existere.*

3. In eadem sententiam scripsit 5. de consolat. prosa quinta, vbi à Deo videri ait: *Quoniam modo, etiam quæ certos exitus non habent, certa tamen videat, ac definita prænotio, neque id sit opinio, sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas*, & prosa 6. post medium: *quid igitur postulas, vt necessaria fiant, quæ diuino lumine illustrantur, cum nec homines quidem, necessaria faciant esse quæ vident? num etiam, quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? atqui (si est diuini humanique præsentis digna collatio) vti vos vestro hoc temporario præsenti quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno.* Paulo item infertus. *Quo fit, vt hæc non sit opinio; sed veritate potius nixa cognitio, cum exituram quid esse cognoscit, quod existendi necessitate carere non nesciat.* Quia scit esse contingens futurum; vbi diuinæ de futuro contingente præscientiæ, non determinatam solum, sed certam, & indefectibilem veritatem concedit: neque aliter de determinata præscientiæ futurorum contingentium, quam de visionis eorundem præsentium determinata veritate esse philosophandum: ac demum inde conciliat veritatem præscientiæ diuinæ determinatam, & necessariam, cum futuri contingentis libertate, quia æque præscientia futurum contingens, atque visio præsens supponit.

4. Eadem paritate veritatis determinatæ, imo necessariæ, visionis de obiecto præsenti determinatam & necessariam veritatem Propheticæ creatæ prædictionis de futuris explicuit Athan. serm. de pass. & cruce Domini longiuscule à principio sic fatus. *Sicut oculis conuentes in eundo non fallimur, nec aliter videmus, & aliter res agitur: ita quæque Prophetæ futura, vt præsentia cernebant. Verum quæ cernebant oportebat fieri: & ea, quæ fiebant non poterant non videre. Rursum, vt ea, quæ nostris oculis conspicimus, necesse est omnino esse, cum ea, quæ sunt, sub conspectum veniant: neque fieri potest, vt aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoque, quæ à Prophetis prospiciebantur, necessarium erat ea esse; neque fieri poterat, vt aliter essent, quam ipsi præuiderant.* Idem prorsus probatur de veritate necessaria, ac proinde determinata præscientiæ de futuro contingenter peccato Iudæ (ac negationis Petri, & similibus) ex Patribus pluribus commodius q. 8. recitandis, asserentibus non ideo peccaturum Iudam (idque ipsum est de Petro, & aliis) quia præuisus peccaturus à Deo est; sed contra: ideo peccaturum præuisum, quia erat peccaturus. Vnde necessariam consequentiam à præscientia ad peccatum Iudæ futurum colligitur, sine contingentiæ, & libertatis peccati præiudicio, quia consequens, & consequentiæ solum, non consequentis necessitas est. Si autem determinate verum non esset peccatum Iudæ futurum, nec determinate vera, nedum necessaria esse posset eius præscientia, quæ eius determinatam futuritionem potius quam non futuritionem ex parte obiecti materialis supponebat. Denique, cum ex præscientiæ, quæ determinate vera est, inferatur futurum peccatum, & econtra, fit, vtrumque determinate verum esse: siquidem determinate verum nequit certa illatione mutua inferre nisi è determinate vera; alioqui posset esse non verum quod infertur ex vero contra statam Dialecticorum regulam.

5. Pro eadem sententia stat Augustinus lib. 26. contra Faustum in hæc verba. *Deus, quod facturus erat, vtique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non*

fuisse, quod, ne fieret, facturus erat: & procul dubio potius verum est quod scit Deus, ergo & vere est, ac determinate futurum, quod facturus est Deus, & non futurum, quod facturus est, ne fiat, ex Augustini sententia, qui sic tandem concludit inferius. *Vnde, tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita: quoniam non est in Dei voluntate* (& potestate) *vt eo sit aliquid falsum, quo verum est*: censet ergo à futuritionis, aut non futuritionis suppositione non solum determinate veram alterutrius ex illis prænotionem, & prædictionem, sed infallibilem, c. autem 5. perpetuitatem à parte post veritatis contingentis præteritæ & à parte ante contingentis futuri coæquans ait. *Hæc vera sententia prius inuenitur in animo nostro, cum id verum scimus, & dicimus, sed etsi de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate: semper enim verum erit fuisse illud quod erat, & non est; & ibi verum erit iam fuisse, quod erat, vbi verum erat, antequam fieret futurum esse, quod non erat.*

6. Et sententiam, & doctrinam hanc totam de veritate determinata, & perpetua futuri contingentis, ac præteriti Augustini hausit, & illustrauit Anselmus c.17. Monol. in hæc scribens: *Cogitet, qui potest, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum: scilicet, quia futurum erat aliquid, aut quando desinet, & non erit hoc verum: scilicet, quia præteritum erit aliquid: quod si neutrum horum cogitari potest, & vtrumque hoc verum sine veritate esse non potest; impossibile est cogitare, quod veritas principium, vel finem habeat. Denique, si veritas habuit principium, vel habebit finem antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas, & postquam finita erit, verum erit quia non erit veritas. Atqui verum non potest esse sine veritate: erat igitur veritas, antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas; quod inconuenientissimum est.* & dialog. de verit. cap.1. cum vsus esset eadem sententia, & verbis, quærit, quid sit enuntiationis veritas, & cap.2. generaliter esse conformitatem eius cum obiecto suo, vt enuntiatur (quod vtique enuntiationi de futuro etiam contingenti competit) ita sententiam illam explicat c.11. [Cum dixi: quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid, non ita, dixi, ac si absque principio ista oratio fuisset, quæ assereret, futurum aliquid esse, aut ista veritas esset Deus; sed quoniam non potest intelligi, quando ista oratio esset veritas illi deesset, vt per hoc, quia non intelligitur, quando ista veritas esse non potuit, si esset oratio in qua esse potest, intelligatur illa veritas fuisse sine principio, quæ prima causa est huius veritatis.]

7. Nil sane ad hanc rem, & perpetuitatem veritatis obiectiuæ futuri contingentis antequam de præsenti, & actu sit probandam, & explicandam subtilius dici, aut illustrius potest: ac statim huius anteriorem perpetuitatem cum posteriori præteriti perpetuitate iterum componit: ex vtroque autem, & Augustino, & Anselmo rationem ac sententiam mutuatus Hugo Victor. lib.1. part.2. cap.22. circa med. paucioribus tamen, his verbis: *Omne, quod fit, ab æterno præuisum est futurum esse, quia ab æterno futurum est: quod ipsum tamen ab æterno non est*: vbi rem, quæ futura est, ab æterno esse optime negat; concedit autem (sicut Augustinus &, Anselmus) ab æterno esse rei illius futuritionem, & hanc ad æternam eius præuisionem supponi, quod statim post pauca repetit; *Quod, quia fiet, & futurum semper est, & præuisum est*: ac iterum: *Præuisum est, quia futurum est.* Denique idem Anselmus de concord. Præscient. cum libert. c.1. colum.2. sic ait: *Non enim, nisi, quod futurum est, præscitur: quia præscientia non est, nisi veritatis.* Et sub inferius. *Pariter autem verum est, quia fuit, & est, & erit aliquid ex necessitate: &, quia necesse est fuisse omne, quod fuit, & esse omne quod est, & futurum esse omne quod erit.*

***

CERTAMEN IV.

Eiusdem veritatis demonstrationes Theologicæ.

1. PRima Theologica demonstratio sit: datur in Deo iudicium, seu prænotio de futuro contingenti singulari determinate vera. Hæc autem est propositio singularis de futuro contingenti, vti ex definitione eiusmodi singularis propositionis, patet: ergo datur propositio singularis de futuro contingenti determinate vera: consequentia est legitima; & maior certa ex reuelationibus à Deo per se, vel Prophetas suos factis de futuris contingentibus singularibus: v. g. de peccato Iudæ, & negatione trina Petri, aliisque innumeris singularibus futuris contingentibus à Deo reuelatis, vt per Prophetas in scriptura determinate prædictis, & proinde, & ab eo præscitis, quibus præclusa manet erronea & insana Aureoli responsio in 1. d. 39. quæstion. vnic. artic. 3. propos. 2. & 3. & conclus. articuli dicentis Deum non præsciisse singularia illa contingentia futura determinate esse, sed indeterminate futura, vel non futura. Etenim determinate futuram esse Iudæ traditionem, & Petri negationem, potius, quam non futuram præsciisse, & reuelasse ex Scriptura fides Catholica est. Secundo: tam hæc, quam singularia reliqua contingentia per se, vel Prophetas futura determinate potius, quam non futura reuelauit: vel ergo determinate fore, aut non fore præsciuit; vel solum indeterminate fore, aut non fore prænouit? si primum: habetur intentum, & deficit à solutione Aureolus. Si secundum: mentitus plane Deus, vitiose etiam, fuit, cum fore determinatè; quod fore determinate potius, quam non fore, nesciebat, sciens volensque prædixit: quod solum ad mendacium formale, neque solum materiale requiritur.

2. Contra inde secundo. Quia, si Deus ex præscientia illa futuritionis, vel non futuritionis futuri contingentis disiunctim non reuelat per se, vel per alios futuritionem illius determinate, vel futuritionem, aut non futuritionem disiunctim: non tenebimur credere eius reuelationi de futuritione contingentis reuelati determinate, potius quam de non futuritione; si enim contingens determinate fore potius, quam non fore, ex illa scientia solum de futuritione, aut non futuritione disiunctim, & indifferenter iudicante reuelat, mentitur Deus, vt vidimus, nemo autem tenetur credere testimonio mendacis: si autem solum reuelat fore, vel non fore indeterminate, id solum credere tenemur, quod Deus reuelat: scilicet fore, vel non fore disiunctim contingens reuelatum, non autem determinate fore; imo arbitrio, & coniecturæ nostræ integrum erit, alterutrum euenturum iudicare: quid ergo tantopere Patres Petri incredulitatem contra Christi reuelationem *ter me negabis* ex præsentis sui amoris in Magistrum, & dispositionis animi reclamantis, *etsi oportuerit me mori tecum non te negabo*, & mirantur, & carpunt? maxime, cum æque posset ea reuelatione facta credere ac iudicare se non negaturum, atque, si opposito, & contradictorio modo facta ipsi à Christo Domino fuisset, scilicet, *non me negabis*: si iuxta secundum hoc dilemmatis huius membrum non magis reuelet Deus contingentis futuritionem, quam non futuritionem, vt iam expendo in eius membri impugnatione secunda.

3. Sic igitur impugno illud secundo; & probo iuxta illud absurdum antecedens assumptum: etenim iuxta Aureoli solutionem, & membrum illud dilemmatis. Nil amplius reuelat Deus, cum reuelat futuritionem contingentis, siue fore contingens, quam, cum reuelat negationis eius futuritionem, siue illud non fore: neque enim determinate prænosse, ac prædi-

cere

cere negationem contingentium rerum futuritionem, non autem futuritionem rerum contingentium, admittes, admittereue pores, nisi, qui non solum consequentia, sed à ratione deficiat: ergo tam, cum reuelat contigens fore, quam, cum reuelat non fore, reuelat fore, vel non fore indeterminate, atque disiunctim: ast, cum reuelat non fore, non tenemur credere fore: ergo nec, cum reuelat fore contingens tenemur credere fore contingens, sed, vtrauis posita reuelatione diuina, tantum tenebimur credere contingens illud fore, vel non fore disiunctim indeterminate atque confuse: liberumque proinde nobis erit alterutra posita ex præsentibus circumstantiis alteruttum determinate præ alio futurum coniectari, præfagire, ac prædicere, æque, ac si neutrum à Deo reuelatum esset: quare nihil reprehensione, adhuc materialiter, dignum Petrus egit, cum Christo Domino prænuntianti *negabis me* & iudicio, & ore aduersatus est, *non te negabo*. Contra tertio: quia, si ita solum contingentia futura Deus reuelat, id solum de suis oraculis dicere poterit, quod generali illo Tyresiæ Gentilibus dictum quondam fuit, *quidquid dicam, aut erit, aut non erit*, quod merito irridet Boëtius de Consolat. prosa 3. inter medium, & finem: id quippe de cuiusuis quantumuis stupidi prædictionibus eadem certitudine dici potest: quare inepte hactenus à Sanctis diuina oracula solicitata essent, atque suspecta.

4. Tertio hinc Aureoli solutionem impugno, quia, si Deus de contingentibus futuris solum scit illa fore, vel non fore, non autem fore determinate, aut determinate non fore, sciet sane, quod de eis scit stupidissimus quisque, nihilque amplius: scilicet contingens fore, aut non fore: ac proinde de illo rogatum, fore aut non fore solummodo respondentem, tanquam stolidum, quem ideo ridere merito solemus: cuius ea ratio est, ex qua quarto impugnatur Aureolus. Nempe, quouis, etiam contingens, fore vel non fore, adeo certam, necessariam, & solo naturæ lumine exploratam veritatem esse, vt qui eo responso satisfaciendum roganti de euentu futuro putet, aut id solum à sanæ mentis homine dubitari, & quæri posse, nisi amentissimus esse nequeat: ex qua ratione sic argumentor. Contingens hoc, vel fore, vel non fore indeterminate, & disiunctim veritas necessaria omnino est, ac nullatenus contingens, seu contingenter futura: atqui Deus per Aureolum eam solum cognoscit: ergo Deus nullum contingens, seu veritatem contingentem futuram cognoscit; quæ omnia, vt vitentur, dicendum necessario est Deum futurum potius determinate, quam non futurum contingens, quod de facto erit, & determinate non futurum, quod de facto non erit prænoscere, & quod ex eis reuelat, siue fore, siue non fore, determinate fore, vel determinate non fore reuelare. Nec quid præstat, satis extra rem, magis Catharini solutio: scilicet, propositiones eiusmodi relatas ad causas futuri contingentis non esse determinate veras: sed neque id negamus, aut eius oppositum contendimus: at (inquit) quatenus Deus, præsens eius obiectum habet, ac scit, & reuelat veritatem habere determinatam; sed certe hoc solum contendimus futurum contingens, vt in se, & extra causas pro sua duratione est (quo solum pacto potest Dei æternitati præsentari, & coexistere in omni opinione) determinate fore, ac futuritionem, & veritatem determinatam habere, quæ ad sui diuinam præscientiam, & reuelationem supponatur.

5. Ex hac Theologica demonstratione determinatæ veritatis præscientiæ Dei de futuritione futuri contingentis præ non futuritione illius: idem de nostris iudiciis, & enuntiationibus de futuro contingenti singulari demonstro duplici ex capite. Primo: quia omne iudicium, & enuntiatio, quæ conformatur cum suo obiecto enuntiato potius, quam cum eius opposito, est determinate vera; at iudicia, & enuntiationes nostræ de futuritione determinata futuri contingentis à Deo præsciti, & reuelati determinate, idem ipsum iudicant, & enuntiant determinate, quod Deus prænouit, & reuelauit: ergo conformantur æque ac Dei prænotio, & reuelatio cum futuritione determinata contingentis quod iudicant, ac enuntiant futurum. Dixi æque conformari: impossibile enim est duas enuntiationes idem eodemque modo ex parte obiecti enuntiantes alteram rei enuntiatæ conformari, alteram non conformari: cum enim nulla sit in enuntiando obiecto diuersitas in obiectum ipsum tota deuoluetur contradictio, vt, scilicet, idem sit, & non sit pro eadem duratione futurum, quod est repugnans. De necessitate vero veritatis, seu conformitatis determinatæ nostrarum enuntiationum de futuro, vel de non futuro contingenti æqua cum necessitate veritatis, & conformitatis diuinæ præscientiæ cum eodem futuro secus res habet: cum hæc summam eius veritatis necessitatem physicam, & metaphysicam habeat, quam nequit habere nostra prænotio, nisi fidei sit, ac proinde eidem præscientiæ ac reuelationi innitatur: quanquam: & de hac quæstio sit: an necessitatem veritatis, quam diuina præscientia, habeat minorem, locumque inter eas Aristotelicum illud proloquium, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis* de quo controuersia de fide: assero interim esse æqualem. Secundum caput vniuersalius est arguendi ex præscientia & reuelatione Dei de aliquibus contingentibus determinate vera, veritatem determinatam omnis vniuersim iudicij, & enuntiationis nostræ de futuro contingenti, quod erit, aut non futuritionis eius quod non erit, illud est: quod, nimirum, si vnum ex futuris contingentibus determinate verum in se, ac determinatæ futuritionis potius, quam non futuritionis, est, antequam actu & de præsenti sit, omnia futura contingentia eandem futuritionem determinatam habeant, ac proinde determinate vera obiectiue esse euidens est: atqui ex determinate vera præscientia & reuelatione diuina de aliquo futuro contingenti euidens est illud esse in se determinate vere obiectiue futurum, & determinatæ futuritionis potius, quam non futuritionis: ergo infertur ex eisdem euidenter omnia contingentia futura, quæ erunt, vere esse futura determinate, & non futura, vere esse, ac determinate, non futura: inde vero euidenter etiam inferetur: omne nostrum iudicium & enuntiationem de eorum quouis, vt de facto habitam, esse determinate veram, quia conformatur cum futuritione determinate ac potius, quam cum non futuritione si illam iudicat, aut enuntiat: si vero non futuritionem, cum illa determinate, & potius quam cum futuritione conformabitur. Tertium denique caput immediatius arguendi vniuersim veritatem determinatam nostrarum enuntiationum, siue internarum, siue externarum de futuro contingenti singulari quouis, siue non futuro, ex præscientia Dei sumitur de omni futuro contingenti: tum, quia quæuis determinate vera, imo necessariæ veritatis, quam q. 5. authoritate, & rationibus demonstrauimus: tum quia ex illa inde immediate eorum omnium futurorum contingentium determinata veritas obiectiua, deducitur, & inde discursu secundo intentum euincitur: tum quia quæuis nostra enuntiatio, de quouis futuro contingenti determinate conformis suo obiecto ac vera determinate monstratur iuxta discursum primum: totidem modis arguendi inuersis demonstratur falsitas determinata propositionum nostrarum de futuro contingenti aliter, ac erit, enuntiato.

CERTAMEN V.

Aliæ veritatis eiusdem naturales demonstrationes.

1. NAturales huius veritatis demonstrationes adeo sunt principiis per se notis vicinæ, vt cuius mens in eas non inciderit non solum non discurrere; sed neque ambulare posse putanda sit: imo vero, nec mente, sed oculis, & lectione solum opus esse merito videbitur, vt in illas incurratur, cum in Aristotele, & antiquioribus vtriusque facultatis Philosophicæ, & Theologicæ Doctoribus efformatæ, & expressæ reperiantur. Tamen pleraque ex his demonstrationes contra Dominicanos Thomistas requirentes decretum prædeterminativum ad contingentis futuritionem procedere, Docti ex nostris Recentiores aduertunt, quibus merito abnuimus: vt enim diximus certam. 1. num. 4. cum sublato decreto, quo hi in actu primo contingentiam, & libertatem (licet in eo iudicio implicatorie) causæ in actu primo constituunt, con-

tingens futurum non sit, ac proinde eius negatio sit futura, non tamen contingenter, sed necessario est futura: quare non sub præscientiam contingentium, sed necessariorum cadit: quemadmodum sublato decreto Dei indifferenter concurrendi, quo nos libertatem creatam in actu primo constituimus futurum contingens non erit, eritque eius negatio futura; sed necessario quidem, non contingenter, cum sublato principio quouis essentialiter requisito ad effectum, & hunc absolute esse sit omnino impossibile. Solum ergo tenebunt demonstrationes subiiciendæ contra crassos quosdam Thomistas, qui hactenus absolute negant eo decreto sublato contingens absolute ac determinate fore, aut determinate non fore, non habita ratione contingentiæ negationis futuræ, quamquam, & contra eos, qui eius rationem habuerunt rationes extruxerimus efficaces ex eorundem Dominicanorum principiis, vt contingentiam earum saluari ostenderemus, ac proinde, & eos subiiciendis demonstrationibus tandem subiacere. Hic tamen notare hæc oportuit, ne quis eos adeo plane, & immediate, vt docti Recentiores putarunt, sequentibus demonstrationibus tangi post hac putet, aliisque eorum principiis non adscitis, eiusmodi argumentis contra ipsos incassum vtatur.

2. Prima demonstratio ex illo principio petenda est, quod tradit Aristoteles recitatus cert. 3. num. 1. testim. 1. & 3. & num. 2. fine. Scilicet non posse esse duas contradictorias simul falsas: ex quo sic argumentor; affirmatio de quouis futuro contingenti determinate, quod determinate futurum non est, v.g. *Petrus cras peccabit*, est propositio falsa: negatio item determinate eius futuritionis v.g. *Petrus cras non peccabit*, est falsa in opposita sententia: hæ vero sunt contradictoriæ: ergo in opposita sententia datur contra illud principium duplex contradictoria simul falsa. Maior probatur: quia, tam affirmare, quam negare determinate fore, quod determinate non futurum, necnon futurum est, sed solum indeterminate est vel futurum, vel non futurum iuxta oppositam sententiam, falsum omnino est. Explicatur. Propositio affirmans determinate Petrum cras peccaturum, qui tamen peccaturus determinate non est, sed peccaturus, vel non peccaturus, non conformatur cum obiecto, vt in se re quidem est: re siquidem obiectum in se nec determinate est futurum, nec determinate non est futurum in opposita sententia, sed solum indeterminate, vel est futurum, vel non futurum: at omnis propositio, quæ non conformatur cum suo obiecto, vt in se est tempore importato per copulam, falsa est: ergo vtraque propositio est falsa.

3. Secunda demonstratio sumitur ex alio per se principio euidentissimo proxime recitato affini, tradito etiam ab Aristotele recitato etiam certam. illo 3. toto n. 2. & à Cicerone recitato certam. 3. num. 1. Iustino martyre in responsionibus Christian. è Religione natur. rat. sub init. scilicet: omnis contradictionis alteram propositionem debere esse veram determinate, alteram falsam: hæ propositiones (*Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit*, & similes affirmatiua, & negatiua determinate de futuro contingenti singulari) sunt contradictoriæ: ergo altera determinate vera, altera determinate falsa. Confirmatur; quia vel vtraque propositio præfata dicit Petrum, vel cras peccaturum vel non peccaturum, vel affirmatiua peccaturum determinate, & negatiua non peccaturum. Si primum: vtraque vera est, imo ex veritate vnius euidens est veritas alterius, cum idem ipsum vna enuntiet, quod alia: ergo altera determinate affirmat peccaturum Petrum, altera id ipsum negat determinate: ergo altera verum determinate enuntiat, ac vera proinde determinate est, altera vero falsum determinate, estque subinde determinate ex illo principio falsa.

4. Demonstratio tertia ex alio Aristotelis principio cap. 8. citato de interpretatione ducitur præcedentibus vicino. Scilicet ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti altera vniuersali, altera particulari, vnam esse determinate veram, alteram determinate falsam: atqui vniuersalis determinate vera infert singulares omnes, quas in se continet determinate veras; particularis vero determinate vera saltem singularem aliquam determinate veram: & è contra particularis determinate falsa omnes singulares determinate falsas; & vniuersalis determinate falsa aliquam saltem singularem determinate falsam; ergo propositiones singulares de futuro contingenti, aliæ sunt determinate veræ, aliæ determinate falsæ. Minoris prima pars demonstratur: quia nequit esse determinate vniuersalis vera, nisi cuius omnes partes, seu propositiones singulares, quibus constat, & suo sensu coercet, sint determinate veræ: vnde ab illa ad singulas legitima, & euidens consecutio per descensum est, vt Logicis est notum. Ab hac enim *omnis homo curret*, si vera sit, licet euidenter inferre: *ergo hic homo curret* &c. A particulari vero *aliquis homo curret*, si vera sit, licet inferre: ergo *hic homo curret*, vel *hic homo curret*, quousque ad aliquem veniatur de quo vera sit propositio singularis, *hic homo curret*: quoad secundam minoris partem de falsitate prona est ex dictis demonstratio: cum enim ad particularis veritatem satis sit aliquam singularem veram determinate esse: vt falsa sit, omnes singulares determinate falsas esse necessum est; contra vero, cum ad vniuersalis veritatem omnes singulares veras determinate esse oporteat: vt falsa sit, aliqua saltem de singulatibus in illa contentis falsa determinate esse debebit.

5. Quarta demonstratio ex illo alio principio notissimo instruitur cui præfata principia mittuntur: *Nempe, quodlibet est vel non est*, quod quidem tradit Aristoteles, vt *omnium principiorum certissimum* testimoniis recitatis certam. 2. num. 2. circa med. ex 4. Metaph. quod determinate intelligendum necessario est: scilicet, quodlibet determinate esse, vel determinate non esse: confusio quippe, & indeterminata suppositio in rebus ipsis, earumque existentia, vel non existentia locum re ipsa non habet; sed solum in modo nostro concipiendi, & significandi; vnde solum varietas suppositionum terminis, & obiectis, pro quibus illi substituunt, vt ita significatis, obuenit: si ergo futurum contingens re ipsa determinate erit, vel determinate non erit, propositio enuntians determinare fore, vel determinate non fore, quod determinate erit, & quod determinate non erit, conformis suo obiecto est: & quæ enuntiat determinate fore contingens, quod determinate non erit, & non fore, quod determinate erit, determinate difformis suo obiecto est: quare, & determinate falsa, sicut prima est determinate vera: siquidem veritas enuntiationis nihil aliud est, quam conformitas illius cum suo obiecto, sicut sola eius cum suo obiecto difformitas est falsitas.

6. Demonstratio quinta siue quartæ confirmatio ex alio principio procedit. Nempe: *ab eo quod res est vel non est propositio dicitur vera vel falsa*, quod etiam tradidit Aristoteles 9. Metaph. tex. 21. dicens: *Verum dicit, qui diuisum diuidi, & compositum componi putat falsum autem, qui contra, quam res se habeant, aut quando sunt, aut quando non sunt. Non enim propterea quod nos reputamus album esse tu albus es, sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.* & 1. Periherm. c. 8. prope medium: *manifestum est enim, quoniam sic se habent res, etiamsi non hic quidem affirmauerit, ille vero negauerit. Non enim propter affirmare, vel negare, erit vel non erit*: vnde circa finem addit: *similiter orationes veræ sunt quemadmodum, & res.* Ex hoc principio sic arguitur: ex eo, quod res enuntiata est in se, sicut enuntiatur, propositio est vera: & ex eo, quod non ita est res falsa: ergo ex eo, quod res determinate est, sicut enuntiatur vel determinate non est, erit determinate vera, vel falsa determinate: atqui contingens determinate in se erit, sicut enuntiatur fore, vel determinate non erit: ergo propositio alterutrum significans est determinate vera, vel determinate falsa.

7. Sexta demonstratio traditur ab Aristotele eodem cap. 8. tex. 1. de Interpret. longe ab init. his verbis: datis certam. cert. 2. n. 3. init. hic tamen repetendis. *Si album est nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album; quare semper fuit verum dicere, quodlibet eorum quæ fiunt, quoniam est, vel erit*; & circa med. *Nihil enim prohibet in millesimum annum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero dicere non futurum. Ita tamen, vt alter verum dicat; alter falsum, & mentiatur*: vt ibidem ait, & 4. met. c. 7. alias 5. text. 27. vt ex eis locis recitabimus certam. 2. num. 1. & 2. circa finem: inititur tamen hæc demonstratio principio illi, quod attigit Aristoteles ibi scilicet futurum tora anteacta æternitate possibili, seu imaginaria creata, vere esse obiectiue siue secundum

cundum se determinate futurum : quod ipsum tradidit Cicero certam. 3. num. 1. eam antecedentiam in duratione veritatis futuritionis rei futuræ ostendens ab æternitate à parte post veritatis præteritionis rei præteritæ ; quâ etiam ratione idem probant & statuunt Augustinus ibi num. 5. & Anselm. n. 6. vbi vtriusque veritatis perpetuitatem alterius à parte ante, alterius vero à parte post præclarissime, & apprime explicuit ; posita autem veritate determinatæ futuritionis futuri contingentis antequam existat, euidens est propositionem illam anteriori tempore asserentem esse determinate veram ; negantem vero esse determinate falsam.

8. Septima denique demonstratio est ex communi sensu hominum, & per se nota veritate scilicet : in propositionibus singularibus de futuro contingenti, & libero esse veram contradictionem ; atqui, ni eorum sensus, & veritas determinatæ sint, nulla esse potest contradictio earum singularium propositionum de futuro contingenti : si enim solum dicit affirmatiua hæc : *Petrus cras peccabit*, non quidem Petrum peccaturum determinate, sed peccaturum, vel non peccaturum, ac proinde nec determinatæ veritatis est ; nec negatiua hæc, *Petrus cras non peccabit*, dicit cras non peccaturum, vel peccaturum determinate, idem omnino de eodem, vtraque dicit : neque altera de Petro negat, quod altera de illo affirmat sed consirmat : ergo non sunt contradictoriæ, neque esse possunt in propositionibus de futuro contingenti, contra per se notum omnium hominum sensum. Secundo idipsum probatur : quia non solum omnis earum propositionum singularium de futuro contingenti contradictio possibilis formaliter in ea sententia excluditur ; sed omnis etiam eiusmodi propositionum possibilitas : nequit autem esse contradictio vera propositionum impossibilium, ac proinde eiusmodi contradictio est de subiecto non supponente. Assumptum patet ; quia rem fore, vel non fore indeterminate necessarium est, non contingens : ac proinde propositio id dicens necessariæ veritatis est, & certissimum, & notissimum principium ; non autem contingentis veritatis ac materiæ, seu in materia contingenti : atqui omnis propositio singularis, quam de futuro contingenti admittit contraria sententia, id solum dicit, ergo omnis eiusmodi propositio non est contingens sed necessaria.

CERTAMEN VI.

Obiectionibus occurritur.

1. Obicies primo futurum contingens ita est, vt absolute possit non esse futurum : id enim est contingens futurum, esse : atqui, si, vt potest, absolute non sit futurum, propositio enuntians erit falsa : ergo eiusmodi propositio potest esse falsa ; ergo non est determinate vera. Probatur hæc consequentia : quia quod verum determinate semel est, semper, ac necessario est verum : ergo, quod potest esse falsum, determinate verum non est. Respondetur distinguendo maiorem : futurum, vt futurum in actu secundo potest non esse futurum, nego maiorem, in actu primo consideratum ante determinatam futuritionem, concedo maiorem. Et concessa minore, de potestate futuri in actu primo considerati eodem sensu & potestate conceditur consequentia prima : si enim id, quod futurum in actu secundo non esset (vt in actu primo, siue eius causa ad vtrumlibet considerata poterat) propositio futuritionem eius in actu secundo determinate, ac vere enuntians, falsa esset : ac proinde, ni ipsam futuritionem exercitam, & in actu secundo supponat propositio, de se falsa esse potest.

2. Sed tamen neganda est absolute consequentia secunda : ex eo enim, quod propositio de futuro contingenti singulari, neque illud supponens, de se, ac prædicatis suis non connectatur cum futuritione illius potius, quam cum non futuritione, solum infertur, eam de se esse determinatam ad veritatem, vel ad falsitatem non esse : ac proinde, nec de se necessario veram, aut necessario esse falsam ; sed veritatem, aut falsitatem, licet determinatam, contingenter cum earum entitate coniungi, cum veritas, aut falsitas in conformitate cum obiecto enuntiato, aut deformitate ab illo consistat : quare, & contingentis futuritione, aut non futuritione determinata in re præsenti alterutra, vt determinate talis compleatur : vnde fit, vt propositio contingens de futuro vera semel, in falsam nequeat transire, quamdiu futurum manet futurum determinate : cum enim quod futurum est, quamdiu futurum est, nequeat non esse futurum, atque ea determinata futuritione illius propositionis illam determinate enuntiantis determinata veritas compleatur : implicat posita futuritionis enuntiatione ipsa, & determinata futuritione cõcingentis in se, non esse determinatam propositionis eam enuntiantis veritatem : licet de sese enuntiatio futuritionem, quam non supponit, cuique proinde non connectitur, minime inferat, neque de se sit determinata ad veritatem, sed potius de se falsa esse possit.

3. Oppones secundo : *ex eo quod res est, vel non est, propositio illam enuntians est vera, vel falsa* : vnde veritatem propositionis formalem, ex obiecti enuntiati veritate deiumi certissimam est : ergo, sicut res se habet ad esse, ita propositio ad veritatem. Atqui futurum contingens non est determinatum ad esse, seu determinati esse, sed indifferens ad esse & non esse, ac proinde ad veritatem, vel falsitatem obiectiuam : ergo, nec propositio illud enuntians est determinatæ veritatis, seu determinata ad veritatem, vel falsitatem formalem. Soluta proxime est, & hæc oppositio. Distinguo minorem : in se, & in actu secundo non est determinati esse, seu determinatum ad esse, potius quam ad non esse, nego minorem ; in causa, & actu primo sui, concedo minorem : & nego consequentiam, quoad primam consequentis partem negantem determinationem veritatis : hanc enim habet ea propositio ex determinata veritate obiectiua futuri in se, non autem è causæ suæ determinatione, quæ non est, sed potius indifferentia. Secunda vero consequentis pars, licet primæ Synonyma, ac sola periphrasis videatur, longe aliud significat, estque distinguenda : non est determinata ad veritatem, sed indifferens ea propositio secundum se spectata, ac de sese, fateor ; quia de se non est necessariæ veritatis ; vt coniuncta cum futuritione determinata futuri in se, & per ipsam enuntiata, nego eam partem consequentis : & sane duo hactenus opposita eandem habent difficultatem contra veritatem propositionum singularium contingentium de præsenti, quam omnes etiam aduersarij determinatam esse admittunt, atque, vt ab eisdem illam difficultatibus liberent, præfatis solum solutionibus vti possunt.

4. Sed enim ex eodem principio ab eo *quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa* specialius contra veritatem propositionum de futuro contingenti determinatam arguitur : etenim nunc, cum anteriori tempore contingens fore enuntiatur, adhuc in se determinata non est, nec solum in sua causa determinate vera, si vera sunt, quæ solutionibus datis docebamus. Antecedens patet : quia, quod absolute in se non est, nequit determinate in se esse : atqui futurum contingens tunc, cum fore enuntiari vere dicimus, absolute non est : ergo neque determinate in se est. Respondetur illud principium ab eo *quod res est, vel non est* intelligi debere tempore importato per copulam, non autem tempore non importato per illam, & pro quo non enuntiatur coniunctio identitatis prædicati cum subiecto ; alioqui, nec in propositionibus de futuro non contingenti, nec in propositionibus de præterito, siue contingenti, siue secus, veritas determinata foret : imo in eis omnibus esset determinata falsitas : quia nullum ex enuntiatis tunc est, cum, vel fore, vel fuisse enuntiatur. Inde distinguenda est minor, futurum contingens non est tempore importato per copulam ad coniunctionem identitatis prædicati cum subiecto, nego ; tempore quo profertur propositio, concedo, & nego consequentiam.

5. Dices quarto : veritas determinata, & actu propositionis illius cum obiecto est conformitas actualis ; at conformitas actu, & determinata sine actuali, & determinata coexistentia vtriusque extremi esse nequit : ergo nec veritas actu, & determinata propositionis sine actuali coexistentia eius cum obiecto esse potest : atqui propositio de futuro contingenti non habet coexistentiam cum illo ; ergo nec actualem veritatem determinatam. Mirum est quanti captiosum hoc, & carriosum

argumentum à tota antiquitate Philosophorum & Theologorum in hæc vsque inutilium Sophismatum feracia tempora eneruatum, & neglectum Recentiores faciant: in quot insuper determinatiuorum, & verificatiuorum præcipitia, & agantur, & aliquot alios agant, vt illi satisfaciant, & nullo quidem fructu: cum eius, si quam habeat, difficultas ex determinatiuis, & verificatiuis dissolui nequeat, vt ostendemus. Sed certe, si quid obiectio probat, contra omnis propositionis de futuro, ac de præterito siue de necessario, siue contingenti æque probat: imo probat in nulla earum posse vnquam esse determinatam nec indeterminatam veritatem, vt aduersarij contendunt; sed omnes eiusmodi propositiones determinate falsas esse: siquidem, cum actu, & de præsenti, id quod futurum vel præteritum est, cum qualibet earum coniungitur, falsum est præteritum esse, vel futurum, vt eis propositionibus enuntiatur; cum autem de præsenti non coniungitur cum eis veræ non sunt, ac proinde sunt falsæ determinate. Quidquid enim de se nunquam, nusquamque verum esse potest, de se ad falsitatem determinatum est: quod absurdius, ineptiusque etrore hactenus impugnato est.

6. Respondetur ergo pro omnibus distinguendo maiorem: cum obiecto in se, sicut enuntiatur concedo maiorem, aliter, ac enuntiatur, nego maiorem: & distinguo similiter minorem, sine actuali, & determinata coexistentia vtriusque, sicut alterum enuntiat, & alterum enuntiatur, concedo minorem, aliter, ac alterum, id est obiectum, enuntiatur nego minorem: & concedo primo illo sensu consequentiam: inde vero subsumptum antecedens similiter distinguendum est in propositionibus de futuro, (& idem est de propositionibus de præterito) non habet coexistentiam cum illo, vt enuntiatur, nego (actu enim futurum, & determinate est, quod futurum est ac proinde actu est determinate, sicut actu enuntiatur; suique subinde enuntiationi actu coexistit, quod enuntiatur, sicut enuntiatur) aliter ac enuntiatur non coexistit actu sui enuntiationi, concedo antecedens: nam de præsenti non existit, atque, vt præsens non coexistit actuali & præsenti enuntiationi; ast non enuntiatur existens de præsenti: & nego consequentiam.

7. Instas: cum enuntiatur futurum, nihil eius actu est, sed sola eius negatio: futurum autem, qua tale, duo dicit, & præsentem futuri negationem, & non esse, & absolutam eius existentiam tempore sequenti: quæ non magis in tempus præsens trahi potest, quam tempus subsequens in antecedens: ergo implicat futurum contingens, qua futurum adæquate esse actu, & absolute pro tempore antecedenti præsenti, in quo actu est eius enuntiatio: ac proinde futurum, adhuc, qua futurum, & vt enuntiatur sui enuntiationi coexistere, nequit, vt actualis, & determinata vtriusque conformitas sit, in qua stat per nos actualis, & determinata eius enuntiationis veritas, id ipsum contra veritatem determinatam propositionem de præterito poteris obiicere. Sed obiectio hæc vtriusque potius determinatam veritatem euincit; si enim vtrumque illud inconiungibile simul, futurum, quod de præsenti futurum est claudit essentialiter, scilicet, præsentem negationem absolutam sui, & absolutam sui existentiam tempore posteriori, atque ex hac nondum præsenti, quod nondum est, futurum proprie est: fit denominationem hanc futuri proprie & eius propriam futuritionem actualem absolutam eius de præsenti existentiam non requirere, aut includere, sed potius essentialiter illam excludere: ac proinde esse denominationem, quæ ab illa existentia absente, & negatione præsentis actu, & de præsenti desumitur, atque ex parte obiecti est: quare tota cessat difficultas contra actualem veritatem determinatam, & conformitatem enuntiationis de futuro cum obiecto, vt ab illa enuntiatur, & idem est de enuntiationibus de præterito.

8. Oppones Sexto male inferri ex eis principiis: *quodlibet necessario est, vel non est*; atque ex eo quod necesse sit, *Petrum vel peccaturum esse, vel non peccaturum*, confuse, & disiunctim: atque insuper ex eo, *quod omnis propositio debeat esse vera, vel falsa: ac in omni contradictione altera debeat esse vera, & altera falsa*: quod sit determinate peccaturus, vel determinate non peccaturus, atque altera propositio: v.g. affirmatiua determinate vera sit, & negatiua determinate falsa. Probatur assumptum: quia ex eo quod alter oculus disiunctim, & confuse sumptus sit necessarius ad videndum, non infertur alterum determinate non esse necessarium ad videndum, vel alterum determinate esse necessarium ad videndum; sed potius neutrum determinate esse necessarium ad videndum: ergo similiter ex eis principiis, necessario quidem, & per se notis, non inferetur necessario; futurum contingens determinate esse futurum, vel determinate non esse futurum, aut propositionem de illo alteram determinate esse veram, alteram determinate falsam; sed potius neutram determinate sumptam esse veram, aut determinate falsam.

9. Respondetur, negando male ex eis principiis conclusionem nostram inferri. Ad probationem dicito: ex necessitate alterutrius oculi diuisim ad videndum necessitatem alterius determinate ad videndum non inferri: ac similiter non inferri necessitatem determinatæ veritatis, seu ad veritatem determinatam, vel ad falsitatem determinatam alterius ex contradictoriis singularibus vniuersim: quia bene ea infertur ratione materiæ in non contingentibus sed materiæ potius necessariæ, seu remotæ; secus in contingentibus; quia in primis affirmatiuis veritas necessaria, seu determinatio ad veritatem; in secundis vero necessaria falsitas, seu determinatio ad illam: & in negatiuis è contra. At in contingentibus, ac proinde vniuersim in omni propositione, non infertur ea veritatis, vel falsitatis, aut existendi, vel non existendi determinatio, necessitas. Cæterum determinata veritas, vel falsitas, in quauis propositione, sicut, & existentia determinate, vel non existentia determinate in quouis ente tempore importato per copulam, ex eis principiis infertur; alioqui, neque existentia, aut non existentia determinate cuiusuis entis de præsenti, nec veritas, aut falsitas determinate propositionis cuiusuis de præsenti ex eis principiis inferetur; quod est contra omnes, etiam aduersarios obiectantes: inferetur ergo existentia determinate, vel non existentia determinate cuiusuis entis particularis, & veritas determinate, vel falsitas determinate cuiusuis propositionis singularis ex eis principiis: quia existentia, aut non existentia, veritasque vel falsitas, quæ de ente, aut propositione prædicantur, sunt prædicata, quæ nonnisi exercite, & determinate conueniunt, conuenireue reipsa possunt subiectis, ac proinde determinate, alterum eorum illis euenturum eis principiis enuntiatur, licet alterum eorum determinate, seu necessario illis, aut eorum alicui euenturum non enuntietur: quia eorum pluribus, scilicet contingentibus, determinate, & necessario leuenire nequit,

10. Itaque licet illud principium necessarium sit, & ex necessitate quasi reflexe cognita & posita in illo ex parte prædicati v.g. *Omne ens necessario est, vel non est, vel omnis propositio necessario est vera, vel falsa*, esse vel non esse entis, veritatemque vel falsitatem propositionis, quæ sunt prædicata eo Syncathegoremate affecta confusa, ac vaga suppositione supponi faciat; atque hanc vel illam indeterminate significare: neutrius quippe determinate necessitas est, cum quodliber sufficiat; ast, cum illud Syncathegorema reflexe non apponitur eis principiis esse vel non esse, veritatique vel falsitati exercite assertis, ac non, nisi determinate exercendis, hæc determinate supponuntur, & significantur, ac proinde ab exclusione vnius determinate, valet consequentia ad affirmationem alterius determinate, siue de præsenti, siue de futuro; non valebat autem à negatione necessitatis vnius determinate ad affirmationem necessitatis alterius determinate, Totum hoc exemplo illo, quo ab aduersariis impetebamur perspicuum erit: ex hac siquidem propositione. *Alter oculus necessarius est*, aut, *requiritur ad videndum*; quia necessitate terminus ille *oculus alter* afficitur, & confunditur, ab exclusione alterius determinate non infertur de altero determinate affirmatio necessitatis ad videndum determinate; at vero ex propositione non de necessitate sed de exercitio visionis, quod actu, & exercite à singulari, nonnisi aliquo determinate, habendum, est vera & stata illatio. V. g. *Alter oculos videt* ab exclusione visionis à dextra determinate ad eius de sinistro determinate affirmationem valet infallibiliter consecutio, & euidenter: quare, & similes præfatæ in re præsenti valebunt,

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An veritas præscientiæ, præsertim diuinæ, de futuris contingentibus, & liberis illorum officiat libertati.

VERSANDA hic erit ardua illa quondam contra veritatem, & falsitatem determinatam propositionum, & præscientiæ de futuro contingenti singulari, difficultas, quæ Primores Philosophos adeo torsit, vt, non, nisi negata earum propositionum, & præscientiæ determinata veritate ac falsitate, laxari iliam, vel paululum putarint; idcirco cum difficultatibus, quas certamine proximo dissoluimus, in primis à doctoribus examinatur. Vt autem apprime examinetur, totam integram, iustamque quæstionem exposcit.

CERTAMEN I.

Rei difficultas, & qui ob eam deuiarunt à vero.

1. REm aggredimur antiquis pluribus arduam; verum Patribus, & Scholasticis aliis, præcipue nostris tatis planam; quamuis ex eis etiam nonnulli apertam solutionem, nonnullis æquiuocationibus sibi, & forte aliis, obscurent: & rei quidem difficultas ex essentiali veritate, & necessaria diuinæ præscientiæ, eiusque ex æternitate præcedentia ad tempus anteacta æternitate, posterius, in quo futurum creatum contingens est, desumitur: est enim coniecturalis solum præscientia absolute fallibilis de contingenti futuro, nec indifferenti nostræ potestati, neque futuri ab illa contingentis libertati officiat, quamuis illa æternitate anteacta præcedat, quia in se eodem modo præcessisset, etsi libero nostro, in oppositum exercitio falsificaretur, esseque obiecto suo, vt in re tunc eueniret, difformis; tamen, cum præscientia Dei de sese infallibilis sit, & ita infalsificabilis absolute, ac proinde intrinsecam ita habeat cum eo, quod fore prænouit connexionem, vt eam implicet esse, quin, quod fore nouit, sit futurum: atque ex alia parte tota anteacta æternitate ante tempus, in quo, & futurum contingens, & eius causa indifferens erit, & primo existat, esseque incipiat: videtur planum non posse absolute futurum illud eiusque æternam præscientiam, non esse, nisi, vel ad præteritum detur potestas, vt, quod, scilicet, fuisse admittitur, non fuerit (quod est nemine dubitante impossibile) vel potentiam nostram, antequam in se sit, potuisse circa oppositum extremum se exercere, & operari, quod est æque impossibile. Atque huc tandem recidunt, quæcumque pro hac difficultate, & contra veram eius, cum ab antiquis, tum à Scholasticis Recentioribus hac vel illa via adhibitam solutionem, ac Molina, Ruiz, & Quiros multis expendunt locis notandis.

2. Præfata quidem difficultate perculsi futurorum contingentium præscientiam Deo negarunt Philosophi, quorum q.6. cert.1. meminimus, vt nostrorum actuum libertatem tueretur; idemque error Philosophis aliis imponitur. Ne autem in hoc absurdum Deo irreuerentes Caluinus, Lutherus, VVikleffus & assectæ incurrerent præscientiam Dei concedentes futuris nostris contingentibus errore aduerso negauerunt (vt videre est apud Vasquez d. 68. Herize d.6. c.8.) libertatem. Denique Catholici Doctores vetusti, qui è Nominalium schola censentur, licet Catholicam vtramque veritatem de Dei præscientia futurorum contingentium, & de eorundem libertate fideliter amplectantur; ast modum, quo vtraque veritas cohæreat, simulque persistat ignorari à se, captuque in hac vita à nobis impossibilem ingenue fatentur. Venerabilis eius scholæ inceptor Okamus in 1.d. 38. qu.vn. inter med. & fin. de earum concordia ait: *modum extrimere nescio*: Gabriel. ibi art.2. circa med. *Non posse sufficienter exprimi in hac vita*: Gregor. q. 2. a.2. vers. fin. §. *Dico ergo: incomprehensibilem, & inexplicabilem nobis esse*, ait. Consentiunt Adamus in 1. etiam quæst.40. fine præmiss. ante articulum 1. & a.1. p.3. init. & a.2. & q. 41. a.2. ante Conclus. in 3. d.14. quæst.2. med. id quod traditum etiam videtur Psalm. 138. cum enim vers. 2. *& omnes vias meas præuidisti*, & vers.3. *tu cognouisti omnia nouissima*, non solum, quæ nunc primo sunt; sed & quæ nouissimis, & postremis erunt temporibus, *& antiqua*; ideest præterita: subdit vers.4. *Mirabilis facta est scientia tua ex me confortata est, & non potero ad eam*, quæ ita, licet textu suppresso ad rem præsentem interpretatus est Aug. 11. Confession.c.19. *Qui enim ille modus est, quo doces futura, cui futurum quidquam non est, vel potius de futuris doces præsentia? nam quod non est, neque doceri vtique potest. Nimis longe modus est iste, ab acie mea, inualuit ex me, & non potero ad illum; potero autem ex te, cum dederis tu dulce lumen oculorum meorum.* Denique Hieron. illud Isai. 7. iuxta Septuaginta. *Nisi credideritis non intelligetis*: ita in hanc sententiam exponit. *Quia quæ Dominus dicit, si futura non creditis non intelligetis*: quasi sola fide res hæc à nobis pro hoc statu intelligi valeat.

3. Cæterum scholastici reliqui, tam prisci, quam iuniores ab Ecclesiæ Patribus edocti concordiam hanc, & necessitatis præscientiæ Dei de contingentibus, quoad sui veritatem certam, & indefectibilem, & quoad scientiam ex æternitate antecedentiam ad contingentia ipsa creata & temporaria cum horum libertate discursu naturali à nobis æquibilem fatentur: communis eorum ratio est: quia Dei præscientia de futuro contingenti huius existentiam in sua duratione non causat, neque prioritate naturæ antecedit; imo vero illud à sua causa ponendum supponit: quare neque causæ illi de se indifferenti ad illud tunc ponendum, vel omittendum, vel immediate, & pure (si libera contradictorie sit) vel mediate, extremi scilicet alterius oppositi, & cum illo naturaliter incomponibilis, appositione, necessitatem antecedentem causalitate (quæ sola eius indifferentiæ, & libertati aduersatur) ad illud suo tempore apponendum imponit; neque illi minuit contingentiam, & libertatem (quæ à causæ suæ indifferentia ipsi omnino extrinsecus desumitur) etsi æternum duratione eius existentiam antecedat: duo sunt veræ, planæque concordiæ huius fundamenta. Alterum antecedens natura & causalitate necessitatem ad effectum apponendum, seu operandum, ac ad illum non apponendum determinate, & causæ indifferentiam, & subinde effectus libertatem, & contingentiam abolere: id quod supponendum nunc est, ex dicendis controu. 3. vbi, tam, quoad positiuum, quam, quoad negatiuum, quod principium istud includit, ex Patribus, Scholasticis, & ratione naturali demonstrabitur, dum de diuinis præfinitionibus disputantes principia libertatis statuemus. Alterum vero est diuinam præscientiam, etsi tota anteacta æternitate futura creata contingentia præcedat; tamen ea natura, & causalitate nullatenus anteire: id quod præsenti q. tanquam propria sede, statuendum est certam.2.

4. Et vero, in hac solutione doctores omnes è Patrum doctrina, & naturali ratione conueniunt, absolute, atque in sensu composito, quod Deus præsciuerit ab æterno, non posse non per æternitatem præscire; nec peccatum non esse futurum, impossibilitate nimirum consequente, quæ eius libertati non obest, secus antecedente: cum Dei præscientia supponat futurum, vt ex tunc sit: quare, & pro priori ad illud potuerit ex æternitate absolute non fuisse, si tunc, cum in tempore ponitur, vt absolute potest, contingens illud non poneretur: ita refert Ruiz d.31.sect. 3. à num. 9. ex Magistro alias subobscure in 1. d. 39. c.2. & clarius d.40. c.3. vbi ex aliis refert, nec impugnat, sed tacite consentit; item ex Alberto 1.p.q.61. m. 6. Alex.q. 24. m. 7. Armacano. 16. de quæstionibus Armenor. c. 11. & 14. Magistrum referente, d. 38. Bonauent. ibid. qu. vlt. S.Thom. d.39. quæst.1. art.1. corpor. & ad 1. de verit. q. 6.a.3. ad 10. q.23. art.4. ad 4.Scoto d.40. q.vnic.ad 1.Durand. d. 38. quæst.3. num.25. Richard. d.39.a.1. quæst.2

Okam

Okam.d.38. quæst.vn. & d.39. q.etiam vnica Gregor.q.2. a.3. notab.5. & prob.2. & ad 2. ration. & 3. fine & §. *Respondeo aliter.* Adam in 3. d.14. q.2. à concl. 6. Marsilio in 4.d.40. a.2. post 4.5. & 7. conclus. & ad confirm. arg. 4.prope eius articuli finem, Nicolao de Orbellis in 1.d.39. 2.2. Maior. d. 38. q.2.& 4. & clarius quæst.5. circa finem. Ferrara 1. contra gentes cap.67.§. *Sed tamen* ex Capreolo in eam sententiam inclinante d.4.a.3.post 1.conclus. & longe à tertia, & solutionibus argumentorum & d.45. qu. vnic.art.2. col. penult.ad 2. argum.contra 2.partem conclus.5. Dionys. Cister.d.38. q.vnic.art.2.concl.4. Michaele à Bononia d.29.q. vn. d.40.q.vnic. & d.41. vbi possibile absolute, addit, Deum non reuelasse, quod præciuit ab æterno contingenter fore, & ante hoc tempus reuelauit: cui in hoc etiam consentiunt Rupert.Holcot in 2.q.1. ante articulum 1. litt.Z. & q.2. a.9. & Petrus de Aliaco in 1. q.12.a.3. Eandem item Magistri sententiam refert ex Recentioribus VValdens. 1. doctrinal. fidei c. 27. præsertim colum.2.Driedone p.2.concord.a.2.& 3.ad 4. Albert. Pighio 8.de libero arbitrio c.1. Vega 2. in Trident.c.17. ad 3. obiect. & lib.12. c.22.& 23. ant. med. Cordub.1. quæstionarij q.55. dub.12. opin.2.& 3.iuncto eius quæst.fine Sylueštr.q.22. Conflator.Bañez.1. p.q.14.a.13. Valent. ibi punct.5.§.3.circa fin. Bellarm.3. de gratia & liber. arbitr. c.17. ad 4. Adde Molinam Soar. infra Vasq.d.68.c.4. Herize disput.6.c.8. Albiz d.6. sect.12. & 13. Arrubal. 1.p.d. 33.c.6. Pasq.1.1.d.25.sect.9. & Quiros.

3. Porro sententiam hanc tripliciter defendi refert idem Ruiz sect.3. à num.7. Primo ex d.24. sect.9. admittendo in Deo absolutam potentiam, vt quod factum fuit, de præterito infectum fiat, vt docuit Gilbertus porretan. in 1. Boëtij de Trinitate cap. 9. Altisiodorens.1.summ. c. 11.q.6. Alex.1. p.q.21. memb.5. art.4. & Angli quidam, quos sequitur in 1.d.42.q.1.a.2. & Corduba qu.55. citata dub. vlt. huic modo, tanquam probabiliori ad rem præsentem adhærens. Miror tamen doctum virum ad suam,& communem hanc Theologis concordiam tuendam, eo modo, vt veriori vti: tum, quia communi huic concordiæ necessarius non est: tum, quia innititur principio ex terminis falsissimo ab omnibus Patribus, Philosophis, & Theologis reiecto atque apertam contradictionem inuoluente, quam, nec diuinitus componi posse per se notum est; tum denique, quia est ad rem præsentem impertinens, & prorsus inutile. Et quidem necessarium non esse communi concordiæ Cordubæ illud principium ex dicendis constabit, cum eam absque illo, & probemus statim, ac defendamus: quod autem sit inutile, & impertinens ad illam constat: quia, cum hæc ex præsuppositione futuri contingentis nostri, atque potentiæ nostræ libere potentis in actu primo, & naturæ priori illud ponere, vel non ponere, naturaliter quidem, ac proinde, & scientiam Dei pro eodem signo impedire quæ tamen eo contingenti futuro pro sua duratione posito ne ad ipsum omniscientia, & omnirepræsentatio intrinsecus,ac de se talis,sine vllo suæ repræsentationis augmento extendatur à Deo impediri omnino nequit, inutiliter ad potentiam supernaturalem Dei faciendi infectum, quod factum fuit anterius, & præteritum est, recurritur: siquidem è potentia naturali nostra impediendi, de præscientia Dei fuerit, non autem è potentia absoluta Dei concordia hæc stare debet, vt veresset: neque dato,quod potentia absoluta faciendi infectum, quod semel factum præcesserit, potentia non cognoscendi, quod secundum pro quauis duratione est, vel erit, aut fuit, ostendetur. Quod autem lumine naturæ falsum, & aperte repugnans, contradictionemque inuoluens sit eiusmodi principium, & per se pater, & omnes Philosophi docent. Arist. 6. Ethicor. 2. vbi hæc ex Agathone probat. *Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur, infectum vt faciat, quod factum est, atque peractum*, Augustin. 26. contra Faust. c.5. Hieronym. epist. 22. ad Eustoch.de custodia virginit. relatus c. *Si Paulus* 12. qu. 5. Rursus longiorib. comment. Ad Ephes. Anselm. de conc. præsenti. cap.1. Petr. Damian.ep.4. de omnipotentia Dei c.4.& 8. tom.3.Biblior.

6. Secundo Magister, Alex. S.Tho. S.Bonauent. Richard. ita rem hanc explicant, vt num. 3. referebamus: vt quia æternitas, qua præscientia diuina durat tota simul, & præsens semper est, neque æternitas ipsa, neque aliquod diuinum, quod vbique illa, tanquam mensura propria, durat, vnquam præterea, sed semper de præsenti sit tota: quocirca sicut in iis, quæ nunc primo contingunt de præsenti absoluta est potestas antecedens in sua causa libera, vt non sint, ita etiam vt non fuerit præscientia, quæ illa supponit ex æternitate: ac proinde licet certissimum, vti est, sit ad id, quod præteritum est: non dari potentiam etiam antecedentem, atque in Deo non fuerit; cum tamen detur etiam in nobis antecedens potestas absoluta, vt contingens non sit, plane, & datur vt præscientia Dei, quæ solum de præsenti est duratione sua, atque illud supponit, de præsenti non sit, atque ad nostram durationem accomodate loquendo, non præcesserit. Hunc tamen modum merito reiecit multis Ruiz citatus sect.5. tota. Contra primo: quia, licet ex indiuisibilitate æternitatis quæ tota simul,ac præsens est, nec illi, nec iis, quæ illa durant, præteritum perfectum, seu pure, & solum præteritum, sicut nec pure futurum, possit conuenire; ast imperfectum, &, quod præsentem durationem nunquam excludat, tam ei, quam diuinis omnibus, quæ illa durant, conuenit, vt expresse docet scriptura Apocal, *Qui est, qui erat, & qui venturus est*, & Eccles.c.1. *Omnis Sapientia à Domino Deo est, & cum eo fuit semper, & est ante æuum*, ideoque præscisse Deum dicitur ad Rom. 8. ergo conuenit eis toto tempori præduravisse: ergo nequit esse nunc de præsenti potestas, vt non prædurauerit, quin detur potestas, vt quod antea erat antea non fuerit, iuxta modum primum. Secundo implicat id,quod coexistit de præsenti tempori, rebusque, quæ fuerunt,nunc non præxtitisse, licet nunc de præsenti duret, sicut &, quod coexistet durationi, & rebus successuris, etsi de præsenti iam sit, implicat non fore: atqui Dei æternitas præscientia, & diuina reliqua, licet semper durent, coexiterunt toto antecedenti tempori reali, imo, & possibili, aut imaginariæ æternitati creatæ, antecedenti durationem contingentis futuri: ergo pro huius duratione verum est præexitisse: ac proinde potentia absoluta, vt nunquam fuerit, erit potentia, vt non fuerit, quod fuit, quam hi doctores, vt implicatoriam, merito reiciunt. Maior patet: quia coexistentia dicit simultaneam tempore, & duratione eadem vtriusque extremi existentiam: ac proinde implicat pro illa alterum solum, non autem aliud præsens fuisse.

7. Tertio vrgentius, vt mihi visum semper est,arguo: quia ex eo, quod tota simul, ac præsens semper sit æternitas Dei, qua eius præscientia durat, durauitque tota anteacta duratione, potius infertur, vt potentia, qua initio (vt sic loquar) æternitatis, ex quo primum, & æternitas,& præscientia per ipsam durans fuit impediri non potuit,nec possit impediri tempore præsenti; cui eadem indiuisibilis æternitas est coexistens,& præsens: cum enim essentia sua tota simul æternitas sit, solummodo impediri, possunt & ipsa, & quæ per ipsam durant, pro durationibus sequentibus,quatenus ne primo sint,ac durent impediri queunt: siquidem ex indiuisibilitate,& totalitate simul perpetuo durandi, inferetur solummodo impediri posse, quæ sic durant, in prima sui duratione: ea siquidem primo posita, pro quouis nunc temporis, seu æternitatis ex ipsa necessaria perpetuitate durandi eius, quod per illam semel durat,infertur aperta contradictio, quod pro alia vlla sequenti duratione, aut tempore non duret: atqui neque ab æterno, ex quo durare præscientia cæpit, vt sic loquar, neque in tempore anteacto omni, in quo præsens præscientia fuit, adfuit potentia impeditiua durationis, & existentiæ præscientiæ diuinæ, quia non adfuit potentia nostra productiua contingentis; ergo, nec nunc adesse potest. Nec refert in Deo adfuisse, ex tunc æternitatis suæ, potentiam præsciendi, vel non præsciendi futurum contingens. Primo enim deseritur hic concordia quæ ex eo est, quod præscientiæ existentia, & veritas necessaria à nostra libertate temporaria, quæ nunc primo est, & exercetur, quasi dependeat tanquam ab eo quod supponit: ast,si potentia præsciendi, vel non præsciendi ex æternitate primum solo in Deo ponatur, libera quidem Deo præscientia infallibilis erit; ast à nobis futurum, cum quo connectitur, libere non ponetur. Secundo: in Deo non est ad præsciendum, vel non præsciendum immediata libertas, sed solum mediata: quatenus liber est ad decernendum principia constituentia nostram libertatem in actu primo,quibus suo tempore contingens est futurum; iis enim positis, atque

atque ex eis futuro contingenti, necessario ad illa prænoscenda, sine vlla suæ intrinsecæ repræsentationis Dei actualis formalis additione, omniscientia se extendit. Tertio: si ea potentia Dei possit, quia ex æternitate, & de præsenti ob indiuisibilem sui, ac totam simul durationem libera est, id quod semel præsciuit, non præscisse, citius poterit id, quod semel potentia sua certo libera volitiua decreuit, nunc, pro tunc æternitatis, non decreuisse, seu facere, vt non fuerit decretum, v.g. de mundi creatione: siquidem, & decretum hoc liberum, & voluntas Dei indifferens, & nunc, & ab æterno, sint sicut intellectus, & præscientia futuri contingentis: cum autem eo decreto sublato, nondum etiam, qui fuit sublatum iri necessarium sit, iam in Deo potentiam ad inficiendum, quod factum, & præteritum est, fuisseque supponitur (quod implicatorium hi iudicant) plane è tua hac doctrina debent admittere.

8. Quarto principaliter argumentor cum Ruiz n.18. quia, si ex totalitate simultanea æternitatis, qua Dei præscientia, & potentia, & de præsenti nunc durat, & æternitate anteacta duruit, potentia est pro nunc, vt quod ex tunc præsciit, ex tunc non præscierit; infertur reuelationi diuinæ posse nunc contingere non fuisse: imo, & esse falsam, si hoc renuatur: ac proinde tota fidei nostræ infallibilitas, & certitudo, etiam metaphysica, Dei reuelationi, & præscientiæ infallibili innitens prorsus euertitur. Probatur: quia potuit ea potentiæ præsentia, pro nunc durante, æternitate, qua etiam ex æternitate, cum ipsa, tum præscientia fieri à Deo, vt non præscierit ex æternitate futurum reuelatum: vel ergo reuelatio, quæ præcessit ad nunc præsens, potest, etiam ex nunc, pro tunc illo anteriori, quo facta est, non fuisse; vel secus: si non potest non fuisse: cum præscientia, cui eius certitudo innititur, possit non fuisse, poterit absolute esse falsa, & fallibilis; si potest etiam ex nunc desinere, ac non fuisse pro tunc, tam desinere etiam absolute potest, totum certitudinis fidei nostræ fundamentum. Hoc ipsum argumentum extendi potest ad spei nostræ certitudinem innixam promissionibus, etiam iuratis à Deo, quæ præcesserunt: possunt enim, ex nunc pro illo tunc anteriori, in quo factæ sunt, absolute non fuisse ex præsentia pro nunc voluntatis & volitionis diuinæ per eandem indiuisibilem durationem æternitatis, qua eadem omnino ex æternitate duratunt: quare modus hic tuendi concordiam communem Theologorum præscientiæ futurorum contingentium cum horum libertate inutilis est inconsequens, & absurdus.

9. Tertius modus communem eam concordiam tuendi Sancti Bonauenturæ, & aliorum, ac reipsa Richardi, Durandi, Okami, Gabrielis, & Cordubæ supra, ad connotatorum sententiam recurrit: cum enim in ea, & sit actus intrinsecus, siue quoad intrinsecum diuinæ scientiæ siue omniscientiæ omnino secundum se, reque ipsa à creatis obiectis, præsertim contingentibus, absolutus: & ordo rationis pro nde illius actus ad futura contingentia, quæ repræsentat: licet actus, quoad intrinsecum præscientiæ ab æterno, & necessario præcedentis, nulla potentia absoluta absolute fieri nunc positiue tempore vllo possit, vt non fuerit; at secundum ordinem illum rationis, quem, ac illorum præscientia defectibilis est, addit posse absolute non fuisse: cum enim hic ordo à futuris contingentibus pendeat: imo reipsa nihil actui intrinseco Dei addat præter ipsa futura quibus ipse secundum intrinsecum, & qua necessarius est, non connectitur: potentia, qua nunc, vel posita potest contingens non esse, nequit non esse potentia, vt ordo ille rationis in contingenti fundandus non fuerit. Sed primo falso innititur principio modus ipse de constitutione actuum liberorum Dei, siue scientiæ, siue volitionis per connotationem ad extrinseca creata, vt ostendemus contra 4. verum, nl istud principium falsum esset, nihil contra hunc modum præstaret, quæ contra illum obiecit Ruiz tota sect. 6. vt ab absurdis ostendat præscientiam futurorum contingentium talem esse non posse per denominationem extrinsecam desumptam ab eiusmodi futuris, & necessitatiæ omniscientiæ Dei ab illis aduenientem: quia alias nos, aut Angelus, possemus præscientiam necessariam de possibilitate contingentis, & eius futitionem, futurum cognoscere, æque ac Deus; quod non fatetur, quia scientia nostra, aut Angelica omniscientia non est, sicut diuina, ac proinde apta non est, vt ab extrinseca futuri contingentis positione denominetur eius prænotio atque ad illud terminetur.

10. Quartus modus eandem concordiam defendendi, est limitatio quædam modi Theologis Recentioribus frequens: quod scilicet, etsi ad præteritum potentia vniuersim dari nequeat, vt quod factum præcesserit infectum fiat, atque, vt non fuerit, fieri possit; ait ad præteritum, quod connectitur cum re contingenti futura dari posse potentiam, vt non fuerit. Hic modus si explicatius, & cum debita distinctione proponatur verissimus, & certissimus est ad præsentem communem concordiam explicandam, & conuincendam. Cæterum, si, vt sonat, intelligatur, scilicet, ad præteritum, quod præteritum supponatur, siue, vt præteritum, dari potentiam posita, vt non fuerit, etsi, vt præterierit, seu primo fuerit dependentiam aliqualem habuerit à futuro contingenti, cum quo suapte natura connectitur, modus hic nihilo verius primo illo est. Proinde in illum æque, atque in primum, censuras 1. etiam sapientiores Theologi, Molina ad q.14.a.13.d.16. vers. *Vnde quarto* appellat *errorem*, versu *postremo* ait, *parum infra secutum* Soar. de scient. lib.1.c.4.n 9. *non esse verisimilem*: quibus consentit Ruiz d.31. sect.4.n.1. atque item Quiros 1.p.tract.4.de scient. d.47. sect.2.n.12. etsi nu.13. de solo nomine, & æquiuocatione horum doctorum cum huius quarti modi Patronis litem esse merito suspicetur: & quidem, si sensu præfato modus hic intelligatur, atque explicetur eis censuris merito subiacere patet improbabilitatis: quia admitteretur potentia ad coniungendum duplex contradictorium, vt contra primum modum vidimus *error, & periculi in fidem*: quia, vt dicebamus, tota fidei infallibilitas, spesque nostræ certitudo, & firmitas subuertitur.

11. Fatebar nu. 10. proxime merito nostrum Quiros dixisse totam hanc censurantium quartum hunc modum cum eius Patronis de nomine, & æquiuocatione litem esse; sed tamen fateor eiusdem explicationem multis etiam notationibus, & conclusionibus per duas sect.3.& 4. ad eorum vniuocationem adhibitis, magis eum æquiuocum, & implicatorium reddidisse, atque implicasse: id quod semper illis accidit, qui rem paucis alioqui explicabilem explicant multis: vt scilicet, dum pluribus, quam opus sit, explicant, magis implicent, & obscurent: statuit enim sect.3.n.15.16.& 17.notabili 1.2.& 3. voluntatem in tempore maiorem habere indifferentiam potestatis ad omittendum peccatum, quam ad scientiam impediendam, ne ab æterno fuerit: quia prout in tempore reduplicationem necessario, & inuitabiliter facit cum præcedentia æternitatis, & eorum omnium, quæ per eam intrinsece durant. Ac proinde cum præscientia æterne ipsum antecedente: qua suppositione facta implicat non fuisse ex æternitate præscientiam, ac proinde nunc esse potentiam in tempore, vt ex æternitate non fuerit, ni admittatur potentia ad coniungendum duplex contradictorium: ex quibus concludit: fumendum esse contingens entitatiue, & à tempore suo abstractum, vt saluetur concordia & potentia nostra absoluta, & antecedens impediendi, ne præscientia ab æterno fuerit: sed certæ si eæ suppositionis probationes, cum concluf. sect.3.n.20. tum sect.4. à n.27. conferantur eas falsas, atque cum his pugnantes esse clarebit, etenim, si futurum, qua tale, supponit, sicut durationem, & æternitatem antecedentem etiam, omnia, quæ in illa præcesserunt omnino, vt præcedentia etiam, & præterita, implicat dari potentiam in re, quæ non aliter reipsa est, ad præscientiam impediendam, quin detur reipsa ad præteritum, vt præteritum, & quod præteriisse supponitur, potentia: scilicet ad coniungendum duplex contradictorium.

12. Secundo: contingens temporale, & creatum, & proponitur Deo cognoscendum, & iudicandum ex æternitate sua, quam solam copula, vt sic loquar, diuini, iudicij concernit, respectu cuius, prout correlpondet principio (vt sic loquar) æternitatis diuisibilis, siue possibilis creatæ, siue imaginariæ non potest non contingens, quod ex illo tunc æternitatis iudicatur pro suo hoc tunc esse, non esse futurum, sicque respectu illius futurum iudicatur à Deo; (atque ideo præscientia eius est & ab Apostolo nominatur. Neque enim solum iudicatur eius existentia à tempore suo, quod essentia sua respectu anterioris illius æter-

nitatis futurum est separatim, sed, vt suo tempore futuro erit: quare in ipsa illa eius ex tunc scientia, & præscientia ex parte obiecti asseritur, & contingentis futuritio, & æternitatis, qua ipsa est antecessio: ergo realis illa posterioritas durationis, & futuritio atque æternitatis antecessio contingenti ex parte obiecti asseritur, neque ab ea in eo iudicio abstrahitur ex parte obiecti, atque inter hæc ita realiter, &, vt eueniunt, sumpta indaganda est concordia; non autem interea secundum scientiæ, & contingentis entitates nudas, & prout à futuritione, & antecessione durandi separatis: sic enim nulla est difficultatis vmbra, quæ Philosophos cogeret aberrare: quemadmodum neque vlla eis in visione obiecti contingentis præsentis difficultatis suborta vnquam suspicio fuit, quæ é sola contingentis posterioritate sita temporaria, & antecessione æternæ præscientiæ adeo illos turbauit: quod si, ita eis acceptis, supponi necessario debet existentia anterior, etiam præscientiæ, ac proinde hæc, vt præterita, atque necessitans ad futurum contingens, ne illam impedire possit, ne fuerit (vt vere, qua præterita iam, & supposita anteriori duratione necessitat) eius cum libertate contingentis concordia nequit vllatenus defendi.

CERTAMEN II.

Alterum concordiæ præfatæ, & communis principium (quod præscientia ad futurum contingens natura non præcedat, sed potius illud supponat, sequatur, atque ab illo quodammodo pendeat) statuitur.

1. EX duobus principiis (ex quibus, vt dixi, vera, & communis hæc concordia infallibilitatis diuinæ præscientiæ de contingentibus futuris, cum eorum pro tempore suo contingentia, & libertate omnino pendet) alterum est: solam necessitatem antecedentem natura, seu causalitate quæ in determinatione causæ ad effectum cum illo pro priori naturæ connexæ stat, eius libertati, & contingentiæ obesse: in quo principio duo continentur, vnum positiuum: quod scilicet determinatio causæ antecedenter connexæ cum effectu, & causæ indifferentiam, & subinde futuri contingentis contingentiam aboleat, & libertatem, Secundum negatiuum: necessitatem scilicet, quamuis quæ non ita antecedens, sed subsequens sit, causæ indifferentiam, eiusque in futuri appositione exercitium, neutrius libertati, & contingentiæ obesse in extremo hoc negatiuo Philosophis, Patribus, & Theologis conuenit. In primo positiuo Philosophis, & Theologis reliquis cum Dominicanis Recentioribus Thomistis, eorumque Asseclis aliquibus durum, & ardens certamen est, à nobis cum reliquis priori sede contr. 3. dirimendum: vbi huius principij, quoad vtramque partem veritatem alte fundabimus, vt inde ad præfinitiones diuinas, tam Dominicanas Thomisticas, quã Soaristicas examinandas principia sumamus: idcirco eo nunc lectorem remittimus, qui minus huic nunc supponendo principio credere volet. Alterum vero concordiæ huius principium est diuinam præscientiam de futuris contingentibus ea causalitate, & natura, nullatenus anteire, neque hæc ab illa vllatenus pendere; imo vere diuinam præscientiam de illis ab eis pro suo tempore positis siue in se apponendis, quasi naturæ priori, tanquam à sui terminatiuo, vel determinatiuo quodammodo pendere; qua etiam de re cum Dominicanis Thomistis Recentioribus pugnandum hic est.

2. Etenim Aluarez 2. de Auxiliis d. 16. n. 8. Cabezudo 3. p. q. 62. a. 5. q. sua 2. Concl. 6. Nauarrete controu. 59. Cabrera 3. p. q. 62. a. 1. ad 12. §. 15. Ledesma de Auxiliis d. 2. de scient. dif. 1. dub. 4. Zumel tom. 2. Opusc. dub. 41. §. *Hæc tamen solutio* vniuersim docent scientiam visionis, siue omnium in tempore futurorum, & faciendorum, etiam contingentium, causam esse: ac proinde ideo futura esse futura, quia à Deo præsciuntur, non autem ideo præsciri à Deo, quia sunt futura. Hæc tamen sententia adeo aperte communi Patrum videtur aduersari, & contradicere, vt contradictoriam, quoad vtramque reliqui Theologi amplectantur. Ita sentient Doctores omnes citati supra pro communi concordia præsente: item rursus ita etiam supponunt, qui docent voluntatem Dei mediare inter scientiam Dei, quæ causa rerum est, futurarum, & res futuras: inter præscientiam siquidem, & futurum nulla Dei voluntas mediat, vltima enim ad futuri extionem requisita ante præuisionem eius est: immo recentium Thomistarum sententia necessario supponitur, vt medium, ac determinatiuum ad futurorum præscientiam: atque etiam, vt formale constitutiuum futuritionis, vt ex eorum aliquibus vidimus q. 5. cert. 1. qui vero voluntatem Dei ita mediare inter scientiam, quæ causa futuri est, & ipsum futurum aiunt, hi sunt S. Tho. q. 2. de verit. art. 14. Ægid. & Argent. in 1. d. 38. q. 1. art. 1. Durand. q. 1. num. 7. Richard. art. 3. q. 2. Carthus. q. 1. circa fin. Hugo Victorin. in Epist. ad Rom. q. 217. Secundo supponunt: scientiam visionis non esse causam rerum, qui cum docent scientiam Dei, quæ causa rerum futurarum est se sola non causare illas nisi ei accedat voluntas, adiungaturque beneplacitum diuinum approbans futuri effectionem vel scientiæ, quæ ad oppositum eius, quod faciendum est, atque adeo non fiet, indifferentiam determinet; visioni vero, seu præscientiæ futurorum nulla Dei voluntas accedit, siue succedit sed ad illam supponitur: neque opus est, vt fiat, quod fore præscitur, siue vt eius indifferens futuri & non futuri repræsentatio determinetur, cum sit determinate futuri præscientia, & repræsentatio; sed solum scientia simplicis intelligentiæ, quæ indifferenter extrema opposita repræsentat, tã facienda quam non facienda. Ij vero sunt S. Tho. proxime & in 1. d. 38. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 14. art. 8. corp. 1. cont. gent. c. 66. n. 2. & de verit. q. 6. art. 3. sub init. Magister in 1. d. 38. c. *Hanc igitur*. Alexand. 1. p. qu. 24. m. 2. Albert. qu. 61. m. 2. corp. & ad 2. 3. & 5. ij etiam qui scientiam causam rerum aiunt, quia voluntatem dirigit, cui prosequendum proponit scilicet S. Thom. 1. p. q. 19. a. 4. ad 4. & q. 25. art. ad 4. Albiz d. vlt. de scientia sect. 6. num. 2. §. *Dissilior mihi*, & omnes Doctores; ad id autem, quod factum præuidetur, præuisio nequit voluntatem dirigere.

3. Hæc autem probant scientiam visionis, seu præscientiam futurorum contingentium non esse eorum causam, sed solam simplicis intelligentiæ scientiam, quæ sola voluntatem dirigit indifferenter proponens, vt ex oppositis eligat, ac determinet faciendum, ac proinde non, nisi voluntatis subsecutæ accessu, & mediatione causat. Hæc autem altera pars tantum principij hic statuendi, est expresse & in terminis tradita à Greg. Arim. in 1. d. 38. qu. 2. a. 3. col. postremis. Capreol. d. 35. q. 2. art. 2. col. vlt. ad argum. contr. 8. concl. Bellarm. 4. de gratia & lib. arbit. c. 13. post med. Molina 1. p. q. 14. a. 13. & 17. §. *His ita explicatis*. Valent. ibid. pun. 8. §. *His tamen rationibus*, med. Vasquez ibi comm. art. 8. §. 2. & 3. & d. 68. c. 6. d. 69. c. 2. Lessius de gratia effic. c. 3. n. 24. Albert. tom. 1. q. 1. Theol. ex 4. principio Philos. d. 2. §. *Sed mihi videtur*: Soar. 1. de Auxil. c. 13. n. 15. & lib. 3. de attributis c. 4. n. 10. & 1. de gratia Prolog. 2. c. vlt. & 1. de concursu Dei c. 13. n. 15. Coninbr. in 1. Perih erm. c. 8. q. vn. a. 4. Iustin. in c. 8. ad Rom. ad id, *quos præscit*. Peretius d. 21. ad eum locum, & reliqui eius loci interpretes. Fonseca 6. Met. c. 2. q. 4. Mascarenas de Auxil. d. 2. p. 6. n. 13. Diotal. Opusc. de scient. cond. c. 6. propos. 6. de futuris contingent. Trigos. in S. Bonau. 1. p. qu. 10. art. 4. dub. 3. ad 3. sibique contradicens Zumel 1. p. q. 14. a. 8. q. sua vn. præcipue concl. 4. & ad arg. Alarcon, tract. 2. d. 5. sect. 4. concl. 5. à n. 8. Herize d. 10. c. 1. Ruiz d. 15. sect. 4. Pasqualigus d. 24. sect. 2. nu. 20. concl. 7. cui non aduersatur octaua eiusdem conclusio: quoad vtramque vero partem principij hic statuendi scilicet scientiam visionis, siue præscientiam futurorum, præsertim contingentium, causam rerum non esse, sed é contra futura contingentia, quasi natura ad sui ipsorum præscientiam supponi, haneque ab illis, licet non rigorose, aliquo tamen modo, tanquam à terminatiuo, & determinatiuo pendere præter Doctores cert. 1. datos citatis locis pro communi concordia præsenti docent expresse Magist. in 1. sentent. d. 38. cap. *Hanc igitur*. Hugo Victorin. quæst. 217. in epist. ad Rom. S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 8. ad 1. Alex. 1. p. q. 24. m. 3. Albert. quæst. 61. m. 3. S. Bonauent. in 1. d. 38. a. 1. quæst. 2. qui omnes à fu-

turo

turo nomen, & rationem causæ respectu præscientiæ sui merito reiiciendam obseruant; licet illud, quia à Patribus recitandis vsitatum, videatur sonare: idcirco nos restrictiuis particulis *quodammodo*, & non stricte nomine causæ in futuris respectu præscientiæ, & dependentiæ huius ab his vti sumus: quia, quoad intrinsecum repræsentationis futurorum à suo primario obiecto Deo totum omnino adæquare habet, quod habet, dum acta, & futura illa sunt, & repræsentantur; licet nisi essent non repræsentarentur, vt vidimus.

4. Tradiderunt principium hoc Ecclesiæ Patres constantissime Iustin. Martyr q. 58. ad gent. vt causæ peccati, Adami & Angelorum, notam à Dei præscientia diuertat ait: [Causa non est eius, quod futurum est, prænotio; sed, quod futurum est, causa est prænotionis. Neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est; sed quod futurum est prænotio:] Hieron. in c. 26. Hierem. [Illud, forsitan, maiestati diuinæ non conuenit (proprie, & stricte) sed nostro loquitur affectu, vt liberum seruetur arbitrium: ne ex præscientia cogatur facere, aut non facere. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est Deus nouit, quasi præscius futurorum:] & in 2. Ezech. ad id [Si forte audiant: loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium: ne præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit. Non enim, quia ille futura cognoscit necesse est nos facere, quod ille præsciuit; sed, quod nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum, quasi Deus,] & Dialogo 3. aduers. Pelag. [Nec enim ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat; sed præsciuit Deus quod ille erat propria voluntate facturus.] Orig. 7. in epist. ad Rom. ad id c. 8. [Quos præscisit, *ita ait*, in præscientia Dei (scilicet propria, & absoluta,) neque salutis, neque perditionis nostræ causa consistit: quia, non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est scitur à Deo antequam fiat. Nam, etsi fingamus Deum non præscire aliquid futurum, sine dubio erit. *& statim fere.* Non, quia Prophetæ dixerant, idcirco prodidit Iudas, sed quia futurus esset proditor, ea, quæ ex nequitiæ suæ proposito gesturus prædixerunt Propheræ.] Et 2. cont. Celsum vers. med. [Celsus putat, quod aliquis præscius prædixit, ideo fieri, quia prædictum est; nos vero hoc non credentes aimus, non prædictorem causam esse futuri; sed futurum illud, quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi præbuisse.] Damascen. Dialog. contra Manich. pag. antepenult. [Deus ea, quæ voluntarie à nobis futura sunt, hoc est ea, quæ in voluntate nostra sita sunt, nimirum virtutem, ac vitium, præscius, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt: ac quidem vis præsciens à nobis causam haudquaquam habet; at vero, vt ea, quæ facturi sumus præsciat Deus, à nobis proficiscitur: est quidem præscientia Dei vera, & inuiolabilis: verum ipsa nequaquam est causa cur omnino fiat quod futurum est; quin potius, quia hoc, vel illud facturi sumus, idcirco prænoscit.] Sicut Medicus prænoscit morbum quem non causat, id quod medio circiter dixerat, *Prænotionis diuinæ causa hæc est, quod ita futurum erat.*

5. Augustinus inter alia, quibus Dei præscientiam cum libertate, tam bonorum, quam malorum operum nostrorum conciliat, 5. de Ciuit. cap. 10. ita scribit: [Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturū præsciuit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui, si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit; etiam hoc ille præscisit:] quia vtique eius peccati in tempore suo positionem, vel negationem præscientia alterutrius expectat, & supponit: si enim posito prænouit, & non posito, non illud, sed oppositum prænouisset: eidem conciliationi insistens 3. de lib. arbitr. c. 2. & 3. ita exemplo præscientiæ nostræ de futuris, & memoriæ præteritorum eam explicat: quia æque præscientia Dei futura contingentia non causat, sed potius supponit, atque nostra præscientia illa supponat, ac memoria supponat præterita, quin ea vllatenus causent: eius verba sunt: [Si tu præscires peccaturum esse aliquem, non esset necesse, vt peccaret, neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamuis sine dubio peccaturus esset: non enim aliter futurum esse præscires: ita Deus neminem ad peccandum cogens: præuidet tamen eos, quia propria voluntate peccabunt,] ac ex memoriæ præteritorum similitudine ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus non cogit præscientia sua, quæ facienda sunt:* quia vtique æque ad præscientiam supponuntur futura, & facienda, atque ad memoriam præterita, & fine c. 3. *Non igitur per Dei præscientiam mihi potestas adimitur, qua propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia falli nequit, ad futura mihi esse præsciuit:* cuius rationem dedit ipse Augustin. 26. contra Faustum c. 4. dicens: *Tam non possunt futura non fieri, quam non esse facta præterita: quoniam non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum, quo verum:* quia æque vtrorumque verum in se eorum esse aliquando, siue antea, siue postea supponitur, vt præterita sunt, vel futura. Et tract. 53. in Ioan. inter init. & med. de diuinat. peccati Iudæor. [Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet: & ideo, si non malum, sed bonum facere voluissent non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo, qui nouit, quid sit quisque facturus:] perpende, *quem nihil latet*, vbi obiectum supponitur: ex quo infert oppositum potius, si foret, à Deo præuidendum, vt probet non cogi, neque causari à præscientia futurum, aut oppositum impediri antecedentes contingens; vt dixerat c. 15. de prædestinat. & gratia eidem respondens difficultati in præscientia peccati Pharaonis. [Respondetur, (inquit) Dei præscientiam non cogere hominem, vt talis sit, qualem præsciuit Deus; sed præscire talem futurum, qualis futurus, quem, si cogeret Deus hoc vtique cogeret, quod non est. Porro, si hoc præscirent, præsciret futurum, quod non est:] quibus verbis, sicut, & aliis recitatis supra coactionem opponit potentiæ ad non peccandum, seu, vt idem est, quod impotentia absoluta non peccandi, atque absolutæ necessitati ad peccandum æquiualentem, quam impotentiam non peccandi absolute non fuisse impositam à diuina præscientia certa & infallibili. Respondet ibi; non autem stricte coactionem vsurpat, quæ absolutam impotentiam, & necessitatem arbitrij ad oppositum non affert. Secundo illud: *talis, & qualem*, significat diuinæ præscientiæ à futuro peccato determinationem: postremis vero verbis rationem concordiæ cert. 3. efformandam acute pressit.

6. Concilium Valentinum III. anno 855. sub Lothar. Imperat. c. 2. Profess. fidei ait: [Neque prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non possit: sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicut Deus, qui nouit omnia, antequam fiant, præscit ex sua omnipotentia, & incommutabili maiestate.] Ecce illis, *quod illis, futuris erat*, suppositionem peccati, vt ab omniscio, & incommutabili Deo, nec denuo in tempore illud agituro ex æternitate præsciatur; anterioribus vero à Dei præscientia futurum non necessitari, neque causari. Athanas. serm. de passione longe à med. [Neque inseruientes Propheris ista contra Christum ausi (Iudæi) sunt; sed suo ipsimet studio sponte, volentesque patrauerunt, vt non Propheta istarum rerum author sit, aut causa, sed ipsorum voluntas: quin potius ipsi in causa fuerunt, vt talia deipsis Prophetæ prædicarent: siquidem prophetæ proprium est futura prospicere, & in eo non hallucinari; hominum autem proprium est agere, quod velint:] subdit autem e nostra præsentium visione exemplum: [sicut oculis contuentes in contuendo non fallimur, neque aliter videmus, & aliter res agitur: ita quoque Propheræ futura, & præsentia cernebant, verumque cernebant oportebat fieri: & ea quæ fiebant non poterant non videre. Rursum, vt ea, quæ nos oculis nostris conspicimus necesse est omnino esse, cum ea, quæ sunt, sub conspectum veniant; neque fieri potest, vt aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoque, quæ à Propheris prospiciebantur,] quibus æque ad præscientiam supponi futura, atque ad visionem præsentia, atque ideo non posse aliter esse, atque præuidentur aperte tradit, & adscito exemplo prophetiarum de B. Virg. concludit: adhuc ad rem præsentem apertius. [Non enim eo, quod scripta erant, ideo euenerunt; sed quia erant futura omnino, ideo certo prædicta sunt.

7. Consonat Chrysostom. homil. 60. in Matth. col. 1. ad id c. 18. *Necesse est, vt veniant scandala.* Necessitatem hic dictam non esse antecedentem contrariam libertati, & potestati arbitrij ad scandala vitanda, ex qua hæc contingentiam sortiuntur, his statuit: [Cum autem necessitatem sic dicat, non quia voluntas libertatem potestatemque liberi arbitrij tollat: nec, quia necessitati rerum humanam subiiciat vitam, hoc dicit; sed quod omnino venturum est pronuntiat.] Scilicet, & ante, & independenter à potestate: & post multa in sententiam eandem hæc subdit col. 2. ad rem præsentem illustria. [Non ergo prædictio ipsius scandala inducere putanda est. Non enim, quia futura sunt scandala prædixit, idcirco veniunt; sed quoniam omnino ventura erant idcirco prædixit. Nō enim fierent, si nollent ea excogitare nequam homines, atque pestiferi; quod si ventura non fuissent, nec ipse futura prædixisset: ventura vero erant, quia multi erant graviter ægrotantes, qui noluerunt non agere maligne; & ipse, quod futurum erat, prædixit; sed si illi curati fuissent (quispiam dicet) ac nemo esset, qui scandala faceret, nonne hic sermo falsitatis crimine teneretur? certe, si curari, sanarique omnes voluissent, non dixisset: necesse est scandala venire; sed, quia sua sponte incurabiles futuros prospiciebat, ideo ventura omnino prædixit:] Cyrill. 11. in Ioan. c. 21. accinit ita: [Non enim, quia scriptum est de Iuda, quod periturus esset, propterea eo nequitiæ processit, vt paucis argenteis pretiosum Christi sanguinem traderet; verum, quia malignitate sua periturus omnino erat, idcirco id omnino futurum scriptura prædixit, quam falsum quidquam dicere impossibile est.] Et 9. in Ioann. c. 10. fin. [In scripturæ authorem culpa redundare videretur: siquidem, vt adimpleretur scriptura, vi quædam mala commiserint: sed quis adeo rationis, ac mentis inopserit, vt scripturam S. Spiritus peccandi causam attulisse homini vnquam credere possit? non ergo, vt impleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt à quibusdam, quæ scriptura prædixit; sed contra: quia ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco præsciens Spiritus Sanctus futura prædixit.

8. In eandem sententiam scripsit Epiphan. lib. 1. hæres. 38. post med. *Non quia prædixit scriptura facimus; sed, quia facturi eramus, prædixit scriptura, propter Dei prænotionem.* Inferius: *Non, quia dixit scriptura Iudæi crucifixerunt, & Iudas prodidit Saluatorem; sed, quia traditurus erat Iudas, & Iudæi crucifixuri, ea de causa scriptura prædixit.* Euseb. 6. de præpar. Euangelica circa med. præsentem verfans concordiam sic fatur, [Quemadmodum, si quis temeritatem alicuius hominis perspexerit, & quia ignorantem eum cognouerit, propter temeritatem eius non dubitet periculosa eum ac lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus misere iacebit, non effecit hunc ipse temerarium homini lapsum: sic Deus cum vniuscuiusque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum recte acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum causa.] Post pauca: [Dicam etiamsi absurdum multis forsitan videatur, id quod futurum est causa est, vt Deus euenturum illud præuideat. Non ergo ideo fit, quia præscitur; sed quia futurum erat præscitur:] infra: [Non enim dicimus, quia proditor Iudas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere: si sic enim esset, non vituperaretur ab his, qui proditurum præuideruot; vituperatur autem: nimirum, quia potuisset, & etiam non prodere.] Ac post. [Si contingat Iudam prodere præsciuit hoc Deus; si non contingeret, similiter Deus præsciuit: cum ergo hæc duo contingentia sint, & potestas in Iuda sit, Deus præscientia sua præuidit, quod à Iuda eligetur, neque præscientia Dei ex contingenti necessaria fiet proditio; vt, si ponamus Deum secum loqui: possibile est Iudam proditorem fore; sed contrarium quoque possibile est, quamuis autem vtrumque possibile sit, ego tamen video proditurum:] Anselmus c. 1. concordiæ col. 2. hoc ipsum his docuit: [Cum dico: si præscit aliquid necesse est illud esse futurum, idem est, ac si dicam: si erit ex necessitate erit: sed hæc necessitas non cogit, aut prohibet aliquid esse, aut non esse, ideo enim, quia ponuntur res esse dicuntur ex necessitate esse; aut, quia ponuntur non esse affirmantur non esse ex necessitate: non, quia necessitas cogit, aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cum dico si erit ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit:] quibus docet præscientiam eiusque necessitatem non præcedere, sed sequi potius futurum, quod ideo futurum est, necessario etiam, cum præscitur, ex eo, quod futurum est; datis insuper exemplis vtramque necessitatem, & antecedentem, & consequentem illustrans, subdit: [Has necessitates (consequentes) quas solum in præscientia etiam agnoscit:) facit voluntatis libertas, quæ prius, quam fiat, eas cauere potest. Hæc omnia Deus qui scit omnem veritatem, & non, nisi veritatem, sicut sunt spontanea, vel necessaria videt, &, sicut videt, ita sunt. Hac ergo consideratione palam est, quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia, & multa fiunt ex libera voluntate, & antequam sint, fieri potest, vt nunquam sint: & tamen, quodammodo, sunt necessitate: quæ necessitas vt dixi descendit de libera voluntate:] Et c. 2. post med. *Quædam præscita, & prædestinata, non eueniunt ea necessitate qua præcedit rem, & facit, sed ea qua rem sequitur,* eidem doctrinæ insistens. 2. *cur Deus homo*, c. 18. circa med. distinctione hac necessitatis antecedentis, & consequentis rursus tradita, & explicata subiungit. [Hac sequente, & nihil efficiente necessitate, quoniam vera fuit fides, vel Prophetia de Christo: qua ex voluntate, non ex necessitate, moriturus erat, necesse fuit vt sic esset: ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant:] & in elucidario fere med. difficultati de præscientia ita respondet: [Omnia, quæ futuri homines erant facturi Deus futura præsciuit: non tamen sua præscientia aliquam necessitatem intulerunt, vt fierent; sed potius ipsi necessitatem intulerunt, cum suam voluntatem explerent.] Bedatom. 8. qu. 13. Variar. post med. [quid ergo? cogit nos Deus, vt mali sibi videremur ab æterno? absit. Nam potius nos cogimus eum, vt nos malos videret:] Gaudentius Brixiens. Episcop. serm. 3. de manducat. agni Paschalis post medium de crudelitate Synagogæ in Christum prædicta ait: [Nec ideo factum est, quia prædictum erat: sed ideo prædictum est: quia futurum erat, vt per scientiam suam Deus in his, quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, offenderet. Hugo Victorin. 1. de Sacram. p. 2. c. 22. vltim. med. [Possibile est non fieri, quod futurum est; & si non fieret, quod possibile est non fieri, nunquam futurum fuisset, nec præuisum: quod, quia fiet, & futurum semper est, & præuisum est.] Et eum obiecisset caßari inde posse præscientiam, & prouidentiam respondet ita: [Quod si mutaretur euentus (quod fieri potest) neque mutaretur, neque caßaretur prouidentia: quia hoc fieri omnino non potest, sed potius nunquam fuisset præuisum, quod nunquam fuerat futurum: & constaret prouidentia in eo, vt non fieret: sicut modo consistit in eo, vt fieret; non mutata, vt post aliam alia esset, sed vt nunquam alia esset.] Consonant omnino quæ c. 15. 16. 17. & 18. eiusdem quæstionis & citata q. 217. ad Rom. scripsit.

9. Id ipsum alio discursu Patres supponunt, & docent, cum ideo ex æternitate cognosci à Deo futura nostra contingentia aiunt, quia æternitas (qua Deus, non autem tempore nostro, illa cognoscit, & indicat) tota quoad intrinsecum sui, vt pote indiuisibilis, eis futuris coexistit, eique toti illa sunt præsentia, nusquamque proinde præterita & futura respectu illius: indeque ex præscientia Dei nullam contingentibus necessitatem eorum libertati aduersam defendunt: cuius discursus, & concordiæ ea aperta ratio est: quod sicut præsentium contingentium visio, siue humana, siue diuina eorum libertati non officit, quia ea non causat, sed supponit: ita neque futurorum præscientia Dei cuius æternitati, æque præsentia sunt futura, & præterita, atque præsentia sint, quæ pro nunc nostro actui de præsenti coexistunt: ac proinde æque, atque hæc, ad sui præscientiam supponuntur, atque ab ea non causantur: ita scripserunt in primis Boëtius 5. de consol. prosa 6. vbi præmissa distinctione necessitatis in simplicem, siue antecedentem, & conditionis, seu consequentem, siue ex suppositione, quod res sit, sic fatur: [Quod enim quippe nouit, vere scilicet aliquem gradientem id esse aliter, quam norum est, nequit; sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem; quamuis eum, tantum, cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid prouidentia præ-

scit

sens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat naturæ necessitatem. Atqui Deus futura, quæ ex arbitrij libertate proueniunt præscientia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum necessaria fiunt per conditionem diuinæ notionis (cui præsentantur sicut nobis præsentia:) per se vero considerata absoluta naturæ suæ libertate non desinunt:] superius eadem ratione, & similitudine suppositionis præsentis obiecti ad sui visionem vsus fuerat primo his verbis: [Scientia quoque eius omnem temporis supergressa motionem omnia, quasi iam gerantur simplici cognitione considerat:] post pauca:[quid igitur postulas, vt necessario fiant, quæ diuino lumine lustrantur: cum, nec homines quidem, necessaria faciant esse quæ videantur? num enim quæ præsentia cernis aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? atqui, si est diuini humanique præsentis digna collatio, vti vos vestro hoc temporario præsenti, quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno:] Iterum post pauca: [sicuti vos, cum pariter ambulare in terra hominem, & oriri in cælo solem videris, quanquam simul vtrumque conspectum discernitis: & hoc voluntarium, illud esse necessarium iudicatis: ita igitur cuncta dispiciens diuinus intuitus qualitatem rerum minimè perturbat apud se quidem præsentium, ad conditionem vero temporis futurorum:] Quam sententiam ex Boëtio transcriptere Burchardus lib. 20. c. 21. & Iuo p.17.c.23.ex quibus, & Gratianus 23. q.4. post caput Vasinæ 23. tanquam Augustinianam, cum tamen Augustini verba, adhuc impositio ipsi lib.de prædest. (qui ei sententiæ fauet) non sint. Boëtium tamen ad rem præsentem interpretatur eius Commentator Raymundus Palasinus q. 1. ex Cratonicis.

10. In idem argumentum scribit Leo Magnus serm. de pass.c.2. [cum omnia, quæ in Christum Iudæa admisit impietas tanto ante prædicta fiut, vt non, tam de futuris, quam de præsentibus Prophetieus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur? apud quem, & discernenda iam diudicata & iudicata, & futura iam facta sunt.] Beda: post primo data supra statuta rerum præsentia, & coexistentia æternitati Dei: *Si ergo in conspectu eius semper sumus, & præsentialiter nos videt, quales aut ex ipso futuri essemus in bonum aut non ex ipso, sed ex nobis futuri essemus in malum non inconueniens fuit.* Indeque post pauca nostrorum actuum libertatem cum præscientiæ, & prædestinationis certitudine, & infallibilitate concordat verbis secundo loco ex ipso recitatis supra Gregor. Mag. 20. Moral. c. 23. alias 24. [Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe, quia omne quod nobis fuit, & erit in eius prospectu præsto est,& omne,quod præsens, scire potest,potius quam præscire.] Post pauca: [In illo enim, nec præterita, nec futura reperiri queunt; sed cuncta mirabili immutabiliter durant; & quæ in seipsis simul omnia affistunt,nihilque in illo præterit,quod transit: quia in æternitate eius modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent,currentia stant:] Nemes. Episc. Emissen. c. 4. de natura hominis: *Deo futura, tanquam præsentia sunt.* Damasc. vbi supra. *Deus eum, qui futurus erat, tanquam iam ortum intuens,* &c. Hieron. post data ex Dial. 3. aduers. Pelag. habet: *Nos, vt homines tantum de præsentibus iudicare illum, cui futura iam facta sunt, de fine rerum non de exordijs ferre sententiam.* August. 15. de Trinit. c. 7. post med. [Quis potest istam sapientiam, qua nouit Deus omnia, ita, vt neque ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, neque ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, vt veniant; sed & præterita, & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia, &c.] Vnde vnum omnium tanquam præsentium diuinum intuitum esse docet. Prosper de præsenti concordia agens 2. de vocatione gent. c. 34. proposita difficultate respondet, *sed, qui se ingeniose hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, qua, & præterita, & præsentia, & futura comprehendit, tempore non tenetur: & tam in conspectu eius adstare ea, quæ gerenda sunt, quam illa quæ geruntur, aut gesta sunt: subditque futura esse æque immutabilia.* Mitto in eandem sententiam plura Patrum testimonia danda postea.

CERTAMEN III.

In idem principium, Philosophum, Scholasticos, & rationem conspirasse.

1. COnstat idem principium ex Aristotele Periherm. c.8.post med. *Non enim* (ait) *quia affirmatio dicta est, aut negatio, ideo erit, aut non erit, neque magis, si post annos centies centum, quam quantumcumque post tempore, fore, aut non fore dicatur,* vbi generatim de omni præscientia, & prædictione futuri ac non futuri (sub qua diuina etiam coërcetur) locutus est, atque eius futuritionem, aut non futuritionem ab ea causari negauit: rationemque vniuersalem subiunxit,(quod scilicet futuri præcogniti, de quo agebat, necessitas ex suppositione ipsius futuri solummodo & consequens sit) his verbis: [Necesse quidem est, id quod est, tunc, cum est, esse: & id quod non est, cum non est, non esse; verumtamen, aut omne, quod est esse; aut omne quod non est, necesse non est. Non enim idem est omne quod est necessario esse, cum est, & simpliciter necessario esse: & de eo, quod non est simili modo:] & in contradictione etiam ratio est eadem.] Eidem principio ad præsentem, & similem in prædestinatione concordiam ex Anselmi doctrina recitata certam. 2. adhærent constanter Magist. in 1. d. 38. fine & d. 39. §. *Hic ponitur,* d. 40. §. *verumtamen*, vius distinctione sensus compositi, seu coniuncti, & diuisi, seu disiuncti, omnem in præscientia, & prædestinatione nostrorum actuum necessitatem antecedentem auersatus, solamque consequentem, siue ex suppositione, quod sint, admittens. Et d. illa 38. *Præscit Deus, & prædicit, etiam, qua non est ipse facturus, sicut præscit, & prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: nec ideo quia præsciuit ad peccatum infidelitatis coegit: nec præsciisset, nec prædixisset eorum mala, nisi essent ea habituri: quia sola notitia illud præsciuit, non beneplacito autoritatis.* Quæ ratio inanis esset, si præscientia (quam admittit) futura causaret, ac non potius illa supponeret, vt præmiserat. & fuse Alexander 1. p. q. 24. memb. 5. Mag. Alber. quæst. 61. memb. 8. certam. 4. recitandi, speciatimque de præscientiæ præsenti concordia: Richard. in 1. d. 39. a. vn. q. 6. corp. med. hæc habet. *Secundum Anselmum lib. de concord.* &c. [Est duplex necessitas vna præcedens, quæ facit rem esse, & vna sequens, quæ nihil cogit esse. Loquendo de prima necessitate non est verum, quod omnia futura de necessitate eueniunt; sed loquendo de necessitate secunda omnia futura de necessitate euenient: quia illa necessitas non plus dicit, nisi necessariam consequentiam euentus rei ad suam futuritionem, & Dei præscientiam; & certum tamen est, quod ista consequentia est necessaria: Hoc est futurum: ergo eueniet: & hoc est necessarium: Deus præscit, quod hoc eueniat: ergo eueniet; sed quia possibile est, vt aliqua futura nunquam fuerint futura (scilicet contingentia) ita possibile est, vt nunquam fuerint præscita.]

2. His negat præscientiæ Dei antecedentiam primo. Secundo ad eam futura supponi ac proinde ab eis pendere; solumque necessitatem consequentem futurorum inducere, quæ est necessitas essendi, cum sunt: quæ omnia ex Richardo relata per silentium approbat Carthusianus in 1. d. 38. qu. 2. post medium; licet, quoad diuinæ præscientiæ contingentiam de nomine (vti ex dicendis patebit) cum illo decertet. Consonat Augentina in 4. d. 40. a. 3. ad 8. eandem esse necessitatem antecedentem Anselmi, atque simplicem Boëtij, & consequentem illius, atque huius conditionalem: cuius vocibus prædestinationis, & præscientiæ certitudinem cum futurorum contingentia, & libertate conciliat speciatim circa præscientiæ concordiam, sic fatur: [Non plus virtute illius consequentiæ potest inferri, nisi quod Petrus saluabitur eo modo quo Deus præuidit seu præsciuit esse saluandum: sed Deus præuidit Petrum sua libera voluntate bene vti gratia sibi collata, & suis virtutibus, & meritoriis actibus vitam

æternam libere promereri: sequitur ergo conclusio, quæ est consequens ex supradicto antecedenti, quod Petrus saluabitur, & contingenter.] Conciliat ergo necessitatem consequentiæ à præscientia futuri contingentis ad huius existentiam, & futuritionem contingentem, & liberam, ex eo solum, quod ad Dei præuisionem bonus gratiæ vsus in virtutibus, & actibus meritoriis existens in se, & futurus libere, & contingenter præuideatur: ac proinde ad Diuinam scientiam supponatur, non autem sequatur eius intrinsecam necessitatem: id quod eiusdem doctrinæ d. 41. a.1. & 2. admitteti prædestinationem, & reprobationem formaliter oppositam ante præuisa absolute merita minime aduersatur, vt controu.4. videbimus, etsi aduersari iudicet Ruiz d.33. sect.6. n.7.

3. Pro eodem principio stat apertus, & constans S.Thom. vbique, atque ex eo concordiam præsentem statuit q. 2. de veritat. art. 2.ad 2. sic scribit: [Contingens refertur ad diuinam cognitionem, secundum quod ponitur esse in rerum natura: ex quo autem est, non potest non esse tunc, quando est, quia quod est necesse est esse quando est, vt in 1. Periherm. dicitur, non tamen sequitur, quod simpliciter dicatur necessarium, nec, quod scientia Dei fallatur, sicut & visus meus non fallitur dum video Petrum sedere, quamuis hoc sit contingens, *& ad 3.* contingens pro tanto dicitur necessarium secundum quod est scitum à Deo, quia scitur ab eo, secundum quod est iam præsens, non secundum quod futurum est: nec ex hoc aliquam necessitatem sortitur, vt dici possit, quod necessario eueniet, euentus enim non est nisi eius quod futurum est: quia id quod iam est, non potest non euenire.] Ad 4. vero habet: *Refertur res ad Dei cognitionem secundum quod est in sua præsentialitate*: Ex quibus postremis constat illud, quod dixerat non cognosci futurum à Deo, vt futurum, sed, vt iam præsens, intelligi debere comparatione æternitatis, qua Deus cognoscit, & iudicat de temporariis, cui nihil temporis decursu, vel præterit, vel succedit, cum indiuisibilis tota æterne simul sit; non vero relate ad tempus, & durationem Deo extrinsecam, qua temporaria durant, prætereunt & succedunt: etenim relate ad tempus futura in sua præsentialitate à Deo cognosci docet, ac proinde futura, nec in se præsentia, vt statim ex responsione colligemus, quæ est eius ad 7. Secundo, ex his locis constat: S.Thom. inde concordare necessitatem præscientiæ cum contingentia futuri, quia ea necessitas non antecedens, sed consequens est ipsum futurum, ortaque ex eo, quod futurum est; siue pro suo tunc, præsens, sua æternitate à Deo videtur, & id, quod pro aliqua duratione est, implicat non esse, quando est. Aperte ergo docet futurum ad præscientiam supponi, non autem ab ea esse futurum: alioqui præscientiæ necessitas non esset consequens, sed antecedens futurum, eiusque libertatem euerteret iuxta S. Thom. Patres, & Scholasticos dandos certam.4.

4. Eidem concordiæ, & principio insistit ad 7. verbis hisce. [Quamuis res in seipsa sit futura, tamen secundum modum cognoscentis est præsens, & ideo magis esset dicendum: si Deus scit aliquid illud est, quam hoc erit: vnde idem est iudicium de ista; si Deus scit aliquid hoc erit: & de hac: si ego video Socratem currere Socrates currit; quorum vtrumque est necessarium cum est:] item 1.p.q.14.a.13. ad 2. [Si dicam: si Deus scit aliquid illud erit, consequens intelligendum est, prout subest diuinæ scientiæ: scilicet, prout est in sua præsentialitate: & sic necessarium est, sicut antecedens: quia omne, quod est, dum est, necesse est esse.] Eodem modo & sententia cum libertate contingentis futuri, necessitatem præscientiæ conciliat ad 4. fine, quia illud esse pro sua duratione supponit, & omne, quod est quando est, necesse est esse: ac proinde consequens solum necessitas est, non antecedens futuri libertati repugnans: eandem doctrinam repetit, & confirmat a. 12. corp. post med. [Sicut visus noster non fallitur videns contingentia, cum sint præsentia, & tamen ex hoc non remouetur, quin illa contingenter eueniant: ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit esse tunc, quando sunt.] Et qu. 16. de malo art. 7. ad 15. rem exemplo eodem fusius explicato illustrat. [Sicut inquit se habet diuina scientia ad futura contingentia, sic se habet oculus noster ad contingentia, quæ in præsenti sunt. Vnde, sicut certissime videmus Socratem sedere, cum sedet; neque tamen propter hoc sequitur, quod sit simpliciter necessarium: ita etiam ex hoc, quod Deus videt omnia, quæ eueniunt in seipsis, non tollitur contingentia eorum.] Et in 1. d.40. q. 3. corpore fine [Adæquatio scientiæ (diuinæ) ad rem attenditur, non secundum quod est in causis, in quibus est, vt possibile, futurum; sed ad ipsam rem, secundum quod habet esse determinatum, prout est præsens, & non futurum.] Et 1. cont.gent. c.67. vers. fin. [Si vnumquodque à Deo cognoscitur, sicut præsentialiter visum sit, necessarium erit esse, quod Deus cognoscit: sicut necessarium est Socratem sedere ex hoc, quod videtur sedere. Hoc autem non est necessarium absolute, veluti à quibusdam dicitur necessitate consequentis; sed sub conditione, vel necessitate consequentiæ. Hæc enim conditionalis est necessaria: si Socrates videtur sedere Socrates sedet.] Sed clarius adhuc, & illustrius in eandem sententiam fatus in 1. d.38. a.5. corp. [Causæ quædam sunt, ex quibus sequitur effectus necessario, quæ impediri non possunt:] & in his ait posse effectum certa demonstratione sciri: [quædam autem sunt, quæ se habent ad vtrumlibet, & in istis causis effectus de futuro nullam habet certitudinem, vel determinationem; & ideo contingentia ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt; sed quando iam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum, & ideo, quando sunt in actu certitudinaliter cognoscuntur, vt patet in eo qui videt Socratem currere: quia Socratem currere, dum currit necessarium est, & certam cognitionem habere potest. Dico igitur: quod intellectus diuinus intuetur ab æterno vnumquodque contingentium, non solum prout est in causis suis; sed prout est in esse suo determinatum.] Ad 2. vero ait: [cognitio Dei æternitate mensuratur, quæ eadem manens omni tempori præsens est: ideo vnumquodque contingentium, vider, prout est in suo actu;] & ad 3. [Actus diuinæ cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit, nunc, sicut transit visus noster super ipsum, dum est; &, quia omne quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium: ideo dicitur, quod in se considerarum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium: quia ad ipsum non refertur eius cognitio, nisi secundum quod est in esse actuali: & ideo simile est; sicuti si ego viderem Socratem præsentialiter currere, & inde bona est distinctio de necessitate consequentiæ, non consequentis conditionali, non absoluta; [& ad 4.] Ideo dicendum est: quod antecedens (Deus præscit Socratem currere) est necessarium absolute, tum ex immobilitate actus, tum etiam ex ordine ad scitum, quia ista res non ponitur subiacere scientiæ diuinæ, nisi, dum est actu, secundum quod determinationem, & certitudinem habet: ipsam enim necesse est esse, dum est. Et ideo similis necessitas est, inferenda in consequente, ergo currit: vt, scilicet, accipiatur ipsum, quod est Socratem currere, secundum quod est in actu, & sic determinationem, & necessitatem habet: non enim sequitur ex antecedente, nisi secundum quod subsistat diuinæ scientiæ, cui subiicitur, prout consideratur præsentialiter in suo esse actuali: vnde etiam sic sumendum est consequens: quomodo patet, quod consequens necessarium est. Necesse est enim Socratem currere, dum currit.] Denique prima p.q.14. a.8. eam scientiam causam rerum esse ait, *quæ ad opposita se habet, atque adeo ex illis vnum non produceret, nisi determinaretur ad vnum per appetitum.* Cum tamen scientia futuritionis, non sit indifferens, & ad opposita, sed determinata, nec sequentem habeat appetitum, quo determinetur. q.item 19.a.4. & 2. de verit.a.14. corpore, & ad Annibald.in 1.d.38.a.1. ad vlt. & a.2. corp. & ad 1. docet recte à Magistro dici scientiam Dei, quæ sola est causa rerum, esse scientiam coniunctam voluntati Dei, quæ proinde beneplaciti scientia dicitur ab illo, quod soli scientiæ simplicis intelligentiæ, vel conditionatæ, non visionis, potest conuenire, & 1.par.q.14.a.8. citato & quæst.2 a.2. scientiam Dei rerum effectiuam esse ait: *quemadmodum quod scientia artificis est artefacti causa; scilicet, dirigendo ipsum, vt illa edat*, quod visioni nullatenus conuenit.

5. Ex hac Angelici Præceptoris doctrina, & aliquot ex datis testimonis, aliisque, quæ recitat Capreolus, præsentem concordiam tradit, ex eo quod necessitas præscientiæ ad futurum antecedens non sit; sed consequens, atque

atque ipsum futurum contingens supponat in 1.d.38.q.1. a.2. concl.1.2.3.4. & 7. & d.40. a.3. concl. 1. eius fine habet; [Sicut visus meus nullam imponit necessitatem cursui sortis: ita neque diuina præscientia rei præscitæ. Tamen, sicut impossibile est me videre sortem currere, & non ita esse, quod sortes currat, quia visus meus fertur super cursum illum, & est in sua præsentialitate: ita impossibile est quod Deus aliquid præsciat, & illud non eueniat.] Eadem concordia, & doctrina necessitatis futuri contingentis præsciti solum ex suppositione, quod futurum sit, & actu pro sua duratione ad præscientiam sui supponatur visus semper est Deza Hispal. in 1.d.38. qu.1. a.3. not.2. ante med. art. 4. ad argumentum contra 2. 4. & 5. concl. & col. vlt. ad 1. & 2. argum. Gregorij, & d.45.q.vnic. a.3. notab.4. & 5. & 2.4. ad argument. cont. 2. part. 4. concl. Caiet. 1.p.qu.14.a.3. sub init. §. *Aduerte hic*, ait; [Res quantumcunque contingens ex statu præsentis contrahit quendam necessitatis modum ex suppositione status ad ipsum sub tali pertingentem, vt patet ex 1. Periherm. quia vnumquodque, quod est, quando est, necessario est. Res autem, vt futura, seu in potentia, cum non sit, nullam necessitatis modum non contrahit, sed contingens, & in statu contingentiæ absque tali necessitate relinquitur: & propterea contingens, vt præsens, potest subdi infallibili & certæ scientiæ, & §. Ad quartum subdi certæ, & infallibili cognitioni conuenit rei, secundum quod est actu; sic enim terminat diuinum intuitum: esse vero contingens futurum conuenit ei, secundum quod est in causis suis. §. Ad secundam probationem, inquit, sessionem sortis non esse capacem, vt sit terminus certæ Dei notitiæ, nisi, secundum quod est in se certa.] Et fine quæstionum, quas retractat circa solut. ad 1. sic ait; [licet cursus sortis in se, & simpliciter contingens; tamen cursus sortis, supposito, quod sit, necessarium est, dum est: vt patet 1. Periherm: etsi adiungas his, quod cursus Sortis non est capax, vt terminet intellectum diuinum, nisi, vt præsens dum est: consequens erit quod cursus Sortis relatus ad diuinam scientiam, vt sic est necessarius: id est in statu necessitatis, quamuis in se sit contingens, & relatus ad causas proximas sit contingens:] Repetit vers. fi- nem articuli §. *Ad euidentiam*; & §. *Ad primam ergo*.

6. Eandem concordiam ex suppositione contingentis futuri pro sua duratione ad Dei præscientiam tuetur Ferrara e suo etiam Angelico Præceptore 1.cont. gent. c.67. veris illis, quæ propria etiam fecit, [Contingens certitudini cognitionis non repugnat, nisi secundum quod futurum est; non autem secundum quod præsens est: contingens enim cum futurum est potest non esse: & sic cognitio æstimantis ipsum futurum esse falli potest: fallere- tur enim, si non erit, quod futurum esse æstimauit; ex quo autem præsens est pro illo tempore non potest non esse.] Repetit §. vlt. eius comment. & col. 3. §. *Aliter etiam*, ait: *non potest certitudinaliter cognosci causa nullo modo impediri à productione effectus, nisi quando cognoscitur vsque ad ipsam productionem effectus inclusiue, quod non impeditur*: & §. penult. cum S. Thom. ait: *Sic necessarium esse quid Deus cognoscit sicut necessarium est sortem sedere, ex eo quod sedere videtur: &, quod videtur sedere, necesse est sedere*. Ne latum quidem vnguem à suo etiam Angelico Præceptore hac in re discrepauit vetus Dominicanus scriptor Theophilus Raynerius in sua Pantholog. verbo *præscientia* c.7.8.10.15. & 16. præscientiam cum futuri contingentia concilians, quod illa certo, & infallibiliter, vt debet, in nostros actus, non prout sunt in causis suis, sed, vt sunt actu, & in se pro sua præsentialitate quasi in iam actu præsens feratur: & in solutionibus virtur distinctionibus necessitatis absolutæ, & consequentis, atque consequentiæ, & conditionatæ, & veritatem earum propositionum modalium de dicto solum, seu compositas esse ait: de re vero diuisas esse falsas, vt sic habet etiam Ferrara vbi proxime ex sancto Thoma. Ex eadem familia & Schola S. Thom. Magister Generalis Franciscus Romeus, qui Tridentino adfuit, lib. de libert. oper. verit. 8. fine ita necessitatem, & infallibilitatem præscientiæ ex fere omnium Doctorum antiquorum sententia conciliat. *Illud*, inquit, *non prætereundum: quod si ad antiquos Doctores te conuertas, reperies fere omnes in hanc vnam conuenisse sententiam: non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, id circo futurum est, sed quia futurum est, Deus nouit, qui est præscius futurorum*: citatisque aliquot ex relatis Patribus cert. 2. subdit: *sic plerique Orthodoxi Proceres*: eiusdem sententiæ fuit Heruæus Generalis eiusdem familiæ Magister vetustior, & S. Thomæ auditor loco sæpe citato 1. sentent. Quo vero iure fere omnium Patrum, & Doctorum, tam suæ, quam aliarum Scholarum eam sententiam esse dixerit, & ex dictis, & dicendis claret: denique vetustior S. Thomæ Dominicanus scriptor Vincentius Beluacensis tom. 1. lib. 29. c. 62. fine in eandem sententiam exempio etiam intuitionis præsentium scripsit: *Quæ ergo carent existendi necessitate, cum fuerint, eadem vtique, priusquam fiant, sine necessitate futura sunt: sicut enim præsentium scientia nihil necessitatis importat his, quæ sunt; ita neque præscientia futurorum his quæ futura sunt*. Et c. 25. ex doctrina Boetij recitata ait necessitatem futurorum ex præscientia solum esse conditionalem quæ supponit actionem liberam actu existentem, & quasi præsentem ac proinde eorum libertati non officere.

7. Sic etiam Sanctus Bonauentura & censet, & scribit in 1.d.38. a.2. qu.1. ad 1. *Necessitas absoluta, quæ opponitur contingentiæ dicitur necessitas consequentis; necessitas respectiua dicitur necessitas consequentiæ: & hæc non opponitur contingenti. Nam aliquid contingens necessario sequitur; vt si ambulat, necessario sequitur quod mouetur. Dicendum ergo, quod in præscito non est necessitas absoluta, sed solum consequentiæ*, orta scilicet ex suppositione, quod ipsum in se existens, & præsentialiter pro duratione sit, vti ad eius præscientiam opus est, id quod expressit, d.40.a.2.q.1.corpore: vbi pro necessitate consequentiæ conditionalem dicit, ab eaque excludi debere, quod in quantum dicit rationem causæ necessario ponat effectum exemploque illo Boëtij 5. de consolat. prosa 4. *Adhicientis de loco eminenti circumiacentem regionem*, adducto ait, *Talis est aspectus diuinæ præscientiæ, quia ab æterno cognouit, quod cogitare poteramus, vel velle; & simul cum hoc vidit in quam partem nostra voluntas, & operatio inclinantur: & quia totum posse, & velle, & agere complectitur: ideo non potest falli*. Catth. in 1.d.38.q.1. approbat omnino concordiam S. Thom. ex eo quod præscientia supponat actualem existentiam futurorum: vnde eius ad futura necessitatem *conditionalem, & consequentiæ, non absolutam, & consequentis* esse docet: & q.2. illud Boëtianum futura relare ad scientiam Dei, necessaria esse, ad causas vero suas contingentia; atque in generali solutione argumentorum principio positorum ait: *Dato, quod tanta perfectionis aut illuminationis esset nostra scientia, quod omnem rerum ordinem, & causarum cohabitudinem omnemque modum euentus vniuersorum certissime nosceremus, hoc nō auferret à rebus cognitis, quod conuenit eis ex propriis naturis, & per comparationem ad proprias, & proximas causas*. Quibus aperte docet, præscientiam nullam in causis futuri contingentis numerandam esse; sed potius illud supponere: ac proinde solam necessitatem consequentem illi afferre; quod ipsum Caiet. recitatus num. 5. vers. fin. S. Thom. & alij, qui aiebant non cognosci futurum, vt futurum; sed, vt actu, & præsens, ac in sua præsentialitate est cognosci: quia contingens, vt futurum non in se, sed prout in causis suis intelligunt.

8. Gregorius in 1.d.38.a.3. probat. 1. principali ait: *Præscientia Dei nihil veritatis, aut necessitatis, aut contingentiæ addit scito. Neque magis necessario peccabit Petrus, quam, si Deus hoc penitus ignoraret*: quia neque homines necessaria faciunt esse quæ vident, vt Boëtius supra aiebat: nempe Dei ac hominum visio obiecta non causat sed supponit. §. *in tertio autem*, sensu adprobat ad præsentem concordiam distinctionem de necessitate absoluta, & consequentis, & de conditionali, & consequentiæ, siue antecedente, & consequente Anselmi; item d.39.q.1.art.1. concl.4. & d.40.q.vn.a.3. init. distinctionem sensus compositi, & diuisi: semperque supponit præscientiam contingentis actionis illam supponere, ab eaque pendere: ita, vt hæc absolute, vt potest, sublata, non esset præuisa; idem docet Adam in 3. d.14. q.2. conc. 2. 6. 7. & fine & q.3. dub. 1. & antea exemplo Boëtij vsus; & *non ideo futura, quia præsciuntur; sed contra, quia futura determinari Deum ad ea præscienda*, & dub.2. ad 2. ex

Augustino

Augustino adduceit distinctionem, necessitatis consequentis, & consequentiæ, & dub.3. post med. ex Boëtio simplicis, & conditionalis. Marsil. in 1. d.40. eodem modo rem hanc post multos ambages tandem conciliat a. 2. ante 4. conclusionem & 3. p. art. suppos. 6. exemplo Boëtiano visionis præsentium: & fine quæstionis ad rationem 3. arguit: *Deus scit Socratem peccaturum cras: ergo peccabit cras.* Respondet, *In potestate Socratis esse fatere, vt nunquam fuerit verum illud antecedens: quia in potestate Socratis est non peccare; quod si non peccaret, hoc antecedens non fuisset verum*: quia addit in potestate eius est, vt nunquam fuerit vera propositio *peccabit cras*: ac proinde, nec fuerit in Deo, & conclus. 7. applicat huic solutioni distinctionem modalis compositæ, & diuisæ, & necessitatis consequentiæ, & consequentis. Bassolis in 1. d.40. a. 13. ad rem hanc vtitur distinctione necessitatis absolutæ, & conditionatæ, atque in sensu composito, & diuiso: quia potest absolute non peccare, ac diuidere subinde, & impedire præscientiam. Hac vtraque distinctione sensu eodem ad rem hanc vtitur Nicolaus Orbellis in 1. d. 39. a. 2. & d. 40. a. 2. Glossa 23. q. 4. c. *Valisire* 23. §. *Non ergo*, distinctione vero consequentis, & consequentiæ eo ipso sensu vsus est Enchir. Colon. Christian. instit. tract. de Sacram. pœnit. prope tit. de confess. cap. *Paucis tantum*, licet enim dixisset, *quæ sua natura necessaria non sunt, necessario sequi propter præcedentes causas.* Scilicet præscientiam, & prædestinationem: de præcedentia in tempore intelligit, & causis illationis, & consequentiæ, non futuritionis, & existentiæ contingentium, quas illas esse negat, subdit enim: *licet Deus præscierit hominem casurum, non tamen per hanc præscientiam homini naturale illud donum, quod creando impertit ademit, aut vt sic ageret coegit, aut impulit*; & fine cap. *Oportebat impleri Scripturam de Iuda. Nam, cum Deus præuidisset malam Iudæ voluntatem hoc impium facinus patraturum: id ipsum per Prophetam futurum prædixit.*

9. Consentiunt Valdensis, & Armacanus qui 16. de quæstionib. Armenorum cap. 5. init. *Præscientia Dei non magis imponit necessitatem rebus futuris, in quantum est sola præscientia, quam mea præscientia faceret*, Reddit rationem; quia *Dei præscientia in quantum huius non est causa rerum, sed potius ipsam esse præscientiam, est posterius ratione causali quam res esse futuras.* Et c. 14. distinctione sensus compositi, & diuisi præscientiæ, & prædestinationis necessitatem cum futurorum libertate concordat. Henricus de Gandauo quodlib. 4. q. 18. impossibilitatem non essendi futurum præuisum, ac prædestinatum cum eius contingentia componit, quia est impossibilitas non essendi, ex eo quod sit, *vt ille* (inquit) *quem video stare, potuit cecidisse illo tempore, quo stetit; & tamen non sunt possibilia simul quod eum videam stare, & quod eodem tempore corruat, in quo video eum stare*: Durand. in 1. d. 38. q. 3. a. 3. à num. 20. præscientiam cum libertate conciliat: *quoniam Deus scit infallibiliter, qua possunt determinare liberum arbitrium, & qua determinabunt, & qua possunt impedire quamcunque causam impedibilem, & qua impedient.* Sensusque compositi, & diuisi distinctione ad hanc vtitur concordiam: licuti & d. 39. q. 1. num. 12. & ad concordiam prædestinationis d. 40. q. 1. n. 7. & 8. quibus non aduertatur cum ait: *præordinatos esse homines, eorumque merita præordinata, & volita à Deo esse ante horum absolutam præfinitionem*, vt docet d. 41. q. 2. fin & d. 47. q. 1. num. 6. Gabriel ead. d. 38. q. vn. a. 2. circa med. Okami doctrinam relatam num. 32. sic declarat; *Sicut nostra notitia intuitiua, qua euidenter cognoscimus verum contingens præsens, non addit ipsi contingenti aliquam necessitatem: ita notitia euidens, & infallibilis Dei rebus contingentibus futuris nullam necessitatem imponit*: quia vtique actu esse pro sua duratione futura supponit; neque necessitatem, quæ hinc non oriatur, præscientiæ admittit; vtiturque ideo distinctione sensus *compositi & diuisi*; constat tam eo loco quam a. 3. dub. 8. & d. 39. fine: qua etiam distinctione ad rem præsentem vtuntur peruetustus Doctor Michael de Bononia in 1. d. 29. q. vn. Driedo c. 3. de concord. Bachon. in 1. d. 40. a. 2. post med. & a. 4. præscientiæ, & prædestinationis certitudinem cum futuri contingentis libertate conciliat: quia Deus respectu illius permittit se ad illud in ordine ad voluntatis determinationem, & præscientia supponit futurum esseque dependenter ab illo; vnde ait esse ineuitabile *concomitanter, conditionaliter*, Okam in 1. d. 38. q. vn. vers. fin. vtrumque concordat, quia præscientia supponit futuri veritatem, ac si Deus ad illud non concurreret. Marcus Anton. Nattæ 9. de Deo pag. 6. quia Deus proprie, & respectu sui videt ea præsentia, non autem propriè futura; quare, nec magis necessaria illa reddit, quam nos cum aliorum libera opera videmus ex eadem præsuppositione actualis futuritionis, & existentiæ contingentis pro sua duratione æternitati Dei coexistentis, & præsentis eius contingentiam cum præscientiæ necessitate vnice concordari posse, docet fuse Abulensis in 11. Ioſue, à q. 75. ad 78. & q. 36. in Matth. 18. verba illa: *necesse est, vt veniant scandala.*

CERTAMEN IV.

Colligitur authoritatis pondus rationis præfatæ ex Patribus, & Scholasticis disiectis testimoniis aduersis, & recitatorum tentatis euasionibus.

1. EX quibus omnibus ad oculum, vt aiunt, patet omnium Patrum, & Scholasticorum (præter paucilos, nec primæ notæ Thomistas Recentiores) futura contingentia in se pro sua duratione existentia, ita necessario ad diuinã præscientiam supponi, vt eis pro sua duratione libere non positis, nullatenus præscientia fuisset non autem è contra: quia ad eorum existentiam præscientia Dei de ipsis nullatenus natura, & causalitate præcedit; id quod contra præfatos Recentiores statuendum in præsenti proposuimus, plusque nimio ab authoritate hactenus probauimus. A ratione vero ostendi facile potest: quia, si præscientia, eiusque intrinseca necessitas, ac infallibilis veritas, & certitudo contingens futurum, atque existens in se pro sua duratione non supponeret, sed natura potius ipsum anteiret, illius libertatem, & contingentiam aboleret: maxime, cum in horum Thomistarum sententia, sit proximum, & immediatum principium contingentis futuri subsequens voluntatem Dei, imperansque illud ad executionem intimatæ illius voluntatis per ipsam, vt fuse in simili de præfinitionibus Dominicanis Recentiorum ostendemus sequenti controu. cunctis eorum euasionibus obturatis. Præsenti vero principio nihil à ratione est, quod negotij aliquid faceſſat: cum puræ æquinoctioni de præcedentia durationis in præscientia, cum præcedentia causalitatis, & naturæ innitatur. Ex qua æquinoctione, si quid, non admodum crassum, obiici possit, cerebrum. 5. diluemus. Alterum autem à ratione, & authoritate simul obiicitur: hoc siquidem principium, *quia futurum est, præscitur*: propriè dici non posse Scholastici supra citati, aliique expresse docent: videturque ei rationi inniti: quod diuina præscientia, qua diuina, neque causam habere sui, neque ab alio esse, aut dependere possit; id quod in nostris principiis, adhuc est vrgentius; omnem enim Dei dependentiam à creaturis, etiam in statu possibilitatis, qui contingens non est, non solum, tanquam à causa, sed adhuc tanquam à termino connexionis ablegauimus controu. 1. atque adeo, ne Dei quidem potentiam, diuinumue quodpiam attributum, aut prædicatum creaturis connexum possibilibus, ab eisque, tanquam à termino sui dependens admittebamus, citius ergo præscientiæ diuinæ dependentia hæc à futuris contingentibus, & defectibilibus, absolute adhuc, tanquam à termino connexionis deneganda est. Ab hac difficultate, licet connotantes Doctores, pureque per extrinseca connotata actus liberos Dei constituentes, facile se expediant, seorsum nos, qui semper eam sententiam fuimus exosi,

2. Accedit Patrum authoritas, qui expresse eam causalem, atque ob proximam rationem, videntur abiicere; exemplo sint Augustinus 15. de Trinitate cap. 13. dicens; *Vniuersas creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit. Non enim*

nescivit, qua fuerat creaturus: quia ergo scivit creaturi, non, quia creavit scivit: nec aliter scivit creata quam creanda. Non enim eius sapientiæ aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat: vbi & rationem Theologicam nuper à nobis oppositam attigit, hisque, quæ dixerat 6. de Triuit. c. 10. concinuit: [Cum decedant, & succedant tempore, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei: in qua nouit omnia, quæ fecit per ipsam. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; sed potius ideo facta sunt, quia immutabiliter à Deo sciuntur.] Gregorius 10. Moral. c. 23. vel 24. *qua sunt, non ab æternitate eius ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* Augustinus rursus 5. de ciuitate cap. 9. fin. [Voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit: & ideo, quidquid valent, certissime valent, & quod facturæ sunt ipsæ omnino facturæ sunt: quia valituras, atque facturas ipse præscivit, cuius præscientia falli non potest.] Hinc S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 8. ad 1. illud Origenis supra recitatum ita interpretatur, [Locutus est, attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntate; sed quod dicit præscire Deum aliqua, quia sunt futura: intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi: sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit; non tamen res facturæ sunt causa, quod Deus sciat:] quo etiam modo Originem interpretatus fuerat Magister. 1. d. 38.

3. Respondetur testimoniis vniuersim intelligenda esse de vera, & propria causalitate, & dependentia quam vtique negant futuris respectu scientiæ diuinæ & merito: quia, vt diximus è Deo ipso, vt obiecto specificatiuo vnico sui omniscientia euadit: quare recte etiam dixit S. Thom. illud, *quia* non esse intelligendum secundum causam essendi, sed secundum causam *consequentiæ*: quia, si aliqua futura sunt sequitur à Deo de esse omniscio illa cognoscenda fore; licet omniscientia, ne vlla quidem sui particula, ab eis causetur, etsi illa terminatiue, ac determinatiue supponat: quod solum ea causali, *quia futura sunt præsciuntur* frequentissime repetita, tam hi Patres, quam S. Thom. quam reliqui Patres & Scholastici contendunt: ex hoc autem constat aliam oppositorum testimoniorum partem, qua scientia, seu præscientia Dei de futuris eorum causa significatur; non, qua illorum præscientia formaliter est à Patribus hisce intelligi; sed materialiter, & specificatiue, vt aiunt: quatenus eadem insectilis adhuc formaliter in se omniscientia, quæ futurorum, iamque pro sua duratione factorum, & suppositorum præscientia est, eorundem, vt possibilium, & pro priori naturæ faciendorum causa est: quippe quæ ad causas eorum apponendas & disponendas, cum ipsisque concurrendum ad futurorum, pro cuiusque duratione, effectionem, vt eorum quodque statuat, ac decernat diuinam dirigit voluntatum. Hoc totum expressius aliis docuit Augustinus testimonio 1. verbis illis: *Non enim nescivit, qua fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit, non, quia creavit scivit. Nec aliter scivit creata, quam creanda.* Et S. Thom. dum aiebat scientiam Dei solum esse causam futuri, *non secundum se, sed, vt ei adiungitur voluntas*, ad præscientiam quippe Dei de futuro, qua talem, Dei voluntas non adiungitur, sed supponitur. Ad rationem Theologicam constat etiam ex dictis non asseri à nobis futurum esse causam proprie præscientiæ, sed solum, vt terminatiuum, ac determinatiuum eius, quæ omniscientia independenter ab ipsis est, supponi: quippe, & ea esse in se, pro duratione sua, requiritur, vt ad ea omniscientia, atque infallibiliter vera omnirepræsentatio extendatur: vnde ad instantiam è nostra doctrina constat non admitti à nobis præscientiam Dei connexam cum futuritione contingentium, neque hæc esse terminos connexionis, aut connotationis intrinsecæ illius; sed solum esse terminos, seu determinationa præsupposita, vt ad ea Omniscientia illa Dei, ab ipsis omnino absoluta, & independens, absque vllo sui augmento extendatur: qua in re nulla maior, aut alia difficultas est, quam in decreti liberi Dei constitutione Catholico cuiuis diluenda, nec nisi in Patria omnino sors ex antlanda: eam tamen amplius, quam hactenus curare, ac pro modulo nostro emollire conabimur controuers. 4. ea de re ex instituto disputantes: eo adeat lector. Neque enim hic, vel indigne, ac ieiune tractanda, quæ priorem habent sedem vt pro dignitate tractentur.

4. Explicatis testimoniis iuniores Thomistæ principio huic tribus proximis certaminibus statuto, non solum ipsum impugnare, sed, & datis pro illo testimoniis satisfacere contendunt: vt eam causalem futuri ad præscientiam, non, nisi solius consequentiæ intelligant Patres, & Scholastici: contra vero à præscientia, qua tali formaliter ad futurum veram causalitatem proxima testimonia admittant. Sed in primis testimoniis ipsis, legitimaque eorum ac genuina literali explicatione vanam eam euasionem esse perspicuum est. Secundo id ipsum *quia* siue causalitatem quam futuris respectu præscientiæ, qua talis formaliter Patres, & Scholastici conspirato concedunt, præscientiæ, qua tali formaliter, respectu futurorum negant: ergo sensu aliquo eodem (in quo solum aduersatiua locutio esse potest) & concedunt, & negant: ergo nequit intelligi aduersatiua illa de *quia* siue causalitate consequentiæ solius; aut sensu illius *quia* continuatiue solum, vt tantundem valeat, atque & (vt sæpe in scripturis) quam futuro respectu scientiæ formaliter, qua talis, concedunt, & huic respectu futuri negant. Patet, quia causalitate consequentiæ & ex præscientia formaliter, qua tali, æque infertur futurum, atque ex futuro eius præscientia: cum tamen in illa ad futurum à Patribus negetur. Tertio ad intentum Patrum, & Scholasticorum conciliandi libertatem futuri cum præscientæ certitudine, & infallibilitate, causalitas consequentiæ, quæ mutua est, & inter præscientiam, & futurum necessaria mutuo reperitur, omnino erat inutilis: solaque causalitas essendi, vel stricta, vel lata præsuppositione scilicet tanquam terminatiui, aut determinatiui, quam explicuimus, vtilis est. Hinc etiam præcluditur euasio secunda: scilicet, solum intendi à Patribus, & Scholasticis præscientiam Dei, formaliter qua talem, causare quidem futura contingentia, non tamen ita, vt eis necessitatem imponat: ita enim explicat Origenem & cæteros S. Thom. quæst. 2. de veritate art. 14. ad 1. quod eorum *intentio est dicere: quod scientia Dei non est causa, qua inducat necessitatem in scito, vt ex hoc cogatur aliquid euenire.* Sed cum eis testimoniis Patres reddant rationem, cur præscientiæ certitudo & infallibilitas futuro præscito necessitatem non inducat, eiusque contingentiam, & libertatem non aboleat; si id solum intenderent, & dicerent, stupide conclusionem, & intentum redderent pro ratione, fædeque principium peterent. Recte autem ait S. Tho. id solum dicere, & ratione sua intendere, ad quam opus non fuit causalitatem propriam futuro respectu præscientiæ, adhuc, qua tali formaliter, deferre; sed præcedentiam suppositionis futuri, tanquam terminatiui, ac determinatiui, vt diximus: atque insuper ipsam formaliter, qua talem, prioritate aut præsuppositione vlla vera, qua durationis non sit, sed naturæ, vel quasi ad futurum non præcedere.

5. A ratione duo nobis opponunt aduersarij satis seuia. Primum verbum producitur à Patre per visionem sui, ergo, & futurum per sui præscientiam. Antecedens de visione verbi, formaliter, qua tali falsum est; sed, etsi verum, atque de fide esset, ex mysterio abditissimo naturalem Theologiam, ridicula paritas est: alioqui ex eodem mysterio mysterio vniuersale Platonicum à parte rei probabitur. Secundum est: quia scientia antecedens determinationem voluntatis ad executionem futuri contingentis, nec ordinatur ad opus, neque est libera: causa autem contingentis, & libera esse debet, & ordinari ad

illud, & determinate potius, quam ad oppositum: negatur prima pars antecedentis. Ad cuius probationem nego causam directiuam debere esse determinatam ad opus in agente libero, vt patet in nobis, si de determinatione determinante sit sermo. Quoad secundam de libertate distinguo; non est libera in se concedo eam partem: non est libera in causando primaria libertate fateor, secundaria à libertate voluntatis semper eius directionem determinantis nego: nec aliud verum asseritur in subsumpto, quod absolute falsum est. Nam causa contingentis, & liberi primario talis, potius debet esse indifferens ac non determinata adhuc libere.

6. Tertia denique solutio est: solum velle Patres præscientiam nudam, & secundum præscientiæ rationem solam, non esse causam rerum; esse tamen earum causam, vt ei adiungitur efficax contingentis futuri voluntas, vt aiebat S. Thom. loco recitato ex 1. p. sed primo percontor aduersarios, de qua præscientia loquantur? an de ea quæ eiusmodi efficacem voluntatem dirigit? an de alia quæ ipsam supponat, nullamque proinde dirigat? Si de prima: illa vtique præscientia, formaliter qua talis, de futuro non est, sed simplex scientia, nec futuri determinati potius quam non futuri; sed vtrumque indifferenter repræsentans, ac proinde egens voluntate, seu beneplacito diuino, vt ad futurum causandum determinetur, vt aiebant Doctores citati certam. 2. num. 2. sin autem de præscientia quæ decretum efficax de eius futuritione non dirigat, sed supponat, præscientia quidem, formaliter, qua talis, de futuro erit; sed non causa futuri: cum Dei voluntatem de illo efficiendo nullam dirigat, quo solummodo scientiam Dei causam rerum esse posse expressit S. Thom. 1. p. quæst. 19. a.... ad 4. *Scientia, & voluntas sunt causa eiusdem operis sed scientia vt dirigens, & voluntas vt operans*: secundo: præscientia futuri hæc nullam Dei voluntatem efficacem dirigens, sed supponens illud causatum sufficienter, & adæquate supponit etiam: quare neque illud causat, imo neque causare potest ordinaria prouidentia à qua superfluæ causalitates adæquatæ exulare debent: imo, in plurium sententia ab, extraordinaria etiam, prouidentia, & potentia absoluta: si ergo tota causatio futuri à præsupposito decreto efficaci de illo est, perinde erit causari à præscientia, vt coniuncta cum decreto illo, ac si dicas à musca, vt coniuncta cum decreto, vel cum igne causari futurum, vel calorem; totam enim causalitatem futuri de suo ponit decretum: ac proinde, licet aliud quoduis ipsi adiunctum, seu, cui ipsum adiungatur, nihil agat, verum est posito vtroque causari futurum; sed tamen non inde colligitur partitam esse inter vtrumque futuri causationem. Similis igitur ea solutio, & propositio est illi, qua pauperrimi per iocum dicunt. Rex Hispaniarum, & ego triginta milliones aureorum, ex annuis redditibus habemus.

7. Sed, inquiunt, præscientiam causare futura, non, vt directionem voluntatis, sed, vt imperium, quod mediat inter voluntatem efficacem operis, & eius executionem, repræsentando voluntatem efficacem Dei de eius effectione; sed primo hunc modum causandi scientiæ S. Thomas doctissime ignorauit. quæst. 14. art. 16. ad 1. dicens: *Scientiam Dei esse causam quorundam actu; aliorum, quæ non fiunt virtute. Præscientia vero eorum, quæ non fiunt causa non est.* Et ille plane est superfluus, cum solum Dei decretum sufficiat, vt ponat futurum: quod si absque eo imperio exequi illud Dei voluntas nequeat, per illud futurum, non vt futurum in actu, exercito, sed vt decretum, & vt volitum à Deo repræsentabitur: quare non erit præscientia futuri in se existentis pro sua duratione; sed decreti præsentis Dei: ergo non præscientia formaliter talis de futuro in se pro sua duratione existentis, de qua disputatur: & sane imperium hoc præscientiæ de contingenti futuro non habet ad quem dirigatur, quod omni imperio repugnat. Non nostris aliis potentiis, nec rebus ipsis, quæ ratione, & voluntate carent; non Dei voluntati, vt futurum exequi efficaciter velit, cum iam illud efficaciter præuoluerit fore: nec magis præstare possit, quam velle efficaciter, vt futurum sit, quod voluisse efficaciter supponitur. Denique, si præscientia siue, vt imperium, siue quouis modo causa futuri est præsentia Thomistica eius in æternitate ex æternitate superfluit præsupposita, vt à Deo cognoscatur: si enim efficacia meæ visionis facerem hic præsentem rem, quæ Matriti existit, præsuppositio eius Matriti necessaria non esset, vt hic eam cognoscerem. Contra secundo: quia præfata testimonia negant absolute causari à præscientia futurum, falsaque essent, si aliquatenus adhuc inadæquate, causarent: causas enim secundas, & Deum causare effectus, quos videmus, negare absolute non possumus, sed omnino fatemur; cum tamen solum partialiter & inadæquate tam Deus, quam causæ secundæ illos producant. Contra tertio': quia etsi præscientia non sola, sed, vt coniuncta cum decreto, causent infrustrabiliter, & infallibiliter futura iam ex parte Dei dabitur causa antecedens, & determinans antecedenter ad vsum arbitrij nostri futurum contingens; ac proinde æqua est saluandi, & componendi eius libertatem, & contingentiam, quam vt componant Patres, negant præscientiæ in futurum causalitatem: ergo eam ipsi negant, siue nudæ, siue coniunctæ cum decreto.

CERTAMEN V.

Ex fide, & ratione concordia præscientiæ cum futuri contingentis libertate asserta, & propugnata.

1. COncordem esse præscientiæ æternæ Dei infallibilitatem cum præscitorum libertate docuit Augustinus 5. de Ciuitate cap. 10. his verbis: *Nullomodo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere libertatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum; sed vtrumque amplectimur: vtrumque fideliter, & veraciter confitemur: illud, vt bene credamus: hoc, vt bene viuamus. Male autem viuitur si de Deo non bene creditur.* Probatur facile Augustiniana hæc nostra, & communis conclusio; quia, licet simul, & coniunctim tota, & integra à scriptura sacra non tradatur; ast vtraque illius pars seorsim traditur. Deum quippe futura nostra contingentia, & libera præscire multis locis supra recitatis, recitandisque ex scriptura constat. Eorum autem libertas ex 15. Eccles. *Appositit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi*: imo multis aliis locis, quibus & opera meritoria, ac demeritoria nostra, eorumque præmia, & supplicia à Deo præscita in scriptura dicuntur: ergo vtrumque coniunctim, & Dei præscientia de contingentibus, & eorum libertas, quam meritis, ac demeriti ratio includit, continentur: eiusmodi sunt plura Exod. 3. Sap. 19. & alibi sæpe: quare, & Conciliis omnibus, quibus, & Deus omniscius, ac proinde, & contingentium præscius, & nostrarum actionum libertas, atque bonus, & malus bonorum exitus Deo prænotus, vel formaliter, vel virtualiter asseritur, definita hæc veritas censenda est.

2. Naturales concordiæ huius rationes omnes attigerunt Patres recitati. Prima sumitur ex principio apud eos omnes constanti, & hactenus à nobis statuto, scilicet præscientiam, formaliter qua talem, non supponi ex parte causæ, & antecedenter ad futurum; sed potius illud iam futurum factum, & in se existens ac præsens pro

pro sua duratione supponere: etenim id solum obesse potest libertati & contingentiæ futuri, quod se tenet ex parte causæ ipsam determinans pro priori naturæ ad illud: inde enim præcise, quod causa cum omnibus, quæ in priori naturæ futurum præcedunt, indifferens, ac indeterminata ad illud sit, liberum, & contingenter erit; sed præscientia diuina, nullatenus supponitur ex parte causæ, ne dum determinat illam, pro priori naturæ ad futurum; sed potius illud supponit futurum, & in se existens & præsens in facto esse pro sua duratione: ergo præscientia diuina de futuro nequit obesse futuri contingentiæ & libertati. Confirmatur. Quia, quod rem supponit factam, & executam à suis causis nequit eius libertati officere, (vt patet de præfato discursu, & exemplis visionis actionis liberæ cursus, & sessionis, præsentis, & memoriæ de præteritis, quibus rem hanc Patres recitati, & S. Thom. frequentissime explicarunt & confirmarunt) at Dei præscientia supponit futurum in facto esse in se existens, & præsens pro sua duratione, vt vidimus: ergo eius libertati non officit: quod rursus confirmatur ex coexistentia futuri toti æternitati indiuisibili Dei, qua solum Deus cognoscit, & iudicat, licet coexistentia illa sit futuri pro sua solum duratione, ac non ex æternitate, vti ad rem hanc Patres supra recitati discurrebant.

3. Secunda naturalis ratio sit: quia nulla scientia (præsertim infallibilis) potest esse destructiua sui obiecti: imo ex eo, quod infallibilis, & certa sit, constantiam sui obiecti à posteriori demonstrat: quia ex huius defectu scientiæ ipsius fallibilitas, quare & destructio conuincitur: atqui futurum contigens, & liberum non solum, qua futurum, sed, qua liberum, & contingens, siue, qua libere, & contingenter etiam futurum, est obiectum præscientiæ certæ, & infallibilis Dei, quæ ad omne verum se extendit: ergo præscientia Dei nequit eius futuritionem, aut contingentiam seu libertatem destruere: quin potius eam debet confirmare. Hoc argumentum dedit nobis Augustinus testimoniis recitatis certam. 2. num. 5. ex 3. de liber. arbitrio c. 3. fine & 15. de Prædestinat. & gratia & 5. de Ciuit. c. 10. & fuit Boëtij 5. de consolat. prosa 6. post med. ita scribentis: [sed si in mea potestate situm est mutare propositum euacuabo præuidentiam, cumque illa prænoscit forte mutauero. Respondeo: propositum te quidem tuum posse deflectere; sed quoniam id te posse, & an facias quoue conuertas præsens prouidentiæ veritas intuetur: diuinam te præscientiam non posse vitare: sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamuis te in varias actiones libera voluntate conuertas;] quos imitantur Patres alij certam. 2. & 3. recitati, & Anselm. de concord. præscient. c. 1. sub init. his verbis: [Nequaquam recte intelligenti hæc repugnare videntur: præscientia, quam sequitur necessitas, & libertas arbitrij, à qua remouetur necessitas: quoniam, & necesse est, quod Deus præscit futurum esse: & Deus præscit aliquid aliud esse sine necessitate:] & S. Thom. 1. contr. gent. c. 67. rat. 6. libertatem futuri, cum præscientia stare probat: *quia scientia Dei vera non esset, & perfecta; si non hoc modo res euenirent, sicut Deus eas euenire cognoscit.*

4. Tertia ratio naturalis concordiæ huius sit ab absurdo, quam nobis dedit etiam Augustinus 3. de lib. arb. c. 3. inter princip. & med. vbi eos, qui ex præscientia Dei de nostris liberis, & contingentibus futuris eorum libertatem pessum ire credebant, ita ab absurdo redarguit: *Nemo igitur cauet, ne tibi dicatur, etiam ipsum* (Deum) *quæcumque facturus est non voluntate, sed necessitate facturum, si omnia, quorum Deus præscius est necessitate fiunt, non voluntate*; etenim, si ex eo quod diuina scientia de obiecto contingenti falsificari nequeat contingentis cogniti libertatem, & contingentiam euertit: cum non minus falsificari nequeat Dei scientia de suis liberis decretis, quam præscientia de nostris liberis actibus (imo eo magis repugnare illud videtur, quo minus voluntate sua à sua scientia discordare, eique contradicere Deus potest) atque illa; imo vero potius, Dei decretis, quam hæc nostris necessitatem imponet. Quod si decretis Dei ex certa, & infallibili ipsorum scientia negent, vt debent, necessitatem induci: neque ex præscientia titulo certitudinis, & infallibilitatis eius nostris contingentibus necessitatem eorum libertati aduersam imponi fateantur necesse est. Nihil enim pro concordia scientiæ infallibilis diuinæ de suis liberis decretis cum horum libertate afferetur, quod non æque pro concordia præscientiæ de nostris cum eorum libertate adsit: vnica siquidem concordiæ vtriusque ratio est: quod vtraque scientia contingens, exercitum, & in se libere positum ab arbitrij siue diuini, siue creati libertate supponat: ac proinde solum consequentem necessitatem ad libertatis vsum, & quæ à voluntate, & vsu libertatis prouenit supponat; nec aliam, quam contingentis cogniti, & exerciti positio inducit, quaque dum contingens est, necesse est esse, vt Patres, Philosophus, & Scholastici expresse docuerunt.

5. Nec mouere iam, nisi bardum quempiam, nimisque obtusæ mentis hominem, potest præscientiæ nomen, quod diuinæ scientiæ respectu nostrorum actuum liberorum, non autem respectu suorum decretorum, quæ scientiæ suæ coæua, siue coæterna, semperque, & pro semper coexistentia, & præsentia sunt, conuenit; ac proinde respectu illorum antecedentiam aliquam præferet, quam respectu horum eadem scientia non sonat; ea siquidem præcedentia, quam specialiter relate ad nostros liberos actus diuina scientia habet, ac nomine præscientiæ sonat, durationis est, quæque nec causæ libertati officit, neque ad effectus necessitatem conducit, vt diximus: eandem quippe futuritio contingentis eiusdem respectu ipsius pro sua duratione apponendi, siue appositi, & actu exerciti, & existentis importat; quin vllius quantumuis stupidi, sententia, imo suspicione, eius contingentiæ obsit, ac libertati. Adde præcedentiam iliam, adhuc duratione, de intrinseca præscientiæ loquendo, falsam, & commentitiam esse: quia duratio, qua Deus cognoscit temporaria nostra, æternitas indiuisibilis, ac tota simul est, cui proinde cuncta sunt actu præsentia, ac proinde, vt recte aiebant Greg. Mag. recitatus cert. 2. num. vlt. & S. Thom. recitatus cert. 3. num. 4. scientia potius, quam præscientia dicenda est: Deusque per illam scire potius quam præscire; etsi relate, non ad durationem intrinsecam, qua Dei scientia durat, quaque Deus temporaria hæc cognoscit, sed ad extrinsecam omnem possibilem seu imaginariam durationem, quam æternitas Deo eiusque scientiæ intrinseca, etiam redundanter, complectitur, & ambit, præscientia dicatur, & æternum creata omnia obiecta antecedens: eequid autem magis extrinseca illa, ac pure denominatiua ab extrinseca illa duratione ac non entitatiua scientiæ diuinæ præcedentia adhuc durationis, obesse ita præscitorum libertati potest quam similis præcedentia extrinseca, ac pure denominatiua ab extrinseca duratione anteriori, futuritio eidem contingenti futuro officiat.

6. Concordia igitur hæc præscientiæ cum libertate præsciti in eo præcise stat: quod, cum præscientia (licet certa, & infallibilis, atque, vt sic loquar, nulla potentia, nec creata, nec diuina falsificabilis) futurum non causet; sed ab arbitrio voluntatis creatæ causatum supponat, eius libertatem, siue suæ causæ in illo apponendo exercitium liberum, quod non antecedit, sed, qua futuri præscientia formaliter est, subsequitur: quin inde potius scientia Dei pro priori, quasi naturæ ad extensionem repræsentationis suæ ad futurum actu repræsentandum qua formaliter præscientia illius est, impediri absolute à nostro arbitrio potuit ea absoluta potestate, qua illud pro priori ad futuri, quod pro posteriori ponit, appositionem, oppositum ponere absolute potest, vel eius appositionem omittere: quocirca etsi posita præscientia in sensuque composito illius non magis illam auferre arbitrium nostrum valeat, vel cum illa futurum, quod apposuit negationem & omissionem, quam, futuro apposito iam, ipsum omittere vel illud ex suppositione, quod sit auferendo, vel coniungendo eiusdem negationem cum ipso; ast in sensu diuiso, sicut absolute pro illo priori potuit eius negationem apponere, atque extremi incompossibilis appositione impedire, ne esset, quando est: ita pro eodem priori impedire potuit, ne præscientia Dei, quæ, qua talis formaliter, illud pro sua duratione positum quasi causalitate vt terminatiuum, ac determinatiuum, & conditionem, sine qua non ad ipsum extenderetur supponit ex æternitate sua non esse, ac facere, ne Deus ab æterno futurum præscierit.

7. Porro ab hac solutione Molina, Ruiz, & Quiros nostri, licet aliquid fuerint humanæ æquiuocationis in do-

ctrina hac explicanda passi, tandem non recedunt: eo enim euadunt omnes postremi huius per circuitiones varias conclusiones, & Ruiz in eo demum quieuit d. 33. sect. 2. num. 5. vbi explicata necessitate, & suppositione consequente: *quod aliquo modo à libertate nostra pendeat voluntatis Dei præscientia docet: quia*, inquit, *non poneretur in rerum natura talis suppositio, nisi præsupponendo fore, vt nostra voluntas se libere determinaret: quare, sicut voluntas absolute potest non se determinare ad talem actum: ita, absolute, & simpliciter loquendo, potest voluntas nostra efficere, vt nunquam fuerit in rerum natura talis suppositio*: & n. 7. enumerat gradus necessitatis, & suppositionis eius consequentis, & in sensu composito, qui libertati contingentis non obest, in quartoque gradu ponit necessitatem futuri contingentis ex præscientia: adhibitoque exemplo necessitatis consequentis cursus tui præsentis, ex eo, quod vere à me videatur, quod eius libertati, & contingentiæ non obest: quia illud libere appositum ea visio supponit: quare, *& in tua potestate fuit impedire, ne ego viderem tuum cursum: quare nihilominus integra manet tibi potestas non currendi, quod si tuum esset vt pro tua libertate non curreres Deus ab æterno non præciuisset tuum cursum*: quid clarius, vt præscientiam Dei, qua talem formaliter impediri à præsenti mea libertate pro priori naturæ ad cursum liberum, & ipsam, ne ab æterno fuerit absolute, fateatur? Molina vero eadem distinctione necessitatis consequentis, & antecedentis libertatis ad hanc concordiam fuit in primis vsus.

8. Sed tamen, tam hi Doctores, quam alij humanæ æquiuocationis aliquid sunt passi, cum hic ad præteritum dari potentiam absolute, ac sine vlla distinctione præsenti concordia clamant; alii vero admittendum esse, vel absolute & simpliciter ad eam concordiam tuendam mordicus tenent. Alij vero docti Recentiores admittendam esse eiusmodi potentiam ad præteritum, saltim in præteritis, quæ connotant futurum contingens. Sed certe hi omnes non satis clare rem penetrarunt, aut explicarunt; cum tamen facile possent. Ad præteritum quippe, qua præteritum realiter formaliter, seu reduplicatiue, vt aiunt, siue connotet contingens futurum, quod supponat, siue non connotet, nulla potest nunc vllaue posteriori durationedari potestas, vt non fuerit: quin ad duplex contradictorium coniungendum absolute. Præteritum enim realiter formaliter eius existentiam exercitam, siue exercite positam in anteriori duratione includit, cum qua eius negatio pro illa duratione contradictorie decertat. Cæterum, licet ad præteritum, qua realiter formaliter præteritum, potentia nulla dari posteriori duratione valeat; ad præteritum tamen materialiter solum, seu specificatiue, vt aiunt, acceptum dari optime potest absoluta potestas impediendi pro priori existentiæ suæ pro illa duratione, seu æternitate, ne pro illa fuerit: daturque de facto, quoties eius pro illa positio à contingenti futuro vero aliquo sensu dependet: quia illud connotat, & supponit, vt in præsenti contingit: vnde constat concordia hac non admitti nunc de præsenti potentiam, vt præterita iam, & anteacta præscientia desineret esse, cum iam tunc esset præterita, & ex suppositione quod fuerit, quo solum pacto realiter formaliter præterita est, ac proinde ad proprie præteritum esset potentia repugnans; sed solum dari potentiam ad præteritum materialiter, ne tunc esset, quando fuit, pro priori ad essendum tunc, ex quo præteritum est: ac proinde ad impediendum, ne tunc esset, ac nunc præterierit.

9. Hinc reliqua euanescunt, quæ opponi solent: quale est illud quod iuniores Thomistæ inclamant; qui nequit tollere antecedens bonæ consequentiæ, nequit tollere consequens: est autem hæc bona consequentia, *Deus scit Petrum peccaturum: ergo peccabit*: eiusque antecedens, nequit tolli à voluntate Petri: ergo nec suum peccatum poterit ab ea tolli: ac proinde necessario peccabit, cum ad peccandum requiratur libertas, quæ sine potestate tollendi peccatum, ac proinde consequens, non est in obiectantium sententia, vel admittere debent posse à Petro tolli antecedens; vel posse tolli consequens bonæ consequentiæ, quin tolli possit antecedens contra assumptum principium; sed certe, si proprietate sermonis, & verbi *tollo* loquamur, totus syllogismus concedendus est: quia tollere supponit positum, quod tollendum est, scilicet, & præscientiam, & peccatum quod ad ipsam supponitur: quibus positis neutrum potest vlla potentia auferri; sed inde tamen non infertur non esse absolutam potentiam non peccandi, & faciendi, vt non fuerit præscientia quæ illud supponit. Hæc enim non est ad ea tollenda proprie, scilicet, semel posita; sed ad impedienda, vel non apponenda pro priori ad peccati, ac proinde præscientiæ ipsum subsecutæ appositionem: si autem verbum *tollere* non eo rigore, & proprietate sumatur, sed, prout etiam significat impedire, vera est antecedentis maior; sed prorsus falsa minor: inde etiam constat, cur nos certi simus de veritate futuri contingentis adeo præsciti & reuelati: quia, cum præscientia, & reuelatio supponant contingentis pro sua duratione existentiam, licet libere exercitam, & appositam; & omne quod iam absolute est, vel erit pro sua duratione nulla potentia fieri possit, vt pro eadem non sit: nequit non esse futurum, quod fore reuelatur, ac præscitur: nemoque, non stupidus, ac infidelis de his, quæ fore reuelata sunt, potest, an futura sint dubitare; etsi sciat pro priori ad eorum appositionem pro illa duratione, non apponi potuisse.

10. Ad illud autem quod cert. 1. in ratione dubitandi subiungimus (nullam scilicet dari potentiam creatæ voluntatis, aut causæ ad agendum, vel impediendum effectum pro duratione qua ipsa non est: ac proinde, cum voluntas nostra tunc, cum Deus præscit eius actum futurum in tempore, nondum sit, nec posse eam vllo modo ponere, aut impedire: neque præscientiam vero, & reali aliquo sensu à potestate voluntatis nunc in tempore primo existentis, ac sese exercentis pendere) respondetur; verum quidem esse, quod assumitur de potentia actiua, aut impeditiua, vera quauis causalitate aut influxu, quæ à nulla causa physica reali pro ea duratione pro qua non est potest exerceri; at vero de oppositione, aut impeditione obiectiua intentionali terminatiui, aut determinatiui, seu tanquam conditionis, sine qua non obiecti, absque aliquo influxu in actum seu cognitionem, falsum omnino esse: vt patet in cognitione negationis existentiæ obiecti v.g. Antichristi, quæ nunc à Deo, & forte ab Angelis, & Beatis videtur, quin aliquid sit; & tamen ita ab ea Dei, aut Angelorum visio terminatur, determinatur, atque ab eâ vero sensu reali pendet, vt si non esset à nullo eorum videretur: in eum igitur modum præscientia contingentis ab huius pro sua duratione libera appositione pendet ex sua æternitate, qua concepta est: ac proinde à voluntate postea primum in tempore existentis, quæ ita libere in tempore illud apposuit, vt non apponere potuerit: ac proinde eius non appositione ex æternitate præscientiam impedire, ne ex illa apposita esset, licet voluntas ipsa ex æternitate non fuerit.

11. Quod autem ex S. Thom. obiicitur 1. p. q. 14. a. 13. ad 2. dicente: *antecedens illud Deus scivit hoc esse futurum est necessarium absolute, nec tamen sequi, vt quidam dicunt quod consequens sit necessarium absolute*, nihil præfatæ concordiæ derogat, neque fauet iuniorum Thomistarum doctrinæ de præcedentia, prioritate naturæ præscientiæ diuinæ ad futurum, cuius præscientia est, quia absolutam necessitatem futuri contingentiæ, & libertati aduersam inducat. Neque enim ait necessitatem illam esse absolutam simplicem, siue antecedentem respectu futuri; sed solum respectu Dei, quod est eius propositionis subiectum, & cuius omniscientia de sese libere non est, sed determinata, saltem conditionate ad repræsentandum verum quoduis, aut cognoscibile, si adsit: quare posito futuro contingenti non potest non illud repræsentare, neque à se, sed à futuro posita libertate voluntatis illud apponente determinatur, vt ad illud exercite repræsentandum sese extendat. Respectu autem futuri contingentis, & voluntatis creatæ illud apposituræ non ait esse necessarium absolute simpliciter, seu antecedenter; sed consequenter, & ex suppositione liberæ appositionis futuri contingentis, quod præscientia supponit: quare bene è propria sententia (quod admissum ab aliis refert) negat consequens (quod admissum ab aliis refert) esse absolute necessarium: scilicet futurum esse futurum, quia voluntati creatæ, cui necessarium solumodo est, necessarium absolute non est, sed solum ex suppositione, quod libero exercitio voluntatis futurum apponatur: ac proinde, tam ipsum, quam præscientia illud supponens

necessa

necessaria voluntati solummodo ex suppositione, & consequenter sunt: vnde subdit, *consequens necessarium esse, sicut antecedens*, scilicet consequenter respectu voluntatis creatæ, ita enim rationem subiungit: *quia, quod est, necesse est esse.*

QVÆSTIO IX.

An Deus cognoscat infinitum in actu?

QVÆSTIONEM, quæ, vel tota, ad Philosophiam, vel ad quæstionem de nomine deuoluenda tandem erit, aliorum exemplo potius, quam ex animo edisseram, supponit ex Philosophia, non dari in rebus infinitum cathegorematicum, siue in actu, id est rerum simul actu pro aliqua duratione existentium: si enim daretur, haud dubio, a Deo cognosceretur, locusque quæstioni præsenti non esset: supponit rursus dari in rebus infinitum syncathegorematicum, siue in potentia: idest infinitarum rerum, siue successiuarum, siue permanentium nunquam tamen simul coadiungendarum. Patet in Angelicæ durationis (ni tota simul & indiuisibilis sit) partibus: vel citra controuersiam in partibus durationis animi rationalis vsque & vsque sine termino successuris, & vtriusque cognitionibus, & affectibus per totam æternitatem successiue habendis, nunquamque simul coniungendis; vtriusque supposita veritatem Philosophi tenent. Nos vero ex eorum hypothesi id solum in præsenti disputamus. An cum infinitas Angelicæ, vel animasticæ durationis a parte post æterne successuras partes, actusque per illas ab ipsis eliciendos Deus cognoscit, vt vere cognoscit, infinitum in actu cognoscat.

CERTAMEN I.

Ex doctorum placitis eligitur.

1. DOctores nonnulli censent earum rerum infinitam multitudinem, solum in potentia, & syncathegorematice infinitum cum omnibus reputant: quia vero, vt diuinæ subsunt scientiæ, & cognitioni, simul tota illa cognoscitur, & repræsentatur, Deum cognoscere infinitum in actu defendunt. Cæterum Doctores isti, & æquiuocatione maxima laborant, & errant, & quæstioni præsenti non respondent. Primum patet, siquidem aliud est actu cognosci infinitum, *simultate*, & illud *actu* appellante supra cognitionem, quæ actu, & simul ex parte sui cuncta illa cognoscat, aliud vero appellante supra obiectum: primo enim modo sensus est actu cognosci a Deo infinitum; quod etsi infinitum in actu non sit verum est: nam actu cognoscitur. Secundo modo est sensus, cognoscitur infinitum, quod infinitum in actu sit etiam vt præcedit diuinam cognitionem, in quo scopus totus, & difficultatis, & quæstionis præsentis positus est; non autem, an infinitum in actu, & simul sit extrinsecum, per extrinsecam denominationem ab actualitate, & simultate diuinæ cognitionis, quæ actu, simulque de tota multitudine habetur.

2. S.Thom.1. p. q. 14.a.12. & 1. cont. gent. vbi Ferrara S. Bonauent. in 1. d. 39. a.1. q. 3. solut. argumentor. Richard. ibidem VValdensis tom.1. lib. 1.a. 1. c. 14. Vasquez ad locum citatum primæ partis disput.63. c.2. Magnus meus Magister Didacus Daza tract. manuscripto de scientia Dei d.5. docent: Deum, dum infinitas partes durationis Angelicæ, & animasticæ a parte post successuras, atque infinitos, cum Angeli, tum animæ rationalis actus per fluxuram æternitatem cognoscit, cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, & quidem sententia hæc nouis expensis, apud Caietanum, & eius Asseclas Thomistas adsui stabilitatem non egeret; si vera ipsorum sententia foret, de futurorum reali præsentia, & coexistentia ab æterna in Dei æternitate, quam fuse confutabimus d.6. q.2. etenim in ea infinita illa successiuarum per æternitatem durationum, & operationum multitudo ab æterno & in æternum tota coexistit, existetue actu simul, quin ita existere actu simul, coexistereque debere vt a Deo cognoscatur, Thomistarum præfata sententia fert: quare non solum cognosci a Deo totam illam multitudinem infiniram in actu, sed neque aliter a Deo cognosci posse consequens, sententiæ illius conclusio est; sed, quod, nescio; an illius sententiæ Patroni satis attenderint: & quod eius sententiæ euersione facile corruat. Ea propter noster Vasquez præsentem suam conclusionem rationi alteri imposuit, quam eius discipulus ingeniosissimus Daza luculenter, subtiliterque explanauit, vt in obiectionibus mox patebit.

3. Durandus in 1.d.39.qu.2. Almain. in 3.d.14. qu.1. post primam conclusionem, Soarius noster tom.1. in 3.P. d.26.sect.10. negant, dum cognoscit infinita illa per æternitatem successiua cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, siue cathegorematice infinitum, sed solum syncathegorematice, seu in potentia infinitum. Huic ego sententiæ in quæstione pure de nomine lubens subscribo; quia realius, propriusque loquitur: etenim, si doctorum omnium, præcipue Philosophorum, communi sensui standum sit, nemo est, qui infinitum Cathegorematicum, siue in actu ex rebus infinitis, nunquam tamen simul coexistentibus, sed solum ex actu consistentibus aliquot, & aliis successuris componi affirmauit: ac penes hoc tantum infinitum Syncathegorematicum siue in potentia ab infinito cathegorematico, siue in actu Philosophi, & Theologi omnes discriminant: quod hoc totius multitudinis actualem simultaneam existentiam, seu coexistentiam dicat; secus illud: inde autem facili, & legitimo hoc discursu probatur conclusio. Obiecta diuinæ cognitionis, prout in actu primo ipsi proponuntur atque ex parte obiecti præcedunt, necdumque habent denominationem obiecti, & cogniti ab ipsa cognitione posterius obtingentem ipsis, sunt obiecta, vt re ipsa sunt: atqui multitudo illa rerum successiuarum infinita in actu re ipsa non est: ergo multitudo earum, prout obiecta in actu primo diuinæ cognitioni, necdumque ab ea denominata, infinita in actu, & cathegrematice in actu primo non est: quare nec Deus cum illam totam cognoscit infinitum in actu cognoscit.

4. Maior est certa: minor æque firma ex stato illo Philosophico, & Thologico principio, ac definitione infiniti in actu, & tanquam indubitata admissa a nostro Vasquez cit.c.2.nu.4. & (vt opus esset) nullo negotio demonstrabilis, etenim multitudo durationum animi, aut Angeli, & operationum eius successiue plurium, & plurium infinite per æternitatem a parte post futurarum nusquam, nunquamque erit actu, & simul in se, & re ipsa existens infinita: ergo nusquam est infinita in actu, & cathegorematice. Confirmatur tam minor eadem, quam commune illud principium, cui innititur: quia compositum in actu, nequit esse in actu quin omnes eius partes in actu sint, atque existant; alioqui compositum in actu non erit, atque insuper non existente anima, sed sola materia, erit homo in actu, ex eo, quod postea anima, eiusque ad materiam vnio sit extitura: vnde nunc verum erit dicere: *Antichristus actu existit, siue est in actu*, quod est non solum absonum, sed præ falsitatis notorietate ridiculum; sed partes illæ omnes durationis Angeli, vel animi rationalis, eorumque actus per æternitatem successiue futuri, ex quibus infinita multitudo componitur nunquam simul in actu existunt, existentue: nec Deo simul in actu extituræ obiiciuntur, repræsentanturue: ergo eiusmodi multitudo infinita ex eis omnibus composita non est infinitum in actu, siue cathegorematicum: nec tale esse a Deo cognoscitur.

***

CERTAMEN II.

Obiectionibus occurritur.

1. OPpones primo inter eam multitudinem partium durationis Angeli, vel animi rationalis, & operationum ab eis per æternitatem à parte post eliciendarum, etiam prout ex parte actus primi diuinæ menti simul proponitur cognoscenda, atque eius præcedit cognitionem, nec dumque ab ipsa denominatur simul cognita, non est assignare vltimam: ergo ea multitudo est actu siue in actu infinita. Hæc ratio doctissimos, & ingeniosissimos alios nostros Vasquez, & Dazam decepit; ne autem alios posthac decipiat, distinguo antecedens. Non est assignare vltimam partium *simul pro aliqua duratione actu existentium siue aliquando, simul extiturarum in ea multitudine*, nego antecedens; *non simul*, sed *seorsim*, & *successiue extiturarum* concedo antecedens; & nego consequentiam ob rationem datam.

2. Instabis ea multitudo, vt ex parte actus primi ad cognitionem diuinam posita non est infinita in actu per nos: ergo est finita in actu: quod est euidenter falsum: cum in ea multitudine, nec sit assignare vltimam partem durationis, neque vltimam operationem assignare: consequentia est legitima: siquidem finitum infinito contradicit: quare, si infinitate in quouis genere negata in eodem genere, de eodemque subiecto finitatem neges, deduceris facile, imo sponte ad impossibile ibis. Nihilominus neganda est consequentia: quia vtraque propositio est de subiecto non supponente: quia tota multitudo nunquam, nusquamque simul existit, aut existet, quare simul existens, vt supponitur ad finitudinem, vel infinitudinem actu de ea prædicandam, neque est finita, neque infinita: quemadmodum, neque de ente rationis optime negatur sine contradictione distingui realiter, atque identificari realiter cum ente aliquo reali; etsi distinctio, & identitas contradictionem inuoluant: quia illud *realiter* supponit vtrumque extremum, de quo identitas, vel distinctio prædicatur, siue inter quæ alterutram esse asseritur reale esse: alterum autem nempe ens rationis, reale esse repugnat; quare vtraque propositione in terminis implicatur.

3. Ita etiam in casu nostro: cum tota multitudo simul aliquando esse non possit, ac proinde totam illam in actu, & simul esse repugnet ex vna parte: atque ex alia esse totam illam collectiue sumptam finitam asseratur: negatur recte totam illam infinitam esse in actu, quia in actu non est, neque erit simul, imo totam in actu, & simul esse, & existere, vel essentia sua in durationis partibus, vel ex suppositione, vt minimum, in Angeli, vel animi operationibus successiue habendis, neque omnibus (vt supponimus) simul. Rectèque negatur etiam finita tota in actu, & simul ob secundam rationem: quia in ea propositione supponitur totam illam multitudinem de qua finitas prædicatur esse, vel fore in actu, & simul saltem aliquando supponitur, quod est impossibile, vt diximus, & in terminis implicatorium. Quocirca, si non de tota multitudine, sed de aliqua eius parte, quæ simul in actu aliquando erit inferetur esse finitam in actu, bene inferretur, negarique minime posset, quia suppositum subsistit, nullaque est in eius propositionis terminis implicantia, & contradictio.

4. Instabis secundo: tota illa multitudo infinita rerum per æternitatem futurarum, prout diuinam antecedit, quasi pro natuæ priori, cognitionem, nec dumque cognoscitur non habet terminum; ergo est infinita, & simul ex parte obiecti pro illo etiam priori sumpta, & considerata, ergo est infinita in actu pro illo priori, & in sensu præsentis quæstionis, quam de infinito earum rerum simul, prout diuinam præcedunt cognitionem esse diximus. Respondetur simultatem infinitarum rerum obiectiuam solum, etiam prout in actu primo ad sui cognitionem præcedunt satis non esse, vt infinitum consistere, & cognosci dici queat. Alioqui enim non solum rerum, quæ aliquando, etsi temporis successu, erunt in actu, infinitum daretur, cognoscereturque à Deo: verum, & pure possibilium, (quod exoticum, & paradoxum prorsus est) quandoquidem infinita, & vltra numerum omnem possibilia sunt, & omnia simultate solummodo obiectiua, in actu etiam primo, diuinam præcedunt cognitionem. Simultas ergo rerum omnium, quæ infinitum in actu constituit, deberque sui cognitionem præcedere, vt infinitum in actu cognoscatur, est simultas essendi, & coexistendi in actu eorum omnium, ex quibus multitudo illa infinita coagmentatur: quæ non solum infinitæ multitudini possibilium, sed, & successiuæ futurorum deficit: quare neganda est consequentia postrema, cuius inde probatio euanescit.

5. Dices demum: de ratione numeri in actu non est simultas existentiæ, seu existendi in actu omnium vnitatum, quibus ille constat; ergo nec de ratione multitudinis infinitæ in actu erit simultas existendi, seu essendi in actu omnium vnitatum, quibus illa constatur. Patet consecutio: quia eadem est ratio de vnitatibus componentibus numerum in actu talem, vel infinitum in actu quoad necessitatem existendi simul, vel negationem eius, vt alterutrum in actu componant. Antecedens probatur: quia dicimus tot dies esse præteritos, nec tamen vnitates, quibus is numerus in actu componitur, simul in actu exiterunt: imo, nec simul existere potuerint. Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem fateor primam eius partem, scilicet dicere nos ac numerare tot dies præteritos, qui nec fuerunt, nec potuerunt esse simul in actu; nego tamen illa verba secundæ partis antecedentis, *quibus is numerus in actu componitur*. Is enim numerus ex præteritis diebus nunquam simul existentibus compositus numerus in actu non est, sed in potentia solum, vt ex hactenus dictis constat. Verum quidem est nostrum numerum actiuum, siue numerationem nostram in actu esse; sed sic acceptus numerus nostra cognitio sola est, quæ actu existit, cum elapsos dies numeramus; ast is noster actiuus numerus, seu connumeratio dierum fluxorum præteritis diebus non constat, aut componitur; sicuti nec vlla Dei aut nostri cognitio obiectis, quæ repræsentat.

DISPVTATIO VI.

De mediis materialibus scientiæ diuinæ, circa omnia & singula eius obiecta hactenus statuta.

1. HInc iam pollicitationis nostræ liberabimus fidem distinctius, vt non fecicius, aliis de mediis diuinæ scientiæ, vt ad enumerata obiecta se porrigat, disputantes. Et primo quidem loco de mediis materialibus dispurandum est. Media autem materialia voco, quæ obiectum ponunt, præsentantque potentiæ, aut scientiæ Dei, quantum satis est, vt terminet cognitionem diuinam, hæcque ad illud extendatur: ac proinde huic materiam cognoscendam subministrant, quia illam in debito statu, & præsentialitate collocant, vt videantur. Non secus ac baiuli, qui statuam videndam sub conspectum nostrum afferunt, & præsentant, materialia media visionis nostræ de statua illa dici possunt: quia visioni illi materiam ministrant, & conspecturis apponunt; licet ipsi secundum se ad statuæ visionem eam nec determinent, neque aliter, quam materiæ debita appositione concurrant: ex hac vero tituli explicatione constat primo: nihil de medio materiali scientiæ Dei circa seipsum disputari posse: cum nihil sit, quod Deum vel in se, vel in sua præsentialitate pro statu vllo (etiam si eius possibilitatem ab exercita existentia ipsius abstrahi, ac distingui metaphysicè posse admittamus) cum, & in suo esse, duratione, immensitate, & suis omnibus ens à se sit, atque à nullo, adhuc tanquam à connexionis termino, dependens.

2. Constat secundo: neque in scientia Diuina de possibilibus creatis disputationi præsenti locum esse: est enim à Deo, eiusque omnipotentia, tanquam à termino connexionis

connexionis (quam essentia sua intrinsecè respiciunt, quia essentia sua non à se sed ab alio possibilia, & entia sunt) dependeant, illumque proinde prioritate maioris vniuersalitatis, & necessitatis supponant, vt controu. 1. ostendimus; tamen eorum possibilitas, ac non repugnantia ab omniporentia absolutè non ponitur, & causatur, sed sola eorum existentia: circa quam solam omniporentia suam potest exercere causalitatem: quin, vt ad possibilia Dei omnipotentia, vt earum formaliter omnipotentia, absolutè comparetur, earum intrinsecam non repugnantiam, seu possibilitatem expectat: vti de præscientia Dei, qua præscientia futuri realiter formaliter absolutè est, huius futuritionem supponere, & expectare nuper docebamus: solum ergo in futuris conditionatis, & absolutis locum præsens disputatio habet: & in conditionatis quidem à quonam eorum futuritio ponatur? an à decreto absoluto ex parte actus, conditionato verò ex parte obiecti? Nam de conditionato omnino, tam ex parte actus, quam obiecti, quod in hypothesi ponatur, eadem est, ac de decreto omnino absoluto circa absolutè futurum contingens, Deive concursum ad illam difficultas ac circa futurum absolutum, eiusque absolutam futuritionem. Tria examinanda sunt. An à decreto absoluto de eius futuritione causetur, & apponatur? Secundo: quali Dei decreto concurrendi eiusmodi futurum absolute existat? de quo controu. 3. Tertio: an, vt sub diuinum conspectum cadat, atrigique à diuina scientia possit, præter temporariam in sua mensura, præsentiam, in Dei æternitate; & ex æternitate realem aliam habere debeat.

QVÆSTIO I.

An decretum subiectiuè absolutum, & obiectiuè conditionatum sit medium materiale scientiæ Dei, de conditionatè contingentibus futuris?

EX dictis disputationis præfatione constat titulum quæstionis tantundem valere, atque communem illum: an ad futuritionem conditionatam contingentis decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti requiratur? qua in re vniuæ solum nobis cum iunioribus Dominicanis Thomistis controuersia est. An conditionata futuritio decreto eiusmodi tanquam efficienti principio ipsam apponente opus habeat? cum tamen cum eorum nonnullis quæstio alia esse potest. An eo decreto tanquam formali conditionatæ futuritionis constitutiuo conditionata egeant futura: vti de decreto omnino absoluto. Viues cum aliquibus à nobis confutatus d. 5. qu. 4. cert. 1. respectu futuritionis absolutæ philosophabatur: verum ex datis ibi, & vniuersim, & ad hominem contra hosce impugnationibus, qui in re præsenti similiter discurrat, confutari facilè poterit; quare nunc eius in re præsenti opinationis, confutatione iure abstinemus. Maximè cum pleraque ex nunc contra efficientis eius principij necessitatem contra formalis eiusdem indigentiam militent æquè.

CERTAMEN I.

Decretum hoc pro futuritione conditionata inutiliter & inconsequenter ab eius Authoribus inducitur, pauculis nec notæ primæ?

‡ PRo negatiua Sententia hac nostra nostros omnes Doctores vno verbo recenseo: siquidem ad futuritionis conditionatæ contingentium appositionem, nullo dempto, eius decreti necessitatem non negant modo, sed exhorrent: sicuti ad eorum futuritionem absolutam omnino absolutum decretum exercantur. Pro affirmatiua verò ad rem præsentem sententia ex suis plures Viues d. 2. mala fide, quasi à nobis bona accipiendos, dedit: eos in primis, qui eiusmodi conditionatorum scientiam omninò negasse, vel coniecturalem, & probabilem solum in Deo admittere, & obiecti, vel solum conditionata iuniorum suorum decreta acriter impugnasse retulimus d. 5. sed ille quæst. 2. sect. 1. vniuersim pro eis decretis Thomistas omnes Dominicanos recenset & d. 19. quæst. 2. §. 2. ex eis nominatis quinquagenarium numerum explet. Tamen, vt veteres omitteret, satis haberet, si hæc legisset in suo Aluarez 1. responsion. cap. 5. num. 26. *Scholastici antiquè nihil omninò de scientia sub conditione disputarunt, aut meminerunt: vnde non mirum quod nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati, in quo infallibilitas futurorum conditionatorum innititur*: satis etiam foret legisse Ledesmam d. de scient. futuror. conting. fol. 582. col. 1. concl. 2. sic fatum. *Prima sententia iuxta secundum modum* (cognitionis diuinæ de contingentibus conditionatis in decreto obiectiuè solum conditionato) *declarata est falsa, & improbabilis. Hanc conclusionem docent omnes authores secundæ sententiæ, & præcipuè omnes illi, qui sequuntur doctrinam Diui Thomæ*, & num. sequenti eiusmodi decretum Deo negat, vti illi repugnans, satis item foret si Soarium legisset, vel certe non simulato, aut dissimulato recitasset omnes Thomistas pro eis decretis allegantem Prolegom. 2. de gratia c. 1. numer. 5. vbi loquitur de Recentioribus Aluarez, Ledesma Cabeçudo, Ripa, & Berdu asserentibus, non quidem cognosci conditionata futura contingentia in eis decretis, quod eorum plerique negant, cum certam eorum Deo denegent, vt vidimus, cognitionem; sed solum, si certo à Deo cognoscerentur in eis decretis cognoscenda fore: sed nec ratio, qua suam generalem Thomistarum Dominicanorum omnium allegationem confirmat Viues num. 10. (quia stant omnes pro omninò absolutis decretis ad futuritionem absolutam) quidquam probat; sed potius pro obiectiuè solum conditionatis ad conditionatam futuritionem stare eorum nullum, qui consequentiæ vim non ignoraret, aut remitteret, vt cert. 2. ostendemus: interim mitto (quod contr. 3. monstrabo) maiorem potioremque Thomistarum partem decreta absoluta pro absoluta contingentis futuritione, cum stomacho etiam reiecisse.

2. Ex eis vero, quos nominatim pro se citat Viues, scilicet Ledesmam, Nauarrete, Ripam, Cabeçudo, vel eo falsitatis conuincitur: quod ij omnes, vel certam de futuris conditionatis scientiam denegent vt nuper dicebamus, & fusè ostendimus citata d. 5. quæst. 1. cert. 2. Ledesma, vbi proximè, eiusmodi decreta insectatur: Blasius autem Berdu ex opusculo de auxiliis citatur, vbi de eis decretis nihil nisi, quod numero 12. oppositum asserit: *Deum scilicet nosse peccata*, in quæ homo laberetur, si diutius viueret, absque, & ante vllum actuale decretum. Et Relect. controu. Scient. med. §. 3. contingentium conditionatorum scientiam, (si fortè Deo defere) naturalem illam solum, & ante omne actuale decretum concedit; atque aliter sentientes in scyllam incidere, cupientes vitare charybdim ait, concluditque; *itaque non est admittendum istud decretum conditionatum: vtpote in perfectissima libertate diuina otiosum*. Tertiò citatur falsò Sanctus Vincentius Ferrar. ex locis, quæ nihil de eiusmodi decretis adhuc sonant: quarto citatur falsò ab eodem Capreolus qui primus nihil futurum à Deo cognosci posse, nisi ratione præsentiæ in æternitate, & ex æternitate etiam reputat probabile: cum autem nulla futura conditionata secundum eius futuritionis statum præsentiam in æternitate vllam, nedum ex æternitate, habeant; pleraque autem eorum (quæ scilicet futura absolutè non sunt) eam pro nullo statu sint habitura, consequens in Capreolo est à Deo nullatenus cognosci, vt aiebat Zumel relatus d. 5. quæst. 2. cert. 2. censetque Aluarez de Capreolo 2. de auxiliis d. 10. num. 1. idem ob eandem rationem censet de Francisco à Christo Palacios, & de Caietano eius præsentialitatis aperto defensore censere omnes debemus: citan

citantur 5. à Viues, haud fide meliori, Cabrera, & Zumel. Hic enim 1. p. qu. 14. art. 13. d. 8. concl. 3. de respondentibus Deum nosse conditionata contingentia, quæ absolutè nec erunt nec decreuit, quia decreuit sub conditione fore, inquit: *Ridicula sane responsio quæ Deum imperfectum reddit*: ille verò 3. q. qu. 1. art. 3, d. 2. §. 22. *Responsio friuola, & in Deo imperfectionem inducens.* Peiore ab eodem fide refertur Ioannes Driedo, qui à Deo pro oppositо apertus est, vt illum nobis absque lite donent ex aduersariis Basiez 1. p quæst. 23. art. 3. *Secundus sensus* Zumel 1. p. t. 2. quæst. 11. ar. 3. d. 1. dub. 1. appendice 1. init. Cab. 3. p. t. 3. qu. 62. art. 1. d. 8. §. 2. Ledesma de auxiliis proposit. Fundam. quæst. pag. 7. §. *Ex hac sententia* & art. 10. pag. 189. §. *in hac difficultate* art. 13. pag. 273. §. *Inter Catholicos.*

3. Falso item pro eorum decretorum necessitate ad contingentium conditionatam futuritionem Ruardus Sapper Driedonis discipulus, & hac in re sequax, vt patet ex lib. de libero arbitrio art. 7. pag. 309. idcircò nobis sponte donatus à Ledesma supra Aluarez 1. respons. cap. 1. num. 30. §. *quod dictum est*, sed & falso citatur Stapleton pro nobis expressus. Antidotis in Epistolam ad Rom. cap. 9. vers. 11. §. *Deum altitudine intellectus sui*, vbi Scientiam Dei de conditionatis contingentibus soli nostro bono vsui auxiliorum, si darentur, initi, omneque Dei beneplacitum, & prædestinationem anteuertere, vt consonat vbique sibi in Antidotis Euangelicis ad 11. Matth. vers. 12. in acta Apost. cap. 9. vers. 6. in Ioan. 15. v. g. in promptuario Cathol. fer. 6. primæ hebd. quadrag. vers. 2. Refertur falso Cunerus Episcop. Leoardi. vt patet ex eius tract. de lib. arbitr. cap. 9. vbi omnia Scientiæ mediæ fundamenta posuit, omneque principium determinans ex parte causæ vt futuri contingentia seruetur excludit: eadem falsitate citatur Lorca ab Aluarez, & Viues: cum tom. 1. in 3. p. quæst. 1. art. 3. d. 10. m. 2. num. 26. & 27. ad id Sanct. Thom. ad 4. *quod prædestinatio supponit præscientiam*, ex eius, suaque sententia docet præscientiam prædestinationi suppositam esse conditionatè futurorum contingentium conditionatam, & mediam, citatur etiam falso Curiel, qui, etsi 3. p. quæst. 11. art. 5. aduersariis iunior accesserit, Senior tamen, & maturior eo retractato nobis omnino consensit contr. 7. vel 5. in 4. Sap. art. 4. num. 1. contr. 2. in 1. Epist. c. 2. Petri *ad id Sagitte, vt per bona opera, &c.* à num. 208. Neque fidelitate maiore citatur Basilius Legionen. quasi Scientiæ med. Sententiam quæst. ex quodlibeticis summo ingenio, & eruditione propugnatam, retractarit: quod etiam de Corneio Augustiniano falso item refertur: etenim eis, & Magistro Antolinez, Augustiniano etiam, pro nobis relatis eorum in primaria Theologiæ Salamantina Cathedra Successor Magister Angelus Manrique scite apud nostrum Henao ventilat. 3. num. 19. siue controu. 25. cap. 4. num. 8. dixit *de retractatione nobis non constat, de sententia non licet dubitare.* Pro hac ergo quam Thomisticam clamant aduersarij nuperi sententia, nec ex Dominicanis, nec ex assectis exteris, siue Recentioribus omnes sterere, sed pauciores, neque primores: & (quod miraculi, & stuporis plenum est) Viues ipse acerrimus obiectiuè tantum conditionatorum decretorum vindex, & recens assertor, aliquot satis tritis, mox iam pro nostra sententia subiiciendis conuictus d. 2. num. 31. ait: neminem dubitasse futura conditionata infallibiliter connexa cum conditione sub ea fore à Deo cognosci ante omne actuale Dei decretum eaque de re conclusionem statuit num. 33. Cuius conclusionis limitatores Thomistas, tanquam irrationales, insectatur num. 35. sed, quam rationalis consecutionis ipse sit, videri facilè potest, qui ante actuale decretum obiectiuè conditionatum nullum conditionatum contingens fore conditionate omninò contendit; & tamen nunc fore ante illud, & à Deo cognosci docet: scilicet, antequam conditionatè sit futurum siquidem iuxta generalem eius doctrinam, non, nisi à decreto ipso actuali conditionato obiectiuè, habet contingens illud conditionatam futuritionem: & hactenus de Doctoribus mala fide pro decretis hisce recitaris.

4. Iam, quam inutiliter Thomistæ aliquot eiusmodi decreta pro sua doctrina induxerint, vel inde in primis constat: quia admissa intrinseca auxilij, siue physicæ prædeterminationis efficacia, & connexione eius absolutè positi cum absolutè futuro contingenti, sicuti, & decreti omninò absoluti prædeterminatiui (illæsa tamen, vt iidem Thomistæ volunt eius futuri contingentia & libertate) Scientia conditionatorum contingentium, quæ media sit, euertetur: quia his solum in hypothesi positis nulloque alio decreto absoluto ex parte actus de futuritione conditionata contingentis, necessaria, & infallibilis ab hypothesi ad contingens sub ea futurum consecutio erit; ad quam consecutionis infallibilitatem, & necessitatem decreta hæc obiectiuè solum conditionata commenti Thomistæ præfati sunt: etenim, in eorum doctrina, ita necessariò prædeterminatio, & decretum prædeterminatiuum consensui connectitur, vt alterum ab altero repugnet diuelli: æquè, atque ab igne applicato ad lignum calorem in hoc non induci repugnet: aut à causa quauis naturali cum omnibus requisitis ad operandum non produci effectum: ergo æqua est necessitas, vel infallibilitas illationis à prædeterminatione, & decreto prædeterminatiuo tuo ad consensum atque à causa quauis naturali cum omnibus ex parte causæ requisitis ad operandum ad effectum: etsi, quia benigna illa, & arbitrij indifferentiæ attemperata & operis libertatem respicientia, (vt ais,) nec indifferentiæ arbitrij, nec operis contingentiæ, & libertati officiant: ergo æquè pertinet in tua doctrina ad scientiam simplicis intelligentiæ futuritio consensus liberi conditionata sub hypothesi tui decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad illud, atque futuritio conditionata caloris ab igne applicito, secluso vtrobique decreto omni actuali de conditionata alterutrius futuritione. Imò positis in hypothesi decreto prædeterminatiuo, & prædeterminatione consensus liberi, vt liberi (tuis verbis, & doctrina vtor) infallibilior necessariorque (vt sic loquar) est consensus liberi conditionata futuritio, quam caloris alteriusve naturalis effectus sub hypothesi suæ naturalis causæ applicitæ ad opus, cum ita applicita concursum ad opus, solum exigat à Deo, qui eius exigentiæ potest non annuere, vt de facto ignis Babilonici exigentiæ non annuit.

5. Idipsum de contingenti, & libera negationis consensus, sub hypothesi negationis decreti prædeterminatiui, & physicæ prædeterminationis, conditionata futuritione facilè discursu simili demonstratur. Nec video quid huic argumento responderi possit præter repugnantiam hypothesis Thomisticæ cum consensus contingentia, & libertate mihi certam, & inexitabilem: sed verò discursus nostri vitium hoc non est; sed doctrinæ Thomisticæ ad ipsum nunc permissæ, ac suppositæ: & ex qua legitimè procedit. Confirmatur: quia addito decreto hoc solum ex parte obiecti conditionato de futuritione conditionata consensus sub hypothesi decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad ipsum non infertur maiori necessitate, & infallibilitate conditionata eius futuritio, quam ex hypothesi præfata Thomistica: & tamen huius necessitatem illationis ab hoc decreto ad consensum scientiam de huius conditionata futuritione mediam esse negant, atque vel ad simplicem intelligentiam vt plurimum, vel ad visionem reuocant: ergo. Vrgetur: quia negationis consensus conditionata futuritio sub hypothesi negationis decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad illum præcisè æquè prorsus necessario, & infallibiliter infertur, atque addito decreto de eius negationis conditionata futuritione sub conditione negationis decreti prædeterminatiui, & prædeterminationis ad consensum: siquidem vtrumque principia, vel, si mauis, conditiones essentiales sunt ad consensum per hosce: quarè alterius, nedum vtriusque, defectu, & negatione suppositа siue posita in hypothesi, negatio consensus sub illa omnino necessaria est, & consensus prorsus impossibilis: quid ergo huic impossibilitati sub ea hypothesi, vel eius negatione, necessitatis, vt sub illa sit, & inferatur, vel decreti actualis denegationis consensus sub eadem hypothesi futuræ, vel negatio (si malueris consequentius) decreti de futuritione consensus sub hypothesi eadem superaddet?

6. Porro eo discursu eorundem iuniorum Thomistarum inconsequentias deprehendes. Positis enim absolutè, decreto prædeterminatiuo, & prædeterminatione sui consensus

consensus liber, necessario tamen, atque infallibiliter tunc actu, & de præsenti absolutè per eosdem est: ergo eis tantum positis in hypothesi idem concursus sub illis conditionate erit per eosdem, si consequentiæ habeatur ratio. Probatur consequutio quia quidquid absolutè positum infert absolutè, & de præsenti necessario, & infallibiliter aliud, positum sub conditione infert necessariò, & infallibiliter fore conditionate sub ipso; alioqui, si sub eius hypothesi conditionate non erit necessariò, & infallibiliter, neque eo absolutè & de præsenti posito necessariò, & infallibiliter absolutè erit infereturve actu, & de præsenti: est quippe ab existentia absoluta effectus à causa absolutè existente, ad existentiam, seu futuritionem conditionatam illius sub eadem causa in hypothesi posita & è contra mutua, & ineuitabilis consequentia: cui veritati initiatur explorata apud omnes bonitas syllogismorum omnium conditionalium; in quibus ex vera, & admissa propositione conditionali pro maiore, & punctata conditione pro minore, certo, & infallibiliter infertur absoluta existentia effectus, qui in maiore fore conditionaliter dicebatur. Atque id quidem vniuersim absque vlla exceptione, & in materia omni verissimum & statum apud Dialecticos est. Confirmatur in syllogismis conditionalibus materiæ necessariæ causarum necessariarum, seu naturalium, ad suorum naturalium effectuum, & necessariorum existentiam: in quibus purificata conditione in minore, sub qua effectus necessario futurus in maiore dicebatur, rectè infertur effectum absolutè, necessarioque existere, atque ideo aduersarij ad conditionatam futuritionem effectus naturalis, & necessarij à naturali causa, decreto actuali de illa abstinent: est autem connexio, & necessitas maior consensus absoluti à prædeterminatiuo decreto, & prædeterminatione absolutis: ergo ex præfinitione (& idem est, de physica prædeterminatione) Dominicanorum, seu Thomistarum iuniorum posita in hypothesi absque vllo actuali decreto, necessario erit consensus (liber etiam, vt hi volunt) conditionatè: & certo, ac infallibiliter à Deo iuxta eorum principia cognoscetur.

7. Minor probatur: quia connexio causæ physicæ necessariò operantis, ac de esse determinata ad suum effectum, solum est connexio physica cum illo fundata in indigentia diuini concursus, quam ratione determinationis suæ ad causandum exigit à Deo, cum autem eiusmodi exigentiæ possit pro suo absoluto arbitrio, dominio, & potestate Deus non annuere (vti igni Babylonico non annuit) solum est in causa eiusmodi naturali, & necessaria in hypothesi ad effectum sub illa conditionatè futurum connexio physica, & naturalis, atque conditionati sub illa necessitas naturalis, & physica, non autem, metaphysica etiam necessitas, & certitudo; quæ tamen ex præfinitione, & prædeterminatione physica ad consensum liberum, etiam vt liberum (vt iuniores Thomistæ volunt) omninò est: quod si dicas non solam causam naturalem poni in hypothesi, sed decretum etiam Dei concurrendi cum illa, æqua quidem erit necessitas effectus; & connexio conditionis, seu principij adæquati positi cum illo: at, cum æquè necessarius sit liber consensus ex præfinitione, ac prædeterminatione, ac reliquis principiis suis, si hæc omnia in hypothesi ponantur, æquè necessariò, & infallibiliter erit conditionate consensus idem liber, atque sub hypothesi decreti, & causæ naturalis erit necessarius, & naturalis effectus absque vllo ex parte actus absoluto decreto in Thomistarum iuniorum principiis: quod est huiusce confirmationis intentum.

8. Tertiò inconsequenter Thomistæ iuniores decretum hoc absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti ad futuritionis contingentis conditionatæ constantiam, & existentiam inducunt: ipsi enim ad malitiam formalem peccati pro statu absoluto ipsius, nedum conditionato, præfinitionem absolutam Dei, siue eius absolutum ex parte actus decretum omninò reiiciunt; licet ad materiale peccati non satis bona, vt ostendam, consequentia efficax Dei decretum, & præfinitionem admittant, atqui malitia formalis peccati (in quocumque demum ea sita sit) est futurum contingens sub hypothesi præfinitionis de materiali peccati, vel, si malunt, etiam ex præfinitione absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti de materiali eodem peccati: ergo contingens conditionatum eiusque conditionata futuritio contingens in horum doctrina absque vllo decreto sui, vel præfinitione diuina absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti constare, ac suo modo potest existere. Quod si dicant, vt inconsequentiam eiciant manifestam, Deum absolutè ex parte actus conditionatam formalem malitiam peccati præfinire: & suam doctrinam deserent, atque rationi, & fidei aduersabuntur: etsi enim Deus ob solum conditionatè existentia peccata, qua peccata etiam formaliter, vt in eo statu præcisè, nondumque ad absolutam eorum existentiam deducta non puniat; ast cum purificata conditione præfinitio Dei conditionata ex parte obiecti, vel seipsa, vel alia, quam de eodem obiecto necessario infert, transeat in absolutam: absolutam omninò præfinitionem formalis malitiæ absolutæ peccati, ob quam Deus punit, atque, ob quam solum hæreticum fuisse Caluinum & sequaces à sua Thomistica diuersos, iidem fatentur, admittere coguntur. Rationi insuper aduersarentur, si id dicant. Quid enim à ratione magis alienum, quam malitiæ formalis absolutæ existentiæ decretum Dei absolutum ex parte actus denegare, & solum conditionatæ, suspensæ, & sub hypothesi malitiæ eiusdem existentiæ, seu futuritioni, decretum Dei ex parte actus absolutum concedere: cum cuiusvis absoluta existentia Dei nutu, & decreto in primis, & explorato egeat; secus autem existentia eiusdem conditionata, quæ absolutè talis non est, sed solum esset, si conditio apponeretur?

9. Si dicant rursus formalem peccati malitiam necessariò, & ineuitabiliter, etiam à Deo, materiale peccati consequi debere: quare decreto absoluto ex parte actus ad futuritionem conditionatam sui minimè egere: bene quidem, ac verè dicent; sed dabitur hac solutione hoc totum, quod intenditur: nempe posita in hypothesi conditione, & causa, seu principio, ex quo absolutè posito liber consensus, & contingens necessariò absolutè erit, satis in eorum doctrina esse, vt ille idem consensus, contingens, & liber sub conditione sit, quin decreto vllo absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus habeat. Quod si tandem dicant formale, siue malitiam peccati, quid rationis esse: quare ab huius conditionata existentia ad existentiam realis contingentis futuri independenter à decreto absoluto ex parte actus consequentiam non esse: cum id solum quod reale est à Deo, eiusque decreto pendere possit; secus autem, quod est pure rationis: facilè impugnantur; quia non agimus de malitia formali purè rationis & ficta, sed vera, & reali, & ob quam damnantur, & puniuntur peccatores. Secundo loquimur de malitia formali, quæ necessario consequitur materiale peccati cum ipsa connexum, independenter prorsus ab omni intellectus cognitione; à qua tamen quidquid purè rationis figmentum est, omninò ac necessariò dependeti quare locum eiusmodi solutio non habet.

CERTAMEN II.

Decreti huius impugnatores.

1. DEcreta eiusmodi ad contingentium conditionatam futuritionem apponendam reiiciunt in primis omnes nostri Iesuitæ Doctores; etsi enim Ioannes Martinez de Prado Dominican. pro eis falsò recitet in Controuers. metaphys. 2. p. controu. 12. ar. 3. §. 3. num. 45. Nostros Henriquez Pereiram, Azorium, Michaelem Marcos, Ferdinandum Bastida Toletum, & Bellarminum; eos tamen ab hac impostura aperte vindicarunt Paulus, Leonard. 2. p. sect. 15. Fasol. 1. p. qu. 14. art. 13. num. 184. Henao ventilatione 5. Borrul. defens. Scient. med. d. 5. à sect. 4. & ex citandis eorum doctorum locis statim impostura clarebit. Omnes igitur Iesuitæ nostri Doctores eis decretis aduersantur. Primus, etiam ante Molinam, omnes connexum cum consensu & huic naturæ præcedens, vti eius libertati

aduersum, negauit noster Alfonsus Deza in manuscript. de Scientia, qui in Collegij nostri Complutensis archiuo obseruatur, Molina 1. p. quæst. 14. concl. 1. & in concord. quæst. 14. art. 13. d. 50. §. *Triplicem sententiam*, & qu. 23. art. 4. & 5. d. 1. m. 9. §. *& quidem Deus*, & m. vltim. Fonseca 6. met. t. 3. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. §. *vnde aperte*, & sect. 10. ad 3. Soarius 2. opusc. de Scientia conditionata cap. 7. numer. 15. cap. 8. num. 8. & Prolegom. 2. de grat. cap. 5. Valent. t. 1. quæst. 14. d. 1. pu. 5. §. 2. versu *Secundum est, & Nunc his ita explicatis*, Vahg. 1. p. tom. 1. d. 67. c. 4. n. 21. Bellar. 2. de amiss. grat. cap. 17. ad 1. rationem & 4. de gratia, & libero arbitrio c. 12. & 17. Cardin. de Lugo d. 20. de Incarnat. sect. 2. n. 33. fin. Becan. 1. p. tract. 1. c. 11. qu. 9. concl. 1. & qu. 11. n. 2. qu. 12. concl. 1. Egid. Koninch. de fide d. 2. dub. 7. n. 10. 7. Ludou. Torres de fide d. 75. dub. 3. Ant. Rub. 2. Physicor. tract. 4. quæst. 8. Conimbr. cap. 5. Physicor. quæst. 13. Didacus Ruiz de Montoya d. 70. de Scientia, & sequentibus; imò, & sæpius in antecedentibus Arrubal 1. p. d. 41. cap. 3. d. 46. c. 1. Herize tract. 1. de Scientia d. 7. c. 7. Granad. tract. 5. de Scient. condit. d. 4. n. 4. d. 8. sect. 1. num. 7. sect. 2. num. 10. Aibertin. quæst. 4. Theolog. corollar. 4. dub. 2. num. 4. Mærat. tom. 1. tractat. de Deo d. 28. sect. 4. §. *Ex his constat*. sect. 5. concl. 3. Adam Tannerus 1. p. d. 2. qu. 6. dub. 8. assert. 3. Fasol. 1. p. tom. 2. qu. 14. art. 13. dub. 17. num. 283. Lessius Apolog. de grat. efficacia cap. 19. n. 18. & 6. de Diuinis perfectionibus cap. 2. num. 22. Alarcon. 1. p. tract. 2. d. 4. cap. 6. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 3. d. 1. sect. 6. & tr. 5. d. 3. sect. Dionys. Petauius tom. 1. Theologicor. Dogm. lib. 4. cap. 8. Marc. Anton. Palumb. 1. p. qu. 14. doctrina 4. Anton. Perez Valiende 1. p. d.... n. 88. Iul. Cæsar. Recupit. tom. 2. in 1. p. lib. 2. qu. 27. & 28. Franciscus Gonzalez de S. Crux, Bartholom. Amic. & Baltazar, Tellez in suis Physicis, Sforcia, Palauic. 1. p. & 1. 2. Anton. Richard. d. de lib. arbitr. Responsione ad obiectiones Vincentianas; Petrus Hurtado d. 9. de anima, & d. 55. de Incarnat. sect. 2. n. 54. Gaspar. Hurtado tract. de Scient. diff. 10. Moncæus d. 3. Theolog. c. 9. §. *Iam ostendo*, cap. 16. §. *At in primis*, Ragusa d. 30. de Incarnat. §. 5. Theophil. Raynaud. d. 8. Theolog. natur. qu. 1. art. 2. num. 37. de noua libert. p. 2. c. 8. num. 3. Martin. Bresser. de Conscient. cap. 19. n. 257. Gualtherius sæculo 1. Chronolog. verit. 4. §. 24. & sæculo 4. verit. 4. §. 13. Salazar. de Concept. cap. 9. num. 32. cap. 24. num. 60. Burghesius continent. Christian. cap. 11. & 12. Ioan. Martin. Ripald. de ente supernaturali d. 103. Franciscus Amicus d. 12. de Scient. sect. 12. n. 200. Ioann. Præposit. dissert. de Scient. med. dub. 2. Arriaga d. 8. de anima sect. 3. subsect. 2. & d. 21. de Scient. sect. 2. Zuniga d. 9. de Trinitate d. 7. m. 2. num. 8. Hemelm. tom. 2. cit. 13. d. 1. c. 4. num. 26. tit. 14. d. 2. cap. 3. num. 7. VVadingus d. 9. de Incarnat. d. 4. numer. 21. Perlin. Apolog. Scholast. Proconcept. d. 4. cap. 4. num. 1. cap. 11. num. 2. Francisc. de Lugo 1. p. lib. 1. d. 32. ante cap. 1. d. 37. cap. 1. num. 7. Martinon. d. 10. de Scient. sect. 10. Francisc. Alphons. 2. Physic. Bernald. d. 18. de Incarnat. sect. 3. num. 53. Ludouic. Ribas d. 6. de Scient. cap. 5. num. 44. Martin. Perez ab Vnanoa d. 13. de Incarnat. sect. 2. numer. 8. Alderete de Incarnat. tom. 1. d. 21. sect. 1. Gaspar de Ribadeneyra d. 3. de prædest. & d. 20. & 21. de Scient. Chrystophor. Vega in Theologia Mariana Paletra 2. certam. 3. & 4. Carteton. d. 46. Philosoph. sect. 4. Ildefons. Peñafiel d. 5. de posterior. resolut. Ordine vero 14. quæstione 1. numero 10. & d. 9. quæst. vltim. section. 3. Franciscus Annato tota fere defens. celebri Scient. med. Richard. Lynce tom. 1. Philosoph. lib. 10. tract. 4. c. vltim. Azor. t. 1. lib. 1. cap. 21. quæst. 8. Bernald. Quiros 1. p. tract. de Scient. d.

2. Et hi quidem ex nostris qui Scholasticè scripserunt è scripturæ interpretibus Cardinal. Tolet. ad cap. 10. Lucæ annotat. 18. notab. 5. Alphonsus Salmeron tom. 4. in Euang. p. 3. tract. 14. §. *Ad secundam quæstionem*, Cornel. à lapide in cap. 38. Ierem. v. 17. in Epistol. 2. ad Timoth. cap. 2. vers. 19. Lorin. in cap. 4. Sap. v. 11. & in cap. 11. v. 18. Iustinian. in cap. 3. ad Ephes. vers. 11. à ventilat. 17. Canisius append. Carhech. de hom. lapsu & iustificat. cap. 5. Maldonat. in Euang. in cap. 6. Ioan. ad illud, *nisi Pater meus traxerit eum*, numero 67. in cap. 13. ad illud *Manete in me & ego in vobis*, num. 4. Barradas tom. 3. cap. 11. ad id Lucæ: væ tibi Bethsaida, Fernand. de visionib. veter. test. vis. 6. cap. 3. comm. 1. sect. 1. numero 1. Francisc. Mendoza tom. 1. in 1. Reg. cap. 11. numero 26. annot. 1. circa literam. numero 1. Iacob. Pinto 2. de Christo Crucifixo titul. 1. loco 1. numero 13. Tirinus in epist. 2. Petri cap. 1. vers. 13. Corizen. in cap. 9. epist. ad Rom. cap. 9. vers. 11. quæst. 7. §. 6. Gabr. Aluar. tom. 2. in Isai. cap. 40. vers. 11. numero 299. cap. 41. vers. 22. numero 256. Gordonus in cap. 4. Sapient. vers. 11. & in 2. ad Timot. cap. 3. vers. 19. Vincentius Reg. tom. 1. Concor. Euangel. lib. 4. Theor. 1. in 1. Bonarcius in cap. 16. Eccl. vers. 16. Didacus Baeza tom. 3. comment. moral. lib. 14. cap. 16. §. 35. Ioan. Philippæus tom. 1. in Ofæam cap. 2. vers. 13. cap. 4. & 11. Viegas, & Guevara apud Ripaldam de ente supernat. d. 113. num. 25. Anton. Escou. tom. 1. problem. moral. lib. 1. numero 5. Sherlog. tom. 1. in Cant. antelog. 4. sectio. 1. numero 7. Delrius in cap. 6. Genes. vers. 8. num. 21. in cap. 50. vers. 10. numero 11. Ludouic. à Ponte tom. 1. in cant. exhortat. 6. §. 1. Masucius in vita S. Pauli lib. 2. cap. 2. Ioannes VValtcrius de triplici cœna Christi cœna 2. cap. 13. Combrecius de studio perfect. lib. 1. cap. 4. num. 11. Salian. 2. annal. annot. mund. 2543. numero 52. Ioannes Anton. Velasquez in cap. 1. ad Philippens. vers. 11. annot. 5. morali numero octauo, Andræas Pintus de concept. numero sexto, Henao propugn. historica Scient. mediæ cum aliis apud quem vent. 17. Ioann. Marian. Gaspar Sanchez, Ioann. Rodolph. de Cordoua, Borruil. defens. Scient. med. d. 5. apud quem sect. 5. præfatos omnes citatos merito reperies omnem physicam prædeterminationem præfinitionem diuinam ad futuritionem contingentium, siue absolutam, siue conditionatam ac de eis scientiam auersantes, scientiamque mediam, quæ non, nisi ab hoc decreto independens esse potest pro virili adstruentes.

3. E non domesticis Scholis sed externis ea decreta reiiciunt Parisiensis Petrus à S. Ioseph congregat. Fulien. tract. de diuina gratia d. 7. section. 3. & de suavi Concord. human. d. 4. section. 4. numero 4. Abra de Raconis tract. de principiis section. 3. quæstione 2. propos. 1. fine, §. *Respondeo ad maiorem*. Philip. Gam. 1. 2. quæstione 111. cap. 6. de grat. effic. conclus. 2 ad 4. §. *Vbi obserua*. Andræas Duuallius tractat. de actionib. hum. titul. *vtrum præfinitio*, §. *Hoc autem*, & titulo, *quomodo concilietur* tractat. de grat. quæstione 6. ad 4. & quæstione 7. ad 4. Nicolaus Izambertus & Geruasius Bigonius apud Henao ventilat. 3. E Salmantina Academia Primarij Professores Antolinez Archiepiscopus Compostell. lectura de auxil. diff. 3. §. *Tertiò dicendum*, Francisc. Corneio lectura de Scientia d. 5. dub. 3. Curiel. controuers. 7. aliàs 1. in cap. 4. Sapient. articul. 4. num..... & controuers. 2. in cap. 1. epistol. 2. Petri ad itl *Satagite vt per bona opera*, numero 208. Illustriss. Angelus Mantique Lectura de auxiliis dif. 6. cap. 1. & sect. de Scient. dif. 7. e vespert. eiusdem Acad. professoribus, Alfonsius, Mendoza in quodlib. quæstione Scholast. numero 4. & 16. ad 3. §. *ex his expedite*. & §. *Non vt vulgaris*, & conclus. 5. numero 13. §. *Adde*, citans Guevaram Marquez Epist. ad R. P. Baptistam Pamcinas Guevaram Marquez Epist. ad R. P. Baptistam Pambinum die 28. Septembris anno 1600. apud Paulum Leonardo, responso ad expostulat. cont. Scient. med. 1. p. sect. 10. numero 43. ex Acad. Complut. Professores primarij Ludouic. Zena Episcop. Destusen. in cap. 4. epist. ad Hebræ. dif. 6. & cap. 12. expos. lit. numero 59. §. *ex quo contra*, Ludouic. Montesinos 1. 2. tit. 2. quæstione 19. articul. 2. d. 10. quæstione 3. *Ad confirmat. Durandi*, & quæst. 111. art. 3. d. 31. quæst. 2. numero 44. Lorca 3. p. qu. 1. art. 3. d. 10. m. 2. num. 26. Andr. Henriq. de Villegas de Deo vno controuers. de Scient. conditionata & 3. fin. Albiz tract. 1. de Scient. d. 7. sect. 5. num. 6. sect. vlt. Ex Academ. Louanien. Driedo, Ruard. Tapper, Cunerus & Stapletonius citati & ab oppositi impostura vindicati certam. 1. Ioann. Malder. Episcopus Antuerp. 1. 2. quæst. 111. art. 3. Ioann. VVigueriis 1. 2. quæstione 111. art. 3. quæsito 2. numero 33. Et reliquas Academias nobis donat Viues sed iam Louanien. pro se referens; neque tamen, qualem vidimus, sed qualem inchoarit Michael, Baius, & fecit Cornelius Iansenius quinque suis propositionibus damnatis primum ab Innocentio 10. anno 1656. 17. Kalend. Nouemb. eius Academiæ cunctis cœtu Catholicis Doctoribus contra illorum errores pugnantibus, &

& de Pintiana Moguntina, Hiperbolensi Liguntina Grafiarensi, & aliis à nobis stare ostendit Paulus Leonard. 3. p. respons. sect. 6. de Valentia totam illam cotam in testes viuos aduocans. Idem testatur Borrull. sect. vltim. n. 370. citans eius præcipuos Magistros Ludouicum Crespi Primarium Episcop. Oriolens. postea Placentinum Lect. de auxiliis & de Scient. & de prædestinat. Iosephum Verge Primatium lecturis similibus Melchiorem Iuster. tract. cuso. de volunt. Dei numero 583. Bonauent. Querau, Chrysostom. Royo & Cai eiui lectura de scientia.

4. Nec desunt nobis ex sacris Religionibus omnibus auxiliares Doctores eorum præcipui ex ordine Benedictino Caramuel Thes. 6. fundament. Theolog. à folio. 27. concluf. 2. & 3. quibus Physicas prædeterminationes, & præmotiones, diuinas circa contingentia, tum conditionata, tum absoluta auertatur; licet aliunde Scientiam nostram mediam reiiciat; ex Cisterciensi S. Bernardi Ordin. nobis consentiunt Petrus à S. Ioseph, inter Parisienses, Angelus Manrique, inter Salmantinos, Lorca inter Complutenses relati; item Eustachius à S. Paulo 2. p. Summ. Philos. tract. 2. d. 1. quæstione 3. §. *Verum & libere* Chrysostom. Cauetus Primarius tandem Complut. Professor tractat. 2. Physicor. d. 4. numero 9. ex Dominicana familia illi in primis Primores, quos ab impostura oppositæ sententiæ per suos liberauimus certam. 1. numerandi sunt, aliique ibidem contra decreta, & contra certam Dei scientiam conditionatorum tam ibi quam d. 5. recensiti: & quod caput est S. Thom. locis apertissimis recitandis controuers. 3. docens expresse causas creatas secundas liberas, nullatenus determinata causa vlla superiori ad suos liberos effectus; quod, & quia vniuersale est ad conditionatos etiam effectus extenditur: & quia tam generalis conclusio, quam rationes, quibus illud probat de absolute futuris liberis effectibus (qui dubio procul ratione absolutæ existentiæ ad Dei præfinitiones absolutas, quam conditionatas apparentius videntur habere) potiori iure in conditionatis solum debent tenere. Addendi etiam eodem titulo sunt Magister Generalis Delphinus, vnus è Tridentinis Patribus 5. de iustificat. §. *de multiplici gratia* Dei pag. 205. & de multiplici gratia Dei pag. 14. vbi omnem Dei prædeterminationem ad actus nostros liberos auertatur, & tandem Ledesma de auxiliis pag. 7. pro nostra hac sententia refert Capreolum, & Caietanum.

5. Ex amplissima Seraphici Francisci familia Hugo Cauellas lib. 2. dif. 37. quæstion. 2. scholastic. ante solutionem, pro hac eadem Sentent. referens Bassolid. Tartaret. Angles, Maior. & 1. Sent. dist. 39. quæst. 5. in Scholio post num. 22. §. *quantum ad secundum*, Vegam. & tom. 3. eius. Lugdunens. in tract. Scoti de primo principio cap. 4. concluf. 4. numer. 8. Scholio 3. & in eius supplemento ad quæst. de anima d. 3. section. 14. Scotum pro nobis ostendit: atque alibi sæpe. Philip. Faber in 1. Sentent. 6. 39. d. 54. cap. 4. num. 37. cap. 5. num. 47. & 49. Hieronym. Tamaric à Tamaria Horib. Theolog tract. de Scient. qu. 2. Bernisse tom. 2. metaph. cap. 3. p. 5. qu. 3. ante 1. Concl. Gerans præterea Caspensem tom. 1. tract. de Scient. d. 6. sect. 6. Ludouic. à dola d. quadripart. p. 1. cap. 3. num. 8. §. *Hæc enim præsupposita*, Cartheg. discursu 9. de Præd. est. d. 4. pag. 281. & d. 10. dub. 2. pag. 337. dat item nobis Ledesma cit. pag. 7. Alensem, Bonauent. Marsil. Gabriel. Gregorium Henricum: item Smising. tract. 3. de Deo vno d. 2. quæst. 4. num. 69. apud Pasqualigum infrà sect. 4. numer. 29. de absolutis contingentibus futuris loquentes licet de hoc apud eundem d. 26. sect. 2. num. 12. in oppositum referatur ex quæst. 5. num. 139. Ex Augustiniana familia præter citatos Salamantinos, & Complutenses Antolinez, Corneio, Basil. Mendoza, Marquez, Albiz Professores Ioannes Puteanus Primarius Tolozanæ Academiæ, Gabriel Pennotas Canon. Regular. S. Aug. propugnaculo sum. libert. lib. 3. cap. 28. 29. & 30. Cælestinus Brunus in quodlibeto d. 13. de Scient. §. 8. Ex Carmelo Calceato Bacon. peruetustus doctissimus, & subtilissimus, Gilius Complutensis Primarius etiam Complut. Benauides, atque vno verbo reliqui ex sacro hoc ordine, qui ante triginta retro annos, vel Compluti, vel Toleti Scolasticam Theologiam docuerunt tractat. de Scient. prædest. volunt. auxiliis, quos vidimus, & audiuimus, secuti & reliqui eius ordinis Magistri in Regali suo Conuentu Valentino ad hæc vsque tempora oculato, & aurito teste Borrull. cit. d. 5. sect. vltim. num. 372. fine. Ex ordine Beatæ Mariæ de Mercede Zumel supra: Ex ordine Sanctiss. Trinit. Anton. Alos. Lectura de Scient. Dei, ac reliqui eius ordinis apud Hispanos Theolog. Professores si vnum excipias qui nouem retro annis, & à se & à suis non à Theologica ratione sed politica causa deficiens à Scientia media defecit, ad quam tandem ratione cogente, iam rediit. Ex ordine S. Francisci de Paula Durullæus in Dialectico Theca lib. 2. c. 8. titulo *Aliqua argumenta*, & titulo *quomodo stent simul*, §. *Amplius probatur*, & titulo *soluitur quodam*. §. *infertur tandem*. Marinus Mersennus in 1. Genes. v. 1. art. 5. obi. 10. & 17. Claudius Rangolius in 1. Reg. c. 13. vers. 4. tit. *quomodo intelligendus sit*, §. *Ex his sequitur*. & §. *His ita explicatis*, & vt semel dicam, in nostra Hispania Omnes huius Ordinis Magistri, quod ipsum de reliquis eius vbiuis gentium professoribus reor: ex Patribus Clericis Minoribus Raphaël Auersa Præpos. Gener. 1. 2. quæst. 10. de libert. volunt. sect. 2. argum. 5. sect. 3. §. *in hac re* è Seruitis Balonius de prædest. cap. 8. Ex Clericis Zacharias Pasqualig. tom. 1. suæ Theologiæ d. 25. sect. 4. concluf. 1. licet in vtramque partem claudicare videatur d. 26. à sect. 2.

6. Denique ex sæcularibus Doctoribus præter citatos dum Viues detegeremus impostura Illustr. D. Ferdinand. Mascarenas Algarb. Episc. general. apud Lusitan. fidei quæsitor de auxil. d. 12. p. 3. n. 23. p. 4. num. 27. d. 3. p. 4. num. 6. Illustr. etiam Diota Leuius Episcop. S. Angeli Legatus à Latere Poloniæ sub Paulo V. opusc. 2. de Scient. condit. c. 5. probat. 3. & 4. Pesantius Romanus Eques in vtroque iure, & Theologia Doctor. 1. p. quæst. 14. art. 13. d. 5. concluf. 4. & 5. & quæst. 23. art. 5. d. 7. & 12. quæst. 111. ar. 5. ad 4. notab. 2. Gundisalu. Sanchez, Lucero discursu de Concep. cap. 5. Thomas Pius 1. p. quæstione 14. art. 13. dub. 3. numero 5. dub. 4. numer. etiam §. Eugen. Philadelphus exercit. Scholast. tripartita cap. 1. coroll. 36. cap. 3. §. 8. versu *quinto quod dicitur*: Illustriss. D. Ioannes Iannis de Echalas Calaguritan. Episc. tract. 6. Log. d. 32. cap. 3. num. 27. Quibus adde ex antiquioribus Abulensem, & Valdensem teste Zumel tom. 5. variar. d. 5. section. 1. Philiarcum & Camerarium teste Herrera tom. 1. in 1. Sentent. d. 24. quæst. vnic. Pyghium, [illegible]ozium, Syrenium Sadoletum, Cordubensem & Vegam teste Ledesma citata pag. 7. de auxiliis.

CERTAMEN III.

Decreta eiusmodi ad conditionatæ futuritionis contingentium statum ex Scriptura reiiciuntur.

1. DEcreta hæc ad conditionatam contingentium futuritionem stabiliendam reiici ex eis omnibus scripturæ locis possent, quibus absoluta nostrarum actionum electio, & determinatio & potestas ad eas apponendas, indifferens, dominium in arbitrio nostro asseritur: si enim ante conditionatum consensum nostrum efficaciter decretum, præfinitumque à Deo est, quid in quauis rerum peristhasi, & suppositione possibili prosequendum, agendumque à nobis sit: cum ea præfinitio purificata conditione, vel in absolutam transeat, vel absolutam aliam necessario, & ineuitabiliter inducat, cum qua, nec potestas indifferens, & dominium arbitrij nostri erga actiones suas, nec nostra item electio, ac determinatio ad eas apponendas queat consistere, aperte ex eis locis scripturæ decreta hæc conditionata ex parte obiecti, & absoluta ex parte actus conditionatam nostrorum actuum liberorum futuritionem causantia, & necessario præcedentia, confutantur: eis tamen nunc recitandis, expendendisque meritò abstinemus, quia opportunius controu. 3. contra necessitatem eorum decretorum omninò, tam ex parte actus, quam obiecti absolutorum (contra quæ ea Scripturæ loca directo decertant) ad absolutam contingentium futuritionem, ex eis locis pugnauimus.

2. Reiicienda ergo sunt decreta eiusmodi subiectiuè

absoluta, & obiectiuè conditionata è celebri illo loco Matth.11. & Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent:* vbi Christus iuste, & prudenter exprobrat incredulitatem, & impœnitentiam Iudæorum absolutam: quare sub eisdem virtutibus, & principiis ad illam absolutè datis, sub quibus, si darentur, Gentilium illorum fides, & pœnitentia conditionatè foret: atqui, si conditionatum obiectiuè, & absolutum subiectiuè decretum ad statum conditionatum fidei, & pœnitentiæ (& idem est si requiratur decretum absolutum omnino ad statum futuritionis absolutæ) necessarium sit, ea exprobratio Iudæis facta ex comparatione, & exemplo Tyriorum, nec sub eisdem principiis, ac proinde, nec iusta, nec prudens, sed ridicula, illusoria, & iniusta foret: ergo eiusmodi decreta conditionata obiectiuè, & absoluta subiectiuè ad statum conditionatum fidei, & pœnitentiæ Tyriorum, & consequenter reliquorum contingentium, (& idem est de decretis omnino absolutis ad contingentium absolutam futuritionem) minimè requiruntur: quod Christi exprobratio Iudæis facta comparatione, & exemplo Tyriorum iusta & prudens fuerit, nemo, non hæreticè blasphemus, negare poterit: quod autem inde inferatur debere esse ab exemplo, & comparatione fidei, & pœnitentiæ Tyriorum conditionatæ sub hypothesi eorundem omninò signorum, & principiorum, quæ absolutè data sunt Iudæis illis, qui nec crediderunt, nec pœnitentiam egerunt, probatur primò ex Aristotele cap.6. Ethic. & lib.3. Topicor. c.3. & lib.6. aiente argumentum omne à comparatione, & exemplo vim, tunc solum, habere, vbi cætera quæ à voluntate non pendent, paria omnino ad eius vsum apponuntur.

3. Id quod exemplis variis facilè ostenditur imprudenter enim, & iniquè reprehendas seruum, qui pecunia pauciore non tantum mercium tibi emerit, quantum alius tibi multo longè maiore pecunia comparauit. Ducem item, qui æquè potentem inimicum exiguis copiis non prostrauit, quem dux alius multis valde copiis disiecit: denique quod te non æquè amet, ac tibi minus subseruiat aliquis eo, in quem omnia beneuolentiæ tuæ signa contulisti, maioribusque longè beneficiis, & honoribus cumulasti. Præsto enim obiurgationibus tuis respondebit: alteri plus pecuniæ ad negotiationem, plures item copias ad pugnam, ampliora item annis signa, pignora & beneficia, te ipso fatente, collata à te fuisse: quare, nonnisi per summam imprudentiam, imò impudentiam, & iniuriam, sibi à te exprobrari, quod tantundem, atque alij, siue in negotiatione, siue in bello, siue in obsequiis tibi non præstiterit: quinimo in iudicio illo seruorum, quibus Rex talenta, & Minas ad negotiationē fuit impertitus, Lucæ 19, à num.13. & Matth.25. num.15, videas proportione seruata ad ea, quæ acceperant, bonum eorum vsum exactum esse: neque ignauum vnius talenti seruum, quod non tantundem, atque illi, qui quinque aut decem acceperant lucratus esset; sed quod nihil omninò negotiatus fuerat, fuisse damnatum, vt prudens, & iustum (vt oportebat) iudicium foret.

4. Inde verò prona est minoris discursu illo subsumptæ probatio: etenim, si decretum subiectiuè absolutum, & obiectiuè conditionatum ad fidei, & pœnitentiæ statum conditionatum requiratur: vtique decretum conditionatum ex parte obiecti, & subiectiuè absolutum de Tyriorum fide sub eis signis, & virtutibus adfuit; imò, si ad futuritionem earum absolutam decretum omnino absolutum necessarium sit, vt sub conditione illæ futuræ sint, decretum etiam hoc in hypothesi apponi debet eum signis, & virtutibus, quæ in illa hypothesi à Christo exprimuntur, & tamen reticetur nec pro conditione à Christo Domino cum reliquis apponuntur: in quo delusoria, fallax, & deceptoria ea obiurgatio (iuxta horum Thomistarum Recentium sententiam) deprehenditur: quia id solum, in quo Tyrij crediturī, acturique pœnitentiam paria Iudæis incredulis, & impœnitentibus à Deo reciperent exprimitur; decreta verò, quæ ipsis, non autem Iudæis, adfuerunt, quibusque necessario crediturī illi, & acturi pœnitentiam erant, & sine quibus in nullo statu, iuxta Thomistas, crederent, pœnitentiamve agerent consulto in obiurgatione illa, & captiose reticentur, ne expeditam, promptamque habeant Iudæi obiurgati excusationem, atque reprehensionis impietas & iniquitas deregatur. His enim decretis admissis, & statutis procliue erat ita reprehensorem redarguere; quonam (rogamus,) Tyriis deteriores durioresque sumus? an, quod illi sub his signis conditionatè crederent, eosque peccasse pœniteret? & nos etiam conditionatè crederemus, deberemusque de peccatis, si absolutum subiectiuè decretum, & conditionatum obiectiuè fidei, & pœnitentiæ nostræ sub eis signis, & virtutibus, & decretum omninò absolutum in hypothesi haberemus, sicut illi habuerunt? an, quod positis absolutè eis virtutibus, & signis tantum, absolutè, nec credidimus, nec doluimus? sed, neque illi, eis tantum absolutè positis, crederent, ac de peccatis dolerent, nisi decretum omnino absolutum adesset: quod si nobis adfuisset, vtique credidissemus, ac de nostris doluissemus peccatis: qua ergo fronte, æquitate, quave ratione, & iure quasi deteriores illis in virtutum, & signorum abusu à te reprehendimus, atque illi ob meliorem eorundem signorum ad fidem, & pœnitentiam præ nobis vsum laudantur? quibus sane si decreta illa sicut nobis desunt, defuissent, ne pro statu quidem conditionato, fidem aut pœnitentiam sub eisdem signis haberent, neque absolutam, etsi ea tantum signa absolutè exhiberentur.

5. Hoc argumento ita ferè à controuersiæ de auxiliis, & Scientia media initio Thomistæ iuniores vexari sunt, vt multa effugia incassum tentarint. Respondent primo obiurgatos à Christo Iudæos comparatione Tyriorum non ob fidei, & pœnitentiæ defectum, in illis, & earum in his conditionatam futuritionem, sed ob maiorem in illis facilitatem, & in his ad concipiendas eas duritiem maioremve; sed certe Christi Domini verba non de maiori, aut minori aliorum præ aliis, aut duritie, aut facilitate, quasi in actu solum primo, ad fidem & pœnitentiam, sed de fide & pœnitentia in actu secundo Tyriorum, & de actuali impœnitentia Iudæorum sunt, quam ibi Dominus reprehendit, cuique proinde fides, & pœnitentia opponenda erat. Atque id quidem expresse textus asserit, vt Patres plures dixerint. *Numquid possumus dicere* (verba Augustini sunt 9. de dono perseuer.) *etiam Tyrios, & Sydonios talibus apud se* (qualibus apud Iudæos) *virtutibus factis credere voluisse, aut credituros non fuisse: cum ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam?* Secundò: vbinam maiori, aut minori duritiei, & obstinationi, vel facilitati locus est ad fidem, & pœnitentiam siue absolutè siue conditionatè concipiendam decreta hæc Thomistica admittantur? siquidem nemo est, qui posito decreto subiectiuè absoluto, & conditionato obiectiuè consensurus conditionatè non sit requisitis reliquis in hypothesi positis: nec qui posito decreto absoluto, & purificatis reliquis requisitis, non sit absolutè consensurus: contra verò nemo est, qui eis decretis sublatis, sit vel conditionatè consensurus, vel absolutè. Denique maior hæc Iudæorum durities, minorque facilitas ad fidem, & pœnitentiam, quam Tyriorum alias, quam ex euentu an cōsentiri possit? prorsus ignoro. Maior quippe durities, minorque facilitas ad pœnitentiam, & fidem reprehensibilis ex maiori hominum in vitiis, fidei, & pœnitentiæ magis aduersis implicatione, & adhæsione stare solet. Tyrij autem, & idololatriæ erant maximè dediti (quæ fidei in primis aduersatur) libidini prostitutæ, & effræni (quæ in masculos etiam præceps iret) assueti: quæ sane consuetudo, vel maximè, corda ad pœnitentiam indurat. Ac tandem magicæ artes, & venefica vtrique (fidei scilicet, & pœnitentiæ) repugnantia commune, & frequens Tyriorum, & Sidoniorum vitium fuit: vbi ergo maior Iudæorum habitu, & in actu primo ad fidem, & pœnitentiam præ illis durities, & facilitas minor? in quibus nec tam perditi mores, nec idololatria; sed fides potius legis, quæ Christum ita prænuntiabat, vt ferè digito ostenderet?

6. His ipsis argumentis præclusa manet secunda solutio, quam ex Ledesma, Aluarez, & aliis adhibet, qui omnia miscet, ac mouet Ioan. à S. Th. d.20. art.5. scilicet increpari Iudæos, comparatione Tyriorum, quia sufficientibus auxiliis abutentes impedimentum apposuere gratiæ, & decreto efficaci Dei de sua fide, & conuersione: sed certe, si decretum, & gratia Dei efficax de sua fide, & conuersione ab intrinseco prærequi-

rantur ad pœnitentiam, fidem, ac quemlibet alium consensum nostrum, auxilium sufficiens non est, cuius esse in nobis abusus possit: neque fieri potest, vt decretum de fide, & conuersione impediatur per eorundem omissionem, vt ostendemus controuers. 3. ac non habito decreto Dei omissionum earum, in quo eadem instauratur difficultas: solum ergo abusus sufficientium auxiliorum antecactus, quibus se indigniores Tyriis reddiderant Iudæi, diuinis decretis suæ conuersionis, & fidei eorum impedimentum esse potuit, iuxta hanc solutionem, quæ eisdem quibus prima confutatur. Primo, quia est contra Textum, in quo non peccata, & abusus sufficientium auxiliorum, quibus se anteà indigniores Tyriis reddiderant Iudæi, sed fidei, & pœnitentiæ omissio reprehenditur. Secundo indignitas ob abusum auxiliorum sufficientium per anteacta grauiora, & frequentiora peccata Tyriis, quam Iudæis, maior erat, vt vidimus. Tertio, etsi maior in Iudæis esset, nec de ea ex comparatione ad Tyrios poterant reprehendi cum maioris sui abusus auxiliorum sufficientium per anteacta grauiora, & frequentiora peccata, & omnia, & singula eandem excusationem haberent: quod, scilicet, Tyriis quæ ipsis defuerunt decreta adfuissent, vtramque solutionem his fere in Luisio Caluinista reiicit Annatus noster d. 1. defens. scientiæ mediæ.

7. Respondent tertio apud Borrull. d. 6. sect. 2. n. 37. Reprehensionem quidem fuisse ob defectum fidei, & pœnitentiæ actualis Iudæorum sub eisdem signis, sub quibus essent illæ in Tyriis, si hæc eis exhiberentur; sed tamen non fieri comparationem relate ad principia interna, saltem ad decreta Dei: sed in primis: cum externa signa satis non sint ad pœnitentiam, & fidem, vt contra Pelagianos statuunt Augustinus, Prosper, & reliqui Patres, & Concilia, inepta esset reprehensio: quod non haberent sub externis solum signis fidem, & pœnitentiam, quam nec ipsi sub eis solis habere poterant; nec Tyrij etiam essent, si eis exhiberentur solum, habituri, quorum, comparatione reprehendebantur. Secundo, etsi addant principia fidei, & pœnitentiæ interna (decretis necessario prærequisitis ad illas in horum sententia exceptis) est adhuc inæqualitas in iis, quæ ex parte principij daret, imo dedit, ad statum conditionarum de facto Deus Tyriis cum eis signis & virtutibus; quæ tamen Iudæis non dedit: ita respondentes non nominauit Borrull. æstimo autem eos esse Albeldam 1. p. d. 43. num. 80. Franciscum Fœlix de scient. c. 6. diff. 2. & Ioann. à S. Thom. art. citat. 5. dicentes, cum eis signis habuisse Iudæos auxilium sufficiens, licet decreta Dei non habuerint: in eis autem habuisse posse, & potestatem absolutam ad fidem, & pœnitentiam, quibus abusi proinde sunt in omissione fidei, & pœnitentiæ, possuntque reprehendi, non solum absolute, sed comparatiue ad Tyrios, qui insuper fidei, & pœnitentiæ suæ conditionatæ decretum absolutum subiectiue, & conditionatum obiectiue habebant, & in hypothesi cum signis, & virtutibus decretum de absoluta earum futuritione, & efficax de se auxilium ad ipsas: iuste autem in iudicio damnabuntur omnium sententia, qui sufficientibus abusi fuerint, etiam comparatione eorum, qui habuerunt efficacia auxilia, quibus bene sunt operati: imo comparatione Apostolorum Beatissimæ Virginis, & Christi Domini.

8. Verum, sic etiam explicata solutio, nullatenus difficultatem emollit. Et primo, si decretum, aut auxilium ab intrinseco efficax prærequiratur ad fidem pœnitentiam, aliumue actum liberum non dari in eo, cui illa desunt, auxilium sufficiens, certum mihi est, vt suis locis aliis omnibus ostendemus: quare, neque potestas Iudæis, quibus decreta illa defuerunt, siue pro statu condicionato, siue pro absoluto ad fidem, & pœnitentiam esse vsquam potuit. Secundo; licet in nostra opinione, quæ prærequisita decreta, & auxilia de se efficacia non admittit, sed solum ex bono vsu voluntatis iuste damnentur mali ob præuium sufficientium auxiliorum vsum; in aduersariorum vero sententia, cum auxilia sufficientia reipsa in peccatoribus non sint, nescio quo pacto ob eorum abusum possint in iudicio damnari, ac reprehendi: sed esto: sint in eis, etiam in aduersariorum doctrina auxilia sufficientia, & absoluta potestas ad fidem, & pœnitentiam atque vniuersim ad non peccandum: sitque proinde in illis eius auxilij, & potestatis abusus reprehensibilis absolute iniusto Dei iudicio; at vero comparatiue ad iustos Beatissimam Virginem, & Christum Dominum, quibus decreta, & auxilia efficacia de se connexa, & inseparabilia à fide, & virtutibus ex parte principij adfuerunt, quo pacto damnari & reprehendi iure possint, non video, quin excusationem præfatam in promptu habeant, & iustissimam reprehensionis comparatiuæ querelam! Obiicientur quidem sancti Apostoli, & Beata Virgo, &, si placet, Christus etiam Dominus, vt comparationis extremum geometrice quidem non arithmeticæ: quia impij pro suo gratiæ modulo non operati sint, minimum adhuc, quod poterant: cum illi, summum, quod, gratia ipsis collata, potuerunt, fuerint operati; aut eandem fidem, & pœnitentiam ab vno à Deo minoribus subsidiis præuento; imo necessario prærequisitis ad illas orbato, quam ab alio his omnibus præmunito exigere, & omissionem comparatiue reprehendere atque eius exemplo damnare, imprudens prorsus est, & iniquum.

9. Respondent tandem communiter cum Ioanne à S. Thoma citato: potestatem in Iudæis, quibus decretum, etiam conditionatum obiectiue, defuit, æquam fuisse ad fidem, pœnitentiam, atque Tyriis, quibus illud adfuit, adfuisseque omnino absolutum; si signa, & virtutes adhiberentur: quia decreta eiusmodi pro nullo futuritionis statu potestatem ad illas, aliumue actum liberum constituunt; sed, sufficientibus auxiliis solis constituram, applicant ad actum infallibiliter pro statu, quo præfinitur exercendum: vbi autem æqua est potestas reprehensio in abutentes illa comparatiue ad bene vtentes eadem, vel æqua omnino potestate merito cadi permittimus, quod falso, & implicatorie supponit solutio, de æqua potestate, & eius adæquata constitutione per auxilia sufficientia in horum præmentium sententia, vt proxime indicauimus, & aliis in locis monstratur. Hoc tamen ita permisso, negari ab aduersariis nequit per hanc applicationem potestatis, æqualis etiam, per decretum antecedens de fide & pœnitentia Tyriorum infallibiliter physice, & metaphysice inducens eos ad illas, quibus, metaphysice etiam de se connexum est à Deo, melioris conditionis ex parte antecedentis euadere Tyrios ad fidem, & pœnitentiam, quam Iudæos, quibus ea applicatio ad infallibiliter eas habendas per decreta non adfuit: vt nequeant Iudæi per comparationem ad Tyrios prudenter, & iuste de earum omissione reprehendi (siue ea decreta principia, potestates, siue applicationes voces, tamen ex parte principij se tenent ad pœnitentiam, & fidem) ostenditur aperte: etsi enim connexio, & applicatio localis agentis ad passum agentis potestatem non constituat, sed supponat, eiusque solum modo applicatio per omnes sit: inepte, & inique reprehenderetur miles, quod prunis, & igne instructus, in quibus tota comburendi potestas est, hostis distantia castra non incenderit, quæ tamen non maiori igne instructus miles castris hostis applicitus succendit, & tamen in sola applicatione, se tamen ex parte antecedentis tenente, ad castra comburenda, non autem in potestate actiua melioris conditionis est, quam distans ab hostis castris miles: ergo, etsi decretum non constituat, sed applicet, vt conditio, sine qua non, solum ex parte actus primi potestatem aliunde constituram ad pœnitentiam, & fidem, inique, & inepte ob harum omissionem reprehendendi, qui illam defectu decreti applicationem non habuit, comparatione illius, qui non omisit aut non omitteret, quia illam applicationem per decretum habuit, vel haberet.

10. Contra secundo: quia inique, & imprudenter reprehenderetur dæmon quod Deum non amet, sed odio prorsus habeat, comparatione Christi, & Beatissimæ Virginis, aut præstantissimi alicuius sancti (puta Apostoli Petri aut Pauli aut Ioannis Baptistæ, qui Deum ardenter amarunt) præcisis omnibus, quæ in his physicam, aut metaphysicam ad eum amandum necessitatem (si quæ eius generis fuerunt) aut infallibilitatem inducebant, & moralem, vt summum eis ad Dei amorem, siue necessitatem siue infallibilitatem adducebant; v. g. cur Sathan Deum non amans, tot bonis à Deo priuatus, totque malis, & ærumnis ab ipso afflictus, totque diris deuotus, & pœnis ab eodem exarnificatus: cum Ioannes Baptista, vel Diuipara, eiusque filius tot donis, & gratiæ infusæ scientiæ Dei perfectiones euidenter proponentis suauissimarum, & intensissimarum affectionum indeliberatarum &c. ita præuenta, vt moralem habeat necessitatem ad ipsum

amandum, ac non odio habendum, licet habeat (sicut tu) physicam ad oppositum potestatem. Non ne ridendus merito esset, qui ita de omissione amoris in Deum odiique in ipsum appositione dæmonem comparatiue ad Baptistam vel Deiparam reprehenderet: citius ergo, & potius ridendus, in aduersariorum doctrina de prærequisitis decretis, ad quemuis pœnitentiæ, & fidei futuritionis statum cum ea siue per modum potestatis, siue per modum præuiæ applicationis requisitæ ad illas non moralem solum sed physicam, & metaphysicam fidei, & pœnitentiæ, pro suo vnumquodque statu, necessitatem, siue infallibilitatem earum afferant; eorumque negatio necessariam siue infallibilem illarum negationem inducat. Denique vrgentur hæc omnia, & impugnatur solutio: quia Deus ex se omittens decretum, sine quo impossibilis est pœnitentia, & fides Iudæorum, hanc in eis impedit, sicut in Tyriis illud de se ponens in eis illam apponeret: est autem inceptum in eo reprehendere omissionem actus, quem impedis in illo, comparatione alterius, quem laudas, & præfers ob actum quem tu in ipso apponis.

11. Cum ergo videant aduersarij ægre, imo (ne ægre quidem) posse ab hoc argumento se expedire, eius difficultatem communem nobis etiam esse contendunt. Negare siquidem (inquiunt) minime possumus Tyrios consensuros sub eis signis, & vocatione, seu auxilio efficaci (in quocumque demum eius efficacia consistat) quod Iudæi eorum comparatione minime habuerunt. Item sub eisdem signis, & auxilio sufficienti, quod solum habuere Iudæi, minime in fidem, & pœnitentiam consensuros, sicuti neque Iudæi consenserunt: certum item, nobis etiam, est donationem auxilij efficacis Tyriis sub eis signis, & eius denegationem, seu solius sufficientis collationem Iudæis è libera solum, & gratuita Dei voluntate (ne in Pelagianismum, aut Semipelagianismum abeamus) omnino pendere: ex his autem in nostra, & Catholica doctrina statis, ac certis, idem argumentum contra æquitatem, & prudentiam reprehensionis Iudæorum præ Tyriis sub eisdem signis credituris, & acturis pœnitentiam, quibus exhibitis, nec crediderunt, nec pœnitentiam egerunt Iudæi aperte conficitur. Ad manum quippe responsum, imo & contra reprehensorem habent querelam: quod ipsi sub eis signis sufficientia solum auxilio à Deo pro libito ita statuente habuerint; non autem efficacia, quæ cum eis signis à Deo Tyriis darentur, & quibus, si ipsis darentur dubio procul in fidem, & pœnitentiam æque ipsis consentirent.

12. Sed tamen cum reprehensio Christi non fuerit, vt patet ex textu ob statum, in quo constituti à Deo ob eius arbitrium, sunt; sed ob eius malum vsum auxiliorum eis donatorum à Deo, atque in nostra opinione auxiliorum efficacia intrinseca non sit, neque ex parte principij ad sui futuritionem, siue conditionatam, siue absolutam consensus, & boni, vel mali vsus auxiliorum decretum Dei efficax, siue præfinitio necessario connexa cum cõsensu requiratur; sed cum eadem vocatione vnus consentiat, alter vero non consentiat ob suæ voluntatis arbitrium, bonumque vel malum eius vsum, recte Iudæi ob malum vsum reprehenduntur ex comparatione ad Tyrios, qui eadem, vel simili vocatione à Deo sub eis signis donandi bene verentur; male vero in necessario præfinientium doctrina. Adde etiam ob statum illum inefficacis auxilij, in quo à Deo constituti sunt bene posse in nostra doctrina, & iuste præ Tyriis sugillari: cum enim auxilij efficacia, vel inefficacia, eiusque cognitio, & scientia diuina ex bono, vel malo vsu libero voluntatis eorum, saltem conditionato, dependeat: qui status ordine causalitatis ab absoluto dependet (si enim posito auxilio consentiant verum omnino esset, quod, si poneretur consentirent) quod illud auxilium eis collatum efficax non fuerit, neque tale à Deo cognitum, penes malum tandem eorum vsum omnino est: quod autem sub auxilio alio, si eis cum signis illis daretur, essent consensuri, & tamen eis datum non fuit, sicuti nec Tyriis aliud sub quo non consensuri fuere à Deo præuisi, pœnes Dei absolutum gratiæ suæ dominium, summumque arbitrium est: ob quæ nec Tyriis auxilium, sub quo præuisi consensuri sunt, imo nec signa illa, & sufficiens auxilium cum illis datum est: quæ tamen data sunt Iudæis ea vero omnia ex eis sunt, de quibus, vt ait Apostolus dicere Deo nemo potest, cur ita facis? idem argumentum eisdem ponderationibus, & similium euasionum præclusionibus contra necessitatem Thomisticam decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti ad contingentis conditionatam futuritionem ex illa conditionata obedientia prædicationi, & prophetiis Ezech. 3. à Deo prænuntiata illis verbis: *si ad illos mitterer te, ipsi audirent te*: quod dixit comparatiue etiam ad inobedientiam Iudæorum prædicationi eidem, quæ vero ad hæc loca respondit Caramuel confutauimus abunde d. 3. qu. 2. cert. 9.

CERTAMEN VI.

Vlterior decretorum eiusmodi ex scriptura, & authoritate Patrum confutatio.

1. ALterum scripturæ testimonium sit ex illo Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius* ex quo. d. 5. q. 2. Deum certo, & infallibiliter futura contingentia condicionata prænosse præclusis non admodum Recentium Thomitarũ euasionibus ostendebamus: etenim futura eius immature correpti peccata cõditionata, si diutius viueret, nequeunt à præfinitione, seu decreto efficaci actuali de illis sub diuturnioris vitæ cõditione futuris omnino esse: ergo futuritio conditionata contingentis futuri conditionato, vt talis sit, decreto actuali absoluto subiectiue, & conditionato obiectiue opus non habet. Patet consequutio. Nam peccata illa cõtingentia in statu futuritionis conditionatæ sunt, absque vllo eiusmodi decreto subiectiue, siue ex parte actus absoluto, obiectiue vero, seu ex parte obiecti, conditionato, si vera est syllogismi efformati minor. Eam autem veram esse constat primo. Quia Deus peccata hominum, aut Angelorum siue vniuersim creaturæ cuiusuis rationalis, adhuc, quoad materiale, pro statu vllo non præfinit, potestue præfinire: vt de futuris absolute peccatis, controu. 3. a. 2. aperte ostendemus: ex quibus ad futura conditionata euidens est consequentia præfinitionum negatiua. Tum, quia ex præfinitione conditionata obiectiue, subiectiue vero absoluta, pro casu purificationis conditionis, absoluta omnino peccati, quoad materiale, euidenter infertur: quare ab hujus consequentis negatione, ad negationem antecedentis consequentia tenet. Tum, quia status conditionatæ futuritionis contingentium actuali absoluto, decreto, quam status futuritionis absolutæ eorum, minus habet opus, vt de se elaret, superiusque animaduerti: tum denique, quia, cum futuritionis conditionatæ status amplior statu futuritionis absolutæ sit, eoque maioris vniuersalitatis, præcedentia prior eiusmodi decreti pro statu futuritionis conditionatæ contingentium absoluta ex parte actus præfinitio eorum libertati omni signo prioritatis, etiam anteriori ad absolutum officiet.

2. Dices ex Aluarez 7. de auxilijs nu. 24. Peccatum immature correpti fore sub diuturnioris, vitæ conditione à decreto conferendi ita correpto auxilia efficacia, siue perseuerantiæ donum vsque ad instans determinatum, quod fuit vitæ ita correpti postremum; sed certe nisi in eo decreto claudatur aliud de non conferendo auxilio efficaci, seu physica prædeterminatione ad vitandum peccatum, vel potius illam conferendi ad materiale peccati, si diutius viuat (id quod impugnatum proxime est & quicitata vlterius, & fusius impugnabitur) est solutio insufficiens. Quod autem decretum hoc postremum vltrius claudi debeat, & è Dei decreto actuali sit sub conditione diuturnioris vitæ immaturæ correpti peccatum, si ad conditionatam eius futuritionem decreto actuali absoluto saltem subiectiue opus sit: probatur: quia præcise ex omnino absoluto decreto conferendi auxilium efficax, seu physicam prædeterminationem ad non peccandum vsque ad finem vitæ, quæ fuit, immature correpti, non est determinate futurum peccatum eius sub conditione, quod vlterius viueret, neque proxime neque remote: potest siquidem adhuc Deus ex vi eius decreti præcise decernere

vt

vel non decernere physicam prædeterminationem ad non peccandum pro vltteriori vita, quam ipsi concedat, ergo ex vi eius decreti de dono perseuerantiæ pro tempore vitæ, quod fuit, nihil est determinans proxime, vel remote futuritionem peccati conditionatam, si diutius immature correptus viueret; nisi adsit alterum decretum negandi physicam prædeterminationem ad vitandum peccatum, vel concedendi illam ad materiale peccati, si diutius immature correptus viueret. Nec quidquam præstat euasio Zumelis t.2. variar. dub. 5. concl.1. pag. 153. scilicet, fore sub ea conditione diuturnioris vitæ peccatum illud ex decreto illo permissiuo illius sub ea conditione; sed certe decretum permissiuum pure peccati in horum Thomistarum doctrina defendi nequit, vt fusius in sequentibus ostendam. Secundo: decretum permissiuum, nequit connecti cum futuritione conditionata illius peccati, nisi vel ratione sui, vel mediorum, ad quæ determinat, vt supponit ibidem; nec ratione mediorum, nisi ea sint physice prædeterminantia materialis peccati illius quod refugit Zumel. Ratione autem sui nequit connecti cum peccato illa conditionato, nisi, vel sit eius præfinitio cum eius negatione defese pugnans, quod etiam refugit ea solutione Zumel, vel dirigatur scientia media, eamque & futuritionem conditionatam peccati supponat, & non efficiat.

3. Secundo vt arguebam supra malitia peccati illius immature correpti, *ne malitia mutaret intellectum eius*, siue peccatum formaliter, qua peccatum est, futura conditionate est sub diuturnioris vitæ conditione: & tamen de malitia illius peccati formaliter, qua tali, conditionata futuritione nullum est per aduersarios, vllumue doctorem Catholicum, imo, neque Lutheranum aut Caluinistam actuale, & subiectiue absolutum in Deo decretum: ergo futuritio conditionata contingentis absque vllo absoluto subiectiue decreto actuali Dei esse potest: quare futuritio conditionata contingentis decreto absoluto subiectiue, & obiectiue conditionato opus non habet. Hæc eadem argumenta in omnibus, pene infinitis, peccatis hominum sub conditione futuris, si in hac, vel illa rerum, & circumstantiarum peristhasi conderentur, statuerenturue, fieri possunt; quæ vero aduersarij possunt respondere disiecimus cert.2.num.7. Mitto alia scripturæ loca, quæ ad præsens institutum adducuntur communiter: ea siquidem omnia contra decreta omnino absoluta futuritionis absolutæ contingentis directo pugnant: vt ea non necessaria ad absolutam eius futuritionem, imo eius contingentiæ, & libertati repugnantia esse demonstrent: de quo sequentibus quæstionibus opportunius agemus. Nunc ergo ex illis locis argumenta instruere repetitionis vitandæ causa merito omittimus: præsertim, cum ad ea instruenda multi, & profusa opera sit opus, & quam semel exacte adhibere satis. Cæterum, qui ea argumenta ibi attente legerit, ac penetrauerit, facile eis ad præsens institutum (quod nec multis nec oblongis consequentiis euincunt) vtetur ex dictis certam. præsenti num. 1. sub medium. Eadem de causa missa facimus plura Patrum testimonia quæ ex variis capitibus absoluta decreta antecedentia, & efficacia de liberis actibus creatis à Deo prorsus excludunt, eisdem locis expendenda, & quæ eisdem consequentiis notatis præsenti instituto ex vsu esse facile possunt.

4. Ad Patrum authoritatem directo pugnantem contra eiusmodi decreta ad futuritionem conditionatam contingentium ponendam veniamus. Prima sit negatiua authoritas, neque ad rem præsentem infirma: cum enim tot tantique Patres sæpe contingentia hæc conditionata, eorumque scientiam in Deo asseruerint, vt vidimus, nemo illorum decretum hoc conditionatum siue ad eam contingentis futuritionem, vel leuiter insinuauit: cum tamen quandoque diluendis difficultatibus, quas versabant, aliunde que diluebant, decreti illius doctrina ex vsu illis esse posset non exiguo. Secundo: cum apud Patres, & futura conditionata, & eorum scientiam videamus, nihilque amplius, dum id asserimus Patribus, dubio procul, conformamur; qui vero vlterius volunt ea stare per decreta, neque aliter ex Patribus, eis incumbit probatio: negantes enim satis probabimus, si adductis probationibus respondeamus, vti aperte respondebimus. Sed descendo singulatim ad capita authoritatum, ob quas ex sententia Patrum reiecta ea decreta sunt, & reiicienda: Patres omnes libertati, & contingentiæ actuum repugnare docent omnem suppositionem antecedentem determinantem ad ipsos, eosque necessaria consequentia inferentem ob sui cum ipsis intrinsecam connexionem, vt constabit fuse controu. 3. & breuius hic q.2. satis: nunc sit Clem. Rom. epist.3. testimonium: *si quid esset, quod credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur*: id quod iuxta, *communem sensum Scholasticæ doctrinæ hausium de fontibus Saluatoris per processus scripturæ, & antiquorum scripta doctorum*: vniuersim docet VValdensis 1. doctrinal. fid. a.1.c.28. atqui decretum hoc absolutum subiectiue, & conditionatum obiectiue esset suppositio antecedens determinans consensum conditionatum, cum, eoque intrinsece connexum, illudque proinde necessaria consequentia inferens, imo & purificata conditione absolutum inferens in statu absoluto: ergo ex sententia constanti Patrum reiiciendum est eiusmodi decretum, tanquam libertati contingentis, cum conditionatæ, tum absolutæ contrarium. Minor quoad connexionem necessariam decreti eius cum consensu conditionato absolute, & absoluto purificata conditione, ac proinde necessariam illationem, & præfinitionem absolutam eius quoad statum conditionatum, & purificata conditione quoad absolutum, ipsissima aduersariorum doctrina est.

5. Quod autem sit absolute antecedens futurum contingens, siue conditionatum siue absolutum purificata conditione patet. Tum ex huius antecedentis, & necessitantis suppositionis definitione apud Scholasticos Patres communi statuenda ex ipsis controu. 3. quam breui tradit Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* c.18. med. *Necessitas alia est præcedens, quæ causa est vt res sit; alia consequens, quam res facit.* Tum etiam, quia decretum hoc causat necessario, & infallibiliter futuritionem conditionatam contingentis: ita, vt cum illo eiusmodi futuritio contingentis non esse omnino non possit: eo vero sublato esse prorsus nequeat; quod si abnuant manus nobis, & intentum dabunt. Purificata vero conditione cum decretum hoc, vel transeat se ipso, vt communiter docetur in absolutum de re eadem, vel inferat necessario aliud de re eadem absolute ponenda absolutum decretum: etsi conditio & reliqua principia contingentis indifferentia essent, ac non prædeterminatio physica, iuxta eorum doctrinam, negare non possunt aduersarij esse suppositionem necessitantem, cum absolute ad futuritionem conditionatam contingentis, tum ad absolutam eiusdem futuritionem, si purificetur conditio, sub qua illud fore conditionate decretum est; nisi negent causas, etiam essentialiter requisitas suis effectis antecedere. Hoc argumento ostendemus cert.4. decretum hoc futurum contingens conditionatum, quod eius obiectum est, quare, & se ipsum destruere (si fieri potest, certius, quam omnino absolutum decretum suum obiectum contingens absolutum) quod satis iam est indicatum. Scio plura effugia argumenti huius ab euersione libertatis, & contingentiæ contingentis contra hæc decreta Thomistica petita, incassum à Thomistis Recentioribus Dominicanis tentari: ea tamen opportunius referemus refellemusque quæst. 3. & 4.

6. Arguo secundo: quia Patres recitati disput.5.q.2. vt rationibus suis respondeant quæstionibus illis, seu potius argumentis Manichæorum, & aliorum hæreticorum; vt testatur Nyssenus apud Ruiz disp. 6. sect. 1. nu.26. contendentium Deum esse malum, quia præscius lapsus hominis, & Angeli si eos conderet, eos nihilominus condidit, & purificauit conditionem, lapsus eorum scientiam conditionatam, eiusque à Deo obiectum, quam illi supponebant hæretici. Patres iidem in his, & similibus eorum quæstionibus, & argumentis admittunt, & supponunt vt ibi ostendi: ast tam scientia hæc conditionata, quam eius obiectum, scilicet conditionatus lapsus contingens tale erat apud vtrosque independenter à decreto hoc conditionato obiectiue & absoluto subiectiue: ergo ex Patribus, tam scientia conditionata, quam futuritio conditionata contingentis, quod est eius obiectum, absque eiusmodi decreto consistit: quod ex relatione Nysseni in antecedenti suppositimus (scilicet quæstiones illas esse potius Hæreticorum argumenta, vt Deum ex creatione hominis, & Angeli, & similibus præscium ante à conditionati lapsus eorum, malum ostenderent) ex ipsius verbis claret;

ita

ita enim argumentari solitos Manichæos ait: orat. cathet. c.7. init. *Deus, cum præuidisset calamitatem, quæ erat ad hominem uentura, ex malo consilio ad creandum hominem accesserit; cui erat forte conducibilius ortum non esse, quam esse in malis.* Et rursus idem eorum argumentum eisdem fere repetit verbis: imo vero has omnes, & similes citatas quæstiones, esse hæreticorum argumenta, quibus Patres respondent, testatur Hieronym. 3. aduers. Pelag. colum. 5. his verbis: *Marcion, & omnes Hæreticorum canes, qui uetus laniant testamentum, huiusmodi syllogismum texere consueuerunt. Aut sciuit Deus hominem in Paradiso positum præuaricaturum esse mandatum illius, aut nesciuit: non est in culpa is, qui præscientiam Dei vitare non potuit; sed ille qui talem condidit, vt Dei non pessit scientiam deuitare.*

7. Iam minor, quoad Hæreticos probatur: quia si decretum illud de lapsu conditionato sub conditione, quod homo, & Angelus crearentur, ad futuritionem lapsus conditionatam in Deo recognoscerent, posteaque purificari ab ipso conditionem non è præscientia solum; sed fortius (meque Iudice insolubiliter) Deum malum, & causam, & authorem peccati in eorum conditione, quæ conditionem, sub qua eorum peccatum ipse decreuerat, purificabat argumentarentur: cum autem adeo aperto, & claro ad suum intentum argumento vsi non fuerint, cum debiliori petito ex scientia conditionata vtebantur; cuidens est, eos scientiam conditionatam eiusque obiecta, seu contingentia conditionata absque eiusmodi decretis statuisse; id quod ex argumento Marcionis, & aliorum ex præscientia, & purificationis conditionis à Deo independenter à libertate hominis creati à Deo solo positarum ineuitabilitate magis liquet: cum clarius libertas, & culpa euertatur per eiusmodi decretum, & creationem, inferaturque eius ineuitabilitas, quam argumentum attingit ab homine creato, quam ex scientia, & purificatione conditionis. Inde vero, quoad Patres probatur eadem Minor: quia Patres scientiam conditionatam: eiusque obiectum ab hæreticis suppositam, eodemque modo quo ab eis suppositа fuit supposuerunt, atque asseruerunt, vt citato loco vidimus, quin de eis eiusue modo eorum discordarint. Ergo, cum absque decreto scientia conditionata, eiusque obiectum scilicet futurum conditionatum contingens asserta ab hæreticis fuerint, absque illo etiam asserta à Patribus fuere. Secundo probatur: quia, nisi dependenter à decreto ac proinde dependenter ab illo, & scientiam conditionatam, & eius obiectum statuerent, male solutionibus suis respondissent: nimirum præcipuam, & claram, atque obuiam statim difficultatem dissimulantes.

8. Sed præter responsiones ad quæstiones illas, & argumenta hæreticorum, quas (sicuti, & Patres alij) scientiam conditionatam, eiusque obiectum absque vllo decreto recognoscens dedit Augustinus alibi, ea sæpius absque vllo Dei decreto recognouit, & asseruit: id quod etiam cum Patribus reliquis, vt libertatem arbitrij tueatur, supponit: qua de re, post multa 3. de lib. arbitr. c. 14. facilioris memoriæ causa, sic summatim ait: *quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Sed vlterius ostendo, & in primis argumento efformato contra nos à Didaco Aluarez de auxiliis libro duodecimo d. 120. scilicet Augustinum, si agnouisset scientiam conditionatam eiusque obiectum independenter à Dei decreto facile, & bene negaturum obiicientibus ab ipso fatum in nostras actiones liberas induci: quia homines pro sua libertate gratiæ auxiliis vtuntur, quia volunt, & alij non vtuntur quia nolunt: atqui ita sæpe respondit, licet aliter censeat Aluarez: ergo ea cognouit, & asseruit Augustinus independenter à decreto: Minor adeo est constans, & clara, vt mirum sit de ea doctum aliquem dubitasse, etenim lib. de prædest. Sanct. c. 6. med. ita Pelagianis respondet: *Ecce misericordia, & iudicium: misericordia in electione iudicium vero in ceteros qui excæcati sunt: & tamen illi, quia voluerunt crediderunt, illi, quia noluerunt non crediderunt*, 2. de peccatorum meritis, & remiss. contra Pelag. c. 12. init. *Cum voluntate humana gratia adiuuante diuina sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit? possim facillime, & verissime respondere: quia homines nolunt*, & 1. ad Simplicia. q. 2. *Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem: eadeque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumque moueat alium non moueat: quis audeat dicere modū vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus fuit, Deo de fuisse?* Eandem sententiam continent verba eius recitata proxime ex 3. de lib. arbitr. c. 14. & eis locis immediata probatione ex Augustino referendis eadem Augustini sententia deprehenditur, quare Didaci Aluarez Recentium Thomistarum Primipili pro scientia & obiectis contingentibus conditionate futuris absque vllo actuali Dei decreto nobiscum Augustinus expressus est: quo vero iure ita iudicauit Aluarez si probaretur Minor (quam ipse falsam supponebat, vt oppositum contra nos ostenderet) quiuis facile comperiet, siquidem vt supra vidimus, si decretum consensus aut dissensus nostri sub conditione cuiusuis auxilij (etsi prædeterminatio Thomistica non esset, nedum, si ea sit, vt aduersarij volunt) in Deo præcederet purificata conditione à Deo ponente auxilium ex hoc coniuncto decreti, & purificatione conditionis, quod totum à Deo, eiusque libera voluntate est, crederent, & consentirent homines, aut dissentirent, non à sua libera voluntate, seu quia ipsi voluerunt, aut noluerunt, vt aiebat Augustinus.

9. Secundo probatur ex Augustino frequenter dicente Deum ita velle, & de facto vocare aliquos misericordia sua in illis, præ aliis exercita, quomodo scit eis congruere, vt vocantem non respuant, sed sequantur voluntate sua Deum vocantem: atque item quomodo eis aptum est, vt intelligant, & moueantur: audi illum 1. ad Simplician. q. 2. *quantumuis multi vno modo vocati sunt, tamen, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*: Ecce in vocati dispositionem, affectum, & idoneitatem ac proinde non in Deum decernentem, siue absolute omnino, siue conditionate ex parte obiecti, quod si vocentur vocationem sequantur. Ne tamen inde Dei misericordiam specialem in electos, seu efficaciter vocatos excludi putes, totumque negotium ab eorum dispositione, & voluntate venire: subdit: *Et illud non minus verum sit: igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: qui hoc modo vocauit, quando aptum erat ei, qui secuti sunt vocationem*: inferius autem subdit: *quod si vellet, etiam ipsorum* (non electorum) *misereri, posset ita vocare, quando illis aptum esset, vt & moueretur, & intelligerent; & sequerentur: verum est ergo multi vocati, pauci vero electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi non electi: quia non secuti, quamuis vocati.* Ecce congruere, vel non congruere vocationi; siue hanc esse, vel non esse congruam nostrum est, quia sequimur, vel non sequimur illam, non præfinientis Dei, quod sequamur vocationem in Augustino: errori vero præfato, qui inde posset obrepere, eo modo, quo proxime, statim iterum occurrit: *iterum verum est: non est volentis, neque currentis sed miserentis est Dei: quia, etiamsi multos vocet, eorum tantum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum est, vt sequantur*: & de dono perseu c. 14. ex præmuntiata à Christo Domino Tyriorum pœnitentia sub conditione signorū, & virtutum Corozainitis exhibitarum concludit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*: & tandem lib. 2. ad simplic. post med. ait: *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

10. Ex quibus omnibus hoc argumentum conficitur. Posita præfinitione absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti, scilicet sub conditione vocationis (quæcumque illa sit) eo ipso quod donetur à Deo, apte omnes vocabuntur, & congrue, vt moueantur ad fidem, quempiamue alium actum ita sub conditione à Deo præfinitum, sequenturque, nec respuent Dei vocationem: ergo posita eiusmodi præfinitione omnis vocatio æque congrua, & apta cuicunque, & quocunque tempore erit, vt eam sequatur, ac non respuat: atqui Augustinus vnam vno tempore, vni, vniusque menti, & genio, seu ingenio aptam, & congruam esse ait; non aliam, neque alio tempore, neque alij, aut alterius menti, genio, seu ingenio. Ergo

Augustinus

Augustinus censet non esse præfinitionem Dei de fide, & consensu quouis, sub conditione vocationis conditionate futuro; & tamen esse fidei, & consensus conditionatam futuritionem, eiusque scientiam, ex qua detur à Deo vocatio electis, & iis omnibus, quorũ misereatur; ergo sentit futuritionem conditionatam non esse ab eius præfinitione absoluta ex parte actus, & conditionta ex parte obiecti. Arguitur ex præfatis locis secundo. Posita eiusmodi præfinitione & vocatione, sub qua consensus, seu fides præfinita per illã à Deo est, omnes æque prompte, & incunctanter illam sequentur illico, nec respuent: ergo æque eunt dociles, genique apti, & idonei, vt credant, & consentiant, si vocentur; nec erit cur aptiori, & dociliori genio, & affectioni vnius vocati, quam alterius is in fidem consensus tribuatur; aut dari sortes esse alios aliis docet Augustinus, meliorique, aptiori, & dociliori genio, & maiori in fidem affectioni vnius, quam alterius tribuit, quod vocatus fidem concipiat & consentiat præ alio: ergo censet fidem, & consensum sub conditione vocationis futurum conditionatam hanc suam futuritionem è Dei præfinitione absoluta subiectiue, & conditionata obiectiue minime habere. Porro quæ citatis locis respondit Hieronymus Viues apud Borrull. nostrũ disp. 7. sect. 1. à n. 439. futilia sunt, & seipsis subruentia, nec locum in sic à nobis argumentis efformatis habentia: idcirco eis refellendis tempus absumere non libet.

CERTAMEN V.

Peculiaria alia ex Augustino argumenta: vbi etiam S. Thomæ mens contra eiusmodi decreta aperta monstratur.

1. TErtio impugnantur peculiariter ex Augustino eiusmodi ad conditionatam contingentium futuritionem statuendam decreta tantum ex parte actus absoluta: etenim, cum Semipelagianorum responsionem ad illud argumentum (quo merita Pelagianorum ad eorum vsque sententiam in paruulis altero baptizato, altero inbaptizato correptis confutauerat) ex Prospero, & Hilario cognouisset, scilicet alterum cum baptismo correptũ ob bona conditionata opera, quæ viribus naturæ exerceret, si ad ætatẽ adultam peruenirent; alterum vero correptum sine baptismo ob mala conditionata, quæ ageret, si ad vsum peruenirent rationis: eam responsionem, vt à ratione alienam in primis reiecit. Secundo; quia, cum de ratione meriti ad præmium, vel pœnam inductiui sit absoluta futuritio, dum eis conditionatis operibus Deum ad illa motum ea solutio defendat, ea non conditionata solum; sed absoluta futura defendere debere: quæ tamen in neutro paruulo absoluta fuere: imo vero absolute non fuere: quare ea solutione asserit futura non futura, dum absoluta merita fuisse Deũ ad præmium in vno: & pœnam in alio iudicentia de facto asserit, & solum conditionate pure fuisse fateatur: deinde aliis eam solutionem alibi opportunius referendis confutat; nisquam vero, quod ea conditionata futuritio à Deo ita illam præfiniente sub conditione, quod diu viuerent, atque ad vsum rationis peruenirent. Hæc autẽ solutio, & promptissima erat, & ad institutum præcipuum euertendi merita conditionata viribus naturæ ab eis paruulis sub præfata conditione habenda efficacissima, si, vel probabiles, necnon ex propria sententia firmas, eas præfinitiones ad futuritionem contingentium conditionatorum Augustinus iudicaret; ergo ex Augustini sententia ad eam futuritionem statuendam præfatæ præfinitiones non dantur; sed neque eas dari probabile est.

2. Ne vero dicas Augustinum omisisse eis locis, quibus conditionata Semipelagianorum naturalia merita, ac demerita confutauit, ex ea parte, quod ex gratia essent confutare; ac proinde ex libera, & gratuita Dei præfinitione ea conditionata solummodo obiectiue, non confutasse, neque eiusmodi præfinitionis meminisse: attende paulisper: quia, eam ex eodem Prospero, & Hilario didicisset simul Augustinus Semipelagianos ad sua illa conditionata merita tuenda abuti conditionata scientia, quam Augustinus asseruit, in responsione illa sua ad quæstionem Paganorum data lib. *de tempore Christianæ Religionis*, siue epist. 49. q. 2. (de qua fusa, & speciali eruditione & interpretatione egimus d. 5. q. 2. toto cert. 6.) respondet: tunc non disputasse, an cõditionata illa merita è Dei gratia futura essent, nec ne? quia necdum id fuerat à Paganis, quibus respondebat: imo, neque ab vllo alio in quæstionem vocatum, vt constat ex c. 9. de dono perseuer. & c. 9. de prædest. sanctorum sub finem recitatis à nobis verbis cert. illo 5. n. 3. Pergitque verbis à nobis etiam recitatis ibidem n. 7. *Sed vtrũ prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem? an Deo donante sumpturi: id est vtrum eos tantum præscinerit an prædestinauerit Deus, quærere, ac disputare tunc necessarium non putauit.* Ex quibus verbis claret Augustinum his locis, vbi de meritis istis conditionatis Semipelagianis Paruulorum egit, satis attendisse ad eorum errorem in eis imbibitum: quod, scilicet, eiusmodi conditionata merita viribus naturæ fore docerent, & sibi etiam, ob responsionem illam Paganis datam, imponerent: à quo recitatis verbis se purgat, & statim vtique quæstioni, & Paganorum, & Semipelagianorum respondet: in adultis, de quibus quæstio à Paganis proposita fuerat, ita respondisse, vt ex eius respõso nulla Semipelagianismi (meritorum scilicet ex propriis viribus) suspicio esse posset: ergo non ex omissione eius partis erroris Semipelagiani meritorum conditionatorum ex viribus naturæ, præfinitionibus eorum meritorum sub conditione vsus non fuit; sed quia eiusmodi præfinitiones ad eam futuritionem statuendam probabiles, ne per somnium quidem habuit, ac sine earum cogitatione, nedũ dependentia, conditionatã futuritionẽ recognouit, & asseruit.

3. Ex his locis peculiariter argumentor quarto Augustini authoritate. Recitatis quippe verbis ait, se tunc non respondisse Paganis, nam fides illa cõditionata, qua ductus Deus voluit eis adultis apparere, & prædicati Euangelium suũ, quos credituros prænouerat, si ipsis appareret, & prædicaretur ex gratia Dei an ex viribus propriis forent? quia tunc de eo quæstio Paganorum non erat; ita vero hæc dicit Augustinus, vt ad dependentiam eorum operum à Deo non agnoscat decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti à quo illa opera sint à Deo, eiusque gratia. Patet ex illis verbis; *sed an prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi?* ergo eodem modo, & statu est à Deo ea fides sub conditione prædicationis, atque à viribus, & facultate arbitrij esset sub eadem conditione per Augustinum; atqui arbitrij facultatem, & vires siue se solis operaturas, siue gratiæ Dei cooperaturas, solum ponit ad eam futuritionem conditionatam in hypothesi, cum aliis eius fidei conditionatæ principiis necessariis: Augustinus ergo in hypothesi etiam ponit decretum gratiæ, & subinde fidei ipsius donatiuum. Hoc argumentum mihi firmum est, si illud *prædicato sibi Christo* tantundem valeat, atque si eis *Christus prædicaretur*, ita, vt non significet prædicationem de præterito, & purificatam conditionem in paganis illis, de quibus loquebatur Augustinus, & in quibus purificata de facto fuit (quia alter, & verisimilior eius dictionis sensus mihi est vti d. 5. q. 2. cert. 5. à n. 7. docebam. Neque satisfacies huic argumento ex periphrasi eius clausulæ ab Augustino adhibitæ: *id est vtrum eos tantum præscieri, an prædestinauerit Deus*, vbi prædestinationem æque absolute, atque præscientiam posuit Augustinus: cum autem præscientiam conditionatam ex parte obiecti posuerit per nos, & prædestinationem ex parte obiecti conditionatam etiam posuisse censendus est; cæterum prædestinationis nomen non, nisi de absoluta omnino Dei voluntate vsurpauit vnquam Augustinus: imo vero eam eius nominis acceptionem reprehendit expresse cap. 16. de prædestinat. sanctorum & c. 14. de dono perseuer. vt vidimus proxime citato cert. 5. num. 6. vbi etiam testimonio Augustini pro se inducto à Ioanne à S. Thoma ex libro apocrypho, falsoque appositio Augustino satisfecimus: verba vero nunc oppositæ formalis periphrasis non sunt, sed virtualis, & æquiualens solum: quia in Paganis illis (de quorum conditionata fidei futuritione, & præscientia sermo erat) fuerat purificata conditio, & posita absolute fides, quæ nonnisi ex absoluta omnino prædestinatione Dei & donatione gratiæ esse à Deo poterat, ea in illis eorumque fide apponi debuit: tantumque ad eam quæstionem de necessitate gratiæ & donationis fidei per illam erat dicere an esset à Deo absolute dante,

& prædestinante; atque an respectu fidei conditionatæ à Deo etiam esset sub conditione futuræ nam à statu absoluto ad conditionatum sub eisdem principiis valet consecutio, vt sæpe diximus.

4. Ob hanc ipsam notissimam consecutionem à statu absoluto ad conditionatum, & verbis datis, & statim dandis solius prædestinationis, seu decreti omnino, vt dixi absoluti dandi gratiam, & per illam fidem Paganis meminit Augustinus iuxta aliam eius dictionis, *verum prædicato sibi Christo* (quam verosimiliorem esse dixi) interpretationem de prædicatione absolute posita, & purificata conditione, & posita absolute fide, vt reuera in Paganis illis fuit: etenim, ni supponeret eam à statu absoluto ad conditionatum notissimam cunctis fere ex terminis ipsis consecutionem ineptæ respondisset subortæ Semipelagianorum quæstioni de meritis conditionatis ex propriis viribus, sinistræque responsionis suæ ad Paganos interpretationi obnoxie. Siquidem solum respondisset necessariam esse gratiam absolutam, & donationem Dei absolutam per absolutam prædestinationem (vel si pro nunc malueris præfinitionem fidei) ad fidem absolutam illorum, quibus purificata est conditio, & exhibita absolute prædicatio, & fides absolute donata; vel ergo ad fidei illius futuritionem conditionatam, ex Dei etiam gratia & donatione diuina requiritur vere, & ex sententia Augustini aliud decretū, seu præfinitio diuina absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti præter prædestinationem seu decretum, quod tale absolute omnino erit, & antecedet ex parte actus primi ad absolutam fidei illius futuritionem positū cum reliquis prærequisitis in illa hypothesi, & pro conditione; vel sufficit decretum hoc in hypothesi, & pro conditione cum aliis requisitis positum: si hoc postremum: respondit quidem virtualiter quæstioni subortæ Pelagianorum, & sinistram eorum suæ responsionis ad Paganos interpretationem propulsauit, vt diximus, nosque vere, & ex mente Augustini habemus intentum, & Augustinum contra eiusmodi præfinitiones pro nobis: si autem vlterius requiritur ad fidei illius conditionatam futuritionem illud aliud aduersariorum decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti: nec quæstioni Semipelagianorum satisfecit, nec calumniosam eorū interpretationem à se propulsauit: respondens per absolutam dependentiam fidei absolutæ à prædestinatione seu decreto omnino absoluto, cuius solum meminit ibi, nihil prorsus dicens de illo decreto fidei eiusdem absoluto subiectiue, & obiectiue conditionato, sine quo eiusmodi conditionata futuritio esse nequit per aduersarios: quare inepte, & quæstioni & calumniæ Semipelagianorum respondisset.

5. Quod autem prædestinationis nomine sola absoluta omnino prædestinatio, (vel si mauis operis decretum omnino absolutum) intelligatur, constat ex aliis verbis, quibus eodem cap. 9. ad altum Dei, & latens consilium recurrendum esse in Tyriis, & Sidoniis, quibus denegata de facto sunt signa, sub quibus visi conditionate crediturī fuerant; *sed quoniam eis non est datum, etiam vnde crederent est negatum &c. & tamen si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibenda, vel dicta diuina, vel facta per qua possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent*: & infra: *sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia*: cum ergo crediturōs sub conditione asserat, & prædestinatos neget: restat, vt expresse neget conditionatam eorum fidem pendere à decreto actuali, vel solum loqui de omnino absoluto, vt ex locis aliis de eodem responso ad Paganos loquens ait cap. 16. de prædestinatione Sanctorū & 14. de dono perseuerant. memoratis nu. 13. Atque in re speciatim præsenti ex verbis immediatis: *proinde, quod dixi* (ad quæstionem Paganorum) *tunc voluisse hominibus apparere &c. posset etiam sic dici* (vt præsenti etiam Semipelagianorū quæstioni satisfieret, & occurreretur) *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*: vel si mauis præfinitionem absolutam significant, imo & præscientiam absolutam, vt ostendi citata disp. 5. q. 2. cert. 5. n. 8. & 9. diuersaque est à responsione illa Paganis data, imo & à proxime data, vt errori, & interpretationi Semipelagianorum occurreret quoad præscientiam, licet proximæ huic conformis, quoad omnino absolutam prædestinationem, atque ei æquiualens ad errorem & calumniam Semipelagianorum obstruendam. Porro hoc argumentum, siue primam, siue secūdam interpretationem eius dictionis, sed *verum prædicato sibi Christo* sequamur, eandem vim habet, quam non minui, si dicas, etiam æquiualenter occurrisse Augustinum, & errori, & calumniæ Semipelagianorum semper omnino absolutam prædestinationem, seu decretum omnino absolutum fidei absolutæ eorum, quibus purificata est prædicationis conditio memorans: quia, cum decretum hoc absolutum fidei, siue prædestinatio absoluta, supponat aliud ex parte solum obiecti conditionatum de fidei conditionata futuritione, dum illud asserit, & hoc supposuit Augustinus: quare, & æquiualenter errori, & calumniæ Semipelagianorum occurrit Augustinus, vt nos iuxta aliam nostram interpretationem diceb amus: verum hæc solutio haberet hic verisimilitudinem, si suppositio hæc vnius decreti ad aliud in Augustino alicubi asserta, vel saltem indicata leuiter, haberetur, vel ex natura rei euidens ab vno ad aliud decretū consequutio esset: quemadmodum euidens, & fere ex terminis ipsis nota est, ad prærequisita solum in hypothesi ad statum futuritionis conditionatum eorum solum, quæ absolute posita, & purificata requiruntur, ad statum contingentis cuiusuis absolutum. Aſt, ne leuiter quidem insinuata alicubi ab Augustino deprehenditur ea suppositio, estque rationi naturali repugnans, vt cert. 5. demonstrabo; ergo nihil habet verisimilitudinis solutio, sed mere gratuita, & irrationabiliter tradita: quo pacto, quiuis quamuis chimæricam suppositionem ad suos errores tuendos poterit Patribus, & Conciliis adscribere: nullaque proinde hæresis erit.

6. Argumentor quinto ex Augustino: quia in eius doctrina præscientia (non quidem absoluta, quæ post decretum omnino absolutum est) conditionata præcedit absolute ad omne decretum de contingentibus ab Augustino cognitum actuale: ergo nullum absolutum decretum supponit, ac proinde, tam ipsa, quam eius obiectum, conditionatum scilicet contingens, futurū est independens ab omni actuali decreto, quod Augustinus cognouerit, consequentia est legitima Anteeedens probatur ex Augustino de dono perseuerantiæ c. 17. sic scribente: *in sua præscientia, quæ falli mutarique non potest opera sua disposuit futura, neque aliud quidquam est prædestinare*: quod idem aduersariorum doctrina circa contingentia, atque actualiter præfinire est, seu efficaciter ea decernere: aſt scientia, in qua aliquid à Deo disponitur per decretum, ipsum dirigit, & antecedit: ergo nihil actu decernitur circa futuritionem contingentis ex Augustino, quin scientia conditionata præcedat, stando decretis actualibus, quæ Augustinus cognouit. Dices primo: nomine prædestinationis, & decreti actualis Dei intelligi ab Augustino prædestinationē, & decretum omnino absolutum circa futuritionem absolutam non circa conditionatam, de qua, & circa quam est decretum solum actuale ex parte subiecti. Bene: hoc ego solum contendo: sola decreta actualia absoluta prorsus, seu prædestinationem absolute talem tendentem circa absolutam contingentis futuritionem esse decreta seu prædestinationem actualem Dei cognitam, & cogitatam ab Augustino. Secundo vel est aliqua dispositio apud Augustinum actualis Dei, seu prædestinatio (ita enim dictū ab Augustino volunt aduersarij perpensis nuper locis decretum Dei suum de conditionata futuritione) circa contingentium conditionatam futuritionem, vel non? dicent esse: quia alioqui hæc decreta sua Augustino aduersari fatebuntur: atque hæc etiam dispositio actualis est in præscientia conditionata, eaque proinde eiusque obiecto posterior: quare & hoc erit, ante illam dispositionem, non autem ab ea dependens. Dices secundo: præscientiam illam, in qua Deus futura conditionata disponit per Augustinum esse simplicem intelligentiam non conditionatam. Contra tamen est: quia præscientia, in qua Deus dicitur futura disponere ab Augustino, est, quæ ratione suæ immutabilitatis, & infallibilitatis, ita futuritioni rei fidei iubet, vt sic futura res sit, sicut fore à Deo disponitur: ita, vt, si ita non foret, scientia, in qua dispositum est in se, vel in veritate deficeret, esseturque proinde fallibilis, & falsa: hoc autem non eueniret scientiæ simplicis intelligentiæ de rerum possibilitate, etsi futuritio rei per illam, seu in illa dispositā aliter, ac dispositā est, eueniret:

semper

semper enim verum esset, esse possibilem, sicut per scientiam simplicis intelligentiæ fuerat repræsentatum: ergo quæcumque futuritio disposita in præscientia dicitur ab Augustino, non in præscientia simplicis intelligentiæ, sed conditionata, dicitur disposita. Simile argumentum efformari potest ex loco Pauli ad Rom. 8. *quos præscivit, prædestinavit*, & eius Commentatore Theophylacto aiente: *Prioritaque est præscientia, postea prædestinatio. Prædestinationem autē intelligimus, impermutabilē Dei voluntatē.*

7. Sexto arguunt, & nonnulli ex nostris, & contra se Hieronymus Vives, iactans à nostris eum Augustini locum notatum non esse: verum nouem ante eius librum annis ab Annato nostro notatus fuerat d. 1. contra Tuisium c. 3. §. 3. n. 33. verum dicit tamen, si non de loco, sed de eius ponderatione, & sua, & aliquorum loquatur, textus Augustini est. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia*: ita enim scripsit c. 10. de prædest. Sanctor. Ponderatio est Præscientia, sine qua non potest esse prædestinatio, seu decretum, est conditionata: atqui hæc potest esse sine prædestinatione, aut decreto per Augustinum: ergo scientiæ conditionatæ subinde obiectum contingens conditionate futurum potest esse sine prædestinatione, ac decreto. Omissa solutione inani Vives, eiusque impugnationibus, inutilibus propterea, à nostro Bortull. datis d. 7. sect. 2. n. 436. ponderatio, & argumentum hoc euanescit. Nam præter præscientiam conditionatam absoluta etiam præscientia peccatorum absolute futurorum esse potest, estque de facto in sententia Augustini sine decreto: & de hac, non de conditionata præscientia, aut conditionatis, ex parte obiecti tantum, decretis, loquitur expresse eo loci Augustinus, ita propositionem suam immediate probans, *Prædestinatione quippe ea præscivit Deus, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est: fecit quæ factura sunt. Præscire autem potest etiam, quæ ipse non facit*: quare ex hoc loco nihil directe, & in terminis contra decretum Thomisticum, obiectiue conditionatum ad futuritionem conditionatam contingentis deduci potest; nisi indirecte solum: quatenus, vt dixi, solum ex eo, quod ad absolutam alicuius contingentis futuritionem decretū Dei omino absolutum, non requiritur ex Augustino; neque ad eius, aut alterius cuiuspiam contingentis conditionatam futuritionem requirendum esse legitima illatione monstratur. Atque hac ratione eo loco vtitur ad præsens institutum Annatus noster. Nos vero qui directis solum impugnationibus eiusmodi decretorum in præsentiarum vti statuimus, eo, sicut aliis vniuersim omnium præfinitionum omino absolutarum de absolute futuris contingentibus id ipsum impugnantibus, abstinemus: eas scilicet omnes sequentibus quæstionibus fusius daturi.

8. Ex quibus omnibus concluditur Patres memoratos, & præcipue Augustinum, futuritionem contingentium cōditionatam independenter ab actuali de illa decreto; imo absque vlla huius cogitatione agnouisse: atque ex eius principiis, & doctrina eiusmodi decreta non posse consistere: & quod specialius est, illo ipso Augustini loco ex n. 1. ea decreta impugnari, quo ex Augustino alte, ac firme fundari, ac proinde scientiam mediam iugulari æstimant aduersarij, & cum Ioanne à S. Th. clamant; sed eius loci data intelligētia videbis ex iugulatione ista, ne guttam quidem sanguinis fluere: fortasse, sicut Missæ Sacrificium, & hanc iugulationem incruentam esse volent. Non omittam, neque, vt silentio prætereat, committam, quod Ioan. à S. Tho. primus, & ex ipso Vives d. 4. n. 3. & 4. dissimulata responsione aperta Annati nostri d. 4. c. 1. n. 7. quæ est contra Ioa. à S. Th. (cum tamen eius contra hunc defensio scientiæ mediæ Toletæ nouem ante librum Vives annis fuerit cusa) ait: scilicet initio disputationum de auxil. nostros solis rationibus naturalibus, nullisque Augustini testimoniis egisse; iuste autem Summi Pontificis totam disputationem ad S. Augustinum deuolutam esse, exruncque primum nostros huius testimoniis vsos esse: sed, præter damnationem falsatus eiusmodi historiæ disputationum de scientia media, cum accursu Carmelitano Discalceato Salmantino, tum à Ioanne à Sancto Thoma editæ, & similium factam ab Innocentio Papa X. decreto suo euulgato die 27 Aprilis anni 1653. & eiusmodi historiæ contradictiones, & inconsequentias ab eodem Annato deprehensas, legant Vasquez nostrum tom. 1. in 1. p. diu ante Romanas has disputationes eiso, nempe anno 1595. vbi scientiam conditionatorum ex scriptura, & Patribus, præsertim Augustino, probat: id quod, & Fonseca in sua metaphysica anno sequenti typis vulgata præstitit, vt constat ex t. 3. mer. lib. 6. c. 2. q. 4. sect. 9. fine: quin & Molina auxiliorum intrinsece non efficacium, ac proinde scientiæ huius primus expressus in terminis, & acerrimus defensor doctrinam Augustinianam prorsus esse fatetur, & probat; licet non fuisse ab ipso omnia eius fundamenta, & circumstantias explicatas asserat: quia nimirum de ea tunc in terminis ex instituto non disputauit Augustinus, sed, aliud disputans, supposuit: ex quo apparet falso citari ab aduersariis, cum Molinam in concordia ad q. 23. 1. p. a. 4. & 5. d. 1. m. vlt. tum Vasquium tom. cit. d. 67. c. 4. fine, tum Fonsecam fine, quasi dixerint eiusmodi scientiam conditionatam ab Augustino, & aliis Patribus omnino fuisse ignoratam; cum tamen primus id solum dixerit quod retulimus: Vasquez vero de nomine scientiæ mediæ inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis agnitum prius scis non fuisse eo loci solummodo dixerit; non autem de re ipsa, quam eorum testimoniis, sicuti, & Fonseca confirmarat.

9. Decreta hæc de futuris sub conditione ad eorum conditionatam futuritionem statuendam eisdem fere rationibus impugnari directe posse ex Sancti Thomæ locis, quibus ex Augustino impugnata hactenus à nobis sunt, scilicet quia scientiam eorum conditionatorum, ac proinde conditionatam eorum futuritionem, frequenter, & supposuit, & asseruit, (vt decretales isti Thomistæ fatentur) quin eiusmodi decreta insinuauerit, aut de illis cogitauerit, vt ex testimoniis opponendis patebit. Secundo specialius probatur ex Augustino nobis obiecto, & contra Thomistas ipsos obiectantes instructo affini, & simili omino loco S. Tho. 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. vbi de responsione illa Augustini ad Paganorum quæstionem ait: *sed hanc responsionem reprobans idem Aug. in lib. de perseuerant. dicit. Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse; cum ipse Dominus atteſtetur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum? Proinde, vt ipse soluens subdit: non est volentis, neque currentis; sed Dei miserentis, qui eos, quos præuidit, si apud eos facta essent, his miraculis credituros, quibus voluit, subuenit: aliis autem non subuenit: de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed aliud iuste iudicauit*: His autem verbis S. Thom. scientiam mediam admisit illis Augustini verbis, *Numquid possumus dicere Tyrios, & Sydonios*: quam retractatam non ait S. Th. sed responsionem ex illa Paganis datam, ostendisse pro omnibus aliis quæstionibus super prædestinationis, & reprobationis negotio, generalem esse non debere: cum Tyriis, & Sydonis (de quorum fide conditionata, si signa, & virtutes exhiberentur, dubitare non licet, tamen exhibita à Deo non fuerint: quia nec eis, licet iuste, misericors Dei voluntas, nec prædestinatio adfuit, vt exhiberentur, & crederent, atque agerent pœnitentiam. Rogo ergo aduersarios: num misericordis huius voluntatis, & prædestinationis nomine solam omnino absolutam voluntatem de absoluta fide intelligi velint ab Augustino & S. Thom. an etiam conditionatam obiectiue de fide sub conditione futura? hoc posterum dici nequit: siquidem Tyriis, quibus misericordi hac voluntate, & prædestinatione subuentum non esse S. Th. ex Augustino ait; esse autem proculdubio subuentum, si iuxta hos Thomistas voluntas Dei efficax conditionata ex parte obiecti ad huius conditionatam futuritionem requireretur: cum reuera, & per Augustinum & S. Th. fides & pœnitentia conditionata in ipsis fuerit. Si primum, ergo S. Tho. ex Augustino ad solam fidem, & pœnitentiam absolutam, voluntatem Dei, & prædestinationem, omnino scilicet absolutam, requirit: scientiamque, & futuritionem conditionatam fidei, & pœnitentiæ Tyriorum absque Dei vlla voluntate, & prædestinatione absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti recognoscit. Alia argumenta ex S. Thoma indirecte contra hæc etiam decreta mitto, quatenus S. Doctor decreta omnino absoluta ad absolutam contingentium futuritionem frequentissime, & apertissime excludit; multoque potiori iure, & decreta præsentia ad conditionatam futuritionem; quo argumenta, & veteres plures S. Th. discipuli, & Assectæ, & subtilis Scotus, eiusque scholæ Primores cum nostris horum decretorum impugnatoribus caetra habent communia.

CERTAMEN VI.

Rationibus ea ad futuritionem conditionatam decreta eliminantur.

1. VEntum iam ad rationes, quibus nos superiores etiam apocryphæ illius historiæ disputationum Romæ habitarum authores plane, & historia illa de prouocatione eorum ad Augustini testimonia supponunt; ac dum nostra argumenta versant, fatentur captiuandum intellectum Christiana humilitate in obsequium fidei. Sed heus vos, cuiusnam fidei? an de decreto hoc absoluto ex parte actus, conditionato vero ex parte obiecti? an de præfinitione omnino absoluta, ac prædeterminatiua ac physica prædeterminatione necessario prærequisitis ad absolutam contingentis cuiusuis futuritionem? sed qua precor fidei Christianæ obseruantia ea de fide Catholica esse putabitis? dicetisue post Pauli Pap. V. constitutionem, & decretum ab eius successoribus confirmatum: quo auxiliorum non ab intrinseco, aut antecedenti aliquo natura ad voluntatis consensum, sed à solo consensu efficacium doctrinam probabilem, tutamque in fide esse statutum est? quidquid enim de fide Catholica est, nullam oppositæ doctrinæ probabilitatem relinquit: sed, nec in fide, vt aiunt, Parentum credi potest: cum, & Ecclesiæ Patribus, & S. Thom. aduersari decreta hæc, & alia omnino absoluta partim ostenderimus, partimque ostensuri in sequentibus aperte simus. Sed rationes contra decreta hæc absoluta subiectiue, & obiectiue conditionata instruamus.

2. Et primam in hunc modum. Præfinitio omnino absoluta prædeterminatiua consensus futuri absoluti atque omnino independens ab illo, & arbitrio voluntatis eius contingentiam, & libertatem euertit, vt fuse demonstrabimus in sequentibus: ergo, & præfinitio de eius futuritione conditionata eius contingentiam, & libertatem conditionatam: quare & suum obiectum seque ipsam destruet; tantum abest, vt ad contingentis futuritionem requiratur! Primam consequentis partem probo: nam reliqua euidenter deducuntur ex illa: quia præfinitio hæc de futuritione consensus sub conditione purificata conditione, vel seipsa, vel per aliam, quam infert, transit in absolutam, ac proinde tollet æque, ac præfinitio absoluta consensus libertatem. Secundo: per aduersarios, & causa est conditionatæ futuritionis contingentis, æque, atque præfinitio omnino absoluta futuritionis absolutæ eiusdem: imo vero magis, cum se sola conditionatam futuritionem apponat: æque item connexa vi suæ causalitatis cum conditionata futuritione atque alia omnino absoluta, cum absoluta eiusdem contingentis futuritione: æque item imo magis independens ab vsu libertatis, & potestate voluntatis conditionata, quam præfinitio ab vsu libertatis, & potestate voluntatis absolutis: sed his solum titulis, hisque causis præfinitio omnino absoluta futuri contingentis eius libertatem absolutam euertit: ergo, & præfinitio absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti euertet eius conditionatam libertatem. Hanc consequentiam, si antecedens certum sit (vt mihi certum est, aliisque ostendam inferius) irrefragabilem iudico.

3. Confirmatur adhuc vrgentius argumento sequenti, quod sit secundum, quia aduersarij totam vim seu virtutem actiuam apponendi hanc futuritionem contingentis conditionatam huic præfinitioni actuali Dei de conditionata illius futuritione omnino tribuunt: quia, vt absolute verum sit esse illud sub conditione, oportet causam actualem huius futuritionis dari: quomodo non sunt, sub quibus fore decernitur, quatenus in hypothesi solummodo sunt: cum autem, vt actu partialiter causent causæ, non minus requiratur absoluta, & actualis earum existentia, quam, vt causent totaliter causæ torales: principia illa, quæ solum in hypothesi sunt ad futuritionem contingentis conditionatam eam in horum sententia, ne partialiter quidem ad futuritionem conditionatam influere planum est: sed solum, vt puras conditiones se habere, totamque eius futuritionis actiuitatem, & influxum præfinitionis esse: ergo euertit potius libertatem, quam præfintio absoluta, ac physica prædeterminatio. Probatur consequentia: quia nequit exerceri libertas sine potentia actiua: atqui respectu status conditionatæ futuritionis nulla est potestas actiua voluntatis: ergo respectu illius adhuc pro eo statu nulla exercetur in eius consensu conditionato libertas. Confirmo vrgentius. Posita præfinitione consensus voluntatis conditionati impossibilis est negatio eius conditionatæ futuritionis, non solum in sensu composito, sed etiam absolute impossibilis, quia nulla est potestas actiua absolute voluntatis ad eius futuritionis negationem; quia nec est absolute voluntas, nec indifferentia cogitationum, in quibus aduersarij potestatem, seu potentiam ad negationem futuri absoluti omnino absolute præfiniti cum eius præfinitione componant.

4. Dices: ad libertatem voluntatis erga suum consensum conditionate futurum, huiusque subinde conditionatam contingentiam, & libertatem satis esse potentiam, seu voluntatem indifferentes cogitationes in hypothesi; id quod verissimum nobis est, sed cum aduersariorum præfinitionibus hisce, & doctrina omnino repugnans ac difficultati propositæ insufficiens probo: quia libertas, & potestas ad vtrumuis, solum in hypothesi, sufficiens non est ad vitandam necessitatem antecedentè consensus pro statu futuritionis, pro quo absoluta, & absolute necessitas illa est; alioqui nulla est necessitas antecedens, ac libertatem euertens esse posset, adhuc per potentiam Dei absolutam: cum nulla necessitas antecedens, & necessitans ad actum esse possit, quæ excludat conditiones, & hypotheses omnes sub quibus esset in voluntate potestas ad vtrumuis. Atqui necessitas antecedens præfinitionis Thomistarum de consensu contingenti conditionate futuro seu pro statu futuritionis conditionatæ, absoluta est, & absolute: potestas autem voluntatis ad vtrumuis absolutæ, & absolute non est, sed solum in hypothesi: ergo non est sufficiens ad vitandam necessitatem illam antecedentem absolute libertatis destructiuam. Secundo: per aduersarios, vt Deus suam primam libertatem in positione eius futuritionis conditionatæ exerceat, satis non est eius decretum poni primo gradu, & loco vt pote primi liberi in hypothesi, & pro conditione, licet futuritio conditionata solum sit: ergo neque, vt secundum liberum, scilicet voluntas, suam libertatem necessitati aduersam in positione eius futuritionis conditionatæ exerceat, satis erit eam, & principia indifferentia, quibus potestas ad vtrumuis, & libertas in actu primo seruanda in eorum doctrina est, posita etiam præfinitione, poni in hypothesi, & pro conditione. Tertio denique solutio hæc solidum principium est, ex quo ea præfinitio de futuritione conditionata ad hanc statuendam non necessaria, sed omnino superflua inferius demonstrabitur.

5. Argumentor tertio: ex infallibili consequentia quæ est à futuritione absoluta consensus liberi ab eisdem principiis essentialiter, & adæquate requisitis absolute futuri ad eundem sub eisdem omnino principiis in hypothesi, & pro conditione positis conditionate futurum, quod argumentum persecutus late sum cert. 2. à num. 3. ad 6. inclusiue. Argumentor quarto: à futuritione conditionata malitiæ peccati, seu peccati, qua peccati: quam quidem absque decreto actuali Dei de eius futuritione consistere ostendi pluribus eodem certam. à num. 7. ad certaminis finem: quo loco effugia, quæ ab aduersariis tentari possent, præclusimus. Arguitur quinto: quia implicat præfinitio Thomistica actus praui adhuc materialiter sumpti, siue materialis peccati absolute futuri: ergo, & materialis peccati seu actus praui sub conditione futuri: in quo discursu plura alia argumenta continentur, quibus multiplici ex capite præfinitiones materialis peccati reiiciemus in sequentibus. Sexto argumentor: quia Deus infinities infinitis decretis actualibus inutiliter oneratur à Thomistis circa futuritionem conditionatam omnium actuum creaturarum rationalium possibiliū in omnibus mundis à Deo creabilibus, sub quauis possibili etiam rerū, & conditionum combinatione, & peristhasi futurarum: quæ ratio Magistrum, & Illustriss. Fr. Angelum Manrique, imo & Thomistas peritiores à nobis supra recitatos, mouit, vt non sine irritione præsentes præfinitiones de futuritione contingentis conditionata reiicerent: & sane eiusmodi decreta de rebus, si hoc vel illud eueniat, ita vel secus peragendis imperfectæ nostræ prouidentiæ & prudentiæ

& prudentiæ est: etenim rerum euentibus omnibus occurrere facile sæpè non possumus, nisi aliquid præueniamus, quod non semper ad manum habemus; ac item, si imparatos nos rerum euentus capiant prompta adeo, atque expedita non est melioris, & opportunioris deliberatio: quare & eis decretis casus præuenire opus nobis, & prudens est; ast ratio hæc imperfectionem minus prompti & expediti consilij & electionis opportunioris, & curtam potestatem Deo indignam in nobis supponit: quare eius præuentionis necessitas à Deo releganda omninò est de cuius prompta potestate, ac expedita, optimaque deliberatione Tertullianus aiebat. *Deus omnia sufficit, nec potest esse sua perficacia præuaricator.* Septimò: quia non solum otiose, sed imprudenter decernet ita Deus de futuritione actionum sub conditione creationis, aut conditionis eorum, quos nunquam creabit, neque conditiones à seipso solum adhibendas apponet. Octauò: quia, cum Deo æquè prompta sint motiua ad decernendum absolutè omninò atque ad decernendum ex parte obiecti conditionate, sitque in eo perfecta libertas, absolutumque ergà vtrumlibet decernendum dominium, poterit decernere absolutè fore consensum, quin decreuerit prius illum fore sub conditione: siquidem status conditionatus consensus absolutum eius consensum nulla causalitate præcedit, sed solum prioritate maioris vniuersalitatis: cum autem præuideat media, & conditiones, sub quibus illum de facto obtinebit, quin eius frustretur decretum (vti perfecta Dei de rebus dispositio, & prouidentia reposcit) fit certe, & scientiam conditionatam, & eius obiectum, illum scilicet consensum sub conditione futurum absque decreto de eius conditionata futuritione, omnimodè ab eo independenter haberi à Deo posse.

6. Nouò arguo à priori: quia effectus solum petit causam proportionatè, & sufficienter ad statum, in quo est: cum enim exigentia effectus, vt eius causa detur, sit eius indigentia, vt à causa sua sit, quia essentia sua ab alio, & non à se est, quidquid creatum est: iuxta eam solum proportionem status, in quo effectus est, exigit, potestque pro illo statu exigere causam sui esse: atqui effectuum non existentium absolutè (cuiusmodi sunt effectus sub conditione futuri) nulla est necessitas, & indigentia existentiæ absolutæ causarum suarum: ergo eius causæ non debent esse in statu absoluto, vt ipsi sint futuri conditionatè, neque absolutus earum status est debitus, & proportionatus statui futuritionis conditionatæ effectus. Maior illa, imò discursus totus, est expressius Sancti Thomæ 2. cont. gent. cap. 21. num. 3. his verbis: *effectus suis causis proportionaliter respondent: vt, scilicet, effectus in actu causis actualibus attribuamus; & effectus in potentia causis, quæ sunt in potentia.* Confirmatur: quia futurum absolutum, quamdiu futurum est, ac non actualiter præsens, non requirit actu præsentem sui causam, sed satis est fore actu, & de præsenti pro sequenti duratione, pro qua de præsenti erit, quod futurum nunc est; alioqui & oporteret etiam actu, & de præsenti esse Patrem, & matrem Antichristi, qui nunc futurus est. Imo, & oporteret eos ab æterno, & ex æternitate actu & de præsenti, ac absolutè extitisse: siquidem Antichristus ex tota anteacta æternitate est futurus: ex quo deduces: non solum Antichristi causas; sed reliquas omnium creatorum effectuum causas: quare & fere creata omnia ab æterno absolutè per intrinsecam durationem, & propriam mensuram esse, ac Dei æternitati ex æternitate coexistisse; imò & per totam æternitatem absolutè coexitura; cum per totam illam præterita futura sint; nec minus requiratur causæ actualis, vt actu pro sua duratione præterita fuerint, quam, vt futura pro sua sequente duratione sint: ex quo nihil tempore cœpisse in mensura, & duratione, etiam propria: nihilque deficere contra Scripturam, Patres, & fidem legitimè deduceretur. Item possibile, qua tale præcisè, vt aiebat S. Th. non requirit causam existentem actu, quia actu non est, sed solum possibiliter: ac proinde solum petit causas suas possibiles siue in statu possibilitatis: atqui status futuritionis conditionatæ nō est status actualis existentiæ, & absolutè futuri pro illa duratione, sed existentiæ suspensæ, scilicet, si sit eius conditio, & causa requisita: siue non est futurum, quod absolutè sit, vel erit; sed solum quod esset, si poneretur eius causa: ergo ad eius futuritionis consistentiam non requiritur causæ suæ absoluta, & actualis existentia, sed satis est illam esse in hypothesi, & pro conditione.

7. Dici posset hæc omnia verum quidem habere in causis creatis futurorum contingentium; secus in Deo causa etiam essentiali, & necessaria eorum: tum, quia creatæ ipsorum causæ, & futura ipsa debent subordinari Deo in essendo, & operando. Tum etiam, quia certum apud omnes est, ad quodvis etiam possibile, ac futurum Dei existentiam ab æterno, nec solum possibilitatem adhuc præcisiuam requiri. Requiri item omnipotentiam actualem, cum requiratur possibilitas Dei non chimærica, & omnipotentia non ficta: cuiusmodi esset, cum possibilitas, tum omnipotentia ab actualitate essendi præscindens. Sed hæc vim argumenti non euacuant. Non primum: quia subordinatio causarum, & effectuum creatorum in essendo, & operando debet proportionari statui essendi, & operandi causarum, & effectuum creatorum, vt supra factæ rationes probant: eum autem in causis futurorum contingentium, atque in futuris ipsis status essendi, & operandi sit conditionatus, suspensus scilicet, & in hypothesi, satis erit decretum Dei, & pro conditione præcedere, eique sub ea esse, & operationem causarum, & futurorum sub conditione subordinari, & causæ primæ primatus, & dominium, ac creatarum causarum, & effectuum debita illi subordinatio proportionate seruetur: sed, nec secundum magis præstat, (vt enim modo ea quæstione abstineam, an conceptus possibilitatis, & omnipotentiæ Dei ab actuali eius existentia differat (de quo quantum satis est controu. 1. diximus, ex quo pendet, an possibilitas creaturæ petat formaliter, an solum materialiter Dei, & omnipotentiæ existentiam actualem) admisso eo indistinctionis formalis principio: ex illo contra sic respondentes arguo: eius solum principij diuini actualis existentia, & absoluta requiritur ad statum non solum absolutæ existentiæ, & futuritionis, sed etiam possibilitatis, aut futuritionis conditionatæ causarum, & effectuum creatorum, de cuius essentiali conceptu possibilitatis est, vel saltem ex cuius possibilitatis conceptu infertur necessario eius existentia actualis, & absoluta: ac similiter ex eius positione in hypothesi, aut conditionate eadem actualis existentia absoluta infertur; atqui decreti possibilitas, aut conditionata existentia; neque est eius decreti absoluta existentia, neque illam necessario infert: cum sit absolute contingens, & liberum: ergo neque causæ, neque futura conditionata creata, qua possibilia, vel futura conditionata eius decreti absolutam, & actualem existentiam supponunt, sed solum in hypothesi.

8. Arguo decimò: quia implicat aliquem effectum esse in aliquo statu, quin omnia principia essentialia, seu causæ omnes partiales essentialiter requisitæ proportionate ad eiusmodi statum effectus præsupponantur: quin satis sit partialem vnam causam effectus illius esse proportionate ad tribuendum ipsi statum illum. Hoc principium æque euidens est, imo idem cum hoc nullum effectum poni in statu vllo posse ab vna solum causa partiali sui deficientibus aliis causis partialibus essentialibus ipsius siue necessariò, & essentialiter requisitis ad ipsum pro eo statu apponendum, quæ enim causa in statu proportionato ad apponendum effectum pro quouis statu adæquata, & absoluta non est: perinde habet, ac si omnino deficeret ad status illius appositionem: id quod exemplis, ad oculorum penè, euidentiam confirmatur: vt enim aliquid sit absolutè actu nunc, & de præsenti, necesse est vt omnes eius causæ necessario, & essentialiter requisitæ ad eius absolutam productionem, seu positionem actu, & nunc, & de præsenti existant: nec satis est ita existere vnam ex illis, vel aliam, reliquas verò extitisse absolutè, vel extituras postea esse, vel esse possibiles, v.g. vt actu, & de præsenti sit visio mea de colore aliquo, satis non est meam potentiam visiuam actu, & de præsenti esse, nisi de præsenti sit color eiusve species, aut aliquid aliud (quidquid illud sit) loco illius concursiuum, & concurrens, quin satis sit hoc ex parte seu loco obiecti concursiuum extitisse, vel extiturum postea: multoque minus, quod sit possibile, dum actu, & de præsenti non existat: item, vt visio hæc sit possibilis à suis causis essentialiter requisitis, satis non est potentiam meam visiuam, vel aliam causam partialem ex requisitis essentialiter ad ipsam, esse absolutè

possibilem, etsi reliquæ absolutæ possibiles non sint: quorum ea ratio est: quod omnes causæ essentialiter requisitæ ad effectum debent esse in statu proportionato ad illum, in quovis horum statuum apponendum; nec satis est alteram solum ex illis in statu proportionato ad eum effectus statum apponendum: actualis autem absolutæ existentiæ effectus illius visionis, nunc, & de præsenti est in causis status actualis, & absolutæ existentiæ, nunc, & de præsenti: status verò possibilitatis effectus ab illis, est possibilitatis absolutæ.

9. Hoc autem statuto principio notissimo sic rationem efformo: implicat esse pro vllo statu effectum, nisi à suis omnibus causis essentialiter requisitis ad illum statum constitutis in statu proportionato ad illum statum effectus apponendum: atqui voluntas, & indifferens cogitatio sunt principia essentialia consensus vitalis contingentis, & liberi æquè, atque est essentiale principium Dei decretum: ergo implicat esse consensum vitalem contingentem, & liberum pro aliquo statu, quin voluntas, & vocatio, seu cogitatio cum indifferentia, nec solum Dei decretum, sint in statu proportionato ad apponendum consensum vitalem, contingentem, & liberum in eo statu. Tum sic: vel status proportionatus earum causarum essentialium ad apponendum statum futuritionis conditionatæ consensus vitalis, & liberi debet esse status absolutæ existentiæ earum, vel satis est eas in hypothesi & pro conditione apponi? si dicas primum: ergo nequit apponi futuritio conditionata vitalis, & liberi consensus à Decreto Dei actuali, & absolutè posito solum, nisi voluntas, & vocatio absolutè etiam sint. Patet consequentia: quia alias esset in eo statu effectus ille, consensus vitalis, scilicet, & liber ab vna solum ex causis essentialibus posita in statu proportionato ad eius status appositionem, reliquis causis essentialibus in illo non positis, sed deficientibus ab eo: contra euidens principium, quod demonstrauimus: quod si ne in hoc principium impingas, consequentiam admittas: fiet, vt decretum hoc tuum actuale de futuritione conditionata nullam futuritionem conditionatam relinquat, destruatque suum obiectum: cum enim futurum omne conditionatum purificata, & absolute posita conditione transeat in futurum absolutum, si voluntas, & vocatio, seu cogitatio indifferens ponenda actu absolutè est, sicut decretum ad statum conditionati appositionem, non quidem hic, ab eis, & decreto, sed status absolutæ existentiæ, & futuritionis necessariò apponetur. Si autem dicas postremum: scilicet, satis proportionatum causarum essentialium conditionati consensus vitalis, & liberi esse statum appositionis earum in hypothesi: ergo ita etiam apponi Dei decretum ad eam conditionatam futuritionem satis erit: ac proinde nullo decreto actuali Dei opus habebit, vt apponatur eiusmodi futuritio: Hoc argumento à me, non ita seni cogitato, iamdiu Thomistas vexabam pertinaces. Quod enim responderi poterat, non eundem statum requiri in omnibus causis essentialibus, vt proportionentur ad eundem statum effectus apponendum dictum est num. 8. & quod specialiter pro decreto diuino, vt præ aliis concausis essentialibus habere debeat actuale, & absolutum esse ad statum futuritionis conditionatæ apponendum confutatum satis manet n. 7.

10. Argumentor vndecimo: quia Deus vt vidimus d. 5. quæst. 3. cognoscit omnia sua decreta conditionate futura, tum, quæ absolute habuit: quia purificata conditio fuit, sub qua ea fore prio priori ad conditionis purificationem nouit: tum ea, quæ de facto non habuit, quia de facto purificata, & posita absolute conditio non fuit, vt decretum conferendi gloriam Iudæ, ac reprobis, si cum pœnitentia, & gratia decederent, vel dandi alicui ampliorem gratiam, quam dedit de facto, si hoc vel illud opus supererogationis, & Consilij exerceret, quod de facto non exercuit. Hæc inquam, & similia reliqua decreta sua Deus vere & infallibiliter prænouit: ergo status ille conditionatæ futuritionis decretorum Dei consistit, ita, vt à Deo cognoscitur, cognitusque ab æterno fuit; alioqui verè, nedum infallibiliter, à Deo non cognosceretur. Atqui non consistit vi decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti de conditionata futuritione eorum, vel alicuius ex illis decretis: ergo ad futuritionem conditionatam contingentis statuendam decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus non est. Minor probatur: quia in decreto illo sub conditione futuro non est, vel apparens ratio dependentiæ, & subordinationis alteri decreto anteriori absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti. Secundò: quia, vt decretum hoc ex parte obiecti conditionatum sit, vt potest, futurum etiam ex parte actus conditionatum, opus alio decreto actuali de illius conditionata futuritione non est: nam ad huius etiam conditionatam, quæ esse potest, futuritionem alio etiam decreto absoluto ex parte actus opus erit, & sic in infinitum progressum anteriorum, & anteriorum decretorum absolutorum ex parte actus, & conditionatorum ex parte obiecti abibitur: quod si status futuritionis conditionatæ diuinorum decretorum, absque decreto vllo absoluto ex parte actus & conditionato ex parte obiecti consistit: reliquorum etiam contingentium conditionatorum status absque eiusmodi decreto consistet: cum nihil pro differentia vnius futuritionis ab alia adduci queat, quod præclusum non sit ex dictis n. 7. & 8.

11. Simile argumentum instrui duodecimo potest, ex veritate, vel falsitate determinata omnium, & singularum propositionum conditionalium independenter à decreto quam d. 7. ostendemus. Neque enim veræ determinate esse possent independenter à decreto, si conditionata necessario futuritio à decreto in sui consistentia penderet, vt proximè dicebamus. Ex quibus omnibus plus satis probatum est futuritionem conditionatam contingentium à decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti nullatenus pendere. An verò poni ad ipsam in hypothesi debeat decretum prædeterminatiuum consensus omnino absolutum, quod ad absolutam contingentis futuritionem iuniores Thomistæ requirunt: vel quodnam tandem concurrendi decretum ex parte Dei ad consensum seu contingens conditionatum ad eam hypothesim aduocandum sit? iuxta dicenda contr. 3. definiendum: vbi de decreto diuino concurrendi ad creatas liberas actiones, & actus, ex instituto disputabimus: quidquid enim ex parte voluntatis diuinæ ad absolutam contingentis existentiam apponendam necessarium esse statuerimus ibi, id totum in hypothesi contingentis conditionati poni omninò debere apertissimum est.

CERTAMEN VII.

Semipelagianorum à Pelagianis in re præsenti discrimen, & error propalatur.

1. VT clarius testimoniis Patrum (præcipue Augustini, & Assectarum) quæ contra nos aduersarij inducunt, possintve deinceps inducere, respondeamus; horumque in doctrina Augustini, Prosperi, Hilarij & S. Thomæ examinanda incuria ac inde ortæ confusio, & æquiuocatio detegatur: oportet Semipelagianorum errorem, atque à Pelagianis discrimen circa necessitatem gratiæ ad salutem clare, & dilucide proponere, atque explicare: vt constet contingentis conditionatam futuritionem, eiusque scientiam ante actuale decretum de illa nullatenus à præfatis Patribus reprobari, post illud vero approbari: nullumque in Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio, aliove Patre, siue merita Semipelagianorum noua impugnantibus, siue ad eorum argumenta respondentibus, eius rei, vel apparens fundamentum reperiri; & sane neque Semipelagianorum hæresis, neque Catholicæ Patrum doctrinæ, qua illos impugnabant, quidquam referebat conditionata illorum merita, ac demerita, eorumque scientiam ante, vel post decretum actuale Dei de eorum conditionata futuritione in eo statu constitui; quod, vt ostendatur, & quæ hinc inde nullo delectu, nullaque contextus, & forte textus ipsius, lectione ex Augustino, Prospero, & Hilario Cursus Discalceatus Carmelitanus, & Ioan. à S. Th. eiusque farinæ alij in nos tumultuario coniectant negligantur. Pelagianorum & Semipelagianorum

gianorum errores ad purum explicandi, atque exactissimè vtrorumque distinctio statuenda in primis erit. Atque, vt Pelagianorum errores alios de nuptiis, & originali, nunc prætereani, totus eorũ (quod ad rem attinet præsentem,) error fuit nos ad gratiã, & gloriam à Deo ante mũdi constitutionẽ electos fuisse ob merita absolutè futura, viribusque naturæ à nobis postea habenda, quibus pie, iuste, & honeste operaremur, & perseueraremus in iustitia: reprobationem verò à gratia, & gloria de meritis operum prauorum absolutè futurorum nostrorum à Deo concipi semper: atque ita electionem diuinam Iacobi præ Esau, ac huius reprobationem habitas aiebant, & à Paulo illis verbis assertas, *Antequam quidquam boni egissent, aut mali Iacob dilexit, Esau verò odio habuit*: id quod apertissimè constat ex Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. & cap. 12. de prædest. Sanctorum, milleque aliis, vbi contra Catholicam gratiæ ad bene, iusteque agendum necessitatem asserentes Pelagianos memorat, & impugnat, ipsorum autem hæresim hanc duplici ex capite a ratione Augustinus in primis confutauit. Primo: quia iam gratia non esset gratia, cum meritis pure nostris non gratuita quidem, sed remuneratoria voluntate à Deo daretur, id quod euidentissimè concludit. Secundum, vt euidentius non sit, erat autem plausibilius ab electione, & reprobatione paruulorum ante vsum rationis decedentium, alterius quidem baptizati, alterius verò inbaptizati: in quorum neutro merita, vel demerita absoluta, quæ sola merita, vel demerita esse Pelagiani fatebantur (atque adultorum electioni, & reprobationi prætendebant) poterant vel apparenter designari: quare argumento hoc ad silentium vsque confutatos à se Pelagianos testatur citatis locis & alibi Augustinus, cuius verba dabimus certaminis huius decursu.

2. Semipelagiani verò in eo cum Pelagianis errarunt: vt merita ex propriis viribus, & absoluta quidem in adultis (in quibus ea poterant designare) ac demerita ad salutem, vel ad mortem, electionemque, vel reprobationem nostram à Deo prætenderent. Discreparunt verò à Pelagianis: quod merita nostra non ad totam salutem atque gratiam iustificantem perseuerantiam, & gloriam absque Dei, ope, & gratia auxiliante (vt Pelagiani dogmatizarunt) admitterent; sed solum ad inchoationem salutis per fidem, piumve credendi affectum, cuius ex propriis viribus merito ad vlteriora saluti gratiæ iustificanti perseuerantiæ, &c. necessaria peragenda, auxilians gratia supernaturalis à Deo donaretur. Pro casu verò paruulorum, vt hanc suam doctrinam tuerentur, quam absolutis meritis, demeritisve non poterant, merita, ac de merita conditionata de suo absque vllo Pelagianorum exemplo commenti sunt. De absolutis adultorum meritis à Semipelagianis admissis constat ex Augustino c. 12. de prædest. Sanctor. de Semipelagianis dicente: *Tamen apud eos, qui, nisi aliquid assignet, quod priores dant, vt retribuatur eo, ab omni studio pietatis reprimi se putant* (Pelagiani enim non aliquid, sed omnia sua putabant) *laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio; sed vbi venitur ad paruulos*, &c. *Omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum*: quia, scilicet, meritum aut demeritum in absolutis solum operibus (quæ paruulorum illorum nulla fuere) esse potest: quod Principium, quia Semipelagiani obiecerunt ad merita, & opera illorum conditionata pro suo errore recurrentes, subdit: *quis enim audiat, quod dicuntur paruuli* (ab his nimirum, qui ad fidem, & gratiam à Deo obtinendam boni naturalis desiderij, & affectionis absolutæ ih adultis actum requirebant) *pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate exire de hac vita?* atque à Prospero. *Notum absurditatis genus* (in Semipelagianis) *dicitur: vt non agenda præcirca sint*: quia, scilicet, in adultis merita absoluta ad fidem, & gratiam impetrandam primitus asserebant. C. insuper eodem Semipelagianorum errorem de meritis nostri omnium adultorum absolutis, ad fidem, & gratiam, seu fidem, qua credere incipimus, ac non ad totum salutis nostræ negotium vt Pelagiani errarunt refert Augustinus, *Et ideo* apud ipsos Deum *nos elegisse ante mundi constitutionem, vt iam Sancti, atque immaculati gratia, atque ope eius essemus.*

3. Confirmatur: ex Epistola Hilarij ad Augustinum referentis Semipelagianos se tueri doctrina Augustini, de fidei merito ad electionem ad gratiam, & spiritus Sancti donationem in quæstionibus ad epistolam ad Roman. vbi ad ea Pauli verba: *Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis restitit?* ita inter alia scripsit: *Æquales omnes sunt ante meritum: nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari: quoniam Spiritus Sanctus non datur nisi credentibus, &c. Non ergo elegit Deus opera, cuius quam in præscientia, qua ipse donaturus est; sed fidem eligit in præscientia, vt quem crediturum esse præsciuit ipsum elegit, cui Spiritum Sanctum daret*: quasi Augustinus fidei meritum, ex viribus naturæ, ac non potius à Dei gratia ibi docuisset: ergo ea merita fidei præcedere Dei electionem ad gratiam, & donationem Spiritus Sancti Semipelagiani admittebant ad salutis initium, quæ asserta ibi fuerant ab Augustino: atqui ea erant merita, & nostra, ex gratia, tamen, fidei omninò absoluta: ergo absoluta etiam, licet non ex gratia, asserebant Semipelagiani. Minor constat ex verbis ipsis Augustini proximis. Secundo: quia de conditionatis illis meritis paruulorum noua & inaudita esse aiebant Prosper, & Hilarius proximè, satis in scripris & doctrina Augustini versati, & Augustinus supra memoratus aiebat ipsis rescribens: *iudicari quemquam secundum merita quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore: vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestra iudicant litteræ, mirans, & stupens reperire non possum. Nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem*: Ex quibus constat merita nulla, tam eo loco, quam alibi vsquam ab Augustino asserta, conditionata fuisse, sed omnino absoluta, & ex Dei gratia. Imò conditionata hæc merita pro paruulis demum à Semipelagianis cogitata contempru potius, quam tam longa cum illis disputatione habita reiicienda censebat Augustinus tom. 10. de bono perseuer. ita locutus. *Quanquam, vt dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus, vel mortuis peccata qua præsciti sunt facturi esse, si viuerent, etiam refellere pudeat: ne videamur existimasse alicuius esse momenti quam maluimus disputatione cohibere, quam silentio præterire.* Accedit Semipelagianos ipsos teste Hilario citata epistola ad Augustinum ægre tulisse *vt paruulorum causa*, (in quibus sola fictitia illa sua merita conditionata locum habebant) *ad exemplum maiorum referretur*; scilicet, quia in his absoluta merita propria facilius pro suo errore prætendebant.

4. Quod ipsum constat ex his Augustini de dono perseuer. cap. 11. contra Semipelagianos: *ex ore lactentium, & infantium* (inquit) *perfecisse Deum sua gratia laudem dum, quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, &c. hoc, & in maioribus fieri, nequaquam omnino cunctamur: non putantes secundum sua merita gratiam cuiquam dari*: scilicet, sicut Semipelagiani his contendebant saltem concedendum, in quibus opera absoluta facilius designabant, ac merita deinde propria: quare, & eorum causam à causa paruulorum diuidi volebant: Confirmatur rursus: quia ex Augustino 2. de prædestin. Sanct. cap. 2. Semipelagiani volebant *fidem auctam, seu perfectam esse mercedem fidei captæ*, absolutæ scilicet, & cap. 17. *Sed hæc, inquiunt, vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis* cap. 19: Deum nos seligere aiebant: *quia credidimus*, cap. 21: *Exigere Deum initium fidei a nobis in Christum primitus credere incipimus, & quod non est donum Dei: vt, cum id præcesserit cætera consequantur*: & apud Prosperum epist. ad August. aiunt: *Homines ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur peruenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando: vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene vsus, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratia* (naturalis, & suæ naturæ) *ope meruerit peruenire*: item: *fidelem deuotum fuisse quia voluit*. Rursus: *qui Deo sponte credidit merito credulitatis accipere auxilium gratiæ*. Deinceps: *Hominis libertatem iuuari si, quod Deus mandat elegerit*. Demum: *cum in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint, qua humanam operantur salutem, Dei scilicet, gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, vt initium salutis ex eo, qui saluatur non ex eo credendum sit stare, qui*

qui saluat: & voluntas hominis diuina gratia sibi pariat opem; non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem: Similiter Hilarius epist. ad Augustin. eorum refert errorem: *Homines eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequi effectum.* Et iterum: *non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas salutis.*

5. In quibus expresè de fide, voluntate salutis absoluta, adultorum, qui tempus liberæ voluntatis acceperunt eos loqui manifestum est: atque horum merita propria absoluta designasse, nec solum conditionata; alioqui malè, & ipsi aliam adultorum, aliam paruulorum causam esse vellent; & Augustinus Prosper, & Hilarius speciatim in paruulis (in quibus nulla absoluta merita, aut demerita fuere) eos vrgerent, nisi in adultis absoluta designarent, nec ad conditionata recurrerent: vti eo argumento presli in paruulis recurrerunt, in quibus absoluta merita propria nulla inueniri poterant, quæ in adultis prætendebant teste Prospero supra his verbis: *cumque innumerabilium illis obiicitur multitudo paruulorum*, &c. cur autem obiicitur, ni in adultis merita absoluta, ac non conditionata prærendunt? alioqui, si in adultis conditionata prætenderent, nullius ponderis esset, neque cum id obiiceretur, tunc id dicerent, sed antea in adultis dixissent. Dixerunt autem tũc in paruulis, vt statim Prosper subdit: *tales aiunt perdi, talesque saluari, quales futuros in annis maioribus, si ad actuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit*: accinit Augustinus c.12. de prædestinat. Sanctorum, vbi ait contra Semipelagianos: *laborari in ætate maiorum. Ast deficere eos omnem assertionem humanorum meritorum, cum venitur ad paruulos: quorum merita* (conditionata à Semipelagianis) *pretensa audienda non sunt*, & iterum clarius: *in hanc Sententiam* (de meritis conditionatis paruulorum) *ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, &c. vt tamen gratiam Dei secundum merita nostra dari sibi existiment esse credendum*: at *Nec vacillare illud, quod Deus velit omnes saluos fieri*, & ex epistola Hilarij ab illis, *dicunt etiam esse præscientia diuinæ*, vbi se responsione illa Augustini ad Paganorum quæstionem protegebant vt vidimus, in adultis verò hominibus ad propria merita absoluta, quibus inchoaretur eorum salus constanter, vt vidimus recurrerunt.

6. Cuius veritatis præter innumera testimonia hactenus data hæc etiam sunt non minus perspicua: Prosperi citata epistola, ita eorum errorem iterum referentis: *qui autem crediturí sunt* arbitrio suo, *quique in ea fide, qua deinceps per gratiam* ob fidei meritum, *iuuanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in regnum suum quos gratis vocatos*, (in quibus contradictionem notat Augustinus, quod gratis, & tamen ob merita propria vocentur) *dignos futuros electione ac de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit*, & Hilarij citata epist. *quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute susceptâ: hactenus accipiunt: vt, quibus datur, inerti licet, præcedenti proprio arbitrio tribuatur*: August. item de dono persæuer. *Sed hæc inquiunt, vt à Deo dentur, nobis fides impetrat; qua incipit à nobis, quam fidem, & incipere habere, & in ea vsque in finem perseuerare, tanquam id non à Domino accipiamus nostrum esse contendunt*, milleque aliis locis eum esse Semipelagianorum errorem testatur August. cap. 9. 10. 17. 18. & 19. de Prædest. Sanctor. ac de dono perseuerant. cap. 18. 19. 21. & 17. vbi ita contra eum scribit. *Hæc itaque bona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis* (*in quibus donis est, & incitere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare, sicut tanta rationum, & authoritatum contestatione probauimus*) *hæc inquam dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.* Hinc factum sit Augustinus ibi, vt præscientia pro prædestinatione, quam essentialiter supponit, quandoque vsurpetur iuxta illud. *Non repulit Deus plebem suam quam præscíuit*: ad quæ ille, *quod ait: præsciuit, non recte intelligitur, nisi prædestinauit*: vnde cap. 18. & præscientiam, & prædestinationem tantundem valere, atque electionem ante mundi constitutionem, de µ3 Paulus, his differre docet: *in hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ saluæ facta sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus, non repulit, quia præsciuit: hæc est illa electio, qua eos quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent Sancti, & immaculati, in conspectu eius in charitate prædestinans eos in adoptionem filiorum.*

7. Atque hunc errorem Semipelagianorum de meritis propriis absolutis adultorum ad inchoationem fidei, & salutis improbo hoc labore clare à Deo, & prolixe ostendendum putauimus, vt æquiuocatio aduersariorum in locis, quæ nobis ex Augustino opposita hactenus sunt, deincepsque opponentur, omnibus pateferet. Sed præter errores: hos positiue à nobis plus satis hactenus probatos, quorumque exacta notitia non soluendis solum, sed negligendis etiam, aduersariorum contra nos ad rem præsentem testimoniis satis foret, ne iterum de eorum errore circa alias nostrorum cum Thomistis controuersias (cum circa gratiæ efficaciam, tum circa prædestinationis cum nostrarum actionum libertate concordiam) præfare aliquid opus sit, aduerte Semipelagianos nusquam de futuritione conditionata, eiusque conditionata scientia, siue ad gratiæ efficaciam, siue ad eius, & prædestinationis cum nostrorum operum libertate concordiam visos fuisse. Neque enim his de rebus vsquam cogitarunt, & licet ad id asserendum satis nobis esset nullum esse in eis, aut errores eorum referentibus eius apud Semipelagianos doctrinæ vestigium oporteretque aliquibus testimoniis oppositum ab aduersariis (quos penes tota probandi obligatio est) nobis probari: quod hactenus præstitum est, neque in posterum præstabitur: tamen maioris abundantiæ gratia facilè, etiam positiuè, ex datis Parrum testimoniis probamus: ex eis quippe constat, tam Pelagianos, quam Semipelagianos non efficaciam (in quocumque stet) gratiæ, sed necessitatem gratiæ Dei, ac proinde à Deo gratis donante dependentiam contrariam aduersamque libertati operum nostrorum existimasse, ac proinde nos independenter abusu nostræ libertatis saluari, si Dei gratia, & gratuita per illam nostrorum operum bonorum donatio à Deo, quasi fato, nobis obueniat, nec completa in arbitrio facultas ad bonum sicuti ad malum sit: idcirco Pelagiani, vt vidimus, omnia opera nostra bona ad salutem consequendam viribus arbitrij nostri solis, atque independenter à Dei gratia, & Deo per illam donante, & arbitrium nostrum iuuante tribuebant: Semipelagiani vero initium solum salutis per fidem imperfectam, & inchoatam, perfecteque desiderium, ac piam affectionem, cuius merito perfecta, & aucta fides, & gratia iustificans nobis à Deo daretur, & ob perfectam fidem, in ea, & iustitia perseuerantiam voluntatis nostræ facultati naturali independenter à gratia auxiliante, & Dei adiutorio tribuebant: quia, ni aliquid prius omnino ex nobis daremus, ob quod reliqua nobis à Deo in præmium donarentur, omnem arbitrij nostri industriam, studium, & libertatem in salutis nostræ negotio excludi putabant: vt supra Augustinus aiebat, & hoc certè, si fuisus, & apertius ostendatur, omnia quæ aduersarij ex Patribus nobis obiiciunt, euanescunt.

8. Id autem facili negotio præstabimus: ita enim Semipelagiani (vtique ex communi ipsis, & Pelagianis principio, & argumento) aiebant, referente Prospero citata epist. ad August. necessitate gratiæ auxiliantis, & adiutorij Dei ad quodvis bonum opus præuenientis, *arbitrij nostri vsum, & libertatem, lapsis curam resurgendi adimere*, &c. *& prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Excusam, inquiunt: quia vniuersim & indifferenter vult omnes homines saluos fieri: eosque prædicatione, non autem gratiæ auxilio internæ vocat: ipsi autem arbitrio solo oblatam salutem, vel respuunt, vel arripiunt. *Et quantum quisque*, (pergit Prosper) *ad malum, tantum habeat voluntatis ad bonum: parique momento animum se, vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem Dei gratia foueat, mala verò sectantem damnatio iusta suscipiat.* Et infra: *Priorem obedientiam, quam gratiam, & initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum stare qui saluat voluntatem nominis diuinæ gratia opem parare non gratiam subiicere sibi voluntatem.* Atque in his stare Semipelagianorum errorem summatim docet Prosper. *Si principium salutis malè in homine collocatur: si diuina*

voluntati

voluntati impie voluntas humana præfertur: vt ideo quis adiuuetur, quia voluit; non ideò, quia adiuuatur velit: si originaliter malus acceptionem non à summo bono, sed à se inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo, quod ipse donauerit. Ad horum verò eradicationem nonnulla tractanda (quibus dissensione Pelagianorum, & Semipelagianorum à reliquis, *Christianam violari fidem*, ait,) Augustino proponit. Ex quibus erat. *An præscientia innitatur proposito, vel vniuersim, vel saltem in adultis?* Alterum: *quomodo per istam præparantem, & cooperantem gratiam liberum non impeditur arbitrium?* vt vtrique concordes hæretici impediti censebant: [Excludi item aiebant, omnem prædicandi vigorem, & inutilem reddi exhortandi consuetudinem; ni aliquid puri arbitrij, quod ea excitetur, vt per vires eas solas credant, & sanari velint, & medicum quærere, vt deinceps augmentum fidei, & effectum totius sanitatis medicina, & curatione gratiæ consequantur,] vt recitat Hilarius ex ipsis epist. ad Augustinum; idcircò Augustinus ipse cap. 12. de prædestinatione Sanctor. de Semipelagianis concludit. *Nisi aliquid sibi assignent, quod pœnæ dent, vt retribuatur eis ab omni studio pietatis reprimi se putant.*

9. Secundò: Semipelagiani ita de hac voluntate gerendi medicum, ac Pelagiani de tota curatione, vel maiore eius parte philosophabantur: atqui Pelagiani destrui putabant arbitrij nostri libertatem, si ad curationem gratiæ præuenientis auxilio opus nobis esset: ergo Semipelagiani destrui arbitrij nostri libertatem censebant ex necessitate gratiæ præuenientis ad voluntatem quærendi medicum: constans maioris veritas Semipelagianis nomen fecit. Minor est Augustini vbi proximè, & epist. 106. ad Paulinum, & epist. 105. & epist. ad Vitalem dicentis: *sublata necessitate gratiæ non firmari à Pelagianis, vt contendunt, sed destrui, ac per inania ferri arbitrij nostri libertatem*, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum à se propulsat pelagianorum calumniam quod ex necessitate gratiæ nostra bona opera præuenientis, nec sequentis solùm, fati esset assertor, lib. 3. & 4. contra eosdem tres eorum præcipuos errores è nimia horum quinque æstimatione ortos censet, nempe *creaturæ, & nuptiarum*, vt originale negarent: *Sanctorum*: vt ab omni culpa, in hac etiam vita, immunes illos crederent; *legis, & liberi arbitrij*, vt gratiæ opera præuenientis nostra negarent: solumque præcedentia nostra omninò merita adiuuare, & sequi docerent, & lib. 4. cap. 2. *Pelagianam* hac in re *hæresim exerti ait: ab eo, qui fatetur captiuam voluntatem non posse, nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem*, & cap. 6. ait Pelagianos Catholicè vsuros verbis Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis*: suamque hæresim contituros, *Si ita intelligerent, vt etiam ipsum bonam voluntatem illum præparare conterentur de quo scriptum est: præparatur voluntas à Domino*: Sed tamen quia alterius ope ad volendum egere, & propria voluntate, & arbitrio nos velle, componere Pelagiani non poterant: idcircò: *Si volueritis*: propriis viribus, & absque Dei præuenientis auxilio hæretice intelligebant: Catholicum item *sine Scrupulo*, ait esse Augustinus: gratiam Dei bonum cuiusque propositum adiuuare, ni in hoc meritum Pelagiani ponerent, cui gratia tanquam merces retribueretur; sed potius non solum meritum à gratia consequenter adiuuari sed ab illa præueniente antecedenter, & necessariò ita adiuuari asserent, vt sine gratiæ præcedentia esse minime potuerit; id quod nullatenus Pelagiani admitrebant, quia ex necessaria gratiæ Dei præcedentia operis libertatem, & subinde meritum, aboleri putabant, vt in minori assumebamus.

10. Expressius adhuc minorem eandem nos docuit Hieronymus epist. ad Ctesiphontem vbi discipuli nomine hanc Pelagij sententiam scribit: *destruitur voluntas, qua alterius ope indiget*, & 2. aduersus Pelagianos ita eos loquentes inducit: *quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem, nihil posse, nisi semper Deus adiuuerit?* Arnobius d. de Deo Trino & vno ad calcem lineæ fol. 563. negante ipso, *absque Dei auxilio liberum arbitrium esse sine peccato, laudemve adipisci diuinam.* Sotapion e Pelagianorum persona, vt nomine disputans intulit: *Ergo non est liberum arbitrium.* Non igitur ex speciali auxiliantis gratiæ efficacia, sed ex necessaria eius ad bona nostra opera præcessione eorumque, vt fiant indigentia gratiæ libertatem arbitrij auferri nobis aberrarunt, vt in minori Syllogismi nostri assumebamus: quia sola præuenientis auxilij necessitare ad opera nostra arbitrij elicienda nullas arbitrio nostro partes relinqui putabant: nihil de eius efficacia cogitantes, vel disputantes intrinseca ne auxilio, vel extrinseca foret, sed negantes solum necessarium esse Dei adiutorium antecedens opus bonum, cum, vt hoc à nobis exerceretur, tum, vt potentia compleretur arbitrij, & potestas voluntatis: cum ergo idem hac in re quod Pelagiani, Semipelagiani senserint, (vt dicebamus in maiori) consequens est, eos non de gratiæ efficacia aberrasse, imò ne disputasse quidem; sed de eius necessitate, seu necessaria præuentione in voluntate nostra, vt bonum opus exerceret, atque absolute posset: eamque solummodo negasse, vt in eo eliciendo arbitrii libertatem, & potestatem tuerentur.

11. Atque eum fuisse vnicum Semipelagianorum errorem contra gratiæ præuenientis nostra bona opera necessitatem: non autem contra efficacis gratiæ ipsius modum, præter discursum factum satis firmum, ex eorum expresso, & formali errore patet: ita enim eum refert Augustin. de dono perseuerant. cap. 17. vt ex necessitate gratiæ præuenientis ad piam affectionem, & inchoatam fidem inutilis ab eis dicatur prædicatio: quia fides Dei donum esset ratione auxilij præuenientis, siue in eius collocatione à Deo datum, id quod ex speciali modo efficaciæ auxilij nullatenus pendet. *Hæc dicentes nolunt* (inquit) *hominibus prædicari dona Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide*, quia nimirum à Deo hæc dari, & à nobis liberè ea progredi nullatenus componebant: illos vero ad hominem conuincit Augustinus, & Dei dona esse posse, & liberè à nobis fieri; nec studium, & industriam nostram in eis excludi, nec reddi de illis prædicationem, & exhortationes inutiles, vt voluntates nostræ ad ea sollicitentur, suoque etiam affectu moueantur. Siquidem Semipelagiani ipsi continentiam, & alia plura Dei dona ratione gratiæ præuenientis esse admittebant; & tamen vtiles de illis prædicationes, & exhortationes fatebantur, vt ad ea deliberatè exercenda moueremur, & c. 19. ait: authoritates Cypriani, Ambrosij & Nazian. *Sufficere ad vtrumque* (à Semipelag. negatum) *vt gratiam Dei gratuitam, (sicut credenda prædicandaque est) per omnia prædicent, & eorum prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduersari.*

12. Patrum verò loca ibi ab Augustino memorata sic habebant: Cyprianus *in nullo gloriandum; quando noxium nihil est.* Ambros. *non est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes.* Nazian. *qui dedit credere dabit & confiteri.* Et tamen subdit Augustinus: hi ipsi Patres, qui ita nos Catholicè docuerunt, à prædicatione, & exhortatione ad hæc ipsa opera nullatenus destitere, sed institerunt enixè: si autem non ex sola necessitate præuentionis, seu antecessionis auxilij gratiæ, sed ex efficacia antecedenter ad vsum libertatis nostræ insuperabili ipsi intrinseca, vel è Dei decreto efficaci de se extrinsecus adueniente inutilem prædicationem, & exhortationem ad ea opera bona Semipelagiani docerent, præfata testimonia Patrum non sufficerent, vt Semipelagiani de errore inutilitatis prædicationis, & exhortationis ad eiusmodi opera conuincerentur, vt sufficere Augustinus aiebat. Patet aperte. Siquidem hodie ex Catholicis Doctoribus non pauciores, sed plures eis testimoniis Catholice admissis, negant eiusmodi efficaciam auxilij, ante vsum libertatis antecedere: vel eo in primis, quod arbitrij nostri indifferens ad vtrumvis potestas, & subinde operum libertas pessum iret, & quod (huic proximum est) inutilis prædicatio, & exhortatio omnis ad illa exercenda redderetur; & tamen nemo ex Thomistis Doctores istos de vtilitate prædicationis, & exhortationis suppositæ antecedenter gratiæ præuenientis efficacia, siue intrinseca, siue extrinseca à Dei decreto, ex recitatis Patrũ locis cõuincit, imò neque ex illis conuincere hactenus tentauit. De sola ergo necessitate præuentionis, & antecessionis auxilij Dei ad opera bona, & honesta; non autem de antecessione efficaciæ inuitabilis antecedenter ab

arbitrio nostro eiusdem auxilij Semipelagiani eis testimoniis sufficienter de vtilitate prædicationis, & exhortationis ad operaratione præuenientis auxilij à Deo nobis donata conuincendi,& conuicti (Augustino teste)loquebãtur.

13. Illud Ambrosij inibi ab Augustino recitati addendum, qui quærenti, cur sit vnusquisque Christianus? respondendum quippe rectè ait: *visum est mihi:quod,cum dicit,non negat Deo visum. A Deo enim præparatur voluntas hominum*: quibus vtrumque facilè componi aiebat Augustinus. Si autem præparatio voluntatis humanæ à Deo per auxilium antecedenter prorsus ad liberum voluntatis vsum efficax, vel ab intrinseco sui, vel à decreto foret; non ita facilè componeretur vtrumque: & eius necessaria præcedentia, & voluntatis nostræ libertas, ratione cuius bene responderet quisque *visum est mihi*,etsi responde posset *visum est Deo*: siquidem ex tot retrò annis Dominicani Thomistæ vtriusque compositionem, vel apparentem, veroque similem ea difficultate continuo à nostris vexati, inuenire minimè potuerunt: Componi vero facilè vtrumque ex eo Ambrosij loco aiebat rectè Augustinus contra Pelagianorum, & Semipelagianorum argumentum, & difficultatem, qui non ex antecedenti vsum libertatis nostræ auxilij efficacia sed ex auxilij diuini necessaria præuentione, & antecedentia, vt bene operemur, & possimus operari, siue ex necessitate sola auxilij nostra bona opera præuenientis, nulla efficaciæ ratione habita, euerti voluntatis, & arbitrij nostri libertatem putabant.

14. Quocirca audiendus insuper August. libris de prædestinat.sanctor. & dono perseuerant. Semipelagianorum errorem confutandum proponens, eiusque confutationem concludens capite enim 1. lib.1.de prædestinat.Sanctor initio illum ex Prospero, & Hilario esse ait: gratiam Dei dari secundum merita, nostra omnino fidei inchoantis, & perseuerantis, quam nullatenus antecederet; cuius primam partem confutandam cap. 2. suscipit, & proponit his verbis: *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus donum Dei esse debemus ostendere*: sub libri vero finem à se ad fastidium vsque præstitum ait: *quia plura*, quibus id sæpè aliàs probauerat, solum probare fors alicui viderentur: *donum Dei esse incrementum fidei; initium verò fidei, quo in Christum creditur ab homine ipso esse, nec esse donum Dei*, &c. *Propter quod* (inquit) *institimus, quantum potuimus, vt etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus, quod etsi diutius fecimus, quam vellent hi propter quos fecimus*, &c. *fateantur nos fecisse quod fecimus*,id est etiam, *initiũ fidei,sicut continentiam*, &c. (*de quibus cum his nulla contentio est*) *donum Dei esse docuisse*. Secundò verò libro de prædestinatione Sanctorum, (qui est de dono perseuerantiæ) alteram Semipelagiani erroris partem de fidei perseuerantia absque Dei auxilio confutandam ita eius initio proponit: *Iam de perseuerantia disputandum. Nam & in primo libro, cum ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo*: Concludit librum, *quid plura? satis me docuisse existimo* (*vel potius plusquam satis*) *dona Dei esse incipere in Domino credere, & vsque in finem in Domino perseuerare: cætera verò bona ad vitam piam, qua Deus rectè colitur pertinentia etiam ipsi* (Semipelagiani) *propter quos hæc agimus, dona Dei esse concedunt: sicut ergo cætera prædicanda sunt, vt qui ea prædicant obedienter audiantur*, Semipelagianis ipsis fatentibus: *ita prædestinatio prædicanda est, vt, qui obedienter audit, non in homine ac per hoc non in seipso, sed in Domino glorietur*. Statim verò, vt prædestinationis, & gratiæ Dei necessitatem prædicent Catholicos hortatur: precaturque Deum, vt ad eam credendam Semipelagianis gratiam largiatur,

15. In ea ergo prædestinationis, & gratiæ Dei præuenientis nos ad quodvis bonum opus, etiam fidei initium, & perseuerantiam necessitate denegata errarunt ex ampliori Pelagianorum errore Semipelagiani, non autem in denegando in illis certo aliquo efficaciæ antecedentis omnem libertatis vsum modo. Alioqui nusquam eos confutasset totis illis libris, atque aliis sæpè Augustinus, qui nullibi eiusmodi difficultati responderit;imò neque ex ipsis retulerit,vt complanaret. Adde ex Augustino illa c.17.lib.2.de prædest. Sanctor. seu dono perseuerant. *Videant quale sit, quod sibi persuaserunt prædicatione prædestinationis audientibus desperationis plus, quam exhortationis afferri*: & cap.18. *Neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare posse*: Aft disputare contra omnino antecedentem vsum libertatis nostræ efficaciam prædestinationis, & auxilij gratiæ Dei; eamque negare error nullatenus, sed Catholica prorsus doctrina, imò facilior,& Catholicis communior est decretis Pontificiis posituè in contradictorio iudicio probata,vt fatentur aduersarij,etiam Ioannes à S.Tho.1. p. d.20.pag.636. & 644.& discalceat.Curs.Carmel.non ergo in eo errarunt Pelagiani,& Semipelagiani, quod eum efficaciæ modum negarent;sed quod necessitatem prædestinationis, & auxilij præuenientis nostra bona opera responderent.Ad hæc necessitas prædestinationis, & gratiæ auxiliantis ad pia opera (pro qua August. Hilar. Prosper & alij contra Pelagianos, & Semipelag. pugnarunt) ea est, ex cuius denegatione infertur, vtramque ex propriis meritis nostris, & operibus naturalibus nostræ facultatis à Deo nos obtinere, vt illi errabant;atqui ex negato prædestinationi, & auxilianti gratiæ eo efficaciæ modo prædestinationem,& gratiã ex meritis propriis,& naturæ facultate habitis nos à Deo obtinere,nusquam infertur, vt patet; sed solum ex negata necessitate prædestinationis, & gratiæ auxiliantis nostra pia opera præuenientis:ergo in hac neganda,non autem in illo modo efficaciæ denegando, Pelagiani, & Semipelagiani aberrarunt,ac pro illa solum Catholice contra ipsos adstruenda præfati Patres certarunt. Minor vt dixi patet, neque ab aduersariis negatur.Consecutio est legitima.

16. Maior & ex datis locis constans, & ex sequentibus cap.16. de dono perseuerantiæ, siue lib.2. de prædestin.Sanctor.[Aut sic prædestinatio prædicanda est,quemadmodum Sancta scriptura euidenter loquitur: vt in prædestinatis, sine pœnitentia sint dona, & vocatio Dei, aut gratiam Dei secundum nostra dari merita confitendum, quod sapiunt Pelagiani, cap.17. cur ad ipsa cætera exhortationem eorum, cæterorumque prædicationem definitione prædestinationis non metuunt, impediri? Ac forte nec ipsa dicuntur prædestinata? ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciit; quod si, & ea dantur, & ea se daturum præsciuit profecto prædestinauit, infrà, videant impediri potius, atque subuerti hac prædestinationis definitione illum tantummodo errorem,quo dicitur gratia Dei secundum merita nostra dari, vt qui gloriatur non in Domino glorietur:] c.10. ait prædestinationem ex scriptura probasse, vt error de donatione gratiæ ex meritis excluderetur cap.21.*Si autem vtrumque* (fides, eiusque perseuerantia) *Dei donum est, & hæc Deus dona sua* (*quod negare quis potest*) *daturum se esse præsciuit prædestinatio prædicanda est, vt fossit vera Dei gratia* (*hoc est qua non secundum merita nostra datur*) *inseparabili munitione defendi* cap.24. *& illum* (Iesum in nostrum caput) *& nos prædestinauit: quia in illo,vt esset caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit*. Prosper citata epist. ad Augustin. *Sed refugiunt istud fateri*, (necessariam operum à prædestinatione, & gratia præuentionem) *diuinoque adscribere operi merita Sanctorum formidant; ne superflua sit industria, & laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit*: quia nimirum absque ea non esset in voluntate plena, atque absoluta operandi potestas, quam sufficienti auxilio, quod absque electione, & prædestinatione fieri voluntate ignorabant; non quia de se, & ante omnem libertatis vsum earum efficaciam in aduersantium Patrum doctrina referrent: etiamsi, & id Augustino ex responso ad quæstionem Paganorum (non satis responsi eius verbis, & occasione perspectis) imponere tentarint, & fari proinde assertorem proclamare? quam calumniam, vt vidimus, à se ille propulsauit, antecedentem prædestinationis, & gratiæ præuenientis necessitatem à sua doctrina reiectans.

17. Restat Augustini alius pro re eadem monstranda locus ex lib. eod.c.33. sub finem, qui argumentum aliud nobis suppeditat, *qua bona* (inquit ille) *Ji Ecclesia semper orauit semper ea Dei dona vtique* (ac non ex meritis propriis) *recognouit: nec ab illo semper cognita vnquam*

ei

vinegare fas fuit. At per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua sollicitudine nunc defenditur, nunquam Dei Ecclesia non habuit. Ex hoc vero Augustini testimonio (in quo negatam solum à Pelagianis, & Semipelagianis necessitatem prædestinationis, & gratiæ auxiliantis continetur, non autem vtriusque ante omnem libertatis nostræ vsum efficaciam) ita hoc ipsum sequenti discursu demonstro. Non habuit semper Ecclesia fidem, seu tanquam de fide bona opera nostra à Deo nobis donari per prædestinationem, & gratiam auxiliantem efficacem antecedenter ad omnem vsum libertatis nostræ; sed solum è Dei prædestinatione, & gratia auxiliante præueniente procedere: ac proinde à Deo donari: atqui solum negatur à noctis hæreticis Pelagianis, & Semipelagianis, defenditurque contra ipsos ab Augustino in materia præsenti, quod semper Ecclesiæ fides fuit, seu tanquam de fide Ecclesia habuit; ergo sola necessitas prædestinationis, & gratiæ auxiliantis nostra bona opera præuenientis, ratione cuius hæc nobis à Deo donentur, ab eis hæreticis negabatur, atque ab Augustino propugnabatur; non autem prædestinationis, & gratiæ auxiliantis efficacia vsum omnem libertatis nostræ antecedens. Minor est ipse recitatus Augustini locus. Maior est certissima: quia quod vsquam Ecclesiæ fides (nedum semper fuit) semper Ecclesiæ fides est, & erit, in cuius nullo mutationem, aut variationem Ecclesia Dei pati nequit: at efficacia prædestinationis, & auxiliantis gratiæ omnem libertatis nostræ vsum antecedens, nunc (etiam aduersariis fatentibus) non est fides (imo nec aliquando fuisse ostendi ab eis potest) sed solum necessitas prædestinationis, & gratiæ auxiliantis nostra opera præuenientis, ratione cuius à nobis à Deo donentur: ergo solum postremi huius fidem Ecclesia habuit semper non primi, vt in maiori dicebamus. Nec refert Semipelagianos aliquo gratiæ Dei auxiliantis, & præuenientis opera nostra admisisse; ac proinde solum efficaciam ipsius ad libertatis nostræ vsum omnem antecedere negalle: fraudulenter enim illi loquebantur de gratia naturali, & iure creationis debita, non autem de gratia supernaturali naturæ indebita, atque ex meritis Christi data, seu donanda, nomen gratiæ intelligentes, vti Prosper in illis deprehendit, atque Augustinum, & Catholicos Patres citata epistola monuit ab illis verbis: *quidam verò eorum in tantum à Pelagianis Semitis non declinant, &c.*

18. Ex hoc igitur hactenus explorata Semipelagiano errore contra necessitatem prædestinationis & auxiliantis gratiæ nostra bona opera præuenientis, ex qua arbitrij nostri libertatem perperam auferri iudicarunt, constat eos nusquam scientia nostra media, & auxilij à nobis asserta efficacia à consensu nostro conditionato pro conciliandæ illius cum libertate concordia vsos fuisse. Primò: quia eorum vsu præcipuum erroris sui fundamentum (ac subinde error ipse) subrueret: nempe, quod ex necessaria præuentione operum nostrorum à prædestinatione, & gratia eorum aboleretur libertas, quæ Scientiæ mediæ viu, & constitutione efficaciæ auxilij præfata facile, & vnice componitur: & quidem absque vlla erroris, vt vidimus, nota eorum dogmati à Patribus inuista. Secundò: quia illi in paruulis ante rationis vsum correptis altero saluato per baptismum, altero damnato absque illo (in quibus nulla operum libertas componenda erat) Scientia media pro fictis meritis ad suum errorem inuenendis vti vel abusi potius sunt: & in electione vnius nationis præ alia ad Euangelij prædicationem, & fidem, alteriusque ad id reprobationem; cum tamen eorum opera æquasia ex Dei gratia, & prædestinatione in eorum doctrina non essent; sed ex naturæ viribus: quare neque ex scientia media directa, vt eorum libertas cum prædestinationis, & gratiæ efficacia, & infallibilitate componeretur. Tunc enim ex Scientia media aliquid prædestinatur, cum id ipsum, quod fore sub conditione præuisum est ex ea præscientia absolute fore prædestinatur. Demum in adultis, in quibus componenda libertati cum infallibilitate prædestinationis & efficacia gratiæ, & locus Scientiæ mediæ nostræ, & constitutioni efficaciæ eius à conditionata operis futuritione esse potest, nusquam Semipelagiani, & Scientia, & efficaciæ constitutione sunt visi: ster ergo indubitatum, eos Scientia media, & conditionata operum futuritione ad merita, qualia, qualia, ac demerita naturalia electioni, & gratiæ, ac reprobationi Deo præterderent, in iis, in quibus absoluta merita naturalia ad eam electionem, vel demerita ad reprobationem assignare non poterant, vsos solummodo fuisse, vt opera nostra gratiæ Dei semper præcedere (qui totus hac in re eorum error fuit) tuerentur; nusquam verò eiusmodi Scientiam, & conditionatam operum futuritionem efficaciæ, & infallibilitati prædestinationis, & gratiæ cum absoluti operis libertate absoluta componendæ (de quo minimè curabant) apud ipsos deseruisse.

19. Claret autem inde: quam malè cursus Carmelitanus Discalceatus supponat Semipelagianos ad concordiam efficaciæ prædestinationis, & gratiæ cum nostrorum operum libertate conditionata operum futuritione, & scientia (non secus atque nos) fuisse vsos: atque eorum verba (vbi vis eius scientiæ Semipelagiani meminerunt) nullo delectu in nos contorqueant, eique supposito ingentem, mirabilium discursuum contra nos machinam imponant; vberiorem, scilicet, Theologici oblectamenti, quam seriæ disputationis segetem: qua in re plerique etiam Thomistæ peccarunt. Sed præcipuè Ioannes à S. Thom. 1. p. quæstione 14. articul. 3. à pag. 636. vbi solito rerum, & verborum lubrico, & implexione multis excursibus, & Prosperi testimoniis idem suadere contendit, & testimonia quia (præterquam quod de absoluta præscientia, vt plurimum, & futuritione sunt) in eorum nullo (imò nec in aliquo quod è Semipelagianis afferri potest) id ipsum, quod prædestinatum dicitur, est quod dicitur etiam præscitum: cum tamen ad nostrorum Scientiæ mediæ vsum, id ipsum quod præscitum conditionatè est, debeat esse ex ea Scientia prædestinatum.

CERTAMEN VIII.

Aduersariorum fundamenta eruuntur.

1. Opponunt aduersarij loca Augustini plura, quibus bonos nostros actus ex Dei misericordis voluntate, & prædestinatione (quam idem, atque efficacem Dei voluntatem prædefinitiuam, & prædeterminantem nostros actus, vt ij sint, atque à nobis eliciantur esse volunt) absolutè esse docet: imo, & malos etiam actus nostros à Deo non solum permittente, sed & decernente præfiniente, ac prædeterminante illos, quibusdam aliis locis doceri ab Augustino contendunt: cæterum licet locis primis nomine misericordis Dei voluntatis, & prædestinationis non præfinitio, aut voluntas efficax Dei prædeterminatiua illorum, vt absolute sint, atque à voluntate absolutè apponatur, sed voluntatem solum dandi media de se indifferentia, quæ tamen præuidit in nobis bonos actus obtentura si darentur, intelligit Augustinus: secundis verò nihil omninò, nisi voluntatem permissiuam prauarū actionum asserit, vt in sequentibus euincemus, vbi de mediis materialibus cognitionis futurorum absolutè contingentium, siue de necessariis principijs, & causis ex parte Dei ad absolutam contingentium futuritionem disputabimus. Permittamus modo eas omnes Dei voluntates præfinitiuas actionum nostrarum, tam bonarum quam prauarum, vt absolute sint futuræ, ab Augustino requiri: neque eas actionum nostrarum libertati obesse, neque postremas prauarum actionum nostrarum Dei honestati, & bonitati repugnare, vt obiectantes implicatorie, & volunt, & docent; negamus tamen inde inferri ex Augustini doctrina, imò neque è sani alicuius hominis mente, requirendas esse ad futuritionem conditionatam earundem nostrarum actionum absolutas ex parte actus de ea futuritione conditionata voluntates Dei efficaces, ac præfinitiuas: cum ex necessitate decreti efficacis actualis Dei ad actualem existentiam, & absolutum esse effectus creati non inferatur eius necessitas ad esse conditionatum effectus, quod absolutè nec est, nec erit, sed solum suspensè, siue esset, si conditio purificaretur.

2. Imò verò oppositum potius legitimè infertur iuxta superius dicta: si enim absolutè erit contingens à decreto omnino absoluto, & reliquis principiis absolutè positis, ab eisdem decreto, & reliquis principiis, positis solummodo in hypothesi, & pro conditione conditionatè illum effectum fore, ac subinde decretum absolutum de ea futuritione conditionata necessarium ad eam statuendam non esse euidens, consequentia est, vt sæpè ostendimus. Hinc euanescit illud, imò & contra ipsos aduersarios fortius argumento hoc certiusque regeritur, quod ex cap. vtroque de dono perseuerant. & de prædestin. Sanct. & efficacissimum contra nos decretis absolutis ex parte actuum solum ab illis æstimabatur: cum eis locis de prædestinatione omninò absoluta loquatur Augustinus vt constat ex dictis d.5. quæst.2. cert.5. & præsenti quæst. certam,5. vbi specialibus ponderationibus loca hæc contra aduersarios armatimus: illud etiam euanescit, imo, & argumento proximo contra ipsos instruitur, quod nobis obijcitur ex cap.14. de dono perseuerant. verbis illis. *Audiunt hæc, & faciunt, quibus datum est; Non autem faciunt, siue audiant siue non audiant, quibus datum non est.* Loquitur enim clarè de absolutis operibus, & eorum datione à Deo, sicuti & cap.17. contra Semipelagian. [Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis (in quibus donis est incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare) sicut tanta rationum atque authoritatum contestatione probauimus. Hæc inquam Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo. Præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.] His similia plura ex Augustino passim contra nos, vel certè pro nobis potius, aduersarij congerunt, quæ singulatim referre, quoniam refert parui, nos tædet multum.

3. Sed Achille aduersariorum argumento ex locis vtriusque illius capitis noni disiecto, restat aliud ex variis Augustini locis contra Semipelagianos difficiendum, id quod sola erroris Semipelagiani (quem, vel ignorant aduersarij, vel consulto vt aliquid apud indoctos contra nos clament, confundunt, & obscurant) notitia, & clara intelligentia facilè præstabimus. Opponunt ergo Carmelitani Discalceati in suo cursu Salmantino, d.10. dub.3. num.58. Hæc Augustini verba ex cap.14. de Prædestin. Sanctor. [Hæc est tota causa, cur dictum est à quocunque dictum est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, dictum est enim secundum pericula huius vitæ non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat: non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui in tentatione mansurus nó esset.] Hunc textum, qui nulli, vel subtilissimo ingenio, pro necessitate decreti actualis ad futuritionem conditionatam induci posse videbatur, ita illi inducunt. Supponunt Pelagianos assignasse merita illa conditionata immature corrupti in gratia, vt ita corriperetur: eaque ita conditionate fore è propriis viribus, & ante omne actuale Dei decretum asseruisse: eamque & futuritionem & scientiam conditionatam pro eo signo ante omne actuale Dei decretum ab Augustino negari, illamque, quæ post Dei decretum omnino absolutum, etiam omnino absoluta est, ab Augustino concedi, sed certè in hac interpretatione ingenij parum, commenti vero plurimum recognosco.

4. Et primo quidem: Pelagianos nusquam ad merita hæc conditionata è propriis viribus immature correpti confugisse certissimum in Augustino Prospero, & Hilario est: cum eam ille è duorum horum epistolis didicisset, primum: merita hæc conditionata ex propriis viribus à Semipelagianis ostendi, vt duorum paruulorum altero baptizato altero non baptizato ante rationis vsum correptis argumento ab Augustino contra Pelagianos facto occurrerent. Doctrinæ nouitate perculsus; (cum tamen in Pelagiana, tam ipse, quam Prosper & Hilarius satis essent versati) dixerat c.13. Primo, Pelagianos, si ad ea merita conditionata recurrissent, facilè defensuros, quod nec originale, nec gratiæ necessitas esset. Secundò ait: conditionata hæc merita ad præmium, vel pœnam infligendam absolute, *ab iis quorum ingenia contemptibilia prorsus non sint cogitari non posse docet*: Tertiò ait: [Dici enim non potest, quam molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum hoc non vidisse istos (Semipelagianos) qui nobiscum errorem illorum hæreticorum Catholica authoritate condemnant.] Quartò: ea doctrina authoritatem libri Sapient. eripi à Semipelagianis, quod à nullo etiam Pelagiano tentatum, imò neque de eius authoritate dubitatum. Quintò: *quod non dico* (inquit) *crediturum; sed somniaturum, neminem putaremus: secundum ea, scilicet, iudicari quenquam mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset.* Ex quibus constat ea merita conditionata ad præmium, pœnamve absolutam, nusquam à Pelagiano aliquo, imò à nullo, ante Semipelagianos admissa fuisse. Sed vt clarius adhuc ex Augustino de Pelagianis constet, legatur Augustin.2. contra duas epistolas Pelagianor. c.7. vbi ait: argumento suo de paruulis illis, non solum non meritis conditionatis; sed nec vlla alia via Pelagianos respondisse, sed omnem suæ caliginis latebram eo argumento auferri. Ac statim: Huic prorsus infanti linguam vestram, vocemque submittitis. Huic non loquenti, quid loquamini non habetis. Nulla quippe merita etiam secundum ipsos Pelagianos possunt in paruulis inueniri, cur alij eorum mittantur in regnum, alij alienentur à regno.] At inquiunt Carmelitani, citato hoc cap.7. vbi contra Pelagianos loquitur: præscientiam operum sub conditione futurorum, scilicet naturæ viribus, & independenter à Decreto Dei aperte reiicit, & confutat illis verbis: *quomodo enim præsciuit ea futura, quæ illis* (paruulis in infantia morituris,) *quia præscientia eius falli non potest, præsciuit potius non futura*: Sed certè non reiicit conditionata merita, ad quæ, vt vidimus, Pelagiani nusquam recurrerunt; sed eos vrget in paruulis ante vsum rationis correptis, in quibus merita absolutè futura (quæ solum ipsi agnoscebant, & in Iacob respectu Esau ad eius præ hoc electionem designabant) futura absolutè esse præsciri infallibi Dei scientia minimè poterant.

5. Vrgent secundo aliis verbis ex lib. 26. contra Faustum, quæ sunt de his rebus solum quæ à solo Deo, præter, aut contra naturam fiunt fientve: quare nihil inde ad futura libera præsertim conditionata colligi potest. Secundò scire deberent prius, an Faustus Pelagianus, aut Semipelagianus fuerit, aut alicubi de Scientia conditionatorum, aut conditionatis operibus egerit? vt, quæ contra illum Augustinus disseruit, contra futura nostra conditionata, eorumque Scientiam independenter à decreto actuali Dei obiectarent. Ne ergo post hac adeò fœdè erarent, sciant: Faustum Manichæum fuisse, non Pelagianum, aut Semipelagianum, quos tempore, eorumque hæreses anteceserit, nec quidquam meritorum conditionatorum cogitasse: eadem personarum, temporum, textus, & propositi ignoratione opponunt hæc Augustini verba ex libro de anima, & eius origin. cap.12. *quid? quod ipsa existimatur præscientia, si quod præscitur non erit: quomodo enim recte dicitur futurum, quod non erit futurum.* Sed hæc nec contra Pelagianos, nec contra Semipelagianos, nondum natos dicta ab Augustino sunt; sed, vt ex primis eius libri capitibus constat contra Vincentium quendam, qui recens ex Donatista Catholicus disputationibus inter Pelagianos, & Catholicos componendis incautus se inferuit: cumque in eam deueniset, cur Deus animum innocentem corpori à quo statim separanda erat originale contracturam immiserit? vt eius imprudentiam corrigat Augustinus tres eius difficultatis componendæ à Vincentio excogitatos modos, omnibus viis confutat; quartumque de conditionatis, de meritis infantis, si diutius viueret, de suo adiecit, & verbis datis confutauit: supponens (quod omnibus fixum est) nonnisi in absolutis operibus meritum, aut demeritum esse; cum tamen illa absolutè futura non sint, nec nisi ex inanita, falsaque reddita Dei præscientia cognosci futura, scilicet absolutè, vti ad pœnam ob illa infligendam opus erat vllo modo potuerint: quare de hoc quarto modo ait: *quod, nec iste ausus est dicere in tantis angustiis constitutus, imò contra istam vanitatem, iam satis manifeste & breuiter est locutus.* Stet igitur Pelagianum neminem meritra hæc conditionata, ex propriis viribus asseruisse: neque contra aliquem Pelagianum eis locis nunc à Carmelitano cursu obiectis Augustinum egisse; sed eiusmodi merita apud Semipelagianos nata esse: imo verò infantis baptizati, & correpti, ne malitia mutaret intellectú eius

eius demerita conditionata, ob quæ puniendum potius vrgebat Augustinus; sicut de correpto altero infante non baptizato ipsi aiebant, demerita conditionata negabant: & libro Sap. in cuius 4. c. eorum conditionata scientia, quare, & ipsa conditionata opera asserebantur Canonici authoritatem denegarunt, vt Augustinus ipse testatur; *quod à me quoque positum ait fratres istos:* (Pelagianos) *ita respuisse dixistis, tanquam, non de libro Canonico adhibitum*: Ecce strictius conditionata opera Massilienses Semipelagiani, quam Augustinus coercebant.

6. Et hactenus de iis, quæ falso aduersarij historice supponunt, quod autem ad eius loci contra nos inductionem, & interpretationem, (vel potius è suo cerebro commentum) spectat, scilicet, merita illa conditionata viribus naturæ, atque ante omne actuale Dei decretum à Pelagianis (verius Semipelagianis) pro casu paruulorum correptorum asserta, fuisse ab Augustino repudiata; post actuale vero decretum tam ea, quam eorum præscientiam ab eodem laudatam, nullum, adhuc leuissimum, eo loci, imo neque alibi fundamentum vsquam in Augustino Prospero, aut Hilario habet: id enim, quod speciale hæc merita præabsolutis absurdi habent, inde solum impugnat Augustinus, quod meritum ad præmium, vel pœnam absolute infigendam in absolutis solum operibus est; non autem in conditionatis, quæ talia esse possunt, etsi absolute non sint futura: sicuti in paruulis illis absolute de facto non fuerunt, vt, ex ipso, & Prospero recitabamus. Quoad communem autem errorem, quem in conditionatis hisce atque, atque in absolutis operibus Semipelagiani habebant, nempe vtraque ex viribus naturæ, ac sine Dei adiutorio, & gratia fore, opposita Catholica veritas satis in conditionatis saluatur: si Dei gratiam, & adiutorium habeamus, quare, & illud donandi voluntas in hypothesi, sicut reliqua operis boni essentialia principia ponatur: inde enim, nec conditionate sine Dei adiutorio esse posse conuincitur: nec absolute, nisi à Dei adiutorio, & voluntate positis absolute: sicuti, nec sine aliis eius operis essentialibus principiis, quæ in hypothesi ponuntur; posse alterutro modo illud opus esse, manifeste conuincitur: ergo ex eo, quod Augustino ea merita conditionata ex propriis viribus displiceant, non infertur illum actuale Dei decretum de eorum futuritione conditionata requirere: aut, vt placerent expectasse, quinimo nihil tale requisiuisse patet ex eo, quod nunquam, ac nullibi Augustinus, aut Prosper, ea conditionata merita paruulorum Semipelagiana ex ea parte, qua viribus naturæ, & arbitrij solus sub conditione futura essent, speciatim impugnauit; sed quia essent futura, scilicet absolute, quia, vel præmio afficiebantur, vel supplicio; & non futura absolute, quia absolute non erant futura sed conditionate: vt constat ex memoratis locis, & aliis omnibus, quæ aduersarij nobis opponunt: cum enim necessitatem gratiæ, adiutorij, & voluntatis Dei absolutæ ad opus honestum absolutum contra eosdem ij Patres multis euicissent, nihil præterea pro necessitate eorundem ad illud opus conditionatum ostendenda necessarium iudicarunt: cum id, quod ad absolutum requiritur absolute, ad conditionatum requiri in hypothesi, & pro conditione, euidens sit: imo in paruulis illis altero electo, altero præscito vbi nulla erant merita, & operum, quæ præcederent materiam erroris, quem confutabant Pelagiani, ea confutatione subtrahebant: siquidem, quod vsquam non est, à nullo, quare nec à naturali virtute esse dici vllatenus potest.

7. Secundo: in illo priori ante decretum hoc actuale futuritionis conditionatæ non est negatum decretum de illa; alioqui nullum esse posset conditionatum contingens in horum sententia, quia cum negatione decreti pro illo priori decretum illud, licet pro posteriori, coniungi non posset, siue, quo per hosce nequit esse conditionatum contingens: ergo illud prius signum est signum indifferentiæ, & potestatis ad decretum illud, vel eius negationem: ergo pro eo signo, & priori non magis est conditionate futurum quam non futurum contingens, nec magis est scientia futuritionis, quam non futuritionis conditionatæ illius. Ergo nequit Augustinus negare pro eo signo esse contingens illud conditionate futurũ asserereue, cognosci pro eo signo à Deo non fore conditionate potius, quam fore, vt eo loco, & 2. contra duas epistol. Pelagianor. c. 7. & 1. de anima, & eius origin. & 26. Contra Faustum Cursus Carmel. & aduersarij alij Augustino imponunt. Tertio quia Augustinus negat conditionata futura opera paruulorum si diutius viuerent esse futura, quia non diutius vixerunt, sed ante tempus vsus rationis, & libertatis correpti sunt: sed, etiamsi adsit decretum absolutum ex parte actus de eorum conditionata futuritione, si diutius viuerent, qui non diutius vixerunt, eadem manet ratio, vt sint Augustino non futura: ergo non negat ea esse futura; quia ante decretum actuale, nec affirmat futura, quia post decretum. Rursus: purificari, vel non purificari conditionem, neque ad futuritionem conditionatam conducit, neque ad negatiuum existentiæ decreti actualis de illa, aut cum negatione illius decreti connexa est: alioqui nulla essent futura conditionata, quorum non purificaretur conditio, atque absoluta futura essent, contra scripturam plura conditionata tradentem quæ non sunt futura absolute, vel fidem & pœnitentiam Tyriorum: ergo, cum defectu purificationis conditionis negat Augustinus futura bona opera paruulorum; non negat futura conditionate, siue ante, siue post decretum; sed solum futura absolute, simpliciter, vere, ac sine addito conditionis, aut conditionata, (vt ad absoluta merendum, vel demerendum opus erat) defectu purificationis.

8. Quarto eodem modo negat demerita conditionata infantis sine baptismo correpti esse futura; atque merita alterius cum baptismo correpti: atqui in eo, quod demerita illa non essent ex gratia, & decreto Dei actuali futura conditionate sed ex viribus arbitrij, non errarunt Semipelagiani; nec cum eis de eo contendit Augustinus eis locis, quæ nobis opponuntur: quin mendacium, & peccatum, & perditionem nostram ex nobis esse adeo scripturis consona, Augustini, & Patrum sententia est: ex quo arguo tandem: quia, quod conditionata futura talia sint post decretum actuale Dei, ac non antea non probat in aduersariorum doctrina esse à Deo donante, atque ex Dei gratia; quo solum ex capite volunt isti Augustinum ea actualia decreta ad futuritionem conditionatam contra errorem Semipelagianorum de conditionatis meritis ex viribus arbitrij asseruisse. Patet assumptum: quia in istorum doctrina peccata omnia cum futura absolute, tum conditionate futura sunt ex decreto actuali Dei, quoad totum materiale, vltra quod nihil in peccatis, siue à Deo, siue à creatura agitur, & tamen peccata adhuc quoad totum materiale, non est ex gratia, & beneficio Dei; neque à Deo donatur: ergo iuxta istorum doctrinam titulo donationis, & gratiæ necessariæ Dei, nequeunt hæc actualia decreta non solum ad demerita, verum neque ad merita conditionata requiri contra Semipelagianos ab Augustino.

9. Igitur quoties Augustinus, & Prosper conditionata futura opera illa paruulorum absolute futura esse negant, ac vere non futura esse, de absoluta futuritione, quæ simpliciter, & sine addito futuritio est, & absolute, ac simpliciter futurum constituit aperte loquuntur; non de conditionata futuritione, quæ absolute, & simpliciter talis non est, neque absolute sed solum suspense, & secundum quid futurum constituit; scilicet, quod erit non absolute quidem, sed, si conditio ponatur, de quibus propterea, ni purificetur conditio, rite dicitur absolute *non erunt*. Atque ad id, ad quod futura à Semipelagianis asserebantur, scilicet, ad merendum, ac demerendum absolute absolutum præmium in baptizato infante ac pœnam absolutam in non baptizato correptis, de absoluta, vt diximus, futuritione loqui Augustinum, vel locutus est, oportebat: id quod his clarius, quam loqui solet fassus est Ioan. à S. Thom. 1. p. qu. 14. d. 20. a. 2. pag. 130. de loco obiecto ex c. 14. de prædestinat. Sanctor. [Augustinum eo loco negare præscientiam absolutam ex parte obiecti non conditionatam: negat enim præscientiam, ratione cuius Deus, vel puniat, vel præmiet. Dicebant enim Semipelagiani puniri aliquem, vel iudicari, aut illi dari beneficium intuitu eorum, quæ quis facturus videbatur. Negat autem Augustinus ex meritis, quæ de facto futura non sunt, nec in rerum natura posita aliquem iudicari; de his autem, quæ quis faceret, si vlueret negat Deum habere præscientiam, id est absolutam scientiam, qualis requiritur ad habendum iudicium præmiandi, vel puniendi.] De loco autem de anima, & eius orig. c. 12. [Tertio dicimus quod ibi Augustinus loquitur de futuris absolutis: quia aiebat

ibi Augustinus contra eandem responsionem Pelagianorum (rectius diceret à se quarto loco excogitatam pro Vincentio, quem confutabat) & multis probat, peccata non commissa à Deo non puniri: & sic probat præscientiam exinaniri, si, quod præscitur, non erit: scilicet secundum vim, & rationem præscientiæ absolutæ, qualis requiritur ad puniendum, & iudicandum. Talis enim præscientia debet esse de rebus de facto futuris.)

10. Instant Discalceati Carmelitani; apud Augustinum, idem esse contingens tantummodo præscitum, ac non prædestinatum, atque contingens ex propriis viribus habitum: ergo idem apud Augustinum est contingens conditionatum, præscitum solum, ac non actu prædestinarum atque conditionatum ex propriis viribus sub conditione habitum, siue sub conditione habendum, si ea apponeretur. Antecedens est Augustini c.9. de dono perseuerantiæ,& ex q.Prosperi ad Augustinum: quam ad ipsum propositam Carmelitani, & Ioannes etiam à S. Thom. d. 20. qu. 33. a. 3. pag. 638. contra scientiam conditionatorum interpretantur: Prosperi verba sunt: *vtrum præscientia Dei, ita secundum propositum maneat, vt ea ipsa, quæ sunt proposita sint accipienda præscita? an per genera causarum, & species personarum ista varientur? vt, quia diuersæ sunt vocationes in iis, qui nihil operaturi saluantur* (paruulis) *quasi solum Dei propositum videatur existere*: (quia scilicet conditionata opera eorumque præscientia ad propositum Dei de eorum absoluta salute inepta sunt) *in iis autem* (adultis) *qui aliquid boni acturi sunt* (viribus scilicet propriis) *per præscientiam possit stare propositum? an vero vniformiter, licet præscientia à proposito diuidi temporali distinctione non possit: præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito? & sicut nihil fit, quorumcunque negotiorum, quod non scientia diuina præuenerit: ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit?* sed certe Augustinus, & Prosper plane de absoluta præscientia, & omnino absoluto proposito loquuntur: id enim, & ea verba absolute, ac sine addito dicta sonant: ex antecedenti vero illo de futuro opere, & præscientia eius conditionata sine decreto absoluto, ne illud ex propriis viribus fit, vt illud intellexit Augustinus, solum infertur fore conditionate ex propriis viribus; si prædestinatio Dei cum reliquis operis principiis essentialibus in hypothesi, & pro conditione illius non poneretur; non autem, si actuale, & absolutum decretum ex parte obiecti conditionatum (quod nusquam prædestinationis nomine Augustinus intellexit, imo neque de eo cogitauit, vt vidimus supra) non apponatur vti male ex eo antecedenti inferebant aduersarij.

11. Etsi quæstio illa Prosperi, eiusque resolutio, quoad bona opera, & honesta ab Augustino, Prospero, & reliquis Patribus contra Pelagianos, & Semipelagianos fuit, nihil à Deo præscitum esse, quod non fuerit à Deo gratuito donante, eiusque gratia, ac subinde prædestinatum. Dixi, quoad bona opera & honesta: nam prana præscita à Deo, ac non prædestinata, subindeque Dei præscientiam, latius prædestinatione patere concors Patrum sententia est, vt d. sequenti ex ipsis statuemus: id quod satis est, vt omnia aduersariorum in re præsenti argumenta regereremus; si prædestinationis nomine contra Patrum mentem decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, iuxta aduersariorum siniſtram interpretationem, etiam intelligeremus: inde enim constaret conditionatam futuritionem prauorum actuum absque actuali Dei decreto consistere contra aduersarios: atque idem de conditionata bonarum actionum futuritione contra eosdem inferretur. His tamen omissis quæstio illa Prosperi, eiusque, & Augustini, ac reliquorum Patrum resolutio de anteriori ad futuritionem bonorum operum, atque eorum præscientiam prædestinationis actualis necessitate, de absolutis operibus, atque omnino absoluta præscientia, & prædestinatione est: non autem de conditionatis. Primo: quia id præscientiæ, & prædestinationis, seu propositi voces simpliciter, & absolute, ac sine addito dictæ significant. Secundo: quia ad scientiam, & propositum conditionatum ex parte obiecti ea paruulorum ab adultis diuisio inutilis erat; cum in vtrisque æqua esse debeat operum conditionatorum præscientiæ, & prædestinationis, seu propositi ratio. Tertio: quia inepte dubitaret Prosper, an in paruulis solum Dei propositum maneret? cum in eis præscientiam operum sub conditione futurorum certissime cognosceret, nemoque de ea dubitet. Quarto: quia propositum in horum Patrum phrasi est, quo nemo impediri potest (possibilitate consequenti) à consecutione salutis, & perire, vt itacim Prosper subdit: quodque omnino abest ab eis, qui pereunt; cum tamen eiusmodi non sit decretum futuritionis conditionatæ, sed solum omnino absolutum de futuritione absoluta: vt patet in Tyriis conditionate pœnitentibus ex illo alio, (vt aduersarij volunt) decreto. Sed arguit ex his Patrum locis argumento, vt ille putat conuincenti, Ioan. à S.Thom. pag.642. vt autem ego video, tortuoso, & implexo, cuiusque filum ægre sequi possimus, ni illud sic instruamus: *quidquid Deus se daturum præsciuit absolute, & actu prædestinauit ex Augustino & Patribus: at præsciuit se daturum Tyriis conditionatam pœnitentiam: ergo ex Augustino, & Patribus eam absolute, & actu prædestinauit.* Cæterum maior de præscientia absoluta vera, & Augustiniana est: ideo enim Augustinus recitatis locis cert.7. nu.6. à med. præscientiam cum prædestinatione confundebat, confundique sæpe aiebat à diuini verbi tractatoribus, vt præscientiæ nomine prædestinationem intelligerent, *si agitur* (inquit ille) *de vocatione electorum*: quales solum conditionate conuertendi, saluandique minime sunt, vt patet in Tyriis & Sydoniis: si autem ita eam vsurpet conuincens iste syllogismus quatuor terminis constat; dum in minori scientiam conditionatam assumit: si autem in maiori scientia eius, quod Deus daturus siue conditionatè, siue absolute intelligatur, falsa omnino: nec Augustiniana propositio est: imo ipsa conclusio, quam negamus, & (nouo conuincendi genere) conclusio pro eius probatione, & demonstratione assumitur.

CERTAMEN IX.

Ex sancto Thoma ab aduersariis opposita eleuantur.

1. NOn maiori delectu plura S. Thom. loca exponit Ioann. de S. Thom. de suo, & ex antiquioribus ipso Thomistis Recentioribus d. 20. q.14. a. 4. pag.646. Primum ex 3.p. q. 1. a.3. vbi ait, & approbat Augustinum c. vtroque 6. de dono perseuer. & prædestin. sanctor. retractasse responsionem iliam ad quæstionem Paganorum, sæpe à nobis memoratam: quare, quasi ex vtroque sancto inquit Ioann. à S.Thom. *Vade totum hoc non ad præscientiam illam futuri euentus, & decretum dicit ex Augustino Thomas, sed ad diuinam prædestinationem esse referendum.* Bis Augustini, quare & S.Tho. mentem satis fuse expendimus, & pro nostra sententia de futuritione conditionata, eiusque scientia contingentis, absque, & independenter ab actuali Dei decreto de illa esse monstrauimus. Nunc solum de eius verbis obiicientem rogo. An illud *totum hoc*, ad quæstionem Paganorum, cur vni non alteri nationi voluerit Christus apparere? intelligendum sit? vt hæc voluntas Christi ad diuinam prædestinationem omnino referatur vt Augustinus aiunt, & Thomas? quod si ita intelligatur: quid inde, vel pro, vel contra decretum actuale de futuritione conditionata ad hanc, eiusue scientiam stabuendam? si autem *totum hoc* scientiam conditionatam fidei futuræ sub conditione, significet ad prædestinationem esse referendum: neque in his Patribus fundamentum habet: imo voci prædestinationis, quæ non, nisi circa absolute futura, est, & dicitur, sicuti & rationi aduersatur. Ac denique, si totum hoc, neque ad præscientiam, neque ad decretum per te referendum esse dicit ex Augustino Thomas: ecquid ais eos stare pro tuo decreto subiectiue absoluto, & obiectiue conditionato? secundum testimonium arripuit ex Catena S. Thom. in Matthæum, vbi præferre dicit Augustini sententiam: verum neque illo libro aliquid ex propria sententia dicit S. Thom. neque alicuius præfert sententiam, sed alias aliis Catenæ in modum adnectit. Nec si eo loco Augustini sententiam prætulisset, quidquam pro necessitate decreti, siue ad futuritionem conditionatam, siue ad eius scientiam

scientiam ex sententia Augustini afferri, inferriue posset.

2. Tertium testimonium inducit ex qu. 6. de veritate a. 4. in cuius argumento 4. contra prædestinationis ibi asserendam certitudinem opponit: prædestinationem esse debere cum suppositione causæ secundæ, creatæ scilicet voluntatis: quare solum posse habere certitudinem conditionalem, quod *saluabitur, si præparauerit se*, sicut causatio fructus in planta non absolute, sed conditionaliter est certa: si nimirum *eius virtus generatiua adsit bene disposita*. Respondet autem: *Ad 4. dicendum: quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet; non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicuius virtutis agentis: & ideo ordo diuinæ prædestinationis, quamuis cum suppositione voluntatis humanæ; nihilominus absolutam habet certitudinem; etsi in exemplo adducto contrarium appareat.* His aliam scientiæ mediæ iugulationem proclamat Ioan. à S. Thom. est autem, vt dixi de alia, Sacramentalis etiam, & incruenta: in primis enim sermo est de certitudine, cum obiectiua futuritionis absolutæ salutis, & fructus, tum formali absolutæ scientiæ, qua vtraque cognoscitur; vnde hæc solum negabitur; non autem præscientia, & futuritio conditionata, ante absolutam omnino prædestinationem, à qua eius, tam obiectiuam, quam formalem certitudinem obiectans, & aduersarij reliqui admittunt. Secundo: certitudo hæc obiectiua conditionalis non est contingentis futuri nostri formaliter, sed salutis, & saluationis à Deo donandæ, & à prædestinato non libere formaliter, & in se recipiendæ, sed solum præsuppositiue in meritis; quæ supponit: ex necessitate vero decreti actualis cuiusuis ad eà, quæ Deus daturus est ad ea, quæ nos voluntate, libertate, & electione nostra sumus acturi, nulla est consequentia, antecedenti etiam admisso: quia cum decreto salutis suam Deus exerceret libertatem, quam nos præmisso decreto actionis nostræ pro quouis statu, pro illo in eius elicientia exercere non possumus. Tertio verbis ipsis obiectis discrimen assignat S. Thom. cur effectus prædestinationis, scilicet saluatio, certus absolute sit, licet effectus causarum naturalium ex illis solum, nec certus absolute sit; neque omnino certe absolutam scientiam ex superiori, & vniuersaliori causa creata earum haberi queat: quidnam quæso hic de futuritione, ac scientia conditionata, siue ante, siue post decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti vbi nulla de eis mentio?

3. Sed oporteret iugulatorem hunc articuli eius corpus, vbi solutionibus argumentorum doctrina parabatur attentius legisse, ne eo ipso testimonio ex iugulante, victima foret: etenim corpore articuli absolutam prædestinationis etiam ex operibus liberis, quæ in nobis supponit certitudinem his verbis statuit; *licet arbitrium possit deficere absolute à salute; stare tamen in eo, quem Deus prædestinat: quia tot alia adminicula præparat, quod, vel non cadat, vel, si cadat, quod resurgat; sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem: si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, sed contingentiam; respectu autem causæ primæ, quæ est prædestinatio, habet certitudinem.* Id quod explicat S. Doctor exemplo defectibilitatis individuorum cuiusuis speciei sublunaris, & indefectibilitatis speciei ipsius: quia corrupto individuo cuiuis aliud speciei eiusdem individuum succedit, in quo species illa conseruetur, & perstet. Si autem prædestinatio stet in decreto futuritionis, siue absolutæ, siue conditionatæ, actuali & absoluto ex parte actus, vt obiectans contendit: quidnam aget multitudo illa causarum defectibilium, & altera alterius defectum supplente, ad modum, quo ad speciei conseruationem individuum succedens decedenti substituit? quid item agent orationes, exhortationes, & dona Dei gratiæ? quæ omnia, eo admisso decreto necessario ad effectus futuritionem, ad eius certitudinem, & infallibilitatem omnino superfluunt. Non superfluunt autem: quia tale decretum actuale non requiritur: sed satis est, vt substituente Deo prædestinante, cui voluntas creata prædestinari subditur, ex mediis indifferentibus, & defectibilibus de se, illud, quod habiturum effectum, si daretur, prænouit, in locum alterius non habituri, vt non cadat, vel resurgat. Legat insuper hæc S. Thom. ibidem: *Præscientiam Dei non importare vniuersaliter habitudinem causæ respectu eorum, quorum est, quam addit prædestinatio*: ac proinde aliquid esse præscitum, quod non prædestinatum: quod siue vniuersaliter, de præscientia vtriusque futuri, & de vtraque futuritione absoluta, & conditionata siue de absoluta tantum sit, & aduersariorum principio contradicit, & intentum præsens nostrum euincit, si enim ad absolutam futuritionem, & præscientiam actuali prædestinatione opus ex S. Th. non est; multo minus ad conditionatam (quæ causas sui actuales vniuersaliter non requirit) decreto actuali opus ex S. Thom. erit.

4. Opponitur ex qu. 2. de verit. a. 12. ad 4. dicens: Deum scire aliquod futurum, quod absolute non erit, quatenus scit aliquas causas inclinatas esse ad illum, sed hinc potius infertur non scire illud, neque illud fore ex decreto: quo posito non posset non fore. Secundo: sermo est apertus de absoluta futuritione non de conditionata. Tertio: de effectu causarum naturalium, non de operatione liberarum, & contingenti: quare omni ex parte extra rem pro scientia, & futuritione conditionata contingentium ex actuali Dei decreto affertur: nec minus extra rem opponitur S. Thom. quinto ex qu. 12. de veritate art. 10. vbi diuidens, iuxta Hieronymum, Prophetiam, *in comminationis, & præscientia, & prædestinationis.* ad 8. ait: *quod si Prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directe respicit, si est absque comminatione (absolute enim est ita ordinatum) esse in causis, vt hoc contingat; si autem referatur ad euentum, quem respicit indirecte; sic intelligenda est sub conditione*: in quorum primis verbis est, inquiunt, absoluta ordinatio, seu decretum; in postremis conditionatum eius obiectum: sed certe ordinatio, qua hi decretum intelligi volunt, causarum esse expresse ibi dicitur non conditionati euentus. Secundo euentus ipse non est actus nobis liber, sed supplicium comminatione inductum, & à Deo infligendum, ni peccator resipiscat: quare extra rem hoc testimonium est, sicut & similia opposita ex 1. p. q. 19. a. 1. ad 2. & ex 1. sentent. d. 46. a. 1. ad 2. vbi de præmiis, & pœnis à Deo infligendis, licet sub conditione pœnitentiæ, & meritorum, aut demeritorum, & impenitentiæ libere ab hominibus apponenda. Sed hæc, & similia disparent; quia sine articuli corpore composita, & opposita in vmbras inanes eunt, atque euanescunt: imo vero assumpto corpore contra opponentes armantur, & acerrime pugnant: corpore siquidem eius articuli decimi S. Thom. distinxit ea, quæ à solo Deo fiunt, ac proinde prædestinantur, quia in nobis non sunt (vt debent non esse, quæ prædestinantur seu præsiniuntur à Deo iuxta Damascenum) & ea, quæ à causis secundis præsertim liberis, sunt; proinde, licet præscita sunt, non tamen prædestinata sunt, aut rite dicuntur.

5. Sed vrgentius adhuc & apertius è corpore articuli ea testimonia contra eis abutentes, & absoluta eorum decreta ad futuritionem contingentis, tam absolutam, quam conditionatam earumque præscientiam decertant. Ait enim ibi S. Doctor ideo à Hieronymo præscientiæ Prophetiam de solo libero arbitrio mentionem factam ad ea restrictam, *de quibus non est prædestinatio perse loquendo.* Additque *meritum nostrum non subiacere prædestinationi, nisi secundum quod est ex gratia, qua à solo Deo est: vnde id, quod ex nostro arbitrio est prædestinationi subesse dicitur, per accidens item. Non autem excedit præscientia prædestinationem in malis solum (quæ, nec per accidens prædestinationi subsunt) si prædestinatio stricte accipiatur, sed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt sola virtute diuina*: insuper distinguit duplicem modum præsciendi futurum eorumque ordinem ad effectum. Alterum immediate in seipso intuendo effectum futurum: subditque *sed Deus non solum cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis: cuius ratio est: quia eius intuitus æternitate mensuratur &c. Hoc autem creaturæ impossibile est, cuius iuitus limitatur ad aliquod tempus*: subdit autem pro priori modo non tam futura, quam causas præsentes, & earum ordinationem cognosci, (vt repetit ad 2. vbi concludit, *& sic remaneat solius Dei proprium vere scire futura*) vnde ait Prophetiam comminationis peti ex cognitione

one causarum ordinatarum: & eatenus habere certam veritatem absolutam; non autem quatenus euentum indirecte significat. Prophetiam vero præscientiæ peti ex euentus, quem directe significat, cognitione: quare, ni hic in seipso absolute stet, prophetiæ huius veritatem non stare: ex quibus constat Deum independenter à cognitione causarum ordinatarum, & decreto suo, quæ præcipua eius causa & ordinatio est, futurum in seipso cognoscere: imo cognitionem eius in causis ordinatis proprie non futuri, sed causarum ordinatarum cognitionem esse, nec propriam Dei de futuro cognitionem, nisi quatenus futurum in seipso cognoscitur. Postrema hæc testimonij pars contra aliam partem doctrinæ aduersariorum de necessaria Dei cognitione futuri, tum absoluti, quam conditionati, dependenter ab actuali Dei decreto aperto Marte directe pugnat: sicut plura alia, quæ ex eodem S.Thom. d. sequenti suis locis proferemus: sed omittenda hic non fuit, quia eius testimonij contra præsentem etiam conclusionem inducti pars erat, quæque eius abusum contra nostram doctrinam aperte monstraret.

6. Plura alia ex Augustino, & S.Thom. haud maiori fructu contra scientiam conditionatorum contingentium independenter à decreto, ac proinde mediam, opponunt: quæ, quia hoc punctum directe non oppugnant, suo loco, nimirum controu.3. opponenda, ac diluenda erunt: vbi quidquid in eis indirecte, ac præsuppositiue præsentem nostram sententiam impugnet simul diluetur. Atque ob eandem rationem alia, quæ à ratione conclusionem illam de scientia absolutorum independenter ab actuali Dei decreto directo impugnant, omittemus hic, licet indirecte conditionatorum contingentium futuritionis independenter à decreto actuali Dei de ipsa consistentiam impugnent.

CERTAMEN X.

Oppositiones à ratione eneruantur.

1. Sed opponunt directe contra hanc à ratione: implicat transitus contingentis creati à statu possibilitatis ad alium quempiam eiusdem contingentis statum absque Dei decreto actuali de eo statu, in quem transit; atqui status futuritionis conditionatæ alius est contingentis creati à statu possibilitatis contingentis eiusdem: ergo implicat contingentis creati transitus à statu possibilitatis ad statum conditionatæ futuritionis absque Dei actuali decreto de statu illo conditionato futuritionis. Maior probatur primo à priori: quia implicat contingens creatum extrahi à statu possibilitatis, & poni in statu alio à possibilitate sine dependentia à Deo: poneretur autem in eo statu conditionato, extraheretur que à statu possibilitatis ad illum contingens ni pro illo dependeret in sui conditionata futuritione à decreto actuali Dei. Probatur secundo: quia idcirco solum ob necessariam dependentiam contingentis creati à Deo nequit à statu possibilitatis extrahi contingens ad statum absolutum, in coque poni absque actuali Dei decreto: atqui non minus est dependens à Deo contingens creatum in statu conditionato magisque potest dependentiam essentialem sui à Deo exuere, quam in absoluto: ergo nec potest extrahi à statu possibilitatis ad statum conditionatum, in coque collocari absque actuali Dei decreto de conditionata futuritione ipsius.

2. Respondetur hoc argumentum nihil ad illationem assumere in antecedenti non aperte falsum in sensu obiectantibus ad inferendum proficuo. Maior est aperte falsa, si sit vniuersaliter de statu omni vltra statum possibilitatis, vt conditionatum etiam comprehendit: primo enim falso supponit probandum: scilicet, ad statum conditionatum apponendum opus esse actuali Dei decreto. Secundo est falsa, ex alio quod implicatorie supponit sic vniuersaliter accepta: scilicet statu pure conditionato contingens extrahi à statu possibilitatis, vt iam ostendam in minori. Tertio est etiam aperte falsa, etsi duo præcedentia omittamus, vt sermo sit de decreto Dei actuali directe tendente, & determinante efficaciter statum illum contingentis, in quem à possibilitate extrahitur, & adducitur, siue ille futuritionis conditionatæ, siue absolute sit; qui solum sensus proficuus aduersariis est ad decretum de futuritione conditionata contingentis inferendum: eo siquidem decreto determinato, ac determinante ad futuritionem alterutram contingentis ex illo necessario futuri contingentiam, & libertatem prorsus euerteret, vt de decreto futuritionis conditionatæ contingentis ostendimus, & de decreto futuritionis absolutæ ostendemus in sequentibus: atque insuper: quia actus prauos aliunde Deus nequit decernere: igitur vt contingens creatum à statu possibilitatis ad statum alium vere extrahatur, & vere transeat satis est decreto Dei non determinato, aut determinante proinde illud, sed indifferenter concurrendi siue offerente concursum ad voluntatis arbitrium; à qua est determinandum: decretum autem aliud ad apponendum prærequisita ad contingens opus non est, vt actu præcedat ad futuritionem conditionatam ipsius v.g. decretum vocationis, seu conditionis alterius purificatiuum; sed satis est poni, aut supponi in hypothesi, aut pro conditione, saltem implicita, vt aduersarij fatentur; nemoque sanæ mentis potest inficiari: cum enim decretum purificatiuum conditionis eam in statu absoluto deuoluat: eaque absolute posita conditionatum necessario transeat in absolutum: nullum contingens conditionatum esse, quod subinde absolutum non foret: quod contra scripturam, Augustinum, ac reliquos Patres est, qui de futuris conditionatis egerunt: etenim fides, & conuersio Tyriorum, & Sidoniorum conditionata solum, nec absoluta manifeste conuincit. Iam maioris eiusdem probationes nihil aliud quam decretum actuale Dei concurrendi ad vtrumlibet pro voluntatis arbitrio, vt vere transeat contingens à statu possibilitatis ad statum alium probat; eo enim solum saluatur dependentia actualis creaturæ extractæ à possibilitatis statu.

3. Quod autem in minori probationis primæ à priori ponendum independenter à Deo in statu conditionato contingens, ni actuale Dei decretum supponat, adhuc de decreto actuali indifferenter concurrendi est de se falsum, & ratione eius, quod videtur supponere: scilicet poni actu conditionatum in statu conditionato extra statum possibilitatis. Non enim est status per quem formaliter contingens actu ponatur, sed per quem poneretur, si conditio adesset, & quia, cum non sit status actualis, quo extra possibilitatem ponatur contingens, sed futuritionis suspensæ à positione conditionis, quæ, vt in hypothesi, posita absolute non est, satis est, si Dei decretum in eadem hypothesi ponatur, siue explicite, siue implicite vt diximus: ad dependentiam quippe absolutam effectus à causa prima, actuale Dei decretum requiritur; non autem ad eam, quæ absoluta non est, vt patet in effectu possibili. Absoluta autem dependentia eius tantum est, esseue potest, quod actu & absolute est; non autem, quæ solum suspense est, seu esset, si conditio poneretur. Secunda probatio eiusdem maioris, ex nunc dictis euanescit. Nam futurum absolutum habet, seu habebit, statum absolute existentiæ pro sua duratione, ac proinde actualem Dei, & absolutam dependentiam à Deo, quæ, nisi per actuale Dei decretum concurrendi cum causa libera ab æterno (ob Dei immutabilitatem, & propriam diuinorum omnium durationem, etsi non ex effectus indigentia) à Deo conceptum esse non potest: ac proinde, si absque actuali Dei decreto (non Thomistico quod aduersarij supponunt; sed indifferenter concurrendi) contingens esset absolute futurum, esset independenter à Deo: inde vero ad statum conditionatæ futuritionis, in quo contingens actuale aliquod, & absolutum esse non habet, quare neque absoluta & actuali dependentia pro eo statu opus habet, actuale Dei decretum non licet inferre, vt proportionate ad illum dependens à Deo ponatur; sed satis est poni Dei decretum in hypothesi, & ex parte conditionis, saltem implicite, vt dependentiam habeat à Deo in eo statu, sicut habet esse, suspense nimirum, & quæ foret, si conditio adhiberetur.

4. Inde etiam constat minoris primi syllogismi inutilitas ad inferendum: etsi enim status alius sit status conditionatæ futuritionis à statu possibilitatis; non est autem status ad quem contingens extrahitur actu à statu possibilitatis;

liratis: cum plura conditionata, vt fides, & pœnitentia Tyriorum intra pure possibilia maneant; sed status extractionis à statu possibilitatis, & transitus suspense ad statum, quo à possibilitate extraheretur, & transiret actu, si adhiberetur conditio, transitus à possibilitate ad alium statum, & extractio non est à possibilitate præcisiua, à qua non transit, adhuc, quod absolute est futurum, aut præsens; manet siquidem cum ea futuritione, aut existentia absoluta de præsenti possibile, quod absolute futurum est aut præsens, quod autem ab vno extremo ad aliud transit, nequit in illo, à quo transit permanere: est ergo transitus à pura possibilitate, in qua negatio absoluta existentiæ continetur eius, quod transit ad ea ad statum alium, vtique cum ea negatione, atque ratione illius cum pura possibilitate incompossibilem: cum autem conditionata contingentis futuritio cum absoluta eiusdem negatione, puraque subinde possibilitate incompossibilis non sit, sed sola eius absoluta existentia, & futuritio, fit ad solam absolutam contingentis futuritionem, aut existentiam posse esse actu transitum & extractionem à possibilitate pura, scilicet à qua solum transitus contingentis esse potest; non ad statum eiusdem conditionatum, qui transitus, & extractio à possibilitate pura solummodo esset, si conditio apponeretur.

5. Licet ergo status conditionatæ futuritionis diuersus sit à possibilitatis cum puræ, tum præcisiuæ statu, non tamen, ad quem transitus & extractio à possibilitate pura sit, esse actu possit; ac proinde neque actuali causalitate, decreto, causaue vlla actuali opus habet; hæc siquidem ad actualem solummodo transitum, & extractionem contingentis à pura possibilitate requiruntur absolute poni, ac non suspense solum præsuppoui. Hoc ipsum est, quod mille modis æquiuocis opponit, ac versat Ioan. à S. Tho. quod scilicet absolute, & de facto est veritas, & futuritio conditionata extracta à possibilitate, ac proinde, si absque actuali decreto sit, *dari horridum quid in tota Theologia, & Philosophia aliquem statum in creaturis impartibilem à Deo, nec ab aliquo eius attributo*: concludit pag. 649. sed magis horridum est antiquum Theologiæ Professorem adeo in sententiarum intelligencia, & æquiuocatione terminorum hærere. Si enim de obiectiua veritate conditionata, siue existentia, ac entitate loquatur, non magis dici potest absolutam, ac non suspensam esse, quam futuritionem conditionatam esse absolutam: si de formali cognitionis quid ad rem, nam eius quod absolute non est, est in Deo absoluta cognitio, quæ omnia in possibili qua tali, eiusque cognitione manifeste instantur. Nam eodem modo, quo absolute verum est conditionatum esse conditionatum vere, verum absolute est, possibile vere esse possibile: & tamen ad eius possibilitatem, cum obiectiuam, tum formalem opus non est possibile absolute esse, atque actuali Dei decreto absolute: siquidem esse possibile, aut conditionatum per hæc addita possibile, & conditionatum minuitur, vt esse absolute, seu absolutum non significet.

6. Oppones ex satis ingeniosis & artificiosis Recentioribus Dominicanis Magistris Salmantinis nostri iam olim amantissimis: conditionata contingentis futuritio est independenter ab actuali Dei decreto de illa, & ante illud: ergo est pro priori ad omne Dei decretum; sed status prior omni Dei decreto actuali, est status possibilitatis: ergo futurum contingens conditionatum, siue eius conditionata futuritio, est pro illo priori, status possibilitatis contingentis eiusdem: seu, quod eodem recidit, futuritio conditionata contingentis, nil aliud est, quam eius possibilitas, seu status possibilitatis: & ipsum proinde conditionatum futurum idem omnino, quod ipsum contingens, vt possibile: siquidem, quod pro priori aliquo est in illo priori clauditur, aliquidque eius prioris est. Inde etiam dedici censent esse conditionatum pro priori ad existentiam Dei: quod est absurdius. Hoc autem est absurdum à nemine concedendum: ergo, & statuere futuritionem contingentis conditionatam independenter à decreto actuali Dei, ex quo hoc infertur, absurdum erit. Hanc paralogismo occasionem dederunt nonnulli ex nostris, qui futuritionis conditionatæ constantiam absque dependentia ab actuali decreto per aduerbia hæc *ante* decretum actuale, seu *independenter* à decreto actuali indifferenter asserebant; aduersarij vero arrepto aduerbio, seu præpositione *ante* alio sensu, pro rigida anterioritate signorum, siue naturæ, siue maioris vniuersalitatis, ac non prout tantundem valet, atque præpositio *sine* ad signa prioris, & posterioris, siue naturæ, siue vniuersalitatis sophismata egerunt sua, vt in disciplinatos turbarent: Distinguo in antecedenti primo illud *ante*, vt idem sit, atque *absque*, *sine*, siue *independenter* concedo antecedens; prout denotat prioritatem aliquam ad eiusmodi decretum, seu signa antecedentia naturæ, vel vniuersalitatis nego antecedens. Tum: quia actuale decretum de futuritione conditionata contingentis omnino constituta, & statuta independenter à decreto omni actuali nullum pro vllo signo esse potest: ac proinde respectu illius nihil esse potest signo prioris, vel posterioris, sicut neque aliquid potest esse prius realiter ente rationis, quod in nullo signo reali esse potest: cum quidquid est ens rationis sit, neque ipsum realiter potest distingui, aut identificari reali enti, quia reale extremum non est: quod autem de futuritione conditionata independenter ab omni decreto constituta, adhuc pro posteriori ad ipsam, nullum actuale decretum esse possit. Patet: quia de effectu præsupposito nullum Dei decretum esse potest; sed solum complacentiæ voluntas.

7. Licet autem pro priori ad futuritionem conditionatam actus contingentis possit esse Dei decretum de illa independenter ab eo, quod causa libera ageret, vel non ageret sub ea conditione, in eaque hypothesi constituta, solum probat, vt summum, posse eam futuritionem conditionatam, quasi supererogatorie e decreto Dei actuali apponi; non autem necessario esse ab eo apponendam: sed neque illud probat. Nam, si ita à Deo apponeretur ea contingentis futuritio non esset liberi, & contingentis respectu arbitrij nostri futuritio: sed omnino nobis, & arbitrio nostro necessaria, vt supra ostendebamus: intellecta autem præpositione illa *ante* vt tantundem significet atque *independenter* in antecedenti illo facile negatur consequentia; quod scilicet pro omni priori ad decretum debeat stare conditionata contingentis futuritio: in qua suppositum prioritatis ad decretum de futuritione conditionata contingentis negandum eisdem de causis est. Vnde discursus totus subsequens ei consequenti vnice innixus, subruat, atque in vmbras ab eat inanes necesse est: proinde subsequentem discursum ad plenam argumenti planamque satisfactionem persequi otiosum esset. Sed tamen, quia in eo plura inuoluuntur captiosa, & fallaciis plena, deregenda hic sunt: cum, vt apparent nil prorsus ab aduersariis firmum, imo nec simile vero pro sua, & contra nostram sententiam assumitur, vt similes in aliis materiis fallacias, & æquiuocationes terminorum pro Philosophiæ, & Theologiæ studiosorum communi vtilitate præueniamus: subsumpta igitur secundæ illationis minor falsa est eisdem rationibus.

8. Nam possibilitas, nequit habere aliquam prioritatem, siue naturæ siue vniuersalitatis respectu de futuritione conditionata contingenti, quod est, vt nuper euincebamus impossibile. Secundo, licet status possibilitatis sit omni Dei decreto vero vtraque prioritate, & naturæ, seu quasi naturæ, & maioris vniuersalitatis prior, non tamen inde infertur id quod aliunde, & independenter ab actuali Dei decreto est ac proinde non illo posterior, debere ad illud ipsum signum possibilitatis, quæ prior decreto omni est, pertinere: ad idem enim signum anterius ea solum, quæ causa eiusdem effectus, seu in re præsente decreti sunt, vt summum pertinebunt: ex eo autem, quod status conditionatæ futuritionis independens ab omni actuali Dei decreto sit, non infertur decreti Dei actualis alicuius, nedum omnis, causam esse: ac proinde illo natura, vel quasi natura priorem, neque ad prius illud possibilitatis rei, quo, quasi causa, & natura prior decreto deipsa, eius possibilitas est spectare debere: neque ad prioritatem maioris vniuersalitatis, quam respectu decreti eiusdem possibilitas habet: alioqui muscæ, & quæcunque alia, quæ independenter à me, & decreto diuino de mei productione producuntur, & fiunt pro priori naturæ ad mei productionem, decretumque de illa erunt statuenda, prioraque prioritate maioris vniuersalitatis erunt, si cuti est vtroque maiori vniuersalitate mei possibilitas prior.

Imo, etsi duo causam alicuius adæquent, ac prioritatem naturæ respectu illius adæquatam constituant, ac proinad totum illud prius spectent; nullum tamen ad partiale prius proprium concausæ alterius spectat, cum causa materialis ad formalem, aut efficientem, aut finalem ex eo, quod cum illis causet, non transeat: neque ex efficientibus actiua physica in moralem, & meritoriam, & motiuam: neque instrumentalis in principalem, aut finalis impulsiua in principalem, ac non impulsiuam solum: oporteret autem aliud alius causæ in alterius genus transire, vt ad illud ipsum prius alterius concausæ expectaret.

9. Quod si intra idem naturæ, & causalitatis genus prioris, diuersum cuique causarum inadæquatarum, etiam eiusdem generis, proprium designandum est: neque altera causa in alterius concausæ priori proprio est constituenda, licet ex omnibus adæquatū prius causale, & naturæ integretur: longe minus ad aliud prius quod, naturæ, & causalitatis in alia ex concausis in concausam aliam transire, in eoque ipso collocari debebit: id quod, apertius adhuc, conuincetur: ecce ad mei absolutam productionem plures causæ absolute existentes natura, & causalitate præcedunt. Materia, dispositiones, seminalis virtus, pater, mater, ac in primis mea possibilitas, sine qua nusquam, nunquamque Dei decretum vllum de mea productione à Deo conciperetur, quod eam vtique necessatio natura præcedit: an è consortio horum omnium in mei causatione, & naturæ prioritate stupidus aliquis dicet reliqua omnia, quæ cum mea possibilitate mei causationem præcedunt, eandem cum illa prioritatem maioris vniuersalitatis, cum respectu mei, tum decreti diuini (& reliquorum aliorum) quam mea possibilitas habet, habere debere? atque ea omnia ad illud prius signum maioris vniuersalitatis possibilitatis meæ spectare? applica lector aperta hæc propositionibus, & consequentiis argumenti huius, & similium, quæ in aliis materiis occurrerint: & videbis nihil in eis assumi, quod negari absolute, vel distingui, vel permitti non possit sine præiudicio negandi libere consequentiam. Denique distingue. Prima consequentia de omni Dei decreto actuali, vt sumum, probari, inferrique posset, de quo est antecedens; non autem de omni Dei decreto in hypothesi etiam vnde subsumptum statim antecedens intellectum de omni eo, quod antecedit, atque est prius natura omni Dei decreto actuali solum est falsa esse in statu solius possibilitatis; siquidem quod decreto actuali Dei prius esset, si tamen decreto Dei in hypothesi posito sit posterius, conditionate futurus erit, nec in statu solum præcisiuæ possibilitatis, quæ nullum Dei decretum, adhuc in hypothesi supponit, quare nihil est in eo argumento firmum.

CERTAMEN XI.

Reliqua siue à, siue contra rationem opposita abiguntur.

1. CVrsim iam, & breuius reliqua diluenda; ne longius quam par est, & obiectionum momentum exposcit, quæstio hæc euadat. Opponit tertio Ioann. à S. Thom. ea futuritio à Deo decernente, siue à decreto Dei, saltem in hypothesi, esse debet per nos, quia est ab illo, saltem conditionare, causandum: ergo debet Deus cognoscere eiusmodi decretum in hypothesi, & pro conditione ad futuritionem conditionatam contingentis: atqui illud nequit ita cognoscere, nisi habeat actu voluntatem complacentiæ de illo decreto: ergo hæc præcedit, & futuritionem, & scientiam conditionatam contingentis: sed quid hæc ad necessitatem decreti de futuritione conditionata contingentis, vt ipsa eiusque scientia suo modo consistat? nam complacentia nihil agit, sed actum supponit. Secundo: nego ad cognitionem decreti in hypothesi, huiusque pro conditione positionem suspensam mentalem, & cognitionem his vocibus explicatam, *si decretum concurrere, & vocatum* opus esse Deum de illo decreto (quod, vt dixi nec determinatum nec determinans ad consensum est) sibi complacere amplius, quam de eius possibilitate, ex qua complacentia, nec futuritio illius, nec consensus adhuc conditionata ponitur, aut infertur, neque eius scientia, sed à determinatione libera creatæ voluntatis instat, Deus potest salua libertate disponere, vt foret potius oppositum, & negatio consensus sub conditione futura: ergo vtrumque pendet ab actuali Dei decreto. Nego antecedens, salua libertate, & conditione eadem: si enim Deus independenter omnino ab vsu libertatis nostræ, & suo vsu scientiæ mediæ decernat, si detur talis vocatio consentiat, vel non consentiat (quod facere absolute potest, licet ad futuritionem conditionatam opus non sit, vt faciat) non poterit non conditionate consentire voluntas sub conditione, sub qua consensura conditionate est, & non consentire conditionate sub conditione, sub qua conditionate non erat consensura: ex suppositione enim futuritionis, siue conditionatæ, siue absolutæ consensus, aut negationis eius ab arbitrio, nequit eius contradictorium, neque à Deo, neque ab arbitrio nostro poni: Si autem decreto illo de futuritione conditionata negationis consensus sub vocatione, sub qua alias consentiret de se esse, voluntas à Deo præueniatur; iam libertas aboleretur; nec eadem esset conditio, sub qua non esset consensura: siquidem ex parte hypothesis, seu conditionis non sola vocatio, sed decretum illud esset, cuius negationem dicit conditio indifferens ad vtrumque vocationis illius, sub qua libere de se voluntas consentiret conditionate.

2. Arguit tertio pluribus implexis, spinosis, indigestis, atque ab ipso etiam imperceptibilibus pag. 650. quæ ad hanc claram æquiuocationem, si quo tandem, eunt: veritas conditionata consensus, in nostra sententia, est; quod, si vocetur voluntas, Deusque decernat, seu offerat suum concursum indifferenter, voluntas consentiet: ergo determinatio voluntatis supponitur ad illud decretum: ergo, licet sine illo non sit, tamen ea determinatio independens ab illo est, & totaliter à voluntate. Primam consequentiam probat: quia decretum illud regulandum ad illudque dirigendus Deus est per scientiam conditionatam, ad quam consensus conditionatus supponitur: quare, & ad decretum ipsa regulatum, & posterius. Distinguo primum illud consequens. Supponitur ad decretum illud, prout in hypothesi, & pro conditione, ac suspense positum, nego: quin potius illud subsequitur, vt pote conditionem necessariam, à qua, sic posita necessario, & essentialiter conditionate consensus voluntatis pendet, æque atque vocatione, quæ alia conditio, & pars hypothesis illius est, sub qua voluntas se determinabit, & consentiet. Supponitur ad decretum illud in statu absoluto apponendum, si apponendum sit, concedo: sicut supponitur ad decretum aliud absolutum collatiuum vocationis, sub quo etiam consensus, & determinatio voluntatis absolute erit: quia ad vtrumque decretum, & vocationem absolute ordine saltem prædestinatiuo, & perfecte prouido ex intentione consensus, & salutis prædestinati apponendum scientia conditionata dirigitur Deus, quæ ipsa futuritione conditionata est posterior: quod solum primæ eius consequentiæ probatio suader; non autem scientia conditionata dirigi Deum, iuuatiue, vt decretum concurrendi in hypothesi, atque suspense pro conditione ponat, aut cognoscat: sicuti, neque, vt in ea etiam hypothesi cognoscat, seu ponat vocationem scientia conditionata opus habet; imo nec potest iuuari: cum hæc posterioris obiecti ad hypothesim totam positam suspense, siue suppositam, sit: solum ergo scientia simplicis intelligentiæ, vel formaliter, vel præsuppositiue tota illa hypothesis eiusque partes, scilicet decretum, & vocatio cognosci à Deo possunt: quatenus hypotheses illæ possibilibus conditionibus constare debent, cum nequeat status vllus non fictus, & chimæricus, sed verus (qualis est status conditionatus) principium, & causam seu conditionem sui habere impossibilem, sed possibilem. Determinatio autem conditionata voluntatis nullatenus est prior decreto in hypothesi, imo neque magis potest esse illa prior, quam effectus sua causa pro statu, in quo causa eius est, prior esse queat; quod

quod si hæc repugnantia aperta à Deo, nobis atque Ioan. à S.Tho. emolliretur: nihil ea sua consequentia admissa probaret. Admittit enim *decretum esse necessariam concausam cum voluntate consensus in omni, & pro omni statu, & tamen hunc posse in aliquo statu decreto Dei priorem.* Ergo male in tua hac doctrina infers, ex eo, quod futuritio conditionata prior decreto adhuc in hypothesi sit, non esse ipso posteriorem ab eoque dependentem, sed adæquate, & totaliter à voluntate pro statu conditionato; quod tandem male in sensu intento, & Pelagiano infert determinationem totam esse à voluntate nostra independenter à decreto adhuc in hypothesi; in alio vero sensu verum prorsus, & catholicum est: quod scilicet, & sui & decreti, & aliorum essentialium principiorum tota à voluntate sit: in eo quippe dependentia à decreto, & gratia Dei proportionate ad illum consensum boni statum positorum vere & catholice asseritur.

3. Arguit 4. speciali argumento quod ait, nos acriter mordeat, iactarque telorum imbrem. Cæterum in eo illud solum speciale est, quod ex ignoratione nostræ, & suæ communis doctrinæ de simultate concursus diuini cum nostris voluntatibus totum procedat. Miraculi vero instar erit adeo edentulum discursum, non mordere quidem sed vel mordicare. Telorum imbrem esse fateor, cum è mentis solum nebulis gignatur; sed si imbris tela sint, quis aquea fore nesciat, & frigida, & ad quorum vmbram, vt dux alter aiebat, absque vllo æstu pugnemus? nisi ad nostræ doctrinæ solares radios totus imber ille euanescat? arguit ergo: Dei concursum poni pro conditione debere ad futuritionem conditionatam consensus, ad huiusque conditionatam negationem, negationem illius: horum vero alterutro pro conditione posito, neque consensus sub concursu diuini hypothesi, neque eius negatio consensus sub hypothesi negationis concursus diuini contingentes erunt; sed omnino necessario sub Dei concursu consensus noster, sub negatione vero illius negatio etiam consensus nostri erit: vnde infert dari à nobis scientiam inutilem. Addere posset, & nugatoriam: quippe quæ pro consequenti habeat ipsum antecedens. Verum cum Dei concursus cum nostræ voluntatis concursu identificetur, quomodo à sano Theologo poni ille pro conditione ad hunc possit, quin idem pro sui ipsius conditione reali chimærice ponatur? imo inde euidenter infertur sub eadem omnino conditione reali, sub qua noster concursus futurus est, & Dei concursum simul necessario fore: licet autem consensus noster qualitas sit à Dei & nostro concursu diuersa, tota tamen eius in fieri libertas à concursu, & determinatione voluntaris erit: neque aliter ad eius libertatem Dei concursus esse, ac voluntatis concursus debet; cum neuter esse sine altero in signo aliquo reali absque mentis fictione queat: quod autem concursu alterutro seu, quod idem est, vtroque pro reali, & vera conditione posito consensus conditionatus sit necessario futurus, & contra eius negatio sub negatione, concursus alterutrius, vel vtriusque nostra (qui eiusmodi conditiones ad consensum, vel eius negationem minime apponimus) refert nihili obiectantis forte pluris interfit, qui concursum Dei prævium ad nostrum conditione ad contingens conditionatum in physica prædeterminatione necessario, & ineuitabiliter connexa cum consensu futuro ponunt: & ea quidem connexionis necessitate, qua actio, & concursus cum suo termino connectitur. Quocirca, quoad libertatem, facilius in conditionato consensu sub conditione concursus (quem plures communiter ad idem posterius signum naturæ sui termini, ac nullatenus ad prius naturæ illo docent pertinere) saluaretur, etsi eo posito non posset non esse consensus, quia ea necessitas esset solum consensum, vt summum, comitans, noua antecedens, quæ sola eius libertati aduersatur; præuij vero concursus diuini, seu prædeterminationis physicæ ad consensum, continuo, & necessitas, est omnino ipsum natura antecedens: quare, ea pro conditione ad consensum conditionatum posita nescio, an, ægre adhuc, saluari possit huius conditionata libertas.

4. Ex eadem ignoratione, & illa, quæ breuius, & prudim contra nos infert ortum habent: inutilem scilicet, & quæ, ne pueris quidem, desit conditionatam Deo scientiam à nobis concedi: & quidem, si, quam ipse putat, conditionem ad nostri concursus, & consensus conditionatam futuritionem, scilicet diuinum concursum apponeremus, eorum veritas, & scientia prorsus inepta haberi, & in eis, quas Hispani nostri *verdades de Perogrullo* vocant, computari deberet. Tantundem enim valeret atque, *si vocem Petrum, & habeam concursum identificatum, & simultaneum cum eius consensu erit eius consensus*, ecquid bardius? cum autem nos nihil, siue diuinum, siue creatum in tota hypothesi ponamus ad consensum conditionatum quod idem, aut connexum sit cum eo, quinimo, quod non sit ad ipsum, eiusque appositum indifferens, ex nostra præcise hypothesi nullus quantumuis ingeniosus, ac subtilis homo, vel etiam Angelus sub ea futurum determinate consensum citra erroris periculum poterit cognoscere: imo neque Deus ipse, adhuc ex hypothesis super comprehensione; neque illum, nisi omniscientiæ suæ titulo in se penetraret, vllatenus, nedum vt ipsum decet, certo cognosceret sub illa hypothesi fore potius quam non fore. Hanc puerorum nempe, vt ais, & bardorum homuncionum Deo de contingentibus conditionatis scientiam tribuimus: videamus quam profunda, & subtilis à te, tuisque ipsi tribuatur: statuis omnia prærequisita, & necessaria ad apponendum contingens in statu absoluto debere poni in hypothesi, seu pro conditione ad statum eius conditionatum, de eoque scientiam conditionatam concipiendam; in his autem necessario prærequisitis ad absolutam contingentis futuritionem decretum absolutum efficax de se, & physicam prædeterminationem: & vtrumque essentia sua physice, & metaphysice connexum irrefragabiliter, cum absoluta contingentis futuritione. Hoc ergo scit Deus altissima sua, & perspicacissima, quam ei tribuis conditionata scientia. *Si vocauero Petrum, eiusque consensum præfiniero, ac prædeterminauero eum ad illum, erit Petri consensus*: ecquis autem adeo erit stupidus puer, qui ex ea hypothesi consensum sub illa fore nesciat? respondet pag. 666. non poni ad conditionatam futuritionem consensus præfinitionem, & prædeterminationem ad illum conditionate futurum, vt conditionem, sed, vt medium infallibilis scientiæ Diuinæ de illo. Contra primo: ergo male asserebat prærequisita omnia ad absolutum contingens debere pro conditione apponi ad statum ipsius conditionatum, eiusque scientiam. Secundo: non aliter est medium infallibile conditionatæ futuritionis consensus, & scientiæ quam, quia connexa necessario causa est consensus absoluti absolute posita; quare, & posita in hypothesi est causa eius in statu conditionato: ergo implicat poni, vt medium infallibile in hypothesi, & conditione, & non vt conditionem ad statum illum consensus conditionatum. Tertio: facilius, liberiusque ex tua hac solutione dicemus: decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti non esse causam futuritionis conditionatæ, siue formalem siue actiuam (quod solum in præsentiarum contendimus) sed medium infallibilis scientiæ de illa, quod etiam falsum esse d. sequenti monstrabimus: quarto solutione hac difficultatem non soluis, sed protelas: etsi enim præfinitio, & prædeterminatio in hypothesi non, vt conditio ad statum consensus sub illis futuri conditionatum, sed, vt medium infallibile certæ Dei scientiæ de illo apponantur: æque certo à puero, & stupido quouis ex illo medio, vt medio solummodo, in hypothesi posito fore conditionatum consensum sub illo cognoscetur.

5. Arguit idem d. & articulo eodem pag. 651. Primo: quia, si absque actuali Dei decreto est à nobis bonus consensus conditionatus, eoque repræsentatur, & offertur quidem Deo à nobis aliquid bonum, & sufficiens subinde motiuum ad donationem gratiæ, & donorum: ergo futuritio conditionata contingentis nostri absque actuali Dei decreto Semipelagiana merita inducit. Distinguo singulas antecedentis partes: *offertur aliquid Deo à nobis* seu nostra voluntate *solis in hypothesi positis* nego; *cum gratia etiam posita in ea hypothesi* concedo: illam item partem, *& sufficiens subinde motiuum ad donationem gratiæ*, distinguo *motiuum finale* fateor; *motiuum meritiuum*, diffiteor; & nego consequentiam: vtrumque enim (quod sæpe, & hac distinctione negamus, & nostri omnes ad vnum Doctores negant) errat Semipelagianorum asserebat, vt multa, & perspicua eruditione ex instituto ostendimus certam. 7. toto. Nempe futura

bona in quouis ſtatu, etiam conditionato, propriis viribus, atque independenter à Dei gratia, adhuc in hypotheſi ſuppoſita, haberi: item in eis bonis conditionatis meritum, ſeu vim, & motiuum meritiuum reperiri; finalem vero vim motiuam, quam ſolum admittimus, in bonis operibus conditionate futuris reperiri vera; & Catholica ſententia eſt, & quæ extra controuerſiam eſſe debet. Audiatur S. Thom. 1. p. quæſt. 23. a. 5. ad 1. dicens: *vſum gratiæ præſcitum eſſe rationem collationis gratiæ*, antequam collationem vſus gratiæ ſolum conditionate futurus potuit præſciti, vt ad illam Deum moueret. Audiatur Paulus Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Vbi iuxta Auguſtini Proſperi, & aliorum Patrum, & non Conciliorum, Arauſicani, & Milleuitani interpretationem vtrumque diſtinctionis noſtræ membrum de motione finali, ac non meritiua tradit: ita enim illi ex eo loco contra Pelagium, eiuſque reliquias ex illo *vt eſſemus ſancti*, quibus finalis motio exprimitur inferunt: *ergo non, quia futuri eramus ſancti*, meritiuam motionem, quæ non, niſi abſolute exiſtentium operum eſt, ex finali, quæ non exiſtentium eſt, (atque ad Dei electionem, & prædeſtinationem debet conditionatorum eſſe) reiicientes. Inſtat ſaltem donum perſeuerantiæ, prout à Deo amitti à nobis poſſe, ſi conditionata contingentia abſque actuali Dei decreto ſtatuantur; cuius oppoſitum contra Semipelagianos ſtatuunt Auguſtinus, Proſper, & Hilarius dicentes *tale donum eſſe, quod humana libertas amittere non poſſit.* Hoc tamen effatum de poteſtate antecedenti, ne obiectans quidem audebit admittere. Siquidem poſito etiam actuali hoc ſuo decreto tentationum victoria in dono perſeuerantiæ incluſa ab auxilio gratiæ eſt, quod abiicere, cuique reſiſtere, voluntatem noſtram antecedente poteſtate valere de fide eſt: ſolum ergo de poteſtate conſequente impotentia libertatis noſtræ ad donum perſeuerantiæ amittendum aſſerta ab eis Patribus fuit: quæ, etſi conditionata actuale Dei decretum non ſupponant, iuxta noſtram doctrinam facile aſſignatur. Semipelagiani circa perſeuerantiam eodem modo ac circa ſalutis initium aberrabant, vt ex propriis viribus merito noſtro daretur, vt conſtat ex Auguſtino c. 17. de dono perſeuerantiæ Proſpero, & Hilario in ſuis epiſt. & ex cert. 7. citato, quod nos in nullo operum noſtrorum ſtatu admittimus: quinimo, ſi eis daretur initium fidei ex arbitrij viribus eſſe, & ob hanc perſeuerantiam à Deo donari, ſatis arbitrij noſtri libertati conſuli putabant, vt ex dictis citato certam. 7. ſatis conſtat. Tantum abeſt, vt ad perſeuerantiam ipſam ſecundum ſe amittendam, poteſtatem proximam in noſtra voluntate requirerent: vt falſo ſupponit obiectio: quoniam vero, etſi conſenſus noſtri poſſibilitas, & conditionata futuritio materiam aptam diuinæ electionis, auxilij ad victoriam tentationis perſeuerantia incluſam reddat; tamen meritum ad electionem, & collationem illius auxilij præ alio non eſt: atque, vt hæc victoria finalis ſit, vti ad perſeuerantiam oportet, morte, quæ amica Dei prouidentia vnice diſponitur, excipi debet, ſit vt in Deum tandem, vt in donantem, & prædeſtinatio, & perſeuerantiæ noſtræ donum refundatur: verumque proinde illud Auguſtinianum ſit. *Non, niſi à Deo donari perſeuerantiam, qui nos prædeſtinauit in ſuum regnum, & gloriam.*

6. Iterum tamen Semipelagianiſmi noſtram hanc doctrinam arguit. a. 5. pag. 651. ex his Proſperi epiſt. ad Auguſtin. [Illud etiam qualiter diluatur quæſumus, inſipientiam noſtram ferendo demonſtres: quod retractatis priorum de hac re opinionibus par omnium inuenitur, & vna ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vaſa honoris; alios contumeliæ fecerit: quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit.] Sed in primis verba hæc, & ſententia de præſcientia boni finis, vndecumque habita, ſiue ex decreto actuali, ſiue ſolum in hypotheſi ſunt; niſi abuſiue, & contra Auguſtini, Proſperique phraſim propoſiti, & prædeſtinationis vocibus decretum conditionatum ex parte obiecti, ac non omnino abſolutum conferendi auxilia efficacia intelligatur. Secundo Semipelagianorum ſententia, non omnium ſententia erat, vt ibi dicitur; & quidem Semipelagianæ hæreſis confutandæ inſipientiam ſuam Proſper, & Hilarius non profiterentur, cui, nimirum, repellendæ ſeſe ſuperiores ſemper profeſſiſunt. Omnium ergo par, & communis ſententia ibi memorata Catholicorum omnium Patrum erat, Chryſoſtomi, Ambroſij, Hieronymi, & aliorum, qui propoſitum, & prædeſtinationem Dei eſſe ſecundum præſcientiam boni finis ſub gratiæ adiutorio, ſiue ſub conditione gratiæ Dei, futuri aiebant. Ea vero omnium Patrum ſententia Semipelagiani retractatis Pelagianorum erroribus, in quibus ab illis diſcordabant, pro ſuo errore dupliciter abutebantur. Præſcientiæ boni finis nomine abſolutam illius præſcientiam intelligentes, & gratiæ adiutorium, ſub quo bonum finem conditionatum Patres aiebant, omittentes; indeque manifeſtationem gratiæ omnia electorum merita præuenientis ab Auguſtino, & Patribus reliquis ex Apoſtolo prædicatam diſtorta ad ſuum errorem Patrum eorundem ſententia, impugnabant. Proſper vero illa modeſtiæ ſuæ erga Præceptorem, Auguſtinum profeſſione petit: vt illam Patrum ſententiam (qua Semipelagiani abutebantur) cum eorundem, & ſua Catholica de neceſſitate gratiæ omnia opera bona præuenientis concordare, ſi iuxta Patrum, & mentem, & verba fideliter referatur, & intelligatur, & ſua doctrina, & authoritate oſtendat, & confirmet: quo citius hæreticorum calumnia dehiſceret: eodem recidit eiuſdem obiectio alia, qua intricari ſæpe, nec ſe expedire, ſed nonnunquam ceſpitare Molinam ait: pag. 654. & 655. Nempe ex ſtatuta à nobis independenter ab actuali decreto conditionata contingentis, & futuritione, & ſcientia ſterni viam ad prædeſtinationem ex meritis conditionatis naturæ viribus. Huic tamen toties ab iſto Doctore huc, illucque verſato, & repetito argumento ſatisfactum apertiſſime eſt nu. 7. diſtinctione de motione finali, ac non meritiua operis noſtri in ſtatu conditionato, & neceſſitate gratiæ in hypotheſi, vt futurum conditionate ſit, quam ſæpe in Molina, & quouis ex noſtris Doctoribus poterat obiectans didiciſſe, ni ceſpitabundo, atque intricato ingenio fuiſſet.

7. Sed totas languidi, & perplexi diſcurſus vires colligit dicens: è conſtitutione noſtri conſenſus conditionati independenter ab actuali Dei decreto inferri à nobis tandem ſumendam rationem ſeu cauſam prædeſtinationis, vt eſt ſpecialis prouidentia, & electio vnius præ alio non prædeſtinato: contra S. Thom. qu. 6. de verit. a. 3. aſſerentem nefarie aſſeri, [Prædeſtinationem ſupra certitudinem prouidentiæ nihil addere, niſi certitudinem præſcientiæ: quia Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut quemlibet alium; ſed de hoc prædeſtinato ſcit, quod non deficiet à ſalute: ſic enim dicendo non diceretur differre prædeſtinatus à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantum ex parte euentus.] Qui textum legat ſolum, extra rem adduci, quia totus eſt de certitudine maiore ſaluris à prædeſtinato, quam à non prædeſtinato conſequendæ ex parte ordinis prædeſtinationis ad ſalutem, qui non prædeſtinato non adeſt ante euentum conſequutionis ſalutis, qui prædeſtinationis effectus eſt. Nihil autem ibi de ſpeciali affectu electionis erga prædeſtinatum præ non prædeſtinato, cuius cauſa meritiua ſit conditionatus conſenſus præſcitus: neque enim de conditionatis conſenſu, & præſcientia Dei, ſed de abſolutis eſt ſermo S. Tho. cuius doctrina noſtræ aperte concordat: ſcilicet maiorem eſſe certitudinem ſalutis conſequendæ à prædeſtinato, formaliter per prædeſtinationem, eiuſque ordinationem, vt euentum abſolutæ ſalutis antecedit, quam ex non prædeſtinato, cui ſcilicet è ſola prouidentia ſalutis media ſeu auxilia ad illam conſequendam diſponuntur, & donantur. Hæc ſiquidem prouidentia ſola, & communi ex ſcientia ſolum ſimplicis intelligentiæ poſſibilitatis ſalutis ſub auxilio, & medio ad illam auxilium donatur: cum autem ſub illo medio, & auxilio negatio etiam ſalutis, & poſſibilis ſit, vt à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eandem æque cognoſcatur: ſi vtrique, prædeſtinato, ac non prædeſtinato, ex ea ſcientia, & prouidentia communi auxilia, & media ad ſalutem ex æquo donarentur, ſicque ſolum ordinaretur ad ſalutem prædeſtinatus, ex parte ordinis & prædeſtinationis maiorem, quam non prædeſtinatus certitudinem ſalutis non haberet: imo neuter vllam ex parte ordinationis diuinæ haberet ſalutis certitudinem: ſolumque illam prædeſtinatus præ non prædeſtinato haberet ex caſuali prouidentiæ, erga ſe abſoluto effectu, & euentu ſalutis futuræ, eiuſque

eiusque absoluta præscientia, quod dictu est nefas: quoniam vero non communi illa salutis prouidentia, & ex sola Scientia simplicis intelligentiæ possibilitatis salutis sub auxiliis illis, sed ex scientia conditionatæ salutis sub illis futuræ ipsa prædestinatis prædestinatione donantur, in ipsa prædestinatione, & ordine prædestinatiuo maiorem, infallibilemque certitudinem salus prædestinati habet: quippe quæ purificato per prædestinationem auxilio, sub quo fore conditionate fuit præuisa, consequenti necessitate, necessariò erit salus, & eius negario impossibilitate consequenti impossibilis: sic, & doctrina S. Thom. & Prædestinationis definitio. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*, planè concordant. Neque id obest, quominus prædestinatio, vt specialem beneuolentiam, & electionem diuinam prædestinati præ non prædestinato etiam dicit, à consensu conditionato, adhuc sub hypothesi gratiæ, tanquam à causa absolutè non sit; quia, licet conditionatus consensus, cui salus est coniuncta, auxilium gratiæ materiam, & medium aptum prædestinatione apponendum constituat; alt consensus conditionatus non prædestinati sub alio auxilio, illud etiam medium aptum prædestinationis ad salutem constituit; quod tamen ei à Deo, nec disponitur nec donatur: quare tota hæc vnius præ alio prædestinatiua electio in Dei voluntatem, qui (repote diuitiarum gratiæ suæ absolutus, atque vnicus Dominus) diuidit singulis prout vult, vnicè refundenda est.

8. Consulto distuli hucusque Achillem aduersariorum argumentum ex illo 1. Corint. 4. *Ne supra, quam scriptum est, vnus aduersus alterum insurgatur pro alio: quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Cuius textus, etsi literalis sensus sit, reprehensio eorum, qui vane, & contentiosè gloriabantur, quod, vel Paulum, vel Apostolorum Magistrum habuissent; cum tamen neutrum electione sua, sed Dei dono habuissent: inde tamen Augustinus in simili discretionem prædestinati à reprobo, non à se sed à Deo esse, eisdem verbis, & sententia docet: quem & Patres alij, & Scholastici imitantur. Si autem conditionata futuritio nostri consensus ab actuali Dei decreto non sit, cum per illum materia prædestinationis constituatur auxilium efficax, atque ipse finaliter Deum moueat, vt prædestinet, atque ex prædestinatione auxilium apponat: non Deus solus prædestinatum à reprobo discernet. Hoc tamen argumentum solutione data proxime euanescit. Siquidem in tota latitudine conditionatorum sub aliis auxiliis, ab eis, quæ ipsi dantur, reprobus etiam consensurus, & erat, & vitus à Deo est: nec magis ab vno quam ab alio appositum fuit, vt à Deo prædestinetur: vnde de consensu in eo statu prædestinatus præ reprobo gloriari minimè potest; maximè, cum neuter adhuc pro eo statu se solo consensurus conditionatè foret, sed sub conditione gratiæ auxiliantis Dei; sed potius prædestinatus Dei gratiæ, & speciali beneuolentiæ tribuere debet, quod ipsum præ alio (quod æquè posset) prædestinet, auxiliaque efficacia disponat, quæ etiam alij disponere potuit, & non fecit. Tota solutionis huius doctrina, & loci eius in rem præsentem interpretatio Augustini est lib. de prædest. Sanctor. cap. 3. initio, vbi eam Cypriano refert acceptam, seque ab eo errore correctum, *quod fidem à nobis nostrisque viribus, ac non Dei donum censeret. Neque enim*, inquit, *fidem putabam gratia Dei præueniri*: ex eaque interpretatione, enim fidei initium gratia Dei necessariò præueniendum contra Semipelagianos docet cap. 4. fine, eisdemque interpretationi insistens ait: *A quo habes, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* cum tamen æquè donare illi posset: id quod non solum de auxilio, sed etiam de consensu ipso, quod illius, ex præuisione eius conditionata, donatione, moraliter à Deo donatur, quoque in actu secundo prædestinatus à reprobo discernitur sub eius capitis finem Augustinus intellexit his verbis: [ipsa fides discernit ab infideli fidelem: non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed in electis præparatur voluntas à Domino: ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: illud, quid habes,] &c. Quibus consonat libro de gratia Christi cap. 14. & de spiritu & lit. cap. 34. asserens: Deum operari in nobis Sanctam inspirationem, & velle credere: *consentire autem vocationi, vel dissentire propriæ voluntatis est*: & subdit: *quæ res non infirmat, quod dictum est: quid habes quod non accepisti, verum etiam confirmat*, quia nimirum, & ipse in fidem consensus à Deo etiam datur, *in radice opportunæ vocationis*, qua præparatur voluntas à Domino, & tract. 4. in Ioan. [eo, quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum, castificas te, non de te, sed de illo, qui venit, vt habitet in te; tamen, quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & aliquid tibi tributum est: ita vt dicas adiutor meus esto.] Breuius tamen, & dilucidius suam hanc, & ex ipso nostram, doctrinam dedit quæst. 68. ex lib. Octoginta trium in hæc scribens: [Propterea, & si quisquam sibi tribuit quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.]

9. Instat vero Viues Dominicanus Augustinum ferè immediatè dixisse. *Neque illi, qui* (ad cœnam nuptialem paratam) [venerunt, venire possent, nisi vocarentur: itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt,] quod cum illis contradicat: *si quisquam sibi tribuit quod vocatus venit*: quare hæc dantur vanitati cuiusquam, non asseruntur ab Augustino, sibi, si ea assereret, à Deo immediatè contradicturo. Sed certe Augustini vtraque sententia est; nec altera alteri repugnans. verbis enim oppositis dicit Augustinus non posse illos sibi tribuere aduentum suum, non autem quod vocati venerint quod tribui sibi posse dixerat: quare illud, *quia vocati venerunt*, non est pars asserti ab Augustino; sed ratio cur sibi tribuere absolutè quod venerint nequeant, cum & facultas veniendi physice à vocante, & vocatione facta illis fuerit, & in ea aduentus ipse illis à vocante datur: vt verbis primis oppositis immediate dixerat. *Neque illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur.* Quod autem vocatus venerit tribuere sibi quisque potest; quia in eo primas suas, & præcipuas misericorditer vocanti & vocationi partes defert: cum, non, nisi vocatus, venisse fatetur; quamuis arbitrio suo vocatione adiuto, & libere venienti illud aliquid, quod agit, seu gratiæ coagit; quod nuper Augustinus aiebat, & in quo eius meritum est; tribuat: quod si concluſionem oppositorum à se verborum Viues, vel legisset, vel consulto non omisisset, atque testimonio à nobis adducto immediatè (vt in textu Augustini est) eam adnecteret, tanti Doctoris mentem, & sententiam pro nobis esse forte cognosceret, ita enim concludit Augustinus. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*: quia in ea meriti facultas, & potestas ponitur, & moraliter ipsum meritum, vt nuper diximus, & superiusculè explicuimus. Pergit continuò: *Propterea, etsi quisquam*, & reliqua quæ pro nobis retulimus, & quibus aptius nos ipsi doctrinam nostram explicare non possemus. Sed obtruncata testimonia sine mente adduci necesse est: Instat secundò idem Viues. Ne bardum quidem, ne dum Apostolum, Paulum, dubitare posse discretionem prædestinati à reprobo per vocationem, non posse esse ab ipso prædestinato, sed à Deo, vel eo, quod nemo seipsum vocet, & compellet. Sed alium: ergo eo loci non agit de discretione prædestinati à reprobo per vocationem, nec de illius acceptione à Deo est illud, *quid habes quod non accepisti?* Sed de discretione per consensum vocationi exhibitum, eiusque acceptione à Deo. Potuisset videre obiectans in nostris Doctoribus, & textu ipso Pauli quod initio num. 10. obseruauimus Paulum de discretione Prædestinati à reprobo ibi non egisse. sed de materia alia, ex qua ad similem discretionem prædestinati à reprobo Cyprianus, Augustinus, & Patres post ipsos alij Pauli verba accommodarunt, Pelagianos, & Semipelag. confutantes: quibus cum, non ea erat stolida disputatio: an quisque se, vel ad omnia bona opera, vel saltem ad fidei, & salutis initium vocaret? Neque enim isti adeò heberes hæretici erant; sed an ita à Deo vocarentur, vt indebita cuiusque naturæ, & arbitrio ea vocatio, & cogitatio Sancta esset? ac proinde gratia, & misericordia Dei auxiliante, siue ad rectè viuendum, siue inchoandum opus esse. Non ergo adeò stupida, vt putabas disputatio, & sententia Patrum esset, etsi de discretione gratuita, & misericorde prædestinati à reprobo per vocationem à Deo factam tota sententia illorum fuisset; neque insulsè ab eis diceretur, *quid habes quod non accepisti?*

cepisti? Sed quoniam ex illo errore de iure naturali arbitrij, eiusque propriis viribus totum opus eis tribuendum erroneè etiam erat: quare, & esse in actu etiam secundò è suis viribus, vel omninò, vel inchoatiuè discernere beandos à damnandis asserebant; Patres ex oppositio principio de necessitate misericordis vocationis, & gratiæ auxiliantis Dei per eiusmodi vocationis, & auxilij diuini beneuolam donationem (in qua, vti ipsi aiunt, non solum potestas consensus, sed ipse consensus *in radice oportunæ vocationis*, & moraliter, seu in morali æstimatione à Deo donatur prædestinato præ reprobo: quia ex scientia boni eius vsus conditionati donatur) discerni etiam à Deo in actu secundo prædestinatum à reprobo consequenter asseruerunt: ita verò, vt suas etiam arbitrij potestati, & libertati partes in consensum relinquerent, vt vidimus, & quæ-
ſtionibus sequentibus aſſatim ex scriptura, Patribus, Conciliis, Philosophis, & omnium ætatum, nationum, Academiarum, professionum fere omnibus Theologis communi ostendemus.

10. Illud tamen hic non omittam. Mirum esse hoc Pauli (adhuc iuxta Augustini, & Patrum accommodatitium sensum, & interpretationem) Dominicanos hosce vti contra consensum liberum independenter à suo actuali decreto futuri conditionate. Tum: quia prædestinatio qua prædestinatus à non prædestinato discernitur, in eo decreto obiectiuè conditionato, non stat; sed omninò, etiam ex parte obiecti absoluta voluntate, vt concors Patrum, & Scholasticorum sententia fert; alioqui, cum non existentium, sed pure possibilium hominum sint, cognoscanturque à Deo consensus plures, & salus futura sub conditione quod existerent, & tali auxilio vocarentur, vel talitatque hæc absque actuali, & absoluto ex parte actus decreto sub ea conditione esse, per hosce, nequeant, de pure possibilibus asserenda esset prædestinatio. Tum etiam: quia, cum existentes omnes, etiam reprobi, ac non prædestinati, sub aliquorum auxiliorum conditione bonum consensum, & salutem conditionate assecuturi sint, in decreto salutis, & consensus sui conditionatè futuri æquales non prædestinati prædestinatis erunt: quare hi misericordi Dei electione, nullatenus à non prædestinatis per illud decretum à Deo discreti essent (vt ea interrogatione, *quis enim te discernit?* Patres supponunt) etiam Dominicanorum istorum sententia. Tum insuper: quia illud, *quid autem habes, quod non accepisti?* de existentibus solum, de quibus solum accepisse verificari potest, dictum est: cum possibilibus etiam ad suos conditionatos consensus, & salutem æquè, atque de existentibus, iuxta aduersariorum doctrinam, illud decretum contingat. Tum denique: quia illud, *quid gloriaris, quasi non acceperis?* acceptionem absolutam vocationis, & in ea, vt diximus, consensus acceptionem dicit: de quo solum prædestinati præ non prædestinato posset esse prælatiua adrogans gloriatio; non de consensu conditionato, in quo, vt dixi, & ipse, & non prædestinatus sunt æquales: quare nemo Patrum eo loco (adhuc accommodatitia sua interpretatione) nisi ad discretionem prædestinati à reprobo absolutam, per absolutam eius prædestinationem vsus vnquam fuit. Itaque omnes, & singulæ eius loci particulæ sui vsum ad decreta ista absoluta ex parte actus de futuris nostris conditionatis adstruenda arcent, & prohibent; quin satis id fuerit, vt tot annis, & disputationibus Thomistæ recentiores eius ad ea adstruenda abusu abstineant: idcirco prolixius, quam ad nostram doctrinam tuendam opus esset, eum locum expendimus: si forte adeò apertis eius loci, & verborum singulorum eius, interpretationibus, & ponderationibus assequi possimus, nè deinceps adeò extra rem continuis disputationibus testimonio isto pro decretis absolutis subiectiuè, atque obiectiuè conditionatis, vt solent, inclament, *quis enim te discernit?* ac doctorum aures obtundant.

11. Denique opponit Ioann. à S. Thom. vel posita futuritione conditionata consensus, eiusque Scientia independenter à decreto potest Deus velle, quod non sit consensus, vel non potest? Si potest ea futuritio conditionata destrui poterit, & Scientia falsificari: quare quousque Deus velit, quod ea conditionata futuritio sit, fixa, stataque illa, eiusque Scientia non erunt: si non potest, conditionata illa futuritione è nostri arbitrij libertate potentia, dominium, & libertas Dei in nostros actus absurdissimè tolletur. Respondetur: non posse Deum velle actu, quod supposita illa futuritio non sit. Negatur tamen destrui è nostra libertate dominium potestatem, & libertatem Dei in nostros actus: etenim ad vsum libertatis nostræ in consensu supponitur exercita libertas, dominium, & potestas Dei in nostrum consensum proportionate ad consensus nostri statum: absolutè nimirum exercita ad consensum absolutum, & in hypothesi ad consensum conditionatum. Supponitur autem exercitium libertatis diuinæ ad rem præsentem in hypothesi cum vocatione, *si vocauero, & decreuero concurrere indifferenter*, ad alterutrum cum voluntate Petri (vel quatenus ad præsens attinet decreto alio quo malueris libertatem voluntatis nostræ constitutam) erit consensus. Cum hoc autem decreto in hypothesi posito pugnat aliud, *nolo, vt sit seu volo, vt non sit consensus conditionatus à voluntate, si vocetur*: illud enim in hypothesi cum vocatione positum voluntati permittit vsum, & sui, & vocationis ad consensum, & eius oppositum; hoc autem ad vnum extremum sub hypothesi vocationis determinat, ac proinde cum de obiecto contradictorio sint, sibi etiam necessariò contradicunt: atque ex suppositione primi, vt in hypothesi supponitur, aliud haberi à Deo nequit. Non quidem ex impedimento potentiæ, & libertatis diuinæ à nostræ voluntatis conditionato vsu, & consensu appositio; sed ab exercitio ipsius libertatis diuinæ in hypothesi supposito, & pugnante cum decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti: esset enim potestas ad coniungendum duplex voluntatis, & libertatis suæ exercitium contradictorium: quæ non diuina, imò, nec vera, & realis, sed chimærica potestas est, & impossibilis, æquè, atque vtriusque exercitij contradictorij coniunctio. Non secus, atque in nobis chimærica potestas arbitrij nostri est ad ponendum amorem ex suppositione, quod illum omiserimus: sed instâter interrogat Ioan. à S. Th. an Deus complaceat, vel displiceat in futuritione conditionata posita independenter à suo actuali decreto? anve alterutro effectu ferri in illam queat? Ne suo tamen quid causæ suæ referat, etsi affirmatiuè respondeamus: quandoquidem, neque complacentia neque displicentia obiecta sua in statu illo ponat; sed aliunde posita supponat, vt sæpè monuimus.

QVÆSTIO II.

An futura absolute sui in Dei æternitate præsentia egeant, vt à Deo cognoscantur?

VONIAM alia hic videbatur quæstio agitanda reddenda omissionis ratio, & quæstionis scopus monstrandus.

CERTAMEN I.

Quæstionis ratio, & difficultatis scopus.

1. EXplosa necessitate decretorum absolutorum subiectiuè, vt obiectiuè conditionatorum ad conditionatæ futuritionis contingentium, diuinæque subinde de illa scientiæ consistentiam: quare, & eis decretis à medio materiali scientiæ huius ablegatis de omnino absolutis prædeterminatiuis decretis, siue Thomisticis præmotionibus agendum statim recta methodus disputationis huius exigebat. Cum enim eas præsinitiones Thomistæ ad absolutam contingentium futuritionem necessarias prorsus, atque essentialiter prærequisitas esse defendant, ablaque quibus futura contingentia absolutè fore repugnaret, vt media materialia Scientiæ de illis diuinæ illas esse fa-

teantur: fit secundo, vt ad futuritionem etiam contingentium conditionatam constituendam necessaria essentialiter sint, ac proinde in hypothesi indispensabiliter apponenda non minus sint, quam vocatio, à qua essentialiter contingens consensus in omni sui statu dependet: hoc pacto. *Si vocauero Petrum, & eius consensum præuiero eius erit consensus.* Atque inde fit tertio, iuxta præfinitionum harum doctrinam, illas in hypothesi positas esse media materialia cognitionis diuinæ, de conditionata contingentium futuritione: quare earum examen, non solum ad exactam disputationis huius (quæ de mediis materialibus diuinæ Scientiæ erga omnia, & singula obiecta in quouis statu ipsorum agit) sed ad plenam etiam quæstionis primæ de mediis materialibus scientiæ de conditionata contingentium futuritione pertinere siquidem ea omnia, sine quibus absolutè positis absolutè futura esse contingentia nequeunt, conditiones sunt, sine quibus suspense, & pro conditione positis conditionate futura eadem contingentia esse non possunt: ac proinde ea omnia contingens in statu conditionato, & (quod idem est) sub mentis & cognitionis diuinæ prospectum ponunt: quare vtroque, & disputationis, & quæstionis primæ titulo de earum absolutarum præfinitionum à iunioribus Thomistis inductarum examen hue videbatur spectare, vt simul, semelque vtrique satisfieret vnico labore.

2. Tamen, quia res hæc decretum diuinum concurrendi cum causis tangit quod, & difficile, & prolixum exploratu, & explicatu est, atque ad controuersiam de volentate diuina, eiusque actibus attinet directius: & quia non prisca solùm Patrum cum ethnicis facti assertoribus, & veteribus hæreticis prædestinatoribus disputatio, sed nouior Conciliorum, & Doctorum Catholicorum cum recentioribus hæreticis VVicleffo, Luthero, Caluino eorumque assecli & recentissima eorundem cum Iansenio Yprensi Episcopo & nouissimis hæreticis, ex illius doctrina Iansenistis nominatis, & nostrorum Doctorum, aliorumque plurimorum nobis adfauentium cum recentioribus Thomistis Dominicanis, & eorum assecliis adeo amplam controuersiam fecerunt, vt vna quæstione, disputatione, imò libro, & tomo integro vix possit pro dignitate examinari: ac insuper aliis de Scientia Dei difficultatibus propriis, nec alibi locum habentibus examinatis, & postmodum examinandis, plus, fortasse iusto, controuersiam crescere videremus disputationem de præfinitionibus Thomistis ad controuersiam tertiam integram, quæ præsentem hoc etiam tomo excipiet, ne quid pro exacta Scientiæ mediæ intelligentia vltra desideretur re-nisimus: atque ad celebrem aliam cum Thomistis etiam quæstionem de præsentia necessaria futurorum in æternitate, vt cognosci à Deo possint, fecimus gradum.

3. Vt autem in quæstione hac discutienda omnes æquiuocationis, & paralogismi fibræ præcidantur, id, in quo nulla nostris, atque cæteris aliis cum Thomistis hisce controuersia fuit, esseve potest, statuendum in primis erit. Nempe creata omnia, siue futura, siue præterita, siue præsentia pro quauis temporis nostri differentia existentia, ita æternitati Dei coexistere, vt illi toti secundum suam entitatem, & intrinsecum sumptæ coexistant, non autem eius parti coexistant; parti verò ipsius non coexistant: ac proinde toti Dei æternitati, secundum intrinsecum sumptæ, sint creata omnia eodem præsentia sensu, quo Dei æternitati coexistere dicuntur. Hoc quidem certissimum, atque vtrique sententiæ euidens, & indubitatum est. Siquidem Dei æternitas tota simul duratio est omnino indiuisibilis, nec vllis partibus constans: quare implicat in terminis aliquid aliud eius parti coexistere, præsentemque esse; parti verò ipsius non coexistere præsentemve non esse, in hoc quippe suppositum inuoluitur repugnans, atque æternitatis Dei entitati, & essentiæ implicatorium negandum: ac subinde propositio ipsa, vtpote de subiecto, seu termino non supponente. Ex eo porro apertissimo principio æquiuocatio, & paralogismus natus, qui Caietanum, & ipso iuniores Thomistas à communi cæterorum sententia, & semita per auia distraxerit: dum ex eo, quod toti Dei æternitati entitative, & secundum intrinsecum sumptæ omnia, & singula creata coexistere viderent, eis omnibus extrinsecis Deo durationibus, siue realibus siue imaginariis, quibus indiuisibilis Dei æternitas coexistit, quasque non exequat solum, sed de superfluo sui circumdat, & exambit, coextitura illa intulerunt: ac proinde quæstio cum ipsis est: non quidem an creata quæuis pro quauis temporis differentia in se, & extra suas causas posita, vel ponenda, toti toti Dei æternitati intrinsecè sumptæ coexistant: sed an ei ab æterno sensu aliquo verò coexistant, sintque proinde eius æternitati præsentia ex æternitate.

4. Cum autem nihil coexistere alicui possit, quin vtrumque actù existat simul: siquidem coexistentia aliquorum nihil aliud est quam eorum simultanea actualis existentia in seipsis; & extra causas; si creata sint, positorum: fit plane, vt quidquid Dei æternitati coexistit aliquam habere actualem durationem debeat, quæ cum actuali Dei duratione, seu æternitate actu simul coniungatur. Vnde rursus fit, vt quidquid Deo, eiusque, non æternitati solum, sed ex æternitate, atque ab æterno coexistat proprio, & rigoroso coexistendi sensu, ita in omni duratione possibili, & imaginaria, quæ Dei duratione mensuratur, & redundanter cingitur, in se, vt extra causas suas existat, vt nulla sit durationis creatæ illius possibilis, & imaginariæ pars, in qua actu, & extra causas suas in se non existat. Si enim coexistentia duorum essentialiter vtriusque in se existentiam actualem, & simultaneam dicit, & claudit: id, quod in se aliquando, &, extra causas non fuit, ita neque ab æterno, neque ex æternitate Deo, eiusque æternitati coexistit, aut coexister: quare neque ei est ab æterno, & ex æternitate præsens durationis præsentia, & coexistentia reali, nec solum intentionali, & à Dei cognitione extrinsecus desumpta: cuius duratio, sicut, & cæterorum diuinorum, æternitas increata cum sit, & creata in tempore obiecta ab æterno cognita denominat, ac subinde ex æternitate Deo intentionaliter præsentia, & coexistentia facit: quod de coexistentia, & simultanea præsentia reali cum Deo ab æterno, siue ex æternitate nullatenus proprio sensu dici potest, in quo realis vtriusque in se existentia, & præsentia simul requiritur, quæ creatis in se ab æterno siue ex æternitate non adest.

5. Atque hæc, ne à recentibus Thomistis Dominicanis negari credo, ne apertos hæreticos illos credam; sed contendi solum ab eis sensu alio non ita proprio, cuius tamen verba, & propositio affirmans sua sit capax, futura Dei æternitati, Deoque ab æterno, & ex æternitate realiter præsentia, & coexistentia esse; dicique posse: quare, & de voce, ac nomine solum, non de re (quod nisi hæretice nequeunt) nobiscum illos certare, vt bene Mag. Albiz Augustinianus Primarius complutensis d. 6. sect. 4. sic fatus. *Aut de solo nomine est controuersia, aut sententia affirmans non solum est falsa, & improbabilis, sed etiam fidei principiis aduersa.* Cum vero sensum sic Thomistæ præfati explicant apud Albiz eundem ibi num. 20. vt, quia æternitas Dei (cui primo, & propriissimo sensu creata quouis tempore futura pro sua solum duratione coexistunt, præsentiaque sunt, tota simul; & indiuisibilis indiuisibiliter, & de præsenti in se, omni extrinsecæ durationi reali, & imaginariæ, siue præsenti, siue futuræ coexistit; denominationem extrinsecam durantis de præsenti pro æternitate creatis, siue futuris, siue præteritis tribuat: ac subinde in quauis temporis differentia, tam do præteritis, quam de futuris nunc, & tunc ab æterno, & in æternum Deo, eiusque æternitati præsentia esse, & coexistere dici vero sensu valeant. Et tunc esse Thomistarum dictorum sensum præter ipsorum explicationem constat ex eorum fundamento, & argumento præcipuo, quod ex indiuisibilitate æternitatis diuinæ, cui semel pro sua quodque duratione, creata coexistere præsentiaque duratiue esse fatemur omnes, contra nos deducunt. Secundo ex frequenti, & vsitata eis ad argumenta nostrorum solutione tentata per distinctionem illam de coexistentia, & præsentia creatorum Deo, eiusque æternitati in mensura aliena, non in propria.

6. Porro in sententiam hanc de futurorum præsentia, & coexistentia Deo, eiusque æternitati ab æterno, & ex æternitate alterutro (&, vt credo secundo) sensu recentiores Thomistæ ex alio satis ipsis familiari principio inciderunt, quo putant: ea quæ actu non sunt, actu cognoscibilia non esse, ac proinde, cum futurorum cognitionem (quod ipsum de præteritis est) scripturis, ac fide expressam Deo negare non possent; ne ex illo suo princi-

pio

pię impugnarentur, actualem futurorum præsentiam in æternitate per æternitatem, seu ab æterno ex æternitate, & in æternitatem otiose prorsus, & absque vlla consequentiæ exigentia commenti sunt: cum ad illam seruandam satis ipsis esset æternitati Dei indiuisibili, cum qua solâ, semperque, & pro omni extrinseca duratione præsenti & actuali Deus quæcumque obiecta cognoscit quamque sola iudicij diuini copula concernit (vt docebamus controuers.1. d.4. quæst.3. de Dei per Scientiam liberam immutabilitate agentes) pro aliqua duratione extrinseca, & aliquando coexistere præsentiaque, tam futura, quam præterita creata obiecta esse, vt ipsi, neque præterita esse, neque futura, sed actu, & de præsenti absolutè æternitati Dei cognoscentis forent, respectu cuius nihil transit, ac definit, nihilque est propriè futurum, vt Patres (quorum verbis decepti Thomistæ contra eorum sensum fuere) frequentes, & frequenter loquuntur.

7. Duo ergo hic cum Thomistis iunioribus disputanda: primum de futurorum præsentia, & coexistentia Deo, eiusque æternitati ab æterno & ex æternitate, ac per æternitatem alterutro ex præfatis sensu. Etsi enim secundo eos sensu loquutos non dubitem: de primo etiam disputare nos oportet: ne aliquis eorum verbis deceptus in hæresim incidat, quasi tantorum Doctorum authoritate protectus. Id quod eo rationabilius timendum nobis est, quod videamus eo sensu à plerisque Thomistarum minus cautorum impugnatoribus eorum sententiam intelligi, vti illorum impugnationes satis præseferunt. Secundo disputandum cum Thomistis hic erit, an ea futurorum præsentia, & coexistentia Deo, eiusque æternitati ab æterno, & ex æternitate admissa, præscientiæ absolutæ Dei de ipsis necessaria esset, aut vtilis. Id quod directius ad disputationis præsentis exactum & plenum examen videtur attinere.

CERTAMEN II.

Doctorum placita Sancti Thomæ, & aliorum ab affirmantis sententiæ impostura vindicatio.

1. PRæsentiam futurorum, & coexistentiam realem ipsorum cum Deo, eiusque æternitate ex æternitate, & per æternitatem docuit determinate primus Caietanus 1. p.quæst.14. art.13. *Ad has obiectiones*, vbi D. Thom. ope eam sibi veritatem, quasi per reuelationem, *illuxisse*, in eius articuli interpretatione testatur: quæ tamen citra reuelationem potuit illi innotescere ex Ricardo in 1. d.38.qu.3. & d.39. art.1. quæst.1. vbi idem prorsus, problematice vero, defendit, ex Capreolo (centum circiter annis ipso antiquiore) in 1. d.36. quæst.1.respons. ad 13. vbi eandem Diui Thomæ expositionem, & interpretationem adhibuit sub fin. nihilominus articuli. Id ex propria sententia asserere non ausus, inquit: *De his nihil omnino assero; sed videtur illa fuisse mens Diui Thomæ.* Potuit etiam eam S. Thom. interpretationem, & doctrinam absque eius reuelatione edisscere ab Henrico in 1. d.36. quæst.1. & ex Abulensi in 16. Matth. Item ex Ferrara 1. contra gent. cap.66. & 68. qui tamen oppositum probabilius censent, sicuti Catherinus opuscul. de præscient. & prouid. Corduba quæst.35. dub.8. Edisscere item potuit ex prisco Doctore Parisiensi (cuius meminit, non sine Stomacho, Ægidius Romanus iam citandus) qui post annum obitus S. Thom. eandem tanquam Doctoris Sancti Doctrinam ab aliis habitam retulit, grauique censura notauit. Itaque in ea S. Thom. interpretatione, & sententia Caietani, nihil in illo noui præter affirmandi ausum reperio. Ipsum tamen anteſignanum Recentiores sequuntur Thomistæ Dominicani, Aluarez 2.de Auxil.d.8. num.2. Ledesma d.2.de Scient. futuror. dub.1.Nauarrete controu.52. Bannez 1. p.quæst.14. art.13. dub.1. Cabrera ibi, & 3. p. qu.62. art.1.d.13. & alij nonnulli apud nostrum Ruiz d.28. & apud Albiz suprà n.3. & reliqui, qui ex Schola Thomistarum Dominicanorum volunt censeri. Hæc siquidem sententia, vna è tribus, vel quatuor est, quibus nunc Dominicana Schola Thomistica ab Schola Thomistica nostræ societatis in re Theologica distinguitur. Hi autem omnes eiusmodi præsentiam futurorum, & coexistentiam realem Deo, & eius æternitati ab æterno, atque ex æternitate, vt à Deo illa cognoscantur, valeantque cognosci, necessariam esse docent.

2. Vtrumque autem æquam apertam Angelici Doctoris sententiam venditant, atque in illam trahere nostros Molinam, Didacum, Ruiz de Montoya, Granados, & Gasparem de Ribadeneyra conantur, quorum nemini prætata sententia venit in mentem, vt assentiretur, & de S. Thom. fusè statim ostendam, vt nequeat deinceps aliqui eius ad eam tuendam protegi præsidio: constetque quantum Thomas Deuio Caietanus ab Angelico suo Præceptore deuiarit: citatos vero nostros, qui legerit facilè ab ea calumnia vindicabit. Etsi negare non possim, minus caute eos (præcipuè Granados,) locutos, vt, cum oppositum doceant nihilominus, quandoque aduersariorum vocibus vtantur. Et Molina quidem ad locum citatum primæ partis d.13. solum tradit sensum, in quo Dominicanorum sententia possit defendi, d.tamen 14. concluſ.2. ait: *Non esse concedendum rei, quæ sunt in tempore, prius existere in æternitate, quam in tempore:* quibus realem earum omnem in æternitate, & ex æternitate præsentiam, quouis sensu negat: solumque sensum obiectiuæ illarum præsentiæ ab æterno, siue realis præsentia toti æternitati Dei, quoad intrinsecum sumptæ, d. illa 13. admisisse satis prodit. Ruiz verò de Montoya hoc solum voluit dum d.28. sect.3. futurorum præsentiam in æternitate concedit, & sect.8. futura esse Deo ab æterno præsentia. Ait enim sect.7. num.2. solum esse realem quantum ad esse materiale, quod est præsens, nempe futuri, quod præsens est; quantum verò ad esse formale præsentiæ ipsius esse relationem, non realem, sed rationis ad intellectum diuinum nempe habentis requisita, vt possit intelligi, siue obiecti intelligibilis, & cognoscibilis, id est præsentiam obiectiuam in actu primo prius ratione, quam à Deo actu cognoscantur, vt ex Soar.1. de Scient. futuror. cap.8. n.9. retulerat n.1. & docent Vasquez 1. p.d.65.cap.4. & reliqui nostri probantes à priori futuri cognitionem à Deo, ex illius obiectiua cognoscibilitate, vt & nos suprà d.3.qu.3.probabamus, & clarius hanc esse suam futurorum præsentiam in æternitate docet sect.8.n.14. Neque Thomistica esse potuit, quam impugnauerat acriter in Caietano, & Capreolo sect.3.n.6. *inusitatum* dicens, *& improportionatum captui humani intellectus verbum absque temporis consignificatione vsurpare*: vt opus est ad Thomisticam futurorum præsentiam in æternitate, aliquatenus absque errore in fide percipiendam. Tandem sect.9.num.5. & 6. conceptis verbis Thomisticæ huic sententiæ aduersus ait: *res creatæ non coexistere ab æterno realiter æternitati, sed tantum fore, vt coexistant, quando productæ fuerint.* Id ipsum solummodo voluere Granados controuers. 2.1. p.d.3. & Ribadeneyra: neque de præsentia reali futurorum in æternitate, nec obiectiua solum, quid amplius, quam toti Dei æternitati quoad intrinsecum sumptæ, neque eius solum parti esse præsentia, pro sua tamen quodque duratione, quamquam præfati Doctores reprehendendi merito sint, quod aliquando cum Thomistis hisce loquantur, à quorum sententia valde abhorrent, vt, qui totum contextum non legerit, circa eorum sententiam decipi possit, & aduersarij, qui suæ doctrinæ patronos exteros aucupantur, possint alios decipere.

3. Iam verò adeo absurdæ, atque vero aliquo sensu citra errorem in fide imperceptibilis sententiæ impostura S.Th. pluribus eius (etsi prolixitatis vitandæ causa non omnibus) vindicare proximum est. 1.p.qu.61.art.1. *solus*, inquit, *Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est ab æterno. Hoc enim fides Catholicæ docet indubitanter, & omne contrarium, sicut hæreticum est refutandum. Sic enim Deus creaturas produxit, quod eas ex nihilo fecit, id est postquam nihil fuerant* Deinde illud *solus*, quod exceptiuam aliorum omnium propositionem facit, atque absolutè, & sine addito ab æterno quouis vero sensu esse negat. Item rationem subiunctam: quia reliqua *ex nihilo, id est, postquam nihil fuerant*, fuerint à Deo productæ quod autem omni ante sui productionem durationè nihil absolutè fuerat, contradictionè fuisse absolutè ante sui productio

productionem aliquid dicerur; cum tamen aliquid absolutè ante sui productionem, imo tota anteriori æternitate, quod vero reali sensu absolutè ab æterno realiter est præsens Deo, necessario esse debeat. Dixerat etiam qu. 16. art. 7. *quia solus intellectus diuinus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet. Nec propter hoc sequitur, quod aliquid aliud sit æternum, quam Deus, quia veritas intellectus diuini est ipse Deus.* Essent autem creata omnia ab æterno, & æterna, nec solus Deus, eique identificata veritas, si illa æternitati, & ab æterno ipsi realiter præsentia, & coexistentia, quocumque malueris sensu, forent. Item 1. 2. quæst. 91. art. 1. ad 1. *ea, quæ in seipsis non sunt, apud Deum existunt: in quantum tamen sunt ab eo cognita, & præordinata.* Ecce quam præsentiam futuris, quæ nondum sunt, ab æterno apud Deum, antequam sint S. Th. concedat: obiectiuam, nempe solam. Sed id ipsum ex locis, quibus pro oppositò à Dominicanis iunioribus Thomistis recitatur, ostendamus. Verba eius 1. p. qu. 14. art. 13. sic habent. *Omnia, quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes:* id est earum idæas, seu quidditates, & essentias earum, prout abstrahunt ab actuali existentia, ac per scientiam simplicis intelligentiæ ab ipso cognitas pro priori ad eorum existentiam decreto suo disponendam; *sed quia eius intuitus* (seu visionis scientia) *fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Nempe realis actualis existentiæ pro sua cuiusque duratione: quibus aperte docet præsentiam futurarum rerum ab æterno apud Deum à se ibi concessam esse obiectiuam solum, & extrinsecam ab eius æterna cognitione, non autem realem, aut realis coexistentiæ earum cum Deo ab æterno, & ita realiter ab æterno in Dei æternitate existentia à Deo cognosci minimè docet: sed solum realiter existentia successiue, & suo quamque tempore.

4. Id quod apertius ostenditur exemplo adducto in responsione ad 3. *sicut ille*, ait, *qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam*, &c. Visionis, & loci sui simultate, non autem obiectorum transeuntium, *ita & Deus ab æterno, & simul omnia videt: suo quaque tempore succedentia*; non quidem horum in se reali simultate, quam neque inter se habent, neque in æternitate Dei secundum suas entitates; sed sola scientiæ, & æternitatis suæ simultate, quæ solam obiectiuam, & extrinsecam ipsis impertitur illud autem (etsi huic loco explicando, atque in aduersarios retorquendo necessarium non sit) alias vtile non præteribo ex S. Thomæ doctrina hoc ipso articulo tradita. Nempe illud in *sua præsentialitate* non solam rerum pro sua duratione successiua existentiam, & actualem præsentiam temporariam, qua ex parte eius futuritio constituitur; sed ipsum esse entitatiuum actuale rerum in seipsis, in quo reliquæ fundantur, localis, & temporariæ præsentiæ actualitates à S. Thoma significari; respectu cuius hic penes instantia naturæ, & prius, ac posterius causæ, & causalitatis veram aliam futuritionem ab ea, quæ penes instantia temporis priora & posteriora in eis inuenitur asseri. Verba S. Thom. citat. artic. 13. quibus id expressit hæc sunt. *Vno modo* (considerari quid potest) *vt est in se in actu: quomodo non consideratur, vt futurum; alio modo potest considerari, vt est in sua causa, & sic consideratur vt futurum* (quibus similia scripsit quæst. 2. de verit. art. 12. & in 1. d. 38. quæst. artic. 5.) Pergit in sensum eundem. *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnum quodque eorum est actu in seipso.* Et de contingentibus rursus, *contingentia, & infallibiliter à Deo cognoscuntur in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentialitatem; & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.*

5. Secundus locus opponitur ex qu. 57. art. 3. dicens, *quia Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti tempori adest, & ipsum concludit, & ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia, vt in seipsis sunt: sicut suprà dictum est*, quod, defectu æternitatis ipsis intrinsecè intellectibus, cognitionibusque creatis, etiam Angelicis, statim denegat. consonat 1. contra gent. cap. 66. ratione 6. [eum æterni nunquam esse deficiat, cuilibet temporis vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas: quidquid igitur in quacumque parte temporis est coexistit æterno, quasi præsens eidem; etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum: æterno autem non potest aliquid præsentialiter coexistere, nisi toti, quia durationis successionem non habet: quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, diuinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens; nec tamen, quod quadam parte temporis agitur semper fuit existens.] Denique in 1. d. 38. qu. vn. art. 5. corpore ita eidem doctrinæ insistit: [cum Deus sit æternus oportet, quod cognitio eius modum æternitatis habeat. Vnde, sicut quamuis tempus sit successiuum, tamen æternitas eius est præsens omnibus temporibus: vna, & eadem, & indiuisibilis, vt nunc stant: ita & cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamuis sibi succedentia, vt præsentia sibi: nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius, sed vnum respectu alterius.] Hæc aliquid amplius, quam præsentiam obiectiuam futurorum æternitati Dei sonat: ac proinde ab aduersariis auidissimè arripiuntur, à nobisque ad longum recitanda fuere; ne difficiliora S. Thom. testimonia pro aduersa sententia dissimulasse, atque ex industria omisisse videremur: solutionem autem præstabimus, quæ similia plura ex Patribus, ex quibus hæc Angelicus præceptor pene ad verbum desumpsit, legitimè intelligantur: quare longa horum recitatio breuitati consuluit: quia innumeris aliis Patrum testimoniis referendis, & diluendis abstinere nos merito facit.

6. Hæc ergo, & similia Patrum testimonia solum probant, & docent, quod nemo nostrum negauit vnquam. Nempe: respectu æternitatis indiuisibilis Dei, & subinde scientiæ, & iudicij diuini, quod cum æternitate iudicat, eamque non tempus, sicut creata iudicia, consignificat, nihil transire; denuoue accedere: quia cum tota simul, & insectilis sit, omnemque durationem creatam, creabilem, & imaginariam ambiat redundanter, nihil eam, aliquidve eius potest præterire, nihilque denuo, vel toti, vel eius parti accedere: quare respectu solius æternitatis, & iudicij æterni Dei, quod illam solam concernit, & consignificat, quæcumque in tempore siue præterierunt in suo esse, & duratione actuali, siue succedent in actu præsentia ipsis sunt, & vt in seipsis sunt cognoscuntur, & iudicantur à Deo ab æterno; ac proinde nulla successu temporum notitia de rebus, vt actu in seipsis sunt, denuo aduenit Deo. Ex qua doctrina Dei immutabilitatem, etiam per actus liberos scientiæ suæ de existentia actuali rerum de præsenti ab importunis argumentis ingeniosorum Recentium Murcianorum ex nostris vindicauimus controu. 1. d. 4. & obscurius, quia pressius, ea præoccupauerat argumenta noster Vasquez 1. p. d. 64. c. vlt. versu. *Tertio docet*, proxima S. Th. loca summatim referens, & dissoluens. Itaque testimonia præfata solum contendunt æternitatem Dei, eiusque iudicium comparari, & esse de præsenti cum rebus omnibus cuiusvis durationis creatæ ferrique in illas secundum suum esse actuale, quod in quauis duratione creata, in qua locum habet successio, & præteritio, vel fuerunt, vel sunt, vel erunt: quod creatis durationibus, & cognitionibus, Angelicis etiam, quæ cum tempore, & duratione diuisibili, nec tota simul sunt, denegat statim testimonio primo.

7. Cæterum, quod ideo ab æterno, & ex æternitate sint, atque ab æterno esse adhuc extrinsece, per Dei æternitatem (vt opus erat aduersariorum doctrinæ) minimè eis locis docet S. Th. imo vero docet prorsus aduersum constat primo ex illis verbis testimonij primi, *& ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia, vt in seipsis sunt*, non in Dei æternitate, cui in sua, & pro sua duratione coexistunt: non, quia eorum existentia, & duratio retrotrahatur realiter ad ipsum (vt sic loquar) æternitatis Dei, & cognitionis æternæ initium; sed, quia æternitas Dei, & iudicij eius infinita indiuisibilis, & actu, & de præsenti eadem illuc peruenit. Secundo constat ex verbis illis testimonij secundi. *Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, diuinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens; nec tamen* (pende) *quod quadam parte temporis agitur semper fuit existens*: quod autem realiter ab æterno est, & fuit sensu aliquo vero, semper fuit existens realiter sensu eodem. Eius autem sententiæ postremæ obseruatione præuenit satis aduersarios nostros, ne occasione sententiæ antecedentis in præceps, in quod

ierunt, haberentur: quia, vt æternitas Dei coexistat de præsenti futuris, eiusque æterna cognitio de illis de præsenti tota sua æternitate sit, sat est Dei, & cognitionis suæ, quæ tota simul est, æternitatem illorum durationi, & existentiæ actuali coexistere, & de præsenti eam totam semper, & solam esse cum illis, quin, vt nuper dicebam illæ ad initium absque initio æternitatis regrediantur. Tertio demum testimonio eadem omnino doctrina continetur: quod scilicet respectu æternitatis Dei, & cognitionis æternæ ipsius non sit successio: quia in ea nec anterior, nec posterior durationis pars est, sed vna eadem, & indiuisibilis præsens est omnibus temporibus, ac rebus per illa succedentibus.

8. Vt hæc tamen adeo aperta pro mente sua explicanda in S. Doctore non adessent, ac solum aliorum de eius hac in re sententia iudicio standum esset, nullatenus pro affirmatiua Recentiorum Thomistarum Dominicanorum; sed pro negatiua nostra steriisse, discipulorum eius (& maxime Dominicanorum) vetustiorum, quibus potior habenda fides, testimonia conuincerent. Et in primis Ægidius Romanus, & ipse S. Thomæ discipulus auditor, & vindex in suo castigatorio aduersus corruptor. doctrinæ S.Thomæ obseruationibus ad citatum art. 13. falso illi impositam affirmantem sententiam à Doctore Parisiense clamat, & dolet: [cum ipse clare suam eo articulo sententiam protulerit: quod res sunt præsentes, Deo ab æterno, non in sua existentia actuali; sed quia ipse actu intuetur eorum præsentiam æternaliter.] Herbæus ducentis ante Caietanum annis florens, post S. Thomæ obitum, necdum quinquaginta, in doctrinæ eius defensione, & in 1. d. 38. quæst. 5. §. *Quantum ad tertium*, ait: [dupliciter intelligi potest aliquid esse præsens Deo: vno modo per existentiam realem in suo esse, etsi non coexistunt res aliæ à Deo ipsi Deo ab æterno, vt dictum est. Alio modo possunt dici res præsentes Deo, vt intuenti, siue per intuitionem: & sic omnia futura sunt Deo ab æterno præsentia non solum, quantum ad suas rationes quidditatiuas, sed etiam, quantum ad suas existentias actuales secundum intuitionem,] quæ sunt non solum doctrina, sed verba S. Thom. citat. art.13. Hunc & imitatus, & laudans Sylueſter sacri Palatij Magister in confiatorio doctrinæ S.Thom. articuli eiusdem relatis verbis: *Istud*, inquit, *dictum fuit occasio errandi* (coætaneo Caiet.) [& putandi quod D.Thom.intelligat præsentiam in esse reali; quod non est verum;sed vult dicere: quod Deus non solum habet præsentes rationes futurorum, quæ repræsentant eorum quidditatem; sed etiam per illas fertur super præsentialitates, & existentias.] Et hunc solum sensum necessarium esse subinferius probat; alium vero, *inexcogitabilem, & quem nullus Thomistarum, prater vnum ausus est affirmare: quia ex illo videtur sequi aliquid contra fidem: nempe creaturas fuisse ab æterno.*

9. Deza Hispalensis Archiepisc. Caietano etiam coætaneus in 1. d.38. qu.1. art.2. §.2. scribit malè à nonnullis intelligi S.Thom. pro affirmante sententia, quod & sententiam falsam etiam esse *apparet ex multis*: post quæ concludit. *Patet, quod mens diu.Thom. non fuerit, res esse ab æterno præsentes Deo secundum suas præsentialitates.* Et quidem Caietanus ipse se primum esse interpretem S.Thom.pro affirmante sententia iactauit: vt eius solo testimonio omnes exceptis Thomistas pro opposita sententia S.Th. numerasse conuinci possit. Sed & ex Recentioribus Thomistis Dominicanis primarius Salmanticensis Magist. Illustrissim. Arauxo & ipse viginti & eo amplius annis Thomisticarum suarum traditionum in ea Academia Salmantina æmulator contra nostrates Thomistas, postquam sacris Segouiensibus infulis exuit Dominicanum cucullum pro sua circa S.Th. doctrinam eruditione tom. in eius primam partem ad citati art.13.doctrinam de ea rerum in æternitate Dei realem ex æternitate, & ab æterno præsentia exacte, & subtiliter disputans neque ex mente S.Th.illam,neque ex veritate esse docet,fuseque probat: cumque Thomistarum suorum Recentium conclusionem de rerum coexistentia æternitati in sanum sensum explicare velliet (nempe pro sua cuiusque duratione, cui tota, & eadem æternitas præsens pro illa tantum est) non eo contentos illos verei, ac suspicari se,modesta subrisio ne,ait,sed aliquid amplius contendere.

10. Pro negatiua igitur nostra sententia numerandi in primis Angelicus Præceptor Ferrara citatis n.1. Capreolus, qui affirmantem asserere ausus non fuit, vt vidimus n.eod.1.Ægydius Romanus,Herbæus,Syluester, Deza, & Arauxo citati,& recitati,n.8.exaliis antiquis Magist.in 1. d.35.& 36. S.Bonauent.d.39. art.2.qu.13.Scot.qu.1.§. *Aliter poni* cum tota sua, & Nominalium Schola apud Smising. tract.2.qu.3.à n.84.Okam.in 1. d.38.Durandi qu.3. art.2. Gabriele Aureolo apud Albiz supr.& Herize infrà. Vt constet quanta veritate Bañez in 1.p.qu.14.art.13.§. *Antequam concludo quarta*, dixerit: communiter scholasticos contrariam suæ affirmanti sententiam sequi: vniuersi Thomisticæ nostræ scholæ societatis Doctores Molina, Suarez, Didacus, Ruiz de Montoya, Granados, & Ribadeneyra ab oppositæ sententiæ impostura vindicati n.2. Vasq. citatus cert.1.Valentia 1.p. qu.14.art.13. dub.4. Arrubal.t.1.in 1.p.& Herize, Adam, Tanner. in 1.p.d.2.qu.8. dub.6.à vers. *contra istorum vero sententiam.* Mæratius tom.1.tract.de Deo d.26. Franc.Amicus de Deo vno d.12. sect.4.Becan.1.p.c.10.qu.10. Præpositiu.in 1.p.qu.14.art.13. dub.2.Quiros de Deo vno tract.4.d.48. sect.4. Etsi videatur verbis ad Thomistas inclinare, simultas enim coexistentiæ Dei durationibus successiuis, quam admittit ex parte solum durationis diuinæ, seu suæ æternitatis est, non temporis, vt patet ex sectionis initio, & conclusionis explicatione & exemplo coexistentiæ locali Dei omnibus locis: quo vtitur Anton. Perez in 1. p. d.6. art.13. cap.7. §. *vtraque explicatio.*

CERTAMEN III.

Negatiua nostra sententia duplici conclusione contra duplicem sensum præfatum explicata ab authoritate probatur.

1. PRima conclusio: futura non coexistunt æternitati realiter ex æternitate reali, nec sunt Deo præsentia realiter ab æterno consignificato tempore verbis: *sunt*, & *coexistunt*, & vocibus *ex æternitate*, & *ab æterno*,significantibus æternitatem Deo extrinsecam diuisibilem, & successiuam,siue possibilem,siue imaginariam, in qua, seu in ordine ad quam suam intrinsecam durationem, & duratiuam præsentiam realem futura habentia, Deoque,& eius æternitati realiter secundum suum esse actuale, & nunc coexistant, & coexisterent futura. Hæc conclusio de fide est, neque vt arbitror ab aduersariis, nec à sano Philosopho, nedum à Theologo Catholico, negata. Eius proinde opposita affirmatiua propositio hæresis aperta dicitur esse à S. Thom.1. p. quæst.61. art.2., Est expressa scripturæ sacræ locis pluribus Psal.89. *Prius quam montes fierent*, aut *formaretur terra*, & *orbis à sæculo*, & *vsque in sæculum tu es Deus*, quibus consonat illud Prouerb. 8. de æterna, & increata Dei sapientia de se aientis. [Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: necdum fontes aquarum eruperant: nec dum montes graui mole constiterant: ante omnes colles ego parturiebar: Adhuc terram non fecerat, &c. Et ego iam concepta eram.] Aft nihil horum verum est, si futura consignificato à verbis tempore, & significata vocibus *ab æterno*, & *ex æternitate* extrinseca Deo æternitate diuisibili, & successiua, siue possibili, siue imaginaria, vel cui respondeat, vel in qua realis præsentia futurorum existat, exteritque re dicantur, vel coexistere æternitati ex æternitate: ergo salua fide, & scripturis ita Deo realiter præsentia esse, eiusque æternitati dici vere ea verborum consignificatione, & significatione vocum minimè potest. Minor est certa: quia eo, quod sua propria duratione, & esse actuali æternum est, Deus prior esse nequit.

2. Ioan. item 8. fine. *Amen amen dico vobis, priusquam*

quam Abraham fieret ego sum, aiebat Christus Dominus, vt suam eis diuinitatem insinuaret, quæ etsi duplicis *Amen*, geminata asseueratione à Christo Domino dicta, vera non forent sensu vllo, si nulla anteriori duratione (de qua ibi sermo) proprietate, & rigore sermonis Christus, adhuc qua Deus, Deique, nec solum hominis filius, Abrahamo præexistisset: non præexistisset autem, si Deo semper ab æterno, eiusque æternitati ex æternitate secundum durationem propriam, & suum esse actuale, & intrinsecum realiter præsens, & coexistens proprietate sermonis, & præfata verborum consignificatione, & vocum significatione fuisset: ergo non ita fuit Abrahamus realiter præsens, & coexistens Deo, eiusque æternitati ex æternitate, & ab æterno. Atque ex hoc loco Christi, & Filij Dei, Deitatem, & consubstantialitatem Patri probat contra Arrium Athanasius lib.2. contra ipsum, reprobatque eiusdem verba ex lib. Thal. *erat quando non erat Filius Dei: nec erat antequam fieret*: quia Dei Filio contra Euangelium, id, quod creaturæ proprium est (scilicet ab æterno, atque ex æternitate non esse) auferre tribuere. Inde Athanasius idem, & Concilium Nicenum, quia ab æterno Filius Dei esse in scriptura dicitur Deum illum proprie esse definiunt: quod male ob inde definiretur, si proprietate vocum creaturis etiam esse ab æterno, atque ex æternitate existere, & coexistere Deo competeret: siquidem ex eo, quod plerisque commune est, nec alicui proprium, male hunc esse colligitur: nempe ex eo quod aliquid animal, aut homo sit, perpetam, vel illud hominem esse, vel esse Petrum inferetur.

3. Nihil hac veritate apud scripturam antiquius. Ita enim primum Geneseos caput orditur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Cum autem, quod æternum ex æternitate, atque ab æterno, eiti principium non habeat, neque finem, Cœlum, & terram, quæ initio temporis creata à Deo, productaue, & priusquam creata cætera in duratione fuere, neque ab æterno, neque ex æternitate præsentia realiter, & coexistentia Deo, eiusque æternitate proprietate sermonis fuisse ex hoc loco conuincitur: sed ita fuisse ea, & creata cætera, quæ hactenus extitere, deincepsve successu temporis existent respectu anteactæ, vel possibilis, vel imaginariæ durationis futura, vt quamuis æternitati Dei indiuisibili pro sua tamen duratione, coexistant, non tamen pro anterioribus. Hinc nihil creatum, sed solum Deum æternum, seu quod idem est, ab æterno esse, definitum est in Conciliis, quæ passim apud Theologos occurrunt, vt videre est apud Valq.1.p. d.120.c.2.vbi inter alia hæc ex Rhemensi Concilio *credimus, & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum æternum esse*, ac definitum etiam est cap. fuminer de summa Trinit. eademque sententia, atque Deum creatis omnibus duratione, imò æternitate præcelsisse frequens Patrum, & Conciliorum locutio est: quod nisi verborum, & nominum proprietate significationis negatiua nostra conclusio hæc certa sit, certum esse non potest. Videatur Augustt. de Genes. ad litt. c.18. & sæpe lib.12. de ciuit. Dei (ex quo aliqua statim recitabo) de prædestinat. & grat. c.5. ab illis verbis *mundus, quamuis pro tempore, ex quo factus est, cæperit.*

4. Sit secunda conclusio. Futura non sunt realiter præsentia Deo ab æterno nec eius æternitati ex æternitate realiter coexistunt, nec coexistere possunt per extrinsecam ipsis adhuc durationem æternitati Dei. Conclusio hæc me iudice testimoniis iisdem scripturæ, Conciliorum, & Patrum probatur, quæ pro prima retulimus. Si enim sensu aliquo vero futura secundum suum esse actuale, adhuc extrinseca ipsis; & aliena durationis mensura æternitatis diuinæ, Deo præsentia, & coexistentia realiter ab æterno, & ex æternitate essent, absolutè dici cum veritate non posset creaturas cœpisse in tempore, quæ ex æternitate in suo esse actuali cœpissent: in quo negatiua hæc continetur ante illud tempus non extitere: quod absolutè omnem eorum ante illud tempus actualem existentiam realem negat: & fallo quidem, si per mensuram ipsis extrinsecam, & alienam æternitatis diuinæ realiter ab æterno, & ex æternitate existunt, & coexistunt Deo. Item fallo reliquis locis absolutè dicitur Deus, eiusque sapientia increata, antequam terra montes, & creata reliqua producerentur, fierent, & formarentur, esse, & extitisse: eo enim quod ipsi vero sensu ita semper coexistit, præsensque ab æterno est, prior esse, atque, antequam illud existeret, existere dici absolute nequit Deus. Nec satis est id dici, & intelligi de existentia & esse actuali, & Dei, & creaturæ propria duratione, non autem de existentia & præsentia alterius, nempe creaturæ per durationem alienam, etsi verè per ipsam ab æterno duret, præsensque, & coexistens realiter Deo sit. Contra primo: quia, si hic etiam sensus proprius sit, & in eo rerum futura ab æterno, & ex æternitate realiter Deo coexistere præsentia: imprudenter eorum existentia ante tempus negatur, Deique ante illa existentia absolutè, & absque limitatione, & distinctione asseritur in scriptura: quod est blasphemum. Mitto aliam impugnationem, qua, dum à ratione agam, probatio, hanc etiam aduersariorum affirmatiuam conclusionem secundo sensu explicatam in primum sensum (quem loca recitata, tanquam fidei dogmatibus aduersum, ipsis fatentibus reiiciunt) tandem recidere: quare, & secundum hunc æquè demum eisdem testimoniis confutandis.

5. Tertiò impugnatur solutio: quia si æternitas Dei vero aliquo sensu (nec prorsus chimærico, & cum aliquali proprietate sermonis significabili, & perceptibili facit creata realiter ab æterno durare in suo esse actuali, præsentiaque realiter secundum actuale suum esse ex æternitate semper Deo coexistere: male inferunt contra Arriū Athanasius, & Concilia ex loco recitato, *priusquam Abraham fieret ego sum*, quo Christi Filij Dei æternitas, siue eius ex æternitate, atque ab æterno existentia, & actualitas essendi præcisè declaratur, eiusdem diuinitatem, & creaturam non esse. Patet: quia opposita affirmatiua sententia admissa; creata omnia, nedum aliqua (quod consequentiæ vitio sufficeret) sermonis proprietate, & vera significatione æterna in suo actuali esse, atque ab æterno, & ex æternitate præsentia, existentiaque, Deo coexistentia forent: ac proinde ex eo; quod Christus Dei Filius ante Abrahamum extitisset, atque actu ab æterno esset proprietate sermonis (quod solum eo loci asseritur) Dei Filium esse illum male colligeretur: siquidem proprietate sermonis retenta iuxta aduersariorum doctrinam, & ab æterno esse actu, atque ex æternitate existere posset, atque simul esse creatura.

6. Dices in eo loco dici Christum Abrahamo anteriorem: quod de anterioritate per durationem æternam extrinsecam dici iuxta aduersariorum doctrinam nequit: cum iuxta illam æquæ æternitatis durationis extrinsecæ, sint Abrahamus & Christus: ac proinde Patres, & Concilia ab anterioritate per durationem intrinsecam Christi respectu Abrahami; bene illius Deitatem intulisse. Sed contra, quia, vt nuper dicebam ex sola anterioritate respectu Abrahami, quin de illa per durationem intrinsecam fieret à Christo Domino mentio; atque ex eius ab æterno duratione, & existentia per eam anterioritatem insinuata, Deitatem Christi Dei Filij, Patres, & Concilia intulerunt: quæ si, non per intrinsecam solum durationem, sed per extrinsecam proprietate sermonis iuxta aduersarios saluari, & intelligi possunt; & Patres male intulerunt, & Concilia Christi diuinitatem: & Christus male suam respectu Abrahami anterioritatem absolute asseruit: siquidem anterioritas absolutè maiorem à parte ante durationem absolute dicit, quam proprietate sermonis respectu Abrahami Christus, in aduersariorum doctrina, absolutè non habuit: non dicit autem modum eam habendi per durationem intrinsecam, vel extrinsecam; si per extrinsecam absolutè, vt aduersarij volunt, & possit haberi: quia vero ita à creaturis per Dei intrinsecam, ipsis vero extrinsecam durationem haberi non posse Patres, & Concilia recognouerunt, intulerunt bene: & Christus sapientissimè suam respectu Abrahami anterioritatem, & æternitatem nullatenus Abrahamo competentem asseruit: eis vero, & illatione, & asserto durationem creaturarum ex æternitate, & ab æterno per extrinsecam ipsis æternitatem Dei apertissimè, & Christus Dominus, & Patres, & Concilia damnarunt.

7. Quid contra hanc solutionem (quam à Patribus præoccupatam repetio) plura? vnum Sancti Augustini testimonium illi explodendæ sat erit. Ita enim scribit 12. de ciuit. Dei cap.15. *cessante fabricatoria Dei potentia, ita non erunt* (creaturæ) *sicut antequam fierent non fuerunt. Ante dico æternitate, non tempore scilicet ante rerum conditionem æternitas [a] præcessit*: diuina, & tota simul nimirum, quæ [a] præcessit, extititque, non autem

quæ ante rerum omnium & temporis productionem possibilis solum, & imaginaria permansit, neque vsquam actu fuit, & extitit, vt de ipsa præcessisse, sine falsitate, dici ab Aug stino posset: quo posito contra aduersariorum solutionem, & conclusionem nostræ huic secundæ oppositam ex hoc loco argumentor. Si extrinsecus ab æternitate Dei res creatæ in suo actuali esse ex æternitate Deo coexistere realiter, atque realiter præsentes ipsi ab æterno vere absolutè esse, & proprietate sermonis dici possent, pro præcedente æternitate Dei essent absolutè antequam fierent, & tota Dei æternitate, quæ ipsorum conditioni præcessit: id autem expressis verbis absolutè Augustinus negat, vt vidimus: ergo res creatæ non sunt absolutè præsentes Deo ab æterno, ipsique coexistentes ex æternitate proprietate sermonis per extrinsecam Dei æternitatem. Item 5. de Genes. ad lit. ait. *Antequam fierent, & erant, & non erant, erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Et tamen vt actu in æternitate ab æterno essent in sua natura fuisse oportebat. Similia habet serm. de verb. Apostol. *Elegit tamen, & habet electos, quos habuit apud semetipsum non in sua natura, sed in præscientia sua nondum enim erant*, quæ sic interpretatur Magist. d. 36. *Non in sua natura*, id est, illorum, *quia nondum erant, sed in sua præscientia, quia eos ita nouit, ac si essent.*

CERTAMEN IV.

Conclusio vtraque negatiua valide ab Absurdis probatur.

1. COnclusionis primæ, quæ rigida verborum, & nominum significatione & consignificatione durationis successiuæ possibilis, & imaginariæ procedit probatio euidens, non rationis solum, sed veloculorum lumini est. Præsentia realis futurorum in æternitate, Deoque coexistentia ab æterno eo rigore consignificationis verborum, quæ tempus necessario consignificant, & nominum ab æterno, & ex æternitate extrinseca Deo (de qua prima nostra conclusio procedit) significatio est successiuæ, & diuisibilis, vel possibilis durationis, vel imaginariæ æternitatis Deo extrinsecæ dicit rerum creatarum præsentiam, & in æternitate ex æternitate etiam successiua, & diuisibili Deo extrinseca, & coexistentiam earum Deo ab æterno in æternitate eadem diuisibili successiua, Deoque extrinseca neutrum autem habent referatæ: ergo neque præsentiam in æternitate realem, neque realem Deo coexistentiam ab æterno. Maior est ipsissimus conclusionis huius nostræ sensus. Minor probatur euidenter: quidquid incipit esse in duratione nostrâ successiuâ, Deoque extrinseca, ita in nunc suæ inceptionis est, vt, in omni antecedente duratione eiusmodi, imò neque in aliqua, etiam proximè immediata eius, parte præcedente ipsius fuerit: alioqui in illo suo primo nunc fieri, & esse, non inciperet, vt ex terminis patet.

2. Pergo; atqui creata omnia inceperunt incipiuntque in duratione successiua esse: ergo ita creata omnia pro suo primo nunc sunt, vt in duratione antecedenti successiua anteriori, imò nec in eius minutula etiam proximè immediata, parte præcedente ipsius fuerint: aſt quidquid ita nunc primum in duratione successiua est, vt in tota antecedenti; imò nec aliqua eius particula non fuerit, implicat esse in eiusmodi duratione ab æterno & ex æternitate: ergo implicat res creatas esse ab æterno & ex æternitate in duratione successiua Deo extrinseca consignificata & significata verbis & nominibus nostris ergo & implicat eas esse realiter Deo præsentes, & coexistétes ab æterno & ex æternitate in sensu nostræ huius primæ conclusionis. Hæc consequentia est euidens: quia implicat aliquid esse præsens Deo realiter, siue coexistens pro ea duratione pro qua non est: quia implicat id, quod non est pro aliqua duratione, pro illa esse alteri præsens, & coexistens; etiamsi hoc alterum illi etiam durationi præsens sit, & coexistat: siquidem simultanea duorum præsentia, & coexistentia duorum pro illa nihil aliud est, quam duorum pro illa actualis præsentia & coexistentia, quæ rebus pro omni anteriori duratione successiua, & Deo extrinseca deficit, vt euicimus. Quod autem res omnes creatæ inceperint, incepturæve sint ex animalium generatione, actuumque nostrorum, cum interiorum, tum exteriorum non ad rationem solum, sed ad oculum etiam patet euidentissimè.

3. Secunda nostra negatiua Conclusio: quòd futura, seu creata in suo esse actuali, & extra suas causas, nec Deo præsentia realiter, neque coexistentia eius æternitati, & ab æterno sunt, adhuc extrinsecus per Dei æternitatem, quæ tota simul, & de præsenti suo omni extrinsecæ durationi, etiam imaginariæ, respondet, & cui semel, pro sua vnumquodque duratione coexistent, præsentiaque realiter erunt. Probatur à ratione primò: quia vt certam. 3. n. 4. dicebam, secundus sensus affirmantis, & aduersæ in primum eiusdem absurdissimum sensum quem Thomistæ recentiores meritò execrantur, vi consequentiæ cogendus est: etenim in rebus creatis futuris, quæ semel toti æternitati Dei indiuisibili coexistunt, realiter creatæ etiam durationes rerum clauduntur: vel ergo ex ea durationum creatarum coexistentia Deo, eiusque æternitati toti, & indiuisibili infertur, & eas extrinsecus ab ipsa Dei æternitate esse ab æterno, & ex æternitate eiusque æternitati vere, & realiter præsentes semper, & coexistentes, vel secus. Si posterius: ergo nec futura reliqua creata ex præsentia, & coexistentia reali semel Deo, eiusque æternitati toti, & indiuisibili, eis ex æternitate & ab æterno Deo eiusque æternitati præsentes sunt, & coexistunt. Si autem dicas primum cum duratio, & sit à re durante distinguatur, accidens sit, naturaliter subiecto siue rei duranti inhærens, imò accidens modale essentia sua à re durante inseparabile, res, sua quæque intrinseca etiam duratione, quæ ipsi inest, ab æterno, intrinsecè ab æterno durabit; nec solum extrinsecus à diuina æternitate, cui semel pro determinato tempore intrinseco, & determinata duratione imaginaria, seu possibili coexistere contendis: quod est in primum affirmantis sententiæ sensum incidere, quem meritò exhorres.

4. Inde verò, quot, quantaque inferuntur absurda. Primum: tempora omnia essentia sua diuersis quæque, & inconiungibilibus partibus imaginariæ durationis affixa, atque ab vna in aliam durationis imaginariæ partem immobilia, vere duratione hac extrinseca æternitatis ex æternitate omnibus æternitatis extrinsecæ siue possibilis, siue imaginariæ, & vltra etiam, sine vllo discrimine: quare & sibi inuicem pugnantia, repugnantia, & inconiungibilia essentia sua tempora amice semper, imò æternè fœderabuntur. Secundò vera cuiusque partis temporis (nedum tempus totum quod sat esset absurdi) æternitati Dei in duratione vera æquabitur, neque ab illa exceditur: cum tota illa verè, etsi extrinsecus, tempus horum sententia durer: quare æternitas Dei non erit respectu temporis nostri, imo nec particulæ ipsius minimæ mensura excedens, neque enim eadem Dei æternitas seipsa maior, minorque absque aperta contradictione dici, esseve potest: neque intrinsecam Deo esse: creatis verò durationibus solum extrinsecam durationem, magnitudinis eius extensiuæ quidquam in Deo auget, & in creatis minuit. Vnde cessat solutio aduersariorum frequens ad plura argumenta. Nempè res esse in æternitate ab æterno tanquam in mensura excedente, quemadmodum qui in gymnasio, vel cœlo est, non est in illo tanquam in mensura æquali, sed excedente: ac proinde non oportet, vt sit in æternitate per aliquam durationem anticipatam æternitati Dei coæuam sicuti nec, qui in gymnasio est & in cœlo, tanquam mensura excedente opus est vt æquè extensa præsentia cœlo correspondeat. Sed contra: qua est in gymnasio illo & cœlo continetur, non autem est in illo, sicut aduersarij dicunt, quæ in tempore aliquando sunt esse in æternitate: item, si demus, vtcunque esse in cœlo, tamen non est in cœlo per localem adæquationem eius circumferentiæ, sed solum per correspondentiam suæ præsentiæ, siue pro suo spatio: aduersarij verò dicunt creata in tempore, ita in æternitate esse, vt ab æterno, & in æternum sint; vbi ergo est mensura excedens æternitas? maximè, cum tempus ipsum minutulum, vt dixi, etiam tota æternitate eorum sententia steterit, staturumque sit. Tertiò quæuis minima temporis pars, non erit tempus, sed æternitas, vt doctè satis & præsè arguebat olim Isidorus de summo bono

bono cap. 8. oppositam Thomistarum doctrinam, & solutiones, quasi præsagio, his verbis confutans. *Si tempora semper essent Deo præsentia non essent tempora, sed æternitas: quia non mutarentur, sed starent*, etenim vndecumque duret ab æterno, sitque Deo semper præsens realiter, & vere tempus, nunquam, nusquamque non fuit, aut deficiet.

5. Quarto: si vere ab æterno, etsi extrinseca Dei duratione indiuisibili, duramus, nostræ etiam cognitiones durabunt ab æterno, & ex æternitate Dei: cum ob rationem eandem, qua à Thomistis hisce nos ita durare extrinsecus Dei tota simul, & indiuisibili æternitate dicimur: tum etiam, quia tota nos anteacta æternitate, vel somno æterno pressos, vel perpetuo stupore correptos præcessisse, dum viximus, ridiculum erit asserere: id autem fatendum aduersariis necessario est: cum nemo nostrum æterne durasse recordetur, nec durare se tunc etiam cum ex æternitate durabat, persentisceret: item ex eodem principio coexistentiæ, & præsentiæ veræ, & realis omnium hominum Deo ab æterno, seu ex æternitate modo & sensu, ut secunda hac conclusione contradicimus infertur: nos omnes nobis omnibus vicissim, eodem vero, & proprio sensu præsentes, & coexistentes realiter ab æterno, & ex æternitate fuisse nec stupidos, nec tota illa æternitate dormientes: quare, & nostrum quemque reliquos ab æterno nosse: imprudentiæ ergo, atque affectatæ obliuionis, & impudentiæ notandi essent; quicunque de ipsorum consuetudine, & cognitione antiqua intrepide iactabundos, ex vsu quotidiano illis verbis compescerent: vbi vel *vnde nosti?* cum prompta intrepidis hisce, æque ac vera, in aduersariorum doctrina responsio esset: in Dei, & ex Dei æternitate, vbi, & ex qua fuimus contubernales. Denique ex necessaria hac nostri, nostrorumque omnium præsentia, & existentia reali ab æterno, & ex æternitate infertur nos omnes ab æterno etiam nosse omnia quæ pro aliqua temporis mensura existentia nouimus: quare, & posse illa futura prædicere, vnde futurorum prædictio, & certa diuinatio argumentum diuinitatis, vel per se, vel per alios, futura prænunciantis non erit contra Patrum, & Theologorum axioma, quod supra statuebamus. disp. 5. quæst. 5. cert. 1. Quod autem his responderi poterat: rerum cognitionem in tempore pro solo illo, & durationc intrinseca cognitionis, & cognoscentis hunc denominare verum quidem absolute est; sed quia alia, quam intrinseca rerum vera duratio non est; admissa autem earum extrinseca duratione vera solutio nostra, nec bona est.

6. Quinto: ex opposita conclusione infertur: nihil vnquam absolute incipere, nihilque vsquam absolute desinere defecturumue vnquam esse: quod (præterquam quod scripturis sacris aduersatur) manifestæ, & euidentissimæ quotidianæ experientiæ contradicit: illationem probo: quia id, quod ab æterno, & in æternum absolute proprio veroque aliquo sensu est, neque æternitate à parte ante, neque à parte post absolute non est, nec non esse absolute potest; alioqui ab æterno, & in æternum duo contradictoria simul existerent, quæ, ne ad vnum quidem instans temporis, possunt fæderari: atqui, vt aliquid absolute incipiat, & deficiat, necesse est, vt omni anteacta æternitate à parte ante, & æternitate tota à parte post absolute non sit, vt ex terminis claret: ergo opposita doctrina admissa, nihilque vnquam incipit, nihilque vsquam desinit, defecturumque vnquam est, imo vero nihil potest incipere, vel desinere, discursus est legitimus. Maior de se euidens, & deductione ad impossibile demonstrata. Minor suaderur. Tum, quia, etsi rerum durantium pro aliqua temporis parte duratio intrinseca absolute pereat; ast esse actuale rerum absolute ab æterno fuit, & in æternum erit duratione increata tota simul & indiuisibili, qua etsi extrinseca duratione, ex æternitate & in æternum existunt: quare, etsi intrinsecum ipsis tempus, & duratio pereat, aut anteriore duratione ipsis non adfuerit, res secundum suum esse actuale, & extra causas, neque anteriori æternitate absolute, & quoad substantiam, anterius, vel posteriusue tempore intrinseco deficiunt; sed solum quoad accidens: quemadmodum, cui albedo solum periret, non statim illud quoad substantiam siue absolute periret ac non esset, neque absolute non esse dici posset.

7. Et quemadmodum (quod adhuc aprius est) corpus deplicli loco existens, si in vno perimeretur, nihilominus in alio absolute permansuram dicitur à nonnullis, atque adeo non esse dicendum absolute in rerum natura non esse, sed solum secundum accidens, cui doctrinæ non annuo: est tamen eadem, materia tantum mutata, cum horum doctrina Thomistarum. Aiunt enim: deficiente tempore intrinseco rerum, has nihilominus non intra meram suam possibilitatem manere conclusas, sed nihilominus ab æterno, & in æternum in suo esse, & existentia persistere per extrinsecam æternitatis diuinæ durationem, vt verum absolute relate ad Dei æternitatem ex tota, & per totam æternitatem sit de Antichristo dicere: *Antichristus exiſtit*: secundo, vt proxime dicebamus, duratio intrinseca rerum absolute non deficit sed ab æterno, & in æternum actu, & de præsenti, æque ac res durans, in horum doctrina fuit, & erit. Dicent primo sexti numeri argumento Thomistæ: existentiam, & productionem rerum in tempore posteriorem, posterioritate *in quo*, seu durationis esse earum productione, & existentia in æternitate; secus posterioritate *à quo*, seu causalitatis: siquidem earum in æternitate præsentia, & existentia ab earum existentia, & præsentia in tempore pendet: quia enim in suo tempore futura, & coexistentia æternitati, toti æternitati ab æterno coexistunt. Contra primo: quia inceptio, & desitio rerum in ordine ad prius, & posterius durationis; non autem causalitatis est. Secundo causalitas, & dependentia realis nec solum obiectiua ab eo, quod necdum est, sed solum erit, inaudita, & chimærica in Philosophia est. Tertio (& est valida ad hominem secundæ impugnationis confirmatio) ideo aduersarij præsentiam istam futurorum in æternitate Dei, & ab æterno commenti sunt, vt dependentiam obiectiuam solum diuinæ scientiæ ab æterno præcedentis à futuro nondum existente admitterent: ergo multo minus ab eis admitti potest realis dependentia, & posterioritas *à quo* præsentiæ realis futurorum in æternitate, & ab æterno à præsentia eorum in tempore quæ ab æterno necdum est; sed erit: *cum* physica, nec solum intentionalis dependentia sit.

8. Sexto infertur: non semel, sed & semper simul in rebus creatis esse contraria imo contradictoria: quod licet respectu æternitatis Dei, qua creata omnia horum sententia extrinsece durant ob eminentialem eius omnium temporum, & durationum creatarum continentiam, & virtualem subinde ipsius diuisibilitatem absurdum non sit; tamen ob existentiam durationis extrinsecæ contradictoriorum ab æterno, & in æternum, quam debent fateri aduersarij absurdum est: quia, vt vidimus cuiusque contradictorij intrinseca duratio per æternitatem Dei, & omni durationi extrinsecæ, & successiuæ correspondet præsensque est, & quæque suum contradictionis extremum, quam diu æternitate Dei absolute est, durare intrinsece facit, duransque absolute denominat: quare, & respectu extrinsecæ cuiusque extremi durationis; nec solum respectu æternitatis Dei admitti debet simul, ac non semel, sed semper, *Antichristus exiſtit & non exiſtit*. Septimo hæc sententia ad rerum creatarum vbiquismum (si quid eius ratio, & fundamentum probat) suos Patronos cogit, vel inuitos, vt dum eius fundamentum à paritate rationis certam. 5. conuellamus, manifeste monstrabimus.

CERTAMEN V.

Rationibus à priori, & vnici à ratione fundamenti aduersariorum euersionę eadem conclusio secunda fulcitur.

1. RAtio à priori nostræ secundæ conclusionis prima sit: quia nihil realiter esse, durareue potest durationc alterius: at æternitas Dei rebus creatis est duratio alterius; ergo creata, nec sunt nec durant æternitate Dei: ergo: nec per illam sunt Deo realiter præsentia, & coexistentia ab æterno, & ex æternitate. Minor est etiam apud aduersarios, certa: qui ideirco æternitatem vocant mensuram futurorum alienam, & extrinsecam: maior

non videtur obscurior. Nam, etsi durationem creatam à re durante realiter distingui asseramus, ego tamen duratione Petri, vel Pauli, quibus contemporaneus sum, & coexisto minimè in meo esse actuali vero aliquo sensu duro. Alioqui quouis ex nobis superstite, nemo nostrum diem absolutè obire, absolutève mori ac deficere posset, vt ex dictis certum.4.num.6. conuincitur, & idem est de creatis reliquis. Vnde instantanea quæuis, etiam natura, & essentia sua successiua creata, tam diu, quamdiu cœlum duraßent, atque absolute permanerent: imò Angelorum æuo absolute æterno à parte post perdurarent. Confirmatur quia Deus etiam temporarie extrinsecus durationibus creatis duraret; siquidem plurium extrinsecarum temporariarum denominationum, absque summæ suæ perfectionis, & immutabilitatis præiudicio capax absolutè est, neque denominationis absolutæ ita durandi incapax aliunde esse potest: nisi, quia hæc denominatio absoluta, siue absolute durandi à sola intrinseca duratione, non autem ab aliena rei alterius alicui possit obuenire vt maior syllogismi huius ferebat.

2. Sed quamuis denominatio durandi absolutè ab aliqua duratione aliena, & alterius posset rebus creatis prouenire, atque in deducta absurda cessarent; tamen ab æternitate diuina non posse durationem extrinsecam durandi, & coexistendi absolutè, & realiter Deo ab æterno, seu ex æternitate, & subinde in æternum creatis contingere ex ipsa diuinorum attributorum: quare, & æternitatis diuinæ, natura probatur secundo à priori: quia attributa, & diuina quæuis prædicata, nec tribuunt, nec possunt effectus suos formales, & denominationes tribuere, nisi identicè coniungantur subiecto, cui suos formales effectus, & denominationes tribuunt: implicat autem Dei æternitatem, quæ vnum ex diuinis attributis est, identice imò vnitiue coniungi cum futuris, vt aduersarij admittunt, ergo implicat æternitatem Dei tribuere effectum formalem durandi, & existendi ab æterno, & in æternum, quem Deo tribuit, futuris, quibus per aduersarios extrinseca solum est, nec ipsis, vnita adhuc & inhærens. Maior mihi est indubitata. Primò: quia attributa, & perfectiones natura sua identicæ Deo, quare non aliis quam Deo, cui identificantur, formaliter perficientis natura sua nata, & congenita. Secundò: quia alioqui Vbiquistarum error nulla ratione Theologica posset confutari; si enim æternitas Dei aliis à Deo, quibus non identificatur, imò neque physicè vnitur, æternos à parte ante, & post vere, & realiter formaliter facit, cur non humanitatem Christi physicè etiam ipsis vnitam, immensitas, & omnipotentia omnipotentem, & vbiquitatam (vt sic loquar) formaliter redder.

3. Et sane Vbiquistarum error id solum intendebat: attributa diuina suos effectus formales humanitati Christi intrinsecus vnitæ tribuere, quos tribuunt Deo cui identificantur: inde verò à Catholicis doctoribus ad identitatem cum Deo eiusque omnipotentia humanitati concedendam vi consequentiæ ex principio hoc, quod pro maiori posuimus, acti, hæresim hanc aliam de identitate humanitatis cum Deo eiusque attributis maluerunt incurrere, quam firmum hoc apertumque principium, ex quo in eam, vt primam de vbiquitate deferetent, cogebantur negare: videndi ea de re Valentia, Bellarminus noster: quod si adeò certum hoc principium non sit: nescio qua fronte nunc Thomistæ Dominicani doctum Magistrum nostrum primarium Salamantinum apud Sanctæ Inquisitionis Tribunal de errore Vbiquistarum appellarint: quod diuina attributa suos effectus formaliter, etsi minus principaliter, nec identicè humanitati Christi iure vnionis tribuerint; & tamen ipsi nec dum vnitis creatis omnibus æternitatem Dei suum effectum ab æterno, & in æternum formaliter tribuere sereno, apertoque vultu fateantur, imò & vnitæ humanitati effectum formalem existendi ab increata verbi existentia concedant: aliaque simili inconsequentia doceant, quæ persequi vbique longum esset? persecuti verò longiùs fuimus in defensione speciali ab errore, & Theologica censura doctrinæ Magistri illius Salmantini, quam supremo Regio S.Inquisitionis senatui præsentandam obtulimus, etsi eiusmodi doctrinæ à principio intrinseco minimè annuamus, & Controu.6. de Incarnatione iis, quæ contra hoc principium de impossibilitate diuinorum communicandi effectus suos formales, nisi per coniunctionem identitatis cum subiecto ex materia de Incarnatione obiici poterant, de effectu formali infinitæ Sanctitatis, & personalitatis diuinæ humanitati Christi per vnionem communicato fecimus satis: ostendentes, non esse illam Sanctam à sanctitate Dei attributali, qua Deus formaliter Sanctus est, sed à Deitate, quam vnione participat, nec personam propriam, & per se à personalitate diuinâ, quæ propriam personam Deum constituit, sed personam alienam humanitati, quæ vnionis beneficio propriam, & per se personam esse non habet, sed admittit, atque in alio scilicet verbo existens constituitur. Minor syllogismi, & probationis huius secundæ à priori per se patet.

4. Probatio eiusdem Conclusionis tertia, & à priori etiam, sit ex essentiali verborum nostrorum significatione, qua implicat illa non significare cum tempore, seu non consignificare tempus: ita enim verbi à nominum essentiali significatione, vel à puerulis grammaticis ex eius definitione significatio dignoscitur. *Verbum est, quod significat cum tempore*, atqui opposita sententia vera esse non potest, nisi verbi significatio in significatione abstrahat à tempore, & cum illo non significet, sed cum Dei æternitate, vt aduersarij fatentur: ergo nequit esse vera opposita sententia, nisi verbum sine quo à nobis enunciari non potest non sit verbum, quod est insana, & apertissima implicatio. Maior est euidens, perseque nota, atque à nobis ostensa controu.1. loco citato supra inquis. præsenti, quibus in locis ostendimus verbum seu copulam iudicij cuiusque consignificare durationem propriam, cum iudicantis, tum iudicij in quo, & ille iudicat, & iudicium habetur: cum autem duratio nostra, nostrique iudicij tempus, soliusque Dei iudicantis, & iudicij diuini diuina æternitas propria duratio sit, huius tantum copula æternitatem Dei totam simul, & indiuisibilem consignificat essentia sua; iudicij verò nostri copula solum tempus essentia sua consignificat. Minor est ipsissima aduersæ sententiæ doctrina: dicit enim hanc propositionem. *Antichristus existit, vel nunc existit*, relatè ad tempus præsens, seu nunc temporis, quo profertur, falsam, & hæreticam, atque euidenter falsam, vt de se patet; veram autem relatè ad nunc, seu præsens æternitatis indiuisibilis Dei, cui coexistit ab æterno, & in æternum, quia toti simul *Antichristus est*: ergo eo solummodo opposita sententia, eaque propositio verum habet; si, scilicet verbum, & copula iudicij nostri tempus eius iudicij, & quo iudicans illud concipit, (quod verbum, & copula iudicij nostri essentia sua consignificat) non consignificet, sed solam Dei æternitatem, quæ verbo, & copula nostra nequit consignificari.

5. Quarta Conclusionis eiusdem probatio, à priori etiam sit: fundamenti vnici aduersariorum à priori ex opposito principio difficultio: quia ex coexistentia seu ex compræsentialitate cum alia rei quæ indiuisibiliter pluribus aliis adæquatur, non infertur compresentialitas, seu coexistentia adæquata cum illa secundum totam suam virtualem, & eminentialem amplitudinem, & extensionem, qua sola diuisibilis rei extensione, & amplitudine extrinsecus posita actu de præsenti est formaliter tota illi correspondens, coexistens & præsens: atqui oppositum necessarium est, vt futura, quæ semel pro sua intrinseca duratione coexistentia, correspondentia, & compræsentia æternitati indiuisibili totique simul Dei sunt, præsentia, correspondentia, & coexistentia realiter sint æternitati, & ab æterno, & ex æternitate: ergo non ita sunt Deo correspondentia, coexistentia, & præsentia realiter in æternitate ab æterno & ex æternitate. Maior exemplis pluribus ab aduersariis necessariò admittendis, & admissis perspicua fiet. Primò: quia creata omnia, quæque loco, correspondentes, coexistentes, & compræsentes localiter sunt immensitati Dei indiuisibili, totique totaliter simul, & quæ omnibus præsentiis, & locis possibilibus & imaginariis correspondet, ea omnia sola extrinseca ipsorum positione complens, replens, & excedens, æque atque æternitas omni durationi possibili, & imaginariæ correspondet, extrinseca solùm earum positione replens, & excedens: & tamen neutiquam (fatentibus aduersariis) ita creata sunt vero aliquo sensu etiam extrinsecus localiter coexistentia, correspondentia, & præsentia Deo realiter in eius immensitate per totam

immen-

immensitatem: ergo correspondentia, seu coexistentia; & compresentialitas realis rei alicuius cum alia, quæ indiuisibiliter pluribus aliis adæquatur, non infert compresentialitatem adæquatam illius cum hac secundum totam suam virtualem, & eminentialem amplitudinem, & extensionem, qua sola rei diuisibilis extensione, & amplitudine posita extrinsecus actu; & de præsenti est toti illi actu & depræsenti formaliter correspondens, coexistens, & præsens.

6. Minor est clara ex ipsissima doctrina, & fundamento: tum à ratione, (vel potius ab æquiuocatione & paralogismo) aduersariorum: qui est eo, quod semel pro sua quodque durationefutura æternitati Dei indiuisibili, totique simul coexistunt, inferunt cuiusque eorum adæquatum coexistentiam cum illa secundum totam suam amplitudinem &c. Ita vt (etsi extrinsecus) durantem creaturam denominet, & faciat ab æterno, & in æternum, sicut durantem intrinsece ab æterno, & in æternum denominat, & formaliter constituit Deum, quia æternitas mensura ab æterno, & in æternum, è suo indiuisibili, & essentiali concepru est: quare id totum vtrisque, Deo scilicet, & creaturis, etsi Deo intrinsece creaturis extrinsece præstat: vnde sicut æternitatem, & Deum per ipsam ab æterno esse nihil aliud est, quam ita præsenti nostro tempori præsentem, & coexistentem Deum, eiusque æternitatem esse, vt nunc, non primo durauerint atque incœperit, sed in præexistentibus priori, & priori absque initio præsentes etiam præexiterint: ita creaturas ab æterno esse, etsi extrinsecus, per præsentiam realem in æternitate, nihil aliud esse posset, efficeque aduersarij volunt, quam ita, quæ nunc relate ad durationem temporariam, primo sunt, depræsenti, vt anterius, & anterius in infinitum sua durationenon exiterint; per extrinsecam æternitatis formaliter præexiterint, idemque quoad anteriorem, & posteriorem extensionem sine initio & fine quod Deo ciuisque æternitati intrinsecus essentia sua physica conuenit, ratione illius, tanquam mensuræ creaturarum extrinsecæ his etiam conueniat. Alioqui si tantum vellent nunc indiuisibile æternitatis omni anteriori posteriori, & posteriori extrinsecæ durationi præsens, & coexistens fore durationi extrinsecæ futuri, v.g. Antichristi quando illa, & Antichristus per illam præsens, & coexistens fuerint, nil à nobis, & negatiuæ nostræ sententiæ doctoribus diuersum dicent.

7. Fatemur enim æternitatem Dei, Deumque per ipsam formaliter metaphysice vnicum & indiuisibile præsens esse ab æterno, & in æternum, atque ei tandem coexistere toti formaliter entitatiue creata cuncta, quæ in tempore suo facta, faciendaque sunt (pro suo tamen quæque tempore, in quo primum sunt & existunt in suo actuali esse & extra causas tantum) ac proinde non ab æterno, & in æternum Deo ciusque æternitati præsentia sunt, & coexistent: secus autem ante illud suum tempus, ante quod sicut esse actuale, & existentiam creatam non habent, ita neque coexistentiam de præsenti quæ essentialiter vtriosque extremi esse, & existentiam de præsenti dicit: quæ, licet ex parte æternitatis, & Dei semper præsentis non desit; deficit tamen ex parte creaturæ, quæ anterius, & anterius in infinitum, seu ab æterno non fuit, etiamsi semel pro sua durationecreaturæ (pro qua eoram existentia, & actuale esse extra causas non deficiet) coexistentes, correspondentes, & compresentes (vt sic loquar) sint: quia etsi toti indiuisibili æternitati Dei formaliter entitatiue tunc de præsenti coexistant & correspondeant, non tamen toti eminentialiter; seu virtualiter sumptæ, quoad totam amplitudinem, & extensionem virtualem; & eminentialem correspondentiæ omnibus extrinsecis durationibus; ac proinde toti æternitati formaliter entitatiue exrata quæuis semel (pro sua quæque durazione) correspondere, & coexistere præsentia, seu compresentia; non autem ab æterno, & in æternum consecimus. Thomistæ vero, contra quos agimus, ex eo, quod creata pro sua durationepræsentia, correspondentia, & coexistentia toti indiuisibili æternitati formaliter sumptæ semel sint, præsentia, correspondentia & coexistentia ipsi actu, & de præsenti fore ab æterno deducunt: quoad ipsum est illi toti eminenter, & virtualiter sumptæ, quoad totam amplitudinem, & extensionem eminentialem ad omnes extrinsecas durationes adæquari, atque adæquate correspondere, & coexistere: quare id, quod in Maiori non inferri asserebamus, & exemplo immensitatis monstrabamus num. 5. ipsissima est doctrina, & vnica à ratione probatio, & illatio Thomistarum vt dicebamus in minori n. eodem.

8. Et sane exemplum immensitatis adeo clare ipsorum fundamentum vnicum vel saltem præcipuum, à ratione conuellit, vt nec verba eiusoria ad solutionem, & disparitatem reddendam illis super sint: cum immensitas, & indiuisibilis entitatiue formaliter, physice, & metaphysice sit; eique toti vbique præsenti omnis locus, & præsentia creaturam atque creaturæ omnes pro sua quæque præsentia, & loco præsentialiter, localiterque correspondent, tanquam excedenti superiori supremæque locali mensuræ, vt certissimum etiam aduersariis est: & tamen illas immensitati toti eminentialiter, seu virtualiter sumptæ, secundum totam suam amplitudinem, & eminentialem extensionem ad omnia loca, & spatia adæquate respondere, & præsentialiter coexistere, ac præsens esse immensitate Dei, Deoque localiter præsentes, & per immensitatem, nullatenus aduersarij admittunt, ne in apertum vbiquismum relabantur: ergo maior illa nostra certa est localis coexistentiæ & correspondentiæ. Exemplo alio satis familiari eiusdem maioris indubitatam veritatem dilucide vel oculis propositit Guarricus Abbas atque ad rerum coexistentiam præsenti semper æternitati Dei indiuisibili ac toti simul, quin ab æterno, & in æternum, siue adæquate secundum totam eius amplitudinem, & eminentialem extensionem ad extrinsecas omnes durationes ipsi correspondeant, coexistant, ac præsententur, explicuit serm. 1. in solemnitate S. Benedicti illud Eccles. 23. & similia scripturæ loca vbi Dei oculi dicuntur *Circumspicientes omnes vias*, ita Guarricus expendens *signanter*, (significanter) *circumspicere Deus dicitur, quia omnia tam præterita, quam futura habet præsentia, vt nec ista prospiciat, nec illa respiciat: sed similiter, quia simpliciter cuncta circumspiciat: sicque illa æternitas, velut punctum omnium media temporalium cuius immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus, & rota temporum*; quem locum eo auidius posui, quia exemplo puncti indiuisibilis pungere, nos aduersarij tentant, quo ipsi pungentur: etenim pars circumferentiæ & rotæ quæuis toti entitatiue formaliter sumpto puncto adæquate respondet; non autem toti adæquate, quoad eminentialem, & virtualem correspondentiam cum omnibus circumferentiæ partibus: neque enim illi pars circumferentiæ seu rotæ, vna correspondet puncto in loco partis alterius, nedum omnium, sed in suo determinato loco vnaquæque: sic igitur ait Guarricus æternitati illi, qui semper est præsens, creata præterita, & futura, suo nimirum quæque tempore, præsentia sunt, & præsenti quidem ex parte ipsius, non autem ipsarum: quare, & ex parte eius semper etsi successio essentialis creatæ durationi non obesset ipsis, vt semper, & pro semper illa existerent, & coexisterent.

9. Tertio exemplo Angelici æui stabilienda illa maior contra Thomistas hosce erit: ipsi enim fatentur cum communi æuum Angeli esse durationem indiuisibilem, ac totam simul ab initio mundi; & in æternum durationes possibiles; & imaginarias omnes complectentem (de quo modo non disputo) ac subinde mensuram superiorem rerum corporearum, & durationum, atque instantium, eisque proinde excedentem: eique toti entitatiue formaliter sumpto, quæcunque futura ab initio mundi fuere, deincepsque erunt, pro sua quæque durazione, coexistere, & durazione correspondere, esseque pro illa præsentia: attamen correspondere, esseque pro illa præsentia, & tamen non correspondent æuo adæquate secundum totam suam amplitudinem, & extensionem virtualem, & eminentialem ad omnia tempora & instatia per hosce Thomistas, & per rationem: tum, quia etiam nouissima mundi tempora, & quæ in eis erunt ab initio mundi absolute in æuo Angeli extitissent, & Angelo coextitissent, & æternitate à parte post existeret, & coexisteret præsentesque essent, nec vno titulo, & durazione solum, sed tot durationibus extrinsecis, quot sunt Angeli, & proprium vnicuique æuum, quod est paradoxum & ridiculum. Dices: æuum esse mensuram inferiorem, & minorem æternitate Dei: ac proinde hanc esse mensuram vniuersalem, & aptam mensurandi omnibus; & in

quæ

qua futura omnia tanquam in mensura superiori præsentia sint, & coexistant semper; secus æuum, quod mensura inferior est, & Dei æternitate mensuratum. Contra: quia mensuræ inferioritas, ob quam à superiore, alia, & ipsa mensurentur, non obest, quominus inferiorum durationum, & breuiorum rerum mensura propriè sit, & superior, & excedens: vt patet in motu cœli, qui inferior mensura æternitate, & æuo Angelico est; & tamen mensura propria superior, & excedens absolutè est respectu sublunarium, etsi superioribus illis mensuretur. Patetque item in motu horologij, qui inferior adhuc motu cœli mensura est. Nec præstat præsentiam futurorum in duratione aliena, & extrinseca præuentam à Dei æternitate anteriore ab æterno esse, atque ante æuum præoccupatam: nam hæc, quæ per æuum futuris iuxta tuam rationem obuenit etiam præstari ipsis, nedum præueniri ab æternitate Dei minimè valet. Inde autem infertur Angelos omnes cognouisse futura omnia, ac proinde iudicij diem (quod est contra fidem) à primo suæ conditionis instanti, si vera est illa ratio Thomistarum, ob quam præsentiam futurorum in æternitate, & ab æterno cognosci à Deo possint, vt iam iam vrgebo certamine sequenti.

CERTAMEN VI.

Tertia negatiua conclusio directè quæstioni præsenti respondens, & oppositionum solutio.

1. TErtia conclusio: etsi futura præsentia realiter in Dei æternitate ab æterno essent, cognitioni futurorum à Deo nullatenus præsentia deseruiret: duabus primis conclusionibus præsentiam futurorum in æternitate ab æterno euersa, quasi materiæ, ex qua opposita præsenti conclusio consistere debebat, subtractione tertiam hanc statuimus: quod enim non est, nulli rei potest inseruire: sed ea etiam admissa futurorum præsentia realiter in æternitate diuinæ ipsorum cognitioni inutilem esse ex instituto, & 3. hac conclusione statuendum hic erat: vt ea tanquam materiali medio futura sub diuinum conspectum adducente, vt à Deo cognoscantur, opus non esse, directius ad quæstionem præsentem, & redundantius contra aduersarios euinceremus: quare & nullo diuinæ Scientiæ, aut Theologiæ commodo tanto illam, tamque irrito labore fuisse excogitatam. Probatur Conclusio primo: æternitas Dei est tota simul indiuisibilis, & pro semper præsens: ergo respectu illius seu ratione illius nihil est præteritum, vel futurum, sed cuncta simul præsentia: Hoc non negant aduersarij, sed mordicus affirmant, & saniori quam eorum sensu negari non potest, vt supra, & controuers. 3. attigimus: moxque explicabimus. Pergo, futura, qua præsentia simul in æternitate ab æterno, & in æternum non sunt futura: est euidens consecutio. Subinfero: ergo, si eatenus solum à Deo cognoscuntur cognoscique possunt per vos, quatenus præsentia in æternitate, non cognoscuntur futura, nec cognosci possunt formaliter qua talia, siue, vt futura: quare nec vtrum eorum sit prius duratione, vel posterius: ergo præsentia ista futurorum in æternitate tantum abest, vt cognitioni diuinæ futurorum necessaria, vtilisve sit, vt potius illam impediat, Deoque reddat impossibilem, ac ipsi solam eorum, vt actu, & de præsenti simul existentium cognitionem relinquat. Hinc rursus fiet: à Deo nec cognosci futura, plerumque, vt bona, vel mala moraliter: cum eorum bonitas, vel malitia plerumque ex diuersitate temporis, pro quo adest, vel non adest præceptum, lex, aut contractus, qui actioni præcessit (quod, vt simul in æternitate de præsenti tempora sunt, nullatenus dignoscitur à Deo) desumitur, ac pendet.

2. Dices: futurum quodvis præsens esse æternitati ab æterno, vt à Deo cognosci possit: ast non vtcunque, sed vt præsens etiam tali tempore, ratione cuius alterum altero prius posteriusve præteritumque vel futurum, atque vt tale cognoscitur à Deo: quare, & eius moralis bonitas, vel malitia à Deo etiam dignoscitur. Contra: quia, vel cognoscitur à Deo futurum, vt præsens etiam tali determinato suo tempori intrinseco, vt hoc etiam tempus cognoscatur solummodo, vt præsens est ab æterno, semper, & in æternum realiter in Dei æternitate; vel non ita solum, sed vt determinate est in se essentia sua respondens huic determinatæ parti durationis imaginariæ, ac non alteri: si primum: vt præsens solum in æternitate tempus determinatum non est, sed æternitas vt dicebamus cum Isidoro certam. 4. num. 4. nec vnum altero prius duratione, vel posterius: quare perstant, & argumentum, & absurdum; si secundum ergo Dei cognitio terminatur in tempus determinatum huic parti durationis imaginariæ respondens ac non alteri anteriori, vel posteriori, ac non vt existens, præsensque ipsum est realiter in æternitate, & ex æternitate Dei: ac similiter in reliqua futura, prout suo quæque tempore, & duratione determinata præsentia, & durantia, secluſa, & præcisa eorum duratione & præsentia in Dei æternitate, & ab æterno, & in æternum. Deduco inde rursus: ergo præsentia futuri in æternitate ex æternitate necessaria non est vt cognoscatur duratio creata & futura quæ sunt, neque per præsentiam in æternitate Dei ex æternitate futura esse atque vt futura, seu qua talia cognosci possunt. Deduco secundò: ergo neque vtilis ea futurorum præsentia realis in æternitate ex æternitate, & ab æterno, vt à Deo cognoscantur. Probo illationem primo: quia per aduersarios eatenus solum vtilis eiusmodi præsentia futurorum est, vt à Deo cognoscantur, quatenus ita necessaria ad illud est, vt absque illa cognosci à Deo nequeant: atqui ita necessaria non est, vt demonstrauimus, sed non solum possunt cognosci à Deo futura præcisa eiusmodi præsentia, sed de facto cognoscuntur; atque cognosci à Deo necesse est: ergo per aduersarios inutilis vt futura à Deo cognoscantur eiusmodi præsentia fatenda est. Secundò probatur illatio; quia quod impedit, imò impossibilem reddit cognitionem futurorum à Deo, nequit ad illam vtile esse: ast præsentia eiusmodi eam cognitionem futurorum impedit, reddituque Deo impossibilem, vt ostendi: ergo nequit esse vtilis Deo ad futurorum cognitionem.

3. Secundò probatur conclusio: quia præsentia rerum realis in æternitate, & ab æterno posterior natura, & prioritate à *quo* est, quam ipsarum præsentia, & duratio intrinseca pro suo tempore, & duratione determinata. Hoc expressè fatebantur aduersarij certam. 4. num. 7. & ne ad discursum præsentem eiusque robur eludendum ab aliquo eorum id deinceps negari tentetur, sic demonstro: quia res futuræ non coexistunt, præsenteve sunt æternitati ab æterno realiter secundum statum possibilitatis sui, & durationis suæ præcisiue; alioqui possibilia omnia realiter præsentia in æternitate, Deoque ab æterno coexistentia essent; siquidem statum illum possibilitatis præcisiuæ omnia possibilia, æquè, atque res futuræ habent: quare si in his status eiusmodi satis est ad realem earum præsentiam in æternitate, & coexistentiam Deo ab æterno æquè, atque hæc possibilia omnia Deo realiter ab æterno coexistentia atque in æternitate præsentia ex æternitate erunt: quod est paradoxo amplius, & implicatorium. Nempe quod præcisè possibile solum in se est esse nihilominus suum actuale, & existentiam ad coexistendum alteri essentialiter requisitam ab æterno & in æternum in Dei æternitate habere: ergo res futuræ non coexistunt duratione præsentiaque Deo realiter, & ab æterno in eius æternitate sunt, nisi quatenus suum esse intrinsecum, & actuale, & durationem determinatam intrinsecam pro suo tempore habent: imò, & naturæ prioritate præhabent: neque enim ideò res futuræ in tempore sunt, quia ab æterno in æternitate præsentia præcesserunt; sed contra quia pro duratione determinata succesſuri temporis futuræ sunt, ab æterno iuxta doctrinam aduersariorum in Dei æternitate, ab æterno præsentia præcesserunt. Tum sicpro illo priori naturæ suæ durationis, & temporis determinati, ad eorum in æternitate præsentiam, vere sunt, ac proinde cognoscibilia futura: ergo pro illo priori ad eorum præsentiam in æternitate, pro quo nondum præsentia in æternitate ipsis obuenit, à Deo cognoscuntur; nisi Deum omniscium neges, aliquiuslve veritatis ignarum: ergo præsentia realis futurorum in æternitate ab æterno,

vt à Deo cognoscantur, necessaria non est: ergo nec vtilis, imo vero impediens, vt numero 2. concludebamus.

4. Tertio probatur conclusio ab absurdo, quod cert. 5. num. 9. fine attigimus, quia æuo Angelico indiuisibili, totique, iuxta aduersarios, simul à suæ conditionis initio, atque per æternitatem à parte post, in horum principiis, futura omnia præsentia coexistentiaque sunt, vt eo numero ostendebamus: ergo ea omnia, atque in illis iudicij dies contra Euangelium, à quolibet Angelo à principio creationis cognoscuntur futura. Probatur consequentia: quia per te ex reali præsentia, & coexistentia futuri cum Deo in eius æternitate infertur Dei scientia ab æterno de illo, quin aliquid vlterius expectandum necessariumue sit; ergo ex simili præsentia futuri in æuo Angelico, & coexistentia cum Angelo à suæ conditionis initio eius ex tunc cognitio in Angelo infertur: Dices: cognitionem Angeli, eo etiam superstite posse deficere: quare, nec eius æuo toti simul, & indiuisibili durare, sicut Dei æternitate ipsa eius scientia de futuris durat: sed quid ad rem? siue enim deficiat, siue non deficiat defectibilisque sit Angeli cognitio nec æuo Angelico durans, sed sua indiuisibili intrinseca duratione: imo: etsi scientia Dei per impossibile defectibilis esset, & successiua duratione non autem indiuisibili Dei æternitate duraret, ex coexistentia, & reali præsentia futuri in æuo Angelico ex toto æuo, & in æternitate Dei ex tota æternitate, infertur vtriusque, vel ex toto æuo, vel ex tota æternitate de futuro cognitio in tua doctrina, quæ ex præsentia, & coexistentia obiecti cum cognoscente (quam solam necessariam putat, & solam, vt obiectum cognoscatur) infert necessariam de illo cognitionem: secundo eodem argumento tuo, quo futurum æuo Angelico ex æuo, & per æuum totum Angelo coexistere præsensque realiter esse conuincebatur, conuincitur ex toto, & in totum æuum coexistere Angelicam de futuro cognitionem: Tum, quia, & hæc semel toti æuo realiter præsens est, & coexistit: tum, quia ex toto, & in totum æuum futurum realiter coexistit, & præsentatur, ex quo per tuam doctrinam infertur eius cognitio. Contra demum: quia ex coexistentia cognitionis præcisa cum obiecto, non infertur in tua sententia adhuc, quod anteacto ad illam fuerit præcognitum, vt bene noster Herize: ex eo enim quod integrum diem Angelus in sui contemplatione peragat, ipsum ex mane obiecta vespere inceptura, & futura cognouisse non admittes. Non ergo ex coexistentia reali obiecti cum cognitione sed solum cum cognoscente huius de illo in tua sententia infertur cognitio.

5. Iam, quæ à ratione contra secundam, & tertiam conclusionem opponi nobis ab aduersariis possunt leuissima, & de se labantia, atque ex hactenus dictis disiecta sunt. Primum, contra nostram secundam conclusionem pro præsentia reali futuri in æternitate, ex æternitate, & coexistentia Deo ab æterno, ex eo, quod, & æternitas tota simul, & indiuisibilis entitatiue sit, semelque ei coextiterint, constat primo non probare, quod ipsa æternitate Dei durer, atque in illa præsens vnquam, nedum æterne, extrinsecus adhuc, sit, ex rationibus nostris à priori, prima, & secunda, & tertia datis cert. 3. à num. 1. ad 4. inclusiue. Quod autem ex præsentia, seu coexistentia reali futuri semel pro sua duratione toti æternitati entitatiue formaliter sumptæ non inferatur toti illi eminentialiter, & virtualiter sumptæ adæquata futuri correspondentia: constat etiam ex ratione nostra quarta data ibidem à numero 5. ad 9. inclusiue. Et quidem, si ratio aduersariorum hæc quidquam probaret, non quidem futuri præsentiam, & coexistentiam ipsius in æternitate (in qua ipsum existens, & præsens realiter, Deoque coexistens semel esse pro sua duratione supponendum non est pro naturæ priori, vt coexistat Deo per æternitatem, sed eius existentia solum in tempore, & intrinseca sua determinata duratione) ipsa ex æternitate probaret, sed in duratione sua intrinseca, & successiua, quia eius rationis, & generis tantum inferri potest futuri præsentia, & coexistentia æternitati ab æterno ob rationem istam, cuius erat præsentia, & coexistentia, quam semel habere futurum cum æternitate in argumento supponitur: ast hæc intrinseca, & successiua duratio futuri, & pro tempore determinato est; non autem duratio indiuisibilis, & tota simul diuinæ æternitatis: ergo coexistentia, & præsentia futuri ab æterno, & ex Dei æternitate Deo eiusque æternitati, quæ eo argumento probaretur, non quidem præsentia, & coexistentia æternitati ab æterno futuri ipsius in ipsa æternitate existentis, & per ipsam durantis: sed intrinseca successiua duratione sua probaretur (quod esse contra fidem aduersarij cum sancto Thoma, & Catholicis omnibus doctoribus expresse fatentur) imo solum pro sua illa extrinseca duratione pro qua ex æternitate, & ab æterno durare implicatorium est.

6. Oppones iterum contra eandem conclusionem, secundam Deus relate ad suam intrinsecam durationem est præsens, & coexistens tota, & per totam illam futuro cuiuis, & cuiuis tempori, & parti successiuæ durationis: ergo, & futurum quoduis, & tempus, seu pars quæuis successiuæ durationis relate ad Dei æternitatem ex æternitate, & per æternitatem totam est præsens & coexistens Deo. Probatur consequentia: quia præsentia, & coexistentia vnius ad aliud seu cum alio vtriusque præsentiam, & actualem de præsenti existentiam essentialiter dicit, & claudit; vnde ex præsentia, & coexistentia vnius ad alterum, vel cum altero pro quauis duratione, legitime infertur præsentia actualis, & coexistentia pro duratione eadem huius alterius, & in se, & cum illo, æque paralogistica, & captiosior adhuc argumentatio est: cuius antecedens negandum est ob particulam illam & *per totam*: etsi enim tota entitatiue formaliter sumpta æternitas cuiuis futuro sit præsens, & coexistens, ast non tota virtualiter, & eminenter sumpta, si enim æquiualenter, & eminentialiter, vt successiuæ siue possibilis, siue imaginariæ infinitis partibus æquiualet, correspondet, & immensum excedit, quarum nulli tamen ab æterno præsens sit, & coexistens; sed pro sua cuiusque parte determinata: non quidem defectu præsentiæ, & existentiæ semper, & pro semper actualis, & de præsenti æternitatis ipsius; sed defectu præsentiæ, & existentiæ actualis alterius extremi; nempe futuri, & durationis eius, quam præsentia æternitatis ad ipsum, & coexistentia cum ipso essentialiter claudit, futurumque nullum, nullaque successiuæ durationis seu temporis pars habet ab æterno & in æternum; sed pro suo determinato tempore & durationis parte: ita vt nec eam habeat, nec habere possit pro partibus durationis successiuæ, seu temporis reliquis, quibus æternitas eadem præsenserit, vbi illa suo quæque determinato durationis spatio extiterint primo, & coextiterint: quemadmodum vlmus, vel quiuis ad ripam fluminis sedens eadem inuariata præsentia fluentibus aquæ partibus omnibus præsens coexistensque est, non simul tempore, sed successiue pro tempore, quo earum quæuis eo aduenit: circumferentiæ partibus punctum localiter præsens correspondensque est non pro omnibus partium omnium spatiis localibus, in quibus omnibus nulla earum præsentatur, & existit; sed cuique in spatio suo.

7. Atque ex hac doctrina germaniore sensu, & interpretatione quam aliis innumera Patrum testimonia, quibus contra eandem conclusionem opponi ab aduersariis consueuerunt, explicantur: etenim responderi à reliquis plerumque solet: Patres de sola rerum omnium, tam præteritarum, quam futurarum obiectiua, siue in actu primo, siue in actu secundo simultanea præsentia in æternitate, & coexistentia ab æterno fuisse locutos: & quidem, etsi locis eorum pluribus id solum Patres asserant; pluribus tamen aliis præsentiam, & coexistentiam realem creatorum, æternitati Dei, Deoque subinde ac eius cognitioni assetunt, & asserendam contendunt, vt merito aduersarij ex textuum verbis clamant, nostrique Ruiz de Montoia Granados, & alij ingenue fatentur, etsi quia Patrum sententias non adeo distincte, ac dilucide, neque eorum intentum penetrarunt, assecutique sunt, verbis suis ad Thomistas abiisse nonnullis videantur: intentum Patrum fuit rationem reddere, cur successu temporis quo denuo futura ab æterno talia, actu existentia de præsenti primum sunt, Deoque absolute, atque eius æternitati coexistentia existentiæ eorum actualis de præsenti atque absolutæ eius coexistentiæ Deo eiusque æternitati co-

gnitio Deo non accrescat, quæ tota ipsi anteacta (vt sic loquar) æternitate ipsius non adfuerit, ac subinde, qui fieri possit hac cognitione, *& iudicio. Nunc de præsenti existit dies veneris, & Petrus in ea primum productus mihi coexistit egoque ipsi.* Quæ vere & infallibiliter die anteacto Iouis (nedum ab æterno) haberi, concipique à Deo non potuit, Deus non mutetur, qui tota anteacta æternitate, hoc solum iudicium vere, ac sine deceptione de diuersa plane veritate obiectiua potuit ab æterno habere. *Dies veneris, & Petrus in ea primum producendus, & extiturus erunt, mihique coexistent?* Huius difficultatis compositio scopus Patrum eis locis fuit, non autem quomodo, quæ nondum actu, & de præsenti ab æterno existentiam, & præsentiam habebant, haberent cognoscibilitatem, & futura solum adhuc, à Deo cognoscerentur, possentue cognosci, vt putant Thomistæ, qui ea loca pro reali sua rerum præsentia in æternitate, ex æternitate nobis obiectant ea siquidem difficultas leuissima, & crassissima difficultas est etiam à logicis, nedum à Patribus, contemnenda.

8. Suæ igitur difficultati diluendæ Patres eo locorum doctrinam pararunt de rerum præsentia & coexistentia æternitati Dei, non ab æterno quidem (quæ ei difficultati diluendæ non prodesset) & fututorum, & præteritorum, qua talium, cognitionem redderet Deo impossibilem; sed vnumquodque pro sua solum determinata duratione, cui eadem indiuisibilis entitas semper præsens, vbi primum futurorum ab æterno, præsentia, & existentia adest, præsentatur ipsa, & coexistit: cum enim, vt sæpe hic, & fusius citato loco controuers. 1. diximus, æternitate Dei non Deus solus, sed eius cognitio, & attributa reliqua durent, & iudicij cuiusuis verbum seu copula durationem, & iudicij ipsius, & iudicantis consignificet, seu (quod idem est) cum illa significet non cum aliena; fit, vt scientia Dei de futuro vtriusque solum æternitatem consignificet, futuris, & præteritis, cuiusque durationem totam, & eandem formaliter, & entitatiue præsentem, & proinde, cui, seu respectu cuius, nihil præteritum, nec futurum sit; non quia ei adæquare, quoad eius eminentialem amplitudinem, & virtualem extensionem coexistant, atque ab æterno, & in æternum præsententur; sed quia totam eius amplitudinem illam nihil antecedere, vt præteritum respectu illius sit, nihil post ire, vt futurum omnino potest: sicut respectu durationis extrinsecæ Deo, & successiuæ, siue temporis, possunt creata omnia proprie, vel præterita esse, vel futura: vt sapienter aiebat supra Sanctus Thomas, & acute Isidorus 1. de summo bono cap. 8. dicens: *in Deo nec præteritum, nec futurum cernitur; sed omnia præsentia in Deo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur*: & consone Anselmus Opusculo de concord. cap. 1. *quemadmodum præsens tempus simul continet omnem locum, & qualibet in quolibet loco sunt: ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore*, non quidem ipsorum simultate durationis vlla, sicuti, nec locali aliorum; sed solum simultate æternitatis, quæ omnia complectitur insectilis, & Augustinus de cognitione veræ vitæ: *Nihil præteriti ei recedit, nihil futuri accedit: sed, quidquid fuit, vel erit totum sibi præsens adest.* Consonant Patres reliqui. Ex quo fit, vt diuina de futuris, vel præteritis iudicia, quibus cum sola æternitate, tota simul, iudicat Deus, de tempore quidem sint, & iudicent, non cum tempore, sed cum æternitate de sese cunctis ex parte sui semper præsente futuris, cum pro suo quæque tempore venerint: quare, cum de facto aduenium nulla est ex parte durationis iudicij diuini de eorum in illo tempore actuali existentia, per copulam importatæ variatio: quare neque tunc veritatis obiectiuæ, ac subinde neque iudicij diuini diuersitas; cum, & idem obiectum pro eodem tempore existens, & eadem sua æternitate solaque consignificata ab æterno iudicauerit: vnde nihil, quod tertiam conclusionem, vel apparenter, impugnet, reliquum est: cum soluta solum proxima difficultate posset impugnari.

9. Porro rationem, & doctrinam solutionis huius solum volunt Boëth. de consolat. prosa vltima. Gregor. 20. moral. cap. 23. alias 24. & eorum verbis Anselm. Opusc. de concord. cap. 2. Hugo Victorin. tract. 1. sum. sentent. cap. 2. August. quæst. 2. ad Simplician. negantes cognitioni Dei de futuris præscientiæ rationem, quia nimirum scientia Dei eadem æternitate, qua primo ab æterno durat, & quam solam consignificat, obiectis coexistit, pro cuiusque duratione, non ex æternitate. Augustini verba. *Si autem, sicut in ordine temporalium, ita & apud Deum nondum sunt, qua futura sunt, sed ea præuenit sciendo; bis ergo ea sentit, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam; altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ, quod absurdissimum, & falsissimum est.* Quibus consonant Fulgent. 1. ad Monim. cap. 12. Hieronym. & Ambros. ad Ephes. 1. Cæterum anteacto æterne de futuris scientiam antecire, etsi ob semper præsens *nunc* æternitatis præscientia dicenda non sit satis explicuit etiam Boëthius citato loco dicens: *omne namque futurum diuinus præcurrit intuitus, atque ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet, ac reuocat*, cuius proinde respectu, nec futurum stricte est; nec Dei de ipso cognitio stricte præscientia, vt ex dictis claret. Petrus Damian. epist. 4. de omnip. cap. 9. *Deus intra sapientiæ suæ sinum sic omnia tempora, præterita scilicet, præsentia, & futura concludit, ac figit, ac perenniter sistit, vt neque nouum aliquid ad se patiatur accedere, neque à se quidquam pratereundo transire.* Nempe ob suæ cognitionis totam simul, cunctisque, pro cuiusque tempore, præsentem æternitatem, vnde obiectiua eorum absque vlla diuersitate, successu etiam temporis, veritas variari Deiue scientiæ possit, sed veritas constet. Cæterum vt dixi supra testimoniis, quæ nobis opponi solent, Patres plerumque de obiectiua futurorum, vel in actu primo, vel in actu secundo futurorum ab æterno præsentia loquuntur, etsi ea proxime datam doctrinam substernant, veluti Gregor. lib. 9. Moral. cap. 16. vbi ait. *Nam quæcunque sunt de præsenti nostro, non ab æterno ideo videntur quia sunt*, quæ aduersariorum doctrinæ aduersantur: & dixerat, *Neque ventura, quasi, qua non appareant* (videantur) *desunt*, lib. 2. cap. 2. *in conspectu eius nihil defluere*, ideoque nihil perire, sed in æternitate cuncta fixa manere, *conspectus enim eius denotat scientiam, & intuitionem*, idem solum sibi vult Augustinus Psalm 49. ad id: *pulchritudo agri mecum est.* Nec aliud 4. de Trinitate cap. 16. & lib. 5. cap. 16. & 15. cap. 7. dicens: *Deo nec præterita transisse, nec futura non facta esse, atque apud eum præterita & futura stare.* Id ipsum Anselm. de casu diaboli cap. 18. & 21. & Beda quæst. 13. variar. contendunt dicentes *tandem omnia in conspectu Dei esse.* Et Basil. in 3. Isai. præsentiam Deo futurorum, & præteritorum ab æterno à se admissam his demum explicuit: *qua item à nobis sperantur futura, velut iam præsentia diuinæ præscientiæ oculis subiecta sunt, & conspicua*, & eo tandem deueniunt Patres reliqui, qui initio nihil proprie præteritum, futurumue Dei æternitati, quauis phrasi docent, id enim statuunt, vt illo perueniant.

DISPVTATIO VII.

De mediis formalibus, seu verificatiuis, determinatiuis, & motiuis diuinæ scientiæ erga omnia, & singula obiecta.

1. EXploratis hactenus materialibus diuinæ cognitionis circa obiecta sua mediis, quæ nimirum illorum singula sub diuinum obtutum afferant, & apponant, de formalibus mediis cognitionis eiusdem, siue determinantibus Deum ad eorum singula cognoscenda disputare proximum ex recta methodo est: vbi & de cognitionis diuinæ verificatiuis erit agendum: siquidem diuina cuiusuis obiecti cognitio

gnitio suapte natura vera est, & infallibilis, quare deficiente verificatiuo diuinæ circa obiectum quoduis cognitionis, & eam deficere necesse est: & sane disputationem totam de mediis formalibus diuinæ scientiæ quæst. vnic. de possibilitate, vel impossibilitate vsus mediorum formalium, siue determinatiuorum ad aliquid aliud in illis, vel ex illis cognoscendum possemus facile absoluere, siquidem si eorum vsus diuinæ cognitioni impossibilis, (vti reor, ostendamque inferius) sit: nulli obiecto cognoscendo Deum eusmodi mediis vti, satis conuinceretur: verum quia in determinatiuis siue formalibus mediis singulorum à Deo cognoscendorum doctores, qui hanc impossibilitatem hactenus non viderunt, assignandis, & ad varias doctrinas recurrerunt, quarum examen rigidum Theologorum intererit non pauci, singula media pro singulis obiectis cognoscendis Deo ab ipsis assignata seorsim discutiemus. Primo: an Deus se in creaturis cognoscat, tanquam medio? Secundo: an in omnipotentia tanquam in medio cognoscat possibilia? Tertio in quonam, tanquam in medio conditionata futura cognoscat? Quarto in quonam absolute futura præuideat? Quinto an mediis aliquibus ad alterius cognitionem vti possit? Sexto: an aliis verificatiuis, quam obiectis, pro suo cuiusque statu & tempore positis apponendisue diuina scientia indigeat.

2. Aduerto tamen pro tota disputat. à quæstionibus de nomine (quoad fieri possit) erantigenda, aliud esse iam iuxta communem Theologorum cognosci aliquid *ex alio*, vel cognosci *in alio*. Primo enim significari doctores dicunt diuersitatem cognitionis medij a cognitione obiecti, quod ex illo præcognito discursus interuentio cognoscitur. Discursus autem, & cognitionum formaliter, & quoad intrinsecum sumptarum, diuersitas, Deo repugnat, vti omnes merito fatentur & dicta hucusque demonstrant; ideirco, vt cum multis loquamur, an Deus aliqua, et aliquibus mediis non inquirimus, sed solum, an in aliquibus mediis cognoscat: quia illa particula *in* determinationem solum ad cognoscendum aliud absque discursu vllo, aut cognitionum diuersitate per eandemmet cognitionem censent denotari. Cæterum, si res ipsa solummodo attendenda sit, nulla est in vtroque loquendi modo diuersitas: vtroque enim præcedentia medij præcogniti, & determinantis ad aliud cognoscendum denotatur, quæ si à particula *in* significata absque cognitionum vtriusque diuersitate, & formali discursu saluari in Deo potest; significata etiam per particulam *ex* potest absque illis saluari: attento enim, quod in creatis, & limitatis cognitionibus euenit cognosci aliquid *in medio* atque arguit cognitionis medij à cognitione illius, quod in illo cognoscit diuersitatem, atque cognosci *ex medio*: dixi *medio*, non autem ratione formali cognoscendi, quæ siue per particulam *in* siue *ex* siue *ob*, vel *propter* significetur, diuersitatem cognitionis rationis formalis, & obiecti materialis, non ita saltem aperte, concernit.

QVÆSTIO I.

An Deus se in creaturis, vt medio cognoscat formali?

QVÆSTIO hæc, etsi postremo loco apud Theologos in terminis, vt aiunt, nata primum in disputatione præsenti locum sibi merito vendicat: quia de obiecto primo est, in quod diuina tendit cognitio, vt vidimus disput. 5.

CERTAMEN I.

In creaturis vt medio nusquam se Deus cognoscit.

1. STeterat multis retro annis apud Theologos Deum se in seipso cognoscere, neque aliud medium rationemue cognoscendi ipsi adesse. Verum cum rationes, quibus Theologi non admodum etiam recentes creata alia obiecta à Deo in se, tanquam in medio, vel in aliis mediis creatis cognosci docebant, se etiam ipsum in creaturis, tanquam in medio cognoscere suaderent. Herize 1. p. tract. 1. disput. 4. dub. 2. ita se cognoscere Deum primus, quem typis viderim, docuit; consensit Magister Albiz disput. 3. de scientia dub. 2. & 3. se primum quæstionis huius in manuscriptis iactans excitatorem, atque strenue adeo decertat, vt Recentiores plures ad suas traxerit partes, præsertim Complutenses Recentiores, quorum frequens nobis vbique mentio, & impugnatio. Herize, discrimen cognitionis Dei à seipso in creaturis, vel ex creaturis commune apud Theologos non magnifaciens Deum ex creaturis se nosse ideo negat, quia creaturarum transcendentalis respectus ad Deum, qua vnum, est, non qua trinum: quare se ex illis non trinum, vt reipsa Deus est, sed vnum (aliter nempe, ac reipsa est) cognosceret. Verum ex eo solum transcendentali respectu creaturarum ad Deum, non, vt trinum, vt realiter est: sed, vt vnum, se in creatis, vel ex creatis, vt talem cognoscere, contra Herize suo argumento facile monstrabitur.

2. Nostra igitur negatiua sententia vetustate venerabilis, vt pote ab antiquorum Theologorum nomine, in dubium vocata à Recentibus omnibus supponitur, qui nec creaturas à Deo in aliquo sui prædicato, tanquam in medio cognosci opinantur: in quibus Vasquez noster, eiusque asseclæ, & alij quæst. 2. recensendi sed præcipue magnus meus Magister Didacus Daza; eam porro sententiam, (si quid aliud) vrgentius probant Lactantij, & Dionysij Areopagitæ testimonia data disput. 2. quæst. 5. certam. 3. fine: quæ, licet de cognitione diuina aliorum in alio, quam in seipso loquantur, maiorem vim habent contra sui ipsius cognitionem in alio, tanquam in medio: ratione, vrgentissima, quæ ab impossibilitate cognitionis Dei cuiusuis obiecti in alio desumitur: sed quoniam hæc generalis est, atque quæst. 5. per otium examinanda, & statuenda, ad speciales conclusionis huius veniamus.

3. Specialiter ergo probatur conclusio argumento tacto num. 2. & ex Herize contra ipsum retorto: eatenus possunt creata ducere Deum tanquam medium in sui ipsius cognitionem; quatenus Dei transcendentaliter respectiua ab ipsoque dependentia essentialiter, eique proinde connexa sunt: atqui creaturæ Dei, solum qua vnus est, essentialiter respectiuæ, ipsique connexæ sunt essentia sua: ergo creaturæ solum possunt esse medium, in quo Deus seipsum cognoscat vt vnum, non autem, vt reipsa est, trinum. Argumento, mutata solum ex parte cognoscentis materia; quo Theologi communiter probant mysterium Trinitatis, & quod illud supponit incarnationis, à pura creatura, etiam Angelo, intuitiue creaturas videnti, non posse naturæ viribus; secluso que reuelationis, & fidei lumine cognosci, nullatenus sit satis ex reali attingentia ad Deum respectus transcendentalis creaturæ, quæ, cum non intentionalis, sed realis ac physica attingentia sit, ad totum Deum, vt reipsa est, trinum, & vnum terminatur, vt vidimus controuers. 1. de Incarnat. quia, etsi realis attingentia totum attingat Deum, ast cognitionem eius ex vi illius tanquam medii ad id solum cognoscendum ducit, cuius titulo ipsum respectus creaturarum attingit; quare cognitio ex creaturis, siue formaliter, siue obiectiue, (quod parui ad rem præsentem refert) præcisiua Deique vnius solùm modo erit: cum opus non sit, vt respectus, siue

transcendentalis relatio, vt reipsa, & in se est, videatur terminum, intuitiue, videri: quin si in ea, tanquam medio terminus cognoscendus, vt in præsenti, sit, implicat in illo terminum intuitiue videri: quia intuitiua cognitio essentia sua obiecti in seipio cognitio est, ac non in alio.

5. Quod autem cognitio Dei, vt vnius præcisiue, ac non positiue etiam vt trino, Deo indignam imperfectionem inuoluat, fatentur, certumque supponendum potius, quam disputandum censent Herize, Albiz, Recentiores Complutenses, & reliqui, quos impugnamus, affirmatiuæ sententiæ Patroni: quare omnes concordi sententia respondent: determinationem cognitionis diuinæ ad seipsum in creaturis, tanquam in medio cognoscendum ex vi præcise medii ad eum, vt vnum, non vt trinum fore: esse autem ad eum, vt trinum etiam, ex vi perfectionis Dei cognoscentis, qui eo vtitur medio, vt seipsum cognoscat: itaque vim medij motiuam, & ductiuam ad cognitionem alterius in ipso tanquam in medio non esse putandam, seu computandam absolute, seorsimque à virtute cognoscitiua cognoscentis, sed cum respectu, ad illam: liquidem vis motiua ad cognitionem essentia sua respectiua est potentiæ cognoscentis, cuius solummodo motiua ad cognitionem esse potest, non respectu potentiæ, quæ cognoscitiua non sit, vt de se patet: volunt ergo ea solutione dicere, creata creatis cognoscentibus, & potentiis cognoscitiuis limitatis, immensequeimperfectioribus, quam diuina, ad Deum, qua vnum præcise cognoscendum in ipsis medium esse, non autem cognoscendum qua trinum: quia creatæ potentiæ cognoscitiuæ ad perfectam cognitionem sui obiecti in illis cognoscendi determinatæ non sunt: quare respectu potentiæ cognoscitiuæ creatæ vim motiuam ad Deum, qua trinum etiam, cognoscendum non habent, vel potius exerere, exercereque non possunt: non quidem suæ intentionalis virtutis motiuæ defectu, sed correlatæ virtutis potentiæ. Respectu vero potentiæ cognoscitiuæ diuinæ, ipsis etiam ad diuinam cognitionem correlatæ; & cui nihil virtutis cognoscitiuæ potest deesse totas suas motiuas intentionales vires creaturarum medium ad Deum in ipsis, qua trinum etiam, cognoscendum exerere, exercere, atque explicare.

6. Totas solutionis huius vires explicui, atque de nostro etiam confirmaui. Contra vero primo: quia hac eadem doctrina æque probabitur creaturas specificatiuum diuinæ cognitionis esse posse contra respondentes fere omnes, & Theologos reliquos; imo contra Dionysium Areopagitam, & Lactantium proxime memoratos n. 3. & Patres reliquos recitandos, memorandosque quæst. 2. cert. vlr. Assumptum probatur: quia eadem doctrina, & subiuncta à nobis pro illa probanda, & explicanda ratione, etsi creata limitata de se esse in genere entis, & scibilis sint, ac proinde infinitâ Dei cognitionem specificare videantur inepta; id tamen relate ad potentiam cognoscitiuam limitatam, & creatam intelligi debet; non autem relate ad potentiam cognoscitiuam infinitam Dei, cum qua totas suas vires specificatiuas exerunt, & exercent. Dixi fere contra omnes ita respondentes hoc argumentum conuincere: quia Recentiores Complutenses diuinæ cognitionis specificatiuum omne negant, atque è sola infinitate Dei cognoscentis cognitionis diuinæ totam perfectionem, & infinitatem desumendam pensandamque esse arbitrantur: contra eos tamen fuso calamo egimus disput. 2. quæst. 5. certam. 2.

6. Impugnatur secundo solutio: quia, etsi vis motiua intentionalis medij in quo aliquid cognoscendum est respectiua essentialiter sit potentiæ cognoscitiuæ, respectu cuius solum motiua intentionaliter est ad cognitionem alterius in ipso cognoscendi: vltra modum tamen suæ motionis intentionalis mouere non potest: vt patet de se, & probabitur quæst. 5. dum similem solutionem adhibitam argumento alteri vniuersim omnem cognitionem Dei cuiuslibet obiecti in alio, tanquam in medio, ob necessariam imperfectionem abstractionis Deo indignæ in cognitione illa reperiundæ impugnanti, confutemus. Atqui modus intentionalis motionis, creaturæ tanquam medij, in quo cognoscatur Deus, est ratione respectus transcendentalis creaturæ ad Deum, ipsique proportionatus, ratione cuius, tanquam filii ductu solum ad suum terminum Deum, ducere potest Deum ipsum se in illo cognoscentem: at filum illud, ductusque illius transcendentalis solum respectus, est ad Deum, qua vnum, non qua trinum per vos: ergo motio intentionalis creaturarum ad Deum in illis tanquam in medio cognoscendum ad Deum, qua vnum, non qua trinum cognoscendum erit.

7. Confirmatur: respectus ille formaliter non est ad Deum, qua trinum per vos: ergo ductus mentis Diuinæ ad Deum qua trinus ex illo respectu non est: ergo quatenus per illum respectum mens ducitur diuina, Deum, qua trinum, vt reipsa est, nequit attingere, sed solum, qua vnum: quod est cognitionis diuinæ perfectione indignum: ergo, etsi Deus sit determinatus ad perfectissimam sui, neuti reipsa est, cognitionem: id quidem de se, ac seorsim à motione, siue virtute intentionali medij creaturarum, in quo cognoscatur, habet; non autem à medij eiusmodi motiua intentionali virtute: at, quatenus eo vteretur medio ad sui cognitionem, Deus ad se cognoscendum, vt trinum minime peruenire: esto aliunde peruenire ex suæ mentis determinatione ad perfectissimam sui cognitionem: etenim quouis modo, medio creaturarum excitari, mouerique intentionaliter diuinam mentem ad sui cognitionem fingas, vt sic excitata se cognoscendi ansam arripiat, cognitio sui, vt vnius tantum ab eo medio erit: quod autem inde mens diuina ad se, vt trinum cognoscendum, quasi resiliat, non à medio illo, adhuc partialiter, sed adæquate à suæ mentis perfectione summa habebit.

8. Inde infertur: cognitionem Dei in creaturis, tanquam in medio imperfectionem attingendi illum vt vnum præcise ac non vt trinum minime exuere, etiam ex doctrina solutionis aduersariorum. Secundo infertur: cognitionem Dei, vt trini simul, ac vnius, inquam occasione cognitionis illius imperfectæ Dei vnius præcise in creaturis, tanquam in medio habitæ totam adæquate ex perfectione summa diuinæ mentis prouenire, ob quam determinatus est Deus ad se perfectissime, vti reipsa est, cognoscendum, absque vllo influxu, motioneue intentionali medij creaturarum ad hanc perfectam Dei, vti reipsa est, resultantem cognitionem, sed sola terminatione, & motione intentionali obiectiua Dei ipsius cogniti. Vnde infertur tertio: ex motione intentionali medij creaturarum, cuius occasione Deus ad seipsum perfecte cognoscendum resilire diceretur, nullam denuo cognitionem, nisi imperfectam illam Dei, qua vnus præcise, Deo accrescendam: nam perfecta illa Dei, vt reipsa vnus est, & trinus, à sua perfectissima mente seque ipso tanquam obiecto terminante, & specificante antecto admotionem illam intentionalem medij creaturarum, & occasionem per cognitionem Dei, vt vnius, in medio illo, præhabebat Deus.

9. Contra rursus ac denuo impugno sententiam aduersam. Determinatio diuinæ mentis est ad perfectissimam sui ipsius, vt vnus trinusque reipsa est, cognitionem: sed cum hac determinatione pugnat in Deo vsus medij, in quo vt vnus præcise, cognoscatur, ac non vt trinus: ergo cum hac determinatione pugnat in Deo vsus medij creaturarum: tantum abest, vt ex hac determinatione diuinæ mentis argumentum nostrum eiuretur, & mitescat. Maior est certa apud aduersarios, & apud omnes, & apud eos etiam qui diuinam cognitionem præcisiuam, etiam ex parte obiecti, diuinorum prædicatorum admittant: nam vtroque modo & præcisiue, & identice prædicata diuina vera, & cognoscibilia sunt: quæ omniscientia vtroque modo ipsa pertingit, atque ad ea vtroque modo cognoscenda diuina mens determinata in actu primo intentionalis actuitatis suæ est. Minor probatur, quia vsus medij ad cognitionem cum illa determinatione pugnantem, est impossibilis; sed cognitio Dei præcise, vt vnus est, nec cum similitudine repræsentans trinum, pugnat per aduersarios cum ea determinatione: ergo & vsus medij ad eam cognitionem pugnat in Deo cum eiusmodi determinatione: consequentia probatur, quia vsus medij creaturarum in Deo ad cognoscendum seipsum in illis secundum huiusmodi motiuam totam considerationem ad cognoscendum se præcise, vt vnum, non autem vt trinum est.

10. Tertio eandem sententiam impugno: quia infallibilitas, & firmitas cognitionis alicuius in medio aliquo

aliquo, non potest medij infallibilitatem superare, vt constat ex infallibilitate, & firmitate conclusionis ex medio quouis deductæ, quæ medij, ac præmissarum ex quibus deducitur firmitatem, atque infallibilitatem superare nequit, imo verò æquare (si Aristoteli adhibenda fides sit dicenti de præmissis respectu conclusionis, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*) atqui infallibilitas, ac firmitas cognitionis cuiusvis diuinæ de seipso maior longè esse debet, quam firmitas, & infallibilitas veritatis creaturarum: ergo creaturæ non possunt esse medium in quo se Deus cognoscat, & cui infallibilitas, & firmitas cognitionis diuinæ innitatur.

11. Denique eandem sententiam affirmatiuam impugno, iuxta communem horum, & fere reliquorum doctrinam, qui obiecta motiua omnia cognitionis, & volitionis diuinæ earum specificatiua censent, quia vel cognitio Dei de seipso in creaturis, tanquam in medio dicit aliquam perfectionem diuinæ cognitionis, vel secus. Si non dicit nec addit: ergo non est in Deo admittenda: si perfectionem aliquam addit diuinæ cognitioni directæ primo habitæ à Deo de seipso: ergo directa Dei de se primo habita cognitio non fuit infinita è genere suo simpliciter per denegationem termini etiam extrinseci, vt cognitio diuina esse debet. Patet: quia ea cognitionis Dei in creaturis perfectio pro priori cognitionis directæ Dei de se, & in seipso Deo non aderat: quare illi addita est, vt dicis: ergo aliquid diuinæ cognitionis primæ illi directa aberat, atque extra illam formaliter erat: ergo non erat infinita per denegationem termini, extrinseci etiam, & è genere suo simpliciter infinita. Patet vltraque consequentis huius pars, earumque legitima illatio: quia infinitum è genere suo simpliciter tale soli Deo competens, vt vidimus contra 1. est, cuius essentia metaphysica in genere suo esse, concipique verè nequit, quin infinitum in illo genere sit, & concipiatur verè; non concipitur autem, nec est verè tale, cui addi aliquid in illo genere potest: vnde patet etiam nihil illius generis posse esse extra illud, quod ita simpliciter infinitum est: ac proinde eiusmodi infinitum tale esse debere per denegationem termini, etiam extrinseci: nam creata (si quæ infinita esse possunt) non è genere suo, quod absque infinitate saluatur, per partium eiusdem generis siue magnitudinis intensiuæ, vel extensiuæ continuæ, vel discretæ infinitam additionem infinita sunt, & per denegationem termini, solum intrinseci, infinita constituuntur.

12. Dices: hoc argumentum, plusquam oporteat, nobilque libeat, probare. Probat enim Deum creaturas non cognoscere, vel probat nihil: etenim pro illo priori, quo se Deus primo directè cognoscit non repræsentat ipsi cognitio illa creaturas, quæ pro illo priori nondum sunt, de quarum repræsentatione posteriore, cum primum in quouis statu sunt, totum contra illarum cognitionem à Deo, argumentum nostrum instauratur: Quod si respondeamus iuxta suprà à nobis datam doctrinam, integram omnem, quoad substantiam & modum cognoscendi, intrinsecam repræsentationem pro illo priori cognitionis directæ Dei de seipso adesse, solumque addi extrinseca obiecta, vt infinita illa repræsentatio simpliciter, & è genere suo talis, & quoad substantiam, & quoad modum omniscientia, absque vlla in genere cognitionis intrinseca variatione ad ea extendatur, & explicetur: Id ipsum, vt ad cognitionem seu in creaturis, tanquam in medio sese exerat responderi nobis putemus. Sed contra est: quia solutio nostra solum aptat extensioni scientiæ eiusdem, & immutatæ, quoad intrinsecum, adhuc formaliter, ad terminos, seu obiecta purè materialia, & solum terminatiua; non autem ad obiecta specificatiua motiua, seu media formaliter quæ, vt talium munus exerceant mentem debent intentionaliter ad cognitionem alterius in ipsis mouere, quam nequeunt formaliter pro priori ad suam motionem intentionalem supponere, ne actum agant, & suam intentionalem causam, & motionem, cognitio, quæ effectus illius esse necessariò debet, contradictorie præcedat: ergo solutionis nostræ ad instantiam factam doctrina id solum euincitur: nempe, creaturas, earumque respectum transcendentalem ad Deum, ob quem (esto medium alias creatis mentibus esse formaliter possent in quo Deus cognosceretur) à Deo, vt purè terminatiua obiecta cognosci, & vt materialiter solum media; non autem, vt formaliter talia, mouentiaue Deum ad sui in ipsis vlteriorem cognitionem, vt ex data ratione suadetur. Porrò extremas has duas impugnationes oportebit obseruare, ac meminisse pro vera quæstionis vniuersalis de possibilitate Dei cognoscendi vnum in alio resolutione, vbi alias huc facilè aduehendas rationes dabo. Huic tamen argumento non fido: quia respectu scientiæ, & amoris diuini motiua plura, quæ specificatiua non sint, admitto: quare ad hominem solum contra aduersarios præstat.

CERTAMEN II.

Exarmantur aduersariorum fundamenta.

1. Opponis: Deus non cognoscit se in creaturis tanquam in medio: ergo ex vi visionis illarum non regreditur ad se cognoscendum, etsi aliunde se perfectissimè cognoscat: ergo Deus non comprehendit creaturas. Patet: quia comprehensio est visio rei, ex cuius vi nihil rei lateat videntem; at Deus aliquid creaturarum est, vtpote earum causa, & terminus respectus transcendentalis illarum ad ipsum: ergo, ni ex vi visionis illarum, seu in illis (quod idem est) tanquam in medio se videat Deus, non comprehendet creaturas: ita quondam Vasquianos ex Vasquiana hac definitionis comprehensionis intelligentia coram impugnabam: eludi posse video, si respondeatur effectus esse aliquid causæ, quia in ea continentur, secus autem causam, & in re præsenti, Deum esse aliquid effectuum creatorum; negari tamen reuera, ac sine vacuarum vocum vsu, vel potius abusu nequit, quin terminus relationis, seu relatiue transcendentaliter aliquid sit ita relati, etsi non intrinsecum essentialiter, tamen ad essentiæ huius consistentiam requisitum: imo, si continentiæ causalis voces denudentur, cum effectus formaliter, & in se sumpti (quomodo ad comprehensionis sic explicatæ cognoscendi ex vi visionis causæ sunt) intra illam non sint, idcirco solum cognoscendi ex vi visionis causæ ad eius comprehensionem erunt, quia effectus huiusmodi formaliter, & in se sumpti extrinsecum aliquid, & terminus actiuitatis causæ sunt.

2. Respondetur ergo visionem creaturarum illarum comprehensionem non esse non quidem ob perfectionis defectum; sed per excessum: quia nimirum realiter, & formaliter supercomprehensio illarum est, vt docte Molina noster obseruat: etsi enim ex vi visionis illarum, tanquam medij, ad Deum non regrediatur: ast nobiliori modo eademmet formaliter, quæ creaturas repræsentat, & earum terminum Deum ob infinitam simpliciter, & indiuisibiliter, etiam metaphysicè, è genere suo repræsentationem, & omniscientiam, quam è primario, & adæquato specificatiuo obiecto suo Deo, Deus ipse habet, ex quo & repræsentationem omnium, quæ ad quodvis obiectum aliud spectant esse vltra veritatis obiectiuæ, & cognoscibilitatis intrinsecæ eorum limitationem anteacto habet: ac proinde eorum supercomprehensio: Dei autem ipsius cuius obiectiua veritas, & cognoscibilitas intrinseca infinita simpliciter etiam è genere suo est, ad amussim est comprehensio, quia eius veritatem obiectiuam & intrinsecam cognoscibilitatem ad extrinseca omnia sua adæquat, quin excedat. Et hunc philosophandi modum non solum Vasq. & Alarcon, Vasquianique cæteri admittunt; sed & Soarius 3. de attributis, atque inde Deum se comprehendere, quia etiamsi futura in se, tanquam medio, seu vi visionis sui, tanquam medij non videat, ea tamen in se vt specificatiuo, & è sui tanquam specificatiui visione videt, quod satis ad comprehensionem, ait; inconsequenter autem id sufficere negat de possibilium ex vi visionis sui cognitione, vt Deus se comprehendat: atque eorum in seipso tanquam medio cognitionem, nec solum specificatiuo Deo adesse requirit.

3. Obiectionem aliter premo. Per comprehensionem debet cognosci obiectum omni modo, quo cognoscibile est: ast Deus, & causæ reliquæ cognoscibiles sunt in suis

effectibus, tanquam in mediis, ita enim eas quotidie nouimus; ergo, ni Deus se in creatis suis effectibus nouerit citra, aut non vltra, creaturarum suarum comprehensionem erit: cum hunc cognoscibilitatis earum modum non pertingat. Respondetur, distinguendo maiorem; omnem modum cognoscibilitatis effectuum intrinsecum ac non concernentem imperfectionem cognitionis, & cognoscentis, fateor: illam concernentis, diffiteor. Minorem item distinguo, cognoscibiles sunt concernendo imperfectionem cognoscentis, & cognitionis concedo; non concernendo illam nego ob supradicta: & nego consequentiam.

4. Tertiò oppones: Si Deus non se primariò cognosceret suamque cognitionem non specificaret, & cognosceret nihilominus creaturas intuitiue, illas nihilominus comprehenderet, ac subinde se in illis tanquam medio videret: quemadmodum, & Angelus illas videns Deum in ipsis tanquam in medio cognoscit, easque proinde comprehendit: ergo & tunc se in illis tanquam medio videret Deus: quia eadem vis motiua intentionalis creaturis adest, ac tunc adesset. Respondeo primo in antecedenti esse implicantiam terminorum: quia cognitio omnis diuina sublato specificatiuo sui adæquato, & obiecto primario per locum intrinsecum repugnat: quare & repugnat per locum intrinsecum cum hypothesi posita in antecedenti cognitio Dei de creaturis, quæ in ipso antecedenti asseritur: dato tamen, facile negatur consequentia. Ad cuius probationem respondetur ex dictis: vim motiuam intentionalem creaturarum ad Deum in ipsis tanquam in medio cognoscendum, & nunc, & tunc solum esse admouendum in absentia cognitionis perfectæ diuinæ, ac simpliciter è genere suo infinitæ, quæ tunc abesset; nunc autem Deo adest.

5. Quartò oppones: non obstante cognitione Dei simpliciter infinita è genere suo, quæ antecedit natura, quaque Deus cuncta intuetur, nihilominus causas creatas in suis effectis tanquam in medio cognoscit, & è contra earum effecta in causis: ergo eadem cognitio sui ipsius antecedens non obstabit, quo minus se in suis creatis effectibus rursus cognoscat, fateor consequentiam negari minime posse; posse autem, & negari deberi antecedens, ob rationes easdem hactenus datas, & dandas, vbi de possibilitate, vel impossibilitate mediorum ad aliquid in ipsis à Deo cognoscendum inferius disputemus: sed fulcies antecedens: quia Angelus videns creaturas, & Deum etiam intuitiue; nihilominus Deum in effectis creatis cognoscit; alioqui creaturas non comprehenderet: etsi vtrumque simul intueretur, non autem Deum ex vi visionis creaturarum: ergo idem de Deo dicendum est: verum facilè negatur consequentia antecedenti permisso: quia visio Dei Angelica beata non habet rationes assignatas repugnantiæ in visione Dei de seipso, vt creatis tanquam ad seipsum rursus cognoscendum vtatur, moueaturque. Ne verò interim aliquis eo antecedenti decipiatur, negandum absolutè est ob rationes dandas loco citato. Nam etsi media illa Angelo non videnti Deum & Beato ex vsu esse possint mouereque illum valeant ad Deum cognoscendum; secus videnti Deum: nam in conspectu visionis Dei, nec mouere Angelum ad Deum cognoscendum valentinec abstractiua Dei cognitio, ad quam solum mouere media illa valent cum visione Dei est componibilis.

6. Quintò demum oppones: non obstante præcedentia diuinæ volitionis simpliciter è genere suo infinitæ ex primario suo obiecto, & specificatiuo adæquato, nempe infinita simpliciter etiam è genere suo bonitate diuina, locus est, vt Deus se amet pro posteriori signo ob creaturas, tanquam finem, siue, vt ipsis vtilis, & proficuus est, ac proinde motioni intentionali bonitatis creatæ pro posteriori signo propositæ datur locus respectu diuinæ voluntatis: ergo non obstante præcedentia diuinæ cognitionis de Deo simpliciter, & è genere suo infinitæ Deo ipso, tanquam obiecto primario, & adæquato specificatiuo dabitur locus, vt se rursus in creaturis, tanquam in medio cognoscat: quare & harum intentionali motioni pro signo posteriori respectu intellectus diuini consequentia videtur legitima, & quæ rationem Conclusionis nostræ datam certam. 1. num. 12. funditus euertat siquidem vtroque eadem prorsus militat, nullo, præter materiam, variato: quare nos metipsos obiectione hac à nobis etiam molestissimè vexatos fuisse fateri debitæ ingenuitatis nostræ omnino erit: etsi ob rationes alias nunc, vsque ad quæstionem de possibilitate, vel impossibilitate vsus mediorum in Deo ad se iterum in illis cognoscendum consultò dissimulatos, (ne quæstioni huic, & sequentibus immediatis aditum occluderemus) vim non habeat, vt conclusio nostra absolutè deseratur, ex ibi dicendis, fiet constabit.

7. Sed tamen neque ratio illa, quam videtur obiectio euertere est deferenda ob diuersitatem, quæ inter veritatem, & bonitatem diuinam intercedit: etenim Dei bonitas intrinseca duplex est; altera qua bonus, perfectusque in se entitatiue est; altera verò, qua aliis vtilis proficuusque creaturis suis est, etsi absque vllo ad ipsas connexionis respectu: vt tertiam aliam bonitatem moralem Dei nunc omittam. Diuinus igitur amor intrinsecam bonitatem Dei vtilis & creaturis proficui, ad hunc, vel illum finem obtinendum pro specificatiuo adæquato amoris sui habet, cum autem vtilitas non, nisi propter aliud, tanquam finem ametur propter omnia quibus Deus vtilis commodusque esse potest è primario suo conceptu tanquam fine Deus se primo illo suo amoris signo amat: quia ita etiam amabilis est: non expectatis tamen creaturis earumque siue possibilitatis, siue absolutæ existentiæ signis, à quarum, vt dixi existentia & possibilitate, absoluta prorsus intrinseca Dei vtilitatis bonitas est: sicuti, & earum actiua potentia à rerum possibilitate absoluta est, atque ipsis inconnexa; etsi neutra à nobis, nisi per ordinem ad res alias explicari concipiuè vllo pacto queat: veritas verò diuina vnica solum, & nostro etiam concipiendi modo absoluta à rebus est, in positiua, nec solum apparente soliditate essendi, ac proinde, non solum ad conuertentiam, identitatis realis iure, essentiæ comes, sed idem formaliter est cum illa: & quibusvis mediis cognoscereturr: atque vt in illis cognoscerentur illa præcognosci oporteret: quare & eorum posteriora signa expectari. Vnde cognitioni Dei pro signo, quo se primum in se, cognouit aliquid cognitionis accresceere, quod ipsam pro illo priori infinitam simpliciter, & è genere suo talem non esse conuinceret, dicebamus. Ac demum, vt dicebam ratio illa ad hominem contra aduersarios solum firmitatem habet, qui motiuo omni diuinorum actuum obiecto, specificatiui rationem inesse necessario putant.

QVÆSTIO II.

An Deus in se tanquam in medio possibilia creata cognoscat?

DEVM omnia in se, tanquam in obiecto primario, & specificatiuo adæquato suæ, sibique intrinsecæ cognitionis, etiam quo ad aliqua obiecta extrinseca eademmet intrinsecitilis, adhuc metaphysicè, extenditur, & explicatur, constat ex proximè, ac sæpius dictis, præsertim d. 2. quæstione 1. Nunc autem inquirimus, atque in sequentibus inquiremus, an non solum eo obiecti adæquatè specificatiui cognitionis suæ, sed alio etiam titulo, vel causæ, vel comprehensoris, vel aliunde, in seipso tanquam in medio creaturas cognoscat Deus: atque de possibilibus in præsenti.

***

CERTAM.

CERTAMEN I.

Variæ sententiæ affirmantium.

1. DEum in se tanquam in medio titulo causæ vniuersalis creaturarum illa nosse vulgatissima Theologorum Sententia est. Supponit Durandus in 1.d.35.q.1.& in 3.d.14. quæst.2.& in 4. d.49. quæst.3. atque expressè docet in 1.d.35. quæst.2. vbi Argentina quæst.1.concl.4. Capreol. quæst.2.art.1. concl.1.& 2.& in 4.d.49.quæst.6. art.1.2.& 3. vbi Sotus quæst.3.art.3. Bassol. qu.4. Prologi art.3.Godfred. quodlib.6.quæst.3. Ferrara 1. cont. Gent. cap.49.& lib.3. cont. gent. cap.56.59.& 60. Richard. in 4.d.14.art.2.quæst.3.& 4. d.49. art.3. quæst.3. Caiet.1. p. quæst.12.art.8. & sequentibus Bañez,& Zumel quæst.14. art.5.& 6. ex nostris Molina ad citat. quæst.12.art.8. Henriquez tom.1. de fine hom.cap.10. §.2. & 3. Salas t.1. in 1.2. d.4. sect.4. n.38. plures viginti authores præferens, Arrubal tom.1. in 1. p.d.25.cap.3. Didacus Ruiz d.10. de Scient. à sect.2. Granad.controu.2.tract.2.d.3. Albiz d.5. sect.12.& 16. docens Beatos possibilia in Deo præ cognito tanquam in medio videre, ex Beatisque ad Deum reliquorum, qui data proximè pro negatiua sententia principia nostra non viderant,consectaria doctrina est. Verum in terminis nihil de diuina cognitione possibilium creaturarum in Deo tanquam in medio egit Arrubal, sed solum in Deo eiusque omnipotentia tanquam cognitionis earum specie & specificatiuo vt vidimus d.2.quæst.5.cert.2. quæst.6. Recitatis Doctoribus consensit magna Recentiorum nostrorum, & externorum turba, etiam memorandus Herize.

2. Igitur Sententia secunda fuit Herize nostri tom.1. in 1. p.tract.1. d.5. cap.3. §.1. qui non solum omnipotentiæ titulo Deum in se tanquam in medio possibilia creata cognoscere docuit (sicuti relati Doctores aiebant) sed titulo etiam complacentiæ de illis diuinæ, cui quoad titulum complacentiæ obsistunt alij ex nostris Recentioribus, qui tamen vi consequentiæ consentire deberent Recentiores Complutenses sæpe à nobis memorati addunt titulum diuinæ Scientiæ,& comprehensionis possibilium: nec dubito, quoad titulum etiam diuinæ Complacentiæ de illis Herize nostro consensuros: & hi quidem, tam pro prima, quam pro secunda sententia nominati Doctores de cognitione possibilium à Deo in se tanquam in medio quocunque titulo ab eis assignato secundum atomas etiam, & individuas eorum possibilium differentias aperte loquuntur, nec solum secundum rationem possibilitatis, siue non repugnantiæ ad existendum possibilibus omnibus communem.

Idcirco Henricus quodlibeto 7. quæst.4. & 5. tertiam hac in re sententiam inuexisse in Scholas meritò videatur. Ait enim essentiam Dei sub ratione, & formalitate ideæ creaturarum referri ad creaturas possibiles non in individuo, sed in specie, siue secundum communem ipsis possibilitatis, seu non repugnantiæ rationem: quod ipsum de Omnipotentia videtur dici posse, cum de causa exemplari quoad rem hanc, non aliter atque de actiua videatur sentiendum. Propterea non longè ab hac sententia abire nonnullis fortasse videatur Vasquez noster 1. p. t.1. d.50. & tom.2.d.104.cap.6.n.26. vbi Omnipotentiæ obiectum possibilia creata, non secundum omnem ipsorum rationem, sed solum secundum rationem communem non repugnantiæ, siue non implicandi contradictionem designat: ad eaque secundum eam rationem proinde diuinam Omnipotentiam referri docet: cum autem ideo solum Deo cognitionem creatorum possibilium in seipso, siuque omnipotentia, tanquam in medio deneget,quia ad ipsa non refertur: atque ex alia parte ad ipsa secundum eam rationem communem non repugnantiæ referri Omnipotentiam fateatur (quod ipsum de diuina idea erit) vtroque titulo cognitionem creaturarum possibilium ,secundum rationem communem non repugnantiæ earum videtur Deo concessurus.

4. Cæterum longè Vasquez nostrum ab hac Henrici sententia abfuisse certum mihi est, Primò: quia Vasquez noster entis & non repugnantiæ prædicatum intimas omnes etiam indiuiduantes, & atomas entis cuiusvis differentias transcendere vbique constanter docet: debentque Doctores omnes fateri, si de prædicato entis realis adiectiui metaphysici sit sermo, vt controuers. de Trinit. d.6. quæst.1. & controu.metaph. de entis transcendentia fusè docuimus, etsi de prædicato entis realis substantiuè, & neutre sumpti aliter censendum sit, atque ea solum entis realis acceptione transcendentiam entis Scotum negasse, negatorsque eius asseclas esse eis locis ostendi quocirca, si realem respectum omnipotentiæ ad creaturas possibiles secundum rationem non repugnantiæ earum admitteret, ad illas secundum omnes earum differentias etiam atomas, in quibus prædicatum illud non repugnantiæ, vtpote omnes transcendens recognoscit referri realiter omnipotentiam admitteret: quare & possibilia etiam indiuidualiter in seipso tanquam in medio Omnipotentiæ,& ideæ suæ titulo à Deo cognosci consequenter ad sua principia Vasquez doceret, cum autem id constans vbique neget: patet eum de respectu Omnipotentiæ ad possibiles creaturas secundum communem rationem non repugnantiæ non reali, sed ficto & secundum modum nostrum concipiendi fuisse locutum.

5. Cæterùm, Henrici, vel cuiuscumque alterius:tertia hæc sententia sit, secundum speciale,quod ait de relatione causæ exemplaris ideæ, vel actiuæ Omnipotentiæ diuinæ transcendentali ad possibilia secundum communem solùm rationem non repugnantiæ, ac subinde cognitionis à Deo in se tanquam in medio eorum secundum illam præcisè rationem impugnatur primò: quia respectus, siue relatio transcendentalis realis, nec solum intentionalis, & rationis præcisiua ex parte sui obiecti, seu termini non est: ergo implicat terminari ad possibilia secundum communem illam rationem præcisè, non attactis eorum, etiam atomis, & individuantibus differentiis; alioqui enim transcendentalis illa relatio realis præcisiua ex parte sui termini foret. Secundo: quia realis relatio, siue respectus transcendentalis causæ, siue actiuæ, siue exemplaris diuinæ ad creata possibilia est potentis alterutro,vel vtroque potius modo causare creaturas: ergo eo solummodo ad eas est, quo eas causare realiter potest: atqui nequit alterutro modo, vel vtroque causare illas realiter Deus secundum communem illam rationem præcisè non attactis reliquis eorum, etiam individuantibus, prædicatis: quia, si posset esse actio realis productiua vnius prædicati rei non producto per ipsam alio, posset vnum rei prædicatum esse absque alio rei eiusdem, quod contradicit reali eorum in re illa identitati. Tertiò: quia, vt dixi, prædicatum illud non ita commune, & præcisum à differentiis creaturarum possibilium est, vt omnia eorum, etiam individuantia, eorum prædicata non transcendat: quare quod eius prædicati titulo ad creaturas possibiles transcendentaliter realiter refertur, non potest non illas secundum prædicata omnia, etiam individua realiter transcendentaliter referri. Quartò: quia prædicata omnia, etiam individuantia, rerum creatarum possibilium à Deo sunt tanquam à causa earum actiua, & exemplari: ergo vtroque titulo realiter transcendentaliter Deus ad omnia eorum etiam individuantia prædicata refertur.

6. Nec præstat Recentiorum pro hac sententia (quam Vasquez nostri falsò putant) meditatio, & instantia pro respectu reali transcendentali potentiæ ad prædicatum commune possibilibus, quin sit etiam ad prædicata eorum inferiora & particularia, quia potentia loco-motiua est ad motus locales, & non secundum individuas cuiusque rationes, sed solum secundum superiores; alioqui cum motus localis individuatio pendeat essentialiter à tempore, quo exercetur motus localis hodiernus cras fieri non poterit, neque hodie hesternus, aut crastinus: quare quotidie potentia localis variaretur quod est paradoxum, & absurdum, sed in primis motus localis individuationem à tempore essentialiter pendere falsò ac sine fundamento à pauculis asseritur: & quamuis esset verum, potentiam loco-motiuam realiter suorum motuum etiam in individuo respectiua per dies singulos variauda non inferretur: quia nulla potentia realis cuiusvis effectus illum

semper

semper & vbique debet posse absolutè efficere, vt vera, & realis ipsius potentia sit, sed satis ad id habet, si aliquando, alicubique ipsum edere possit, quia posse vt summulistis constat ampliatur ad omnes temporis, & loci non solum aliquando existentis, sed & possibilis differentias: patetque in materia prima, quæ formarum omnium receptiua est, & tamen quamdiu vnam habet reliquas, imò neque earum vllam, nequit recipere, & in eadem potentia mea loco motiuæ, qua dum Matriti sum localem motum (adhuc secundum prædicata communia) nequeo Romæ exercere: quod ipsum de tempore in ea opinione dicetur rationabilius, cum maior certe, & exploratior dependentia localis motus à loco, quam à tempore sit.

7. Iam vero, si nequit Omnipotentia, & idea diuina realiter transcendentaliter ad creaturas possibiles secundum prædicatum commune non repugnantiæ, siue possibilitatis referri, quin ad inferiora ipiorum, etiam indiuiduantia, prædicata referatur vt probatum est, atque ratione respectus huius Deus possibilia creata in se, tanquam in medio illa secundum rationem communem cognoscit: non solum secundum eam rationem, sed etiam secundum cuiusque, etiam indiuiduantes, differentias, in se tanquam in medio creata possibilia Deus procul dubio cognoscet, nec solum secundum prædicatum illud non repugnantiæ commune, id quod, & speciale tertiæ Henrici Sententiæ erat; & nos hic suscepimus impugnandum. Nam qua parte cum primis duabus respectum realem cuiusvis diuini prædicati ad creatum aliquod prædicatum admittit, impugnationibus contra Superiores sententias mox subiiciendis æquè patet vt illas expendenti, atque prædicato illi communi applicanti perspicuum fiet: qua etiam parte ob eiusmodi respectum transcendentalem (quatenus vtraque conuenit) ad creaturas possibiles aptum medium esse Deum in quo possibilia secundum id, quod in ipsis respicit, Deus ipse cognoscat, postmodum communibus vtrique impugnationibus reiicietur qu. de possibilitate, vel impossibilitate in Deo vsus medij, ad aliud cognoscendum.

8. Sed aduertendum tandem est ex doctoribus, qui Deum in sua Omnipotentia, aliove intrinseco prædicato ex memoratis, tanquam in medio, creaturas possibiles cognoscere affirmant, plerosque suam hanc conclusionem à respectu, siue relatione reali transcendentali prædicati illius diuini ad creaturas, ratione cuius medium, in quo creaturas cognoscat sibi ipsi Deus sit pendere omnino velle: in his vero nonnulli eo etiam transcendentali respectu ad creaturas possibiles ab omni prædicato diuino prorsus relegantes, nihilominus in se, tanquam in medio, creaturas possibiles à Deo cognosci contendunt. Hi verò sunt. Arrubal. d.30. cap. 2. & 3. Herize disput.5. cap.3. numer. 19. Albiz d.5. section.4. numero 39. qui Deum vndique à creaturis possibilibus omnino absolutam, tanquam à termino etiam, independentem asserente nihilominus Deum in se tanquam in medio creaturas cognoscere defendunt vt vidimus numero 1. His adnumeratur d.30. metaphys. sect.15. num. 26. Deum omnino absolutum à possibilibus creaturis earumve possibilitate docens, & tamen ipso tanquam in medio possibilia cognosci à Deo fatetur, quanquam de independentia Dei, & absolutione Dei à possibilitate creaturarum nescio qua fide referatur, Soarez oppositum toties ex instituto docens. Adnumerandus etiam his venit Ruiz de Montoia, qui, etsi Deum transcendentaliter respectiuum creaturarum ipsisque reipsa connexum esse defendat d.5.de Scientia section.2.& d.10.sect.4. numero 10. & section.5. numero 9. tamen sect.4. eadem ex eo respectu cognitionem creaturarum à Deo in seipso tanquam in medio à se citato loco asserta pendere noluit, sicut Recentiores Complutenses memorati pendere nullatenus voluerunt.

CERTAMEN II.

Deum nullius prædicati diuini titulo creata possibilia in se tanquam in medio nosse iuxta aduersariorum modum primum.

1. Conclusio contra duplicem modum defendendi eius contradictorium statuenda est: & primo contra modum primum communiorem: nempe, quia Deus respectiuus realiter transcendentaliter est creaturarum possibilium ratione omnipotentiæ suæ, vel alterius cuiuspiam sui prædicati, è sui cognitione ad illas cognoscendas necessariò determinetur. Secundo vero contra modum secundum aliorum, qui affirmatiuam, conclusionem nostræ huic negatiuæ aduersam, independenter à respectu reali transcendentali Dei ad creaturas, connexioneve ipsius (quouis titulo) cum illis defendunt memoratique à nobis sunt certam. 1.n.8. cæterum præsentem conclusionem nostram vniuersim defendunt ex priscis Theologis Sanctus Bonauentura in 1.d.35.art.1.q.1.Gabriel.art.2.concl. 2.Okam qu.3.Scotus qu.1. §. *Ad ista*, quos duces vtraque Scotica, & Nominalis Schola sectatur: ex nostra verò Vasquez d.60.c.2. & d.50. de visione creaturarum à Beatis in verbo disputans, Becan.tract.1.cap.10.qu.4.à n.8. Alarcon. d.2.c.3. Arrubal.d.30.& 31. Magnus meus Magister Didacus Daza manuscripto de Scientia d.2. Conclusionem hanc summo ingenio suo (vt reliquas assoler suas) illustrans: demum non admodum recentibus nostræ huius Toletanæ Prouinciæ Magistris Dasquianis, plurimum, fuit constans sententia, & communis.

2. Iuxta primum igitur, & communem aduersæ conclusionis tuendæ modum probatur conclusio primo: quia, iuxta illum, eatenus solum Deus medium in quo cognoscendi creaturas possibiles sibi ipsi esse potest, quatenus aliquod eius prædicatum intrinsecum realiter respectiuum transcendentaliter est creaturarū possibilium, connexumve essentia sua cum illis: ast nihil Deo omnino intrinsecum realiter transcendentaliter respectiuum creaturarum possibilium essentiaue sua connexum cum illis est: ergo nec Deus medium in quo cognoscendi creaturas possibiles vllatenus sibi ipsi esse potest. Discursus est legitimus. Maior ipsissimum aduersariorum, in hoc primo modo, fundamentum, siue modus ipse tuendi aduersam conclusionem primus. Minor probatur, vt sæpè hic, & controu.1. & controu. de Trinitate à nobis datis: Etenim quidquid Deo intrinsecum est summæ, maioriſque longè est, imo infinitæ maioris necessitatis, quam possibilia creata, siue eorum possibilitas: atqui, si aliquid Deo intrinsecum realiter transcendentaliter respectiuum creaturarum possibilium esset, summæ longéque, & infinitæ maioris necessitatis, quam creata possibilia, siue eorum possibilitas minimè foret; ergo nil intrinsecum in Deo realiter transcendentaliter respectiuum creaturarum possibilium, ipsiusve essentia, & entitate sua connexum est.

3. Maior huius etiam syllogismi ostensa à nobis ex instituto, & rationibus, & exemplis maiori necessitatis, & certitudinis in veritate assensus fidei, quam in veritate conclusionis euidentis ex necessariis principiis euidentibus, etiam per se notis, vel altero euidenti, altero de fide deductæ: item ex maiori necessitate, & euidentia principiorum demonstrationis cuiusvis, quam Conclusionis ex ipsis demonstratæ iuxta Aristotelicum proloquium. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: aliisque exemplis plurimis: quæ idcirco otiosè in præsentiarum, superflueque repetentur: sicuti, & responsio ad instantiam (cui contra maioris huius constantiam in primis Complutenses memorati sæpè recentiores fidebant) de veritate, quæ maior vna quam alia esse nequit: id enim, quo id probatur, (nempe veritatem in indiuisibili, & prorsus adæquata conformitate iudicij cum obiecto iudicato consistere) instantiæ debilitatem probat:

est enim ab indiuisibili, & quod nec magis, nec minus proinde suscipit, ad id quod magis, & minus recipit, consequentiam ducere. Minor ex terminis & obuiis exemplis mille patet: quod enim realiter transcendentaliter respectiuum alterius, ipsique essentia sua connexum est, altero deficiente, & illud deficere necesse est: etenim, ex eo, quod deficiente altero illud perstet, huius cum altero realis inconnexio, ac negatio respectus transcendentalis realis ad alterum euidenter atque indubitato demonstratur: quare implicat realiter transcendentaliter respectiuum alterius, ipsique essentia sua connexum, maioris constantiæ, & necessitatis esse quam illud.

4. Patet in actione transcendentaliter relata ad terminum, essentiaque sua illi connexa; quæ proinde absque suo termino, nequit consistere: ac subinde neque maioris necessitatis esse, quam ipsum. Patet secundò in modis omnibus realibus rerum, quarum modi sunt, realiter transcendentaliter respectiuis, atque illis essentia sua connexis, & affixis, quique proinde rebus deficientibus consistere non possunt: igitur, & euidenti ratione, & apertissimis exemplis frequentibus innumeris minor postremi syllogismi euincitur: nimirum, si aliquid Deo intrinsecum realiter transcendentaliter respectiuum creatorum possibilium, ipsisque subinde essentia sua connexum esset, maioris necessitatis, quam creata possibilia, eorumve possibilitas minimè fore: vnde inferebat coram, Vasquez noster, & contra Suarium nostrum, aduersæ opinionis Patronum acerrimum, repugnante simiæ cauda Deum quoque repugnaturum, (cui Suarius præ sua pietate respondebat, rogans, vt in nobiliori materia illationem formaret, quam non fateri non poterat: sicuti, neque has huius sententiæ Doctores possunt diffiteri: ergo repugnante, vel pathice, vel cinipe, vel cuisce vna repugnaret Deus, excorandus sanè culex iste semper mihi in Dei nostri obseruantiam visus est, ne degustemus camelum.

5. Probatur secundo contra hunc primum modum conclusio. Admisso etiam Deum, siue omnipotentiæ, siue alterius cuiusvis diuini prædicati titulo creaturarum possibilium realiter transcendentaliter respectium, ipsisque essentia sua connexum esse, non inde inferretur medium sibi ipsi esse, in quo possibilia creata cognoscat; imò verò inferretur non posse esse medium in quo possibilia cognoscereet creata. Probatur de ratione medij, in quo aliud cognosci potest, omninò est, vt præcognoscatur, siue præuideatur aliquomodo, atque ex eo sic præcognito, præuisoue determinetur cognoscens ad alterius cognitionem, siue eadem, siue diuersa cognitione, de quo modo non disputo: ergo si eiusmodi præcognitio respectu cognitionis alterius obiecti repugnet, repugnat etiam esse medium in quo illud alterum cognoscatur: consequentia est legitima. Antecedens est aduersariorum doctrina, & de se patet, id enim quod cognitum determinat cognitionem, siue ad cognitionem alterius necessariò præcedit præcognitum ad cognitionem: illius si enim non ita præcedit vero aliquo sensu, etsi eadem cognitione vtrumque simul necessariò cognoscatur, simul necessariò vtrumque cognoscetur, quin vnum in alio tanquam in medio cognoscatur: quare, etsi non possit non cognosci cum illo, non poterit cognosci in illo, ni huius cognitio, alterius cognitionem aliquomodo antecedat.

Quocirca valde decepti sunt Doctores, tum nostræ, tum aduersæ Conclusionis: qui ex necessitate simultaneæ cognitionis duplicis extremi alterum esse medium in quo alterum cognoscatur, & ad alterius cognitionem determinatium concordes admittunt; cum tamen ex eo non sit præcisè maior ratio cur vnum potius, quam alterum ad alterius cognitionem determinet, sitque medium, in quo alterum, & non è contra cognoscatur: & sane cum triplex sit modus cognoscendi plura, quorum nullum sine alio cognosci queat: nempe, vel cum alio, vel in alio, vel ex alio: & necessitas simultaneæ cognitionis vtriusque sit necessitas solum cognoscendi vnum cum alio, qui rationem medij in quo aliud cognoscatur in sola necessitate simultaneæ cognitionis vtriusque absque præcedentia aliquali cognitionis vnius, qua mens ad cognitionem alterius determinetur, necessitatem cognoscendi simul vtrumque, seu vnum cum alio, sine cuius cognitione cognosci nequit, cum necessitate cognitionis vnius in alio citatæ confundunt, & subinde vnius in alio, & vnius cum alio cognitiones, imò verò & cum his confundunt etiam cognitionem vnius ex alio: siquidem medium in quo, à medio ex quo alterum cognoscitur, quoad vim moriuam intentionalem vnius ad cognitionem alterius minimè differunt; sed solum quoad diuersitatem cognitionum medij, & cognitionis alterius obiecti ex medio illo deductæ, vt communiter putatur: quare nulla alia necessitas cognoscendi vnum in alio, vel ex alio admitti ab his potest, nisi vltra necessitatem cognoscendi simul vtrumque, præcedentia aliqualis cognitionis alterius ad cognitionem illius, quod in ipso, tanquam in medio cognoscitur, admittatur, quam denique probat intentionalis motio medij determinantis, vt cogniti, ad cognitionem alterius quod in illo cognoscitur: eademque est, vt diximus, in medio in quo, atque in medio ex quo alterum illud cognoscitur. Quæ obiici possunt, diluam q. 5. cert. 1. vbi iterum hæc fusius, firmiusque stabiliam.

7. Eo igitur antecedenti, & legitimitate consequentiæ statutis pergit discursus in hunc modum cui repugnat præcognitio, siue aliqualis præcedentia cognitionis ad cognitionem alterius, repugnat ratio medij in quo cognoscatur illud alterum: atqui relatiuis omnibus, qua talibus repugnat præcognitio siue præcedentia cognitionis vnius ad cognitionem alterius: ergo relatiuis, qua talibus repugnat ratio medij in quo alterum cognoscatur. Minor (quæ sola probationem desiderat) suadetur: quia relatiua qua talia debent necessariò simul cognosci, ac proinde simul non solùm natura, sed & cognitione dicuntur esse ab Aristotele, & Philosophis: & ratio est: quia cum relationis, seu relatiui, qua talis totum esse sit ad aliud esse, nequit eius esse cognosci, nisi ad aliud cognoscatur, quod absque alius cognitione, & fors præcognitione fieri nequit. Tum sic: sed in iis, quæ simul cognitione necessariò sunt, repugnat vnius præcognitio, seu præcedentia cognitionis respectu cognitionis alterius: ergo relatiuis, qua talibus repugnat præcognitio siue præcedentia cognitionis respectu cognitionis alterius, nempe sui termini. Vnde legitimè infertur respectum siue relationem realem transcendentalem Dei ad creaturas, eiusque cum ipsis connexionem intrinsecam primi modi doctoribus modo permissam, non euincere in Deo rationem medij, in quo vel ipse, vel alius ipsum videns creata possibilia cognoscat; sed oppositum potius concludere. Nempe eius respectus titulo medij, in quo possibilia cognoscantur rationem Deo repugnare.

8. Ob hoc argumentum Soarius, oppositæ sententiæ cum primis Patronus, noluit eius veritatem à respectu transcendentali Dei ad creata possibilia pendere cum citato loco tom. 1. in 3. p. d. 27. sect. 1. §. *secundus modus*, ex quo potius oppositam sententiam euerti videbat. Sed dices; proloquium illud de relatiuis, quod scilicet necessariò simul cognitione sint, non de relatiuis transcendentaliter, & entitatiue ac essentia sua connexis, sed de relatiuis prædicamentaliter intelligi solum debere. Præuenit tamen solutionem Soarius loco vltimo citatus, (quem nobis familiares Murciani Recentiores satis docti, & ingeniosi imitantur) dicens: relatiua transcendentaliter, quoad modum cognitionis, relatiuorum prædicamentaliter naturam induere: id quod certissimum est: etenim, quoad respicientiam sui termini essentialem (vnde relatiuis prædicamentaliter, qua talibus, simultaneæ cognitionis necessitas obuenit) æquant relatiua transcendentaliter relatiuis prædicamentaliter sunt: solumque in eo differunt, quod relatiua prædicamentaliter ex accidenti relata sunt; relatiua verò transcendentaliter non ex accidenti, sed entitate, & essentia sua sunt relata, & ad aliud; quare, sicut illa secundum relationis ipsis in suo esse constitutis accidens, simul esse, & cognosci cum suo termino necessario debent, neque, qua talia, prius suo termino esse, cognosciue possunt; ita transcendentaliter relata entitate, & essentia sua simul cum suo termino, in eo statu, quo eius transcendentalis respectus terminus est, esse cognosciue necessario debent, quin prius illo esse, cognosciue vsquam valeant.

9. Dices tandem: argumentum hoc sophisma fallax inde conuinci: quod omne medium cognoscendi vnum in alio, vel ex alio nobis prorsus è medio tollat: etenim vis medij omnis, in quo vel ex quo aliud à nobis cognoscatur, vtriusque connexioni vnice innititur, & necessitate

coexistentiæ, siue existentiæ simultaneæ extremorum, seu medij cum extremo, ita vt alterum siue altero esse repugnet: ex hoc autem rationem medij impediri, aboleriquæ argumentum contendit, & probat, si quid probat. Verum respondetur facilè primo: connexionem medij cum extremis, in qua vis tota inferendi syllogistica fundatur, & nititur, non esse connexionem realem, siue respectum transcendentalem realem medij ad extrema, seu cum extremis, sed metaphysicam, seu logicam, rationisque totam: est enim connexio identitatis medij, & extremorum inter sese, connexio autem identitatis, realis connexio, aut respectus esse non potest; siquidem eiusdem ad seipsum realis, ac non fictus, pureque rationis, esse nequit. Quod autem connexio terminorum, cui tota vis syllogistica ad inferendum vnum ex alio, tanquam medio connexio identitatis extremorum sit, constat: quia in præmissis identitas extremorum cum medio asseritur, indeque deducitur extremorum identitas in conclusione.

10. Fateri tamen oportet ex connexione physica, & transcendentali respectus vnius ad aliud quandoque ad syllogismos propositionibus in materia necessaria efformandos connexionem identitatis extremorum cum medio, cui vis syllogistica proximè, & formaliter innititur, indagari à nobis, & deprehendi: atque eiusmodi connexionem physicam à nobis cognoscendam esse primò, vt inde connexionem illam identitatis extremorum venemur, ac deprehendamus: tuncque solùm cognosci necessitatem simultaneæ existentiæ physicè, & realiter connexorum, siue realiter transcendentaliter respectiuorum: quia id solum nosse ad connexionem identitatis extremorum, quæ formæ, & virtuti illatiuæ syllogisticè proximè & formaliter subseruit, satis nobis est. An verò prima illa cognitio connexorum, realiterque respectiuorum alterius in altero tanquam medio à nobis habeatur parui ad rem præsentem refert: quandoquidem à nobis ea per species alienas, & abstractiua cognitione habetur, ex qua ad visionis, & intuitiuam cognitionem, quam de se Deus, suoque transcendentali reali respectu ad creata possibilia, & connexione physica, cum illis (quæ modo permittimus) nulla esse potest legitima illatio. Visionem igitur intuitiuâ respectu sui transcendentalis ad creaturas possibiles physicæque connexionis Dei cum illis, absque simultanea, vt minimum, naturæ simultate, cognitione sui termini, nempe possibilium creaturarum constat esse non posse: quare nec posse esse sibi ipsis medium in quo illas cognoscat, vt proximo argumento ostendebamus.

11. An verò necessariò simultanea de termino transcendentalis realis sui respectus & physicæ cognitionis, modo à nobis permissæ, cognitio, intuitiua, an abstractiua solum esse in Deo deberet: fortasse perconteris: Respondeoque intuitiuam in ea hypothesi Dei de sui respectus, & connexionis termino, nempe creaturis possibilibus necessariò fore: tum è Dei illas cognoscentis perfectione in genere cognoscentis summa, tum quia cum eas non cognosceret in se tanquâ in medio, vt ostendimus argumento proximo, sed in ipsis cognosceret, vnde abstractiua ac non intuitiua earum cognitio esset, non haberet. Denique an eo respectu reali transcedentali Dei ad creata possibilia admisso (ex quo medium in quo ipsa cognoscantur eum intuenti Deo esse non potest, ob impossibilitatem præcedentiæ aliqualis nõ fictæ cognitionis de Deo ad cognitionem creaturarum possibilium necessitatemque simultaneæ, vt minimum simultate naturæ, cognitionis termini cum relato transcendentaliter ad ipsum cognitio simultanea possibilium Beatis Deum intuentibus intuitiua etiam foret, an sufficeret abstractiua, etsi non ex Deo, vt medio physico, sed aliunde habita? ad rem præsentem non facit alterutro modo respondeatur. Nec firmum aliquid pro altero determinatè asserendo nobis occurrit. Cum nec entitatiua Beatorum (etiam Angelorum,) nec status beatitudinis perfectio obiectorum aliorum à Deo abstractiuam in ipsis cognitionem detrectet; neque opus videatur ad eius relationis, quæ diuersa entitatiue à suo termino dubio procul esset, visionem terminum quoque videri, sed satis fore videatur, vtcumque simul cognosci.

CERTAMEN III.

Secundus modus dicendi affirmantem nostræ aduersam sententiam independenter à respectu transcendentali Dei ad creaturas reiicitur.

1. SEcundus modus tuendi affirmatiuam, negatiuæ nostræ aduersam, independenter à respectu transcendentali Omnipotentiæ ad creaturas possibiles ob eminentialem earum omnium continentiam in illa (Quod ipsum de continentia eminentiali intentionali, & representationis earum in Scientia & beneplacito diuino dicendum esse doctoribus est) sic impugno, de ratione medij in quo aliquid cognoscitur, est determinare intentionali sua motione intellectum determinatè cognitione sui ad cognitionem alterius; sed quod indifferens est ad coexistendum cum illo altero, vel eius contradictorio, siue, vt cum illo, vel eius negatione coniungatur, nequit determinare intentionali sua motione intellectum ad cognitionem alterius determinatè, potiusquam oppositi: ergo, quod est ita indifferens nequit esse medium, in quo alterum determinatè præ eius contradictorio cognoscatur. Tum sic: sed Omnipotentia absoluta, nec transcendentaliter respectiua creaturarum, reque ipsa inconnexa cum illis, est indifferens de se ad coexistendum, siue, vt coniungatur cum creaturis possibilibus earumque possibilitate, vel cum earum impossibilitate, & repugnantia, etsi eas omnes eminenter contineat: ergo ita absoluta ab illis, & inconnexa re ipsa omnipotentia, (& diuina alia) etsi eas omnes eminenter contineat, nequit esse medium, in quo illas, earumque possibilitatem, præ impossibilitate cognoscat Deus. Discursus est legitimus, ac, si præmissæ vtriusque syllogismi constent, rem prorsus euincens: subsumptum autem ad illationem postremam euidens est: siquidem nihil aliud est Omnipotentiam (& diuina reliqua) omnia eminenter continentem possibilia, ab eis absolutam, reque ipsa inconnexam transcendentaliter cum eorum possibilitate esse, quam de se atque entitate sua esse indifferentem, vt coexistat, siue coniungatur cum eorum possibilitate, vel cum eorum impossibilitate, & repugnantia: atque eis omnibus implicantibus æque, eandemque permanuram, quæ modo non implicantibus permanet.

2. Maior syllogismi primi est medij, in quo aliud cognoscitur, definitio. Minor autem, me, & aliis etiam iudicibus euidens: etenim, etsi à principio indifferenti possit esse libera determinatio, determinatè ad vnum potius, quam ad eius oppositum, vt patet in Dei, & creati arbitrij liberis determinationibus proximè à principio indifferenti conceptis, & exercitijs: est à principio naturali, naturaliterque, ac non liberè se determinanti, si indifferens ad vtrumuis de se, naturaque, & entitate sua sit, nequit ad alterum extremum potius, quam ad eius oppositum determinatio procedere: siue realiter, siue intentionaliter actiuum, vel motiuum principium illud sit: quia nimirum in naturaliter, ac non liberè actiuis, vel motiuis principiis determinatio exercitij, & motionis in actu secundo ex determinatione principij in actu primo ad vnum determinatè præ alio exercitium & motionem in actu secundo debet prouenire; vt propterea statum principium, & dignitas apud Philosophos sit *naturam* (id est naturalia agentia naturaliter operantia, vel operatiua) *determinatam esse ad vnum*: secundò ex rebus omnibus non connexis entitatiue, seu entitate sua cum aliis, sed ab illis re ipsa absolutis; quæ ideirco media, in quibus alia illa cognoscantur esse nequeunt: sin, aliam eedo nobis causam, cur Symia in quo Psytthacus cognoscatur, aut ego, in quo cognoscatur Alexander Papa Septimus, media esse non possumus, nisi, quod natura, & entitate nostra illam ad Psytthaci existentiam, eiusve negationem; ego verò ad negationem, vel existentiam Alexandri septimi indifferentes sumus, & cum alterutro coniungibiles.

3. Probatur inde negatiua sententia secundo: quia,

Deus secundum omnia sua prædicata, iuxta secundum hunc modum absolutus à creaturarum possibilitate, statuitur, & maioris necessitatis, quam creatorum possibilitas, infertur, Scientiam Dei in se, vt medio de possibilibus non esse summè, & digne Deo infallibilem, neque eius veritatem maioris necessitatis, & constantiæ esse, quam sit creatorum possibilitas: id quod & absurdum de se est, & suppositioni aduersatiorum de independentia, & absolutione cuiusvis prædicati diuini à respectu transcendentali ad possibilia, realique connexione cum ipsis aperte repugnat: siquidem Scientia diuina, quæ in sui, suæque veritatis intrinsecæ constantia à possibilitate creaturarum ita pendet, vt hac sublata, & ipsa eiusque intrinseca veritas nusquam sit permansura, dubio procul essentia sua connexa reipsa cum eorum possibilitate est, eamque realiter transcendentaliter respicit: quidquid enim essentia, & entitate sua absolutum transcendentaliter ab alio, ipsique inconexum prorsus re ipsa est, alio sublato persistet: quinimo nec vnde euidentius vnius realis transcendentalis respectus ad aliud, entitatisque cum ipso connexio demonstratur, quam ex destructione vnius ad sublationem alterius.

4. Illationem illam de præiudicio infallibilitatis dignæ Deo Scientiæ Dei de possibilibus in seipso, tanquam in medio, omnino à creatorum possibilitate absoluto; sic probo: etenim Deus ita omnino à creatorum possibilitate absolutus medium naturale, ac ad eorum cognitionem ducens erit, nec libere ad ea cognoscenda intentionaliter mouens, vt patet, ac per se notum, etiam aduersarijs est: quare quamdiu in se manserit ad illa cognoscenda æque Deum ducet, naturaliterque, & necessariò intentionaliter mouebit; ast maneret in se, etsi per impossibile creatorum possibilitas repugnaret, cum ab eius per hoscè reali transcendentali respectu sit omnino absolutus, eique prorsus reipsa per hos doctores inconnexus: ergo, si creatorum possibilitas repugnaret Scientia Dei in se tanquam in medio de creatorum possibilitate falsa foret: ergo eius infallibilitas, & veritatis constantia pendet à possibilitate creaturarum, nec est ab ea absoluta contra huius secundi modi suppositionem: siquidem eius de earum possibilitate, & Scientiæ & intrinsecæ illi veritatis constantia, & permanentia à possibilitate creaturarum omnino dependet. Pergo inde: ergo Scientia Dei ita creatorum possibilitate absoluti, de possibilitate creatorum in seipso, tanquam in medio, non est dignè Deo infallibilis, siue necessitatis, & constantiæ dignæ Deo in sui veritate. Patet: quia, cum pendeat eius infallibilitas, & veritatis suæ necessitas, & constantia ab infallibilitate, & necessitate, ac constantia possibilitatis creaturum, maior, quam huius infallibilitas constantia, & necessitas, quare & digna Deo, esse non poterit.

5. Vtrique argumento respondet (qui omnia in re Theologica vidit, & præuidit) Ruiz de Scientia citata d. 24. section. 3. & 4. numero 15. de futurorum à Deo in sua Omnipotentia, & idæa cognitione agens, quod nos de possibilium à Deo in se tanquam medio cognitione iunenes adhuc, pro aduersatijs meditati sumus, & impugnauimus. Nempe Dei Omnipotentiam (& idem esto de Scientia comprehensiua, & complacentia de possibilibus proportione seruata) esse potentiam de se non repugnantiam, siue omnium, si vel casu quo non repugnent: quare posita absolutè non repugnantia creaturarum eademmet, quæ quasi conditionata illarum potentia, & continentia eminentialis actiua erat, purificata conditione possibilitatis creaturum in particulari, (qua, vt absoluta potentia, & continentia actiua illarum determinate, & in particulari esset, indigebat) illarum determinate, & determinata absoluta potentia est. Cum autem eatenus Omnipotentia Deo intrinseca medium determinatè, & absolutè determinans ad cognitionem possibilium in particulari sit, quatenus eorum in particulari absoluta potentia, & actiua eminentialis continentia est, eademmet, quæ pro priori ad creatorum possibilitatem medium solum quasi conditionatum ad creata possibilia cognoscenda ratione similis conditionatæ continentiæ erat, nec magis determinatè seu determinans medium ad illarum determinate cognitionem, purificata conditione possibilitatis illorum in particulari medium absolutum determinate, & determinans ad eorum cognitionem Deo erit: ita, vt, sicut absoluta possibilitas entitatiua creaturum conditio est, sine qua non, absolutæ continentiæ earum eminentialis actiuæ, siue omnipotentiæ absolutæ earum in genere entis, sic etiam absoluta earum veritas, & cognoscibilitas obiectiua possibilitatis absolutæ earum comes, sit conditio, sine qua non, rationis absoluti medij, ob quam in omnipotentia eadem absolutè contineantur in genere veri, & obiectiuè cognoscibilis. Et hanc quidem solutionem arripuerunt ingeniosi Recentiores sæpè memorati Complutenses, & Murciani ex nostris.

6. Fateor acumen solutionis, quam exemplis ex humanis, & diuinis sic olim illustrabam: ex humanis siquidem, & nostræ voluntatis decretum, & votum conditionatum absque vlla sui intrinseca variatione idem, ipsumque sola conditionis purificatione transire in absolutum à Theologis communiter dicitur; solaque vt absolutum sit idemmet, quod conditionatum pro priori erat, purificatione conditionis, tanquam conditione, sine qua non eget, quod ipsum in decretis conditionatis ex parte obiecti diuinis, vt transeant in absoluta vlu venit. Secundum exemplum pure diuinum, & ad rem præsentem accommodatissimum, ex scientia Dei de eisdem possibilibus desumitur: etenim eademmet adhuc formaliter inuariata Dei scientia, quæ pro priori ad creatorum possibilitatem Dei absoluta cognitio & repræsentatio formalis tantum erat; cæterorum vero possibilium conditionata solum formalis repræsentatio, sola possibilitatis eorum absoluta positione, & purificatione conditionis absoluta eorum repræsentatio est: quia eorum absoluta veritas, & obiectiua cognoscibilitas supponi necessario debet, vt absolute cognoscantur: ac proinde conditio, sine qua non, est, vt scientia Dei, pro priori conditionata solum de ipsis, eademmet inuariata, quoad intrinsecum in absolutam transeat, atque ad ea formaliter repræsentanda profiliat, atque explicetur.

7. Cæterum, neque his illustrata exemplis solutio argumentorum difficultatem euacuat, contra primo: quia, vel absoluta omnipotentia, vel actiua eminentia & continentia absoluta possibilium in ipsa, quoad intrinsecum sui indiget possibilitate absoluta ipsorum, vel non eget? si postremum, ergo absoluta potentia, & continencia eminentialis actiua omnipotentiæ erga possibilia in particulari quoad intrinsecum indifferens est, vt coexistat, & coniungatur cum possibilitate, vel repugnantia eorum in particulari: ac proinde absque illorum in particulari possibilitate esse quoad intrinsecum, poterit: vnde nec poterit esse medium, quoad intrinsecum sui, omnipotentia cognita ad eorum in particulari possibilitatem determinate inferendam, nec scientia Dei de possibilibus in particulari habita in omnipotentia, tanquam in medio, erit infallibilis diuinæ. Si autem omnipotentia, & actiua eorum in particulari eminentialis continentia absoluta, quoad sui intrinsecum, illorum in particulari absoluta non repugnantia, & possibilitate eget, ita, vt absque ea esse non possit: ergo omnipotentia absoluta possibilium in particulari à creaturis absolutè dependens, & reipsa necessariò connexa contra huiusmodi secundi suppositionem est.

8. Confirmatur & explicatur impugnatio: quia, vel expositione possibilitatis absolutæ possibilium in particulari, Deo extrinsecæ suboritur intrinsecè in Dei Omnipotentia aliquid, quo ipsa determinetur à Deo existendum necessariò cum ad illorum absoluta possibilitate, & non cum eorum repugnantia, vel non: si postremum: æquè inepta est posita etiam illorum absoluta possibilitate, vt medium sit determinans ad possibilia in particulari cognoscenda, seu indicanda, & infallibilitatem Deo dignam Scientiæ diuinæ in ipsa, tanquam medio habitæ, atque pro priori ad possibilium

possibilium in particulari absolutam positionem: si primum: iam aliquid Deo intrinsecum ex creaturis possibilibus Deo adnascetur, & augescet, (quod absurdissimum de se est) ac insuper aliquid Deo intrinsecum realiter transcendentaliter creaturarum possibilium respectiuum, ipsisque entitate sua connexum erit contra aduersariorum, vt dixi suppositionem.

9. Vrgeo: vis illatiua, seu determinatiua medij ex cognitione sui ad cognitionem alterius in ipso per eandem, vel ex ipso per diuersam cognitionem, nequit adnasci medio ex alterius in ipso vel ex ipso extrinseca positione; alioqui, non ex vi medij seu, in, vel ex medio alterum cognosceretur, sed contra potius ex hoc altero medium cognosceretur, dicique æqua facilitate posset assensum conclusionis ad præmissarum assensum posse supponi, quod est implicatorium. Quod si dicas; vim quidem determinatiuam in actu primo Omnipotentiæ ad iudicium possibilium de possibilitate in particulari intrinsecam, atque omnino independentem à possibilitate esse: secus autem determinationem in actu secundo, siue eius determinatiuæ virtutis exercitium, quod à possibilitatis extrinseca positione, tanquam à conditione necessaria dependet: Contra est: quia eadem facilitate dicam quamuis creaturarum posse esse medium in quo, & ex quo cognitionis cuiusvis alterius creaturæ, quantumuis ab ipsa dissitæ, & disparatæ: quia æqua facilitate dicam: in quauis creatura esse vim intrinsecam determinatiuam in actu primo ad cognitionem, & iudicium de altera, quantumuis dissita, & disparata: Cæterum exercitium determinandi ad eius iudicium ab eius extrinseca positione pendere, vide solutione, & doctrina hac totam inuerti philosophiam, & euerti.

10. Iam exempla illa de nostris voto, & decretis ex parte obiecti conditionatis physicè loquendo falsum est eadem inuariata intrinsecè sola conditionis purificatione in absoluta transire; etsi moraliter, & quoad obligationem in absoluta transeant, & absoluta alia decreta inferant, ni antea rescisa, & retracta sint, vt absolutè id, quod volumus, vel decreuimus, apponamus. De similibus verò decretis diuinis, etsi eorum diuersitas nequeat physica esse, sicuti nec secundum exempli è scientia Dei de possibilibus, aliisque Deo extrinsecis obiectis petiti (quo video Soarium supra vsum) difficultatem nostrorum argumentorum non emollit: in primis enim obiectiuam veritatem obiecti purè materialis, & terminatiui solum ad exercitium suæ cognitionis supponi debere commune Philosophis est; etsi diuinæ Scientiæ ob omnimodam à creatis independentiam creata obiecta vera causalitate non præcedant, sed totam eius repræsentationem formalem, qua omniscientia, & è genere suo infinita simpliciter per termini, etiam extrinseci, denegationem formaliter est, à Deo ipso tanquam intentionali principio, & obiecto formali primario, & specificatiuo adæquato è suo genere, itidem infinitis supponant. Vnde creatis obiectis nullum, vel illam specificandi, vel mouendi intentionaliter, tanquam media motiuaue supereſſe locum docuimus; at verò virtutem medij determinatiuam naturalem ad cognitionem termini, vel in actu primo, vel in exercitio à termini ipsius positione pendere diuersissimum est, atque Philosophis, & Theologis inauditum: imo totius Philosophiæ euersiuum, & inuersiuum: quæ ab vno ad aliud paritas disparet.

11. Et quamuis aptior paritas vtriusque foret, atque scientiæ exemplum rei præsenti prorsus aptari videretur; non statim similis dependentia, vel virtutis determinatiuæ medij ad cognitionem alterius vel exercitij eius ab alterius illius positione admittenda esset: siquidem in Scientiæ diuinæ ad extrinseca obiecta extensione absque vllo suæ intrinsecæ repræsentationis augmento, solaque extrinseca ipsorum positione admittenda, mysterium est, in quod è Dei intrinseca immutabilitate, atque à creatis independentia, & fide, & euidentibus rationibus nuper attactis notissima agimur; quod non ad alia transmittendum, vbi nec fides, nec rationis euidentia cogat, ne tota Theologia mysterium sit. Cum autem perspicuum ex dictis sit rationes, & fidem ad extendendum hucusque diuinæ Scientiæ mysterium non adesse; quin potius huic extensioni rationem valide aduersari: etsi nihil amplius, quam in exemplo scientiæ in ratione medij reperiretur, admitti in hoc mysterium simile nec deberet, nec posset: & quidem in sententia Soarij, qui hoc exemplo vtitur citata d. 30. metaphysic. section. 17. numero 47. Omnipotentia, etsi à voluntate formaliter distinguatur, secus à Dei essentia, quam in Dei cognitione formaliter constituit; ast Dei Scientia formaliter, qua talis non est medium in eius sententia in quo creaturæ à Deo cognoscantur, sed formalis earum repræsentatio: ergo, nec omnipotentia formaliter, qua talis, est medium Deo cognoscendi creaturas, sed earum formalis cognitio. Nec refert, vt directè sumptam, &, vt obiectum reflexè cognitum, cognitionem, quæ omnipotentia est, medium Deo esse, in quo creata possibilia cognoscat. Primò enim cognitionem reflexam cognitionis suæ in Deo à directa sui cognitione nullatenus, formaliter adhuc, differre Soarij doctrina est. Secundo: quia per ipsum Soarium, & omnes, etsi visio Dei intuitiua repræsentet formaliter Beatis Deum, sicuti est (trinum scilicet, & vnum) non tamen statim reflexè cognita, vt medium, Deum trinum & vnum repræsentat: ac proinde ex clara Dei visione nemo Beatus abstractiuam euidentem, nedum intuitiuam, Trinitatis cognitionem, tanquam ex medio teste etiam eodem Soario deducit: ergo nec Scientia Dei reflexè cognita Deum ducet ad cognitionem creaturarum tanquam in medio: maximè, quia pro eo priori creaturarum formalis repræsentatio non est, nusquamque cum illis est connexa: visio autem Beati Dei trini, & vnius, siue Trinitatis, formalis repræsentatio est illique re ipsa, & entitate sua connexa.

12. Sed explicare oportet quid omnipotentia absolutè & pro priori ad possibilitatis creaturarum positionem sit, quidque pro statu huius positionis illi accedat, vt potentia producendi determinate has creaturas possibiles sit, & absolutè dicatur in verosimiliori sententia, quæ omnipotentiam iuxta secundum hunc modum in respectiuam, & in connexam transcendentaliter, prorsusque à creatis possibilibus, (sicut, & diuina reliqua) quoad intrinsecum sui absolutam constituit: & quidem, pro priori illo, Omnipotentia nil creatum possibile, seu non repugnans non solum in particulari, sed neque secundum prædicatum commune non repugnantiæ realiter transcendentaliter respicit ipsive essentia, & entitate sua connexum est, vt vidimus certam. 1. à numero 5. etsi à nobis sine respectu ad illud prædicatum commune non repugnantiæ, seu possibilitatis concipi nequeat: quare & illius secundum dici, vt aiunt, non autem secundum esse, respectiua, & relatiua omnipotentia sit, vt conditionate ex parte termini commode ad nostrum captum explicetur: id est potentia producitiua omnium, si non repugnent, quamdiu in nullo non repugnantiæ, siue absolutæ possibilitatis non intelligitur purificata conditio: cum verò purificata pro posteriori possibilitatis, & non repugnantiæ absolutæ creaturarum conditio in vnaquaque earum deprehenditur illatum determinatè actiua potentia est, non quidem determinatione, quin intrinsecus eius virtuti ex absoluta rerum possibilitate adnascatur, & accedat, vt ostendimus, sed termini sui extrinseci determinatione positiua ad possibilitatem, quam pro priori signo Omnipotentiæ non habebat.

13. Quare potentiæ actiuæ absolutæ determinatè possibilium in particulari denominatio prorsus extrinsecà diuinæ Omnipotentiæ est, ab extrinseca eorum positiua determinatione ad absolutam sui possibilitatem, & non repugnantiam prouenions ob quam intra sphæram absolutæ prorsus actiuitatis, & Omnipotentiæ diuinæ trahantur, & sine qua progredi, & ab ea fieri nequeunt; non illius potentiæ, & virtutis actiuæ defectu, & impotentia, sed defectu suæ potentiæ passiuæ, vt fierent, quæ nisi positiua sui non repugnantia, & determinatione possibilitatis intrinsecæ suæ non habebatur. Non aliter atque homo albus, vt albus sit omnino absolutus, & indeterminatus est, vt alter homo albus sit, cui in albedine assimiletur, vel niger, cui dissimiletur: si tamen alter sit albus, & determinate similis illico ei is non intrinseca sibi deter-

minata

minatione, sed extrinseca prorsus sibi alterius hominis determinate albi positione: quare sicut ex hac extrinseca determinatione, vt similis ille alteri homini sit, non infertur, in illo esse determinationem necessariam, vt in ipso tanquam in medio alter homo albus cognoscatur esseue inferatur, & iudicetur, etsi, vt similis alteri, nec esse, nec cognosci iudicariue possit sine illo, quia hæc denominatio similis vtrumque album importat: ita, etsi denominatio omnipotentiæ absolutæ determinate possibilium in particulari, nec esse, nec concipi sine absoluta possibilitate creaturarum, quam, vtpote denominatio extrinseca omnipotentiæ claudit: quia tamen possibilitas horum in particulari, qua formaliter determinantur ad esse possibilium, extrinseca denominatio, ac non intrinseca omnipotentiæ est, medium illa cognoscendi omnipotentiam non efficient. Quod ipsum de absoluta denominatione scientiæ Dei de his, de quibus determinate, & in particulari scientia determinate: & est absolute ac dicitur dictum puta: completur enim intrinseca obiecto, & extrinseca scientiæ veritate, & cognoscibilitate.

14. Dictis consectarie venit singularitatis, inconsequentiæ notanda nostri Herice sententia d. 5. citata cap. 3. §. 2. & 3. asserentis creata possibilia in omnino absoluta ab ipsis omnipotentia ratione continentiæ realis eminentialis actiuæ illorum tanquam in medio cognosci; secus in eorum diuina scientia, & comprehensione reflexe cognita, (quam tamen cap. 4. n. 48. connexam realiter cum creatis possibilibus defendit) quia in ea non realiter, sed intentionaliter solum possibilia continentur. Caterum pluris ad rationem medij referre realem eius cum termino per illud cognoscendo connexionem, quam continentia in illo quæcunque, satis claret ex dictis. Secunda: quia ipse citato c. 3. §. 1. ex præcisa ratione connexionis, & respectus transcendentalis creaturarum ad Deum absque vlla continentia, vera actiua, vel intentionali Dei in creaturis docet Deum in ipsis tanquam in medio, vel ex medio seipsum cognoscere: multo ergo melius creaturas in sua earum scientia & comprehensione, quæ, ipso asserente, illis connexa, & respectiua realiter transcendentaliter earum est, & vlterius ipsas vere, & realiter intentionaliter continet, tanquam in medio, vel ex medio cognoscet. Tertio: continentia vera realis intentionalis creaturarum in scientia, & comprehensione per additum *intentionalis* non excluditur à veritate, & realitate continentiæ earum: neque enim per vocem *intentionalis* fictitiæ solum, seu rationis esse dicitur, licet à ratione procedat, sicut scientia, & cognitio ipsa realis earundem creaturarum, cui prorsus identificatur: cum ergo realis, & vera continentia sit: cur id non præstet, quod realis continentia alia actiua creaturarum in omnipotentia (est respectiua realiter transcendentaliter vlterius non esset) non facile inuenietur.

15. Quarto: quia ideo ait c. 3. num. 17. Deum creata possibilia in sua omnipotentia cognoscere, quia nequit hanc quidditatiue, nedum comprehensiue cognoscere, quin de illa iudicet esse potentem producere, quidquid iussibile, & repugnans non sit: ast nequit reflexe cognoscere quidditatiue, nedum comprehensiue, suam scientiam, & comprehensionem possibilium creaturarum, quin de illa iudicet esse clarè repræsentantem, & comprehensiuam illarum: ergo nequit illam reflexe cognoscere, quin in ipsa cognoscat creata possibilia: quod vrgentius probatur ex relatione transcendentali, & connexione scientiæ diuinæ cum creatis per ipsam repræsentatis, quam vlterius admittit, nequitque incognito termino cognosci. Respondet nu. 26. non posse eos conceptus cognitionis suæ de creaturis cognosci quidditatiue, nedum comprehensiue, quin simul Deus quidditatiuam intuitiuam, & comprehensiuam habeat de ipsis cognitionem, illam vero in ipsarum, vel ex ipsarum scientia tanquam medio à Deo non haberi, nec opus esse vt habeatur, sed vel e cognitione directa de obiectis, vel aliunde, solutionis doctrinam laudo, & statuebam fusè certam. 2. à num. 5. sed tamen cum Herize nostri, & communi doctrina non concordat: in qua ex connexione reali vnius cum alio cognitio vnius ad aliud in ipso cognoscendum deducitur.

16. Secundo: si, vt cognoscatur, & iudicetur, scientiam Dei de creaturis esse claram, intuitiuam, & comprehensiuam illarum repræsentationem, vt in se sunt, sufficit aliunde haberi à Deo simul earum quidditatiuam, & intuitiuam cognitionem, & iudicium, quin ad illud ex scientia de ipsis reflexe cognita, tanquam medio determinetur Deus: ergo, vt cognoscatur omnipotentia, vt potentia possibilium, & non repugnantium omnium productrix (quod non cognitis ipsis fieri nequit) satis erit simul, aliunde tamen, quam ex determinatione omnipotentiæ præcognitæ, possibilium haberi cognitionem: vnde eius ratio pro omnipotentia cuanescit. Tertio denique: posita absoluta omnipotentiæ in connexione reali cum possibilibus, etsi nostro hoc abstractiuo modo, nec concipi, neque explicari, nisi in ordine ad possibilia, hisque ignotis nequeat, ac proinde secundum dici, nostroque concipiendi modo relata ad possibilia omnipotentia sit; ast ab illam, sicuti est, intuentibus, vti à possibilibus in se absoluta secundum suum esse omnino est, ita ab eis secundum cognitionem sui absoluta prorsus erit: quare, ne simul adhuc, aliunde cognosci possibilia oportebit ad omnipotentiam intuitiue cognoscendam: quod secus in diuina de possibilibus scientia, & comprehensione realiter transcendentaliter possibilium respectiua, ipsisque per Herize connexa dicendum necessario erit.

CERTAMEN IV.

Vniuersim affirmans sententia, eiusque fundamenta exploduntur.

1. REiecimus singulatim vtrumque tuendæ affirmantis sententiæ modum: nunc à capite, vt aiunt, & vniuersim reiicienda eadem sententia est, ne suborturus forte posthac modus alius confutationibus libera nascatur, nostraque aliquando negatiua sententia nutet. Sic igitur illam vniuersim impugno. Primo: quia vt late qu. 5. ostendam, nihil potest Deus in alio tanquam in medio cognoscere: ergo nec possibilia in sua omnipotentia alioue suo attributo, aut prædicato diuino consecutio euidens vt patet omnino est. Antecedens citato loco affatim monstrabitur, vbi, & illud probandi media suppetent plura, quibus nunc scribendis proinde merito supersedimus. Secundo: quia, si Deus secundum aliquid intrinsecum sui sit medium absolute cognoscendi possibilia, naturale medium ea cognoscendi erit, naturaliterque, ac non libere, determinabit semel visum intuitiue ad omnium, neque ad aliquorum præ aliis cognitionem. Patet: quia, siue titulo connexionis relatiue transcendentalis respectus ad ipsa prædicati cuiusuis diuini, siue titulo continentiæ realis physicæ vel intentionalis eminentialis possibilium, in prædicato quouis diuino, æque possibilia omnia ab eo attinguntur, ad illudque spectant; neque vnum alio titulo potiori. Atqui beati omnes Deum omniaque prædicata diuina vident, vt de fide est ex illo Ioann. 3. *Videbimus eum sicuti est.* clareque intuentur: ergo æque ex parte obiecti in Deo viso tanquam medio ad videnda omnia naturaliter possibilia determinabuntur: ac proinde (absit miraculum) Beati omnes possibilia omnia in Deo, tanquam medio videbunt, neque vnus alio plura ex possibilibus, vel pauciora: consequens vero & absurdum & falsum Theologis omnibus est; ergo & antecedens.

2. Quot quantaque huius argumenti solutioni mouent aduersarij, cum hic, tum de visione creaturarum à Beatis in verbo disputantes: verum nihil eorum effugio argumenti aditum facit quod non sit argumenti facti terminis ipsis occlusum: etenim recursus ad perfectius lumen, siue naturale intellectus, siue supernaturale luminis gloriæ vnius Beati præ alio præclusus est; siquidem perfectius alterutrum lumen, vel imperfectius, solum conducit vt medium natura e, vel clariori ex specie sua, vel intensiori visione, quam ab aliis imperfectiore lumine alterutro, vel vtroque præditis videatur: quare medium siue Deum, & quæ in eo, vel ex eo videnda sint clarius perfectiusque á perfectiori lumine instructis videri, quam videatur ab instructis imperfectiori. Cæterum, cum æque, nec magis ad aliqua possibilia, quam ad reliqua cognoscenda

Deus intuitiue visus medium naturale, & naturaliter determinatiuum sit, quia æque, vt dixi, à Deo attinguntur, ad ipsumque spectant, quantumuis magis, minusue perfecte & clare videatur, dummodo clare, & intuitiue videatur, à magis, vel minus, imo & minime Beatis, tamen Beatis, æque, nec magis ad vnum, quam ad reliqua possibilia in ipso cognoscenda determinabit: dummodo vel ad vnum solum videndum in ipso naturaliter determinet, vti in aduersariorum sententia ad aliqua videnda in Deo, tanquam medio determinet, vel minime Beatum: etsi verum sit ad ea, vel clarius, & perfectius, vel minus perfecte, & clare, pro maiori, vel minore claritate, & perfectione visionis Dei medij, magis, vel minus Beatis sit locus.

3. Patet id quidem, siquidem, vt ad vnum possibile in ipso tanquam medio naturali videndum Deus visus, quantumuis minus clare, & remisse, naturaliter determinet Beatum: cum eodem titulo, & ratione prorsus inflectili, adhuc formaliter, æque primo naturaliter iuxta aduersariorum sententiam determinet ad illud, & ad reliqua, non est vnde naturaliter ad reliqua non determinet cognoscenda, & ad vnius, vel reliquorum tantum cognitionem in ipso habendam, vel ex ipso deducendam, naturaliter coarcterur, & teneatur. Ratione hac præoccupaui effugium aliud: quod nimirum à perfectius intensiuue Deum videntibus magis intimius, profundiusque (vt sic loquar) Deum medium penetrari: ex maiori vero, & perfectiori medij penetratione plures veritates naturaliter deduci certum experientia quotidiana est: quare mirum non esse, si Beati Deum intensius, perfectiusque videntes, plura in ipso possibilia naturaliter, quam remissius, imperfectiusque ipsum intuentes Beati alij cognoscant. Præoccupaui, inquam, solutionem hanc terminis illis *æque primo*: si enim æque primo Deus quocunque velis titulo ratione sibi intrinseca formaliter possibilia omnia attingit, eaque omnia ad ipsum æque primo, neque vnum ratione alterius, medioue altero, vtcunque clare, &, vt est in se, semel absoluteque visus, æque etiam primo, vt naturale medium ad omnia cognoscenda naturaliter, vel ad nullum in se, tanquam medio cognoscendum determinabit: quin sit ex parte motionis intentionalis, & determinationis naturalis Dei visi ad aliqua præ reliquis cognoscenda ratio vlla, vel apparens.

4. Inde euanescit exemplum adductum, atque ex eo instructa pro solutione instantia, etenim, quod frequenti experimento didicimus est, plures ex remotioribus, longiusque à medio distantibus veritates ab his, qui, vel maiori ingenij acumine, & profunditate pollent, magisque proinde, & viuidius, atque (vt modus cognitionis abstractiuæ nostræ patitur) clarius medium penetrauit, in illo, vel ex illo ita penetrato deduci, quia clarior, viuidiorque huius penetratio veritatum immediate in illo, vel ex illo cognoscendarum cognitionibus faciunt claritatem maiorem, quam habeant earundem ex minus clare viuide cogniti media cognitione, quæ adeo imperfecta propterea esse potest, vt mens illa ad vlteriores veritates deducendas progredi nequeat; vt posset, si primæ illæ clarius viuidiusque cognoscerentur, ex quo nihil pro cognitione vnius veritatis, vel plurium ex immediatis medio præ aliis immediatis, & æque proximis (vti possibilia omnia Deo sunt, vt diximus) deduci contra nos, & pro solutione data proxime, nemo non videat: maxime, cum Dei medij ad possibilia cognoscenda cognitio, visio ipsius intuitiua sit, vt stata lege Beatis omnibus vsu venit: id quod clarius ex iam dicendis patebit.

5. Certa sane proxime dicta, & explorato certa sunt. Negare tamen non possumus (quod experimento etiam quotidiano didicimus) ex viuidiore clariore, profundioreque per abstractiuas nostras cognitiones medij penetratione, plures etiam & immediatas, & proximas medio veritates deduci, quam ex obscuriore, minusque viuida, & profunda penetratione ipsius: quin, ex perfectiori, & profundiori terminorum propositionis vnius penetratione absque medio vllo eius veritatem dignosci, posseque, imò de facto elici assensum veritati in ea inclusæ, quæ est minus perfecta & profunda, sed quasi extima, & perfunctoria eorundem terminorum cognitione, nec dignosceretur; neque assensus ipse elici posset certum mihi est: & ex quo plura esse in Philosophia ac Theologia prima, nec per aliud & per se principia probabilia perspectum iamdiu habeo, præsertim ex lectione profundi nostri Vasquez. Etenim in huius præiactis ad suos discursus notationibus nullo medio illas sæpe probare, cum recens Theologiæ auditor viderem, sine fulcro illum, ac puro arbitratu suo discurrere sæpe, atque opinari censebam: postea vero notata illa meditatius, & terminorum propositionum, quas in eis statuebat, rursus legens, reperi propositiones illas doctoris profunditate, & penetratione terminorum ex ipsis, quos explicuit, terminis notas probabilissime fuisse, atque si eorum subiuncta à Vasquez explicatio attente legatur, cuiuis non inepto homini verosimillimæ apparebunt, quin plerumque aliunde ex mediis aliis suaderi earum veritas possit: id pro lectione tanti Doctoris obseruarim.

6. Verum, etsi ita hæc in abstractiuis mediorum cognitionibus perfectioribus, etiam quoad immediatas ipsis veritates, habeant, quia cum omnibus immediata medij connexio, nec de se, ac in se per illas nobis apparet, sed per species alienas, vel aliunde, vnde scilicet, connexio cum aliquibus cognosci potest, saltem facilius; secus cum alias; at vero medium in se videnti, & intuenti æque immediate veritates omnes attingens, & continens, nequit connexio eius cum aliqua veritate, quam cum immediatis reliquis magis, clariusque apparere, quare neque illud ad has præ illis in seipso cognoscendas naturaliter, siue, qua medium, & determinatiuum naturale mentem intentionaliter mouere, & determinare. Dixi proxime, & sæpe, medium intuitiue visum, qua naturale determinatiuum, & medium naturaliter ad vnam veritatem immediatam præ alia, imo quin ad omnes mouere non posse: ac proinde neque Deum, vt medium determinare naturaliter mouereue Beati ipsum, vt in se est, videntis intellectum posse ad vnum possibile cognoscendum, quin ad cognoscenda in ipso possibilia omnia naturaliter moueat, ac determinet, si miraculum ex Dei puro arbitrio abiit: vnde occurritur euasioni alteri, quod nimirum ex Dei voluntate magis Beato plura possibilia in Deo medio, minus vero pauciora monstrentur; id enim non miraculose modo, & vltra medij exigentiam naturalem; sed violente, & contra ipsius exigentiam fieret: mitiusque, & connaturalius esset, si ex sola Dei voluntate, ac non ex determinatione Dei medij, plura possibilia beatiori, minusque beato pauciora ostenderentur: si enim naturali motioni, & virtuti determinatiuæ medij standum sit, Deique velit, non ostendi in Deo medio Beatis omnibus omnia, naturaliter ac sine violentia eius virtuti determinatiue illata, est omnino impossibile: id quod solum argumentum nostrum contendit, & vt absurdum aduersarij inficiantur.

CERTAMEN V.

Ex fundamentorum euersione affirmantis impugnatio postrema.

1. VLtima affirmatis sententiæ vniuersim impugnatio, & negatiuæ nostræ probatio fundamentorum illius euersio est: & sane, quæ à ratione sunt obiter dificimus: nam quæ respectum realem transcendentalem Dei ad creaturas quouis titulo, siue omnipotentiæ, siue scientiæ, etiam comprehensiuæ vel Dei, vel possibilium difficimus certam. 2. & quoad comprehensionem attinet, cui insistit maxime pro affirmante sententia Abbiz constat ex dictis in simili quæst. 1. certam. 2. num. 2. & 3. Deum se perfectissime comprehendere, quin vllam in se, tanquam in medio, creaturam cognoscat, & quanquam nec Dei potentia, cuiusuis sue obiecti comprehensio, & scientia cognosci à nobis absque suis terminis possit, non probat suis, vel terminis, vel obiectis essentia sua connexas esse ratione respectus realis transcendentalis earum ad illa; sed solum ex imperfecto nostro modo cognoscendi, relata, connexaque illis esse secundum dici, quod secus euenit absolutas eas, vt in se sunt, intuentibus, quomodo se Deus videt, vt constat ex certam. 2. num. 12. atque ex pluries 1. & 2. qu.

dictis

dictis. Nec præstat contra dicta citatis locis pro comprehensione sui, etsi ex vi visionis sui, tanquam medij creata possibilia non videat, sed solum ex vi visionis sui, tanquam primarij obiecti, & adæquati specificatiui infinitæ suæ cognitionis: quod, si alia plura non ab ipso, vel factibilia, vel facta (per impossibile) essent, ac proinde nihil sui, adhuc extrinsecum, forent, in se etiam tanquam in obiecto primario, & specificatiuo, siue ex vi visionis sui, tanquam specificatiui, videret. Fateor enim sed comprehensio solum requirit, vt ex vi visionis obiecti comprehensa omnia illius, siue intrinseca, siue extrinseca videantur: non autem excludit quod eodem modo ex vi visionis obiecti alia videantur, si adsint.

2. Obicies vlterius: cum ens, & verum idem sint, quod dat rebus esse, dat & verum, seu posse cognosci; ast omnipotentia dat rebus esse: ergo & dat verum, seu cognosci posse, hoc est cognoscibilitatem: hoc autem dat medium iis, quæ in ipso cognoscenda sunt: ergo omnipotentia est medium in quo cognoscenda sint creata possibilia, id quod his terminis instruit Herice, sicut se res habet ad esse, se habet ad cognosci: ergo omnipotentia, quæ est causa rebus, vt sint, causa erit, ac medium, vt cognoscantur. Nihil in obiectione non æquiuocum. Distingue maiorem primam, quod dat effectiue esse dat effectiue verum seu posse cognosci pure terminatiue, & materialiter fateor; cognoscibilitatem dat motiue, &, vt ratio formalis cognoscibilitatis illius diffiteor; & similiter, datamore de donatione effectiue ab omnipotentia, distingue consequentis, ergo & dat effectiue verum pure terminatiue, & materialiter, idest materiam, & terminum, seu obiectum cognitionis, concedo (quod enim reuera, & solide non est, sed solum apparenter esse, reuera vere non cognoscitur) concedo; dat motiue, &, vt ratio formalis cognoscibilitatis, siue ob quam tanquam ob determinatiuum cognosci possint, nego consequentiam, ita, autem, non effectiue solum, dare debet medium, qua medium, cognoscibilitatem seu verum obiecto: idem respondendum est eidem difficultati vt ab Herize proponebatur; in qua antecedentis, sicut & aliorum axiomatum vulgarium, &, vt sonant, arreptorum, plures sensus falsi sunt, vixque vnus verus. Adde omnipotentiam non dare esse possibilibus, qua talibus, de quibus quæstio, sed existentibus: neque esse actiuam adhuc possibilium qua talium: vade patet, extra rem quæstionis huius, & inepte contra nes vtrumque argumentum efformari.

3. Ex Sancto Thoma opponuntur plura 1.p.q.12.a.8. *Omnia sunt in Deo sicut effectus virtute in sua causa: sic igitur videntur omnia in Deo sicut effectus in sua causa: ille autem intellectus perfect in causa comprehendere omnes effectus, qui causam valet comprehendere*, quibus similia scripsit 1. contra Gentes cap. 69. vbi generalem hanc suam doctrinam cognitioni creaturarum a Deo sic applicuit, *effectus cognitio sufficienter habetur per cognitionem causæ: cum igitur Deus suam essentiam perfectissime cognoscat, per quam est causa, oportet ponere quod alia cognoscit*, & lect. 3. in cap. 7. Dionysij, *in ipso Diuino esse existit omne esse. Aliter enim per suam essentiam non posset omnia cognoscere, nisi omnia causaliter in ipso essent.* Hæc ex Sancto Thoma difficiliora, & quæ verosimiliter satis illum pro affirmante sententia sistunt; quin probabilis (in eo iudicio, & ingenuitate) responsio sit, velle ipsum tantummodo creaturarum cognitionem emendicatis speciebus a creatis obiectis non egere: quæ, licet aliis iam obiiciendis conueniant, non autem recitatis locis, vt verba demonstrant, nam potentia speciei tota ad cognitionem est, non ad obiecta; & tamen Sanctus Doctor ex potentia Dei ad obiecta, non autem ad cognitionem, infert in se, tanquam in creatorum omnium causa a Deo cognosci. Nec loquitur de se vt medio materiali solum: aliud mihi enim verba sonant.

4. Cum autem vbique Deum absolutum à creatis dicat, cum quo, vt vidimus, medium ad creaturas cognoscendas esse repugnat, non eo illum sensu, quo volunt aduersarij, locutum fuisse verosimilius est. Respondeo ergo generale principium eis locis statuisse effectus nimirum in suis causis cognosci: quod certissimum est, non autem respectu omnium cognoscentium, & modorum cognitionis eodem modo verificandum docuisse: nam in creatis intellectibus abstractiue causas cognoscentibus effectus tanquam in medio cognosci: & eo plures, quo perfectius profundiusque, & plenius causa cognoscitur, vt docuimus, experientiaque notissimum supponit, idque independenter à respectu reali transcendentali, & connexione physica causæ, ad rationem medij physici necessario, cum suis effectis cognoscendis: cum ad abstractiuam cognitionem extremorum in medio, vel ex medio, cuius cognitione extremorum cognitio deducitur iudicatiua, logica, & metaphysica eiusdem ad seipsum connexio sufficiens sit, ac sola subseruiens, vt diceebamus cert. 2. Beatis vero Deum intuitiue, & vt in se est, videntibus, etsi medium physicum naturale Deus non sit, iuxta dicta à certam. 2. & præsertim certam. 4. pro meritis, & perfectione visionis Beati vniuscuiusque de Deo omnium causa, Deus medij partes supplet, quæ sic viso sibi non suppetunt: vt videns ea videat, quæ si abstractiue eadem proportione cognosceretur, cognosci in ipso, tanquam causa, & medio deberent.

5. Deus autem se rerum causam infinite clarius, & perfectius videns reliqua videt, non quia ratione causæ, qua tali, vt medio, in quo illa cognoscat, vtatur: quod doctrinæ Sancti Thomæ repugnat; ac proinde nusquam omnipotentiæ (quæ ratio formalis causæ creaturarum, & actiua earum eminentialis continentia est) eis meminit locis, sed essentiæ, quæ neutrum formaliter est. Altiori igitur sensu in se, vt causa, atque quia se omnium causam, & omnia in se suaque essentia continentem creata omnia Deum cognoscere deducit: etenim, cum Deus eminentissima, ac perfectissima causa sit: cunctaque proinde in genere entis, cum actiue, tum idealiter in sua essentia contineat, (alioqui nec omnia actiue nec rationaliter, & libere à se producibilia contineret, alteri cuiusque defectu eminentissima, ac perfectissima creaturarum causa non esset) sit vt rationem omnium entium obiectiuam formalem, eminenter tamen, in suo formalissimo esse contineat: ac subinde rationem veri seu cognoscibilis, siue idem formaliter cum ratione entis sit, siue formaliter diuersa (quod parui ad rem præsentem attinet) eadem, vel simili eminentia claudat, cum autem ex suo infinito esse, (quod proinde omne aliud esse continere debet, cum actiue, tum idæaliter, vt causa omnis alterius esse perfectissima sit) obiectiue proueniat eius cognitionem infinitam è genere suo, & omnium scientiam esse: fit itidem ex hac omnis entis, & subinde veri formali eminentiali continentia essentiæ diuinæ ad rationem causæ cum actiuæ, tum idæalis perfectissimæ præsupposita, rationem formalem adæquati specificatiui diuinæ cognitionis ad omne ens verum, seu cognoscibile formaliter repræsentandum formalissime prouenire: ac tandem ad rationem causæ omnium Dei de omnibus cognitionem esse reducendam, (non formalis quidem causæ, sed præsuppositiuæ) seu formalis eminentialis continentiæ omnis esse, & entis in essentia diuina, absque qua omnium causa neque actiua, neque idealis Deus foret.

6. Idcirco sanctus Thomas non ad omnipotentiam, seu virtutem actiuam formalem vt in se tanquam causa creatæ cognoscceret, recurrit, sed ad essentiam in qua formaliter, & formalis eminentialis omnis entis continentia est: clarius autem suam hanc doctrinam tradit 1.p.qu.14. a.5. verbis illis, quæ opponi etiam nobis solent. *Alia autem à se videt non in ipsis*, tanquam formalibus ea videndi rationibus (nam materialiter, & terminatiue in seipsis ipsa absque dubio videt) *sed in seipso: in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*, quibus lucem accipiunt verba data ex lectione 3. in cap 7. Dionysij, quæ duobus prius recitatis, clarius hanc doctrinam insinuant, & aptissime ad testimoniuum Dionysij, quod interpretatur, nobisque etiam obiici solet: sicque habet. *Si secundum vnam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit: secundum eandem causam scit omnia ex ipso existentia*: quæ sic vertit Hyparistiot. *Si secundum vnam causam Deus omnibus impertit, vt sint, secundum illam ipsam causam cognoscet omnia quæ ex ipso sunt* (nota sequentia) *& ex ipso exiterunt*, addit Dionys. ibidem: *in ipso diuino esse existit omne esse. Aliter enim per suam essentiam non posset omnia cognoscere, nisi omnia in ipso causaliter essent. Neque enim ea quæ sunt, ex iis quæ sunt, nouit diuina mens, sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, notitiamque*

anticipatam

anticipatam habet. Sic legit hæc Ambros. Florent. apud Herize d. 5. c. 5. *ex se & in se secundum causam omnium notitiam, & scientiam, atque substantiam anticipat.* Pergit Dionys. *Non quod per speciem, sicuti nostræ cognitiones singula considerat; sed uno causæ complexu, ipsa enim seipsam omnium causa cognoscens diuina mens, qua tandem ratione, quæ ab ipsa sunt, & quorum causa est ignorabit? Hac igitur ratione Deus entia nouit non entium scientia* (tanquam specificatiuorum vt nobis euenit) *sed sui.*

7. Hæc inquam omnia de se satis obscura, & ambigua data nostra doctrina claresc unt, quam mutua etiam vicissitudine illustrant; siquidem ad continentiam formalem eminentialem omnis entis, & esse creati in ente à se, seu essentia diuina ad causæ, & omnipotentiæ rationem formaliter presuppositam reducitur tandem à Dionysio, eiusque interpretibus de creatis omnibus scientia, & cognitio diuina. Secundo formalis eorum omnium cognitio, & repræsentatio anticipata esse in Deo asseritur expresse ab iisdem: id quod ex munere medij Deus, vt causa nequaquam potest habere: qua medium siquidem solum pro signo cognitionis sui munus determinandi ad formalem creatorum cognitionem habere posset, non autem cognitionem suam, qua ipsius cognitionem formalem, formalem etiam creatorum cognitionem esse: id autem solum habet, habereque potest eo, quod omnis scientiæ infinitæ è genere suo scientiæ Dei, essentia ipsius, ratione eminentialis continentiæ præsuppositæ formalis omnis entis, & esse creati ad rationem causæ, & omnipotentiæ, adæquatum specificatiuum, vt diximus, sit: inde enim euidens est cognitionem suæ essentiæ pro nullo signo esse posse, quin eadem formalis infectilis creatorum omnium formalis, quoad intrinsecum, creatorum cognitio sit, ipsorumque extrinsecam, pro statu quouis positionem anticipata præcedat: idipsum de Dionysij, & reliquorum mente suadet exemplum, quo statim Dionysius suam doctrinam confirmat, & illustrat, *quemadmodum* (subdit) *etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam, & informatam habet*: ad quæ optime Vasquez noster aduersarios rogat: an velint ex mente Dionysij esse, & asserere lucem, quæ tenebrarum destructiua prorsus, & contradictorium est, illarum quoquomodo causam esse, atque in ea qua tali, vt in medio tenebras nosci? certe neque eorum ingenium in tantam insaniam ruere illos permittet, nec subiuncta Dionysij ratio: *quod non aliunde, quam ex luce tenebras nouerit*: nempe, tanquam in termino necessario præcognoscendo vt tenebræ, quæ lucis priuatio sunt, cognoscantur, ac proinde de se cognitioni siue qua, Deoque ipsius adæquato specificatiuo formalis creatorum cognitio repugnat, recte lux, eiusque cognitio respectu cognitionis tenebrarum comparantur.

8. Leuiora licet, duo tamen contra aduersarios hæc in locis his, quæ nobis opponunt, notare non omittam. Primum omnia hæc loca de cognitione creatorum existentium non autem possibilium in Deo esse expressissima, vt ea legenti, & rationem supra à nobis datam patebit: quare importune hic ea nobis obtrudi. Alterum est præfatis locis indifferenter à Patribus dici *in se*, vel *ex se, vt causa* Deum, creaturas, & alia à se cognoscere: obiectantes vero subtiliores ex se, vt causa medioue creaturas noste nusquam admittunt, sed mordicus negant: quare in iis ipsis, quæ nobis opponunt exponendis obiectionibus, etiam erit ex parte laborandum: sicuti & in illo quod etiam hic obtrudunt, ex Concilio Valentino sub Lothario Imp. c. 2. *Deus nouit omnia antequam fiant ex sua omnipotentia, & incommutabili maiestate*: sed an diuina maiestas, & incommutabilitas medium etiam in quo Deus creata cognoscat iuxta aduersarios erit? illud igitur ex omnipotentiæ, & incommutabili maiestate æque applicitum non medium denotat, sed rationem cur à nobis Deus ab æterno creata cognoscere probetur: quia in ea ab æterno posset, sed in tempore mutabilis esset, non immutabilis & in ea nosset, non esset omnipotens perfecte, quia non eorum operatiuus per rationem, & arbitrium.

***

QVÆSTIO III.

An futura siue conditionata siue absoluta Deus in medio aliquo noscat?

DVPLICI adeo grauis difficultatis in vna eademque quæstione complexio methodo nostræ (quæ claritati, & difficultatum distinctæ ac dilucidæ excussioni in primis studet) videbitur aduersa: verum quia nihil fere de eis speciatim, atque ex instituto disputandum in præsentiarum hoc est, quod examinatum in superioribus, ac definitum in terminis, aut in simili non fuerit, vel pro priori sede non sit deinceps discutiendum per otiumque statuendum, & confirmandum, vtraque difficultate iustam (quod fieri ex altera seorsim non poterat) instruximus quæstionem: seorsim tamen suis certaminibus de vnaquaque agemus; ne quod cuique speciale, siue in re, siue in Doctorum sententiis sit, vel ignoretur, vel confundatur.

CERTAMEN I.

Nullum futurum conditionatum in medio aliquo Deus cognoscit.

1. TOt sane cognoscendi futura conditionata libera, seu proprie futura conditionate assignari Deo possent, quot ipsi ab absolute futura cognoscenda eidem ab Authoribus assignantur; siquidem, quæ absolute posita futurum absolutum indefectibiliter ponunt, ac illud subinde cognita infallibiliter inferunt absolute fore, ac media sunt, in quibus, vel ex quibus absoluta eius futuritio iuxta varias sententias cognoscatur, eadem in hypothesi, seu pro conditione posita eiusdem conditionatam futuritionem apponent, foreque indefectibiliter sub eisdem facient, & cognita ita sub ipsis fore demonstrant: atque à Deo ad eius conditionatam futuritionem cognoscendam media formalia, & determinantia Deo erunt, si semel à Deo cognoscantur: quare hic, non adeo antiqua, decreta prædeterminatiua omnino absoluta Thomistica, & alia aliquorum illegitimorum Scotistarum decreta similia physicæque prædeterminationes Recentium Thomistarum positæ in hypothesi in mediis formalibus Deum ad conditionatam contingentis futuritionem à Deo cognoscendam, consectarie ad vniuscuiusque ex memoratis Doctoribus sententiam, numerari hic deberent: sed quoniam, necessaria ne vel conducentia ea omnia sunt ad absolutam contingentis futuritionem apponendam (vnde tota ad rem præsentem definitio pendet) examinare, ad examen mediorum formalium dignoscendæ contingentis futuritioni absolutæ spectat, ex nunc opinionibus referēdis, atque speciatim repellendis merito abstinemus: atque ex ibi statim dicendis, de eis omnibus media formalia ad futuritionem contingentis conditionatam à Deo cognoscendam vniuersim negare habemus satis: ne eadem fastidiose, & inutiliter repetantur.

2. Igitur Thomistæ, nec plures, nec sapientiores, vt vidimus d. 6. ex primis, qui nostri Molinæ scientiam mediam fuerunt pertræti, decretum subiectiue absolutum obiectiue conditionatum pro futuritione conditionata contingentis statuenda commenti sunt, vt scientiam mediam abolerent, atque eius loco naturalem solum, & simplicis intelligentiæ à Deo in eo decreto tanquam medio formali habitam statuerent: verum, cum ex decreto prædeterminatiuo suo omnino absoluto necessario ad futuritionem contingentis absolutam apponendam, cum ea, quæ de sese connexo in hypothesi, siue pro conditione posito, necessario, & infallibiliter eiusdem contingentis conditionata futuritio

futuritio apponatur, ac inferatur, vt nuper dicebamus, frustra omnino eiusmodi decretum inducitur, cum vt futuritio contingentis conditionata ponatur, ac scientia naturali, & necessaria, seu non proprie media, à Deo in illo, tanquam medio cognoscatur: idcirco ex primis illis doctiores ad neutrum horum eiusmodi decreta admittunt, sed respuunt, vt citato loco vidimus, solum autem eis annuunt, ne scientiam mediam & liberam circa sua decreta omnino absoluta pro priori signo ad absolutam eorum conceptionem admittant in Deo, scilicet posita in hypothesi, & pro conditione ante eius absolutam puri ficationem occasione, & motiuo, sub quo absolute posito decretum à Deo absolute concipiendum est: inde enim ad similem scientiam mediam liberam, nec naturalem de contingentibus admittendam molestam ipsis, atque ineuitabilem consecutionem (in qua omnia sua principia deessent animaduerterunt: eo vero decreto conditionato pro decretis conditionatis Dei conditionate statuendis in priori illo ante purificationem conditionis, seu occasionis, ex qua absolute posita decretum absolute habendum est, aliquid antecedenter connexum cum futuritione eius decreti conditionata assignarunt, in quo naturali nec media libera scientia cognosceretur, videatur Aluarez 2. de Auxil. d. 7. num 8. Zumel tom. 2. Opuscul. d. 2. p. 2. concl. 5.

3. Itaque alterutro ex his ratione præfati Thomistæ futura contingentia conditionata pro eo statu in suis ex parte actus, subiectiue absolutis, ex parte obiecti, seu obiectiue conditionatis decretis, tanquam in mediis formalibus ad ea futura cognoscenda determinantibus, à Deo cognosci docent. Sed enim hoc quod vtriusque commune est, (nempe eiusmodi decreta ad futuritionem conditionatam contingentium, vel formaliter, vel actiue apponendam necessario præcedere (satis fuit à nobis disiectum d. 6. q. 1. cert. 3. vbi ex instituto ostendimus, ea decreta necessario præcedentia, vt quouis modo futuritionem contingentium conditionatam, eiusque obiectiuam veritatem apponant, multiplici ex capite non replicando hic, & repetendo fictitia esse, & repugnantia. Ratio vero ob quam à doctioribus eorum nonnullis admittebantur, etsi eius efficacia magni consequentiæ suæ doctrinæ interesset, infirma tamen est: etenim, cum decreta hæc ex parte actus absoluta sint, atque absolute à Deo concipiantur de conditionata contingentium futuritione, & quidem ob aliquod motiuum ab ipso concipiantur, ac proinde sub eo motiuo in hypothesi, & pro conditione posito vere concipienda habendaque eiusmodi decreta Deo sunt.

4. Rogo ergo hosce: an veritas illorum decretorum conditionata, eorumque conditionata futuritio pro priori ad absolutam eorum futuritionem, & veritatem aliud decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti in Deo supponat, vel secus? si supponit, in futuritione, & veritate conditionata huius instauratur argumentum: an simile aliud pro illo suæ conditionatæ veritatis, & futuritionis statu supponat, necne? & de illo redibit quæstio: an simile aliud supponat? & sic de aliis, & aliis prius supponendis quousque in infinitum abeatur præcedentium decretorum absolutorum subiectiue, & obiectiue conditionatorum. Sin autem nullum anterius de eretum pro illo signo, & priori futuritionis conditionatæ decreti primi absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti supponi debere, ac necessario præcedere dicat, vt illius veritas & futuritio contingens conditionata necessario consistat: ergo absolute verum est ad futuritionem, & veritatem contingentis conditionatam decreti de illa absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti præcedentia opus non esse. Patet: quia, si opus eius præcedentia ad futuritionem & veritatem contingentem conditionatam foret, nullum contingens habere illas absque decreti eius præcedentia posset. Confirmatur: quia aduersariorum fundamenta, vel de omni futuritione, & veritate contingenti conditionata probant, vel de nulla probant: vt constat ex citata, d. 6. q. 1. in solutione argumentorum, vt diximus d. 6. q. 2. cert. 6. n. 10.

5. Aliter à nostrorum doctorum nonnullis Soaristis decreta ista subiectiue absoluta, & conditionata obiectiue ad media formalia cognitionis diuinæ de futuritione, & veritate contingentis conditionata aduocari possent. Non, quia alias eam Deus non cognosceret, secundum seipsam independenter ab eiusmodi decreto; sed quia eiusmodi decretum de futuritione contingentis conditionata, etsi non necessarium ad ipsam, eiusque veritatem apponendam potest Deus in eorum sententia pro suo arbitratu, & libertate concipere, vt Soarez sæpe eiusque Assectæ defendunt: eo vero semel concepto, tanquam medio in quo vti Deum posse, vt eam futuritionem, & veritatem contingentis conditionatam infallibiliter cognoscat in eorum sententia, & modo assignandi media diuinæ cognitioni de extrinsecis aliis obiectis, & veritatibus consectarium est, vt constat ex dictis q. 2. Sed neque hæc doctrina admittenda nobis est. Primo ob rationes, quibus Deum omni mediorum ad alia in ipsis cognoscenda interdictum vniuersim ostendemus. Secundo ob rationes, quibus in simili nihil diuinum medium, in quo alia à se possibilia adhuc, cognoscat Deo esse posse q. 2. ostendebamus. Tertio quia eiusmodi decreta de futuritione conditionata cõtingentis Deo impossibilia fortasse sunt. Quia, nec antecedenter, nec comitanter decerni à Deo potest; quin eius contingentia & libertas pessum eat. Posita vero, ac præsupposita aliunde eiusmodi conditionata contingentis futuritione, inepte Deus decerneret, vt sit, & ponatur, quod positum vt ita decerneret præuidit: quo circa actu complacentiæ, circa sic præcognitam conditionatam contingentis futuritionem ferri, vt summum, Deus posset, de quo citata controu. 4.

6. Tertio possent in mediis formalibus Deum ad conditionatam contingentis futuritionem cognoscendam determinantibus recenseri, tam dicta proxime de ea futuritione scientia, vt supra ex nostris Doctoribus plures de scientia simplicis intelligentiæ, & comprehensione possibilium media formalia, & determinatiua Deo esse, vt possibilia rursus cognosceret, philosophabantur. Cæterum de complacentia Dei erga conditionatam contingentis futuritionem, sitne Deo possibilis, examinandum est citata controu. 4. Secundo eius possibilitate, imo existentia in Deo admissa, sicut de eadem contingentis futuri futuritione diuina scientia non potest non admitti, neutrum medium formale in quo Deus conditionatam contingentis futuritionem iterum cognoscat dicendum nobis est: cum ob impossibilitatem vlus mediorum ad aliud quidpiam cognoscendum in Deo demonstrandam qu. 4. tum ob inconnexionem cuiuslibet prædicati diuini cum creatis obiectis, pro quouis statu consideratis, & rationes reliquas datas qu. 2. ex quibus omnibus concludo, nullum medium formale assignatum, vel assignabile esse Deo, in quo conditionatam contingentis futuritionem cognoscat: quare illa in seipsa semel directo cognoscere, nec in alio aliterue cognoscere rursus posse.

CERTAMEN II.

Media formalia pro futuris absolutis naturalibus cognoscendis hactenus assignata referuntur, & confutantur.

1. FVtura absoluta vel sunt respectu causarum suarum secundarum necessaria, quia à causis ad vnum determinatis proueniunt: quare, & quatenus ex parte ipsarum est, cum sui futuri effectus negatione inconiungibilibus: vel sunt respectu suarum causarum secundarum contingentia, & libera, quia, cum causæ determinatæ ad vnum de se minime sint; sed indifferentis ad vtrumuis potestatis, quatenus ex ipsis est, æque cum futuris de facto ab ipsis, atque cum eorum negationibus, extremisue aduersis, & coniungi possent, & de facto coniungerentur: cum autem nihil creatum necessariæ existentiæ pro vlla duratione de se sit, sed in sui existentia diuinæ potestati, atque arbitrio subiaceat, eiisque dependeat, fit, vt futura omnia creata in sui existentia pro quauis duratione respectu Dei causæ ipsorum primæ, & præcipuæ, quare & absolute contingentia liberaque sint; etsi, quia à causis naturalibus secundis, ac non liberis oriunda necessaria appellentur; quæ vero à causis secundis liberis sunt pro earum arbitrio de facto apponenda contingentia

vocantur, & libera: contingentia nimirum, & libertate speciali, quam respectu causarum suarum secundarum habent, aliisque naturalibus effectibus futuris respectu suarum causarum secundarum deficit: quare non attenta contingentia, quam vtraque respectu causæ primæ Dei habent communem, sed, quam respectu causarum secundarum, quædam ex illis habent, alia vero non habent, hæc naturalia, & necessaria futura, illa vero contingentia, & libera futura, ex peculiaribus quorumque ex eis rationibus, & quasi characteribus, absolute nominantur.

2. Quoad futura igitur necessaria eo sensu à causis naturalibus, atque in actu primo determinatis in eis diuinis omnibus, tanquam in mediis, cognosci à Deo dici in primis posset, in quibus cognosci à Deo futura alia contingentia authores postmodum referendi docuerunt: tutiusque id asseretur, cum eorum mediorum plura in futuris naturalibus, & necessariis libertatem, & contingentiã non inueniant, quam in contingentibus, & liberis futuris videntur euertere. Aliunde tamen ea media ad cognoscendum necessaria, & naturalia futura Deo repugnare ex mox dicendis de cognitione contingentium in mediis eisdem patebit. Ad specialiora igitur media Deo ab authoribus assignata pro futurorum naturalium, & necessariorum cognitione veniamus. Theologorum igitur plerique, cum videant eorum naturales causas secundas ad illa apponenda de sese determinatas esse, ac proinde ab illis cum reliquis conditionibus, & requisitis creatis ad agendum futurorum eiusmodi pro sua duratione absolutam existentiam necessario deduci, in eis, ita instructis, tanquam in mediis ea futura cognosci à Deo communiter consentiunt.

3. Ea tamen media his terminis, & vocibus assignata refelluntur primo ex generali principio nostro tacto sæpe quæstionibus præcedentibus. De repugnantia cognitionis Dei de vno obiecto in alio tanquam in medio, vt qu. 5. probabimus. Secundo specialiter ex summa infallibilitate physica, & metaphysica scientiæ cuiusuis diuinæ, quæ cognitioni huic naturalium futurorum in suis causis naturalibus etiam cum requisitis ad operandum deficeret. Posita quippe determinatione, quauis operandi suos effectus, in suis causis naturalibus, adstantibus etiam conditionibus, & requisitis omnibus liberum physice, & metaphysice Deo est cum illis concurrere, vel secus, sine cuius concursu præfatæ causæ nequeunt operari: ergo positis absolute causis naturalibus cum requisitis omnibus ad operandum, potest earum effectus, & physica, & metaphysica possibilitate absolute deficere, est euidens consequutio: ergo, & scientia, quæ in eis ita instructis causis naturalibus suos effectus absolute esse repræsenter, ac iudicet, tam physice, quam metaphysice falsa esse absolute potest. Patet: quia ex vi, & determinatione illarum, ita instructarum repræsentat, iudicatque absolute effectus, qui ab eis disiungi absolute, ac non esse, tam physice, quam metaphysice possunt: aft scientia, quæ tam physice, quam metaphysice falsa esse absolute potest fallibilis vtroque genere absolute est, non infallibilis, vt omnis Dei scientia esse debet.

4. Vrgetur: quia diuina scientia quæuis debet esse physice, & metaphysice absolute infallibilis, non vtcunque sed diuine: atque, etiamsi existentia causarum naturalium cum omnibus requisitis ad operandum connexa physice, & metaphysice absolute esset cum existentia suorum effectuum scientia horum in causis eorum habita, etsi absolute infallibilis physice, & metaphysice foret, tamen non esset diuine, seu digne Deo infallibilis: ergo eorum cognitio in suis causis naturalibus, cum omnibus etiam requisitis ad operandum Deo est impossibilis: siquidem non, nisi diuine, Deoque digne infallibilis scientia in Deo admitti potest. Suadetur minor: quia causarum naturalium existentia, physice etiam ac metaphysice connexa cum existentia suorum effectuum, solum dicit connexionem vtriusque generis, & inseparabilitatem existentiæ causarum ab existentia suorum effectuum, creatam quidem, non diuinam, vt patet, quæ longe, imo infinite maior, (vt sæpe in simili ostendimus) est: ergo solum potest fundare infallibilitatem physicam, & metaphysicam scientiæ illius creatam, non diuinam. Patet: quia infallibilitas diuina necessitati, & connexioni diuinæ medii cum termino, seu extremo in illo cognoscendo inniti solummodo potest: siquidem indefectibilitas, & necessitas veritatis diuinæ scientiæ, sicuti, & cuiusuis prædicati diuini, immensum maior, constantiorque indefectibilitate, & necessitate quauis creata esse debet: quare solum indefectibilitati, & necessitati alicuius prædicati diuini, quod deficientibus ab existentia imo etiam à possibilitate (si fieri posset) creatis omnibus, nihilominus consisterer.

5. Dices: Dei interesse suam scientiam infallibilem physice, & metaphysice, etiam diuine reddere: quare non posse non suum concursum causis naturalibus, ita dispositis exhibere; nisi antecedenter ad suam scientiam de effectibus illarum in ipsis, tanquam mediis, oppositum ipse decreuerit: tunc enim non effectus in ita dispositis causis, sed eorum negationes in suo decreto non concurrendi infallibiliter quidem infallibilitate diuina cognoscer. Contra tamen primo: quia vel pro illo priori, quo eius scientiæ effectuum in causis naturalibus, & causæ, & effectus obiectiue præcedunt adest pro signo priori ad effectuum positionem causarum determinantium Deum ad effectuum suorum cognitionem positiue decretum diuinum concurrendi cum ipsis, vel non præcedit, sed ab eo, vt minimum, præscinditur si positiue præcedit, non quidem in causis naturalibus creatis, etiam cum omnibus creatis, requisitis tantum (vt ea sententia ferebat quam impugnamus) sed in eis, & decreto, tanquam medio adæquato naturales effectus à Deo cognoscentur: de quo postmodum cum aliis pugnabimus: sin vero non præcedat decretum concurrendi positiue pro signo, sed saltem præscindatur pro illo: in primis, scientia eiusmodi infallibilis diuine non erit, cum nullo prædicato diuino innitatur. Secundo: liberum Deo physice, & metaphysice erit velle, aut non velle, cum ita dispositis causis naturalibus concurrere: quare, nec scientia effectuum in ipsis physice, ac metaphysice infallibilis absolute, nedum diuine, erit, vt arguebam.

6. Dices: eam connexionem necessariam, & infallibilem, etiam diuinæ, tribui mediis, nempe causis naturalibus dispositis, non à decreto pro earum signo anteriori ad effectus in illis cognoscendos sed à scientia diuina horũ in ipsis in primis deferitur conclusio, cum ad connexionem necessariam medii cum effectu, seu extremo in illo cognoscendo non solas naturales causas dispositas, sed diuinum aliquid vlterius requirat. Secundo negatur solutio: ideo enim asseritur cognosci à Deo effectus naturales futuros in suis causis naturalibus dispositis, tanquam in mediis, quia hæ cum illis necessariam habent, & indefectibilem connexionem: ideo autem eam habere nunc dicitur, quia in eis tanquam mediis à Deo cognoscuntur. Tertio si ea necessaria, & indefectibilis connexio causarum naturalium dispositarum cum suis effectibus à scientia diuina horum in illis sit, cum ante assensum scientificum diuinum prænosci à Deo debeat, vt vi, & determinatione causarum naturalium dispositarum absolutæ existentiæ effectuum pro cuiuscunque duratione siue futuritioni assentiatur: fiet plane, vt pro priori illo obiectiuo diuina hæc scientia primam sui absolutam existentiam præcedat, sitque absolute, antequam absolute sit contradictione manifesta. Denique à priori: quia scientia omnis, vt certa sit, debet supponere obiecti certitudinem, & constantiam: quare, si alicuius in alio tanquam in medio scientia sit, huius cum illo necessariam connexionem debet supponere; non contra certitudo medii scientiæ certitudinem obiectiuam, siue connexionem cum termino in illo noscendo sortiatur.

7. Dices: verum esse certitudinem obiectiuam, siue connexionem indefectibilem medii cum extremo in illo cognoscendo debere ad scientiã supponi, nec posse à scientia ipsa formaliter, præstari, vt argumenta conuincunt: caterum posse medio certitudinem obiectiuam eiusque indefectibilem connexionẽ cum extremo in illo cognoscendo finaliter causari, vt pleraque, imo omnia, quæ ex fine quouis fiunt, etsi eorũ existentia finis existentiam physice, siue in genere causæ formalis, siue efficientis antecedant, suam tamen existentiã ab hoc in alio genere causæ finalis nihilominus habent: cum ergo Dei (vt hi dicebant) interfit scientiam infallibilem, etiam diuinæ, habere, vt eam ita assequatur medio connexionem indefectibilem prouidere

videre ob illam tanquam finem tenebitur, sicuti & de mediis ad finem à se intentum assequendum. Contra primo: quia ex eo, quod Dei interfit scientiæ suæ de quocunque obiecto infallibilitas Deo digna, non infertur eam scientiam habiturum, quæ ex obiecto infallibili diuinæ non sit, vti hanc de naturalibus effectibus in suis causis naturalibus fore probamus: imo vero probatur potius ab eiusmodi scientia Deum suæ diuinæ infallibilitatis in cognoscendo maximopere abhorrere: contra secundo: quia infallibilitas Deo digna diuinæ scientiæ attributum naturale Dei est, ipsius naturam necessario nullo eius studio, arte, aut prouidentia consequens, neque ex ipsius intentione pendens.

8. Contra tertio: quia id, quod à Deo ex fine infallibilitatis scientiæ huius suæ prouidetur vltra causas naturales dispositas ad connexionem earum indefectibilem cum suis naturalibus effectibus absolute futuris, vel creatum est, vel increatum? inassignabile est firmius aliquid, creatum coniunctum arctius cum eis effectibus, quam causæ naturales ita dispositæ cum ipsis coniunctæ sint: ac proinde scientia hæc physice, ac metaphysice fallibilis absolute erit: insuper non erit infallibilis diuinæ Deoque digne, vt præfata argumenta demonstrant: sin autem diuinum aliquid ad eam indefectibilem connexionem à Deo prouideatur iam non in causis naturalibus dispositis solum, vt hæc ferebat sententia, sed in illo etiam diuino ita prouiso effectus naturales futuri, tanquam in medio, à Deo cognoscentur, quod in iam referendas, & refellendas sententias alias relabitur. Contra tertio: quia illud diuinum nihil aliud esse potest præter decretum concurrendi, cum causis ita dispositis; quod ob exigentiam causarum naturalium absolute existentium; & absolute dispositarum libere à Deo concipitur, poteſtque ab ipso non concipi, vt in igne Babylonico, aliisque quam plurimis eventibus miraculosis patet; non autem concipitur decretum concurrendi ob scientiæ infallibilitatem; alioqui & necessario concipereturr: & quamuis libere, non tamen ob exigentiam causarum naturalium absolute positarum, & dispositarum (quod absonum, & contra omnes Philosophos, & Theologos est) siquidem motiuum, & finis infallibilitatis scientiæ huius suæ, & anterius est, & necessario à Deo obtinendum.

9. Soarius noster sententiæ impugnatæ difficultates videns cum nostris communiter negat in causis naturalibus absolute positis ac dispositis futuros absolute effectus suos à Deo cognosci posse, ac solum conditionate cognosci à Deo, nempe sub conditione concursus sui, v.g. si absolute existenti, & applicato igni non subtraxero meum concursum calefaciendi; vel ingniendi lignum: ex quo consequens, vt in eis ita positis, & dispositis causis, & non subtracto, sed absolute posito concursu suo, operationes, & effectus naturales absolute futuri à Deo cognoscantur. Hæc tamen opinio, vt verba sonant, quoad neutram partem, defendi à nostris vllatenus potest, etsi aliquatenus à Thomistis, qui Dei concursum, & operationem ad effectus causarum secundarum etiam liberarum, cum harum concursu & operatione non identificant; sed titulo Primatus Dei in causando physice præuium, & anteriorem natura esse volunt: in nostrorum vero vtrumque concursum identificante sententia idem in statu conditionato sub sui ipsius conditione cognosceretur: stolide nimirum, si causæ secundæ naturales operentur operabuntur: & in statu absoluto ineptia non minori: operabuntur, quia operabuntur. Secundo, etsi hæc non obessent, tamen cum concursus Dei ad extra diuinum aliquid intrinsecum non sit sed pure creatum, eiusque cum effectibus creatis naturalibus connexio, etiam si pure creata, scientia illi solum innitens non erit infallibilis, Deo digne, seu diuine, vt supra ostendebamus: atque hac impugnatione Thomistæ concursum Dei à concursu creaturæ realiter diuidentes æque confutantur, vt patet.

10. Tertia sententia est: eiusmodi naturales effectus cognosci à Deo in causis suis naturalibus absolute positis, & dispositis, ac decreto Dei concurrendi cum ipsis; atque hanc credo Soarii, & nostrorum mentem esse, eum negationem subtrahendi concursum, siue pro eorum conditionata à suis causis futuritione in hypothesi ponunt, siue absolute pro eorum futuritione absoluta in suis causis à Deo cognoscenda: ita vt negatio subtractionis concursus non formaliter (quo pacto idem quod concursus Dei identificatus iuxta hos doctores cum causarum concursu, & operatione est, siquidem negatio subtractionis formalis concursus, quæ negatio concursus est, affirmat concursum subtractione formaliter negatum) sed virtute, & in sua causa quæ decretum concurrendi est ab hisce Doctoribus intelligatur. Sed aduertendum est, Vasquez nostrum, & Asseelas Vasquianos, atque vniuersim Doctores omnes, siue priscos, siue iuniores, qui libertatem absolutã diuinorum decretorum non intrinseca prorsus Deo formalitate, & prædicato constituunt, sed extrinseco effectu, & operatione, quam ponit, hac intelligentia, & explicatione minime iuuari: siquidem in decreto siue in hypothesi ad futuritionem operationis & effectus naturalis conditionatam, siue absolute ad absolutam posito, eadem naturalis operatio in horum omnium sententia continetur.

11. Sed tamen hi etiam, qui decretum liberum Dei intrinseco Dei adæquate constituunt, sententia impugnantur aliunde. Primo: ob vsum medii ad cognoscendum in eo aliud Deo impossibilem, vt ostendemus q. 5. Secundo: quia, cum non in solo decreto Diuino atque ob illius solum connexionem indefectibilem causis cum suis naturalibus operationibus, & effectibus communicatam siue extrinsecus assistentem (alioqui in eo solo atque ob eius solum cum operationibus, & effectibus connexionem, hi à Deo contra hanc sententiam cognoscerentur) sed in causis etiam naturalibus, & earum determinatione cognoscantur, scientia hæc non erit infallibilis prorsus diuine, cum aliqua medii adæquati parte creato alicui, nempe causis naturalibus, innitatur, ex quibus ab infallibilitate omnino diuina decidat, & claudicet: concludendum igitur ex dictis hoc certamine erit effectus naturales absolute futuros in suis causis absolute positis, & dispositis, siue seorsim, siue cum decreto concurrendi diuino coniunctim sumptis à Deo tanquam in medio nullatenus cognosci.

CERTAMEN III.

Media formalia, in quibus Deus futura libera creata cognoscere hactenus dicitur, recensentur.

1. THomistæ Dominicani Recentiores, siue Baniſtæ ex rigidioribus aiunt: liberos arbitrij creati actus siue operationes absolute futuras in physica Dei causæ primæ præmotione præuia, siue physica qualitate creatum nostrum arbitrium anterius natura ad operandum adigente, ac ineluctabiliter physice prædeterminante, tanquam in medio, cognosci à Deo: ideoque præmotionem hanc, & prædeterminationem à Deo physicam arbitrij nostri excogitarunt, vt non obstante operationum eius contingentia, & libertate scientiæ de illis diuinæ infallibilitatem (quam aliter intelligere non poterant) ostenderent, atque obfirmarent: iidem decretum Dei efficax prædeterminatiuum physice admittentes, eadem ratione in ipso, tanquam in medio, eiusmodi contingentes, & liberos creati arbitrij actus cognosci à Deo affirmant, siue (quod idem est) in decreto Dei concurrendi ex parte sua cum arbitrio creato, ita referuntur docuisse Richardus in 1.d.38. a.1. Durand. ibi Scotus d. 39. quæst. 1.§. *visio de contingentia*. Alex. 1.p.quæst.27.m.7. & Caiet. 1. p. qu.14. certo vero docent Bañez ibi q.13. dub.3. Ledesma de auxiliis de scientia futurorum contingentium dub. 2. a. 10. ad 15. Aluar. de auxil. d. 12. & lib. 9. d. 92. Nauarrete controu. 19.§.1.

2. Thomistæ vero ex Recentioribus, qui præfatæ sententiæ duritiem ferre nõ possunt, ac subinde non physicam, sed moralem solum præuiam præmotionem à Deo, atque prædeterminationem arbitrij nostri admittunt, in ea morali præmotione, ac prædeterminatione nostros liberos actus cognosci tanquam in medio fatentur, ac subinde in decreto eius præmotionis & prædeterminationis arbitrio creato immittendæ cognosci à Deo actus nostros liberos

fateri potius tenebuntur. Moralis huius solum ac non physicæ præmotionis & prædeterminationis author primus extitit Ioannes Gonzalez Albelda Dominicanus, qui Romæ postremis disputationibus nostrorum cum suis Dominicanis, pro ordinis sui sententia tuenda, interfuit: ac proinde, quasi è sui ordinis physicas illas arbitrio creato præmotiones ac prædeterminationes videtur abiecisse, dum in 1.p. sancti Thomæ solas morales admisit, ac physicas reiecit, in cuius sententiam eandem scripsit tandem insignis eiusdem Ordinis Magister & Primarius Salmanticus emeritus Illustrissimus Arauio postquam Segouiensibus infulis (vt aiunt) exfrattauit tom.2.in 1.2. Sancti Thomæ easdem solum morales admittens, physicas vero prædeterminationes vti Sancto Thomæ, eiusque Germanæ scholæ suppositicias abiecit, vt fusius controu.3.d. de præfinitionibus prædeterminatiuis actuum creati arbitrij referemus.

5. Neque minus ab hac Thomistarum sententia Vasquez noster abiisse videatur lectori in eius doctrina non satis versato; siquidem 1.p.d.99.c.8. num.43. & 1.2.d.26. c.2.n.17. docet arbitrio nostro congrua cogitatione præuento, ac sic ad operandum disposito in denegatione concursus ad operandum violentiam à Deo inferendam: Atque addit primo loco, consensum nostrum liberum antecedenter ad absolutam libertatis nostræ vsum posse à Deo præfiniri, non in seipso, sed in congrua cogitatione. Ex quo admittendum ab ipso videtur in auxilio congruo, tanquam in medio liberos nostros actus absolute futuros à Deo cognosci. Sed (vt modo mentem in antecedenti doctrina relata Vasquez nostri explicare differam tantillum) consequens in eius doctrina, quæ ad præsentem facit quæstionem minime est in auxilio siue cogitatione congrua tanquam in medio nostrum consensum absolute futurum cognosci à Deo: quantum enim ex eius principiis colligi potest, censeo illum omnem medij vsum ad aliud in ipso, quantumuis determinatiuo, & determinate ad illud cognoscendum, repugnare Deo sensisse. Doctrina vero è citatis eius locis recitata efficaciam auxilij antecedentem, & independentem omnino ab vsu libertatis nostræ, atque arbitrij creati operationi, siue physice, siue moraliter connexam nullatenus continet: siquidem 1. p. d.67. c.4. num.22. & 3.p.d.23. c.11. num. 27. neque exigentiam diuini concursus, neque præfinitionem consensus in auxilio huius entitati, inclinationique in actu primo, & congruitati competere innitiue docet: totumque ratione scientiæ mediæ de futuro consensu sub eo auxilio asserit euenturum: quo à Thomistarum doctrina toto discrepat orbe: & quanquam congruitatem auxilii in maiori cogitationis viuacitate alias constituat; tamen potestatem arbitrii ad oppositam viuaciorem reddendam concedit; quare, & eius potestati indifferenti congruitatem subiacere: eis vero locis, ex quibus pro sua doctrina, absque posterius à se data explicatione posterioribus locis, recitatur, crediderim Doctorem doctrinæ constantia, & consequentiæ laude Theologorum præstantissimum ex indifferentia potius, quam ex determinatione, & propensione ad consensum congrue vocatæ voluntati violentiam inferendam intulisse, quia alterum extremum indifferentis potestatis contra id, quod indifferentia exigit, absque eius vsu redditur ea concursus denegatione impossibile.

4. Quod vero ad medium decreti, seu præfinitionis diuinæ attinet, videatur fortasse Soarius noster præfatis Thomistis consensisse lib.1. de scient. futur. conting. c.6. num. 6. vbi docet Deum ex scientia conditionata operum arbitrii creati sub tali, vel tali auxilio, & vocatione eiusmodi opera prius natura, quam ad executionem eorum ab arbitrio nostro veniatur, ordine intentionis efficaciter quandoque præfinire: & semper posse, si bona opera sint, secus si praua, nec solum illa, quatenus ab ipso, sed etiam, quatenus ab arbitrio creato: ac subinde in ea, tanquam medio arbitrii creati opera à Deo infallibiliter videri: quia ea præfinitione ordine intentionis posita non possunt non eiusmodi opera executioni mandari atque absolute à nostro etiam arbitrio apponi consequente, impotentia non existendi, seu necessitate absolute existendi; non autem antecedente necessitate essendi, & impotentia non essendi: verum multis à Thomistarum sententia dissider Soarius. Primo enim medium necessarium, vt existant, futuraue sint absolute, atque, vt absolute, futura cognoscantur arbitrij creati opera præfinitiones esse negat contra præfatos Thomistas, eorumque principia, quæ voique respuit: vnde fore sub conditione absque præfinitione illa fatetur, atque ita fore sub auxilij, & decreti indifferenter concurrendi hypothesi tantum: eamque conditionatam scientiam necessario supponi, vt salua creati arbitrij libertate de eius operibus præfinitiones concipi à Deo possint: inde etiam non posse à Deo eas præfinitiones haberi de prauis arbitrij operibus asserit: quod in Thomistarum doctrina, & principiis non, nisi per inconsequentiam apertam dici potest. Denique neque de omnibus operibus arbitrij bonis haberi de facto à Deo eas præfinitiones defendit, sed haberi ab eo pro suo libito posse, de factoque eas solum cum fundamento in Deo asseri posse erga aliquot eximie prædestinatos. Est ergo Soarij sententia à præfata Thomistarum valde discordans: quare & est in re præsenti sententia secunda.

5. Arrubal etiam noster 1.p. etsi de formali constitutiuo decreti liberi Dei à Soario illud adæquate per Dei intrinsecum constituente dissideat, atque cum Vasquez per extrinsecam, & creatam actionem constituat, tamen diuinas præfinitiones cum Suario admittit, easque actione constitui etiam docet: ast actiones ex fine præintento, quem essentialiter respiciunt, diuersificari, eiusque absolutæ existentiæ realiter entitate sua, & intermediis subinde connecti: quare in actione r[illegible]ori à fine præfinito, ob quem elicitur, & in reliquis intermediis, quibus, vel præfinitio, vel decreta subsequentia constituuntur, tanquam in eorum vltimis formalibus constitutiuis, tanquam in mediis, cum præfinitum finem, tum media cognosci à Deo docet: atque eo sensu cognosci in suis liberis præfinitionibus, & decretis contingentia, & libera actu opera futura: cæterum rationem à nobis in Doctore illustrissimo extrinsecas operationes, seu effectus decreta libera [illegible] constituentibus obseruatam certam. 2. num.10. post [illegible]um subodoratus, operationem immediate proximam decreto, seu præfinitioni per ipsam constitutæ, in præfinitione, seu decreto libero, quod ipsa constituit, tanquam in medio cognosci à Deo non asseruit: nempe, ne idem in seipso, tanquam in medio, cognosci à Deo cognosci fateri inepte teneretur. Porro cum noster Herize de constitutiuo decreti liberi Dei per actionem creatam essentia, & entitate sua finis per illud intenti respectiuam ipsique essentialiter connexam cum suo Magistro Arrubale conuenerit, eandem doctrinam videtur in re præsenti admissurus, etsi nihil ad rem hanc expresserit, fors, quia illam supposuit.

6. Tamen tract.1. d.6. c.3. num.51. docet supposita scientia media actuum arbitrij nostri sufficienter à Deo illos cognosci absolute futuros in voluntate absolute præuenta congrua cogitatione, & decreto absoluto Dei de concursu indifferenter oblato voluntati, & arbitrio creato ad vtrumuis, id quod sola explicatione probari & ostendi potest. Si enim (inquit) nouit scientia sua conditionata Deus: *si omnipotentiam parauero arbitrio huic creato per decretum indifferenter concurrendi, & hanc ipsi cogitationem immisero consentiet*: ac postmodum totam videt Hypothesim purificatam per absolutum decretum indifferens, & absolutam huius cogitationis immissionem: qui fieri potest, vt inde absolute futurum arbitrij illius consensum non videat? hæc igitur sit quarta in re præsenti sententia.

7. Quinta sententia Thomistarum etiam Dominicanorum asserit præscientiam absolutam Dei causam futurorum, etiam operum arbitrij creati, absolute talium esse, ipsisque indefectibiliter, atque infallibiliter connexam; quare, & in ipsa libera nostra opera creata absolute futura infallibiliter à Deo cognosci, sic Aluarez de auxil. d.16. Nauarrete 1.p. quæst.19. controuers. 59. Carbrera 3.p. quæst.62. a.1. d.12. §.2.num. 57. & §.15.num. 352. pro qua sententia referunt Sanctum Thomam 1.p. q. 14. a. 8. Magistrum in 1. d. 39. Albertum ibi a.3. & alios ex priscis, neminem tamen fundamento sufficienti.

8. Sexta sententia sit asserentium contingentia, & libera creata opera absolute futura à Deo cognosci in suis ideis: sic censere videntur ex antiquis plures Alens. 1. p. quæst. 23. m.3. S.Bonauent. in 1. d.35. & 39. d.2. quæst.3. Caietan. & Thomistæ Recentiores, tanquam ex mente

Sancti

Sancti Thomæ citato art. 8. atque hactenus relatæ sententiæ (si secundam Soarii, tertiam Arrubalis & quartam Herize nostri, & alteram nostri Vasquez, (quæ ad primam Thomistarum falso reducebatur) excipias, in aliquo antecedenter natura ad arbitrii creati operationem, atque omnino cum illa connexo, abusiue libertatis eius prorsus independenti illam absolute futuram cognosci à Deo defendunt.

9. Septima sententia fuit nostri Valentiæ in 1.p. q.14. puncto 5.§. *Tertia assertio.* Arbitrii nostri actus absolute futuros à Deo cognosci in determinatione quadam voluntatis creatæ, non à Deo immissæ, sed à voluntate ipsa præconcepta, & habita prius natura, quam operetur, & per quam constituitur in actu primo proximo ad operandum, qua in re sequi se ait Durandum in 1. d. 38. quæst. 1. illum vero postea secuti sunt noster Salazar de conceptione c. 24. §. 3. num. 59. atque ex nostris germanis & aliis Recentiores nonnulli, vti ex familiari aliquorum ex ipsis hac de re colloquio, vel didicimus, vel coniectamur: vulgatam quippe & arduam apud ipsos difficultatem esse compertimus, quod à principio nec vnde determinato operatio determinata procedat: quare, cum hanc arbitrii nostri determinationem à Deo independenter ab eiusdem arbitrii vsu immissam exhorreant: ab arbitrio nostro autumant præconceptam, vt suum actum determinatum eliciat.

10. Octaua sententia adinuenta (vt in re Theologica pleraque alia (subtiliter in re præsenti fuit à nostro Molina 1.p.q.14. ar.13.d.17. & qu. 19. a.6. d.3. & in concord. d.37.49. & 50. asserente liberos actus ob scientiæ diuinæ infinitam summamque perfectionem: qua creatorum omnium non modo comprehensio, sed supercomprehensio est, in arbitrio, & voluntate creata omnibus ad proxime operandum requisitis instructa, etiam congrua cogitatione in actu primo proximo nihilominus indifferente, necundeque determinata ad operandum, tanquam in medio, cognosci à Deo non solum quid possit (id enim comprehensionis cuiusuis est) sed quid sit absolute factura, id quod diuinæ super comprehensionis est proprium nempe vitra, & supra naturalem medii ductum, & determinationem ad eius effectus cognscendos porrigi, & extendi. Molinam secuti sunt nostri Becan.1. sum. c. 10. quæst. 9. & Complutenses Recentiores.

11. Nona demum sententia sit: liberos arbitrii creati actus absolute futuros à Deo cognosci in ipsorum præscientia non quidem quæ illos absolute causet, & natura antecedat (vt falso rebantur Thomistæ citati num. 7. sed quæ eis large causetur, certe supponat, ac sequatur; ac similiter in diuina de illis ita cognitis complacentia. Hæc sententia consectaria omnino est ei quam ex Herize nostro retulimus q.1. de mediis, in quibus à Deo creata possibilia cognoscuntur: in quibus, & eorum de istis comprehensionem, & de eisdem complacentiam diuinam recenset, & de præscientia, imo & complacentia est expressa nostrorum Complutensium, Recentiorum: nec video ab aliquo, qui vsum medij, in quo aliquid cognoscat, Deo repugnare non iudicet (iudicauit autem expresse hactenus nemo) hanc sententiam negatam: quare censeo à pluribus, quia suppositam, non assertam.

CERTAMEN IV.

Media formalia Thomistarum Recentiorum absolute præcedentia natura, atque abusu arbitrij creati omnino independentia, & generatim, & speciatim reiiciuntur.

1. COnfutantur vniuersim primo communi tam ipsarum quam reliquarum recitatarum opinionum confutatione generali petita ex repugnantia vsus medii formalis, in quo aliud cognoscat, in mente, & cognitione diuina, quam sæpe supposuimus, & q.4. non vno solum ex capite ostendemus. Secundo confutantur vniuersim argumento Thomistarum Recentiorum communi, & infensissimo desumpto ex ineuitabili (meo quidem iudicio) præiudicio, & iactura libertatis, cum arbitrii creati in actu primo, tum operationum eius, quæ non aliunde, quam ex indifferenti, nec vllatenus determinata arbitrii, qua proxime egrediuntur potestate liberæ vnicæ, & sunt, & ab Authoribus, & ratione. Hoc argumentum fuse satis instruam controuers. 3. d. 1. de Thomisticis præfinitionibus cunctaque aduersariorum effugia obturato præcludam.

2. Sed contra vnumquodque medium à Thomistis assignatum speciales præterea confutationes occurrunt, contra physicam prædeterminationem (præter multa alia, vbi de ea disputatio licuerit, à nobis proferenda) è re præsenti illud profero: etenim, vt certam. 2. notabam nihil creatum, eiusque entitatiua, & essentialis creata connexio cum effectu satis est ad fundandam diuinæ scientiæ infallibilitatem diuinam siue veritatem eius digne Deo, seu diuine indefectibilem: atqui physica hæc prædeterminatio eiusque entitatiua, & essentialis connexio cum consensu libero (talem esse permitto) creata est: ergo non potest fundare infallibilitatem, & indefectibilitatem à veritatem diuinæ scientiæ, diuine, Deoque digne: quare nec medium formale Deo esse in quo arbitrii creati consensum absolutum (esto liberum) cognoscat.

3. Medium vero moralis solum prædeterminationis ad quod huius horrore perculsi mitiores illi Thomistæ se receperunt, modestius quidem cum arbitrii nostri libertate agit; sed cum diuinæ scientiæ infallibilitate irreuerentius: etenim, cum, nec physice (ne dum metaphysice) adhuc, cum arbitrii nostri consensu connectatur, non solum digne Deo, seu diuine infallibilem consensus scientiam in ipsa, tanquam medio, fundare non potest; sed neque creato modo metaphysice, imo nec physice infallibilem: quare absolute prorsus fallibilem, atque à veritate defectibilem, & quæ ad scientiam humanam absolute talem non perueniat; sed intra opinionem, & prudentem, vt summum, humanam coniecturam teneatur.

4. Medium formale præfinitionis prædeterminatiuæ operationum arbitrii creati siue decreti efficacis concurrendi cum illo antecedenter ad vsum libertatis; atque omnino independenter ab eiusmodi vsu à Deo habiti nulla alia ratione melius impugnatur, quam ostensione impossibilitatis eiusmodi decreti, & præfinitionis prædeterminatiuæ, quam præstabo controuers. 3. propria neque angusta disputatione. Audiendus tamen Caluinus apud Illustrissimum Belcarium Metens. Episc. Opusc. contra dogmata Caluiniana Parisiis cuso anno 1557. pag. 62. præsentem Recentiorum Thomistarum sententiam sic tradens. *Neque alia ratione Deum, quæ futura sunt, præuidere, nisi, quia, vt ita fierent decreuit, idcirco autem decreuisse, quia voluit*, ex quo reliquos Caluini errores pendere iure Illustrissimus concludit: innumera Caluini, Lutheri & asseclarum testimonia controuers. 3. d. citata suum de præfinitionibus errorem trandentium, tuentiumque adeo terminis Thomistarum horum pro suis præfinitionibus explicandis ac tuendis consona, vt mirum sit, Catholicos certe animo, fors & sententia, Patres, adeo, voce saltem tenus, illorum erroribus concordare. Porro, quoad decretum seu præfinitionem hanc quocunque Thomista, imo & Scotista, (sunt enim etiam ex hac schola pauculi, qui ex praua, paruaue præceptoris sui Scoti intelligentia Thomistis hisce consentiunt; vt citato loco videbimus) asseratur, nulla est, vel, quoad rationem medii formalis cognitionis diuinæ de futuro consensu, vel, quoad difficultatem, & confutationem differentia. Hi siquidem, qui moralem solum præmotionem, & connexionem cum consensu absoluto voluntatis, non autem metaphysicam, nec physicam in Dei auxilio recognoscunt, in decreto efficaci Dei de nostro consensu nec physicam, nec metaphysicam connexionem cum illo fatentur.

5. Medium præscientiæ absolutæ de absolute futuro consensu libero facile confutatur: quia, etsi eiusmodi præscientia Deo adsit, sitque consensui absoluto connexa physice, & metaphysice imo & connexione diuinæ infallibilitatis; inde tamen futurum absolute consensum libe-

rum voluntatis creatæ non posse natura, & causalitate præcedere, sed illum potius sequi, atque supponere certissimum est, ne voluntatis, & consensus absoluti libertas pessum eat, id quod ratio naturalis euincit: Conciliaque, & Patres, ac, præter Thomistas Recentiores pauculos, Theologi reliqui supponunt cum inde præscientiæ absolutæ Dei infallibilem indefectibilemque veritatem cum præsciti consensus libertate, in primis, imo vnice tandem, communi hoc axiomate componant, *quod præmotio, seu præscientia non sit causa præsciti; sed præscitum potius præscientiæ, & præmotionis*, vti non exigua eruditione, nec leuibus rationibus ostendimus d.5.qu.8. à cert. 2. per totam, iterumque præcedentiam prioritate naturæ præscientiæ ab futurum absolutum præsciti reiiciemus contro. 5.d.1. de prouidentia.

6. Inde etiam ideæ Diuinæ à ratione medii formalis diuinæ cognitionis de nostris contingentibus, & liberis actibus absolute futuris excluduntur: etenim ideæ diuinæ formaliter sumptæ, non sunt factorum præscientiâ, sed faciendorum prius natura, quam absolute fiant, siue factibilium scientia: quæ simplicis intelligentiæ scientia est, atque diuinæ voluntatis, seu decreti liberi de faciendis directrix: quare, & cum decretis ipsam libere secuturis, & cum absolute per ipsa apponendis, atque cum decretorum, & absolute apponendorum negationibus componibiles: vt aduersarii ipsi fatentur: ergo scientia de absoluto futuro consensu ideæ formali Dei, tanquam medio innitens deficere à veritate absolute potest, eâque absolute fallibilis; non autem diuinam scientiam decet absolute, & prorsus esse fallibilem: quod ipsum argumentum fit de ideis obiectiuis (quas nonnulli cum formalibus confundunt) seu essentia diuina, vt varie à creaturis faciendis imitabilis est. Neque enim ita considerata essentia absolutæ existentiæ consensus liberi, alteriusue creaturæ cuiuspiam connexa physice (nedum metaphysice) est eamue necessario, & indefectibiliter infert: quare scientia de absolute futuro consensu ideæ obiectiuæ, tanquam medio innitens esset absolute fallibilis.

7. Respondent Caietanus, & Asseclæ ideas formales, etsi de se futuro absoluta contingentia nostra determinate talia non repræsentent, sed solum possibilia illa, & factibilia; tamen ex coniunctione absoluti decreti subsecuti de ipsis absolute apponendis ea determinate futura absolute repræsentare, ac proinde in illis citra falsitatis periculum cognosci à Deo posse verum, cum decretum de linea repræsentandi, & intelligendi non sit, ex eius coniunctione augeri ideis repræsentatio eius, quod non repræsentabat, intelligi nequit. Secundo eito augeret: per repræsentationem ipsi adauctam consensus contingentis absolute futuri hunc absolute repræsentaret, atque præscientia esset non idea, quæ essentia sua factibilium solum, non absolute factorum scientia est: quare, licet in ea repræsentatione, qua tali, medium in quo cognoscendi contingentia absolute futura reperiatur, non in idea, sed in præscientia reperiretur. Tertio decretum hoc si futuritionem consensus absoluti liberi independenter ab omni vsu libertatis arbitrij natura antecedat, vt Thomistæ plerumque volunt, destructiuum libertatis consensus, & subinde sui obiecti est: sin vero scientia media in sui positione à consensu absoluto nostri arbitrij impedibili dirigatur, ac proinde ab eius vsu, & exercitio libertatis pendeat in Soarij, & aliorum nostrorum medium aliud formale cognitionis diuinæ supra memoratum ibitur: de quo postmodum agetur: & tandem: cum solum decretum adiunctum ideæ totam determinationem, & connexionem cum absolute futuro contingenti, in coniuncto illo ex ipso & idea habent, æque in musca qualis, aut pulice, vt decreto de absoluta futuritione, contingentis adiuncta contingens absolute futurum à Deo cognosci dicere licebit.

***

CERTAMEN V.

Media formalia reliqua à nostris Doctoribus assignata singulatim reiiciuntur.

1. Dlsplicet primo medium formale assignatum à Valentia nostro certam. 2. num. 9. in determinatione voluntatis in actu primo proximo ad operandum, priusque natura, quam operetur, atque suum actum absolute eliciat: etenim, ni ficta prorsus, & chimerica hæc voluntatis auxilio congruo præuenta determinatio in actu primo proximo ad operandum sit, (quo pacto medium verum formale realiter ad operationem absolutâ cognoscendam ducens esse non poterit) vel erit à voluntate indifferente, ita præuenta proueniens, vel ipsi ita præuentæ identificata: si proueniens: ergo ab indifferente principio libero potest realiter prouenire aliquod determinatum effectum; nisi ad hanc determinationem aliam priorem à voluntate sic præuenta egressam præcedere admittas: in qua tamen, & in quauis anteriori argumentum recurret, & consequentiam admittere, vel in infinitum processum anteriorum, & anteriorum determinationum voluntatis abire absurdissime cogeris: sin vero à voluntate congrue vocata, & determinatio vera, ac non chimærica, realiter non differt. Ergo implicat illam veram esse determinationem ad operandum. Patet: quia per hos Doctores ita vocata voluntas vere & realiter est indifferens principium ad operationem: huic indifferentiæ principii contradicit determinatio: ergo, si hæc à voluntate ita vocata, & præuenta reipsa non differat, idem reipsa erit principium indifferens, & indeterminatum, ac rursus determinatum, & non indifferens principium operationis eiusdem contradictione manifesta.

2. Ad hæc in principio reipsa indifferenti, nequit per hosce cognosci à Deo, tanquam in medio, determinata eius operatio, ac proinde ab eis determinatio hæc in actu primo proximo ad operandum excogitatur: atqui ea etiam admissa identificata realiter, cum ita præuenta, & vocata voluntate reipsa indifferens, & indeterminatum principium est. Ergo non est verum medium formale ad cognoscendum in ea absolutam determinatam operationem: vel potius implicatorie medium reipsa erit, & non erit. Tertio: cum nihil in eo principio coniuncto ex voluntate, & vocatione congrua sit, cuius positio à nostra pendeat voluntate: ac determinationem cum ipsa identificatam, necessario, & ineuitabiliter à nostra voluntate eius operatio sequatur: nulla voluntatis nostræ operatio proxime, imo nec remote libera erit. Nec patet eius recursus ad apparentem (meoque iudicio elusoriam) solutionem, de dependentia positionis absolutæ vocationis congruæ à nostro arbitrio, eiusque vsu à Soario pro suis præfinitionibus excogitatam: quod detur vocatio scilicet ex scientia media futuri consensus conditionate, si ea vocatio detur: siquidem ea scientia media futuritionem conditionatam consensus sub nuda vocatione repræsentabat; non sub ea, & determinatione voluntatis in actu primo proximo, quam per hosce physice, ac reipsa constituit, cum qua negatio operationis voluntati est antecedenter impossibilis.

3. Quinto arguo: admissa eius determinationis libertate nostra, quam hi Doctores volunt, & quæ esse nequit, si cum voluntate congrue vocata identificetur: si enim ea determinatio ad bene operandum libera nobis sit, erit, & honesta, & meritoria, & quidem sine immediata dependentia à Deo: quandoquidem per eosdem Doctores à voluntate, & vocatione congrua physice, & realiter non differt; sed solum moraliter, & quasi ratione sola: ac proinde physico Dei concursu, & determinatione vlteriori opus non habet, sed solum nostra determinatione. Denique (vt plura alia omittam, ac sensum germaniorem horum attingam) moralis hæc determinatio voluntatis in actu primo congrua vocatione præuentæ, eique pro illo priori

priori identificatæ solum potest, intelligi, vel quia consideratur, cum cogitatione, & futuritione conditionata consensus, & operationis arbitrij sub illa futuræ: etsi placet etiam cum media scientia de eiusmodi conditionata futuritione, & sic male appellatur moralis, aut physica voluntatis determinatio: est quippe determinatio pure logica, eiusdem tandem ad seipsum, secundum status diuersos, vt infra contra Herize ostendemus: quare medium, in quo operationem nostram Deus cognoscat esse non potest. Alter moralis illa determinatio voluntatis congrue vocatæ in actu primo ad operationem, potest absque futuritione conditionata illius, ac de illa scientia intelligi, ob intentionalem vocationis motionem, ita viuidam, & vehementem, cui, nonnisi maxima difficultate, moraliter loquendo non superanda, resistatur: ita enim determinatio moralis voluntatis congruè vocatæ in actu primo physico percipi potest, & id quidem in Thomisticam prædeterminationem moralem fere recidit. Verum illi eanquam medio inniteus scientia nequit esse metaphysice, imo nec physice, nedum diuine, infallibilis, vt contra prædeterminantes moraliter Thomistas dicebamus.

4. Displicet item Molinæ sententia. Primo ob doctrinam, & lumine naturæ notam rationem S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13. illis verbis. *Alio modo* quam in seipso, *consideratur contingens, vt est in sua causa, ac sic consideratur vt futurum, & vt contingens non determinatum: quia causa contingens se habet ad opposita* (futurum quidem causalitatis posterioritate non temporis) *& sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni*: quia nimirum etsi ex sua causa futurum de facto determinate sit in se, in illa tamen determinatum non est; *Vnde quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo, nisi coniecturalem cognitionem.* Hanc ipsam sententiam, & rationem repetit qu. 57. a. 3. qu. 86. a. 1. contra gent. c. 66. & 67. & in 1. d. 38. corp. vbi habet, *Quædam sunt causa quæ se habent ad vtrumque, & in ipsa causis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem; & ideo contingentia ad vtrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt: sed quando efficiuntur in rerum natura tunc habent esse determinatum, & ideo quando sunt in actu, tunc certo cognoscuntur.* Ad 2. *Futurum contingens non est determinate verum, antequam fiat: quia non habet causam determinatam: sed dum est in actu est determinate verum.* Et ad 3. ait: relate ad diuinam cognitionem futurum contingens necessarium esse, quia ad illam non refertur, *nisi secundum quod est in esse actuali.* Ad 6. ait: *scientiam Dei non respicere rem contingentem, nisi, vt est in suo esse actuali præsentialiter: quia si vidisset Deus causam, & non vidisset immediate effectum in suo esse, nunquam potuisset illum certo cognoscere*, quæst. 2. de verit. a. 12. *Licet contingens non sit determinatum, quamdiu futurum est* (nempe futuritione, & posterioritate causalitatis, relatæ ad prius suæ causæ, vt supra primo loco, ac semper intelligit) *tamen, ex quo productum* (pro natura potentiæ) *est in rerum natura, veritatem determinatam habet: & hoc modo super illud fertur intuitus diuinæ cognitionis*, & corpor. *contingens vt futurum* (naturæ priori) *est per vllam cognitionem cognosci potest, cui falsitas subesse non possit*: ac proinde concludit, vt futura, diuinæ scientiæ, cui falsitas subesse nequit, non posse subiacere. Præclarissime in eandem sententiam scripsit 1. cont. gen. c. 68. & 2. 2. quæst. 171. a. 6. ad 2. *Diuina præscientia respicit futura secundum duo scilicet, quod sunt in seipsis, in quantum scilicet, ipsa præsentialiter intuetur: & secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus: & quamuis ita ad vnum, tamen, prout sunt in seipsis, sint determinata, quia possint aliter euenire &c.*

4. Et hæc sane doctrina, & ratio sancti Thomæ adeo repetita, & constans contra Pseudo-Thomistas Dominicanos Recentiores æque ac contra hanc Molinæ nostri sententiam decertat, contra quem sic S. Thomæ edissero rationem, quia voluntas creata coniunctim sumpta, cum omnibus requisitis ad proxime operandum per S. Thom. (& per Molinam) acerrimum indifferentiæ, & indeterminationis illius in actu primo consistentis propugnatorem) neutri extremo determinate connexa est, eademque cum futuritione operationis, atque cum eius negatione persisteret: ergo eodem modo ad vnius cognitionem duceret, ac determinabit, atque ad alterius cognitionem: quare, vel ad neutrius, vt volumus, vel ad vtriusque cognitionem: quod implicat, sicuti & eius obiectum: scilicet operationem voluntatis absolute fore, & eandem absolute non fore. Secundo: esto, non determinet ad vtriusque extremi contradictorii absolute futuri cognitionem; ast cum posita etiam negatione absoluta operationis, (cum qua, vt diximus, voluntas cum requisitis omnibus coniungibilis est) eadem, eodemque modo absque vlla sui ex parte actus primi varietate voluntas persisteret: tunc etiam in absolutam operationis futuritionem duceret cognitionem iuxta vulgare proloquium, *idem in quantum idem semper est natum facere idem*, ac proinde scientia in illa, tanquam in medio, falsa esset: quare &, quæ nunc, quando de facto operatio absolute est futura, non est infallibilis de se sed prorsus fallibilis: quorum omnium ratio à priori est: quia connexio necessaria medii cuiusuis, siue physici de quo agimus, siue logici necessaria cum eo, quod determinate esse fore in illo cognoscitur cum medii indifferentia, & indeterminatione ad coexistendum cum ipso, vel cum eius negatione, contradictorie repugnat.

6. Quarto demum ex ratione summæ atque infinitæ perfectionis comprehensionis diuinæ, qua in eam doctrinam impulsus Molina est, impugnatur: quia, quo magis, ac perfectius penetratur, & comprehenditur indifferens voluntatis potestas, eo magis, & perfectius cognoscitur eius inconnexio cum sua absoluta operatione, ac subinde eius coniungibilitas cum absoluta negatione illius: ergo, & ineptitudo, vt medium sit, in quo certo operationem absolute fore cognoscatur: quocirca, etsi imperfecte cognita indifferens illa potestas decipere ignarum posset, vt ipsi tanquam medio fideret ad assentiendum absolute operationis eius futuritioni; ast gnarum eius indifferentiæ, sciumque hominem ad eiusmodi assensum, non posset retrahere: nedum perfectissime, summe, & infinite illam comprehendentem Deum. Denique, quomodo ad diuinæ scientiæ, & comprehensionis causæ perfectionem reducatur ea tanquam medio vti fallibili quidem, & subinde, ex quo scientia eius fallibilis necessario, vt vidimus, euadat ingenii mei tarditas assequi non valet.

7. Medium formale præfinitionis diuinæ de futura absolute arbitrii operatione scientiæ tamen mediæ innitentis memoratum certam. 3. num. 4. duplex medium, seu duplicem medii rationem includit, quia duplicem cum operatione connexionem. Alterum ratione conditionatæ futuritionis, & scientiæ, quam supponit, alterum ratione præfinitionis ipsius. Primam inferius contra Herize, & Recentiores refellemus: secundam contra Soarium, & recentes non pauciores (præter generale principium nostrum quod medium in quo aliud cognoscatur à diuina mente quæst. 4. relegabit) speciatim impugno, quia eiusmodi præfinitiones sunt impossibiles. Et, licet rem non alte penetrantibus Suarius cum arbitrij creati, & consensus libertate agere videatur benigne, eas tamen vtriusque libertati esse inuisas, & aduersas dilucide cum profundioribus, ex nostris doctoribus ostendam controuers. 4. ex instituto de eis differtans d. 3. Secundo eodem modo actus indifferentes, & præfiniri, & cognosci in sua præfinitione à Deo poterunt, cuius oppositum in primis Soarius statuit. Tertio: cum ipse 1. p. 2. de attributis c. 22. num. 14. & c. 27. num. 12. decretum; prius, quam eius obiectum, cognosci neget, simul cognoscetur necessario, non vero vnum ex motione, & determinatione intentionali alterius, tanquam medij Arrubalis, & sequacium paucorum formale medium, quoad speciale, quod addit, certam. 3. num. 5. ex falsitate suppositionis eum de constitutione decreti liberi per creatum aliquid, tum de diuersitate operationum quarumuis ex diuersitate finis, ob quem exercentur, cum denique, quia adhuc connexio eius, siue cum fine, siue cum mediis, siue cum suo termino immediato, creata cum sit, scientiam diuine infallibilem, seu diuinam fundare non poterit.

8. Nona

9. Nona sententia Herize, & Recentiorum relata certam. 3. num. 11. duplicem habet partem: in quibus duplex etiam medium formale designat. Primum futuritionis, & Scientiæ conditionatæ, ac purificationis conditionis, quod pluribus quam explicatione sola (vt putabat Herize) videtur egere: etenim futurum absolutum à conditionato re ipsa diuersum non est, sed idem soloque statu diuersum: eidem autem ad seipsum è sola statuum diuersitate medium verum, & reale esse non potest; alioqui status possibilitatis rei ad eam secundum alios status cognoscendam, adiunctis saltem aliis mediis aptum foret: & Ratio est: quia eiusdem ad seipsum, adhuc secundum diuersos status ipsius connexio identitatis est, & metaphysica, mediis logicis solummodo apta; non autem physica alterius ad alterum, vt ad verum, & physicum medium, de quo hic, oporteret; etsi autem conditionata Scientia diuersa realiter à futuro, & conditionato, & absoluto sit, tamen eius cum absoluto connexio, etiam purificata connexione, extrinseca est, eademque, quæ est sui obiecti conditionati cum absoluto, ac non alia: quare nec connexionem logicam prætergreditur. Secundum medium de futuri absoluti complacentia, & comprehensione, & similibus, futurum absolutum supponunt: quare, & perfectissimè in seipso comprehensum, & penetratum apertius, otiositatisque; & impossibilitatis mouendi diuinam mentem, vt illud iterum in ipsis cognoscat arguuntur vt ex dicendis iam qu. 5. patebit. Rursus comprehensio, & complacentia de absolutè futuro contingenti extrinsecus in huius Sententia per contingens ipsum constituitur ob alterius libertatem: vel ergo medium est comprehensio, & complacentia, secundum extrinsecum etiam, quo vniuscuiusque libertas constituitur, & iam idem secundum statum eundem sui cognoscendi medium formale erit repugnantia clariori: vel præcisè, secundum, quod in illis intrinsecum est: & fiet primo: Beatos omnes æque omnia futura absoluta contingentia videre: cum extensiuè (vt sic loquar) totum Deum, quoad intrinsecum, ac non realiter formaliter liberum, æquè videant. Secundo: cum quidvis Deo intrinsecum maioris necessitatis, quauis creatura sit, adhuc possibili, ipsique proinde entitatiuè inconnexum, nec ducere poterit infallibilitate diuina increati cuiuspiam absoluti cognitionem. Tertio: nec absoluta infallibilitate in contingens absolutum: quo deficiente (vt absolute potest) intrinsecum totum realiter formaliter non liberum, eodem modo perstaret. Nec patet recursus ad connotationem, quæ nihil reale intrinsecum Deo addit, sed pure rationis, medio, scilicet reali, & vero constituendo prorsus ineptum. Nec momenti alicuius quidpiam pro aliquo ex impugnatis modo contra nos obiici potest, quod non sit datis impugnationibus disiectum, vel ad præsens spectet; sed ad alia solum loca, ad quæ aliqua impugnationum principia probanda, & defendenda remisimus.

10. Illud denique in nostro Vasquez 1. p. quæst. 66. c. 2. mirentur nonnulli, quod, & in Arrubale: quod, cum decreta Dei efficacia, & libera operatione, & effectu constituant absoluto, atque hoc respectu consensus nostri comitanter se habere, non autem antecedenter natura, & causalitate asserant, vt saluent arbitrij, & consensus libertatem, nihilominus decretum Dei causam diuinæ præscientiæ de absoluto consensu fateantur: quia, inquiunt, secluso consensu, & operatione voluntatis, quo decretum ipsum constituitur, nihil est intrinsecum Dei in decreto illo, quod infallibiliter cum consensu connectatur; consensus autem ipse, quo decretum constituitur, ad seipsum cognoscendum medium esse non potest: item, cum decretum hæc causa partialis, & comitans solum voluntatem nostram per Vasquez, & Arrubalem sit; nec illam secum ad operationem trahens, ne pereat operationis eius libertas; ex ea etiam parte medium erit fallibile, ac subinde diuinæ Scientiæ ineptum. Verum, nec Vasquez ibi, neque Arrubal in eis locis docent diuinum decretum liberum efficax concurrendi ex parte sui, quod operatione, & sua, & nostra constituitur, medium formale Deo esse, in quo operatio ipsa cognoscatur, sed solum causam esse, per operationis nimirum cognitæ positionem præscientiæ de illa diuinæ: quod nil aliud est quam asserere decretum Dei esse medium materiale præscientiæ diuinæ de operatione creata. Contra hoc autem nihil præfatæ impugnationes præstant, etsi aliàs difficile explicetur, quo pacto nostra operatio à decreto diuino, quod ipsa constituit, effectiuè causetur, de quo controu. 3. vbi alia contra decretum comitans Vasquesij, & aliud parum dissimile Recentiorum expendemus.

QVÆSTIO IV.

An in medio negationes possibilium, & necessariæ chimærarum, seu impossibilium secundum omnes suos status, ac insuper entia moralia à Deo cognoscantur?

DIXIMVS d. 4. qu. 4. negationes absolutas contingentes possibilium, & quæst. 5. negationes necessarias chimærarum siue impossibilium, seu, quod idem est, impossibilia à se non entia, & necessario subinde ab entibus, & existentia remota, ita secundum se, & vt in se suo modo sunt, à Deo cognosci, vt opus non habeant alio, in quo, seu ratione cuius cognoscantur; id autem assertum non prohibet, quo minus in alio, tanquam in medio, cognosci vtraque vlterius possent: id quod nunc examini subiicimus, & quoniam cognitionis medium materiale, & formale esse potest, mihilque de medio materiali de antecedenti de præfatis negationibus diximus, de medio ipsarum cognoscendarum vtroque in præsentiarum agemus, & quidem secundum omnes ipsarum status possibilitatis, & de nobis contingentibus negationibus conditionatæ futuritionis, & futuritionis absolutæ.

CERTAMEN I.

Media negationum omnium possibilium, conditionatorum, & existentium examinantur.

1. DE mediis materialibus earum negationum secundum statum possibilitatis assignari habitus possibiles earum possent; sed tamen, vt ex dictis citata qu. 4. liquet, licet à nobis pro hoc statu, non, nisi in ordine ad eos cognosci valeant: ast, cum, nec habitus prædicti cum suis negationibus physice connectantur, nec negationes possibiles cum ipsis, neque tanquam à termino, neque tanquam à principio, in suæ possibilitatis consistentia, negationes eorum habituum possibilitas apponetur, vt apponi debebat, ad hoc, vt medium ipsarum pro statu possibilitatis suæ cognoscendarum materiale adhuc, illorum possibilitas esse posset: quare habitus possibiles à ratione medij materialis ad cognitionem negationis possibilis videtur iure amouendum.

2. Dicendum tamen est negationes possibiles qua tales à suorum habituum possibilitate vt à termino necessario pendere ac proinde illorum possibilitatem medium materiale cognitionis possibilium negationum qua talium esse. Probatur: quia possibilis negatio, (& quæ à necessaria negatione chimærarum, quæ è conceptu & essentia sua existens suo modo negatiuo est, à quo nequit præscindere sicuti neque à sua actuali existentia Deus, vt qu. 5. citata dicebamus) à sua actuali existentia negatiua præscindit, estque è conceptu, & essentia sua in existentia actuali negatiua contingens, ast nequit esse possibilitas in sua actuali existentia negatiua contingens, nisi habitui possibilitas sit: ergo pendet ab eo negationis, possibilitas, tanquam

tanquam à termino: ac proinde habitus possibilitas erit medium materiale possibilitati negationis, vt cognoscatur. Minor proxima patet: quia, ni habitus possibilis sit, negatio eius non erit possibilis contingens, sed negatio necessaria, sicut chimæræ: contingentia enim dicit mutuam vtriusque extremi possibilitatem: quare altera alterius medium materiale, tanquam contingentiæ terminus, est.

3. De omnipotentia dubitari potest an sit medium materiale, possibilitatis negationis contingentis, non quia eius possibilitatem actiue apponat, non enim ita apponit, sicuti neque habitus possibilitatem actiue efficit, sed supponit potius, vt habitum absoluta existentia donet: solum ergo dubitari potest, an ab omnipotentia tanquam à termino negationis possibilitas pendeat, atque apponatur id quod negandum videbitur, quia omnipotentia factibilium, & positiuorum est, seu illorum in quæ esse potest insistere; non autem negationum, quæ esse recipere à nullo possunt. Confirmatur, quia causæ actiuæ defectus medium aptius est, vt negatio eius sit, sublataque à possibilitate causæ effectus eius negatio, determinatiusque, erit, non solum possibilis, sed existens, vt patet: ergo omnipotentia non est terminus necessarius ad coexistentiam possibilitatis negationum; siquidem ea sublata per impossibile, firmior earum possibilitas persisteret: quo circa, etsi possibilitas habitus ab omnipotentia, tanquam à termino necessario dependeat, ac proinde hæc medium materiale sit, vt habitus possibilitas cognoscatur, secus in possibilitate negationis habitus omnipotentia videtur habere.

4. Dicendum nihilominus est omnipotentiam esse remote requisitam, & terminum mediatum possibilitatis negationis habitus: ac subinde medium materiale, vt negatio habitus in statu possibilitatis à Deo cognoscatur. Hæc conclusio probatur ex prima, siquidem cuiusuis contingentis possibilitas pendet tanquam à termino à possibilitate extremi ipsi oppositi: contingentia enim cuiusuis dicit essentialiter extremi oppositi possibilitatem; atqui possibilitas habitus pendet ab omnipotentia Dei tanquam à termino (est siquidem habitus, sicut & creatum quoduis essentia sua ens & possibile ab alio:) ergo possibilitas negationis habitus pendet remote & mediate ab omnipotentia, tanquam à termino. Patet: quia, quod pendet ab alio, quod immediate pendet ab aliquo alio, eodem dependentiæ genere mediate, & remote pendet ab hoc aliquo. Confirmatur: quia negatio habitus non est negatio à se, & necessaria, vt negatio chimæræ imbibita in conceptu impossibilitatis eius: ergo est negatio ab alio, seu à Deo in primis, solummodo possibilis: ait nequit esse à Deo eiusque omnipotentia immediate, vt bene rationes dubitandi concludunt: ergo solum mediate: quatenus habitus sui possibilitas ab omnipotentia tanquam à termino suæ consistentiæ necessario pendet: idem sua proportione dicendum est de voluntate, & libertate diuina, à qua ad habitus edendos omnipotentia applicanda est.

5. Dico tertio: negationes operationum omnium, & actuum vitalium viterius causarum, quas tam operationes, quam vitales actus essentialiter respiciunt possibilitate mediate & remote, quoad possibilitatis suæ statum tanquam à termino dependere: ac subinde causarum possibilitatem medium materiale esse, vt negationum harum possibilitas à Deo cognoscatur. Huius conclusionis ratio eadem mutata solum materia est, atque conclusionis proximæ, ob quam ipsam similis conclusio quarta statuenda est de negatione modorum, vt mediate scilicet à possibilitate terminorum & rerum quarum modi & actiones sunt, quoad suam possibilitatem eorum omnium negationes, tanquam à termino pendeant. Nec video, quid iam aliud ratione dependentiæ possibilitatis negationum habituam siue creaturarum tanquam à termino, siue aliunde assignari vt medium materiale posse, vt eæ negationes in suæ possibilitatis statu cognoscantur. Nam quod formaliter ab omnipotentia possibilia siue positiua siue negatiua creata sint, vt alio & alio modo Valentia & Ribade neyta defendunt, falsum esse qu. 6. ostendimus.

6. Quoad statum conditionatæ futuritionis, quem negationes omnes creaturarum mediatum respectu Dei habent (si actus, & omissiones omnes voluntatis diuinæ liberæ adæquate per Deo intrinseca constituantur (dicendum quinto est: ab omnino conditionatis vel decreto, vel omissione eius ex parte hypothesis adhibitis tanquam à principio suo modo actiuo pendere: ac proinde media esse materialia, vt in statu futuritionis conditionate cognoscantur, & remotiora etiam materialia media esse motiua, & eorum scientiam, ob quæ Deus, vel positiuorum positiones omitteret, vel esse eorum negationes decerneret, respectu vero earum, vt liberarum, cum mediate solum liberæ ex decreto illo in hypothesi forent materialia media proxima erunt, quare & earum, vt propria conditionatæ futuræ sunt: cum id è conditionata contingentia & libertate habeant. Respectu autem conditionatæ futuritionis eiusmodi vel decreti vel omissionis liberæ Dei, (sicuti & aliorum omnium liberorum Diuinorum) nuper dicta medium materiale proximum erunt, vt præfati actus vel omissiones liberæ sub conditione futuræ à Deo noscantur. Respectu autem negationis liberæ etiam nobis sub conditione futura ea solum proportione seruata admittenda tanquam media, & principia ex parte hypothesis sunt, quæ ad contingentis actus futuritionem conditionatam admisimus; eaque reiicienda, quæ ad horum conditionatam futuritionem reiecimus: quare absoluta subiectiue & obiectiue conditionata decreta, tam pro conditionatis contingentibus negationibus nostris, quam omissionibus diuinorum decretorum abigi prorsus debent.

7. De mediis, quæ absolutam futuritionem negationum creatarum contingentium, apponant ac proinde cognitionis de illa media materialia Deo sint nihil positium quod ipsarum & voluntatis libertati officiat admittendum est, quid autem, qualeque illud sit ex dictis qu. 3. satis apparebit. Dixi de contingentibus, & liberis nostris negationibus, de non liberis enim absolute futuris ex defectu causæ partialis, seu requisiti cuiusuis, vt absolute earum habitus siue positiua entia quæ à rebus formaliter amouent, apponantur satis esse absolute futuras eorum negationes satis claret, cum absque omnium requisitorum ex parte causæ coniuncta poni in rebus entia positiua absolute nequeant: quare & ipsa absolute in rebus non esse sed potius eorum negationes sit omnino necessarium.

CERTAMEN II.

Media formalia negationum, & entium moralium excutiuntur.

1. SAne de mediis absolutæ negationis creatæ cognoscendæ disputatum à Doctoribus hactenus inuenio & de negationibus impossibilium necessariis, non de materialibus quidem, sed formalibus mediis: illasque in habitibus solum cognosci à Deo, quatenus cognoscit eas, suos habitus non esse, absque alia earum directa repræsentatione, docuisse Soarius refertur ex tom. 2. metaph. d. 54. sect. 3. nu. 22. id quod non est medium formale cognitionis earum designare, sed ipsarum secundum se negare cognitionem, quam contra ipsum probauimus disp. 4. q. 4. sicuti, & de chimæris, seu negationibus absolutis, & necessariis in eis inclusis qq. ad quas media materialia adhuc nulla assignari possunt, quandoquidem, & à se negatiue sunt, sicuti, & à se Deus positiue est: quare nihil est à quo alterutrum, siue positiue siue negatiue apponatur.

2. De mediis formalibus cognoscendi iam positas, & suppositas negationes rerum, siue in statu possibilitatis, siue futuritionis conditionatæ, (si contingentes, & liberæ respectu Dei, vel respectu nostri etiam sint,) siue absolutæ futuritionis, ex necessariis terminis seu principiis hactenus pro quouis eorum statu designatis eæ omnes sententiæ possent referri, quas quæstionibus præcedentibus pro formalibus mediis cognoscendi pro eis statibus entia positiua retulimus & confutauimus; verum epretendæ hic, ac confutandæ denuo non sunt: cum ea-

rum confutationes ad materiam præsentem nullo negotio accommodari possint: scio Recentiores nonnullos asserere Deum per discursum virtualem ex negatione cognitionis entis positiui eius negationem cognoscere, sicuti nos ex negatione visionis lucis apertis oculis lumen non esse cognoscimus, verum si negationem visionis suæ, ac non in medio alio cognoscit Deus, cum ens, cuius negatio est, non videt: cur non, & entis positiui negationem in se, & absque medio vllo videat: neque hac via negationes vt possibiles à Deo cognosci poterunt, cum negatio possibilis habitus possibilitatem non amouear.

3. De negationibus necessariis chimærarum, & impossibilium dicendum est, nullum pro eis cognoscendis formale medium Deo supperere. Probatur facile, quia negationes huiusmodi necessariæ, & à se actu, & exercite essentia sua existentes cum nullo connectuntur, neque ab aliquo, adhuc tanquam à termino, inferuntur, aut determinantur physice cum à se prorsus suo negatiuo modo, sint, quare respectu illarum, ne vmbra quidem, medij formalis apparet, quod nec si ab alio in suo actuali esse negatiuo penderent determinarenturque, eique subinde connecterentur, assignari deberet ob rationes quæstionibus præcedentibus datas, dandasque qu. 5.

4. Porro de mediis, tam materialibus quam formalibus pro cognoscendis à Deo entibus rationis, chimæris scilicet, sola cognitione existentibus definite promptum est. Materialia enim media cognitio illa repræsentans, tam humana, quam diuina erit: alterutra enim, & cognosci, & in suo intentionali, & obiectiuo esse apponi d. 5. quæst. 5. monstrauimus: de medio vero formali dicendum est: pro eis figmentis cognoscendis Deo adesse nullum, ob generales rationes qu. 5. dandas, & quia ratione connexionis cognitionis suæ cum ipsis cognosci cum illa, non autem in illa coniungitur, vt supra tetigi, & qu. 5. persequar prolixius.

5. De mediis tandem pro moralibus entibus à Deo cognoscendis æquo longius à nonnullis disputari otiose & inutiliter video, cum satis sit in superius dictis definitum: etenim quidquid hæc entia reipsa, in quauis sententia Philosophorum, & Theologorum, vitium, virtusque sint (quibus entia moralia omnia continentur) positiuum physicum ens, vel negatiuum siue ex positiuo, & negatiuo, seu priuatiuo conflatum esse solummodo potest: quare cuiusuis moralis entis, vt reipsa, ac sine mentis fictione est, quoad eius negatiuum, & quoad positiuum secundum omnes eius status media tam materialia, quam formalia examinata abunde in superioribus remanent.

6. Qua vero mens nostra rebus, seu negationibus, quibus reipsa constant relationes rationis quodpiamue aliud figmentum superponit proxime etiam definitum de eorum mediis tam materialibus, quam formalibus fuit n. 4. Quod autem nonnulli hæc entia moralia, nec entia realia positiua, nec reales negationes, nec ex entibus realibus, & realibus negationibus conflata, sed quoddam aliud entis veri, ac non ficti genus esse aiunt ridiculum est, atque à nostri Vasquez non satis ipsum intelligentibus, Asseclis excogitatum, vt eum ab impostura liberent, aliquorum, qui vitia virtutesque relationibus purræ rationis formaliter constitui, tanquam Vasquij doctrinam referebant, ex qua absurda plura contra ipsum inferebant facile.

7. His vt Asseclæ occurrerent, genus hoc moralis entis, nec physici, & realis, nec rationis, sed veri, atque inter vtrumque medij excogitarunt, & sub entis imperceptibilis caligine, & specu positi dispici adhuc ipsi, ab aduersariis non possent, ne dum videri, vt suis difficultatibus in ipsos collimarent, non tam illas diluebant, quam eludebant: seque potius obscuritate, quam Patronum, & Magistrum Vasquez doctrinæ claritate tuebantur. Horum præcipuus Assertor fuit, & Propugnator Ambrosius noster de Penalosa, quem sepe entia hæc moralia defendentem audiui, & quitis in eius excuso tractatu de conceptione passim videbit. Cæterum nostri Vasquez doctrina perspicua est, neque illis difficultatibus, & absurdis obnoxia: nempe entia moralia reipsa plurium realium coniuncto non differre; etsi, cum à nobis, vt vnum quid cogitatur, & relatione quadam à coniuncto illo diuersa affectum rationis figmentum esse: quia reipsa nec plura esse vnum quid possunt, nec relatio alicui ab extrinsecus denominante desumpta ipsi quasi insidens, realis, ac non puræ rationis esse vllatenus potest.

QVÆSTIO V.

An Deus ad aliud noscendum medio aliquo formali vti queat?

EX dictis hactenus, dataque non semel distinctione, & explicatione medij materialis, & formalis, in quo aliquid cognoscatur adeo claret quæstionis scopus, vt vlteriori explicatione non egeat, etsi à nemine fuerit hucusque disputata.

CERTAMEN I.

Non posse Deum medio aliquo vti ad quidpiam aliud cognoscendum, ex medij physici ratione monstratur.

1. FAteor ingenue conclusionem hanc nullum in terminis ipsis Patronum ex priscis doctoribus habere: imo vero omnes illos oppositam conclusionem certam supponere, potius quam disputare: dum media, in quibus Deus pro quouis ipsorum statu obiecta alia cognoscat serio examinant: & quamuis alij assignata ab aliis mediare iiciant, atque his iudicio suo potiora media alia formalia substituant; ex eis tamen nemo à reliquis excogitata media formalia, ob impossibilitatem nostra conclusione assertam, abiicit: solus Vasquez noster principia aliquot variis locis iecit, quæ possibilitatem vsus mediorum formalium ad aliquid aliud cognoscendum in Deo non patiantur: vti ex rationibus subiiciendis patebit: quare illum, ne quæstiones Theologis assuetas omitteret, eam possibilitatem toleraſſe, ac permisisse, quam ex propria sententia supposuisse, reor clarius, etsi obiter, neque ex instituto eam possibilitatem negauit magnus meus Magister Vasquianæ mentis mens altera Didacus Daza manuscripto de scientia Dei, id quod mihi, & ab authoritate satis conclusionem obfirmauit, & rationibus, quas præfixit, qualsque excogitauit, vt firmius assentirer, animos fecit.

2. Probationibus suppono, quæ dixi quæst. 1. & 2. & primum quidem diuersitatem, quæ inter cognitionem cum alio, seu duorum simul, & alterius in altero, tanquam in medio, cognitionem: illud enim dicit præcise simultaneam vtriusque cognitionem; hoc autem secundum addit præterea motionem, & determinationem intentionalem eius, quod est medium ad cognoscendum in ipso aliud. Hinc fit medij cognitionem, necessario debere aliquo modo præcedere, ad cognitionem eius, quod in ipso, tanquam medio cognoscendum est: siquidem intentionalis determinatio, & motio eius, quod non, vt species impressa, sed, vt obiectum mentem ad aliquid aliud cognoscendum mouet, ac præmouet, nequit sine ipsius, quod, vt obiectum mouet, cognitione esse: & præuia fine, sicuti motio omnis in actu primo considerata ad id ad quod mouet debet præcedere. Hoc totum, & est ex terminis penetratis per se notum, & reliquarum motionum intentionalium alicuius, tanquam obiecti experientia, & exemplis comprobatum, ideo enim obiecti amandi, ac prosequendi, vel fugiendi bonitas, malitiaue anterius ad eius à voluntate prosequutionem, vel fugam cognosci, ac præcognosci debet, quia eius bonitas, vel malitia, vti obiectum ad prosequutionem, vel fugam ipsius intentionaliter mouet: ideo etiam medium logicum identificatum cū extremitatibus præuoſci in præmiſſis ſyllogiſmi

cuiuſuis

cuiusuis debet: quia eius cum extremis identitas intentionaliter, vt obiectum mouet, ac determinat ad assentiendum identitati extremorum in conclusione. Atque ad assentiendum identitati medij cum extremitate alterutra in alterutra ex præmissis, oportet, vel ex terminis ipsis, vel aliunde eam saltem apprehensiue prænosci, id quod in medio physico ad aliquid cognoscendum, nec solum logico identitatis, eodem modo vsu venit.

3. Inde fit secundo satis non esse aliquid cognosci non posse, quin aliud cognoscatur, vt medium in quo ad hoc aliud cognoscendum debeat censeri. Patet, quia necessitas cognoscendi aliud quoties aliquid cognoscendum sit, solum probat non posse illud cognosci, quin aliud cognoscatur: quod solum est simultaneæ cognitionis necessitas; non autem intentionalis motio, & determinationem illius prægogniti ad aliud cognoscendum, quæ præterea esse debet, vt medium in quo aliud cognoscatur esse, censerique iuxta dicta possit. Hoc valde obseruatu dignum est, quia ex eius inaduertentia plures, qui oppositam nostræ sententiam sunt hactenus secuti, decepti fuere vt animaduertebam q. 2. cert. 2. vbi à nu. 5. hoc ipsum notatum probabam, & statuebam, maxime ex relatiuis, quæ cum per Aristotelem, & Philosophos simul natura, & cognitione sint, simultaneæ cognitionis qua talia sunt, necessitatem habent; & tamen obinde alterum ad alterius cognitionem medium esse non infertur, imo vero ea de causa medium esse non posse, vt Vasquez de cognitione possibilium in Deo tanquam in causa disputans obseruat, tacitusque admittit Soarius etiam noster à nobis relatus citato cert. 2. n. 8. cuius rationem dedi citato cert. 2. nu. 7. Id autem, quod notato huic aduersari à ratione, & absurdo posset, opposuimus, diluimiusque ibidem nu. 10. quare illud hic, & opponere; & eneruare inutile, & otiosum prorsus esset.

4. His positis probatur primo. De ratione medij physici (de quo hic) est, motio, & determinatio intentionalis ipsius ad cognoscendum aliud, quod in ipso, tanquam in medio cognoscendum est: atqui in nullo ea intentionalis motio, & determinatio intentionalis ad cognoscendum aliud à Deo potest reperiri, ergo nec Deo vsus medij Physici, in quo aliud cognoscat esse potest. Maior constat ex dictis nu. 2. init. Minor probatur: quia, vel illud, quod, vt medium, in quo Deus aliud cognoscat, assignari potest, est essentia sua, & entitate, in connexum, & absolutum ab alio, quod in eo dicitur cognoscendum, vel ipsi connexum, atque eius essentialiter respectiuum: si absolutum: ergo poterit absque illo in suo statu, siue possibilitatis, siue futuritionis subsistere: ergo deficit illi intentionalis vera determinatio ad cognitionem alterius. Patet: quia est indifferens, vt cum illo, vel sine illo subsistat: quare de se non magis determinare potest ad illud, quam ad eius negationem cognoscendam: quare, qui ob illud subsistentiæ, seu consistentiæ alterius determinate assentitur fallibiter, vt minimum, assentietur: cum assensus consistentiæ illius vi eius medij, cum negatione consistentiæ illius contingi absolute possit: ac si de facto illius consistentiæ (vt vi medij absolute potest) deficiat, falso eius consistentiæ assentietur: quæ Dei cognitioni repugnant: imo & creatæ omni cognitioni, quæ scientia propriè sit.

5. Sin vero, quod medium fore ais de se & essentia sua respectiuum, connexumque illi sit, quod in ipso cognoscendum est, non potest habere intentionalem motionem ad cognitionem illius: ergo neque esse medium, in quo illud cognoscatur. Probatur antecedens: motio intentionalis obiectiua medij physici ad cognitionē alterius in ipso requirit medium aliquo modo vero prænosci ante cognitionē illius, quod in ipso tanquam in medio physico cognoscendum est: at illud quod medium physicum, in quo illud cognoscendum dicitur connexum illi, illiusque essentia sua respectiuum, implicat prænosci ante cognitionem illius: ergo implicat ipsi motio intentionalis ad cognitionem illius currit in oppositum discursus. Maior constat ex nu. 2. sub initium ac deinceps ad satietatem probata. Minor vero probatur aperte ex dictis nu. 3. quia, quod essentia sua connexum cum alio est, essentia sua relatiuum ad illud est: at relatiuum omne necessario est simul cognitione cum illo: ergo nequit prænosci ante illius cognitionem. Patet: quia, quod simul cum alio cognoscendum est: pro nullo vero signo cognosci potest, pro quo non cognoscatur illud aliud; ac proinde prænosci aliquomodo vero, ante illius cognitionem nequit.

6. Dices primo: proloquium de simultate cognitionis relatiuis necessaria, de relatiuis prædicamentaliter dictum à Philosophis esse, & intellectum; non autem de relatiuis transcendentaliter: cuiusmodi solummodo sunt physica media, de quibus disputamus: sed certe discrimen prædicamentaliter relatiuorum, à transcendentaliter relatis frustolum ad rem præsentem est. Primum, quia etsi prædicamentalis relatio ex accidenti, ac non ex entitate sua, ita relatis obueniat; at relatis prædicamentaliter, qua relatis, essentialis est, sicuti albo, qua albo essentialis est albedo: at Philosophi non aiunt relatis prædicamentaliter (in quibus doctrinæ huius posuerunt exemplum, vti in re clariore, vulgoque notiore) absolute simul cognitione esse debere; sed solum relatis, qua talibus, seu qua relatis: quo pacto essentialiter relatiua sunt, estque illis essentialis relatio, tanquam forma, qua in esse relatorum essentialiter constituuntur cum ergo essentialiter connexa, seu alterius transcendentaliter respectiua physice alterius entitate sua habeant, quod prædicamentaliter relatiua ex accidenti, qua talia tamen essentialiter idem, quoad simultatem necessariam, & natura, & cognitione habere debent: nam his essentialis connexio, & consistentia cum termino suo, quæ prædicamentaliter relatis, qua talibus accidit, transcendentaliter relatis, & connexis imbibita est: ex quo ea sola differentia ad rem præsentem est: quod prædicamentaliter relata secundum suam entitatem esse simul natura, & cognitione cum suis terminis non debeant, sed solum ex accidentali, & aduentitia ipsis relatione, si, vt relata, cognoscenda sint; transcendentaliter vero relatiua, nec secundum suas entitates cognosci possint, quin simul natura, & cognitione cognoscantur: & ratio, quam Philosophi tradunt, nosque citato certam. 2. num. 7. ex ipsis pro suo proloquio dedimus (quod relatorum qua talium totum esse sit esse ad aliud) de vtrisque relatiuis, vel de nullo probat.

6. Dices secundo: non oportere, vt id, quod obiectiue mouet ad assensum alterius aliquo modo vero prænoscatur ante assensuam cognitionem illius, id quod duplici instantia, & exemplo probatur. Primum in assensu affectiuo siue prosecutione voluntatis alicuius obiecti, quod ob eius bonitatem, tanquam rationem motiuam intentionaliter media cognitione voluntas prosequitur: & tamen opus non est, vt bonitatis illius amor ad amorem obiecti vere, ac sine fictione aliquomodo præcedat: ergo nec quod medij cognitio præcedat ad cognitionem alterius, quod in ipso cognoscendum est. Respondetur negando consequentiam: quia obiecti bonitas vnum obiectum adæquatum amabile constituit cum obiecto ob illam amato, vt ratio formalis cum materiali: quare non oportet, vt bonitas, ad obiecti amorem media sui cognitione præamerur; medium autem, & illud aliud, quod in ipso cognoscendum est, duæ diuersæ veritates, duoque vera sunt, & huius alterius assensus essentia sua subordinatus assensui illius, si in illo, tanquam medio, assentiendum illi est; ne fit solum simultaneus duarum veritatum assensus.

8. Instabis in amore mediorum ob finem, in quibus duplex bonitas etiam est, illorumque amor amori finis subordinatus; & tamen potest vno affectu, in quo præcedentia amoris finis ad medij amorem vera non est, voluntas in finem, & media ferri, etsi finis bonitas intentionaliter moueat ad amorem mediorum: ergo, etiam si medium, & id, quod in ipso cognoscendum est, duæ veritates, duoque vera subordinata, quoad assensum, sint, atque intentionaliter medij assensus moueat ad assensum illius, quod in ipso cognoscendum est, medij assensus, non debet vero aliquo sensu, vt diuersum quid ad assensum alterius præcedere. Respondetur negando amari posse finem, & media ob illud cum debita subordinatione eodem amore, qui simul intentio, & electio fit siue (quod est idem) exercendo finem suam finalem motionem, quæ in eo stat, vt gratia, & amore finis cætera, id est media amentur: ad quod opus est, vt amor finis in amorem mediorum moueat, & impellat, quod cum identitate amoris, medij, & finis non componitur, & hæc iuxta communem antiquis, & adhuc satis probabilem sententiam. Sed ne veritas nostræ

doctrinæ eius solum opinionis probabilitati innitatur, in aduersa,& communi iam Recentioribus sententia,admisso antecedenti negatur consequentia : nam motio intentionalis medij per sui cognitionem, & assensum non est motio intentionalis solius medij, & connexionis eius cum alio in ipso cognoscendo, sed motio cognitionis etiam, & assensus ipsius ad assensum alterius, quæ eiusdem assensus ad seipsum nequit exerceri : quemadmodum nec motio amoris finis ad amorem medij, casu quo idem vtriusque amor esset ; & tamen finis ratio tunc exerceretur, quia ob eius bonitatem medium simul amaretur, alias non amandum : & tunc quidem adhuc cognitio, qua intentionaliter bonitas finis, tanquam requisita conditione moueret ad actum voluntatis diuersa ab ipso, esset, non solum titulo diuersitatis potentiæ à qua procedit, sed quia cognitio est quæ, seu media qua finis bonitas mouet.

9. Obiicitur exemplum secundum : reuelatio, absdubio, mouet intentionaliter obiectiue ad assensum fidei veritati per ipsum reuelatæ : non secus, ac medium cognitum ad assensum eius, quod in ipso cognoscendum est ; & tamé non oportet, vt reuelationis assensus vere,& realiter, ac non ficte præcedat ad assensum veritati reuelatæ : ergo neque ad intentionalem motionem medij huius cognitionem vere & realiter præcedere ad assensus eius, quod in ipso cognoscitur. Consequentia videtur legitima. Antecedens apud Recentiores est firmum : ea in primis ratione : quod alias fidei certitudo claudicet in eodem certissimo fidei assensu, ni reuelatio, & reuelatum tangantur : siquidem Parochi misteria fidei fidelibus, vt plurimum, proponentis,ac de eis habitam reuelationem, testimonium certum, atque infallibilem de existentia reuelationis assensum fidelibus ingenerare non potest ; & tamen non potest non certitudo assensus fidei assensui de existentia reuelationis quo volueris modo, tandem inniti. Fateor consequentiam: etsi eludi vtcumque posse videam: sed antecedens falsissimum est: & infirmissima probatio: etsi enim certitudo subiectiua actus fidei,à certitudine assensus reuelationis existentiæ pendeat, quare is solum subiectiue certus de existentia reuelationis, ac subinde de reuelata veritate esse possit, qui euidentiam habeat reuelationis ; obiectiua tamen certitudo fidei à certitudine assensus existentiæ reuelationis, quare propositione Parochi, haud quaquam pendet ; licet ab ea tam intentionalis, in actu primo, & secundo, motio reuelationis existentis pendeat : & quidem aduerse hac in re opinantes percontor : an vt eodem actu, & reuelationi, & reuelatæ veritati assentiamur, assensus aliquis existentiæ reuelationis necessario præcedat ? vel absque vllo præcognito motiuo nos in assensum existentiæ reuelationis inducenti eius existentiæ, & veritati reuelatæ simul assentiamur ? sit primum : quod fide, & ratione certum est, iuxta illud Pauli *quomodo credent sine prædicante ?* & experientia ipsa comprobatum) in difficultatem fugiunt,relabuntur : si secundum : absque vllo motiuo existentiæ reuelationis assentiemur : quod, & imprudens, & stolidum esset, ac forte repugnans.

CERTAMEN II.

Ex medij physici ratione probatio secunda.

1. Probatur secundo conclusio : quia nulli medio alias intentionaliter motiuo, vis motiua adest adhuc in actu primo absoluta expedite in conspectu, & præsentia motiui alterius intentionalis vndequaque fortioris, & efficacioris, ac saltem summæ efficaciæ, & virtutis motiuæ ; atqui præsentia obiecti in se absque vllo ex parte obiecti velamine inuolucro, vel obscuritate propositi (quomodo Deo obiecta omnia repræsentantur cognoscenda, & comprehendenda) est non solum efficacius, & fortius, sed summe efficax, & forte motiuum intentionale ad assensum de eius præsentia, & consistentia, pro quouis statu ita præsentetur : ergo reliqua alia motiua intentionalia medij cuiusuis non habent vim motiuam intentionalem ad assensum à Deo eliciendum de consistentia obiecti alicuius, pro quouis eius statu. Maior mihi ex terminis notum principium est ; fuitque nostro Vasquez terminorum profundissimo Doctorum penetratori exploratissimum : & cui soli communem illam priscis Doctoribus cõclusionem de incompossibilitate actus fidei diuinæ cum clara visione, & euidentia obiecti reuelati voluit inniti, & doctius quidem, firmiusque, quam Thomistæ Dominicani, cum veteres, tum Recentiores, qui ex contradictione visionis claræ, & obscuræ, etsi ex diuersis mediis habitarum, vocum sono decepti eandem fidei, & visionis, seu euidentis cognitionis de obiecto eodem repugnantiam deducebant.

2. Non tamen omittam Vasquium ea in re, etsi ex principio è terminis notissimo minus solide, ac legitime præfatam repugnantiam intulisse : quia obiter rem tractabat, ac solum reiiciendæ rationi repugnantiæ ex antiquis Thomistis memoratæ, potiorique, & connaturaliori assignandæ intendebat. Minus autem recte intulit,vt dixi : quia motiuum intentionale euidens, claritate quidem, superat motiuum intentionale fidei, quod reuelatio diuina est ; ab hoc tamen certitudine, & firmitate superatur : quare neutrum vndequaque fortius, efficaciusque, vel debilius : quare alterum in præsentia alterius,qua parte superat illud, potest absolute ad assensum veritati eidem & expedite mouere ; imo vero in Philosophis Christianis,& Theologis Dei vnius existentiam reuelatam demonstratiue cognoscentibus, de facto motiuum vtrumque mouet, ne existentia ipsis fidem deficere absurde admittatur: eamque ob rem visionem Beatam in Beatis, & in humanitate Christi eorundem obiectorum fidei non repugnare deduximus controuersiis de fide, de visione, & de incarnatione.

3. Sed, quoniam præfato principio (ex quo legitime fluit) tota probatio nostra incumbit : & quæ ex terminis nota sunt ab aliis, qui aliter, vel penetrant, vel percipiunt eadem facilitate, qua asseruntur ab aliquibus, possunt ab aliis negari, fulciri aliunde illud hic oportet, ne probatio nutet. Confirmatur primo experientia, videt quis Petrum aperte in foro, atque illum in foro esse ob eius claram inibi præsentiam assentitur : an si ei quuis alius cuiusuis humanæ authoritatis Petrum esse in foro attestetur, in foro illum esse, quem in aperto videt,ob huius testimonium assentietur ? minime : & quamuis verbis quispiam assentire, assensurumue, fide etiam humana, dicat,si se tamen suamque mentem intus consulat reperiet se intus negare, quod extra fatetur ; id autem in Deo solum non fiet, quia præsentiæ claræ, atque expeditæ obiecti clare visi motiua vis intentionalis vndequaque fortior, efficaciorque est virtute motiua intentionali humani cuiusque testimonij.

4. A paritate simul & à priori confirmatur ex fine naturali motiuorum intentionalium, & mediorum ad finem consequendum, etenim mediorum finis est eius assecutio, quare assecuto fine & perfecte possesso redditur mediorum physicorum ad illum assequendum vsus non solum otiosus superfluus, & inutilis,sed prorsus impossibilis : atqui naturalis finis motiuorum intentionalium obiectiuorum est perfecta veritatis assecutio, & intellectualis possessio : ergo adstante motiuo perfectam summe & vndequaque assecutionem, & possessionem inducente, ac subinde adstante eiusmodi veritatis assecutione, & possessione, motiuorum intentionalium obiectiuorum vsus erit menti, non otiosus, & inutilis modo, sed prorsus impossibilis.

5. Rationes istæ ex parte mediorum physicorum formalium ad cognoscendum vnum in alio petitæ, æque probant respectu intellectus creati clare, & intuitiue videntis obiectum quod in alio, tanquam medio, cognoscendum alias foret, vt obiectioni contra rationem primam speciali materiæ applicitam respondimus quæst. 2. cert. 2. à nu. 9. Probat enim vtraque ratio ex virtute naturali medij formalis ad aliud cognoscendum in ipso independenter à speciali perfectione intellectus diuini cognoscentis, vt certaminis titulo monuimus, quæ enim rationes ex perfectione Dei cognoscentis supperunt,in certamen sequens adseruauimus.

6. Dices hanc rationem secundam tenere quidem,cum obiectum

obiectũ in medio formali physico alias cognoscendũ præsens pro aliquo statu, & apertum supponitur, nec medium formale in quo cognoscendum est, est in se, & cognitione diuina prius: quocirca, etsi demus Deum quod nullo posterius est, primumque, & primarium, atque adæquatum specificatiuum suæ cognitionis in alio tanquam in medio formali physico cognosci à se non posse: ac similiter creata possibilia quæ suæ intrinsecæ possibilitatis nullum principium habent, non posse in medio physico formali cognosci: ast de futuris crearis, siue conditionatè, siue absolutis, præsertim naturalibus, nihil probat: quia pro eo priori quo eorum principia, siue in hypothesi, siue absolute sunt, & à Deo cognoscuntur, nec futurorum conditionata, vel absoluta præsentia adest, neque eorum visio, quæ vim motiuam intentionalem, eorumque motionem ad assensum illorum futuritioni alterutri, quem inducunt, præstandum pro illo priori impediant.

7. Laudo subtilitatem obiectionis: qua tamen à ratione hac secunda non retrahor: etenim vt obiectio ipsa supponit, nec futurum alterutro modo pro illo priori sui principij, siue in hypothesi siue absolutè positi existit, siue futurum, siue conditionatè, siue absolute, ac subinde, nec à Deo cognoscitur vllo modo, etsi demus cognosci medium formale, & determinatiuum de se ad futurum alterutro modo cognoscendum expectandum, igitur necessario est posterius signum futuritionis alterutrius, ex suo principio posterioritate naturæ obiecto illi aduenturæ, vt existens, seu futurum in se præsentialiter à Deo cognoscatur; ecce tunc, motio intentionalis medij formalis de se motiui ad assensum de futuritione obiecti, non in aperto positi, & clare visi, illius præsentiam aperramque propositionem, & visionem claram incurrit, qua eius motiua intentionalis vis sufflaminetur, atque eius exercitium, & motio impediatur.

8. Instabis secundo: Etsi pro illo priori sui principij non existat futurum executiue & in se extra suus causas, tamen cum Dei decretum executiuum necessarium principium futuri creati sit, atque Dei intentio efficax, etsi necessarium futuri principium non sit; ast principium eius absolute esse potest: ac proinde in illis tanquam in causa, siue causaliter siue decretaliter, siue, vt dicitur vulgo intentionaliter, vel in intentione, pro illo priori possunt esse futura, & videri in eis, tanquam in medio ante signum, & posterius illud naturæ, quo præsentialiter executiuè extra suas causas, & in se sint futura, & visio eorum clara, qua vis principiorum motiua, eiusque exercitium & motio impediatur. Minus habet roboris, quam æquiuocationis, & verborum, instantiæ huius doctrina: quam pessimè semper odi, sicut & reliquas, quæ nihil præter verba habent; etsi videam ipsam multis Dominicanis Thomistis, nostrisque non paucis adeo placere, vt iudicent ei grauissimas Theologiæ veritates, non alias ipsorum iudicio componendas, imponi debere.

9. Ad rem nunc respondeo: futurum, seu faciendum in causis suis, etiam diuino decreto, nihil aliud esse quam causas ipsas futuri, seu faciendi: quo pacto S. Thom. frequentissimè vltra à nobis ex ipso data quæstione 2. creata omnia, & creanda, quatenus in prima causa Deo sunt, Deum ipsum esse docet edoctus scilicet à Ioanne illis verbis capitis 1. sui Euangelij: *quod factum est in ipso vita erat*, & à Patribus, & commentatoribus ad eum locum de hoc sensu concordibus: illa ergo futuritio rerum intentionalis siue in intentione, nihil aliud, quam Dei efficax intentio de rei futuritione, ac præterea de rei futuritione nihil: quouisque res pro sua duratione extra causas, in se, & executiue ponantur, vt posterius natura, per executiuum decretum vi efficacis illius intentionis apponetur, quibus instantiæ nebula, seu nimbus totus euanuit, vt patet.

CERTAMEN III.

Ex perfectione Dei cognoscentis, conclusionis eiusdem reliquæ probationes.

1. SIt tertia Conclusionis eiusdem probatio è Scientiæ, & mentis diuinæ perfectione petita: quia perfectionis, mentis, & Scientiæ diuinæ titulo cognitio abstractiua formaliter Deo repugnat; atqui omnis cognitio alicuius in alio, tanquam in medio, formali est formaliter abstractiua illius obiecti cognitio: ergo omnis cognitio alicuius in alio, tanquam in medio, formali Deo repugnat. Minor, quam negari, distinguiue, posse, video in doctrina aduersariorum, probatur: quia quæcumque cognitio non est formalis, seu formaliter intuitio obiecti, est formaliter abstractiua cognitio obiecti: atqui omnis cognitio obiecti in alio tanquam in medio formali, non est formaliter, seu formalis obiecti intuitio, ergo omnis cognitio obiecti in alio, tanquam in medio formali est abstractiua cognitio. Confirmatur ac probatur simul maior: quia Theologi in præsentiarum cognitionis abstractiuæ nomine, non eam solum cognitionem intelligunt, quæ in obiecto per alterius species habetur, illudque alterius ad instar repræsentat: neque enim Deum ita in alio, tanquam in medio, aliud cognoscere posse vllus somniauit, nedum asserto, dubioue dignum censuit: ergo eam etiam abstractiuam cognitionem ad præsens vocant, quæ quouis modo formaliter, seu formalis intuitio obiecti non est. Minor verò postremi Syllogismi suadetur: quia formalis intuitio obiecti formaliter dicit cognitionem obiecti in se: quod contradicit cognitioni obiecti in alio, tanquam in medio formali seu motiuo obiectiuo intentionali ad eius cognitionem.

2. Negabis tamen absolutè minorem primi syllogismi, & similiter probationem eius vtramque, etsi enim cognitio alicuius in alio, tanquam in medio, formali, vniuersim intuitio obiecti in medio illo cogniti, eo præcisè, non sit: quare in conceptu generico cognitionis obiecti in alio, tanquam in medio formali, intuitionis obiecti formalis ratio non claudatur; non tamen excluditur; sed ab eo præscinditur, ac subinde cum eo conceptus differentialis in eandem cognitionem confluere, atque in Diuinam sanè cognitionem obiecti in alio, tanquam in medio formali, vtrumque conceptum influere facile ostenditur. Primò: quia, vt in prima eius minoris probatione nostra dicebatur, nemo aduersariorum etiam somniauit (nedum seriò dubitauit, vel asseruit) diuinam obiecti in alio, tanquam in medio, cognitionem, obiectum illud per species alienas, atque alterius ad instar repræsentare; sed solum eo medio formali intentionaliter motum, & deductum in obiectum tandem ipsum secundum entitatem, & essentiam suam (pro statu, in quo ex ea medij intentionali motione cognoscitur) Deum venire: quare & cognitione illa obiectum, vt in se est, repræsentare, &, quod ipsum est, illud intuitiue videre: id quod, vt in simili respondebant quæst. 1. cert. 1. num. 5. prouenit ex perfectione summa cognoscentis, respectu cuius ad intuitionem obiecti, vt in se est, medium formale motiuum de se est, de factoque mouet; etsi ad solam abstractiuam obiecti cognitionem motiuum sit respectu imperfectionis cognoscentis: vis siquidem motiua intentionalis non æqua respectu omnium potentiarum, & cognoscentium est, sed perfectiorum respectu maior: respectu verò imperfectiorum minor, vt ex se, & experientia clare deprehenditur.

3. Contra verò primò: quia, vt loco citato arguebam à num. 6. tota vis intentionalis medij formalis, qua talis, ad alterius in ipso cognitionem respectu cuiuscumque, etiam summè perfecti intellectus, & cognoscentis est vis motiua ad cognitionem alterius in alio, siue, vt est in alio, non autem in se, siue vt est in se: ergo motiua vis intentionalis medij formalis nequit ducere etiam perfectissimum intellectum, & cognoscentem ad cognitionem obiecti in se, & secundum se, ac subinde, neque ad

obiecti intuitionem: quare motio medij formalis, etiam respectu perfectissimi intellectus, & cognoscentis ad intuitionem obiecti in ipso cognoscendi nequit pertingere, sed solum ad abstractiuam cognitionem, perfectiorem quidem quo perfectior intellectus sit: ex quo patet cognitionem obiecti in alio, tanquam in obiecto formali non præscindere solum ab obiecti intuitione, sed hanc è conceptu suo potius, & prorsus excludere: quare, & in Deo, qui è suæ mentis perfectione ad obiecta in se, &, vt in se sunt cognoscenda, intuendaque determinatus est, omnem intuitionem eorum, ex sua perfectione, non autem ex vi medij prouenire: imo inde etiam clarius repugnantia vsus medij in Deo ad alicuius cognitionem explicatur: quia, determinationi ad cognoscendum obiecta in se, & vt in se sunt potentia ad ea in alio, & vt in alio sunt cognoscenda manifestissimè contradicit. Contra secundò: quia vti hac solutione dicitur, nosque supra subtili obiectioni respondebamus certam, 2. num. 7. vt obiecta in se, & secundum se pro quovis eorum statu, à Deo intuitiue, ac non abstractiue cognoscantur, oportet, vt pro illo constituta & consistentia supponantur: ergo, dum ita cognoscuntur vi medij non cognoscuntur. Patet: quia vis motiua intentionalis medij, vt exerceatur, obiecti positionem non expectat, aut supponit: quare intuitio, quæ illam supponit, & spectat vi medij formalis non est: quare ex determinatione diuinæ mentis ad obiecti intuitionem in seipso, ex qua respondetur, vsus medij Deo repugnare conuincitur, idipsum infero secundo iuxta dicta eodem numero 7. quia posito, & statuto in aperto obiecto, ac subinde clara eius visione, & intuitione tota vis intentionalis medij, eiusque motio, & exercitium tam in actu primo, quam in actu secundo impeditur: ergo vi eius nequit obiectum cognosci.

4. Postrema conclusionis probatio ex conceptu infinitatis simpliciter, & indiuisibiliter è genere suo per denegationem termini etiam extrinseci petenda est contra aduersarios: in meis enim principiis non vrget, vt videbimus controu. 4. de voluntate: conceptum hunc prædicatis diuinis omnibus communem explicuimus ex instituto, & demonstrauimus controu. 1. de essentia & attributis, atque à conceptu infinitatis (si qua esse potest) creatæ in suo, non tamen è genere suo, & simpliciter infinitæ, sed ex partibus eiusdem generis compactæ penes id distingui, quod hæc terminum solum intrinsecum excludat, secus extrinsecum generis, & specie eiusdem. Ex quo sic arguo. Scientia Dei, vbi primum est, atque esse diuina intelligitur è conceptu suo indiuisibili infinita simpliciter è genere suo per denegationem termini, etiam extrinseci, generis eiusdem, & est, & intelligitur: ergo contradicit seipsa icuius Scientiæ diuinæ, quæ extra id, quod in eius conceptu primo, & metaphysicè adhuc indiuisibili claudituꝛ asseratur: est ex eo principio euidens consequentia; quippe quæ solam sententiam principij eius explicatius continet. Pergo. Sed cognitio, & Scientia diuina ex Deo, & cognoscente, & obiecto specificatiuo & primario, primo est, intelligiturque diuina, & pro tunc ita infinita simpliciter è genere suo & conceptu, etiam metaphysicè indiuisibili, per denegationem termini, etiam extrinseci, vt nihil in genere diuinæ Scientiæ extra illum primum conceptum diuinæ Scientiæ, (qui proinde Omniscientiæ conceptus est) sit possibile: ergo nequit esse in Deo Scientia obiecti alicuius in alio, tanquam in medio formali, vt fert nostra Conclusio.

5. Illationem hanc postremam, quæ ab aliis videtur remota, sic prioribus reliquis adiungo: quia pro illo priori, quo Deum solum, vt obiectum primarium terminatiuum, & adæquatum specificatiuum sui diuina Scientia & Omniscientia habet, medium nullum suam vim motiuam exercet, imò nec ipsum adest, sed solum Deus, vt specificatiuum adæquatum suæ cognitionis: vel ergo pro posteriori signo, pro quo solum adesse potest, mouet medium formale ad cognitionem obiecti in ipso, vel non mouet: si non mouet: ergo medium formale non est, neque suum munus exercet, sed materialiter terminat diuinam cognitionem, sicuti cætera obiecta, quæ nullatenus media formalia sunt. Si intentionaliter mouent Deum ad cognitionem alterius in ipso, tanquam medio: ergo ea obiecti illius Scientia in prioti illo, quo seipsum Deus, vt adæquatum suæ Scientiæ specificatiuum, & primarium terminatiuum cognoscit non est; siquidem motio intentionalis ad scientiam iam suppositam esse nequit: ergo præter scientiam illam diuinam formalis scientia alia diuina erit: quare neque simpliciter è genere suo, & concepta indiuisibili infinita erit per denegationem termini extrinseci, excludensque conceptum omnem Scientiæ formalis diuinæ, quod extra ipsam sit: quod principio illi, ex quo arguimus aperte contradicit.

6. Infero vlterius: Mouet pro posteriori medium illud formale ad cognitionem alterius in ipso: ergo hanc diuinam cognitionem (quæcumque & quouis loco sit) specificat, quæ est alia (etsi proximæ datæ affinis) probatio: ergo Deus, qua in se directè tendit, ac sistit, vt in obiectum primarium terminatiuum, & specificatiuum adæquatum, adæquatum specificatiuum non est, quod repugnantiam inuoluit; siquidem postrema consequentis pars primæ eiusdem à nobis, & ferè potiori, ac profundiori Theologorum parte staturæ contradicat. Secunda verò consequentia certo deducitur ex prima: quam sic probo: quia etsi obiectum purè terminatiuum Scientiam sui specificare non oporteat, vt ex dictis de diuinæ Scientiæ specificatiuo, atque illius ad obiecta reliqua pure terminatiua, & materialia extensione constat: ast obiectum motiuum intentionale, ac tale munus exercens, & mouens ad cognitionem alicuius (vt exercere, moueregue debet medium quodvis formale, qua tale), est obiectum formale, & ratio, sub qua cognitionis illius: est de ratione obiecti formalis, & rationis sub qua quis mouetur ad cognitionem est specificare cognitionem ad quam obiectum formale, & ratio sub qua mouens est vt etiam aduersarij Theologi supponunt: ergo, si medium formale suum munus exerceat, atque intentionaliter mouet ad alterius cognitionem in ipso, eam formaliter, & verè specificat, vt primo inferebamus.

7. Quod vtrique rationi de infinitate simpliciter è genere, & conceptu suo indiuisibili, & de adæquato specificatiuo tentari effugium poterat; nempe in illo priori, quo se solum Deus cognoscere intelligitur, hanc etiam repræsentationem obiectorum in aliis tanquam mediis formalibus adstare: (quemadmodum & obiectorum reliquorum materialium adstare dicimus) ex proxima & postrema ratione præoccupatum est sicuti quæst. 1. certam. 2. præoccupauimus vbi num. 6. satis apparentem rationem proposuimus, & deinceps diiecimus. Mitto aliam probationem ex eo, quod si Deus aliquid in alio tanquam in medio cognoscat eius de omnibus, & singulis obiectis suis æquæ euidentiæ, & certitudinis esse nequeat: id quod, & contra omnes Theologos est, & diuinæ cognitionis perfectioni repugnans. Hanc rationem efformabo disp. 8. quæst. 2. cert. 1. num. 7. Ex quibus omnibus hucusque dictis, & assertis, de mediis diuinæ cognitionis cum speciatim, tum vniuersim liquido apparet: Deum, & se, & reliqua omnia obiecta in ipsis solum, ac non in alio, tanquam in medio formali, scientia sua penetrare, neque aliter vsquam posse cognoscere: sed tamen ad disputationis exactam absolutionem restat adhuc inquirendum, ac definiendum: an ad obiectum aliquod cognoscendum verificatiuo aliquo egeat Deus? quia de eo prolixe, & contentiosè nunc à Recentioribus, nec satis dilucide, sed mediorum ad eam decidendam mixtione, & confusione disputatur.

QVÆSTIO VI.

An Scientiæ diuinæ verificatiua ab ipsis differant obiectis?

QVÆSTIO hæc respectu Scientiæ Dei quatenus Deum ipsum attingit non procedit: nec procederet de absolute futuris, si ea non tota anteacta æternitate, sed in tempore solum, & durarione, qua de præsenti sunt, Deus solum cognosceret: Dei enim, & cuiuscumque obiecti absoluta actualis, & præsens existentia, siue ad

ad actualis veritatis & obiecto, & iudicio illi concedendæ adæquaram constitutionem, & si hæc ex intrinseca iudicij entitate, & extrinseca obiecti positione confletur, est laris; siquidem in actuali absoluta præsentia obiecti satis determinatiui est, vt ipsum, potiusquam eius negatio, quæ de præsenti abest, adesse percipiatur, ac subinde iudicetur: sicuti in præsentia obiecti sensibilis, quod seipso, ac sine specierum interiectu à sensu percipitur, sufficiens determinatiuum sensibus est, vt illud potius, quam aliud oppositum, quod abest, percipiant, etsi hoc percipere possent, imo perciperent de facto, si adesset: atque item cognitioni seu iudicio de absoluta obiecti præsentia, & existentia, cui coexistit, veritas necessario actu aderit; etsi hæc ex iudicij, & obiecti existentia confletur: solum igitur versatur, versarique quæstio potest de creatis obiectis, quæ actu de præsenti positiue non sunt, cum cognoscuntur, vt non erant ab æterno, & ex æternitate, ex qua à Deo (vt dixi) cognita sunt omnia, cum possibilia, tum futura conditionata, tum futura absolute: in quibus omnibus eadem est formalis (etsi ex parte materiæ diuersa) & communis difficultas: siue possibilia, & futura conditionata præcisiue, siue pure talia considerentur.

CERTAMEN I.

Omnibus communia, & supponenda, atque aduersariorum sententiæ.

1. ID in primis cunctis in confesso esse debet, præfata omnia, quæ actu, & de præsenti non sunt cum actu cognoscuntur, absolute, neque esse, neque existere: ac proinde, pro tunc, nullam habere actualem absolutam existentiam; etsi neque habeant negationem necessariam absolutæ existentiæ: quia eorum negatio contingens, relate ad Deum saltem est, qui potuit pro ea duratione, eiusmodi obiecta absoluta existentia donare, cum eam ipsis non contulit. Hoc patet, quia non esse necessarium, necessariane essendi absolute absoluta negatio chimæris, & impossibilibus propria est, quæ à se non sunt: sicuti & Deo necessaria est absoluta existentia actualis siue actu absolute esse, quia à se est: vnde, nec Deus ab actuali absoluto esse, nec impossibilia ab actuali absoluto non esse possunt præscindi. Possibilia vero creata inter Deum, & chimæras media è conceptu, & essentia sua, à se absolute nec sunt, nec non sunt, sed ab absoluta sua, & actuali existentia præscindunt, pro eoque statu possibilitatis suæ, nec sui existentiam actualem, neque eius absolutam negationem excludunt, vt supra d. 4. quæst. 1. certam. 4. docebamus; imo negationis existentiæ actualis suæ possibilitatem possibilis creaturæ; & huius possibilitas negationis existentiæ suæ possibilitatem concernit, titulo contingentiæ, alterutrius in existendo, cuius ratione concepius possibilitatis ab actuali existentia potest sine fictione præscindi; quia neque à se, essentiaque sua est, & existit, vt existit Deus: nec non existit à se, & essentia sua, sicut impossibilia & chimæræ non existunt, vt tum ibi, tum hic q. 4. cert. 1. n. 4. docuimus.

2. His communibus statutis, concors Thomistarum Recentiorum sententia est: ea omnia, quæ absolute, & actu non existunt, cum actu, & absolute pro statu quouis suo cognoscuntur, verificatiuo aliquo, seu determinatiuo veritatis suæ obiectiuæ egere; dixi determinatiuo veritatis suæ obiectiuæ: ne sententia hæc cum alia confundatur eorundem sententia de necessitate mediorum, siue materialium, siue formalium, vt, à Deo creata, siue positiua, siue negatiua, quæ actu exercite, & absolute sunt ab æterno cognoscantur: quæ sententia, etsi veritas obiectiua ex tunc illis adesset locum habet, atque ex aliis ipsorum principiis, à nobis hic diluendis, deduci tentatur; etsi quæ præsenti quæstioni inseruientia misceant, vitio, (vt notabam) supra d. 5. in præfatione cunctis, quia antea de creaturarum vel in se, vel in alio disputabant communi: ita quæ sententia hæc docet, non existentia absolute actu, & exercite, cum cognoscuntur, non nisi ab alio formaliter, & vere obiectiuam veritatem habere, qua & terminate valeant diuinam cognitionem, & Dei cognoscentis mentem determinare. Id quod verum, formaliter loquendo esset, etsi, nec ad entitatis ipsorum appositionem, tanquam media materialia, nec vt cognita, & præcognita ad mouendum cognoscentem intentionaliter ad ipsorum cognitionem illud aliud requireretur, vti in eorum sententia etiam requiritur. Sed specierum impressarum adinstar mentem incognitum illud aliud ad creaturarum cognitionem determinaret. Atque hanc esse specialem Thomistarum Recentiorum in speciali hac, & ab examinatis diuersa difficultate mentem, eorum, quæ postea adducemus, atque ad hanc specialem difficultatem spectant, fundamenta monstrabunt.

3. Igitur præfati Thomistæ in præsenti quæstione, atque difficultate speciali ab examinatis hactenus diuersa pro diuersitatibus eorum, quæ actu exercite, & absolute non sunt, cum à Deo ex æternitate cognoscuntur, diuersa verificatiua, & determinatiua assignant. Nempe pro statu possibilitatis ipsorum omnipotentiam: pro statu futuritionis conditionaræ decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti: pro futuris absolutis decretum omni ex parte absolutum: contra eos tamen ea omnia ad rem præsentem faciunt, quæ disputat, 5. nec decreta ex parte subiecti absoluta, & conditionata ex parte obiecti pro futuritione contingentium conditionata, neque omnino absoluta pro futuritione eorundem absoluta Deo adesse posse monstrabant; etenim, si hæc absque eiusmodi verificatiuis, & determinatiuis, vt à Deo cognoscantur ex æternitate, ex qua (eorum sapientioribus fatentibus, & manifestis rationibus contra præsentiam rerum in æternitate ex æternitate) non erant, & tamen pro statu conditionato cognoscuntur: ergo, & reliqua absque eiusmodi determinatiuo, & verificatiuo ex æternitate ex qua non sunt, fore sub hypothesi cognoscentur. Secundo cum contingentium conditionatorum ædæquatum determinatiuum, & verificatiuum, sicuti neque adæquatum essentiale illorum principium, (cum essentiale illorum principium sit voluntas creata) decretum illud non sit, deficiatque alterum partiale conuerificatiuum absolute, & actu, solumque adsit suspense, & in hypothesi, ni ita poni verificatiuum, & determinatiuum ad eam futuritionem cognoscendam sit satis, determinatiuum, & verificatiuum absolute, & sufficienter tale ab his Doctoribus non afferetur.

4. Hac etiam ratione impugnatur verificatiuum, & determinatiuum omnipotentiæ pro possibilium cognitione; siquidem contingentium nobis proxime liberorum principium, seu terminus essentialis omnipotentia sola non est, sed voluntas possibilis. Nec dicere poteris non esse idem verificatiuum, seu determinatiuum, de quo nunc agimus, atque principium actiuum seu terminus essentialis, & necessarius ad consistentiam obiecti pro statu, in quo cognoscitur. Principium enim, aut terminus essentialis ad consistentiam obiecti, qua talia, media materialia sunt cognitionis obiecti de quibus nunc non agitur (quia de illis actum fuit d. 6.) sed de aliis verificatiuis, & determinatiuis ad veritatem obiectiuam creaturarum constituendam quæ diuersa esse diximus: quare ex eo, quod in omnipotentia sola principium, seu terminus adæquatus possibilitatis earum creaturarum non sit, nec decretum absolutum subiectiue, & obiectiue conditionatum pro futuritione contingentium conditionatorum, non infertur eadem non esse adæquata verificatiua, & determinatiua quæstionis præsentis. Sed (vt aliam impugnationem contra Authores similis maiori ex parte sententiæ secundæ nunc taceam quæ contra sententiam hanc primam eandem vim habet.) Contra, quia verificatiuum, & determinatiuum in sensu etiam quæstionis præsentis non potest disparate se habere ad obiectum, cui veritatem, & determinandi vim ad sui cognitionem tribuit; quare, etsi, qua actiuum & determinatiuum essentiale obiecti non habeat formaliter, realiter tamen, quia alterutro modo se ad obiectum habet, id obiecto præstat: quia id est vt connexum; nequit autem connexio hæc esse, nisi, vel quia essentiale eius principium, vel terminus est. Contra secundo: quia, cum ens, & verum vt conuo. metaph. ostendam idem, adhuc formaliter, sint, nequit

principium

principium & terminus essentialis consistentiæ entitatiuæ obiecti esse, quin, & consistentiæ veritatis obiectiuæ illius & principium, & terminus essentialis sit: nec video, qua ratione diuidi ab hisce alterum ab altero possit.

5. Impugno tertiò sententiam præfatam, quoad statum futuritionis conditionatæ, & possibilitatis in futuris absolutè, quæ ex æternitate, ex qua à Deo cognoscuntur actu, & absolute, & exercite non fuere: etenim, cum futuritio absoluta possibilitatem non aboleat, sed perficiat, atque ad actum perducat, vel identicum, vt censeo, vel, vt Thomistæ volunt additum possibilitati rerum, & adiunctum, atque ex æternitate Dei sit de eorum futuritione pro cuiusque duratione decretum, vt horum possibilitati ad actum per decretum illud deductæ cognoscendæ verificatiuum, & determinatiuum actuale ex æternitate assignetur, recursus ad omnipotentiam est otiosus: maximè, cum iidem Thomistæ Scientiam visionis de absolute futuris eorum causam esse directricem, etsi non meliore Theologia, fateantur. Secundo simili ratione ex præsentia reali futurorum æternitati, quam iidem defendunt, otiosum verificatiuum, & determinatiuum Omnipotentiæ in statu possibilium cognoscendis possibilibus ostenditur. Similiaque dicito contra determinatiuum, & verificatiuum futuritionis conditionatæ. Denique, cum præsentia futurorum ex æternitate, quam Thomistæ iidem inuexêre, actu absolutè & exercite futura Deo cognoscenti præsentet, æque, atque, cum actu, & de præsenti nostro sunt, decretum, quo tandem in tempore apponentur, absolute ad existentia atque futura cognoscenda superfluet. Sin vero non superfluit, sed est satis, & necessarium præsentia eorum ex æternitate vt ex illa ideo videantur, erit inutilis.

6. Ad eadem à nobis dissicienda atque à doctoribus priscis plus satis dissecta principia offendentes Recentiores ex nostris acuti Antonius Perez Valiende in 1. p. siue de Deo vno d. 6. c. 9. §. *Obiicies* 4. & Gaspar de Ribadeneyra subobscurius ipsius doctrinam tradens tractatu eiuso de Scientia, clarius tamen manuscriptis, & ore, docuerunt quæcunque actualem existentiam, exercite, & absolute in se non habent pro eo statu, pro quo cognoscenda sunt, sufficiens determinatiuum, & verificatiuum in se non habere, vt, à Deo etiam, cognoscantur: quare aliunde, & extrinsecus esse ipsis quærendum & designandum. Cum autem creata omnia ex æternitate pro omni eorum statu, ex qua nullum eorum actu absolute est, à Deo cognoscantur, ad Deum, qui solus æternus est cum Dominicanis Thomistis recurrunt, eisque quoad verificatiuum & determinatiuum cognitionis diuinæ de creaturis pro statu possibilitatis conueniunt: diuinamque omnipotentiam designant, etsi scientiam etiam simplicis intelligentiæ pro verificatiuo, & determinatiuo admittant. In determinatiuis verò, & verificatiuis cognitionis diuinæ de liberis nostris futuris, tam conditionatis, quam absolutis, cum Thomistica decreta memorata cum illorum libertate consistere posse non videant singularem viam capessunt. Assignant enim pro conditionatis diuinam conditionatam Scientiam, pro absolutis absolutam.

CERTAMEN II.

Postrema hæc Recentiorum sententia reiicitur.

QVâ Sententia hæc quoad verificatiuum, & determinatiuum possibilium, pro statu possibilitatis designandum conuenit cum prima, Omnipotentiam designans, datis impugnationibus contra primam patet proportione seruata: quibus addo hanc sententiam supponere possibilitatem rerum formaliter realiter Omnipotentiam esse, id quod falsum esse ostendimus controu. metaphysica d. 1. ex instituto, & obiter hic d. 5. quæst. 1. cert. 3. n. 4. quia, etsi nondum absolutè & actu existentia possint denominationes actuales intentionales ab actualibus formis accipere (vt patet in denominatione actu cognitorum, quæ eisdem conuenit possibilibus omnium sententia ab actuali de ipsis cognitione, & exemplis aliis pluribus) ast de realibus denominationibus, ac non purè intentionalibus exemplum nullum est actualis denominationis ab actuali aliqua forma præstita subiecto, quod non existat positiue, & præexistat, nisi ad Dominicanam doctrinam de existentia materiæ per existentiam formæ migretur. Contra secundò: quia, vt ea subiecti existentia non requiratur in subiecto non existente, siue ex eius parte, qua à forma differt capacitas eam denominationem suscipiendi requiritur; nec forma ipsi capacitatem affert. Alioqui ab omnipotentia non minus possibilis Hircoceruus esset, quam Petrus: quid igitur est capacitas illa Petri, ex parte sui, ad eam denominationem, vt possibilis ab omnipotentia sit, atque cum illa, vt forma concretum hoc actu possibile constituat? quidve vt eam recipiat denominationem Hircocerui deficiat? si prædicatorum huius repugnantiam intrinsecam eam incapacitatem esse; & prædicatorum Petri non repugnantiam intrinsecam capacitatem, quidve aliud dixeris à forma seu Omnipotentia diuersum: id ipsum nos intrinsecam Petri possibilitatem, Hircocerui impossibilitatem dicimus: & quidem, cum recentioribus hisce, vt argumenta eludant familiaris distinctio sit *possibilis, vt quo* & *possibilis vt quod* (ne solutionis elusio, vel ita respondentium illusio, in aperto sit, ac deprehendatur) vnum ex parte formæ omnipotentiæ denominantis, & aliud ex parte subiecti denominati proponi, & in eo concreto adesse fatendum necessario ipsis est.

2. Contra tertiò, vt oppignoratam fidem certam. 1. num. 4. liberemus: quia actus vitales non à sola Omnipotentia possibiles sunt, sed ab ea, & potentia vitali possibili solum, & necdum existente positiue pro suæ possibilitatis statu, pro quo eorum actuum, vt possibilium respectum essentialem terminat: ergo non à sola Omnipotentia tanquam forma, & *vt quo* possibilitatem virales actus habent formaliter, sed ab ea, & potentia vitali possibili: quare & hanc completè possibilem atque ex *quo* & *quod* constitutam, ac proinde ipsum quod potentiæ vitalis possibilis; (quod in se & intrinsecè nihil actu est per se) est pro parte formæ constituentis actum vitalem possibilem assignare debebis: id quod paradoxum est multo ex capite, vt patet, & quia concretum vnius generis esse formam denominantem alterius concreti generis eiusdem, v.g. vnum album, dextrum vel visum alterius albi dextri, vel visi est ridiculum. Dices: potentiam vitalem solam Omnipotentiam, vt terminum adæquatum essentialem, sui, vt possibilis respicere, atque ab ipsa proinde adæquatè denominari: quare, qua hanc actus virales possibiles possibilem concernunt, & tanquam terminum essentialem respiciunt, non posse non omnipotentiam respicere à qua etiam possibiles constituuntur.

3. Contra tamen: quia is respectus actuum vitalium ad Omnipotentiam, quatenus æque immediate, & primo, atque Omnipotentiam, respiciunt possibilitatem potentiæ vitalis, & hæc respicit Omnipotentiam, vt terminum seu formam adæquatam, & proximam, solum probat actus vitales possibiles qua parte respiciunt proximè potentias vitales possibiles, vt terminum essentialem & formam partialem proximam, qua in esse possibilium constituuntur, mediate respicere Omnipotentiam: ergo ab ea non constituuntur adæquatè actus vitales proximè possibiles, vt de se patet. Secundo solutio hæc probat absurdum, quod deducebamus: nempe vnum concretum aliud generis eiusdem posse contra omnes philosophos, & communem hominum apprehensionem constituere, ac denominare. Adde iuxta hanc doctrinam minimè, vel saltem ægre, defendi posse essentiam possibilem rei ab eius existentia realiter indistingui. Cum certum sit Omnipotentiam, qua formaliter essentia rerum consistit, ac non repugnat, esseque possibilis à Petri existentia realiter, & immensè differre: quare doctrina hæc à doctrina societatis valde discordat, & hæc satis contra huius sententiæ suppositionem pluries à nobis ex instituto impugnatam.

4. Iam doctrinam hanc quoad quæstionem de verificatiuo, & determinatiuo diuinæ scientiæ de possibilibus attinet, sic impugno: quia cognitio diuina de Petro possibili

possibili non attingit solam possibilitatem, eiusque veritatem intrinsecam, sed prædicata etiam Petri, quæ nec omnipotentia nec scientia simplicis intelligentiæ sunt: alioqui nihil extra se Deus cognosceret, cum cognoscit, & iudicat Petrum v. g. esse possibilem: neque eius iudicij obiectum esset vllum, præter vel omnipotentiam, vel scientiam simplicis intelligentiæ: ac proinde hoc ipsum iudicium esset, omnipotentia est omnipotentia, vel scientia de omnipotentia est scientia de omnipotentia, imo distinctioni illi aduersariis familiari in rebus hisce vt *quo*, & vt *quod* locus non esset: cum ergo vltra potentiam, & scientiam prædicata Petri, quoad intrinsecum, cognoscenda sint, & quoad intrinsecum sui neque omnipotentia, neque scientia simplicis intelligentiæ, tanquam forma constituantur, fateri aduersarij debent in prædicatis ipsis Petri obiectiuam veritatem, siue cognoscibilitatem esse, quam etiam Dei cognitio, vltra omnipotentiam, vel scientiam repræsentet, & qua Petrus possibilis diuinam terminet cognitionem.

5. Vnde infertur: in prædicatis intrinsecis Petri possibilis esse veritatem, qua etiam scientiam illam, siue Deum ad illam determinet: cum Dei omniscientia, quæ veritatis omnis scientia est, nihil aliud, quam obiectiuam veritatem cuiusuis, pro statu quouis, vt illius determinate scientia sit, pro determinatiuo requirat, vt supra d. 5. qu. 1. certam. 1. a num. 2. & certam. 3. num. 1. & fusius d. 4. quæst. 3. docebamus. Inde etiam infertur ad consistentiam veritatis scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ de intrinsecis illis Petri possibilis, seu, quod idem ad rem præsentem, futuri, nondum existentis, tamen cum cognoscitur opus actuali verificatiuo non esse: imo hoc esse impossibile, siquidem actu Petrus quoad intrinseca ipsi prædicata non est, & tamen vere cognoscitur? quia actu esse non dicitur, sed esse posse: ad quod opus non est Petri actualitate, quæ non asseritur, sed quod esse possit, vt asseritur id enim satis est, vt assertio asserto conformetur, quod ipsum formaliter est esse, veram assertionem.

6. Frustra item ab his Doctoribus pro determinatiuo & verificatiuo cognitionis de Petro possibili scientia simplicis intelligentiæ designatur: quandoquidem Petri possibilitatem, qua formaliter possibilis constituitur omnipotentiam actualem quidem, & æternam esse aiunt: in qua satis actualis determinatiui, & verificatiui adest: imo, non frustra etiam modo, verificatiuum scientiæ simplicis intelligentiæ est, sed impossibile, siquidem Petri possibilitas, seu Petrus possibilis actu prioritate obiectiua ad sui vt talis, scientiam constitutus, & intimius est quam post per scientiam possit constitui: id autem solum cognoscitur, cum Petrus cognoscitur possibilis; non autem cognoscitur cognitus, qua talis enim, non possibilis quidem per scientiam simplicis intelligentiæ, sed actu cognitus à Deo per scientiam visionis solummodo cognosci potest; denique, vt ita cognoscatur Petri possibilitas vere actu possibilis per scientiam de eo, qua tali actualem oportet fateri obiectum terminatiuum ad hanc scientiam non supponi sed subsequi, contra commune omnium iudicium: quod autem inde absurda, maxime in scholæ Societatis principijs inferantur ex parte saltem inferius ostendemus. Ac tandem, si scientia ipsa verificatiuum sui, & veritatem obiecti formaliter constituens sit. Omnis scientia diuina de quouis obiecto actu absolute non existente in se reflexa solum modo esse poterit.

CERTAMEN III.

Verificatiuum futuritionis vtriusque ab his Recentioribus nostris assignatum speciatim refellitur primo.

1. PRæter hactenus data contra verificatiuum possibilium, ac scientiæ de ipsis quod prædicti Recentiores nostri (non quidem ex necessitate principiorum, quibus ducebantur, & quibus designata omnipotentia fie-

bat satis, (sed vi consequentiæ ad ea, quæ de verificatiuis futurorum dicturi erant) addiderunt proportione seruata verificatiua futurorum æquo impetu impugnant; singulatim tamen verificatiua scientiæ mediæ de futuris conditionate, & scientiæ visionis, & absolute de absolute futuris specialibus argumentis refellenda hic sunt. Et primo verificatiuum scientiæ mediæ de futuris, quod ipsamet scientia media de ipsis ab his Recentioribus dicitur esse, sic impugno primo. Ideo per hosce cognoscitur actu à Deo futurum contingens conditionatum, quia est actu, & determinate, verum, cum ita cognoscitur: siue, quia à verificatiuo, & determinatiuo actuali habet actualem veritatem determinatam: atqui ideo est actu determinate verum, siue habet à verificatiuo, & determinatiuo actualem veritatem determinatam futurum contingens conditionatum, quia à Deo cognoscitur per vos: ergo ideo cognoscitur contingens conditionatum, quia cognoscitur, siue ideo est scientia media, quia est scientia media.

2. Proba (si potes) Domini canis tua doctrina suppositia scientiam mediam nostram quam negant firmissime, & conanti adhuc irridebunt: vt appareat quanto scholæ Societatis damno, quæ pro libertate nostrorum actuum cum prædestinationis certitudine concilianda diuino illustrata lumine scientiam hanc ex scripturis, patribus, & rationibus in lucem protulit, totque lucubrationum laboribus defendit, atque illustrat, doctrinam hanc Recentiores excogitarint, quæ merito irrationalis reddatur, & ridicula. Redeundum ergo his erit ad probationes nostrorum antiquorum ab his verificatiuis independentes, imo ipsis aduersas, vt scientiæ mediæ assertores se, & vindices esse absque audientium risu profiteantur. Scio nonnullos, nescio quas formalitates in scientia media diuisisse, vt altera verificatiuum, & determinatiuum sui ipsius sit sibique præcedat; altera vero seipsam sequatur; sed hæc ad quæstionem de re, atque à præcisionibus pure mentalibus independentem inania prorsus, & nugæ sunt.

3. Antonius Perez citato c. 9. versu *sed rogas* num. 114. in quo hanc proponit, versatque difficultatem, clariusque mentem explicat suam, plura secum pugnantia docet. Primo sub eius paragraphi initium causalitatis obiectiuæ in actu primo; siue vim determinatiuam contingentis conditionati ad scientiam mediam non posse esse scientiam, ne conditionata scientia sumet causa dicatur. Circa medium vero respondet difficultati statum intrinsecum à re ipsa indistinctum esse scientiæ conditionatæ causam; illum autem statum non esse statum qui in re sit, sed qui esset, si conditio poneretur; quem satis esse, vt causa scientiæ sit, inquit, quia causa intentionalis est, quæ existentiam actualem sui ex parte actus primi non requirit, vt caueat, (id quod constat exemplis quotidianis plurimis) quam causæ physicæ ex parte actus primi ad causandum supponunt: ac proinde ab obiecto non existente actu progredi potest. Concludit autem paragraphum. *Caterum causalitatem in actu primo obiectum scientiæ mediæ non habet, sed haberet, si poneretur conditio, & nunc solum existit in suo effectu, qui est scientia media.*

4. Præter proxima verbatim transcripta, fere reliqua Doctoris huius verba (nec solum sensa) sunt: in quibus non vnam tantum contradictionem deprehendi. Primam in postremis verbis scientia media est effectus contingentis, qui esset, si conditio poneretur: ast effectus omnis in actu secundo dicit vt essentialem terminum, & correlatum causam sui in actu primo pro priori modo sufficienti constitutam; alias esset, & non esset illius effectus: ergo, cum per te scientia media sit effectus illius contingentis conditionati, quod actu in se non est, sed esset, si conditio poneretur supponitur in eiusmodi contingenti, quod actu non est, sed esset, si conditio poneretur sufficiens constitutio in actu primo ad causandam scientiam mediam secundo eorum verborum sententia contradicit alteri, quæ asserebat statum intrinsecum conditionatum contingentis esse causam scientiæ mediæ: quia ad causandum intentionaliter non requiritur ex parte causæ existentia actualis: ac proinde non existente actu potest effectus procedere.

5. Ex qua verissima, & fere omnibus constanti ratio-

ne, verificatiuum, omne pro possibilibus, & futuris vtrisque actu non existentibus, cum cognoscuntur, quare & scientia media pro futuris conditionatis ab ipso assignata refellitur: siquidem principium vnicum, ob quod intellectus egeat actuali determinatiuo, vt actu hoc potius, quam eius oppositum cognoscat, & cognitio verificatiua actuali vt eius veritas actualis consistat, cum de actu absolute & præsenti non existente obiecto habetur, præfatæ rationi contradicit: denique si nullam rationem causæ actu primo habet obiectum contingens secundum intrinseca sui consideratum, sed haberet, si poneretur conditio illa: quam haberet respectu scientiæ absolutæ purificata hypothesi esset, non mediæ, qua scientia media esti nisi forte cum rudioribus aliquod Thomistis qui alios rubore suffuderunt, scientiam mediam absolute non esse, sed conditionate solum esse asseras, sicut eius obiectum: cum ergo secundum se conditionatum contingens causa in actu primo non sit, nisi, vt ipsi scientia media, quæ eius per te verificatiuum est, adiungatur: fatearis clare esse scientiam mediam, quia est scientia media, rigoroso sensu propositionis causalis, (quod negabas) & effectum ad seipsum ex parte causæ in actu primo posse præsupponi: semelque toti Philosophiæ, & Theologiæ renuncia.

6. Modestius hic suæ huius propositionis absurditatem subtinuit; audacius verò Ribadeneyra eam propositionem, vi actus consequentiæ, admittit, nihilque in ea absurdi esse instantiis pluribus suadere contendit. Primò: quia nulla pro priori & immediatiori ratione respondebit roganti cur agens agat? nisi quia agit: siquidem actione in ratione agentis actu constituitur, quare eo responso per causam formalem intimam agenti actus ratio respondetur; ita ergo scientia media, quæ quasi actio intentionalis conditionati contingentis est, per causam formalem, ipsum scientiæ eiusdem causam intentionalem constituentem in ea propositione ratio redditur: item roganti cur hoc velimus? responderi aptius nequit, quam, quia volumus, & in re præsenti, cur si vocatio detur consensus erit, nisi quia erit, si detur vocatio? Et sane barda est, inquit, & esset responsio, si eisdem terminus diceretur, ideo est scientia media, quia est scientia media tanquam proxima causa sub illis terminis significata: quare immediate respondendum esse ait, esse scientiam mediam, quia contingens erit, si talis adhibeatur conditio: etsi cur hoc ita conditionate vere, ac determinate foret potius, quam oppositum? Scientia ipsa mediam de illo habitam in causa esse responderi debeat, ne barde respondeatur: quemadmodum roganti, cur Petrus sit homo? quia est homo, si respondeas, stolide respondebis; sin autem respondeas, quia est animal rationale, respondebis sapienter; etsi idem ipsum, quod animal rationale homo sit nihilque diuersum tanti refert idem, non tamen terminis eisdem respondere, vt in his causalibus non inepte respondeatur.

7. Cæterum doctrina, & exempla hæc difficultatem & responsi ineptitudinem non euacuant. Primò enim exempla omnia rationum redditarum per causam formalem, siue physicam siue metaphysicam eius, de quo rogatur, sunt, vt singula consideranti parebit: quare recte in eis respondetur; in præsenti verò de causa effectus, seu denominationis formalis scientiæ, aut motionis in actu secundo ab obiecto conditionato procedentis non inquiritur; sed de eius actiuitate intentionali, vique ipsius determinatiua determinate, seu determinatiua in actu primo ad sui cognitionem, siue motionem actualem, & exercitam pro posteriori, & actu secundo: reddere autem rationem causalem, quia est motio in actu secundo siue eius obiecti cognitio, siue his, siue illis terminis explicetur, est reducere actum secundum causæ ad actum ipsius primum, atque posterius illud naturæ pro naturæ priori contradictione, & ineptitudine manifesta collocare: id quod exemplo primo demonstratur. An roganti, cur ignis calefactiuus, siue in actu primo ignis alterius seu caloris productiuus sit? sapienter, ac non barde, & repugnanter respondeas: quia ignit, vel calefecit? minime ob rationes datas: etsi rogatus, cur in actu secundo igniat, vel calefaciat rite, recteque respondeas, quia ignit, & calefecit; quia eo per causam formalem nempe ignitionem, vel calefactionem, qua formaliter igniens, vel calefaciens ignis constituitur, respondes: ideirco Antonius Perez sententiæ huius primipilus citato, §. *causationi in actu secundo* obiecti contingentis conditionati solum per scientiam mediam responderi fatetur: quia ea mouens, seu agens in actu secundo constituitur, sicut agens in actu secundo formaliter constituitur, per actionem; non autem per illam reddi causalem rationem posse causalitatis eius obiecti in actu primo respectu scientiæ suæ.

8. Et hoc sane vltque aliud præterea probat exemplum responsionis rectæ ad secundum illud, scilicet: ideo nos velle, quia volumus, ea siquidem responsione causam formalem huius concreti *volumus*, nempe volitionem nostram, sapienter designamus; quod si non de concreti huius *volumus*, in actu secundo, deque eius formali causa rogaremur, sed de nostræ volitionis causa in actu primo, seu potestate, à qua volitio procedit, sicuti in præsenti de virtute actiua, seu motiua intentionali in actu primo obiecti contingentis conditionati inquiritur, ineptè, & contradictorie per volitionem nostram responderetur. Contra secundo: quia ea responsio de actibus, siue de actionibus liberis formaliter immediate, & proximè est, respectu quorum causa determinata in actu primo nulla assignari, reddique potest, cur determinate volitio potius, quam eius omissio, seu nolitio sit, cum ea, qua libera non possit principium sui determinatum habere, sed prorsus indeterminatum, & ad ipsam, eiusque oppositum prorsus indifferens: quare ipsa sibi est tota determinatæ existentiæ suæ, præ eius oppositio determinatio: ac proinde nulla extra ipsam determinatæ existentiæ suæ præ oppositio causa reddi potest; quod etiam sapienter denotatur: secus autem in casu præsenti res habet. Nam scientia media libera formaliter immediate, & proxime non est, neque in ipsa eius determinatio esse potest, vt sit potius quam non sit: quare neque ipsa pro determinatione suæ existentiæ reddi sapienter potest; sed siquanda est in alio, quod ipsam natura antecedat, & à quo in actu primo determinata existentia eius præ oppositio determinetur: quod si ea determinatio in actu primo ad scientiam non sit in obiecto nudo, sed addita illi per scientiam, scientia ipsa pro causa immediata, & ratione proxima suæ determinatæ existentiæ præ eius oppositio hebetissime ab hisce redditur. Illa ratio offendens roganti, cur Petrus sit homo, quia est animal rationale, ad rem non est: tum, quia per causas metaphysicas materialem, & formalem seu genus, & differentias redditur: tum, quia inde fit explicatius, etsi idem ipsum proponis quare definitio illationis ad definitum medium potissimum est: quorum neutrum in re præsenti inuenitur.

CERTAMEN IV.

Eiusdem sententiæ à libertate Scientiæ impugnatio secunda.

1. SEcundò eadem Recentiorum doctrina à libertate Scientiæ mediæ (cuius nuper meminimus) confutatur; etenim Scientia hæc media conditionate futuro contingenti libera & absolute libera est: his doctoribus. Siquidem ita de facto, & absolute est, vt absolute potuerit non esse; ast non habet libertatem absolutam mediatam à decreto Dei absoluto, quod pro statu futuri contingentis conditionate non extat: ergo habet immediatam & proximam absolutam libertatem? sed hanc non habet realiter formaliter à voluntate diuina, à qua realiter formaliter non progreditur; etsi realiter materialiter, & identicè ab ea & reliquis diuinis progrediatur: ergo eam habet in horum sententia ab intellectu diuino à quo realiter formaliter procedit. Infero inde: ergo intellectus diuinus realiter formaliter, nec solum realiter materialiter, & identicè est potentia libera, quod est exoticum, & absurdum. Probo illationem: quia formalis

libertas

libertas immediata, & proxima actus ab indifferentia ad vtrumvis (quod ipsum potentiæ in actu primo libertas est) principij proximi à quo procedit formaliter desumitur: atqui scientia procedit immediate, & proxime ab intellectu, tanquam à suo proximo principio: ergo si libera formaliter proxime scientia est, intellectus realiter formaliter, nec solum materialiter, & identice, liber est.

2. Respondent ex libertate formali proxima actus non recte inferri illam habere ex libertate in actu primo cuiusvis principij proximi à quo actus procedit: quare peccat consequentia vltima argumenti nostri, & illatio ex illa deducta de libertate formali in actu primo intellectus diuini, à quo realiter formaliter, nec solum materialiter, & identice, sicut à voluntate, scientia media procedit. Assumptum patet in actu charitatis proxime formaliter liberi, qui tamen ab habitu, à quo proxime procedit, tanquam à principio non minus nec distantius quam à voluntate libertatem non trahit; sed à voluntate, quæ alterum actus illius principium, seu comprincipium proximum est: libertas igitur proxima formalis actus non arguit cuiusvis sui principij proximi libertatem in actu primo, sed alicuius tantum: cum ergo ad scientiam mediam principium proximum non solus intellectus sit, sed contingens ipsum conditionatè futurum ab hoc libertatem scientiæ mediæ trahi satis erit, non ab intellectu; illiusque inde, non autem huius argui formalem libertatem.

3. Contra primò: quia conditionate futurum contingens non est principium indifferens suique ad vtrumvis potens in actu primo ad sui cognitionem, vel ad oppositum: ergo, qua ab ipso eius cognitio seu scientia media procedit, non trahit libertatem: siquidem hæc per denominationem formalem extrinsecam ab indifferenti, suique potenti ad vtrumvis principio proximo trahitur: ergo, si proxime libera scientia media sit ab indifferentia alterius comprincipij (quod reliquum est) nempe intellectus in actu primo trahi proxime debet: quare intellectus realiter formaliter potentia libera in Deo erit. Contra secundo: quia, cum obiectum conditionatum contingens non sit potentia libera, & indifferens solum erit liberum vt actus quare in sui conditionatam scientiam libertatem formalè proximam immediatam, & primariam non poterit refundere; sed mediatam, & secundariam: sicut actus imperans in imperatum, siue eiusdem, siue diuersæ potentiæ, actum refundit: ergo scientia media proxime libera non erit, contra id quod supponis, atque in tua doctrina est certum. Contra tertio: quia libertas formalis communicata alteri actui, qui ad illum necessariò consequitur eadem omnino est, ac non alia, ab ea, quæ in illo actu reperitur, solumque in eo mediata actus consequentis libertas, à libertate actus antecedentis, quem sequitur differt, quod sequens actus mediatius, & in illo, antecedens verò immediate in se libertatem eandem fortitur: vt in imperantibus, & imperatis actibus cunictis est videre: atqui libertas formalis futuri contingentis conditionati solum est libertas conditionata, non absoluta: ergo, & scientiæ mediæ libertas subiectiua ex parte actus conditionata solum erit, non absoluta, vti esse meritò in tua doctrina supponis.

4. Contra quartò: quia (vt hæc cessarent) rogo, an futurum contingens conditionatum sit principium proximum liberum, & indifferens, ex quo scientia de ipso media libertatem formalem actus immediatè, & proximè trahat, secundum nudum intrinsecum suum esse, quod actu quidem non est, per omnes, sed solum esset, si conditio poneretur? an vt vestitum, & coniunctum cum esse actuali, & intentionali, quod in scientia sui media habet? Si postremum ergo scientia media à seipsa absque alio principio indifferenti proximè, & immediate libertatem trahit: nec solum esse, sed libera esse dicitur, quia est, & quia libera est, quod est resipsum ineptissimum: secundo & implicatorium: quia cum libertas formalis proxima, & immediata actus essentialiter desumatur ex indifferenti potestate ad vtrumvis principij, à quo proximè procedit, & scientia media, quæ coniuncta cum futuritione conditionata contingentis, principium, ex quo eadem scientia libertatem proximam formalem trahat esse asseritur, indifferens ad existentiam ipsiusmet scientiæ eiusque negationem non sit, sed omnino determinata ad seipsam, ac sui negationi essentia, & entitate sua repugnans, sicut reliqua omnia sui negationi contradicunt: nec plane ex duplici capite apertissimè repugnare, vt à futuro contingenti conditionato, vt existente actu intentionaliter in sui scientia media, siue, vt coniuncto cum illa libertatem formalem proximam actus scientia ipsa media trahat. Tum: quia scientia media, vt existens nullo causandi genere, siue physico, siue intentionali sui ipsius principium, seu conditio ex parte actus primi præsupposita esse potest: vt esse oporteat, ad hoc, vt à seipsa, tanquam principio proximo libertatem traheret. Tum: quia à principio omninò determinato ad actum, nec vllatenus indifferenti ad ipsum, eiusque oppositum formalis libertas actus trahi non potest: vt omittam (quod iam subdam) esse, ac vim motiuam solum intentionalem ad rationem principij, quod posset libertatem in actum refundere, esse insufficientem.

5. Sin autem dicas: futurum contingens conditionatum secundum purum suum illud conditionatum esse, quod actu absolutè non est, sed solum foret, si conditio poneretur: proximum libertatis scientiæ mediæ esse principium. Contra primo: quia vt dixi num. 3. eiusmodi futuritio conditionata contingens non est indifferentis, suique compotis potestatis ad sui scientiam eiusque negationem, sed quatenus de se est determinatæ, vt eius scientia existat (esto, aliud præterea requireretur, vt actu ea existeret scientia) ergo à contingenti sub ea futuritione conditionato, nequit in sui scientiam libertas refundi, iuxta proxime repetitum principium de necessitate indifferentiæ requisitæ ex parte principij, à quo in actum deriuanda libertas est. Secundo: omne principium à quo in eius actum deriuanda libertas est, debet esse principium physicum, & vitale illius actus, vti in omni principio, comperto tali, monstratur: atqui contingens futurum conditionate secundum eum statum, nec principium physicum nec vitale suæ scientiæ mediæ est. Ergo nequit esse principium, ex quo in scientiam mediam deriuetur libertas. Minor, sola probanda, suadetur: & primo principium vitale suæ scientiæ non esse, probatione primæ partis satis ostendebatur: siquidem omne principium vitale actus cuiusuis principium physicum ipsius esse debet: sed immediatius ex speciali ratione vitalis principij ostenditur: quia omne principium vitale, qua vitale, est principium operationum immanenter actus, cuius principium vitale est: atqui contingens conditionate futurum suæ scientiæ mediæ principium operationum immanenter non est; sed in alieno supposito, scilicet Deo: ergo scientiæ mediæ principium vitale non est: sed nec physicum principium eius scientiæ operationum esse contingens pro statu futuritionis conditionate demonstratur: quia principium physice operationum absolute tale, dicit positiue ex parte sui actualem absolutam existentiam: atqui contingens futurum conditionate, pro illo statu, actualem absolutam existentiam positiue nec dicit, nec habet in se: ergo nec est principium physicum operationum suæ scientiæ mediæ.

6. Et sane miraculi instar esset (ni forte de facto est) viros non præ hebetudine mentis, sed præ nimio ingenij acumine, & subtilitate, adeo scrupulosos pro principiorum scientiæ mediæ necessaria existentia physica absoluta, & actuali fuisse, vt ne intentionalis quidem principij vim motiuam in actu primo respectu scientiæ mediæ, absque aliqua extrinseca saltem absoluta physica, & actuali existentia positiua præmissa conditionate futuris contingentibus concedere ausint, etsi pro eis assignandis extrinsecus in tot arduos anfractus iactentur; & tamen ad hoc, vt eiusdem scientiæ principia physica sint, (vt oportet, vt in eam libertatem formalem proximam deriuent) futuritione, & existentia eorundem contingentium conditionata solum, nondum pro eo statu absoluta existentia positiue posita, & in pluribus eorum pro nullo statu ponenda, satis esse putent: & hæc sit quarta hactenus impugnatæ solutionis impugnatio, atque vt alias tædio mittam postrema. Nec pu-

ter aliquis nos nostri huius argumenti difficultati hactenus ostensæ & confirmatæ subiacere : quia, & Scientiam mediam actu esse, ac non esse absolutè potuisse nobis, & cunctis fatendum necessariò est: quare, & liberam ex parte actus esse ab omnibus est admittendum : inquirendumque principium vnde eam libertatem trahat, atque adeo vel ad intellectum, vel ad futurum contingens conditionatum per eadem incommoda & absurda recurrendum omnibus esse : sed hæc is solum dubitet, aut suspicetur, qui Scientiæ mediæ naturam, & rationem cur media nominetur, non penetrauerit : atque vniuersim Scientiæ diuinæ, & essentiam, & adæquatum specificatiuum iuxta à nobis dicta non statuerit : de quibus d. sequenti affatim instruetur. Nunc autem supponat ex ibi dicendis explicatius, Scientiam diuinam ex parte actus, & sui nullam habere proximam libertatem : cum Omniscientia, essentia, & conceptu suo primo sit, atque veritatis omnis de se, & ex parte sui formalis repræsentatio : ac proinde extrinsecus solum è libertate obiectorum per puram extrinsecam denominationem liberam esse eodem subinde libertatis genere, statu, & modo, quem obiecta sortiuntur : quo difficultas secundi huius argumenti nostri nobiscum non agit.

7. Tertiam aliam generalem, & à priori impugnationem verificatiuorum & determinatiuorum omnium extrinsecorum obiectis quibusvis, quæ absolute, & de præsenti actu non sunt cum cognoscuntur, & qua principium generale, quo verificatiua, & determinatiua actualia pro illis cognoscendis necessaria ab aduersariis vnice probantur, prorsus abiicitur, commodius, & clarius producemus certamine sequenti, cum generali principio illi aduersariorum respondeamus, vbi, & illud confutabimus : sed illud tandem contra Recentiores nostros notare hic non omittam : ex eorum doctrina vt libertas nostrorum actuum pro vtriusque futuritionis conditionatæ, & absolutæ statibus non euertatur (quam euerti certum est mihi, & præcipua horum Recentium impugnatio) tamen Recentioribus Dominicanis arma inde ministrari, quibus se tueantur atque argumentorum nostrorum impetum tutius, leniusque recipiant, imò & fatales, ethnici, & hæretici gnostici (contra quos speciatim scripsit Augustinus) cum contra ipsos è nostrorum libertate arguimus præscientiam absolutam futuri absolutè contingentis causam esse non posse : & quanquam ex hactenus dictis notatum hoc postremum in terminis contra verificatiuum & determinatiuum præscientiæ absolutæ de absolutè futuris, antequam actu, & de præsenti à Deo cognitis à Recentioribus nostris assignatum (præscientiam nimirum absolutam) impugnat : Reliqua verò proportione seruatâ idem verificatiuum reflunt : ea tamen contra hoc verificatiuum in terminis reperenda non sunt, cum facile à quouis contra ipsum valeant aptari.

CERTAMEN V.

Principij aduersariorum solutio, & confutatio.

1. FVndamentum Recentiorum duplici ex capite sumitur. Primum : quia, cum ea, quæ actu absolutè non sunt, cum cognoscantur, siue, vt possibilia, siue, vt conditionata, vel absolutè futura pro tunc determinate non sint, nil ex parte ipsorum præcisè sumptorum est, quod determinet vt illa pro tunc esse cognoscantur : quare aliquid extra ipsa designandum necessario, vt mens ad ea secundum status illos cognoscenda determinetur. Secundum caput est natura, & essentia ipsa veritatis diuinæ Scientiæ quæ infallibilis esse debet : ni autem actuale verificatiuum obiecti, quod positiue actu non est, designetur, Scientia diuina de ipso non erit infallibilis ; sed neque erit absolute vera. Primò : quia per copulam est, asseritur positiuum esse de obiecto secundum statum, in quo esse non claudit positiue, sed vt summum præscindit ab esse : ergo falsa est illa assertio, non vera, nedum infallibilis. Secundò : quia veritas iudicij cuiusvis in relatione conformitatis iudicij eius cum obiecto consistit : ergo nequit consistere veritas absolute, quin relatio illa conformitatis ad obiectum consistat : nequit autem relatio illa conformitatis cum obiecto absolute consistere, quousque obiectum absolute consistat : quod in se absolutè non consistere pro statibus illis cum pro eis cognoscitur certum nobis etiam est : ergo debet consistere absolute in alio, quod, & ipsius pro illo statu cognoscendi, & cognitionis de ipso verificatiuum actuale, & absolutum sit ; Neque intelligi vsquam potest, quomodo obiectorum, quæ non sunt, sed solum esse possunt iudicia æternæ veritatis sint, (vti esse ab omnibus dicuntur) cum obiectiua rerum veritas, & verum ab earum entitate, & esse, quod ab æterno non est, re ipsa physicè imo formaliter, & metaphysicè verosimilius, minimè differat : non ergo in ipsis, quoad intrinsecum, sed in alio verificatiuo extrinseco eorum veritas æterna est.

2. Hæc tamen omnia, quæ in auia adeo Recentiores nostros egerunt, ex aliis principiis desumpta à peritioribus nostris doctoribus iam pridem dicta sunt, imo & neglecta : quia pura æquiuocatione & ignorantia obiicientium nisi deprehensa sunt, ex quo primum opponebantur. Respondeo igitur facile ex dictis disp. 4. & d. 5. quæst. 1. certam. 4. & primo vniuersim rogo, an, vt obiectiua veritas omnis, quæ iudicio cognoscitur, & attingitur, cognoscatur, debeat esse absolutum habere, actu, & exercitè, quod determinet, aut verificet cognitionem, aut iudicium, quod de ipsa habetur ? rogoque rursus, an illo extrinseco determinatiuo, aut verificatiuo illud habeat ? si vtrique interrogationi affirmatiue (vt tuo principio, & argumento consectarie debes) respondeas : ergo, cum per simplicem intelligentiam, scientiam mediam, & præscientiam absolutam cognoscantur ab æterno, ex quo non erant, possibilia, futura, tum conditionate, tum absolute, nec solum eorum determinatiua, per determinatiua, & verificatiua tua esse absolutè, & cognoscibilitatem obiectiue præhabere debent, vt cognoscantur, ecce per aliquid extrinsecum illud esse actuale absolutum, quod asseri eis scientiis dicis, in eis obiectis reuera cognitis admittis, quod est paradoxum, nec intrinsecum obiectorum illorum statum (qui præter determinatiua, & verificatiua tua scientia etiam cognoscitur) immutat : quare, & de illius status cognitione, & obiectiuo esse quoad intrinsecum, si quid tua difficultas præstat, omnino consistit.

3. Etenim vel in illo intrinseco satis determinatiui est, vt tunc, & pro eo statu quoad intrinsecum sumpto cognoscatur, cum absolutè non est, & pro statu pro quo absolutum esse actuale, & exercitum non includitur, vel non est satis determinatiui, & verificatiui : si non est, quoad intrinsecum : nec status ille, nec obiecta quoad intrinsecum cognoscentur, sed solum determinatiuum, & verificatiuum cognoscitur : si in eo, quoad intrinsecum sumpto satis determinatiui, & verificatiui est, vt præ impossibili, seu neutro modo futuro cognoscatur actu : ergo determinatiuum, & verificatiuum actuale, & absolutum superfluit : vlterius aliquid esse, & iudicari possibile, vel alterutro modo futurum, non est iudicari esse actu absolute, & de præsenti : huic autem iudicio verificando nulla existentia actualis absoluta, siue possibili, aut futuro intrinseca, siue extrinseca subseruit ; quinimo officit vt contra præsentiam futurorum in æternitate arguebamus, arguuntque recentiores nostri contra quos agimus, ratione illius non posse verificari iudicium de futuris, sed de præsentibus : quare, si solum secundum eam præsentiam cognoscantur, falsò cognosci futura, vt futura.

4. Negari demum non potest possibile, & alterutro modo futurum secundum intrinsecum etiam eorum status, nec solum secundum sui determinatiuum, aut verificatiuum cognosci à Deo, ac proinde terminare scientiam diuinam : quare in intrinseco eorum, secundum status suos, & aptitudo terminandi cognitionem veram sui secundum intrinsecum sui, & status illius, quæ non est in prædicatis intrinsecis chimeræ, & in statu neutro modo futurorum, ergo est ex parte Petri v. g. & cuiusuis possibilis

sibilis determinatio pure passiue terminandi cognitionem veram de sui possibilitate, quoad intrinsecum, præ chimæra, & impossibili, è suorum prædicatorum repugnantia; sed nulla alia determinatio obiectiua præter passiuam pure terminandi requiritur, vt à Deo cognoscantur, vereque possibilia iudicentur, quæ possibilia sunt præ chimæris, & impossibilibus: ergo, vt possibilia in eo statu cognoscantur, & iudicentur talia, præ impossibilibus, determinatiuo alio extrinseco non egent: & idem est de iis quæ alterutro futuritionis modo & statu futura sunt, atque vt talia cognoscenda. Minor proxima probatur: quia, quæ solum terminatiue se habere possunt respectu suæ cognitionis in determinatione pure passiua, & terminatiua satis determinationis obiectiuæ habent, vt cognoscantur: ita vero solum se habent obiecta omnia extrinseca respectu cognitionis diuinæ, quæ de se, & conceptu suo actualis formalis repræsentatio anticipata euadit omnis obiecti extrinseci, vt sæpe monuimus d. 2. 3. 4. & 5.

5. Atque hæc primum caput, ex quo generale illud aduersariorum principium probatur, imo, & caput secundum, præcidunt, sed secundi huius probationes ex veritate, & infallibilitate scientiæ diuinæ speciatim difficiamus, prima erat ex copula *est* in iudicio de eorum possibilitate, aut futuritione imbibitæ significato: quia quæ ponitur non sunt: cum esse iudicantur, falso esse iudicantur. Hæc tamen probatio ignoratione significationis copulæ *est* in iudiciis de rerum possibilitate, aut aliis quæ actuale absolutum esse eorum, nec important, nec concernunt, vt aiunt necessaria sunt, omnino nititur; vt enim d. 5. quæst. 1. certam. 4. ex communi Philosophorum sensu, dicebamus copula *est* propositionum in materia necessaria abstrahit à tempore, neque illud concernit, qua solum de causa æternæ, ac necessariæ veritatis esse dicuntur; quæ autem in materia contingenti sunt, quia prædicatum contingens important, quod non, nisi in tempore; potest subiecto, de quo prædicatur, accidere, esse contingens, & in tempore per copulam iudicij concernitur; non tamen eodem modo: sed de futuro, de præterito, vel de præsenti iuxta verbi substantiui varias per tempora & modos suos inflexiones: quod si esse actuale & de præsenti absolutum ad propositionum siue de futuro, siue de præterito veritatem requireretur, non solum otiose, sed inepte essent in verbis introductæ verborum per varios modos, & tempora varia inflexiones.

6. In propositionibus vero in materia necessaria per copulam *est* sola connexio identitatis necessariæ prædicati cum subiecto significatur, quin tempus aliquod consignificetur vlterius: idemque suo modo de propositionibus de futuro conditionato dicendum est, etsi de prædicato contingenti sint: quia tempus, & existentia contingens hypothesis non importatur absolute, sed suspense. v. g. si esset cogitatio, seu vocatio, & sub ea existentia, & esse suspenso fore consensus asseritur; nusquamque actu, & de præsenti absolute esse, imo nec fore absolute de futuro: quare, etsi actu, & de præsenti non sint, quæ possibilia, vel solum conditionate futura iudicantur ratione consignificati temporis essendi per copulam à veritate eiusmodi iudicia non possunt deficere: quia nullum tempus absolute essendi eis copulis de obiectis illis consignificatur, in propositionibus autem de præterito, vel futuro, etsi tempus per copulam importetur essendi, seu existendi absolute obiecta illa, non tamen præsens, & actuale, cum ita de eis, vel fore, vel fuisse iudicatur: quare nec defectu actualis existentiæ eorum absoluta de præsenti, quæ eorum iudiciorum copula nusquam concernitur, à veritate iudicia illa deflectent.

7. Tertia, ratio pro verificatiuo ex relatione conformitatis iudicij ad obiecta, quam essentialiter iudicij cuiusuis veritas actualis dicit, nequitque actu absque actuali consistentia vtriusque extremi, nempe iudicii, & obiecti consistere, futilissima est: conformitatis enim cum obiecto relatio, quam actualis veritas dicit, non est cum obiecto, vtcumque, & vt absolute existente entitatiue, sed cum obiecto vt repræsentatur: quare ad eam conformitatem, & veritatem actualem iudicij, & cognitionis sat est, quod ita obiectum sit, vt repræsentatur, & iudicatur de illo; quin actu illud, & de præsenti duratione esse obiectum, cum iudicatur sit opus, ad cuiusuis iudicij actualem veritatem; immo vero, si iudicium de prædicato contingenti de præsenti non sit, sed de pure futuro, veritas eius actualis non consistet: cum eiusmodi iudicio asseratur prædicatum actu, & de præsenti non esse, & posterius primo fore: & sane, cum status futuritionis alterutrius vel possibilitatis iudiciis, de quibus agimus, asseratur esse de iis, quæ actu absolute non sunt cum eis debet esse iudicij conformitas: & vero, etsi determinatiua, & verificatiua actu absolute, & de præsenti sint: status ille, & obiecta ipsa secundum se, & quoad intrinsecum non sunt; & tamen cum illis debet esse iudicij conformitas, vt actu sit verum: quare eodem tuo argumento, & tu impugnaris; nisi asseras nihil præter determinatiua æterna, & diuina, quæ assignas, à Deo cognosci, ac proinde impudenter & erronee obiectorum extrinsecorum omnium, antequam sint scientiam ipsi neges, vel possibilia, & alterutro modo futura per ea determinatiua, & verificatiua formaliter in sua, vel possibilitate, vel futuritione alterutra omnino constitui, quo vtrorumque futurorum contingentium euertes libertatem: cum eorum determinatiuorum, & verificatiuorum positio in ea doctrina nostræ libertati non subiaceat. Satius igitur erit, tutiusque, & prorsus verum asserere relationem conformitatis intentionalem simultatem actualis existentiæ in duratione iudicij; & obiecti non requirere, nisi iudicio ea simultas enuncietur: sicut nec requiritur localis vtriusque simultas, vt in loco, quo de distanti obiecto iudicatur, sit actualis veritas: & ratio est, quia intellectus cognitione, & iudicio suo seu intentionali repræsentatione sicuti loca omnia ita, & tempora penetrare potest & transcendere.

8. Sed quid tandem illud est obiectiuum esse, ad quod terminatur iudicium illud, eiusque veritas, & conformitatis relatio cum de obiectis iudicatur, quæ tunc non sunt? an absolutæ existentiæ de præsenti? certe si id quæris, nodum in scyrpo quæris; siquidem in obiectis ex fide, vt dixi, necessario cognoscendis pro statibus, pro quibus actu, & de præsenti esse non claudunt, esse præsenti actu, & absolute, quasi tactu percipere, & palpare conaris; si aliud esse obiectiuum & intentionale quæris, designabo facile ex dictis disput. 5. quæst. 1. cerri 4. sed mentem acue, atque ad illud percipiendum ruditati sensuum renuntia, qui solum præsentia, & actualia percipiunt: etsi quandoque futura præsagiant ipsi, & persentiscant: & pro futuris, & præteritis absolute facilius perceptu assignabo: nempe absoluta pro aliqua duratione existentiaque asseritur. Pro possibilibus illud obiectiuum esse, quod, etsi extrinseca pura denominatio extrinseca à cognitione non sit (neque enim reflexa cognitione, & iudicio opus est vt cognoscantur) extra cognitionem tamen physice absolute actu non est: quin rationis figmentum sit: quia absolute esse in rebus potest, vt cognoscitur, & iudicatur; etsi cum reflexe esse pro eo statu, quoad intrinsecum iudicamus fictò illum esse vestimus, directe vero necessariam connexionem prædicatorum non fictam, & non repugnantem, cognoscimus, atque enunciamus. Idemque iuxta dicta de futuris conditionate proportione seruata dictum puta. Nec maioris explicationis capacia sunt; quia ex terminis, & vocum apprehensione nota, vt pleraque alia; sin, explica mihi (amabo te) conceptum notissimum existentiæ clarius, quam ea voce simplici significatur.

***

DISPVTATIO VIII.

De scientiæ diuinæ diuisione, & affectionibus, & diuinis idæis.

EXplicatis scientiæ diuinæ natura, principiis, & omnigenis obiectis, vt septem anteactis disputationibus ea omnia statuimus, explicuimusque: eam demum, etsi reipsa, imo & metaphysice vnissimam, vt diximus pro nostro concipiendi modo diuidere, atque eius insuper affectiones, &, quasi passiones, indagare, & methodi ratio, & aliorum scriptorum exemplum iure à nobis expoſcit, vt ad plenum controuersia hæc de scientia Dei absoluatur: ea vero breuius multo præstabimus, quam aliquorum contumax, proterua, & prolixa concertatio videbatur exigere, in ea enim magna de vocibus lis est, quam semper odi, & contemno, de re vero nulla: ostendam proinde breui quomodo loqui in re præsenti debeamus, non autem cum eis, qui ita loqui nolint, contendam.

QVÆSTIO I.

Quotuplex scientia in Deo adstruenda sit?

CVm Dei scientia non solum physice, sed metaphysice etiam vnissima ex parte actus & insectilis sit, quippe quæ è suo formali conceptu, atque è genere, vt dixi infinita sit per denegationem termini, etiam extrinseci, eam ex parte actus nisi chimærice diuidere non valeamus: quare tota eius diuisio penes obiectorum diuisionem, atque statuum, pro quibus ab ea attinguntur, & repræsentantur, aliudue, quod extra scientiæ lineam diuisione concernatur, esse prorsus debet.

CERTAMEN I.

Scientiæ diuinæ penes obiectorum status diuersos partitio, vbi de scientiæ mediæ membro, & proprietate ratio prima.

1. PRima vetustissima, & vulgatissima scientiæ medii diuisio est in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: illa est, omnium sententia, qua possibilia secundum statum possibilitatis suæ supra à nobis explicatum cognoscuntur, vt à sui existentia exercita abstracta. Visionis vero scientia ea est, qua omnia obiecta Deo secundum absolutam, & exercitam sui, pro sua quæque duratione, repræsentantur: & hanc adæquatam esse diuinæ scientiæ partitionem, & quæ diuinam obiectorum omnium pro statibus omnibus cognitionem coerceat, recentes volunt Thomistæ, quod, an proprie loquendo verum sit? infra examinabo, dum an scientiæ mediæ membrum rigorose loquendo addendum huic primæ diuisioni obiectorum, & statuum, eorum diuersitati præcise stando, discutiam? sed prius membri duplicis diuisionis huius obiecta assignanda singulatim erunt.

2. Et in primis impossibilia & chimæras (quas omnes à Deo cognosci supra docuimus) ad scientiam simplicis intelligentiæ spectare communis sententia: quia oppositorum eadem est ratio, & disciplina, vt vulgo circumfertur. Deum vero, qui putant essentia, & conceptu suo ab actuali existentia præcindere, posseque subinde possibilem præcisiue ab existentia sui exercita absque obiectiua fictione, & chimæra cognosci, secundum eum ipsius conceptum, & statum ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinere; secundum statum verò suæ exercitæ, & actualis existentiæ ad scientiam visionis: ego vero censeo vtrumque solum ad scientiam visionis spectare: & de Deo quidem communiori Theologorum sententia iam est (siquidem Deum eiusque essentiam ab actuali, & exercita sui absoluta existentia non præscindere, vt ostendimus vulgatius, politiusque asseritur) ad scientiam visionis solummodo spectare.

3. Eadem vero ratione impossibilia ad scientiam visionis solummodo attinere si secundum proprium primariumque conceptum spectentur facile ex supra à nobis dictis de essentiali eorum conceptu probatur. Ostendimus enim illum in negatione à se, siue necessaria impossibilium actuali, & absoluta negatione situm esse: quemadmodum in necessaria sui existentia, absoluta actuali Dei, seu entis à se essentia constituitur: quare non minus eis, quæ seipsis, & non ab alio remota à rebus sunt, vti impossibilia remota sunt, possibilitatis non essendi conceptum præcisum ab actuali, & absoluta sui à rebus remotione, siue negatione essendi repugnare quam Deo, siue à se, ac de se actu absolute, & existenti essentia sua possibilitatis status, ab actuali & absoluta sui existentia præcisus repugnet: cum autem quidquid solummodo statum actualis, & absolutæ existentiæ habet, vt Deus, & impossibilium negatio ad scientiam visionis tantummodo spectabunt. Proloquium illud vulgare ex quo opposita de impossibilibus conclusio probabatur, extra rem præsentem, & germanum eius sensum, sono tenus vocum (vt plerumque similia axiomata producuntur) obtruditur; neque enim de scientiarum pro statibus obiectorum vnitate, vel diuisione (vt in præsenti agimus) neque ab eius inuentoribus, neque à Philosopho vllo intellectum hactenus, vel vsurpatum est.

4. Nouior, maiorque est concertatio, adæquatane ea diuisio scientiæ diuinæ sit, ex quo contingentium conditionatorum pro eo futuritionis conditionatæ statu scientia distinctius, explicatiusque, atque, in terminis, vt aiunt, ipsis, nostrorum doctorum industria in scholis fuit disputata: qua in re aduersarij Dominicani adæquatam diuisionem præfatam reputant, ne membrum rectius scientiæ mediæ nomine (quod ad horrorem stomachantur) admittant: qui eorum nonnulli, vt Blasius Berdu scientiam integram Deo à nostris denegari putarunt; quos proinde pro sua in Deum reuerentia, & pietate his verbis hortatur; *date ergo illi scientiam integram*: laudanda quidem à nostris eius pietas; nescio an ita sit à peritis latinitas eius laudanda: cum videant *medium* pro *dimidio* barbarismo vsurpari: idcirco eorum Thomistarum nonnulli ad scientiam simplicis intelligentiæ contingentium conditionatorum scientiam attinere aiunt: quibus assentitur Magister Curiel controu. 7. c. 14. a. 2. num. 195.

5. Ex nostris etiam, quibus res ipsæ altercari, aduersarique aliis solummodo cogunt, ne de nomine cum Thomistis hisce contendant contingentium conditionatorum scientiam vel ad simplicem intelligentiam, vel ad visionem reducunt. Ad simplicem intelligentiam Salmeron in Epistol. Pauli lib. 1. p. 2. d. 1. Bellarmin. 2. de amissione gratiæ & statu pecc. c. 17. Valent. 1. p. ad qu. 14. punct. 5. Vasquez disput. 67. cap. 4. Arrubal d. 38. c. 9. Accedit Diotale p. 2. Opusculor. in procem. cap. 11. & vlt. Ad visionem vero Soar. lib. 2. de auxil. c. 3. num. 6. Ruiz de Montoia d. 76. sect. 2. & Recentiores Complutenses. Primi mouentur: quia contingentia conditionata futura absolute

absolutè non sunt, imo eorum pleraque non sunt futura: id quod confirmari viterius potest ex Augustino, qui contingentia conditionata ex naturæ viribus à Semipelagianis, tanquam merita, vel demerita ad prædestinationem, & reprobationem in paruulis correptis prætenta ea non solum merita, sed & futura esse negauit, ac non futura esse docuit: nihil autem, quod futurum absolutè non est, ad visionem, quæ solum circa absolutè futura versatur, potest pertinere.

6. Secundi vero eo in primis fundamento ducuntur: quod Patres, qui conditionatorum contingentium eorumque scientiæ meminerunt, vel futura ea dixerunt, vel verbis in futuro tempore explicarunt: quibus magis ad futurorum, quam ad possibilium statum sua sententia accedere satis insinuarunt: propriusque subinde ad visionis, quam simplicis intelligentiæ obiecta pertingere. Secundo: quia possibilia, seu prædicatorum essentialium identitatis vera connexio, quæ est obiectum simplicis intelligentiæ, est omnino indifferens ad futuritionem conditionatam contingentis, atque ad eius futuritionis negationem, cum pleraque è contingentibus non sint, quæ tamen sunt conditionatè futura: male ergo cum sui possibilitate tanquam cum affini obiecto numerabuntur, est tamen hic contra Gonzalez Albeldam Dominicanum d. 45. sect. 2. concluſ. 3. falso retulisse ex Soario nostro lib. 2. de scientia conditionatorum cap. 3. n. 4. quæstionem nouam de nomine esse an contingentium conditionatorum scientia ante actuale ex parte Dei decretum de eorum conditionata futuritione habeatur? cum toto eo libro ante illud haberi serio, ac de re contendat: eoque loci, num scientia media dicenda sit atque tertium scientiæ diuinæ medium inter simplicem intelligentiam, & visionem constituere quæstionem de nomine appellet.

7. Verum, etsi cum Thomistis hisce de nomine decertandum non sit, si rem concedant, de qua hactenus abunde disputauimus: imo etiamsi eam scientiam non, nisi post actuale decretum de futuritione conditionata contingentium, (quod de re quæstio est) aduersariis denus, quæstioni de nomine locus cum hisce Thomistis, & ratio eadem, vt, si penes diuersitatem statuum obiectorum partienda scientia Dei sit; membrum tertium scientiæ mediæ, æque sit ab eis, atque à nostris, qui ante omne actuale Dei decretum eius futuritionis scientiam haberi à Deo contendunt, medium inter simplicem intelligentiam, & visionem debeat admitti. Etenim, etsi decretum illud ad scientiæ diuinæ de conditionato contingenti infallibilitatem autument aduersarij necessario præcedere, tamen contingentiam & libertatem conditionatam (ægre quidem & imperceptibiliter) defendunt, negantque ne Caluinismum expressè fateantur infallibilitatem consequentiæ eius rationis eiusdem esse, atque infallibilitatem consequentiæ huius conditionalis, (*si sol lucet dies est*) & reliquarum similium, quæ ex hypothesi causarum naturalium ad suos naturales effectus deducuntur: quare in illis conditionati contingentis conditionatam contingentiam, & libertatem seruari, diuersam quidem, quoad statum à libertate eius, vt possibilis præcise, & vt absolutè futuri: idcirco Gonzalez Albelda, qui rem hanc suis acutius, & minutius excussit, & disputauit, statum hunc conditionati contingentis medium inter possibilitatis suæ, & absolutæ futuritionis status esse iure concedit d. 39. fine.

8. In hac igitur quæstione de nomine concludo: bimembrem illam priscam diuisionem scientiæ Dei in simplicem intelligentiam, & visionem ex diuersitate obiectorum, & statuum (si loquendum proprie, & sermonis rigore sit) adæquatam non esse: sed scientiæ mediæ membrum tertium ille esse adiungendum, vt proprietate sermonis obiecta diuinæ scientiæ cuncta, & quoad omnes eorum status diuinæ scientiæ diuisio coerceat: est omnium societatis Doctorum, & asseclarum innumerorum expressa vbique sententia; etsi quandoque contingentium conditionatorum scientiam ad alterum ex duobus membris reduci, vtcumque posse (ne nimis de nomine litigiosi videantur) concedant. Sed reductionis nomine, non rigore & proprietate sermonis abunde significarunt. Probatur facile concluſio: quia diuisio scientiæ pro diuersitate statuum obiectorum eius, quæ proprietate sermonis omnes eorum status non comprehendit proprietate sermonis adæquata non est: atqui diuisio in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis aliquem statum aliquorum obiectorum eius proprietate sermonis non comprehendit: ergo nec proprietate sermonis adæquata est. Minor probatur: quia simplex intelligentia proprietate sermonis solum comprehendit statum possibilitatis suorum obiectorum: visio autem proprietate sermonis solum comprehendit statum absolutæ existentiæ eorum: idque apud priscos omnes bimembris eius diuisionis authores, cum de scientia conditionatorum contingentium in terminis non disputabatur. Atqui status conditionatæ futuritionis contingentium neuter eorum statuum est, sed diuersus: ergo aliquis status aliquorum obiectorum diuinæ scientiæ bimembri illa diuisione ipsius non comprehenditur.

9. Minor postrema multifariam ostenditur. Primo contra Thomistas plures supra memoratos, qui, cum Deum cognoscere contingentia, & libera nostra, & secundum possibilitatis, & secundum existentiæ suæ absolutæ statum admitterent, tamen cognosci secundum futuritionis suæ conditionatæ statum negabant: ac proinde huius ab illis statibus diuersitatem agnoscebant. Secundo: quia pleraque opera nostra libera possibilia futura conditionatè minimè sunt: ac proinde nequeunt non sub possibilitatis conceptu à conditionata sui futuritione præscindere, atque ad sui conditionatam futuritionem, & non futuritionem esse indifferentia: cum item sub conditionata futuritione præcise ab absoluta sui futuritione præscindant, indifferentiaque ad hanc, cuiusque absolutam negationem, siue ad absolutam sui non futuritionem, & existentiam sint, (pleraque enim conditionatè futura nunquam absolutè fuerunt, eruntue vt de fide, & pœnitentia Tyriorum, Sydoniorum, &c. constat) haud dubio, quin præcise, qua conditionatè futura, statum absolutæ existentiæ, vel futuritionis suæ absolutæ non attingant; sed intra priorem alium maioris vniuersalitatis statum coerceantur: id quod Patres pro alterutra reductione, vel ad simplicem intelligentiam, vel ad visionem recitati aperte satis docuerunt: dum conditionatè futura, futura modo, modo non futura, ac tandem futura non futura dixerunt. Ex quibus facile ostenditur media illa inter possibilia, & futura absolutè esse, & quorum status de vtroque participet. De statu possibilitatis quod ad statum futuritionis absolutæ non perueniat. De statu futuritionis absolutæ, quod intra statum præcisæ possibilitatis non teneatur; quare, si obiectiuarum veritatum, & statum obiectorum, pro quibus à Deo contingentia cognoscuntur, habenda ratio sit eius scientia, quatenus contingentia pro statu futuritionis conditionatæ præcise repræsentat, iure media nominatur: eiusque tertium membrum bimembri diuisioni priscæ addendum erit, vt proprietate sermonis adæquatè diuinam scientiam partiamur.

CERTAMEN II.

Alia generalis diuinæ scientiæ in necessariam, & liberam, & additionis tertij membri scientiæ mediæ ratio secunda.

1. HAud ignotior est secunda alia scientiæ Dei generalis diuisio in necessariam, & liberam: sed nescio an sit vulgari, & vsitato pluribus modo accipienda. Putatur enim à multis in primam hactenus explicatam penitus coincidere, cum eaque prorsus reipsa confundi, etsi ab illa vocibus discrepet: vt tantumdem scientia necessaria, atque scientia simplicis intelligentiæ sit, ac scientia libera idem omnino, quod scientia visionis: ego vero æstimo diuersam esse secundam hanc diuisionem à

prima

prima, non vocibus solum, sed rebus, & primam quidem penes diuersitatem obiectorum, & statuum; pro quibus à Deo cognoscuntur fieri; secundum vero hanc non inde, sed ex scientiæ diuinæ affectionibus, necessitatis nimirum, & libertatis, vt voces ipsæ demonstrant, esse pensandam: id quod ita facile ostenditur: etsi enim possibilia omnia scientia necessaria, & nullatenus libera à Deo cognoscantur: at vero absolute existentia plura (quæ dubio procul ad scientiam visionis spectant) scientia item necessaria à Deo cognoscuntur: ergo scientia necessaria Dei vltra obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ porrigitur. Antecedens est certum, siquidem scientia, quam Deus de seipso suisque attributis & Trinitatis personis absolute existentibus habet (esto ea omnia possibilia, quod renuo, præcisiue etiam cognoscat) scientia necessaria, ac nullatenus libera est, & quæ visionis, non autem simplicis intelligentiæ scientia sit. Deinde impossibilium, & chimærarum scientia visionis est, vt ostendimus certam. 1. num. 2. & 3. & tamen est scientia necessaria.

2. An vero ea diuisio adæquata sit, quin mediæ etiam scientiæ membrum ab vtroque diuisionis membro diuersum sermonis proprietate sit addendum? nostrorum cum Dominicanis Thomistis Recentioribus quæstio etiam de nomine est; negantibus his, illis vero concedentibus: & quidem, si de libertate, ac necessitate obiectorum non autem de scientiæ ipsius necessitate, & libertate ageretur, facili negotio nostrates intentum obtinerent: siquidem contingentia conditionata; nec solum possibilem contingentiam pro illo conditionato statu habent, neque absolutam libertatem, & contingentiam sui sortiuntur, sed mediam interpossibilem, & absolute futuram libertatem: quare libertatis, ac necessitatis obiectorum ratione solummodo habita haud dubio contingentium conditionatorum scientia inter absolute necessariam, & absolute liberam sermonis proprietate merito diceretur. Atque me iudice id solum, & attenderunt, & conclusione sua intenderunt nihil vlterius inspectantes, præter obiectiuam libertatem decreti diuini, quam futurorum absolute scientia supponit, secus conditionatorum, & mediam, quæ cum scientia necessaria concordat; & cum absoluta in eo, quod contingens obiectum, & quod conditionate etiam, deficere absolute potuit: quare & neutra harum in eo etiam est, sed participans de vtraque: ita Molina noster scientiæ huius illustrator, & vocis mediæ author 1 p.q.17. §. *Triplicem scientiam*, & d.52. concordiæ, ex quo reliqui.

3. Vlterius tamen aliquid, & altius, examinandum erat, vt quæstio hæc (quamuis tota de nomine) proprietate sermonis definiretur: etenim necessitas, & libertas non obiectorum quidem, sed scientiæ ipsius asseruntur, vti eius affectiones, & accidentia, cum in liberam, & necessariam dissecatur: quemadmodum albedo Petri dicitur, cum Petrus albus asseritur: in hac autem propria sane significatione, adæquatam eam diuisionem scientiæ in necessariam, & liberam videtur Dominicanis, (etsi nil de hac sermonis proprietate cogitantibus, sed ad obiecta solummodo intentis) concedendum. Probo: quia scientia Dei de conditionatis, ac nondum absolute contingentibus, non est scientia, quæ esset, si conditio, & conditionata absolute ponerentur, vt Thomistæ Dominicani nonnulli arguebant: sed est scientia, quæ actu, siue ex parte actus absolute est: atvtra absolute actu est, vt absolute potuerit non esse eiusmodi scientia: ergo absolute libera est conditionata scientia; non autem media inter necessariam, & liberam: consequentia euidens est à definitione ad definitum: nihil siquidem aliud est absolute liberum, quam quod ita actu absolute est, vt potuerit non esse. Maior est certa apud nostros, & apud omnes, qui rem scientiæ mediæ callent. Minor non videtur obscurior: si enim contingens, quod conditionate futurum de facto est, vt absolute potuit, futurum conditionate non esset, scientia conditionata in Deo non esset, quin falsa foret, quod Deo repugnat. Huic argumento, qui ex nostris scientiam diuinam cuiusuis obiecti (etiam extrinseci) entitate sua, atque ex parte actus, &, quoad intrinsecum repræsentationis, repræsentato obiecto connexam minus (ni fallor) Theologice fatentur succumbant necesse est.

4. Vt autem illud diluam, atque rigida hac sermonis proprietate scientiæ mediæ nomen, illamque tanquam tertium membrum bimembri huic diuinæ scientiæ in naturalem seu necessariam, & liberam partitioni addendam esse, vt adæquata fit eius diuisio; simul probeam præmittenda aliqua necessario summatim sunt. Primum: Dei scientiam ex parte actus, siue quoad intrinsecum repræsentationis omnium, & singulorum obiectorum à nullo extrinseco obiecto vllatenus tanquam à termino entitatiuæ suæ connexionis pendere; sed ab eis omnibus independentem prorsus, & absolutam esse, imo, ne à cunctis quidem Deo intrinsecis, quarto vt aiunt, modo dicendi per se, siue formaliter, sed materialiter solum & identice pendere, tanquam à termino: formaliter vero ab eo solum prædicato diuino, quod eius primarium, & specificatiuum adæquatum est, nempe essentia, à quo speciem, & perfectionem adæquate, tanquam ab obiecto desumit, atque infinita simpliciter, & è genere suo per denegationem termini, etiam extrinseci, generis eiusdem: quare, & omniscientia euadit, & cui aliquid repræsentationis formalis alicuius obiecti vlterius accedere repugnet: vt fuse de specificatiuo adæquato scientiæ diuinæ agens præsenti controu. ostendi ac sæpius inde plura, & hic, & controu. de Trinitate ac sæpe alibi deduxi: itaque repræsentationi diuinæ formali de obiecto extrinseco nihil prorsus abesset, etsi obiectum deficeret, quoad scientiæ, & repræsentationis formalis intrinsecum: quemadmodum de omnipotentia diximus, nihil, quoad intrinsecum defecturum, etsi aliqua, imo omnia possibilia repugnarent.

5. Notandum secundo est intellectum diuinum potentiam liberam formaliter non esse, vt omnes Theologi certum supponunt: quare, neque eius scientiam liberam formaliter immediate, & proxime esse posse: quod ex denegatione libertatis potentiæ euidenter deducitur; siquidem proxima, atque immediata formalis libertas actus nihil aliud formaliter est, quam denominatio extrinseca à libertate in actu primo, siue indifferente potestate in actu primo ad ipsum apponendum, vel non apponendum potentiæ, à qua procedit: imo vero, cum pro priori ad obiecta reliqua à primario, & specificatiuo suo adæquato Dei scientia omniscientia vt sæpe, & nuper notauimus euadat) necessario euadat independenter à negatione libertatis in actu primo potentiæ intellectiuæ Dei probatur diuinam de quouis suo obiecto cognitionem liberam in actu secundo formaliter immediate, & proxime esse non posse: quia independenter, & antecedenter ad cuiusuis contingentis positionem ad illud repræsentandum determinata est de se diuina cognitio, seu potius illius repræsentandi actualis formalis determinatio, & repræsentatio de se est; etsi ex parte obiecti conditionata: nimirum, si obiectum debite ad sui cognitionem apponatur, atque intentionaliter subsistat: sicuti de omnipotentia formali philosophantur, qui eam absoluram à possibilitate creaturarum nobiscum recognoscunt: & sicut Dei amor; etsi à voluntate Dei, quæ libera perfectissime, atque infinite præ creatis, tamen quatenus circa seipsum, à quo necessario rapitur, versatur, necessarius est.

6. Inde notandum tertio Dei scientiam solummodo mediate circa extrinseca obiecta liberam esse, vt constat ex actibus potentiarum omnium quæ in actu primo formaliter liberæ, & indifferentis potestatis ad vtrumuis non sunt. Inde vero vlterius fit: diuinam scientiam eiusdem tantum rationis libertatem posse sortiri, cuius rationis fuerit libertas illius, quo medio libertatem participat, & per quem mediata libertas ipsi per extrinsecam denominationem formaliter communicatur. Patet primo exemplis omnibus actuum mediate solum liberorum, atque à potentiis formaliter in actu primo non liberis prouenientium: & ratione à priori aperta: quia nemo dat, quod non habet: quod in virtute, & communicatione actiua certissimum etiam principium est. Etsi in hac virtute & communicatione actiua formalis præcontinentia eius, quod effectui communicatur necessaria non sit; sed eminentialis sufficiat: vt in pluribus agentibus æquiuocis creatis, & in prima rerum causa actiua Deo compertum est: in communicatione vero formali eandem omnino rationem,

rationem, quæ alteri communicatur, præcontineri in eo, qui eam communicat ipsi, exploratissimum ex terminis est, vt probatione non egeat.

7. Sed illud tandem examinandum, definiendum, atque statuendum restat: à quonam scientia Dei mediatam quamuis libertatem proximè participet, & quidem à Diuino decreto siue conditionate, siue absolute libero illam participare non posse certissimum est. Etenim diuina scientia actus à voluntate Dei per decretum liberum imperatus intellectui diuino formaliter immediatè non est, sicuti actus potentiarum exequentium ab actibus voluntatis imperantur. Neque enim Deus ideò aliquid cognoscit, quia vult; alioqui posset nescire, si vellet, aut non vellet nosse: quod prorsus repugnat, profundeque obseruauit Tertullianus dicens: *Deus in omnia sufficit, nec potest esse sua perspicacia præuaricator*, & ex dictis nu. 4. & natura decreti liberi perspicuum bifariam est, tum, quia, vt dixi, necessario ex Deo ipso, vt obiecto primario specificatiuo adæquato independenter ab omni decreto libero Dei omniscientia eius scientia necessario euadit: tum secundo, quia, cum voluntas Dei nequeat in incognitum ferri; sed eius, quod vult cognitionem pro signo priori necessario præsupponat: fieret, vt ante decretum imperans cuiusuis obiecti cognitionem eiusdem obiecti cognitio debeat præcedere, non imperata per decretum illa posterius; neque per anterius ipsa aliud, in quo instauratur argumentum idem, & de aliis in infinitum; nisi ad aliquam eius obiecti cognitionem per nullum Dei decretum imperatum deueniatur.

8. Cum ergo præter decreti diuini libertatem nulla alia præter obiecti libertas, à qua immediate libertatem mediatam formalem diuina scientia participet inueniri, excogitariue queat, ab obiecti libertate proxime, & immediate eam ipsi communicari formaliter statuendum est; remotius vero non dubito, quin à decreto libero Dei eidem scientiæ libertas communicetur, non quidem formaliter, quasi ex decreti diuini libertate adduc remotius, quam ab obiecti libertate Dei scientia libera formaliter fit, ac denominetur; sed materialiter solum: quatenus, nisi per Dei decretum, siue in hypothesi, siue conditionate, siue absolute proportionate ad statum futuritionis siue absolutæ, siue conditionatæ, pro quo contingens nostrum Deo extrinsecum cognoscitur in illo statu non apponeretur, præsentaretur que à Deo cognoscendum: id autem ad formalis libertatis mediatæ denominationem (quam ad quæstionis præsentis, rigida sermonis proprietate, decisionem venamur nihil refert.

9. Ex his probatur: proprietate rigida sermonis scientiam mediam inter absolute liberam, & absolute necessariam in Deo, atque ad adæquatam scientiæ diuinæ partitionem, vt tertium membrum ab vtraque diuersum, esse admittendam. Quia scientia de conditionatis contingentibus non est rigida hac sermonis proprietate necessaria, seu naturalis, quemadmodum hæc: *sol lucet dies est*: quæ de obiecto contingenti nullatenus est. Sed neque est absolute libera, sed solum conditionate rigida hac sermonis proprietate: ergo rigida hac sermonis proprietate media est, nec formaliter in alterutra contenta, addendaque, vt formalis diuinæ scientiæ diuisio sit adæquata: secundam antecedentis partem (cui soli probatione opus est) ita ex dictis probo. Scientia Dei proxime primario, & immediate libera non est, sed solum mediate per eandemmet libertatem formaliter obiecti, à quo proxime ipsi formaliter communicatur, sola diuersitate proximioris vel remotioris gradus illam formaliter habendi, vt hactenus ostendi; sed libertas contingentis conditionati pro eo statu, pro quo præcise obiectum scientiæ conditionatæ est, &, à quo libertatem proxime formaliter, & immediate mediatam ipsa participat, non est absolute, sed conditionate solum contingens, & liberum: ergo non est libera absolute, sed conditionate solum, ac mediate inter absolutam libertatem, & necessitatem.

10. Inde euanescit argumentum contra hanc conclusionem instructum num. 3. in aliis principiis aliquorum ex nostris indissolubile. Procedit enim, vimque habet solum contra libertatem formalem proximam actus, siue subiectiuam, quam secundum sui intrinsecum diuinæ scientiæ non posse conuenire ostendi num. 4. & 7. non autem contra libertatem actus mediatam solum, & obiectiuam ab obiecto per formalem denominationem extrinsecus in actum proxime formaliter deriuatam, sicuti ab obiecto contingenti conditionato in eius scientiam deriuetur; vnde in forma negandum est scientiam diuinam Dei conditionatis defecturam, quoad sui intrinsecum, si conditionata, vt potuerunt absolute conditionate non essent, vt in simili de omnipotentia, si possibilia impossibilia, seu non possibilia forent communiter asseritur. Deficeret autem scientia conditionatorum, quoad denominationem præsertim liberæ: neque enim libera esse posset deficiente obiecti sui conditionata libertate (vti conditionate deficiente consignionato deficeret) qua sola eius scientia libera est, & denominatur; imo neque, quoad denominationem absolutam scientiæ huius conditionati, si conditionatum non esset, maneret: qua in re & similibus de omnipotentia, ideis, & cæteris ab extrinsecis Deo, quæ vocibus concernere videntur in dependentibus, ac non liberis formaliter proxime prædicatis diuinis connotatores cum Vasquez sumus: esseque debent, quicunque digne Theologizentur, de liberis autem formaliter, & proxime prædicatis, seu actibus diuinis (cuiusmodi decreta Dei sunt) sine extrinsecis connotatis eadem diuinæ perfectionis reuerentia, & rationes aliæ philosophari nos docent.

CERTAMEN III.

Diuinæ Scientiæ perfectiones reliquæ examinantur & explicantur.

1. Diuisio scientiæ diuinæ tertia æque, atque præcedentes, vulgata, & antiqua in practicam & speculatiuam est. Speculatiua ea per omnes est, quæ in veritatis speculatione sistit; practica vero quæ ad aliquid exequendum dirigit operatiuum cognoscentem; vnde à nobis controu. dialectica d. proœmiali, & controu. de anima, ex communi dialecticorum, & animasticorum sententia definitur *qua versatur circa rem operabilem, & modo operabili*; quam ibi latius per particulas sigillatim explicuimus. In re ergo præsenti scientia practica Dei eadem, quæ in illo causa rerum est illum dirigens, vt aliquid exequi velit, atque exequatur omnino erit. Hinc definienda suborta alia quæstio scientiæ practicæ venit: an scilicet ad scientiam simplicis intelligentiæ spectet, an ad scientiam visionis, Thomistæ Recentiores ad scientiam visionis solummodo pertinere arbitrantur: quia putant solam scientiam visionis esse causam rerum, eos tamen controuers. 6. de prouid. & 7. de prædestinatione abunde confutabimus. Sed permisso nunc visionem causam rerum esse quia vltra Dei voluntatis imperium, aliud, qui actus intellectus diuini imperatiuus necessarius sit, vt opera extremæ executioni à Deo mandentur, adhuc actus iste visionis intermedius, etsi executiuus sit scientia practica non esset, neque à ratione scientiæ practicæ scientiam simplicis intelligentiæ excluderet. Primum patet: quia non dirigeret operantem imperatiua illa visio, quæ, vel ad opus, vt prodeat, esset, vel ad potentiam exequentem, quam despotice, vt sic dicam, quin cognitione ageret: cæca enim, atque intentionaliter immobilis ea potentia seu omnipotentia formaliter est, physico solum impetu, & impulsu ad opus applicita, & adacta. Patet etiam secundum. Negari siquidem ab his nequit (etsi rerum causa proxima, & directiua Dei ad opus visio illa eius imperatiua esse admittatur) scientiam simplicis intelligentiæ, & opus, & modum illud recte exequendi repræsentantem Deum operaturum, eiusque voluntatem intentionaliter mouere, ac dirigere, vt illud exequi modo debito decernat: ergo neque ab eis potest scientia simplicis intelligentiæ à ratione scientiæ practicæ secludi.

2. Contra vero Doctores nostri, cum scientiam visionis causam rerum merito, & conspirato contra Thomistas hosce negent, eam prorsus à ratione scientiæ practicæ excludunt solisque scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, atque naturalibus effectibus, & operibus ac Thomistarum horum sententiæ confutandæ attendentes intra simplicem intelligentiam totam Dei scientiam practicam coercent, quam dubio procul non coercerent, si contingentium conditionatorum nostrorum actuum, & operationum loquerentur, aut meminissent: censeo ergo scientiam Dei practicam per scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam mediam diuagari primam ad opera naturalia exequenda: secundam etiam ad apponenda opera libera. Primum probatum est ratione pol[illegible]tina contra Thomistas: secundum facile ex nostris principiis probatur: quia dubio procul scientia media de nostris conditionatis contingentibus mouetur inxentionaliter dirigiturque Deus cum vt habitura in nobis effectum auxilia apponat, cum vt mediis illis, & nostræ libertatis vsu consensum absque frustrationis periculo, & libertatis creatæ præiudicio à voluntate nostra obtineat: ergo ea scientia practica Deo est. Porrò huic conclusioni nemo nostrum non consentiet, poteritue aduersari.

3. De visione vero censeo cum nostris etiam omnibus nullatenus scientiam practicam, non solum quia causa rerum nullatenus est (quod ipsis, & solum, & sufficiens principium fuit, vt ad res seu opera ipsa visa scientia practica non esset dicenda) sed ob aliam rationem, qua, non rei visæ solum, & cuius causa non est, sed neque aliarum rerum, cuius rei illius visio causa, omnium sententia est, scientia practica non esse monstretur, etenim causæ absolutæ applicatæ visionem causam esse Deo, vt cum ea decernat concurrere, atque eius subinde effectus naturalis absolute apponatur, citra dubium est: deinde visionem absolutam meriti, aut demeriti, vt præmium merenti concedatur, atque infligatur demerenti supplicium causam esse, nemo est qui dubiter; & tamen neque visionem causæ applicitæ, neque meriti, aut demeriti visionem scientiam practicam, adhuc respectu effectus naturalis, neque respectu præmij, vel pœnæ, quorum causa est, probari oportet, vt absolute, & vniuersim scientia visionis à ratione scientiæ practicæ excludatur: id autem præsto: quia causæ applicitæ, meritiue, aut demeriti visio, etsi Deum ad effectum præmiumue, ac supplicium apponendum moueat, ac proinde eorum causa absolute sit; ast ad ea apponenda non dirigit, nec dictat modum, quo apponenda illa sint, quod præter motionem puram voluntatis, quæ in scientia etiam pure speculatiua inuenitur, scientiæ practicæ ratio adsit.

4. Hinc procliuis est duarum difficultatum solutio. Primæ. An scientia Dei qua verbum producitur practica sit? affirmat Aluarez d. 6. de Auxil. sed male quia eiusmodi scientia solum est verbi productio, non autem ad illud producendum directio, vt opus erat, vt respectu illius practica scientia esset. Confirmatur: quia omnis scientia practica ars est de rebus quæ malæ, vel secus fieri absolute possent, si absque artis seu scientiæ practicæ directione fierent: quare nulli cognitioni naturaliter, ac non ex arte (quemadmodum diuina scientia verbum producitur) suum terminum producenti ratio practicæ potest conuenire. Tertio, cum Thomistæ intellectionem creatam, in productione verbi creati constituant, nulla apud eos pure speculatiua scientia erit. Quarto: quia, vt contr. de Trin. d. 5. ostendi verbum non procedit formaliter è sui cognitione: quomodo ergo cognitio, qua formaliter sumpta procedit, practica erit verbi, quod per illam formaliter sumptam, ne quidem repræsentatur? eadem est difficultas, eodemque modo definienda negatiua, ob tres priores rationes circa scientiam diuinam entium rationis effectiuam, num practica sit? secunda difficultas an scientia diuina ex qua à Patre, & Filio amor mutuus & necessarius concipitur quo Sanctus Spiritus procedit respectu huius practica sit? cui etiam negatiue est respondendum, quia ea scientia ad eius productionem non dirigit, neque ars eius producendi est, neque eius proinde est ex arte productio, sed naturalis, & tandem quia eiusmodi scientia formaliter, qua eius processionem, & amorem mutuum præcedit, Spiritus Sancti cognitio non est.

5. Quarta nec minus communis antiqua, & vulgata diuisio Scientiæ diuinæ est, in Scientiam simplicis notitiæ, & scientiam approbationis: cæterum harum vocum explicatio, & cuinam membro primæ diuisionis in simplicis intelligentiæ & visionis scientiam, alterutra conueniat an verò suprà scientiæ rationem aliquid addat? non æquè commune & vulgatum Theologis est. Aluarez citata d. 6. concl. 2. & à d. 7. arg. nihilo à scientia visionis scientiam approbationis distingui putat, ac subinde simplicem notitiam idem prorsus esse, quod scientia simplicis intelligentiæ videtur docere: atque diuisionem hanc cum prima conuenire, verum cum Deus scientia visionis non minus peccata, & demerita absoluta, quam virtutes, & merita absoluta cognoscat, ni vlterius quam visionem scientia approbationis dicat, peccata etiam, & demerita scientia approbationis cognoscere, æque atque absolutè ea dicetur videre, vt expresè ipse fatetur quid ni Deus per hunc Authorem etiam ea dicatur approbare: id enim de se scientia approbationis significat, & Patres omnes intelligunt: vt videre est apud nostrum Ruiz de Montoya de hac diuisione agentem, & ex scripturæ locis, quorum iam vnum vel alterum subiiciemus: quare opinatio hæc meritò à scholis Catholicis releganda videatur.

6. Gonzalez Albeda, etsi in eandem sententiam videatur abiisse ex generali sibi, & suis Dominicanis Recentioribus principio: nempe scientiam visionis esse causam rerum, & alio priscis Theologis receptissimo, scilicet Scientiam approbationis rerum causam esse; tamen cum neque ipse, neque ex suis alij Deum esse causam peccati admittant, etsi ex eo, quod materialis peccati, quod prædeterminatiue per ipsos prædefinit, causa sit, ad illud etiam admittendum vi consequentiæ agantur, peccata quæ videt scientia approbationis cognoscere ex sua hac conclusione neque admittunt, nec tenentur, neque vniuersim sui Aluarez conclusioni consentiunt, qua visio cum scientia approbationis ad conuertentiam dicitur, solum visione eorum, quæ causat Deus scientiam approbationis totam contineri docent; neque ad visionem eorum, quæ non causat, nempe peccata extendi: quod, licet fallo, vt dixi principio innitatur Thomistico, & alteri communi, & antiquo; quare aliquatenus, sed non omni ex parte verò, absurditatem tamen conclusionis Aluarez declinat.

7. Ex priscis Theologis communis sententia fuit scientiam simplicis intelligentiæ quæ causa rerum est esse approbationis scientiam, non quidem simplicem intelligentiam nude sumptam, sed vt coniunctam cum voluntate seu decreto Dei ad quod mouet, & medio quo res causat, ita expresse Sanctus Thomas pluries (vt hac etiam in re non semel suorum Dominicanorum sententiis repugnet) quæstione 3. & 8. de veritat. & 1. part. qu. 14. artic. 8. corpore in hæc verba: *Vnde necesse est vt sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam, vnde Scientia Dei secundum quod est causa rerum consueuit nominari scientia approbationis.* Hoc, & similibus S. Thom. & priscorum doctorum testimoniis scientiam approbationis per id, quod causa rerum sit, tanquam per propriam notam à Scientia notitiæ simplicis distinguunt plerique ex nostris, atque per scientiam simplicis intelligentiæ eorum tantum, quæ Deus causat, putant coerceri, quibus Recentiores Complutenses sæpe à nobis impugnati consentiunt. Soarius verò noster 3. de attributo cap. 4. num. 11. melius censet etiam ad visionis scientiam porrigi scientiam approbationis.

8. Censeo ergo scientiam approbationis tam in scientia simplicis intelligentiæ, quam in scientia conditionatæ & visionis reperiri, neque causationem rerum scientiæ approbationis esse characterem, sed solum beneplacitum diuinum suæ scientiæ cuicumque adiunctum, quo, vel quæ videt facta, approbet, vel decernat facienda: & primo esse causam præcise rerum satis non esse, neque rationem, vt scientia Dei scientia approba-

tionis

bationis sit manifeste probatur. Nam scientia Dei præcise, qua practica, non est scientia approbationis, quousque à Dei beneplacito ipsa & per ipsam secuto ipsique adiuncto de re facienda scientia approbationis sit ac denominetur: ergo ratio causæ rerum præcise non est ratio scientiæ approbationis, vel adiunctio diuinæ voluntatis, seu beneplaciti, & decreti de effectu in rebus ponendo, quod per ipsam sollicitatur, quoque medio ponitur, eam scientiam approbationis scientiam formaliter constituit. Probatur secundo ex verbis datis Sanct. Thom. quibus decepti nostri Doctores sunt, vt per rationem causandi, seu, quod scientia Dei causa rerum sit scientiam approbationis formaliter constitui putarunt: cum ideo dicat scientiam quæ rerum causa est, scientiam approbationis, & esse, & nominari; quia nisi adiuncto beneplacito Dei rerum causa de facto esse nequit, vt præmiserat: est igitur verum, & apud Theologos constans scientiam omnem quæ causa rerum sit scientiam approbationis, non, quia causa formaliter, sed quia, vt causa sit, diuinæ voluntatis de re facienda beneplacitum, seu approbationem, qua ipsam approbationis scientiam formaliter constituat, debet habere.

9. Hinc conclusio nostra de diuagatione scientiæ approbationis, per scientiam conditionatam, & visionis, nec sola illam simplici intelligentia contineri facile monstratur: quia forma constituens scientiam Dei approbationis scientiam, est adiuncta, & secuta diuinæ voluntatis approbatio, & beneplacitum; atqui diuinæ voluntatis approbatio adiungi, sequique potest, tam scientiam simplicis intelligentiæ, quam mediam, & visionis, de factoque eis omnibus adiungitur easque sequitur: ergo eæ omnes approbationis scientiæ de facto sunt, nedum esse possunt. Maior statuta proxime fuit. Minor probatur. Nam diuinæ voluntatis beneplacitum, & approbatio, non minus de re facta, quam de facienda esse potest, de factoque in Deo est: atqui, quæ de faciendis est, si contingentia facienda sunt, adiungitur scientiæ mediæ, illamque subsequitur, æque, atque scientiam simplicis intelligentiæ subsequitur ipsique adiungitur, si facienda sunt naturalia, & necessaria, causisque suis non contingentia: quæ vero de factis complacentia beneplacitum, & approbatio diuinæ voluntatis est, scientiæ visionis adiungi, illamque subsequi potest, de factoque illi adiungitur, illamque subsequitur: ergo constans est minoris illius veritas.

10. Maior, quoad possibilitatem, est euidens: quoad de facto de faciendis, est æque nota, neque à nostris Doctoribus negatur, imo ab illis cum sancto Thoma recitatis, & priscis Theologis asseritur: quatenus vero de facto approbatio diuinæ voluntatis asseritur fide, & Patrum authoritate, & certior adhuc, & firmior, vt ex dicendis in probatione postremæ partis minoris constabit: & quidem primam minoris partem, quæ ad scientiam mediam attinet, nobis vltro doctores nostri donabunt, donareque velint nolint, debent. Siquidem non minus adiungitur, sequiturque per ipsos beneplacitum, & approbatio effectiua tum purificationis conditionis, tum honesti, & contingentis nostri consensus scientiam mediam de eius conditionata contingentis futuritione, etsi respectu huius efficax de se, & ab intrinseco non sit) quam approbatio, & beneplacitum efficax de effectu naturali, & suis causis necessario scientiam simplicis intelligentiæ de illo sequatur, eique adiungatur, vt causa eius effectus naturalis ea scientia simplicis intelligentiæ de facto sit.

11. Quoad postremam minoris eius partem, quæ de facto loquitur probatur. Est enim de fide ex Genes. 1. num. 31. seu capitis fine, vbi rerum creatione peracta, summatimque toto illo cap. relata dicitur, *viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: quibus, vt verba ipsa absolute, absque interprete etiam, eminent generalis voluntatis Dei de factis cunctis conjunctim vltis complacentia, beneplacitum, & approbatio adiuncta, secutaque de facto eorum omnium visionem continetur: sicuti, & singulatim de vnoquoque eorum iam facto, ac viso similis voluntatis diuinæ complacentia; & approbatio post vniuscuiusque absolutam executionem in superioribus capitis partibus referebatur confirmatur: quia ita, & hunc, & similes eius capitis textus interpretes, & Patres omnes commentantur, quod in adeo apertis locis, secus fieri non potuit. Probatur secundo ex locis, innumeris, quibus peccata absoluta, & peccatores ignorare Deus dicitur in scriptura: *mundi sunt oculi tui ne videant malum* Habacuc. 1. & Matth. 25. *Amen dico vobis nescio vos*. Quæ Patres, & interpretes omnes de scientia visionis quæ ex subsequuta, adiunctaque approbatione, & beneplacito Dei approbationis scientia sit interpretantur: quia alias verum habere non possunt.

12. Ex innumeris videndis, cum ad ea loca, tum apud Suarez, & Ruiz citatos vnum Augustinum produco 1. quæstion. in Exod. 33. *Noui te ex nomine* quæst. 152. vbi sic: *Numquid Deus plus aliquid scit, & aliquid minus? an secundum quod in Euangelio dicitur quibusdam non noui vos? secundum hanc sententiam, qua Deus dicitur scire, quæ illi placent, nescire, quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat*, & in Psalm. 100. ad illa verba: *declinantem à me malignum non cognoscebam*, ita scribit: *quid est non cognoscebam? non approbabam, non laudabam: cognoscere enim in scripturis inuenimus aliquando pro eo, quod est placere nobis*: & sane locutio hæc hominibus vsitatissima, & frequentissima est: sic enim de aliquo, quod nobis displicet rogati an illud sciamus, respondere solemus, *sine me: nihil de eo scio, scireque nolo*. Nec audienda est Complutensium Recentiorum solutio, ita approbationis scientiam in scriptura, & Patribus, secus vero à scholasticis vsurpatam, qui de sola scientia, quæ causa rerum sit eam vsurpant; ostendi enim num. 8. in Scholasticorum intelligentia sic respondentes deceptionem passos. Nec prisci Theologi, qui ex puris scripturæ, & Patrum locis ac sensibus, cum in Scholasticam methodum disposuerunt ab illorum sententia, & sensu declinasse, credendi prudenter sunt.

QVÆSTIO II.

De Diuinæ scientiæ propriis affectionibus, & proprietatibus.

DVM de diuinæ scientiæ proprietatibus, seu propriis affectionibus inquirimus, proprietates reliquis prædicatis diuinis communes vti infinitatem physicam, improductibilitatem, æternitatem, immutabilitatem &c. à præsentis quæstionis examine relegamus: de eis siquidem omnibus pro cunctis diuinis prædicatis controuers. 1. per disputationes plures singulatim à nobis, nec ieiune, & curte sed abunde disputatum est: quæ autem ex scientiæ Dei specialis, satisque contra immutabilitatis attributum captiosa suborta est difficultas, quæ proinde non importune quæstioni huic inseri posset, eadem controuersia dum de immutabilitatis diuinæ attributo ageremus perpensa examinata, & complanata sic fuit, vt nullo alio examine egeat, vt quiescat: præsertim, cum controuers. hac 2. doctrinam eandem prestius, & forte viuidius, alterius affinis difficultatis occasione repetere coacti simus. Duo ergo ad quæstionis præsentis examen vocanda. Primum diuinæ scientiæ indefectibilis, siue infallibilis veritas, & certitudo, quæ lineæ scientiæ affectio propria est.

Secundum de diuinæ scientiæ simplicitate, cum vero iudicio, quod compositionem, aut diuisionem sonat, concordia.

***

CERTAMEN I.

De diuinæ scientiæ certitudine, & veritatis infallibilitate.

1. DIuinam scientiam certum æque est, certam, atque necessariæ, siue indefectibilis veritatis & infallibilem esse, atque esse scientiam: dicit autem vltra veritatem (quæ communi sententia in scientiæ, seu iudicij adæquata conformitate consistit, vt ita prorsus obiectum habeat sicuti iudicio enunciatur) principij, seu principiorum scientiæ determinationem, quasi in actu primo ad eam scientiæ cum obiecto conformitatem, seu, quod idem est, scientiæ veritatem: nec satis ad certitudinem diuinæ scientiæ, de qua in præsenti, quod scientia ex suppositione quod vera sit, nequeat à veritate deficere, sitque proinde veritatis indefectibilis, sic enim plurium sententia non solum certæ, & euidentes scientiæ ex certis, & euidentibus principiis, & mediis comparatæ, verum &, quæ ex probabilibus, imo & falsis, ex quibus quandoque verum colligitur procedunt, si semel veritatem habeant nequeunt illorum sententia à veritate deficere: eoque sensu indefectibilis veritatis, ac necessariæ ex suppositione per illos Doctores sunt: quibus proinde proloquij loco habetur: *propositio, quæ semel est vera semper est vera.*

2. Et apud omnes certissimum est propositionem veram, pro tempore, quo vera est, necessariæ veritatis esse ex suppositione: quemadmodum contingens in sua causa quoduis ex suppositione, quod sit, seu quamdiu est, necesse verum; sicuti autem ea contingentis necessitas ex suppositione satis non est, vt ex necessitate, seu necessario esse absolute dicatur, nec sit absolute contingens, nisi pro priori naturæ, & in sua causa determinationem essendi effectus supponat: ita neque necessitas, & indefectibilitas veritatis scientiæ, ex suppositione, quod vera sit eam necessariæ & indefectibilis veritatis, seu certam absolute facit, nisi veritatis eius indefectibilitas, & certitudo, siue determinatio ad veritatem ex parte principij scientiæ supponatur, ac præcedat. Cum igitur de Dei scientia absoluta certitudo inquiratur, atque veritatis absoluta necessitas, seu à veritate indefectibilitas, ea absoluta veritatis necessitas atque certitudo inquiritur, quæ ex determinatione principij eius scientiæ ad eius veritatem est, vt eam scientiam esse, ac non veram esse repugnet, omnemque ab illa falsitatis contingentiam anticipato secludat.

3. Præfatæ scientiæ diuinæ certitudini fidem in primis facit, quæ ex fide in ipso est futurorum contingentium præscientia constanter, ac semper vera, quam vt Dei propriam, ex sacra pagina, patribus, & hominum consilari iudicio supra statuimus: quæ enim semper, constanterque scientiæ veritas inest, non ex accidenti, sed ex necessitate, & determinatione cognoscentis, ad verè, ac non falsè cognoscendum, ipsam contingere euidens est. Probatur secundo: quia necessitas, & determinatio cognoscentis in actu primo ad verè, ac non aliter de rebus, & obiectis cognoscendum perfectio est, & præcisè considerata, suæ imperfectione in linea cognoscitiua, & cognoscentis: ergo Deo tribuenda: vti reliqua Dei attributa discursu simili Theologico de Deo monstrantur: eodemque non solum scientiæ diuinæ certitudo, sed & euidentia absoluta demonstratur, vt consideranti patebit: in hac vero certitudine scientiæ diuinæ, absolutaque euidentia, seu determinatione principij eius ad verè, & euidenter cognoscendum, ac de obiectis cunctis iudicandum assignanda, nec tuto, nec eodem modo ab omnibus Theologis, discurri potest, sed diuersimode pro diuersitate principiorum, quæ nonnulli in hac materia statuunt, vt ex difficultatibus contra secundam conclusionem, communem etiam, iam subiiciendam clarebit.

4. Dicendum secundo cum omnibus Theologis: scientiæ diuinæ certitudinem, & euidentiam absolutam æquam esse in ea, de quocunque obiecto sit, siue increato siue creato, siue possibili, siue absolute futuro, siue necessario, siue contingenti. Ratio est: quia ea determinatio ex parte principij cognoscitiui diuini, & obiecti primarij, & specificatiui adæquati diuinæ scientiæ desumenda est; non autem ex obiectis pure terminatiuis, cuiusmodi sunt extrinseca obiecta omnia, ad quæ præhabita, è suo principio, & adæquato specificatiuo secundum totam suam simpliciter infinitam intrinsecam perfectionem repræsentationis, absque vllo sui in ratione repræsentationis augmento, aut variatione, diuina scientia per illorum solum extrinsecam positionem, tanquam ad obiecta pure terminatiua, nullatenusque specificatiua, seu, à quibus in sua intrinseca entitate perfectione, & repræsentatione, adhuc tanquam à termino, intrinsecæ suæ entitatis, siue entitatiuæ connexionis, & respectus transcendentalis dependeat: cum autem inde clareat, Deum ipsum, vt principium, ac, vt specificatiuum adæquatum obiectum suæ cognitionis, tam circa se, quam circa reliqua obiecta omnia extrinseca certitudinem, & euidentiam obsirmare, clarèt etiam certam, & euidentem, perfectamque eius scientiam de quouis alio obiecto extrinseco, vilissimo etiam, & contingentissimo, atque de seipso fore: quare in nostro hoc principio de adæquato diuinæ scientiæ specificatiuo in essentia Dei sola constituto difficultates omnes ante eorum ortum suffocantur.

5. Recentiores Complutenses ex principio suo de tota scientiæ diuinæ infinitate, & perfectione ex Deo, vt principio solum elicitiuo ipsius, non autem ex eo, vt adæquato obiecto specificatiuo eius, æque putant difficultates prætatas componi; cæterum, & principium illud falsum esse ostendimus d. 3. qua parte docet e solo principio elicienti, & subiectiuo Deo totam scientiæ diuinæ perfectionem desumi, quin Dei ipsius, vt obiecti specificatiui ratio ad perfectionem, & infinitatem illam scientiæ diuinæ asserendam ratio habeatur: vbi aliorum attributorum (quorum exemplis ad id suadendum deceptus vtitur) à scientia diuersitatem manifestauimus, secundo principium hoc cum eorum principio alio pugnat, redditurque ad præsentes difficultates euacuandas inutile, docent enim omnia, & singula obiecta, etiam extrinseca, & vilissima (pulicem puta) diuinam de ipsis scientiam specificare, quoliberque deficiente scientiam de ipso formaliter defecturam: quippe quæ essentia sua sui illius obiecti respectiua sit, &, tanquam à termino intrinsecæ suæ connexionis, dependens.

6. Et sane (ni verborum stata apud Philosophos, & Theologos omnes significatione abuturamur) cum specificare idem sit, quod speciem specificato tribuere, & perfectionem, atque eas specificatum à specificante, seu specificatiuo recipere, sit primo: speciem, & perfectionem cognitionis de quouis obiecto extrinseco, vel intrinseco ante huius specificatiuum influxum (vt sic loquar) è solo Deo principio, & subiecto non præhaberi; quod eorum principio repugnat, sitque ad rem præsentem secundo: cognitionem de obiecto extrinseco diuinam æque perfectam non esse, atque illa, quæ de Deo ipso sit. Tum etiam scientiam de musca non esse æque perfectæ speciei atque scientiam de Angelo, homine, equo, vel bouc: nam specierum scientiæ perfectiones ab earum specificatiuis taxari statum hactenus in Philosophia, & Theologia fuit. Fiet tertio: non esse æque certam, & euidentem Dei scientiam de creatis obiectis, ac de se ipso: quia non solum contingentia obiecta, verum & necessaria creata, adhuc possibilia, qua talia minoris necessitatis sunt, quam Deus, vt controuers. 1. atque hac 2. & controuers. de Trinit. d. 2. contra eosdem Recentiores ostendimus: quare minoris necessitatis horum scientia, eiusque veritas, & certitudo ipsis innitens erit, quam scientia de se ipso.

7. Ad hæc: cum præfati Recentiores Deum, & se in creaturis, & has in seipso scire asserant, tanquam in medio, dubio procul eius scientia, qua medium re-

præsentat

præsentat certior largiorque, & certior seipsa erit, qua in medio aliud attingit, vnde non solum qua Deum attingit seipsa perfectior, certiorque, & euidentior erit, qua inde creaturas pertingit: verum qua attingit creaturas certior, euidentior seipsa qua in illis, tanquam medio Deum repræsentat, quod totum Aristotelico proloquio: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: contradicit. Respondent Recentiores Complutenses: proloquia similia vt sonant, nec solum proprio sensu, & intento ab eorum adinuentoribus accepta esse totius bonæ Philosophiæ pestem: id quod, & nos sæpe ac iure notauimus. Addunt vero proloquij huius verum, & intentum ab Aristotele, & Philosophis sensum in fine, seu causa finali locum solummodo habere, vt in formali patet: verum, etsi non in omni genere causæ verum habeat proloquium illud, vt de formali constat; tamen Aristoteles, & Philosophi illud, non de causa finali respectu mediorum primitus intellexerunt, (etsi id fini etiam, ob rationis paritatem, post modum merito accomodatum sit) sed de medii ratione quorum, sue, in quibus, seu ex quibus aliud cognoscitur, cognitionisque illorum respectu cognitionis eorum, quæ in illis, siue ex illis cognoscuntur, & conclusionis qua cognoscuntur: vt nimirum præmissas, qua tales, euidentiores conclusione necessario fore monstraret Aristoteles libro de posterioribus vbi ad id probandum proloquium illud constituit.

8. Eius ratio est, quia principia, quibus media ad inferendam conclusionem cognoscuntur, vel per se, vel per experientiam nota sunt, vel saltem principiis per se, vel per experientiam notis proximiora, quam conclusio ex illis deducta: quare, vti primo, & naturali rationis lumine, & euidentiæ viciniora, magis de illo, quam remotior conclusio participant. Id quod in cognitione quatenus infectili; quæ medium, & in ipso aliud repræsentet locum formaliter habet: vt scilicet, qua formaliter medium repræsentat, certior euidentiorque sit; qua vero repræsentat aliud in ipso æque certa, & euidens esse non possit: siquidem repræsentationis formalis medij euidentiæ, ac certitudini innititur, ab eaque, tanquam a ratione, & quasi causa æquiuoca, certitudo cognitionis alterius in medio deriuatur: cum eiusdem rationis non sit certitudo, & euidentia cognitionis rei non in alio, sed in se, cum euidentia, & certitudine rei non in se, sed in alio: quare hanc oporteat in cognitione formali medij eminenter, ac subinde cum excessu, contineri: & quidem Recentiores Complutenses, quoad claritatem cognitionis medij directe cogniti, maiorem, quam sit in cognitione indirecti obiecti, quod in ipso cognoscitur, huic argumento concedunt; quoad euidentiam, & certitudinem reluctantur: cum tamen æque de eis omnibus probet: nec appareat, quonam cognitionis claritas ab eius euidentia, nisi vocibus differat. Hac etiam ratione (quam huc instruendam remisi d. 7. quæst. 5. certam. 3. num. 8.) probatur vsus medij, in quo aliud cognoscat, Deo repugnans, vt ibi breuiter pressi: quia eius probationis efformandæ propria hic sedes. Concludo ergo statam hanc apud Theologos conclusionem de æqualitate certitudinis euidentiæ, & perfectionis diuinæ scientiæ, de quouis suo obiecto ex nostra doctrina de Deo adæquato suæ omniscientiæ specificatiuo vnice dependere, quæ ex dictis non leuiter firmatur.

CERTAMEN II.

An diuinæ scientiæ simplicitas, & indiuisibilitas cum obiectorum diuersitate constet.

1. PHysica diuinæ scientiæ simplicitas, & vnitas extra controuersiam Theologis est, quantumuis eius extrinseca obiecta diuisa absque numero numerentur: id enim constans Dei attributum est, omniaque eius attributa, & prædicata diuina transcendens. At vero formaliter, & metaphysice loquendo absque fictione vlla, obiectiua diuisionem patiatur: an scilicet cognitio Angeli diuina, formaliter loquendo, à cognitione hominis diuersa metaphysice sit? an formaliter ex parte actus infectilis, & eadem? in quæstionem à nonnullis vocatur: in qua Complutenses Recentiores, cum distinctione loquuntur. Aiunt enim, directam omnium suorum obiectorum scientiam, pro cuiusque diuersitate, formaliter, & metaphysice diuersam esse: & consectarie quidem ad suam doctrinam de specificatione diuinæ scientiæ, à quouis suo obiecto directo: scientiam vero, qua vnum obiectum directe cognoscitur, atque in eo tanquam in medio indirecte cognoscitur aliud, eandem formaliter, & metaphysice terri in vtrumque, neque pro indirecti, & in alio cogniti obiecti diuersitate repræsentationem formalem esse metaphysice in Deo multiplicandam: quia indirectum illud obiectum materiale solum scientiæ illius obiectum est: hanc, quasi à priori, rationem pro conclusionis suæ postrema hac parte cursim assignant; re autem vera obiectionis à nostro Ruiz, & Recentioribus pro opposita sententia nostra citandis, (quod nulla esset in Deo cognitio, quæ sui comprehensio foret, etsi diuersis cognitionibus, quasi cumulatim iunctis, ac non subordinatis, & se, & creata, quæ ad ipsum proculdubio spectant, aliquidque ipsius sunt, Deus nosset) metu in eam conclusionis partem fuit actus. Doleo nunquam me cum adeo ingeniosis Recentioribus, neque in Philosophia, neque in Theologia posse conuenire.

2. Quoad vtramque sententiæ suæ partem displicent. Nec solum ex generalibus nostris principiis, quoad primam: sed etiam ex suis: etsi enim consectarie ad suum principium de scientiæ diuinæ à quouis suo obiecto, etiam extrinseco specificatione sæpe à nobis confutata philosophentur; ast nec in eo principio, nec in ea sententiæ parte consequenter ad aliud suum principium generale loquuntur: docent enim totam infinitatem simpliciter, & è genere suo diuinæ scientiæ in sua linea, & genere scientiæ, & repræsentationis à Deo subiecto, & principio illius adæquate, & totaliter, atque indiuisim desumi; non secus atque à Deo subiecto omnipotentiæ, & reliquorum non vitalium attributorum infinitas simpliciter, & è genere suo adæquate, & indiuisim desumitur: implicat autem ita indiuisim, & adæquate omniscientiam infinitam simpliciter, & è genere, & conceptu suo à Deo subiecto, &, si velis, principio scientiam Dei oriri; & tamen in genere scientiæ, & repræsentationis ab obiecto vllo, nedum ab extrinsecis, specificari, ab eisue ipsi aliquid in eo genere addi: quod est, cum primum Dei scientia, & diuina è Deo subiecto est, neque infinitam simpliciter, & è genere, & conceptu suo infinito, & omniscientiam esse, vt ex dictis de diuersitate infinitatis, & simpliciter, & è genere, & conceptu suo ab infinitate non è genere, & conceptu suo, sed in genere suo tantum, manifestum est: de quo sæpe controuers. hac, & controu. 1. Patet implicatio, quia, quod additione formalitatis, seu formalitatum scientiæ, & repræsentationis infinita, & omniscientia est, è conceptu, & genere suo, nec omniscientia, nec infinita formaliter est.

3. Diplicet etiam pars eius sententiæ secunda primo, ob inanem metum difficultatis, quo adacti in illam Recentiores fuere; etsi enim cognitio omnium extrinsecorum, quæ ad Deum spectant, ex cumulo cognitionum non subordinatarum, sed coaceruatarum, & quasi per accidens compacta ad comprehensionem strictam non sufficiat; at vero, si ex vi cognitionis Dei de sua omnipotentia formalis, creatorum omnium formales cognitiones diuersæ, quas possibiles absolute admittis, Deo accrescere dicas cognitiones, & omnipotentiæ & creatorum omnium subordinatas esse ostendes, atque horum omnium formales cognitiones ex vi formalis cognitionis diuinæ de omnipotentia prouenire: quare ex vi visionis formalis de se suaque omnipotentia nihil sui Deum latere, & se rigorose comprehendere: secundo: quia, si locus pateat, (quem hi aperiunt) specificationi diuinæ

scientiæ ab obiectis extrinsecis, nescio cur ab his omnibus, quæ ipsam terminant, per eamque formaliter secundum suam obiectiuam veritatem repræsentantur, etsi ex medij alterius determinatione diuinam scientiam non specificent, ac pure materialia, & non specificatiua dicantur. Confirmatur; quia simplices apprehensiones omnes (quibus motiuum nunquam est) solum obiectum pure terminatiuum, à quo ob solam terminationem specificentur, habent: materiale autem hoc à pura terminatione scientiæ, nequit excludi; ergo neque à specificatione ipsius.

4. Confirmatur ad hominem vrgentius: quia, etsi cognitio alterius in alio tanquam in medio, abstractiua vi medij solum sit, tamen ratione perfectionis Dei medio illo vrentis intuitiua obiecti in medio illo cognitio euadit, vt supra d. 7. quæst. 5. certam. 3. respondebas, & impugnabamus: quod est cognitionem, quæ vi, & determinatione medij præcise indirecte, & abstractiue obiectum illud repræsentatura erat, ex perfectione Dei cognoscentis per medium illud, eiusque determinatione excitati, & determinati ad intuitionem, & directam alterius obiecti visionem diuerti atque perduci: atqui per te obiecta omnia directa, siue directe repræsentata diuinam scientiam specificant, & diuersificant formaliter à cuiusuis alterius obiecti scientia: ergo &c. Denique cognitio vnius non in alio, sed in se, à cognitione alterius in alio, & non in se plus multo formaliter differt, quam cognitio vnius in se à cognitione alterius in se. Hæ enim cognitiones formaliter, & metaphysice specie infima conueniunt; illæ vero specie, imo genere intermedio formaliter metaphysice distinguuntur: ergo magis repugnat illas primas formaliter metaphysice adunari identicarique, quam secundas: quo enim maior, distantiorque extremorum distinctio, separatioque est, magis repugnat eorum adunationi, & identitati: atqui per te secundarum vnitas & identitas formalis metaphysica repugnat, vt prima tuæ sententiæ parte asseris: ergo multo magis repugnat primarum vnitas & identitas, quam secunda parte defendis.

5. Secunda, & communis sententia est: scientiam Dei pro obiectorum diuersitate adhuc formaliter metaphysice, vnam atque insectilem esse, quin pro obiectorum diuersitate, diuersis formaliter metaphysicis scientiæ partibus in omniscientiam metaphysice confletur: ita sæpe, ac semper noster Vasquez cum Asseelis Ruiz de Montoia d. 2. de scientia sect. 4. à num. 5. & qui nobiscum scientiæ diuinæ specificatiuum adæquatum Deum ipsum constituunt: inde enim fit è Deo ipso primario suo obiecto, & specificatiuo adæquato Dei scientiam omnem suam formalem repræsentationem ex parte obiecti trahere, esseque, vbi primum est, omniscientiam formaliter, & quæ, sola obiecti cuiusuis extrinseca positione, absque vlla sui intrinseca variatione, & augmento, illud repræsentet, vt sæpe docuimus. Probatur secundo ex generali nostro principio monstrato controuers. 1. quia quoduis prædicatum diuinum, è genere, & conceptu suo formali infinitam simpliciter est per denegationem termini, etiam extrinseci, rationis, & generis eiusdem: atqui, quod ita infinitum est, omnem formalitatem rationis, & generis eiusdem in conceptu, & essentia sua formali claudit: ergo implicat extra essentialem suum conceptum aliquid eiusdem generis, & formalitatis esse, atque eam ex partialibus scientiæ conceptibus infinitis metaphysice in omniscientiam conflari: quia è conceptu, genere, & essentia sua infinitum non est, cuius essentia, & conceptus saluari absque infinitate poterit: vti in quauis ex illis partialibus scientiis, saluaretur, quibus infinita scientia, & omniscientia Dei conflaretur.

***

CERTAMEN III.

Discursus ratio diuinæ scientiæ simplicitati repugnat, vbi de scientia, quia, & propter quid.

1. OB hanc diuinæ scientiæ simplicitatem discursus ratio propria ab ipsa per Theologos omnes relegatur: dicit enim ille proprietate sermonis mentè discurrentis, à cognitione vnius in alterius currere, & incurrere cognitionem: qui cursus, si verus, ac non fictus per rationem fit, alterius ab altera cognitione realem distinctionem Deo impossibilem supponit: sed etsi demus ad discursum verum, propriumque distinctionem formalem cognitionem satis esse: cum nullam in diuina scientia cognitionum formalem diuisionem esse, sed summam eius, etsi circa obiecta diuersa, formalem, & metaphysicam identitatem ostenderimus, discursus ab ea ratio omnis ableganda esset: vnde & quæstio alia, an scientia *quia* seu rei per effectum, & *propter quid* seu effectus per causam admittendæ sint proprietate sermonis? manent negatiue definitæ: quia alterutra ex illis discursum (Deo vt dixi impossibilem) proprium importat: sed adhuc in propria significatione, qua solum dicat cognosci effectum in sui causa, tanquam medio, vel causam in suo effectu absque vlla cognitionum reali, vel formali diuersitate neganda vtraque scientia in Deo est ex dictis d. 7. tota quæst. 5. vbi omnem medij vsum ad alterius cognitionem ostendimus impossibilem.

2. De materia vero, quam quæstio hæc supponebat, potius, quam de quæstione ipsa lis cum Thomistis aliquot est. An scilicet necessariarum veritatum, siue obiectorum, quæ æternæ veritatis esse dicuntur, causa detur? & quidem Dei, atque attributorum eius, quæ æternæ veritatis obiecta positiue sunt, quia ab æterno re ipsa absolute subsistunt nullam veram sui causam (ea adhuc, quæ alia in Deo metaphysice supponunt & subsequuntur) habere certissimum est: cum toto ea diuinorum prædicatorum re ipsa identificatorum, & eorundem, prioritatis, & posterioritatis ratio, atque successio, & coordinatio ficta per rationem nostram sit: quare ad obiecta æternæ veritatis præcisiuæ, siue quæ, vt cognoscantur, & vere iudicentur abstrahunt, præscindunt que à tempore omni, tota quæstio deuoluitur. V. g. de hominis possibilitate, & prædicatis essentialibus, seu, quod possibilis, aut animal rationale fit homo, (quæ nusquam in sui veritate à tempore aliquo pendent) causam veram habeat? video, in recta methodo, huius controuersiæ quæstionem non esse; sed minus methodicorum abusus eam hic versandi non vsum solum, verum & necessitatem nobis fecit.

3. Gonzalez Albelda d. 33. sect. 1. §. *Tertio dico* affirmauit: quia sanctus Thomas 1. p. quæst. 21. a. 1. ait: *hominem propter diuinam bonitatem hominem esse*, & quæst. 103. a. 1. ad 3. ait: *naturam esse quam recipiunt homines à Deo*: & 1. 2. quæst. 91. a. 4. *æterna & necessaria legi æternæ Dei subiici in quantum ratio eorum est in diuina sapientia.* Tertio: quia in Deo idea hominis possibilis est, & eius quod est animal rationale esse, & ratio, quam esse hominis imitetur: ergo & in Deo est causa, & forma possibilis hominis, & eius, quod est illum animal rationale esse: quarto: quia vtraque illa necessaria hominis veritas, & comitans bonitas summe perfecta, & vltimus finis non est, sed & limitata: ergo, & dependens à bonitate Dei atque ad eam, vt ad vltimum finem ordinabilis, ac proinde causam finalem habens. Thomistica hæc argumenta, & principia robur capiunt ex nostris pro eadem conclusione possibilium, qua talium, terminum necessarium omnipotentiam esse, & non è contra omnipotentiæ, possibilia, vt diximus: quia

quia possibilia, non à se possibilia, sed ab alio sunt: in quo conceptu eorum ab omnipotentia dependentia, tanquam à termino essentialis suæ connexionis est, & in omnipotentia aliqualis ratio causæ respectu ipsorum. Denique in nostri Valentiæ, vt putatur, & Recentiorum sententia omnipotentia possibilium forma, & possibilitas tota formalis est: qua per impossibile sublata non magis possibilia, & æternæ veritatis essent, quam id, quod album est sublata albedine album foret: ergo veritates illæ necessariæ causam formalem habent.

4. Opposita Conclusio negans veritatum earum necessariarum causam, vera est, & communis: fundamenta pro opposito ex sancto Thoma è re non sunt: cuncta enim de homine absolute existente sunt, non de possibili, vt verba eius sonant (etsi secundus locus non falso referretur.) Neque enim esse hominis, absolute dictum, est esse possibile, neque hoc à Deo recipitur, sed esse absolutum: & id quidem ob diuinam tandem bonitatem ex Dei misericordia, & iustitia, ex quibus omnia eius opera fieri primo loco solummodo contendit. Tertio loco necessaria legi Dei subiiciuntur, quoad eorum absolutam existentiam, circa quam solum lex, & gubernatio locum habent, non circa eorum possibilitatem: quia non ideo possibilia sunt, quia à Deo sciuntur talia; sed è contra potius ideo sciuntur, quia possibilia, ac proinde non subduntur legi Dei, in quantum sunt in diuina sapientia, & in quantum possibilia sunt æternæ veritatis necessariæ, sed contingentis absolutæ existentiæ, quæ eis iuxta præscriptum modum, & rationem scientiæ simplicis intelligentiæ dirigentis attribui illis debet.

5. Idea item, si pro ratione seu scientia, & arte Dei de absolute faciendis, siue obiectiue pro eius obiecto, aut termino scientiæ, & artis illius vsurpetur (iuxta dicenda, q. sequenti) possibilium secundum eum statum possibilitatis causa non est; neque enim secundum eum statum fieri à Deo, eiusue idea possunt; sed solum secundum absolutæ existentiæ statum: similiter, etsi infinita non sit bonitas creata possibilis, secundum eum statum Deum vltimum finem habere nequit, neque ad ipsum tanquam ad finem ordinari; sed, vt summum, secundum absolutæ suæ existentiæ statum: imo nec secundum hunc, cum ad hoc, vt Dei bonitas sit, nec medium creata, neque conducentia, vtiliaue esse queunt, illa Valentiæ putata doctrina, ex qua arguebatur loco postremo falsa, & multis reiecta à nobis fuit controuers. 1.

6. Penultima ratio, etsi verosimilior, nihil probat: quia ratio termini connexionis ratio causæ eius, quod essentia sua termino illi connectitur minime est, vt patet in actione effectui, qui eius causa non est, essentia sua connexa. Dicique vlterius posset possibilia secundum eum statum in actu exercito non esse omnipotentiæ connexa, sed solum in actu signato pro statu absolutæ existentiæ ipsorum: conceptus enim essendi ab alio siue ab omnipotentia hanc respicit, vt actiuum principium, quod respectu status possibilitatis creaturarum omnipotentia exercite, neque est, neque esse potest, sed signate solum pro statu absolutæ existentiæ earum, pro quo solum eas potest producere: imo vero, vt omnipotentia omnino absolute talis etiam ex parte obiecti sit intrinsecam earum non repugnantiam videtur supponere, nullatenusque etiam vt terminum constituere; ita vt, quemadmodum omnipotentia secundum suum intrinsecum sumpta est Petri v.g. & reliquorum creaturum potentia si non repugnent, ita Petrus possibilis, si aliud sit à quo esse possit, quin ab

huius determinate existentia absoluta
in sui possibilitate
pendeat.

***

CERTAMEN IV.

Simplicis apprehensionis, & iudicij distinctio, huiusque ratio diuinæ scientiæ simplicitati non officiunt.

1. SImplicem apprehensionem dari in Deo commune, & certum apud Theologos est: tamque certum, quam dari in illo de rebus cunctis, siue affirmatiuum, siue compositionis quod vocant, siue negatiuum, seu quod diuisionis appellant iudicium, quia cum iudicium quoduis conuenientiæ subiecti cum prædicato (si affirmatiuum, & assensus sit) propositione, & cognitione ducatur; si vero negatiuum, seu dissensus cognitione disconuenientiæ eorundem: &, neque conuenientiæ, neque disconuenientiæ illius propositio ad assensum, vel dissensum prætia, assensus, vel dissensus formalis esse formaliter possit, apprehensionem formaliter pro illo priori, cum extremorum, tum conuenientiæ, aut disconuenientiæ eorum esse, manifestum est. Conueniunt autem Theologi eam apprehensionem puram re ipsa apprehensionem non esse in Deo, sicut in nobis est, quia Dei cognitio omnis penetratiua obiecti sui, & perfectissima esse debet, cuiusmodi non esset, si in pura eius apprehensione sisteret, nec simul, quidquid verè in illo, vel est, vel non est clarissime, & certissime iudicaret. Ex quibus etiam Theologi omnes inferunt veram hanc, & apprehensionis, & iudicij rationem diuinæ scientiæ simplicitati non obesse: quin è summa eius simplicitate, & perfectione in eandem scientiam debere conflari: duo autem sub Iudice apud Theologos esse videbuntur in præsenti. Primum: an iudicij (quod scientiæ diuinæ competere omnes fatentur) ratio eius simplicitati deroget? secundum: an in diuina scientia ratio apprehensionis simplicis, de aliquo obiecto sit, quæ ad iudicij rationem non perueniat?

2. Circa primum nonnulli inde eius decisionem pendere volunt. An scilicet iudicium nostrum quoduis triplici (vt docuit Molina 1. p. quæst. 1. a. 3. cum multis) cognitione constat, altera subiecti, altera prædicati, altera conuenientiæ, seu identitatis, vel disconuenientiæ, & diuersitatis eorundem? vel potius vnicus, & indiuisus actus sit (vt docuit Petrus Hurtado d. 7. de anima sect. 3. cum aliis) si enim extremum hoc demus, aut sequamur, clarius seruatur iudicij diuini simplicitas, quin è nostris imperfectis, vel leuis contra illam vmbra succrescat? alij vero grauiorem esse difficultatem putant de iudiciis diuinis, quibus, vel diuersorum realiter prædicatorum à subiectis conuenientia per dissensum negatur, v.g. homo non est lapis, vel conuenientia affirmatur, vt homo est albus, currit, vel legit: albedo enim, & cursus diuersa realiter ab homine de quo affirmamus, manifeste sunt: ac proinde diuersam videntur petere cognitionem: sicut, & in iudiciis negatiuis in materia remota, vt in allata illa *homo non est lapis*: in materia autem proxima, & necessaria diuisis, & compositis cognitionibus opus non esse videtur apertum, cum idem re ipsa subiectum, & prædicatum sint, vt in his patet, *homo est animal*, seu *rationale*.

3. Censeo tamen maiorem non esse in illis iudiciis, quam in his, difficultatem (vt docte, & subtiliter vidit noster Ruiz de Montoya d. 13. de scientia sect. 3.) neque in sententia ex tribus partibus cognitionis, siue ex tribus partialibus cognitionibus componente quam in constituente illam in indiuisibili cognitione. Ratio primi est, quia in assensu quouis, de contingenti etiam prædicato, identitas subiecti, & prædicati asseritur, & ipsi annuitur æque, atque in assensu in materia proxima, & necessaria, seu de prædicato necessario: quia æque est idem habens albedinem homo, cum de ipso

album

album prædicatur, atque habens animalitatem, seu rationalitatem, cum animal vel rationale de eo dicitur: in primo cum assensu non prædicatur albedo (nec nisi falsò prædicari potest) sed eius subiectum, seu habens, quod est rectum eius prædicati, cum subiecto tribuitur, concordans, vt controuersiis dialect. de Trinit. d. vltima, & controuer. vltima de Incarnatione d. de excommunicat. idiomatum fusè ostendi.

4. Differunt autem propositiones in materia contingenti, quòd hæc identitas recti in prædicato cum subiecto contingens est, sicuti & ei in esse albedinem, (sine quo eam habens homo esse non potest) est contingens: in propositionibus autem in materia proxima, seu necessaria rectum prædicati cũ recto subiecti necessariò idem est & idẽ est vtriusque forma metaphysica: vnde prædicatione identica prorsus, nec formali tamen, in materia proxima, & necessaria, æquè abstracta de abstractis, atque concreta de concretis prædicantur: quia eadem realiter, tam inter, se quam cum vtroque concreto abstracta illa vicissim, & alterutrè sunt; in iudiciis verò negatiuis, seu dissensibus, siue de contingenti, siue de prædicato remoto, & impossibili, subiectum & prædicatum siue aliter diuersa, æquè omninò, & absolutè asseritur, vel eorum saltem identitati abnuitur: quare æqua est circa dissensum de eius diuisione in Dei scientia, & contra eius simplicitatem difficultas vel potius nulla.

5. Circa secundum, etsi iudicium nostrum tribus partialibus cognitionibus constare cum Molina, & Asseclis dicamus; secus tamen in scientia Dei euenturum æquè, ac si in omnibus asseratur stare in cognitione indiuisibili: ac proinde in iudicio propriè tali diuino intrinsecum ex parte actus, cum assensus est, compositionem non dari, nec, si dissensus sit, diuisionem communis Theologorum consensus est cum S. Thom. 1. p. quæst. 14. ad art. 14. & 1. contra Gent. cap. 58. Noster Ruiz de Montoia cum pluribus citata disput. 13. à sect. 1. ad 3. & quod in Scientia Dei proprium iudicium de rebus sit, constat ex fide: quia plura asseritiuo, & negatiuo iudicio reuelat, quæ, ni eodem assensu, & dissensu ipse cognosceret, reuelare non posset. Secundo ratione: quia perfectissimo intuitu, non solum rem apprehendere, sed & discernere, ac secum determinare, quid sit, habeatque, vel non habeat, aut non sit perfectio procul dubio est, & resecatis imperfectionibus iudicij creati, simpliciter simplex perfectio, Deo proinde concedenda, & sane infantium, necdum ad rationis vsum peruenientium, ac bardorum, & stupidorum hominum est, in rerum obiectarum apprehensione sistere, nec de illis iudicare, sed dubios, vt summum, habere. Tertiò: quia in rationalibus; quo maior, & perfectior est obiectorum apprehensio, & penetratio, eo promptius est in eis de illis iudicium, vt experimur; imò si euidens, & intuitiua apprehensio eorum, & conuenientiæ, aut disconuenientiæ sit, naturalis, & necessaria est ad assensum, aut dissensum mentis determinatio: ergo citius in Deo, qui infinite clariore, & euidentiore apprehensione intuitiua cuncta perlustrat.

6. Id autem, vt dixi, absque vlla ex parte actus compositione fit. Primò: quia infinitas è genere, & conceptu suo, nec solum in genere omni actus compositioni repugnat, vt sæpè ostendi. Secundò: quia, etsi in iudiciis nostris assertius ex parte actus compositio sit, & in negatiuis diuisio, id tamen, non ex ratione formali iudicij (quam in determinatione intellectus esse vidimus) sed è creatorum iudiciorum limitatione, & imperfectione dimanat: cum enim Petrum esse lapidem negamus, ex parte alterutrius negationem vtrique superaddimus, cuique suam, ab ipso diuersam, cum tamen seipso Petrus lapis non sit: & lapis non sit Petrus: quod si vtrumque extremum clare intuerenur, sicut intuetur, penetratque Deus, cognosceremus, iudicaremusque absque vlla Petri, vel lapidis à seipso diuisione, & Petrum esse, & lapidem non esse: in assensu autem propositionis, de prædicato, contingenti etiam ostendi num. 3. quo pacto per summam subiecti, & prædicati absque, vlla compositione identitatis penetrationem habeatur. Hæc autem doctè etiam à nostro Ruiz obseruata amplius probant, quam, hic contendimus: nempe, adhuc ex parte obiecti in iudicio diuino nullam compositionem, aut diuisionem intercedere, quæ tamen etiamsi adessent, adhuc ex parte actus non probarent adnittendam: quod solum nunc contendimus: siquidem ad ea, quæ re ipsa valde diuersa, imò & aduersa sunt, eandem etiam metaphysice, & formaliter insectilem repræsentenda Scientiam extendi quæstione 1. & sæpe antea monstrauimus: id quod notari hic oportuit etiam: quia cum Deum intuitione sua rei eiusdem prædicata præscindere docuerimus etiam assensu in materia proxima, & necessaria, pluta ex parte obiecti Deum attingere consequens est, absque vlla tamen iudicij sui, non solum reali, sed & formali compositione, aut diuisione, vt contra Complutenses Rectiores docuimus certam. 2.

7. Ad difficultatem secundam initio propositam Recentiores iidem censent obiecta directa cognitionis diuinæ apprehendi non posse à Deo quin de ipsis iudicetur, vt in hoc iudicio *homo est animal; homo est albus*: & hoc probari ex diuinæ cognitionis de obiecto suo directo perfectione. De obiectis vero indirectis putant à Deo apprehendi posse, quin ad iudicium de illis formandum eius Scientia progrediatur. Probat: quia, cum cognoscit Deus meum iudicium de Petri existentia, cognoscit iudicium hoc meum determinate de Petri existentia, & apprehendit directè, & mihi adesse iudicat: idemque est de cognitione iudicij mei de eo quod Petrus sit albus: cuius reflexæ cognitionis, & iudicij iudicium hoc obiectum directum est, indirectum autem eius directi iudicij extrema necessariò sunt: cum determinatum hoc iudicium *Petrus est albus* cognosci nequeat, quin eius extrema, Petrus scilicet, & illi inhærens albedo cognoscatur: quare cognitione iudicij huius ad cognoscendum extrema scilicet Petrum, & albedinem determinatus Deus est, (& idem est de cognitione cuiusvis obiecti indirectè in alio, tanquam medio, cogniti) atqui de extremis illis ita indirectè, & in iudicio illo meo, tanquam in medio, cognitis, nequit Deus determinari ad iudicandum Petrum existere, eive albedinem inesse, cum iudicium meum indifferens enticare sua de se sit, vt cum Petri, & albedinis existentia, imò & possibilitate, vel oppositis coniungatur: ergo vi eius indirectæ cognitionis extremorum in illo meo iudicio indirectè & tanquam in medio, cognitorum, nequit Deus determinari ad iudicandum de illis, quod determinatè sint, vel non sint,

8. Eis tamen Recentioribus, quoad vtramque partem aduersos etenim in hoc Dei iudicio. *Si vocauero Petrum consentiet.* Vocatio directum obiectum est, in se, ac non in alio indirectè cognitum & apprehensum à Deo quin ad aliquid de eo iudicandum Deus progrediatur, sed solum in suspensa eius apprehensione sistat: ergo datur in Deo apprehensio obiecti directi absque vllo iudicio circa illud, siue de illo, quod primæ parti sententiæ Recentiorum contradicit. Secunda etiam ratio de obiecto indirecto falsa est. Primò: quia supponit aliquid à Deo posse in alio, tanquam in medio cognosci; cuius oppositum ostendimus d. 7. tota quæstione 5. Secundò: quia (vt ipsi nobis respondebant, ea quæst. certam. 3. num. 2.) etsi determinatio intentionalis medij ad aliud in ipso cognoscendum de se præcise ad abstractiuam eius cognitionem; tamen ex perfectione summa Dei cognoscentis eam medij determinationem ad intuitiuam alterius cognitionem flectit, ac detorquet: ergo Dei cognoscentis in illo medio perfectio facit, vt alterius in alio cognitio, alias abstractiua futura, in eius perueniat, desinatque intuitionem: ergo & facit, vt alterum illud, quod alias obiectum indirectum foret, directum sit: siquidem obiectum quodvis intuitionis suæ obiectum directum est: sed nullum obiectum directum à Deo apprehenditur, quin de eo ab ipso iudicetur: ergo. Tertiò conclusio hæc de obiecto indirecto vniuersim, vt à te ponitur, non probatur: siquidem in cognitione diuina iudicio meo in materia proxima, & necessaria cognoscuntur à Deo extrema indirecte, cum quorum essentia, & possibilitate iudicium connectitur, v. g. Petrus est animal, aut rationalis: nequitque Deus ex perfectissima eorum apprehensione non iudicare esse possibilia; ad id enim ex apprehen-

sione

sione cogitur imò in contingenti materia ex vi cognitionis iudicij, & extremorum, nequit non cognoscere, & iudicare, conformisne obiecto suo mea propositio sit, vel secus: quod si conformem inueniat eius obiecto, nequit non de illo per assensum, vti ego censui, iudicare, per dissensum verò si secus: quare nunquam in pura extremorum apprehensione poterit sistere, etsi possit secus ac nos de illis iudicare, quod præfatos Recentiores decepit, quia videntes argumento suo probari Deum ad similem nostro assensu extremorum identitati ex eius cognitione non cogi, cogi tamen in aduersum dissensum non viderunt.

QVÆSTIO III.

De diuinis ideis.

DISPVTATIONIBVS de Scientia affinitatis saltim iure de diuinis idæis quæstionem attexere S. Thom. & Theologorum vsus nos fecit: & quanquam à plerisque Recentioribus earum disputatio omittitur, quia ad disputationem philosophicam de causa exemplari videatur pertinere: tamen ibi de causa exemplari vniuersim disputatur. sicuti, & de causa efficienti, intellectu, voluntate, eiusque actibus, de quibus tamen, vt speciatim Deo insunt, plura, & scitu & disputatione Theologica digna reperiuntur. Ita ergo & de idæis, seu exemplaribus diuinis rerum ab ipso non, nisi ex arte, faciendarum plura examine Theologico digna sunt; & de quibus Patres Theologi Primi bonæque Theologiæ Parentes plura Theologos docuerunt: quæ à nobis proinde Theologico rigore, vel referri saltem, oportet, vt eorum de hac relata, & intelligamus, & sectemur.

CERTAMEN I.

Quid idea diuina sit, examinatur, & statuitur.

1. DE ideæ diuinæ essentia tum physica, tum metaphysica examen procedit: &, quoad metaphysicam attinet, ita communem eius definitionem tradit Ruiz d.24. de Scientia sect.5. num.1. *exemplar ad quod respiciens Artifex Deus operatur*: & re sanè ipsa, meque iudice, bona ea diuinæ ideæ definitio est, vti de eius essentia physica agens iam ostendam: at verò nequit esse illa Theologis communis: ij enim qui idæam diuinam non in obiecto aliquo à Deo cognito sed potius in eius obiecti diuina scientia & cognitione formali constituunt (sunt autem, nec pauci, neque indocti) eam definitionem non patientur, neque enim cognitionem diuinam, in qua ideæ rationem statuunt, vt obiectum reflexè cognitum, idæam esse volunt, sed vt scientiam directam, & se ipsa dirigentem ad opus; quo pacto exemplar obiectiuum non est, sed eius & operis faciendi formalis repræsentatio: itaque definitionis eius metaphysicæ bonitas ex vera decisione de physica ideæ essentia, an in scientia, an in eius obiecto consistat? vtique dependet interim idæa in Dei digito *cuius ad instar & imitationem Deus potest operari*: sic enim & idæa in actu primo, seu in se definitur vt suam operationem præcedit nec scientia formaliter, & expresse ab idæa, ratione ante acto excluditur.

2. In ea verò quæstione Vasquez d.72.1. p. Martinon d.12. de Scientia sect.4. num.24. in Scientia diuina stare docent: quia nihil diuinum præter scientiam rationem imaginis in Deo habet; idæa autem diuina diuinum aliquid est ex Patrum consensu increatum, & æternum, vt ex eorum Testimoniis ab vtroque recitatis, & copiosius à Ruiz d.88. de Scientia sect.2. num.1. vt inde opposicum temeritatis insimulet: essentia autem diuina, neque imago est, neque id quod perfectè imitari creaturæ possint, vt sui scientiam, & intentionalem imaginem vnaquæque imitatur: ergo diuina scientia, non autem eius obiectum idæa in diuinis est: exiguum hæc robur habent: constabit enim ex dicendis, aliquid præter cognitionem formalem in diuinis veram imaginis rationem habere. Neque id à Vasquez & Martisione, imò à Catholico vllo doctore potest negari. Nam filius, qua filius, in diuinis characteristica sua proprietate imago est, vt ex fide, & Patribus, cunctisque Catholicis Doctoribus statui controu. de Trinit. d. de propriis, & appropriatis: proprietate verò sua filius scientia, seu sapientia formalis non est; quin sine addito *genita* sapientia Dei dici non potest. Secundum non est simius. Tum, quia, etsi essentia Dei non esset perfectè imitabiles à creaturis, aliud, quod id haberet, in diuinis non deficeret. Tum, quia, & essentia ipsa perfectè imitabilis est, vt ad rationem ideæ oportet, vt iam ostendam.

3. Sententiam secundam inuexit Quiros noster tom.1. de Deo vno in illustrationibus quæstionum 1. p.S. Thom. ad quæst.15. artic.1. num.5. versu *ego Conseo* asserens idæam puré obiectiuè sumptam à Scientia Dei formaliter distingui, quia non ipsa est, sed obiectum ipsum (quidquid illud sit) per ipsam repræsentatum; subiectiuè verò sumptam ideam à scientia diuina nullatenus differre: quæ ex singulari quadam doctrina sua tradenda fusè in Philosophia, satisque, etsi breuius, proposita eodem tomo tract.3. d.25. sect.5. à num.41. ad quam se refert, ita intelliguntur: vt puré obiectuum esse sint res, ipsa eiusve prædicata repræsentata, siue existant, siue non existant; subiectiuè autem siue existentialiter intentionaliter sint eadem, non prout in se physicè existunt, ea enim, quæ in se non sunt, tunc etiam, cum in se non sunt, cognoscuntur, cum autem, inquit cognitio sine obiecto, cuius respectiua essentialiter est; neque esse neque intelligi possit: oportet illud aliquam præsentialitatem, siue existentiam de præsenti, tunc habere, cum cognoscitur; cum autem eam non habeat in idolo aliquo, seu similitudine & pictura aliqua ipsius reali, quæ qualitas sit per intellectionem producta (verbum mentis Thomistæ, & noster Franciscus Amico tom.1. Theolog. curs. d.9. sect.3. à num.40. vt multis Quiros ipse à n.45. nec satis omnibus firmis refellit) restat, vt in sola sui cognitione obiecta præsentialiter existant, cum cognoscuntur, ac in se actu non sunt. Nihil enim aliud est intentionaliter esse aliquid actu in mente cognoscentis, quam actu cognosci. Atque hac ratione ita se respondere quæstioni putat, vt primam sententiam cum tertia à nobis referenda, & amplectenda conciliet, ac fundamentorum vtriusque impetum declinet.

4. Verùm opinatio hæc falso Recentiorum principio nititur de necessitate actualis alicuius præsentiæ obiecti actu, cum actu cognoscitur: id quod Thomistas, Dominicanos Recentiores, & aliquot ex nostris in deuia prærupta verificatiuorum, & determinatiuorum scientiæ simplicis intelligentiæ, scientiæ mediæ, & præscientiæ ex æternitate de absolutè in tempore futuris egit præcipites, vt supra monitrauimus: deinde, eo principio permisso, non euincit esse intentionale actuale necessarium iuxta principium illud obiecto, vt actu cognoscatur, esse solam cognitionem: quia, etsi verbum mentis à cognitione quavis in Thomistarum, & Amici nostri sententia realis, & physica qualitas idoli, seu picturæ non sit, ast ens, siue idolum, & spectrum esse potest, vt noster Isquierdo in suo Scientiarum Pharo late contendit d.2. de natura intellectionis quæst.3. deinde respectu Dei cognoscentis obiecta, maximè diuina, & intrinseca sua omnia, de quibus, an in eorum aliquo obiectiuè cognito idæa diuina consistat? Inquiritur, obiectiua illa, & intentionali præsentia opus non est, vt cognoscatur actu: cum realis, cuiusque illorum, ab æterno, & in æternum actualis existentia, & coexistentia, seu cognitioni indefectibiliter adsit: ac proinde de obiectis diuinis nihil Recentioris huius ratio probat, vt

pater. Vnde qui eo principio vtuntur, pro actuali determinatiuorum, seu verificatiuorum existentia, & præsentia ab obiectis cognitis diuersa, obiectis in se actu existentibus, cum cognoscuntur (cuiusmodi diuina omnia sunt) nullam aliam, neque ipsorum, neque aliorum actualem existentiam, seu præsentiam, præter ipsorum in se obiectorum actualem existentiam requirunt. Ad hæc: cum ideò hanc existentiam subiectiuam, seu intentionalem adstruas, vt cognitio obiecti essentialiter respectiua absque eius actuali existentia, & præsentialitate actu implicatorie non fit: oportet obiecti existentiam aliam ab ea, quæ formaliter per cognitionem tribuitur, ipsi à te designari: quia sui ipsius cognitio respectiua esse non potest: & ne idem per idem inepte probes: nempè obiectum esse præsens, vt debet suæ cognitioni præsenti, quia cognitio ipsius præsens, & actu est.

5. Item: vel, vt obiectum sit idea, & exemplar requirit eam existentiam intentionalem subiectiuam, vel non requirit? Si non requirit quæstioni non respondetur tua hac sententia; ne dum duæ circa illam oppositæ sententiæ, vt aiebas, conciliantur: erat enim quæstio: an obiectiuum exemplar, an eius cognitio idea, & exemplar propriè sint? neque id de finis (nisi fortè vtrumque coniunctim ideam esse quo quoad negatiuum alterutrius sententiæ vtrique aduersaris vt iam dicam) solum quippe tandem dicis obiectum ideam seu exemplar obiectiuum esse, cognitionem verò ideam formalem, quod vtriusque aduersæ sententiæ Authores fatentur: non autem definis, vtri eorum ratio formalis, & propria ideæ conueniat, de quo solum quærebatur. Si autem dicas requiri illam intentionalem, vel subiectiuam existentiam obiecti, vt idea propriè sit: cum per te numer. 8. id propriè ex communi, & recto omnium Philosophorum, Patrum, & Theologorum sensu idea & exemplar sit, in quod intuens, seu respiciens artifex operatur, oportebit existentiam illam subiectiuam, seu intentionalem obiecti, qua in esse exemplaris, & ideæ propriæ obiectum formaliter, & vltimo constituitur Deum intueri: cum autem ea intentionalis, & subiectiua obiecti existentia illius cognitio per te sit, in eam etiam debet artifex respicere, & intendere, vt ex arte & per ideam, & exemplar propriè operetur: quo fiet, vt nunquam ita operari directa solum obiecti cognitione valeat, quæ sui formaliter reflexa cognitionis suæ de obiecto illo directæ cognitione opus habeat, quod & contra apertam Artificum omnium experientiam est, ac subinde exoticum, & absurdum. Si autem dicas eam obiecti subiectiuam, & intentionalem præsentialitatem & existentiam formaliter per sui cognitionem habitam non esse formam constituentem obiectum in ratione exemplaris, & ideæ, sed conditionem solùm, verum quidem, atque à nemine Doctorum tertiæ sententiæ negatum, vel negandum: siquidem per omnes exemplar & idea mouere, dirigerevè operantem non potest, nisi cognitum, mediáque sui cognitione operanti intentionaliter applicitum; sed certè conclusionem deseres tuam.

6. Vera igitur, & tertia sententia est ideam, & exemplar diuinum (sicuti, & creatum) in obiecto non in eius cognitione physicè formaliter consistere, ita Scholæ omnes Theologicæ. Scotus cum suis omnibus in 1. d. 35. quæst. vnica. *Ad ista* vbi Okam, & Gabriel cum Nominalibus reliquis, Durandus cum suis d. 36. S. Thom. d. eadem, & variis locis quæstionum de veritate, & 1. part. quæst. 15. ad quæ loca Dominicani omnes Thomistæ. Thomistæ verò nostri Valentia, Molina, Soar. Arriaga ad quæstionem citatam 15. qui etiam d. 8. Physicorum quæst. 8. Didacus Ruiz d. 81. sect. 2. & præter citatos duos pro prima sententia reliqui, Auersa quæst. 15. citata art. 4. sect. 4. §. *Dico primo*: quam sententiam, Scriptura, Patres, & communes Philosophorum, & hominum consensus & ratio tradunt. Scriptura Exod. 25. 40. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, & cap. 26. 30. *Eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* nempè 24. num. 10. vbi Deus à Moyse Aaron, Nadab, Abiu, & Septuaginta Senioribus, ita in monte dicitur visus, *sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini, & quasi cælum cum serenum est*, quæ duo loca memorantur Actorum 7 44. his verbis: *Tabernaculum testimonij fuit cum Patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus loquens ad Moysem, vt faceret illud secundum formam; quam viderat*, & vtrumque etiam, sed præcipuè primum locum refert Paulus, ad Hebræos 8. num. 5. *vide* (inquit) *omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Ex quibus ita arguitur: id dicitur in scriptura, non, nisi proprietate sermonis, intelligenda, exemplar, quod monstratur ostenditur, vel monstratum ostensumque est, siue forma, quam Moyses viderat: atqui, quod Moyses viderat, monstratumque, & ostensum ipsi est, non est visio, aut cognitio, seu formalis ostensio reddens Moysem formaliter illud obiectum intelligentem: sed obiectum ipsam monstratum, ostensum, & quod Moyses viderat: ergo exemplar proprietate sermonis non est formalis obiecti cognitio, sed eius obiectum.

7. Patrum, & interpretum, cum ad ea loca, cum alias, de exemplari agentium recitare testimonia operosius, quàm vtilius hic foret videri possunt plura apud nostrum Ruiz d. 81. & 82. sect. 2. & 6. quorum nonnulla dabimus certam. 2. 3. 4. & 5. pro nostris ibi statuendis conclusionibus: Theologos plures hanc sententiam docentes, atque, vt minimum supponentes, dabimus: esse verò hanc conclusionem Philosophorum omnium constat ex communi definitione ex ipsis &, Theologis data, quæ, nisi in hac tertia sententia, bona esse non potest vt ibi docebamus. Constat item quia ante nostrum Vasquez nemo ex illis fuit, qui de eius bonitate dubitauerit: nemo qui ideæ aut exemplaris rationem in scientia, aut cognitione constituerit; etsi vt obseruat Ruiz d. 82. sect. 5. Bonau. Capreolus, & Durand. falsò pro ea constitutione referantur: sicuti Okam. & Gabriel. Alexan. verò 1. par. quæst. 13. num. 4. artic. 1. sub init. & Maior. d. 38. quæst. vnic. qui videntur ei constitutioni fauere absque notitia ideam exercitè esse non posse solùm contendunt: sicuti neque motiuum aliquod exercitè intellectum, aut voluntatem mouere ad operandum potest, nisi cognitum, id quod mens Suarij fuit ita etiam loquentis disput. 35. metaph. sect. 1. à num. 10. & 3. de attribut. sect. 1. à num. 6. de communi hominum sensu constat. Nam, si pictorem, aliumvè quempiam artificem de exemplari, ex quo, seu ad quod picturam, arte factumque quodpiam effecerit rogES, vel hominem, aut equum ipsum, vel picturam prototypum, seu originalem ad cuius modum, & instar transumptum est, non autem cognitionem suam conatur ostendere, vt roganti respondeat, eique satisfaciat: ostendens nimirum in obiectis non in cognitione eorum exemplar, seu ideam propriam esse quærendam. Ratio est, quia exemplar, seu idea est causa imitanda ab artifice in sui effectus, & operis efformatione; cum autem imitatio hæc nonnisi obiecti cogniti esse possit; fit, solum obiectum cognitum ideam propriè, seu exemplar esse; non autem formalem eius cognitionem, quæ ab artifice, vt ex idea, & exemplari operetur, nec cognoscitur, neque cognosci debet, vt dixi, nec si cognoscatur cognitionis formalis, sed obiecti munus obibit. Atque inde communis illius definitionis ideæ, & exemplaris num. 1. positæ bonitas constat, atque in super ideæ formalem, & subiectiuam diuisionem, propriæ ideæ diuisionem non esse. Rationes primæ sententiæ difiectæ sunt partim n. 2. & ex dicendis certam. 2. prorsus euanescunt.

***

CERTA

CERTAMEN II.

Objectum quòd idæa diuina sit extrinsecum Deo non est.

1. SOlæ creaturæ possibiles ideæ, ex quarum præcognitarum imitatione creata Deus producat censentur à Scoto, Okamo, & Durando supra, Basſoli d. 36. quæst. 2. a. 2. Gerson de vita spirituali licet 1. Corollar. 12. Reputant probabile Richard. d. 36. q. 2. a. 2. & Maior d. 35. q. 1. fine. Sententiæ huius fundamentum præcipuum est, quia res in executione suis essentiis solis in statu possibilitatis præcognitis à Deo ad amussim conformantur, easque perfectissimè imitantur; non autem diuinum aliquid, à quo magis quam ouum ab Angelo, imò infinitè distant. Secundò: quia, ni Deus cognosceret creaturas possibiles, & se cognosceret, non posset eas producere; quemadmodum nec se cognito potest producere chimeram; posset autem creaturas producere cognita earum essentia, & possibilitate, & si seipsum non nosset: id autem idæa est, quo solo cognito potest artifex operari; nequit autem operari eo ignorato. Tertiò; quia in mente cuiusuis artificis res faciendæ præcognita idea ad ipsam operandam est, nihilque vlterius requiritur. Rectè enim Aristoteles aiebat 7. Metaph. text. 28. sanitatem in materia fieri à sanitate inanima, quia præconcepta sui exequendæ idæa est, & exemplar. Cæterum opinio hæc meritò reijcitur à scholasticis reliquis: non solum, quoad negatiuum excludendi à ratione ideæ diuinæ omnia prædicata diuina quod prima ratio mox diluenda contendit; sed quoad positiuum de admittendis ad illius rationem creaturis, quod reliquæ contendunt, etsi non euincant. Tertia male innititur testimonio Aristotelis quod de causa finali est non de exemplari, nec ratio inibi tacta quid probat adhuc de ideis artificum creatorum.

2. Necinde ad idæam artificis increati consequentia teneret, idea quippe, & exemplar idem, quod Archetypus, & prototypus, seu primarium exemplar est, quod aliud exemplar non supponat, ex cuius præcogniti imitatione artefactum procedat: quocirca, & si demus artefactum vt possibile & faciendum, necdumque factum ad ipsum faciendum idæam, & exemplar esse posse, quia nihil prius, quod opus imitetur ab Artifice creato præcognitum est; ast cum à Deo ipsius essentia necessariò cognitioni creaturarum cognita (vt primarium, & adæquatum specificatiuum scientiæ diuinæ) præcedat, ipsamque, pro suo quæque modulo, primariò imitentur, atque ex eius imitatione primariò procedant: essentia diuina (& si quod diuinum aliud à creaturis imitabile est) rationem ideæ diuinæ propriè solummodo habebit; non autem creatorum essentiæ pro statu possibilitatis pro posteriori cognitæ: quare propriè loquendo male noster Ruiz aduersariis concessit d. 82. sect. 4. n. 1. creaturas possibiles, ipsarum absolutè faciendarum idæas Deo secundario esse dicique posse; nam illud *secundariò* rationem destruit ideæ diuinæ, respectuque artificis increati Dei secundum argumentum à Gabriele excogitatum, quod vexauit plures, nullius est ponderis. Solum enim probat cognitionem essentiæ rerum faciendarum pro statu possibilitatis necessariam esse, vt fiant; quia nimirum absque cognitione materiæ faciendæ, seu circa quam versari actio, & executio agentis intellectualis debet, nequit actio prodire; non autem probat eam idæam, & exemplar propriè esse. Ad quod satis non est, materiam faciendam, debere necessariò præuisi ad eiusdem executionem; sed etiam, vt quid primario imitandum: quare si è sola eius materiæ præcognitione opus ederetur, haud quaquam ex arte, idæa, & causa exemplari proditet, vti oriri à Deo debet, neque aliter potest.

3. Dico igitur primò: essentiæ creaturarum ideæ, & exemplaris diuini propriam rationem non habent; est communis scholasticorum conclusio pro ea stant, præter nuper citatos, reliqui: ideò singulatim non recitandi; eam suadent pleraque Patrum testimonia Certam. 3. pro nostra Conclusione referenda, non tamen adeò apertè, vt opposita Conclusio graui Theologicæ Censuræ subiaceat, vt magis puri scholastici, quam dogmatici, & eruditi Theologi nonnulli arbitrantur vigentissimum Censuræ fundamentum videtur illud Augustini q. 46. ex libro 83. quæstionum. *Vbi arbitrandum est esse idæas, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extrà sese quidquam positum intuebatur, vt secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est.* Verùm, vt, quid sacrilegij censura nocet Augustinus, intelligatur, sciendum est: apud Platonem, & eius Græcos Asseclas frequentem esse idearum diuinarum, & mentionem, & doctrinam, non tamen adeo puram, excoctam, & exactam, & constantem, vti Patribus, & Theologis Christianis fidei luce illustratis fuit, statuebat primò ideas æternas esse, & incommutabiles, & permanentes, quo superlaudatur à Iustino Martyre, & à Maximo recitandis Certam. 3. Hinc, quia Deum æternum, immutabilem, semperque eodem modo permanentem iudicabat, idæas, & exemplaria æterna Deum esse quandoque aiebat: de quo proinde à Clemente Alex. 4. stromat. vers. finem certam. etiam tertio recitando laudatur. Cæterum, cum artificum creatorum exemplaria, & idæas extra ipsos positas semper videret, æternas illas suas, atque immutabiles idæas extra Deum positas esse aliis locis docuit, ad quam sententiam respicientes, eius & Asseclarum Græcorum idæas, tanquam somniantium deliria ridebant. Ambros. 4. de fide ad gratian. c. 3. post init. & 1. exhamer. c. 1. init. Cyrill. Alex. 2. contr. Iulian. versus finem. §. *videtur.* Nazianz. orat. 33. 1. de Theolog. num. 33. ad quem sic Basil. *in hoc errabat Plato, quòd idæas,* hoc est exemplares rerum formas, & abstractas à singularibus species realiter communes, & vniuersales) *extrà Deum constituebat; aiebatque Deum, in hac quasi exemplaria, respicientem res sensibiles condidisse.* Atque hoc sensu idæas Platonicas refert, ac refellit Aristoteles 3. Metaph. à text. 10. cum quo etiam S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1. ad 1. & Eusebius Cæsar ita aliquando Platonem significasse fatetur 11. de præparat. Euang. c. 11.

4. Contra hunc planè Platonis, & Græcorum Philosophorum Asseclarum errorem scribebat Anselmus c. 10. Monolog. verbis illis: *Nihil omninò aliunde assumpsit, vnde, vel eorum quæ factura* (diuina substantia) *erat formam in se ipsa compingeret: vel ea ipsa id, quod sunt, perficeret.* Hoc posito facile monstratur, neque hunc Anselmi locum, nec quæ afferri possunt ex Patribus similia contra nobis aduersam præfatorum Theologorum de essentia, & possibilitate creaturarum, siue de crearis possibilibus ideæ diuinæ rationem, & proprietatem fatentibus, ita expresè aduersari, vt in eam, temeritatis saltem nota ferri merito possit. Nam, & rerum essentias, creaturasque possibiles, pro eo statu immutabiles permanentes, atque adeo indefectibiles, æternæ subinde veritatis quoridie in Theologia, (vti de diuinis idæis Patres aiunt) absque censura, vel minima auditur, ac defenditur. Cum autem pro eo possibilitatis statu posita absolutè, & existentia, non sint, ab æterno absolutè non sunt posita, nec Deus cum ex eorum, qua talium, scientia, & intuitione, tanquam exemplarium, ipsa operaretur, vt aiebat quandoque Plato: *aliquid extra se positum, vt secundum illud constitueret, quod constituebat* intueretur, vt contra eum errorem negabat Augustinus.

5. Oppositum verò iure aiebat Augustinus *sacrilegum* esse: Tum quia non vnam solum contra fidem, sed creaturas omnes factas, imò, & quæ fieri possent exemplaris absolutè existentia ab æterno, & in æternum Deo coæua, & extrinseca habere ex eo errore infertur, etsi creata esse asserantur: Tum, quia, si asserantur Deo extrinseca ipsique coæua, Deum, & increata esse, pluralitas deorum in ducetur sacrilegio maiori. Neutrum autem horum ex opinione aduersa infertur, vt patet: quare ipsa sua Censura, qua notandæ, ac sugillandæ sententiæ præfatorum Theologorum,

aduersæ copiam aliis feciſſe Auguſtinus videtur, nihil ſe contra illam eo loci intendere, nec per ipſum aliis in eam cenſuras licere ſaris claret & alios quidem minus eruditos Theologos, ac vocum tenus teſtimoniis Patrum abutentes præfatæ ſententiæ cenſuram inuſiſſe, non mirarer; valde autem miror noſtrum Ruiz, qui, cum d. 82. ſect. 2. erroris Platonici de idæis eruditionem obſeruet, nihilominus d. 81. ſect. 2. num. 3. dixerit æque certum eſſe idæas diuinas Deum ipſum, neque aliquid extra ipſum ac idæas eſſe in Deo dixerat num. 1. vbi aiebat in Deo ſiue diuinas idæas eſſe à nullo Theologo poſſe abſque temeritate negari; cum tamen de hoc concors ſit Patrum & Theolorum, & expreſſa ſententia; de illo autem Scotiſtæ, Nominales, & Durandiſtæ omnes expreſſe diſſentiantur: quorum ſententiam Maior, & Richardus probabilem iudicant: etenim Patribus nihil ſit contra eam ita expreſſum, vt commodam ſolutionem, non habeat.

6. Idque etſi ex recitatis, & recitandis Patribus certam. 3. longe vero ſimiliùs germaniuſque Concluſio noſtra tradita ſit; non ita tamen, vt, contra ipſos aduerſam concluſionem eſſe, valeat ex eorum teſtimoniis conuinci. A ratione verò probatur primò ab excluſione ſupra facta argumentorum pro concluſione aduerſa. Secundò à priori in eorum excluſione tacta quia de ratione ideæ, & exemplaris propriè dicti eſt archetypum, & primarium exemplar primarioque imitabile, & imitandum ab artifice ex eius cognitione in opere edendo: atqui huiuſmodi eſt eſſentia diuina, ſeu quidquid diuinum ideæ diuinæ rationem habere monſtrabimus certam. 3. primarioque de neceſſitate à Deo cognitum, & quo primario imitabile & imitandum à Deo eſt in creaturis efficiendis, quorum nihil conuenit rerum eſſentiis pro ſtatu poſſibilitatis à Deo ſecundario cognitis; ergo nec pro eo ſtatu ideæ diuinæ, ſeu artificis diuini eſſe proprie poſſunt: Confirmatur. Nam ponamus pictorem tranſſumpti Petri, Petrum habere præſentem, ac ſimul aliud eiuſdem tranſſumptum, nec poſſe, vt penicillo Petrum, imò neque præſens aliud Petri tranſſumptum intueri, vt Petrum iterùm depingat, quin Petrum ipſum præintueatur, ac penicillo etiam in effoꝛmanda pictura illa imitetur: ecquid illorum picturæ illius idæa erit? tranſſumptum illud, an Petrus? hic planè ita euenit Artifici Deo in ſua eſſentia, eiuſque cognitione reſpectu poſſibilium, & cognitionis eorum, quæ non ſine formali cognitione eſſentiæ (vtpote adæquati ſpecificatiui, & primarij ſcientiæ obiecti) poſſibilium cognitio formalis eſſe, intelligiue poteſt, vt ſæpè oſtendimus, & adeo reſpectu poſſibilium, qui primum eus eſt, & primarium, neceſſariò in cuiuſuis creaturæ effectione imitandum; ergo, etſi obiectiuè adſit, & intentionaliter præſens eſſentia creata poſſibilis, ſecundaria eſſentia, & quaſi diuinæ tranſſumptum, hæc ſanè, non autem eſſentia creata poſſibilis, Deo Artifici idea propria, & exemplar erit.

7. Tertiò perfectiſſimum, ſummumque artificem Deum ſummum perfectiſſimumque exemplar ſolummodo decet, cuius modi eſſentiæ creatæ, ſeu creaturæ poſſibiles non ſunt; vt patet: ergo nec ſunt idea, & exemplar proprium ipſius. Confirmant nonnulli ex bonitate quia creata nulla Deo finis eſſe poteſt; ſed ſola bonitas diuina. Cæterùm Deum finem, qui rerum ſibi propriè loquendo eſſe non poſſe dubitari à fano: Philoſopho, aut Theologo non valet. Neque enim ſui ipſius, aut alicuius diuini aſſecutionem, & poſſeſſionem, quam entitate ſua & à creatis independenter præhabet, illarum productione aſſequi poteſt, vel intendere, vt finis *qui* ratio requirit: ſed neque ſe vt finem *cui*, ſiue ex cuius complacentia cuncta operetur Deus, habet, vt latiùs controu. 4. & 5. cum pluribus Theologis perſequar. Vbi quo ſenſu *Alpha & Omega*, ſiue *principium & finis creatorum* atque vniuerſa *propter ſe ipſum operari* dicatur in ſcripturis Deus rigide Theologice examinamus. Melius ex reliquis rationibus cauſandi quæ in Deo reperiuntur, confirmatur; quia eſſe principium actiuum creaturarum, ſiue omnipotentem Deum per omnipotentiam Deo prorſus intrinſecum, atque ab extrinſeco omni abſolutam, & independentem, etiam extrinſecùs, per meliorem, intrinſecus verò, per Theologiam omnem habet: ergo & eſſe cauſam exemplarem creaturarum non per earum poſſibilitatem (alioqui ea ratio cauſæ ſecundùm eius totam rationem intrinſecam, in extrinſeco Dei conſtitueretur) ſed per ſuammet entitatem habet Deus. Confirmatur ſecundò: quia ratio principij Phyſici actiui Deo digni, debet eſſe potentia actiua indiuiſibiliter actiuè creata omnia eminenter continens, ac ſubinde, quæ omnipotentia ſimul re ipſa, ſiue omnium potentia ſit: ergo & ratio principij idealis Deo digni debet eſſe, quod eminenter indiuiſibiliter idealiter omnia contineat, ac proinde omni ſiue omnium idea ſimul reipſa ſit; quod poſſibilia creata nequeunt habere. Confirmatur tertiò, quia non eſt ideæ dignæ Deo ratio quæ creato Artifici idæa eadem proprietate eſſe poteſt. Poſſent autem poſſibilia eadem proprietate eſſe idea faciendorum, (ſi Deus vt poteſt) eorum omnium notitiam præberet: ergo in eis ideæ dignæ Deo ratio non ſtat.

8. Hæc è Summi Artificis Dei dignitate, & perfectione negatiuam de poſſibilibus creatis concluſionem noſtram probant. Subiungamus quartam rationem probatiuam ex natura, & eſſentia ideæ, & exemplaris propriè & vniuerſim ſumpti petitam; etſi eam noſter Ruiz citata d. 82. ſect. 3. a. n. 1. ad 4. vti debilem reijciat, quia modum, quo exemplar cauſat cum modo, quo cauſat finis (nempè media ſui cognitione) male confundit, nec debitè, & accurate diſpicit, ac diſtinguit. De ratione cauſæ veræ, & proprie exemplaris, ſeu ideæ, eſt realis diſtinctio ab effectu per ipſam idæaliter producto: aſt diſtinctio hæc creaturæ factæ, vel abſolutè faciendæ ab ipſa poſſibili eſſe nequit: ergo creatura poſſibilis reſpectu ipſius factæ, vel abſolutè faciendæ nequit habere rationem ideæ. Minor nobis, & noſtro Ruiz, atque toti Scholæ Societatis Philoſophica dignitas, & principium eſt. Maior probatur primo quia effectus ideæ eſt vera huius realis, nec ſolum per rationem & chimærica, imago, & imitatio; aſt eiuſdem ad ſe ipſum vera realis, ac non ficta, & pure rationis imitatio, & imago eſſe non poteſt: ergo ratio effectus idealis dicit neceſſario diſtinctionem realem ideæ ab effectu per ipſam idæaliter producto. Nec ſatis eſt quod non, niſi per cognitionem, cauſet idea effectum: quemadmodum, nec, niſi per cognitionem, cauſat finis, qui ſe ipſum exiſtentem cauſat cognitus, vt poſſibilis, etenim motio, & modus cauſandi finis per cognitionem ſolum eſt, vt in executione, & abſolutè ſit id ipſum, quod cognoſcitur poſſibile: & ea apponantur media, quæ in ſtatu etiam poſſibilitatis vtilia cognoſcuntur, vt cognitus finis abſolute apponatur: quare, & ex motione, modoque cauſandi finis implicat aliud abſolutè in executione apponi, quam quæ cognita in ſtatu poſſibilitatis ſunt: at motio, & modus cauſandi ideæ cognitæ non eſt vt abſolutè ponatur idipſum, quod cognoſcitur, ſed eius realis imitatio, & imago, ad normam, & imitationem eius, quod cognitum, vt exemplar illius eſt: vnde non ſolum de facto diuerſa realiter ſunt Pictorum tranſſumpta per artem à Prototypis ſiue exemplaribus ſuis depicta (quod in effectu reſpectu ſuæ cauſæ finalis eſſe nequit) verùm neceſſariò effectus idæalis, ſiue eius vera imago, & imitatio realiter ab idæa, & exemplari diuerſus eſſe debet. Confirmatur: quia merita etiam non, niſi cognita, cauſant præmium; & tamen, nec merita, nec eorum principia cauſari ab ipſis meritis poſſunt, neque ſub ipſa merita cadere. Confirmatur: quia cauſa exemplaris, & ſi media cognitione cauſet, tamen ad genus cauſæ efficientis, ſicuti, & merita; non autem ad genus cauſæ finalis per omnes reducitur.

9. Dices: verum quidem eſſe cauſam exemplarem non mouere ſolum, vt res, quæ cognita eſt, ſit, ſicut finis, ſed vt ad normam, & imitationem cogniti exemplaris ſit: quare & ad genus cauſæ efficientis, ſicut, & cauſam meritoriam, reduci, non autem ad genus cauſæ finalis, & poſſe proinde realiter à ſuo effectu diſtingui; non autem ita diſtingui debere ſicut meritum à præmio diſtingui debet, neque ab hoc poſſunt, meriti adhuc principia, cauſari; etſi merita ad genus etiam

cauſæ

causæ efficientis reducantur: quia, etsi, tam meritum, quam exemplar intentionaliter solum, ac non, nisi media sui cognitione, ad suos effectus moueant; ast merita non, nisi absolutè existentia, & præexistentia physicè prioritate naturæ ad præmium mouent, cum quo pugnata præmio, vel meritum eius, vel principia præsuppositа ad meritum posse causari. At verò exemplaris, seu ideæ existentia absoluta, & realis præsentia non requiritur, vt idealiter eius effectus ab ipsa, ad cuius normam, & secundùm ipsam procedat; sed satis est, vt intentionaliter, & in cognitione, quemadmodum finis præsentetur: quæ sanè præsentia creaturæ possibili respectu sui ipsius absolutè faciendæ, vel factæ proculdubio competit: nec magis ad amussim imago, & imitatio excogitari potest quam identitatis omnimodæ cum suo exemplari intentionaliter præsentato: qualis est rei factæ ad seipsam cognitam, & præsentatam, seu re præsentatam vt possibilem.

10. Contra primò: quia Augustinus recitatus num 3. vers. med. & Anselm. num. 4. sub initio absolutam existentiam, & præsentiam exemplaris, & ideæ in se, etsi eius etiam cognitionem, requirunt illis verbis: *non enim quidquam extra se positum intuebatur* vtique absolutè, & in se positum, & præsens, nam faciendum in statu possibilitatis intentionaliter præsens, & cognitione præsentatum Deo non ignorabat Augustinus: solumque negabat in se actu præsentes Deo adesse reales illas & abstractas formas, & ideas Platonis, quas impugnabat: ac proinde ad diuinum aliquid actu in se præsens quod intueretur, recurrit, vt exemplar diuinum inueniret, vt Anselmus: *non aliunde formam, seu exemplar* à diuina substantia *compactum* dixit, quæ absolutam exemplaris in se actualem existentiam sonant: quare etiam pro diuina idea assignanda ad ipsam diuinam substantiam actu in se præsentem, & existentem abiit: quod ipsum recitandi Patres certam. 3. nos docent: ergo ex parte existentiæ, & præsentiæ requisitæ, & à Deo cognoscendæ in idæa, vt suum causet idealiter effectum meritorie potius, quàm finali causæ idæa, & exemplar assimilatur. Contra secundò: quia, etsi sola intentionalis præsentia ideæ requireretur, tamen obiecti faciendi ab idæa, & exemplari suo requiritur entitatiua distinctio ob rationem realis, & veræ, ac non ficiæ, imitationis: quare non sufficit statuum eiusdem rei, & entitatis diuersitas, vt supra dicebamus. Hoc iidem Patres docent præfati Augustinus illis verbis, *vt secundum id constitueret, quod constituebat*: Vbi duo aperte obiecta distinguit; alterum exemplar, siue id secundum quod constituendum; aliud quod constituendum est secundum illud, siue exemplaris, & ideæ effectus: & clarius adhuc Anselmus dicens: *non aliunde faciendorum compegisse Deum in se ipso formam, vel ea ipsa aliunde compacta, id quod sunt*, (nimirum quæ facienda & futura sunt) petficeret quibus formam, & exemplar, quo res fiunt, & in suo esse petficiuntur ab eo, quod ipsæ res sunt, siue ab ipsarum esse entitatiue distinguit: quod identitati entitatiuæ rei absolutè futuræ respectu sui, vt possibilis repugnat: quo ostenditur rei factæ ad se ipsam, vt possibilem, non solum perfectissimam, & ad amussim similitudinem esse non posse, sed nec esse posse veram nullam: Et quamvis Sanctus Thomas quæst. 44. ad 1. videatur admittere domum, quæ est in materia attingere similitudinem & imitationem domus, quæ est in mente artificis: quæ non alia esse videtur, quam domus eadem cognita, vt possibilis; tamen non est eadem vt possibilis; sed alia possibilis etiam, & mente suis delineationibus figurata, vt expressè eodem exemplo vsus docuit Augustinus recitandus à nobis certam. 3. num. 1. ex tract. 1. in Ioan. & certè Sanctus Thom. non agit de possibili cogito, sed de exemplaribus creatis, & per participationem ideæ diuinæ, seu primarij exemplaris, talibus secundariis, quæcunque illa sint, & hæc *attingere ad similitudinem Dei secundum repræsentationem rationis intellectæ à Deo vt domus*, &c. Quibus solum docet imitationem exemplaris primarij, quam secundarium creatum (quod in corpore per subordinationem ad primarium talis esse debere merito dixerat) non autem quidquam de possibilitate entitatiuæ identitatis effectus idealis (quod suum exemplar imitari verè, & realiter debet) cum idea & exemplari suo.

CERTAMEN III.

Quid diuinum Deo exemplar, & idea propria est.

1. IDeam, siue exemplar proprium diuinum, ipsum Deum esse, ex dictis certam. 2. est euidens conclusio: quia nihil Deo extrinsecum, adhuc secundum statum possibilitatis (de quo solum esse quæstio posset) consideratum est idea diuina: cum ob summi artificis Dei, ac suæ, diuinæ artis perfectionem, & decentiam: tum ob proprij exemplaris essentiam, & naturam: ergo idea proprie talis, diuina aliquid Deo intrinsecum est, ac subinde ipse Deus: id constanter Patres tradunt. Iustin. Mart. orat. exhort. ad gent. post med. laudat Platonem: *esse quandam antiquiorem speciem separatam ab ipsa, quæ sensu percipitur: illam etiam rerum exemplar nominare solitus.* Deum per hoc exemplar rerum intelligens. Clem. Alex. 4. strom. versus finem: *Merito Plato eum, qui ideas contemplatur, dicit victurum esse Deum inter homines*: quia nimirum Deum contemplaretur, Euseb. Cæsar. 11. de præparat. Euang. c. 11. Plura in hanc sententiam ex libro de Republica, & ex Timæo refert, & circa medium, *ipsum bonum boni ideam censet Plato, vt sit creatoris idea ipsum bonum summum, & creatis bonis antiquius prius, & primum, nempe Deus*: eodemque sensu Platonem intelligit libro de eius placitis apud Eusebium ibidem Didymus, cuius hæc verba: *est autem idea perpetua substantia causa, & principium, vt singularia talia sint, qualia est ipsa: & quemadmodum primitiua sensibilium exemplaria ad hæc corpora præcedunt: sic, quæ omnia in se ipsa continet, pulcherrima, atque perfectissima, huius mundi exemplar est: ad quam à creatore Deo ab vniuersa substantia mundus simile formatus.* Sicque Iustinus, & Augustinus Platonem intelligunt: in eandem de diuinis ideis sententiam consentiunt Cicero 1. Tusculanar. ac de Oratore, & Seneca epist. 66. & quanquam Platonem primum eius vocis *idea* inuentorem fuisse testetur Augustinus quæst. 46. ex octoginta tribus; tamen rem ipsam ex Socrate, & Moyse didicisse testatur, & quoad nominis inuentionem, idem censet Augustin. 7. de Ciuit. cap. 28. circa med. vt Varro obseruat, & Viues ad eum locum: atque eandem fuisse de ideis Deo identificatis sententiam Philonis, & Hebræorum à Moyse edoctorum docet Eusebius cap. 12. init. expressius, vt infra referemus: & citato cap. 11. Didimum de recitatis proximè sic laudans. *Hæc didymus ex sententia Platonis: quæ omnia multò altius sapientissimus ille Moyses, à quo hæc isti detorserunt breuissimè conscripsit*, & cap. 12. fine. *Hæc latius diximus, vt ostendamus ideas animalium in intelligibili mundo positas, à quibus sensibilia ista secundum Platonem creantur, ab Hebræorum scriptura esse derivatas.* Cui consentit Elias Creten. seu potius Billius ad orat. 33. Nazian. num. 31. Clithouæus in 1. Damascen. cap. 12. post med. Socratem & Platonem ideæ rationem ex Mose didicisse.

2. Dionys. 5. de diuin. nominibus: *exemplaria dicimus esse essentiæ rerum effectrices rationes quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt, quas scripta diuina prædestinationes appellant*, id est præfigurationes, & præfineamenta rerum, non, prout prædestinationis vox Theologis sonat) *diuinasque, ac bonas voluntates, quæ constituunt, & faciunt omnia.* Postremis hisce verbis exemplaria diuina in actu exercito, siue idealiter actu operantia, res ipsas, & effectus suos explicuit, vt patet & eiusdem capitis commentario, hæc Sanctus Maximus apud Albertum 1. p. q. 55. memb. 2. sub init. *causa primordiales sunt principia, quas græci ideas vo-*

ant: hoc est species, & formæ æternas, & incommutabiles rationes, secundum quas, & in quibus visibilis mundus formatur, & regitur: inferius: *Has formas, siue ideas Dionysius, cæterique sancti appellant per seipsam bonitatem per se ipsam essentiam, per se ipsam vitam.* Subinferius. *Nulla siquidem virtus, siue generalis, siue specialis in natura rerum inuenitur, quæ à primordialibus causis inæstimabili participatione non procedat*, Plura fragmentatim ex Dionysio refert Ciparissiot. decad. 5. c. 4. ante med. Rursus Dionys. c. 7. inter princip. & med. ait: *Dei nos habere notitiam ex rerum omnium descriptione: vt, quæ ab eo prolata sunt in lucem & imagines quasdam similitudines quæ diuinorum eius exemplarium in se contineant.*

3. Iustinus Martyr iterum orat. exhort. ad gent. errorem Platonis memoratum certam. 2. num. 3. eiusque occasionem referens in communem hanc Patrum sententiam scripsit his verbis: *Scribit Moyses Deum sic ad ipsum locutum de suo tabernaculo, & facies mihi tabernaculum per omnia simile exemplari, quod in monte præscriptum ostendi tibi. Ac rursus paulò post sic: vtique faties iuxta formam, quam in monte ostendi tibi. Hæc scripta nactus Plato, postquam diligenter pensitauit, ita, vt debuit, existimauit esse quandam antiquiorem speciem separatam ab ista, quæ sensu percipitur: illam etiam rerum exemplar nominare solitus, quoniam Moysis litteræ sic loquuntur de tabernaculo iuxta speciem in monte indicatam tibi sic facies illud. Ad eundem modum de terra cælo homine in errorem lapsus videtur*: quia non Deum ipsum, sed extrinsecum, & creatum ipsi mundi exemplar, (sicuti & Moysi tabernaculi exemplar) Deo fuisse putauit, consonat Boethius 3. de consolat. metro 9. Deum sic alloquens. *Tu cuncta supernodo ducis ab exemplo: pulchrum, pulcherrimus ipse mente gerens, pende, superno ab exemplo*, quod Deus solum est: nam reliqua creata superna minime exempla, siue exemplaria sunt. Clem. iterum Alex. 6. strom. *Mundum philosophia barbara* (in eo non barbara ipsi, sed sapiens) *alium intelligibilem, alium sensibilem censet: alterum primitiuum alterum boni exemplaris imaginem*, & lib. 4. strom. tribus paginis ante finem. *Mens est locus idearum, mens autem Deus est*, dixerat.

4. Damascenus orat. 1. de imaginibus. *Sunt in Deo imagines, & exemplaria rerum, quæ ab ipso futura sunt*: Subinferius: *Non aliter antequam fierent, erant expressa, quam si quis volens demum ædificare, prius imaginem, & formam ipsius in animo effingit, cogitatione complectitur*, & 1. de fide c. 12. post med. in Deo constituit, *imaginem, cuius exemplum, & expressio in præfinito tempore fit.* Anselmus præter recitatum eius testimonium certam. 2. num. 4. ad rem hanc luculentissimum scribit. c. 8. Monol. circa finem, *Nullo pacto fieri potest aliud rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, (siue, vt aptius dicatur) forma, vel similitudo, aut regula. Patet itaque, quoniam prius, quam fierent, vniuersa erant irratione summæ naturæ quid, aut qualia, aut quomodo futura essent.* Illam verò rerum formam, & similitudinem, & exemplum præcognitum ad creaturas faciendas ipsum Deum æternum esse probat c. 9. & 10. præsertim verbis citato loco à nobis datis. Sed Damasceni plura, & Anselmi testimonia (sicuti & Patrum aliorum) dabimus cert. 4. vbi an in diuina scientia formaliter, an in aliis Deo intrinsecis idea diuina consistat? examinabimus, quidquid enim ex Deo intrinsecis ideæ diuinæ rationem habere Patres asserant præsenti Conclusioni aperte adstipulantur.

5. Tam multus in hac veritate stabilienda fuit Augustinus vt omnia eius testimonia proferre prolixum sit. Tota enim quæst. 46. ex octoginta tribus pluries illam (præter celebre illud testimonium ex eadem quæstione recitatum. Certam. 2. num. 3.) statuit, sub eius init. ait: *ideas latinè possumus, vel formas, vel species dicere, vt verbum è verbo transferre videamur: Si autem rationes eas vocemus ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Rationes enim Græcè λόγοι appellantur, non ideæ: sed tamen, quisquis hoc vocabulo vti voluerit à re ipsa non errauit, sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles* (quare nec diuersorum statuum capaces,) *atque incommutabiles*: Deus autem solus diuersorum statuum incapax & incommutabiles, est, vers. fin. *Rationes principales, quas intuetur creator.* Ideas appellat, & fine concludit: siue ideas, siue formas, siue species, siue rationes, licet vocare: ac iterum *principales, & originales formas* nominat: atque *ideas esse* (Continentia eius, seu continua verba sunt) *principales formas, & rationes rerum stabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ in diuina intelligentia continentur.* Addit *nisi visione beata* videri non posse, & earum necessariò *participatione fieri, vt sit quidquid est*, & 6. de Trinit. c. vltimò: *verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis & sapientis Dei plena omnium rationum viuentium, & incommutabilium: & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnum ibi nouit omnia Deus, qua fecit per ipsam*, & 11. de Ciuit. c. 29. fine ait: *creaturas, in verbo Dei habere causas, rationesque suas ideas secundum quas facta sunt in commutabiliter facientes*, & 1. Retract. ait: mundum intelligibilem à Platone positum, siue ideam esse rationem sempiternam, atque incommutabilem, qua fecit mundum visibilem *quam, qui esse negat, sequitur, vt dicat, Deum irrationabiliter fecisse qua fecit*; quod totum dixerat etiam cit. q. 46. post medium immediatè, ad verba exinde à nobis recitata cert. 2. num. 3. Plura ex ipso dabimus num. 7. & certam. 4. in sententiam eandem.

6. Nec tantus Patrum consensus, ni scripturæ inniteretur esse posset. Primum sacræ paginæ testimonium est ex Genes. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vbi & homo ad Dei imitationem, & similitudinem, ac imaginem factus: Deusque eius exemplar, & idea asseritur, vt approbat Eusebius supra recitatus Didymum laudans 11. præp. cap. 11. vers. finem, & capite 12. initio Philonem super eo probans, & eius verba ad eum locum recitans, *si quis voluerit significatioribus, vti verbis, nihil aliud intellectuale dicet esse mundum, quam Dei iam creantis verbum. Nihil enim aliud ciuitas illa intellectualis est, quam creatoris ratio creare iam cogitantis: quod dogma Moysis, non meum est. Aperte namque scribit ad imaginem Dei hominem esse formatum: quod si pars mundi imago imaginis est, vniuersalis iste mundus sensibilis ad exemplar diuina imaginis factus est. Primitiuum ergo sigillum, quod intellectualem mundum appellamus, ipsum exemplar est. Primitiua idea idearum omnium Dei verbum*: sicque intelligit Philo initium illud Genes. *in principio creauit Deus cælum & terram*: vt sensus sit, *in verbo suo*: solumque defuerit illi mysterij Trinitatis expressa fides, & cognitio, vt cum pluribus Patribus non dixerit *in filio.*

7. Secundum testimonium sit ex illis Ioan. 1. verbis, iuxta Augustinum, & aliorum Patrum dispunctionem, *quod factum est in ipso vita erat.* Ad quæ Augustinus tract. 1. in Ioannem inter alia ad rem hanc: *facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. est enim in ipsa sapientia spiritualiter ratio quadam, qua terra facta est, hæc vita est.* Subdit exemplum. *Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, non esset vnde fabricando illam proferret: sed arca, sic est in arte, vt non ipsa arca sit: quæ videtur oculis, in arte inuisibiliter est, in opere visibiliter.* Subinferius, *Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia viuit anima, artifex.* Quem locum Similiter explicat 5. de Genesi ad lit. c. 14. 15. & 16. & init. capitis 15. inde infert *in qua vita vidit omnia, quando fecit: & sicut vidit ea, ita fecit, non præter seipsum videns, sed in seipso.* Et apud ipsum author Dialogi 65. quæstionum q. 26. sub initio quam ad eum locum, & eius interpretationem tradunt etiam Beda, Rupertus, & S. Thom. qui etiam 1. P. quæst. 18. a. 4. Magist. 1. d. 36. c. *Propterea* vbi S. Bonauent. art. 2. quæst. 1. Alex. 1. P. quæst. 23. meraph 4.

metaph. 4. art. 1. §. 4. Albert. 1. part. quæst. 55. metaph. 2. art. 3, post med. est etiam interpretatio Anselmi sine cap. 34. & init. cap. 35. Monolog. vbi quæstionem dissoluit, an creaturæ melius, veriusque in se sint in suis ideis quam in seipsis? asserens melius, veriusque in se, quam in nostris creatis ideis etiam esse; ast melius veriusque, quam in seipsis esse in idæis diuinis concludit verbis hisce: *Cum ergo constet, quòd omnis creata substantia, tanto verius est in verbo, & intelligentia creatoris, quam in seipsa, quanto verius existat creatrix, quam creata essentia; quomodo comprehendat humana mens cuiusmodi sit illud dicere, &c.* Scio Græcos Patres aliter textum Ioannis dispungere; *& sine ipso factum est nihil quod factum est*, vt alia deinceps clausula & sententia plena sit: *in ipso vita erat*: nec improbabilem proinde esse eam dispunctionem; id autem solum efficient sententiæ nostræ certam, & infallibilem ex contextu collectionem non esse; non autem non esse valdè probabilem, & ex dictorum Patrum, & Scholasticorum mente apertissimam: vera verò dispunctio textus probatior, probandaque sit sacrorum interpretum quæstio est anceps.

8. Tertius scripturæ locus ex 11. ad Hebræos vbi Paulus: *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*: quem locum sic interpretatur ibi Anselmus, *ex inuisibilibus facta sunt visibilia, id est ex intellectuali mundo visibilis: inuisibilis enim mundus in sapientia Dei erat: & ad illius imitationem factus est iste visibilis*, quam interpretationem huius loci tanquam Augustini refert, & sequitur glossa ordinaria apud quem tamen expressa super eo loco non extat: sed virtute quidem eius interpretatio est cum 1. Retract. visibilis, & inuisibilis mundi Platonici siue idearum meminerit, ac locutionem probauerit, atque inuisibilem intra Deum esse docuerit in suaque sapientia, vt num. 6. aiebat: est autem expressa interpretatio S. Thom. ibi lect. 2. & sanè *vox aptata*, conformitatem, & correspondentiam sæculorum Dei verbo propriam imaginis cum sua ideâ, & exemplari satis expressit: cum autem id fide à nobis intelligi Paulus dicat: idque, vt, quomodo, visibilia ex inuisibilibus esse declarer; & ostendat: aptissima, & interpretatio videtur; ac subinde ex eo testimonio magnopere præsentem nostram Patrum. & Theologorum conclusionem firmari.

9. Opportunè hic obiectioni illi semel propositæ certam. 1. numer. 1. rati. 2. & certam. num. etiam. 1. rat. 1. respondebo: cum eius solutionem huc (ad locum nimirum proprium) remiserim: fatemur imitationem creaturæ, vel factæ, vel faciendæ. vt imaginem creatoris ad amussim, vt aiunt) exæquatamque cum Deo similitudinem, neque esse, neque vsquam posse: cæterum neque vllam esse posse rei factæ, vel faciendæ cum seipsa, vt possibili, vt contendebatur ab aduersariis certam. 2. numer. 1. quia nihil sui ipsius imago, & imitatio (præsertim realis, vti effectus cum suo exemplari) esse valet, sibique verè simile: sed neque cum diuina cognitione rei factæ, vel faciendæ maior similitudo est, (vt hic, nè iterum certam. 4. eadem suboriatur obiectio, præcidatur) quam cum diuinis reliquis: siquidem è conceptu suo indiuisibili infinita, & omniscientia est, vt sæpe vidimus: quare, & excellens infinitè quodvis obiectum creatum, imò & creata omnia obiecta in ratione suæ formalis, & intrinsecæ repræsentationis, cui proinde nequeant creata cuncta, nisi per infinitam defectionem assimilari. Hoc igitur ab omnibus admittendo, atque à me admisso, aliorumque missis minus solidis, & perspicuis subtilitatibus, nego propterea diuina prædicata Deumve à ratione perfectissimi, summique exemplaris excludi, aut artificis summi à Deo prærogatiuam. De ratione enim summi exemplaris diuini est vniuersalitas, & omniexemplar esse: sicuti, & diuinæ scientiæ omniscientiam, & virtutis diuinæ actiuæ, adeoque dignæ esse Omnipotentiam, quin alicuius obiecti scientia, vel creati effectus potentia, nisi obiectorum, & creatorum omnium scientia, & potentia diuina sit, esse vllatenus possit. Quod autem ex adeò superexcellenti, atque infinite per excessum distanti à creaturis exemplari limitatæ, ac minutulæ entitatis, & perfectionis creaturam Deus, in suo quamque genere, perfectam, & absolutam effermet, non artis, artificivè defectus & imperfectio est, sed summa propriaque artis, & artificis diuini perfectio, & commendatio.

10. Artificum creatorum mille obuiis exemplis demonstratur. Hominem siquidem in eadem mensura, & proportione, qua, vel homo, vel Originale, & exemplar est imaginem prorsus similem depingere, vulgaris adhuc pictoris est; at verò breuiori tabula, aut breuissima illius transumptum perfectum exprimere, artis est non vulgaris. At ex viri iam hominis idea qualis puer ille fuerit depingere multò sanè accuratioris artis & artificis est. Hinc insignis ille sculptor cunctis vetusti sui sæculi artificibus admirationi fuit, quod nauim tam exiguo eboris frustulo cum supellectili omni descripserit, vt totum opus musca expansis alis obtegeret: atque per exigua illa Christallina Archimedis Sphæra, in qua nihil non amplissimæ Cælestis fuerit figuratum, quam Iupiter ipse, & suæ, & deorum artis puratse dicitur conuicium, apud Claudiani epigrammate sui operis fine. Phidias item, quod breui Scuto Gigantomachias, & Amaconimachias omnes figurarit: & magis ad rem nostram de totius mundi imagine à Deo in homine expressa, qui propterea *Microcosmos*, siue *parvus mundus*, nominatur, aiebat Philo ita à Deo effectum: *quemadmodum Colossorum magnitudines in exiguo exprimuntur annulo.* Sic ergo, qui infinitas illas entitatem, substantiam, & perfectionem diuinas pro cuiusque limitatæ, & minutulæ creaturæ modulo, & capacitate; ita à Deo depictas (vt sic loquar) & sculptas in creaturarum formatione videat, vt per eas author Deus mentibus nostris fere ad conspectum ingeratur (iuxta illud ad Rom. 1. num. 20. *inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles* (Philosophi) non poterit non diuinam artem, summumque artificem ipsarum Deum mirari; nec tamen poterit demirari.

CERTAMEN IV.

Quid diuinum idea, & exemplar, & quorum obiectorum Deo sit, statuitur.

INstaurandum hic prælium cum Doctoribus citatis certam. 1. numer. 1. asserentibus ideam, & exemplar vniuersim non in obiecto aliquo, sed in cognitione formali, qua scilicet obiectum artifici formaliter repræsentat consistere. Hanc enim generalem doctrinam, vt Deo ideam propriam, ipsi iuxta Patres intrinsecam & re ipsa identificatam, (cuiusmodi eius scientia est) designarent, excogitarunt: & quanquam generalis illius doctrinæ fundamenta à ratione partim certam. 1. num. 2. partim certam 3. à numer. 9. disiecerimus; tamen quæ specialia, quoad diuinas ideas apud Patres pro his Doctoribus leguntur genuino sensu, minimè nobis aduerso, explicanda hic erunt. Et primo Dionysius recitatus certam. 3. num. 2. initio vbi ideas, & præfinitiones, & prædestinationes à scriptura diuina nominatas ait, quem his laudat, & sequitur Damascenus Orat. 1. de imaginibus pag. 3. *Has imagines, & hac exempla præfinitiones appellat Sanctus ille Dei munere diuinis in rebus considerandis, & explicandis excellentissimus Dionysius: omnia enim ab illo præfinita, & sine vlla commutatione futura in eius Consilio non aliter, antequam fierent, erant expressa, quam si quis velit domum ædificare, prius imaginem, ac formam ipsius in animo effingit, cogitationeque complectitur*, & 1. fid. cap. 12. post med. *intuetur omnia, priusquam deducan*

deducantur ad ortum, intemporaliter, intelligens vnumquodque secundum voluntariam ipsius intemporalem intelligentiam : quæ quidem est præfinitio , & imago, cuius exemplum , & expressio in prædefinito tempore fit. Consonat Sanct. Maxim. apud Cyparisiet. decad. 8. post medium ex Dionysio dicens : *ea , quæ Deus produxit prius extitisse in Deo secundum præfinitionem , & præcognitionem.*

2. Verùm quid præfinitionis nomine Dionysius velit, diximus ad eius locum certam. 3. num. 2. init. deinde ostendimus : non loqui illum de idæis præcisè qua talibus , sed de illis , vt coniunctis cum voluntate operandi aliquid ad ipsarum exemplar, siue cum omnibus ad exercite operandum requisitis : atque in eas , ita sumptas , rectè præfinitionis, & prædestinationis , siue determinationis voluntatis diuinæ ad agendum nomen cadit. Sed quid , sic in sua proprietate sumptæ præfinitionis , & prædestinationis voces his doctoribus faueant, non video. Non enim de actu intellectus, sed voluntatis diuinæ probant ; & Damascenus Dionysij interpretem agens testimonio secundo vbi intelligentiam expressit. *Voluntariam* adiunxit ; cum tamen ideæ in Deo non magis voluntariæ sint , quam omnipotentia, quæ prorsus naturalis Deo est , non voluntaria. Itaque non de ideis puris intelligentiam esse dixit, sed de voluntaria Dei ad operandum secundum idearum intelligentiam, siue secundum ideas intellectas ; id quod ostendit clarius exemplo artificis , qui rei faciendæ *in animo imaginem effingit , cogitationeque complectitur.* Aliud ergo imago est , quam cogitatio , qua eam artifex complectitur , differtque per Damascenum. Nec magis his doctoribus faueat Augustinus supra recitatus ex q. 46. ex octoginta tribus , ter , quæque ideas rationes rerum in mente Dei appellans : atque infrà , & certam. 5. ex aliis locis recitandus ; ratio autem in mente est eius cognitio , & sapientia , sed nec alij recitati fauent amplius , dum aiunt esse ideas in sapientia creatoris. Nam hi omnes locum , & sedem earum , vt intentionaliter mouere Deum possint , vt iuxta eas operetur, designant; non verò ideas ipsas , vt verba in *mente , in Sapientia* satis declarant , & Augustinus ex quæst. illa citatus , & recitatus cert. 3. num. 5. testimonio primo , non dici proprie *rationes* , sed *formas* , seu *species* aiebat : quia ratio actum mentis , seu locutionem propriè significat non ideam : quibus ideam propriè à cognitione seiunxit, Anselmus verò iam recitandus ex 10. Monolog. aliud , quam scientiam , voluit in Deo ideam esse , (sicuti & August. 5. de Genes. ad lit. cap. 13. ibidem in eandem sententiam recitandus) & eam quidem à cognitione differre exemplo ideæ artificis creati, vt supra Damascenus significauit.

3. Et quanquam Platonis , & aliorum Philosophorum mens , & sententia non magni Theologorum refert ; aduersam tamen eis locis , quibus alij doctores putare possent , non habemus. Illud enim , quod è Trismegisto , & Chaldæis refert Euseb. 11. præparat. Euang. cap. 11. *ideas esse Patris cogitationes , & rationes vniuersales naturæ* vtramque coniunxit ; & rationes vniuersales naturales , quæ apud Philosophos cognitiones non sunt , & cogitationes seu cognitiones earum, sine quibus secundum ideas suas nequit operari Deus, quod autem immediatè adnectit Euseb. Stoici , qui à Zenone *originem ducunt , notiones in animis nostris anticipatas ideas esse dixerunt* : Minus difficultatis habet. Notio , siquidem nota , & character propriè dicitur, non autem cognitio : vt controu. de Trinit. de diuinis notionibus diximus : quod ibidem ait *Socrates* , & *Plato ideas seiunctas à materia substantias existimant in sensis , visisque Dei , id est mentis subsistentes* ; potius hos Doctores oppugnat. Id quod de vtroque ex Plutarcho refert Eugubinus 1. de perenni Philosophia cap. 12. vbi, & Plutarchum : *idem esse diuinam mentem , atque ideas ipsas iudicasse refert* , ex Philone vero & Plotino , *idem esse totam idearum seriem , atque ipsam immensam Dei sapientiam* , & ordinationem idem , quod res ordinatas , non esse apertum est & certe , cum ideæ non , nisi cognitæ artificem ad opus mouere intentionaliter possint , quandoque earum cognitioni necessariæ illius nomen primi illarum adinuentores Philosophi applicuerunt : eius tamen obiectum non excludentes , sed confundentes vtrumque. Vnde Cyrill. Alex. 2. contr. Iulian. vers. fin. §. *videtur* aiebat , *ideas interdum essentias , & per se subsistere affirmat Plato , aliquando autem & cogitationes Dei definit.* Sed quamuis demus Platonem , & Philosophos strictè , ac distinctè de ideæ ratione locutos , nec ipsam cum necessaria eius applicatione intentionaliter cognitionem confundentes , quandocunque ideas in cogitatione constituere videntur : cum iidem alibi in cogitationis seu cognitionis obiecto sæpius , vt vidimus , constituant , & illos strictius, propriusque locutos , vbi constantius , & frequentius loquuntur , longe probabilius pro nobis est. Illud autem certum est : varios testes , ac subinde nullius authoritatis esse , maxime pro sententia , cui ipsi toties repugnant.

4. Sed præter generales rationes , quæ ideam nullam in obiecti cognitione non posse consistere , sed potius in eius obiecto vniuersim probant certam. 1. speciales in ideis diuinis duæ succurrunt docte notatæ à nostro Ruiz d. 82. sect. 6. à num. 16. Quia alioqui Augustini , Anselmi , & aliorum Patrum , quos & dedimus , & vlterius dabimus , ac Theologorum cum Sancto Thoma illos imitantium nugatoriæ rationes erunt , & ridiculæ. Probant enim omnes ideas in Deo esse , ac Deum per ideas operari , quia per artem, rationem & intellectione creata operatur : atqui per vos idea ipsa cognitio est : ergo probatur , agere Deum ex cognitione, per cognitionem , quia agit per cognitionem , & ex cognitione: quod est idem per idem ineptissime probare : quod de Patribus & Theologis , tot , tantisque admittere prorsum , ac subinde absurdissimum est : est autem hæc Patrum , & Theologorum communis , constansque probatio ex aduerso principio de se , atque experientia notato : nimirum artem omnem ab idæis , & exemplaribus suis , ac proinde artificialibus cognitionibus distingui, vt obiectum à sui cognitione debere ; id quod satis professe docuit S. Thom. 1. p. quæst. 15. art. 1. ad 2. *Sapientia , & ars significantur , vt quo Deus intelligit , sed idea vt quod Deus intelligit* , Secunda ratio : quia si ideæ diuinæ in Dei cognitione consisterent , cum ea practica , nihilque aliud esse debeat , facilius multò , & aliunde probandæ essent quam vnde probantur : nempe ex eo , vnde cognitiones practicæ probantur in Deo , vt per se patet.

5. Arguo tertiò quia , vt Deus ex idæa , & per idæam operetur aliquid vlterius cognoscendum , quam , vt practica eius cognitio sit , requiritur : quod aliud esse nequit nisi obiectum , cuius ad instar , & imitationem operatur. Hoc autem ipsum idæa , & exemplar est : ergo in obiecto illo vlterius cognoscendo , non autem in cognitione practica ratio stat ideæ. Antecedens assumptum probatur , quia , vt cognitio sit practica , sat est cognosci rem faciendam modumque quo actiuè siue à potentia actiua apponi in executione debeat ; vt autem ex arte , ideaque , & exemplari , eiusque ad imitationem , & instar seu imitatiue , aliquid aliud cognosci ab artifice opus est , vt patet. Argumentum aduersariorum à ratione præcipuo , quod scilicet creata in Deo non formaliter ob immensam dissimilitudinem in Deo contineantur , vt opus est contineatur in exemplari exemplatum , seu illius imitatiua imago , & si contineantur actiue , difficimus cert. 3. à num. 9. quin , sicut in omnipotentia admittitur continentia actiua non formalis seu formæ ad similem primam effectus , sed eminentialis : etiam in Deo idealis continentia , non formæ ad similem prorsus formam , sed eminentialis debet admitti , etsi in agentibus creatis ex eminentiali continentia actiua idealis inferri nequeat : quia respectu Dei (qui nihil creatum pro idea habere potest , vt vidimus certam 2.) admitti debet , quod respectu artificis creati cuius ars , nisi ex formaliter simili imaginem edit , quia nequit superiorem speciem ad inferiorem imitatiue in arte facto deducere , vt experientia constat ; & quia id summæ artis diuinæ proprium & admiratione dignum, vt vidimus est , si quæ alia sunt primam conclusionem impugnant.

6. Dici

6. Dico primo essentia diuina, physice loquendo, vt imitabilis à creatura est propria idea diuina est expressa conclusio Sancti Thomæ 1. p. q. 15. a. 1. corpor. & ad 3. & a. 2. corp. fine, *in quantum* (ait) *Deus cognoscit suam essentiam, vt sic imitabilem à tali creatura cognoscit eam, vt propriam rationem, & ideam huius creaturæ*, & quæst. 3. de veritate art. 2. corporis fine, *essentia non accipitur absolutè ab intellectu, vt idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam diuinam essentiam secundùm quod deficit ab ea, vel imitatur eam* &c. Constat sibi 1. contra Gentes cap. 54. sæpè sed maximè fine, in 1. d. 36. quæst. 2. art. 1. corpor. & ad argum. & art. 2. consentiunt omnes eius interpretes citatis locis, Ferrara ad locum contra Gentes. Capreol. dist. citata q. vn. art. 1. Caietanus ad locum 1. p. Bañ. Gonzalez & Dominicani reliqui. Ex Thomistis notitis Molina § penult. Valentia quæst. 15. punct. 2. sentent. 6. & alij omnes, qui in 1. p. commentario perpetuo scripsere (si Vasquez & Martinonem excipias) consensère. Ex priscis S. Bonauent. in 1. d. 35. art. 1. quæst. 1. corp. præsertim fine, vbi similitudinis expressiuæ nomine ideam nominat, atque explicat non formalem expressionem, sed eius principium obiectiuum, siue obiectum formale specificans, & terminans cognitionem intelligit, vt ex contextu claret, & ex quæst. 2. corp. vbi idea *est similitudo, quæ est ratio cognoscendi*. Richard. dist. 36. art. 1. quæst. 1. corp. quæst. 2. corp. fine quæst. 3. Argentina ibi quæst. vltima art. 1. vers. finem & art. 2. Ægid. art. 2. quæst. 2. ad 2. Aureol. p. 2. art. 1. col. 6. §. *Restat*, Henricus in summ. p. 2. art. 68. quæst. 5. corp. & quodl. 9. quæst. 2. Tarantas, & Vlderic. apud Carthus. in 1. d. 36. quæst. 1. circa med. & vlterius. Albertus 1. p. quæst. 55. metaph. 2. Marsil. lib. 1. Sententiar. quæst. 1. art. 1. etsi ambigue quandoque loquatur, quos refert, & sequitur noster Ruiz d. 82. sect. 6. quibus adde scholas omnes citatas certam. 1. num 6. Hanc conclusionem expresse docent Augustin. & Anselm. recitati cert. 2. num. 3. & 4. & omnibus locis ex ipsis, aliis Patribus, Philosophis, & ex scriptura recitatis toto fere cert. 3. imò & eis testimoniis, quæ, pro idea in cognitione diuina constituenda, nobis opponebamus hic num. 1. vt ex eorum genuina interpretatione, & intelligentia data num. 2. claret.

7. Quibus adde Clement. Alexand. 5. strom. sub initio dicentem, *idea est diuina intelligentia, siue, quod à mente diuina intelligitur*: & Dionysium c. 5. *de diuinis nomin.* apud Sanctum Thom. 1. contra gentes cap. 54. post med. aientem: *quidam Philosophus. Clemens nomine, dixit, quod nobiliora mentibus sunt minus nobilium exemplaria*: Subinde autem nobilissimum, & infinitum ens Deus cæterorum exemplar, & idea erit. Hunc autem Philosophum illum fuisse, qui postea Petri, & Discipulus fuit, & successor satis probabiliter, & prudenter coniectatur Carthusianus loco citato. §. *Apparet demum*, & Augustinus 5. de Genes. ad literam, vbi postquam quatuor anterioribus capitibus statuerat, rationes, & formas, rerum in Deo vitam esse ait: cap. 26. sub init. *Neque enim ea faceret, nisi ea nosset, ante quam faceret, nec nosset, nisi videret, nec videret, nisi haberet ea, quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus*. Sed aiunt aduersarij: essentiam diuinam, vt imitabilem à creaturis formaliter cognosci à Deo non posse, quin creaturæ cognoscantur, ac proinde ideæ diuinæ cognitio, sit creaturarum cognitio, quare & ipse etiam, vel solum, vel partim ad ideam diuinam spectabunt: quod variis modis contra nos versant apud Ruiz sect. 5. num. 16. nullo tamen firmo eis respondet sect. 8. à num. 9. distinctione obiecti directi, & in se cogniti, & indirecti, cognitique in alio: vt illud, *quod Deus est*, idea sit; secus istud, quod sunt creaturæ; etsi, vt immutabilis à creaturis, atque, vt idea, absque creaturis cognosci nequeat: cæterùm ea nos doctrina vti non possumus, qui mediorum vsum ad aliquid cognoscendum Deo ostendimus impossibilem, nullamque relationem, seu connexionem, nisi directè cognitis terminis cognosci à Deo posse. Respondeo expeditùs: rationem idealis principij, siue ideæ in Deo absolutam prorsus à creaturis ipsam imitaturis esse, non secus, atque omnipotentiam à possibilibus: quare à Deo ideam, vti, in se est, intuente, absque vlla creaturarum cognitione cognosci quamuis autem, vt exercitè ad eius imitationem creatura à Deo producatur, hæc etiam præcognosci à Deo debeat, vt materia ideam imitatura, non autem vt idea, & exemplar, sed vt ideatum, exemplandumque, (vt sic loquar) cognoscitur: vt docui certam. 2. num. 2. fine ad Gabrielis argumentum: id quod è proximè dicendis, clarius adhuc, apparebit. Sed explicari ad plenam, planamque conclusionis huius Patribus, & Theologis communis intelligentiam vlterius debet, sub quo conceptu, & formalitate obiectiua essentia diuina, (quæ, vt imitabilis à creaturis, idea diuina asseritur, idea diuina sit. Potest enim essentia, & physice, & metaphysicè tam Theologicè, quam Philosophicè sumi, vt controu. 1. d. 2. vidimus, & explicuimus: quare, cum vtro modo sumatur præfata conclusio non explicauerit, definiendum hic est.

8. Dico secundo: essentiam diuinam non solum secundùm prædicatum essentiæ metaphysicæ Dei, siue entis à se (quo essentiam Dei metaphysicam constituimus contr. 1. d. 2.) Sed secundum prædicata reliqua ipsum metaphysicè consequentia rationem, metaphysice etiam loquendo, ideæ propriæ diuinæ habere. Hoc expressit Sanctus Thom. immediate ad verba recitata ex quæst. 3. de veritate art. 2. corp. fine, & ex Augustino, & aliis recitandis certam. 5. pro diuersitate, & pluralitate diuinarum idearum cum enim essentiæ diuinæ metaphysicæ conceptus formalis obiectiuus indiuisibilis sit metaphysicè, si is solus idea diuina esset, non minus repugnaret ideas, quam indiuisibilem illum conceptum metaphysicum diuisibilem esse, & multiplicabilem. Insuper plerique Patres, tam certam. 3. quam 4. de diuinis ideis pluralitatem, vel asserentes, vel supponentes hoc ipsum argumentum confirmant. Tertiò apertus pro hac conclusione est S. Maxim. partim iam, & integrè hic recitandus apud Albertum 1. p. quæst. 55. metaph. 2. argum. 4. dicens: *Has formas, siue ideas Dionysius cæterique sancti appellant per se ipsam bonitatem, per se ipsam essentiam, per se ipsam vitam, per se ipsam virtutem, per se ipsam sapientiam: quæcunque enim bona sunt, participatione per se essentiæ sunt: & quæcunque viuunt participatione per se vitæ viuunt: & sic de aliis participationibus, & participantibus*, Idipsum expressit S. Thomas recitatus num. 6. ex quæst. 3. de verit. art. 2. illis verbis *cum proportione creaturæ fiendæ ad diuinam essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel* imitatur eam.

His apertissimè participationem similitudinariam formalem creaturarum à Deo ac prædicatis eius tradit Maximus, nec solum actiuam, quæ à sola eius actiua virtute, seu omnipotentia est. Illisque ipsis rationem à priori conclusionis suæ, & nostræ tradit etenim idea diuina propriè est Deitas, siue substantia, & essentia diuina, quatenus imitabilis à creatura, siue qua imitationis creatæ capax est, vt vidimus: ast capax est imitationis creatæ, non solùm secundùm prædicatum essentiæ metaphysicæ, siue entis à se, sed etiam secundum reliqua prædicata illam consequentia viuentis, spiritualis, intellectiui, tam in actu primo, quam secundo, durantis præsentis: ergo non solum secundum prædicatum essentiæ metaphysicæ, sed secundum reliqua essentiæ & substantiæ diuinæ, habet rationem propriam ideæ. Nec obest conceptum formalem obiectiuum ideæ iuxta nostrum principium è genere suo infinitum simpliciter esse debere, etiam per denegationem termini extrinseci: quare, & indiuisibiliter infinitum, nec ex pluribus formalitatibus metaphysicè adhuc compactum: id enim de non transcendentibus prædicatis diuinis intelligendum est; secus de transcendentibus, vt infinitas, quæ omnia diuina metaphysicè transcendit, indiuisibilitas, seu simplicitas, è quorum genere est imitabilitas à creaturis. Probatur secundò quia pro priori metaphysico signo ante reflexam scientiæ diuinæ cognitionem

intelliguntur directè cognita, & imitabilia à creaturis ex diuina arte reliqua prædicata diuina: ergo, & pro illo priori sunt propriæ ideæ diuinæ: intellectio autem diuina, etsi imitabilis etiam ex diuina arte ab intellectionibus, & sensationibus etiam creatis sit, atque id muneris absque reflexa sui cognitione exercere nequeat, tamen à reflexa sua cognitione formaliter non habet; neque qua cognitionis munus obit; sed obiecti.

10. Dico tertiò: Secunda Trinitatis persona, seu Dei verbum idea diuina proprietate sua characteristica est: id tradidit primus Philo Hæbreus recitatus, laudatusque ab Eusebio Cesarienſi certam. 3. numero 6. Deinde Augustinus ibidem recitatus numero 9. & 6. de Trinit. cap. vltim. & 11. de Ciuit. cap. 29. fine, & Anselm. cap. 10. Monolog. *Sed quamvis summam substantiam constet prius in se, quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam, secundum eandem, & per eandem suam locutionem conderet*, & luculentius epist. 115. ad Nebridium circa finem dicens: *quæris vtrum summa illa veritas, & summa sapientia, & forma rerum, per quam facta sunt omnia quam filium Dei vnicum sacra nostra proteſtantur*, &c. locutio autem Dei ad intra verbum personaliter sumptum est, idque ex pluribus Patrum testimoniis immensa sua eruditione ostendit noster Ruiz de Montoia de Trinit. d. 111. section. 5. vt propterea Patres doceant specialiter nihil sine verbo Patrem posse ad extra producere. Nec nimis ieiune nos Controuers. de Trinitat. d. de propriis person ostendimus quæstion. secunda, & Augustinus quidem, & cæteri Patres recitati certam. 3. numer. 7. pro interpretatione ibi data ad illud Ioann. 1. *quod factum est, in ipso vita erat*. Præsertim Anselmus circa eius numeri finem. Nec aliter iuxta eam textus dispunctionem sentire aliquis potest: nam illud *in ipso vita erat*, relatiuum est: in alia verò Græcorum, & communiori dispunctione: *Omnia, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, alia est conclusionis huius probatio: quia particula *per* exemplari causa propriis, quam causis aliis conuenit: sic pictores, & acupictrices imagines, vel opera sua dicuntur efformare, *por el Original ò el dechado*. Confirmatur ex Paulo recitato certam. 3. numer. 8. dicente: *aptata esse secula verbo Dei*: ac tandem ex Psalm. 32. vers. 6. *verbo Domini cæli firmati sunt*, vbi specialis ratio verbi in creaturarum formatione, (quæ non, nisi ideæ, & exemplaris causæ creaturarum esse potest) denotatur consonè quidem ad illa in tota rerum formatione apud Genesim repetita, *dixitque Deus Fiat lux*, quorum meminit Psaltes Psal. 248. *ipse dixit, & facta sunt*: vtique verbo suo: quo solum, & specialiter, Deus dicit: videantur Patres, & interpretes, tum ad illa Psalm. recitata; tum ad Geneseos loca.

11. Dico quartò: diuina enumerata factibilium, faciendorumque ideæ diuinæ sunt, non autem alicuius iam facti, vtrumque probatur: quia scientia seu cognitio, qua idea applicatur artifici, vt iuxta ipsam se exerceat practica per omnes est. Vnde infertur factibilium, & faciendorum tam idealem cognitionem, quam ideam ipsam esse: item iam factorum in Deo nec scientiam, nec ideam esse posse: quia, quæ facta supponuntur, qua facta, nec factibilia sunt, nec facienda, neque respectu ipsorum, qua talium, scientiam ad ipsa practicè, neque ideam tanquam ad factibilia, vel facienda comparari: quare audiendus non est noster Ruiz d. 24. de Scientia section. 5. vbi ideam diuinam, qua talem posse esse obiectum motiuum formale operis iam facti multis contendit: quia id putat ad perfectionem artis spectare. Posset apparentius exemplo creatorum artificum suadere: qui imagines iam factas contemplantur, num ad artem, & exemplaria perfectè efformatæ sint, quod si secus sint efformatæ penicillo rursus ex arte, & idea perficiunt, & absoluunt: id quod in formatione mundi Deo viderur euenisse iuxta illa apud Genesim repetita, *vidieque Deus, quod esset bonum: vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: id est ad diuinam ideam pro eorum captu absolutissimè conformia: id quod absque ideali cognitione cognosci non potest: cæterum vsus scientiæ idealis ad opera corrigenda Deo, qui nequit in opere edendo aberrare, atque ab arte deficere, est omnino impossibilis, nec solum superfluus: quod in artifice creato secus habet. Verum neque in hoc vt in opere aliquid corrigat, neque in vtroque, vt de eius absolutissima perfectione complaceat, facti iam operis cognitio idealis est; sed alia, qua, & opus videatur, & an ideæ de eo faciendo, & per idealem propriè cognitionem cognitæ respondeat, dignoscitur: ac proinde iam facto operi cognoscendo proprie idealis cognitio non subseruit, quæ tota opere faciendo, & practica est; etsi sine ipsa conformitas exemplaris, & artefacti nequeat cognosci: &, si minus conformis ab artifice creato prodisse videatur ideæ scientia dirigitur, vt quæ artefacto defuerunt, ac proinde facta in illo non sunt, sed restant facienda, ex ea scientia practica & proprie ideali in ipso artefacto fiant. Vnde intelliges, nec intrinsecorum Dei, nec malorum culpæ ideas Deo adesse, quia neutra ab ipso factibilia neque facienda: sed neque negationum, entiumve rationis: quia, etsi à Deo esse, fierique possunt, non tamen ex sui imitatione, & arte.

CERTAMEN V.

De vnitate vel numero idearum diuinarum, & de sententia Augustini, & Anselmi tacta certamine 3. n. 7. fine, & VviKleffi errore.

1. Circa vnitatem vel pluralitatem ideæ diuinæ dicendum est, in Deo plures, nec vnam solùm, obiectiuè formaliter sumptas ideas esse. Id Patres communiter asserunt de ideis diuinis plurali numero semper loquentes, vt ex datis hactenus testimoniis claret: cumque de eis realiter sumptis ita loqui sit nefas, cum re ipsa Deus physicè vnus, atque cum suis omnibus (excepe personalem diuersitatem) idem prorsus sit, de formali, & metaphysica diuersitate, & pluralitate necessariò intelligendi sunt: vtrumque, & physicam idearum omnium diuinarum vnitatem, & identitatem, atque formalem obiectiuam metaphysicam ipsarum pluralitatem, & distinctionem. Primum Augustinus docuit loco recitato à nobis certam. 3. num. 5. ex lib. 6. de Trin. c. vlt. postremis illis verbis de rationibus idealibus, & *omnes vnum in ea*, (Dei arte) *sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnum*. secundum vero quæst. 46. ex octoginta tribus post medium factus: *quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? quod si recte dicitur, & credi non potest, restat, vt omnia ratione sint condita; neque eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare: singula ergo propriis creata sunt rationibus.*

2. Ne verò putes cum nostro Ruiz d. 84. sect. 4. (vbi omninò nobis, & Patribus recitatis non contradictorie solùm, sed contrariè, pro solis indiuiduis ideas multiplicans opinatur) pro numero, & pluralitate singulari obiectorum v.g. hominum, equorum, sed solum specierum quorum sibi solum meminit pluralitate ideas diuinis multiplicandas: quam quæstionem magnam vocauit Augustinus epist. 115. ad Nebridium, respondet autem. *Mihi videtur, quod ad hominem faciendum attinet, hominis tantum non meam vel tuam ibi esse rationem*: vtique, & à speciei, ratione seu idea & interse distinctam. Nam in idea speciei totius speciei, & indiuiduorum, quæ ipsa complectitur, forma est, & ratio sufficiens, iuxta quam indiuiduatim efformari à Deo singularia queant; alioqui idea nulla esset, omni idea atque formaliter, è genere suo infinita simplicitate aliquo verò sensu posset, si pro obiectorum etiam numero, formaliter diuideretur: cum ergo idea omnis infinita sit formaliter è genere, & conceptu suo indiuisibili (licuti, & diuina prædicata reliqua) oportet, vt

cuiusvis

cuiusvis speciei idea omnium indiuiduorum illius, idea atque eo saltem sensu omni idea sit: etsi verò Augustinus statim ob aliam considerationem de sua conclusione dubitare videatur, imo, & in oppositum vergere; nullatenus tamen in aduersam suæ, & nostræ inclinat, aut ambigit de sua solùm enim concludit etiam de singularibus speciei cuiusque debere esse in Deo rationem siue ideam; nusquam tamen à specie suæ idea diuersam. Neque id, vt suis rationibus satisfaceret debuit docere: cum satis, vt indiuiduorum exemplaris causa, & idea sit, (neque enim specierum vera causa, & idea esse, nisi indiuiduis inclusarum potest, sicuti nec ipse secundum se præcisè produci) rationes indiuiduales etiam in speciei idea eminenter contineri, quo solum modo, & species ipsæ continentur.

3. Hic de ideis quæritur: Num infinitæ, an saltem infinitorum Cathegorematice ideæ sint? & an absolutè faciendorum, an saltem factibilium? & de infinitate faciendorum absolutæ intra speciem quamque, vel etiam intra species omnes eadem quæstio est, cum ea quam supra de Dei scientia habuimus. An Deus cognoscat infinitum in actu, & cathegorematice tale? eritque hic, sicut ibi negatiuè decidenda eisdem fundamentis, & solutionibus oppositionum datis ibidem circa infinitatem absolutam possibilium, factibiliumque omnium affirmatiuè respondendum erit; si infinitam pluralitatem rerum discreram non repugnare statuatur, quod vero mihi similius longe est aliòi tamen controuersiis physicis fundatum; &, si vera sit iam subiicienda de idearum infinita pluralitate conclusio, nequit à veritate deficere, cum non indiuiduorum solùm, sed & specierum infinitæ pluralitati innitatur. Dicendum igitur est ideas in Deo alias ab aliis formaliter diuersas infinitas esse: quia, & rerum possibilium species infinitæ sunt, vt communiter docetur; imò & inter hominem, & Angelum perfectiores, & perfectiores species possibiles infinitas esse S. Thom. & Doctorum communis sententia est: cum autem pro specierum pluralitate ideæ diuinæ formaliter multiplicentur, & has infinitas esse consequens. Nec te contra idearum diuinarum pluralitatem, & distinctionem formalem moueat, Deum, respectu cuius ideæ solum sunt non posse in re eadem Physice vnam formalitatem ab alia præscindere: ostendimus enim controuersiis Philosophicis, & Theologicis præscindere posse ex parte obiecti, & Beatos; & Deum (ni eius scientia è conceptu suo metaphysice in se omni scientia; & infinita foret) neque in eo visionem, & intuitionem rei physicè eiusdem à cognitione abstractiua, & per alienas species habita discriminari. Adde ideæ metaphysicæ rationem omni ideæ rationem, vt physicè sumpta est, sed pro capacitate creaturarum, vt Dei aliquid suo modulo imitentur diuisibilem.

4. Circa quæstionem excitatam verbis Anselmi recitatis cetam. 3. numer. 7. circa finem asserentis melius esse creaturas in diuinis ideis, quam in seipsis, etsi melius in se sint, quam in ideis creatis: duo examinari possunt. Primum eius asserti veritas: secundum modus, & ratio, qua in diuinis ideis melius creata habeant, quam in seipsis; & de asserti quidem veritate nos ambigere non sinit Anselmi authoritas adeò expressa, maximè, cum eam ebiberit sententiam ex Augustino 5. de genesi ad liter. cap. 15. post med. ita scribente. *Hæc omnia prius, quam fierent, erant in notitia facientis: & vtique ibi meliora, vbi veriora, vbi æterna, & incommutabilia.* Quod ipsum de eorum in ideis existentia, in quibus vita erant, antequam fierent, dictum Augustinus voluit, etsi eis verbis scientiæ solum meminerit: siquidem & ratio eadem de idea, atque de scientia diuina est, & locus, ex quo eam sententiam deduxit est Ioan. 1. *quod factum est in ipso vita erat*, quem ipse capit. illo 15. & antecedentibus, aliisque locis de creatorum existentia in Deo eiusque verbo interpretatur: quare eandem de existentia eorum in scientia, ac in verbo, & diuina idea voluit esse sententiam.

5. De modo, & ratione qua vera ea sententia sit maior difficultas visa est nostro Ruiz d. 81. sect. 5. principiuè, cùm Anselmus neget melius, veriusque esse creata in sua scientia, & ideis creatis, quam sint in seipsis: tantamque esse apud Theologos rationis assignandæ difficultatem, vt enumeratis doctoribus, qui eam, & olim, & nostro sæculo rationem, & modum indagarunt (nimirum S. Th. in 1. d. 35. quæst. 1. artic. 2. quæst. 18. artic. 4. ad 3. de verit. quæst. 4. artic. 6. S. Bonauent. d. 36. art. 2. quæst. 2. Ægyd. d. 35. quæst. 3. Richard. d. & quæst. eadem, Carthus. d. 36. quæst. 5. apud quem Vdalric. & Tarantas, Valdens. tom. 1. lib. 1. artic. 1. cap. 3. columna vltim. Vasquez 1. part. d. 70. §. *vltim.*) neminem in modo, & ratione eius veritatis reddenda cum alio conuenire dicat numer. 5. ac proinde eorum imitatione suam ipse, nec parum doctam, & ingeniosam rationem tradit. Sed Patrum sensus, & ratio plana est nec discursibus egens: nempe id idea, & exemplari diuino creata vitam, & essentiam diuinam esse nec, aliud quidpiam: quod dubio procul melius, veriusque, quia constantius, & incommutabilius esse est, quam ipsum creatum esse intrinsecum, commutabile, & defectibile.

6. Nihilominus laudandus est Ruiz nostri labor; & discursus: creata scilicet per ideam maius spatium ab impossibilitate chimeræ ad suum esse, & subinde veritatem absolutam, transcurrisse; quam ab ideis ad ipsorum esse absolutum, & actu percurrendum restet; cum maior sit transitus ab impossibilitate ad possibilitatem essendi, quam ab hac ad esse actuale iam possibilium: quare considerato, quod præter, & vltra concessum rebus possibilitatis conceptum per ideas diuinas (suppositis tamen inquit intrinseca earum non repugnantia) eorum esse absolutum & veritas actualis in illis ponit, plus multo est, quod ab ideis in ordine ad essendum recipiunt, quam vlterius absoluta sua existentia, & veritate recipiunt quod, ni illo præsuppositio habere non possent: laudandus inquam labor, & discursus est; non autem admittendus. Nam insuperabilis illa distantia, quæ in ordine ad essendum ab impossibilitate ad possibilitatem creaturarum per harum intrinsecam non repugnantiam, non autem extrinsecus ab ideis, habetur per te: quare totus discursus languet: quod enim per ideam, vti causam necessariam sui, proximiora suo esse creata sint, gradus quidem est, sed non immensus ille ab impossibilitate ad intrinsecam non repugnantiam sui, & possibilitatem creatorum: & gradus quidem, qui à causis necessariis effectuum creatorum (puta vitalium) eiusmodi effectibus tribuitur; qui tamen non proinde melius in suis causis veriusque quam in seipsis esse à Patribus & Theologis dicuntur. Sed expresse potius ab Anselmo negatur. Discursus eiusdem alius subiunctus in præcedentis confirmationem num. 8. ex maiori rerum naturali inclinatione ad vniuersi conseruationem, quæ Deo (in quo idealiter sunt) deficiente non esset, non est illius confirmatio, sed potius diuersus, & politicus, qui subinde non in rebus ipsis, sed in gubernantis prouidentiæ locum habet. Neque exempla grauium sursum, & leuium deorsum contra sua commoda priuata, & naturalem propensionem, ne detur vacuum, venientium opposita suadent: quia non veniunt: sed trahuntur vt in physicis ostendi.

7. Huius veritatis occasione hæresum sæculi proximi seminator & sectarius Vvicleff. apud Valdensem cit. cap. 1. num. 1. & circa med. asseruit ratione existentiæ idealis creaturarum in Deo dici absolutè, nec additò, *secundum esse ideale, omnis creatura est Deus etsi*, inquit apud rudiores *equum aut asinum esse Deum male sonet*. Rationem subdit: quia talia subiecta, sunt, qualia à prædicatis præmittuntur: quare cum ex parte prædicati Deus ponatur se solo facit pro esse ideali creaturam supponi, etsi in propositione esse ideale ipsius non exprimatur; negat inde hanc conuertentem, *ergo Deus est creatura*, quia ex parte prædicati creatura posita, nequit ex subiecto determinari, vt secundum, seu pro esse ideali supponatur. Discrimen hoc refert Valdensis ibi cap. 2. sub init. & confutat vsque ad caput nonum.

8. Cæterùm: etsi regula illa dialectica pro variandis subiectorum suppositione ex prædicatis adiuncti vera sit, vt docuit etiam Boëthius, & ex ipso Theologi re-

liqui pro variis locutionibus in materia de Trinitate explicandis, quibus nos Controu. vltima de incarnat. d. vlt. & controu. de Trinit. d. etiam vlt. non solum consensimus, sed & in eius confirmationem non pauca de nostro addidimus; ast, prædicata nuda propositionis non mutant sine addito alienante à propria significatione ad impropriam subiectum, vt regula etiam dialecticorum est. Ecquis autem dubitet impropriam imò à propria creaturæ significatione alienam esse, significare Deum, ergo sine addito alienante *esse idealis*, nequit significare in ea propositione Deum sed creaturam: quare etsi Vvikleffi animus hæreticus non sit; ast propositio hæretica est. Nec vitari potest eius conuertens, quæ negatur à Vvikleffo *Deus est creatura*, ex regulis dialecticis, & exemplis propositionum omnium in quibus ex prædicato subiecti determinatur suppositio, vt patet in propositionibus notatis in materia de Trinitate, & Incarnat. locis citatis: & quia creatura à parte prædicati determinare Deum subiectum potest vt supponatur pro esse imitatiuo creaturæ iuxta Vvikleffi doctrinam: quemadmodum, vt creatura supponatur pro esse ideali determinat in conuersa propositione prædicatum *Deus*.

9. Etsi ergo dubio procul materialem hæresim incurrerit Vvikleffus, quia tamen ipse assensu illo Catholico de creatura secundum esse ideale, & intelligibile locutum se fuisse explicuit, Concilium Constantiense grauioribus intentum eas propositiones inter Vvikleffi errores non recensuit, & damnauit: quia de modo loquendi solum errores erant. Sed nec sic, vt aliqui aiunt, sess. 15. inter errores discipuli eius Ioannis Hus, hæ propositiones damnarentur, *quodlibet est Deus: qualibet creatura est Deus: Omne ens est vbique, cum omne ens sit Deus*. Vvikleffi doctrina eo Concilio damnata dici posset: cum discipuli errorum semper in erroribus supra Magistrum sint, atque vi argumentorum à Catholico vexati in maiora deliria prosiliant, ne prima deserant à fide naufragi: deteriore sensu, quam eius Magister credendus Hus esset si ibi ea ipsius dicta fuissent damnata. Cæterùm Recentiores qui verificatiua possibilium futurorum positiuorum, & negationum, & impossibilium Deo identificant, videant, quo pacto ab his propositionibus absolutè, ac in eorum sententia sine addito vllo verificandis se expediant. *Omnis creatura secundum essentialia considerata Deus est*. Siquidem reipsa Dei Omnipotentia est, nihilque præterea aliud, atque similibus, ac insuper ab hac multo dissonantiore: *hircocervus est Deus*, & sic de impossibilibus reliquis, quæ Deo identificant.



CONTRO

CONTROVERSIA III.
DE DECRETO, QVO AD Liberas creatarum voluntatum actiones absolutas Deus absolute concurrit.

AD plenam obiecti contingentis conditionatam futuritionem ac subinde conditionatæ, seu mediæ scientiæ de ipso notitiam instituenda controuersia hæc fuit. Siquidem hypothesis, quam futuritio conditionata contingentis essentialiter concernit, ea omnia continere debet, quæ ex parte actus primi ad eiusdem contingentis absolutam futuritionem necessario, & absolute debent præcedere: In quibus decretum Dei de concursu, quantum ex parte sui opus est, vt creatæ voluntates exercere se, atque operari valeant proculdubio clauditur. Spectabat quidem materiæ iure controuersia hæc ad eas, quæ de Dei voluntate postmodum habebimus, sed voluimus eam controuersiæ de scientia separatim, & immediatius adiungi; ne hoc, quod vnice ad controuersiam celebrem de scientia media plene penetrandam disputandum nobis superaret, longius quæreretur. Agemus primo de prædeterminatiuis actionum creaturarum liberarum præfinitionibus Thomisticis vniuersim. Secundo de eisdem præfinitionibus ad materiale peccati. Tertiò demum, eis iam ablegatis, de statuendo decreto Dei ad eiusmodi actiones.

DISPVTATIO PRIMA.

De prædeterminatiuis creatorum actuum liberorum præfinitionibus Thomisticis vniuersim.

ACERRIMAM sane cum Recentioribus Dominicanis Thomistis disputationem aggredimur: & quam rationibus Philosophicis, & Theologicis transigere decreueram: quibus factis, superque præsidij ad doctrinam nostram eiusmodi præfinitiones negantem, & quotidianis disputationibus, & diuturna earum meditatione adesse recognoueram. Cum autem ex huius rei examine accurato pendere scientiæ etiam mediæ firmitatem, ac certitudinem, & claritatem viderem (cum præfinitio prædeterminatiua apud hosce Thomistas decretum diuinum concurrendi cum creato ambitio sit: quod subinde per ipsos in hypothesi, seu pro conditione ad actiones voluntatis creatæ conditionatam futuritionem sit apponendum; atque ita positum pro eo statu aboliturum videatur earum libertatem) ac insuper rem hanc tam à nostris, quam à Dominicanis longissimis tractatibus, tomis apologeticis multa scripturæ, Patrum, Authorum, & historiarum eruditione disputari: vtilitati publicæ operæ pretium præstiturum me censui, si nihil ab alterutra schola Thomistica inuentum, scriptumque momenti alicuius fuerit, præsenti disputatione omitterem nostratiaque nonnulla, tum ab authoritate, tum à ratione (quod in re adeo trita, atque vndique à viris ingenio, & doctrina præstantissimis versata difficillimum, nobis etiam videbatur) subiungerem: Nec, qui nostram hanc disputationem solis testimoniorum citationibus legat, bibliotheca opus habeat, vt fidem nobis adhibeat: neue æquus rerum æstimator non audietis plene partibus de tanti ponderis rebus iudicium pro alterutra ferat. Atque ita demum fiet, vt fidem controuer. 2. d. 6. præfatione obpignoratam, haud auare, liberemus: nihilque ad dilucidam scientiæ nostræ mediæ intelligentiam desideretur.

Vt autem nihil in re præsenti indisputatum relinquam, & obscurum, de præfinitionibus hisce prædeterminatiuis actionum omnium à voluntate creata procedentium ex generali omnibus principio, de earum in actu secundo & creati arbitrij in actu primo libertate agam: ex quo scripturas, Patres, Concilia, atque Doctores hactenus de præfinitionibus hisce, vel disputarunt, vel disputandi nobis semina iecerunt. Hoc enim principium, tam bonis, ac meritoriis, quam prauis nostris actionibus commune est: cum nec virtus, nec vitium, nec meritum, nec demeritum absque arbitrij, ac subinde actionum eius libertate, possit in ipsis reperiri. De bonorum vero, vel malorum operum nostrorum prædeterminatiuis præfinitionibus ex peculiaribus cuique eorum principiis, nec ad indifferentes (si quæ sint) actiones pertinentibus, disputandum nobis postmodum erit. Quæstiones igitur disputationis huius sic ordinabo. Vt primo: an præfinitiones prædeterminatiuæ per scripturam sacram sensu, quo eius loca communi consensu interpretantur Patres, & Doctores, explorato catholici, liceant videamus? Secundo: an liceant ex Patrum concordi sententia? Tertio: an ex Conciliorum, & Pontificum decretis, & definitionibus? Quarto, an per Academias, & Sanctæ Inquisitionis, fedisque Apostolicæ sensum? Quinto: quatenus per veram Scholam Thomisticam per S. Thom. Magistrum sententiarum, & Philosophos. Sexto quatenus per scholas alias, & religiosas familias? vbi ad purum vtriusque sententiæ authores numerantur. Septimo: quatenus liceant per rationem à libertate petitam? Octauo specialiter: an liceant per alias philosophicas, & theologicas rationes cum generales, tum actibus bonis peculiares?

QVÆSTIO I.

An præfinitiones prædeterminatiuæ actionum voluntatis creatæ per sacram liceant scripturam?

PRIMA, præcipua, & propriissima Catholicæ nostræ Theologiæ principia scripturæ sacræ testimonia sunt: quare in Theologicis disputationibus (præsertim grauibus, & quæ ad fidei nostræ dogmata videntur concernere stabilienda spectant) rigidum eorum examen primo loco habendum est, idcirco grauissimam disputationem, & dogmata fidei humanorum actuum libertatem concernentem, ab exacto, ac rigido testimoniorum sacræ scripturæ examine, non perfunctorio quidem, sed ex instituta tota integra, iustaque quæstione habendo, merito inchoamus: præmissa tamen præfinitorum doctrina, & ipsorum in eis asserendis conuenientia.

CERTAMEN I.

Asserentium præfinitiones conuenientia quæ est, esseque debet.

1. DIximus: in his præfinitionibus, & voluntatibus Dei efficacibus de absoluta contingentis futuritione antecedenter connexis cum ipso, & omnino independenter ab vsu libertatis à Deo conceptis, & habitis Thomistas recentiores omnes Dominicanos, & alios, qui ex eorum schola amant censeri, vnanimes conuenire: & si eorum etiam Doctores doctrinam hanc vniuersim non admittant: quia præfinitiones ad materiale peccati aliunde; quam è libertatis nostræ læsione (quæ communis est præfinitionum nostrorum contingentium difficultas) è diuinæ scilicet bonitatis indecentia magnopere exhorrent, vt videbimus disp. 2. quæst. 1. vbi ex hac parte præfinitiones ad materiale peccati confutabimus, atque inde præfinitiones contingentis cuiusvis vniuersim. Si enim, vel vnum futurum contingens sine sui præfinitione absolute potest in sua futuritione absoluta consistere omnia absque vlla sui præfinitione consistere posse euidens est: cum præfinitionum futurorum contingentium fundamenta omnia generalia pro omni futuro contingenti sint: quare in nullo eorum contingentium deficere queunt, quin in omnibus, & pro omnibus deficiant, vti ex dicendis in sequentibus quæstionibus clarebit. Quo circa duriores Thomistæ, qui ad omnia contingentia, etiam materiale peccati, suas præfinitiones extendunt, consequentiùs aliis eas ad materiale peccati solummodo negantibus, me iudice discurrunt; Hi vero longe illis sunt in Deum reuerentiores; sed de hac re, & eorum differentia fuso calamo citata quæst. 1.

2. Ad rem ergo, in qua conueniunt: circa præfinitiones in materia, qua vnusquisque eorum eas admittunt differentia, quæ in mediis, quibus ex his præfinitionibus apponenda absoluta contingentia in executione sunt, inter eorum aliquos intercedit, nullatenus est, esseve potest. Etsi enim ex eis nonnulli media necessario prærequisita executiua absolute futuri contingentis præfiniti auxilium physice ab intrinseco sui efficax antecedens natura, atque omnino ab vsu nostræ libertatis independens, seu physicam prædeterminationem voluntatis ad eiusmodi absolutum contingens, cum eoque physice, ac metaphysice connexum designent; Alij vero mitiora alia executionis media sufficere, ac necessario ad executionem futuri absolute contingentis præcedere defendant; nempe prædeterminationem moralem solum, seu moraliter solum efficax auxilium, moraliterque solummodo cum illo connexum admittant: tamen, cum hi, & medium hoc ex præfinitione illa, & decreto de se se efficaci contingentis absoluti necessario prouenire defendant, eidem difficultati de læsione physica libertatis creatæ sunt obnoxij: Etsi enim media illa executiua suauiora, physice de se se cum negatione consensus, connexa physice non sint, quare, & sint componibilia subinde cum physica voluntatis libertate; cum tamen decretum efficax de se se, atque adeo physice, & metaphysice cum contingenti absolute natura, & ordine causalitatis connexum necessario supponant: supponunt iam antecedentem physicam, & metaphysicam negationis futuri contingentis impossibilitatem omnino independentem ab vsu libertatis: quare eorum suauitas mediorum, quæ futuritionis contingentis ferreum vadem, & flecti nescium illum habet fideiussorem tacendæ libertati nihil prodest: proinde nullo operæ pretio difficultatis è libertate arbitrij contra physicam prædeterminationem petitæ emolliendæ suam doctrinam deserunt: cum in præfinitionibus eidem subiaceant. Simili deceptione Scotistæ aliquot capiuntur. Qui ob libertatis argumentum auxilia physice efficacia ab intrinseco, seu physicam prædeterminationem cum Scoto, & suis auersantur: & tamen præfinitiones Thomisticas eidem difficultati obnoxias à reliquis suis deficientes tuentur.

3. Sed tamen inter Thomistas de loco, in quo præfinitiones istæ ad futuritionem contingentis conditionatam adhibenda sunt, nonnulla est differentia. Etenim Nauarrete tom. 1. controuer. 56. §. 1. Aluarez d. 7. de auxiliis num. 29. docent præfinitiones hasce cum reliquis absolute prærequisitis ad futuritionem contingentis absolutam exequendam in hypothesi ponendas esse docent ad conditionatam futuritionem eiusdem. Bañes vero 1. p. quæst. 23. art. 3. fine §. *Ad motiua.* Zumel ibi quæst. sua 3. fine & 1. 2. quæst. 111. d. 13. ad primum, negant apponendas in hypothesi cum reliquis absolute prærequisitis ad absolutam contingentis futuritionem; sed tam præfinitiones diuinas, quam futura nostra contingentia sub conditione vocationis futura esse; ponique subinde in scientiæ conditionatæ obiecto debere. Alij Thomistæ in vtramque claudicant partem. Nam Cabrera 3. p. quæst. 62. art. 1. d. 12. num. 75. §. 4. & num. 107. Ledesma d. 2. de scientia futurorum fine ad argumentum 3. citatis Aluarez, & Nauarrete consentiunt, & præfinitiones in hypothesi ad conditionatum contingens iuxta primum modum constituunt. Iidem vero Cabrera d. eadem num. 169. & prius ad quæst. 18. art. 4. dub. 9. ad 1. & Ledesma de auxiliis art. 12. ad 1. num. 254. non ex parte conditionis & hypothesis cum vocatione; sed ex parte consensus, seu contingentis conditionati nostri sub hypothesi præfinitiones hasce collocant, iuxta Bañes, & Zumelis modum secundum. Cæterum cum ipsorum doctrina physica voluntatis nostræ ad consensum, aut dissensum contingentem prædeterminatio, siue auxilium efficax illum antecedens ab eius contingentis præfinitione tanquam ab vnica totali & necessaria causa procedat, nequit ad idem posterius naturæ, pro quo futurum à nobis contingens est, neque in statu absoluto, quare neque in conditionato pertinere; sed necessario in statu absoluto, & præfinitio, & prædeterminatio, seu auxilium efficax debent ante contingens futurum ac subinde in conditionato debent ad ipsum conditionate futurum ex parte etiam antecedentis in hypothesi supponi: cum verum apud omnes, etiam Thomistas, principium sit: omnia principia necessaria, & prærequisita essentialia ad futurum contingens debere in hypothesi poni supponiue ad idem conditionate futurum.

4. Etenim quouis ex prærequisitis sublato siue absolutè, siue ex hypothesi consensus ex ipso antecedenti est impossibilis: siquidem, quouis sublato ex necessariis ex parte principij, si effectus sit, esseve possit, id quod ex parte principij defecit, necessarium non esse concluditur, quod suppositioni contradicit. Si autem sine illo, nec sit, neque esse possit, vt contendimus, in aliis, quæ siue absolutè, siue in hypothesi remanent, non manet principium absolutè sufficiens. Nam sufficientia causæ dicit absolutè potentiam ad ponendam existentiam effectus;

ctus: quare, & huius ab illa, & ex illa productionem, & existentiam possibilem: quæ sunt necessario connexa, identitatis connexione, sicut grammaticalis actio cum passione, vt amare, & amari. Cum igitur in horum principiis essentialibus consensus absolutè contingentis præfinitio hæc suasit, & eam in hypothesi, vt dixi, ad contingentis conditionatam futuritionem præcedere, & apponi nec esse necesse est. Vnde, quamquam Deus expositione vocationis, siue post illam, præfiniturus esset consensum, & prædeterminare voluntatem ad illum, vocatio ad Dei contingens decretum conditio, & hypothesis sufficiens esset, vt sub conditione foret, quia alterius motiui existentia ad illud decretum contingens absolutè apponendum opus non erat. At verò ad futuritionem nostri contingentis, cum præfinitione, & prædeterminatione opus omnino per aduersarios sit, vocatio sola absque præfinitione nequit sufficientem hypothesim constituere ad eius conditionatam futuritionem; sed alia hypothesis ex vocatione, & reliquis, horum sententia necessariis, constituenda necessariò est, vt contra hunc secundum modum contendimus. Itaque nisi præfinitiones suas absolutas contingentium futurorum ad horum absolutam futuritionem meliora, vt æstimo, sapientes, necessariò prærequisitas negent, atque ab schola sua nobiliter degenerent, nequeunt non ad eiusdem conditionatam futuritionem illas etiam in hypothesi collocare. Nec satis erit in hypothesi vocationem ponere, & à præfinitione, & aliis prærequisitis præscindere. Effectio enim omnis, & pro quouis statu etiam possibilitatis principium adæquatum, & essentialiter prærequisitum proportionate ad operationis statum positiuè constitutum supponit.

5. Scio aliquot exteros, neque ingenij contemnendi, politicis, quam Theologicis rationibus Thomistas, prædeterminationes, & præfinitiones à scientia media, ac proinde omnino à libertatis nostræ vsu independentes defendere, easque ab hypothesi excludere. Aiunt enim prædeterminationem esse concursum Dei nostro identificatum. Præfinitionem verò, seu decretum concurrendi nostræ comitans determinationem voluntatis: cum autem nihil conditio verè, ac non fictè ad seipsum esse possit physicus Dei concursus, seu prædeterminatio nequit in hypothesi ad liberam nostram operationem ipsi identificatam, vt conditio apponi. Cum item conditio aliquam conducentiam ad determinationem contingentem, huiusque ab illa dependentiam dicat: quod respectu determinationis liberæ arbitrij nostri comitanter solummodo se habet, nullatenusque natura præcedit ab eius determinationis nostræ conditionibus, & prærequisitis merito relegatur. Sed in primis hæc omnia scholæ Thomistæ, quam profitentur omnino aduersantur: & vane vocibus illis præfinitionis consensus, & determinationis arbitrij nostri, necnon prædeterminationis prænotionis præuiæ qualitatis, seu concursus diuini apud eam scholam sacris, isti Recentiores abuntur. Ea quippe omnia nomina præcedentiam naturæ eorum omnium ad nostri arbitrij determinationem significant. Sunt ergo aperte, qui eam doctrinam eis vocibus conregunt non veri, & reales, sed nominales Thomistæ. Secundo, ni decreta libera Dei per extrinseca constituant nequeunt antecedentiam naturæ præfinitionis diuinæ subterfugere. Dei quippe concursus, & cooperationi (quæ realiter formaliter arbitrij nostri determinatio per ipsos est) necessariò causalitate præcedit: cum necessariò Dei concursus à sua præfinitione causetur. Si autem præcedat, integrum imperum argumentorum de euersione libertatis, cuius declinandi gratia ea omnia excogitarunt, hi Recentiores excipiunt. Sin autem extrinseco ipso concursu liberam Dei voluntatem, & præfinitionem, seu potius decretum comitans concurrendi constituunt: iam è Thomistis ad nostræ scholæ Vasquez, & Valquianos accedunt.

6. Qua verò ab eis in neganda dependentia earum præfinitionum à libera arbitrij nostri determinatione, adhuc conditionata, eiusque scientia discordant, casu Deum, ac sine vllo præuio consilio determinationem voluntatis suæ præfinitione illa, seu concurrendi decreto nostri arbitrij determinatione liberæ adiungi, casuque, & forte fortuna vtramque, & Dei, & nostram liberam determinationem coniungi, debent fateri. Id autem, etsi cordati cuiusvis prouidique hominis (nedum summe prudentis, & prouidentissimi Dei) determinatione libera indignum non esset: aliis absurdis, & difficultatibus est plenum. Etenim, si casu vtraque determinatio adiungitur, atque vtraque iuxta hanc decreti concurrendi constitutionem per concursum simultaneum, & eundem creaturæ eadem operatio, & concursus est; qua & Deus, & ipsi determinamur: cum autem ea operatio essentia sua, & à Deo, & à nostra voluntate indiuisibiliter pendeat, à neutrius voluntate sola poterit apponi, nisi vterque in eandem determinationem casu concurrat. Hinc autem fiet rursus, vt neuter suæ liberæ determinationis dominus absolutè, potensque absolutè se liberè determinare esse possit: quandoquidem sine alterius libera determinatione se determinare nequit. Sicuti rei indiuisibilis, cuius dominum ex æquo competit duobus, neuter absolutè, & insolidum, vt aiunt, absolutus Dominus est: atque ex duobus necessariò requisitis ad prægrandem lapidem mouendum, neuter seorsim ad illum mouendum absolutam habet potestatem, quocirca ni eorum alter saltem, quid ex parte sua determinationis in hac, vel illa hypothesi alter appositurus sit præuideat, ex eaque scientia suam etiam determinationem comitem adiungat (quod in huiusmodi decreti constitutione difficillimum est, & Recentiores isti fieri expressè negant) neutrius ad se determinandum absoluta potestas subsisteret, sed alterius determinationi subiecta, atque alligata. Ex quibus constat eam Recentiorum meditationem seruandæ voluntati nostræ absolutam determinationis suæ, atque expeditam potestatem, & libertatem adimentam, non eam solum, sed & diuinam in suæ voluntatis determinationibus absoluram potestatem, & libertatem euertere. Sed de hoc decreto comitante concurrendi, quomodocumque eius libertas constituatur, & ex quacumque scientia à Deo habeatur solutio calamus erit quæst. 8. Nunc enim solum contendebamus (quod satis ostendimus) præfinitiones futuri contingentis ad huius conditionatam futuritionem ex parte hypothesis necessario à veris Thomistis omnibus collocari, collocandasque necessariò esse, sicuti & ex parte antecedentis natura absoluta ad eius absolutam futuritionem, in horum schola, antecedunt, vt, nimirum, hæc necessaria præfinitionum ad absolutam contingentium futuritionem præcedentia absoluta impugnata ad conditionatam debere ab hypothesi reiici: quare neque in hypothesi positas ad conditionati scientiam, neque absolutè ad contingentis futuritionem absolutam cognoscendam medium materiale esse illas vllatenus posse.

CERTAMEN II.

Non licent præfinitiones Thomisticæ per scripturam sacram.

1. PRimus absolutis præfinitionibus ad futuritionem absolutam nostrorum contingentium confutandis efficax in ipso scripturæ limine locus occurrit nobis Genes. 1. vbi scriptum est, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersaque terræ*, quod ita factum testatur Ecclesiastic. cap. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram.* Hanc verò imaginis Dei rationem in homine per arbitrium huius liberum, & plenum suarum actionum dominium, & potestatem indifferentem ad vtrumvis solutam absolutam, neque ad alterum extremum ex oppositis determinatam, & ligatam recognoscunt vnanimes Patres: atqui præfinito antecedenter altero oppositorum extremo (& idem est prædeterminata ineluctabiliter ad illud voluntate) soluta, & absoluta eius potestas ad vtrumvis non est: sed pro signo potestatis operandi in actu primo ex anteriori illo præfinitionis necessariò antecedenti signo naturæ, & causalitatis

litatis determinata, & necessitata, vt sic loquar, ad alterum extremum; & ligata, atque impedita, ne eat in alterum oppositum: ergo præfinitione Thomistica & hominis libertas, & arbitrij perit, & Dei imago in illo aboletur. Maior concors est Patrum doctrina. Irenæus 4. aduers. hæres. cap. 9. *Homo rationabilis, & secundum hoc similis Deo liber in arbitrio factus, & sua potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum* (Dei horreo,) *aliquando autem palea*, (gehennæ) *fiat*, iuxta Luc. cap. 3. & eodem lib. cap. 27. ait. *In nobis esse facere & non facere: atque libera sententia esse hominem: sicut libera sententia est Deus, cuius ad similitudinem factus est.* Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. prope med. *formatus est ad similitudinem Dei: propterea, quod, quemadmodum Deus, sui iuris est, & quod vult, facit.* Cyril. Hierosol. Cathec. 4. libro de statu hominis sub init. *In libertate sui iuris, & per Dei gratiam habente potestatem facere, quæ velit.* Basilius Magn. homil. 10. exhamer. Similiter imaginis rationem formalem *in potestate hominis ad libere eligendum, quæ velit*, seu (vt longè, ante med. ait: *in affluenti rationis copia, quæ coorientem intemperiem vitiosarum affectionum supprimeret & moderaretur*) sitam censet: similitudinem verò per liberam imitationem Dei acquirendam bono vsu potestatis illius à Deo, & gratiæ ipsi factæ: & concludit. *Nunc, quando potentia quidem nos similes Deo fecit largitus potestatem in hoc, vt assimilemur Deo: reliquum erat, vt nos sineret cõoperari isti gratia similitudinis ad Deum nobis potentia prærogata*; & post pauca, *quo igitur similitudinis huius admirabilis, & solida laus vni mihi cederet, non item alteri* (quoad physicam formalem determinationem) *penes me esse voluit: & liquit arbitrarium, ad Dei, vt possim pertingere similitudinem.* Eadem distinctione, & sententia eum locum explicuit 6. exhamer. cap. 8. & lib. de dignit. humanæ condit.

2. Neque absimili distinctione imaginis, & similitudinis Dei in homine recens creato vsus Philo carpath. in Cant. ad id: *terribilis, vt castrorum acies ordinata* (nisi quod similitudinem per gratiæ dona indita intelligit) in eandem scribit sententiam: *Anima ad imaginem, & bonitate ad similitudinem creatoris nobilissime formatus, homo, ac liber, relictusque in manu consilij sui bono sibi, malique appositis* &c. Greg. Nyssen. orat. de dormientib. longe à med. *Homo Diuina forma præditus fuit, & beatus sui potestate, & arbitrio honoratus: sui enim potestatem habere, & alterius dominatui obnoxium non esse proprium diuinæ beatitudinis.* Et infra: *cum deitate namque comparanda res est propria sui potestas.* De anima, & resurrect. longe à med. *libertas est assimilatio, ac æquatio cum eo, quod dominum non habet, ac sui iuris, & in sua potestate est, quæ libertas ab initio quidem nobis à Deo data est.* Damascen. 2. fid. cap. 12 sub init. *id ad imaginem intellectualem tendit, & libera voluntatis, arbitriique potestatem.* Quo etiam pacto imaginis Dei rationem explicat lib. de prima institut. c. vlt. & toto libro, cui titulus *quod ad imagin. Dei facti sumus.* Vt inde humanæ etiam Christi voluntatis libertatem, & potestatem ad vtrumvis probet Hieronym. epist. 146. prope fin. *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit; cætera, cum sint liberi arbitrij* (*iuxta quod homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est*) *in vtramque partem possunt suam flectere voluntatem.* Et epist. ad Philemonem, potestate liberi arbitrij ad boni, & mali electionem imaginem & similitudinem Dei homini datam, asseruit. Cui etiam interpretationi & sententiæ consentiunt Tertullian. recitandus. Bernar. serm. 81. in cant. prope med. & de grat. & liber. arbitr. post med. & lib. de anima, seu de meditationib. humanæ condit. c. 1. Theodor. quæst. 20. in Genes. de imag. vers. fin. Ruper. Genes. 1. vbi ait, etiam amissa similitudine Dei (quam in gratia iustificante constituit) per peccatum, imaginem in potestate arbitrij, & facultate rationis audiendi, & sequendi reuocantem restauratorem in nobis persistere. Quod adeo verum, & certum à nonnullis Patribus putatur, vt ea potestate absoluta ad vtrumvis, vel sublata, vel non absolute expedita in nobis imaginis rationem perire, atque à nobis aboleri fateantur. Quæ sententia non quidem maiorem solam, quam ipsorum esse diximus, sed integrum argumentum, suum esse testantur.

3. Nec obscurior est in recitatis testimoniis Patrum, & aliis iam recitandis à num. 4. eiusdem discursus minor. Fere enim omnia illa rationem imaginis Dei in nobis constituunt penes arbitrij nostri potestatem eligendi, agendive, quæ velimus, qua scilicet nostri iuris, & potestatis simus, sicuti Deus, in voluntatis nostræ liberis operationibus, nulliusque potestati, & dominio subiectis. Hæc autem omnia cum Thomisticis præfinitionibus in arbitrio nostro stare nõ posse è quidditatiuo conceptu eorum & præfinitionum, seu cuiusuis principij necessarij ad operationes irresistibiliter, siue ineluctabiliter à voluntate edendas, constat aperte. Posita siquidem præfinitione, similive alio ex parte actus primi, & potentiæ operandi, non vtique nos arbitrio nostro agere possumus, quæ velimus, neque in alterutram partem nostram flectere voluntatem: ea vero sublata cum principium necessarium sit, absolute potestas non sit ad operationem præfinitam. Item quo modo suæ potestatis, & iuris voluntas nostra vere, & physice erit, si non aliter, quam ex alterius præfinitione possit operari? quo etiam pacto non ex alterius dominio, à cuius præstitutis nequit in electione discedere? aut quomodo in eius potestate est electio agendorum, cum non in eo, sed in alio agendorum est præfinitio, & determinatio? æstimo, hæc vt conuincant, sola vocum, & significationis earum intelligentia opus esse, atque ad Calepinum, aliudve dictionarium remittendos, qui de ea vocum harum præfinitionis Dei de mea operatione, & potestatis meæ ad illam, vel oppositam pro libito, & ex mea electione agendam. Recte enim Ennodius quæst. 3. recitandus: *quare electionem nominet vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam?* Ergo hæc simul asserere præfinitionem, aut quodvis aliud ante vsum electionis à voluntate nostra, alterius appositis, & voluntatis nostræ absolutam eligendi potestatem vocum, vel ignoratio est, Calepino corrigenda, vel voluntarius abusus. Implicant enim termini: potestas nostra absoluta ad vtrumvis, & ad alterum ex nostra electione apponendum, & præfinitio, ac determinatio alterius partis, ab alterius potestate, & irresistibili à nobis voluntate solutiones de sensu composito, & diuiso duplici Thomistarum sensu, aliaque effugia in sequentibus præsertim quæst. 3. & 6. ex instituto obturabimus. Nunc autem argumentum ex his Patrum testimoniis pro eiusdem minoris probatione confirmo. Etenim nullus moraliter, & ciuiliter (vnde eæ Patrum locutiones ad physicam arbitrij nostri, & alterutrius agendi, & eligendi potestatem explicandam desumptæ sunt) sui iuris, & potestatis, neque alterius dominio & potestati subiectus dicitur, qui moraliter, & ciuiliter ex alterius potestatis, & iuris, seu iurisdictionis præscripto agere necessario debet: ergo nec physice sui iuris, & potestatis physicæ in operando absolute, & simpliciter erit, qui non, nisi ex alterius iuris, & potestatis physicæ præscripto, & præfinitione operari physice potest. Confirmatur vlterius ex dominio physico absoluto sui, suarumque operationum hominibus per arbitrij potestatem attributo à Patribus. Dominium enim ciuile, & iuris, est absoluta potestas vtendi re pro libito sine iniuria alterius independenter à voluntate, & consensu illius: nec, qui alterius consensum, vt re vtatur expectare debet illius dominium habet, habereve potest censeri: ergo, qui alterius determinatione, & præfinitione, ita, vt operetur, physice pendet, vt nequeat operari, nisi eius de hac operatione ab ipso exercenda, & elicienda præfinitio, & determinatio præcedat, sui, suarumque operationum physicum dominium neque habet, neque habere vllatenus potest. Hæc pro testimonis aliis Patrum iam iam, & quæst. 3. similium locutionum expendendis semel hic dicta sint, ne ad legentium tædium per testimonia singula repetantur.

4. Illis etiam eius loci verbis. *Et præsit piscibus maris, & bestiis vniuersaque terræ*, quæ de arbitrij nostri, tam ad boni, quam ad mali electionem, potestate Petrus Apostolus interpræratur apud Clementem Roman. 1. Recognit. pag. 9. sic factus. *sic cuncta præparata sunt vt hominibus, qui habitarent in ea* (terra) *esset facultas hæc omnibus pro arbitrio vti: id est, siue ad bona velint, siue etiam ad mala.* Cui Apostoli sententiæ subscribit idem Clemens lib. 3. de offic. sacerdot. colum. 3. &

& Concil. Nizen. lib. 2. actor. ante decretorum constitutionem vbi cuiusdam Philosophi argumento proposito per Eustachium Episcop. Antioch. ita respondet, *iis omnibus (quibus ipse in terra præsidet, & sunt) hominem secundum Præsidem fecit*: eoque ad Dei imaginem hominem factum ait. In iis verò quibus Deus præsidet humanæ etiam operationes sunt. Athanas. quæst. 88. è suis. *Sicut in toto mundo Deus Rex est, & Imperator, & potestatem exercet in omnia*, &c. *sic etiam homo Princeps, & Rex constitutus est super omnes res terrestres: qui libera sua voluntate facit, quod vult, sicut ipse Deus, & hoc est quod dicitur secundum imaginem,* Lactan. Firmian. de ira Dei cap. 13. post med. ait: hominis ratione donati (sui nimirum imaginis) Deum omnia imperio subiugasse. *Proposuit ei tamen bona, & mala, quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisque eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul reiicere & vitare quæ mala sunt.* Vbi eligendi potestatem circa apposita æstimatione, & iudicio instrui, ac dirigi docet. Similiter Euseb. Cæsar. 4. præparat. capite sexto, sub fin. *Idcirco*, inquit, *quod per rationem ad imaginem Dei fuit factus, Principem, Regemque omnium, quæcumque in terra sunt, animalium constituit hominem, eumque liberum, & sua ipsius potestatis dimisit: qua, & ad boni contrarium ferri posset. Hic vero non bene sua ipsius potestate vsus*, &c. Particula *&* tantundem, atque *etiam* valet: quare ea potestatem etiam hominis ad bonum asserit: sicuti non bono eius potestatis vsu in mali prosecutione; abusus enim potestatis ea prosecutio non esset, si ad malum solum esset potestas. Chrysostomus postquam homil. 8. in Genes. imaginis rationem in potestate vtendi rebus pro libito, & imperio in omnia declarauit: Inde homin. 9. Potestatem in actus, & affectus nostros ita probat. *Leonibus imperamus: & dubitas, num mentis ferocitatem in mansuetudinem mutare possis? qui bestiis id, quod natura eis inest, auferre, & quod naturæ earum adversum, inserere potes: id quod natura tibi præstitit conseruare non potes*: subinferius. *Ne igitur prætextus, & excusationes affer: potes enim, si vis, mansuetus esse, & æquus.*

5. Eidem interpretationi imaginis Dei in homine insistens homin. 23. column. 7. ait, in eius imperio stare, *vt imperet visibilibus omnibus, & passionibus suis*, cui consonus Augustin. 1. de Genes. contra Manichæ. cap. 22. init. scribit, *saluo intellectu, quo manifestum est omnibus his animalibus hominem imperare, recte tamen intelligitur etiam spiritualiter: vt omnes affectiones, & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, & eorum dominaremur.* Damascen. de duabus Christi voluntat. post med. nostrum animum ab Angelo discriminat, quia non Angelo, sed animo datum est. *Vinificare, liberequæ sub arbitrio, id est voluntate, mouere, ac impellere corpus, appetitumque rationis expertem, vt iram, vt cupiditatem, & eum, qui habet impetus suos motum; naturalique imperio corpori, in quo est, vt seruo sibi à natura dato præesse. Itaque magis ad Dei simulacrum homo effectus est, quam Angelus. Angelo enim non est à natura seruus datus, nec dominatio.* Hoc verò hominis in suos actus dominium, & potestatem ex imperio ei in cuncta corporea dato eleganti argumento deducit, vel potius inclusam probat, profundus Tertullian. 2. contra Marcion. capite fecto, his verbis: *Oportebat imaginem, & similitudinem Dei liberi arbitrij, & suæ potestatis institui; aliàs, quale erat, vt totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret: alio rum dominus, sui famulus.* In idem ex eodem loco argumentum contra eundem Marcionem cecinit, vel potius tenuit. Prudentius in sua Hamartigenia.

An, cum te Dominum cunctis, quæcumque creauit,
Præficeret: mundumque tuis seruire iuberet
Imperiis; cumque arca, polum, mare, flumina, ventos
Dederet: arbitrium de te tibi dedere auarus
Nollet, vt indigno, libertatemque negaret?
Quale erat electus, magni Rex orbis, vt esset,
Non Rex ipse sui, cuncto fadatus honore?

Denique Basilius citata hom. 10. exhamer. multo ante med. Postquam imaginem Dei, & vniuersale orbis imperium in homine positum dixit: *in affluente rationis copia, quæ coorientem intemperiem vitiosarum affectionum supprimeret, & moderaretur*: docet nos eis prauis affectionibus, in quas imperium nobis datum est, misere seruire; *sciuit te*, inquit, *& iussit Deus in creaturis principem locum tenere: & ecce tanti principatus natura delati dignitatem à te excutis, ac refellis.*

6. Neque verò ad rem præsentem mysterio vacat paradisi, in quo (Dei per arbitrium, & imperium imago) homo collocatus à Deo fuit, situs, in terræ scilicet medio, vt Patres docent, & ratio suadet: in medio quippe orbis, cui præerat statuenda curia hominis fuit. Eo quippe hominis in medio terræ loco medium, quod inter extrema eius arbitrium, liberaque potestas tenet, aptissimè significatum recognoscit Philoxenus Episcopus Mabugens. sermon. de contempl. arbor. vitæ cuius hæc, inter alia, refert, & laudat Moses Barzephas, Episcop. Syrus comment. de paradiso parte 1. capite 8. à medio. *Quippe qualis erat conditio, compositioque hominis, talem oportebat esse locum, in quo erat ille ponendus: illa verò eius erat modi, vt in hominis esset posita arbitrio, & boni, & mali electio. Iam verò, qui sic habet, is inter vtrumque medius est: nec ex bono totus, nec rursus totus ex malo constans; sed pro suo pote arbitrio ad vtrumvis iuxta se habens.* Id ipsum è situ arboris scientiæ boni & mali arbitrij liberi symboli aptissimi, quæ in medio paradisi fuit Genes. 2. numero 9. his Eucherius in Genes. ostendit. *Lignum scientia boni, & mali proprium voluntatis arbitrium: quod in medio est positum ad dignoscendum bonum & malum.* Cum insuper lignum etiam vitæ Genes. 3. numero 3. in medio paradisi fuerit, & subinde ligno scientiæ boni, & mali vicinum, in quorum altero æternæ vitæ præmium, in altero verò æternæ mortis supplicium figurabatur: distantia autem localis difficultatem, propinquitas verò facilitatem ab vno in alium locum declinandi in scriptura significet Deuteron. 30. & ad Roman. 10. nullo sane emblemate aptiori hominis in medio paradisi, & prope vtramque arborum collocati ad pœnam, præmiumve sibi pro libito parandam absoluta, & expedita potestas, & liberi arbitrij facultas, imo & facilitas potuit significari.

CERTAMEN III.

Ex Ecclesiastici capite decimo quinto eædem præfinitiones absolutæ futurorum absolutè contingentium apertius refelluntur.

1. SEcundus (efficacia verò ad rem præsentem conuincendam primus) locus est ex capite 15. Eccles. vbi de hac hominis creatione, atque in suo arbitrij, & libertatis iure, & potestate constitutione hæc habentur. *Deus ab initio constituit hominem, in manu consilij sui: adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum:*

quod placuerit ei dabitur illi. Ad quæ Augustin. de lib. arbitrio capite secundo, *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ex eoque loco bene à Pelagio arbitrij nostri libertatem probatam fatetur laudatque Palæstina Synodus apud Augustinum capite tertio, de gestis Pelagij. Cum autem à Deo expresse de arbitrij nostri libertate eo loci agatur singula eius verba excutienda sunt. Æstimo enim nullum ex eis esse, quo non expedita, & omni antecedenti necessitate, & determinatione ad vnum extremum soluta, & indifferens ad vtrumvis liberi arbitrij nostri ostendatur potestas. Et, vt à primis ordiamur, dum homo sibi, siue in propria manu à Deo relictus suæ omnino solutæ plenæ, & absolutæ potestatis in se, seu in suas actiones declaratur illis verbis. *Reliquit eum in manu consilij sui.* Quidquid enim in manu alicuius constituì, relinquive dicitur plenum eius, & absolutum dominium, ac solutam omni impedimento potestatem in illud, illiusque pro libito vsum, declarat Genes. 16. Abraham ad Saram. *Ecce ancilla in manu tua est,* 1. Reg. 24. *Tradiderit te Deus in manu mea,* capite vigesimo sexto, *Concluſit Deus inimicum tuum in manu tua:* Iosue, Gabaonitæ ad ipsum: *in manu tua sumus: quod bonum tibi, & rectum videtur fac nobis,* & Iob 1. plena faciendi pro libito de illius bonis potestas sataneæ facta his verbis fuit. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Deinde in eius corpus capite secundo, similibus. *Ecce in manu tua est; verum tamen animam illius serua.* Quæ limitatio confirmat in reliqua à vita datam sataneæ absolutam, in corpus etiam Iobi, verbis illis facultatem, ea limitatione impediendam. Neque aptiori phrasi plenam omnium, & in omnia potestatem, quam de se Christus Dominus testatur Matthæi. 28. illis verbis. *Data est mihi omnis potestas,* explicuit Ioannes capite 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Imo neque suprema Dei potestas locutione explicatur aptiori Psalm. 30. *in manibus tuis sortes meæ.* Et Eccles. 33. *Quasi lutum in manu figuli,* &c. *sic homo in manu eius, qui fecit illum:* quin apud omnes nationes æquiualenti phrasi ea, quorum habemus absolutam, atque expeditam potestatem significamus: quare vulgus. *Esto esta en mi mano, o en tu mano,* sin secus: *No esta en mi mano, no esta en tu mano.* Confirmatur ex verbis ibi adiunctis, *Et reliquit eum,* &c. quæ cum non significent hominem Dei prouidentia, & gubernatione destitutum, solum significant finere Deum in manu, & potestate hominis totam ab eo agendorum determinationem, malique, & boni optionem permittere. Sic hispane etiam vulgo dicitur. *Yo dexo todo este negocio en vuestras manos.* Cum super eo decernendi, & statuendi alicui facimus potestatem: quem sensum eis verbis contineri Anastas. Nizen. quæstione 10. in scripturam ita docuit. *Est in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, vt scriptum est:* verbis, quæ expendimus: Author etiam Hypognostic. apud Augustin. lib. 3. sub init. *Quid est autem reliquit illum in manu consilij sui, nisi dimisit illum in possibilitate liberi arbitrij? in manu quippe possibilitas* (potestas) *intelligitur,* quo verbo *relinquendi,* ad idem significandum vsi sunt Patres aliqui recitati certam. 1. & plures recitandi in sequentibus.

2. Sed *consilij sui,* in cuius manu relictus dicitur, constitutusque homo, indifferentem ad vtrumvis, neque ad vnum antea, quoquo modo, determinatam &, vt sic loquar, necessitatam voluntatis nostræ potestatem apertius ostendunt. Consilium quippe, quod in rationum pro vtraque parte inquisitione, vt altera tandem eligatur consistit, determinationi antecedenti cuius ad alteram ex illis contradicit. Hinc Arist. 1. Rethoric. capite quarto, *Consiliarius non consulit de omnibus rebus, sed de his, quæ possunt fieri, & non fieri, & quorum origo in nobis est.* Et 3. Ethicor. capite tertio, *Consilium esse,* ait, *de his rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate,* quod sufficienti causarum enumeratione statim probat. *Causæ namque videntur esse natura, necessitas, fortuna, & mens insuper, ac omne, quod per hominem efficit: quisque autem de his consultat, quæ agi per ipsum possunt.* Vnde 2. Rethoric. capite quinto, ait, *consilium de impossibilibus non esse.* Et capite quinto, eius libro tertio, Ethicor. explicans quid sit aliquid in nostra potestate esse, ait, *Quæcumque in nostra potestate est agere, est & eadem non agere.* Et 6. Ethicor. capite primo, *Nemo de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt.* Et capite secundo, sine ait, *Neminem consultare, nisi de futuro contingenti,* sibi nempe, & à se contingentur agendo, non ab alio: de agendis enim ab alio non, nisi stolide, consultatio practica propria proxima esse posset; etsi esse possit speculatiua, tanquam materiæ, & occasionis aliquid agendi, si ab alio hoc, vel illud contingens apponatur. Hinc Damascen. 2. de fide capite vigesimo quinto, *Ad quid vitur homo consilio, si nullius actionis dominus est* capite vigesimo sexto, *proprie in nobis sunt omnia animæ, de quibus consultamus. Consilium autem eorum est, quæ adæque susque deque contingent. Adæque verò contingens est, quod idem possumus, & eius oppositum* capite vigesimo septimo, sub init. *Omnis, qui consultat, vt electione agendorum in seipso, suaque potestate existente consultat, vt, quod iudicio prælatum fuerit, eligat,* quæ Consilium definitio à se datæ capite vigesimo secundo, concordat: *Consilium est appetitus inquisitionis de his rebus agendis, quæ in nobis sunt.* Nemesius Episcop. Emisen. capite trigesimo quarto, Philosophiæ Nysseno tributæ ante med. *de his nos consultamus, quæ in nobis sita sunt, & de his tantum, quæ in nostra sunt potestate existente electione, de operabilibus consultat: vt quod per consilium decernitur, eligat, & eligens faciat. Necesse est igitur eum, qui consultat, dominum esse actionum. Si enim non fuerit dominus actionum ex superfluo consultat.* Inde è consilij nostri de agendis hoc loco facta adeo copia, & potestatem ad vtrumvis, & totam ad alterum determinationem integram homini à Deo relictam probat Cyrillus Alexan. 8. contra Iulian. sub fine dicens: *vt nos ad quodvis bonum sponte incederemus consilio, non coacte viuere super terram hominem permisit Deus, & ita fuit ab initio. Arripuit enim sua voluntatis habenas: & suorum ius suum momento in vtraque fertur, in bonum inquam, & in malum.* Quinimo, vt Dei ad agendum, & non agendum supremam, & omnino absolutam Paulus ostenderet potestatem ex consilio illum operari, Statuit ad Ephes. 1. *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Hoc sane argumentum ad probandam indifferentem potestatem arbitrij, nullatenus antecedenter determinatam, neque ex necessitate vlla antecedenti operaturam consilio de agendis nostro incluſum fatetur S. Thom. in 3. Ethicor. capite tertio, lectione 7. litt. 1. vbi docet: quæ ex consilio, nullatenus ex necessitate fieri, & quæstione vigesima quarta, de veritat. articulo primo, §. *Sed contra,* argument. 4. ait, *consilium non esse, nisi de actibus, qui in nobis sunt, & quorum sumus Domini,* quam sententiam, refert quæstione sexta, de malo articul. vnic. med. & 1. 2. quæstione 14. articulo tertio, ex Nyssen. 5. philosophiæ; ex quo vtrobique infert de his, quæ necessitate fiunt, consilium non esse. Et quæstione quadragesima quarta, articulo tertio, ad 3. ex eodem principio cum Aristotele, vbi proxime, & 2. Rethoric. capite quinto, nec de rebus impossibilibus consilium esse posse deducit: & 1. parte quæstione 19. articulo tertio, argumen. *Sed contra,* probat Deum non moueri ex necessitate in creatis edendis, quia è consilio suæ voluntatis mouetur. Eadem de consilij materia, & docent, & inferunt Carthusian. in 2. d. 25. quæstione tertio, sine ex Albert. Bonauen. ibi partte secunda, articulo vnic. quæstione secunda, ad 2. Sanct. Anton. 1. part. tit. 4. capite 8. §. 1. Ægydius in 2. d. vigesima quarta, quæst. 1. art. 2. d. 25. articulo 3. dub. 1. & 2. litterali. Capreol in 1. d. 1. q. 2. concluſ. 9. articulo 2. & 3. argumentis, & solutionibus

contra

contra 9. conclusionem, & scholastici reliqui.

3. Id ipsum ex verbis sequentibus. *Adiecit præcepta, & mandata sua:* efficaciter probatur: siue præcepta stricte, siue late pro doctrina, consilio, exhortatione, ob quæ Magistri præceptores dici solent, usurpentur. Recte enim Augustin. de grat. & lib. arbitr. omnibus scripturæ præceptis, & monitis arbitrij nostri indifferentem ad vtrumvis, nec ad vnum antecedenter determinatam potestatem ostendi docet, & serm. de verbis Apostoli sub init. *illud* ad Ephes. 3. *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, &c. ita expendit. *Si responderent; quid nos petis: quod in potestate non habemus: nunquid non viderentur sibi iustum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus, nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, vbi, & ipsi, aliquid agerent, non diceret peto: &, si diceret iubeo, nisi eos nosset adhibere posse iussioni suæ voluntatem, sine causa hoc verbum de ore eius procederet*, &c. *quia ergo voluntatis habetis arbitrium adimplendum, quod peto: quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium adimplendum, quod peto. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, vt det vobis virtute corroborari.* Irænеus 4. aduersus hæresim. capite 72. circa med. *Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multo prius ipse Dominus, consilium dare quædam quidem facere, à quibusdam verò abstinere? quam* ipsam ad obediendum, vel secus potestatem ad quæuis præcepta supponi docet Tertullian. 2. aduersus Marcionem capite quinto, *Non enim poneretur lex ei, qui non habet obsequium debitum in sua potestate*, Petrus Apostolus apud Clemen. Roman. 3. recognit. pag. 3. in id Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei*, &c. dixit: *Præcepit, vt voluntatem eius, iustitiamque perquirerent: sciens, quia in hominum arbitrio positum est, vt hoc quærentes inueniant, & faciant.* Clemen. Alexan. 7. Strom. vers. medend. *Præcepta homo accepit, vt ex se moueri, & incitari possit ad virtutem velit*, Damascen. 2. fide capite vigesimo sexto, Nostræ voluntati contingentia, & arbitrij potestati recensens concludit. *Et omnino ea, quæ sequitur laus, & vituperatio, & in quibus prævaricatio cadit, & lex, in nobis esse.* Nazian. de Christi natiuit. circa med. *Adamo præceptum, quasi materiam libri arbitrij, (quod parem in vtramque partem motum habere aiebat, sicut orat. 1. seu apologet. colum. 8.) peruigil Deus*, orat. 42. in pasch. prope fin. *Mandatum accepimus, vt eo seruato gloriam assequeremur. Non quod Deus id, quod futurum erat, ignoraret, sed, quod arbitrij libertatem lege sanciret*, vel, vt in commento Nizetas, *sed, vt arbitrij libertatem, quasi lata lege promulgaret* Moys. Barceph. Episcop. Syrus 3. par. comment. de parad. cap. 2. tit. 1. Biblioth. *Ad hoc data lege certorem reddit Deus Adamum, & reliquos homines ratione præditos se arbitrij libertate ipsos donasse, dum conderet: qua freti possent, vel obseruare, vel transilire legem præscriptam.* Et fine. *Leges nobis dedit, seu liberis, & libero arbitrio præditis, vt, quod luberet, id ageremus. Nos verò pro sua quisque libertate erga leges, aut frangendo, aut obseruando eas nosmet gerimus.*

4. Sed, & quæ proximè succedunt haud debilius antecedentem euincunt. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.* Quibus pactum Dei de reddendo nobis vitæ æternæ præmio, si præcepta seruemus (de quo Genes. 4. *Nonne si bene egeris* (siue vt plerique Patres: *si volueris*) *recipies? si autem male statim in foribus peccatum tuum aderit? sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius,*) continetur. Et quidem præter potestatem, & dominium nostrum in nostras actiones à postremis verbis datis ex Genes. 4. recognitum à Patribus apud Ruiz d. 59. section. 2. numero quinto, pactum hoc conditionale nullum irritumque, & illusorium erit, si in potestate nostra non sit omnino absoluta, & expedita, vel præcepta obseruare, vel transgredi, & non obseruare illa, quin antecedens Dei præfinitio, vllave necessitas, & determinatio ad partem alteram requiratur. Cum autem pactum hoc Dei, & similia conditionata sub conditione ab homine apponenda sæpius in scriptura occurrant Exod. 19. Deuteron. 29. & 30. Ioann. 8. 10. 12. Apocalyp. 3. circa fin. Paralip. 15. Psalm. 80. 84. & 131. ea omnia, & plura similia loca vana, & illusoria ex antecedenti quavis necessitate, & præfinitione nostrarum actionum reddentur. Probatur assumptum: quia, si ad actiones nostras præfinitio earum, quodvisve aliud alteram partem antecedenter determinans principium requiratur, pactum quodvis Dei de aliquo præstando sub conditione alicuius nostræ actionis habebitur à Deo, vel sub conditione actionis à nobis præstandæ ex suppositione præfinitionis, similive alterius antecedenter necessitantis, & determinantis illam: vel ex suppositione negationis præfinitionis, &c. Si primum: conditio est necessarij euentus: ac proinde pactum illusorie conditionatum est, reque vera solummodo absolutum: vt de omni pacto, licet sonorenus conditionato, cui tamen conditio necessaria apponitur, statutum definitumque merito est *l. si pupillus* 9. §. *qui sub conditione*, ff. de nouationib. *l. Impossibilis* 7. ff. de verb. obligat. Si autem dicas secundum: cum ex suppositione negationis præfinitionis, & similium prærequisitorum determinantium antecedenter iuxta aduersariorum doctrinam, ad obseruationem præceptorum, vel quempiam alium nostrum actum sit, hic impossibilis fiet plane & pactum esse prorsus nullum illusoriumque, vbi de omnibus pactis conditionatis de conditione impossibili à paciscente cogitata (vt in præsenti à Deo cognoscitur) decernitur citata *l. Impossibilis* 7. illis verbis: *cum nihil agi existimet apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. l. Non solum* 30. ff. de act. & oblig. §. *Impossibilis*, Inst. de inutil. stipul. Nec dici potest, pactum esse, si præfinierо, aut prædeterminauero obseruationem, dabo vobis vitam æternam. Sic enim Deus nihil nobis cum paciscitur; sed pure enuntiat, quid ipse independenter à nostris liberis voluntatibus facturus sit; cum tamen eis locis Deus nobis cum sub conditione liberæ nostræ obseruationis expressè paciscatur. Si autem dicas, conditionem esse conflatam ex præfinitione, & obseruatione vrget vtraque difficultas: est quippe pactum quatenus ex parte nostra est necessariæ conditionis, scilicet *si præfiniero obseruationem, & obseruaueris*, quod postremum solum ex parte nostra est, atque ex præfinitione necessarium. Quare sola præfinitio, quæ altera pars hypothesis, libera est, atque adeo pacto conditionali apta, Dei paciscentis est: subindeque ad pactum Dei conditionatum nobis cum inepta. Nec tandem præstat in eo pacto ex parte conditionis, *si seruaueris*, abstrahi à præfinitione, vel eius negatione. Cum enim de obseruatione, vel transgressione exercite in rebus apponenda sit sermo, neque altera absque præfinitione, altera verò absque eius, vt minimum negatione, poni exercite iuxta aduersarios queat: etsi voces pacti illam non sonent, tamen illam, sicut & concursum generalem Dei supponunt: quia absque illis poni exercite nequeunt, imo neque à voluntate præcisè sumpta sunt, quoad positionem, ponibiles.

5. Simile argumentum continent illa Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, gladius vos deuorabit.* In eis quippe simile Dei cum Israelitis pactum habetur. Inde Chrysostom. sermon. in ea verba nostram ad vtrumvis indifferentem absolutam, neque ad alterum determinatam à Deo potestatem sic colligit: *Si velle, aut nolle nostrum non esset: Hoc est, si viuendi recte an secus libertas adempta nobis fuisset: nec bonus vnquam cæleste munus digne perciperet, nec malus supplicium competens inueniret; sed totum Deo deputaretur authori: qui alios impingeret in contemptum; formaret alios in obsequium.* Et ibi optionem alterutrum eligendi nobis factam ait: *vt iudicio hominis Dei iudicium celebretur.* Eodem item loco in 1. Corinth. 4. homil. 14. ante morale, & sermon. 2. de fato, seu prouid. circa med. optionem & potestatem

ad vtrumvis ait, vel Regnum, vel gehennam, nobis datam. Idem etiam ex eodem loco colligunt Cyrill. Alex. 2. in Ioann. cap. 54. Ad id: *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et Clemens Alexand. 1. Strom. med. *in nobis esse si tum arguens*, eo loco Deus, *& eligere, & declinare.* Epiphan. hæresi 16. post med. inde probari, *quod homo possit peccare, & non peccare: quare, & esse dignum laude, vel supplicio: imo, & manifestum fieri, & clarum, ac minimè ambiguum, quod liberum arbitrium exhibuit nobis Deus per seipsum locutus. Si volueritis, &c. quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere.* Idem etiam argumentum continetur illis Hier. 26. *Si non audieritis me.* Ezech. 33. *Si me dicente ad impium,* Et toto cap. 18. præcipuè à versu, *Si fuerit iustus*, vt eis loc. obseruat. Hieronym. postea recitandus. Item 1. Paralip. cap. 18. *Si quæsieris eum, inuenietur tibi; & si dimiseris eum repellet te in perpetuum:* Idem argumentum includitur: *Eoque declarari liberum voluntatis arbitrium,* docet Augustin. de grat. & lib. arbitr. c. 5. med. & quamvis illis verbis Isaiæ 21. *Et dixit custos: venit manè & nox: si quæritis quærite: conuertimini, & venite.* Simile & pactum conditionale, & argumentum non insit (vt sonotenus videbatur) quia idem pro sui ipsius conditione ponitur: attamen efficacius argumentum inde pro libertate, & potestate ad vtrumvis arbitrij nostri desumitur. Cum enim suppositio Dei hortatu, & vocatione (vt ponitur) eadem voluntatis nostræ quæsitio, & ad Deum vocantem accessus pro conditione sui ipsius apponitur aperte significatur, nihil aliud, vt Deum vocantem quæramus, atque accedamus ad ipsum, præter nostræ voluntatis actum, quo quærit, & accedit, ac determinationem requiri: ac proinde nullam ab alterius voluntate determinationem antecedentem prærequiri. Æquo insuper robore pro eadem arbitrij indifferenti, nec antecedenter ad alterum necessitata, potestate militat græca eorundem verborum Ecclesiastici versio, quam sequitur Augustin. de grat. & lib. arb. cap. 15. fine. *Si volueris seruabis mandata, seu conseruabis.* Quibus ostenditur ad contingentem mandatorum obseruationem voluntati à Deo sufficienter instructæ nullo alio, quam propria determinatione, seu volitione, & velle suo opus esse, vt ibi Augustin. ita docet. *Vt homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat: & oret, vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata: sic quippe adiuuatur, vt faciat, quod iubetur. Tunc enim vtile est velle, cum possumus: & tunc vtile est posse, cum volumus. Nam quid prodest, si, quod non possumus volumus: aut si, quod possumus, nolumus?* Quibus postremis verbis potestatem ad volendum, tunc etiam, cum nolumus, voluntati nostræ adesse fatetur.

6. Clariora adhuc pro eadem veritate sunt sequentia Eccles. verba: *Appositit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam.* Quibus electio (quæ, nisi eorum, quæ nostræ sunt omnino absolutæ, & expeditæ potestatis non est) expressè voluntati nostræ defertur: vt ad ea verba obseruant Chrysost. serm. 2. defato, seu prouid. post med. Gaudentius Brisien. serm. 13. de natali Domini circa med. & reliqui. Id quod ad alia scripturæ loca, quibus nobis electio datur sæpè ipsi Patres obseruant. Exod. 30. prope fin. *Testes inuoco cælum, & terram, quod proposuerim vobis, vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem elige ergo vitam, vt tu viuas, & semen tuum.* Ex quo Cyprian. 3. ad Quirinum cap. 52. probat, *credendi, & non credendi libertatem in arbitrio positam esse.* Sicuti & Origen. in cap. 16. Ieuit. hom. 9. fine, item Iosue 24. *Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui seruire debeatis:* electoque ab eis Deo, vt eos in Dei obsequium obstringeret. *Testes vos estis, quia ipsi eligeritis vobis Dominum.* Vtique propria voluntate: *ipsi vobis*; non alterius ita ineuitabiliter statuentis, ex qua electio propria esse nequit. Quoad argumentum satis præferunt Hilar. in Psal. 118. ad ea, *fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata elegi.* Anselm. sæpè cap. 1. & 2. concordiæ prædest. cum lib. arbit. & Nazian. orat. 38. de Christi natiuit. circa med. dicens: *Hominem arbitrij libertate donatum (vt bonum, non minus illius esset, qui elegisset, quam eius, qui semina prabuisset) in paradiso collocat.* Id quod desumptum ex Ecclesiastici proximis verbis Nicetas ibi notauit, eandem ad vtrumvis potestatem ad eligendum necessariam recognoscunt in verbis 1. Corinth. 4. fine, *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis,* Chrysost. hom. 14. fine commentarij ante morale scribens: *quid vultis? vestra* inquit, *est optio. Etenim nos, & huius, & illius habemus potestatem; vt scilicet, & in gehennam incidamus, & regnum assequamur,* &c. & loco Ecclesiæ præsenti confirmat œcumen. *Nam in vestra,* inquit, *Apostolus, situm est potestate, vt hæc faciatis, aut, vt segnes effecti me ad iram, & vltionem prouocetis,* &c. *aut, vt studiosè agentes, & vigilantes ad charitatem, ac lenitatem me excitetis.* Potrò electionem esse non posse, nisi ab eo, qui habet ad vtrumvis indifferentem, neque ab alio ad alterum determinatam potestatem lumine naturæ notum est. Nemesius Emissen. lib. de natura hominis à cap. 33. ad 41. sæpe docet, *electionem esse eorum, quæ sunt in nobis.* & c. 37. *Optio rerum agendarum posita est in nostra potestate:* eamque potestatem nostram ad vtrumvis esse docet cap. 40. & 41. *Omnis vis eligendi oppositorum est.* Clemens Alex. 2. de fide cap. 26. cum docuisset ea, quæ in nostra potestate sunt, ita esse contingentia, vt illa facere, ac non facere possimus concludit. *Est autem opera pretium cognoscere electionem agendorum semper in nostra potestate esse.* Arist. 3. ethic. cap. 2. docet, *electionem circa ea solum esse, quæ sunt in nostra potestate, vt fiant, vel secus.* & cap. 5. quia ex nostra electione procedunt, probat vitia, & virtutes in nostra esse potestate. Inde etiam 5. Ethicor. cap. 8. & lib. 6. cap. 2. sola contingentia sub electionem venire docet S. Thom. 1. 2. quæst. 13. artic. 5. asserit electionem non esse rerum impossibilium, & art. 6. Neque eorum quæ ex necessitate fiunt. *Homo non ex necessitate eligit: quia quod possibile est non esse, non necesse est esse: est autem possibile non eligere, vel eligere.* Idque probat, quia potest homo velle, vel non velle; agere, & non agere. Eandem indifferentem potestatem electioni necessariam probat tota quæst. 6. de malo quæst. 24. de verit. art. 1. ad 1. & part. quæst. 82. art. 1. ad 3. ait, *sumus domini nostrorum actuum, in quantum possumus hoc, vel illud eligere.* Consentiunt, Duran. in 2. d. 25. quæst. 1. post med. Ricard. art. 1. quæst. 1. Ægyd. qu. vnic. art. 3. later. 1. & 2. & art. 4. §. *Propter argumenta*, & d. 24. par. 1. quæst. 1. artic. 2. Ferrara 1. cont. gent. cap. 88. à med. Capreol. in 1. d. 1. quæst. 2. artic. 1. concl. 3. & 4. art. 2. & 3. in argument. & solutionib. & in 2. d. 24. qu. vnic. art 3. sub init.

7. Eandem ad rem præsentem energiam habent verba immediata. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei dabitur illi*, vbi & boni, & mali electio, & subinde præmij, & pœnæ electio hominis arbitrio, & quasi iudiciariæ, eius (re integra, neque à supremi iudicis sententia præoccupata) absolutæ potestati committitur: quia ad bene, maléque operandum plena ibi, & absoluta committitur illi potestas. Ideo ex hac sententia ita concludit Tertullian. exhortat. ad castit. *Iam nobis est voluntas eligendi alterum, & ideò non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse, & velle, qui malum non vult.* & ex Clem. sententia 2. contra Marcionem à c. 5. liberam nobis: eligendi potestatem sui dominam, atque omni necessitate solutam probat; sicuti & lib. de Monogam. *Posse te*, ait, *si velis, ostendit: quia suo arbitrio vtrumque proposuit. Non potes, quia non vis*, Ambros. in Psalm 40. med. ad id. *Homo pacis meæ, in quo speraui*, inquit, *Bene*, ait, *speraui: quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur. Posui inquit ante te,* &c. *si malum elegeris, non natura deliquit, sed electionis effectus.* Iustin. Mart. apolog. pro christian. sub med. ait. *Relictum esse in hominum potestate, vt pro arbitratu suo possint homines turpia fugere, & honesta sectari: didicimus autem hoc à sancto prophetico spiritu*, &c. *Ecce ante faciem tuam bonum, & malum.* Et sanè rei ante nos, & conspectum, seu in conspectu nostro, seu coram nobis positione plenam nostram de re pro libito faciendi potestatem scriptura significat. Deuter. cap. 11. *Ecce propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictio-*

Iedictionem. Benedictionem; si obedieritis, &c. *Maledictionem, si non obedieritis*, quæ cum his Ecclesiastici ad institutum præsens adducit Anastas. Nizen. qu. 59. in scripturam sub init. Deuter. 30. *considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem, & malum.* Ad quæ Philo Alex. fragmento libri allegor. apud Turrian. lib. 4. pro epistolis Pontific. post med. *Beata res est, quod, cum utrumque Author proposuerit: quod melius est anima potest suscipere. Beatius autem est, quod non ipsa ex se* (gratiæ auxilio nempe destituta) *eligat; sed author eam adducat, & meliorem faciat:* quia tunc gratia non solum excitat, & tribuit posse, sed operatur in nobis, & cooperatur nobiscum; estque proinde efficax, ac secum, actum bonum, & à mali infelicitate libertatem morali æstimatione devoluens: ac proinde Deo, tanquam illum in eo auxilio, quo nostræ præuenit libertatis vsum, moraliter danti, & principaliori authori tribuitur. Quod si absque libera nostra determinatione ex gratiæ præfinitione, & prædeterminatione necessariò actum bonum nobis author daret, quomodo nos meliores faceret actu, qui nobis honestus, & laudabilis non erat? Hierem. 21. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaueris in vrbe hac morietur*, &c. *qui autem transfugerit ad Chaldæos viuet.* Vtque potestatem absolutam in vniuersam Ægyptum Iosepho Genes. 41. à se factam Pharao Patri Iosephi, & fratribus, iam Ægypti incolis, iterum declararet cap. 47. ita illum affatur. *Terra Ægypti in conspectu tuo est.* Ad quæ Lyra. Ac si diceret, *vbicunque placuerit tibi fac eos habitare.* Sic etiam, vt refertur Hierem. 40. ad Iosephum eundem iam carcere, & catenis solutum militiæ princeps aiebat. *Si placet tibi, vt venias mecum in Babylonem veni*, &c. *Si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside. Ecce omnis terra in conspectu tuo est, quo elegeris, & quo placuerit tibi, vt vadas, illuc perge:* eidem absolutæ potestati eligendi pro libito similes aliæ scripturæ locutiones inseruiunt scilicet: *quod bonum videtur, vel est, in oculis, in conspectu tuo hoc facito*, vti frequenter apud libros præsertim Regum habetur lib. 1. cap. 3. n. 18. lib. 2. cap. 10. num. 12. cap. 15. num. 16. ac pluries, & Zachariæ 11. *Si bonum est in oculis vestris, auferte mercedem meam; si non quiescite.* Ad quæ Hieron. *si vobis placet: hominis enim est: semel libero arbitrio vos creauit.*

8. Enostra insuper deliberatione, quæ omnem nostram perfectam, plenamque electionem præcedit, similie pro nostra absoluta, & plena eligendi, vel non eligendi potestate ducitur argumentum. Deliberatio siquidem non est, nisi eorum, quæ sunt in deliberantis potestate. Asseritur verò hominum deliberandi plena, & absoluta potestas, cum recitatis verbis de consultatione, & electione, tum 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris, vt faciam tibi.* & Statim. *Nunc ergo vide, & delibera, quem responsum dem ei, qui me misit, sermonem.* Euseb. Cæsar. 6. præpar. euang. cap. 7. fine ait, *solum de his, quæ agere possumus*, (potestate etiam indifferenti ad non agendum, cap. 6. & 7. præmissa) *deliberationem procedere.* Estque Philosophorum, & Theologorum, lumine naturæ nota etiam doctrina Arist. inde illam probat 1. Rethoric. cap. 4. quia consultatio, sine qua deliberatio esse nequit, *eorum, quæ fieri, & non fieri in nostra potestate sunt, omnino est*, & subdit. *Ad hoc vsque deliberamus, quousque possimus ne, aut non possimus agere inuenerimus.* & 5. Ethicor. cap. 8. *ea cum electione agimus, quæ antecessit deliberatio: ea sine electione, quæ non antecessit deliberatio.* Nihil autem electione nostra fieri, quod in nostra potestate non sit facere, vel non facere docuit locis pluribus supra citatis sicuti S. Thom. de materia omni consultationis, & electionis nostræ eius doctrinæ insistens docebat, vt vidimus, & cum eo, & Magistro Theologi reliqui. De materia verò deliberationis sic fatur 1. 2. quæstione 1. articulo primò, corp. *Homo est Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem. Illa ergo actiones propriè humana dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* & quæst 6. art. 2. ad 2. probat dominium hominis in suos actus, *quia ex eius deliberatione procedunt.* Qua doctrina consonat Magistro in 2. d. 25. quem etiam sectantur S. Bonauen. ibi p. 2. art. vn. quæst. 2. corp Ricar. art. 3. quæst. 2. & scholastici reliqui: asserentes, deliberationem de re deliberanti necessaria, aut impossibili esse non posse; sed solum de ita ipsi contingentibus, vt fieri ab illo, vel non fieri omnino queant: quare, cum præfinitio Thomistarum recentium, omnem vsum libertatis nostræ antecedens, atque ab illo independens sit, actumque præfinitum necessarium, & ex antecedenti necessitate à voluntate apponendum faciat, & non præfinitum impossibilem, etiam antecedenter, ex defectu principij essentialiter ad omnem nostrum actum requisiti, omnibus & singulis testimoniis ecclesiastici hactenus à nobis perpensis præfatas præfinitiones excludi perspicuum est. Id quod cum Lutherus, Caluinus, & assectæ viderent, tam locum Geneseos, quam hunc ecclesiastici (qui gestorum in hominis creatione, historia est) de primo homine in statu innocentiæ originalis intentum evincere, atque adeo in eo præfinitionibus suis antecedentibus, omninoque ab vsu liberi arbitrij independentibus locum cum integra & illæsa arbitrij libertate minime fuisse fatentur; at vero nec de Adamo, nec de nobis in statu naturæ lapsæ (in quo per peccatum, & sibi, & nobis liberum ille arbitrium perdidit) nullatenus eis locis esse sermonem. Quod autem voluntatis nostræ libertas, seu liberum nostrum arbitrium fuerit peccato deperditum: nonnullis Patrum distortis à proprio sensu testimoniis probare contendunt.

9. Et vero, licet hæc hæreticorum damnata, & infelix solutio, se ipsa labascat, & corruat; ne tamen sua facilitate incautos aliquos catholicos se ducat ex Patribus, consiliis, & rationibus disiicienda hic summatim erit: atque ab impostura Patres vindicandi: quia id prolixius præstiterè Bellarm. 5. de grat. & lib. arbitr. à c. 24. Soar prologom. 4. de grat. à cap. 7. Ruiz de Montoia d. 39. sect. 9. confutatur 15 error primo, quia ecclesiasticus, etsi occasione historiæ primo conditi hominis in statu innocentiæ, ad præsentes, & futuros homines, (scilicet in statu naturæ lapsæ existentes, & extituros) sermonem habebat: atque ad bonum liberi arbitrij sui vsum hortabatur: esset autem omnino ineptus sermo, & adhortatio iis, qui liberum arbitrium non haberent: quia aliquando illud eorum vetustissimus progenitor habuit: non secus ac si pauperrimum Codrum horteris, vt Atabi, qui decoxit demum, diuitiis vteretur. Secundo, quia subdit ecclesiasticus omnes peccatores redarguens. *Ne dicas per Deum abest*, quominus præcepta seruem. *Non dicas ille me implanauit*, impulit, vt caderem, ac deiecit. Ex libero autem arbitrio aliquandiu in Adamo, non proprio peccatoris male probaret, non Deum præfinientem, sed peccatorem ipsum sui peccati causam libertate sua esse. Tertiò; quia Patres omnes de nostri omnium libero arbitrio locum ecclesiastici intelligunt: atque ex eo potestatem nostram ad operandum, vel non operandum deducunt: sicuti, & ex loco Genes. 1. Quarto, quia rationes causæ primæ, & subordinationis causæ secundæ ad illam, atque indigentiæ causæ de se indifferentis determinatiuo aliquo, vt operetur æque, vel probant, vel non probant necessarias præfinitiones diuinas humanarum actionum in natura innocentis, atque lapsæ statu. Quinto quia Patres, vt dogma indubitatum docent: liberum arbitrium peccato, nec periisse vnquam, neque vsquam perire. Augustin. lib. 1. ad Bonifac. cap. 2. *Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Eadem repetit ad verbum 1. contra duas epist. Pelagianor. addens. *Nam liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent homines: maximè* &c. Greg. Nyssen. de Opific. hom. cap. 16. fine. *Nihil inter hominem creatum in prima rerum fabricatione, & eum qui in extremo nascetur interest: æquali enim ratione imaginem Dei* (quam in arbitrij libertate sitam dixerat) *vterque gestat.* Prosper. 1. de vocat. gent. cap. 8. alias 3. *Nec, quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod nec tunc perdidit, quando diabolo voluntate se dedit: à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.* Similia in eandem sententiam habet cap. 38. contra Collator. fine, & epist. de lib. arbitr. pag. penult. Anselm. dialog. de lib. arbit. cap. 3. init. *Licet peccato se subdidissent, libertatem tamen arbitrij in se naturalem in se interimere nequiuerunt.* Repetit senten-

tiam in elucidario (si eius author ipse est,) prope med. quam etiam tradiderat Chrysost. hom. 24. de variis. Matthæi locis, Dominica 1. aduentus col. 2. quibus alij Patres concordant. Hugo, & Ricardus Victorinus iam citandi Cœlestinus Papa epist. ad episcopos Galliæ, definitaque hæc veritas est in Concilio Arausicano 2. can. 8. Valentino sub Lothario imperatore cap. 6. Trident. sess. 6. can. 5. damnante dicentes. *Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse.*

10. Videamus tandem, quam inanes pro suo errore allegationes ex Patribus, Hæretici producant. Primò allegant Authorem Hypognosti. lib. 3. sub initium apud Augustinum; deinde Augustinum eundem cap. 30. enchirid. Tertio S. Thom. 1. 2. quæst. 109. artic. 9. fine. Cæterum libertatis voce æquiuocè abutuntur. Est quippe celebris apud Augustinum eis, aliisque locis, Bernard. de lib. arb. à col. 3. aliosque Patres, & apud Magistrum, & scholasticos in 2. d. 25. triplicis nostræ libertatis mentio, atque diuisio pro seruitute triplici, à qua liberi esse possimus, scilicet libertas à seruitute pœnæ, & miseriæ, quæ *libertas gloriæ* dicitur, in qua solum miseriæ, & pœnæ subiecti non erimus, & obnoxij, vt dicitur ad Rom. 8. *Tunc, & ipsa creatura liberabitur à corruptione in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Eam proinde libertatem nobis in patria seruari Bernardus ait. Alia libertas est à seruitute peccati: quæ *libertas gratiæ*, ideo nominatur, quia per Dei gratiam, qua peccatum propellitur, nobis donatur, vt habetur ad Roman. 6. *liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Hac nos Christus redimens, suisque meritis gratiam infundens donauit, ac proinde & *libertas redemptionis*, appellatur. Tertia demum libertas est physica, physicæ scilicet potestatis ad operandum opposita, siue ad operandum, & non operandum: & hæc sola, & tota est arbitrij libertas, quam præfinitionibus diuinis, quas admittunt, absolutè euerti hæreticè fatentur; eisdem verò admissis absolutè euerti negant Thomistæ Recentiores, quos ex libertate arbitrij impugnamus. Allegati igitur Patres solum docent libertatem secundam, à peccati scilicet seruitute, esse deperditam, vt allegatis locis ex Authore Hypognostici, & S. Thom. compertum est: Imò, & ex testimonio ipso Augustini, quod sonotenus difficilius reliquis est, sic enim habet c. illo 30. Enchiridij, *libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum: sicut enim, qui se occidit, vtique viuendo se occidit; sed se occidendo non viuit: nec se ipsum potest resuscitare cum occiderit: ita, cum libero peccaretur arbitrio victore peccato*, &c. sed certè cum eodem modo seipsum; atque liberum arbitrium perditum ab homine peccante dixerit: seque ipsum non destruxisse peccato ipso certum sit: nec suum liberum arbitrium ab illo destructum, & abolitum docet Augustinus; sed multo vtrumque deterioris sortis effectum per seruiturem peccati, vt vulgo latine, & hispane etiam, dicimus ob deterius alicuius accidens. *Perdiose, queda perdido*: & quamvis peccati seruitutem libertate arbitrij incurrerit: abiicere tamen, atque in gratiæ, & filiorum Dei libertatem à peccato in statu innocentiæ habitam sese reuocare, arbitrij libertate, & potestate nuda nequit: sicut qui viuens se occidit, occisus nequit se resuscitare; sed gratia redemptionis opus est, cum vt potestas resurgendi constituatur, tum, vt iustificetur, & formaliter à peccati seruitute sit liber. Sic enim ait Augustinus à capitis eius nomine. *Vade ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato* (omnem Dei gratiam, & beneficiũ demerente) *liberatus esse iustitiæ cœperit seruus.* & clarius ante recitata verba & cap. 2. contra duas epist. Pelagian. *Libertas quidem periit per peccatum: sed illa) quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Propter quod natura humana indiget gratia: dicente Domino: si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Vtique liberi ad bene, iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque adeo*, &c. sic Catholicam doctrinam tenẽs interpretatur Augustinum Hugo Victor. 1. 3. tract. 3 sum. sentẽn. c 9 & Ricardus victor. in p. 1. tract. 1. c. 13. 14. 21, 22. ac de erudit. interioris hom. p. 1. lib. 1. cap. 30. docet peccato non liberum arbitrium, sed eius robur, & sanitatem periisse.

CERTAMEN IV.

Pro exclusione præfinitionum earundem, alia scripturæ testimonia pugnant robuste.

1. PRimum esto ex Ioann. cap. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, ea autem potestas, licet à Deo, cum tamen hominum eius beneficio, indifferens ad ipsum, & eius oppositum, nec ad vnum determinata, & ligata esse debet: dicente Aristotele 3. ethicor. cap. 5. init. *Quibus enim in rebus in nostra potestate situm est agere, in iis, & non agere. Et in quibus non agere in iis est, & agere:* vbi S. Thom. lect. 11. init. *Si operari est in nostra potestate: oportet etiam, quod non operari sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos non operari: ergo necesse esset nos operari: & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter dicit, quod, in quibus rebus non operari est in potestate nostra, per consequens etiam operari sit in potestate nostra. Si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari: & sic non operari, non esset ex nobis, sed ex necessitate. Sic ergo dicendum est: quod in quibuscumque rebus affirmatio est in nobis, & negatio: & è conuerso.* Idem docet Augustinus de spiritu, & lit. c. 31. med. vbi, vt probet fidem in nostra esse potestate ait. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult non facit.* Concludit inde. *Vide nunc vtrum quisque credat, si voluerit, aut non credat si voluerit? Nempe credere, quod* (postremum) *si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur? consensio autem vtique volentis est) profectò fides in potestate est.* Et sanè ea potestatis nostræ voce indifferentem arbitrij nostri ad vtrumvis, ad neutrumque determinatam potestatem in scriptura significari constat ex cap. 9. ad Roman. *Non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Et Marci 13. de proficiscente è domo homine dicitur. *Dedit seruis suis potestatem cuiuscumque operis*, etiam alterius alteri contradictentis, quod clarius fiet cum certam. 5. parabolam enucleemus Iob. 34. *Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium*: quia vtique non venire in eius potestate non est, vt acute, & profundè Hieronymus dicens, *id est, si habuerit potestatem vt veniat, potest habere, vt non veniat.* In quam sententiam eum locum interpretantur etiam Niceras, & Olympiodorus apud Comitolum in Catena Græcorum Patrum in libros Iob his verbis. *Neque enim rei gerendæ optionem daturus est amplius*: quia nimirum necessariò, velint nolint in iudicium venient ad Deum. Cui interpretationi consentiens Gregor. Mag. lib. 25. Moral. capit. 6. nos, vt nunc, cum in nostra potestate est ad Deum per confessionem in iudicium venire, quia venire, ac non venire possumus, veniamus per nostram de peccatis nostris accusationem, hortatur vt referemus quæstion. 3. certam. 2. num. 6.

2. Sed de ipsa speciali potestate indifferenti, nec ad alterum determinata, vt credentes filij Dei pro libito fiant, vel non fiant, hoc loco asserta Patres loquentes audiamus Basil. in Isa. 14. med. ad id *semen reprobum parat filios*, ait. *Ex quo ipsius proposito, & libera voluntate vnusquisque esse potest semen sanctum, aut certè in diuersum abire. Audi Paulum*, &c. & illud *quicumque receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Macar. Senior. hom. 27. med. *versatilis enim est natura nec, si quis velit euadit filius Dei; sin contra filius perditionis.* Olympiodor. in Eccles. cap. 3. sub init. *corporaliter quidem nasci, ac mori in nostra potestate non est, sed arbitrio Dei; & generamur, & morimur; spiritualis verò natiuitas, & interitus pendet à nobis. Opus enim est cum diuina operatione, & gratia, nostra quoque electione, vt moriamur quidem peccato, nascamur autem iustitiæ.* Pende illa,

non est in nostra potestate, sed arbitrio Dei. Statuentis inexcitabiliter à nobis, quibus, Dei ita statuentis independenter à nostra electione, & libertatis vsu decretum potestate arbitrij nostri contradicere, docet ac subinde libertati. Cyril. Hierosol. Catechesi 7. in med. & fin. *Non enim ex necessitate, sed voluntate in sanctam adoptionem deuenimus,* sub inferius. *Quod voluntaria* (perfecte, seu libera) *etiam Ioann. dicit, quicumque receperunt eum dedit eis potestatem,* &c. *Non enim ante fidem, sed ex fide, sponte filij Dei fieri, facti sunt.* Ambros. 4. de fide cap. 4. sub init. *quotidie Christum habere filios,* ait: *sed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, natura. Adoptio enim potestatis est: generatio proprietatis. Quod ipsa scriptura nos docuit: dicit enim Ioann. &c. didicimus itaque potestatis* (nostri, quibus eam dedit) *esse quod filios Dei nos fecit.* S. Thom. in locum Ioann hunc lect. 6. *In datione gratiæ requiritur in homine adulto ad iustificationem suam consensus per motum liberi arbitrij. Vnde, quia in potestate hominis est, vt consentiat, & non consentiat, dedit eis potestatem:* per externam propositionem, & internam motionem inquit. Hilar. 1. de Trinit. post init. ait, *nostra esse potestatis; quia proposito vniuersis, Dei munere, non natura pignentium asseratur, voluntas præmium consequatur.* Gregor. Nyssen. in vita Thaumaturgi sub init. *Vna generis amplitudo est propinquitas cum Deo: quæ non casu fortuito, ac temere cuique contingit, nec aliter: quam libera electione adquiri potest; quotquot enim receperunt,* &c. Augustinus 1. retract. c. 22. fine. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem. Sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur: de quo dictum est: dedit eis potestatem,* &c. *Cum enim hoc sit in potestate, quod, cum volumus, facimus: nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino eo modo ergo dat potestatem.* & 1. contra duas epist. Pelagian. capit. 2. fine, *quid est, quod iste libero arbitrio vult bene viuendo tribuere potestatem? cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum: dicente Euangelio: quotquot autem,* &c. capit. 3. med. *Datur ergo potestas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, vt credant in eum, quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest.* Chrysost. homil. 9. in Ioann. med. Theophilact. & Euthym. ad 1. Ioann. *rogant cur non fecisse, sed dedisse potestatem filios Dei fieri dicatur Deus?* Respondet Chrysost. *Gratiam* (adoptionis, de qua sermo) *non temere, nec sine labore nostro in nos infundi significatur; sed cum ipsi volumus, tum eam inquirimus in nostra enim potestate est filios Dei fieri.* Euthymius illud *fieri* pro conseruari in Dei adoptione habita, cum Chrysost. ante data verba, accipiens ait. *Ne per ignauiam perdant gratiam, sed dedit eis potestatem, quo diligentiores reddantur,* inferiuscule: *ipsius Dei est dare potestatem: ipsorum vero vti ea.* Cui quoad conseruandi potestatem datam consonat Theophylactus, & addit. *Fortassis autem quis etiam hoc dixerit: quod multi recipiunt eum per fidem, per hoc, quod solum credunt, quales sunt, qui discuntur Catechumeni: nondum autem facti sunt, Filij Dei. Potestatem autem tunc* cum filij Dei non fiunt, nec aliqui eorum vnquam fient) *habent cum voluerint baptizari.*

3. Hoc loco adeò irresistibiles, & independentes à libera nostra voluntate præfinitiones suas conuelli vidit Caluinus, vt *dedit eis potestatem*, per Papistarum corruptelam, & legi, & intelligi si legendumque posse. *Dedit ei sibiius Dei fieri*: clamet, apud Staplet. in antidoto Euang. Ioann. 1. num. 12. *Hunc enim locum* (sunt Caluini verba) *pessime corrumpunt: quia intelligunt optionem tantum* (formaliter, non in radice: sic enim, & filiationem dari Catholici fatemur) *nobis dari: siquidem hoc beneficio vti libuerit: quia Euangelium non dicat facere filios Dei, sed dare potestatem vt fiant.* Hinc ergo colligunt, *nobis gratiam hanc solum offerri: in arbitrio nostro esse eius fruendæ, vel non fruendæ facultatem.* Sed inde vel maxime vulgata lectio, & intellectio securius, firmiusque tenenda Catholicis erit quod omnium pessimo, & perditissimo Hæresiarchæ displiceat: cauendumque, ne ita cum eius præfinitionibus nostrarum actionum conueniatur, vt eius loci lectionem, & intelligentiam adeò vulgarem, & apud Patres vulgatam, vel animo, auersari opus sit. Ioannis item 6. alia Christi Domini verba satis ad rem præsentem accommoda extant: *Nunquid, & vos vultis abire?* quæ dicta Ciprian. recitandus quæst. 3. cert. 2. num. 3. *vt nostræ voluntatis esse ostenderet.* Epist. 3. ad Cornel. sub init. ait: iuxta Chrysost. Euthym. Theophylact. Æcumen. S. Thom. ibi lect. 8. & alios adeo indifferentem, & absolutam, atque expeditam remanendi, & abeundi facit discipulis potestatem, vt non solum absoluta, & simpliciter tali necessitate remanendi, sed & necessitate secundum quid ex verecundia, aut pudore solutam esse velit, vt ex ipsis quæst 3. recitabimus. Sunt autem ad intentum vrgentiora, quæ eo capite sexto, Christus dominus adnectit. *Nonne ego vos duodecim elegi; & vnus ex vobis diabolus est?* Ad quæ Cyril. Alexan. 4. in Ioann. capite 30. *Sed rapuit vnum auaritia deceptum Diabolus: liberum enim homo animal est, & potest, siue dextrum, siue sinistrum velit iter (virtutem dico, aut vitium) eligere.* Chrysost. homil. 46. in Ioann. longe à med. ait: ex Iudæ, & similium vocatorum perditione ostendi, vocatione nulla consentiendi necessitatem vocatis imponi. *Quam ob rem constat in nostro esse arbitrio, an saluemur, an perdamur.* Theophylactus ad ea verba monstrari docet Dei electionem, vim aut necessitatem nobis non inducere. *Sed electio quidem fit à Deo, qui adhortatur nos ad bonum, & suam nobis impertit bonitatem, in mente autem nostra, & voluntate situm est saluari, & digne ad electionem ambulare, vel è diuerso.* Euthym. ibidem *in nullo mea adiutus electione (quæ ad malum non est) vt pote liberum habens arbitrium ad virtutem, & vitium diabolus est: signat itaque in voluntate, ac electione hominis positum esse, vt saluetur, aut pereat.* Etiam Dei electione supposita S. Thom. in eum locum lect. 8. circa fin. *quia per hanc electionem non aufert arbitrij libertatem, neque aufert possibilitatem peccandi: sic dominus elegit Iudam non tanquam malum tunc: neque tamen per electionem ablata est ei possibilitas peccandi.* Porro, cum Dei electione, quæ Iudæ adfuit, potentia absoluta, & expedita & possibilitas, vt S. Thom. loquitur, non peccandi, & salutis consequendæ proculdubio adfuerit; & tamen ita electus peccauerit, atque absolute ab Apostolatu defecerit, voluntatis, & libertatis suæ argumento ab actu ad potentiam affirmatiuo (quod efficacissimum est) aperte demonstratur. Ex quo etiam è Dei voluntaria, independenti abusu libertatis Iudæ, eumque antecedenti electione nullam eiusdem libertatis vsum necessitatem permanendi, ac non peccãdi necessitatem, peccandive ac discedendi impossibilitatem eius voluntati inductam, siue intrinsecus, siue extrinsecus esse, cum tamen fuerit ipsi plena ad vtrumvis, atque absoluta potestas, quæ proinde decreto prædeterminatiuo vt non peccãdi nõ adfuit, ad absolutam & expeditã potestatem non requiritur.

4. Quod ipsum argumentum ex pluribus aliis scripturæ locis instruitur: quibus potestas hominum faciendi, quæ de facto non fecerunt, sed eorum potius opposita expressè asseritur Eccl. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona eius in domino.* Vbi obiter nota nullius bona stabilita, fixaque ante indifferentis potestatis, & libertatis suæ vsum adhuc in domino fuisse; sed ambigua, fluxa, & lubrica: quod cum præfinitionis irresistibilis de bonis nostris necessitate minimè consistit: sed ad præsens argumentum sapienter ex hoc loco nos hortatur Bernardus de grat. & lib. arb. prope med. vt libertate nostra, siue vtriusque partis potestate non abutamur. Et serm. 81. in Cant. circa med. *Vt merito laudatur, non is tantum, qui potuit facere mala, & non fecit; sed, & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quam qui potuit facere bona, & non fecit.* Eandem Ecclesiastici sententiam arbitrij sui exemplo, & viuida in senio virtute declarauit veteris legis robustus, & senex Martyr Eleazarus 2. Machabeor. 6. sic in cruciatibus locutus. *Tu scis, quia eum possem à morte liberari, duros corporis sustineo dolores.* Genes. 31. Labam Iacobum generum fugientum assecutus. *Nunc valet manus mea reddere tibi malum,* quod tamen Dei monitu non reddidit. lib 3. Reg. capite 3. Salomoni facta à Deo potestate perendi quid vellet, petenti autem sapientiam sic loquitur Deus. *Quia postulasti verbum hoc, & non postulasti diuitias.* Potuit autem generali illa facultate diuitias petere; quasi petere

tunc

tunc, cum non petiit, nequiret nihil in eis non petendis tanta laude, & præmio egisset. Tertio. Potestas conuersionis & penitentia Tyriorum, sidoniorum, aliorumque plurium, quos sæpe scriptura reprehendit, quod non eos penituerit: quia reprehensione immeriti omnino essent, si tunc, cum eos non pœnituit, pœnitere absolute non posset. Quarto ad hoc argumentum faciunt, quæ de iuris potestate ad ea tunc facienda, cum non fiunt iuris quippe potestas physicam facti, seu agendi potestatem includit, vel supponit, ne inanis, & ridicula sit, vt patet, damnatis ad triremes quibus, etsi naturalis iuris potestas sit, quia tamen eis, dum compediti, catenatique sunt physica facti potestas absoluta, & expedita ad fugam, capessendam non est, quod tunc non fugiant, laudi verti minime potest.

5. Sunt autem de hac iuris potestate lata 1. Corinth. 9. vbi Apostolus de se, ac Barnaba ait posse iuris potestate (secluso scandalo, & idolorum cultu) de idolothitis, seu carnibus idolis sacrificatis comedere, de quo cap. 8. egerat; item vxorem habere, sicut alij Apostoli, & Zephas. insuper fidelium, quibus prædicabant, eleemosynis victitare, quia nihil eorum lege erat tunc prohibitum; & tamen subdit numer. 15. *Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me. Bonum enim mihi magis mori, quam, vt gloriam meam quis euacuet.* Quibus, dum de non vsu in domino gloriatur, ac non in se, potentiam physicam vtendi, cum non vtebatur, quo iure poterat asserit: alioqui de physice sibi impossibilis vsus abstinentia inaniter, vt dixi, in domino adhuc gloriaretur c. verò 6. dixerat *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt*, vbi simili potestate iuris ad ea facienda, quæ, quia conuenientius erat, tunc omisit, potestatem physicam etiam suam ad illa profitetur. Deliberatio enim, & consultatio de alterius conuenientia maiori ad vtrumque, ni stolidi, & inepta sit, supponit potestatem: quare ex hoc loco physicam Apostoli ad ea, quibus abstinuit potestatem absolutam deducunt Theophylact. ibi Iræneus 4. aduersus hæres. cap. 62. Insuper Actor. 5. Petrus ad Ananiam, & Saphiram. *Non ne manens tibi manebat? venundatum in tua erat potestate:* ad quæ Chrysost. homil. 12. col. 2. *Neque vendere coegimus: neque pecunias, postquam vendidisti, dare. Tu verò ex tua voluntate hoc fecisti.* Cum iuris, & facti potestate posses non facere, *cur igitur furatus es de sacris pecuniis?* quod poteras physice non facere, & potestate iuris facere iam non poteras. Huc aduoca totum c. 30. vbi Paterfamilias vxoris, & filiarum audiens, nec contradicens, vota rata habere censetur. Ea vero quæ nescivit eius arbitrio, vt probentur; aut reprobentur omnino permittuntur: ac proinde cum earum votis non contradicit, tam physica, quam iuris potestas in Patrefamilias contradicendi asseritur. Denique Tobiæ 1. Salmanasar Tobiæ dedit potestatem, quocumque vellet ire habens libertatem quæcumque facere voluisset. Nulla vero alia ratione Rex potestatem dedit, nisi non ligando ciuiliter prohibitione, quam Tobias habebit quoquo pro arbitratu suo eundi physicam potestatem.

6. Ex vsu stricte, ac proprie, nec solum pro cuiusvis facultatis operatione, accepto, quem nobis scriptura tribuit eadem indifferens ad vtrumvis, neque ad alterum ligata, & antecedenter determinata arbitrij nostri potestas exprimitur Genes. 6. vt Abraham sanæ faceret ancillæ puniendæ, à timore etiam, expeditam facultatem ait. *Ecce ancilla in manu tua est: vtere ea, vt vis* 1. Corinth. 7. *seruus vocatus es non sit tibi curæ. Sed, etsi possis fieri liber, magis vtere.* Rursus, *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*, cap. 9. *sed non vsi sumus hac potestate.* 1. ad Timoth. 1. *Scimus, quia bona est lex: si quis ea legitimè vtatur.* 2. Corinth. 3. *Habentes igitur talem spem magna fiducia vtimur.* Sap. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus: quo, qui vsi sunt.* Eccles. 13. *vtere, quæ si homo frugi, his, quæ apponantur tibi*: vti autem proprie dictum ex scholasticis omnibus ab August. edoctis 10. de Trinit. cap. 11. *est assumere aliquid in facultatem voluntatis ad finem.* Id quod, nisi à libere, & ex potestate indifferenti, nec ad vnum determinata, fieri nequit. Vnde idem August. quæst. 30. ex octoginta tribus med. ait, *vti aliqua re non posse, nisi animal, quod rationis est particeps: scire namque, quo quid quam referendum sit, non datur rationis expertibus: sed neque ipsa rationalibus stultis.* Et S. Thom. his consonans 1. 2. q. 16. art. 1. corp. init. ait: *vsum rei alicuius importare applicationem rei illius ad aliquam operationem. Vnde, & operatio, ad quam applicamus rem aliquam dicitur vsus eius,* & art. 2. corp. init. reperit: *vti est applicare aliquod principium actionis ad actionem: sicut consentire est applicare motum appetitiuum ad aliquid appetendum.* Siue igitur vsus in actu voluntatis diuerso ab electione, siue in electione ipsa, siue in rei per electionem, quovis gradu, ad finem ordinatæ operatione consistat? necessario ad vsum electio voluntatis, & indifferens huius, ac non determinata potestas requiritur. Secundo. Hæc electio, qua re applicita per ipsam ad operationem vtimur in aliquem finem, determinatio est, quæ essentialiter in determinationem, & indifferentiam potestatis nostræ supponit, ob inde S. Thom. citatus art. 1. ait. *Vnde manifestum est, quod vti proximo, & principaliter est voluntatis, tanquam primo mouentis: rationis, tanquam dirigentis: sed aliarum potentiarum tanquam exequentium.* Ecce primus ad vsum rerum motor, & determinator voluntas nostra, libertasque arbitrij nostri est: ac proinde Deus anterior, & prior vsus rerum præfinitor, & determinator iuxta S. Th. esse nequit: cum nihil primo prior in eodem genere, & linea esse possit. Similiter discurrit in 1. d. 1. quæst. 1. art. 1. corp. & ad 4. asserens potentias alias referre operationes ad finem executiue solum, voluntatem verò intentiue; ita vero, *quod intendens se moueat, aut determinet ad illam intentionem. Aliter enim intendens finem non refert proprie loquendo aliquid in finem intensionaliter; sed ille ipse, qui illud determinauit ad talem intentionem.* Huic doctrinæ consentiunt Albertus Magn. 1. part. quæst. 8. m. 2. docens facultatem vtendi debere esse promptam, & expeditam ad agendum, & non agendum. Duran. in 1. d. 1. quæst. 3. & 4. par. Bonau. ibi art. 1. quæst. 2. corp. & ad 2. & reliqui scholastici aiunt, *vti esse applicare res ad operationem cum dominio, & potestate non applicandi illas præsertim,* Capreol. ibi quæst. 2. art. 1. concl. 1. & 2. art. 2, & 3. conclusionib. & solutionib. argumentor. fusius Deza qu. etiam 2. art. 3. tribus notabilib. primis & art. 4. S. Antonin. 1. par. tit. 4. cap. 11. init. & §. 1. Est denique expressa Patrum doctrina Damasc. dial. aduers. Manich. post med. *in vobis situm est vti his, quæ nobis diuino munere concessa sunt,* Epiphan. hæres. 66. post epist. Marcelli pag. 3. *Deus ob eximiam suam bonitatem omnes, & omnia vtilissima esse voluit: & sua bona omnibus proposuit: iuxta permissionem vero liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit: vt quisque voluerit faciat.* Iustin. Mart. quæst. 46. ad gent. fine: *Mala vsu vicioso mala sunt, non natura; sed bene, aut male vti arbitrij nostri est.* Moses Barcepha comment. de paradiso par. 3. capit. 1. ait: *vsum, atque abusum in libero primorum parentum fuisse arbitrio positum: vt iam non ex ipsa arbore malum, sed ex arboris abusu existimandum sit.*

7. Aliis etiam modis loquendi hanc arbitrij, & voluntatis liberæ indeterminatam de se potestatem ad vtrumvis scriptura significat. Primus est. *Ponere aliquid in corde, eive cor apponere.* Dauid Psalm. 12. exilioribus entitative auxiliis suffultus, Deique consolationibus penè destitutus aiebat, *vsque quo Domine obliuisceris me in finem? quousque auertis faciem tuam à me? quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?* Prouer. 24. *Posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Eccles. 50. *Beatus, qui in istis versatur bonis: qui posuit illa in corde suo sapiens erit.* Ezech. 14. *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis:* frequens est in eo capite phrasis. Actor. 1. *Quare posuisti in corde tuo hanc rem.* Secundus huic æquipollens ad rem hanc modus loquendi scripturæ frequens est. *Cogitare in corde, siue cogitare, vel ponere in corde cogitationes* Eccles. 2. *Cogitaui in corde meo, vt abstraherem à vino carnem meam, vt animam meam transferrem ad sapientiam*: vbi etiam abstractio sui & translatio in aliud potestatem sui ad vtrumvis ostendit. Et Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Ponere autem vnum in alio, siue vnum alteri apponere, cui connexum de se non est, illius plane est qui poni, siue apponi huic, siue in hoc vnum illud determinati

terminat. Quocirca cum in corde suo ponere aliquid, &c, in eis locis dicitur, ipse se determinare potestate sua libera, ac non determinari ab alio declaratur. Et quidem clarius hoc argumentum est in locis scripturæ, quibus homines, vel proponere aliquid, vel in corde proponere dicuntur Sap.7. [Proposui pro luce habere illam.] cap.8. [Proposui ergo hanc adducere mihi ad combibendam.] Daniel.1. [Proposuit in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius.] Ad Roman. 1. [Sæpe proposui venire ad vos.] Prologo Eccles. fine. [Qui secundum legem domini proposuerunt vitam agere.] Act.1. [Horrabatur omnes in proposito cordis manere in domino.] Proponere autem in corde, cordisve propositum circa ea tantum est, quæ sub nostram indifferentem, neque determinatam potestatem cadunt, vt docet Arist.1. magnor. moral.c.8. verbis hisce: [Propositum est eorum, quæ in nostra potestate sunt: & eorum, quæ nobis diuersam in gerunt ratiocinationem: hoc ne, an illud eligendum.] Subinferius. [Est igitur propositum in eis, quæ sub actionem cadunt: & eis ipsis, in quibus nostrum sit agere, & non agere: ita, vel non ita.] Secundo: quia summa Dei prædestinandis hominibus, vel non prædestinandis libertas, atque absoluta potestas, nulla alia, quam *propositi*, voce aptius significari visa Apostolo fuit. Ad Roman.4. [Secundum propositum gratiæ suæ cap.8. [Illis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.] cap.9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret.* Quæ his etiam Apostoli verbis commentatur S. Thom. [Cuius vult misereatur, & quem vult indurat.] 2. ad Timoth.1. [Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.] Ad Ephes. 1. [Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum gratiæ suæ.] Subinferius. [Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo.] Statim fere. [Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur secundum consilium voluntatis suæ:] ergo eis scripturæ locis, quibus de nobis, *propositum*, *proponere*, absolute, seu in corde, seu voluntate asseritur, eius absoluta libertas, indifferensque ad vtrumque, neque ad alterum ligata, & determinata potestas affirmatur: integrum dedit discursum. Iustin. Mart. quæst.9. ad Gent. verbis hisce. [Ad quæ proponitur nostrum agit nos, propter ea aut coronamur, aut plectimur. Nam ad agendum dedit nobis vires; sed eas subiecit potestati propositi.] Et quorsum precor nostrum propositum agendi ea, quæ velimus, nolimus, de Dei præfinitione agenda à nobis sunt?

2. Secunda item Petri epist. cap.1. pro indifferenti, neque ad vnum ligata arbitrij nostri potestate, ac subinde pro necessitatis antecedentis diuinarum de nostris actibus præfinitionum exclusione, suppetunt plura. [Vos autem, inquit, curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem.] Ad quæ S. Thom. [Sub Deo principaliter operante inferentes, & ei cooperantes. In omnibus enim principalis authoritas est gratiæ; secundaria liberi arbitrij.] Et sane cura nostra esset inanis, si aliter, quam præfinitum de nostris actionibus esset, agere, vel non agere non possemus. Inepta etiam ad hortationes esset, si cum sub illaturi curam essemus, non possemus absolute eam non subinferre. Pergit. *Hæc enim, si vobiscum adsint, & superent.* S. Thom. *per consensum liberi arbitrij.* Ambiguum, & dubium ob sui contingentiam, & libertatem, quæ particula *si* dubitatiua satis exprimitur. Inepte enim in conditionali propria aliquid absolute necessarium pro conditione apponitur, vt supra dicebamus cert.2.n.4. vrgentius subdit Petrus. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Etenim, vt dixi de præfinitis, aut non præfinitis inanis esset nostra solicitudo, ac subinde Petri ad illam adhortatio. Maxime, cum ex præfinitione, quæ etiam solicitudini nostræ necessaria ab his asseritur, non possimus non satagere; ex eius verò defectu satagere absolute non possimus. Secundo: ni vocationis, & electionis infallibilitas nostra bona opera instatu saltem conditionato, quem potestate antecedenti possumus absolute tollere, supponat, non apparet, quomodo per nostra bona opera certam vocationem nostram, & electionem facere possimus. Et sane, ni ea in voluntate nostra ad vtrumque flexibilis potestas Dei electione, & vocatione relinquatur, sed illæ efficaces ab intrinseco necessario omnem nostrum actum præcedant. Inepta etiam erit illa ad Ephes. 4. obsecratio, & adhortatio, *vt digne ambuletis vocatione vestra*; Et ad Roman 6. [Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.] Ex quo proinde loco Cyrillus Hierosol. Catech.4. de Statu inter homin. probat eum, *sui iuris esse: & per gratiam habere potestatem facere, quæ velit.* Sicuti & œcumen. in eum locum. Item, & adhortationes plures scripturæ redduntur inanes, & ludricæ. Eccles.c.6. vt torquibus, vinculis, compedibus, & iugo pedes, collum, nosque ipsos subiiciamus sicuti & cap.vlt. *Collum vestrum subiicite iugo: & suscipiat anima vestra disciplinam. In proximo enim est inuenire illam.* Vbi nota, *in proximo* non facultatem modo, sed, & facilitatem inueniendi illam in omnibus, quare & in eis, qui illa, ne quæsierunt quidem, denotari. Et illud: *Tollite iugum meum super vos.* Et quoniam longissimum esset omnes fere Prophetarum, & sapientiales, noui, imo & veteris testamenti, libros similibus monitis, & exhortationibus, & consiliis plenos transcribere: eos omnes eis præfinitionibus, & principiis necessariis efficacibus de se se, atque abusu nostræ libertatis independentibus cassari, inanesque, & ludricos reddi. Item increpationes omnes peccatorum in scriptura frequentes, vt Hierem.1. *A sæculo fregisti iugum; rupisti vincula: dixisti non seruiam.* Etenim iustissime ea omnia in diuinæ præfinitionis, aut principij alterius requisiti antecedenter defectum possent impij refundere, eamque ad omnia sua vitia promptū esset causari.

9. Adde loca, quibus per disiunctiuas particulas alterutrum disiunctim, licet non coniunctim vtrumque, faciendi potestas arbitrij nostri declaratur. Idem habetur Matt. 6. simili illo: *Nemo potest duobus Dominis seruire*: quia ad vtrumque coniunctim impos est homo. [Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.] Ecce potestatem ad vtrumvis. Ad Roman.6. [Quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, ferui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.] Nota illud etiam, [cui exhibetis vos seruos. Ex nostra nimirum electione, & potestate non captiuantis nos alterius. Item 2. ad Timoth. 2. cum exemplo, vasorum è solo arbitrio Domini aliorum in contumeliam, aliorum in honorem summam Dei potestatem, & libertatem in vno præ aliis prædestinando explicuisset, subdit. *Si quis ergo se emundauerit ab istis,* (enumeratis vitiis) *erit vas in honorem sanctificatum.* Ad quæ Damasc.4. de fide cap.20. sub init. [Solus profecto ipse vniuersorum est Opifex: sed non ipse solus honorabilia, aut ignominiosa struit vasa; sed propria vniuscuiusque voluntate, & delectu & hoc dilucidum est ex his, quæ Apostolus,] &c. Perspicuum autem, quod voluntarie purgatio fit. Si enim quis,] inquit, [expurgauerit seipsum, & remaneat: reciprocaque sequelæ conuersio respondet. Si non expurgauerit, erit vas in ignominiam.] Et dialogo contra Manichæos vers. fin. [Nam, cum ita conditi simus, vt arbitrij libertas nobis insit, in nostra potestate situm est, vt vel nos ipsos, fœdissimus quibusque vitiis expurgemus, vel iisdem inquinemus.] Chrysost. in id caput hom.6. Statuta necessitate gratiæ ad quodvis pium opus sub init. discrimen hoc materialium à nostris spiritualibus vasis obseruat ibi. [Nempe, neque fictile vas aureum fieri poterit: neque hoc in illius naturam conuerti. At verò hic magna huius mutationis, & migrationis facultas volenti datur.] Ad idem etiam institutum ostendendum faciunt plura scripturæ testimonia, quibus homines sese à fide, & gratia subtrahere, aut non subtrahere dicuntur. Renuere insuper vocationi, Deique sermones, & consilia abiicere, reiicere, repellere; quorum nihil de eis dici poterat, ni ea omnia ex arbitrij sui expedita ad vtrumvis potestate, & libera absolute, per gratiam, & vocationem etiam præstarent. Ad Hebr.10. fine: [Quod si subtraxerit se, à fide, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei, in adquisitionem animæ.] vbi S. Thom. lect.4. prope fin. *Quia in potestate habentis fidem est ipsam perdere, vel seruare,* c.12. *videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur:*

multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus. 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.* Prouerb. 24. *vocaui, & renuistis*, &c. *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*, & huiusmodi sexcenta alia.

CERTAMEN V.

Parabolis, metaphoris, ac figuratis scripturæ locutionibus, præsimitiones, & reliqua principia antecedentia requisita, & determinantia ad liberas nostras actiones confutantur.

1. PRo eodem arbitrij nostri ad vtrumque, siue contrarietatis, siue contradictionis extremum expedita, atque ab omni antecedenti necessitate soluta, & absoluta potestate stant metaphoricæ paraboliceæ, & figuratæ scripturæ locutiones. Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in statera*: quia ad leuiora affectus lance deliuant. Nullo enim alio viuidius anceps in vtramque partem arbitrij expedita potestas, quam statere emblemate, poni ob oculos potuit. Accipe profundam Emphasim Tertulliani. 2. aduersus Marcionem capit. 6. huc alludentis *Vt ergo bonum iam suum haberet homo emancipatum sibi à Deo* (quasi nullum, præter nostrum) ius, & potestas, ad illud Deo in actiones nostras superfit: sicuti nec parenti in emancipati filij bona, & actiones ciuiles) *ex institutione adscriptæ est illi, quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrij.* Clarius Cyril. Alexan. 8. contra Iulian. Ea metaphora rem explicuit. *Homo suorum ius suum momento in vtraque fertur: in bonum inquam, & in malum.* Basil. ad eum vers. *Statera quædam est à conditore apparata, per quam rerum naturam possis probe discernere*: quam boni & mali eligendi arbitrium esse ait. Et subinferius. *Quæ ad instituendam vitam eligenda veniunt per liberum arbitrium discernimus: quod & stateram nominauit: quod momentum æquale ad vtramliber possit capere.* Et ad id: *vt sciat reprobare malum*, &c. Eadem metaphora rem explicans ait. [Nostræ quidem naturæ inclinatio ad vtraque peræque propendet: & quidem plerumque ad id, quod malum est, deflectit; subinde autem, & ad id vergit, quod bonum est: vt contingit in statera. Nunc quidem anima se deminente ad suscipiendas perturbationes, affectionum; nunc autem ex diuerso eadem malo se auocat, & conuertit ad id, quod melius est.]

2. Dico alia veritatis eiusdem emblemata affinia habet Iacobus cap. 3. suæ epistolæ, vbi de moderante linguam ait. [Potest etiam fræno circumducere corpus suum. Sic autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis: &, etiam, omne corpus illorum circumferimus: ecce, & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.] Frænum autem, & gubernaculum adhibendæ, & contrahendas habenas, huc que, & illuc nauim, ac equum admouendos, amouendos, circumferendos, nisi ad eos omnes motus peragendos in eis vtente sit expedita omnino facultas, inania prorsus, & inutilia instrumenta sunt: quare, ne & arbitrij nostri ad omnes suos, ac cæterarum potentiarum motus expedita sit, aque omnino absoluta potestas, inutilis erit. Ad hoc explicandum ea metaphora vtuntur Didymus Alex. 1. 9. Biblior. in eum locum; in quem etiam glossa, & S. Thom. Innocent. Pap. epist. 26. ad Concil. Mileuitan. *Primum hominem, ita libertas ipsa decepit: vt dum indulgentius frænis eius vtitur, in prauaricationem præsumptionis incurrerit.* Quæ mutuati sunt Cœlestinus Pap. 1. epist. ad Episcopos Gall. Prosper. contra Collator. c. 9. & 10. Petrus Diaconus de incarnat. & grat. Iesu Christ. Author de Eccles. dogmat. cap. 32. apud August. Cyril. Alex. 9. in Ioann. cap. 10. prope med. *Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est: & suæ voluntatis habenas cuique commisit: vt in eo sit, quidquid præhauerit, eligere.* Dialog. de adora. Spirit. S. col. 6. datam homini ait animam peccato, & affectionibus superiorem, mutationis tamen quo velit capacem. *Nam visum est rectum permittere illi suarum voluntatum gubernacula: & tribuere spontaneis motibus facere, quod placebat.* Damasc. lib. de duab. Christ. volunt. med. *Appetitio, quæ rationi paret, ac sui est arbitrij, vt libere quasi fræno ducat omnem motum naturalem, eumque effectoris legi subiiciat.* Hæ metaphoræ breui coniunctæ sunt. Prouer. 28. *Aurum tuum, & argentum tuum conflа: & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Vtrumque etiam coniunxit Cyril. Alex. recitatus cert. 2. n. 2. illis verbis 8. contra Iulian. sub fin. *Arripuit enim suæ voluntatis habenas, & suorum iussuum momento in vtraque fertur.*

3. Id ipsum singulari metaphora Christus dominus explicuit, ita Ioann. vlt. Petrum allocutus. *Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris extendes manus tuas: & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Primò enim *cingebas te*: cum discinctus, laxiorque esse posses: neque enim, qui non esse cinctus nequit, se cingere potest, ideirco recte Sanct. Thom. ibi lect. 5. sub init. ea interpretatur. *Id est ab aliquibus illicitis, & superfluis cohibebas te: quasi tuo arbitrio non passus, quod ab aliquo cohibereris.* Secundo illud *ambulabas vbi volebas*, explicatius adhuc pro indifferenti arbitrij potestate est; Tertio aduersatiua: *alius cinget te, & ducet, quo tu non vis*, nempe ad crucem, & mortem, quas, ersi à Tyranno oblatas libenter acceptauit, manusque vltro reus ad crucem, vt hic dicitur, extendit; quia tamen, vellet, nollet, atque independenter à sui arbitrij libertate, solutaque potestate eas à Tyranno, & tortoribus passurus erat, nolle, seu non velle, illas absolute dicitur, sed de hoc loco iterum q. 3.

4. In super eandem veritatem nos Christus Dominus docuit eis parabolis, quibus Dominus seruis suis bona ad negotiationem & administrationem tradit; & postea ab eis profectus etiam peregre, inducitur: vt ostendat Deus totam gratiæ suæ, & potestatis ab ipso factæ negotiationem arbitrij nostri libertati, potestati, & industriæ relinqui, ac si ipse de cætero nobis non adesset; imo à nobis abesset. Matth. 21. septa vinea cum torculari agricolis locata, *peregre profectus dicitur.* Hieron. apud caten. S. Thom. [Non loci mutatione; nec enim Deus alicubi abesse potest, quo complentur omnia. Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi seruetur arbitrium.] Chrysost. & Euthym. patientiam, & longanimitatem Dei ostendi aiunt, qua eos arbitrio abuti permittit cap. 25. dispersis inter seruos talentis pro cuiusque facultate: *profectus est statim*, vbi glossa. *Non locum mutans, sed liberam esse operandi potestatem permittens, & suo arbitrio relinquens.* De vineæ locatione præfata. Marci 12. additur etiam. *Et peregre profectus est.* Beda in Caten. S. Thom. *Non loci mutatione, sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Lucas verò cap. 20. eandem parabolam referens ait. *Et ipse peregre fuit multis diebus.* Ad quæ Theophylact. *Dimisit illos progredi arbitrio suo.* Ambros. apud Caten. S. Thom. *Ne propera videretur exactio. Nam, quo indulgentior liberalitas, & intur exactio. Nam, quo indulgentior liberalitas, & intur excusabilior peruicacia.* Similis alia parabola est. Marci 13. *Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam.* addit: *Et dedit seruis suis potestatem cuiusque operis*: quo longinqua illa Domini profectione Domini potestatem seruis quidlibet pro libito operandi significari ostenditur: sicuti, & illis: *reliquit domum suam*, vt vidimus supra, & illis: *Et ianitori præcepit vt vigilet*, illis denique: *Ne cum veniret repente inueniat vos dormientes*: quia vtique in potestate eorum erat vel dormire, vel vigilare. Quarta denique ad rem hanc parabola extat Luc. 15. de filio prodigo; qui habitis à patre bonis, quæ ipsum contingebant (quibus liberum arbitrium Patres, vt hic, & quæst. 3. citandi intelligunt: *Peregre profectus est.* August. in 2. quæst. Euangelicar. q. 33. [Placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum velut quandam potestiam naturæ suæ, & deserere eum, à quo condita est, fidens de viribus suis, quas vires, eo consumit citius, quanto eum deseruit, à quo datæ sūt,] serm 34. de verbo domini. *Peruerse vult imitari Deum:*

Deum: vt quomodo Deus non habet, à quo regatur, sic ipse velit sua potestate vti, vt nullo regente viuat. Mitto verba, quæ singulatim potestatem arbitrij ad veramvis probant: præsertim desertio Dei, quæ est ab eius voluntate prodigi spontanea discessio. Solumque obseruo eius à Patre Deo profectu, & decessione plenipotentiam arbitrij semel à Deo instructi in suas actiones, quasi nullatenus Deum vltra pertingerent, parabola hac, sicuti, & reliquis, significari.

5. Succedant figuratæ ad rem eandem scripturæ locutiones, Prima est locorum, quibus particulis dubitatiuis de humanis loquitur actionibus futuris: quas, cum probe, & infallibiliter nouerit, earum solum ex parte arbitrij nostri eas agendi, & non agendi contingentia, atque (vt sic loquar) ex parte actus primi dubietas anceps significatur. Sunt autem loca Hierem. 5. *Forsitan pauperes sunt, & stulti.* Hieronym. *Vt ex ambiguitate sententiæ, & suspensione verborum liberum hominis monstraret arbitrium,* quod, & illo Lucæ 20. de vinitoribus, *Forsitan cum hunc viderint verebuntur,* confirmat. cap. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant.* Hieron. *verbum ambiguum, forsitan, Maiestate domini conuenire non potest, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruet arbitrium.* Theodoret. post alia in eandem sententiam, *docet itaque per ea, quæ dicta sunt, eos posse suscipere morum mutationem.* Euseb. de præparat. Euangel. lib 6. c. 9. sub med. *Æqualiter vtrumque contingens à dictis esse ostendit; non alterum necessariò, vt nec in delinquentibus conuerti, & non conuerti potestas in sit* cap. 51. *Si forte sanetur.* Ezechiel 2. *Si forte audiant, etsi forte quiescant:* quod præfata sententia interpretantur Hieron. & Theodoret. ibi Chrysost hom. 69. in Matth. col. 1. homil. 78. col. 5. Theophylact. in Lucæ 20. sub init. recitandi q. 3. in eandem sententiam interpretantur illud Matth. 11. *Si in Sodoma factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt: forte mansissent vsque in præsentem diem.* Hieron. recitatus quæst. 1. S. Thom. Lyra, Hugo Cardinalis in suis comment. Abulens. q. 52. in Matth. referens Remigium; & Dei de euentu illo conditionato certitudinem ex altero ex probationis illius membro. *Si in Tyro, & Sidone,* (in quo sine particula, *forte,* similis asseritur conditionatus euentus, *Olim in cilitio, & cinere pœnitentiam egissent*) acute probans: *quia tamen,* subdit, *Conuerti, vel non conuerti pendebat ex libertate arbitrij, quæ non habet in se aliquid determinatum, sed habet se libertas ad vtrumlibet: dixit forte: vt non putetur Dei cognitio rebus necessitatem imponere,* Genes. 3. *Ne forte mittat manum suam, & sumat.* & Deuter. 20. sæpe. *Ne forte moriatur in bello* c. 32. *Ne forte superbirent hostes eorum.* Exod. *Ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere.* Quia vero, & pœnæ infictio à culpa pendet, vt in hac admittenda arbitrij nostri soluta prorsus, & absoluta potestas ostendatur de pœnis à se infligendis dubitatiuis etiam particulis sæpe loquitur Deus. Malachiæ 4. *Ne forte veniam, & percutiam anathemate.* Oseæ 2. *Ne forte exspoliem eam nudam.* Ideo, etsi certa de fide vere pœnitentium remissio à Deo sit, simili particula asseritur Actor. 2. *Si forte remittatur tibi hæc cogitatio,* quod ad rem præsentem notat Ambros. 2. de pœnit. cap. 5. sub init. Ioel. 2. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus.* Ionæ 3. *Surge, & inuoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis.* Demum, vt res hæc clarius innotescereat, non solum respectu voluntatis nostræ actiones nostræ contingentes in scriptura dicuntur sed etiam hyperbolice respectu prouidentiæ diuinæ (cui tamen nihil creatum contingens esse potest) iuxta S. Thom in 1. de malo, ac de veritate, & 1. p. q. 14. art. 13. Caietan ibi longe à med. §. *Quoad secundum agitur,* & Scholasticos alios, Lucæ 21. *Continget autem vobis in testimonium.* Matt. 18. *Etsi contingerit, vt inueniat eam.* Ioann. 5. *Ne tibi deterius aliquid contingat,* & similia plura.

6. Dices particulam *forte* in scriptura reddere sensum potentialem tantum rei, quæ sub illa fore asseritur; non vero eius futuritionem aliquam, oppositæve rei possibilitatem, siue potentiam alicuius ad ipsam. Ideo Ambr. proxime ad illud Ezechiel. 2. *Si forte audiant,* Ironice, & tanquã absurdum infert. *Nesciebat ergo eos posse, aut non posse conuerti:* quia id *forte,* possibilitatis rei notam solum esse intelligit: vti etiam Propter ad excerpta Genuens. dub. 8. post med. videtur sentire. Et Hieron. ad locum de Tyriis, & Sydon. Matth. 11. *Si Tyrus, & Sidon non potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem saluatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quod non crediderunt.* Quasi illa particula *forte* solam possibilitatem pœnitentiæ illorum, sensu videlicet potentiali, nihilque aliud ea oratione faceret significari. Sed contra primo: quia sensus potentialis, Græcis, & Latinis Grammaticis, imo, & Patribus notissimus, possibilitatem quidem rei, vt futuritionem solummodo absolutam eius, non autem conditionatam excludit, ad eos significabat: quare & possibilitati, & conditionatæ rei futuritioni significandis is sensus potentialis apud priscos omnes inseruiebat: quia nomen statum illum medium futuritionis conditionatæ rerum significans, nondum notum, imo natum erat: quare, & ad eum significandum pœnitentiæ, aut non pœnitentiæ statum, possibilitatis voce, & potentiali sensu vti sunt Ambrosius, Hieronym. & Prosper locis oppositis; cum constet ex dictis contr. 2. eos conditionatam pœnitentiæ Tyriorum futuritionem sub conditione virtutum, & signorum Christi asseruisse secundo, adhuc admisso sensu eotentiali pro sola rei possibilitate, ex locis datis potestas indifferens, nec determinata, arbitrij nostri ad illam, atque oppositi extremi possibilitas demõstratur. Si quidem ex locis Hierem. & Ezech. præsertim c. 51. *Si forte sanetur.* Et de vinitoribus. *Forsitam verebuntur filium meum.* Sanitas Babylonis, & reuerentia vinitorium ex sensu tuo potentiali possibilis eis fuit: cum autem oppositum acciderit, vt dicitur statim: *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Et vinitores filium occiderint, & populus Prophetas non audierit, ex eorum factis potestas ipsorum ad opposita euidenter euincitur.

7. Dices *forte,* & similia aduerbia sæpe apud Patres Homerum, Arist. & reliquos Philosophos, & Poetas, imo & scripturam tantundem valere, atque *vtique* Psal. 54. *Si inimicus meus male dixisset mihi, abscondissem me forsitan* (vtique) *ab eo,* Ioann. 5. *Si credéritis Moysi, crederetis forsitam & mihi* Ignatius Mart. epist. 3. ad Magnes post med. & August. 16. contra Faustum cap. 26. pro *forsitan* Legunt *vtique.* Ioann. 4. *Tu forsitan petisses.* Theophylact. sine *forsitan* lgit. Et sententia Lucæ 20. *Forsitan verebuntur filium meum,* Omisso *Forsitam.* Matth. 21. & Marci 12. legitur tandem variis scripturæ locis eam Patres omittunt; quia nil simplici affirmationi deroget; sed potius ei asseuerationem addat, vt omittit August. proximo loco Ioann. 4. & Genes. 3. *Ne forte mittat manum* lib. 11. de Genesi ad literam c. 40. Contra verò: quia in locis notatis impugnatione secunda solutionis primæ. Si particula *forte* asseuerationem addat simplici affirmationi, imo ni simplicem affirmationem minuat, falsæ illis contentæ propositiones erunt. Cum etiam in conditionatis earum purificata conditione, oppositum eius, quod sub eis fore dicebatur, euenerit: vt in Babylonis sanitate, & obedientia, & pœnitentia populi. Idcirco giossa ad locum Hierem. 51. Hieron. nomine, sensum eius potentialem sanitatis futuræ, si sanari vellent, solum esse ait, vt libera potestas arbitrij nostri ad sanandum cum ea medicina ostenderetur. In sententia verò de vinitoribus, quæ omisso *forsitan,* vel intellecto pro *vtique,* est adhuc falsitas asserti planior. Est enim eo omisso absoluta assertio, intellecto vero pro *vtique,* etiam asseuerata de eo, cuius oppositum euenit, & ita euenisse rextus illico testatur. Verum est Deum, vt ostendat quam magnas vires, & potestatem suis auxiliis, & motiuis propositis nobis ad vitanda peccata faciat: quasi ex eorum robore nostro more vitanda absolute peccata, bonaque absolute agenda coniectaretur vitanda, illa, atque hæc agenda absolute, Emphatice, aliquando prænunciare? Cum alias tamen dubitatiua particula prænunciarit, vti in locis Matthæi, & Marci nobis oppositis contigit; in quibus particula forsitam à Luca apposita mysterio omittitur: subintellecta, & subintelligenda autem, vt omnis erroris suspicio à Dei scientia ablegetur, eis ipsis, quibus reticetur, locis obseruatur à Hieronymo in c. 21. Matth. 7. & à Beda in cap. 12. Marci his verbis, *quod* ait, *verebuntur filium meum: non de ignorantia venit: quid enim nescit Pater familias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? sed semper ambigere Deus dicitur* (eis etiam locis) *quia forsitan suppletur vt libera voluntas hominis reseruetur.*

8. Huic, & aliam figuratam scripturæ locutionem annecte

annecte: qua frequenter Deus de noſtris rebus (quas tamen apprimeretur nouit) quaſi dubius interrogat, vt indifferentem, ac de ſe ancipitem ad vtrumvis arbitrij noſtri potentiam declaret. Matth.16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Lucæ 18. *Putas inueniet fidem in terra?* Ioann. 6. *Numquid & vos vultis abire?* Geneſ. 3. *Adam vbi es?* & cap.4. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Ad quæ Tertullian. 2. contra Marcion cap.25. *Interrogabat Deus quaſi incertus. Et hinc liberi arbitrij probans hominem in cauſa, aut negationis, aut confeſſionis: vt daret ei locum confitendi delictum & hoc nomine releuandi, ſicut de Cain,* &c. Eodem tendit diuina de operibus, ac ſtudiis hominum exploratio: ac ſi ea ſecundum ſe ipſa perfecta, & ſcientiæ ſuæ in aperto poſita non haberet: quia nimirum in ſua cauſa, voluntate noſtra contingentia, & indeterminata ſunt: vti explorationis materia omnis eſſe debet. Geneſ. 18. *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. An non eſt ita, vt ſciam.* Deuter.8. Tentaſſe dicitur populum, *vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur; vtrum cuſtodieris mandata illius.* Iobum inſuper Abrahamum, & Tobiam tentaſſe dicitur, vt eorum virtus magis innoteſceret: quod ſi innoteſcentia non ſibi, ſed nobis eis tentationibus à Deo procurabatur: adhuc ea locutione actionum earum libertas, & contingentia ſatis innuitur. Quarta ad rem hanc figurata locutio eſt. *Apoſiopetica*, qua per abruptam orationem ſenſus ſui ſuſpenſione contingens aliquid, & indeterminatum de noſtris actionibus denotat Deus. Eiuſmodi eſt illa oratio parabolæ de infructifera ficulnea, eiuſque ſententia ſuſpenſa, tanquam à contingenti eius fructificatione dependenti. *Etſi quidem fecerit fructum; ſin autem in futurum ſuccides eam.* Et Matth.24. *Ita, vt in errorem inducantur* (ſi fieri poteſt) *etiam electi.* Ad quæ Gregor. Magn hom. 9. in Ezech. in id. *Si ſorte audiant*, col.3. *dubitatio itaque ſermonis à domino in electis explicat trepidationem, ambiguitatem mentis.* Non diuinæ, in qua eſſe nequit, ſed humanæ, quæ ob æquam ad vtrumvis poteſtatem anceps, & ambigua eſt, ac de ſeſe certum, & determinatum euentum alterum non habet.

9. Quinta figurata ad inſtitutum præſens ſcripturæ locutio eſt, qua Deus nos, noſtraque dicitur inuenire Pſal. 38. *Inueni Dauid ſeruum meum.* Act.13. *Inueni Dauid filium eſſe virum ſecundum cor meum.* Matth.8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.*c.24. *Inuenerit ſic facientem*: Lucæ 12. *Inuenerit vigilantem.* cap.18. *Putas inueniet fidem in terra?* Nihil enim inueniri ab aliquo dicitur, quod ſine vlla contingentia, aut caſu ipſi occurrit. Poteſt autem illi caſu, aut contingenter occurrere. Primo: quia, etſi contingens in ſe non ſit, ſed naturale, ignorabatur tamen vbi eſſet, ſicque Geneſ.26. *Serui Iſaac venerunt*, dicentes, *inuenimus aquam*, in quam, ignari antea incurrerunt. Hic autem occurrendi caſu, & contingentes ea, quæ Deus inuenire dicitur, in Deum omniſcium, nulliuſque rei, locive ignarum cadere nequit. Secundo poteſt inuentum alicui caſu, & contingenter occurrere: quia poſita omni ſua diſpoſitione, &, quantum ex parte ſui determinationis ad illam apponendum eſt, appoſito; adhuc tamen aliter poterat euenire, quam euenit, atque euenire deprehenſum eſt: quia ab alio vlterius contiugenter, & caſu, ac non neceſſario adiuncto, vt ita eueniret, dependit. Hinc actus noſtros liberos, etſi contingentes ſint nos inuenire non dicimur: quia ab vlteriori alterius determinatione, ſeu contingenti adiunctione poſt noſtræ voluntatis determinationem, haud quaquam pendent. Sed neque, quæ à liberis noſtris actibus, anteque & diſpoſitione per illos applicita, neceſſariò eueniunt, dicimur inuenire: vt faber ſellam, & ſtatuam ſtatuarius; ni aliquid in eis, vltra artis, & voluntatis ſuæ diſpoſitionem, in eis eueniat. Cum ergo nos, aut opera noſtra inuenire Deus primo modo ex noſtri, aut eorum ignoratione dici nequeat: nec alius inueniendi caſus, & contingenter reſpectu inuenientis modus reliquus ſit præter tunc ſecundum: oportet, vt poſita eius voluntate, & prædeſtinationis diſpoſitione de noſtris operibus vlterior noſtræ voluntatis, & poteſtatis indifferentis arbitrij noſtri ad ipſa, eorumque oppoſita libera, & contingens determinatio expectanda ſit, vt contingenter, & caſu Dei voluntati, & prædeſtinationi ſuppoſitis adiungatur, vt opera noſtra de facto eueniant potuit, quam oppoſita: ſicque contingenter Deo occurrant, vt ipſe illa innenire dicatur. Confirmatur: quia, vt hæc occurſus contingentia neceſſaria inuenientibus in inueniendo, clarius ab ſcriptura in re præſenti ſtatuatur in ouis perditæ parabola dicitur. *Si contigerit, vt inueniat eam.* Confirmatur ſecundo: quia nullibi Deus in ſcriptura inuenire aliquid dicitur, quod à libero noſtro arbitrio non dependeat; ſeriam, cum parabolice loquitur: vt in ouis perditæ, & ſiculneæ fructus parabolis, quæ liberam noſtram conuerſionem, & bonorum operum fructum deſignant. Id quod in noſtræ culpæ inuentione efficacius eſt: de qua Ezechiel 2. *Donec inuenta eſt iniquitas in te.* Apocalyp. 20. *Inueniſti eos mendaces.* In eam quippe præter, imo contra ſuam intentionem præ ſcientia ſua Deus incurrit. Ideo etiam mala pœnæ inuenire impios. Deuter.30. ſæpe dicuntur: quia, cum ad deterrendos homines à culpa primitus ſint à Deo inſtituta, è prauo libertatis eorum vſu venit, vt in homines incurrant.

QVÆSTIO II.

Liceatne per Patres Thomiſtica noſtrorum abſolute contingentium præfinitio?

ETSI ex quæſt.1. abunde conſtet eam per Patres ſcripturæ teſtimonia data explicantes non, licere id tamen hic abundantius conſtabit.

CERTAMEN I.

Patres præſertim Græci ſtant pro arbitrij noſtri indifferenti ad vtrumvis poteſtate.

ALia Patrum de hac indifferenti poteſtate ad vtrumvis liberi arbitrij noſtri teſtimonia in ſententiam eandem ex præfatis, aliiſque ſcripturæ locis alta ipſis mente repoſtam eorum verbis vlterius oſtendamus. Et in primis Theologorum, vt Nazian. aiebat, ſummitas, & Apoſtolorum Princeps Petrus apud Clem. Roman. lib.3. recognit. pag.3. cum Simone Mago, contra poteſtatem arbitrij noſtri ex fato ad vnam determinate partem, contendit eſſe indifferenter ad partem vtramque: quod cum prius admiſiſſet Magus, nec cum iis, quæ defari neceſſitate tunc docebat, conuenire videret, negabit poſtea Petro, quia ea occaſione ſic fatur. *Videte fratres in qua abſurda inciderit Simon, qui ante aduentum meum docebat, quod homines in poteſtate haberent, & ſapere, & facere, quæ vellent?* & pag.4. ita illum vrget. *Dic quo modo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? ſubinferius, liberum arbitrium eſt ſenſus animi habens virtutum, qua poſſit ad quos velit, actus inclinari.* libri med. *Poſſum eſſe in auditorum poteſtate eligere vtrum malint.* Et in itinerario teſte Hugone Cardinali, in in Eccleſ.15. *Reliquit eum in manu Conſilij ſui* inquit, *libertas arbitrij eſt conſenſus animæ habentis virtutem inclinandi ſe ad quæ voluerit.* Et apud eundem Clement.4.recognit. pag.2. ait. *Inſtirationem ad bonum eſſe à Deo: operum verò ratio poteſtati, & arbitrio vnius cuiuſque permittitur; Et hoc ipſorum eſt proprium.* Poſt modum verò. *Vnuſquiſque habens in ſe aliud diuini muneris, aliud propriæ induſtriæ ſit ex vtroque perfectus.* Adde quæ ex ipſo dedimus quæſt.1. cert.2.n.4. & cert.3. num.3. Barnabas Domini Diſcipulus apud eundem Clemen.1.

men.1.recognit.Et sic auditores, & disputatores ethnicos alloquitur. [Sic autem in vestra potestate, vel recipere, quæ adnunciamus, vel spernere. Nos enim, quod expedire nouimus,facere non possumus.]Et statim fere ipse Clemens. [Perferant ad vos diuina mandata : ita,vt omnes, qui audiunt sequi possint :] Cum tamen, eodem teste, nemo fere sit secutus. Nec refert liberos recognitionum Clementis non esse, atque esse ab hæreticis corruptos. Sunt enim, vel eius, vel alterius æque docti, & antiqui, neque in hac parte vitiati, sed solum in articulis, vt summum, qui filij diuinitatem similesque, vt aliqui censent, concernunt:vt docte ostendit Bellarmin. de grat. & lib.5.cap.25.Idem Clemen. epist.3. de offic. Sacerd.& cleric.col.4. *Si quis sane audiens sermonem veri prophetæ velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius (id est mandata vitæ) habet in sua potestate : liberi enim sumus arbitrij.* Et subdit potestatem hanc tam excludere necessitatem, quam impossibilitatem extremi alterius, vt deinceps recitauimus : concluditque : [Nunc autem,quia liberum est, animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem] Boethius 5. de consolat. prosa 6. [fiunt proculdubio cuncta, quæ Deus esse futura prænoscit : sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio:quæ quamvis eueniant,existendo tamen propriam naturam](liberorum)[non amittunt : quia,priusquam fierent,non euenire potuissent.] infra. [Propositum te quidem tuum,] ait, [posse deflectere ; sed quoniam te id posse, & an facias,quove conuertas, præsens proudentiæ veritas intuetur, diuinam te præscientiam non posse vitare.] Nec aliter, quam è sui suppositione, necessariò esse contingentia admittit Iustin. Mart. quæst.8. ad gent. [liberum arbitrium largitus est nobis Deus : Nosque dominos facit præferendi, ac eligendi, quod nobis videtur ex his, quæ cognoscimus.] Notat verò non in rei cognitione, sed in eius electione bonitatem, aut malitiam esse sitam, & quæst. 9. ait, *In nostra potestate est esse castos,aut scortatores. Accepimus autem à Deo faciendi, & non faciendi potestatem :* seu, vt paulo ante dixerat, *vires nostri propositi* (cum quo, vt agamus à Deo vocamur) *potestati subiectas*, & Apolog. 2. pro Christian. ad Antonin. *Sed ipsum* (genus humanum) *libero arbitrio, liberaque voluntate, & recte facere, & peccare docemus.* infra. *Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per ipsum bonum non eligeret* sub med. *Nisi homines arbitratu suo possunt turpia fugere, honesta sectari, extra culpam erit quidquid agant.* Adde quæ ex ipso retulimus cert.2.num.7.cert.3. num.5.& 6. Athenago. Apolog.2. pro Christian. ad eundem. *Liberi arbitrij ipsis quoque* (Angelis) *in vtramque partem constituerat Deus : sicut in hominibus.*

2. Dionys.9.de cœlesti Hierarch. post med. ait, idololatriam aliarum à Iudaica nationum non esse Angelorum præfecturis tribuendam ; *sed illis, qui procliuitate sua de recta ad Deum ferente via deflexerint, amore sui,& contumacia.* Nec post multa. *Neque eorum, quæ præsidentur libertate* (melius legitur liberalitate) *diuini vadij illustratione, quæ à providentia manat, vel obruuntur, vel obscurantur, sed oculorum mentis dissimilitudo facit, vt effluens paternæ benignitatis largitio, vel omnino,* (id est, cum effectu) *Communicari, capique non possit.* Itaque non prouidentiæ lux, sed nostri arbitrij, & libertatis mala & dispositio,& abusus, cum bene vti possemus, in causa est, vt Dei illustratio effectum in nobis non habeat, non autem potestatis nostræ defectus. Hanc etiam potestatem, & mobilitatem arbitrij nostri ad fructos prouidentiæ diuinæ percipiendos, non obstante eius immobilitate, triplici illustrat exempto lib. de diuin.nomin. cap.3. sub init. inquiens. *Nos ipsos orationibus extendimus ad diuinorum radiorum altiorem respectum* (quibus potestatem extendendi nos, vel secus, fatetur in nobis) [sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente ad inferiora autem descendente, semper per ipsam mutatis manibus ad anterius, capientes trahere quidem ipsam deorsum videremur ; reuera autem non deponeremus illam, & sursum, & deorsum, & deorsum, & deorsum præsentem ; sed nos ipsi sursum agremur ad altiores multorum luminum radiorum splendores. Aut sicut si nauem ascendissemus, & tenueremus quosdam funes ex quadam petra ad nos extensos, & sicut nobis ad auxilium datos, non ad nos petram, sed nos ipsos vere, & nauem ad petram adduceremus. Sicut è conuerso ; si quis stans in naui impingat in petram stantem iuxta mare aget nihil contra petram stantem, & immobilem ; sed se ipsum ab illa separabit : &, quanto amplius impinget, tanto amplius impingetur.] In quorum commentario ita scribit S. Thom. Catena luminis ab immobili cœli summitate dependens, vel funes, qui ab immobili petra extensi sunt, significant ordinem diuinæ prouidentiæ ab immobilitate diuinæ prouidentiæ procedentem : quod autem dicit : Catenam vbique præsentem in cœlo, & in terra, & deinde omnibus adesse : significat, & prouidentiam eius ad omnia se extendere: quod autem dicit de immobilitate lapidis : & quod catena ad nos trahi non potest : significat diuinam prouidentiam immobilem esse, quod autem dicit quod nos ipsi sursum ducimur per catenam immobilem, & petræ appropinquamus per funem,aut ab ea separamur per impulsionem : significat mobilitatem nostram ad sequendum diuinæ prouidentiæ fructum :] contra tertiam propositionem. Quæ ex immobilitate diuinæ prouidentiæ omnia nostra ex necessitate,& non contingenter nobis euenire asserebat.Nec obscurius eandem doctrinam exemplo alio sigilli, quo communes Trinitati causalitates explicuerat capit.2. in eius med. illustrauit scribens. [At dicet quispiam signum in totis figuris non esse totum idem.] Respondet vero. [Huius autem rei signum in causa non est. Totum enim seipsum illud, atque idem vbique offert ; sed horum, quæ illo participant, dissimilitudo, & differentia dissimiles facit formas, quæ exprimuntur, eiusdemque, ac totius exemplarias. Velut, si mollia sint, & ad figurandum facilia, leuiaque, ac figuris vacua, neque resistant, neque dura sint, neque fluxa, & non cohærentia figuram certe habebunt, & mundam, & claram permanentem : quod, si quid eorum, quæ commoda esse diximus absit, id causa erit, cur, & figura non imprimatur, & obscura sit, & cætera eueniant, quæ non apta, & idonea communione contingunt.] Quibus docet ob nostram duritiem, asperitatem, flexibilitatem, & non cohærentiam, seu non perseuerantiam, sed inconstantiam; non autem ob diuinæ voluntatis, & prouidentiæ sigillum ipsum in nobis perfecte non imprimi, seu impressum non perseuerare. Rursus cap.4. circa finem ait. [Dicet quispiam. Infirmitati supplicium non deberi ; sed contra veniam.] Respondet vero. [Si non supperetet potestas, recte se haberet, honestaque esset oratio ; sin à bono potestas proficiscitur, quod dat (vt diuina scripta tradunt) vnicuique omnia ea, quæ illi accommodata sunt, laudanda non est status ex bono, atque bonis suis deflexio, deprauatio,declinatio,& prolapsio.

3. S.Ignatius Martyr epist. 3. ad Magnesian. ante med. [Necesse est, vt vnusquisque in loco, quem sibi de præteritis elegerit, in futuro esse præcipiatur. Fugiamus igitur mortem, & eligamus vitam.] Vtriusque verò potestatem alterutrius electio supponit post pauca. [Si quis igitur pius fuerit homo Dei est ; si verò quis impius extiterat Diaboli est : non ex natura, sed ex sententia factus,] siue vt alij vertunt. [Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.] Iterum : [Si non elegerimus pro veritate mori in passione ipsius, vita eius non est in nobis.] Irenæus 4. aduers. hæres. ita cap 71. inscripsit. [Ostensio, quod homo liber sit, & suæ potestatis ad hoc, quod posset eligere bona, vel contraria.] Eoque cap. illud, quod ait : [quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. Vererem legem libertatis hominis manifestauit : quia liberum eum fecit Dominus ab initio.] Iterum. [Deus posuit in homine potestatem electionis, quemadmodum, & in Angelis.] Et post alia plura in sententiam eandem concludit caput : [qui operantur bonum gloriam, & honorem percipient : quoniam operantur bonum, cum possent non operari illud. Si autem,qui non operantur iudicium iustum recipient Dei : quia non operati sunt bonum, cum possent operari illud.] Id quod toto cap.72. confirmat : cuius initio ait : [Omnes homines eiusdem sunt naturæ : potentes retinere, & operari bonum ; & potentes rursus amittere id, & non facere.] Dedimus alia eius testimonia ex eodem lib cap 9. & 27. quæst.1.certam.2.num.3.& 7. & certam. 1. num 7.

Clemens Alex. 1. Stromat. circa med. fol. 6. 5 [Nec laudes, nec vituperationes, nec honores. nec supplicia iusta sunt. Si anima non habet liberam potestatem, & appetendi, & aggrediendi, sed sit virium in voluntarium.] Post pauca. Libertari ab ignoratione, & à mala, & delectabili electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasiis, & vitiis situm est in nostra potestate.] lib. 2. pag. 3. seu fol. 76. [Nos autem, qui libera, & absoluta potestate eligere, & vitare à domino datum esse hominibus à scripturis accepimus, iudicio, quod transmoueri, & excidere non potest fidei, acquiescamus: alacrem, & promptum ostendendo spiritum, quoniam vitam eligimus.] pag. 5. fine ait, susceptionem bonæ doctrinæ, & obedientiam præceptis à proportione, & dispositione audientis pendere, sicut & actio ex passi dispositione, & proportione: concludit [In nostra potestate esse parere Deo vocanti,] & circa libri med. [In nostra quidem certe est potestate ad nostram deduci disciplinam, & parere præceptis,] &c. lib. 4 vers. fin. [idest in nostra potestate, cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur: vt philosophari, vel non: credere, aut non credere. Per hoc ergo, quod sumus æque participes vtriusque eorum, quæ inter se aduersantur, inuenitur fieri posse id, quod est in nostra potestate quin etiam præcepta sunt eiusmodi, vt à nobis possint fieri, & non fieri,] lib. 7. pag. 3. [Lex hæc ab alto data est: vt, qui velit eligat virtutem: &, qui elegisset æternam vitam, & beatum præmium acciperet; qui autem vitio esset delectatus, concessit, vt versaretur cum his, quos elegerat.] Subinferius. [Quidquid est virtute prædictum mutatur in melius: habens propriam causam mutationis electionem cognitionis, quam] [electionem) *habet anima in sua potestate.* & 1. Pedago c. 6. post init. ait. *Qui verbo paremus, nostrique sumus iuris, & arbitrij.* Hæc faciunt, quæ ex ipso retulimus quæst. 1. cert. 2. num. 3 & 5. quod autem c. *Sancta Romana* dist. 15. Clementis Alex. opera in apochryphis numeret: obfuit quidè, ne in officiis, & choro Ecclesiæ ab legantur; non autem, vt apud iuniores Patres, & Theologos omnes authoritatem magnam non habuerint, habeantque: præsertim vbi cæteris Patribus (vt hic inuenit) in doctrina concordat. Item ad hanc potestatem ad boni electionem, & obedientiam gratiæ auxilium requirit Clemens. constat stat expressè ex testimonio eius tertio, & ex innumeris aliis.

4. Origenes hom. 4. in Cant. sæpe ante, & post med. hanc arbitrij nostri potestatem ad vtrumvis docet, ac vers. finem ait, *quoniam quidem per arbitrij libertatem possibile est vnumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius, ipso iuuante, elegerit, vel, si neguius, ad demonum portionem*, quæ repetit fere hom. 12. numeror. à medio. & lib. 2. contra Celsum ante med. aliisque locis docet positis prædestinatione præscientia, & prædictione actus liberi possibile adhuc esse actum omitti, vt vidimus ex eius locis in concordia libertatis actus liberi cum eius præscientia, quam doctrinam errorum Origenis accurati censores Epiphan. Theophilus, Hieronym. August. Theodoret. Nicephor & reliqui nusquam inter eos notarunt, imo Pamphilus Martyr. Apolog. pro Origin. sect. 3. sub init. ex hac eius doctrina recitata in reliquis Catholicum fuisse probat. Quo ad causam tamen prædestinationis lapsum illum dubitandum non est, etsi expressè ad iustificationis, & fidei exordium gratiam præuenientem, & adiuuantem cum recitatis verbis, tum alias sæpe, & semper requirat: Ant. Magn. epist. 2. ad Arsenoctas col. vlt. inquit: *quoniam in nostra sumus potestate creati.* Ephrem. Syrus serm. de vita religiosa, & monast. pag. 4. fine. *Voluntas, cum libera sit, ac sui iuris tanquam agricola quidam est, naturæ nostræ consuetudines prauas inserens, & bonas, sicut ipsa voluerit.* Inferiuscule. *In ictu oculi voluntas nostra consuetudines malas radicitus euellit: &, vt sibi libitum fuerit, virtutes bonas inserit.* & serm. de timore Dei ad imitat. prouerbior. circa finem. *Similis est Monachus viro ex alto dimisso, qui finem excelsa interullo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat: sciens se, si defecerit, vsumque vtriusque manus perdiderit, præcipitem illico ruiturum, & morituum. Apprehende vitam æternam.* Non igitur solum à cœlo desuper dato, sed & à viri arripientis illum, seque in illo sustentant vtraque manu, cum illum posset non arripere, & retinere, potestate libera pendet præcipitium vitare. Athanas. orat. contra Idola sub init. *Anima libera est, & sui arbitrij. Potest enim, vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Infra. *Quæ cum sui iuris, arbitriumque intuetur, sentit se in vtramque partem vti posse corpore, & membris*, & lib. de human. verbi, eiusque corporali aduentu sub init. *Animaduertens Deus arbitrium, delectumque hominis vtroque vergere naturæ gratiam, quam dederat, legis, & loci præsidio munitam voluit*, ne scilicet vergeret in malum, vt poterat. His annecte, quæ ex ipso recitauimus quæst. 2. cert. 1. n. 19.

5. Chrysostomus in cap 4. Genes. hom. 19. sub init. *quia liberi arbitrij esse fecit nostram naturam omnium dominus, quæ sua sunt, omnia præ sua misericordia semper exhibet: & sciens abscondita in profundo mentis, & arcano, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit, & necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis totum in agrotantis sententia situm esse permittit*, & hom. 22. in Genes. colum 2. *Non ne manifestum est sua quemvis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam, nisi ita esset, & natura nostra prauitas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est: ideo & peccantibus*, &c. & hom. 23. colum. vlt. [Si hoc non esset si tum in voluntate nostra, neque in potestate mentis neque Deus sui iuris naturam nostram fecisset: oportebat, vel omnes malos esse, qui naturæ nostræ participes sunt, & iisdem obnoxii sunt affectionibus; vel omnes bonos, & virtute præditos.] tom 3. hom. 4 de laudib. Pauli sub init. Necessitatem à Dei vocatione excludit: *quia potuit redire vnde discesserat.* hom. 5. vulgo de conuers. Pauli col. 3. *Dominatum nostri adepti sumus.* Traditamque nobis à Deo ait, *arbitrij potestatem*, & hom. 9. de laudib. Pauli fine ad ea. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, ait, *qui autem trahit volentem trahit humique iacentem, ac manum porrigentem*, & inertium quorundam responsum commune (*si Deus volet, conuertar*) referens subdit. *Quos non arguo, sed valde probo. Vellem autem, & nos etiam nostra afferre: & tunc dicere: si Deus voluerit. Nam si te ipsum somno, desidiæque tradideris, neutiquam in manus tuas obuenient bona opera. Et alioqui, si solam voluntatem Dei præstas nihil eorum, quæ opus habes, adipiscere vnquam.* hom. 11. in Ioan. *Corporis natura, quocumque eam opifex ducere velit, eo sequitur, nec resistit. Anima autem sui iuris vim in se habet operandi, neque vlla in re Deo, ni velit, obtemperat.* hom. 13. in Matth sub med. *Præsens vita, tam rectè, quam contrarium, tibi viuendi potestatem dat.* Consonat his hom. 56. in Matth. & hom. 13. ex variis locis Matthæi circa fin. 6. Romanor. serm. 11. circa fin. & serm. 16. in eam epist. & 1. ad Timoth. 1. in morali hom. 3. sub init. & in cap. eius 6. hom. 15. vers. fin. His subiunge recitata ex ipso q. 1. cert. 2. n. 10. & cert. 3. n. 5. cert. 4. n. 2. 3. 4 & 9. & cert. 5. n. 4.

6. Methodius Mart. de libero arbit. apud nostrum Turrianum lib. 4. pro epist. Pontific. cap. 2. post med. [Cum Deus hominem honorare, & scire eum meliora vellet, dedit ei potestatem, qua posset facere, quæ vellet: & potestatem eius ad meliora hortatur. Non quod rursus auferat potestatem liberam, quam dedit; sed quod velit, quod melius est declarare. Habet enim potestatem, & mandatum accipit; sed, vt velit potestatem ad meliora connertere, hoc Deus admonet.] Quemadmodum, ait, Pater filium vt discat, melius id esse solummodo ostendens. [Sic cum Deus hominem hortatur, vt mandatis pareat, non videtur mihi priuare, eum potestate voluntatis, qua possit, etiam non obedire mandatis. Quamobrem non vult dare præceptum, vt potestatem, quam dedit, auferat; sed, vt melius aliquid donet, tanquam digno, qui maiora adipiscatur, quia paruit Deo: cum alioqui potestatem haberet non parendi.] Et ante med. fragmenti relati ab Epiphanio contra Originem hæres. 64. rogat, quomodo in hoc mundo liberum arbitrium habeatur. [In nobis (respondet) enim situm est credere, & non credere: in nobis rectè facere, & peccare: in nobis benefacere, & malefacere. Post med.

med. [Ego in medio mali, ac boni constitutus, velut libero arbitrio prædituſ, vt in me esset eligere, quod volo. Inferiusculè. In nobis situm esse, ait, cogitationibus absurdis obedire, aut non obedire: vti, aut non vti.] & pag. postrema ait non posse rectè à nobis fieri aliquid *sine armatura Dei protegente, ac defendente nos.* Quibus, quidquid ex parte Dei, tam naturæ, quam gratiæ ordine, requiritur, ad eam potentiam supponit. Eam vero animæ indifferentem potestatem ex coniunctione cum corpore amissam, aut ligatam non esse his verbis fragmento eodem asseruit. *Post vinculi*, corporei *constrictionem dicitur hoc. Ecce ante faciem tuam posui vitam, & mortem: vt eligas vitam: bonum, & malum: vt eligas bonum. Et si volueritis, & audieritis me* (Isai. 1.] *Hæc enim ipsi veluti potestatem habenti, & non veluti sub vincula, & necessitatem adacto dicta sunt.* Cyril. Hierosol. catech. 4. tit. de stat. hominis. *Cognosce animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ.* Subinferius ita hominem definit. [Animal rationale incorruptibile per eum, qui gratiam illi contulit, potestatem habens facere, quæ velit.] Et inferius. [Ne quem audias differentem malè: scis hoc (Paulum.) dicere: quod nolo hoc facio. Sed memineris etiam dicentis: si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis.] Hæc faciunt verba eiusdem data à nobis q. 1. cert. 1. num. 7. & cert. 3. num 2. & 5. Epiphan. hæresi 16. (quæ Pharisæorum) [Propterea, quod possit peccare, & non peccare ab alio supplicia sumantur. Alius vero laudem referat rectè factorum] Et hæresi 24. [in eo, quod omnis homo potest non facere malum, & potest facere malum: cum quidem fecerit, est malum.] Eodem spectant, quæ ex ipso retulimus quæst. 1. cert. 2. num. 7.

Basil. hom. 9. quod Deus non sit author malorum, togat. de anima. [Vnde autem omnino mali capax est? Quoniam libero facta est arbitrio: quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam accipiens, propterea, quod ad imaginem Dei creata est, bonum quidem intelligit, & iucunditatem illius nouit: potestatémque habet, ac facultatem in boni contemplatione, & spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conseruandi. Habet autem, & à bono deflectendi quandoque facultatem, infrà voluntas (pro actu) ab illis pendet, quæ in nobis sunt sita, ac deinceps.] Dominium indifferens ad vtrumvis concedit bonis Angelis, vt caderent, & malis, vt starent & in Isai. 14. ad illa: *Semen reprobum prapara filios* eandem indifferentem arbitrij liberi potestatem statuit. lib. 3. contra Eunom. [Natura vtitur libera (intellectualis creatura) vt ad vtrumlibet possit inclinari: ad electionem, scilicet, boni, & peioris] lib. de spiritu S. circa med. [Conseruant autem dignitatem per perseuerantiam: habentes quidem in eligendo liberum arbitrium; nunquam tamen ab eius, qui verè bonus est, consortio excidentes.] Subinferius. [Nemo siquidem potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Et nullus in spiritu Dei loquens, dicit, Iesum anathema; quod sanè dicerent impij, & aduersarij spiritus: quorum defectio comprobat, quod dicimus: virtutes inuisibiles esse sui arbitrij æquè ad virtutem, atque ad vitium vertibiles: & ob id opus habentes auxilio spiritus.] Hom. 2. ex hamer. [Voluntatem, liberam sui actus dominam, & potentiam ad vtrumque esse ait.] Adde recitata ex ipso q. 1. cert. 1. num. 7. 11. cert. 3. num 2. cert. 4. num. 1. Nazian. apologet. seu orat. 1. col. 8. *Singularis & eximia Dei bonitatis argumentum est: nimirum facere, vt nostra quoque aliqua ex parte, sit virtus; nec natura tantum nobis inseratur; sed voluntate etiam, animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in vtramque partem motum habente.* Transferunt alij: *liberi arbitrij in vtramque partem agitationes.* Quam motus ad vtrumque potestatem æqualem, seu parem, sic asserit orat. 16. de pauperum amore longè amed. *At tu primam illam æqualitatem* (creati hominis ante lapsum) *non postremam diuisionem intuere.* Superiusculè dixerat. *Is, qui hominem primum creauit liberum eum, suique arbitrij reliquit sola mandati lege coërcitum.* Idemque vniuerso eius semini in illo datum ait orat. 38. de Christi natiuit. *Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus* (id est non solum) *illius esset qui elegisset, quam eius, qui semina præbuisset, in paradiso collocat.* Repetit orat. 42. in pascha longè ab initio. Consonat sibi orat. 31. in ea Matth. 19. *Cum consumasset Iesus sermones.* circa illud *Quibus datum est* num. 7. & carm. iambico 15. cui titulus. *Minus exacta definitiones* sub init.

Mentis voluntas motus est, concursus, &
Rerum, penes nos quæsita tantummodo.
Quo volo moueri liberum arbitrium voco.

Huc faciunt alia plura ex Nazian. data q. 1. cert. 2. n. 3. & num. 6.

Potro in eandem scribunt sententiam Nazianzeni vetustiores inter prætes Elias Cretensis, & Nizetas Serronius ad recitata loca. Elias quippè in id Apolog. seu orat. 1. [Generatio propter effectionem.] Cum dixisset Adamum arbitrij libertate, & impeccantia donatum subdit. [Impeccantiam autem dico non, quod peccatum in eum cadere non posset; sed quod ipsum peccare in natura, non haberet: verum potius in animi inductione. Et in orat. 4. comment. *Iustitia Dei aduersus* ait. *Ob arbitrij libertatem sic quidem conditi sumus, vt vitij capaces existamus.*) in orat. 3. aduers. Iulian. longè amed. [§. Postquam illud *scribit.* Homo & in bono manere, ac proficere possit diuinæ gratiæ ope accedente; itidem, permittente Deo propter arbitrij libertatem à bono deflectere, atque in malo esse.] in orat. 19. comment. 3. *ne iniuste arbitrij libertate, & dignitate spoliaret, hominem per vim, & necessitatem ad virtutem trahere Dei sapientia hoc consilium reperit: nempè, vt hominem ad ea, quæ velit, sese adiungere sineret.* Nizetas verò in orat. 40. Nazian. comment. penult. vers. med. [Alia in arbitrio nostro posita sunt: vt ira, ac cupiditatem, libidinémque comprimere, vel iisdem succumbere. Quarum igitur rerum arbitrium penes te est, harum causas exterius ne conquiras. Verum hoc pro certo habeas; id quod propriè malum est, à libera, & voluntaria à bono auersione originem ducere.] Adde quæ ex ipso retulimus q. 1. cert. 2. num. 3. cert. 3. num. 1. Gregor. Nissen. lib. de Beatitudinibus in 5. circa med. [Omnium bonorum materias, atque subsidia natura sui operis (ad sui imaginem formati) deposuit Deus: vt nulla res bona, atque honesta extrinsecus in nos se ingerat, & insinuet; sed in potestate nostra sit, vt habeamus, quod velimus; tanquam ex cello quadam penuaria ex natura bonum promentes.] Subinferius. [Ex his autem plena, summaque potestas, quam in natura Dominus naturæ fabricatus est aperte demonstratur: propterea quod omnia (siue bona, siue mala sint) ex nostra libera voluntate dependent. Orat. de dormientibus longè à med. hæc (resecatis ad rem superfluis) habet [datam esse homini sui potestatem, & dominium: sinendo illum, in quibus voluisset, versari: & in arbitrio illius esse propensionem, & inclinationem ad vtrumlibet, vel ad virtutem, vel ad vitium.] Orat. catechet. c. 31. [Rationem perdi, si arbitrij libertas, seu alterutrum eligendi potestas desit. Ad quid enim sua vtetur mente, si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? non in ipso.] Quibus consonat alia orat. catechet. cap. 5. vers. fin. lib. de vita Moys. vers. med. hom. 2. in Eccles. col. 2. hom. 8. med. subiunge quæ ex ipso recitaui q. 1. cert. 2. num. 9. cert. 3. num. 1. succedat Nemesius ex Philosopho celeberrimo Episcop. Emissen. (cuius sunt Philosophiæ libri, qui Nysseno tribuuntur) c. 9. Biblioth. lib. de natura homin. & animæ facultatibus c. 35. alias 6. Philosophiæ *debet enim esse liberum, quod in nostra potestate est aliquando appetere, aliquando refugere.* iisdem, vt proximè dixerat, causis positis: repetit ferè cap. 36. & 39. ait: hominem per liberum arbitrium esse *suorum operum principium, authorem, & dominum.* Item *in nostra potestate esse positum habitus exercere, vel non exercere.* Vnde concludit. *Itaque in nobis situm est iustos esse, aut iniustos.* cap. 40. sub init. [Consultatio est rerum contingentium per æquè in vtramque partem. Quod genus contingentium sic definitur: quod, cum ipsum possumus, tum eius oppositum. Huius optio penes nostram mentem est: & hæc actionis est principium. Eaque in nostra potestate sunt, quæ æquè in vtramque partem contingunt, vt moueri, & non moueri,

moueri, &c. Denique quæcumque eius modi sunt, vt in iis vitij, & virtutis opera in sint.] Et subinferius. [Nostra potestas est actionum ad virtutem, & vitium, & electionum, & motiuum, &, quorum æquè etiam oppositа agere possumus.] c. 41. post med. [Omnis vis eligendi oppositorum est. Vna enim eademque facultas est, & mentiendi, & verum dicendi. Et vna eademque facultas temperate, & intemperate viuendi:] Cæterum potestatem ad bonum è gubernatione, & prouidentia supernaturali Dei venire probat c. 44. & 45. Eandem sententiam continent plura eius testimonia data q. 1. cert. 2. num. 2. & 6.

Theophilus Alex. (cui interpres Hieronym.) epist. 3. paschali col. 3. t. 3. Biblioth. [Neque ambigitur, quin in vtramque partem faciendi, vel non faciendi bona habeamus liberam facultatem.] Vide alia ex ipso data q. 1. cert. 2. num. 7. Euseb. Cæs. 6. præparat. Euangel. cap. 5. sub init. ait. [Nostra nos appetitione moueri.] Infrà. [Nostro ipsorum consilio ad sequendum, aut faciendum moueri nos.] post med. [Nos esse causam eorum, quæ libertatis nostræ sunt. Infrà. *Dominus sibi ipsi animus est*, postea. *In potestate libera est virtutis præmia sine vi aliqua eligere: cum possit contraria*, Cap. 6. post med. laudat Euripidem, quod post vaticinium de filij parricidio dixerit (sicut & Origines 2. contra Celsum circa med.) Quemadmodum Laius dare operam liberis, & non dare: sicque eius filius interficere, & non interficere poterat;] vt liberè eum interfeciisse significaret. cap. 7. circa med. [Quæ in nostra potestate sunt ea, sicut volumus, disponentur. Infrà. *Mea potestatis est pugnare, & non pugnare* vers. fin. quasdam actiones (liberas nempè ait) [ad vtrumlibet contingentes] cap. 9. med. *Contingentia esse, quæ accidere, & non accidere possunt.* Et plura de indifferenti potestate libertatis post med. *In delinquentibus conuerti, & non conuerti potestatem in esse* lib. 4. demonstrat Euang. cap. 1. ante med. ait. *Animas hominum accepisse naturam solutam, ac liberam voluntatis, atque arbitrij, tam ad bonum, quam ad boni contrarium.* confirmat c. 6. Et si autem non ita statim, sed post Nissenum Concilium ab Arrianismo resipuerit, quo ad arbitrij libertatem, à nemine notatur aliquando desipuisse. Similia ex ipso dedimus q. 1. cert. 1. num. 10. cert. 2. num. 8. cert. 4. num. 5. Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. prope med. præter superius data. *Vides*, inquit, *quam versatilis sit ipsa natura: & , quod ad vitium propensa sit; & è diuerso, etiam ad bonum, & honestum: & secundum vtramque proprietatem, ad quas voluerit, actiones apta est inclinare: capax est igitur natura, tum boni, tum mali*, &c. Post pauca *volenti peccare. Nemo tibi resistere potest*, ac posse quempiam Deo obtemperare, & vitiis cum victoria resistere. [Mens enim eiusmodi, quæ resistit, ac reluctatur Deo, & iustitiæ, potest obstirmata ratione coërcere vitiorum impetus, & obscæna desideria.] post med. [Eius est homo naturæ: vt etiam si in profundum vitiorum lapsus sit, ac peccato deseruiat, ad id, quod bonum est, conuerti possit; & è contra: spiritui sancto deuinctus, & rerum cœlestium ebrietate correptus ad id, quod malum est, conuerti potest.] Hom. 27. med. ait. [Apostolos etiam in gratia consummatos, & confirmatos, illa non fuisse prohibitos, quominus agerent, quæ vellent: etiam si ipsi committere voluissent, quæ gratiæ displicebant. Nam boni, malique capax est natura nostra, &c.] Idque statim non infirmitate gratiæ perfectorum tribuendum ait: sed quod per quantumvis maximam illis [permitti, vt habeant suas voluntates, ac facultatem agendi, quæ libuerint, & quo voluerint inclinandi. Ipsa quoque natura humana, licet infirma, etiam si illi bonum insit facultatem habet versatilem] subdenda hic, & alia eiusdem loca recitata q. 1. cert. 1. num. 7. cert. 3. num. 2. Marcus Eremita lib. de lege spiritual. capitulis [de his, qui putant ex operibus se iustificari num. 56. occultè nobis gratia auxiliari non desinit: in nobis autem situm est pro virili bonum facere, aut non facere,] lib. de Baptismo col. 2. fine respons. ad 1. interrogat. [Habemus facultatem inclinandi, quo libuerit, siue ad bonum, siue ad malum.] Inferiusculè ad 2. interrogat. [Per Baptismum à violenta seruitute nos eripuit è vacuato per crucem peccato: statuitque præcepta libertatis: in quibus, vt permaneamus, necne, liberæ nostræ concessit voluntati. Longè à med. [Hæc & similia, cum sciat scriptura in nostra facultate positum esse, vt hæc agamus, necne, &c. post aliqua. Tibi persuadeat ille ipse primus homo se non fuisse mutationis expertem, neque ad vitium particulariter conuertibilem, neque necessitate naturæ, sed beneplacito voluntatis transgressum esse mandatum: quemadmodum ille parere poterat oppugnationi satanæ, habebat autem potestatem, sic & nos.

Cyril. Alexand. 3. contra Iulian. col. 3. [Voluntariis nutibus rationalis regitur creatura ad hoc, quod rectè se habeat, vel malè, liberis ad opus pro rumpens impetibus. col. 4. [Humana mens potestatem sortita est, quæ facienda, vel non: & permissa est voluntariis impetibus, vt dixi, ad quodlibet ire. lib. 8. sub fin.] Rationalis, & mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum, quæcumque voluerit.] lib. 2. in Ioan. cap. 5. ad ea. [Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem,] ait. [Liberum arbitrium hominis his verbis ostendit: qui ad alterutrum secundum animi sui motum potest proficisci. Sic enim iustè laudem, si bene agimus; & contraria si mala committimus, inuenimus.] eodem spectant eiusdem testimonia plura data q. 1. cert. 2. num. 2. & 5. cert. 3. num. 3. & cert. 4. num. 2. Damasc. 2. fid. cap. 22. circa med. ait, arbitrij nostri electionem vnius præ alio esse verum, [quæ in nostra potestate sunt; & eorum alterutrum facere nos posse.] cap. 26. init. [Eorum, quæ fiunt, quædam in nobis sunt (quæ nobis scilicet libera) in nobis autem sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere.] Subinferius. [Propriè in nobis sunt omnia animæ, de quibus consultamus. Consilium autem eorum est, quæ adæque, vsque, deque contingunt. Adæque vero contingens est, quod idem possumus, & eius oppositum.] Inferiusculè vero in exemplis adæque contingentium plures humanas actiones, tam internas, quam externas, earumque negationes recensет, [& quæcumque sunt eiusmodi, in quibus sunt virtutes, & vitij opera.] Repetit sententiam hanc suam pluries cap. 27. cuius hæc in primis verba de creatura libera nota. [Dominans erit suarum actionum; & potestatem habet refrenare appetitum, & ipsum sequi; & mera arbitrij potestate malitiæ inuentor effectus.] Dialog. contra Manich. vers. fin. Occasione mutationis diaboli à bono in malum ait. [Ex rebus conditis, omnes quidem illæ, quæ rationis participes sunt, voluntatis respectu mutabiles sunt.] Et subdit. [Arbitrij libertate præditum id circo eum condidit: quia, quidquid ratione vtitur, sui iuris sit necesse est. Quorsum enim ratione vteretur, si arbitrij libertate careat.] Subiungenda ex Damasceno data q. 1. cert. 1. n. 8. & 11. cert. 2. num. 2. & 3. cert. 3. num. 5. & 8. cert. 4. num. 2. Ne vero hanc indifferentem potentiæ liberæ potestatem ad bonum absque Dei gratia admitti ab ipso putares, Dei gratiam ad capitis finem ad eam potestatem requirit. Et cap. 30. sub init. vtrumque simul expressit. [Nec citra Dei opem, atque auxilium fieri posse, vt bonum, aut velimus, aut faciamus. Cæterum nobis liberum esse, vel in virtute perstare, Deumque vocantem sequi, vel à virtute abscedere. Author historiæ Barlaam Damasceno à nonnullis adscriptæ c. 15. post med. arbitrij libertatem describit. *Animæ ratione vtentis voluntas sine vllo impedimento ad id, quod vult: hoc est siue ad virtutem, siue ad vitium.* Iterum. *Arbitrij libertas est intellectualis animæ pro suo arbitratu cogitatio.* Olympiodorus ex Peripatetico Monachus in Eccles. c. 3. sub init. docet spiritualem ortum, & interitum nostrum *à nobis pendere*: esseque in nostra potestate. Et cap. 12. sub init. liberam nostram voluntatem, & potestatem curandi de propria salute institutа disputatione statuit, & in Comitoli catena Græcorum Patr. in Iob ad id capitis 34. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium:] cum Nazeta ait. [Hoc quidem tempore bonum, & malum in nostra est potestate: verum in eo, quod sequitur, æro eius rei nobis erit erepta facultas.] Nec pro eadem sententia obscuriora, quæ ex ipso dedimus q. 1. cert. 3. n. 1, & 2. Theodoret. 5. de prouiden. circa fin. [Est autem penes vnam rationem (arbitrium) vis, ac potestas agendarum rerum, vt itacundiam quidem contineat; cupiditatem

tatem vero impellat.] Et ostenso, quomodo altera alteram contineat subdit. [Hæc autem ipsa perfectissimè transiguntur, dum ratio habenas, scientissimè moderatur. Subinferius. Neque hominum sapientissimi coërcendis sceleribus leges vnquam tulissent, nisi compertum illis fuisset, certa sententia humana facinora perpetrari.] Dedimus aliud eius testimonium q. 1. cert. 4. n. 5. Diadocus de vita spirit. c. 5. tom. 5. Biblioth. [Liberi arbitrij potestas est voluntas animæ rationalis ; quæ promptè mouetur, quo velit.] Pachomius apud Surium t. 3. in eius vita c. 67. pag. 329. *Eius, quod in nostra potestate est & dominatu non est, abstinentiam, nec præmio, nec pœna dignum,*] lib. 6. post med. [Liberæ potestatis animalia, quæ mouentur ex sese ipsis, modo in meliorem, modo in deteriorem partem inclinare possunt.] Anast. Episcop. Nyssen. t. 1. Biblioth. q. 6. in script. col. ante pen. ex Basilio. [In potestate nostra situm esse ait, vel à vitio abstinere, vel malos esse.]

Theophilactus Marci 4. n. 27. parabolam seminantis, seminisque crescentis, dum dormit, *& nescit ille*, diuinæ erga nos prouidentiæ ita adaptat, *crescit autem semen* (diuinæ inspirationis, & verbi) *ipso nescio* (nulla scilicet Dei, ac si dormiret vlteriori cura) *liberi enim arbitrij sumus: & in nostra electione oportebit semen, vel crescere, vel non.* Quibus similia habet in Lucæ 20. sub init. & Ioan. 5. vers. fin. ad id. [Neque vultis venire ad me,] & c. 6. ad ea. [Nemo potest venire ad me.] Et c. 13. in id. [Non de omnibus vobis dico, ait, elegit quidem eum (Iudam) cum bonus esset, sicut, & Saul ; sed mutatus est ipse liberi existens arbitrij : Permittit autem vnicuique, secundum quod vult operari : non enim aufert liberum arbitrium.] Constat sibi in hac doctrina ad Rom. 9 in id. [Non volentis, neque currentis.] Item 1. Corinth. 6. circa fin. & c. 10. in id : *Omnia mihi licent.* Ac sæpè alias. Denique Lucæ 15. Filij prodigi parabola, & diuisione substantiæ, quæ contingebat quemque è suis filiis arbitrij liberi, & omnium, quæ illud ad bonum eius vsum iuuent communem omnibus rationalibus creaturis à Deo impertitionem intelligit, tam enim liberum arbitrium, quam reliqua gratiæ, siue externæ, siue internæ dona in substantia, & diuitiis nostris recenset. [At alij, inquit, vtimur hac libertate secundum rationem. Alij autem dilapidamus bonum diuinum ; inferiusculè. Itaque ; qui dedit omnia hæc, ex æquo permisit liberè ingredi.] Adde eius testimonia recitata q. 1. cert. 3. n. 2. & 3. cert. 4. n. 4. cui interpretationi, & sententiæ subscribit Euthymius ad idem c. 15. Lucæ. OEcumen. 1. ad Timoth. 2. [Si Deus vult, quare non fit, quod vult ? non fit, quia illi nolunt,] & 2. ad Timoth. 2. ad id. [Si quis emundauerit se ab his, ait, *Ob id ipsos in progressu accusat, quod se ipsos ad hoc deduxerint.*] Scilicet, vt vasa essent testacea, & prauì, de quibus inferius. [Tales autem possunt voluntate immutari, & ad bonum, & ad malum.] Alia ex Euthymio dedimus q. 1. cert. 2. n. 6. & cert. 3. n. 2. & 3. Zachar. Episc. Miteleneus lib. de mundi creat. sub fin. tom. 4. Biblioth. ait. *Deum sua potestatis fecisse hominem.* His etiam addenda videbantur aliorum Patrum Græcorum testimonia, quæ, cum rem hanc ex scripturæ locis agebamus q. 1. recitauimus. Idcirco satis nunc erit eos nominatim recensere, & loca vbi à nobis recitati sunt, adnotare. Philo Carpathius ea q. 1. cert. 1. num. 8. Concil. Nyssenum num. 10. Philoxenus Episcop. Mabugens. num. 12. Moses Barcepha ibidem, & cert. 2. n. 4. & cert. 3. n. 5. Eucherius cert. 1. n. 12. Synodus Palæstina cert. 2. n. 1. OEcumenius num. 6.

CERTAMEN II.

Alia pro eadem veritate latinorum Patrum testimonia.

1. TAm multus in voluntatis liberæ indifferenti ad vtrumvis ex oppositis potestate statuenda fuit, Augustinus vbique ; vt pene ad legentium tædium esset omnia referre lib. 1. de lib. arbitr. cap. 12. [In voluntate nostra esse constitutum, ait, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono (scilicet bona voluntate) quid enim, tam in voluntate, quam ipsa voluntas, sita est ?] Inde infert c. 13. [Ex quo conficitur : vt, quisquis rectè, honestéque vult viuere (si id se velle præfugacibus rebus velit) assequatur tantam rem, tanta facilitate : vt nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere, quod voluit,] lib. 3. c. 1. fine. [Motus, quo huc, atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis.] Nulla ad rem præsentem cardinis metaphora aptior. Similia docet c. 2. 3. & 4. Ex quibus cap. 3. circa med. [Nil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas : ea enim prorsus, nullo interuallo, mox, vt volumus, præsto adest, vers. fin. Voluntas igitur nostra, neque voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in nostra potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus : aut potest non esse liberum, quod habemus in nostra potestate.] Cap. 5. med. ait hominibus. [Potestatem vtrum velient dedit.] Cap. autem 15. 16. & 18. Sæpè hanc suam sententiam statuit. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei cedi-tur ; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest ? Peccatur autem : ergo caueri potest. Dum scilicet quidquid ex parte cautæ requiritur, ac præcedit, & peccatum ipsum adest, lib. autem de duabus animabus cap. 12. [Animæ, si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi careant. Si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, earum peccatum tenere non possumus.] Quod refert, & probat Magist. in 2. d. 2. §. *si igitur.* Inde vero serm. 47. de sanct. circa fin. ait. [In potestate nostra posuit Deus qualiter in die iudicij iudicemur. His aliisque suis locis abuti Pelagianos (quasi admissa ab ipso arbitrij ad vtrumvis potestate gratiæ Dei auxilium cum ipsis ad rectè, piéque viuendum necessarium negaret) obseruat Augustinus lib. 1. retract. cap. 8. 9. 10. 22. vers. fin. lib. 2. de bono perseuer. De prædestinat. sanct. cap. 5. fin. ostendens ad libertatem nostram bene exercendam gratiæ Dei auxilium requiri : imo cum illo, ac, non sine illo stare ad rectè, piéque viuendum voluntatis, & arbitrij nostri potestatem cum iis omnibus, aliisque locis pluribus contra Pelagianos, & Semipelagianos, tum lib. de prædestin. & grat. cap. 9. vbi, ne gratiæ Dei, qua ad bene operandum quisque eget, totum suæ salutis opus committens in desidiæ fœcem vltimam resolueretur : *inter se*, inquit, [atque homines, Deus tempora, officiaque distribuens ordinauit : vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus : vocati autem, atque illuminati vias mandatorum eius boni genij intelligentia nosceremus : & eas libero, vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio] 2. de peccator. merit. & remis cap. 18. ante med. de voluntatis nostræ arbitrio, ait, *Huc, atque illuc liberum flectitur* : ex eisque bonis esse, *quibus & male vti malus potest.* lib. 2. Actor. cum Fælice Manich. capite tertio, med. *esse liberum arbitrium : & inde peccare quemquam, si velit ; non peccare si nolit.* Non solum ex scriptura, sed ex Manichæi verbis probat capite quarto, init. idem ex illa Christi sententia : *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* His verbis probat : [cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest ; sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona ; aut eligere, quæ mala, & esse arbor mala.] Et infra. [Aut facite hoc, aut facite illud, ostendit in potestate esse, quod facerent.] Ex eo verò capite ad totum caput 12. pro indifferenti hac arbitrij nostri potestate, & contra necessitatem altetrum determinate operandi disputat fusè libro primo retract. capite 22. circa fin. [Nisi quisquam voluntatem mutauerit bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus dicit (proxime

de arbore bona, aut mala) quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus: in potestate quippè hominis est, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo.] Quæ etiam recipiuntur à Magistro in 2. d.28. cap.4.

2. Pergit inferius Augustinus. *Sic intelligendum est*, quod dixi (cap. 27. contra Adimantum Manich.) *in nostra potestate esse, vt, vel inseri bonitati Dei, vel excidi eius seueritate mereamur,*] c. 105. enchirid. *Sic hominem prius oportebat fieri: vt bene posset velle, & malè,* (quæ etiam habet lib. de corrept. & grat. c.11. recepta à Magistro d. 24. c.1.) & c. 107. *Sic factus est homo rectus, vt manere, in ea rectitudine posset, non sine diuino adiutorio; & suo fieri peruersus arbitrio. Vtrumlibet horum elegisset Dei voluntas fieret, vel ab illo, vel de illo. Quia suam maluit facere voluntatem, quam Dei, de illo facta est voluntas Dei,* lib.1. de Genes. aduersus Manich. cap.3. ait. *Ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad Dei præcepta implenda conuertere se homines possunt, si velint.* Id quod nusquam pelagiane dictum à se monet 1. retract. cap. 10. vbi ait. *Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino: & tantum augetur munere charitatis, vt possint,* lib. de corrept. & grat. cap. 1. circa finem. *Liberum arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: in bono autem liberesse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo.* Deo scilicet lib. de ciuit. cap. 6. fin. *Si eadem tentatione ambo tententur: & vnus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseueret: quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* 1. de prædest. sanct. c. 3. *Illa itaque natura, in qua data est nobis possibilitas habendi fidem, non discernit hominem ab homine; ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Non quia credere, aut non credere non sit in potestate voluntatis; sed quia in electis præparatur voluntas à Domino in radice opportunæ vocationis. Vnde ad ipsam fidem, qua in voluntate est, pertinet: quid habes, quod non accepisti?* in radice scilicet *opportunæ vocationis.* Et cap. 6. *Ecce misericordia, & iudicium. Misericordia in electione, qua consecuta est iustitiam Dei; iudicium vero in cæteros, qui excæcati sunt. Et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt illi, quia noluerunt, non crediderunt.* De spiritu, & lit. c. 34. [Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, & dissentire propriæ voluntatis est,] tract. 53. in Ioann. ad id. [Non poterant credere, inquit: quare autem non poterant credere, si à me quæratur? cito respondeo [quia nolebant.] Poterat ergo potestate antecedenti credere, si vellent; & si, quia noluere potestate consequenti non poterant ex Augustino q. 68. ex octog. trib. de vocatis ad cœnam. [Neque illi debent sibi tribuere: quia vocati venerunt: neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; sed tantum sibi. Nam, vt venirent, in libera voluntate vocati erant.] De pecator. merito, & remiss. cap. 12. & 17. [Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, fine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit? possem facillime, ac veracissime respondere: quia homines nolunt.] Plura alia ex Augustino pro voluntatis, & arbitrij nostri liberi indifferenti ad vtrumvis pro libito agendum potestate ad eius, & operum libertatem necessaria, & dedimus q.1. cert.1. n.11. cert.2. n.1. bis n.3. n.5.9. & 10. cert.3. n.1.5. & cert.4. n.4. & dabimus infra, dum necessitatem antecedentem operandi à potentia libera omnino relegandam ex scriptura, & Patribus ostendamus, nonnullisque eorum testimonij, ab aduersariis productis, respondeamus. Viderique alia non pauca ad rem eandem eiusdem testimonia poterunt apud Hieronymum Torrensem de grat. & lib. arbit. c.3. ad titulum vsque nonum pro hac indifferenti potestate liberæ nostræ voluntatis, non obstantibus voluntate, prædestinatione, & præscientia diuinis.

3. Pro eadem veritate stetere omnes Africæ Episcopi rescripto ad Zozimum Pap. ea in re approbati à Cœlestino 1. epist. 1. ad eos Episcopos. Etenim negantes necessitatem gratiæ ad rectè viuendum, totumque salutis negotium arbitrij nostri libertati, & potestati deferentes, quasi per transitum, [districto gladio veritatis confutasse.] Omnes Episcopi Africæ rescripserunt. [Quid enim (aiunt) tam libero fecistis arbitrio, quam, quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulistis?] Cum vtique, vt veritatis prima regula, posset inconsultis illis de eis statuere: [& tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidistis, veraciter, fidenterque dixistis. Ideo vtique: quia præparatur voluntas à Domino; &, vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum tangit ipse corda fidelium: vt neque nostrum decisse sentiamus arbitrium; & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.] Cyprian. lib.1. epist.3. ad Cornel. longè ab init. in id Ioan. 6. [Numquid & vos vultis abire? ait, seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi, vel mortem appetit, vel salutem,] lib. 3. ad Quirinum cap. 32. ita inscripsit. [Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam.] Sub quo pro potestate ad vtrumvis voluntatis multa scripsit; sicuti & lib. 4. epist. 7. alias 76. ex epistolis, & lib.1. *de opere, & eleemosynis* fine vide aliud Cypriani testimonium datum q.1. cert.2. n.6. Ambros. 1. exhamer. c.8. post med. [In nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coërcere cupiditates. In nobis est etiam indulgere luxuriæ, &c.] Subinferius. [Illa cauenda quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta, &c. Quorum ergo nos sumus Domini horum principia extrinsecus non requiramus. Quod enim possumus non facere, si volumus, huius electionem mali nobis potius debemus, quam aliis adscribere.] Et in Psal. 40. ad id. [Homo pacis meæ, in quo speraui, ait, Bene, ait, speraui: quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur.] Non autem nisi à potente speratur; cum tamen id Iudas, à quo sperabatur non præstiterit, sed oppositum, lib.2. de Cain, & Abel c.7. *In te vetorquetur iniquitas tua: tu princeps illius es.* Et in Psal. 118. serm. 11. v.4. fine ait: Deum incarnatum contrarias Potestates fide, verbo, & opere nostro conterendas nobis subiecisse. [Si ergo non conteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa non vteris potestate. In nobis est igitur, vt, aut subiiciatur aduersarius, aut resulter.] Subinferius. [Possumus ergo in hac vita triumphum de aduersariis habere perpetuum.] Plura ad rem hanc Ambrosij loca, qui volet, legat apud Ioan. Nopelium lib.2. confess. Ambrosianæ c.2. totis quinque titulis prioribus addedata ex ipso q.1. cert.3 n.2. cert.4. n.6. Hilar. præter data q.1. cert.3. num.2. Et danda cert. sequenti in id Psalm.1. *Tunc loquetur ad eos in ira sua.*

Hieronymus lib. seu dialogo 3. contra Pelagian. sub med. de arbitr. ait. [In eo tantum est, vt velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum.] Et col. 3. Hoc est, quod tibi à principio dixeram, in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, &c. vt liberum seruetur arbitrium.] Longè ante med. [Tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum dans ei potestatem conuersionis, & pœnitentiæ.] Epist. 147. ad Damasum de filio prodigo col. 3. [Ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus.] Epist. ad Cresiphont. aduersus Pelagian. col. 4. ait. [Nos debere orare, vt accipiamus quotidie, quod semel accepimus in nostra sit potestate.] Epist. 8. ad Demetriad. (non illa tomi 4. Pelagianimi suspecta) c. 7. [Velle, & nolle nostrum est. Ipsum quoque, quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est. Infra. Tuum est eligere si volueris, &c.] Epist. 150. ad Hedibiam q.10. tom. 3. [Ostendit te liberi esse arbitrij: & facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. Infra. Deus æquali cunctos sorte generauit: & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult, siue bonum, siue malum, in 26. Hierem. ad id. [Si non audieritis me, &c. in nostra ergo posita est potestate, vel facere quid, vel non facere.] Et bonum in Dei gratiam esse referendum. In Ezech. 33. ad ea. [Si me dicente ad impium, &c. vbi dicitur tacente Propheta ab ipso impij mortem repetendam, loquente vero ab impio inobediente voci illius, ait. [In vtrumque liberum seruari arbitrium: Dum in voluntate Magistri est, vel tacere, vel loqui: Et in auditoris arbitrio, vel audire & facere, vel contemnere.] In Isai. 1. ad id: [Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comede

comedetis, inquit, liberum seruat arbitrium, vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.] Et in cap. 57. ad ea. [In partibus terrenis pars tua ait; Hoc fecerunt propria voluntate, quia in nostro consistit arbitrio bonum, malumve eligere.] Et in 1. Malachiæ ad id: *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*, ait: *Esau, & Iacob de vna stirpe generates*, &c. *Hoc est: vitia, atque virtutes ex vno cordis fonte procedere: dum in vtramque partem, vt volumus, declinamus.* In 5. ad Galat. ad ea verba: *Persuasio vestra non est ex eo, qui vocauit.* Sic ait, *Galatas accusauerat, quare non obedierint veritati, ostendens in eorum arbitrio positum, vel obedire, vel non obedire.* Subinferius. *Dei est vocare; hominum, vel credere, vel non credere; & 9. Ipse,* (vel quicumque author epistolæ 17. de explanat. fid. ad Damasc.) fine ait: *liberum si confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei semper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum euitare non posse, quam illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus: hominem semper, & peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc fides est B. Beatissimæ, quam in Ecclesia Catholica didicimus.* Id ipsum docet exponens dubitatiuas dictiones scripturæ. *Fortè forsitan*, & similes, vt suprà retulimus quæst. 1. cert. 4. num. 5. & 7. Alia ex ipso data ead. q. cert. 1. num. 8. cert. 3. num. 1. cert. 4. num. 4. & 6. recognosce.

Tertullianus 2. aduersus Marcion. cap. 6. post med. [Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est homini, vt sui dominus constanter occurreret, & bona sponte seruando, & malo sponte vitando dixerat autem ad id. *Ante hominem vita, & mors,* cap. 5. eiusdem libri: *Posse te, si velis, ostendit, qui tuo arbitrio vtrumque proposuit.* Constat sibi pro indifferenti arbitrij nostri potestate vbique Tertullianus seq. lib. 4. lib. ad scapulam, lib. de exhortat. ad castitat. lib. de Monogam. c. 23. lib. Apologet. c. 28. lib. de Trinit. post init. (si Nouati is liber sit) quam doctrinam nemo in Tertulliani erroribus recenset. Huc spectant alia eiusdem testimonia recitata q. 1. cert. 1. num. 11. cert. 2. num. 3. & 7. cert. 4. num. 1. & 8. Arnobius 2. aduers. gent. vers. fin. [Si tibi fastidium tantum est, vt oblati respuas beneficium muneris: quid inuitans peccat: cuius solæ sunt hæ partes, vt sub tui iuris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli est (inquit Plato) Deus causa (scilicet determinans nec eius potestati electionem relinquens, & si ad meliorem inuiteret) nec alterius voluntas adscribi potest cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipsius sit potestate, qui voluit) Lactant. 4. diuinar. institt. cap. 24. sub init. ait, Præcipiens; [Libertatem relinquat: vt & præmium sit constituendum parentibus; quia poterant non parere si vellent.] Infrà venisse Dei filium ait, vt daret [iis liberam facultatem sequendi Deum: vt & præmium vitæ adipiscerentur, si eum secuti fuissent, & culpa sua mortis pœnam incurrerent, si Regem suum repudiassent.] Aliud eius testimonium ex lib. 2. cap. 5. ante med. recitabimus pro exclusione necessitatis ad vnum à potentia libera; vbi ad præsens institutum ait: *Quia liberæ sunt voluntatis huc, atque illuc vagantur, vt libuit: & quocumque mens duxerit eo fertur.*] Dedimus ex Lactantio alia q. 1. cert. 1. num. 10. & si autem Amobij adhuc catheciumeni opera hæc (sicuti, & Lactantij ipsius discipuli) cap. Sancta Romana dist. 15. inter apocrypha numerentur; tamen non ob communem hanc scripturæ, & Patrum doctrinam fuit, esseve potuit; sed ob alias in nouioribus editionibus à textu expunctas, & ad marginem notatas, quibus notis ad pristinum textum, olim Episcopis probatum, sunt restituti; eorumque de reliquo authoritas magni apud Doctores habita est. Iulius Firm. de erroribus profanar. relig. c. 29. circa fin. t. 4. Biblioth. [Liberum te Deus fecit: in manu tua est, vt, aut viuas, aut pereas.] Prudentius. Hamartigenia longè à med. contra Marcionem ait.

Non sit sponte bonus, cui non est prompta potestas,
Velle aliud, flexosque animi conuertere sensus.

Et inferius.

Quodcumque sequendum,
Sub nostra ditione situm, passimque remissum,
Alterutram caleare viam.

Plura in eandem sententiam ibi scripsi, quæ pro exclusione necessitatis à potentia libera in sequentibus recitabimus cert. 3. lib. item 2. de geniis aduersus Symmachum circa finem ait.

Imo nocens, quicumque volens, quod non licet, audet:
Alterutrum quia velle suum est.

Plura eius in eandem sententiam carmina dedimus q. 1. cert. 1. num. 10.

6. Optatus Milleuit. lib. 7. aduers. Parmenian. sub init. ait. [Homicidam, & adulterum furtum facere posse, & posse non facere; adulterium admittere, & non admittere.] Paulin. epist. 4. ad Seuerum fine. [In nobis est vnde soluamus. Res potestatis nostræ est noster affectus. Hunc Domino impendamus, & soluimus.] Epist. 8. ad eundem circa med. [Agnoui bonum, & feci malum: cum æquè mihi liberum esset bonum facere; quæ ergo misero mihi supperet venia peccat] ? Gaudentius Brixianus tract. 3. in Exod. seu serm. 3. de manducat. Agni Paschal. à med. [Manducauit homo, primus, quia voluit; mandatum non custodiuit, quia noluit: morte mulctatur, quia mandatum seruare potuit, & non studuit. Igitur si vnius arbusculi fructus temere à protoplastis degustatus mortem generi acquisiuit humano: potuit & Machabæis nunc sub lege positis interitum parare mandati diuini transgressio, quibus nunc honorem, & gloriam præcepti eius custodia comparauit,] serm. 13. de natal. Domin. ex illo Eccles. 15. [Ad quod volueris porrige manum: ait, vult Dominus verè iustus iudex, vt meriti proprij sibi sit causa vnusquisque extende manum tuam: hoc est opus tuum.] Ennodius fic lib. 2. epist. 19. ad quendam Constantium scribens apud Turtianum nostrum lib. 4. expositi. [Inuentus est homo, qui seruos Christi sub hac occasione cribraret: asserens de arbitrij libertate in vna tantum parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam. O schismaticam propositionem, quæ iuxta Apocalypsim; scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ est ista libertas (si valet edisserat) vbi hoc tolum datur velle, quod puniat? aut quare electionem nominat, vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam. Quod si veritate subsisteret, locum diuina iudicia non haberent. Quid enim bonis à nobis Deus noster rectè quæreret, qui apperentiam eius de voluntate substraxerat? Sed iuxta Apostolum: Numquid iniquus Deus? Absit inter homines à recti discordat affectu, qui à subiectis exigit, quod in potestate non tribuit. Hoc de Deo, qua conscientia sentiatur aduertite. Vbi est illud Apostoli clamantis, & pro arbitrij libertate testantis; velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio? Quid est aliud, quam dicere: noui dextrum iter eligere; sed, nisi ingredientem inuenerit gratia superna, lassabor. Nemo negat, nemo condemnat: quod Authore gratiæ præstante, & ipse æquitatis callis hominibus aperitur. Dux enim bonorum, & præcessor est gratia, quando cœlitus multiplici ad requiem incitamur hortatu: quando nobis dicitur: Venite filij audite me. Sed nisi talibus monitis, & voluntas nostra, quæ libera est, præstet obsequium ad periculum, & gehennam non imperio aliquo, sed sponte deuoluimur;] Alioquin ferè immediatè ait; [non erit iuxta retributio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus; aut bonam mercedem offert, ad quod; attrahuntur inuiti. Debemus, ergo gratiæ, quod vocamur. Debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur. Nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur. Via enim sceleris, non imperatrix nostra legitur esse, sed famula: cum de peccatis dicitur, sub te erit appetitus eorum. Quid etiam sibi vult vniuersa Propheræ, quasi sertis redimita loquutio? Noli æmulari in malignantes. Nolite considere in principibus. Nolite fieri sicut equus, & mulus. Et Apostolus. Nolite fieri serui hominum. Tories noli in superna admonitione quo respicit; si aliud velle non licuit?] Quid illustrius? Fors quod contra eiusdem errorem de Dei gratia

omnem noſtram poteſtatem liberam ad opus honeſtum, & meritorium abſorbente, & electionem abolente ex malè intellectis Pauli verbis *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Notat ſtatim à Paulo ſubiunctum. *Gratia Dei in me vacua non fuit, & plus omnibus laborauí.* Ad quæ ita commentatur. *Quod dixiſſe eſt: Chriſtus in me, quem digne, aut abundanter muneraretur inuenit. Non enim pauper eſt diuina gratia, ſed meritorum noſtrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari; quæ tunc non æſtimatur ſuis meatibus fluere, quando de ſuis curſibus ariditatis noſtræ vena nil recipit.* Subinferius. *Vult ad illud pertingere: neminem ſuo vitio, aut negligentia perire, ſi homo vtriuſque rei, boni, & mali electione priuatur. Hos tantum iactat potuiſſe ſaluari ſine labore vllo, ſine mandatorum amicitia, quos peregrinantes à merito fauor tantum cæleſtis eripuit: perinde (quod in ipſum referatur) illos periiſſe intelligit, quos gratia noluit diuina liberare.*

Proſper. 2. de vocat. gent. cap. 12. ait, [Ideo liberum eſſe diſcedere, vt non diſceſſiſſe ſit præmium: &, vt, quod non poteſt, niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum potuit voluntate non fieri,] cap. 28. init. [Ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat. Alioqui nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide, neminem concupiſcentia vinceret (ſi Dei voluntas, & adiutorium præquiſitum ad velle de ſeſe efficax foret) ſed quia poſſunt hæc fieri, & in conſenſum talium tentationum facilis nimium procliuiſque defenſio eſt: nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non ſonare: vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem,] Eumque ad arbitrium Domini hortatum extare ait: *vt diuinè ſit muneris, quod etiam vigilantes tentationis procella non vincat*, hinc autem: *ſicut qui crediderunt iuuantur, vt in fide maneant: ſic, & qui non crediderunt iuuantur, vt credant? Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, vt excant: ita iſti, in ſua habent poteſtate, vt veniant.* Alia Proſperi in eandem ſententiam dedimus q. 1. cert. 2. num. 9. Fulgent. de fide ad Petr. cap. 25. firmiſſimum, & indubitatum eſſe ait: [Protoparentes rectos, & cum libero arbitrio creatos, quo poſſent, ſi vellent, humili, & bona voluntate ſeruire, atque obedire: quo arbitrio etiam poſſent, ſi vellent, propria voluntate peccare. Quam etiam ad vtrumvis poteſtatem Adæ poſteris aſſerit lib. de incarnat. & grat. à cap. 19. ad 24. cap. autem 6. eius reſcripti Petri Diaconi ſententiam, ſeu potius fidem, hanc recitat, tacituſque probat. [Credimus creatum à Deo Adamum (in ſtatu, & domo innocentiæ) magnaque præditum libertate, ita vt, & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, ſi vellet, poſſet admittere,] Magn. Gregor. lib. 23. moral. cap. 20. alias 25. [Idcirco enim nequaquam cœleſtis patriæ præmia æterna ſuſcipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt.] Inferiuſculè. [Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum. Dei per præuenientem gratiam. Noſtrum per obſequentem liberam voluntatem. Rurſus: quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus, quod eius munere præuenimur, & rurſum: quia non immerito retributionem quærimus. Scimus, quod ſubſequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus,] lib. autem 25. cap. 6. dixerat: [quia ergo nunc in poteſtate noſtra eſt internum mentis noſtræ contra nos ſubire iudicium, recognoſcendo accuſemus nos ipſos. Neque enim vltra in hominis poteſtate eſt. Iuxta Iobi, quam ibi expendit ſententiam, hom. 5. in Ezech. circa fin. pulchra clypei (quo Dei gratiam, & amicam erga nos prouidentiam intelligit) eiuſque vſus noſtri metaphora rem præſentem ſub oculos ipſos poſuit. [Clypeos pro noſtro nutu nimine vbicumque volumus mouemus: clypeus vero in manu eſt, & defendit, quia virtus patientiæ, virtus miſericordiæ, præcedente nos gratia, & in poteſtate eſt arbitrij, & à periculo protegit aduerſitatis. Recitabimus ex ipſo aliud teſtimonium q. 1. cert 4. n. 8.

Bernardus ſerm. 81. in cant. circa med. [Ex hac (libertate) nempe ineſt illi (animæ) inter vitam, & mortem, ſed & nihilominus inter lucem, & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi. Infra. Vnde, & liberum vocatur arbitrium, quod liceat auerſari in his pro arbitrio voluntatis, inde homo ad promerendum potis. Omne enim, quod feceris, bonum, malumve, quod quidem facere liberum ſit, merito ad meritum deputatur.] Subdit aliquos poſſe facere mala, quæ non faciunt, & poſſe non facere bona, quæ faciunt, tract. de grat. & lib. arbitr. col. 2. & 3. vſque ad tractatus finem plura pro indifferenti hac potentiæ liberæ poteſtate ad vtrumvis, & excluſione neceſſitatis ad alterum extremum dedit, quarum aliqua dabimus in ſequentibus pro eius neceſſitatis excluſione. Dedimus item ex Bernardo alia q. 1. cert. 3. n. 4. Petrus Ab. Cellenſ. lib. 1. myſticæ expoſit. Moſaïci tabern. longè à med. [Productiles facti ſunt Cherubin, non quia volentes à verti, vel conuerti creati ſunt; ſed quia habiles ad volendum hoc, vel illud. Poſt creationem vero, quia productiles facti ſunt ſpontanea voluntate alij elegerunt bonum; alij malum. Et de operante gratia (quam acceperunt in creatione) ſeruata cooperantem meruerunt: qua, non ſicut ex operante iuſtificatur impius; ſed qua cooperante iuuatur ad bene volendum, & perſeuerandum pius. Author libri de Eccleſiaſt. dogmatibus Auguſtino adſcripto cap. 21. init. de homine in ſtatu innocentiæ ait, [Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt homo, ſtatim in prima conditione: vt ſola vigilantia mentis annitente etiam in præcepti cuſtodia perſeueraret, ſi vellet in eo, quod creatus fuerat, permanere.] De eodem vero iam lapſo ſubinferius. [Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas: ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei.] Inferiuſculè. [Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus: vt acquieſcamus ſaluti ferę inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt. Quæ res non infirmat, quod dictum eſt, quid habes, quod non accepiſti?] Tranſcripta hæc ſunt ab Authore libri de ſpiritu, & anima Auguſtino tributi t. 3. cap. 48. Author Hypognoſticon Auguſtino etiam appliciti lib. 3. col. 3. [Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione, vel diſcernendo quid eligat, quidve recuſet, puto, quod nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quia in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi, quod velit poſſibilitatem.] Et ſubinferius de Adamo. [Non enim per aliud contraxit offenſam, niſi per id, quo potuit, ne delinqueret, reſiſtere ſuadenti.] Dei gratiæ ſubdit Beda q. 13. var. ait; [hominem talem creatum fuiſſe à Deo, vt poſſet velle bonum, & non velle,] & verſ. med. & poſt med. multa in eandem ſententiam ſcripſit; ſine vero. [Ita Deus nobis bona ſua promittit, vt tamen labore noſtro adquiranturs quod ſi voluerimus ad laborem in omnibus, quæ bene agemus cooperabitur.] Recole recitata ex eodem q. 1. cert 4. n. 4.

9. Tam multus in hac veritate demonſtranda fuit Anſelmus variis operum ſuorum locis, præſertim lib. de concordia libertatis noſtrorum operum cum certitudine, & infallibilitate prædeſtinationis, & præſcientiæ diuinæ: cum eam ex hac indifferenti ad vtrumvis arbitrij noſtri, illis etiam poſitis, poteſtate vnice. Tertio quoque, vt aiunt, verſu, & aſſerat, & oſtendat. Id ſolum ex eo nunc recito, quæ ſub eius libri finem ſuas cuique, & Deo & homini in bonis, maliſque peragendis partes diſtribuens ait. [Homo habet in bonis, quod mala non ſunt. Quia, cum poſſet (ſe ſolo) deſerere iuſtitiam, & mala facere, non deſeruit; ſed ſeruauit per liberum arbitrium dante, & ſubſequente gratia.] Plura dabimus ex hoc libro cert. 3. & ſequentibus; vbi neceſſitatem à potentia, & operibus liberis excludamus: & quænam neceſſitas ita à Patribus excluſa ſit, explicemus. Interim ex aliis eius operibus ipſum ad rem præſentem audiamus. De caſu diaboli c. 14. [Neceſſe eſt, vt ſic faciat Deus vtramque voluntatem in illo conuenire: &, vt beatus eſſe velit, homo, quatenus addita iuſtitia ſic remoueret voluntatem beatitudinis (in communi, quam neceſſariam dixerat c. 13.) vt reſecet voluntatis exceſſum, & excedendi non ampliet poteſtatem. Vt, cum per hoc, quod volet beatus eſſe, modum poſſit excedere, per hoc, quod iuſtè volet, non volet excedere,] c. 27 fine negat diabolum ideo voluiſſe, quod non debuit, quia ita velle potuit. [Quia, inquit, ſimiliter potuit bonus Angelus velle; æque tamen voluit. In cap. 6. Matth. ad id fiat voluntas tua, ait: *Contingere, vt Deus per miſericor-*

diam

diam velit de aliquo prauo, quod sit iustus, & conferat illi gratiam suam: & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratia Dei consentiat. Subinferius *In Paulo* (absolutè prædestinato) *tamen videtur cogens voluntas Dei sed non est quia, licet sit persuasus, tamen voluntas erat libera, vt resisteret, si vellet.* Insuper in id ad Timoth. 2. *Et dicebat ab iniquitate*; sic fatur. [Liberum arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, & simus ex illis, quos ipse nouit suos esse; vel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere.] Et c. 4. de conceptu virginali, & peccato originali post. med. [Deus nos, & potestatem, quæ in nobis est, subiecit voluntati: vt ad imperium eius nos possimus mouere nos, & facere, quod vult: imo illa mouet nos, velut instrumenta sua, & facit opera, quæ videmur facere: neque nos possumus illi per nos resistere: neque opera, quæ facit, possunt non fieri. Dominæ, quam dedit nobis Deus, neque possumus, neque debemus resistere: quando illi obedimus, Deo, qui hanc legem nobis dedit, obedimus.]

10. Hugo Victorin. t. 4 lib. 2. instit. monasticæ de anima transcripsit, approbauitque secundum testimonium ex lib. de Ecclesiast. dogmatib. cap 21. à nobis recitatum n. 7. & annotationib. elucidatoriis epist. ad Roman. cap. 9. sub init. ait, *Promissio, quandoque cum eorum, ad quos fit, libera voluntate: vt in proprio, scilicet, habeat arbitrio promissionem factam suscipere, vel respuere.* Et inferiusculè, quæstioni de duobus æque vocatis, non æque respondentibus, ait, [Solutio vtrique data est gratia, qua potuit consentire: Alterius tamen mens mota est, & consensit: quod de bono naturæ potuit, quia velle adiacebat ei: quod ante gratiam implere non potuit, per gratiam quidem excitata est, & resurrexit. Alter, cum posset, non consensit, sed gratiam oblatam reiecit: vt apparet in solis radio, & duobus in foueam lapsis, qui oculos aperit, videt, non sine solis claritate; qui oculos claudit non videt. Sic, qui manum meam apprehendit extrahitur à me de fouea qui autem negligit, nec nititur cum auxilio sibi exhibito non exit.] t. 3 tract 3. sum. c. 6. ait: [Appetitum iusti secundum voluntatem esse, per quem homo promereri potest, siue bene remendo, cum posset deserere, siue male deserendo, cum posset retinere.] Et c. 9. clarius exemplo futuri téporarie respectu antecedentis temporis, ex quo non determinatur fore, quod depræsenti est, indeterminationem in causa antecedenti natura ad contingens ita explicuit, *quod in præsenti est non est in potestate nostra, vt tunc sit, vel non sit* (ex suppositione nimirum quod est) *Sed vtrum in futuro ita se habeat, vel non, in potestate liberi arbitrij est,* (quia neque instans suæ existentiæ, vlterioris, & exercitij arbitrij in illo, nunc adest, neque ex hoc instanti, neque ex exercitio arbitrij liberi in illo futuri existentia pro sua vlteriori durationè determinatur. *Nec ad omnia futura se habet; sed ad ea tantum, quæ possunt fieri, & non fieri,* lib. 1. erud. Theologicæ cap. 178. ex Miscellaneis. [Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis: quia potest vel adiuuante gratia ad bonum, quod non habet, vel minus habet, proficere; vel sinente gratia à bono, quod vel habet, vel habere debet, per semetipsum deficere,] quam definitionem liberæ potentiæ vniuersalius, atque ab electionis materia abstractius repetit 1. de sacram. par. 6. c. 4. p. 5. c. 11. & 21. his verbis. *Libertas est habilitas voluntatis, qua mouetur ad vtrumque.* Consonat c. 22. & fine 2. tom. lib. 9. in caput 9. Dionysij de cœlest Hierarch. post libri med. [Sicut in nostra potestate non est, vt diuinæ illuminationis donum nobis offeratur: ita, nonnisi in nostra potestate est, vt oblatum suscipiatur. Nam aliquando, cum nolumus, offertur; sed non suscipitur, nisi, cum volumus: & cum volumus quidem, à Deo volumus: quia donum Dei est voluntas bona; cum autem nolumus, à nobis nolumus,] quod fusius colligit, & confirmat ex illo Dionysij: *illa quidem non reuelantur per propriam potestatem prouidentium.* Vbique autem, vt vidimus, Dei gratiam, & electionem bonorum operum, & meritorum causam esse, non verò à contra hæc illarum, ex doctrina docet Augustini: expressius verò tract. 1. sum. sententiar. c. 12. post med.

11. Richardus victorinus de statu inter. hominis p. 1. cap. 13. *Arbitrium hominis, non ideireo liberum dicitur, quod promptum habet bonum vel malum facere* (externè nimirum) *sed quia libertatem habet bono, vel malo non consentire.* In eo quippe stat libertas formalis, & immediata arbitrij, vnde mediata in externas descendit potentias Subinferius. *Libertatis est, quod potest etiam consentire, & non consentire inspirationi diuinæ, & similiter suggestioni diabolicæ:* cap. 6. docet hominem posse libera potestate refrenandi suas passiones, & effrænatas frangendi, emolliendi, & vlciscendi. At horum autem potestatem non, nisi ex Dei gratia, esse docet expressè cap. 21. 22. & 23. & de erudit. interioris homin. par. 1. lib. 1. cap. 29. à med. Laurent. Iustinian. serm. Sanct. Lucæ sub init. *Valet enim, sicut assensum præbere, ita gratiæ repugnare diuinæ. Magna profecto liberi arbitrij virtus est, qua salutis, seu propriæ damnationis efficitur causa: vnde reprobationem meretur, & laudem.* De contemptu mundi cap. 8. init. [Præstitit quippe Dominus liberam boni, vel mali eligendi facultatem: qua mediante mercedem iustus, improbus autem merito condignum habeat de mali perpetratione supplicium.] Vers. finem. Pulsanti ad cordis ostium aperire, peccator, noluit, seque vocantem sapientiam audire neglexit. Poterat quidem vocatus respondere, annuere, & obtemperare, fieretque iustus.] Porrò ea omnia quæ ex Patribus toto hoc certamine produximus non solum indifferentem ad vtrumvis arbitrij, seu liberæ in actu, vt aiunt, primo voluntatis nostræ potestatem cum alterum extremum determinatum amplexatur, exequiturque irrefragabiliter euincunt; sed & potestatem hanc ad bonum aliquid præstandum, non viribus, & iure naturæ, nec sine Dei gratia, vocatione, inspiratione, auxilio, & inuamine vsquam, vnquamve voluntati nostræ inesse, ad esseve posse: vti ex verbis ipsis Patrum recitatis plerumque, vel ex stata apud ipsos aliis notatis locis doctrina clarescit: ac proinde potestatem hanc ad oppositum etiam actus boni eliciti (ad quod, & Dei voluntas, & decretum concursus, auxilium gratiæ, efficax etiam, adesse debet) cum his omnibus absolute positis omnino apud Patres consistere. Vnde de ipsissimo mendacio conuincuntur Magdeburgenses centuriatores cent. 2. pag. 59. cent. 3. pag. 77. apud Feuardentium in Irenæum lib. 4. cap. fine, & Caluinus apud Ruardum Tap. art. 7. pag 371. asserentes Patres in liberi arbitrij doctrina sibi non constare, firmumve quidquam tradidisse: atque Græcos, præsertim Chrysostom. plus nimio arbitrij, & voluntatis nostræ viribus detulisse, dum potestatem, & dominium suarum actionum illi concesserunt: quasi gratiam Dei ab ea ad pie, honeste, rectèque viuendum, & operandum potestate reiecerint. Quibus Patribus adde Innoc. Pap. & Cœlest. item Pap. recitatos & Glossam.

CERTAMEN III.

Ad libertatem arbitrij, necessitatem alterius partis, & (quod consequens) impossibilitatem alterius absolutam constanter apud Patres omnino excludi.

1. NIhil sanè à Patrum authoritate agendum certamen proximum relinqueret: si ingenui veritatis amatores omnes homines essemus, solaque legitimi, & naturalis discursus ratione, aliis politicis, & quas status vocant, ablegatis, res hæc apud omnes ageretur. Cum enim constans ex certamine proximo apud Patres sit: posita gratia, omnibusque, ex parte etiam Dei requisitis in voluntate libera. & arbitrio, vt possit actum liberum elicere, posse absolute tunc arbitrium, vel oppositum agere, & ab eius effectione seipsum suspendere: certum, & constans apud eosdem est, eisdemque locis, positis iisdem gratia, & cæteris, etiam ex parte Dei requisitis, actum illum liberum non esse voluntati, & arbitrio nostro neces-

farium: & subinde, neque oppositum actum, illiusque omissionem ipsi impossibiles: illius enim necessitas absoluta in iis circunstantiis, atque omissionis eius, & actus oppositi in eisdem absoluta impossibilitas, possibilitati absolutæ horum in circunstantiis eisdem, quam absoluta potentia ad illos in eis circunstantiis necessariò concernit, manifestè contradicit, vt vlr. quæst. demonstrabimus: sed tamen eorundem Patrum interminis (vt aiunt) ipsis necessitatem alterius partis, & oppositæ impossibilitatem ab arbitrio, & voluntate libera in eis circunstantiis excludentia testimonia recitanda erunt, vt obstinato negantium frangatur protervia. Plerumque autem ex eis Patrum locis erunt, ex quibus eorum sententias pro voluntatis liberæ potestate absoluta ad vtrumvis (in quibus, & præsens veritas, vt dixi, contineatur) recitabamus: Et audiendus quidem inprimis venit Theologorum summitas, & Apostolorum Princeps Petrus apud Clement. Roman. 3. Recognit. circa med. pag. 4. vbi ait ex iis, qui Dei verbum audiunt aliquos obedire, vt libera in primis, atque adeo à necessitate soluta obedientia monstraretur. *Quod si*, inquit, *Omnes, qui audiunt Dei verbum obedirent naturæ, magis esset necessitas, qua omnes vna ageret via, quam potestas agendi vtrum malint*, ab ipso immediate asserta, & recitatis supra locis. Eiusque sententiæ, & rationi insistens Clemens ipse Roman. de officio Sacerdotis, & Clericor. col. 4. ait. *Nam, si hoc esset, vt videntes ea iam non haberent in potestate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam naturæ, per quam iam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut, si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, qua vnum aliquid fieri cogeret.* Dionys. Areopag. de cælest. Hierar. cap. 9. post med. rogat, cur Iudæus solus populus Deum agnouerit? *Respondendum*, inquit, *errorem, quo aliæ nationes in eos, qui Dij non sunt, deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non esse tribuendum; sed eorum contumaci voluntati*, &c. reddit- que post pauca rationem. *Neque enim vita nobis data est, cuivis illata sit, aut imposita necessitas.* Et cap. 8. de diuin. nominib. morali necessitate, id est ab ipsis voluntatis liberæ actibus facta (consequentem nos cum Anselmo, & Scholasticis appellamus) tantummodo admissa, naturalem omnem (sic antecedentem nominat) *etiam inductam à Deo, qui potest omnia*, supra rerum adhuc, *naturam operante*, à libera voluntate, eiusque actibus relegat.

2. Iustin. Mart. Apolog. 2. pro Christianis ad Anton. sub med. *Si fato regerentur omnia, nihil omnino relictum esset in nostra potestate*; ac proinde, etsi fatum ad præmium, & pœnam gestorum ineluctabiliter admittat. Illud tamen negat, *quo sit destinatum, quempiam esse bonum, aut malum.* Iustin. rursus Apolog. pro Christianis. 1. ad Senatum. *Non intelligentes stoici ad fati necessitatem retulerunt omnia, indeque liberum arbitrium, operum laudem, & vituperium, pœnæ, & præmij iustum retributionem perire*, ait. Athenagoras legat. pro Christianis negat esse Dei, *mouere nos ad ea quæ sunt præter naturam: cum tamen eius esse sit ea omnia nosse.* Ignatius Mart. epist. 3. ad Magnesian. ante med. ait. *pium Dei esse*, impium diaboli: *non ex natura, sed ex sententia factum*: eius assecla Tatianus Assyrius orat. contra Græcos col. 5. *Verbi potentia, cum secum præsset, quid euenturum esset, non ex necessitate, & fato; sed liberi eligentium proposito rerum futurarum exitus prælicebat.* Clem. Alex. 1. Pædag. cap. 9. vers. finem, vt necessitatem, secundum quid, operationis à metu prouenientis libertatem minuere ostenderet hoc principium statuit. *Multum, atque adeo omnino differt id, quod est spontaneum liberum voluntarium ab eo quod fit per necessitatem*, &c. vbi, *voluntarium*, & *spontaneum*, perfectum, & quod liberi synonimum sit, intelexit. & 2. Stromat. moralem solum in actibus voluntatis necessitatem Dionysij acceptione admittit, id est consequentem: naturalem verò seu antecedentem reiicit omnino tanquam libertati contrariam asserens: *Impedire, ne humanæ actiones, vel vitio, vel laudi verti possint.* Et lib. 7. ait. *Deum non cogere quemquam salutem ex ipso accipere*, &c. Cyril lib. 5. in Ioann. cap. 5. fine ex Eccles. 15. potestatem liberi arbitrij, *necessitate solutam*, ad aliquod ex extremis esse debere ait, vt ad eum locum recitabamus supra col. penult. *quod si quis pertinacius asseuerans fatalem necessitatem contendat, protinus tollit humanæ voluntatis libertatem.* Dialog. de adorat. Spiritus S. potestatis arbitrij in motus animi oppositos indifferenter rationem his reddit. *Voluntariam enim, & non quasi ex necessitate, videre oportebat virtutem, neque naturæ legibus insitam: vt excidere non posset id, quod summæ omnium substantiæ, ac eminentiæ proprium fuerit.* Scilicet libertas arbitrij ab homine, ac subinde Dei imago, per eius proprietatis diuinæ imitationem in illo expressa. Et 8. lib. contra Iulian. sub fin. *Propensio* (liberi motus) *in vnoquoque à necessitate libera est.* Subinferius. *Si Deus ineffabili quodam, & diuina virtute, & efficacia mutasset singulorum mentes ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo agerrime discedere possent, & non sponte: vltra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis, & cupiditatis non voluntariæ.* Subdit adhuc irreprehensibilem Deum fore permittendo hominem suo motu gubernari, quem præsciret: postea. *Necesse habere ineuitabilibus quibusdam cupiditatibus aligari, vt transiret ad faciendum bonum, quod Deo placet.* Basil. Hom. 9. quod Deus, *non sit author malor.* longè à med. naturæ nostræ ad malum potestatem probat. [Quoniam libero facta est arbitrio: quod creaturæ rationis participi maxime conueniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens (propterea ad imaginem eius creata est) bonum intelligit, potestatemque habet ad bonum, & malum.] Inferiuscule. *Non ergo ex aliqua necessitate, sed suapte temeritate malus est factus.* Adamus infra. *Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex necessitate: quia voluntas ex illis pendet, quæ in nobis sunt sita. Quod autem in nobis situm est voluntarium, & spontaneum est.* Rogauerat autem paulo superius: cur Deus nos impeccabiles, & absque facultate peccandi non fecerit? Respondet verò. *Quoniam, & tu seruos, non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas; sed, cum sponte omnia, quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non, qui coactus, sed, qui sponte sua, virtuteque illi obtemperat.* Et post nuper recitatam propositam quæstionem sic absoluit. [Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecit, qui peccare, non queamus, nihil aliud opinari videtur, quam naturam ratione carentem ea, quæ rationis est particeps, esse potiorem: & illa, quæ non mouentur, nec mente ducuntur, iis, quæ eligunt iudicant, conferunt, omnino præstare.] Hom. vero 6. ex med. dixerat contra stallarum fata. *Si non probarum, & improbarum operationum principia penes nos sita sunt, sed ex ortu necessitudines emergunt frustra esse legislatores, & iudices, præmio, vel pœna afficientes. Non enim hoc pacto iniuria commissa furis est, aut homicida: quippe cui, neque volenti quidem ob ineuitabilem ipsum ad agendum impellenti necessitudinem manum continere non licuit.* Id est non potuit, & inferiuscule, inde concludit: *quod nihil prorsus ab hominibus libero animi proposito agatur. Nam vbi necessitas vrget, fatumque dominatur, nullum id ibi locum obtinet, quod pro dignitate penditur.* Methodius Mart. apud Turrianum nostrum lib. 4. pro epist. Pontif. cap. 2. fine. [Si factus esset homo, tanquam vnum ex elementis, aut vnum ex eorum numero, quæ similiter necessitate seruiunt Deo, non iam meretedem libera voluntate dignam reciperet, sed potius, tanquam instrumentum Opificis esset: de cuius non rectè factis iniusta, & temeraria esset querela. Eorum enim author esset is, qui instrumento vtitur.] Idem Methodius fragmento relato ab Epiphanio hæresi 64. cont. Originem, sic probat indifferentem animæ potestatem ex coniunctione cum corpore non abolitam. *Post vinculi* (corporei) *constrictionem hac ipsi, veluti potestatem habenti, & non, veluti sub vincula, & necessitatem ad actio, dicta sunt.* Scilicet Ecclesias 15. *Ecce ante faciem tuam*, &c. & Isai. 1. *Si volueritis*, &c. Epiphanius verò hæres. 48. circa fin. *quia Deus vocauit, cum voluntatis proposito vocauit: non necessitatem inducens, non tormentum aliquod adhibens.*

3. Nazianzen. Apologetico, seu orat. 1. col. 8. *Commendat bonitatem Dei facientis, vt nostra quoque sit virtus, nec natura tantum nobis inseratur; sed voluntate, animique proposito.* Et orat. 16. de pauperum amore, longe

longe à med. ait. *Deum creasse hominem, neque in illo, liberum, suique arbitrij, sola mandati lege coercitum.* Elias Cretens. in orat.1. ad illa verba: *Generatio propter essectionem,* impeccantiam, quam cum libero arbitrio homini datam dixerat ait non esse, quod peccare non possit, sed quod peccare, *in natura non habeat, verum potius in animi inductione.* Et in orat.3.§.*post quam illud,* Scribit. *Neque enim virtutis nomen obtinere potest, quod vi, ac necessitate sit.* In orat.4. §.*Iustitiæ Dei,* inquit, [Ob arbitrij libertatem sic quidem conditi sumus, vt virtutis capaces existamus; non tamen necessitate ad hoc, aut illud accedimus.] Et in orat.19. commentar. 3. ait. [Iniustum Deo visum esse à malo ad bonum, per vim aut necessitatem hominem trahere: quia esset hominem liberi arbitrij dignitate spoliare, per quam diuinæ naturæ similitudinem consecutus est.] In orat.40. comment. penult. *Quarum igitur rerum arbitrium penes te est; causas exterius ne conquiras.* Cui scilicet euenerint: quibus Eliæ Cretensis sententiis consonat alter Nazianzeni interpres Nizetas in orat.44. post med. Greg Nyssen. orat. de dormientib. longe à med. arbitrij ad vtrumvis potestate hominem ad Dei imaginem conditum esse. *At per necessitem ad aliquid traduci violenter, ademptio dignitatis* (imaginis Dei) *esset.* Ex qua lib. de opificio homin. cap. 16. *ea libertate,* hominem donatum ait. *Quæ nulla necessitatis lege tenetur.* Id quod dixerat cap.4.& 5. eius libri inhæc verba: [Nullius in natura dominatus iugo subiecta: sed quæ iudicio certo, atque liberrimo: quod vult eligit. Est enim virtus suæ sponte nullius imperio mancipata, quod autem necessitate quadam, violentiaue cogitur, virtuti consentaneum esse nequit.] orat. Catechet. cap.5. [Si vitæ humanæ præesset necessitas ex ea parte falsa fuisset imago: vt quæ per dissimilitudinem aliena esset ab exemplari: Regnantis enim non regnans quem admodum nominaretur imago? quod ergo per omnia Deo erat assimilatum, oportebat omnino habere in natura, quod sibi imperaret, & domino non esset subiectum.] cap.31. [Dicunt Deum posse, si velit, eos etiam, qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Vbi est ergo in his liberum arbitrium? vbi est virtus? vbi est laus?] Subinferius. Addit necessitatem operandi aliunde, quam per potestatem, & vsum liberi arbitrij inducta non huius solum libertatem, verum & rationis vsum pessumire. [Ad quid enim sua vteretur mente, ac cogitatione si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu, constituit, sita est in alio? Si manet autem ineffieax, & nullius vsus liberum animi institutum, & electio necessario etiam abolita & virtus.] His consonat alia orat. Catechet. cap.5. vers. fin. lib. de vita Moysis vers. med.& in Eccl.hom.2. col.2.& hom.8.med. & de Beatitudinib.in quinta, vt supra recitauimus. Denique orat.5.in Cant. longe à med. sic fatur. [Non per dolorem, nec per necessitatem, sed sponte, sed cogitationibus propriis cupiditatem ad bonum tuam adaugeto, necessitate nulla præcedente; virtus enim nullius imperium agnoscit spontanea est, omni est à coactione libera. Nemesius ex Ephisopho Emissenus Episcopus Nysseno Coætaneus t.9. Bibliot. lib. de natura homin. cap.35.post med. (siue lib.6. Philosophiæ Nysseno attributæ) contra fati assertores, seu (quod idem est) nostrarum actionum præfinitores, ait, [Si enim iisdem causis positis (vt aiunt ipſi) omnino necesse est eadem fieri, nec fieri potest, vt aliquando sic, aliquando aliter eueniat, quod illæ ex æterno tempore præfixæ statutæque sint: necesse est, & animalis appetitum] (apperitionem) [omnimodo, & ex omni parte iisdem causis positis ita fieri: quod si vero etiam appetitus necessario consequitur: vbi relinquitur, quod in nostra potestate est? vti liberum] (subdit) [esse debet. At si necessario appetitus sequitur, certe etiam fato venient, quæ appetitum sequuntur; etiamsi à nobis fiunt, & natura nostra, & appetitu, vt iudicio.] Ecce fatali necessitari, vt operis libertatem abolear, non obest, quod à voluntate instructa cogitationibus proueniat; dummodo ita à suis causis prouenial, vt non prouenire sub illis, nequeat similia habet cap.36.

4. Eusebius Cæsarien. 3. præparat. Euangel. cap.7. vers fin. *Neque vero inuitus saluus erit is, qui fit saluus. Non enim est inanimis; sed libero animi arbitrio contendit ad salutem.* lib. 6. cap. 5. Iouis decretum ethnicum à se relatum cap.2. post med. si foret cum creata libertate pugnaturum docet, ac rursus liberum arbitrium extrinsecus non moueri ait, & eo cap.5. post med. *In potestate libera est virtutis præmia sine vi aliqua eligere: cum possit contraria.* Et cap.6. circa fin. *Ita ostendam nullam esse in rebus necessariam seriem: quippe cum singula principia, & causas rerum homines mutare possint.* Scilicet: quia potentia mutandi aliquid pugnat cum necessitate causali illi essendi cap. 8. sub init. *Libertas hominis seruituti subiecta non est. Nam, etiamsi seruiat, libertatis suæ id quoque est, vt possit prouenire.* Et c.9. post med. ex potestate libera, & indifferenti peccatoris, vt conuertatur, [Neque necessario aliquid eorum futurum esse ait.] Rursus, [quod enim præscientia Dei nullam necessitatem nobis imponit, inde quoque affirmari potest: quia sæpius in scriptura pœnitentiam mandasse inuenitur: nec cognouisse simulauit, vtrum conuerterentur delinquentes, an non? vt apud Hierem. &c. Sed æqualiter vtrumque contingens à dictis esse ostendit: ne præscientia sua palam facta audientes deiiciat: quasi necessariò aliquid eorum futurum sit; nec in delinquentibus conuerti, & non conuerti potestas insit: & hæc sit peccandi causa. Chrysost. serm.2. de fato, seu prouiden. post med. *Deus dicit* (Eccles.15.) [Posui ante te vitam, & mortem: ad quod volueris extende manum tuam. Dæmon dicit: non est in te quod extendas manum tuam, sed necessitate quadam, & vi id agis. Videntur ne tibi hæc fide digniora?] Hom.6.2. ad Timoth. 2. Statuto prius potestatem ad pia quæque nobis à Deo fieri; ad ea Pauli verba. *Si quis ergo se emundauerit ab istis vitiis, erit vas in honorem:* ait. *Videsne, vt non natura, carnalisve necessitatis sit aureum esse, vel fictilem, sed nostræ tantummodo,* (vt necessitatem, non gratiam excludat) *voluntatis?* Hom.46. in Ioann. longe à med. id Ioannis 6. [Nonne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis diabolus est?] ait. [Non enim vi, & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit: neque electio eius violenta est, sed suasoria: vt intelligas, inquit, non cogi vocatione, multos vocatos perire contingere.] Hom 78. in Matth. col.5. id Ezech.2. *Si forte auuiant.* Sic ponderat: *Ambigue loqui videtur, ne prædicto inobedientiam facere videretur.* Et hom.69. col.1. *Non enim, quia ignorabat; sed ne quidam ex amentia dicerent: prædictione Dei coactos obtemperare non potuisse: idcirco huiusmodi vtitur orationis figura.* Hom.19. in c.4. Genes. sub init. ait, Deum nos, quia liberi arbitrij fecit hortatu solum, & consilio agere: *Et necessitatem vtique non imponit; sed congruis remediis appositis totum in ægrotantis sententia situm esse permittit.* t.3.hom. 4. de laudibus Pauli sub init. de vocatione efficacissima (si quæ alia) Pauli ait: *Nullus vocationem istam necessitatem putet: quia potuit non obedire.* Hom.5. de Pauli conuersione col.3. [Quia nos vult sponte effici bonos, non necessitate, atque violentia.] Inferiuscule. [Nos verò, qui semel dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur: quia, si traderet inuitos eriperet ipse, quod contulit: id est arbitrij potestatem.] Hom.9. de laudibus Pauli circa fin. *Vt discas quod nullum* (quem Pater trahit) [cogit. Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioqui efficacia sunt. Non, quia infirma sit eius voluntas; sed, quia cogere neminem vult.] Inferius. [Hoc igitur est, quod dixi nullum vnquam vi, & necessitate à Deo adigi.] Inferius adhuc. [Inuoluntarios enim, & resistentes, neque vi, neque necessitate cogit,] ex consilio, & industria Chrysostomum, & Eusebium in vnum coactos numerum recitaui, vt appareat, quam sint in præsenti sententia, & veritate concordes, qui alias, etsi ad tempus, adeo discordarunt. Mitto, quæ contra fati necessitatem scripsit quinque orationibus de prouidentia, seu fato, à secunda ad sextam inclusiue ne totas transcribam.

5. Ennodij Ticinensis de necessitatis ad vnam partem exclusione adeo est aperta, & inculcata sententia testimonio eius recitato ex libro 2. epist illa 19. ad Constantium, vt integrum recitandum hic videretur, ni adeo proxime recitatum esset cert.2.num.6. sed illa refricanda. [Quæ est ista libertas, vbi hoc solum datur velle, quod puniat? aut quare electionem nominat, vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam?] Et illa. *Ad periculum,*

culum, & gehennam non imperio aliquo, sed sponte deuoluimur. Et illa tandem. *Toties noli in superna admonitione, quo respicit, si aliud nolle non licuit.* Cyrill. Hierosol. ad id Ioannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sic habet Catech. 7. post med. *Non enim ex necessitate, sed voluntate in Sanctum Dei adoptionem deuenimus.* Cateches. 4. tit. de Statu homin. ait, *diaboli,* suggestiones posse à nobis abiici, neque illum nos ad malum adigere. *Si enim,* inquit, *ex necessitate scortareris cuius gratia Deus gehennam parasset.* Theodoret. id Hierem. 26. *Si forte audiant,* non ex euentus ignoratione, *sed ambigua dictione vsus est: ne sententiæ diuinæ attendentes desperarent de salute æstimantes impœnitentiæ necessitatem imponi.* Cuius etiam exclusionem à libero arbitrio significatam ait, illis verbis Ezechiel 2. *Si forte audiant,* &c. & in Psal. 67. *Pluuiam voluntariam,* intelligit doctrinæ pluuiam, voluntariam verò ob liberum arbitrium. *Non enim ex necessitate irrigatur aliquis; sed doctrinæ acquiescens consequitur gratiam.* Subinferius verò addit Deum iustissimum nusquam pœnas ab hominibus exacturum. *Si adacti necessitate aliqua deliquissent.* Et in id Romanor. 8. *Quos autem prædestinauit.* Ita scribit. [Deus omnia procul videt, vt Deus; non tamen huic quidem affert necessitatem, vt virtutem exerceat; illi autem, vt vitam ex vitio instituat: quia alias iniuste præmiaret, ac puniret: quare cum certo iustus sit adhortatur quidem ad ea quæ bona sunt, & prohibet contraria, vt præmiet, vel puniat eos, qui alterutrum sponte amplectuntur.] Et Romanor. 7. ad illa. *Si autem quod nolo.* Et illa. *Nunc autem iam non ego operor.* Necessitate ab arbitrio depulsa concedit illi potestatem relaxandi, & contrahendi pro libito habenas passionibus easque moderandi. Et 5. de Græcanicar. affection. curat. negat, [damnandos homines à Deo, si aliqua necessitate adacti peccarent: & leges humanas supponere nullam esse, vel naturæ, vel fati necessitatem.] Theophylact. in id Ioannis 6. [Nonne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis diabolus?] ait, [ex illo etiam discimus, quod non coacte, & vi quadam meliores facere consueuerit Deus, neque eius electio cogat voluntatem nostram, cum sit mala, vt fiat bona. Et in cap. 20. Lucæ ad id Ezech. 2. *Si forte audiant,* ait. [Nec enim illi ignorans futurum ita dicit; sed ne quidam præscientiam Dei necessariam inobedientiæ causam esse dicant, eiusmodi verborum figura vtitur,] & Marci 4 post med. parabolam de seminatore, quo nescio, & dormiente fruges crescunt diuinæ erga nos prouidentiæ applicat. Et subdit. *Neque enim coacti, & necessario fructum asserimus, sed sponte. Hoc est à nobis ipsis.* Et in cap. 15. Lucæ. Substantiam filiis à Patre diuisam liberi arbitrij, & gratiæ, cum externæ, tum internæ à Deo communicationem intelligit: Et subdit. *Nullum enim cogit non volentem. Nam si voluisset nos cogi, non fecisset nos rationales, & liberi arbitrij.* OEcumenius ad Roman 19. in id. *Numquid dicet figmentum?* &c. hæc scribit. [At tu neque naturæ necessitate seruus, sed seruitione honestatus, arbitriique libertate, non cedis artificis voluntati, sed resistis.] Subinferius. [Respondes quasi coactus peccares, tanquam ille vinceret tuæ sententiam voluntatis: & in hac parte tuo priuareris arbitrio. Et in 1. ad Timoth. 2. ait, non fieri voluntatem Dei; quia homines nolint. *Nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Et in 2. ad Timoth. 2. ad id: *Si quis emundauerit se ab his*: ait. *Non, quod Deus ita illos fecerit* (vasa scilicet in contumeliam) *alioqui quomodo possent sese mali expurgare?* Euthimius in cap. 15. Lucæ petitionem substantiæ filij prodigi à Patre liberi arbitrij, seu debitæ ex baptismo gratiæ petitionem interpretatur, atque his prodigum patri Deo loquentem inducit. [Nolo vrgeat me seruiendi necessitas: liberum est enim mihi arbitrium. Si vòlo modestus sum. Si nolo, cogi nequeo. Pater ergo candide impertiit, vult enim Dominus, vt sibi voluntarie seruiatur.]

6. Origenes 1. periarch. cap. 1. med. ait. Definitum in Dei Ecclesia esse liberum omnis animæ, seu hominis arbitrium. [Vnde, & consequens est intelligere non nos necessitati esse subditos: vt omnino etiam si nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem; non tamen necessitate cogimur, vel agere recte, vel male,] id quod ab argumentis hæreticorum vindicat lib. 3. cap. 1. & lib. 2. contra Celsum circa med. Ostendens diuina prædestinatione, præscientia, ac prædictione futurorum contingentium non impediri, quominus illorum non effectio, & omissio sit arbitrio, & voluntati nostræ liberæ absolute possibilis: vti ex ipso retulimus agentes de concordia præscientiæ cum actus contingentis præsciti libertate Sanct. Anton. Magnus epist. 2. ad Arsenoitas col. vltim. ait, Deum nos beneficiis ad virtutem fulcire: *quoniam in nostra sumus potestate creati.* Censens nimirum eos, qui potestatis suæ, & liberi arbitrij sunt, solis motiuis, & intentionaliter, non autem physice posse moueri: nedum præsimitione, ac prædeterminatione physice adigi, ac prædeterminari: & quid demum beneficia præstabunt, vt id agamus, quod non agere è Dei præfinitione, & prædeterminatione Dominicanorum recentium minime possumus. Olympiodorus ex Peripatetico Monachus in 1. Eccles. illud. [Ecce omnia vanitas, & affictio siue] (vt ipse legit) [electio, spiritus, ait, Præter hoc, quod elabuntur, ac euanescunt etiam disponunt se homines ad supplicia post præsentem vitam futura: quandoquidem nulla coacti necessitate hoc faciunt, sed præuia electione, certoque iudicio. Spiritum verò hoc loco animam intelligit, quæ liberi arbitrij potestate & decorata.] Consonat sibi in cap. 6. & 10. Eccles. sub init. omnem coactionem, & necessitatem à libera voluntate propellens. Macharius Senior hom. 15. circa med. t. 2. Bibliothec. [Capax est natura cum boni, tum mali; nulli tamen necessitati subiacet.] Circa fin. ait homines in quouis viæ statu, etiam, [cum diuinitate sunt inebriati, liceat plene sint, & adhæreant Spiritui Sancto, non tacet vlla necessitate detinentur; sed libera potiuntur libertate, vt conuertantur, & faciant quod libuerit.] Hom. 27. med. [Boni, malique capax est natura nostra: ac potestas aduersaria exhortandi vim habet, non cogendi.] Marcus eremita lib. de baptismo longe à med. ait. [Adamum, neque ad vitium particulariter conuertibilem, neque necessitate naturæ, sed beneplacito voluntatis transgressum esse mandatum Zacharias Mitelenes, Episc. lib. de mundi creat. sub fine ait. [Vult non necessitatibus subiici naturam nostram more brutorum: vt, quocumque impulsa fuerit, trahatur. Deinde, vt honestum nostrum esset, non est naturæ nexu: vt vbi virtutis opera, & præclara volentes gesserimus laude, & præmio dignissimus: coactum enim bonum ipsi gratum non est; sed, quod consilio, & delectu geritur.] Damascenus lib. 2. de fide cap. 2. potestatem voluntatis, & arbitrij indifferentem ad vtrumvis, quam ad eius, & operum libertatem requirit, necessitatem, vt ea fiant, prorsus excludere, & supponit, & probat, ac sæpius capit. 25. Author historiæ Barlaam Damasceno tributæ cap. 15. post med. Ita libertatem definit, *Est animæ ratione vtentis voluntas sine impedimento ad id, quod vult.* Hos autem Patres Græcos voluntati, & gratiæ diuinæ necessitatem ad recte, honesteque viuendum, neque ad id potestatem absque Dei gratia creato arbitrio deferre, vidimus supra, & ex pluribus eorum recitatis testimoniis certam inpræsenti constat: quare, dum omnem necessitatem ab arbitrio, eiusque operatione liberis relegant, Dei voluntatem, prouidentiam, seu præuidentiam, siue gratiam necessarias ad liberas operationes, & potestatem creatam aiunt, necessitates verò esse omnino negant.

7. Sed quoniam latinorum Patrum circa arbitrij creati liberi potestatem, & operum eius libertatem apud perfidos hæreticos centuriatores, & Caluinum, Lutherum, suos, melius audit fides, eorum erunt pro necessitatis huius exclusione producenda testimonia. Et in primis Prudentius in Hamartigenia non poetice solum, sed philosophice satis, ac Theologice contra Marcionem cecinit.

Non est sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, &c. Atque iterum ita Deum cum Adamo libero constituto loquentem inducit.
Non cogo, nec exigo per vim;
Sed moneo iniustum fugias, rectumque sequaris.

Lux

Lux comes est iusti; comes est mors horrida iniqui.
Elige rem vitæ: tua virtus temet in æuum
Prouehat æternum: tua damnet culpa vicissim:
Præstet, & alterutram permissa licentia sortem

Rursus pendenda illa *prompta potestas*, id est, soluta omnino, & expedita: quare & prorsus libera à necessitate volendi vnum, ac non volendi aliud. Rursus his in Marcionem inuehitur.

Nescis stulte tua vim libertatis ab ipso
Formatore datam. Nescisque ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas:
Et super ingenio proprio, laxèque soluto
Iure potestatis: liceat, cui velle, sequique
Quod placitum; nullique animum subiicere vinclo.

Minutius fælix in suo Octauio pro solis præmio, & pœna fatum, quod merita necessario supponat, admittit. [Quid, inquit, est fatum, quam quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est. Qui, cum possit præscire materiam pro meritis singulorum fata determinat.] Hilarius in Psal. 118. fine ad id. [Fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.] Sic habet. [Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis. Quia cuique ad id, quod volet, via est proposita viuendi, atque appetendi, atque agendi permissa libertas: & ob id vnius cuiusque, aut pœna, aut præmio afficitur electio.] Et ad id. *Inclina cor meum.* Necessitatem iterum ab arbitrio nostro excludit. Et in Psalm. 2. ad id. [Tunc loquetur ad eos in ira sua.] In hæc scribit. [Vnicuique nostrum libertatem vitæ, sensumque permisit; non necessitatem in alterutrum affigens. Inferiusculè. [Quid autem honoris, ac præmij bonitatis necessitas mereretur; cum malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret: Voluntati ergo permissa bonitas est, vt esset nobis æternæ huius beatitudinis profectus, atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.] Similia scribit in Matth. 7. ad id. [Nonne in nomine tuo prophetabimus,] & 9. de Trinit. post med. ad id: [Veni non, vt faciam voluntatem meam,] Et 1. de Trinit. post init. ad id Ioannis 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sic fatur. Hinc mens nosci esse filios Dei, non necessitatem esse, sed potestatem.

8. Ambrosius 2. de fide à med. vt filij, & spiritus sancti assertam libertatem Ioannis cap. 3. [Spiritus vbi vult spirat.] Et 2. Corinth. 12.] Diuidens singulis, prout vult. Statuat eam subiungit rationem. Pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.] lib. 6. in Luc. cap. antepenult. de turbarum refectione Luc. 19. agens ait. [Non potest dicere, quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum, & malum: vt non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntatium. Multum enim differt inter eum, qui ex necessitate inuitus aliquid agit; & inter eum, qui ex voluntate, quod bonum est, elegit. Si enim inuitus hoc ago, dispensatio mihi credita est; si volens mercedem habeo,] 1. Corinth. 9. Hieronymus in id Iob 34. [Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium,] dictum ait, quia necessario veniet, ac non veniendi non habebit potestatem, sed potius impossibilitatem (vt suprà ex ipso retulimus) eam autem vnius extremi necessitas, quam alterius impotentia, & impossibilitas potestati liberæ arbitrij in Hieronymi, & aliorum Patrum, qui eodem modo eam locum suprà explicuere, contradicit. Secundo idem Hieronymus in id Hierem. 26. [*Noli subtrahere verbum, si forte audiant.* Dictum etiam, ait, non quia euentus Deo ambiguus, *sed ne ex præscientia eius quasi ex necessitate facere aliquid, vel non facere cogatur.* Quod ipsum de sententia illa Ezechiel. 2. *si forte audiant.* Et si forte quiescant eo loci fatetur, & similibus scripturæ, vt vidimus superius. Item dialog. seu lib. 3. contra Pelagianos sub med. *Vbi misericordia, & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium*: quia, scilicet, in ea apponenda nihil ex parte creati arbitrij ponitur, sed à Deo solum apponitur. Non autem cessat omnino, quia bonus eius vsus sine vlla necessitate à nobis est. Epist. 147. ad Damasc. col. 3. de filio prodigo ait. [Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propriæ libertatem: & vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo. Id est, non ex necessitate, sed ex voluntate: vt virtus haberet locum: vt à cæteris animantibus distaremus: dum ad exemplum Dei permissum est facere, quod velimus,] lib. 2. aduersum Iouinianum col. circiter 4. [Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahimur. Alioqui vbi necessitas nulla corona est.] Arnobius 2. aduers. gent. vers. fin. *Nulli Deus infert necessitatem.* Rationem vero reddit: quia liberalitate diuina esset indignum. Eodemque libro: [scelerarum, & immane penset credere ipsos actus, quibus vita transigitur, & celebratur humana, ordinasse, iussisse, & à sua fluente constitutione præcepisse Deum.] Lactantius Firmianus Arnobij discipulus 2. diuin. instit. c. 5. ante med. probat astra non esse Deos, quia nec liberi sunt; cum non pro libito sed ex stata lege, & necessitate moueantur. [Si Dij essent, inquit, huc, atque illuc passim sine vlla necessitate ferrentur: sicut, & animantes (rationales) in terra: quorum, quia liberæ sunt voluntates huc, atque illuc vagantur, vt libuit: & quocumque mens duxerit eo fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius.

9. Sed veniamus ad Augustinum in re ad prædestinationem, & ad gratiam, & liberum nostrum arbitrium spectante (apud Hæreticos, etiam & Dominicanos recentiores nobis aduersos) exceptione omni testem maiorem lib. de spiritu, & lit. c. 31. med. ait. [Hoc, quemque in potestate habere, quod, si vult, faciet; si non vult non facit.] Fine concludit. [Cum potestas datur, non necessitas imponitur. Vt, cum Dauid Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quam ferire,] lib. 5. de ciuit. c. 10. [Neque ideo peccat, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud (ecce nomine fati, fortunæ, & vniuersim cuiusvis alterius antecedentis necessitatis præfinitiones ex clusas) *sed illum peccaturum esse præsciuit.* Et in Psal. 9. inde confutat eos, qui Deum peccati causam admittebant: *quia non potest punire quod fecit*, lib. 3. de libero arbit. c. 15. & præsertim c. 18. Sæpius illam suam sententiam scribit: [quæcumque ista causa est voluntatis: si non ei potest resisti, sine peccato ei cedi tur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest, cap. autem 5. med. dixerat: [Non clament, non succenseant: quia, neque ipsos ideo coëgit peccare, quia fecit, quibus potestatem vtrum vellent dedit.] Totis autem capitibus 2. 3. & 4. eius libri fusè probat Dei præscientia, prouidentia, & operatione nullam nostris operibus necessitatem imponi: ac subinde liberos nos, & potestatis indifferentis esse, & 5. de ciuit. c. 10. init. Omnem, etiam extrinsecam, à libertate nostra independentem operandi necessitatem à libero nostro arbitrio, & voluntate, eiusque operationibus liberis prorsus, proculque his verbis ablegat. [Si necessitas illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate; sed, etiam, si nolimus, efficit quod potest (sicut est necessitas mortis) manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, vel perperam viuimus, sub tali necessitate non esse,] lib. 2. Actor. cum Fælice Manichæo c. 4. init. ex illo Matth. 12. [Aut facite arborem bonam, & fructus bonos, aut facite arborem malam, & fructus malos. Ita infert: [Cum ergo dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam,] quæ vtique ad vnum determinata, & alligata est; non indifferens, sicut libera potestas. Ex eo vero capite ad 12. inclusiuè pro indifferenti potestate voluntatis, atque exclusione necessitatis operandi ab illa fusè decertat, lib. cont. Secundinum, Manichæum, etiam, c. 19. [Si autem cogitur consentire, ita, vt non sit in eius potestate aliter facere: non ergo, vt dicebas voluntate peccat, quando non voluntate consentit,] & lib. de vera religione, c. 5. [Nec hoc dubitandum video: habere animas liberum arbitriū: tales enim seruos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter; quod nullo modo posset fieri, non volūtate, sed necessitate seruirent,] & c. 14. latè probat necessitatem præfatam operandi pugnare cum voluntatis, & operū nostrorum libertate, & q. 2. ex lib. Octoginta triū ait. *Melior homo est, qui voluntate, quam qui necessitate bonus est: voluntas igitur libera danda homini fuit.* Quæ ferè repetit q. 4. & lib. de bono perseu. c. 11. lib. de perfect. iust. ratio in. 2. ser. 47. de temp. & lib. de natura, & grat. c. 65. [Quod à memorato dictum est presbytero (Hieronymo) liberi arbitrij nos condidit Deus: neque ad virtutē, neque ad vitia necessitate trahimur.

Alioqui, vbi necessitas, neque corona est. Quis non agnoscat? Quis non toto corde susciptat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam; Sed in recto faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis,] lib. 5. de ciuit. c. 1. post med. cont. Ethnicum fatum ait: [illi vero, qui positionem stellarum quodammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt: si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ita decernant: magnam cœlo faciunt iniuriam: in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia, si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur: cum dominus ille sit, & syderum, & hominum? Aut, si non dicunt stellas accepta quidem potestate à summo Deo arbitrio suo ista decernere; sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omnino iussa compleri: ita ne de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire?] Consonat ex Cicerone eodem libro c. 9. & 2. contra Faustum Manichæum. [Et nos quidem sub fato nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo, vel bene, vel malè viuitur propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.]

10. Eidem insistunt doctrinæ eius discipuli, & posteriores Patres, Prosper. 2. de vocat. gent. c. 28. post init. ait, si Dei voluntas, & adiutorium prærequisita ad fidem, & bona opera, & iustitiam consequendam, & in ea perseuerandum voluntatis nostræ mutabilitatem, atque ad alterutrum potestatem, qua illorum opposita absolutè exqui potest necessitate ad alterum abolerent. *Nemo vnquam fidelium recessisset à fide: neminem concupiscentia vinceret.* Quod falsum esse ait: & contra experientiam frequentissimam esse videmus. Consequentia vero Prosperi euidens est, atque alteri fidei nostræ principio innitens: nemini necessariam Dei voluntatem, & gratiæ adiutorium ad perseuerandum in fide & iustitia, ac tentationes vincendas deesse. Addit præterea consequens etiam esse contra illam domini sententiam: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Et ad capita gallorum ad 6. cap. fine ait. [Prædestinationem Dei, siue ad bonum, siue ad malum, in hominibus operari ineptissimè dicitur: vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere. Cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas sine gratia.] Fulgentius de fide ad Petr. c. 25. ait. [Primos homines certissimè, ac indubitanter rectos, & liberi arbitrij conditos, non necessitate, sed propria voluntate peccasse.] Bernard. de grat. & lib. arbitr. col. 2. ait. [Est vero ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem si necessitatem vllam imponeret, quominus pro arbitrio sese voluerit, siue in malum consentiens appetitui, siue in bonum gratiam sequens. Ergo sine vllo vinculo necessitatis voluntas se potest voluere, vt sequatur gratiam, atque vt gratiæ dissentiens consentiat appetitui.] Ex multis vero aliis, quibus deinceps necessitatem à potentia, & actibus liberis reiiciendam docet. Pauca hæc noto. Subinferius, *Vbi quippe necessitas, non iam voluntas.* Et inde subdit. *Quod si ex necessitate, & absque consensu propria voluntatis mala, bonaue fieri possent, rationalis creatura, aut misera profecto esse nulla ratione deberet, aut beata penitus esse non posset*, col. 3. sub init. ait. *Libertatem à necessitate magis congruere voluntati, quam alias libertates ab ipso statim subiectas.* Inferiusculè. [Cum triplex sit nobis proposita libertas; à peccato, à miseria, à necessitate: hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura: in primam restauramur à gratia media nobis reseruatur in patria. Beda q. 13. ex variis verſ. med. *Arbitrium certè liberum fuit* (Adamo) *quandiu sua potestatis extitit: ita, vt nulla vi cogente, neque Dei, neque diaboli, quod vellet bonum, seu malum faceret.* Post med. latè refutat necessitatem, quæ à diuina prouidentia, tanquam à causa, in futuras nostras liberas operationes proueniat. Et in cap. 6. Ioan. ad id. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me.* Sic habet: *quomodo trahit Pater? docendo delectat; non necessitate cogendo. Quia nemo necessitate credit, sed voluntate.*

11. Tam frequens vbique est Anselmus in excludenda à libera potentia voluntatis creatæ, eiusque operibus necessitate; quantum esse illum supra diximus in potestate arbitrij ad vtrumvis extremum constituenda; sed præsertim id præstitit, & latè, & subtiliter, toto libro de concordia, ex quo tam multa dabimus cert. sequenti, vt nihil ferè ibi, nisi ex eius doctrina, & verbis doceamus. Et ea quidem præsentem etiam veritatem continent, & confirmant. Nunc autem nonnulla solum ex eius libris producemus. Libro igitur de concordia præscientiæ, & prædestinat. Cum noitri arbitrij, & contingentium operum libertate c. 1. col. pen. [Sola voluntas determinat ibi, quid teneat. Nec aliquid facit ius necessitatis, vbi operatur (scilicet determinatiuè) *sola electio voluntatis.* Et in elucidario, vel ipse, vel qui eius Author coætaneus, & gratis *Qua Deus fieri tantum permittit* (vt bene vel male operari nos) *non est necesse euenire.* Et de casu diaboli c. 2. & 3. docet necessitatem vnius partis, seu extremi eorum, ad quæ est arbitrij libertas, & potestas, pugnare, & opponi expedito, & absoluto vsui libertatis, Atque eo c. 3. & 4. idem docet de alterius partis, seu extremi impossibilitate, & c. 14. hanc proponit quæstionem. [Si daretur eidem Angelo velle solum, quod ei velle conueniret, an posset aliud velle? aut, si non posset non velle per se, quod accepisset velle?] Respondet vero discipulus ex similis alterius quæstionis solutione data: tunc [nec posse aliud velle, nec posse per se non velle, quod accepisset velle. Sicut non potest non velle beatitudinem in communi.] Quam necessariò appeti dixerat c. 13. Ricardus rictor. de statu interioris hominis p. 1. tract. 1. c. 3. hominem ad Dei imaginem conditum ait. [Quia Deus superiorem non habet, nec habere potest: & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest. Quia violentiam inferre ei, nec creatorem decet, nec creatura potest,] & c. 13. ait: [Libertatis est, quod consensus eius extorqueri non potest. Et tam inspirationi Dei, quam dæmonis suggestioni consentire, vel non consentire potest, vtrumque autem ex libertate, neutrum ex necessitate. Abulens. q. 52. in Matth. ad id Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone, &, si in Sodomis,* &c. [Fortè mansissent vsque in præsentem diem] ait dictum ad ostendendam libertatis nostræ ad vtrumvis potestatem: *vt non putetur Dei cognitio rebus imponere necessitatem.* Pro qua expositione citat Remigium & S. Thom. possuntque præterea citari, quos dedimus controu. 2. Plures alios Patres dabimus pro exclusione necessitatis operandi ab arbitrio, & voluntate libera l. sequenti, vbi præfinitiones Dominicanorum recentiorum ad materiale peccati confutemus. Dedimus autem plura eadem controu. pro concordia infallibilitatis præscientiæ absolutæ Dei de contingentibus futuris cum absoluta eorum contingentia, & libertate. Vidimus enim hæc apud illos ex communi, & statu ipsis proloquio, & principio componi. [Quod contingentia, non ideo futura sint, quia à Deo præscita; imò vero ideo sint ab eo præscita, quia futura (sensu à nobis, & scholasticis aliis postremo hac causali explicata) ne necessitas ex antecedenti naturæ connexione præscientiæ cum contingentibus futuris, eorum contingentia, & libertas possumiret. Denique huc illi omnes Patres aduocandi sunt, qui contra ineluctabilem ab arbitrio nostro, eiusque vsu fati, & fortunæ ethnicæ necessitatem pro nostra libertate pugnarunt: quorum aliquos recitauimus. Sunt autem, qui fatalem necessitatem impugnant Patres recitatis hactenus locis. Ex Doctoribus iunioribus Iulius Sirenius lib. 3. de fato, Molina in concord. quæst. 14. artic. 13. d. 1. Pennot. propugnaculo hum. libert. lib. 1. cap. 3. & 4. lib. 2. à cap. 1. Ruiz d. 48. Theophil. Raynaud. disput. 8. Theolog. natur. quæst. 3. artic. 4. num. 196. & d. 2. discipl. moral. quæst. 3. num. 214. & Paul. Leonard. in suis responsionibus ad expostulat. cont. scientiam med. p. 2. sect. 1. à n. 2.

12. Eo denique vsque Patres necessitatem absolutam cum arbitrij, eiusque operum libertate, & merito pugnare censent, vt necessitatem secundum quid, vt metu, siue seruilem, siue reuerentialem, dolorem, & similia, quæ tamen operibus dent causam, à potentia libera, eiusque operibus sectu dant; & certè, licet non absolutè liberatem

bertatem tollant, multum tamen illius imminuent: ac subinde ex absolutè tali necessitate eam absolutè aboteri necesse est. Epiphanius recitatus ex hæresi 48. circa fin. aiebat *Deus nos vocat non immittens necessitatem, non tormentum aliquod adhibens*, lib. 1. hæresi 16. post med. *Extrema eorumdem sententia est, quod cum iudicium iustum decernant, fatum esse dicunt. Quomodo enim potest esse iuditium, & fatum? Propterea quod, qui facit, non à se ipso facit, sed secundum necessitatem Domini ipsius fati.* Clemens Alexand. 1. Pedagogi cap. 6. longè ab init. *Infantes dicit Apostolus eos, qui sunt in lege: qui, non secus, ac clarius pueri, timore perturbantur. Viros autem, qui verbo paremus, nostrique sumus iuris, & arbitrij vocauit, qui credimus spontanea electione saluari*, & c. 9. Necessitatem à metu proueniente multum ab spontaneo, perfecto, scilicet, seu libero ait: discernis. Zacharias Miteleuensis Episc. lib. de mundi creat. sub finem recitatam suprà sententiam suam de absolutæ necessitatis à potentia, & actibus liberis argumento hoc à minori ad maius probat. *Tunc seruum tuum verberemus, & vinctum tamen laudes, si quando aliquid eorum, quæ iussa sunt præstiterit? an, cum nulla necessitate iniecta flagro, nihil prætermittit eorum, quæ ratione seruilis conditionis debet efficere: neque aduersum ea, quæ ipsi imperantur, aggreditur: sed promptè cum animi voluptate famulatur?* In quibus consonat Augustino suprà à nobis recitato ex cap. 5. de vera relig. & ex quæst. 2. libri octoginta trium. Optatus Milleuitanus lib. 7. aduers. Parmenian. sub init. exclusionem absolutæ necessitatis à libero arbitrio, eiusque actibus à se assertam simili argumento à minori ad maius probat his verbis: *Homicida scelus, dum nemo cogit, potest facere: potest, & non facere. Adulterium maechus, dum de foris nemo compellit, potest admittere: potest & non admittere: & cætera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* Chrysostomus hom. 46. in Ioan. id Ioan. 6. *Numquid & vos vultis abire?* sic exponit: *vt vim omnem, & necessitatem auferret: & ne pudore quodam nutarent.* Theophylactus ad eum locum *demonstrabat nolle eos reuerentia erga se comitari.* Euthym. *Quod nullum velit inuitum retinere.* S. Thom. ibi lect. 8. post med. *Aufert etiam verecundiam, & necessitatem* (secundum quid ex reuerentiali metu, & pudore) *remanendi.* Quo etiam pacto eum interpretatur locum Cyprianus lib. 1. epist. 3. Gregor. Nyssen. orat. 5. in cant. longè à med. *Non per dolorem, nec per necessitatem, sed sponte*, &c. *Cupiditatem boni habendam*, ait Augustinus in Psal. 124. ad id: *Omnia quæcumque voluit dominus fecit.* Ea, quæ indigentia, & inopia cogente facimus, vel, quia alias inopes essemus (quæ solum secundum quid necessitas est) ex necessitate fieri asserit absolutè, quia ex perfecta christiana, & honesta libertate non fit, quod non sit è sola boni complacentia, & amore, subditque: *inuenimus aliquid, quod libera voluntate faciamus: cum ipsum Deum amando laudamus. Non enim ex necessitate, sed quia placet.* Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. circa med. ait, St Deus (vt potest) Christianorum corpora omnia incorruptibilia fecisset vi tanti miraculi, *& vtilitatis necessitate* (quæ solum tamen secundum quid esset) *ac non libera voluntate* homines conuertendos: *quare, vt prorsus appareat, & rata sit arbitrij libertas corruptibilia eorum corpora reliquisse Deum. Vt in voluntate sit hominis, vt conuertatur ad id, quod bonum est, aut malum.* Denique Cyril. Alex. S. cont. Iulian. sub fin. ait, virtutem, aut efficaciam à Deo hominibus inditam ad bonum, à quo ægerrimè possent discedere, fructum mentis indignum laude facturam. Et quid de inuincibili necessitate dicer?

13. Certè scriptura sacra apertis etiam pro necessitatis à potentia libera exclusione testimoniis clamat, vt locis recitatis, & perpensis, cum pro indifferenti eius ad vtrumvis potestate, tum pro eius necessitatis exclusione proximis tribus certamnibus. Duo nunc tantum addam. Alterum ex 1. Corinth. 7. vbi de Patrefamilias super filia virgine collocanda in matrimonium, vel secus Paulus ait. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens.* Quibus potestati indifferenti necessitatem partis alteius oppositi vti potestati indifferenti è regione pugnantem. Nec refert non loqui ibi de potestate, & necessitate physicis, sed moralis, & iuris. Ex eo enim, quod in vno genere necessitas cum indifferenti ad vtrumvis potestate pugnet, in alio etiam pugnare euidenter infertur. Imo, cum physica, tum potestas, tum necessitas, ad moralem, & iuris supponatur, atque hæc illius imitatiua sit: ni physica potestas, & necessitas pugnarent, quæ morales, & iuris sunt, amice conuenirent. Secundus locus est illud Christi Domini ad Petrum Ioan. vlt. [Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cum autem senueris extendes manus tuas; & alius cinget te, & ducet quo tu non vis.] Quo loco illud *quo tu non vis* de voluntate portionis superioris Petri locutum Dominum aiunt Cyrill. Alex. 12. in Ioan. cap. 65. August. tract. 51. in Ioan. Chrysost. Theophilactus, & S. Thom. ad eum locum. Sed enim difficultas est; quia si illud *quo tu non vis* referatur ad passionis Petro à Tyrannis oblatæ tempus de voluntate efficaci superioris portionis (quæ absoluta eius voluntas est, & qua absolutè Petrus dicitur velle; non autem à velleitate è naturali mortis timore oriunda) intelligi nequit; cum mortem non recusauerit, nolueritve tunc efficaciter; imo manus extensurus dicatur vltroneus. Sed neque prophetiæ tempore de voluntate efficaci portionis superioris Petri intelligi potest illud *quo tu non vis* absque temeritate, & in ipsum blasphemia. Iam enim ex multis diebus rediuiuus Dominus Petro loquebatur, cuius ob anteactam Magistri negationem lachrymæ studium moriendi pro Magistro, ex ipso pene negationis instanti, continuo testabantur. Ex quo studio postmodum cum Apostolis aliis iuit *gaudens à conspectu concilij: quoniam dignus habitus est pro nomine Iesu contumeliam pati*, & manus vltro ad crucem dicitur ex hoc loco extensurus. Solutio autem difficultatis ex veritate, quam hic statuimus desumi necessario debet. Quod scilicet vincula, crux, & mors vellet nollet à tyranno inferenda erant: quare in voluntatis suæ potestate non erant; nec magis ad eas præstabat velle Petri, quam nolle: ac subinde inter libertatis suæ effectus non computatur sicut computantur operationes ipsius iunioris; cum *ingebat se, & ambulabat vbi volebat.* Id est ad eas à nemine cogebatur; sed à liberæ suæ voluntatis soluta omnino, & absoluta ad oppositum etiam potestate operabatur iuxta S. Thom. & reliquorum interpretationem: & hic dicitur extensurus manus: quia nullo cogente extensurus erat, cum eas posset non extendere, sed extendendas tortoribus relinquere. Hoc igitur loco ostenditur actiones, ad quas irresistibiliter, & necessitate agimur, quin ad oppositum nobis supperat absoluta, atque impedimentis soluta potestas, nec nostræ potestatis, nec liberas, imo nec humano modo nostras esse.

CERTAMEN IV.

Necessitas naturæ præcedens arbitrij operationes, ab eisque in sui positione independens ab eius potentiæ, & operationum libertate à recitatis Patribus reiicitur.

1. TErtium hoc adeo cum duobus præcedentibus principiis connexum: imo vero ipsis implicatum, & innexum est, vt satis sit in ipsis simul ex Patribus statutum. Etenim potentiæ, seu potestati indifferenti in actu primo ad vtrumvis, (in quo stat per Patres potentiæ libertas, à qua libera eius operatio dicitur, & libera exercite procedit) necessitas contradicit per Patres, vt vidimus: at sola necessitas & determinatio ineuitabilis ad vtrumvis extremum ex parte, actus primi contradicit potestati in actu primo indifferenti ad vtrumvis: ergo necessitas, quæ contradicit, & destruit potentiæ, seu arbitrij potestatem ad vtrumvis, & libertatem in actu primo est necessitas, seu determinatio ex parte actus primi ad vnum extremum: ac subinde necessitas

sola naturæ prior antecedens, atque ab vsu libero arbitrij independens à libertate arbitrij reiecganda omnino est Patrum sententia concordi : Minor patet ex Patribus ipsis asserentibus potestatem indifferentem ad vtrumvis in qua libertas arbitrij consistit, esse potestatem faciendi, & non faciendi, seu qua in nobis, potestate, dominio, & iure nostro est agere, & non agere hoc vel illud eligere, vel non eligere, consentire, obedire, vel secus, &c. Hæc autem potestas ad vtrumvis, siue alterutrum agendi, vel non agendi, ac proinde actiuitatis, seu potentiæ in actu primo tota est, vt patet. Nec minor est apud ipsos obscurior. Etenim eam potestatem solutam, absolutam, expeditam ab omni necessitate, aliquid agendi, aut omittendi, nec impeditam aliqua necessitate, vinculo, aut impedimento, quominus alterum possit absolutè agere constanter,& vnanimiter Patres recitati proximis certaminibus docuere. Et res quidem per se nota est. Siquidem indifferentiæ in actu primo sola determinatio in actu primo contradicit, ac repugnat. Sin, pone determinationem in actu secundo, vel alio quovis signo, quod ad actum primum arbitrij, & voluntatis nullatenus pertineat : videbisque eius indifferentem potestatem ad vtrumvis fartam, tectamque persistere : ergo necessitas arbitrij libertati aduersa, & contradicens per Patres non alia, nisi, quæ ex parte actus primi ad operandum se teneat, seu quæ ex parte causæ antecedens sit, vt proposuimus esse potest. Quod de necessitate, & determinatione potentiæ, seu voluntatis ex parte actus primi dictum est, at toto hoc cert. dicetur, idem de impossibilitate alterius extremi ex parte actus primi voluntatis, seu huius impotentia ad alterum extremum, siue ea ex necessitate præfata ad oppositum, siue ex defectu alicuius antecedenter requisiti, & quod ex parte actus primi necessarium sit ad illud alterum extremum appendum prouenire, censendum esse perspicuum est. Ita enim, & Patres docuere,& ratio aperta monstrabit cert. 5. verum, & si ita res ex recitatis hactenus Patrum testimoniis, habeat, & clarescat : eosdem clarius, & terminis, vt aiunt, ipsis se explicantes, atque necessitatem, & determinationem omnem antecedentem arbitrij nostri operationem liberam,atque à libero vsu,& exercitio illius independentem reiicientes ab arbitrij libertate audiamus.

2. Sed prius, & in primis Boëtius, licet antecedentis necessitatis, & consequentis (de quibus hic) sub his terminis non meminerit, tamen aliis vocibus vtriusque rationem, & doctrinam tradidit lib. 5. de consolat. prosa 6. *Duæ enim*, inquit, *sunt necessitates. Simplex vna : veluti quod necesse est omnes homines esse mortales. Altera conditionis : vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Sed hæc conditio minimè secum simplicem illam trahit : hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntariè gradientem; quamvis eum, cum græditur, incedere necessarium sit.* Quibus verbis necessitatis simplicis nomine necessitatem, quæ in causa est, & antecedens natura effectum, ab eoque independens intelligit, vt exemplo mortalitatis explicuit: & illi, quibus eam à necessitate conditionis diuisit, & exclusit. *Quia hanc non propria facit natura* vt conditionem anteuertit ; *sed conditionis* ipsam subsecutæ *adiectio* ; & ratione verbis illis : *nulla enim necessitas cogit incedere* : quia nimirum simplex illa alia cogere, seu necessario agere, debet operantem ad operationem. Ex Boëtio : id autem nequit efficere, nisi naturæ prioritate, & ex parte actus primi operationem antecedat. Necessitatis vero *conditionis* voce consequentem ad vsum, & operationem liberam voluntatis, seu arbitrij denotat clarè : vt patet ex apposito exemplo. *Vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est* : atque ex ratione subiuncta : *quod eam non natura faciat, sed conditionis adiectio*, vt expendimus : *& quod nulla necessitas cogat antecedere voluntariè gradientem : quamvis eum, cum graditur, incedere necessarium sit.* Quæ sola necessitas est existendi, seu essendi rem, cum est, & existit, siue ex suppositione quod sit : ac proinde, quæ rei positionem sequitur, aut consequitur ; quibus verbis sequentis, aut consequentis necessitatis definitio ab Anselmo mox recitando, aliisque Patribus, & scholasticis deinceps propria cuiusque se de referendis exhibetur suæ huic doctrinæ consonat Boëtius lib. 5. comment. maior. in Arist. de interpret.& locis datis cert. 1. n. 1. Dionysius Areopag. c. 8. de diuin. nom. naturalis necessitatis nomine antecedentem necessitatem operandi, & si à Deo suprà rerum naturam operante inductam, intellexit, & ab arbitrij libertate excluserit ; moralis vero voce consequentem, quam ait cum nostra libertate componi. Quibus vocibus eandem distinctionem, & doctrinam tradit Alexandrinus Clemens, vt ex ipso retulimus cert. proximo & rursus idem Clemens eodem lib. 2. stromat. pag. 2. & 3. sic Basil. horum hæresim refert, & impugnat. *Dicunt Basili dei rursus ex consequentia super mundana electionis diuina. Consequi mundanam totius naturæ fidem*, &c. Vbi necessitatem consequentiæ ex electione Dei antecedenti ad fidem nostram, hanc inferri aiebant : ac proinde necessitatem consequentis effectus ex antecedenti causa, scilicet diuina electione. Refellit autem eorum hæresim ab absurdo sic. *Voluntaria ergo, ac liberæ electionis non est fides (vtique officium obsequium, si est natura commodum, veniens modo operandi naturæ) nec iustam consequetur retributionem, nec is, qui non credidit (cuius culpa id non euenit) nec, is, qui credidit, qui causa non fuit. Quod si nos tanquam in anima naturalibus operationibus, veluti funibus, trahamur, superuacaneum est in voluntarium, & appetitio, quæ ea præcedit.* Scilicet ad meritum, & salutem. *Nec ego vtique illud esse animal (rationale) intelligo, cuius vim appetendi, quæ ab externa causa mouetur, sortita est necessitas.* Quia nimirum à se ipso debet moueri.

3. Eandem antecedentis, & consequentis necessitatis acceptionem, & diuersitatem, & antecedentis, secus consequentis cum libertate arbitrij contradictionem tradidit Augustinus, & Patres alij tam priores, quam posteriores, etiam, qui Anselmo præcesserunt, vt videre est in eorum testimoniis recitatis controu. 2. d. 5. q. 8. cert. 2. à n. 4. pro concordia diuinæ præscientiæ cum futurorum contingentium (quorum præscientia infallibilis est) libertate : tam enim Augustinus, quam Patres reliqui ideo recitatis testimoniis negant præscientiam Dei futurorum esse causam, siue ideo illa esset futura, quia præsciuntur à Deo ; sed potius contra ideo præsciri à Deo, quia sunt in seipsis futura : quia, si causa esset, cum ex illa inferatur necessario necessitate physica, & metaphysica eorum futuritio, necessitate antecedenti, & causati essent futura: ac subinde nullatenus libera, & contingentia. Quare necessitatem antecedentem eorum ipsorum contingentiæ, & libertati, ad eius interitum, aduersam fatentur. Dum autem aduersatiua oratione, potius, ideo præsciri à Deo, quia futura sunt, atque adeò ex Dei præscientia eorum libertatem non euerti, & si semel præscita non possint non fore aiunt, quia, cum ad præscientiam forè illa in se, pro sua vnumquodque duratione, supponantur, ad eam tandem futuritionis eorum necessitas è præscientia Dei reducitur, qua id, quod pro aliqua sui duratione est, quando est, necesse est: quæ est consequentis necessitatis quantumvis contingentibus, & liberis operationibus, tam creatis, quam increatis absque vlla contingentiæ, & libertatis eorum iniuria, amice conueniens. Patrum testimonia, quibus hæc omnia perspicuè traduntur recitandis parco: quia non multum, citato loco, distant. Ne vero (quoniam pleraque illorum testimonia de præscientia peccatorum sunt, ac ferè omnia de præscientia) quis putet, necessitatem antecedentem, seu causæ libertate arbitrij, & operationis eius illis excusam, vel exclusam, solum esse à libertate ad peccandum, vel solam præscientiæ necessitatem erga præscita; non autem præfinitionis, seu efficacis voluntatis Dei erga efficaciter decreta, animaduertat : rationem generalem à Patribus reddi, non esse necessitatem antecedentem, seu causalem à præscientia ad præcitum : ac proinde huius seruari libertatem ; euertendam, si antecedens, nec solum consequens, atque ex suppositione, quod futurum esse ponatur, fore : ac proinde vbi vis ratio ea generalis adsit, siue in præscientia contingentis non præui, sed honesti, siue in præfinitione, & voluntate Dei respectu operis præfiniti, eodem modo euerti libertatem probabit. Secundo. Patres recitatis testimoniis, & locis non solum contra necessitatem antecedentem præscientiæ, sed & contra fati, & fortunæ antecedentem

recedentem

recedentem humanas actiones necessitatem ethnicam agebant: atque eam ex euersione libertatis impugnabant: fati verò nomine, & fortunæ, tã Deide actionibus humanis efficacem voluntatem, & totam causarum eas antecedentium seriem, quã diuinam de illis præscientiam iuxta ethnicorum sectas intelligebantur. Et quidem August. lib. illo 5. de ciuit. Dei cap. 9. & 10. (ex quo præcipuum eius testimonium proximus) & 11. æque antecedentem præscientiæ respectu contingentium præscitorum necessitatem, atque fati, & fortunæ contra Ciceronem, & reliquos ethnicos, & vniuersim diuinæ prouidentiæ causalem respectu prouisorum necessitatem, tanquam libertatis hostem infensissimum refellit. Vnde tanquam affinem dictis de præscientia, fato, & fortuna conclusionem infert cap. 11. *Nullo modo credendum esse Deum regna hominum, eorumque dominationes, & seruitutes, contingentibus futuris innixas, & plenas, à prouidentia sua legibus alienas esse voluisse*: vt communem esse doctrinam suam de præscientia, fato, & fortuna diuinæ prouidentiæ, de humanis omnibus rebus significaret, quod vtique, & in aliorum Patrum contextu facile deprehenderetur.

4. Cæterum Anselmus, cæteris clarius, eam consequentis, & antecedentis necessitatis distinctionem, definitiones, atque antecedentis causalitate cum operum nostrorum libertate pugnam, eisdem vocibus sæpe nos docuit. Etenim lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. de necessitate mortis Christi, & hypothesi præscientiæ prophetiarum, & fidei virginis absque præiudicio contingentiæ illius, ait. *Quod si te iterum perturbat, quia dixi necesse erat: memento, quia veritas fidei virginis non fuit causa, vt ille sponte non moreretur; sed, quia hoc futurum erat, vera fuit fides: quamobrem, si dicitur, necesse erat, vt voluntate sola non moreretur, quia vera fuit fides, siue prophetia, quæ de hoc præcesserat: non est aliud, quam si dicas: necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat. Huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse; sed esse rei facit necessitatem esse: est namque necessitas præcedens, qua causa est, vt sit res, & est necessitas consequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens necessitas est, cum dicitur cælum volui: quia necesse est, vt voluatur. Sequens verò, quæ nihil efficit: sed sic est, cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris; non quod te aliquid cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volui; te verò nulla necessitas facit loqui: sed vbicunque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem, vbi sequens, ibi statim, & præcedens. Possumus namque dicere necesse est cælum volui, quia voluitur; sed non similiter est verum: idcirco te loqui, quia necesse est, vt loquaris.* Subinferius concludit. *Hac sequenti, & nihil efficiente necessitate, quia vera fuit fides, & prophetia de Christo, (quia voluntate, non necessitate, moriturus erat) necesse fuit, vt sic esset.* Voluntate, & non necessitate, quomodo facta pro sua duratione tam prophetia suppoluit, quam fides. *Hac* (pergit) *necessitate voluit Christus quæcumque voluit. Ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant.* Et inferiusculè. *Si vis omnium quæ fecit, & quæ passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit; si non voluisset non fuissent.* Ac si dicat: quia eorum positio abusu voluntatis liberæ fuit: atque eam positionem necessitas ea essendi, quamdiu sunt, sequitur: ideo necessitas hæc sequens, seu consequens eorum libertati non officit; quæ tamen officeret, si esset ad liberã eorum positionem antecedens. Certe clarius, subtiliusque ad rem præsentem loqui non potuit: ni clariora fortasse videantur illa ex cap. 1. de concordia liberi arbitrij cum præscientia, prædest. & grat. col. 2. [cum dico, si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum: idem est ac si dicam: si erit, ex necessitate erit, sed hæc necessitas non cogit, vel prohiber aliquid esse, aut non esse. Ideo enim, quia pronuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse: aut, quia pronuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate; non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam, cum dico: si erit ex necessitate erit: hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Idem valet, si sic pronuntietur: quod erit ex necessitate erit. Non enim aliud significat necessitas, nisi, quia quod erit non poterit simul non esse.

5. Eidem insistens duplicis necessitatis distinctioni, & doctrinæ inferius ait. *Rem verò futuram necesse est esse futuram: quoniam futurum nequit esse simul, & non futurum.* Ac rursus. *Necessitate omne futurum est: & eum futurum dicitur de futuro, si est futurum, futurum futurum esses: sed necessitate sequente, quæ nihil esse cogit.* Iterum discrimen inter necessitatem futuræ seditionis contingentis, & necessarij ortus futuri solis explicans eandem doctrinam confirmat his verbis. [Seditio, quæ non erit ex necessitate, sola sequenti necessitate futura asseritur: quia futura de futura dicitur. Si enim cras futura est, necessitate futura est. Ortus verò solis duabus necessitatibus futurus intelligitur: scilicet, & præcedenti, quæ facit rem esse: ideo enim erit, quia necesse est, vt sit, & sequenti: quia nihil cogit,] esse (quatenus ea necessitate necessariò sit) *quoniam ideirco necessitate futurus est, quia futurum est.* Ea qua toties, & pluries repetita doctrina necessitatem sequentem, seu consequentem non obesse libertati operationum arbitrij, & liberæ nostræ voluntatis, quia, & eius indeterminationem in actu primo, seu potestatem ad vtrumvis omni necessitate antecedenti ad alterum extremum secluſa relinquit, ac proinde liberum eius exercitium supponit: quare & ab arbitrij libertate vitari, cauerique ea necessitas exercitio illius diuerso, & aduerso potuit, post capitis medium aureis hisce verbis concludit. [Itaque quod vult libera voluntas, & potest non velle; & necesse est eam velle. Potest namque non velle antequam velit, quia libera est; &, cum vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est: quoniam impossibile illi idipsum simul, & velle, & non velle. Sed has necessitates facit voluntatis libertas quæ prius, quam sint, eas cauere potest.] Inde verò infallibilem diuinæ de nostris futuris contingentibus præscientiæ veritatem cum eorum libertate. Sic contiuuo conciliat. [Hæc omnia Deus, qui scit omnem veritatem, & non, nisi veritatem, sicut sunt spontanea videt, & sicut videt ita sunt. Hac ergo consideratione palam, & quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia; & multa fiunt ex libera voluntate, quæ antequam sint fieri potest, vt nunquam sint; & tamen quod à modo sunt necessitate: quæ necessitas, vt dixi, descendit de libera voluntate.] Ac si dicat: si caueri ea necessitas, qua nostra futura contingentia necessariò erunt à nostra voluntate non posset, neque à libera voluntate descenderet, à qua fieri posset, antequam sint, vt non sint illa futura, nequiret, tam illa necessitas, quam præscientiæ infallibilitas cum eorum libertate componi: quæ ea solum via componitur, & necessitas hæc ab antecedenti arbitrij libertati aduersa distinguitur. Iterum vero ait. *Eodem modo res aliqua, vt quædam actio, non necessitate* (absolute tali, seu antecedente) *futura est: quia, priusquam sit, caueri potest, vt non sit futura.*

6. Quamvis autem recitatis locis Anselmus negatione antecedentis necessitatis præscientiæ solius respectu contingentium futurorum, solaque admissione consequentis ad ipsa necessitatis eorum libertatem cum necessaria illius veritate componat; tamen, cum eo libro non eam solum concordiam, sed prædestinationis etiam cum prædestinatorum operum libertate amicitiam contendat: tum ea ratione primam concordiam ostendit, secundæ monstrandæ sternit viam: vnde cap. 2. post med. ait. *Pariter quamvis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur: quædam tamen præscita, & prædestinata non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rem sequitur: sicut supra diximus. Non enim ea Deus, quamvis prædestinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo; sed in sua eam potestate relinquendo.* Cauit tamen continuo, ne aliter, atque Augustinus, & reliqui Patres de necessitate diuinæ gratiæ, & prædestinationis putaretur sentire dicens. *Quamvis tamen sua voluntas vtatur potestate: nihil tamen facit, quod Deus non facit, in bonis suæ gratia, in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa.* Et statim eadem esse prædestinationis, atque præscientiæ cum nostrorum operum libertate concordandæ præfatam rationem in hæc verba subiunxit. *Sicut præscientia, qua non fallitur non præscit, nisi verum: sed erit, aut necessarium, aut spontaneum: ita prædestinatio, qua non mutatur, non prædestinat, nisi, sicut est in præscientia* (non quæ post prædestinationem absoluta præscientia est, sed quæ illam antece-

dit) *& quemadmodum, quod præscitur, licet in æternitate sit immutabile tamen in tempore aliquando, antequam sit, mutari potest : ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his, quæ dicta sunt, si bene considerentur, quia neque prædestinatio excludit liberum arbitrium nec liberum arbitrium aduersatur prædestinationi. Siquidē omnia illa, quibus supra monstrauimus, liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare.* Eadem doctrina respōdet eidem difficultati de concordia præscientiæ,& prædestinationis cum humanorum actuum libertate propositæ à discipulo Anselmus(vel qui eius libri author)in elucidario med.siue c. 40.licet antecedentem necessitatem *naturalem*, quia naturalium causarum propria est*consequentem*, vero voluntariam,quia à voluntate oritur, iuxta eius data verbà appellet.*Duæ*, inquit,*necessitates sunt:vna naturalis,vt solē in oriente oriri,vel diem nostem sequi. Altera voluntaria vt hominem ambulare, vel scribere quæ Deus vult, vt fiant, vt cœlum, & terra ineuitabile est non euenire, sed per omnia necesse est contingere, quæ autem fieri tantum permittit, vt homines per liberum arbitrium bonum, & malum facere, non est necesse euenire.* Voluntariam autem necessitatem consequentem solummodo esse statim his ostendit. *Omnia præsciuit, Non tamen sua præscientia aliquam necessitatem intulit, vt fierent ; sed potius ipsi necessitatem intulerunt, cum suam voluntatem explerent.* His similia recitatis scribit dialogo de casu diaboli cap.21.

7. Et quidem verba illa, *quæ fieri tantum permittit Deus, vt homines bonum, & malum facere*, illis opposita, *quæ Deus vult, vt fiant*, naturales effectus,& ab antecedenti necessitate,seu naturali causarum naturalium oriundos significantibus, liberos nostros actus significant. Siquidem verbo *permittendi* (quod proprie sumptum respectu solum malorum operum locum in Deo habet)respectu omnium etiam bonorum ipsi applicitum id vnum aperte significat : Deum ita voluntatis nostræ determinationi, siue mali, siue boni electionem integram relinquere, ac si non magis bonum, (quoad determinationem attinet) vellet, quam malum : quod tamen velle non potest : quia non magis ad vnum, quam ad aliud Dei præfinitione, ac determinatione antecedenti voluntas creata prævenitur. Id quod nostræ huius expositionis verbis docebat Damascenus : in nostrorum actuum etiam prædestinationem præfato sensu negans 2. fide capite 30. init. *Opera pretium*,inquit,*est cognoscere omnia,præscire Deum; non autem omnia prædefinire, atque præfinire. Præscit enim, & ea,quæ in nobis (quorum*, scilicet,*sumus liberam adepti potestatem*, vt dixerat c.26.) *non prædefinit autem hæc. Nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti ; prædefinit autem ea, quæ non in nostra potestate sunt* : & vt ex eius dialog.cont.Manich. col.antepenult. referebamus. *Deus ea, quæ voluntarie à nobis futura sunt, id est, ea, quæ in voluntate nostra sita sunt, nimirum virtutem, ac vitium præscions, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt.* Id ipsum continet sententia illa tanquam Nysseni lib.7. philosoph. cap.1. & lib.8.cap.4 recitata, & in eum sensum explicata à S.Thom.3.cont.9. cap.90. init. (quæ tamen Nemesij est lib. de anima,cuiusque facultatibus Nysseno attributo)scilicet, *Prouidentiam esse eorum, quæ non sunt in nobis.* Cum enim Nemesius eo lib. cap.40.post med.& cap.44. col.2. expresse asserat ea, quæ in nobis sunt, & à nostra potestate à duobus,scilicet diuina prouidentia,& arbitrio nostro pendere, ac proficiscitidque multis rationibus per singulas nostras actiones probet deinceps eo c.44. apertum fit eum prouidentiam illam solam de nostris operationibus liberis negare, quæ propria effectuum naturalium, & antecedenter præfinitiua, & necessitans ad operandum est : eodem vtique sensu Theodoretus lib.5. seu epitome diuinor. decretor. cap. de prouidentia inter med. & fin. in effectibus, qui à diuina prouidentia pendent naturales solum recenset, & subdit. *Quocirca oportet nos ea, quæ ab ipso fiunt, acquiescere ; eorum autem, quæ sunt in nostra potestate curam gerere.* Non quidem Dei de nostris actionibus curam,& prouidentiam negans, sed quæ illas præfiniat, ac prædeterminet, nostramque potestatem, determinationemque ad illas prouidentiam, & electionem excludat. Similiter Iustin. Matr. quæst.8. ad Orthodoxos initio quærit, *quomodo Deus non sit causa vtriusque ?* virtutis nempe, & vitij, statutoque dominio nostro, & potestate indifferenti ad vtrumvis, respondet. *Non Deus, vt boni, vel mali simus, sed arbitrium nostrum causa est.* Quia, scilicet, ille neutrum antecedenter præfinit, ac determinat;sed arbitrij dominium, & potestas : licet ille ad vtrumque concurrat, & ad bonum sua illud gratia instruat ; quæ verba, vt ab aliquibus desint exemplaribus, & librariorum incuria ; at oratio, & difficultas in aliis omnibus, ac fine illis, manca, & sine solutione manet. Item hoc eodem sensu Origenes lib.2.Periarch.cap.12.& lib.3.cap.3. dixit. *Nos à Deo non habere, quod bonum, vel malum velimus* : cum alias ad bonum Dei gratiam sæpe, dum de ea agit, imo semper requirat.

8. Denique, vt antecedentem nostros actus necessitatem omnem Chrysostomus à libero nostro arbitrio propellat, etsi pro necessitate præuenientis voluntatis,& gratiæ Dei recitatis supra locis, atque vbivis extiterit, Deum nostras voluntates præuenire negauit:scilicet præfinitiue, & prædeterminatiuè : ita enim scribit hom.12.in cap.7.ad Hebræ initio moralis : *quia ergo nihil Dei est Omnia quidem Dei sunt : sed non ita vt liberum arbitrium lædatur. Si igitur Dei sunt*, inquit, *omnia : quid ergo nos culpamur ? Propterea dixi (vt liberum arbitrium nostrum non lædatur) in nostro itaque arbitrio est, & in Deo : oportet nos quidem eligere primum, quæ bona sunt; & tunc ipse, quæ sua sunt introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium. Cum autem nos elegerimus, tunc nobis affert multam auxiliationem.* Respondent Dominicani præfinientes, & determinantes recentiores in exemplaribus græcis saltem omnibus eius homiliæ hoc testimonium non extare:ac proinde fuisse à Pelagianis (quorum magni referebat) inseratum.Sed debuissent notare impressionem originalis græci, à quo illud testimonium aberat : cuius enim Veronæ per Stephanum,& Fratres à Sabio 4. Kalendas Iul. anno 1529. totum integrum extat, vt testatur noster Ruiz d. 33. de Scient. sect.5. vidisse se cum græce linguæ peritis in eorum exemplarium, vno, quod habetur in nostro Hispalensi Collegio S. Hermenegildi Societatis Iesu : quid quod eam ipsam sententiam pluries alibi Chrysostom. posuit ? sic enim scribit hom. 42. ad Popul. Antiochen. *Omnia quidem in Deo ; sed non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur in nobis igitur, & in Deo sunt. Oportet enim nos prius eligere bona, & ille sua tunc inducit. Nostras non præuenit voluntates, ne nostram temeret libertatem. Cum verò nos elegerimus, tunc magnum nobis adfert subsidium.* Hom.item 17. in Ioann. ad id capitis 1. *Conuersus Iesus sic fatur. Hinc adm. neripesumes : Deum suis in nos beneficiis nostras non præuenire voluntates sed à nobis incipiendum esse : sed, cum nos prompto paratoque animo ad susciendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis affert salutis occasiones.* An & hæc in originalibus græcis ab hisce absunt domicilijs.

9. Dicunt secundo Chrysostomum ea homil.12. Augustino, & Arausicano Concilio Canon 4. Statuentibus gratiam Dei nostra bona opera præuenientem contra Pelagianos, & semipelagianos expresse aduersari, & ad horum errorum partes accessisse : cuius proinde locutio debet iam à Catholicis exulare. Respondet Ruiz proxime Chrysostomi mentem, & sententiam eo loci (& idem est de reliquis) cum Augustino, Arausicano, & reliquis Patribus de exclusione præuentionis diuinæ nos ad bonum necessitantis concordare, verboque, & vocis sonotenus, discordasse, & præfato errori fauisse: quod, vt minimum, certum est : cum toties alibi gratiam,& Posse insuper Catholicos post ortum, & damnatum errorem Pelagianum, & Semipelagianum : imo, & nunc etiam, ea locutione vti : dummodo explicent, quod ille mente retinuit. Nempe non præuenire nos voluntate, & gratia diuina ad bonum necessitante. Errores fuisse quidem postea suborti petunt sæpe, vt non sine meritis Patrum explicatione à posteris proferantur. Ita moneo, & ego. Sed æstimo nihil Chrysostomum in re tam grauit, verborum eis locis adhuc omississe, menteque reseruasse, quod præfatis erroribus præcauendis necessarium esset, si eius verba recte, subtilitateque scholastica

intelli

intelligantur. Dum enim ait à nobis, & à Deo bona omnia nostra esse, necessariam Dei, & suorum ad illa præcedentiam, sicuti, & arbitrij nostri statuit; quod, cum nequeat adeo immediate ab ipso contradici, solum restat, quod ea, quæ ex parte Dei nos ad bonum præueniunt in eo præstando nostram determinationem, liberumque ipsorum vsum nostri, quibus ad illum subdita sunt, expectent: atque ea ratione in actu exercito, & secundo sequantur. Quandoquidem determinatio, qua operantur, & cooperantur, non eorum, sed nostri ipsorum est. Verum apud minus doctos eis locutionibus, vt iacent, ac sine explicatione prudentius abstinebimus.

CERAMTEN V.

Ex hactenus statutis scripturæ, & Patrum principijs Recentium Thomistarum præfinitiones euertuntur, horumque præcluduntur effugia.

1. EX singulis scripturæ, & Patrum, pro quolibet ex statutis eorum principio confirmando, recitatis testimoniis ea omnia argumenta contra has præfinitiones instruere possemus, quæ hoc certamine instruenda ex cunctis eorum authoritatibus erunt. Verum, licet ea omnia pro suis quæque classibus singulatim recitanda fuerint, vt doctrinam hanc nostram, quam nouitatis præfinitores præterminantes Dominicani in simulabant tamdiu Ecclesiæ Patribus inolitam fuisse, vt in ea Ecclesia nata fuerit, adoleuerit, ac maiori, quam senis robore consenuerit. Tamen, ne legentium nausea toties eadem repeterentur argumenta huc simul, semelque post omnes Patrum authoritates, & ex eis omnibus efformanda seruaui: quæ nihilominus quisque ex vna, vel alia authoritate, quam malit poterit pro nata arguendi occasione efformare voluntas libera (à qua & est, & dicitur libera operatio, quæ ab ipsa actiue procedit) est voluntas cum potestate ad vtrumvis extremum contrarietatis, aut contradictionis eliciendum (puta consensum, vel dissensum, aut negationem consensus) prompta, & expedita ad vtrumvis, atque soluta omni vinculo necessitatis antecedentis pro priori naturæ ad alterum ex oppositis extremis, & omnino independentis ab vsu, & exercitio libero voluntaris, vt constat ex recitatis Patrum, & scripturæ testimonijs totis quæst. 1. & hac 3. & controu. 2. antecedenti. Atqui cum præfinitione consensus voluntas nostra non est cum potestate prompta, & expedita ad extremum illi oppositum, siue contrarie, siue contradictorie (scilicet dissensum, vel negationem consensus) neque soluta necessitate absolute antecedenti, & omnino independenti ab exercitio libero voluntatis ad eliciendum consensum: ergo voluntas cum præfinitione consensus non est potentia libera ad consensum iuxta statam, & constantem scripturæ, atque omnium Patrum doctrinam. Minor est in aduersariorum doctrina, certa. Etenim, & præfinitio consensus nostri emera Dei voluntate, & libertate, omninoque independenter à voluntatis nostræ exercitio libero, adhuc conditionate præuiso, misericorditer à Deo ponitur: insuper & positionem, ac eliciendam consensus à nostra voluntate pro naturæ priori omnino, & necessario antecedit: cum in eorum doctrina sit decretum concurrendi cum voluntate, & prædeterminandi illam præuie, & antecedenter natura, & causalitate ad consensum: Denique ita essentia, & suapte natura necessario, & inseparabiliter connexa physice, & metaphysice cum consensu, vt ea stante implicet, tam physice, quam metaphysice non esse, seu omitti à voluntate consensum, siue eius negationem cum sui præfinitione coniungi: consequentia verò huius discursus legitima est: quare, & ex scriptura, & Patribus præfatæ Recentiorum Thomistarum de nostris liberis actibus, & operationibus præfinitiones diuinæ erunt prorsus reiiciendæ.

2. Simile argumentum de impotentia antecedenti voluntatis nostræ ad actum nostrum, siue alterum extremum ex oppositis à Deo non præfinitum antecedenter, & independenter prorsus, ab exercitio libero nostræ voluntatis æquo robore efformari contra huius libertatem facile poterit: cum in aduersariorum sententia de præfinitionibus nostrorum actuum liberorum, quas impugnamus, & præfinitio determinatiua ad actum principium essentialiter ex parte actus primi requisitum ad quemvis nostrum actum liberum sit, vt nuper dicebamus, & ipsi constanter fatentur: ac subinde voluntas nostra absque eiusmodi prædeterminatiua præfinitione nostri liberi actus incompleta, & partialis solum potentia, neque absoluta potentia ad illum sit, ipsumve absolute potens efficere: sicuti de quavis partiali solum causa effectus, cum negatione alterius concausæ essentialiter requisitæ ad effectum constans apud omnes Philosophos, & Theologos est. Atque in re præsenti, etsi obiecti, in quod voluntas nostra actu suo ferenda est, actiue in eius actum non influat, quia tamen saltem vt conditio, se ex parte actus primi tenens ad ipsum requiritur, voluntas sine obiecti cognitione, neque soluta, & absoluta potentia ad tendendum in illud obiectum, neque absolute potens illud prosequi, etiam aduersariis recentibus Thomistis fatentibus, reputatur. Ex vtroque verò, vel alterutro argumento ita vniuersim instructo satis euincitur præfinitionibus hisce arbitrij, & voluntatis nostræ, ac subinde humanorum actuum libertatem iuxta scripturæ, & Patrum doctrinam prorsus euerti. Indeque facile & alia inferuntur absurda, eisdem testimonijs attacta. Nempe Consilium consultationem, electionem, vsumque omnem voluntatis, & arbitrij nostri eis præfinitionibus prædeterminatiuis aboleri: siquidem hæc omnia expeditam ad vtrumvis extremum eligendum ab omni necessitate antecedenti ad alterum, & impedimento ad aliud potentiam in voluntate & arbitrio nostro, seu (quod idem est) libertatem supponunt: vt Patres plures recitati, & Scriptura sæpe præsertim testimoniis perpensis quæst. 2. certam. 2. asserunt expresse. Item non solum præcepta, & leges inania, ridicula, & nugatoria eis præfinitionibus, vt aiebat Theodoretus, redduntur, sed & bona consilia, atque adhortationes ad pietatem, atque à vitijs reuocemur reprehensiones, & increpationes, quibus omnibus scriptura scatet, & Patres exundat, cassæ, & inutiles: cum ea omnia potestatem nostram, & libertatem ad vtrumvis expeditam supponant, in casumque ad actum prædeterminatiue præfinitum alicui adhibentur: cum eis præceptis adhortationibus, &c. Sublatis, æque, atque illis adhibitis, actum eliciturus ineuitabiliter sit; non præfinitum vero sit necessario omissurus, quantumvis præcepta adhortationes, vt illum apponat ingeminentur; cum eius prædeterminatiua præfinitio, partiale scilicet essentiale principium quare & absolute ad illum potentia deficiat: ac proinde non aliter ea omnia ipsi adhibebuntur, ac si fabella surdo narretur.

3. Absurda alia innumera contra præfinitiones hasce inducree in proximo est: neque ex eis pauca, cum à ratione contra eas agamus inducemus. Nunc enim ea solum attingenda fuere, quæ ab scriptura, & Patribus fuerunt attacta. Præstat tamen aliter, & aliter generale illud argumentum de euersione libertatis arbitrij per præfinitiones hasce ex Patrum, ac præcipue Anselmi doctrina, & verbis instruere. Necessitas antecedens voluntatis, & operationum eius libertati aduersa, *est quæ facit, cogitve rem, seu operationem esse*, siue *causa est, vt res sit*, vel non sit, *reique*, vel negationis eius, *positionem præcedit*, quæve *prohibet rem esse. vel non esse*: hæ siquidem omnes sunt definitiones, seu definitio variis vocibus explicata ab Anselmo cert. 4. à n. 4. necessitatis antecedentis libertati voluntatis, & operationū humanarum inimicæ: atqui necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ Thomisticæ est necessitas, quæ *positionem præcedit*, consensus præfiniti, *causaque est, vt sit*, eiusmodi consensus, *quæ facit, cogitque esse*, consensum, & *fieri*, à voluntate, ac necessario *prohibet non esse*, consensum præfinitum, atque esse, *dissensum oppositum*, per aduersarios, vt vidimus: ergo necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ consensus est necessitas antecedens voluntatis, & operationum nostrarum libertati inimica iuxta Patrum, & præcipue Anselmi, doctrinam. Confirmatur: quia

quia ex duabus necessitatibus essendi rem à voluntate, seu rei ab illa efficiendæ à Patribus agnitis, scilicet antecedenti natura, & causalitate operationem voluntatis (quæ etiam simplex, & absolute talis nominatur à Boetio, & aliis Patribus, vt vidimus, atque naturalis dicitur à Dionysio Areop. & Clemente Alex. cert. 4.) & sequenti, subsequentiue (secundum quid dicitur à Boetio, & aliis; & moralis à Dionysio, & Clemente) *quæ rei positionem non præcedit, nec facit, efficit, cogitve rem esse*, aut fieri voluntate, *sed quæ est, quia volumus, atque à libera voluntate descendit, & quam antequam sit potest voluntas cauere*; quæ *demum rei ita necessariæ positionem sequitur*, (vt Anselmi recitati hanc sequentem, seu consequentem necessitatem definientis verbis vtar) vel denique iuxta eundem Anselmum, Boetium, & Patres reliquos necessitas sequens est, *qua id, quod est, quamdiu est, siue ex suppositione, quod sit, necesse est esse; quia nequit esse, & non esse simul.* Ex his igitur duabus necessitatibus operationum nostræ voluntatis (vltra quas nulla alia à Patribus agnita fuit; imo neque potest inueniri ad earum libertatem, vel eius euersionem ostendendum) sequenti, seu consequenti solummodo non euerti libertatem humanorum actuum per præscientiam eorum, & prædestinationem diuinam asseruat Patres omnes tam cert. 4. quam controuers. 2. d. 5. q. 8. certam. 2. magno numero recitati: quia exercitium libertatis, siue exercitam iam libertatem voluntatis circa præscita, & ea, ad quæ prædestinamur supponunt: quare neque libero eius exercitio, quod præcesit, possunt vllatenus obesse. Atqui necessitas præfinitionum prædeterminatiuarum (consensus, v. g. nostri) consequens necessitas, & libertatem voluntatis circa ipsum exercitam sequens, & supponens non est, sed omnino ab illa independens, præcedens, neque à libera voluntate nostra descendens: ergo nullatenus cum voluntatis, & consensus præfiniti libertate componi per Patres potest.

4. His summatum à Patrum, & scripturæ authoritate perstrictis, instructisque argumentis quid à recentribus Thomistis respondeatur videndum, atque expendendum ex ipsis Patrum testimoniis, contextu, & instituto in præsentiarum erit, quin à ratione eorum solutiones hic impugnentur: id siquidem, cum à ratione, cui eædem adhibentur solutiones, agetur fusius oportuniusque præstabitur. Respond. primo. Patres, & scripturam solummodo asserere arbitrij liberi, atque, vt liberum perfster, potestatem absolutam, & expeditam ad vtrumvis, atque necessitatis ad alterum extremum, & impossibilitatis ad oppositum exclusiuam, quæ non extrinseca, sed intrinseca naturæ eius, & essentialis sit: quæ quidem quamdiu eius essentia, & natura manserit nequit ipsi deficere: manet autem posita præfinitione, imo & prædeterminatione physica, aliove quovis voluntati inhærente. Hæc solutio aliis terminis adhiberi etiam solet à Thomistis: nimirum, potestatem indifferentem ad vtrumvis, quam voluntas, & arbitrium nostrum liberum dicit, & necessitatem alterius extremi, & impossibilitatem oppositi, quam eius libertas excludit, debere esse necessitatem connexionis intrinsecæ, & essentialis prædicati cum subiecto secundum se consideratum, scilicet voluntatis seu personæ consensuræ secundum se consideratæ cum consensu, & absque suppositione cuiuspiam alterius: similiter impotentiam, seu impossibilitatem extremi oppositi: quia eorum quodvis solummodo opponitur indifferentiæ, & potestati ad vtrumvis & voluntati, & arbitrio nostro libero intrinsece. Id quod confirmari potest pluribus scripturæ, & Patrum testimoniis datis: quibus de hominis secundum se considerati conditione, & creatione est sermo, dum eius indifferens potestas ad vtrumvis adstruitur, ac necessitas ad alterum extremum, in potentiaque, & impossibilitas ad eius omissionem, aut oppositi appositionem ab eius voluntate, & arbitrio libero relegatur, vt videre est, in testimoniis præcipuis à nobis ponderatis ex Genes. 1. cert. 1. à num. 8. & Eccles. 15. toto certam. 2. & in aliquibus Patribus, quos ibidem recitauimus, qui asserebant, natura, & naturali conditione nostra vtrumvis nos posse, neque ad vnum determinatos, impotesve ad oppositum conditos nos fuisse. Secundo idipsum exempla, quibus Boetius, Anselmus, aliique Patres ad designandam necessitatem potestati indifferenti liberi arbitrij aduersam, atque ab eius libertate excludendam vtuntur. Ea siquidem omnia sunt necessitatis naturalis, & intrinsecæ, ac essentialis connexionis agentium cum suis effectibus: vt ortus solis, & volubilis cœlorum motus. Hanc ergo solummodo necessitatem essentialis, & intrinsecæ connexionis cum altero extremo; & naturalem, atque essentialem impotentiam, seu impossibilitatem oppositi contrarie, vel contradictorie, quæ solæ essentiali, & intrinsecæ arbitrij nostri potestati indifferenti ad vtrumvis, siue indeterminatæ de sese potentiæ voluntatis ad alterum repugnant, ab scriptura, & Patribus ad arbitrij nostri libertatem tuendam abiiciendæ solummodo sunt; non autem aliæ, quæ voluntati nostræ aliunde etiam pro priori naturæ, & causalitatis ad operandum, siue intrinsece ipsi, siue extrinsece accidant, & obueniant. Atque (vt nihil pro aduersariis dissimulemus, ac simul, semelque eandem solutionem tertio ab ipsis aliis vocibus repetitam sub eis etiam conuellamus) ita intelligendam necessitatem antecedentem aiunt: quia, & natura voluntatis secundum se quodvis ipsi adiungendum antecedit: & quidquid ipsi quomodocumque posterius adiungitur necessitans supponitur ad eius necessitatem præter voluntatem: quare neque eius absolute sumptæ necessitas est simplex, & absolute talis, seu in phrasi aliorum Patrum antecedens; sed ex suppositione, & secundum quid; & quæ eadem est, aliis tamen vocibus apud Patres explicata, atque sequens, aut consequens Anselmi necessitas.

5. Verum, quantumvis ludant verbis Thomistæ recentes solutione hac, aliter, atque aliter explicata, nec illudent nobis, neque argumenti efformati impetum eludent. Atque in primis quanto vocum contra mentem Patrum abusu simplicem, & absolute talem (quæ antecedens ab Anselmo, & aliis necessitas dicitur) & secundum quid, siue ex suppositione (quibus vocibus Patres necessitatem consequentem tradunt) tertio, & vltimo modo hanc explicent solutionem Thomistæ, nemo non videat. Etenim Boetius, & reliqui Patres, qui antecedentem necessitatem simplicis, & absolutæ nomine, consequentem verò conditionatæ, siue necessitatis ex suppositione vocibus explicarunt, hanc conditionatam, siue ex suppositione rei, & operationibus ipsius, libertati non officit, debere esse docuerunt: vt scilicet necessitas illa sit, qua omne, quod est, quandiu, siue ex suppositione, quod sit necesse est esse: quæ vt dicebamus necessitatis consequentis data ab Anselmo definitio est; Thomistæ verò illi suppositionem, qua necessitas inducitur operandi ad omne antecedens principium operandi præter voluntatem ipsam sua hac doctrina extendunt: quod apette Patribus repugnat. Simplicis autem, & absolutæ nomine Patres iidem omnem necessitatem, quæ non sit ex rei ipsius suppositione, quod sit (quo non voluntatis solum nude, ac secundum se consideratæ necessitatem intelligunt) simplicem & absolutam, seu (quod idem apud ipsos est) antecedentem vocant, necessitatem omnem, vt res sit, ac fiat, quæ aliunde quamè rei ipsius positione prouenat. Nullum ergo in Patribus ea doctrina fundamentum habet; imo verò omninò est Patribus aduersa: quod autem voluntas eis omnibus ipsi, siue intrinsecus, siue extrinsecus adiunctis natura præcedat, de præcedentia materiali, vel quasi verum est. Sed quid ad necessitatem, vel indifferentiam ad vtrumvis (operandum scilicet, vel non operandum) quæ in linea potentiæ actiuæ est, præstare potest? Secundo quibusvis vocibus explicata solutio vniuersim impugnatur: quia, & si extrinseca, & non intrinseca, & essentialis voluntatis sit ea necessitas consentiendi, & connexio cum consensu præfinito, tamen absolutè verum est esse necessitatem, quæ *non descendit de libera voluntate*, aut quæ *rem solummodo sequitur*, neque *eius positionem præcedit*; sed, quæ hanc *præcedit facitque rem esse, cogitque esse consensum*, & *prohibet*, ineuitabiliter eius omissionem, & positionem dissensus quæ sunt notæ necessitatis absolute, & simpliciter talis, & antecedentis, arbitrij, & operationum eius libertati aduersantis per Patres. Contra secundo: quia Patres eam duplicis illius necessitatis distinctionem contra fatalis necessitatis assertores Ethnicos, Hæbræos aliquot, aliosque sequaces docuerunt; vt ostenderent fatalem illam necessitatem, quæ nos inuitabiliter ageret ad operationem, ac proinde nostræ libertatis vsum pro priori naturæ anteverteret, eoque libertatem antecedens foret, prorsus arbitrij nostri euertere libertatem;

tatem: atqui fatalis illa necessitas, qua voluntas nostra ad vnum necessario apponendum determinabatur, imposque reddebatur ad oppositum extraessentialis, & extrinseca erat naturæ, & entitati voluntatis, quæ in nobis, quoad entitatem, integre, secundum totam suam entitatem persistebat, apud fatalis necessitatis assertores, neque id Patribus eos impugnantibus erat ignotum, imo, neque ab vllo, quantumvis stolido, potuit, positiue ignorari: ergo ex Patribus necessitas etiam extrinseca, seu extraessentialis voluntati ad operandum, dummodo absolute eius operationem natura, & causalitate antecedat (quomodo suam præfinitionem præcedere aduersarij fatentur, & statuunt) vtriusque euertit libertatem.

6. Quod autem fatalis necessitas extrinseca, & extraessentialis voluntati sit, per se notum est, & ex omnibus, quæ extiterunt fati, fatalisque necessitatis opinionibus patet. Primo enim eorum nonnulli in stellarum sola, nudaque virtute ad nos per influxum earum deriuata fatum, fatalemque nostram necessitatem operanti constituebant, teste Augustino 5. de ciuitate, cap.1. circa med. & cap.8. Nemesio de natura hom. & animæ facultatib. cap.35.36. & 38. Alij syderum virtuti naturali, & adspectui deorum voluntatem, & decretum ad fati, & fatalis necessitatis constitutionem adiungebant apud Augustinum eiusque commentatore citato cap.1. Nemesio citato c.36. aliisque Patribus frequenter homiliis de stella, & aduentu Magorum. Platino de fato cap.2.fin. Iulio Sirenio, & aliis) seu quod idem est Nysseno. 6. Philosoph. cap.2. S. Thom. 1.p.quæst.23.art.8.corp.& 116.art.3.corp. Tertio Seneca 2. natural. quæst. cap.35.36.37. & 38. & epist. 18. ex Cleante Stoico (cuius in suam sententiam versus latinos fecit, factosque recitat Augustinus cit.cap.8. fatum eiusque fatalem necessitatem in Dei præscientia, prouidentia, & voluntate collocauit: quarto demum fatum iuxta communē Stoicorum, est tota causarum à prima ad vltimam series necessaria connexione procedens, vt referunt Augustinus cit.cap.8. Seneca 4. de Benefic. cap.7. Cicero ex Proculo Homero Virgilio, & alij relatis à Iulio Sirenio 3. de fato cap.6.7. & 8. In his autem omnibus opinionibus aliquid, imo plura extraessentialia, imo omnino, adhuc inhæsiue, ipsi extrinseca fatalis necessitas claudit: ergo, cum Patres ethnicum fatum, eiusque necessitatem, tanquam libertatis nostræ ruinam, quia absolute antecedens necessitas ad operandum est, neque vllatenus ab vsu, & exercitio nostræ operationis liberæ dependens, reiciatis testimoniis refellunt, censent necessitatem absolutam, etiam extraessentialem, imo etiam inhæsiue extrinsecam, voluntati nostræ, eiusque operationi naturæ, & causalitate præcedentem, & potentiæ absolute tali indifferenti ad vtrumvis, in qua eius libertas constituit, & operationis subinde libertati repugnare. Contra tertio: quia iidem Patres, vt Christianam Catholicam, & Theologicam fati, scilicet præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, eiusque indefectibilibus, & infallibilibus veritatis certitudinis, & subinde cum nostris operationibus connexionis cum earum libertate concordiam dilucide offenderent, eam antecedentis, & consequentis necessitatis distinctione explicuerunt: & quia præscientiæ, & prædestinationis necessitas consequens solum, non autem antecedens nostras operationes est harum libertatum cum earum indefectibili certitudine, & infallibilitate amice componi docuerūt; Sciebant autem apprime Patres (quod nemo quantumvis Bardus ignorat) præscientiam, & prædestinationem diuinam voluntatibus nostris non extraessentialem modo, sed omnino extrinsecam esse: quare certum ex Patribus sit, indifferentem potestatem voluntatis ad vtrumvis ab ipsis requisitam, vt libera sit, atque exclusionem necessitatis antecedentis prioritate naturæ ad alterum extremum impotentiamque eius ad extremum aliud, siue contrarie, siue contradictorie illi oppositum, non ex prædicatis solū intrinsecis, & nuda natura, & entitate voluntatis secundum se sumptæ, sed ex aliis omnibus, etiam extrinsecis, operationem eius præcedentibus saltem, vt necessario ad ipsam ex parte causæ requisitis (cuiusmodi præfinitio prædeterminatiua est, quam impugnamus) pendulas esse. Neque aliud in recentium Thomistarum doctrina dici potest: cum visione beata, quæ extraessentialis, imo, & absolute extrinseca voluntati est, amoris beatifici libertatem euerti asserant: quia antecedens eius necessitas est. Vt cum à ratione hanc solutionem refellamus q.7. cert.4. præclusis variis effugiis ostendemus.

7. Quod verò impugnationi secundæ responderi, vtcumque poterat antecedentem necessitatem extraessentialem voluntati ethnici fati libertatem iuxta Patres euertere, secus alias extraessentiales impugnatum est confutatione tertia ex fato Catholico. Et secundo impugnatur: quia non aliter impugnatur ab illis ethnica illa fatalis necessitas, nisi ex principio vniuersali, quod omnis necessitas absolute antecedens natura operationem voluntatis, etsi huic extrinseca, & extraessentialis sit, earum aboleat libertatem, imo, ni hoc statuatur vniuersim, nullatenus id ex aliis fatalis ethnicæ necessitatis specialibus euersio probabitur vt patet. Id quod vlterius ex Patrum contextu paret; cum enim varias speciales fati ab Ethnicis memoratas constitutiones, vel in stellarum influxu, & virtute, specialibus rationibus vnamquamque refellant: quoad libertatis euersionem ex eo solum, quod consequens non sit, sed antecedens operationem nostram, ab eaque omnino independens solummodo concordes illam reiciunt. Ex quibus illud etiam, cui vnice solutio innitebatur radicitus conuellitur. Etsi enim de conditione, & creatione hominis nude, ac præcise secundum suam naturam ea testimonia scripturæ, & Patres ea interpretantes loquerentur: cum ratio, ob quam euertenda libertas ab ipsis asseritur, sit, quia naturæ, & voluntatis secundum se productæ, & sumptæ necessitas operandi consequens operationem eius non est, sed antecedens: ea vero ratio in præfinitione, & quouis alio ex principiis requisitis ad operandum, etsi extra essentiam voluntatis sint, eandem vim habeat: quare determinatio, & necessitas antecedens operandi naturæ operantis intrinseca indiuiduum exemplum est generalis illius necessitatis antecedentis operandi, quæ extraessentialis, & extrinseca principia etiam, ad libertatis euersionem complectitur: quo factum est satis exemplis necessitatis naturalis ortus solis, & motus cœlorum, quæ Patres in exempla necessitatis antecedentis libertati repugnantis adduxerunt. Sed tamen, neque scripturæ testimonia illa ex Genes. 1. & Eccles. 15. (nedum reliqua omnia) neque Patres illa commentantes de potentia indifferenti ad vtrumvis exclusione necessitatis antecedentis ad vnum, & impotentiæ ad alterum ad arbitrij libertatem necessaria egerunt, voluntatem nudam considerantes sine boni, & mali propositione, adhibitione præcepti, præuenienteque Dei voluntate, & gratia ad bonum consequendum; sed cum illis: imo absque his duobus impotem boni esse voluntatem nostram, qui explicatius arbitrij ad bonum potestatem tradiderunt, asserebant, vt vidimus. In his autem Dei voluntas intercedit, quam præfinitionem aduersarij esse volunt: quare, & cum ea potentiam ad vtrumvis omni necessitate ad vnum, & impossibilitate ad alterum exclusis asseruerunt. Denique cum præfinitio prædestinatiua Thomistica sit decretum concurrendi cum voluntate essentialiter requisitum ad quamvis eius operationem, absque illo in nuda voluntate, non poterit absolutè voluntas extremum non præfinitum, neque erit proinde potentia absoluta ad vtrumvis: quæ absque omnibus absolute, & essentialiter requisitis principiis, & concausis ad effectum absolute talis potentia esse non potest.

8. Respondetur ab aduersariis secundo in re, & vocibus quarto: Necessitatem antecedentem à libertate arbitrij, eiusve ad vtrumvis indifferenti potestate per Patres, & scripturam excusam esse, coactionis solummodo, necessitatem: vt plurium testimoniorum Anselmi, & aliorum aperta verba sunt. Præfinitiones autem diuinas prædeterminatiuas nullatenus voluntates nostras, quæ etiam illis positis, *à principio intrinseco cum cognitione eorum, in quibus est actio*, nihilominus operantur: ac proinde earum operationes, *à principio extrinseco passo non conferente vim*, (vt ad violentam & coactam operationē erat opus) minime procedūt. Sed & hæc solutio eodem contra Patrū mentem ab vsu, atque præcedens delinquit. Illi enim ipsi Patres, qui verbo *cogēdi*, vtūtur, nō stricta coactionis significatione illud vsurpant, sed coactione late accepta prout omne antecedēs necessitatem à libertatis nostræ exer-

citio independentem complectitur. Primo: quia omnem necessitatem, quæ non oritur è rei ipsius suppositione, siue, qua necesse est rem esse, quia est, huicque opponitur, & facit rem esse, aut prohibet rem esse, aduersari libertati nostri arbitrij fatentur: quæ in necessitatem omnem antecedentem, & à nostra libertate independentem cadunt. Secundo: quia violentiæ, & coactionis antecedentis, quam nostræ libertati aduersari docent, exempla innaturalibus, ac minime violentis, & proprie cogentibus necessitatibus motus cœlorum, & ortus solis, & necessitatis moriendi adhibent Patres iidem, vt videre est, in Boetio, & Anselmo: quæ ad necessitatem coactiuæ stricte necessitatis inepte afferrentur. Imo verò Patres fere omnes recitati certam. 3. pro necessitatis exclusione à potentia liberi nostri arbitrij, non solam vim, & coactionem, eiusque necessitatem, sed necessitatem insuper omnem antecedentem ad operandum excludunt: quando præfati omnes Patres, vel contra fatalem ethnicam necessitatem, nostras operationes antecedentem, & pro priori naturæ determinantem, vel contra fati Catholici (quod in prouidentia prædestinatione præscientia, quæ est) antecedentem etiam necessitatem pugnant: vt ex datis testimoniis cerr. 3. & 4. & nonnullis cerr. 1. & 2. & contr. 2. d. 5. qu. vlt. patet. Aſt Ethnici fatales, & præfati Patres, ne dubitarunt quidem, ne dum iudicarunt, & asseuerunt fati alterutrius necessitatem antecedentem, quam reiciebant, esse strictæ coactionis, & violentiæ: siquidem eis adhuc positis voluntatem nostram ductam cogitationibus indifferentibus operari, etsi alterutrum fato esset antecedenter ineuitabiliter destinatum, à Deove prædestinatum, & præscitum: ergo, dum eam necessitatem fati alterutrius, si omnino antecedens sit ab arbitrio nostro, vt libertatis nostræ pestem excludunt, non necessitatem strictæ coactionis, quæ neque ab Ethnicis asserebantur, imo neque ab eis asseri, aut à Patribus intelligi poterat, sed alia non stricte violentia, sed quæcumque absolute necessitas omnino antecedens natura operationes nostras esset, libertatis nostræ inimica à Patribus declarata, eorumque concordi sententia, & iudicio ab arbitrio, & voluntate nostra libera relegata fuit. Atque his postremis confutata manet solutio affinis de potentia ad vtrumvis, & exclusione necessitatis alterius extremi, & impossibilitatis, seu impotentiæ ad oppositum voluntatis libertati necessariis, consideraræ solum secundum se, & cogitationibus indifferentibus. Et quidem solutio à necessitate coactionis adhiberi nequit post definitionem Pontificiam, & damnatiuam quinque propositionum Iansenij de qua in sequentibus.

9. Respondent tertio. Potentiam indifferentem arbitrij nostri libertati necessariam atque à Patribus assertam non in sensu composito esse debere; sed satis esse, quod sit in sensu diuiso, ac proinde necessitatem antecedentem operandi ab arbitrij nostri libertate ex scriptura & Patribus exclusam, & Catholice excludendam esse necessitatem adhuc in sensu diuiso extremi oppositi. Hanc solutionem bifariam Thomistæ recentes intellexerunt. Primo enim nonnulli intelligebant potentiam hanc liberæ voluntati sufficere in sensu diuiso præfinitionis, & prædeterminationis suæ. Cuiusvisve alterius comprincipij essentialiter prærequisiti à voluntate ad operandum, vt libera & in se voluntas esset, & vt talis libere præfinitam, & determinatam operationem exerceret: quia si præfinitio, ac prædeterminatio abesset, posset non operari, ac non præfinitam operationem voluntas elicere: vt scilicet potentiæ ad vtrumvis ex oppositis simultas nunquam daretur. Verum, quia hoc, & testimoniis scripturæ, Patrum, & Tridentini nonnulli ex iisdem Thomistis aduersari viderunt, in alium sensum eius distinctionis se tandem receperunt, qui iam est Thomistis communis, scilicet posita etiam præfinitione prædeterminatiua, &c. voluntatis ad operationem, & in sensu composito illius esse in voluntate potestatem, seu potentiam absolute ad eius omissionem operationis præfinitæ, & ad eius oppositam operationem; Cæterum præfinitionem prædeterminatiuam diuidendam necessario esse à voluntate, vt ab ea fiat, vel operatio opposita præfinitæ, ac determinatæ, vel huius omissio. Itaque aiunt in voluntate nostra, posita etiam præfinitione, & reliquis principiis Thomisticis requisitis antecedenter necessitantibus, & determinantibus ad operandum esse simultatem potentiæ ad vtrumvis extremum oppositum; non autem simultatem actus adæquati eius potentiæ: quia, cum ea potentia, quæ absolute ad vtrumvis ex oppositis est, posita etiam sua præfinitione, vt diximus, alterum eius potentiæ extremum, nempe oppositum, siue contrarie, siue contradictorie præfinito coniungi, simulque cum præfinitione esse non potest: est quippe inconiungibilis horum sententia cum illa, quæ essentia, & natura connexa est cum operatione, seu altero ex extremis præfinito: quare, & cum extremi oppositi coexistentia, & coniunctione repugnans: quemadmodum, & apud nos in voluntate nostra libera cum requisitis ad operandum est potentia ad vtrumvis extremum oppositum, simultate potentiæ ad vtrumque, seu vtrumvis, non autem simultate actus: quia, cum sibi alterum extremum alteri mutuo repugnet, voluntatis liberæ potentia non est ad vtrumque actum, seu extremum oppositum coniungendum: esset quippe potentia ad chimæram, siue physicam, siue metaphysicam coniungendam iuxta extremorum physicam, si solummodo physica contrarietate opponantur, repugnantiam: quare non est potentia voluntatis nostræ liberæ ad alterutrum extremum in sensu composito alterius, sed solummodo in sensu diuiso illius. Hanc quidem solutionem sensus compositi, & diuisi alterutro modo, sed præcipue postremo, explicatam à Deo efficacem, atque omnibus siue ab authoritate, siue à ratione impugnationibus nostrorum opportunam æstimant recentes Thomistæ, vt ea tanquam vniuersali nostrorum argumentorum quantumvis grauibus vulneribus, vt potentissimo malagmate vtantur, fuisque in scholasticarum disputationum nundinis empyricorum in morem vt generalem etiam penetrantium discursuum proficuum stillatum è Theologia purissima remedium (quod quintam essentiam empyrici vocitant) non sine iuratorum alumnorum plausu diuendant.

10. Quid autem ea solutione ipsi vendant, & emant alumni vbi à ratione agemus clarius apparebit. Præsentis autem instituti solum est ea solutione scripturæ, & Patrum testimoniis alterutro modo explicata minime satisfieri. Et primum sensus compositi, & diuisi modum, vel ex eius inuentoribus: primores, tanquam inutilem, & dissonum merito reiecerunt, quos reliqui successores imitati sunt. Et quidem in sensu etiam composito debere esse potestatem ad vtrumvis simultate potentiæ satrem probant innumera pene recitata scripturæ, & Patrum testimonia expressa de potestate arbitrij ad faciendum aliquid, tunc etiam, cum ab eo omittitur. Secundo, alij etiam recitati Patres asserentes potentiam liberi nostri arbitrij liberam non esse, nisi indifferens, imo eadem ad vtrumvis sit, neque ad alterum determinata, atque ad oppositum impos. Tertio: quia in sensu diuiso fati, seu positione fati ad oppositum, apud fatales ethnicos, quos Patres impugnabant, potestas ad oppositum in nostro arbitrio ab ipsis assertoribus fati asserebantur, neque fore tunc necessitatem antecedentem ad operandum, quod præsenti fato ineuitabiliter destinabatur; & tamen præsenti tunc fatali necessitate antecedenti operandi, quæ de fato erat, & impotentia præsenti in sensu composito fati voluntatis ad extremum oppositum destinato per fatum libertatem nostri, & arbitrij, & operis aboleri contra ethnicos docuere: ergo ex Patrum sententia potestas, quæ esset ad oppositū in voluntate in sensu diuiso à fato, non autem erat in sensu composito illius tuendæ potestati ad vtrumvis libertati arbitrij necessariæ satis non esset: ergo, nec, si in sensu diuiso à præfinitione Thomistica esset potentia in voluntate ad extremum oppositum præfinito, si tamen in sensu composito huius non sit absoluta potestas ad illud, sed potius impotentia, & necessitas ineuitabilis ad præfinitum extremum, non est in voluntate libertas, quod autem apud fati assertores ethnicos, & sensus diuisus absolute possibilis locum haberet, & in sensu diuiso à fato non esset necessitas ineuitabilis operandi destinatum fato extremum: & subinde, neque impotentia, seu impossibilitas, sed potius porentia efficiendi oppositū constat de se se, & ex variis fati apud ethnicos constitutionibus memoratis n. 6. Etenim iuxta illud constituentes in sola astrorum virtute, & aspectu, hoc tantillum immutato, ex

ex malo in bonum fatum conuerti, mutarique refert ex Nigidio Augustinus 5. de ciuit. cap. 3. rideteque Basilius hom. 6. exhamer. med. iuxta illos vero, qui syderum virtuti, & aspectui Deorum voluntatem ad fatalem necessitatem adiungebant, clarius sensus diuisus, & in eo potentia, & possibilitas oppositi constat: maxime, cum præstantiores Mathematici Ægyptij precibus ad Deum, vel ad astra posse fata in melius verti existimarent apud Nemes. Sanct. Thom. & Nyssen. supra citatos. Imo Chrysip. Antipater, & alij stoici Proceres, teste Nemesio cit. c. 35. *Omnia fato fieri aiebant, & appetitus nobis datos esse; sed eos aliquando fato impediri, aliquando non impediri.* Et tamen non obstante exclusione necessitatis ad vnum, & impotentiæ, seu impossibilitatis ad oppositum in sensu hoc diuiso, ob solam impotentiam ad vnum, & necessitatem antecedentem ad oppositum in sensu composito fati reiicitur hoc à Nemesio à cap. 35. ad 42. & Patribus aliis. Iuxta vero plerosque constituentes fatum in tota collectione causarum à prima ad vltimam locus etiam est potentiæ ad oppositum destinationi fatali; cum aliter, & aliter disponi series causarum possit, vel vna solum mutata. Tandem iuxta Senecam, & sapientiores Philosophos fatum in Dei præscientia & prouidentia, sensu quidem non Catholico, statuentes locus possibilitati, & potentiæ absolutæ ad oppositum in sensu diuiso est, vt patet. Nam aliter prouidere, & præscire Deus pro sua libertate absolutè posset. Et tamen quouis ex his modo fato, & fatali necessitate antecedenti ad vnum extremum, & impotentia ad aliud in sensu solum composito, & si in sensu diuiso non maneret, auferri arbitrij nostri libertatem constanter, & consone Patres docuerunt: ergo ex eorum sententia antecedens necessitas vnius extremi, & impotentia alterius oppositi in sensu composito præfinitionis Thomisticæ, & potentiæ ad hoc, & exclusioni necessitatis ad illud in sensu diuiso locum relinquat, euertet nihilominus à Patrum sententia libertatem. Denique quia fatum Catholicum, & Christianum immobilem, seu infallibilem præscientiæ, & prouidentiæ diuinæ de contingentibus, non aliter in sensu composito cum arbitrij nostri libertate consistere Patres docent, nisi quia nostræ libertatis vsum non antecedit, sed subsequitur: quare & eius necessitas, non simplex absoluta, & antecedens est, sed conditionata & ex suppositione vsus nostræ libertatis, à qua contingens positum est, atque consequens eius positionem est: & tamen in sensu diuiso, & esset potentia ad oppositum, & necessitas ad præscitum, prouisum, & præfinitum cessaret: ergo id non sufficit ad tuendam libertatem.

Persecuti fusius, quam opus videretur, sumus primam explicationem solutionis huius de sensu composito, & diuiso iam à Thomistis omnibus desertam: labore tamen minime otioso, iisdem quippe impugnationibus secunda altera eius distinctionis explicatio, in qua iam Thomistæ omnes conquiescunt, confutatur. Etenim quocumque modo, & quavis constitutione fati ethnici, eiusque fatalis necessitatis antecedentis vsum nostræ voluntatis ad operationem, & impossibilitatis inde subortæ extremi oppositi æquè habet (vel potius non habet) locum simultas potentiæ etiam ad oppositum in sensu composito præfinitionis Thomisticæ, eo ipso, quod sensus diuisus à fato æquè possibilis sit, atque sensus diuisus à præfinitione Thomistica esse potest: atqui, vt vidimus æquè est possibilis sensus diuisus voluntatis nostræ à fato, atque à præfinitione Thomistica: ergo æquè in fato, eiusque necessitate locum habet, (vel potius non habet, vt dixi. & statim ostendam) ea solutio sensu etiam secundo, si multitis potentiæ in sensu composito, licet non simultate actus; ast Patres intellecta possibilitate sensus diuisi voluntatis à fato admisso ab ethnicis, nihilominus fatali necessitate antecedente indifferentem potestatem voluntati liberæ necessariam, atque adeo & operationis eius libertatem euerti iudicarunt: ergo, quia simultas illa potestatis in sensu composito, quæcumque esset cum præfinitione in voluntate, libertati nostræ tuendæ, est insufficiens. Primi syllogismi maior constat ex doctrina aduersariorum: quia ex eo, quod in sensu diuiso à præfinitione coniungibilis sit consensus cum voluntate, licet simulare actus non sit coniungibilis cum præfinitione ad oppositum, aiunt in sensu etiam composito præfinitionis, coniungi ad vtrumque, diuisim, actum potestatem, neque vnam alteri repugnare, sed solum extremo oppositi sui actus: ergo eo, quod fatalis necessitas admittat sensum diuisum voluntatis ab ipsa, & sit in illo sensu coniungibilis consensus cum voluntate, licet simultate actus non sit coniungibilis cum præfinitione ad oppositum, seu cum voluntate in sensu composito præfinitionis coniungi potest, nec pugnat potestas, seu simultas potestatis ad vtrumvis voluntatis nostræ in sensu composito ethnicæ fatalis necessitatis. Contra secundo, quia si simultas hæc potentiæ ad vtrumvis posset esse simultas veræ potentiæ etiam ad oppositum antecedenter ineuitabiliter destinato per fatum, & præfinitionem Thomisticam etiam in sensu composito fati, & præfinitionis, malè Patres ex necessitate antecedenti fatali inferrent absolutè, non manere in nobis indifferentem ad vtrumvis potestatem. Id autem vnanimiter intulerunt: ergo, quia putarunt (& benè) cum antecedenti necessitate operationis nostræ potestatem ad vtrumvis nostræ voluntatis, siue simultatem potestatis ad vtrumvis earum libertati necessariam in sensu composito eius necessitatis stare non posse: ergo, cum præfinitionis Thomisticæ necessitas, & ineuitabilis omnino à nostra voluntate sit, & antecedens, æquè, atque fatalis cum nostra pugnat libertate eadem argumenta ex Christiano, & Catholico fato, cuius necessitatem, eo solum, quod antecedens nostram libertatem non sit, ab eiusque exercitio independens, Patres cum nostri arbitrij libertate componunt, efformantur.

12. Atque hinc præclusa manet alia solutio, quæ ab aduersariis adhiberi his argumentis posset, scilicet, Patres ex speciali antecedenti necessitate ethnici fati voluntatis simultaneam potestatem ad vtrumvis in sensu composito, & (quod idem est) libertatem euerti docuisse; non autem ex præcisa antecedenti necessitate ineuitabili. Etenim, si de necessitate eiusmodi vniuersim, & qua tali ac proinde de omni, libertatem euerti, verum non esset, à Christiano, & Catholico fato malè Patres eiusmodi necessitatem ad conseruationem libertatis relegandam iudicarent: vbi nota fatalem Catholicam necessitatem operationis nostræ, si antecedens esset, atque ab vsu nostræ libertatis independens, Thomisticam antecedentem esse: cum sit diuinæ voluntatis prouidentiæ, & prædestinationis, in quibus fatum Catholicum constituitur. Secundo malè arguerent Patres, & frigide euersionem libertatis à fatali ethnica necessitate antecedenti, ni ex principio vniuersali pugnæ antecedentis necessitatis cum voluntatis nostræ potestate ad extremum oppositum in sensu composito illius, siue cum eius libertate: cum non è generali, vt debetur, principio discurrent, vt speciale illud inferrent. Responderent enim facile ethnici fatalem suam antecedentem necessitatem, ni ex antecedentis prædicato cum ea potestate ad oppositum in sensu composito pugnaret, ex nullo alio speciali prædicato eiusmodi potestati, & libertati nostræ repugnare. Et ita sanè responderent, vt nullatenus impugnari à sano Philosopho possent. Tolle enim illud antecedentis ineuitabilitatis prædicatum à fatali ethnica necessitate, nullámque eius cum nostra libertate, vel vmbram pugnæ reperies. Denique simultas hæc potestatis ad vtrumvis etiam oppositum extremo præfinito in sensu composito præfinitionis explicari à Thomistis nequit, nisi recurrendo ad potentiam voluntatis secundum se, & nude consideratam, vel duplici indifferenti cogitatione instructam, quod effugium ex Patribus præclusimus num. 5. 6. 7. & 8. quod autem ex nostra doctrina de impotentia simultatis actus cum simultate potentiæ ad vtrumvis præfidij, & paritatis aduersarij pro sua subripiebant, inane est. Etenim cum potestas libera non sit ad vtrumque extremum oppositum coniunctim apponendum (scilicet consensum eiusque negationem, seu dissensum simul) sed ad vtrumque diuisim, siue vtrumvis, impotentia ponendi vtrumque simultate actus non contradicit potentiæ, siue potestati indifferenti ad vtrumvis: ac proinde cum ea impotentia hæc indifferens potentia amice componitur. Cum autem de facto ex potentia indifferenti, & expedita, solutáque ad vtrumvis libertatis nostræ alterum extremum apponitur, & si alterum oppositum in sensu

compositio illius apponi nequeat ob formalem repugnantiam cum illo, aſt apponitur dependenter ab vſu, & libero exercitio potentiæ indifferentis, & libertate voluntatis, à qua procedit, & quam, vt ſui cauſam ſupponit, & cui proinde nequit aduerſari, ſeu officere; ſicuti neque vllus actus ſecundus, ſeu effectus ſuo actui primo, & cauſæ officere poteſt, ſed perficere potius illum. Neceſſitas autem antecedens præfinitionis alterius extremi excludit ex parte antecedentis poſſibilitatem oppoſiti in ſenſu compoſito actus primi, & cauſæ requiſitæ abſolute tali completæ & abſolute talis, extremi præfiniti: quod poteſtati in actu primo ad oppoſitum in ſenſu compoſito præfinitionis contradicit, & ex rei natura, & ex recitatis Patribus. Vnde etiam elaret in ſenſu compoſito huius neceſſitatis antecedentis non ſolum repugnare potentiam ad oppoſitum ſimultate actus ſiue potentiam ſimultatis (quæ etiam potentiæ indifferenti, & liberæ ad vtrumvis de ſe repugnat) ſed ſimultate potentiæ ſiue potentiæ ad vtrumvis ſimultatem. Ex eo enim, quod præfinitio ob ſui ineuitabilem, & irreſiſtibilem à nobis neceſſitatem, ac ſubinde voluntas in ſenſu compoſito præfinitionis, eiuſque ineluctabilis antecedentis neceſſitatis inconiungibiles ſint cum extremo, ſeu actu oppoſito: ac proinde non poſſit coniungi præfinitio, neque voluntas cum illa coniungere ſimul actum, ſiue extremum oppoſitum præfinito, euidens videtur videtur non eſſe hunc actum, ſiue extremum oppoſitum actum ſecundum phyſicæ potentiæ voluntatis, vt ſub ea præfinitione eſt: ſiquidem implicat actum ſecundum phyſicæ actiuæ potentiæ abſolute talis, cum ea inconiungibilem eſſe, vt cum à ratione agetur oſtendemus.

13. Ex parte Dei præfinientis reſpondet primo doctrinam ſcripturæ, & Patrum hanc de potentia indifferenti ad vtrumvis ſoluta an neceſſitate ad vnum, & impedimento inuincibili antecedentibus ad aliud extremum oppoſitum, vt libera ſit, debere intelligi de neceſſitate, & impedimento antecedentibus à cauſis creatis, & ſecundis, non autem à Deo cauſa prima omnipotenti, & infinita. Sed (vt de phyſica qualitate prædeterminante, quæ cauſa ſecunda abſolutè eſt modo taceam) ſolutio eſt aperte contra Patres, qui contra fatalem antecedentem ethnicam neceſſitatem, quæ à pleriſque eius aſſertoribus in diuina voluntate, & decretis conſtituebatur eam nos doctrinam docuerunt. Secundo à fato Chriſtiano Catholico, quod eorundem Patrum, & cæterorum orthodoxorum ſententia in Dei prouidentia, prædeſtinatione, ſeu præſcientia ſtat, antecedentem neceſſitatem admittendam nuſquam eſſe, ſed conſequentem ſolam docent, vt voluntatis creatæ libertas perſiſtat: ergo Patres neceſſitatem antecedentem omnem, & ſi non à cauſis creatis, & ſecundis, ſed à prima cauſa Deo ſit libertati noſtræ voluntatis repugnare docuerunt. Tertio expreſſe Dionyſ. Areop. cert. 1. docet neceſſitatem operandi, à Deo adhuc, ſupra rerum naturam operante prouenientem, quæ potentiam indifferentem, & expeditam ad vtrumvis non relinquat, eius libertatum euertere. Reſpondent ſecundo. Non ita vniuerſaliter intelligendum eſſe neceſſitatem omnem ex Deo prima cauſa antecedenter in noſtras voluntates inductam cum huius libertate non concordare: poteſt enim abſolute ita neceſſitare, vt eius libertatem euertat, cuius etiam dominus eſt: quod, tunc fieret, cum Deus ſolam ſubſtantiam actus præfiniret, non autem modum libertatis: de qua neceſſitate antecedenti Dei præſcientia, prædeſtinatione, & voluntate efficaci inducta Patres loquuntur dum eam docent libertati noſtræ aduerſari. Præfinitionibus vero Thomiſticis, non ſubſtantiam ſolum actus noſtri, ſed modum etiam libertatis eius, præfiniri: quare neceſſitatem antecedentem ea præfinitione inductam voluntati non eſſe, vt operetur vtcumque, & actum ſecundum ſubſtantiam apponat; ſed, vt operetur libere, & apponat actum cum modo libertatis, vt iuxta eius naturam apponere debet ex Dei connaturali, & ſuaui prouidentia cauſarum ſecundarum iuri attemperata. Sed (vt præteream huius ſolutionis in terminis ipſis repugnantiam à ratione oſtendendam) contra ex Patribus primo: quia illa verba Dionyſij nuper citata, *adhuc ſupra rerum naturas operante Deo, qui poteſt omnia*, recitata cert. 3. n. 1. Supponunt neceſſitatem antecedentem omnem à Deo omnipotenti iuxta rerum naturas operante, & decernenter voluntatis noſtræ libertati repugnare. Contra ſecundo, quia male Patres omnem antecedentem neceſſitatem fati, ſiue ethnici, ſiue Catholici repugnare noſtrorum actuum libertati vniuerſim, ac ſine vlla limitatione docuiſſent, ſi ea diſtinctio locum haberet: cum in ethnico communius, & in Catholico fato, eiuſque antecedenti neceſſitate conſtanter, Dei omnipotentis voluntas, & præſcientia intercedat. Contra tertio, quia ethnici voluntatem Dei, eiuſque immobilem prouidentiam, quam ad fatum, eiuſque antecedentem neceſſitatem, vt minimum requirebant, plerumque, imo in qua totum illud ſapientiores conſtituebant, neceſſariam, & connaturalem, vt operationes noſtræ à nobis, noſtraque voluntate ponerentur, nec pure Deo ſua abſoluta poteſtate, & iure ſupra, & vltra cauſarum ſecundarum iura vtente eſſe docuerunt: quare, & ſuauem, noſtroque arbitrio, quantum fieri poſſet, accommodatiſſimam eſſe docebant, teſte Iulio Sirenio citato loco lib. 3. de fato: indéque contendebant voluntatis noſtræ libertatem cum ſuo fato, & fatali antecedenti neceſſitate conſiſtere; & tamen Patres contra eis peſſundati illam, & aboleri docuerunt. Contra quarto, quia idem ex fato Catholico, ſi eius neceſſitas omnem libertatis noſtræ vſum antecederet, euenturum afferebant Patres: cum tamen illud in ſola prouidentia, prædeſtinatione, & præſcientia diuina ordinaria, & rerum naturis accommoda ſtare Catholice, & vnanimiter ſentirent. Frigidius reſpondent, Deum non ex neceſſitate, ſed libere præfinire, etenim non Dei in decernendo, ſed noſtram in operando libertatem perire contendimus.

14. Ob hæc tandem præfinitionum prædeterminatiuarum ſuarum dependentiam aliquam à noſtræ voluntatis libertate concedendam iuxta Patres & eorum rationem naturalem: quare, & omnino eam antecedentiam ad vſum libertatis noſtræ ipſis denegandam tandem nonnullis recentibus Thomiſtis viſum eſt. Eam vero præfinitionum à noſtra libertate dependentiam non eodem explicant modo. Alij enim aiunt hãc dependentiam præfinitionis ab operatione libera eſſe tanquam à termino ſuæ eſſentialis connexionis, ſiue ſuæ efficaciæ intrinſecæ inſeparabili effectu. Sed certe hac ſolutione in terminis implicatur, vt ſuo loco à ratione oſtendemus. Secundo in vtriuſque fati, ethnici quouis modo conſtituti, & Catholici antecedente neceſſitate, quam Patres recitati impugnarunt: erat hæc dependentia ab operatione noſtræ voluntatis tanquam à termino intrinſecæ connexionis alterutrius fati, & efficaciæ ſuæ intrinſecæ effectu inſeparabilis & tamen hec dependẽtiæ genus, nec ſufficeret ad noſtram libertatem tuendam, neque, vt abſolute ab vſu noſtræ libertatis, vt ad eius conſeruationem oportebat, dependeret, neque illum omnino antecederet, merito cenſuerunt: quia ea dependentia, tanquam à termino connexionis, eſt depẽdentia à phyſice omnino poſteriori: quare, quæ abſolutam phyſicam actiuam (in qua linea libertas, ſeu indifferens ad vtrumvis poteſtas eſſe ſolummodo debet) antecedentiam non minuit, vel excludit. Alij eam dependentiam præfinitionum ſuarum ab vſu noſtræ libertatis deſignant: quia voluntas ſe prius negatiue diſponit, quatenus ei præfinitioni non reſiſtit, ac proinde virtualiter, ſeu interpretatiue conſentit: quam doctrinam ita explicant: vt quamvis, quantum ad incompletam actuationem præfinitionis, aut prædeterminationis in actu primo conſideratæ ea in poteſtate voluntatis non ſit; eſt tamen in poteſtate voluntatis quoad completam actuationem, ſeu actualem concurſum voluntatis cum illa: quam actuationem completam poteſt etiam poſita præfinitione incomplete actuante impedire, ac reſiſtere completæ eius actuationi: quare ea non reſiſtentia, ſeu virtuali, & interpretatiuo, quæ in illa eſt, conſenſu præfinitioni, aut prædeterminationi incomplete actuanti, eſt huius à voluntate noſtra dependentia, tanquam à diſpoſitione negatiua. Hæc etiã ſolutio verba ſolum dat, quia dependẽtia hæc præfinitionis, quo ad incompletam actuationem, eiuſque in actu primo, & ſecundum ſuam entitatem conſideratæ à cooperatione voluntatis, tanquã à termino connexionis eius eſſentialis erit, vt nuper docebamus; non autem ab vſu libertatis eius, vt aduerſarij ita reſpondentes fatentur. Quantum vero ad completam eius actuationem, & actum ſecundum

dum ipsius siue positiuæ cooperationis, siue negatiuæ non operationis oppositæ, seu non resistentiæ præfinitioni, a voluntatis quidem potentia, sed non indifferenti & libera, soluta, expedita, & absoluta à necessitate, & impedimento alterutrius extremi erit, vt ad liberam cooperationem, & operationem voluntatis, siue positiuæ, siue negatiuæ non resistendo præfinitioni opus esse scriptura, & Patres docuere illud de potestate voluntatis in sensu composito ad resistendum præfinitioni incomplete actuanti, vel præfinitionis Thomisticæ naturam destruit, negatque intrinsecam eius efficaciam, & antecedentem cum præfinita operatione voluntatis connexionem, vel eam ex parte actus primi, & principij essentialiter requisiti a voluntate nostra reiicit, vel recidit in solutionem iam ex Patribus reiectam de simultate potentiæ voluntatis ad vtrumvis & in potentia simultatis cum actu, aut extremo opposito. Alij denique nouissimi Thomistæ dependentiam hanc præfinitionis, & prædeterminationis, etiam secundùm se, & in actu primo, & secundum in completam actuationem sumptæ ab vsu nostræ libertatis admittunt. Sed hi quidem, si principium essentialiter requisitum à voluntate nostra ad operandum esse asserãt, eiusque intrinsecam cum operatione voluntatis connexionem retineant, Patrum testimoniis resistunt. Vtroque enim retento, liberum nihilominus vsum libertatis nostræ, à quo præfinitionis antecedens absolutè necessitas pendeat per stare contra ipsos volunt; sin alterum autem respuant à Thomistica præfinitione deficiunt: pluraque à ratione pugnantia loco euoluenda inuoluunt: quod ipsum erit de præfatis solutionibus physicæ prædeterminationi applicitis. Illud obserua solutionem aliam his argumentis contra physicam prædeterminationem iustructis familiarem iam: quod scilicet ea non sit qualitas physica præcedens, sed applicatio causæ secundæ à prima ad operandum; dummodo antecedens naturæ priori sit æque contra Patres esse. Si autem solum comitans operationem nostram, & ad eius signum solum, non vero ad anterius expectans, re & nomine à prædeterminatione, & præmotione physica deficere. Neque tamen posse eam solutionem hoc sensu vltimo præfinitioni Dei accommodari, quæ creatam operationem, adhuc quatenus à Deo est, natura anteuertit: quippe quæ eius principium actuum ex parte Dei est: ni Dei decreta libera efficacia effectibus, seu operationibus creatis constitui velint: solumque proinde nostras cooperationes comitari, quo non præfinitiones Thomisticæ, sed Vazquianorum doctrinæ erunt.

CERTAMEN VI.

Quæ ex scriptura & Patribus contra statutam hactenus veritatem aduersariis sonant, eidem potius fauent.

1. Præcipuum aduersariorum ex scriptura fundamentum, & cui maxime fidunt, replicatoque sæpe, atque semper (vt vidimus) insistunt, est illud Pauli: *Quis est, qui te discernit?* Ex quo putant deduci discretionem prædestinati à reprobo (vt eius loci, etsi non littera, exemplo tamen, asseri Augustinus, & Patres alij, atque Scholastici omnes censent) à solo Deo esse non posse, nisi salutis nostræ causa ab eo prædestinatione prædeterminativa salutis, & nostrorum actuum ad eam conducentium præfinitione suapte natura cum eis connexa, & à nobis subinde irresistibili apud nos agatur. Alioqui, aiunt aduersarij, si prædestinatione nostra, qua à reprobis discernendi sumus, à Deo posita, & actus nostri ad salutem necessarij, & salus subinde nostra ex parte nostri non poni absolutè possunt, nosque absolutè illius intrinsecæ efficaciæ resistere absolutè valemus: & prædestinationis diuinæ certitudo, & infallibilitas absolutè nutat: nec Deus solus nos discernet: sed ipsi potuis nos ipsos à reprobis discernimus. Cæterum, quam infirme ex hoc loco pro sua sententia aduersarij pugnent ostensum satis à nobis est vbi diximus Dei prædestinationem in sui positione, ac proinde discretionem per illam prædestinati a reprobo, à solo Deo pendere; qui absolutè potuit hunc præ illo prædestinare, vel secus; neque vllatenus in tui positione ab absoluta contingentis positione, tanquam à causa motiua, meritoue nostro pendere sed solum, tanquam à materia apta, & capaci, vt prædestinetur: quæ æque à reprobo apposita est, qui sub aliis auxiliis, & circunstantijs æque erat consensurus, & ratione cuius proinde alter ab altero discretus non sit, petatve à Deo per prædestinationem discerni, & si neuter, ni posito auxilio consensurus absolutè esset, discerni ab altero per prædestinationem posset: sicuti nec posset, si cum nullo posset consentire. Quare & si status futuritionis conditionatæ, & eius subinde scientia, eique innixa prædestinatio, qua auxilium habiturum effectum decernitur, ab eius absoluto nostro libero vsu obiectiua præcedentia in sui etiam pro suo vnaquæque signo dependeant: qui, si, vt absolutè potest, auxilio posito non consentiret, sub illo consensura conditionatè verum minimè fuisset. In ea tamen dependentia nulla est, neque alterius ab altero prædestinatiua in actu primo per absolutum consensum discretio, nec ius, aut motiuũ discretionis: sed mere passiua capacitas discretionis illius, quæ etiam per futuritionem conditionatam consensus sub auxilio altero reprobè est, quod si daretur auxilium, in sui etiam positione antecedenter à libero alterius vsu obiectiue penderet.

2. Itaque futuritio conditionata, quæ prædestinationem præcedit, atque pro casu positionis auxiliorum in sui positione ab vtriusque libertate obiectiue penderet, vtrumque capacem prædestinationis constituit: sicuti & prædicatum rationalis, quod in vtroque est, ac sine quo subiectum prædestinationis capax esse nequit: quin tamen per hoc prædestinatus à reprobo discernatur. Illud, quod prædestinatio possit absolutè frustrari, incertaque sit, si potestate antecedenti non consentire possimus: omnino est falsum cum enim scientia conditionata, cui necessario prædestinatio innititur, in suo statu suspensæ futuritionis obiectiue pro casu purificatæ conditionis, seu auxilij per prædestinationem à consensu absoluto dependeat, prædestinatione ipsa, & purificatione conditionis, seu auxilij consensus ipse & exercita per illum in actu secundo libertas deuoluitur, & supponitur: cum consensu vero, & exercitio libertatis in actu secundo potestas ad eius omissionem, vel oppositi positionem non est, nusquamque pro vllo naturæ signo fuit: esset enim potestas chimerica ad coniungendum duplex contradictorium, vt sæpe diximus. Quare, & si posita prædestinatione, & purificatione conditionis, seu auxilij per illam potestas antecedens, & absolute talis in voluntate sit ad consensum eiusve omissionem apponendam, ac proinde ad scientiam conditionatam, & prædestinationem pro priori ad earum positionem impediendam, ne fuerint; nullatenus tamen est absoluta potestas ex suppositione, quod sint ad eorum effectum impediendum, easque frustrandas, incertasque, & falsas, seu fallibiles reddendas: sicuti neque ad abolendum consensum absolutum, quem illæ supponunt, ex suppositione quod sit potestas vlla in voluntate nostra est, esseve pro vllo signo potest; quæ res, quia non satis à doctis nostris, & ingeniosis recentioribus cõplutensibus penetrata fuit, & discreta efficacis etiam de se, antecedentisque voluntatis, seu præfinitionis Soaristicæ regulatæ per scientiam mediam de nostro consensu absolutam antecedentem irritabilitatem non satis sana, sed absurda potius theologia admiserunt, existimantes ex absoluta voluntatis nostræ potestate antecedenti omittendi consensum auxilio etiam posito potestatem falsificandi scientiam mediam, & irritandi Dei prædestinationem, imo & consensus præfinitionem illi scientiæ innixas admitti necessario debere: cum tamen potestas absolute antecedens impediendi illas ne essent, non autem irritandi eas iam positas, siue ex suppositione, quod sint, solũmodo inferatur, vt vidimus.

3. Opponunt secundo ex pluribus scripturæ testimoniis in hanc sententiam conspirantibus. Scilicet cor hominum, etiam Regum, quantumuis potentium, omnesque hominum vias in manu, seu potestate, & voluntate Dei esse, vt quoquoversum illud, illasque pro libito conuertat, seu quo voluerit vertat illud. Non autem ea erit Dei in cor, seu voluntatem nostram, nostrasque vias plena potestas, si posita Dei voluntate absoluta de consensu plena nobis absolutè potestas antecedẽs sit nõ cõsentiẽdi:

cum autem voluntate Dei inefficaci de se se potestas hæc nostra omittendi consensum ita à Deo volitum non aduersetur, dicendum planè videtur omnes nostras vias, seu operationes, ac proinde cor, seu voluntatem nostram ad omnes, & singulas illas voluntate Dei antecedenti de se se efficaci, & connexa cum illis præueniri debere. Cæterum quam extra scripturæ mentem sententia hæc, & loca, quæ in eam conspirant, ab aduersariis obiiciantur ex datis scripturæ locis, quibus in manu, & potestate nostra operationes nostras esse apertè docemur, satis clarer. Item ex Patribus eo sensu præfata loca vnanimiter interpretantibus Conciliis & definitionibus Pontificum q. 4. in eandem sententiam expendendis, in quibus Spiritus sanctus sententiæ, & menti suæ alibi contentæ aduersari non potuit. Cum ergo & Dei in cor, viasque nostras, & nostra item in easdem potestas ab scriptura, Conciliis, & Pontificibus asseratur: ea sanè conformior illis censenda est, quæ vtramque, & Dei & nostri operationum nostrarum potestatem tueatur: quare negandum omnino est plenam nostram, diuinæ voluntatis, & gratiæ suppositis, potestatem obiectis locis asseri repugnare, atque, vt hæc plena sit efficacis voluntatis necessario fore. Cum enim Deus videat, quibus mediis intentum finem, vel operationis nostræ liberæ, vel salutis obtinebit, si ea donet, eaque, vt vniuersorum dominus, intra ius, & potestatem suam habeat, vt ea pro libito donet eorum voluntaria donatione voluntates nostras, quoquo velit vertere, & conuertere potest, sicque illæso arbitrij, & libertatis nostræ iure *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia* (etiam humana) *suauiter*.

4. Dices. Si plena Dei potestas in humanas actiones eiusmodi solum est, vt ex consensu nostro (qui posita Dei voluntate, præparatione, & collatione non esse absolutè antecedenter potest) atque eius conditionata futuritione, pendeat: cum absolutè omnibus, & singulis possumus non consentire, poterit esse homo aliquis, qui nulli consensurus sit: ac subinde, cuius cor in manu Domini, eiusque operationes potestati diuinæ non ita subdantur, subiacerent ve, si eiusmodi homo à Deo produceretur, & existeret. Sed tamen obiectio hæc aduersariorum doctrinæ minimè fauet (& si totum, quod in ea supponitur, & assumitur admittatur) neque præsenti nostræ sententiæ aduersatur. Etenim futurum nullum contingens absque diuina præfinitione, seu voluntate ab intrinseco efficaci antecedenti, & connexa de se, suaptéque natura cum illo, & eiusdem farinæ mediis esse absolutè posse Thomistæ contendunt argumentis, quæ de omnibus vniuersim contingentibus futuris, vel certè de nullo, probant: ac proinde præfinitiones diuinas, & media de se, atque suaptè ingenio efficacia cuiusvis contingentis absoluti principia necessaria, atque ex parte actus primi, & antecedentis essentialiter requiri. Hoc nos negamus, asserendo ea principia necessaria, siue ex parte principij essentialiter requisiti ad futurum contingens absolutum computanda non esse. Admisso autem toto, quod in obiectione assumitur, eaque probatur solum euincitur respectu vnius, vel alterius hominis possibilis Deo præfinitionibus, mediisque de se efficacibus, vt consensum volitum obtineat opus esse, non vero respectu reliquorum. Secundo, cum Dei voluntas, qua sua potestate in nostras operationes vti solummodo potest, in actus prauos, seu peccata nostra ferri formaliter, aut interpretatiuè, adhuc inefficaciter, nequeat, vt d. 2. ostendemus locum obiectio non habet adhuc respectu hominis illius possibilis: quare non ex præfinitione, aut medio de se ineuitabiliter connexo (quod interpretatiua saltem peccati voluntas esset) actus eius prauus procedere posset, sed solum ex mediis illis cum negatione actus praui antecedenter absolutè componibilibus: quare dominium, & potestas Dei in praua nostra opera, & voluntatem illis exercendam nec præfinitiones, nec media de se efficacia, sed omnino indifferentia concernit. Tertio respectu operum nostrorum, non prauorum (& si velis prauorum) sed vel honestorum vel indifferentium, quæ Deus velle etiam formaliter, nec solum interpretatiuè valet, si ab homine illo possibili, omniaque media non de se, sed extrinsece ab eius consensu efficacia abiecturo vellet consensum Deus obtinere; fateor præfinitione mediisque de se efficacibus opus ipsi fore: tunc autem consensum quidem eius intenturum, obtenturumque Deum, non autem consensum liberum, sed omnino necessarium, ob antecedentem, atque omnino independentem ab vsu libertatis eius apponendi illam ineluctabilem, vt diximus, necessitatem: quare nihil tunc, etiam admisso casu pro necessitate præfinitionis, mediue de se efficacis ad futurum absolutum contingens apponendum euincitur: cum tunc etiam futurum illum, non quidem liberum, sed prorsus necessarium illis ex parte antecedentis positis esset. Stet ergo totam obiectionem admissam nihil, ne in casu quidem illo, probare pro necessitate præfinitionis ad contingentis non solum omnis, sed illius adhuc, absolutam futuritionem: sed solum illius hominis consensum absolutum libertum esse non posse, sed solummodo necessarium sicuti nostra hæc doctrina fert, & facta ex Scriptura & Patribus argumenta contendunt: contendentque haud segnius alia ex Conciliis, Pontificum decretis, & ratione. Et quamquam hominis illius possibilitas, quæ ea obiectione asseritur non quæstionis præsentis, sed controuertitur potius de auxiliis, & prædestinatione (à qua in præsentiarum abstinemus) examinanda videatur: dicam tamen breuiter de ea, quid ex tacto in obiectione dominio, & potestate Dei in liberas creatas operationes verius putem.

5. Censeo ergo eiusmodi hominem, seu rationalem creaturam omnibus coniunctim, & singulis auxiliis indifferentibus, vel cogitationibus non consensuram repugnare. Primo: quia, & si scripturæ in numera loca, quibus Dei dominium, & potestas in cor hominum, eorumque liberas operationes asseritur de productis, producendisque explicari, vtcumque possent, re tamen vera, genuinaque, & germana interpretatione de omnibus vniuersim hominibus, liberisque creaturis intelligenda sunt: cum non ob specialem aliquam productarum conditionem, sed ob communem omnibus rationalibus, liberisque creaturis ad Deum earum Dominum subordinationem, & subiectionem sententia illa eis locis asseratur, indefinite dicta, quare, & vniuersim de omnibus, etiam possibilibus, fuit. Ratio autem ex dominio Dei supremo, & infinito Theologica est: quia Deus non solum naturalium agentium, actionumque eorum Dominus est, sed liberorum, & agentium, & effectuum iure, & potestate infinita essentialiter, & simpliciter vtendi illis omnibus pro libito: ergo implicat esse creatam voluntatem liberam, cuius liberas operationes nequeat absolute Deus mouere, ducere, & deducere, quo velit. Patet: quia infinita simpliciter, & diuina potentia siue physice, siue politice non est, quæ ad omnem effectum, seu terminum absolute possibilem non extenditur: ac proinde, si, vel vnum minutissimum possibile vltra potentiam Dei actiuam esset, ad ipsumque non extenderetur, potentia actiua Dei, siue omnipotentia non esset. Tum sic. Sed si eiusmodi creatura rationalis possibilis admittatur, admittetur operatio, vel omissio libera, quæ dominio Dei non subiaceat, & similiter libera voluntas, qua Deus vti nequeat deducendo illam ad liberam aliquam, imo & plures operationes: ergo admissa ea creatura rationali possibili dominium Dei in agentia, & operationes creatas liberas periret: quod est implicatorium: subsumprum antecedens patet: quia cum mediis omnibus possibilibus de se indifferentibus coniunctim etiam sumptis admittitur non consensura, ac proinde libere non consensura; cum tamen absolute posset consentire: & tamen cum vltra media omnia possibilia, &, quæ sola libertatem non læderent, nihil, quod libertatem seruet, possit Deus adhibere ad consensum illum liberum ab ea creatura obtinendum, fit plane eius creaturæ libertatem in consensum exercitum, eumque liberum cõsensum exercite diuino dominio potestati, & voluntati non subiacere: cum ad eum apponendum per creaturam illam, eiusque liberam de facto appositionem medium illa non habeat vllum; & si illud habeat, vt apponatur necessario. Idem argumentum fit ex infinitate prouidæ Dei potestatis, & omnipotentiæ, in quorum detrimentum cedit ab eo peruicax voluntas, cui nec prouidentiæ, nec omnipotentiæ diuinæ infinitæ vires occurrere, opponique cum victoria queant; quam rationem satis de se efficacem pluris facio: quia eam S. Thomæ q. 6. recitandi esse video: ideo asserentis diuinam prædestinationem semper in nobis, non obstante potestate nostra absoluta antecedenti

cedenti ad oppositum, effectum sortitura, ac proinde infrustrabilem à nobis esse, quia adminicula, & media potest adhibere Deus, vt toti collectioni eorum resistendum non sit, neque moraliter resisti possit. Sicuti species quævis incorruptibilis diuina prouidentia dicitur: quia in indiuiduorum deficientium defectum alia, & alia substituere potest, plura, & plura quidem, quam corrumpantur: de factoque, vsque ad tempus sua prouidentia præstitutum substituet, in quibus species quæque seruetur.

6. Tertio opponunt ex scripturæ, frequenti etiam sententia, nimirum voluntati Dei resisti minimè posse: ast voluntati Dei prædestinantis nostrum consensum & salutem, ac media congrua applicante ita potestate nostra antecedenti per arbitrij nostri libertatem possumus à prædestinatis resilire, vt ommissionem consensus cum eiusmodi voluntate, & medij coniungere possimus: ergo voluntati Dei, etiam prædestinantis, resistere absolutè possumus: ergo ea arbitrij nostri liberi potestas apertè scripturæ repugnat. Maior expressa est Genes. 50. num. 19. vbi pro scelere in ipsum patrato timidos fratres Iosephus alloquitur: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Esther 13. num. 9. *Domine Domine Rex omnipotens in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui tua possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Ad Roman. 9. num. 19. *Voluntati eius qui resistit?* Id est, potest resistere: & sexcenta in eandem sententiam. Sufficiunt autem hæc ad maiorem illam ex scriptura statuendam: præsertim, cum hæc de voluntate Dei circa ea, quæ à libera nostra voluntate pendent, sint expressa. Sed enim, si sensus horum, & similium locorum is sit, quem aduersarij intendunt, oportebit scripturam, & Patres recitatos, Concilia, Pontificum definitiones palinodiam recantare: cum ex datis iam, dandisque eorum testimoniis constet, prædestinatos etiam, congruéque vocatos posse non consentire, resistendo, abiiciendoque vocationem, id est eius effectum: resistentia autem per omissionem consensus eis, quæ non sunt, minimè est, sed quæ sunt, sicuti & abiectio; quare potentia resistendi voluntati Dei de nostra salute, aut consensu libero, quæ est, & mediis ad eum oblitendum applicitis à Deo, siue resistendi in sensu composito eorum eis testimoniis asseritur. Reperendus hic opportunè est Augustini vulgatus ille ad rem hanc vniuersalis aphorismus ex lib.3. de lib. arbitr. cap.18. *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato eiceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cauere potest? Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Quod ipsum de honesto & meritorio opere à contrario dictum intellige. Maximè, cum eius sint verba. *Non enim ea Deus, quamvis prædestinet, facit voluntatem cogendo; sed in sua illam potestate dimittendo.* Cum ergo potestas resistendi Deo in nostra voluntate libera asseratur ab scriptura absolutè, idque exigant libertatis nostræ iura, imo ipsa libertate includatur; de alterius solum generis impotentia resistendi voluntati Dei, etiam prædestinatiuæ nostrorum actuum liberorum, in voluntate nostra asseri ab scriptura citatis locis potuit. Quare de impotentia consequenti intelligenda sunt: quatenus prædestinatio ipsa, vt diximus consensum nostrum sub conditione futurum, eiusque conditionatam scientiam, vt à Deo habeatur, supponit: quæ à consensu nostro absoluto pro statu obiectiuo dependent, vt diximus. Vnde posita prædestinatione, quæ tandem in sui positione consensum ipsum supponit, ne antecedenter quidem possumus non ponere consensum: quia esset coniungere cum consensu supposito eius negationem, ad quod potestas libertatis nunquam fuit, imo neque vera, & non chimærica potestas esse potest, vt diximus suprà; sed solum ad alterutrum pro priori naturæ ad alterutrius positionem apponendum.

Hoc solummodo docet Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. verbis (quæ obiici etiam ab aduersariis solent) hisce: *Deo volenti salutem facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in nolentis, aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Quibus cum velle nolentis, & nolle volentis in eius potestate, scilicet antecedenti expresse asseratur. Potestate solum consequenti resistentiæ impotentia in homine asseritur: quatenus conditionatum consensum, ab absoluto purificata conditione in sua obiectiua veritate pendentem, in sui positione diuina illa voluntas supponit; non scilicet apponenda, ni absolutus purificata conditione consensus, à quo conditionatus, eiusque scientia pendet, esset absolutè futurus. Ea vero voluntate posita nulla ad consensus ommissionem, vt dixi, & impediendum effectum voluntatis illius potestas est: quia in eius positione libera consensus positio supponitur; cum quo nulla vnquam vera, ac non ficta potestate, siue creata, siue increata, eius omissio fuit coniungibilis. Quia vero eius voluntatis ab intrinseco non efficacis, vel saltem, vt ab intrinseco efficacis, non requisitæ essentialiter ad consensum (quod satis præsenti controuersiæ est) vsum, & exercitium liberum indifferentis potestatis arbitrij in consensu eliciendo supposuit, consequentem solum necessitatem inducit, neque antecedentem oppositam antecedenti arbitrij ad vtrumvis potestati, potest inferre. Solum quippe est impotentia ad vtrumque simul, quæ potestati ad vtrumvis, seu alterutrum minimè aduersatur. Et hæc quidem de impotentia resistendi voluntati prædestinatiuæ, siue auxilij congrui collatiuæ iam supposita satis aperta sunt. Voluntati vero Dei, qua nullum auxilium immediatè conferret, sed solum apud se statueret vniuersim, appositurum se omnia media, quæ posset, seu facturum ex parte sua, quidquid posset, vt salutem per consensum nostrum, & meritorium, quare & liberum de facto obtineret quid dicetur? In eo casu, licet consensus, & salutis liberè obtinendæ præfinitio, seu voluntas efficax non adesset; tamen quoddam impotentiæ genus resistendi eiusmodi voluntati vlterius in voluntate nostra inuenitur, quod anterius quidem ad consensum aliquo modo sit, & tamen de facto potentiæ indifferenti ad vtrumvis non aduersatur, & si voluntas eiusmodi independenter à scientia media à Deo concipiatur. Hæc enim impotentia resistendi nihil aliud est, quam creaturæ rationalis subiectio, & subordinatio, etiam in suis liberis operationibus supremo Dei dominio in creatam omnem libertatem voluntatis, & operationum eius, quod vt suprà diximus, stare in Deo nequit, ni in tota collectione mediorum aliquod saltem contineatur, cui, licet non connexo de se cum consensu, sit voluntas creata consensura si detur, & si absolutè illo etiam dato, posset non consentire. Illa verò Dei voluntate faciendi, quantum ex parte sua potest, ad salutem per liberum nostrum consensum obtinendam; atque adeo ad obtinendum à nobis liberum consensum ipsum tota Dei omnipotentia, & mediorum de se indifferentium collectio, ad quam omnipotentia exenditur, applicita est: cui mediorum collectioni coniunctim sumptæ resistere liberè de facto incapax creata voluntas est. Sed quoniam, nec medium, quod de facto, ex ea etiam voluntate Dei, decernitur, nec tota collectio mediorum per illam applicita antecedentem connexionem cum voluntatis nostræ consensu habent; imò vero cum eius libertate illam habent, fit, vt hæc impotentia resistendi de facto dominio Dei, & toti auxiliorum collectioni in libertate creatæ voluntatis ineluſa, antecedenti voluntatis nostræ potestate ad vtrumvis, in qua eius libertas consistit, minimè officiat, sed ad consequentem physicè impotentiam reducatur.

Et sanè de hac impotentia videntur mihi intelligenda scripturæ (præsertim Esther 13. vbi ea redditur ratio, quod vniuersa in Dei ditione posita sint) & Augustini opposita loca, & aliud quod ex Prosperi carminibus, c.15. de ingratis opponi solent, & sic habent.

Ipsa suum consumat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit. Non moribus vllis
Fit mora: non cæptis anceps fulcitur vllis.

Siue Dei voluntas, siue gratia. Quamquam interim non negem Augustinum recitatis verbis, nec de voluntate prædestinatiua, sed de omni Dei voluntate etiam non prædestinatiua salutis, nec de impotentia resistendi illi explicato sensu fuisse locutum, sed de impotentia resistendi cum victoria, & impunitate resistentis. Sic enim immediatè, & continuo subnectit. *De iis enim, quæ faciunt, quæ non vult* (scilicet non prædestinatis) *facit ipse qua vult.* Sed & locus ex Genesis 50. de omni Dei

volun

voluntate etiam permissiua peccati fratrum Ioseph in eius venditione apertus est, nec solum de prædestinatiua. Tertius locus ex 9. ad Roman. non Pauli ex propria, sed ex impiorum persona verba continet: cum enim docuisset ibi Paulus prædestinationem iustorum, & indurationem impiorum per voluntatem eius permissiuam Dei miserentis, vel non miserentis esse. Idque exemplo indurationis Pharaonis, & aliis scripturæ locis ostendisset, concludit: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ex quo impiorum nomine sibi Paulus obiectat. *Dicis itaque homo, quid adhuc quæritur*, seu irascitur, pœnisque in Pharaonem, & impios animaduertit. *Voluntati enim eius* ex qua eorum impietas, & induratio processit *per te quis resistit?* Aut iuxta græcam lectionem *restitit vnquam?* Quorum obiectionem illico retundit primo ex supremo dominio Dei in homines, ex quo, non nisi insolenter voluntatis Dei ratio ab ipso petere homo potest. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et exemplo figuli, & luti, quod in hoc, vel illud vas pro arbitratu, & iure suo effingere potest, solutionem confirmat. Secundo respondet obiectioni ex sua doctrina factæ à versu 22. misericordi electione, & indurationè arbitraria Dei suo iure & dominio vrentis neminem fieri bonum, aut malum independenter à propriæ voluntatis libero vsu, quin impios, & induratos propria se voluntate indurare, non siue Dei, oppositum potius volentis, misericordi sufferentia, atque in suæ potentiæ, & diuitiarum gloriæ suæ in electos ostensionem patienti dissimulatione. *Quod si Deus*, inquit, *volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta.* Siue græce, *qua apta, & apparata sunt*, nimirum à se ipsis. *In interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*: quia positiua voluntate ex gloriæ fine media habitura effectum disposuit, &c. patienter autem, quæ sua voluntate alij de se, & contra nostram voluntatem agunt, gerimus; non quæ nos agimus propria voluntate; vel alij iuxta illam; de quibus gaudium, non patientia est. Idcirco non à Deo parata vasa iræ, sicut vasa misericordiæ ait, sed aliunde, id est à se ipsis: quare iustè quæritur, & irascitur in vasa iræ Deus. Vnde à versu 30. ostendit Iudæos à vera iustitia repulsos, Christianos vero electos, quia Christi fidem hi receperunt, respuerunt illi. Quibus etiam aperte docet electionem, aut reprobationem non ita nostras agere irresistibiliter voluntates, vt non ab earum potestate, & exercitio libero pendeat: quasi illum in sui existentia, & effectu omnino ineuitabiliter anteuertat. Id quod superioribus etiam versibus Apostolus docuerat. Vt doctè ad oppositum versum, & caput ferè totum obseruat noster Cornelius à lapide. Nihil ergo præsidij in his scripturæ locis, & sententia de impotentia nostra resistendi voluntati prædestinatiuæ, & electiuæ Dei pro se, & contra nos inuenire aduersarij possunt in illo.

Sed neque in alio Augustini testimonio ex epist. 107. ad Vitalem reprehendentis quod dixerat, *Consentire, aut non consentire ita nostrum esse, vt, si velimus fiat; si autem nolimus nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quod petitioni Ecclesiæ à Deo, vt faciat, vt faciamus aduersari ait: facit autem Deus, vt faciamus sua electione, prædestinatione, & gratia: ergo eiusmodi hæc sunt, quibus volendo, aut nolendo, libera nostra voluntas nequit resistere. Et Prosper. epist. ad August. ita Massilienſium errorem refert *quod voluntas diuinæ gratiæ*, seu voluntatis *sibi pariat opem*, non gratia, seu voluntas diuina sibi *humanam subiiciat voluntatem.* Quibus ex sensu Concil. Arausican. 1. canon 6. damnat *subiicientes gratiæ seu voluntatis diuinæ* adiutorium, *humilitati, & obedientiæ humanæ.* Et Arausican. 2. can. 4. *Si quis, vt à peccato expurgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem, vt etiam purgari velimus per spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur resistit spiritui sancto.* Sed his ex Prospero, & Arausicanis canonibus cum aduersus Pelagianum, & semipelagianum errorem expressè sint abunde est satisfactum controu. 2. vbi nostræ sententiæ de gratiæ & voluntatis efficacia ab extrinseco nostro consensu libero, non autem eis intrinseca à Pelagiano, & semipelagiano errore discrimen perspicuum fecimus. Solum ergo vti error semipelagianus refertur à Prospero, damnaturque Arausicanis canonibus, subiectio gratiæ & misericordis Dei voluntatis ad opus voluntatis nostræ, seu pium affectum, quamvis minutulum, viribus solius naturæ, absque auxilio gratiæ à nobis habitum & expectandum à Deo, vt nos prædestinet, ac eligat; cum potius primum etiam iustificationis initium gratia Dei per Christum necessariò debeat præcedere, sicque diuinæ gratiæ, & electioni, seu prædestinationi voluntatis nostræ honesti affectus omnes, quantumvis exigui, debeant subiacere: Quod, & nos semper profitemur. Quod autem neque voluntas illa prædestinatiua, siue gratia (ex qua, quidquid boni affectus, ac operis in nobis est initium sumere necesse est) non ab intrinseco efficax sit, neque ita voluntates nostras ad elicienda honesta subiiciat, vt necessitate antecedenti ea non elicere nequeant, imo vero horum conditionaram futuritionem, & scientiam, aquarum vel altera, vel vtraque efficax, tam Dei prædestinatiua voluntas, quam gratia, extrinsecus, & sit, & denominetur: ac proinde id tanquam materiæ solum aptæ, non autem tanquam meriti, aut motiui alicuius constitutio à Deo expectetur, vt liberè omnino, & liberaliter absque vllo nostro iure, sed suo mero arbitratu eligat, ac prædestinet: nullatenus vti semipelagianus error à Prospero refertur, aut Arausicanis canonibus damnatur. Eundem planè errorè in Vitali Carthaginensi reprehendit Augustinus t. 2. citata epist. 107. ita apertè, vt mirum sit à non omnino eius epistolæ, & Augustinianæ doctrinæ ignaris nostræ opponi. Dixerat enim initio. *Quomodo dicis, quod te audio dicere, vt rectè credamus in Deum, & Euangelio consentiamus non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis: id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse*, nisi per legis, & scripturarum lectionem meram, & auditionem, vt ex ipso statim refert: quibus, vt consentiamus, vel renuamus, ac subinde eam vnicam Dei operationem in nobis euacuemus, vel secus naturalis solius potestatis arbitrij nostri esse vitalis aiebat: quod totum vel pelagianum, vel semipelagianum est. Cæterum Dei gratiam, quam cum Augustino necessariam vlterius ad quodvis bonum opus fatemur, euacuari ab arbitrij nostri libertatem posse, & Paulus fatetur cum obsecrat: *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et Augustinus citatis locis, maximè illis, *quibus aliorum ex vocatis fidem, & aliorum infidelitatem* eo tandem refert: *quod illi credere voluerunt; hi vero noluerunt.* Facit autem vt faciamus voluntate, & prædestinatione sua Deus: quia, vt idem Augustinus etiam aiebat, auxilia, etsi indifferentia de se, habitura tamen effectum donat: ac propterea, & donat effectum *in radice oportunæ vocationis*, & voluntatis nostræ præparatione per illam.

10. Opponunt distinctionem antecedentis, & consequentis voluntatis à Damasceno, & Chrysostomo traditæ, ita à S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 6. ad 1. & Scholasticis explicari: vt antecedens sit, quæ fertur in obiectum secundum se sumptum, consequens, quæ in illud cum aliis adiunctis circumstantiis, & præsuppositis, cuiusmodi est Dei præfinitio, & prædeterminatio. Sed nihil tale ij Patres, neque Scholastici (præter Thomistas recentiores) ex ipsis docent; sed solum agunt de Dei consequente voluntate ad quam determinari, imo cogi, & compelli per liberas nostras operationes asserunt: quæ de Dei, præsertim punitiua voluntate, frequentia tam apud hos, & reliquos Patres sunt, elegantissimèque persequitur Saluianus de prouid. & gubernat. illud: *Clamor Sodomorum venit ad me expendens* cuius verba dabimus *controu. 4.* de voluntate diuina salutis omnium agentes. Anselmi testimonia etsi perspicua friuolis, quas reiecimus solutionibus tentant, atque illud ex ipso opponunt. *Quando Deus vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est voluntatem esse libe-* *ram, & esse quod vult.* Et tamen necessitas diuini decreti de effectus à voluntate prosecutione antecedens est prosecutionem voluntatis nostræ; sicuti & decretum, quod eam inducit: ergo, etsi decretum Thomisticum operis antecedentem necessitatem inducat voluntati nostræ ad operandum, neque eius, neque operis libertatem euertet Anselmi sententia. Verum, si, vt sonant, non vt sentiuntur ab Anselmo, verbis vti genuina nobis, &

& ingenium esset, etiam contra aduersarios obtineremus præfinita à Deo subsistentia actus nostri quomodolibet, etiam non præfinito modo libertatis, quo à nobis fiat nihilominus eius, & voluntatis nostræ libertatem seruari: siquidem, tunc etiam vellet Deus effectum sequi voluntatem. Sensus igitur est voluntatem tunc liberam esse debere; & debere tamen esse effectum: quia necessitate consequenti, & voluntas effectum sequetur, & prosequetur, iuxta doctrinam ab ipso semper, ac sæpè ex instituto asserta, & stabilitam. Siquidem illa Dei voluntas efficax ab intrinseco, siue effectus ex parte sui solum apponendi, vel potius disponendi, siue apponendi absolutè, quare & ex parte etiam nostra apponendi, (de quo modo non disputo) conditionata scientia regulari debet: quare tandem effectus conditionatam futuritionem supponit, quæ in suo illo statu, & veritate obiectiua à futuritione absoluta pendet: ac subinde, tam ipsa, quam scientia, quam voluntas per eam regulata, impediri ab vsu absoluto libertatis nostræ potuit, ne pro suo signo, & priori fuerit iuxta dicta à nobis non semel. Et quidem Anselmus de voluntate Dei prædestinatiua, quæ efficax, non ab intrinseco sit, sed ab extrinseco, seu, quod idem est, effectura nostrum consensum, solummodo loquitur. Nam decreta ab intrinseco efficacia directa etiam, ac regulata per scientiam mediam repugnare verosimilius, & nobis certum omnino ex Anselmi doctrina, & ratione Theologica est.

11. Plura ex Augustino congerunt vt libertatem nostram cum necessitate à Dei voluntate antecedenti prouenient consistere probent 6. de Genes. ad lit. c. 15. fine indefinitè, & vniuersim ait: [Dei voluntas rerum necessitas est.] Scilicet vt sint: ergo & actuum liberorum, vt sint, necessitas Dei voluntas erit. In primis, si illa Dei voluntas antecedens, & efficax necessario requisita non sit, vt actus nostri liberi sint, nihil ex loco, quomodolibet intellecto pro præfinitione Thomistica elici poterit; sed solum pro Soariticis præfinitionibus per scientiam mediam regularis. Ex quibus solam consequentem necessitatem, sicuti ex prædestinatione, seu decreto collatiuo auxilij iidem contendunt. Illis autem verbis necessariam, & essentialiter requisitam esse ad actus liberos apponendos Dei voluntatem efficacem minimè asseritur. Sed certè Augustinus de rebus independenter à nostro libero arbitrio, rebusque ita à Deo decretis, vt creatione Adami in ætate, seu statu virili agebat, vt immediatè præcedentia verba exprimunt. In quem sensum à Magistro referuntur in 2. d. 17. c. 4. & Scholastici, & Vvaldensi 1. doctrin. fid. c. 30. post med. & explicanda germane sunt. Similia, quæ ex c. 17. init. & circa, extra rem opponi ab aduersariis ex Augustino solent. Sed ex 5. de ciuit. cap. 10. obiiciunt. [Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim, & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus: si dicamus: Necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire.] Quorum in Deo necessitas omnino antecedens est, sed cum toto illo cap. aliisque innumeris locis. Augustinus recitatis verbis cert. 2. num. 1. Ad libertatem voluntatis, de qua agimus indifferentem eius ad vtrumvis potestatem requirat, ab omnique necessitate, impedimento alterius partis expeditam cert. 3. n. 9. & contra. 2. d. 5. q. 8. vbi aliis vocibus simplicis & absolutæ necessitatem antecedentem alterius partis libertatem nostræ voluntatis euertere fatetur; secus necessitatem conditionis, siue secundum quid irrenerentem de Augustino putatur, suæ huic constanti doctrinæ eo etiam capite, quo illam ex instituto statuit, aduersari. Secus neque aduersarij dicere audebunt necessitatem antecedentem viuendi, & omnia sciendi, quæ Augustinus in exemplum adducit relinquere in Deo libertatem, de qua hic agimus ad viuendum, vel non viuendum, aut ad omnia sciendum, vel aliqua ignorandum: ergo neque, vt ostenderet necessitatem, quæ ex scientia, & prædestinatione nostrorum operum est, non obesse libertati absolutæ: sicuti neque necessitas absolutè talis vitæ, & omnis scientiæ Dei libertati à coactione non obest. Postmodum vero à ratione ostendit eam prædestinationis, & præscientiæ necessitatem libertati nostræ non obesse, quia libertatis nostræ exercite opera supponit: ac proinde consequens est non antecedens. Quo eodem sensu ait cap. 11. de corrept. & grat. vers. fin. Non relinqui infirmitati nostræ voluntates sine Dei adiutorio, quo inseparabiliter, & indeclinabiliter necessitate consequenti à Deo aguntur, & in eis agitur vt velint, ne tot tentationibus, & periculis præsua infirmitate succumberent, verba sunt. [Nam, si in tanta infirmitate vitæ huius hominibus relinqueretur voluntas sua sine adiutorio Dei (sine quo perseuerare non possunt) manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, per congruam vocationem, vt vellent: inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Et ideo perseuerare non possent consequenti possibilitate, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent, antecedenti potestate, subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt à diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.

12. Vrgent ex enchiridio c. 105. vbi de statu Beatorum. [Postea vero sic erit, vt malè velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri, non solum nolimus, sed nequaquam. Protsus velle possimus. Sicut ergo, nunc etiam, anima nostra nolle infœlicitatem, ita tunc nolle iniquitatem, semper habitura est.] Et consone 22. de ciuit. cap. 30. propè med. [Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabiliter liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare; sed potuit, & peccare. Hoc autem nouissimum, & potentius erit, quo peccare non poterit.] De natura & grat. cap. 46. [*Per quam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nescio qua, & bona constrictione natura, nec dicere audemus: ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ: quia non potest velle peccare.* Concordat Anselm. dial. de libero arbit. cap. 1. dicens: *Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi: quippe, si hoc eius esset definitio; nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt liberum haberent arbitrium. Quod nefas est dicere.* Subinferius. *Non pertinet ad definitionem arbitrij posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas.* Inferiusculè. *Qui sic habet, quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod dedecet, & non expedit, valeat adduci.* Omnia hæc scholastici plures citati à nostro Ruiz d. 45. sect. 4. de libertate à coactione explicant. Vt autem genuine respondeamus difficultatum contra nos ex his testimoniis tria capita distinguenda sunt. Primum ex reprobata ab Anselmo in definitione libertatis, adhuc partialis, potestate ad peccandum leuissima difficultas est. Nam potestas peccandi ad speciem vnam libertatis generatim definiendæ pertinet: scilicet libertatis peccandi quare non magis ad libertatis vniuersim, & generice sumptæ adhuc partialis, seu partialiter pertinere potest, quam rationale, quod vnius speciei animalis essentiale est, ad animalis generice, & vniuersim sumpti essentiam, & definitionem spectare queat; alioqui, vt inferebat in simili Anselmus nihil animal esset, quod rationale, aut homo non foret. Secunda difficultas de necessitate amoris viatorum erga beatitudinem in communi quam non obstare libertati nostræ Augustinus aiebat. Cui duplex solutio est iuxta duplicem satis probabilem Theologorum doctrinam. Nimirum Beatitudinem in communi nos ad amorem sui non necessitare, quoad exercitium, sed solum, quoad specificationem: ac proinde libertatem contradictionis relinquere; licet non relinquat libertatem contrarietatis: quia, & si ad sui amorem non cogat, aft eius nolitionem, seu fugam in nobis non patitur: quare eam nolle non possumus, vt Augustinus aiebat, possumus autem non velle. Altera doctrina est: admittendo fœlicitatem, & beatitudinem

nem in communi non posse nos, pro hoc etiam statu non amare, adhuc quo ad exercitium: id autem non tollere quominus fœlicitatem, & beatitudinem in particulari, hanc scilicet, & illam, liberè, & quo ad speciem, & quo ad exercitium amare possimus, & amemus alteramque alteri exercitæ præferamus: quod solum vult Augustinus, & sufficit, vt libertas nostra absolutè non desit. Tertia difficultas est de libertate Dei, & Beatorum cum impotentia peccandi: quam perfectiorem, maiorem, potentioremque Augustinus, & Anselmus aiebant: sed opus erat aduersariis ostendere hos Patres libertatem ad peccandum, & non peccandum, cum impotentia peccandi maiorem, perfectiorem, & potentiorem in Deo, & Beatis asserere: id quod iam nemo Thomistarum dicere audebit: cum ad libertatem, de qua disputamus, simultatem potentiæ ad vtrumvis extremum necessariam esse fateantur, & testimonia hæc negant in Deo, & Beatis ad peccandum potestatem. Solum ergo volunt Patres in eis non aboleri absolutè libertatem, ex eo, quod ad peccandum libertas deficiat: siquidem ad alia omnia honesta, & bona, quorumque omissio peccatum non sit, prosequenda, vel secus, potestatem, ac libertatem habent, & maiorem quidem perfectiorem, & potentiorem: tum quia potentia ad peccandum imbecillitas potius & impotentia est: tum quia per impotentiam peccandi alia libertas à seruitute peccati perfectissime, & nobilissime à Deo, & Beatis possidetur: nempè eius seruitutis ineapacitas Dei, per naturam, & Beatorum, per statum suum felicissimum, & amorem Dei clarè visi: in quem super omnia feruntur, ac iucundissime inardescunt.

QVÆSTIO III.

An Conciliorum, & Pontificum definitionibus Thomistarum recentium præfinitiones ad absolutam contingentis futuritionem aduersentur?

ET hoc seorsim adamusim examinari oportet. Siquidem res nobis, non solum contra Caluinianos, & Lutheranos, sed & contra Catholicos nostrarum actionum præfinitores à Deo Conciliorum, & Pontificum, atque Ecclesiasticarum definitionum obseruatores est. Præsertim, cum videam horum aliquos non solum de efficacibus contra ipsos Tridentini definitionibus declinandis, atque à se auertendis (quod mihi haud facilis operæ videbatur) sed in nos etiam conuertendis curare: atque adeo Ioannem à S. Thoma clamare: *Nimis stupide ipsis obiici Caluinismum*, contra quem eiusmodi definitiones editæ sunt. Ex hoc enim districto definitionum Tridentini, se non ensis, Innocentij, eiusque immediati successoris, & Domini nostri Alexandri 7. aduersus Caluinum, Lutherum, & ipsorum reliquias editarum examine clarebit, malè ne obiicientium, an malè respondentium stupor sit?

CERTAMEN I.

Certa nonnulla pro expedita, & genuina definitionum Tridentini contra Caluinum, & Lutherum intelligentia prænotantur.

1. PRimo supponendum est Concilium Tridentinum decreta, & Canones subiiciendos aduersus errores Caluini, & Lutheri (quibus præsertim ab Ecclesia eradicandis coactum concilium illud fuit) statuisse, & euulgasse. Indubitatum id etiam apud hæreticos, & catholicos Thomistas recentiores semper fuit: quare suppositione, quam probatione opus habet. Sunt autem ea Tridentini ad rem præsentem testimonia, canones, & decreta. Primum sess. 6. cap. 5. vbi statuit: & si nostræ conuersionis, & iustificationis exordium è gratiosa Dei voluntate, vocatione, & auxilio, minime remuneratorio, ad illam excitante, & adiuuante semper sit, fieri tamen illam, & peragi à nobis [eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando: ita vt tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat illam inspirationem recipiens (consensu suo vt præfati hæretici aiebant) quippe qui illam, & abiicere possit; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit (vt Pelagiani, ac semipelagiani aberrarunt) vnde in sacris litteris cum dicitur (Zachar. 4.) conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur, cum respondemus (sine orationis Hierem. & cap. 31.) conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.] Media igitur inter aduersos errores (& Pelagij totum iustificationis, & conuersionis negotium nostri arbitrij liberati, & potestati quondam tribuentis, & Caluini, ac Lutheri totum Dei voluntati, & gratiæ Dei committentis) via incedendum Catholicis decernit: vt & Dei voluntati, & gratiæ, & arbitrij nostri potestati in conuersionis negotio suæ partes catholice contra vtrumque errorem seruentur. Eius vero decreti catholica doctrina ita contra Caluinum, & Lutherum, eorumque præfinitiones canonem 4. sess. eadem instruxit Tridentinum. [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis (formalis habitualis) gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere: anathema sit.] Item canonem 22. contra vtrumque memoratum errorem his edidit verbis. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse iuxta Pelagium, vel cum eo non posse anathema sit.* Quod extremum contra præfinitores omnes actionum humanarum est, vt postea expendemus. Denique canone 32. *Si quis dixerit: hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, &c. anathema sit.* Est autem canonis huius definitio definitioni canonis 6. adeo connexa, atque meritum operis cum eius libertate connexum sit.

2. Supponendum est secundo: vocibus cooperandi, & agendi ex parte nostri, etiam id, ad quod mouemur, præuenimur, excitamur, adiuuamurque à Deo non solum significari actiuum nostrum influxum & operationem, seu cooperationem similem cooperationi agentium reliquorum naturalium, sed actionem, & cooperationem cum pleno eius dominio, & potestate ad oppositum. Probatur primo, quia alium modum operandi, etiam spontanee, ac sine propria coactione Caluinus Lutherus, & affectæ, quorum eis locis doctrina anathematizatur, aliam actionem, & cooperationem Deo excitanti, præuenienti, adiuuanti, & cooperanti non negabant, arbitrio nostro: imo expresse admittebant semper & præsertim locis postea referendis, dum concordiam suarum, cum Thomisticis præfinitionum, & solutionum examinemus; solamque actionem, & cooperationem nostram cum dominio, & potestate non agendi, siue agendi oppositum negabant. Secundo: quia agere stricte id solum apud Philosophos, Patres, & scholasticos semper significauit. Arist. 1. magnor. moral. [Neque enim inanimatum aliquod agere dicimus: neque etiam animatorum citra hominem quicquam. Manifestum est igitur actionum hominem esse progenitorem,] & 2. Physicor. textu comment. 58. & 59. [Fœlicitas actio quidem est: est enim actio bona. Quare, quæ agere nequeunt, ea neque à fortuna quicquam efficere possunt. Et propterea neque inanimatum vllum, neque bellua, neque puer quicquam efficit à fortuna: quoniam electionem non habet.] Ad quæ S. Thom. lect. 10. [Ad agendum propriè dominium sui actus requirit,] sicuti Aristoteles voce electionis, & facultatis eligendi, & 6. ethicor c. 1. sub init. [Tria sunt in anima, quæ habentur agendi principia, veritatis

veritatisque sensus intellectus, appetitus. Atque sensus nullius est principium actus. Quod quidem ex eo patet: quia belluæ sensum quidem habent; actionis autem sunt expertes.] Cuius eandem reddit rationem de necessario actionum dominio, vt eis agere propriè dicantur agentia; S. Thom. lect. 2. iterum, atque iterum. Inde etiam Arist. 3. ethicor. c. 5. ante med. absurdum reputat, *hominem non esse procreatorem actuum perinde, vt liberorum*, seu filiorum est. Quia alias belluas in potestate agendi, cum suorum scilicet actuum dominio non superaret. Eandem sententiam, vt communem, exploratam, & sum supponit Plato in Phædro, seu dial. de pulchro, atque ex illa animi nostri immortalitatem his probat refecatis aliis antecedentibus, & subsequentibus valde obscuris, & fabulosis. [Cum autem immortale appareat id, quod à seipso mouetur: si quis hoc ipsum animæ essentiam, & rationem dicat, non pudefiet. Omne enim corpus, cui contingit, vt extrinsecus moueatur, inanimatum est; cui, vt extrinsecus ipsum ex se ipso animatum: velut hæc sit animæ (rationalis) natura,] &c. Quibus rationem propriæ huius acceptionis agendi, iam afferendam dedit.

3. Hinc Nemesius Episcop. Emissen. lib. de anima, & eius facultatibus c. 29. alias 5. Philosoph. c. 1. ita actionem propriè dictam definit. *Actio est muneris alicuius functio cum ratione*, id est, consilio, & deliberatione *actiones autem laus, & vituperatio consequitur.* Dixit autem, & ibi, & locis aliis datis q. 2. cert. 1. & 3. nullam laudem, aut vituperationem esse actionum, quæ non ex libertate, potestate, ac dominio ad oppositum, sed potius ex determinatione, & necessitate à nobis fiunt. Consensit Irenæ. 4. aduers. hæres. & titulo, & textu c. 71. & c. 72. sub init. & post med. Chrysostom. hom. 11. in Ioann. quorum verba dedimus locis proximè citatis. Propterea Paulus ad Roman. 7. ex eadem sententia aiebat. *Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Quæ Patres, & interpretes conspirato de operibus, in quibus à concupiscentia ex originali relicta præuenimur, quæque absque libertate, & deliberatione nostra, saltem plena, in nobis fiunt interpretantur: atque ideo ea in nostris operationibus minimè esse computanda cum Paulo docent. Illud item ad Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt*, &c. Patres, interpretes, & scholastici cum August. & S. Thom. ita agi, nos Dei spiritu moueri, vt agamus, & nos: ne liberum nostrum arbitrium, eiusve in suas actiones dominium, vt proprietate sermonis agamus, necessarium, euertatur. Et Dionys. 4. de diuin. nom. circa fin. agentia libera *per se mobilia*, siue in se operabilia vocat: quia ea solummodo *possunt se ipsa mouere*, siue in se, atque à se agere in se ipsa. Et cap. 8. post med. aliquorum sententiam hanc: *debere inesse per se mobilibus, per aliud mobilem necessitatem*: id est libera agentia non esse suæ libertati, vt se ipsa moueant, sed alteri committenda, quod necessitatem motus eis imponat: vti errorem confutat, quia tunc non agerent, sed ab illo altero agerentur cui sententiæ, & rationi omnino concordat sanctus Thom. in comment. lect. 4.

4. Proprietatem huius locutionis fatetur Damascenus, atque eius egregiam rationem dedit non semel. Etenim 2. de fide c. 22. post med. ait. *Irrationalis appetitus irrationalium: & ducuntur à naturali appetitu*, &c. *In hominibus autem rationis compotibus, ducit magis rationalis appetitus, quam ducitur. Liberæ enim potestate, & cum ratione mouetur.* Quasi dicat: si libera potestate, & rationis deliberatione moueretur solum ab alio actiones determinante: passiuè quidem potius ageretur: ac subinde actiuè proprie non ageret, seque duceret; sed duceretur: vt de irrationali appetitu diximus. Pergit in eadem sententiam subinferius. *Liberè consultat, liberè iudicat, liberè amat, liberè eligit, liberè mouetur, & liberè agit in hus, quæ secundum naturam suam.* Ecce conditiones liberè, seu propriè, & strictè agendi. Sed clarius adhuc, & conclusionem, & rationem hanc dedit c. 27. his verbis. [Quod rationale est, domina est suarum actionum, & arbitrio liberum. Vnde & rationis expertia ducuntur magis à natura, quam ducant; quapropter non contradicunt, resistuntve naturali appetitui, sed simul atque quidquam appetierint, impetu feruntur ad prosecutionem. Verum homo, rationalis cum sit, ducit magis naturam, quam ducatur. Qua propter appetens vbi quidpiam velit, potestatem habet refrænandi appetitum, aut ipsum sequi.] Pro verbo *ducere* habet *agere* vetustior translatio, quam sequuntur scholastici vetustiores S. Thom. proximè citandus, S. Bonauent. Albert. Alex. Scotus, Henric. Ricard. Bassol. infrà. Et græca quidem vos æquè vtrumque significat, & *ducere*, & *agere*. Imo, & agere tantumdem, atque ducere, impellere, mouere, & incitare apud thesaurum linguæ latinæ huiusque peritos valet. Prestius tamen, & luculentius & rem hanc, & rationem dedit nobis August. 5. de ciuit. c. 9. sub finem scribens: [Causa rerum, quæ facit, & non fit, Deus est. Aliæ vero causæ, & faciunt, & fiunt: sicut sunt omnes creati spiritus maximè rationales. Corporales autem causæ, quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ: quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.

5. Huic porro sententiæ, & rationi annuit expressè S. Thom. singulatim testimonia approbans recitata, & in primis q. 5. de verit. art. 9. ad 4. vbi hanc Augustini sententiam obiecerat, respondet: [Quod illud dicitur agere, quod habet dominium super actionem suam. Secundum quem modum loquendi dicit Damascenus: quod animalia bruta non agunt, sed aguntur.] Et textum recitatum Aristotelis ex 2. Physicor. sic illustrat commentario suo lect. 10. [Eius proprie est agere, quod habet dominium sui actus. Quod autem non habet dominium sui actus magis agitur, quam agit. Et ideo actus non est in potestate eius, quod agitur; sed magis in potestate eius, quod agit ipsum.] Et ad recitatum locum Arist. ex 6. ethicor. sic ait lect. 2. [Duo opera dicuntur esse propria homini: scilicet cognitio veritatis, & actus; in quantum, scilicet, homo agit tanquam dominus proprij actus, & non tanquam actus, vel ductus ab aliquo. Inferiusculè. Sensus nullius actus principium est, eo, scilicet, modo, vt per sensum haberi possit dominium actus. Quod quidem manifestum est per hoc, quod bestiæ habent quidem sensum, non tamen communicant actum: quia non habent dominium sui actus. Non enim à se ipsis agunt, sed mouentur instinctu naturæ.] Et 3. 2. q. 1. art. 2. corp. [Rationalia seipsa mouent ad finem: quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium. Vnde subdit. Proprium est naturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens in finem. Naturæ vero irrationalis, vt quasi ab alio acta, vel ducta siue in finem apprehensum sicut bruta animalia, siue in finem non apprehensum, vt ea, quæ omnino cognitione carent.] Et 3. cont. gent. c. 110. post med. [Omnia, quæ ratione carent, aguntur tantum, & non agunt seipsa. Non enim sui actus dominium habent, ac ferè statim. Substantiæ rationales, siue intellectuales, non tantum aguntur; sed etiam agunt se ad proprios actus.] q. 9. de potentia art. 1. ad 3. docet nomen hypostasis, siue suppositi, & si generale substantiis omnibus, rationalibus tamen, tanquam nobiliori modo per se stantibus, applicitum ab antiquis fuisse [quia hoc, quod est per se agere excellentiori modo conuenit substantiis rationalis naturæ, quam aliis. Nam solæ substantiæ rationales habent dominium, sui actus; ita, quod in eis est agere, & non agere. Aliæ vero substantiæ magis aguntur, quam agant.] Quam rationem applicandi communem vocem hypostasis suppositi nobiliori, nimirum rationali, vt aiebat Boëtius lib. de duabus nat. post med. dedit etiam S. Thom. commentans eum Boëtij locum, denique 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. [Non præfigitur homini virtus operatiua determinata ad vnum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quasi ab altero directè in finem; non autem seipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt.] Eidem conclusioni, & rationi de propria actione solis rationalibus agentibus liberis competenti annuunt Albert. 2. p. quæst. 91. in 1. & 2. corp. q. 16. arg. 7. Alex. 2. p. q. 29. in 1. art. 2. q. 74. n. 2. post med. & cum Damasceno proximè recitato. S. Bonau. in 2. d. 25. art. 1. q. 1. corp. med. & ad 3 & 4. Scotus q. vn. vers. fin. circa §. *Dico ergo.* & deinceps Bassolis q. 1

art.2, vers. fin. Ricard. art.1. quæst.2. vers. *Sed contra*, Hentic. Gandau. quodlib.1. quæst.16. sub init. quodlib.9. quæst.5. quodlib. 11. quæst.6. part.2. sum. art.45. q.3. post med. Theophil. Rayner. in Pantheologia sua verb. *Prouidentia*, cap.3. fine verb. *gratia*, c.2. fin. Conradus 1.2. q.1. art.2. comment.4.

6. Supponendum est tertio recitatis Concilij locis non eo solum Lutheranos & Caluinistas, quod nomen libertatis arbitrij nostræ in respondendo, & consentiendo diuinæ voluntati, vocationi, adiutorio, motioni, excitationi, & auxilio gratiæ inficiarentur; sed quod rem ipsam quæ libertatis nomini subest, eaque voce significatur, negarent: id quod negare ausit catholicorum nemo. Etenim, vt rectè eminentissimus, ac venerabilissimus noster Cardinalis Bellarminus, & Gabriel Pennotus, grauis cum primis, & acutus Theologus suo propugnaculo libertatis lib.1.c.19.n.8.tantus studiorum vigiliarum, orationum disputationum, sessionum, à tot, tantisque Patribus in Tridentino habitarum, apparatus ad quæstionem de solo nomine desiendam, & quæ satis dictionariis, & thesauro Latinæ linguæ dirimererur, otiosus, & inutilis videretur. Probari autem (si forte negantes quandoque fuerint) facilè potest. Primo: quia libera cooperatio nostra voluntati, motioni, & adiutorio Dei ipsissima definitione essentiali libertatis secundum rem sumptæ definitur, & illam, quæ ea definitione definitur negantes recitatis testimoniis damnantur: ergo rem ipsam, nec solum libertatis nomen negantes damnantur recitatis Tridentini testimoniis: & subinde libertas nostræ cooperationis; secundum rem ipsam, nec solum secundum nomen libertatis eisdem locis definitur. Consequentia est certa: antecedens probatur illis verbis datis ex cap. 5. *Quippe qui illam* (inspirationem, qua per prædestinationem, & voluntatem Dei cor hominis tangitur) *& abiicere potest*. Et illis etiam ex can. 4. quibus damnat dicentes: *hominis arbitrium non posse Deo mouenti, excitanti, & vocanti dissentire, si velit*: ait posse abiicere inspirationem illi renuendo, posseque Deo excitanti, vocanti, & mouenti pro libito dissentire res ipsa libertatis, seu potestas indifferens ad vtrumvis (in qua illa reipsa in actu primo consistit) omnino est: atque Deo vocanti ita ex ea potestate indifferenti cooperari, vt possit homo eam renuendo abiicere, atque arbitrium dissentire, si velit est res ipsa exercitij libertatis in actu secundo, seu cooperationis liberæ: ergo eis locis res ipsa, nec solum nomen, libertatis etiam, cum in actu primo, tum in actu secundo posita Dei prædestinatione, vocatione, & adiutorio definitur: eamque negantes Lutherus, & Caluinus damnantur. Probatur secundo ex eadem sess. 6. Tridentini can. 5. immediato, in quo, Caluinus, Lutherus, & asseclæ dicentes. *Liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse, aut rem esse de solo titulo: imo titulum sine re* anathematizantur. Vbi apertè præfati hæretici eo canone damnati nomen libertatis admittere dicuntur: rem vero ipsam libertatis solummodo negasse: de eoque errore damnantur; non autem de nomine libertatis negato, nedum de eo solum negato, quod admittebant.

7. Tertiò probatur. Quia, cum post Tridentinum maior longè potiorque (vt quæst.6. videbimus) Theologorum pars: & Patres omnes recitati quæst.2. & 4. recitandi asserant arbitrium, etiam non coactum, sed necessitatum antecedenter, atque irresistibiliter determinatum ad vnum extremum ex oppositis apponendum, non ritè, rectèque, sed abusiuè solum liberum dici, Tridentini damnationem non denegata solum à præfatis hæreticis libertatis voce, sed etiam reipsa libertatis fuisse euincitur: alioqui ij omnes apertè à Tridentino deficerent, planéque hæretici deprehenderentur: ac merito ab aduersariis ea in re hæresis accusarentur; quod tamen aduersariorum nemini hucvsque in mentem venit: & si alios Pelagianorum, & Semipelagianorum errores præfatis doctoribus, vt cumque, affucre illi omnes in casum tentarint: quin & Patres Concilij, ita etiam cap. illo censent: dum ideo libertatem de nostra cooperatione Deo vocanti prædicant: *quia possumus Dei ita vocantis abiicere vocationem.* Quod quidem res ipsa libertatis est: quarto cum voces eatenus solum definiri queant, quatenus significatæ per illas sermonis proprietate obiectiuæ veritates de fide, ac reuelatæ à Deo sunt. Non potuit hæc propositio, *arbitrium nostrum Deo vocante, & mouente, ac prædestinante liberum est: quia vocationem abiicere potest*: ni res ipsa libertatis de fide, ac reuelata à Deo esset, simulque definiretur, vt talis. Denique res hæc certis adeo discursibus non eget, sed verbis hæreticorum ipsis euincitur, qui se de re libertatis, non autem de nomine cum Catholicis certare errore suo fatentur. Audiatur Caluinus 2. instit. cap.2.sect.7. & 8. *Egregia*, inquit, *libertas, si homo quidem non cogitur ad seruiendum peccato, sic tamen est αὐτεξούσιος, vt vinctus teneatur peccati compedibus eius voluntas? equidem Logomachias* (pugnas de nomine) *abominor, quibus frustra Ecclesia fatigatur; sed religiose censeo cauendas eas voces, qua absurdum aliquid sonant: præsertim vbi perniciose erratur. Quotus autem quisque est, qui, dum assignari homini liberum arbitrium audit, non statim concipit illum esse, & mentis sua, & voluntatis dominum, qui flectere se in vtramque partem à seipso possit?* Rei ergo libertatis (quam in potestate & dominio arbitrij ad flectendum se in vtrumque à se ipso omnes sitam intelligimus) periculum timet in eius vocis vsu: quam cum eius significati correctione admitti posse, sic statim pergit. *Atque sublatum erit eiusmodi periculum, si de significatione*, (libertatis arbitrij à sola nimirum coactione) *diligenter plebs admoneatur.* Ac rursus ait. *Ita si quis dictionis huius vsum non prauæ intelligentia* (immunitatis ab omni necessitate, nec solum à coactione) *sibi permittat, per me non vexabitur ob hanc rem. Sed, quia sine ingenti periculo retineri non posse censeo: magno contra Ecclesiæ bono futurum si aboleatur: neque ipse vsurpare velim: & alios si me consulant, abstinere optarim.* His æque clara, cum Caluini, & sequacium, tum Lutheranorum ad rem hanc testimonia sequentibus certaminibus producemus.

8. Supponendum est quarto: præfatas Concilij definitiones (& idem est de definitionibus Concilij Senonensis, & Pontificum Innocentij, & eius successoris Alexan.7. vt ex rationibus statim subiiciendis patebit) non esse solum de auxilio sufficienti, & motione Dei, ac non proueniente à præfinitione prædeterminatiua iuxta Recentium Thomistarum sententiam, de qua in præsentiarum agimus, sed de omni auxilio, & motione Dei efficaci, & quæ à præfinitione prædeterminatiua proueniat iuxta eosdem, nec solum de aliqua motione inefficaci scilicet, vel aliqua efficaci suppositio est contra Bañez 1. part. quæst.23. articul.3. ad 7. argum. Iabeli & 1.2. quæst.10. art.1. §. *Iam vero ad solutionem*, qui vnus ex Thomistis expresse de auxilio sufficienti eas definitiones interpretatur. Alij verò nonnulli in eum sensum possunt benigne intelligi, ne videantur adeo expresse Tridentini, & Senonensis definitionibus aduersari: dum ait Nauarrete controu. 21. de auxilio, §. 8. circa finem *voluntatem non posse resistere physicæ prædeterminationi*. Dauila dum ait de auxil. cap. 20. *Deo mouenti nil valet resistere*, quod vtique de solo auxilio efficaci in eius sententia dici potest. Aluar. d. 92. de auxil. num. 8. concluf. 4. cum dixit. *Necesse non est, quod cuicumque auxilio præuenientis gratiæ possit homo absolutè dissentire, si velit.* Probatur facile primo ex verbis ipsis earum definitionum. Eis quippè dicitur cap.5. *Nos cooperari, & assentiri liberè Deo vocanti*, &c. redditurque ratio. *Quippè, qui & illam abiicere potest*, & can. 4. *ita cooperari hominem assentiendo Deo, vocanti, vt possit dissentire, si velit.* Soli vero gratiæ, & motioni Dei efficaci, non autem sufficienti, cooperatio, & assensus noster adiungitur (in quocumque velis vocationis auxilij, & motionis diuinæ efficaciam, siue intrinseco, siue extrinseco constituere: de quo modo non disputo) omnium opinione: ergo de auxilio, & motione efficaci fuere præfatæ definitiones Concilij. Confirmatur: quia, nec Caluiniani, nec Lutherani, contra quos ibi agebatur, negabant vocationi Dei cuivis, atque ex inefficaci voluntari operis, & consensus nostri oriundæ posse nos

nos dissentire, resistere, eamque abiicere; sed ei solum, per quam arbitrio nostro necessitas agendi imponitur, resisti, ac dissentire à nobis minime posse: atqui vocatio, motioque Dei ita necessitans nos ad agendum sola est motio, & vocatio efficax oriunda ex præfinitione consensus iuxta hæreticos præfatos: ergo de eiusmodi motione, & vocatione efficaci definitiones Tridentini procedunt. Vrgetur: quia præfati hæretici nullam vocationem gratiamve Dei mouentem nos, & adiuuantem ad bona, & salutaria opera recognoscunt, præter efficacem ortam ex præfinitione diuina de eiusmodi operibus, quare Canone 17. recitando infra num. 11. damnantur quod reprobis omnem Dei gratiam auxiliantem denegent. Vnde Cornelius Iansenius inter errores alios in materia gratiæ hunc etiam ex Caluinismo ebibit. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Vt ex definitionibus Innocentij I., & Alexandri certum, 5. constabit, quem errorem, vti exploratum Caluinismi, & Lutheranismi dogma Germaniæ vtriusque, & Galliæ Lutherani, & Caluinistæ tutati sunt: & post eas etiam definitiones obstinato defendunt: omnis autem vocatio, motioque Dei, cui nunquam resistitur efficax est: ergo à Caluinistis, & Lutheranis, à quibus solum admittitur gratia, seu motio Dei, cui nunquam resistitur, nulla gratia, & motio Dei, quæ efficax non sit, sed solum sufficiens, admittitur. Quare quæ contra hos hæreticos Concilia, & Pontifices contra Iansenistas super eo definierunt de gratia, & motione Dei efficaci, orta ex præfinitione efficaci consensus definierunt, vt prima parte suppositi huius ponebamus.

9. Secunda eiusdem suppositi pars erat. Definitiones præfatas non posse intelligi de gratia, seu motione, & vocatione Dei efficaci aliqua solum, non autem de omni, sed de omni gratia, & motione Dei efficaci esse vniuersim omnino, ac necessario intelligendas. Hæc pars videtur directè pugnare cum genuino sensu sententiæ Didaci Aluarez recitatæ num. proximo, qua Concilij definitiones à suis præfinitionibus & prædeterminationibus auertere tentauit. Verum, si perdoctus Pater vidisset attente acta Concilij Tridentini videret ab eius Patribus præclusum effugium: quare non esse à Sano Theologo deinceps tentandum. Etenim 2. p. Actor. Tridentini Theologus quidam Concilio, & Patribus proposuit, vt illis verbis ex Canone 4. recitatis, *posse dissentire si velit*, adderetur, *communi vocationi*, vt alicui alteri, cui de facto consentit liberum arbitrium, non communi locum definitio relinqueret, vt non posse dissentiri, credi, dicique posset; eam verò propositionem Concilium reiectauit, ac vniuersim, & sine eo addito, & limitatione Canonem voluit, iussitque euulgari. Probatur secundo: quia propositio, qua definit Concilium hominem posse abiicere efficacem motionem, & vocationem Dei, illique dissentire, si velit, indefinita est: ergo vniuersim de omni motione, & vocatione efficaci debet intelligi. Probatur: quia, nisi ita propositiones indefinitæ definitiuæ intelligantur, nihil definitiones præstabunt. Facile enim dicent hæretici errorem suum non damnari: quia non damnatur propositio in omni, sed in aliquo sensu indeterminato, qui nondum explicatur in ea definitione: quare necdum suum sensum esse ea propositione indefinita damnatum: ergo eiusmodi propositiones definitiuæ, & doctrinales vniuersalibus æquiualent, vt aliquid valeant, nec sistant in vanis definitionum vmbris, & larvatis paterorum terriculamentis. Probatur tertio: quia ex Tridentini definitione libere cooperatur gratiæ, & motioni Dei liberum arbitrium, nec se habet, vt in animæ instrumentum: *quia illam abiicere potest, illique dissentire, si velit*, ergo contra omnem gratiam, & motionem Dei, cui non possit dissentire arbitrium, si velit, eamque renuendo abiicere, definit Concilium tollere illius libertatem: & ita demum omnes Thomistæ fatentur. Hæc quidem in omni motione Dei efficaci Caluiniana, & Lutherana reperiri certissimum est: quia contra eam editæ illæ definitiones, & anathematismi sunt. Et quia ita Caluinistæ, & Lutherani fatentur An verò etiam inuocatione, & præmotione Dei ab intrinseco efficaci, seu prædeterminatione Thomistarum recentiorum inueniatur? nunc non disputamus: spectat enim ad materiam de efficaci gratia, & auxiliis, à qua abstinemus: quamquam ad id dignoscendum magnam afferant lucem, quæ hic de præfinitionibus Thomisticis disputantes subiiciemus.

10. Quintò suppono: ex præfinitoribus, hactenus Catholicis, humanarum actionum cum Thomistis recentibus, tum Scotistis pauculis iunioribus, omnes in eo conuenire: vt auxilij, seu motionis diuinæ efficacia intrinseca, inseparabilisque à consensu, ad quod mouet, & arbitrio nostro auxiliatur, omninoque ab exercitio nostræ libertatis independens, illudque sit antecedens: Item efficaciam antecedentem hanc essentialiter supponere diuinam consensus præfinitionem. Id autem non eodem modo ab eis omnibus asseritur. Nam Scotistæ pauculi memorati, atque ex Thomistis nonnulli, adhuc pauciores, censent auxilium efficax inseparabile antecedenter à consensu esse non ex intrinseca sua entitate nuda, sed ex præfinitione diuina, seu decreto absoluto de se efficaci consensus ipsius, sine quo consensu in statu absoluto, siue existentiæ, aut futuritionis absolutæ poni, esseve nequit. Thomistæ verò reliqui communiter docent efficaciam auxilij antecedentem connexam inseparabiliter à consensu, ad quem efficax auxilium est, quaque independenter à nostro arbitrio posita irresistibiliter, & ineluctabiliter ponendus consensus est, & cum qua coniungi eius omissio nullo modo possit physicæ promotioni, & prædeterminationi Dei, necessariæ essentialiter, vt consensus à voluntate, & arbitrio nostro opponatur, intrinsecam omnino esse. Ceterum sine præfinitione diuina eiusmodi auxilium efficax, siue auxilij efficaciam, ac physicam præmotionem, & prædeterminationem physicam poni in rebus minime posse: quia nimirum præfinitio necessario prærequisitum, & essentiale principium actiuum totale cum efficacis auxilij, physicæve præmotionis, & prædeterminationis, tum patriale consensus ipsius est, & connexum subinde cum consensu ipso antecedenter ineluctabiliter, & irresistibiliter à nostra voluntate. Præsentis autem instituti nostri non est, in quonam eiusmodi efficacia auxilij diuini formaliter realiter consistat disputare: an in nuda, & intrinseca auxilij efficacia? an in aliquo extrinseco, siue omnino antecedenti, siue subsequente exercitium liberum nostræ voluntatis. Sed an præfinitio consensus essentialiter consensum, siue tanquam auxilij efficaciam realiter formaliter constituens, siue tanquam necessario prærequisitum principium illius, antecedens, cum eoque ita connexum de se, vt ea posita ineluctabiliter, & irresistibiliter ab arbitrio nostro consensus necessario apponendus sit, vt cum ea inconiungibilis sit consensus omissio præfatis definitionibus, & anathematismis Tridentini repugnet?

11. Quod vt dilucidius appareat: ac simul nos à disputatione de efficacia auxiliorum in præsentiarum abstinere cunctis innoteat, Suppono sexto, & vltimo definitiones, & anathematismos præfatos, non de solis auxiliis, seu gratiis efficacibus abstracte, ac sine Dei voluntate consensus, & auxilij loqui, sed, vt illam concernunt, siue imbibitam in eis, siue suppositam. Probatur primo, quia Caluinus, & Lutherus in suis præfinitionibus humanorum actuum à Deo præcipue aberrarunt, quin de mediis vix curarint: asserentes prædestinationem, & reprobationem in præfinitione siue boni, siue mali antecedenter ad vsum nostræ libertatis, & arbitrij, & cui in effectu apponendo resisti nequeat, consistere. Hoc enim ita statuto parui eorum referebat, cuiusmodi naturæ, & conditionis esset inde ortum, & paratum gratiæ auxilium. Vnde Canone 18. eiusdem sess. 6. contra eos dicitur. *Si quis iustificationis gratiam non, nisi prædestinatis, ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes qui vocantur vocari quidem. Sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum anathema sit.* Secundo: quia gratiæ auxilium quodvis ab eiusmodi præfinitione nequit re ipsa & gratiæ formalitate præscindere: cum non solum ab illa necessario in sententia eorum proueniat, sed, & ex illa gratiam esse habeat: quippe gratia, & beneficium omne è gratuita, & liberali voluntate, qua à donatore confertur, ineffe gratiæ, & beneficij realiter formaliter constituitur. Tertio: tam cap. 5. quam can. 4. Deo Tangente cor hominis eius inspirationem abiici posse, & arbitrium à Deo motum eius motioni posse dissentire, si velit, definitur: in Deo verò mouente, & tan-

gente cor hominis ab eius voluntate mouendi, & tangendi non præscinditur. Vtrumque ergo, capitis, scilicet definitio, & Canonis anathematismus in oppositum errorem editus, non solum de gratiæ auxilio, sed & de voluntate Dei, cui dissentire, & à qua discedere absolute non possimus loquuntur. Et quamvis de auxilio solum in terminis esset, cum rationem definitio contineat ad ea omnia, ad quæ ea ratio aperte, ac certo extendatur, & definitionem virtualiter, & implicite extendi certum omnino est. Nunc autem examinandum est an contra Thomistarum recentium præfinitiones ex vna parte ad absolutam humanorum actuum existentiam, & futuritionem essentialiter prærequisitas, & necessarias de se connexa inexitabiliter cum operatione præfinita, atque ex alia parte omnino independenter à nostræ libertatis vsu à Deo conceptas Tridentini definitiones procedant.

CERTAMEN II.

Argumentum contra præfinitiones Thomistarum recentium ex præfatis locis Tridentini de seruata libertate cooperationis nostræ à Deo vocante, & præmouente instruitur, eorumque tentata effugia è mente Caluinistarum, & contra Concilij mentem videri.

1. EX his Tridentini locis argumentor sic. Eo per Tridentini testimonia, & definitiones datas, libere cooperatur arbitrium Deo mouenti, excitanti, tangendique cor hominis, &c. quia tunc etiam, cum cooperatur, Dei motionem, vocationem, & inspirationem, *abiicere potest*, illi renuendo, & ita Deo mouenti, *potest dissentire, si velit*: atqui mouenti & vocanti Deo ex præfinitione præfata consensus nostri arbitrium, nec vocationem abiicere tunc potest illi renuendo, nec Deo ita vocanti dissentire, si velit: ergo ex Tridentini definita etiam ratione præfinitiones prædeterminatiuæ nostri consensus prædictæ arbitrij libertatem euertunt: quare & definitæ etiam ipsius libertati in cooperatione Deo mouenti, & vocanti contradicunt. Minor, quæ sola opus probatione habet, probatur primo: quia ex doctoribus omnibus ita præfinientibus eiusmodi præfinitiones, & necessaria essentialiter principia sunt, vel ad consensum & auxilium, seu motionem Dei efficacem apponendam, vel ad eam constituendam in actu primo efficacem. Vt vidimus cert. 1. num. 10. quare, & omnino antecedenter, & independenter à libertate exercenda in consensu positæ sunt. Insuper eis positis non potest non esse, seu omitti consensus, cum quo essentia, & entitate sua connexæ sunt: & sine quo esse in seipsis, vt esse ponuntur, nusquam possunt: ergo neque eis positis potest voluntas illa abiicere, eisve dissentire. Probatur consequentia, quia illarum abiectio, dissensusque illis est non esse, seu omissio consensus à voluntate: atqui positis præfinitionibus nequit esse non esse, seu omissio consensus à voluntate: ergo nec potest esse abiectio illarū, seu dissensus illis à voluntate. Primam illam minorem admittunt in simili de efficaci inerrabilique auxilio Dominicani recitati cert. 1. n. 8. Secundo arguo: quia nil aliud Caluinianæ, & Lutheranæ præfinitiones, Deusque ea præfinitione vocans, ac præmouens, in eorum errore eis locis à Tridentino damnato, habent, quam non posse voluntatem eiusmodi præfinitioni, Deoque ex illa vocanti, & præmouenti dissentiri, eamve, vel Deum ita mouentem abiicere: quin aliquid aliud contra libertatem asseruerint, aliave ratione, aut alia de causa à Tridentino damnentur, vt ex data definitione, & anathematismo constat: sed hoc totum in præfinitionibus Thomisticis inuenitur: ergo æque hæ, atque Caluinianæ, & Lutheranæ præfinitiones ea definitione, & anathematismo damnari videntur. Probatur tertio: quia nihil aliud, quoad præiudicium libertatis nostræ, asserunt de suis præfinitionibus hæretici prædicti, quam de suis asserant Thomistæ recentiores: nullamque potentiam ad dissentiendum Deo præfinienti, & ita vocanti admittere hi possunt, quam illi admittere nequeant, imo quam de facto non admittant: ergo æque tanguntur Tridentini definitione, & anathematismo vtrique. Prima antecedentis pars probatur. Tum, quia præfati hæretici de suis præfinitionibus solum aiunt necessario antecedenter, & independenter ab vsu nostræ libertatis poni, eisque positis non posse absolute non poni à nostra voluntate consensum præfinitum, cui essentia, & entitate sua præfinitiones suæ connexæ sunt: quod totum præfinitiones Thomisticæ habent: quod enim nonnulli aiunt Thomistæ ab hæreticis non admitti libertatis nomen, quod ab ipsis tamen Catholice admittitur: friuolum est. Ostendimus enim certam. 1. num. 6. Concilij definitionem, & anathematismum circa rem libertatis, nec solum circa eius nomen esse.

2. Insuper prima eius antecedentis pars constabit ex dicendis pro secunda parte antecedentis, quam probo ex variis doctrinis, & solutionibus, quas Thomistæ recentiores huic argumento ex humanorum actuum libertate cum ab authoritatibus Tridentini, tum à ratione, & principiis naturalibus efformato solent adhibere; nosque ostendemus eas etiam omnes non solum in Caluinistis præfinitionibus locum eundem habere: atque adeo, si aliquæ ex illis via Thomisticæ præfinitiones definitioni Tridentini non opponantur, eiusque anathematismum euadant, eadem Caluinicas, & similes Tridentini fulmina declinare: nihilque subinde firmum contra Caluinistarum, & similium præfinitiones actum à Tridentino fuisse, cum tamen nihil aliud in primis curarit: quod dictu absurdum est, & nefarium. Sed etiam eas omnes solutiones singulatim à Caluino, & similibus pro suis præfinitionibus datas, & eis non obstantibus, tanquam inutilibus, præfinitiones à Tridentino damnatas esse, tanquam libertatis nostræ ruinam, nec potestatem ad oppositum in arbitrio nostro relinquentes. Hoc vnum est præsentis loci institutum: eas siquidem singulatim à ratione (cuiuscumque demum euasiones sint) præcludere quæstionis 6. negotium erit. Iam Thomisticas solutiones iterum percurramus, conferamusque cum Concilij verbis, & Caluini, ac similium euasionibus. Prima est præfinitionibus Thomisticis, quantumvis antecedentibus, atque independenter ab vsu libertatis nostræ positis, & de sese connexis cum consensu voluntatis præfinito, voluntatem nihilominus nostram ad consensum non cogi. Sed liberum à coactione consentire: quam solam libertatem à coactione definitam volunt contra Caluinum, & alios hæreticos nostrarum actionum præfinitores: quia ita Deum eas præfinire, atque ex ea præfinitione nos vocare aiebant: vt nec cor aperiret, sed potius clauderet: quare nec iura seruaret libertatis arbitrij, sed potius illud cogeret ad actionem præfinitam. Præfinitionibus verò Thomisticis aperiri à Deo cor, non claudi: quare, nec cogi, ita ex Thomistis aliqui, & prolixius Ioann. à S. Thoma 1. par. d. 20. art. 7. pag. 677. & 693. ex congregat. 38. ex habitis Romæ pro disputationibus de auxiliis, in qua ita retulisse errorem Caluini Armacanum ait. Sed certe vt id docuisset Caluinus, non id solum de suis præfinitionibus docuit: de alio quippe citatis locis damnatur aperte: quod libertatem à necessitate, nec solum à coactione ab humano arbitrio suis præfinitionibus abstulerit, auferendo ad oppositum eius, quod operatur potestatem. Concilij enim definitio de libertate, & ratio etiam ibi definita ait, ad libertatem exerciti operis requiri ex parte principij potestatem ad oppositum: atqui potestas ad oppositum operis exerciti non requiritur ad libertatem à sola coactione, sed etiam ad libertatem ab omni vinculo necessitatis arbitrij ad operandum, etiam per aduersarios: ergo hæc libertas, nec sola libertas à coactione arbitrij nostri in operando, seu cooperando volenti, & vocanti, & præmouenti nos ex illa sua misericordi voluntate Deo definitur à Tridentino contra Caluinum: quare ex definitionibus Tridentini patet nunc, vt minimum, non solam libertatem à coactione, sed etiam libertatem ab omni vinculo necessitatis negasse. Vnde etiam constat solutionem hanc irrito ad euertendam Tridenti-

ni

ni authoritatem, & nostrum inde efformatum argumentum deelinandum induci. Contendit siquidem cum præfinitionibus Thomisticis esse aliquam necessitatem arbitrij ad operandum: ac non esse potestatem ad oppositum operi præfinito, neque libertatem absolute talem ab omni necessitate ad operandum: quod, etsi ea necessitas coactionis non sit, verum esse potest: imo & de facto ita esse argumentum factum euincit; ergo ei non satisfit sola libertate à coactione: etsi, quoad eam libertatem, Thomistæ à Caluinistis eam negantibus discordarent.

3. Sed certe, ne in eo quidem, à Caluinistis præfinitoribus discrepare videntur præfinitores Thomistæ. Caluinus siquidem necessitatem antecedentem suarum præfinitionum coactiuam arbitrij nostri non esse, ac proinde eis positis liberum à coactione præfinitum opus operari expresse etiam vbique fatetur. Primo enim vt ex 2. institut. cap. 2. sect. 7. & 8. referebamus cert. 1. n. 7. tet, quaterque, asserit voluntatem non cogi quidem à Deo eius opera præfiniente, atque ex ea præmouente, & vocante. Licet libertate hac à sola coactione, ac non ab omni vinculo necessitatis in operando ex communi hominum iudicio de essentia absolutæ libertatis, liberum nec esse, nec dici absolute posse censeat; dici tamen liberum permittat, si prius explicetur libertatis voce solam libertatem à coactione intelligi ab ita loquentibus, eisdemque capitibus, & sect. etiam 6. frequenter eandem suam doctrinam repetit. Sed illa speciatim notanda, quæ præmissa triplicis libertatis distinctione à necessitate quam inamissibilem vocat, & à peccato, & à miseria, quas ait per peccatum amissas subnectit. *Hanc distinctionem ego libenter recipio: nisi quod illic* (in membro primo libertatis inamissibilis à necessitate) *necessitas cum coactione perperam confunditur: inter quas, quantum discriminis sit, & quam necessario considerandum alibi apparebit.* Additque, *liberi arbitrij dici hominem non ex libera alterutrius electione: sed quia voluntate agit, non coactione optime id quidem.* Ac deinde Augustinum laudat dicentem cap. 14. de corrept. & grat. *Deum homines voluntatibus trahere.* Reprobatque dicentes. *Deum homines sicut lapides mouere*, c. vero 3. exemplo Augustiniano equi à sessore moti vsus, omnem à Deo præfiniente, & præmouente coactionis in voluntatem nostram suspicionem propulsat, asserens se sicuti Augustinum eo exemplo vti, *quandiu melius non occurrit*, & eo cap. 3. sect. 14. ait, *quod autem dici alibi* (Augustinus) *non tolli gratia voluntatem, sed ex mala mutari in bonam: & cum bona fuerit adiurari, significat tantum: hominem non ita trahi, vt sine motu cordis, quasi extraneo impulsu feratur; sed intus sic affici, vt ex corde obsequatur.* Iterum citato cap. 2. hoc alio Augustini loco recitato. *Agis, & ageris: & tunc bene agis, si à bono agaris spiritu Dei, qui te agit. Agentibus adiutor est: nomen adiutoris prescribit, quod, & tu aliquid agas.* Subdit. *Priore membro admonet actionum hominis non tolli spiritus sancti motu: quia à natura est voluntas, quæ requiritur, vt ad bonum assit: quod autem mox adiungit: ex nomine auxilij posse colligi nos etiam aliquid agere: non conuenit ita accipere, quasi seorsim aliquid nobis tribuat; sed ne forte putet ignauiam, sic Dei actionem cum nostra conciliat: vt velle sit à natura; bene autem velle à gratia.* Sed ad hæc est illustrius Caluini testimonium, quod præter data, & alia eius fragmenta quam plurima refert Ruardus art. 7. à pag 377. deinceps vbi hæc ex illo, *voluntatem autem necessitate in malum trahi, vel duci, quamvis libertate abdicata, offendit eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt. At si quis interroget eos: an non necessario Deus bonus sit? An non Diabolus necessario malus? quid respondeant? sic enim connexa est bonitas cum diuinitate, vt non magis necessarium sit ipsum esse Deum, quam bonum. Diabolus autem per lapsum sic ab omni communione alienatus est, vt nihil, quam male agere, possit: quod si quis sacrilegus abgeniat Deo parum laudis ex sua bonitate deberi, ad quam seruandam cogatur, cui non erit prompta responsio: quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessario iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas.*] Alia adhuc libertati nostræ non à coactione solum, sed & à necessitate fauentia ex Melanchthone referam n. 5.

5. Audi Vvicleffum hæresum harum semina iacientem.

care dicet, quod sit peccandi necessitati obnoxius? quis in suas partes Magistrum vt trahat corrumpit teste Bellarmino 3. de grat. & lib. arbitr. cap. 4. circa med. *Pronuntiat*, inquit, *tandem Lombardus: non liberi arbitrij ideo nos esse, quod ad bonum & malum, vel agendum, vel cogitandum peraque polleamus; sed dumtaxat, quod coactione soluti simus.* Eodemque teste lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap. 15. sent. 8. Ruard. eod. art. 7. pag. 376. Camerario de grat. & lib. arbitr. cap. 3. post med. & cap. 6 sic ait 2. aduersus Pighium. [Si coactioni opponitur libertas liberum esse arbitrium, & constanter asseuero: & pro hæretico, quisquis secus sentiat; quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu; sed sponte sua. Sed cum aliud vulgo concipiant, dum hoc epitheton homini attributum, vel audiunt, vel legunt: & ad facultates, vires que referant: & imaginatio hæc in mentem veniat habere sub potestate sua bonum, & malum, vt alterum eligere suapte natura queat, hæc causa est, cur mihi displiceat.]

4. Similiter Lutherus, etsi meram passionem voluntati nostræ tribuere, videatur, tamen apud Ruardum citat art. 7. pag. 356. aliquam tribuit illi actiuitatem, licet non à se, sed per impressum à Deo impulsum his verbis, *Voluntas incarnata, seu in opus externum effusa recte potest dici cooperari, & actiuitatem habere: sicut gladius in vulnere facto*: quare eius discipuli solam actiuitatem à se, id est potestatem agendi, & non agendi opus præfinitum arbitrio nostro negatam à Luthero aiunt, vt videre est in Kemnitio examine Tridentini censura in sess. 6. circa fin. teste Bellarmino 6. de grat. c. 9. Iudoco Toletano 1. par. Apologiæ pro Trident. circa med. fol. 185. & in Buccezo apud Bellarmin. lib. 3. cap. 4. med. Et sane, licet Lutherus aliquid amplius aliquando verbis sonet hoc vnum contendisse exploratum est: nempe voluntatem nostram nihil ex dominio, & potestate indifferenti in suos actus agere, non autem eam sine cognitione, & concursu actiuitatis suæ intrinsecæ, ac proinde violenter operari, & coacte; sed solum non operari liberam à necessitate omni ad operandum. Vide illum fragmentis variis teste Rossense art. 36. sub med. fol. 346. sæpe dicentem. *Non est in potestate hominis, non est in arbitrio hominis.* Et illam sui erroris ampliorem explicationem ibidem ab eodem, & à Ruardo citato art. 7. pag. 356. recitatam. [Error est, quod liberum arbitrium sit Dominus actuum suorum: quod vna solius Apostoli authoritas satis confutat, fuistis serui peccati; liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ. Ita in quocumque statu vitæ sumus serui sumus, seu concupiscentiæ, seu charitatis.] Subinferius. [Liberum arbitrium est figmentum in rebus, quia nulli est in potestate sua quidquam cogitare, vel mali, vel boni; sed omnia (vt Vviclephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absolute eueniunt.] Ex quibus constat Lutheri in suo errore mentem eam solum fuisse, vt libertatem à necessitate negaret, non autem à coactione: voceisque illas meræ passionis eo sensu ab eo dictas, quo Tridentinum damnat asserentes mere passiue nos in actionibus humanis, & vt in anima instrumenta nos habere: hoc est, quin dum assentimur possimus dissentiri si velimus Deo volenti nostrum opus, & ex ea voluntate nos præmouenti, & vocanti, atque ita collatam vocationem, & præmotionem abiicere. Eadem est Melanchthonis doctrina apud Ruardum cit. art. 7. & pag. 160. aientis. *Non probo deliramenta Manichæorum, qui prorsus nullam voluntati actionem tribuebant: ne quidem adiurante Spiritu Sancto: quasi nihil interesset inter statuam, & hominem.* Punctumque controuersiæ suæ suorumque cum Catholicis de libertate absolute tali; siue ab omni necessitate proponit, ac iuxta suum errorem dirimit locis Vvitembergæ cusis anno 1521. teste Ruardo citato ar. 7. pag. 358. Cochæo 2. de lib. arbitr. text. 3. [Est autem libertas, posse agere, & non agere: posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur: sitne libera voluntas? Responsio: quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessario iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas.] Alia adhuc libertati nostræ non à coactione solum, sed & à necessitate fauentia ex Melanchthone referam n. 5.

tem.2. Trialogi cap.13. ita apud Vvaldens. 1. doctrinal. fid. art. 1. cap. 23. loquentem: *Deus necessitat creaturas singulas actiuas ad quemlibet actum suum: etsi sunt aliqui prædestinati; hoc est post laborem ordinati ad gloriam.* Ecce prædestinatorum actiuitatem, laborem, & ex parte etiam sua conatum, & spontaneum subinde, is hæreticus recognoscit; non autem absolute liberum, sed necessarium. Dicit enim apud Vvaldensem eo lib. 1. col. 2. & 3. *absolute necessarium est, quod damnatus ponat obicem in peccato.* Et rursus. *Infans præscitus, & baptizatus necessario viuet diutius, & peccabit in Spiritum Sanctum, ratione cuius merebitur, vt perpetuo damnetur.* Et apud eundem ibidem cap. 23. *Propositum Dei oportet necessario impleri, & sic omne futurum necessario euenire.* Et cap. 22. col. penult. ex eodem Vvicleffo hæc refert. *Deus non illibertatur quicquam facere, licet absolute necessario illud fiat: sicut non illibertatur producere verbum, vel Spiritum Sanctum, licet absolute necessario illud agat.* Et c. 25. hæc etiam ex illo recitat. *Est libertas in Angelis confirmatis, qui tamen ad hoc agendum quod agunt, summa necessitate trahunt.* Cum autem in Deo, & Angelis circa præfata, non sit libertas indifferentiæ potestatis solam in illis libertatem à coactione admittit: atque ita eius hac in re errorem Asseclas tueri testatur Vvaldens. cit. cap. 23. *Vvicleffista communiter respondent: quod Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel malum futurum: quia illa sola tollit arbitrij dignitatem; non autem alia necessitas præueniens absolute futuritionem effectus.* Et cap. 24. longe à med. hæc ex ipsis refert. *Non inuite peccauit, quia voluntate sua necessario peccauit.* Michael, item Baius horum sequax propositione 38. ex damnatis à Pio V. & Greg. XIII. vt referunt Bellarmin 3. de grat. & lib. arbit. c. 5. §. *Adde quod*, & Soario 3. par. tit. 1. d. 37. sect. 2. circa fin. aiebat, *quod voluntarie sit, libere fit, quamuis necessario fiat.* Aliis hæreticorum locis recitandis parco: quia ex datis abunde constat hæreticos hosce à Tridentino damnatos cum operum nostrorum è suis præfinitionibus necessitate nostram à coactione libertatem, non minus clare, quam recentes Thomistas cum suarum præfinitionum necessitate fuisse professos: quare ea via Tridentini definitionem, & anathematismum declinari ab his minime posse.

6. Respondent secundo ex Aluares 3. de Auxil. d. 22. num. 30. & 2. responsion. cap. 2. n. 7. & lib. 4. cap. 3. n. 16. cap. 13. num. 1. 5. & 12. & ex actis congregationis illius 38. (vel potius suis) Ioann. à S. Thom. 1. p. d. 20. artic. 7. §. *Igitur cum nobis*, quoad antecedens totum præfinitionum necessario, & essentialiter connexarum cum opere præfinito, atque ante omnem vsum libertatis nostræ potitarum, iliudque opus ineuitabiliter deuoluentium, &c. sibi cum hæreticis conuenire: neutrosque in eo errasse; Ab illis vero quoad consequentiam maxime Thomistas discordare. Hæretici enim ex eiusmodi præfinitionibus omnino antecedentibus ex parte actus primi, & pro eo signo necessitatibus voluntatem ad contensum præfinitum inferri libertatis nostræ euersionem fatentur, & mordicus erronee defendunt; eam verò illationem Catholice Thomistæ negant. Verum, vel hæc differentia stat in negata à Thomistis illatione ex communi ipsis cum hæreticis antecedenti præfinitionum ad nostræ libertatis euersionem, quoad nomen solum, vel quoad rem libertatis: & quoad nomen quidem constat ex cert. 1. num. 6. & 7. & ex proxime datis hæreticorum, præcipue Vvicleffi, & suorum testimoniis n. 5. & Caluini n. 4. vers. finem, neque eius libertatis nomen negasse, neque de eo damnatos; sed de re ipsa libertatis negata: quin nec iure à Tridentino damnandos, quod nomen libertatis negarent, si rem ipsam libertatis non manere Concilium admitteret: quod verò, quoad rem auferri ex illo antecedenti arbitrij nostri libertatem præfati hæretici docuerint, hæresis accusatos damnatosque à Tridentino minimè fuisse, patet omnino: quia, cum ea fuerit Molinæ & doctorum societatis doctrina, & præcipuum ipsius pro scientia media, & auxiliis non ab intrinseco, sed ab extrinseco efficacibus fundamentum: eaque omnia ad Sedem Apostolicam delata, ac tot publicis disputationibus examinata, ac demum ea omnia, vt sanæ doctrinæ, & prorsus à Catholica fede eadem sit declarata: eam consequentiam ex illo antecedenti deductam, neque à Tridentino eis locis contra præfatos hæreticos damnatam, neque erroneam esse certissimum est. Contra secundo: quia ex ipsis Patribus, qui Tridentino adfuere, etiam Dominicanis primoribus, eam consequentiam legitimam, & irrefragabilem Patres iudicarunt: ac proinde nō illam damnatam esse à Tridentino, sed vniuersim antecedens, vt cert. 3. videbimus. Tertio contra: quia, vt qu. 5. constabit post Tridentinum maior longe, potiorque Theologorum pars eam consequentiam ex illo antecedenti necessariam, ac prorsus ineuitabilem censet. Contra quarto: quia vt quæst. 7. patebit ea consequentia ex principiis naturalibus, primis, & per se notis in Philosophia, & Theologia naturali euidenter procedit, vt idcirco nesciam, an omnino verum sit, quod in re præsenti Lutherani, & Caluinistæ proueribij loco (ita è controuersiis Catholicis accepi) iactare solent, *se quidem melliores Dominicanis præfinitoribus, & prædeterminatoribus Philosophos esse; etsi hi forte sint Theologi ipsis præstantiores.* Et sane, vt prudenter, & docte Soarius noster 1. de auxil. cap. 11. n. 1. Id Thomistarum in principio isto Caluinico, & Lutherano (ex quo ægerrime, vt minimum, arbitrij, & actionum nostrarum libertas defenditur) fœdus, quo, vel Ecclesiæ, vel Catholicorum hominum fructu initum, retentumque tandiu sit, prorsus ignoratur: quinto denique: cum fatentur se in antecedenti, & principio illo toto præfinitionum ex parte actus primi requisitarum, & necessitantium ad opus cum in toto illo sit, & necessitas operis ex parte actus primi, & pro eodem signo omissionis impossibilitas, seu arbitrij impotentia ad omittendum præfinitum, quam hæretici admittunt, & ex qua Tridentinum infert libertatem nostri arbitrij, & consensus euerti, cum definit, eo nos libere consentire Deo ex misericordi voluntate nos excitanti, mouenti, & corda nostra tangenti, *quia ei dissentire, si velimus*, eumque ita mouentem, &c. *abiicere*, absolute possumus: nescio quo pacto, fonteve consequentia, quam potius definit, ibidem damnata dici ab aduersariis potuit.

7. At inquiunt ab ipsis totum antecedens hæreticorum admitti, quoad necessitatem ex parte actus primi ad consensum præfinitionibus eius inductam; non autem quoad impotentiam ad oppositum, seu consensus præfiniti omissionem. Mitto solutionis in terminis ipsis repugnantiam. Eo enim ipso, quod aliquid quovis signo, & modo necessarium est, pro eodem modo & signo eius contradictorium est impossibile; si statæ modalium propositionum regulæ conseruandæ, & obseruandæ sint, de quo fusè qu. 7. Secundo: error Vvicleffi propositionibus recitatis num. 5. contentus solam necessitatem operis nostri à Deo præfiniti continet, quin de impotentia pro eo signo arbitrij nostri ad eius omissionem verbum sit vllum; & tamen eius error damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. Tertio; is etiam error vt reliquorum Lutheri, & Caluini hac in re fons, & scaturigo damnatus eis locis à Tridentino fuit. Quarto Melanchton ipse in epitome moralis Philosophiæ teste Ruardo cit. articul. 7. pag. 362. hanc etiam solutionem tentauit his verbis. *Necesse est hominibus delectum, & libertatem esse, qua sibi officia legis imperent: cum constet eos aliequi posse contraria actiones facere.* Et tamen, etsi hic potentiam ad oppositum ex presse concesserit: quia necessitatem præfinitionum suarum pro signo antecedenti ad opus non deseruit, ac retractauit, sed simul semper defendit Tridentino fulminatus, ab omnibus merito censetur: quia, dum ea necessitas non abiicitur, potentia pro eo signo priori naturæ, pro quo necessitas operis est, & subinde libertas, verbo quidem tenus, non autem re ipsa concedi potest: vti ex modorum, quibus vtrumque componere Thomistæ volunt impugnationibus cum hic, tum qu. 6. citata clarebit. Contra quinto arguo, & quartam impugnationem confirmo: quia idem Melanchthon Ioannis cochlæi impugnationibus lib. de libero arbit. contra ipsum perculsus, vt suarum præfinitionum necessitatem pro priori ad opus cum huius libertate, & potentia arbitrij nostri ad oppositum, quam cochlæi argumenta eluincebant, facilius componeret; illam suarum præfinitionum necessitatem fatalem non esse fassus est; sed quæ operis præfiniti contingentiam, & potentiam subinde ad oppositum arbitrio nostro relinqueret. Eius verba ex opere locorum communium impresso anno 1545. refert Ruardus etiam art. 7. pag. 359. in hunc

hunc modum. *Non esse defendendam fatalem necessitatem, sed aliquam contingentiam concedendam. Non necesse fuit Alexandrum occidere clitum.* Et tamen hac in materia hæreticus habetur à Tridentino damnatus: quia non omnem necessitatem pro priori naturæ abiecit, etsi fatalem verbis negauit: quod etiam de suarum præfinionum necessitate Thomistæ contra quos agimus respondere solent.

8. Sexta impugnatio plurimas continet, quas singulatim contra modos singulos, quibus cum præfata præfinitionum necessitate potentiam arbitri ad oppositum operis præfiniti, atque ex ea præfinitione apponendi tuentur, vt Tridentini impetum mitius excipiant. Primus ipsisque solemnis, & (vt rentur) tutissimus, cunctisque notissimus, est ex distinctione illa sensus compositi, & diuisi, quæ si verò, quem habet sensu applicari doctrinæ suæ posset, eoque, quo ab ipsis accipitur in præfinitionibus etiam hæreticorum locum non haberet, Tridentinæ definitioni obviarent neque eius anathematismo subiacerent. Sed eam tamen Reuer. Salm. Acad. Theologiæ Antecessor Dominicanus Mag. Ioannes Vincentius manuscripto in 1. part. quæst. 19 art. 8. dub. 2. concl. 3. teste Ledesma de auxil. art. 14. §. *Hæc difficultas celeberrima*, his sugillauit, *distinctio sensus compositi, & diuisi in hac parte leuissima est: tota enim consistit in verbis.* Dupliciter autem ea distinctio, atque ex ea solutio explicata à Thomistis fuit. Primo, vt necessitas operis præfiniti, & impotentia arbitrij ad eius oppositum illius necessitatis comes, sit in sensu composito præfinitionis; sit potentia ad oppositum, & proinde necessitatis consensus negatio, sit in sensu diuiso præfinitionis, seu voluntatis à præfinitione, ita Bannez 1. par. qu. 22. art. 3. dub. vult. prope, §. *Ad motiua*, & art. 5. dub. 1. ad 7. Lucili, Cabezudo 3. par. t. 1. qu. 52. art. 5. qu. sua 2. Concl. 6. §. *ad 12. argum.* Ledesma de auxil. art. 10. §. *Tertia solutio*, Aluarez 9. de auxil. d 94 n. 2. & 2. responsion. cap. 1. n. 30. Franciscus Dauila de auxil. c. vlt. pag 390. *Vbi sensus diuisus est, quia si motio vocationis auferatur poterit dissentire voluntas; compositus quod stante vocatione simul stare possit resistentia voluntatis.* Eumque esse alterum suorum Thomistarum sensum testatur Nauarrete t. 2. controuer. 21. §. 18. sub titulo, *libertas voluntatis*, quo etiam sensu eos refert Lorca 1. 2. t. 1. quæst. 2. §. 2. eamque sensu eodem solutionem suorum esse commilitonum testatur Thomista Cabrera 3. p. t. 2. qu. 18. art. 4. d. 8. n. 313. eoque Stomacho reiectat, *vt merito appellari ab aduersariis errorem in fide*, docuerit: quæ retuli, quoniam Thomistæ nonnulli querule dolent hunc suæ distinctionis sensum illis impositum à nostris esse, cum ipsi secundo solum, mox subiiciendo, sensu illa fuerint vsi. Sed præter citatos legant Nauarretum suum cit. controuer. 21. §. 3. qui eam visus est supra, vt alienam referre, scribentem de suo. *Supposita præmotione Dei necesse est quod voluntas operetur actum ad quem præmouetur; & non potest contingere, quod voluntas non operetur.* Legant, & eius vbi proxime cenforem Cabreram, qui t. 3. qu. 61. art. 1. d. 8. §. 7. n. 121. & 130. ait, *posito auxilio præuio in sensu composito necessario operatur voluntas, & non potest non operari.* Legant item Franciscus Dauila citatum cap. 19. *ex ipsamet motionis diuinæ natura fit, vt voluntas non possit non velle.* Et sane etiam post secundum, in quo quiescere volunt, excogitatum sensum vulgaris illis ea propositio est, *posita præmotione* (& quod idem est ad præsens præfinitio) *non posse voluntatem dissentire, aut non posse non esse consensum in sensu composito, siue coniunctim cum illa.* Aiunt non posse absolute voluntatem aliquid, siue illud non posse absolute poni à voluntate in sensu illo composito, illum omnino est, atque voluntatem non habere potentiam absolute in sensu composito ad illud apponendum, siue, vt illud ab ipsa apponatur, vt persequar. qu. 7. quare in re, hactenus prima illa eius distinctionis explicatio, quam à Deo detrectant, suisque falso impositam dolent, atque hæreticorum propriam, non suorum clamat Mag. Herrera Dominicanus, & Primarius Salmant. manuscripto de auxil. dub. 5. post. 6. concl. 7. retenta à Thomistis videtur. Hæc satis pro citationum fidelitate: eius verò explicationis sensus est, quem rectè explicuit Basil. Legion. manuscripto de auxiliis anno 1613. d. 4. dub. 2. falsoque vi argumenti Thomistas refert: scilicet dissentiendi potentiam hanc esse in voluntate, si gratia efficax, seu præfinitio absit, abesseve.

9. Hac verò distinctione, & sensu eius primo Concilij definitioni, & anathematismo, indeque efformato argumento minime satisfieri probatur primo: quia Concilij verba expresè potentiam abiiciendi, & dissentiendi esse in voluntate nostra Deo volenti, & misericorditer vocanti, excitanti, & tangenti cor hominis inspiratione sancta, cui de facto respondet admittendam definit, vt saluetur libertas, & negantes illam damnat: atqui cum abest Dei voluntas misericors ex eaque vocatio, excitatio, motio, tactusque cordis à Deo, non est Deus misericordi voluntate mouens, vocans, excitans, tangensque cor, &c. ergo, etsi tunc adsit potentia voluntatis nostræ abiiciendi Deo misericorditer vocanti, &c. non est potestas abiiciendi, & dissentiendi definita à Concilio: ergo, vt detur potentia dissentiendi, & abiiciendi definita a Concilio in voluntate necessaria ad eius in operando libertatem tuendam, Dei misericors voluntas, atque ex illa vocatio, & motio, &c. adesse debent: proinde potentia definita à Concilio in sensu composito eorum omnium concedenda est, quam quia aduersariorum præfinitiones non patiuntur, aduersarij negant. Secundo: Nemo hæreticus ex damnatis in Tridentino, siue Vvicleffitis, siue Lutheranis, siue Caluinistis asseruit in sensu diuiso à suis præfinitionibus esse arbitrij necessitatem ad consensum præfinitum; ac subinde in potentiam ad oppositum, seu (quod eodem recidit) negauit potentiam arbitrio ad omissionem consensus præfiniti, siue ad oppositum dissensum: quin expresè illam asserebant, vt videre est in opere Caluini contra Albertum Pighium lib. 4. vbi ait deficiente Dei præfinitione, & gratia omissionem consensus non solum esse à voluntate possibilem, sed pro tunc necessario futuram: quia quando sub illis voluntas non est, *in modum lapidis obdurescit*, & recitando loco contra secundam huius distinctionis explicationem Thomisticam hoc etiam docet: cum ergo negata ab his hæreticis potentia abiiciendi, dissentiendi Deo volenti consensum, & ad illum vocanti, & mouenti, non sit potentia in sensu diuiso, sed in sensu composito voluntatis, & vocationis diuinæ, hanc assertam contra ipsos Concilij definitione, & Anathematismo certissimum est. Contra tertio: quia potentia hæc in sensu diuiso solum est potentia, quæ esset, si abesset præfinitio, vt recte Basilius Legionensis: atqui potentia sub conditione non purificata, absoluta potentia non est: ergo ex potentia in sensu diuiso non saluatur potentia absoluta, qua nos, dum Dei voluntati, & motioni cooperamur, posse absolute dissentire, & abiicere Tridentini definitione dicimur. Contra quarto: quia in Concilio definitur contra Caluinum, Lutherum Vvicleffum, & Asseclas voluntatem Dei, & inde ortam gratiam efficacem non euertere libertatem cooperantis Deo, eiusque voluntati, & inde ortæ efficaci gratiæ, quia hæc relinquunt potentiam ad oppositum in cooperante; atqui potentia ad oppositum in sensu solum diuiso à præfinitione, & gratia efficaci non est satis ad saluandam libertatem in cooperando sub illis: ergo, non hæc, sed potentia voluntatis cooperantis præfinitioni, & gratiæ efficaci Dei, dum adsunt, siue in sensu composito illarum definita est à Tridentino. Minor probatur exemplis quam plurimis, & obuiis. Nam vinctus, & catenatus, etsi habeat potentiam ambulandi in sensu diuiso à catenis, & vinculis, non tamen ambulandi absolutam, & quæ absolute talis, & sufficiens sit, libertatem ambulandi. Item in aduersariorum sententia voluntas sub visione beata non habet potentiam absolutam liberam ad amandum Deum, & sufficientem ad libertatem, sed necessitatem absolutam ad illum amandum libertati ad illud repugnantem: & tamen habet potentiam non amandi illum in sensu diuiso à visione beata: ergo, &c. ex quibus constat hac solutione, si præstaret, posse damnatos hæreticos Tridentini damnationes ridere, seque illis minime tangi merito iactare.

10. Ob hæc à Deo perspicua secundam suæ huius distinctionis explicationem, & sensum aduersarij tandem excogitarunt: admittentes potentiam in sensu composito præfinitionis, & vocationis efficacis, quibus cooperatur, & assentitur nostra voluntas ad oppositam omissionem assensus, seu dissensum; etsi non sit potentia ad coniungendam omissionem consensus, seu dissensum cum præfini-

tione ; & motione Dei, cui voluntas assentitur ; sic enim cum præfinitione stat quidem potentiæ ad vtrumque simultas, licet non sit potentia simultatis extremi oppositi præfinito cum præfinitione, & motione Dei præfatis : sicut stat recte cum amore, absoluta, & actualis ad odium etiam potentia requisita ad amoris libertatem: etsi non sit potentia simultatis, ad odium scilicet cum amore coniungendum : & quemadmodum, licet in subiecto albo non sit potentia simultatis in sensu composito, seu ad coniungendam nigredinem cum albedine ; est tamen in sensu composito potentia etiam ad recipiendam nigredinem : quare & simultas potentiæ ad vtramque. Ita Aluarez 9. de auxiliis d.92.num 6. & 2. responsion. c.1. num.29. & 30. Ledesma de auxil. art.10. §.*Tertia solutio*. Num.Cabezudo 3. part.tit.1.quæst.62. sua verò qu.2. concluf.6. §. *Ad quintum argum.* Cabrera 3. par.t.2.q.18. art.4 d.2.§ 10.n.364. Zumel.1. variar. d.5. in appendice, §. *Ad tertium*.Ioseph à Sancta Maria tract.de lib.arbit. in communi quæst 4. art.6. §.*Deco* 7. & §.*Supponendum* 7. Nazarius 1. par.qu.19. art.5. controuerf. vn. §.1. *Vt simul qu*, 22.art.4. controuer. 2. ad argumenta conclusionis 7. §.*Secundo respondeo*. Greg.Martinez 1.2.t.1. qu.10. art.4. dub.1. conclus.2.§. *Ad 1. argum.* Magist. Petr. de Herrera Primar. Salmantinus citata Lectura de auxil. anno 1610. dub.5. post 6. conclusion. §.*Secundo hoc declaratur*. Et iam omnes Thomistæ hoc secundo distinctionis sensu in tuto se à Tridentino fulmine positos censent. Sed eos tamen censeo secundo hoc distinctionis sensu, & explicatione, tutiori haud quaquam loco positos esse, quam primo. Etsi subterranea (quorum obscuritati magis secunda hoc explicatio similior) sint à fulminibus tutiora. Enimre ipsa eadem cum illa explicatione prima est, vt ostendam cum eam q.7. à ratione euoluam,& impugnem:secundo.Hanc ipsam doctrinæ,& distinctionis explicationem reiectam à Tridentinis Patribus testatur Doct.Ioan.à Bononia Louaniensis professor. Et Archidiacon. Panormitanus opere de prædestin. & reprobat. cuso Louanij anno 1565. duobus post absolutum Tridentinum anno 1563. nimirum titulo de lib. hominis arbitr. sub init. §.*Cæterum, quia non desunt*, pag.103. his verbis de Thomistis ita explicantibus præfata Tridentini testimonia locutus [Huius œcumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur : dum dicunt habere hominem libertatem arbitrij, vt excitationi, monitionique resistere possit ; sed his diuinis inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi : quoniam ex dicto Reuerendiss.Dom.Hieronymi è Bononia, Sedis Apostolicæ Nuncij dignisf. necnon Archiep. Compsani, Professoris Theologiæ peritiss. atque sacri Palatij Magistri eximij apud Carolum Imperatorem V. cognomento Maximum residentis eandem opinionem in S. Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem,optimo iure,percepi reiectam.

11. Contra tertio : quia Concilium definit voluntatem voluntati Dei, & inde ortæ vocationi efficaci posse dissentire, eamque abiicere renuendo : ast dissentire, &c. est coniungere dissensum cum illis:ergo definit posse voluntatem coniungere dissensum cum præfinitione consensus. Discursus est irrefragabilis : procedit enim à potentia ad definitum, à potentia ad definitionem, quæ idem realiter est cum definito. Rursus confirmatur,quia dissentire dicit essentialiter de connotato existentium cius, à quo dissentimur, vt patet : quia dissensus est recessus vel à iudicio, vel à Concilio, monitioneve alterius, qui non existentibus non est. Sicuti, & dissentiri reuelationi, & definitioni, seu definitis ab Ecclesia veritatibus minime possumus, nisi existenti reuelationi, definitioni, & veritatibus vere, & realiter definitis. Idcirco, nec dum negantes conceptionem immaculatam hæretici sunt : quia, etsi veritas proxime definibilis sit, nondum tamen est eius definitio : ac proinde nondum est, esseve adhuc potest dissensus explorato reuelatis, & definitioni certo proponenti veritatis reuelationem, cui opus est dissentiantur negantes, vt hæresim incurrant : ergo dissentire, ac renuere reuelationi, monitioni, & præfinitioni Dei necessario, & essentialiter importat coniunctionem dissensus cum reuelatione, motione, ac præfinitione Dei:nequit autem,per aduersarios ita distinguentes & explicantes, voluntas coniungere dissensum cum eorum præfinitione,motione, seu vocatione de se efficaci ad consensum : ergo nequit dissentire illis, salve abiicere, vt à Concilio definitur. Quarto : quia simultas hæc potentiæ ad dissensum in sensu composito negata potentia simultatis admittebatur à Caluino, & similibus, qui eo anathematismo Tridentini damnantur, & contra quos definitur potentia dissentiendi : ergo definitur potentia ista simultatis voluntatis, & motionis diuinæ cui cooperatur, & assentitur voluntas cum dissensu. Antecedens constat primo ex Ametlio Caluinista titul.4. *Bellarmini eneruati* lib.4. cap.3. num.1. eandem doctrinam de potentia ad oppositum, seu simultate potentiæ ad vtrumque in sensu composito præfinitionis,& prædeterminationis ex Aluarez refert, atque, vt Caluinianæ suæ sectæ, laudat, & probat 2, quia potentia, quam Thomistæ admittunt ad dissensum stante præfinitione, & motione Dei ab intrinseco efficaci, & in sensu composito illarum est solum facultas entitatiua voluntatis intructa (si placet) cogitatione, seu cogitationibus ad vtrumque, quæ stant cum præfinitione, & præmotione efficaci : ac proinde inquiunt stat potentia, & possibilitas absoluta voluntatis ita instructæ, & secundum hæc consideratæ ad dissensum cum potentia ad consensum præfinitum, seu potentiæ ad vtrumvis, etsi non sit potentia simultatis dissensus cum præfinitione, & præmotione de se efficacibus. Hoc autem ipsum fatentur Caluinus 2. institut. cap.16.& probat exemplo fragilitatis, & infragibilitatis ossium Christi, seu potentiæ, & impotentiæ passiuæ eorum, vt frangerentur : vt primam de sese haberent, cum tamen eorum fractio cum decreto Dei ne frangerentur, coniungi non posse : verba dabimus statim. Nec satis est : quod potentia dissensus, & resistendi, seu posse dissentire vocationi ampliet terminum ad vocationem possibilem, nec solum ad existentem. Primo : quia Concilia,& Pontifices aiunt resistentiam,& dissensum esse Deo vocanti, siue actuali eius vocationi, & motioni,quæ de facto adest.Secundo,quia actualis resistentia non nisi actuali motioni esse potest : ergo possibilis dicet possibilitatem resistendi vocationi possibili, seu possibilitatem coniungendi dissensum, vel omissionem consensus cum vocatione. Hæc autem in aduersariorum doctrina repugnat: ergo, & potentia resistendi, & dissentiendi Deo vocanti ab eis definita ; alias esset potentia realis, & vera ad actum chimæricum, & impossibilem.

12. Dicunt iterum præfinitiones suas esse præfinitiones actionum nostrarum, vt liberarum : ac subinde non excludere potentiam voluntatis ad oppositum eius, quod ex eis præfinitionibus operatur, cum hæc de essentia sit potentiæ liberæ : imo verò illam obfirmare : cum posita præfinitione de modo etiam libertatis in operando, inde etiam implicet voluntatem non eo modo operari, sicque fieri, vt Deus omnia etiam humana fortiter & insuperabiliter, atque irresistibiliter, ac simul suauiter iuxta scripturam disponat, ac prædestinatio nostram non destruat, sed confirmet potius, & perficiat voluntatem, ac libertatem, vt aiebat Augustinus. Caluinicas vero, & similes præfinitiones prædeterminationes de nostrarum actionum substantia, non curato modo conanturali operandi libere voluntatis nostræ esse ; ac proinde potentiæ absolutæ ad oppositum aduersari, & impotentiam in sensu composito sui inducere. Hoc etiam volunt (si quid volunt, nec inanes voces sunt) verba illa ex aduersariis relata numer. 2. præfinitionibus suis necessitari voluntatem à Deo aperiendo cor, non claudendo illud, sicut Caluinicas, & Lutheranas : quia & obiecto indifferenter proposito, & cum modo libertatis voluntatis consensus in Thomistarum sententia præfinitur. In hac etiam solutione est terminorum eius contradictio à ratione ostendenda quæstione 6.Quod autem præfentis instituti est, ostendamus eam etiam solutionem Caluinistarum, & Lutheranorum fuisse, contra quos nihilominus explosum vibratumque Tridentinum fulmen.Audi Caluinum 2. institut. capite secundo, section. 15. eidem verborum fusis ; duram sui erroris frontem linientem, & vocum suauitate lenientem. *Interim*, inquit, *non negamus verissimum esse, quod Augustinus docet: non destrui gratia voluntatem ; sed magis reparari ; Statimque.* [Nihil iam obstat quominus recte agere dicamur,

dicamur, quod agit spiritus Dei in nobis, etiamsi à seipsa nihil conferat nostra voluntas, quod à gratia Dei separetur. Ideoque memoriæ tenendum, quod alibi ex Augustino citauimus: frustra quosdam satagere; vt in hominis voluntate quidquam boni proprium reperiant: quidquid enim mixturæ ex liberi arbitrij virtute afferre student homines ad Dei gratiam, nihil aliud quam eius corruptio est.] Inferius. [Etsi autem quidquid in voluntate boni est ex mero spiritus instinctu prouenit; quia tamen nobis naturaliter ingenitum est velle non abs re coagere dicimur, quorum laudem,] &c. Audi etiam Melanchthonem apud Ruard. cit. art. 7. pag. 171. *Etiamsi præuidet, Deus, & determinat contingentia, tamen ita determinat, ne modum agendi voluntatis, seu ordinationem illam tollat.* Audi & Tuscum Caluinistam lib. 2. contra scientiam med. (apud Annatum in eius scientiæ defensione d. 1.) ita c. 1. p. 432. respondentem argumento de euersione libertatis. [Verum hic Soario rentimur cum vniuersa fere Dominicanorum familia negantium prædeterminationem physicam libertati creaturæ damnosam esse.] Ac statim [Respondemus physicam prædeterminationem ad agendum necessario libertati humanæ inimicam esse, non sic physicam prædeterminationem ad agendum congruenter humanæ naturæ: hoc est deliberato, & libere.] Amessius Caluinista t. 4. *Bellarmini eneruati.* lib. 3. cap. 3. n. 7. hæc recitat ex Aluarez d. 83. concl. 3. *Deus per auxilium efficax gratia physica, siue ad modum causæ physicæ prædeterminat arbitrium creatum, vt libere, & infallibiliter consentiat, & cooperetur Deo excitanti, & vocanti.* Subditque illico. *Hæc sententia sic explicata est nostra:* quod repetit lib. 4. c. 3. n. 1. & lib. 2. c. 2. n. 5. ait: *quod attinet nihil aliud volunt nostri,* (pari Caluinistæ, seu contra Remonstrantes) *quam, quod scholastici docent Thomistæ. Deus motione præuia, applicat voluntatem creatam, vt libere, & infallibiliter operetur: sicut applicat causas secundas, vt naturaliter operentur.* Aluar. d. 23. n. 3. quibus verborum suauibus condimentis hæresim præfinitionum suarum necessitatem, arbitrij in potentiam ad oppositum subdole ita contexit, Melancton vt, doctissimo etiam Ruardo, fecerit fucum: quemadmodum olim Pelagius vocum etiam quarundam suauitate Palestinæ Synodi Patribus.

13. Quoniam verò (vt sæpe hic ostendimus) impotentia ad oppositum in sensu composito præfinitionis de consensu nostro necessitatem ab eis inductum eodem modo, & signo necessario comitatur, hanc verbis etiam, & distinctionibus eisdem temperare aduersarij conantur, vt potentiam absolutam ad oppositum à Tridentino statutam positis, stantibusque præfinitionibus, & præmotionibus suis videantur tueri. Primo aiunt necessitatem suis præfinitionibus inductam non esse necessitatem operandi in voluntate ex natura sua, & secundum se, & essentialia cum ipsius, tum dissensus, qui posita præfinitione non repugnat in se: ac proinde potentia seu posse absolute, quæ ampliant terminos ad omne id, quod absolute, & in se non repugnant, locum in voluntate, cuius consensus præfinitus est, etiam cum præfinitione, & in sensu composito illius omnino habet in id tamen fuit Aluarez d. 92. de auxil. n. 10. §. *Ad 2.* versu. *Secundo respondetur.* Ex quo Ioann. à S. Thom. & fere reliqui. Sed audiant Caluinum 2. institut. cap. 16. eodem enim prorsus modo, & suarum præfinitionum necessitatem, & nostræ voluntatis cum illis potentiam absolutam ad oppositum præfinito consensui fatetur verbis hisce. [Interea, quod statuit Deus, sic necesse est euenire; vt tamen neque præcisè, neque suapte natura necessum sit: exemplum in Christi ossibus familiare occurrit: cum induerit corpus nostro simile fragilia fuisse eius ossa, nemo sanus negabit, suapte nimirum natura; quæ tamen frangi fuit impossibile ex decreto Dei. Vnde iterum videmus non temere in scholis inuentas fuisse distinctiones de necessitate secundum quid, & absoluta: item consequentis, & consequentiæ.] Nec sat erit addi à Thomistis indifferens iudicium rationis bonum, & malum in obiecto voluntati proponens, vt à præfinitionibus Caluinianis recedant, & cum suis libertatem definitam arbitrij nostri componant. Illud liquidem omnes homines præfinitores etiam, siue fatales, siue Caluiniani cum suis præfinitionibus iudicium indifferens stare experimento euidenti norunt, nec infitiabuntur: demum Concilium potentiam ad vtrumvis voluntatis non nudæ sumptæ, sed vocatæ, & prædestinatæ definit.

14. Eis item verbis suas etiam esse duas illas Thomistarum distinctiones, quibus inductam præfinitionibus suis in arbitrium nostrum necessitatem actus præfiniti apponendi, & impotentiam eius ad oppositum à Tridentini definitione, & anathemate liberare, & à necessitate, & inde sub orta impotentia ad oppositum Caluinica, & Lutherana separare contendunt: scilicet necessitatis consequentiæ & non consequentis, & alterius absolutæ necessitatis, & necessitatis secundum quid; ita enim scribit ex Lemos Ioann. à S. Thoma d. 20. artic. 7. pag. 677. errasse Caluinum, *quod scilicet non distinxit inter necessitatem consequentis tollentis libertatem, & necessitatem consequentiæ saluantis libertatem.* Re autem ipsa idem valet distinctio necessitatis consequentis, & consequentiæ, atque necessitatis secundum quid, seu ex suppositione, & absolutæ in vtrorumque sensu. Absoluta quippe tantundem significat, atque natura sua, seu consequentis causalitate ex illa; ex suppositione verò, siue secundum quid, & consequentiæ idem atque ex aliquo extra naturam, & essentiam arbitrij supposito: ex quo liceat illatio consensus ex natura arbitrij sola, ac secundum se sumpti: quare illis duabus ex natura sua, & ex suppositione decreti Caluinus vtitur, ac insuper consequentis, & consequentiæ vsus, etiam altera absoluta, & secundum quid vsus est. Sed ne aliquod verbum distinctionum, quibus Thomistæ ad suarum præfinitionum duritiem, verbo tenus, emolliendam vtuntur, hæreticis à Tridentino nihilominus damnatis deesset ita scripsit Melanchton in locis communibus cussis anno 1536. & 38. apud Ruard. cit. artic. 7. pag. 171. verbis siquidem ex ipso recitatis n. 12. [Caterum illa distinctio necessaria est. Necessitatum, alia est consequentis seu absoluta: qualis est hæc; necesse est Deum esse: Deum esse bonum, iustum, &c. Alia est consequentiæ, vt oporteat subuerti Hierosolymam. Hæc non sunt natura sua necessaria; sed fiunt immutabilia postquam decreta sunt, vt quod mortui reuiuiscent: vel quia sequuntur propter præcedentes causas: vt oporteat hæreses esse,] &c. *Hæc,* subdit, *sunt natura contingentia* (quæ scilicet non ex natura, sed ex decreto, aliaue extrinseca voluntati suppositione venit) *de consequentis verò necessitate ait: libertatem voluntatis tollit:* quia nimirum consequentis, non autem consequentiæ necessitas libertatis inimica est. Si ergo vera essent, quæ ex eodem Lemos scribit Ioann. à S. Thom. cit. pag. 693. Caluini in hac materia doctrina Catholica, neque, Anathemati Tridentini obnoxia haberi omnino deberet. Ita enim ea pag. scribit, *si Caluinus admitteret necessitatem consequentiæ ortam ex Dei efficaci voluntate, optime consistere cum humana libertate, non erraret, sed Catholicam doctrinam doceret.* Constat siquidem ex Caluini, & Melanchthonis etiam testimoniis purificatam esse ab vtroque conditionem, eodemque modo, atque Thomistas admittere eos necessitatem consequentiæ solius, non consequentis ex suis præfinitionibus, æquamque cum illis in voluntate nostra potentiam ad oppositum, & subinde definitam à Tridentino libertatem, quam Thomistæ volunt. Mitto aliam solutionem de necessitate solius infallibilitatis commodius confutandam certamine quarto, dum Pontificum definitiones expendamus.

15. Sed præter solutiones pro argumenti ab authoritate Tridentini eis distinctionibus (quas omnes in præfinitione hæreticorum æquè cadere posse, de factoque cecidisse ostendimus) à Thomistis rentatas suæ à Caluiniana doctrina differentiam aliunde designare contendunt. Primo enim ex suo Lemos ait Ioann. à Sanct. Thom. proxime pag. 694. ipsos admittere decretum, & auxilium, *non solum excitans, sicut Pelagius, nec solum mouens, sicut Caluinus; sed simul excitans, & mouens.* Mitto Pelagium nullatenus admisisse decretum, & auxilium gratiæ Dei excitans, & præueniens motum voluntatis nostræ in bonum, quem ex viribus propriis supponi ad eiusmodi decretum, & Dei auxilium obstinato defendit, Ypis est, vt aiunt, & Tonsoribus notum. Mitto insuper inter mouere, & excitare nullam esse ex parte significati differentiam: ac subinde Caluinum, qui hoc teste decretum, & auxilium *mouens* admisit, totum admisit quod

Thomistæ vocibus, *mouens, & excitans*, admittunt. Sed ne vocibus quidem Thomistis defuit Caluinus. Nam 2. institut.c.3.sect.9.ait. *Hunc itaque in modum, & inchoat, & perficit dominus bonum opus in nobis: vt illius sit, quod in eius studium inclinatur; quod ad eius sectandi conatum incitatur, & mouetur voluntas*; An non *incitari*, excitari, etsi vehementius, significat? Inferius autem ne syllaba vna voluit à Thomistis discrepare. *Bifariam Deus in electis suis operatur: intus per spiritum, extra per verbum spiritu mentes illuminando corda in Iustitiæ amorem, cultumque formando nouam eos creaturam facit: verbo ad eandem renouationem expetendam, quærendam, assequendam excitat. Vtroque manus suæ efficaciam pro dispensationis suæ modo exerit.* Et Tuissius Caluinista veteranus, qui obinde Sanctum Dei Caluinum appellat, apud nostrum Franciscum Annatum in defensione scientiæ mediæ d.1. ita scribit lib.2. contra illum cap.6. pag.363. *Rursus diximus auxilium efficax* (& quod idem est præfinitio) *cuius negatione definitur peccati permissio, esse prædeterminationem physicam, non moralem, licet cum morali excitatione coniunctam.* Secundo ex eodem Lemos ait Ioann. à S. Thom. pag.693. Caluinum præfinitionibus, & auxiliis suis efficacibus negasse auxilium sufficiens. Sed & hoc ex Thomisticis præfinitionibus, & auxiliis inferri inferius ostendemus. Denique eadem pag.693. aliam differentiam assignat, & commentitia illa historia & apochrypha Romanarum congregationum comprobat. Ait enim Congregatio 38. Eminentiss. Cardinali Perronio obiicienti dominicanis Caluinismum Magistrum Lemos simplicis erroris Caluini propositione hac ad silentium vsque fecisse satis.

16. Verba autem sunt. *Illustrissime Domine ego dicam omnia, quæ Caluinus dixit in hac materia de Adam enim ante peccatum dixit habuisse libertatem; nec Deum decreuisse quid acturus esset.* Verum propositio hæc simplicissima est, non tamen vera. Simplicissima quia pro eodem vsurpat habuisse tunc Adamum libertatem, atque eius actiones non esse à Deo decretas: quod solum contendimus, faterique proinde, nonnisi ex animi ingenuitate Thomista potest. Inde enim euidens est actionem esse à Deo decretam, ac liberam non esse, idem prorsus esse. Tum etiam: quia, candidioris adhuc, animi est credere adeo falsa relatione hominis, qui ea monstraret se Caluinum non ex scriptis, sed ex nomine, ac ex inscriptione, vt summum nosset, Cardinalem in eis erroribus, & libris versatissimum ad silentium vsque decipi potuisse, qui frequentibus disputationibus Caluinistas vexauerat. Sed eius propositionis falsitas constat ex Caluino 3. Institut. c.21, & 22. vbi negat vllam reprobationis causam ex parte hominum repertam esse, reperirive posse; sed solum esse beneplacitum Dei: cum autem ob originale reprobentur plures, quod ex Adami peccato trahitur, & contrahitur, si hoc ex Dei decreto non fuit, sed ex Adami libertate, quæ nostra etiam moraliter fuit, iam ex parte hominum reprobationis causa daretur, neque vnica esset Dei decretum, ac beneplacitum, capite vero 23. sect.5. & 6. non solum generali regula, sed speciatim de Adami peccato ex Dei præfinitione sæpe ait, frustra (cum Laurentio Valla ioquit) *de præscientia his mouetur* (an necessitatem præscitis imponat?) [Vbi constat ordinatione potius, & nutu omnia fieri: inficiari ergo non poterit, quin præscierit dominus, quem exitum esset habiturus homo, antequam illum conderet; Et ideo præscierit, quia decreto suo ordinarit.] Inferiuscule. [Nec absurdum videri debet, quod dico. Deum non modo primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse: sed arbitrio suo disposuisse.] Ac de Papistis sect.7. [Disertis verbis hoc extare negant decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam,] &c. [Decretum quidem horribile? fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præscierit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & ideo præscierit, quia decreto suo sic ordinarat.] Si ergo vtrarumque præfinitionū doctrina, solutionesque omnes communes vtriusque omnino sunt: non apparet qui fieri possit Caluini præfinitiones, & similium damnatas in Tridentino fuisse; Thomisticas verò esse nihilominus indemnes: & quamvis piis, adeo Catholicis, doctisque Patribus, aliquid à Caluinismo valde diuersum conceptum esse coniecter: quid illud sit cum ab eis explicatum non sit, assequi non potui, etsi vehementer optarim.

CERTAMEN III.

Ex ipsa Hæreticorum confessione, & Patribus, qui Tridentino adfuere, de eove maiori cum laude scripserunt, conuenientia Thomistarum cum illis, nec non argumentis aliis expenditur.

1. AD idem faciunt argumentum querula etiam de nostris Caluinistarum confessio: quod scilicet, cum nihil ipsi amplius, quam Thomistæ in re hac depræfinitionibus, & prædeterminationibus Dei ergo humanas actiones doceant, eos tamen non autem Thomistas hæreticos appellemus. Amessius Caluinista præter recitata, ex ipso cert.2. num.12. hæc etiam habet illo t.4. Bellarmini eneruati lib.2. cap.2. num.5. apud doctum, & acutum Petrum à S. Iosepho Cisterciensem Monachum de præfinitionibus Caluinianis. [Nunquam ne hoc legit Bellarminus, nisi in Zuinglio & Caluino Aluarez inter alios d.22. num.7. Deus,] inquit, [æterno suo decreto, & efficaci voluntate prædeterminat omnes actus nostros in particulari ante eorum præuisionem, & independenter ab omni scientia media liberæ cooperationis futuræ.] Et iterum: [sensus nostrorum non est alius, quam, qui à Thomistis approbatur. Hominis voluntas est quodammodo Dei instrumentum. Non purum & merum, sed liberum.] Aluarez d.68. num.5. Theophilus Brachetus Caluinista, vulgo Millererius lib. inscripto. *Christiana pacis inter Catholicos, & Euangelicos* (Caluinistas) *instituendæ consilium.* De prædestinatione & donis, seu gratia Dei agens nostram, & Thomisticam his de rebus sententias sic refert. [Singularem, nec eam communem gratiæ vim apud eos, qui conuertuntur à Deo, adhibitam adstruunt nonnulli ex Catholicis (Thomistæ) cum Euangelicorum plerisque; qui ab Ecclesia Romana defectionem passi sunt: quamquam hac quidem in parte Sedis Romanæ sententia prisca, necdum immutata, B. Augusti definitiones amplexa, singularis gratiæ defensionem retinere videatur. Communem verò, paremque gratiam] (entitatiue, seu quoad eius intrinsecum) [cum iis communicari apud quos dispar interdum sequitur euentus, contendunt plerique omnes Catholici, & Euangelicorum iam non pauci: partim ex iis, qui in Germania Lutherum Magistrum deserentes] (Molles vocati) [ad communem Catholicorum sententiam redierunt: partim ex iis, qui in Belgio Arminium doctorem secuti Remonstrantes] (seu Arminiani) [dicti eidem sententiæ adstipulantur: eamque tuentur mordicus. Vnde fit, vt inter Catholicos (quamvis in cæteris, vt plurimum, consentientes) maneant acerrimæ pugnæ; inter eos qui D. Thomam Magistrum sequi se profitentur; & inter eos, qui vulgarem scholæ sententiam amplectuntur; in quibus hinc Franciscani, & Iesuitæ; illinc Dominicani, & Oratorij Presbyteri familiam ducunt.] Et opus, cui titulus. *Medium Christianæ pacis.* Gallice impresso Latina hæc per notarium Franciscum Annatum d.4. cap.4. §.1. cum enim dixisset delenda è Tridentino, *per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum.* Et illa, *iuxta cuiusque dispositionem, & cooperationem*: narrasseque dilidia Thomistarum, & Iesuitarum ait, [Concilium veras causas iustificationis (quod Thomistæ requirebant) assignasse. Et, quod fauet posterioribus, conclusiones reliquerit, quæ referuntur ad eorum sensa, qui boni causam inter gratiam, & voluntatem liberam diuidunt: eoque sensu verba voluntariæ receptionis, & dispositionis, & cooperationis recipiunt;] Ij verò Iesuitæ sunt. Addit: [Præcisas S. Augustini definitiones alentis, diuinæ gratiæ vim in nobis operatri-

zari, non vt agamus, si velimus, sed, vt velimus, atque adeo facere, vt faciamus, tollere quidquid est veneni, & zizaniorum in ea loquendi forma, quæ dispositionem propriã, & cooperationem significet.] Tandem ait. [Ad anathematismos, quod attinet: certè, si Tridentini Patres præcisè definissent causam iustitiæ, quæ in nobis est: &, quæ de gratia tenenda sententia præscripsissent iuxta interpretationem Augustini (suam pro præfinitionibus) editi super hac doctrina, Canones, quibus eorum anathematismi continentur, aliis essent verbis concepti.

2. His porro verbis non solum Thomistarum cum Caluinista hoc, & sociis in doctrina præfinitionum diuinarum de humanis actionibus ostenditur conuenientia, vt æquè vtrosque Tridentini, & definitionibus aduersari, & tangi anathematismis constet; sed huius etiam (quia maximi oppositum referebat) sententia, canones, & anathematismos contra præfinitores, & pro nobis editos à Tridentino fuisse. De sua vero cum Thomistis concordia audiendus etiam est Tuissius Caluinista. Præfat. operis contra scientiam mediam egregio Theologo Franciscano, Francisco à sancta Clara. Obicienti Caluinistis, & puritanis, quod prædestinatorum hæresim excitarint respondet. *An non etiam vestris Dominicanis; quippè quibus solemne est Iesuistas vestros etiam hoc nomine Caluinismum exprobrare.* Eius operis lib. 1. digress. 3. pag. 98. Caluiniana sua doctrina explicata ait. *Sed facile dignosco, quam minimè faciat ad Pennoti palatum ista Philosophia. Multo melius concoquere poterunt istam doctrinam Dominicani: quam cum suis Iesuistis, quorum spiritum totus spirat. Nouariensis*, &c. lib. 2. cap. 3. pag. 444. *inter ea hoc nos recreat, quod non modo Protestantes huic commento* (scientiæ med. & consectariorum) *resistant; sed vniuersa, ni fallor* (fallitur vero, vt infra ostendam) *familia Dominicanorum, hoc est Thomistarum omnium*, cap. 4. pag. 451. *istum tamen modum efficaciæ* (præfinitionum, auxiliorumque ab intrinseco) *impossibilem esse crepant Iesuitæ, & libertati contrarium, & in aduersum crepant Dominicani.* Accedunt libri toti de sua cum dominicanis, quo ad præfinitiones, & præmotiones Dei ab intrinseco efficaces conuenientia, quos infra recitandus Dominicanus Campanella commemorat. Adde ex ipso relata cert. 2. num. 12. & sanè recitandus Dominicanus Campanella quæst. 5. vehementer dolet eam iniuriam à Dominicanis Angelico Præceptori præfinitiones, & prædeterminationes de sese efficaces tribuentibus irrogari, quia in eo illum faciunt Caluino socium, & omnino concordem. Bellicensis Episcop. opusc. *de accessu protestantium ad Ecclesiam Romanam.* Nuper gallo idiomate Parisiis cuso, relatis de scientia media, & prædestinationis, ac efficacis gratiæ opinionibus aduersis hæc latina per nostrum Franc. Amatum *supra* d. 4. cap. 4. §. 2. subdit. *Protestantes libenter adiungere illi parti Romanorum, in qua sunt Thomistæ; sed in eo differre: quod erroris in fide partem aliam accusent: quod illi ipsi Romani, quos sequuntur, non faciunt: quod vtramque sententiam probabilem putant, donec aliud statutum sit ab Ecclesia.* Quæ omnia fidem conciliant dictis Eminentissimi Cardinalis Iacobi Dauid Perronij, qui teste Eugenio Phyladelpho exercitat. scholastica tripartita in appendice ad Camerarium §. *Ad extremum* pag. 338. Theophilo Raynaudo P. 1. nouæ explicationis libertatis num. 12. §. *Secunda causa admittitur*, cum vanis rumoribus apud vulgus à Thomistis iactatum videret Clementem VIII. velle præfinitiones, & auxilia sua ab intrinseco efficacia definire, ita eum allocutus refertur. *Si quod meditari ipsum dicebatur, definiret, curaturum se, vt Germaniæ, Galliæque scitanti decreto illius subscriberent.* Hoc autem Perroni, de vtrorumque concordia iudicium constans fuisse testatus etiam est Illustriss. Dom. Habert. Episcop. Carducensis, qui librum, quo eiusmodi iudicium cusum Cadurci est, & alium inscriptum *Gallia purpurata*, quo ad ipsum habetur, approbauit: vt bene Philadelphus cimistarum cum Caluinistis conuenientia proferam iudicia inferius: nunc enim ad aliud eius conuenientiæ argumentum pergo.

3. Illud autem est eorum hæreticorum in Thomistas, eorumque doctrinam amor; in nostros vero, nostramque sententiam, & eius sequaces odium, & dicteria. Petrus Molinæus in suo anatome Arminianismi, seu partis Caluinistarum, qui cum Arminio à suo Caluino, quoad præfinitionum, & auxiliorum intrinsecam efficaciam, defecerunt, vbi hos cum Catholicis hac in re confutans cap. 37. num. 3. *Qui* (Pontificij) *Pelagianismum interpolarunt, sicuti Arminiani Papismum.* Catholicorum non præfinitorum, neque efficacia de se auxilia admittentium, Pontificis Romani doctrinam, & Papismum Caluinismo aduersum appellat, eamque Pelagianismi incusat. Rursus num. 12. *Nouatores* (Arminiani) *ex Iesuitarum lacunis hausisse, nescio quas, voces resistibilitatis, & irresistibilitatis, quibus ingenia implicant.* Tuissius etiam Caluinista de Gabriele Pennoto ob editum propugnaculum humanæ libertatis beneficio scientiæ mediæ, & voluntatis, atque auxiliorum Dei non de se efficacium ait cap. 27. pag. 165. *Roma degebat tanquam Procurator generalis ordinis sui* (Canonicor. Regular. S. Augustini) *& qui, vel in vmbra degit iniquitatis* (ita Sedem Apostolicam nominat) *mirandum non est, si de mysterio illo* (iniquitatis) *capiat aliquid* vocat autem, cap. 28. pag. 185. Pontificem. *Antichristum qui est mysterium iniquitatis*, c. 30. pag. 202. [Neque mirum, cuius sub vmbra degit, si ab eius ingenio non nihil hauriat.] Scientiam scilicet mediam c. 25. miratur [res occidentis Ecclesiasticas bene, Caluinismo, constitutas posse de nouo scientia media concuti, & labefactari! viget tamen hodie Pennotus inter nos, & multorum manibus versatur hoc opus eius ad humanam libertatem propugnandam, vel inuita gratia, destinatum.] De Soario vero scientiæ mediæ semina in metaphysicis iaciente ait lib. 2. digress. 2. pag. 282. [Quam me miseret sortis Christianæ! dum non nisi talibus informatoribus vsi, præsertim in studiis metaphysicalibus academiarum nostrarum alumni ad ardua rerum, qua lumine naturali progressus pateat aspirare se posse sperant! Operæpretium facturum auguror, quisquis metaphysicas illas disputationes Suarianas, tanquam Augiæ stabulum, Herculeo labore purgandas in se recipiat: præsertim, qua ad veritatem Theologicam, & sactam constituendam, & deflorandam tendere comperientur.] Huius vero admirationis, & doloris causam operis pondus in eius præfatione perpendens his aperuit verbis. [Aduertunt enim aduersarij, veritatis (suæ Iesuitæ, siue Arminiani) nisi doctrina ista de scientia media sancta, rectaque conseruetur, sententiam ipsorum de gratia, & libero arbitrio stare non posse; neque nostram ipsis aduersam posse labefactari; profligata vero illa sententia de scientia futurorum, quam mediam vocant, & nostram de gratia, & libero arbitrio sententiam inconcussam per stare: & ipsorum oppositam nostræ ruere vniuersum.] Et præfationis fine ait. [Prædestinatorum hæresim à semipelagianis (Iesuitas sic nominat) fuisse confictam. Caluinum autem Orthodoxiam Augustini per omnes ætates comprobatam, licet à nonnullis Pontificiis misere deformatam, reuocasse illum, & integritati suæ natiuæ restituisse.

4. Ex his autem dictis illa doctrinæ nostræ laus negari minimè potest: quod papismus, vt hi aiebant, & Pontificia sententia sit, ex qua Pontificiorum nomen sibi vendicent, quicumque illam sectentur: oppositæ vero doctores in suis ab hæreticis, non autem in Pontificiis, neque eius doctrina in Papismo habeatur. Secundo, non nisi eisdem quæsitis à Caluinistis Patronis (nempe Augustini testimoniis sinistre, vt vidimus, intellectis) efficaciam suorum auxiliorum, & præfinitionum Thomistas hosce fundare, nostræque oppositæ sententiæ tandem, quam Caluinistæ Catholicis pelagianismi, aut semipelagianismi litem intentare: quæ omnia, & singula Caluinistarum, & horum hac in re concordiam, haud leuiter suadent. Mitto in idem argumentum innumera pene alia in nos, nostræque doctrinæ sequaces eorundem hæreticorum probra. Tuissius idem lib. 1. cap. 30. scientiam mediam derestandam hæresim appellat,] & c. 33. pag. 119. negat. [Bestiam viiam esse Pennoto impuriorem, & magis irrationalem,] & digress. 5. pag. 218. esse illum ait, [capitaneum, sub quo diabolus stipendia meretur.] Et si sui stupidus senex oblitus lib. 2. digress. 5. pag. 219. scientiam mediam, qua libertatem nostram

Pennotus propugnat [vocet dogma quolibet alio vertiginosius. Nullam esse sententiam magis infamem, magisque convincibilem. Ne diabolum quidem illius sententiæ consortem esse. Neque Angelos malos ita obnutuisse ;] vt sentiant nobis cum cap. 4. pag. 450. Iesuitas vocat [primarios satellites diaboli,] pag. 451. scientiam istam mediam, quam fingunt Iesuitæ, merum potius scientiæ spectrum esse, quam scientiam.] Qua in re Amessium imitatur cit. tom. 4. vbi *novum commentum Iesuitarum* illam appellat. Sed pag. eadem 451. relata nostrorum de hac re cum Dominicanis controuersia, ait. *Conferunt obuia signis signa, pares aquilas, & pila minantia pilis. Sed quid dico pares Aquilas? cum, ad Theologiam scholasticam, quod attinet, ne digni quidem sint, qui eodem die nominentur cum Dominicanis*; Kemnitius vero libello famoso *præcipua capita Theologiæ Iesuitica* ait. *Iesuitarum genitorem Pelagium, eosque Pelagij ab inferis excitatores esse*: Quia in Tridentino irresistibiles suæ prædeterminatiuæ præfinitiones nostrarum actionum fuerint ab eis confutatæ teste Diego de Pauia loco citando infrà num. 6. Scio autem Catholicissimis Patribus suas has à perfidis Caluinistis laudes potius sonare, quam nobis hæc eorumdem dicteria, quæ in præcipuis nostris, nostræque doctrinæ laudibus reponimus, inuiderique nobis à piis, doctisque Patribus non dubitamus : præsertim, cum ea omnia è nostræ doctrinæ cum Caluiniana apertis inimicitiis ; Thomisticæ vero cum illa apparente saltem affinitate, vt fœdere, & concordia, orta videantur : ac proinde vtriusque à Tridentino damnatæ non leue argumentum inde duci possit : Eaque probra obinde nobis cum Tridentinis Patribus hæretici fecerint communia : Caluinus enim apud Thomam Maffutium lib. 2. vitæ S. Pauli cap. 6. Tridentinos Patres, ac Iesuitas Pelagianos dicere solebat : sicuti eadem de causa scholam Parisiensem Pelagianam vocabat 2. instit. cap. 3. §. 13. teste Horantio lib. 1. locor. Catholicor. cap. 55. quod imitatus etiam fuit Kemnitius Tridentinos Patres Pelagianismi incusans, vt refert Stapletonius 4. de iustificat. cap. 1. Lutherus item art. 36. §. *Vult enim Moyses*, & vniuersim Lutherani apud Turrian. nostrum lib. 4. pro epist. Pontific. cap. 2. Catholicos præfinitiones, & auxilia efficacia ab intrinseco negantes *Pelagianos* vocitabant. Quare mitor Mag. Bannez, dum Iesuitas *Pelagianos* vocat 1. p. quæst. 19. art. 8. §. *His suppositis* & quæst. 23. art. 3. conclus. vlt. §. *Sed circa istam*, & 2. 2. quæst. 10. art. 10. documen. 2. non aduertisse, quantum doctrinæ nostræ laudis, seu vero inuidiæ, & suspicionis sinistræ apud Catholicos conciliaret.

5. Dicent fortè Thomistæ hæreticos hosce, vel præceptoris Caluini doctrinam non calluisse, vel saltem callide, ac ficte suum ad Thomistarum partes accessum simulasse : vt sæpè id genus hominibus vsu venit. Et haberet quidem solutio verisimilitudinem maiorem, si illam in materia præfinitionum prædeterminatiuarum doctrinæ suæ, quam volunt, & fortè habebunt, à Caluiniana differentiam nobis explicarent. Siquidem in hactenus assignatis nullum vtriusque doctrinæ discrimen subsistere videtur. Accedunt doctissimorum virorum iudicia, qui vel ex Patribus Tridentinis fuere, vel circa id temporis hac de re scripserunt, constanterque docuerunt necessitatem omnem antecedentem causalitate actus nostros, etiam ex Dei præfinitione, & prædeterminatione eorum libertatem euertere. Et in primis venerabilis æque, ac doctus Thomas Valdensis Carmelitus Prouincial. Angliæ, qui proximus ei tempori antecessit tom. 1. doctrinal. fidei contra Vvitcleffum iam tunc Lutheri, & Caluini hæresibus hac in parte præludentem, cum aduersus eum statuisset omnem necessitatem antecedentem vsum libertatis nostræ eam funditus euertere, ita contra Catholicos quosdam, tunc etiam temporis suppetias Vvitcleffo, eiusque erroribus per in aduertentiam ferentes concludit. *Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus etiam, &, quod fluat voluntate Dei. Maximè, cum in antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possint, cum conantur.* Magni vero illi viri sunt Dominicani, ex quibus per id tempus prodiit Brauardina toties à Tuissio Caluinista laudatus præfinitiones prædeterminatiuas docens. Albertus etiam Pighius (qui paulo ante Tridentinum bellum Caluino libris de libero arbitrio fecit) lib. 3. & 8. præfinitionibus, ac physicis prædeterminationibus actuum liberorum sese opponit teste Ledesma de auxil. 7. & art. 2. §. *Alij vero*. Ruardus Tapper, vulgo decanus Louanienſis Theologorum Phœnix appellatus à Lindano 4. Panopliæ cap. 18. atque vnus è Tridentinis Patribus vt constat ex t. 1. præfationis fine. Hic igitur artic. 7. de libero arbitrio, §. *Circa hoc est difficultas* hæc ad rem hanc inter plura, [quod autem diximus de libero vsu, liberoque neglectu gratiæ, quæ datur ad pœnitentiam : quodque ea ad ipsam, vel vti possimus, & conuerti, vel negligere etiam eam, quæ ad conuersionem est sufficiens, sic, quod ea stante non conuertamur : adeo vt in neutra parte conditionis sit necessitas, sed contingentia definitum esse videtur in Concilio Tridentino, in decretis, & canonibus de iustificatione.] Inſuper à pag. 306. ostendit è duobus æquali auxilio vocatis sæpe vnum conuerti, alium vero vocationem respuere, Ioann. Anton. Delphinus Minorita General. è Tridentinis etiam Patribus 4. de libero arbitrio ait. [Quis enim rogo, adeo stolidus existimet voluntatem factam esse liberam, non eo tamen modo, vt voluntate vteretur ; sed, vt à prima causa determinaretur ad vnum certum modum agendi : perinde atque res naturales determinantur.

6. Doctor Louanienſis Ioannes à Bononia Tridentinis interfuit quoque Patribus (vt ait tract. de prædestinat. titulo *quorumdam de prædestinatione sententia* anno 1567.) duobus scilicet post Concilij absolutionem annis cum plures adhuc Tridentini Patres superessent eum tractatum edidit, in quo tit. de libero arbit. sub init. §. *Caterum quia non desunt*. pag. 103. ita Patrum Concilij in eo decreto, & Canone mentem aperuit. [Caterum quia non desunt modo homines, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum iustificamur, quam nos sentientes : ac ideo huius æcumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum aiunt. Habere hominem libertatem arbitrij, vt excitationi, admonitionique resistere possit ; sed his inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dicto Reuerendiss. Domini Hieronymi à Bononia sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nuncij dignissimi, nec non Archiep. Compsani professoris Theologiæ peritissimi, atque sacri Palatij Magistri eximij apud Carolum Imperatorem 5. cognomento Maximum residentis, eandem opinionem in sancta Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem optimo iure percepi reiectam, & pag. 153. Hinc compertum est, quod ob libertatem voluntatis, quacumque posita gratia, etiam ea quæ facit conuerti, possumus eam negligere, & nolle conuerti ; licet fide fateamur omnem voluntatem bonam esse diuinitus inspiratam. Pag. 162. At, ne quis miretur posse aliquem à Patre trahi, qui non sequatur, is non intelligat appellatione tractus violentam quandam motionem (quia nihil magis repugnat Patri, quia suauiter omnia disponit, ac moderatur : nihilque magis repugnat animo nostro, quia non potest hoc modo impelli) accipi debere. Cum igitur trahentem audiamus Patrem solum intelligimus : omnes siue internas, siue externas motiones, quibus dominus vtitur, vt voluntatem eius cognoscamus ; ita tamen vt his auditis liberum nobis relinquatur illis, aut non assentiri, aut consentire.] Franciscus Belcarius Episcop. Metensis apud R. P. Petrum à San Iosepho in suaui concordia d. 4. sect. 4. ex Tridentinis Patribus fuit, & contra præfinitiones, & prædeterminationes vniuersim scripsit in eo opere, quod mox contra Caluinum edidit. Diegus de Paria Andreæ eius Regum Lusitaniæ perpetuus in Tridentino Theologus, magnæque in eo authoritatis vir teste Hieronymo Osorio epist. præfixa defensioni Tridentini ab eodem Pauia editæ, toto illo opere orthodoxarum explicationum contra Kemnitium præsertim lib. 4. omnem antecedentem vsum libertatis ab eoque independentem præfinitionem prædeterminatiuam voluntatis nostræ ab eaque irresistibilem, vti libertatis nostræ partem refellit :

refellit: testaturque prædeterminationes nostrarum actionum præfinitiones irresistibiles contra Kemnitium Caluinistam à Iesuitis esse confutatas, & tanquam Augustino aduersas reiectas; quo facto libellum Kemnitij contra ipsos famosum inscriptum *præcipua capita Theologiæ Iesuiticæ lucrati sunt.* Fuerunt autem Iesuitæ illi Patres Collegij nostri Colomensis, qui ex Augustino præsertim contra Kemnitium pugnarunt: testimoniisque eisdem à Pauia repetitis concludit: [Quæ satis ostendunt hanc Colonensium causam tam esse cum Augustini causa coniunctam, vt illorum hostis esse nullo modo possit, qui Augustino quoque bellum non indixerit.] Franciscus Turrianus Pontificius in Tridentino Theologus lib. 4. pro epist. Pontific. decretalibus cap. 2. hanc præfinitionum diuinarum prædeterminatiuarum nostrarum actionum & vniuersim omnem antecedentem irresistibilem à nobis necessitatem accurata eruditione Patrum, tanquam libertati, & obinde Tridentino aduersam confutat. Alphonsus Salmeron noster Theologus etiam in Tridentino Pontificius sicuti, & Iacobus Lainez cum aliis ferè omnibus nouem S. P. N. Ignatij primis sociis aliorum Principum in eadem Synodo Theologis Kemnitium coram hac super re, vt vidimus ex Pauia in ea Synodo confutauit. Atque item ex suis, & (vt creditur) Lainij præfati studiis, & scriptis editis tomis in 4. t. in Euangel. p. 3. tract. 14. ad id *væ tibi Corozaim*, & 1. commentar. in Paul. 2. p. d. 1. §. *Quæ vero asserit*, & d. 21. in cap. 8. ad Roman. §. *Infertur ergo*, & fine eandem doctrinam solito robore, & eruditione confirmat Illustriss. Hieronym. Osserio lib. 9. de iustit. qui ad Concilium ad eundum accinctus, casuque impeditus, suos de hac re scriptos libros per præfatum Pauiam ad Concilium misit.

8. Succedant Dominicani primores, qui eidem Concilio adfuerunt. Et in primis Magister Hieronymus Mazarelli sacri Palatij Magister numeratus à fratre Alphonso Fernandez in catalogo Magistrorum sacri Palatij, & suam, & Patrum Tridentini sententiam contra omnem necessitatem antecedentem ex præfinitione Dei, vel vndecumque, independenter ab vsu arbitrij nostri libero postram dixit apud Joannem à Bononia sub nomine Hieronymi de Bononia, vt proximè vidimus. Secundo Cathermus etiam Tridentino adstitit & lib. 1. de prædestin. apertum adeo bellum præfinitionibus, & prædeterminationibus humanorum actuum indixit, vt illum aduersarij ingenue pro nobis, & contra ipsos esse faceantur: vt videre est apud Ledesm. de auxil. pag. 7. & art. 2. §. *Alij vero*. Tertio Franciscus Romæus Dominicanorum Generalis Magister, qui teste nostro Arrubale 1. p. d. 32. cap. 3. num. 12. & citato Alphonso Fernandez in catalogo scriptorum Dominicanorum in Tridentinis etiam Patribus fuit, tract. *de libert. operum, & necessitate* 8. Ita in simili super influxu, & causalitate præscientiæ infallibilis Dei in opera nostra scribit. *Illud non est prætereundum: quod si ad antiquos Doctores te conuertas, reperias ferè omnes in hanc vnam conuenisse sententiam: videlicet non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est Deus nouit, qui est præscius futurorum.* Atque ita Patres Ecclesiæ, & Proceres scholasticos Doctores testatur docere: & si nusquam causali illa veram futurorum in Dei præscientiam causalitatem aliquam admiserint, vti nos supra monebamus, & explicuimus. Magister Dominicus Soto Primarius Salmantinus Caroli V. in Tridentino Theologus, & Generalis Dominicanorum locumtenens. Teste eodem Alphonso Fernandez in catalogo scriptorum sui ordinis contra sui ordinis fratrem Aloysium Cataneum præfinitiones prædeterminatiuas humanarum actionum publica disputatione coram Tridentinis Patribus profligauit teste Petro suaui 2. historiæ Tridentini sub med. qui, (vt docte obseruant Paulus Leonardus 2. p. responsion. sect. 19. num. 102. ex Eugenio Philadelpho exercitat. scholast. tripartita c. 3. §. 5.) *quamvis luxata sit fide*, quia in expurgatoriis indicibus proscriptus: qui tamen hominem norunt, vt pote sectarijs addictum, nunquam adducentur, vt credant illum à Iesuitis, sectariorum acerrimis hostibus, gratiam *inire voluisse*. Insuper Sotus hic docuit 3. summul. cap. 8. lect. 3. futura contingentia libera certo à Deo cognosci vt fatentur Mæchin. 1. p. d. 33. sect. 2. & reliqui aduersarij: re autem vera etiam sine aliquo determinante ex parte antecedentis eorum contingentem futuritionem; cum dicat in eis non esse à conditione ad conditionatum consequentiam per necessariam illationem.

Item, vt Paulus Leonardus proximè, & Theophyl. Raynaud. de noua liberr. p. 2. cap. 3. num. 21. & dist. 8. Theolog. natural. quæst. 5. art. 5. num. 346. Idem Sotus 3. Physicor. quæst. 1. art. 2. concluf. 5. proposit 4. & 5. etiam ad operationes causarum naturalium physicam præmotionem antecedenter illis ex Dei efficaci voluntate impressam omnino superfluam, & inutilem, atque contra S. Thom. mentem & laudem à suis, nonnullis distortis eius allegationibus inductam censet: nec immerito, & si tanti Doctoris sententia fuisset reiicienda. De liberarum vero causarum operationibus nullum adstrui posse principium eas ad agendum aliquid determinans, seu prædeterminans docet 1. de nat. & grat. cap. 15. (eos autem libros de nat. & grat. è Tridentina Synodo reuersus edidit) de quo cum à Dominicanis nonnullis morderetur ineditæ à se antea doctrinæ declaratione ab ipso adiuncta ad calcem commentariorum suorum in quartum sententiar. post dist. 50. q. vn. art. 6 §. *Sed libro* 1. *cap.* 15. inter confirmandum hæc habet. *Cum Deus paratissimus sit quemcumque conuertere, præsentissimaque misericordia ex duobus vtrumque aspiret: cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi, quia vnus præbet assensum, alter non. Quidam hoc* (citato loco de nat. & grat. ab ipso dictum) *taxare voluerunt: dicentes, quod nimium tribueret libero arbitrio in causa iustificationis; & tamen salua semper Ecclesia Catholica censura arbitror necessario sic dicendum.* Et inferiusculè. *Et ideo postquam dixit Christus Ioann.* 16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit traxerit eum.* Subiunxit. *Qui audit, & discit venit ad me. Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire.* Vt autem de tanti doctoris constanti contra suorum præfinitiones, & auxilia efficacia de sese, & pro nobis sententia atque contra Cataneum Tridentina pugna eiusdem, & victoria, ac insuper de Patrum, & Synodi mente apertius constet recitanda erunt eius loca, quæ citat, capite ergo illo 15. ait *se reclamasse defensantibus* (suis vtique Dominicanis) *viua voce: quod Deus quadam vi, ac necessitate nos pertrahat ad se: ita, vt in nostra conuersione merè habeamus nos passiuè, ac respectiuè; de quo sacrosancta Synodus Tridentina sess. 6. &c.* ac iterum. [In adultis reddenda est proxima causa, cur, cum æquè sit Deus paratissimus conuertere, præsentissimaque vtrumque misericordia aspiret hunc trahat, illum non trahat? Quæ reuera reddi non potest, nisi quod alter præbet assensum, & cooperatur; alter vero minimè.] Eodemque capite contra præuium suorum Dominicanorum recentium concursum, & præmotionem, seu efficax ab intrinseco auxilium, statuit *posse esse in eo qui non conuertitur, quàm in eo, qui conuertitur, maius.* Quod de physico Dei concursu intelligi nequit: cum in eo qui non conuertitur nullus, ne dum maior, concursus sit, siue præuius, siue simultaneus nostro identificatus. Et qui non magis sine nostro, quam sine se ipso esse possit: quare solum moralem concursum, & intentionalem præmotionem per vocationem esse auxilium Dei intelligit, quæ sola in non conuerso, quam in conuerso maior esse potest, & cap. 16. habet. [Sunt ergo inter scholasticos, qui docent posito concursu Dei (in quo auxilium de se efficax constituunt) non esse in potestate voluntatis agere: ob idque secundo aiunt huiusmodi (concursum non connumerari inter requisita ad agendum; imo (vt sua vtamur voce) concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel vtrumque, nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam.] Qui enim intelligi potest Dei auxilium actionibus nostris necessario præuium non præuium, ac prærequisitum esse, aut potestatem ad alterum auferre, quam ad vtrumuis constituit? Eodem cap. 16. sub init. [Inde amplissime patet infinita eius virtus, & sapientia, quod alias causas instituit naturaliter mouere; & alias liberè: & cum singulis modo proprio concurrere. Quo circa, quidquid Deus vult voluntate

tate absoluta, & quæ dicatur beneplaciti fit: iuxta illud voluntati eius, quis resistet? quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salua humana natura, & voluntate: quæ idcirco resistere Deo potest.] Totoque illo capite, & refutat antecedentem omnem necessitatem positis omnibus requisitis à voluntate ad liberè operandum, etiam diuino concursu, prout in actu primo præparato, cum quibus omnibus ait voluntatem posse adhuc agere, & non agere alias liberam non fore.

10. Accedunt Doctores, qui vel proximè Tridentinum diligenter, & cum laude vniuersim, vel super hoc articulo interpretati sunt in quibus occurrit primus Franciscus Vega in nostris, & contra suos à Ledesma vbi suprà numeratus ex lib. 13. in Tridentinum c. 13. Thomas Stapletonius in suo promptuario cathol. fer. 6. hebdom. 1. Quadragesf. ad ea [vis sanus fieri? ait. Iam vero hoc donum Patris, quo ad Christum trahimur, non est efficax à seipsa gratia, vt Caluinus dicit; sed est efficax suumque effectum sortitur, non secus à libera voluntatis cooperatione, quam ab ipsa Dei operatione, tractu, & dono.] Illustrissim. D. Fernandus Mascarenas Algarb. Episcop. & Generalis Lusitaniæ Inquisitor d. 2. de auxil. p. 3. num. 9. ex Bellarmino 1. de grat. & libero arbitrio cap. 12. hæc vsurpat. [Hæc opinio (præfinitionum prædeterminatiuarum Thomistarum recentiam) videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Caluini, & Lutheri, aut parum ab illa distare: Nam destruit gratiam sufficientem: & simul tollit de medio liberum arbitrium.] Et p. 4. num. 21. [Vnde cum impie vellent (præfati hæretici) liberum arbitrium rem de solo titulo facere, consequenter asseruerunt: creatas voluntates physice ab illo determinari. Quia rectè sciebant ea determinatione quocumque modo admissa, tolli arbitrij libertatem.] Vvestonus de triplici hom. officio lib. 3. cap. 29. *Vnde satis demirari nequeo eorum mentem, qui, cum summo præiudicio contra orthodoxam sententiam de libero arbitrio asserunt: gratiam Dei efficacem existere naturæ sua nulla ratione habita liberi arbitrij: quid aliud obsecro profanum dogma Caluini insinuat?* In eodem iudicio de vtrarumque præfinitionum, & prædeterminationum physicarum Caluinistarum, & Thomisticarum concordia conueniunt Ioann. de Roadauila de prouident. & prædestinat. quæst. 3. sect. 2. num. 77. Eugen. Philadelph. exercitat. scholast. tripart. cap. 1. pronunciato 18. Thomas Pius 1. p. q. 23. art. 3. dub. 8. num. 17. A. Ruuiere Augustinian. doct. Parisiens. lib. inscripto. [Caluinismus bestiarum religio.] Diatriba 6. pag. 149. Fr. Petrus à San Ioseph dist. 7. de grat. sect. 1. num. 8. Fusius d. 2. & 4. de suaui concord. sect. 4. Gabr. Pennot. propugnaculo humanæ libert. lib. 1. cap. 19. vbi expensis Tridentini definitione, & anathematismo Caluinicarumque, & Thomistarum in hac re doctrinis, distinctionibus, & solutionibus vtrisque communibus concludit. [Cum autem authores dictæ responsionis hæc omnia admittebant: & in eo solum differant: quod hæretici noluut voluntatem creatam, quæ huic subsit necessitati, vocari liberam: tota concertatio inter hos, & illos erit solum. An voluntas, vt huic subsit necessitati, dicenda sit libera, necne? & sic tantus apparatus, & strepitus erit solum de modo loquendi.] Ex nostris vero doctoribus neminem pro hac concordia vtriusque partis, oppositione definitionibus Tridentini refero: quia omnes eisdem fere fundamentis eam euincere conrenderunt, atque in dies maiori robore contendunt. Alia vero plura aliorum de eadem concordia testimonia dabimus cert. seq. vbi Pelagianismi, aut semipelagianismi oppositionem aduersariorum retundamus.

11. Vnum tamen non omittam Dominicanum Campanellam lib. de prædest. & reprobat. à Fratre Iuliano Ioubert eius ordinis Vicario generalis in Gallia è propria & doctorum Sorbonicor. sententia probatissimo & commendatissimo opere, & quod Fr. Antonius Mallet ordinis eiusdem Magister sua censura Parisiis in colleg. S. Iacobi die 21. Iulij anno 1635. [Studiosorum omnium manibus assiduè teri cupit: plurimumque profuturum doctrinæ, fidei, & bonorum morum sperat.] Eo igitur libro. art. 1. ita scribit Campanella [quoniam ex D. Th. scholasticorum Principe, putant nonnulli has ipsorum probari sententias (de præfinitionibus & auxiliis de se efficacibus) eumque miris lacerant modis, inuitumque trahunt: & Caluinistæ iam gloriantur, typisque mandant concordiam inter D. Thom. & Caluinum: statuimus ex dictis D. Thomæ solius, qui ex cunctorum doctorum alibi processimus, procedere ad inductionem errorum, ac proinde centonem efficere Thomisticum aduersus Pseudo Thomistas, veluti, Sanctiss. Domino Pap. Vrbano VIII. dum valde anxiaretur, pollicitus eram, ac simul Christianissimæ Maiestatis Oratori Comiti de Brassac: qui se aliunde non posse respondere Hugonotis, neque nostratibus (qui etiam nolentes, fauent hæreticis) nisi ex opusculo isto, & altero, quod eius nomine super caput 9. ad Roman. scripseram. Et de hoc sæpè consului Romæ Summum Pontificem, & consolatus est (vt testatur) sicut ego: quia ab aliis Theologis in desperationem agebatur. Ad idem me quoque doctissimus Cardinal. Scallia aliquando animauit: putans sic intellectum D. Thom. confringere posse, ne dum hæreticorum, sed nostrorum quoque sophistarum technas vniuersas. Nostratibus quoque satis faciendum fuit, vt à S. Doctoris penu arma subministraremus, vnde hostes sibi auxilium, nostrorum in curia, pollicentur. Idque à me poposcerunt quamplurimi præcipuè veritatis amatores Dominicani, & Minimi, & Clerici, & Viri Principes Romani, præsertim Columnenses, id sat agerunt. Sed inter Magistros præcipue: P. Cosmas Marellus doctrina, & probitate insignis Inquisitor hæreticæ prauitatis multo tempore in Colonia Agrippina: dicens se non potuisse absque hac doctrina Caluinistis respondere. Similiter Magister Augustinus Russus Dominicanus Regens studij Panormitani, & P. Foresi eius socius, & Dominus Simon Rausscum, quibus huius libelli copiam feci, & olim Magister Seraphinus Riualdus, postea Episcopus sæpè à me hoc opus, vel pro D. Thomæ honore, postulabat; quod iuxta Comitis de Brassac desiderium expositioni capitis 9. ad Roman. connectendum volumus.

12. Huius Doctoris testimonium (etsi alias eius in Principem suum fides nutarit) exceptione omni maius est, sicuti & Ioannis Gonzalez Albelda, qui publicis disputationibus de auxiliis Romæ pro suis adfuit Dominicanis. Et tamen 1. p. q. 19. d. 58. sect. 2. n. 10. de suorum nobis aduersa sententia ait: [quod eorum sententia destruatur arbitrij libertas, nec saluetur veritas definitionis Tridentinæ.] Ioannes Vincentius Magister etiam Dominicanus, Vespertinæ Cathedræ Salmantinæ moderator (teste Ledesma de auxil. pag. 228. 253. 290. 415.) docet *communem suorum recentiorum sententiam de præfinitionibus prædeterminatiuis cum verbo Tridentini conciliari non posse.* Ex quibus omnibus liquet primo. Quo iure R. Fr. Petrus à S. Iosepho d. 4. de suaui concord. sect. 4. num. 5. dixerit. *Si igitur coniecturis agere licet: & ex scriptis illorum, qui ad Concilium Tridentinum conuenerunt, venari mentem ipsius Concilij nemo non videt, hoc argumenti genere nobis suppeditari arma quam plurima ad debellandam prædeterminationem physicam, atque adeo ad scientiam conditionatam stabiliendam.* Siquidem doctrinæ huius Thomisticæ cum Caluiniana conuenientia, & conclusionis, & authoritatis, & argumentorum communium, quibus vtraque traditur, & obiectionibus, quibus ab vtrisque nostra impetitur graui coniectura videtur ostendi. Quoad vero Tridentinæ definitionis, & anathematismi contra vtrosque mentem ex iis, qui eo Concilio adstitere patribus plus duodecim, qui scripta sua typis, ac prælo postea subdidere, pro nostra Concilij intelligentia producti à nobis sunt; cum eius conditionis nullus Doctor ab aduersariis proferri possit, satis videatur fortasse demonstrari. Ex eis vero Doctoribus, qui ea Concilij loca ex instituto interpretati sunt multo plures ex Dominicanis ipsis Primoribus pro eadem nostra eorundem locorum interpretatione recitauimus. [Vt mirum (pergit continuo author idem) sit aduersarios ad tantam rationum inopiam redactos esse, vt ab ipsomet Concilio Tridentino (quod nihilominus sonat quam prædeterminationem physicam) præsidium aliquod, & auxiliares copias emendicare cogantur.] Vt cert. 4. iam videbimus.

CERTA

CERTAMEN IV.

Reliqua ex Tridentino expenduntur, & quæ ex illo ab aduersariis obiectantur, diluuntur.

1. PRæfato capite 6. & canone 4. recitatis cert. 1. n. 1. expensisque cert. 2. dicitur: hominis adulti arbitrium in suæ conuersionis & iustificationis negotio actiuè proprie, nec solum mere passiue se habere: atqui agere proprie dicit operari non vtcumque, sed cum potestate non operandi, seu operandi oppositum vt constat ex cert. 1. à n. 2. quod locum non habet cum his præfinitionibus: ergo &c. His testimoniis affinis est canon 32. eiusdem sessionis 6. cum illis recitatus, qui sic habet. [Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum (cuius viuum membrum est) fiunt non bene mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.] Huius autem canonis doctrina adeo connexa est, cum doctrina capitis 6. & canonis 4. vt neutra sine altera valeat persistere. Meritum enim sine libertate eius, qui operatur esse nequit: libertas autem illius sine potestate ad vtrumvis extremum, dum alterum operatur esse non potest. Posita vero prorsus independenter à nostræ libertatis, & potestatis indifferentis vsu, & exercitio præfinitione de se, essentiaque sua connexa cum præfinito opere non est potestas ad oppositum, quare neque ad opus ipsum apponendum libertas, ac subinde, neque in eo meritum vllum. Secundo eius est in operando meritum, aut demeritum, cuius est determinatio ad operandum: Ast posita præfinitione prædeterminatiua humanarum actionum à Deo, determinatio ad operandum, non quidem hominum, sed Dei solius est: ergo neque hominum sed Dei potius est meritum, aut demeritum in nostris operationibus. Hoc argumentum & est Patrum recitatorum q. 1. & 2. 9.6. cuidens à ratione fiet.

2. Extat etiam contra præfinitores hosce canon 33. seu vltimus sess. eiusdem 6. [Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de nostra iustificatione à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, (scilicet departitione concursus, & operationis liberæ, ac determinationis in nostra à peccato ad iustitiam conuersione inter Deum vocantem, auxiliantem, ac mouentem, atque hominem ad sui conuersionem annuentem) aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit.] Is autem canon cum editus contra Caluinistas, & Lutheranos fuerit, qui, ex partitione operis inter Deum misericordi sua voluntate nos ad bonum excitantem, præmouentem, vocantem, auxiliantem, adiuuantem, & coadiuuantem, seu cooperantem, & nostram voluntatem determinatione sua annuentem, & cooperantem gloriæ Dei, & gratiæ ipsius, his derogari iudicabant: contra eodem modo iudicantes præfinitores prædeterminatiuos Thomistas recentes eodem robore procedit.

3. Quintus locus Tridentini contra Thomisticas præfinitiones prædeterminatiuas nostrarum actionum est canon 22. eiusdem sessionis 6. [Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse (vt aiebant nimirum Pelagiani) vel cum eo non posse, anathema sit.] Extrema hæc canonis pars Thomisticas æquè, atque Caluinianas, & Lutheranas præfinitiones impugnat. Sic ostendo. Quia in hac parte definitur speciale, & indebitum naturæ, & voluntati iustorum auxilium Dei sufficiens iniustis omnibus ad perseuerandum, seu, quo absolutè possint iniustitia accepta perseuerare; atqui si præfinitiones istæ sint necessaria, & essentialia principia ad perseuerandum, non erit in iis, qui non perseuerant in iustitia, auxilium Dei sufficiens, quo absolutè possint in ea perseuerare: ergo præfinitiones istæ præfato canoni aduersantur. Minor probatur: quia sublato essentiali principio ad perseuerandum non est potestas absoluta, seu virtus sufficiens ad perseuerandum: sed iis, qui non perseuerant de facto, deficit præfinitio prædeterminatiua, ac subinde prædeterminatio, quæ est essentiale principium ad perseuerandum: ergo in eis non est absoluta potestas, seu virtus sufficiens ad perseuerandum. Id quod fusius q. 6. à ratione persequemur. Minor est in aduersariorum doctrina indubitabilis; alioqui posset coniungi cum præfinitione prædeterminatiua perseuerantiæ, in iustitia, (quæ sola per hosce speciale Dei auxilium est) negatio perseuerantiæ, ac potestas simultatis, & coniungendi vtrumque, præfinitionem scilicet, & negationem effectus præfiniti; quod aduersarij execrantur. Item præfinitio non esset entitate, & essentia sua connexa cum effectu præfinito: siquidem absque eo effectu in seipsa posset persistere.

4. Idem argumentum efformatur contra eiusmodi præfinitiones prædeterminatiuas ex canone 17. sessionis eiusdem, vbi dicitur. [Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocati quidem, sed gratiam non accipere vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum: anathema sit.] Duo enim hic definiuntur. Primum non dari auxilium sufficiens non prædestinatis, seu præfinitis ad perseuerantiam, & salutem per illam obtinendam. Quod ex doctrina aduersariorum necessario videtur discursu proximo inferri. Secundum prædestinari, seu præfiniri homines ad malum cuius damnatio ad quæst. 6. spectat: sed ea tamen doctrina in principiis, quibus præfinitio, aut determinatio diuina necessaria ad actionem nostram bonam à Thomistis probatur omnino continetur. Et huic quidem argumento de negatione auxilij sufficientis in non consentiente à Tridentino damnata, atque à Thomistis præfinitoribus, & prædeterminatoribus admittenda, ægrius solutiones illæ de sensu composito, & diuiso, etiam in secundo sensu de simultate potentiæ, licet non potentia simultatis, ad quem iam Thomistæ omnes sese receperunt accommodari potest: cum sine omnibus principiis essentialibus, ex quibus principium, seu potentia adæquata totalis, atque absolutè talis essentialiter constituitur, potentia ad actum non præfinitum absolutè esse non possit, absente præfinitione, quæ essentiale principium partiale adæquatum, & absolutam potentiam ad illum constituens per aduersarios est: quare nec simultas potentiæ ad illum, & eius oppositum assignari ab ipsis potest: ac subinde nec principium, aut auxilium ad illum sufficiens.

5. Denique obseruandum, pro horum argumentorum, quæ ex Tridentino deduximus confirmatione, eorum omnium sensum, & robur definitionibus Innocentij, & Alexandri VII. confirmatum, & definitum videri. Dum enim propositiones Cornelij Ianseni ad rem præsentem attinentes condemnât aiunt [hæreticas & damnatas declaramus, & vti tales damnamus.] Cum autem propositiones illæ sint Caluinianæ, & quæ sensum, & solutiones omnes Thomisticas memoratas, satisque iam tunc notas capiant, & sub vocibus, & terminis, quibus eæ omnes solutiones, & sensus Thomistarum continent damnatæ dicantur: scilicet recitatis, & expensis à nobis Tridentini locis: eis cunctis Thomisticas præfinitiones, & prædeterminationes Tridentina hæc fulmina declinare non potuisse videntur. Verum & si ita hæc habeant, vt vidimus, neque ingeniolo nostro difcrimen vtrarumque præfinitionum, & doctrinarum in hac re Thomisticæ, & Nouatorum, quominus altera à Tridentino, non autem altera damnetur, satis clareat; fraternus tamen amor, ac de synceritate fidei aduersariorum æstimatio credere nos facit eorum à Caluinistis differentiam in re præsenti, quem non videmus. An vero ex decretis etiam Pontificis de abstinentia à censuris alterutrius partis iudicium nostrates, & censuram aduersæ reticere teneantur post damnationes propositionum Cornelij Ianseni cert. 5. proponemus.

6. Hinc primæ obiectioni aduersariorum Tridentino, seu potius eleuationi authoritatum, quas ex ipso hactenus produximus, & expendimus, occurrere facilè possumus.

possumus. Rogant enim iam pridem aduersarij apud Petrum à S. Ioseph.loco citato cert.3. n.12. vt, vel vnus, ex Tridentinis Patribus, qui de his rebus typis mandarit, & contra præfinitiones,& auxilia ab intrinseco efficacia sententiam duxerit, proferatur. Amplius enim duodecim Tridentinos Patres recensuimus, ac recitamus, atque in eis Dominicanos eius ætatis Primores, qui contra suorum præfinitiones, & auxilia ab intrinseco efficacia, sententiam ex mente etiam Tridentini, cui adfuerunt, euulgarunt. Mirantur insuper discalceati Carmelitani Salmanticenses, nihil de efficacia voluntatis, & auxiliorum Dei ab extrinseco nostro consensu, atque inde excogitata scientia media, qua, & prædestinationis, efficacis auxilij infallibilitas, & infrustrabilitas cum nostra libertate adeo facilè componi videtur, à Concilio Tridentino statutum; imo, ne memoratum quidem, contra libertatis nostræ acerrimos è Dei voluntate, & gratia impugnatores, tunc fuisse : [Credibile enim non est (si ea solida esset eius controuersiæ compositio) voluisse spiritum sanctum Patribus Concilij tam validum, & potens subticere remedium, quod, non nihil postea, Molinæ aperuit.] Alias inclamat fidenter Ioann. à S. Thoma 1. p. d. 20. art. 6. §. *Denique*, pag. 688. *vbi id dixerit* Concilium? [Vbi de scientia locutum fuit ? vbi efficaciam gratiæ, & decreti diuini ex natura sua denegauerit ? Et quomodo autem non omnes statim obuiis vlnis doctrinam hanc (nostram de efficacia solum ab extrinseco, ac scientia media) in Tridentino contentam amplexati fuerint ?] Sed cum citatis Tridentini locis prædestinatio Dei, & auxilium ab intrinseco efficax reiiciatur, damnando negantes non posse nos illud abiicere, eive pro arbitrio dissentire nostro, ac proinde definiendo ipsi posse nos dissentire, si velimus, illudque abiicere (quod definitio est prædestinationis, & auxilij, seu motionis Dei, non ab intrinseco, sed solum ab extrinseco nostro consensu efficacis) dedimus sanè facilè, quod à Deo anxij in Tridentino tandiu aduersarij quæritabant.

7. Et demirari quidem oblitos hosce admirabundos interrogatores non possumus. Cum enim id, quod nobis, vel semel, modestum accidit, memoria soleat nunquam excidere : atque eis Tridentini testimoniis non semel, aut iterum, sed sæpè quotidie, ac semper à controuersiæ huius exordio aduersarij præfati molestissimè à nostris vexentur : non quidem admirationi solum, sed miraculo habendum merito videatur, adeo ea testimonia memoria aduersariis excidisse, vt quasi de re prorsus ignota informari ab aliis tantopere desiderent. Dubia item illa interrogatio postrema otiosa, inutilis, ac fors imprudens, & rogantibus iniuria est. Vidimus enim Tridentinos Patres, qui post Concilium impressérunt doctrinam hanc nostram obuiis vt dicitur, vlnis fuisse amplexatos : videbimusque quæstione sequenti ab scholis, Academiis, religiosis familiis, & Theologis ferè vniuersis, qui typis mandarunt, summa esse cum laude receptam. Pro paucis vero Thomistis scriptoribus, qui eam non receperunt, facilè respondebimus, si ipsi nobis prius responderint. Cur à Tridentino vehementer, vt minimum, insinuatam, & commendatam Beatissimæ, ac supremæ Matris Virginis ab originali labe immunitatem ab vniuersa reliquorum fidelium (etiam familiæ sanctæ Procerum) Ecclesia iam diu propugnatam, à Summis Pontificibus, & proximè definibilem pauculi, nec supremæ notæ Dominicani, non recipiant ? Idem enim æstimo resistentiæ vtriusque consilium, rationem, & motiuum eosdem causaturos. Nisi quod pro Mariana immunitate deneganda D. Thomæ in aliis (quæ iam diu absunte) circumstantiis alicubi loquentis authoritate se protegent, in resistentia vero prædestinationi, & auxilio, solummodo ab extrinseco nostro libero consensu efficaci, & infallibiliter effectum habituro, omnis prorsus eos authoritas Angelici Præceptoris destituit, vt quæst. sequenti ostendemus. Et sanè minus prudenter, & cautè ratio alicui facti ab illis quæri videtur : qui id contra omnem omnino rationem fieri, factumque esse, tot validis argumentis contendunt

8. Sed aiunt tamen sese, vt nos ex Tridentini locis ipsis datis in hunc impetant modum. Tridentinum eis locis damnat doctrinam, seu errorem Caluini Lutheri, & sequacium : atqui horum error erat ex communibus ipsis cum Thomistis præfinitionibus, & prædeterminationibus nostrarum actionum, earum libertatem, non voce solum, sed re ipsa aboleri : ergo Tridentinum : eis locis damnat asserentes ex præfinitionibus, & prædeterminationibus communibus Caluinistis, & Thomistis nostrarum actionum earum, tam re, quam nomine aboleri libertatem vt nos contendimus. Huic argumento, si teneret, eam deberemus referre gratiam : quod nos ab omni Pelagianismi, æut semipelagianismi vnice hactenus à Thomistis imputati suspicione liberaret : siquidem Caluini, & pelagij, & reliquiarum hac in parte errores sibi immediatè contradicere, adeo est notum, vt vterque in eundem hominem, non omnino vecordem, stupidum, ne dum in vnam eandemque propositionem, & sententiam nostram, cadere nequeat. Secundo recitatos duodecim Tridentinos Patres, & ferè omnes Ecclesiæ Catholicæ Academias, & Theologos primores, quos partim cum Tridentinis dedimus cert.3.partim sequenti q. recitabimus, imo & Ecclesiæ Patres recitatos duabus totis præcedentibus quæstionibus, & Concilia insuper, & Pontificiis definitionibus cert.5.producendis, magno hæreticorum plausu faceret Caluinistas. Ij siquidem omnes vniuersim ex necessitate omni antecedenti natura humanas actiones, & si à Deo, eiusque prædestinatione, præscientiave, aut decreto inducta, earum libertatem euerti constanter docent. Sed certè nihil argumentum probat : quia notissimè falsæ minori innititur. Non enim Lutheri, Caluini, & sequacium error fuit, quod ex præfinitionibus, & prædeterminationibus ad vnum in nostram voluntatem à Deo proximiori naturæ inductis euerteretur voluntatis nostræ libertas : in eo enim ex discursu fors euidenti, ac certè Patribus omnibus Philosophis, & Theologis cunctis (si Thomistas excipias, qui in eo, vtcumque eludendo, tandiu laborant, & hærent,) vt non concludere, mysterium esse velint) probatissimo : quare citra errorem, eiusve periculum processerunt. Fuit autem eorum error, quod ex parte antecedentis ad voluntatis operationem ea conprincipia suis præfinitionibus, & prædeterminationibus (quas obinde Catholicorum eadem, & si ipsi fateantur, esse nollem) ad operandum determinantia, & necessitantia statuerint, vt eis positis absolutè non possit voluntas dissentiri, si velit, easve abiicere renuendo: quibus solummodo verbis rem libertatis à se definitæ, & à Caluino damnato suis præfinitionibus negatæ Concilium expressit.

9. Vltimo hic opponendus nobis, excutiendusque esset Pelagianismus, aut semipelagianismus saltem, ne eorum errorum à nostra sententia diuersitatem ostendissemus cum futuritionem conditionatam ante decretum vllum Dei actuale absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti statuebamus : quia determinationem arbitrij nostri ad operandum non ita à nobis esse dicimus, vt omnino à nobis, seu ex naturæ nostræ debitis absque Dei misericordi voluntate, & gratiæ auxilio præueniente, excitante, & cooperante sit, eiseve possit : vt de omnibus determinationibus ad bonum Pelagiani, de aliquibus autem semipelagiani aiebant, qua doctrina nostra, eiusque ab eis errotibus diuersitate explicata Odoardus Vvestonus 3.de tripl.hom.offic.c.29 [§.Postremo illa gratia,ait, vbi iam Pelagianismus, quem nostris partibus affingunt? Vtinam ita illi Caluinum respuerint, vti nos Pelagium R. Petrus à S. Ioseph. præfat.tract. de grat.diuina. [Certè si sententia,quam propugnamus, esset Pelagiana non tantum Illustrissimus Bellarminus, Molina, Suarez, Vazquez, Lessius, & reliqua Societatis Iesu lumina, sed etiam Prælati non pauci doctrina, & virtute conspicui, item propè infiniti diuersorum ordinum Doctores celeberimi inter Pelagianos recensendi essent; quod quis sibi, amabo te, persuadere valeat. Potius fortasse timendum erit, ne ij, qui tam illustrium virorum doctrinam erroris insimulant, Pelagianam Charibdim vitare cupientes, in Scyllam Lutheranam, aut Caluinisticam incautè incidant.] Et ab hac quidem obiectione suæ, & nostræ huic doctrinæ cautum satis à Tridentino videtur canone 33. quem recitauimus n.2. Alia, quæ ex difficultate conciliandi cum prædestinationis certitudine, & infallibilitate nostram libertatem à Patribus asserta, quæ hac nostra sententia videtur omnino euacuari, similibusque aliis obiici poterant, commodius q.6. diluentur. Hac vero quæstione, & si, quæ ab aliis dicta retulimus, Caluinismi aduersarios notare videantur

videantur eorum censuris omnino abstinemus: ea enim solummodo adduximus, atque argumenta, quæ id suadere videntur toto suo robore instruximus, vt videant, qui hæc legerint, non adeo stupide, atque Ioann. à sancto Thoma aiebat, Thomistis Caluinismum à nostris opponi.

CERTAMEN V.

Ex reliquis Conciliorum, & Pontificum definitionibus præfinitiones Thomisticæ ablegantur.

1. DEfinitionibus Tridentini contra Thomisticas humanorum actuum prædeterminatiuas præfinitiones pugnatum hactenus est: aliis iam Conciliorum, & Pontificum definitionibus, & decretis certandum. Et primo Concilium Constantiense sess. 8. inter propositiones quadragintaquinque pestiferi hæresiarchæ Ioannis Vvicleff, de Anglia, vti hæreticas, erroneas, seditiosas, scandalosas, damnandas, ac de facto ibi ab eodem Concilio damnatas, vigesimam septimam sic proposuit. *Omnia de necessitate absoluta eueniunt.* Cum autem ea propositio expressis scripturæ testimoniis de nostrarum actionum contingentia, & libertate contradicat, illa quidem sub prima hæresis censura continetur? Ea vero propositio eadem est cum Lutherana, & Caluiniana de necessitate ex Dei præfinitione, & prædeterminatione prouenienti, ex qua solum necessitatem illam absolutam omnium Vvicleffus asseruit, vt Lutherus suprà recitatus cert. 2. n. 4. sed hanc eandem esse suam fatentur Thomistæ, qui in antecedenti præfinitionum, & prædeterminationum, & necessitatis in actu primo operandi præfinitum, & prædeterminatum extremum per eas in nostram voluntatem inductæ cum Caluinistis, & Lutheranis conuenire sibi asserunt; & si in negatæ inde libertatis nostræ (quod hi hæretici admittunt, recentes vero Thomistæ negant) differre testentur, vt vidimus locis citatis cert. 2. ergo ea ipsa præfinitionū, & prædeterminationum Thomisticarum doctrina, & necessitas hæresis damnata à Concilio Constantiensi fuit. Etsi autem de authoritate damnationis huius ea sess. 8. prolatæ dubitari, vtcumque, posset: quod eius sessionis tempore trium Papatus in Ecclesia esset. Scilicet D. Petri de Luna dicti Benedicti XIII. Ioannis XXIII. & Gregorij XII. tunc papatorum: & sub Ioanne ea sessio habita, nec tunc ab ipso approbata nec abrogato postea ipsi per Concilium, atque ab ipso Ioanne abdicato à se Pontificatu, fuerit approbata; verum cum postmodum Gregorius XII. apud idem Concilium per Legatos suos Pontificatum deposuerit, & Concilium in Benedicti contumaciam animaduertens seruata iuris forma in causæ cognitione sententia lata ipsum Pontificatu depulisset Martinus V. summo omnium consensu electus, & promulgatus est, qui anno 1418. decimo Kalendas Maij (quo die Concilium soluit) eam damnationem relatis singulis Vvicleffi propositionibus Pontificia sua authoritate confirmauit.

2. Extant autem contra prædeterminatiuas hasce præfinitiones antecedentia causalitatis, & naturæ nos ad vnum efficiendum determinantes in Concilio Senonensi contra hos Lutheri errores paulo ante Tridentinum coacto testimonia præclara: quod, licet prouinciale fuerit, magnæ tamen apud Catholicam Ecclesiam authoritatis extitit semper; fuit enim habitum Parisiis à die 3. Februarij, anni 1527. ad 9. Octobris 1528. Præside Eminentiss. D.D. Antonio Prato Cardinali de S. Anastasia Senonensis Archiep. Germaniæ, & Galliæ Primatis adstantibus suffraganeis, multisque diuini, & humani iuris interpretibus, vti ex citandis eius locis constat. In eius præfatione ita habetur. [Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse ita necessariam esse diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat. Testis siquidem est Apostolus diuinam gratiam in se vacuam non fuisse.] 1. Corinth. 15. [Cum abundantius, inquit, laborauí; non ego autem, sed gratia Dei mecum: vtrumque nimirum alteri connectens Apostolus, noluit liberum arbitrium otio torpescere cum Manichæo; & arrogantiam deuitans Pelagij, sic cooperationem tribuit libero arbitrio, vt ex se tamen, & citra diuinæ gratiæ munus sufficere non posset ad salutem.] Non aliis, sed eisdem omnino verbis (quæ etiam Augustini, & aliorum suprà recitatorum Patrum sunt) nostram contra prædeterminatiuos præfinitores omnes doctrinam proponimus, & explicamus. Et, licet præfatio illa definitionis vim non habeat; ast, cum ex iis, quæ Concilio, eiusque Patribus, tum ex animantibus, tum iis de rebus definituris scripta fuerit sententiæ de re hac, & Patrum, & Concilij exceptione omni maius testimonium est, sed Concilium ipsum decreto 15. ex decretis fidei, quod est de libero arbitrio, sic habet. [Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat filios suos sub alis, & noluerunt? Frustra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis, & in circumcisi cordis arguebat, qui semper spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent: si diuinis inspirationibus homines ineuitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus; sed in eius odorem currimus, non vi, non vnco rapramur.] Cum autem resistentia auxilio, & voluntati Dei, quæ actu non sit, esse nequeat, in sensu composito illius diuinæ voluntatis, & auxilij, quo Deus nos trahit, posse nos resistere renuendo per consensus negationem, Concilium definit. Nec recursus ad Dei trahentis auxilium, secundum suam solum entitatem consideratum, non autem, vt subest voluntati diuinæ trahendi nos (quomodo resisti nequeat, vt ait Aluarez 9. de auxil. d. 93. n. 2. & 3.) esse potest, quia hoc decreto non entitatis auxilij tantummodo, sed voluntatis etiam diuinæ congregandi nos, sicut gallina filios suos sub alis expressa fit mentio. Reliquæ solutiones tentatæ ab aduersariis ad loca Tridentini præoccupatæ iam sunt cert. 2. & à ratione q. 6. vberius, ac planius & plenius reiicientur.

3. Veniamus tandem ad vrgentissimas definitiones, & damnationes quinque propositionum Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis ex libro inscripto *Augustinus*. Ab Innocentio X. primum editas, ac postmodum ab eiusdem successore Domino nostro Alexandro VII. confirmatas. Prioris de eis damnationibus decretum est huiusmodi. [Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis in Christo fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallis controuersia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, ac perspicuam ferremus sententiam. Tenor autem præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima, aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Secunda interiori gratiæ in natura lapsa nunquam resistitur. Tertia ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, & in hoc erant hæretici: quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta, Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, (quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa purgatis prauarum opinionum erroribus tuto militare, &, tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac pro vellis feuire nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit) pro rei gravitate coram aliquibus Rom. Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis à pluribus in sacra Theologia Magistris easdem quinque propositiones, vt suprà nobis oblatas, fecimus singilatim diligenter examinari; eorúque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature considerauimus: eosdéque Magistros variis coram nobis actis congregationibus prolixe super eisdem, ac super earum qualibet differētes audiuimus.] Cū autē ab initio huiusce modi discussionis ad diuinū implorandū auxiliū multorum

Christi fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixissemus; postmodum iteratis eisdem feruentius, ac per nos solicitè implorata sancti spiritus assistentia, tandem diuino numine fauente ad infrà scriptam deuenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum propositionum. Aliqua Dei præcepta, &c. temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, &, vti talem, damnamus. Secundam interiori gratiæ, &c. hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Tertiam ad merendum, & demerendum, &c. hæreticam declaramus, &, vti talem damnamus. Quartam. Semipelagiani admittebant, &c. falsam & hæreticam declaramus, & vti talem, damnamus. Quintam semipelagianum est dicere, &c. impiam, blasphemam, contumeliosam diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti declaratione, & definitione continetur sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis, necnon hæreticæ prauitatis inquisitoribus, vt contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, omnino coërceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnat. Dominicæ. Milless. sexcenteff. quinquages. tertio, pridie Kalendis Iunij Pontificatus nostri anno nono.

4. Cum autem hac definitione, & damnatione tacti variis eam artibus & explicationibus eludere post Gregorij obitum Iansenistæ tentarent: ipsius successor Sanctiss. Dom. noster Alexander VII. illam sequenti bulla, & definitione stabiliuit. [Alexander Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad sanctam B. Petri sedem, & vniuersalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili diuinæ prouidentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis, euecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam, vt sanctæ fidei nostræ, ac sacrorum dogmatum integritati tradita nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis constitutionibus abunde fuerunt definita, nouæ deceptionis, siue declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ vtilitatis perturbatores illa in dubium reuocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur: ne morbus iste latius diuagetur, promptum. Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanauit siquidem à fœlic. recordat. Innocentio Papa 10. prædecessore nostro constitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui sequitur.] Qua Innocentij definitione ad verbum, vt suprà posita pergit Alex. [Cum autem nonnulli iniquitatis filij prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto eiusdem Cornelij Iansenij non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident. Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attente perspeximus (vtpote, qui eiusdem Innocentij prædecessoris nostri iussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua maior desiderari non posset) quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes; vt omnes Christi fideles in eiusdem fidei vnitate sese contineant: ex debito pastoralis officij matura deliberatione præinsertam Innocentij prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus & innouamus: & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem intento damnatas fuisse declaramus, ac definimus; ac vti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione vnicuique illarum, singillatim inuritur, iterum damnamus. Ac eundem librum sæpè dicti Cornelij Iansenij, cui titulus, Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis mandatos, & si fors in posterum edi contigerit, in quibus prædicta eiusdem Cornelij Iansenij doctrina vt suprà damnata, defenditur, vel adstruitur, aut defendetur, & adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur, publicè, vel priuatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in iure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum ordinariis, ac hæreticæ prauitatis inquisitoribus, ac iudicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, vt præinsertam eiusdem Innocentij prædecessoris nostri constitutionem declarationem, ac definitionem iuxta præsentem nostram determinationem ab omnibus obseruari faciant: ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque iuris & facti remediis, inuocato etiam (si opus fuerit) brachij secularis auxilio, omnino coërceant. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ann. incarnat. Dominicæ Milles. Sexcentes. quinquages. sexto, decimo septimo Kalend. Nouemb. Pontificatus nostri anno secundo. Cardinal. Prodatar. Gualterius visa de curia P. Giampinus.] Quo anno die 7. Nouemb. plumbeo sigillo affixas has literas ad Valuas Basilicæ sancti Principis Apostolorum de Vrbe Cancellariæ Apostolicæ, & aliis Vrbis consuetis locis per Petrum Paulum de Grassis fidem, & ipse, & pro Magistro cursorum Iacobus Cornelius cursor facit.

5. Hæ vero omnes definitiones, & singulæ Thomisticas æquè, atque Lutheranas, & Caluinianas præfinitiones damnare videntur. Dixi omnes, & singulas. Nam prima propositionem primam Cornelij Iansenij condemnat, videlicet. [Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.] Quam concorditer vtraque præfatorum Pontificum præmissa definitionis sugillat. *Temeriariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Idcirco anathematizata declaratur, & hæretica, &c. atque vt talis damnatur: quia negat auxilium sufficiens gratiæ, qua absolutè aliqua Dei præcepta implere ponimus, & absolutè potentes ad illa constituamur: quia negat auxilia gratiæ sufficientia ad non peccandum, seu præcepta Dei implenda. Id quod in Lutheranis, & Caluinistis damnatum iam erat anathemate in Tridentino sess. 6. can. 22. quem recitauimus cert. 4. num. 3. cum autem eo numero ex præfinitione omni essentialiter prærequisita ad operandum, atque independenter ab vsu libertatis nostræ apponenda gratiam sufficientem aboleri ostenderimus, ostensurique plenius simus à ratione quæst. 6. iure, non solum eis definitionibus Pontificum ea propositio, vt hæretica damnatur, ac etiam damnata declaratur, sed & præfinitiones Thomisticæ, quibus connexa similis propositio est, definitionibus eis mediatè opponi videtur. Eadem ratione secundæ propositionis Cornelij Iansenij damnationibus, tangi mediatè præfinitiones videntur: quia ea propositio auxilia gratiæ sufficientia relegabat, solis efficacibus admissis. Erat quippè [Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.] Ac proinde, cui resistatur, nullam esse gratiam Dei: sufficiens autem, ac non efficax gratia ea est, cui resistitur. De ea vero propositione vterque Pontifex, ait, *Hæreticam declaramus.* Nec minus contra Præfinitores omnes faciunt damnationes similis præfatis duabus doctrinæ propositioni Cornelij Iansenij quintæ ab vtroque Pontifice adiunctæ; ea enim erat: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Ideo enim id dicebat Iansenius: quia pro eis solum mortuum Christum putabat, quibus auxilia efficacia ad salutis consecutionem meritis, morteque sua obtinuit: quia negabat reliquis ex gratia

gratia Dei per Christum auxilia sufficientia, de ea verò Pontifices ambo aiunt: *Impium, blasphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Declarat autem hæreticam, nec solum hæresis damnat, quia antea damnata etiam in Lutheranis, & Caluinistis (sicut memoratæ aliæ) à Tridentino fuerant Canone 17. quem recitauimus, & perpendimus citato art.4.n.4.

6. Sed tertiæ, & quartæ propositionum Cornelij Iansenij damnationes Pontificiæ præmissæ vrgentius adhuc, & immediatius præfinitiones etiam Thomisticas exterminant. Tertia propositio fuit. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* De qua ita Pontifices ambo censent: *Hæreticam declaramus; & vti talem damnamus.* Declaratur verò hæretica: quia iam damnata erat etiam à Tridentino sess.6. cap.5. & Can.4. recitatis certam.1.num.1. quæ de libertate nostra, & potestate ad non consentiendum, seu dissentiendum posito auxilio gratiæ, cui consentimus, seu (quod idem est) efficaci, statuitur: ei siquidem potestati ad vtrumvis, necessitas potentiæ ad consensum determinans, & non inclinans ad vtrumvis omnino contradicit, vt non semel antigimus, & ex instituto quæst.6. ostendemus: Sed certe definitiones præsentes rem nobis hanc citra discursus nostri laborem dederunt: scilicet ad meritum, ac demerendum: quia libertas, seu potentia ad vtrumvis requiritur, non sufficere libertatem à coactione, verum etiam à necessitate requiri in voluntate libertatem: ergo definitur stante libertate à coactione in voluntate nostra ad operandum, dummodo necessitas ad operandum alia in voluntate sit, à qua voluntas non sit libera, non esse absolutam libertatem, necessariam vtique ad merendum, & demerendum. Patet: quia quacumque necessitate alia ad operandum, posita, non erit absolute libertas à necessitate, quam requiri Concilium definit: ac proinde, si libertas absoluta ad operandum necessaria, ad merendum cum ea necessitate adesse admittatur, condemnata propositio expresse admitteretur. Eligant ergo aduersarij, an præfinitiones suæ prædeterminatiuæ necessitatem aliquam ad operandum inducant necne? si non inducunt, eis adhuc positis, nulla erit necessitas operandi, siue, vt voluntas operetur: quare neque præfinitiones prædeterminatiuæ natura, & essentia sua connexæ cum operatione voluntatis erunt: quod solum contendimus, sineque doctrinæ contradicit. Si autem dicant, suis præfinitionibus prædeterminatiuis necessitatem aliquam ad operandum, siue, vt voluntas operetur afferri, libertatem absolutam necessariam ad merendum, ac demerendum eis præfinitionibus euerti fateri coguntur; vel definitionibus hisce Pontificiis contradicere; quod de Catholicis doctis, piisque Patribus, non absque magna temeritate, vel leuiter suspicari nefas erit.

7. Neque verò dici potest præter libertatem à necessitate coactiua alias plures necessitates esse: ab vna autem earum, quæ non sit necessitas præfinitionum suarum, si detur ab ipsa libertas: satis erit, vt ad meritum, ac demeritum detur libertas non solum à coactione, sed à necessitate. Cæterum, etsi aliæ plures necessitates ad operandum à necessitate coactionis diuersæ assignari, atque intelligi, & explicari possent: si, vel ab vna illarum, non sit libertas, libertas absolute à necessitate non erit: quemadmodum etsi aliquis à necessitate morali seruiendi alicui, vel reliquis, qui dominium in ipsum non habent liber sit, si tamen moralem necessitatem seruiendi, vel vni soli domino, habet libertatem à necessitate morali seruiendi absolute non habet: & quia vectigalibus aliquibus, non autem ab omnibus libertatem habet absolute liber, & immunis à Vectigalibus, neque est, nec dicitur. Et ratio est; quia immunitas, & libertas, etsi voces positiuæ sint, tamen negatiuum significant: scilicet negationem seruitutis, & subiectionis: ac proinde terminum, cuius immunitas, & libertas dicuntur, distringunt, atque adeo omnes sub eo termino contentas seruitutes, subiectiones, & necessitates negant; cum ergo necessitas ad operandum, siue, vt voluntas operetur ab aliqua dicta, omnem necessitatem ad operandum, siue, vt voluntas operetur (vtpote communis his omnibus) sub se contineat, & coerceat, dum libertas absolute à necessitate ad operandum, siue, vt voluntas operetur, eis Pontificis decretis, & definitionibus necessaria ad meritum ac demeritum requiritur; non quidem libertas ab vna, vel alia, vel pluribus solum necessitatibus, etiam non coactiuis, voluntatis ad operandum, siue, vt voluntas operetur, requisita definitur, verum etiam libertas ab eiusmodi necessitatibus omnibus.

8. Secundo: secluſa necessitate consequenti determinationem liberam voluntatis, quamque ipsa voluntatis determinatio, seu operatio à potestate ipsius indifferenti (vt Anselmus, & Patres supra recitati quæst.3.cert. 4. aiebant) prouenions facit, & quæ, cum libertate requisita ad meritum, ac demeritum amice componitur: & secluſa etiam necessitate coactionis, cuius immunitatem etiam Cornelius Iansenius ad libertatem merito, ac demerito necessariam cum omnibus etiam Thomistis, & hæreticis fatetur: nulla necessitas pro priori naturæ ad operationem voluntatis, neque ab eius libero exercitio esse potest, quæ in necessitando voluntatem ad operandum, & non relinquendo potestatem illius indifferentem ad vtrumvis ab alia excogitabili necessitate differt: quia hoc totum, cuicumque speciali necessitati antecedenti pro priori naturæ voluntatis operationem, cum qua connectitur, atque ab eius libero exercitio independenti, ex prædicato communi necessitatis antecedentis natura operationem voluntatis, ab huiusque exercitio libero independentis conuenit: quare, sicut nulli eius generis speciali necessitati deesse magis potest, quam suis speciebus: ita nulla specialis eius generis necessitas excogitari potest, quæ magis, minusve, quam alia, libertati voluntatis officiat. Scio à Thomistis relatis à nostro Soar.1. de auxil. cap.10. num.6. & à Ioanne à Bononia de prædest. pag.514. ea distinctione duplicis potentiæ, & duplicis necessitatis vsos esse, & illa quidem vtuntur in hoc, & similibus difficultatibus. Cabrera in 3. part. tit.2. quæst.116. à num.302. Ioann. Gonzal.1.par.d.58. sect.2. Ioann.à S. Thom.tract.de volunt.d.5.art.6.num.13. scilicet necessitatis, & potentiæ absolutæ, & necessitatis, & potentiæ infallibilitatis. Et necessitatem absolutam ad vnum extremum pugnare cum potentia absoluta ad eius oppositum siue priuatiue, siue negatiue, ac proinde cum libertate ad vtrumque, quare & cum merito operationis, ad quam ita necessitata voluntas est; similiterque necessitatem infallibilitatis cum potentia infallibilitatis; cæterum necessitatem infallibilitatis stare posse cum potentia absoluta ad oppositum: quia, licet absoluta, potestas physica ad oppositum ponendum sit; ast infallibiliter nunquam illud est appositura: quod solum dicit necessitas infallibilitatis apponendi actum.

6. Definitiones igitur, aiunt, Pontificum de necessaria ad meritum, ac demeritum libertate nostrorum operum à necessitate, de libertate, à necessitate absoluta loquuntur, quæ potentiæ physice actiuæ arbitrij ad negationem operis est: hæc quippe potentiæ absolutæ, physice actiuæ ad oppositum (qua essentialiter stat libertas arbitrij, & operationis nostræ) contradicit: hanc verò necessitatem ad operandum voluntati à Thomisticis præfinitionibus prædeterminatiuis nullatenus inferri aiunt; sed solam necessitatem infallibilitatis; quæ absolutæ eius potentiæ physicè actiuæ ad oppositum, quare neque eius, & operationis prædeterminatiuæ præfinitæ libertati repugnat. Hanc solutionem huc ex parte impugnandam remisi q.4. certam.2.num.13. Et, licet fusius impugnanda sit à ratione quæst.6. eam tamen breuius impugno. Primo: quia Ethnicorum fatalium solutio fuit apud Iulium Sirenium 3. de fato cap.22. de eis aientem. *Dicebant enim, licet voluntas aliter re vera operatura non ſit, tamen poteſt abſolute operari.* Secundo: quia, si necessitas hæc infallibilitatis, vt operetur voluntas in prædicatis intrinsecis præfinitionis prædeterminatiuæ est, nec sumitur à futuritione ipsa operationis, quatenus est necessitas, qua necesse est fore, seu futurum esse quidquid semel futurum est (quæ quidem solum est consequens necessitas, & infallibilitas) nequit non necessitas infallibilitatis, vt operetur voluntas, tota præfinitioni prædeterminatiuæ intrinsecæ, ex eaque desumptæ totaliter, & adæquate necessitati absolutæ, physicæque vt voluntas operetur, præfinitione inductæ tandem inniti. Etenim necessitas infallibilitatis formaliter sumpta cognitionis obiecti propria

est, supponitque necessitatem obiectiuam: quare, si est necessitas infallibilitatis futuritionis vnius ex alio tota tota in hoc alio fundata, necessitas ea illationis obiectiuæ futuri ex illo alio, nempe præfinitione prædeterminatiua, nequit esse sine essentiali connexione physica, & metaphysica huiusce præfinitionis cum futuro; in qua stat physica, ac metaphysica, atque absoluta necessitas; ea quippe connexione sublata non erit ex præfinitione infallibiliter obiectiue, ac subinde neque formaliter operatis futuritio: atqui ab ea necessitate liberam esse oportere voluntatem, vt meritorie operetur, definitum esse ea solutione admittitur: ergo contra præfinitiones prædeterminatiuas immediate, & directe militat præfinitio. Mitto in citatum locum reliqua.

10. Denique ex damnatione quartæ Cornelij Ianseníj propositionis arguitur. *Semipelagiani admittebant præuenientu gratiæ interioru necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Cui propositioni hanc Pontifices damnationem iniunxere: *falsam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Falsitatem illius, quoad historiale eius propositionis meritissime declarantes, vt constat ex quæst. 1. cert. 6. & 7. hæresim vero, quoad eius doctrinale: quod scilicet gratiam, cui voluntas posset resistere admittentes (vt talio de illis Cornelius Ianseníus ibi retulit) essent hæretici: quare, cum eam, quoad hoc, hæreticam declarant Pontifices, & denuo, vti talem condemnant, definiunt eius oppositam: scilicet interiori gratiæ Dei necessariæ ad quodvis opus, etiam fidei initium, resisti posse, definitam iam esse (scilicet locis Tridentini recitatis cert. 1. ex sess. 6. cap. 5. & Canon. 4. & à cert. 2. perpensis) ac denuo definiri. Alioqui, id negare, vel hæreticum dicere hæresis non foret, neque posset hæresis damnari. Neque enim hæresis propositionem aliquam probabilem, aut etiam veram, & lumine solum naturæ certam notare, hæresis est; etsi sit stupidum improbabile, ac temerarium; sed solum notam eam propositioni definitæ & quæ de fide proinde sit inurere: ergo ex iis definitionibus constat de fide esse auxilium efficax, & voluntatem Dei prædestinatiuam, quam, vt efficax supponit saltem, eius esse naturæ, vt ei resistere possit humana voluntas: atqui, si prædeterminatiua præfinitio, quam auxilium efficax, vt efficax includit, vel saltem essentia sua supponit, iuxta varias aduersariorum opiniones, vel prædeterminatio ipsa de sese, natura sua, atque ab intrinseco, connexa cum opere nostro præfinito prædeterminatiue supponatur ex parte principij requisiti essentialiter ad operandum, non potest absolute nostra voluntas resistere illi: ergo nequit à Thomistis eiusmodi præfinitio prædeterminatiua defendi, quin definitioni huic Concilij aduersentur, & damnationi hæresis subiaceant. Minor videtur firma. Nam resistentia præfinitioni prædeterminatiuæ, quamdiu est, si ita de se efficax est, & physice, ac metaphysice connexa cum operatione præfinita nequit fieri, nisi per operationis præfinitæ, &, ad quam vocamur, omissionem: id autem fieri omino nequit, quamdiu vocatio, & præfinitio de se efficax est, seu pro tempore, pro quo præfinita est; Alioqui posset præfinitio prædeterminatiua esse sine operatione, cui essentia & entitate sua præfinitio connectitur: quare & posset iam præfinitio prædeterminatiua sine se ipsa esse: vnde potentia ad resistendum præfinitioni, est potentia, vt præfinitio sine seipsa sit, quæ est implicatoria potentia vt quæst. 6. vrgebimus contra distinctionem sensus compositi, & diuisi tam frequentioris aduersariis: quo autem pro instanti, pro quo non est operatio prædeterminatiue præfinita, possimus illam omittere (qui est primus Thomisticus eius distinctionis sensus) satis non est ad potentiam resistendi, & non obtemperandi: quia resistentia non fit, fierive potest suasioni, & voluntati Dei, nisi pro instanti, pro quo est, & pro quo suadet, & impellit: & non obtemperatio, nisi pro tempore, pro quo Deus vult, & suadet, ac proinde, pro quo potest esse obtemperatio, fieri nequit. Reliquarum distinctionum, & solutionum ex hac apud aduersarios ortarum impugnationes omitto: quia, & supra nonnullas dedimus, & reliquas impugnationes quæstione 6. à ratione dabimus.

11. Sed in primis: quia eæ omnes distinctiones, & aduersariorum effugia multo ante editas hasce Cornelij Ianseníj propositiones cunctis erant nota; ab eoque iisdem sensibus, & distinctionibus (quas omnes Caluinistæ etiam quibus in eis præfinitionibus adhæsit, ex Caluino ipso pro suis erroribus suadendis, ac tutandis adhibuerunt, vt vidimus certam. 2.) propositiones illæ fuerunt assertæ: ac insuper cum de eis Romæ apud Congregationes Innocentij 10. iussu, atque apud Innocentium ipsum sæpe disputatum est, vt ad earum Pontificiam censuram deueniretur, à Ianseníistis, & Dominicanis Partibus iunctis (vt aiunt) copiis eædem solutiones, distinctiones, & sensus earum propositionum sæpe, atque instanter repræsentatæ sunt, ac repetitæ vt earum damnationes Pontificiæ auerterentur; & tamen eis omnibus auditis, per otiumque maturissima deliberatione examinatis, atque perpensis, eiusmodi propositiones Cornelij Ianseníj damnatæ sunt ab Innocentio 10. primum, atque ex ante actis in Tridentino hæreticæ declaratæ: ac postmodum ab eius successore Dom. nostro Alexandro Vij. qui (vti ipse suo decreto recitato testatur) eis omnibus Congregationibus, & disputationibus interfuit: ergo, quia nullo ex eis sensu distinctione, aut doctrina eiusmodi propositiones Catholicas esse posse, aut hæresim exuere ab vtroque Pontifice à Cathedra, & Spiritus Sancti assistentia definiente iudicatum est: etenim, si sensu aliquo præcipue ex adeo notis iam diu, & tunc sæpe, & instanter propositis, ac repetitis absolute veræ, & Catholicæ illæ propositiones essent, esseve possent, nec cordate à Pontificibus absolute, ac sine vlla sensus distinctione damnarentur, nec Spiritus Sanctus eis definitionibus assistens, ac definientibus suggerens, damnari absolute permitteret: quocirca in dubium saltem verti posse alicui videatur: an post has Innocentij 10. & Alexandri VII. de definitiones Doctoribus sententiæ nostræ de scientia media, atque auxiliorum efficacia, liceat iam disputationes de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ contra intrinsecam Thomistarum efficaciam Typis etiam mandatis libris & disputationibus agere. Cum enim id vtriusque opinionis doctoribus, quovique aliter de hac re à Sede Apostolica statueretur, solummodo prohibitum sit, atque his Pontificiis definitionibus præfato examine, & disputationibus præmissis de præfinitionibus Thomisticis prædeterminatiuis, ac prædeterminationibus physicis, seu auxiliis de sese efficacibus actum videatur, fors alicui, non omino absque prohibitionem illam pro nostræ sententiæ Doctoribus cessasse videbitur.

QVÆSTIO IV.

An per Academias, & Sanctam Inquisitionem liceat præfinitionis Thomisticæ ad absolutam futuritionem contingentis necessitas.

HANC etiam quæstionem seorsim instituere aduersariorum querula (constantiam modestiæ causa dicamus) tenacitas fecit: qui cum Theologicarum, & naturalium rationum iudicio, Scripturæ, Patrum, Conciliorum, & Pontificum momentis imparem suarum prædeterminatiuarum præfinitionum sententiam nostræ tandem recognoscerent, scholasticos Doctores appellarunt: contendentes nostrum Ludouicum Molinam (qui primus cæteris acrius, duriusque bellum eiusmodi præfinitionum prædeterminatiuarum ac prædeterminationum recens excogitatæ à Magistro Bannez ad absolutam contingentis futuritionem necessitati bellum, victoria demum, & triumpho finiendum, indixit) exoticum aliquid, & contra Philosophorum, & Theologorum statam eo vsque sententiam paradoxum in scholas inuexisse. Id igitur hic ex certis Academiarum citationibus, ac recitationibus examinan-

examinandum est : atque nonnihil historiæ disputationum, & actorum Sanctæ Inquisitionis super hisce rebus, quia & hæc in Academiarum iudiciis attinguntur, erit adiungendum.

CERTAMEN I.

Academiæ plures necessitatem præfinitionum Thomisticarum, seu cuiusvis principij essentialiter requisiti ad futurum contingens, huic connexum, ab eoque in sui positione independens iam pridem firmiter excluserunt.

1. CVm inter Theologicas Academias, Parisiensis antiquitatis nobilitate cæterarum parens, princepsque sit, ipsius testimonium primum, ac præcipuum esse debet. Stephanus ergo Paris. Episcop. anno 1226. è consilio, collatione, & suffragiis Magistrorum Theologorum Academiæ Parisiensis aliquot propositiones variis censuris damnauit, vti habetur sub finem libri 4. sententiarum: inter quas erroris damnatur hæc propositio: *voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moueri; & mouente sic disposito, quod naturum sit mouere: impossibile est voluntatem non velle.* Atqui existente voluntate efficaci prædeterminatiua consensus, qua solum in aduersariorum sententia, Deus primum mouens apte est voluntatem aptam mouere, non potest non voluntas consentire, seu (quod idem est) impossibile est voluntatem non velle: ergo ipsissima præfinitionum prædeterminatiuarum doctrina damnata iampridem fuit ab schola Parisiensi titulo etiam 6. *De necessitate rerum*, §. 1. hæc alia propositio damnatur. *Nihil euenit contingenter consideratis omnes causas*: ergo aliquid euenire contingenter debet consideratis omnibus causis requisitis ad operandum: quibus scilicet positis contingens non esse damnatur: atqui hoc solum de euentibus, seu operationibus oriundis à causa, seu arbitrio creato liberis verum habet: cum de euentibus, seu operationibus causarum naturalium certum sit necessario omnes effectus, consideratis omnibus causis ad eos requisitis euenire: ergo damnatur ab schola Parisiensi positis omnibus causis requisitis ad operandum operationes, & effectus causarum liberarum non euenire contingenter, seu, quod ipsum est necessario euenire. At vero, si præfinitio prædeterminatiua Thomistica in causis necessario requisitis ad operationem, & effectum arbitrij, & voluntatis creatæ numeretur (vti à Thomistis numeratur) consideratis omnibus causis non eueniet, eritve contingens, sed necessarium: quippe, cui præfinitio determinatiua, ac subinde tota causarum collectio, in qua ipsa clauditur, essentia, & entitate sua connexa necessario, & inseparabiliter est per Thomistas: ergo ea præfinitio prædeterminatiua damnatione Parisiensi comprehenditur.

2. Dicere, vtcumque, aduersarij possent absolutam contingentiam effectus considerando omnes causas ea damnatione assertam saluari, ex eo, quod alicui earum causarum contingens euentus, seu effectus sit. Cum autem in causis cuiusvis affectus, seu effectus creati Deus causa eorum prima sit, atque ita velit ad quoscumque effectus concurrere, vt non concurrere, ac non velle, seu nolle pro sua libertate possit è libera & contingenti Dei voluntate effectus, & euentus creatus contingens absolute erit. Sed, præterquam quod ea doctrina, non aliter voluntatis nostræ, atque vniuersim cuiusvis causæ liberæ creatæ effectus contingenter respectu omnium futurum causarum erunt, quam causarum necessariarum effectus, qui tamen necessarij absolute euentus, ac non contingentis, à Philosophis, & Theologis dicuntur: extra rem, & mentem Episcopi, & scholæ Parisiensis ea solutio est. Etenim, quod ex Dei libertate, & voluntatis diuinæ, quam creata omnia ad sui existentiam supponunt contingentia, effectus omnes contingentiam, neque respectu Dei necessario eueniant extra controuersiam in schola Parisiensi, cæterisque Catholicis, imo & Christianis, etiam hæreticorum; Academiis, semper fuit: quare nec de eo vnquam fuit in schola seria disputatio, & controuersia, negantibus obstinato aliquibus: quorum errori non otiose, & inutiliter ea foret damnatione occurrendum. Error autem, qui circa ea tempora fuisse reperitur, stat 1. sententiar. dist. 38. asserentium: considerata collectione tota causarum, necessarium sit, nec contingens, volnntatem nostram operari vbi Capreol. quæst. 1. art. 1. à d. 1. ait: *Illi articuli*, præfatæ damnationis, *excommunicant ponentes omnia euenire necessario absolute omnibus causis compensatis.* Secundo ideo debet effectus quivis absolute contingens esse Deo, & subinde toti causarum collectioni: quia Deus liber agens illius est: atqui causa creata libera liberum agens respectu suarum operationum est ex fide: ergo eius operationes contingentes ipsi esse debent, etiam in consortio reliquarum causarum requisitarum ad earum elicientiam demum prima damnatio recitata de contingentia, & possibilitate non essendi operationem respectu voluntatis nostræ expressa est. Dices damnationes scholæ Parisiensis Sequanam minime prætergredi. Sed primo, etsi eius damnationes contradictorum de fide non faciunt; ast cum ea Academia nobilissimum, & frequentissimum, totoque orbe celeberrimum Theologiæ emporium tunc maxime temporis, fuerit, ac primoribus Ecclesiæ Catholicæ Theologis refertissimum, temere eius censura abiicietur: vbi nouum aliquod validissimum (quod aduersariis non adest) oppositi asserendi fundamentum non appareat. Idcirco doctis quibusque Theologis censuris hisce apta aliqua explicatione satisfacere in vsu semper fuit, vt sapienter obseruat Ruiz de Montoia d. 49. & 50. de Scient. sect. 4. num. 3. ostenduntque recitata verba Capreoli. Secundo. Censura hæc Parisiensis id necessario valet (quod solum hic intendimus) eam nempe Academiam pro nobis, & contra aduersarios ad censuras vsque doctrinæ istorum adeo pridem sterisse.

3. Neque verò adeo prolixa temporum vicissitudo aliquam scholæ Parisiensis sententiæ huius peperit mutationem: huc enim vsque quadringentorum & quadraginta annorum spatio in eadem sententia, & aduersæ censura perstitit semper. Etenim circiter annum 1400. Ioannis Vvicleffi errores quadraginta quinque propositionibus contenti (in quibus erat vigesima septima. *Omnia de necessitate eueniunt*, vt quæst. 3. cert. vlt. vidimus) ab eadem Parisiensi Academia damnati sint, vt patet ex Concilio Constantiensi sess. 8. post initium vers. *Et vlterius idem Archiepiscopus*, iuncta Concilij eiusdem historia ipsi præfixa med. vbi dicitur Concilij sessiones vsque ad duodecimam celebratas fuisse vsque ad annum 1415. insuper anno 1528. Decreto illo Concilij Senonensis 15. recitato quæst. 4. certam. 5. num. 2. Parisiensis Academiæ Magistri primores consenserunt. Ex dictis enim eo numero secundo cõstat illud Concilium Parisiis celebratum esse, eique Doctores, tam iure, quam Theologia præstantes plures interfuisse. Item quadringentis post primam damnationem annis (nempe anno 1624.) R.P.F Petrus à S. Iosepho Fuliensis Congregationis è suo Parisiensi conuentu librum de gratia scripsit, ac euulgauit, eiusque d. 7. sect. 3. num. 3. suam pro nobis in re hac, & contra prædeterminationes, & (quod idem est) prædeterminatiuas præfinitiones plurium etiam Dominicanorum authoritate, & allegatione confirmans subdit. *Quibus emunerare libet professores Theologos florentissimæ, & toto orbe celebratissimæ Academiæ Parisiensis: qui omnes vno consensu prædeterminationem physicam ab scholis suis ablegant: quod non exiguam authoritatem sententiæ nostræ conciliat.* Hoc ipsum testatus est alio suo opere Parisiis quindecim post annis edito (anno scilicet 1639.) de suaui concordia d. 4. sect. 4. num. 4. §. *Rursus in nobis*, atquem item Eugenius Philadel. exercitat. scholast. tripartita cap. 3. §. 6. in hæc scribens. *Deinde neque fieri aliter potuit, vt Sorbona sibi constaret, nisi esset consentiens hodiernæ pristinæ: siquidem olim ea definiuit, quæ cum physicis præmotionibus stare nequeunt: vt facile comperiet, qui excusserit ea, quæ addita sunt ad 4. sententiar. Est igitur nostra hæc, & propria quadam gloria: quod*

Sorbonam

Sorbonam sequimur scholarum omnium parentem. Et denique nunc etiam omnibus est notum Sorbonam, seu Parisiensium Magistrorum scholam totam, quibus de eis propositionibus conuenerat, Cornelij Iansenij propositionibus quinque à Sanctissimis Pontificibus Innocentio 10. & Alexandro VII. damnatis cum nostræ Societatis Patribus contra Iansenistas, & Dominicanos, & voce, & scriptis, cum Patrisiis, tum Romæ pugnasse. Adde ex eadem Academia Philip. Gamach. Doctor. Sorbon. & Regium eius Academiæ Professor. 1.2. quæst.3. cap.6.de grat.efficaci conclus. 2. & ad 4. obiectionem, Andræam Duualium Doctor.Sorbon.Regium etiam Professor.tract. de hum.action.quæst.3.de lib. arbitr. art.7. §.*Præter has.* Et titul. *Virum præfinitio*, §.*Hoc autem*, Et tract. de grat. quæst.6. ad 4. argum. quæst.7. ad 4. etiam argumentum Abra, de Raconis ibi etiam Professorem tract. de princip. quæst.2. propos. 1.fine. Ac demum Nicolaus Yzambertus, & Geruasius Bigonius apud P.Menao ventilat.3. num.10.

4. Succedant Academiæ Oxonienſis apud Anglos, & Pragensis apud Bohemos, quæ illam 27. propositionem Ioannis Vvicleffi de omnium operum necessitate cum aliis eiusdem reprobarunt, vt constat ex eadem sess.8. Concilij Constantiensis sub titulo. *Sententia damnationis Ioannis Vvicleffi.* post 45.articulos immediat. §.*Idemque Ioannes Vvicleffi.* Harum Academiarum iudicium eam propositionem damnans, habitum est anno circiter 1400. vt de Parisiensi super eadem Vvicleffi propositione dicebamus num.4. A tempore, quo inter nostros, & Dominicanos exortæ controuersiæ sunt, atque apud Clementem VIII. Molinæ opinio ab hisce accusata est. Academia tota Moguntina Clementem ipsum datis litteris idibus Augusti anno 1601. Oranit supplex vt Dominicanis obuiam iret, nostramque doctrinam, contra quam breui definiendum sparsi ab his rumores ferebant, consultissime examinari faceret: quippe qua vnice Bellarminus, & Stapletonius Caluinismum euerterint, & Tridentinas hic iure Sanctiones defensarint. *Quo præsidio, si destituti*, inquiunt, *fuerint, tum ingens apud Catholicos obortetur scandalum: tum ansa præbebitur Caluinistis, quasi de parta contra nos victoria triumphandi. Deinde etiam, atque etiam Beatitudinem vestram rogamus, vt Catholicarum Academiarum in tam ardua quæstione iudicium necessitari grauetur. Non quod arbitremur Sedem Apostolicam in formatione earum opus habere? sed, vt accuratius Doctorum Septentrionalium disputationibus, (quibus assiduum in hoc genere cum hæreticis certamen est) discutiatur: an illa opinio de efficacitate gratia cum necessario voluntatu consensu coniuncta affinitatem aliquam habeat cum errore Caluiniano in Synodo Tridentina confesso, ac damnato, eaque se zelo veritatis, ac diuinæ gloriæ contra frementes vndique in his locis, ac diuinæ gloriæ contra frementes vndique in his locis eis hæreses defendendæ protestantur.* Epistolæ huius exemplar extat apud Paulum Leonardum 1. par.Responsionum sect 9. eisdem rumoribus Herbipolensis per mora expleno claustro ad eundem Clementem VIII. eodem anno 1601. 7. Julij scripsit iuxta exemplar, quod ad verbum impressit. Idem Paul. Leonardus ibidem num 40. Ex quo hæc transcripta voluimus. [Vtinam & Sectarij in Germania quando ad eos fama defertur aliquot è Catholicis Theologis opinari per diuinam gratiam sic hominis prædeterminari voluntatem, vt nequeat cum eiusmodi motione adiungi dissensus, non magis confirmentur in sua semel erroris sententia concepta de libertate nobis per cœlestis gratiæ potentiam erepta Non dubitamus Beatiss. Pater Sanctitatem vestram pro sua, qua in rebus difficillimis pollet, prudentia, & authoritate, quam in controuersiis religionis componendis à Deo concessam habet, cito huic gliscenti malo, ne cum quorundam offensione, & scandalo forsitan longius progrediatur salubre, & opportunum adhibiturum remedium: seduloque curaturum, vt Authores huius rumoris vbique, quasi disseminati suam de gratia prædeterminante opinionem in vrbe ex fide certam esse, & passim à Theologis, vt certam doceri, à cœpto suo proposito non satis laudato deinceps desistant. Illud modo humillime rogamus, vt hanc nostram curam, & solicitudinem, quam ad sanctitatem vestram referimus, & in qua præter pacem, animorumque concordiam in Ecclesia conseruandam, aliud nihil expectamus, Clementer, paterneque suscipere velitisque aliquando in hac controuersia, quid determinandum sit, Academiarum etiam Catholicarum (in locis præsertim Septentrionalibus, vbi maiori studio, & diligentia ob vicinum, & imminens malum discutiuntur, & examinantur hæreses) audite sententias, & iudicia dignetur, qui cum terdecim cæteris Doctoribus subscribunt Fr. Baltazar Bucchnerus Dominicanus sui conuentus Prior, & Fr. Gaspar Leuibach Franciscanus, Ingolstadij Academiam totam eo etiam tempore, ac deinceps pro nostra sententia, & contra prædeterminatiuas præfinitiones stetisse, is solus nesciat, qui, & eius primarium Theologum professorem nostrum Gregorium de Valentia eo temporis fuisse ignoret: indeque, vt in Romanis hac super re disputationibus nostras coram summo Ecclesiæ Antistite ductaret partes, fuisse euocatum: ac demum totam exinde Academiam illam illustrem nostræ omnino ditionis nostrorumque in iis, quæ iuris, & medicinæ non sunt, Magistrorum esse: quo nomine plures aliæ Germaniæ vniuersitates, quæ ab hæreticis per eius Imperatores ereptæ nostræ societatis Magistris, & doctrinæ traditæ sunt, contra præfinitores prædeterminatiuos referri debent: in eis quippe omnis conditionis hominibus, & laicis, & Regularibus publice magno omnigenæ conditionis & facultatis auditorum concursu (qui nostras adire Academias in præcipuis Catholicæ suæ fidei notis reponunt) nostra hæc Thomisticas præfinitiones auersans solummodo admittitur.

5. Sed ad celebrem Louanienſem scholam veniamus, quam pro se aduersarij refutant. Aluarez enim 1. opuscul. de origine Pelagianæ hæres.cap.32. numer.7. refert ex fideli Theologorum Louanienſium testimonio se didicisse Doctorem Petrum de Riuo anno 1473. Sixto 4. Pontifice hanc in ea Academia asseruisse, ac defendisse propositionem: *quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc impedibile est, & necessarium.* Cui reliqui Doctores Theologi Louanienſes multis disputationibus reclamarunt: delataque ad Sixtum 4. damnata tandem ab ipso fuit, & coram ab ipso Riuo reuocata: eiusque propositionis damnationem, & Louanienſis Academiæ contra ipsam, quare, & contra nos (qui eandem vti nostræ doctrinæ principium colimus) vnanime iudicium nobis à Magistro Lemos in Romanis illis disputationibus opposita fuisse: vt sibi etiam persuasit Ioann. à S.Thom.8. par. d.20. art.6. sed certe ea Petri de Riuo damnatio, & retractatio nullibi tunc apparebat atque eam à Louanienſi Academia inquirenti Magistro Aluarez Decanus, & facultas Theologica, & Philosophica referipserunt Sexto Iunij anno 1631. in eius Academiæ Archiuis minime ex pare, sed solum chartulam ab eodem Riuo subscriptam, cuius rescripti authenticum exemplar apud se habere testatur. Eminentiss. noster Ioann. de Lugo d.29. de Incarnat.sect.6.n.72. à quo iterata eius rei inquisitione inuentus est liber eo tempore conscriptus, exhibitusque ad transcribendum a R.D.D. Guillielmo Mercero Decano S.Petri S.Theologiæ Doctore, & Primatio Professore, in quo octo eius Doctoris propositiones sunt à Louanienſibus impugnatæ, & tres item aliæ. Censura item Louanienſium, & damnatio à Vicario Generali Pontificis Romæ facta, & ibidem Riui eiusdem reuocatio. Cæterum & Louanienſis Academiæ Censura, & Romana damnatio, & reuocatio de Riuo propositionem, seu articulum, qui erat, *quod necessario sequitur ex aliquo præcedenti ordine successiua durationis necessarium, & ineuitabile est.* Vt constat è facultatis Louanienſis subiunctis declarationibus præsertim 1.3.5.6. & 7. quin, etsi Riuus secundum hunc articulum propugnans illam propositionem ab Aluarez, & Thomistis relatam hoc in argumento assumeret: *quoniam, ex quo ad præteritum non est potentia illud esse impedibile:* (quod duratione præcesit, vt reuelatio de peccato Antichristi) sed *ex inimpedibili per consequentiam necessariam, non infertur, nisi inimpedibile: quare futurum euentus rei non esset, nisi inimpedibile.* Minorem Riui imputatores admittebant, vt certam. Et Maiorem distinguebant, illam concedendo de præterito omnino inimpedibili; negando de præterito ex parte impedibilis quia connotat contingens futurum, quod non ponit cum, cum

cum ponitur de facto, absolute, potest, ac proinde scientia Dei, vt de illo est, ac subinde illius absoluta reuelatio, quæ fuit, impediri potuisse, ne esset, licet conditionata sine ex suppositione necessitatem habeat, iuxta doctrinam Petri de Tarantasia in 1. sentent. d. 38. & Alberti ibidem qu. vlt. ad argum. penult. à Louanienſibus recitatas, vt huic Petri de Riuo argumentationi satisfaceret. Ipse verò doctrinam hanc non capiens, vt futuris contingentibus reuelatis contingentiam, & libertatem seruaret (quæ si illa sua maior absolute & omni sensu vera esset, vt ipse volebat prorsus ea reuelatis omnibus auferebatur, malebat tandem duratione præcedenti reuelationi de contingenti euentu, pro nunc, veritatem negare, ac subinde ei innixam propositionem de fide quamvis, nunc, ante contingentis tempus, non esse de vigore sermonis veram: quæ sunt absurdissima. Hæc omnia ex codice illo citato recitat præfatus Pater Ioannes de Lugo vbi proxime, ex quibus constat primo, quam scite Basilida tunc respondent Magistro Lemos obiicienti eam Louanienſis facultatis censuram, & damnationem Romanam propositionis, & doctrinæ Petri de Riuo respondenit: damnatum illum quidem, *quod male de futuris contingentibus docebat.* Scilicet damnata illa propositione, seu articul. 2. constat etiam secundo: totam Theologicam Louanienſem facultatem illam nostram propositionem, quam ab ea facultate damnatam in Riuo aduersarij contendebant (scilicet quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile est, & necessarium) admisisse, atque approbasse; ac consequenter aduersam propositionem præfinientium prædeterminatiuorum ab eadem facultate Louanienſi fuisse reprobatam: quare, & tunc temporis eam Academiam pro nobis, & contra aduersarios stetisse.

6. Sed tamen, inquies, adhuc ex eodem Reuerendiſſ. Tranenſi Archiepiſcopo Aluarez eodem opusc. cap. 33. n. 18. doctrinam Lessij, & Hamelij, nostrorum Illustrium apud Louanium Magistrorum (quos ille, quasi honoris causa, reticet) Doctores Louanienſes, quasi Massiliense errorem contra Augustini sententiam, excitarent, dānasse, & ad Sixtum V. detulisse anno 1589. Censura satis acri, si ea esset, quam Ioan. à S. Thom. 1. art. 20. d. 4. §. *quapropter*, commentus est: addens in 17. ex apochryphis illius Congregationibus Censuram illam recitatam esse apud Clementem 8. contra nostros, nec expunctam: insinuans eius obiectionis patientia Pontificia ab eodem Clemente damnationem Louanienſium fuisse, tacite saltem, approbatam sed bonus pater non videt duriora nos contra ipsos obiecisse, neque tamen à Clemente ex puncta fuisse: ac proinde eo coniectandi genere, si præstaret, petiori loco eorum doctrinam positam esse. Sed certe in litigijs omnibus, quænam ex allegationibus partium iudici probentur, eius demum super causa principali sententia probat: quæ in nostra cum Dominicanis actoribus causa nobis omnino proficua fuit, nostras hac in re opiniones, vt non definiens, aſt Catholicas probans: quare nullis illis Cēſuris obiectis obnoxias declarans: Idē autem sua illa tempestate Censuræ illius Louanienſium illorum exitus fuit, & plurium Doctorum, qui Duacenſis suæ Academiæ nomine Louanienſium Censuræ subscripserunt. Horum partibus accessit Archiepiſcopus Metropol. Ioanes Hauchinus, cuius suasionibus fere annuebant iam maiori ex parte Episcopi suffraganei. Etsi ex eis doctores restiterint. Rei igitur per Generalem nostrum conscius Sixtus 5. seduloque doctrina Lessij examinata Episcopum Calatinum suæ Sedis Nuncium apud Colonian Louanium festinanter pergere iuber, vt Breui Apostolico per quod, suo (erat autem, & Sixtus apprime Theologus) & Cardinalium iudicio sane omnino doctrinæ omnia Lessianæ doctrinæ capita declarata, Louanienſium, & Episcoporum in euulganda Censura in fidei rebus sine recursu ad Petri Cathedram præsertim contra inauditum doctorem temeritatem compesceret: vti statim præstitit edicto publico ad valuas templorum Belgij affixo, quo sanæ doctrinæ omnes arcuit nostri Lessij publicabantur; & hæc quidem quidquid de rebus hilce Lessij doctrinæ è Censura illa Louanienſis ingloriam esse potuit in eius verterunt gloriam quæ his posuimus, ne quis male animata illa Censuræ Louanienſis glossa Ioannis à S. Thom. decipiatur; putans,

quod callide insinuare voluit, ex eo quod inter disputandum obiecta fuerit, nec statim à Clemente 8. expuncta, vim aliquam Pontificiam contra Lessij, & Societatis doctrinam traxisse: quia, vt dixi, quæ opponuntur à litigantibus, qui causa, vt aduersarij nostri, cadunt sententiâ eadem causa repelluntur. Ac insuper cum ea Censura authoritate Sixti V. fuisset per eius Nuncium ad id missum iam diu expuncta, negligenda solum fuit, non autem expungenda tunc otiose.

7. Sed quoad eius Academiæ sententiam scire oportet, Michaelem Baium, Academiæ illius decanum multa de gratia aliena à veritate, & quæ ad Caluinismum, & Lutheranismum vergerent euulgasse, vt aiunt Vasq. 1. 2. t. 2. d. 90. c. 18. n. 175. Soar. t. 1. de grat. prologom. 6. c. 1. Possevin. in apparatu verbo *Michael Baius*. Lorca 1. 2. t. 2. fin. Luisius Torres tom. 1. opusculorum: opusc. 15. & apud hos constat ex Bulris Pij V. & Gregorij VIII. contra ipsum. Notarunt hæc nostrates Theologi, ad summamque Sedem detulerunt: reque cognita Gregorius 13. nostrum Franciscum Toletum Apostolico Breui ad Serenissſ. Guillielmum Bauariæ Ducem misit, vt Baius errores agnosceret, ac retractaret: quam legationem, & diploma, seu Breue refert Ludouicus Batia 4. p. Histor. Pontificiæ in Clemente 8. memoratque Vasq. supra; Peractum id à Toleto fuit, eoque coram sua dogmata eiurare Baius compulsus est: præcipua autem erant, quæ postmodum Cornelius Ianſenius excitauit libro inscripto *Augustinus*, de quo qu. proxima cert. vlt. diximus. Siquidem Vrbani 8. constitutio, & confirmatio constitutionum prædictarum Pij 5. & Gregorij 13. contra Baium, ac simul præfati Ianſenij libri prohibitio in Typographia R. Cameræ Apostolicæ cusa anno 1643. Librum Ianſenij prohiberi ait, *articulos*, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt compertum est continentem, & renouantem: cum igitur & à nostris se accusatum Baius crederet, & per nostrum Toletum (etsi Apostolica authoritate) eiurare compulsum videret, per se & Doctores Louanienſes necessitudine, & Academiæ communione coniunctos, vindictæ, quasi communis, loco, eum næuum Censura illa nostris inauditis traductæque quam transcriptæ eorum doctrinæ appingere curauit. Etsi autem partim Louanienſes Doctores nostræ aduersati eis de causis sint; eorum tamen præcipui, longeque ab ea suspicione positi, per idque tempus eius, & Duacenſis Academiæ lumina, & columina pro nobis & contra Baij, & Thomistarum, quam impugnamus, doctrinam constanter steterunt: Nam Driedonem Cæterorum Magistrum, nobis donat Aluarez 1. responsion. cap. 1. num. 30. §. *Quod dictum est.* Et Ledesma de auxil. fundamentali propos. quæstionis pag. 7. Et art. 3. §. *Secunda sententia*, art. 10. §. *in hac difficultate*, art. 11. §. *Inter Catholicos.* Et meritò nam Ruardus Tapper insignis eius discipulus art. 7. de lib. arbitr. propos. 10. pag. 309. nostram doctrinam tradens, illam à Præceptore se suo Driedone accepisse testatur. Ex quibus apparet Ruardum etiam Tapperum, cum ibi, tum locis aliis citandum nobis contra aduersarios adesse, vt Ledesma, & Aluar. proxime ac Ioseph à Sancta Maria tract. Thomist. de libero arbitr. in communi q. 4. ar. 3. & 6. §. *Prima opinio*, fatetur. Item Franciscanus cunerus Petri Episcop. Leouardiensis insignis eius Academiæ Theologus, Archiepiscopi Cameracensis in sacris Vicarius contra Baij, & aduersariorum doctrinam nobiscum stetit, vt constat ex tr. de lib. arbitr. cap. 9. propos. 3. quæ accepta refert Præceptoribus suis Driedoni 1. de redempt. gener. humani & Cancellario Louanienſi Ruardo Tappero proxime. Ioannes à Bononia Louanienſis etiam vniuersitatis Doctor insignis eadem nobiscum, & contra aduersarios docuit locis datis q. 4.

9. Ioannes insuper Strienus Franciscanus, Middelburgensis Episcopus, Læuinus, Torrentius Episcopus Antuerpiensis, Thomas insuper Stapletonius Louanienſis Doctor Duaci, tunc doctrina celeberrimus suam præsentiâ vitalsere Duacenses Doctores, cū Censuræ Louanienſi subscripſe litteris ad familiarem Louanienſem testatus est: quæ omnia præter fundamenta eleganter, & minutatim retexūtur in imagine primi sæculi societatis nostræ à Prouincia Flandro-Belgica lib. 6. c. 4. §. *Aduersantium nobis*. Indeque transcripta à Paulo Leonardo part. 3. responsion. sect. 9. ac Stapletonius quidem postea Regius sacrarum litterarum apud Louanienſes Professor nobis hac in re

assentiri, atque aduersariis repugnare plus satis testatus de se fuit in 1. ad Roman. vers. *An diuitias bonitat*, in antidotis Euangelic. ad 11. Matth. vers. 22. *Si in Tyro, & Sidone* in c. 25. vers. 15. *vni dedit quinque talenta*. In Acta c. 9. vers. 6. *Tremens, ac stupens*. In Ioann. c. 15. vers. 9. *Manete in dilectione*, in promptuario Catholic. serm. 6. Hebdom. 1. quadrages. *Vis sanus fieri*. Quibus adde Ioannem Malderum Regium in Louaniensi etiam Academia Professorem Theologum, post Antuerpensem Episcopum, dissertat. de gratia dubitat. 10. m. 1. & 2. & de auxilior. efficacia m. 3. & 4. Ioannem etiam Vvigers eiusdem scholæ Doctorem, & Regium Professor 1. 2. q. 111. art. 3. quæst. 2. à 33. His eius Academiæ notissimus principibus, quos nam nobis aduersarij opponunt & numero, & dignitate in ea schola maiores, vt illam non pro nobis, sed pro se stetisse tunc probent? Id enim ciusmodi probationi necessarium est: scilicet Michaelem Baium damnatæ doctrinæ hominem, atque illius eiusque reprobatæ à Pontifice doctrinæ vltra prudentiam, & æquum, fors vltra fidei etiam puritatem, fuerunt additi, neque alio, quam censuræ illius temeritate, & Louanieasium Doctorum nomine noti. Eis etiam titulis nostra hac tempestate eandem Academiam pro se citare possunt: quia Cornelij Iansenij olim apud eam Professoris, Iprensis, postea Episcopi, nonnulli etiam eius Doctores doctrinam nostræ etiam oppositam, Pontificiis tamen decretis, & constitutionibus Innocentij 10. & Alexandri 7. postea vt vidimus, damnatam secuti, nec sine in nos concitatione, & tumultu fuere tutati: neque id eis negabimus, dum nobis, quod inficiari nequeunt, concedant: nullum eius insignis, & Catholicissimæ Academiæ Doctorem, in quem censoria Sedis Apostolicæ virga animaduersum non sit, nostræ doctrinæ oblatrasse, suæque fauisse: nullum item eiusdem Academiæ Magistrum insignem, qui vltra omnem erroris amplexum, ac fauentiam fuerit, cõtra ipsos non pugnasse, ac nostris partibus non accessisse. Itaque resectis eius Academiæ viris, qui priuato aliquo partium studio aliquando delipuerunt, omnis illa amplissima Academia ad purum Catholicæ, nostræ semper doctrinæ, & contra Præfinitores quosque prædeterminatiuos extitere, & ex aliis etiam fere omnes Apostolicis doctrinæ nostris aduersæ condemnationibus Catholice resipiscentes ad nostra se castra recepere. Est autem pro Duacensis Academiæ laude notandum: ita eam eiusque Doctores fauentiæ in Baium, & Censuræ Louaniensis contra Lessium subscriptionis pœnituisse, vt quamvis in Louaniensi (cuius Duacensis colonia, est) Baij cineres ex parte revixerint, vt vidimus; ex Duacensibus tamen Doctoribus nemo eis deinceps accesserit nostramve in re præsenti doctrinam deseruerit.

9. De Hispaniæ iam Academiis dicendum, & de Elborensi Lusitana schola, cum primis illustri, non pugnabunt aduersarij; cum sciant eam apud nos omnino natam, nutritam, adultam. De Conimbricensi omnigenæ scientiæ emporio frequentissimo præter nationis Lusitanæ ad nos, doctrinæque nostræ amorem vulgatissimum: id vnum sat esset, vt pro nobis stetisse semper scholam illam monstraretur: habuisse, scilicet, professorem Primarium annis multis, & oraculi communis ad instar Patrem Franciscum Soarium Illustrissimum, ac validissimum præfinitionum prædeterminatiuarum expugnatorem. Accedit eam, vt præcipuam Lusitaniæ Academiam à Sancta, & Generali eius regni Inquisitione consultam, cum primum ad hanc nostri Molinæ doctrina prælens delata est: eiusque proinde absque dubio sententia doctrinam hanc fuisse ab eadem generali Inquisitione approbatam, & commendatam, vt interius paululum dicemus. De Complutensi Castellæ nostræ, in rebus Theologicis facile Principi, Academia hac in re communi, & antiquo sensu cum magis aduersum nos quorundam Patrum Dominicanorum zelus exarsit haud difficile erit ostendere pro nobis fuisse. Etenim postquã à Sanctis Generalibus Inquisitionibus Castellæ, & Portugalliæ huius Molinicæ doctrinæ nostræ delatores aduersarij, magna eius approbatione, & laude neglecti sunt, apud Romanum Pontificem eandem eidem Molinæ, & nostræ doctrinæ litem instaurarunt annum circiter 1594. quo tempore & Sancta Generalis Hispaniæ Inquisitio, & Clemen. VIII. per D. Camillum Caietanum, suum ibi Nuncium, Academiarum Castellæ iudicium his de rebus speciatim circa mentem S. Augustini, exquirebant, vt constat ex remissione examinis duorum articulorum sententiæ Patris Vasq. (quorum secundus erat, *de exclusione necessitatis prædeterminationis physica ad consensum honestum*) à Rectore Complutensis Academiæ iussu præfati Dom. Nuncij dato anno 1597. die verò 24. Iulij Doctoribus nominandis statim, ac Rectoris ipsius (qui Doctor Antonius Fernandez Valcoma erat) manu subscripta, de eiusque mandato, manu etiam Ludouici Delaserna Secretarij Vniuersitatis, cui remissioni ita nominandi Doctores quoad secundum articulum respondenrunt. [Secundum est vtrum inter gratiam (hoc est congruam cogitationem intellectus, & subitum motum voluntatis) ex vna parte, & nostrum liberum consensum, concursumque actualem Dei illi debitum ex alia medietate aliqua physica applicatio prædeterminans voluntatem? In quo P. Vasq. tenet negatiuam partem existimans dictam gratiam excitantem esse causam sufficientem nostri liberi consensus cum concursu Dei illi debito: in qua re, quamvis Augustinus non excludat, expresse, dictam applicationem physice prædeterminantem, quia de illa non agit: non tamen illam exigit; sed secundum eius doctrinam dicta gratia excitans est sufficiens, vt sit causa nostræ bonæ voluntatis. Doct. de la Camara Sanctarum scripturarum interpres. Doct. Ludouicus de Tena Primarius Theologiæ Professor in Cathedra Scoti. Doct. Aluarus Villegas Vespertinæ Cathediæ Professor. Doct. Franciscus Peræ Tribaldos Philosophiæ moralis Professor. Doct. Ildephonsus Fernandæ. Doct. Hieronymus Ruitius. Doct. Andreas Peræ. Doctor Ioannes Garcia Doctor Orduña.] cui rescripto, & singrapha, & vniuersitatis sigillo eius Secretarius, qui supra Ludou. de la Serna fidem facit 5. Augusti eius anni 1597. Et hæc quidem altera est eius Academiæ approbatio nostræ huius doctrinæ necessariam esse ad liberum consensum nostrum physicam prædeterminationem, ac subinde eius decretum, siue prædeterminatiuam præfinitionem abnegantis: quare tanquam de re in ea Academia, iamdin satis perspecta, paucis, citra temeritatem, diebus à tot Illustribus Doctoribus, tam promptum in re adeo graui potuit ferri iudicium.

10. Etenim Generalis Inquisitionis Castellanæ commissione Censura alia vniuersitatis eiusdem: pro doctrina concordiæ Molinæ per integrum annum examinatæ edita fuit 1. Octobris anno 1596. vt testatur, qui tunc Abbas Sanctorum Iusti, & Pastoris, & Vniuersitatis Cancellarius D. Ioannes Neroni Epist. ad Cardinalem D. Pompeium Aragonium Romæ degentem data Compluti 22. Iunij 1601. cum eius Academiæ Doctor, & Professor Petrus Michael ex Roma, vbi tunc aderat, scripsisset de concordia doctrinæ eiusdem libri examinanda ibi iterum agi: *cumque*, inquit, *ex mandato Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum à doctissimis viris huius Complutensis vniuersitatis, magna, & accurata diligentia per longum tempus, maturo consilio (me præsente) id præstitum sit, non sine libri approbatione & adhuc de illo varij rumores sint: opera pretium duxi Illustriss. Domin. vestram de hac re certam facere: tum, vt pro bona existimatione huius Academiæ, & doctissimorum virorum, qui huic examini interfuerunt, respondeam (quorum placita, si ij, qui nunc librum perlegunt attente audirent, non dubito quin libenter acquiescerent) tum maxime, vt authoritati, & reuerentia debita Sanctæ Inquisitioni (quæ apud omnes in magno pretio debet esse) vt par est, consulerem: valeat, &c. Ioannes Neroni Doct. in re, Abb. & Cancell. Complutensis,*] testatur etiam eius anni Collegij maximi, & eius vniuersitatis Rector cum consiliariis suis epistola alia præfatæ occasione notitiæ ad eundem Cardinalem missa, quæ sic habet. [Ex litteris Petri Michaelis, qui huius Academiæ notitia istic agit, cognouimus minus probari nonnullis iudicium illud, quod huius Academiæ Doctores de concordia Patris Ludouici Molinæ tulerunt, quam ob rem, & nostro honori, & dignitati cõsulueris, si id egeris, vt idem illud iudicium, atque Censura per doctissimos quosque viros accurate & per otium rursus examinetur, eo prorsus modo, quo hic res tota discussa, & examinata fuit. Nam Censura illa non prius ab Academia lata est, quam liber ille per integrum annum diligenter, atque accurate perspectus fuit ab his, qui aut Hispaniæ totius doctissimi sint, aut certe inter doctissimos

mos numerandi; idque eo animo, atque consilio, vt vnam virtutem spectantes sincere, ac seuere iudicarent: quod credo sentient docti omnes, qui similem animum, & diligentiam ad iudicandum attulerint. Erit igitur alterum, quod à tua dominatione illustrissima obsecremus: vt, si quid in illis propositionibus, quæ à nostris Doctoribus iudicatæ sunt, ab aliquo desideretur, agat cum sua sanctitate, vt iterum ad hanc Academiam referatur, vt rationes reddantur singulorum, & sanctorum, scholasticorumque testimoniis confirmentur, &c. Mag. Petr. Ruiz, Mag. Rector. Doct. Caluo Doct. Mexino ex decreto Rectoris, & Collegij M. Eugenius Perez.]

11. Nec bis solum ea doctrina in Molina & Vasq. probata Complutensi vniuersitati fuit. Siquidem post vtramque datam approbationem die 5. Aprilis anno 1599. opusculorum librum Patris Francisci Suarez, in quo de Scientia media opusculum est, ex supremi Regij Castellæ Senatus decreto iisdem fere Doctoribus, à quibus in Vasquio doctrina eadem laudata fuerat anno 1597. laudata rursus, atque tanquam apud Sanctos Augustinum, & Thomam nata prædicata est: cui Censuræ Doct. Ludouicus Montesinos Primarius in Cathedra Sanct. Thom. Professor subscripsit. Et sane præter Professores Theologos, & reliquos Complutenses eius temporis referendos Doctores ante annum 1630. nemo vsquam fuit (excipio Dominicanos, qui in Cathedris illis duabus suo ordini à duce Lermæ fundatis anno 1612. legerunt, qui Thomisticis prædeterminatiuis præfinitionibus non fuerit aduersatus. Idem Montesinos nostram hanc eandem doctrinam docuit r.2. in 1.2.q.19.art.2.d.10.q.3.§. *Ad confirmat. Duran.* q.111.art.3.d.31.q.2. n.44. sicut & docuerat eius quondam Academiæ Professor Illustriss. Ludouicus Tena Episcopus Detussensis in Epist. ad Hebræos cap.4. difficul.6. c.12. in litteræ expositione n.19. §. *Ex quo contra*, atque primarius etiam Complutensis Professor Martinus Albiz Augustinianus d.7. de Scient. sect.5. n.6. & sect. vlt. Imo ex ipsis illis Dominicanis in suis illis Cathedris Professoribus, qui insigniores habiti sunt, nostræ huic doctrinæ adhæserunt, vt Mag. Ioan. Gonzalez Albelda recitato loco, Mag. Laurentius Gutierrez, Mag. Biedma ad Almeriæ demum Episcopatum assumptus cuius rei præter nos oculati testes sunt quicumque Complutensem Academiam per ea tempora frequentarunt: in qua nemo fere etiam scholasticorum, nisi è nostri Vasquez doctrina resprabat. Lorca verò, & Montesinos, qui in nonnullis à Vasquio discesserunt in re hac ad præfinitiones determinatiuas spectante, ipsi consenserunt omnino, vt vidimus, ac inferius videbimus.

CERTAMEN II.

Æque contra easdem Thomisticas prædeterminatiuas præfinitiones Hispaniæ Academiæ reliquæ pro nobis pugnarunt. Vbi de delatione S. Inquisit.

1. DE Salmantina Academia, quod Thomistis hac in re fauerit, faucatque, nec firmis, nec veris testimoniis, & cursus Theologicus, & Fr. Ioann. à S. Thom. conficiunt: sed ipsis potius illam aduersatam semper fuisse, adeoque nostris firmius ostendemus. Et in primis, cum contra auxiliorum efficaciam, scientiamque mediam (quæ præfinitionibus prædeterminatiuis hisce contradicunt) apud Vallisoletanum S. Inquisitionis tribunal tentata ab aduersariis lis est, fieri minime potuit, quin infausto, ac fœlici nobis eius delationis exitu suam ea Academia (quæ & præcipua Hispaniæ, & intra eius tribunalis iurisdictionem est, ac proinde iudicium eius in primis pertendum) operam locarit. Habemus tamen firmiorem Venerabilis Mag. Augustiniani Augustini Antolinez Primarij eius vniuersitatis Professoris Theologi, postea, ad Archiepiscopatum Compostellanum ob eximiam, & litterarum, & virtutum excellentiam assumpti, qui nec sine miraculorum splendore viuis excessit. Cum enim litem tandem Romæ, Molinæ concordiæ ab aduersariis motam audiret, hæc inter ad Mag. Gregorium Nuñez sui ordinis pro Lusitania Procuratorem in vrbe scripsit Epistola data Salmanticæ die 12. Augusti, anno 1600. [Hoc ausim vestræ Paternitati fideuter testari. Eius opiniones in hac Academia, & in hac nostri ordinis Prouincia tanto cum plausu admissas, vt vix sit, qui alias vel legar, vel defendat de me id affirmare valeam, postquam liber Molinæ publicum aspexit, mihi, & in lecturis, & in oppositionibus, & in quacumque litteraria exercitatione plurimo adiumento fuisse: æquumque est, vt viri omnes docti libro cunctis tam vtili faueant. Et ita vest. Paternit. obnixe deprecor, vt, si ipsi hæc commendetur Censura idipsum faciat: non mei tantum gratia, sed propter omnes, qui studiis impense vacant. Et quidem, si V.P. attente perlegat, vix subtilius aliquid repetturus sit, quod non in suis lecturis Mag. Fr. Ludouicus Legionensis insinuauerit. Illud etiam V.P. admonuero: si hinc ad Generale capitulum nostrum profecti essent, eius opiniones defenderent: quæ quoniam in nostra prouincia communes, æque ferme cauta nostra atque ipsius, &c.] Eadem item die P. Ioanni Baptistæ Piambino eiusdem ordinis Procuratori Generali in vrbe de Molinæ concordia rogatus respondit: [Licet mihi, nisi ex scriptis, cognitus non sit Molina, mihi persuasum est ex doctissimis libris esse, qui hoc sæculo prodierunt, ex quo ad Theologos plurimæ vtilitates manarunt: cuius, etsi mole exiguus, scriptor esse mallem potius, quã aliorum magnorum voluminum, quæ non vulgari in pretio habentur. Ego eo maxime vtor, tum ad prælectiones, tum ad quæcumque scholarum argumenta: ac proinde, tanquam Magistrum, & Doctorem meum colo: quod video à quoquo, vt ingenio præstantior est, fieri in hac nostra Prouincia eius doctrinæ plurimum deferatur: quam & in lecturis, & in Thesibus propugnant: & iuxta quam Philosophiæ Magistri concursum causæ primæ cum secundis declarant.] Multaque in laudem ingenij, & scriptorum eius de iustitia, & iure, & è suo, & ex aliorum iudicio persequitur. Nec nostri solum amore, & fauendi, quasi in arcto positis amicis, studio, sed ex animi sententia, & iudicio ea adeo illustré virum scripsisse, constat ex lectura ipsius de auxiliis vbi physicam prædeterminationem, ac subinde eius principium, præfinitionem prædeterminatiuam acriter insectatur. Et de efficacia, & infallibilitate gratiæ per scientiam mediam eiusque obiectum, nempe conditionatum futurum sic difficulc. 3. §. *Tertio dicendum est*, fatur: [sane facilis dicendi modus, qui fundamentum habet in Augustino, qui non semel ad præscientiam Dei refetre videtur infallibilitatem vocationis salutis nostræ, vt lib. de corrept. & grat. c.7. Horum, inquit,] (nempe prædestinatorum) [si quispiam periit, fallitur Deus; sed nemo eorum periit: quia non fallitur Deus. Et de dono perseue. c.14. quibus beneficiis (nimirum gratiæ) certissime liberantur, quicumque liberantur: certitudo autem, & infallibilitas ad cognitionem pertinet.

2. Præfato Illustrissimo, ac Venerabilissimo Primario Salmantino Professori Antolinez in Cathedra successor, Magister, etiam Augustinianus, Basil. Legionens. tract. Lecturæ suæ vltimæ de auxil. d.5. dub.3. toto physicam prædeterminationem instanter confutat primo: [quia superfluit cum non requiratur vt compleat potentiam in genere causæ efficienti, nec, vt determinet illã: & quoniam sequeretur processus in infinitum: cum ad illam qualitatem alia necessaria, & ad hanc altera, & sic de cæteris absque fine. Secũdo: quia ex eo sequitur, illũ, qui peccat, quoniam non habuit qualitatem vltimo complentem voluntatem per modum principij, non habuisse sufficiens auxilium ad non peccandum: & consequenter per ipsum non extitisse, quod peccauerit: quæ sunt absurda. Hinc sequitur quoque impossibilem esse legis obseruantiam non habenti illam qualitatem, quam tamen non habere in ipsius potestate non est: & proinde superuacaneas esse illas Dei voces per Zachariam c.1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Vt quid enim Deus clamat, si negat mihi vltimũ complementum virtutis necessariæ in actu primo? Item iniustas esse Dei quærimonias. Isai.1. Iudicate inter me, & vineam meam, quid vltra facere debui? Vt quid enim tot querimoniæ, si Deus non complet vim actuum in actu primo, sine qua impossibile est operari?]triplicique adhibita responsione, [quod absque ea prædetermination adsit requisitum ad posse, etsi desit requisitum ad operari 2. quia

hominis negligentia, quod eam non habeat deputetur 3. Quod operatione auxilij, quæ in genere efficientis illo posterior est, in genere verò causæ materialis ipso prior, non se homo prius disponat:] eas refellit. 3. [quia valde difficile apparet voluntatem sub ea qualitate efficaci non posse dissentire, nisi in sensu diuiso. Huic enim doctrinæ obstare videtur Tridentinum sess.6. cap.5. & can.4. valde auersatur. 4. sub gratia efficaci posse dissentire voluntatem, nunquam tamen dissensuram, sed infallibiliter consensuram,& libere: quia ne tunc quidem deficit illi iudicium indifferens,quod est radix libertatis, ab eaque, seu voluntatis indifferentia inseparabilis.] Quærit enim ab his:[an natura dissensus repugnet cum illa qualitate efficaci simul existere, vel non? si repugnat: ergo sub gratia efficaci non est potentia ad dissentiendum: si verò non repugnat,contradicitur alteri parti;quam docent iidem Doctores. Deinde oppono (quod prudenter dixit M.Ioann. Ioann.Gonzalez Dominican.1.p.q.58.sect.1.n.4.) cum dicitur stante indifferentia iudicij non posse necessitari voluntatem physicæ prædeterminationis qualitate, necessarium est,quod talis ponatur qualitas esse illa quæ non pugnet cum ipsa indifferentia iudicij; alias erit repugnantia in adiecto,dicere,voluntatem esse liberam per indifferentiam iudicij,& esse prædeterminatam per qualitatem physicam;quin si ita qualitas ita determinet voluntatem, vt in quacumque occasione semper sit efficax,& nulla possit dari occasio, in qua non habeat effectum: ergo cum illa non stat libertas, quæ prouenit ab indifferentia iudicij,& apponit exemplum de Christo Domino, qui non poterat non adimplere præceptum moriendi, licet haberet iudicium indifferens honestatis mortis ob mandatum Patris; & mali ob repugnantiam naturæ,& portionis inferioris. 5. Salebrosum iudicat, quod auxilium, quod semel est efficax,in quocumque, & semper sit efficax. Nam alias non esset orandus Deus pro gratia externæ protectionis, & ne grauiter tentari nos sineret, sed solum, vt daret qualemcumque qualitatem prædeterminantem: nam hac data, quod sit grauis,vel leuis tentatio parum refert.Rursus non magis laudandus esset Deus in eo,qui de graui tentatione victor euasit,quam, qui de leui.] Ac tandem aduersariorum argumenta diluit,*nullaque consideratione digna esse concludit*. Et Relect.de necess.grat.p.1. cap.11. n.8. triplicem scientiam contingentis pro triplici eius statu possibilitatis futuritionis conditionatæ,& absolutæ, *quia*, inquit, *ante scientiam simplicis intelligentiæ, & conditionatam,& absolutam præsupponitur obiectum cognoscibile iuxta statum,quem illa scientia petit.Possibile ante scientiam simplicem,& conditionate futurum ante conditionatam,absolute futurum ante scientiam visionis:licet scientia simplicis intelligentiæ sit prior futuritione conditionata;& vtraque sit prior futuritione absoluta, & dirigat actus diuinæ voluntatis: quare, & omnem huius actum antecedat.*

3. His sane, sicuti in eius primariæ Salmantinæ Cathedræ regimine,ita etiam & in sententia hac nostra præiuit Mag.Ioann.Alphonsus Curiel in suis cõtrouersiis,quas præl.o,Cathedra Emeritus,excoluit,& auxit, vt constat ex præfat.ad Lectorem Magistri Fr.Gasparis de Liendo Benedictini,qui de earum impressione curauit;vbi dicitur, *Vtpote in vltimis laboribus sapientior factus,seipsum superare videtur*, controu,quippe 7.alias 1.in c.4.Sap.art.4.n.1. & controuer.2.in c.1.epist.2.Petri,ad id: *satagite, vt per bona opera*,à n.208. & à n.234. physicam prædeterminationem, ac de sese efficaces præfinitiones prædeterminatiuas magno rationum impetu qua tit.à c.1.2. q 79. art.2. dub.vn. §.2. concl.2 eam ad materiale peccati oppugnat, generalia physicæ prædeterminationis ad actus quosvis humanos principia subuertens. Vnde falsitas deprehenditur historiæ illius, quam obtrudere conantur Ledesma de auxil. d.2. affini. de Scient. futuror. contingen. dif.2. §.*Hanc sententiam*, Aluarez opusc.3.respons.lib.7.cap.1. n.10. cursus Theologicus Discalceatus Carmeli Salmantini tract.3.de Scient.d.10 dub 8.n.129. Nempe Curielem extremo lecturæ suæ anno cum quæstionem 11.3. par. S. Thom. commentaretur sententiam controuersiarum retractasse de quo noster Soar.t.1.de grat. prologom.2. c.1. n.8. rumorem tunc esse,sed nondum à se examinarum ait. Sed cum controuersiarum opus postremus eius labor fuerit,postquam lectura solutus,rudeque donatus fuit, vt vidimus;etsi vltimo lecturæ suæ, vel potius penultimo oppositam tenuisset sententiam in manuscriptis in politiori ad prælum controuersiarum opere, quod maturiori ætate,scientia,& otio limauit,illam reiectasse,nostramque secutum esse euidentissimum est. Accedit Curielem opposito loco ad art.1. de Scient. Christi agentem (vti ex eius manuscriptis,& Mag. Ledesma proxime constat) solum docuit propositionem de futuro contingenti fixam,& determinatam ex parte obiecti veritatem non habere. At verò si præfinitiones prædeterminatiuas de sese efficaces, ac physicas de sese efficaces, prædeterminationes admitteret,haud quaquam propositionibus illis certam, ac determinatam ex parte obiecti veritatem,aut falsitatem absolute negaret:quemadmodum futuris à causis necessariis, ne aduersarij quidem absolute negant;sed solum independenter ab eius præfinitione,& prædeterminatione: quare, vt summum sensisse Curielem ibi dici posset,quod de primis scientiæ mediæ sub his vocibus Authoribus Molina, & Fonseca (quorum primus 1.p.qu.14.art.13.d.17.& Secundus lib.4. met.c.7.explanans text.& 3. instit. dialecticar.c.6.quod determinatam etiam veritatem, aut falsitatem propositionibus de futuro contingenti negauerint) scilicet in seipsis cognosci adeo eiusmodi futura ab æterno infallibili veritate non posse, sed vel solum per supercomprehensionem,vt Molina proxime d.49. & 50.& Becan.t.2.summ.Theolog.c.10.q.9. vel in alio medio (quod præfinitio,& prædeterminatio physica, ipsi semper inutila, non sit, vt nostri Recentiores aliquot censent) ab ipso non explicato.Vel scientiam solum coniecturalem Ledesmæ,& Thomistarum priorum iam ab eis,& Theologis reliquis ablegatam (quod non,nisi graui Curielis dedecore, nulloque statæ iam Thomisticæ doctrinæ emolumento dici potest) in Deo circa futura contingentia admiserit,vt Ledesma gloriatur.Vel tandem sensisse. *Cognosci. In tali vocationu modo,qua Deus voluntatem suauiter ducat,infallibiliter tamen indeclinabiliter, & insuperabiliter ex aptatione,& contemperatione vocationis cum illa, & connexione,qua est inter intellectum taliter proponentem,qua posita infallibiliter, & indeclinabiliter, libere tamen voluntas operatur*, quod,quam longe absit à physica prædeterminatione, præfinitioneque de se efficaci prædeterminatiua, patet.Solumque in sententiam Mag.Ioannis Gonzalez 1.p.d.58.sect.de morali prædeterminatione,de qua cert.vlt. recidit.

4. Verum,vt dixi,Mag.Curiel nihil de medio,& modo, quo Deus futura contingentia prænouit, ac veritas contingentium determinata ex parte obiecti niteretur expresit. Recitata verò verba sunt Magistri Basilij Legionensis pro nostra sententia recitati de prompta excitata relect. de necess.gratiæ,1.p.cap.9.n.3.& §.3.n.23.in cuius capitis initio ait sibi Magistrum Antolinez in hac congruitate vocationis præluxisse:pro eaque citat Leonardum Coquæum in notis ad cap.12. de ciuit. c.9. & manuscripto de auxil. d.5.dub.1. init. refert pro ea Ludouicum Legionensem lectura de lib.arbitr Mag. eiusdem ordinis Petrum de Aragon 1.2.q.83.solut.argum.Vasq,1.p.d.92. & 98. c.6.n.36. & 1.2.d.26.c.5.n.27.& Ioannem Gonzalez proxime. Caterum,cum locis recitatis ex illis relectione,& manuscripto physicam prædeterminationem, ac subinde eius præfinitionem omnino repellat,& manuscripto de auxil. d.4. dub.1. multifariam probet decreto Dei de se efficaci,& independenti à nostra voluntate libertatem euerti:& d.5. dub.4.fine dicat. *Molina opinionem probabilem esse, & cum magna probabilitatis specie satisfacere argumentis, quæ in contrarium adduci solent*, & citata relect. de necessit. gratiæ c.10. n.8. sententiam nostram sæpe à se doctam publice testetur: *quia comparatione facta cum opinione constituente qualitatem physicam*, (& quod tantundem est præfinitionem prædeterminatiuam) *longe probabiliorem iudicaui*. Nescio quo pacto ad Dominicanos tandem iuisse censeri à sano homine possit. Præsertim ex congruitate illa, & attemperatione cogitationis ad voluntatem in actu primo, quam ex ipso retulimus,& nobis aduersarij opponunt eum eam congruitatem vocationis in actu primo, & Vasq. citatus, & Meratius tract. de grat.d.6.sect.16.& Tannerus d.16. de grac. q.1. dub.4. n.64. & alij ex nostris, & Alfonf.Mendoza, Augustinian. qu.7.scholastica n.14. concl.6. qui maxime physice prædeterminatiuas præfinitiones, & qualitates detestantur, scientiamque

scientiamque mediam purissimam tuentur, eiusmodi congruitatem antecedentem vocationis, & à scientia proinde media conditionata consensus futuritione independentem laudent, ea vero admissa aliqualis connexio, & infallibilitas cum assensu voluntatis concedi potest moralis nempe, non physica, & metaphysica. Cuiusmodi in medio scientiæ physicæ, ac metaphysicæ infallibilis (qualis diuina scientia) omnino debet reperiri. Quare, cum nunquam docuerit diuinam præscientiam contingentia futura, siue conditionata, siue absoluta in congruitate illa, seu attemperatione, siue in sic attemperata cogitatione, & vocatione in actu primo voluntati, tanquam in medio omnimodæ infallibilitatis diuinæ scientiæ apto, inniti, de connexione illa morali solum, & cui difficulter quis renuat, ac subinde morali etiam infallibilitate annuat, intelligendus Mag. Basilius Legionensis sit. Maximè cum non aliis de causis physicam prædeterminationem, præfinitionémque prædeterminatiuam necessariam ex parte actus primi ad operationes voluntatis nostræ semper reiecerit quam ob læsionem libertatis ratione antecedentis illius connexionis, & infallibilitas physicæ, & metaphysicæ futuri consensus sub illa. Denique id ex oppositis nobis Basilij vernbis quomodocumque intellectis, colligitur apertè: eum nusquam necessitatem consensus ex congrua vocatione, & auxilio efficaci in prædeterminatione physica, siue præfinitione de se efficaci constituisse: quare neque vnquam à nobis, & à se ad Thomistas transfugisse; imo verò, etiam tunc, cum sui à nobis diu amicissimis, ac benefactoribus alienationem ea doctrinæ suæ constantissimæ, quia nostra erat, mutatione testari voluit, tamen eam dominicanæ non potuisse non præferre, nec per profundum eius ingenium licuisse à nostra sententia deficere, cum vellet; sed solum vocibus illis congruitatis vocationis de se se, ac independenter à scientia, & futuritione conditionatis aliquid sonare, quo videretur à nobis abscedere. Cum tamen reipsa intra nostrorum sententiam maneret, qui eiusmodi congruitatem intrinsecæ attemperationis vocationis ad voluntatem non negant. Sed congruitatem talem, cui voluntatem reluctari omnino, & physice, & metaphysice repugnet.

5. In nostris etiam castris contra præfinitiones, & qualitates prædeterminatiuas hasce, strenue pugnauit, Augustinianus etiam, Mag. Franciscus Cornejo, & ipse quoque Primarius Salmanticus antecessor: qui totam doctrinam de auxiliis, & scientia media cum suis, vt aiunt incidentiis, annexitatibus, & connexitatibus amplexus lectura de scientia Dei d. 5. dub. 3. subnectit. [Et sanè non video, quam ob causam Thomistæ voluerunt tanto conatu illi obsistere, Siquidem neque Diuus Thom. aduersatur; quinimo in ipso non leue habet fundamentum, vt mox ostendam: & in Diuo Augustino ferè irrefragabile: & quod caput est in sacra scriptura minimè contemnendum. Addo quod quamvis daremus negantem partem esse veriorem, non ob id hæc foret reiicienda. Est enim, semperque fuit controuersia de liberi arbitrij cum gratiæ donis concordia valde difficilis: in qua explicanda prima Christianæ religionis ingenia insudarunt: vixque sibi ipsis satisfecerunt: vt proinde gratiæ sint habendæ iis, qui retenta fidei sinceritate, sanctorumque Patrum doctrina, præsertim Augustini (qui Princeps in hac palestra fuit) nouam aperuerunt viam.] Aliud etiam Salmantinæ Academiæ lumen, & sui ordinis S. Bernardi præcipuum ornamentum Reuerendiss. & Illustriss. Mag. Fr. Angelus Manrique eiusdem Primariæ Theologorum Cathedræ Moderator lect. de auxil. dif. 6. cap. 1. supponit primo in Deo scientiam futurorum contingentium ac statim. [Secundo etiam ex dictis præsuppono non cognosci in decreto. Tum, quia in eo mihi certum est peccata, vt minimum, non cognosci: quippe quæ à Deo non nisi ad exigentiam arbitrij decernuntur; & tamen nullus hactenus distinxit inter bona, & mala, vt hæc, nisi absolutè futura non cognoscantur, secus illa. Tum, quia decretum illud absolutum, & efficax tolleret libertatem, aut saltem diminueret nimium, vt iam ostendimus. Tum denique, quia admirabile proculdubio est, & sola necessitate cogente dictum, Deum circa quemcumque hominem ex infinitis possibilibus infinities infinita decreta multiplicare, quæ nulli prorsus vsui sunt futura.] Vbi, & si de decretis absolutis subiectiuè, & obiectiuè conditionatis, quæ ad contingentis conditionati futuritionem, & scientiam Thomistæ requirunt, loquatur; tamen generalem rationem relegandi à Deo omnia actionum liberarum decreta ad tuendam earum in quouis statu, libertatem expressit. Suæ huic doctrinæ concordat hic doctor eamque fusius iterum dedit lectura de scientia Dei diffic. 7.

6. Ne vero eam sententiam Primariæ solius Cathedræ Salmantinæ fructum esse arbitreris, in eandem etiam doctrinam Vespertinæ Cathedræ Salmanticensis Magistros, quasi hæreditario iure, succedere ostendamus; & in primis Augustinianus Mag. Ioannes de Gueuara, qui eam Cathedram rexit nostræ doctrinæ adhæsit, vt testatur eius in id muneris successor. Mag. etiam Augustinianus Alphonsus Mendoza quæst. 7. scholastica ex quodlibeticis fine, qui eam doctrinam vberrimè ea quæst. sæpè docuit num. 4. & 16. ad 3. argum. & §. *ex his expedita*, & §. *Non est vulgaris*. Et num. 18. ad 5. argum. & concl. 5. num. 13. & §. *Adde* prædeterminationes physicas, (ac proinde determinatiuas præfinitiones) *chymericas, & fictitias appellat*, & §. *Demum* eas ait à doctioribus Theologis fastidiri. Ex quibus constat quo sensu præstantis doctrinæ, & ingenij vir eadem quæst. concl. 4. num. 12. asserat probabiliter dici posse nunquam repræsentari creaturam aliquam, ac proinde, neque futurum contingens in Deo posse, sine ordine ad diuinam voluntatem. Ibi enim solum voluit, in nullo statu veritatem aliquam, seu cognoscibilitatem creaturæ, adhuc contingentis conditionatæ futuræ, absque Dei decreto esse posse quare neque independenter ab illo cognosci: quia creatum nullum absque Dei voluntate potest consistere; at vero Dei voluntatem illam efficacem de se se erga contingentia esse debere; aut absolutam ex parte actus erga contingens, quod sub aliqua conditione foret, minimè docuit: quare id solum docuisse censendus est, quod repetitæ à se toties, & adeo proximè doctrinæ consentaneum est: nempè vt creata omnia contingentia sint, & subinde à Deo cognoscantur, Dei voluntatem, non autem prædeterminatiuam, & efficacem consensus, neque absolutam ex parte actus ad id, quod solum conditionatè est futurum, requiri: quemadmodum neque ad id, quod solum est possibile; sed opus esse voluntate Dei de se se inefficaci proportionatè ad statum contingentis: absoluta scilicet ad absolutè futurum, & in hypothesi cum reliquis requisitis, & necessariis conditionibus ad futurum conditionatè. In horum locum, & Cathedram, nec minus in sententiam successit omnigena sacra litteratura ornatissimus eiusdem Sodalitij Mag. Ioan. Marquez, qui, cum censuram doctrinæ de concordia gratiæ, & prædestinationis cum nostra libertate per Molinam vulgatæ, ad sedemque Apostolicam delatæ Reuerendo sui ordinis Generali in vrbe Procuratori memorato Patri Ioanni Bapt. Piambino à Summo Pontifice commissam cognosceret, epistolam misit: in qua ex sua, & R. P. Mag. Petri Manrique ordinis etiam sui (qui eadem tunc ad illum scribebat) imo & totius doctissimi sui conuentus Salmanticensis communi sententia, & Molinæ ingenium, & doctrinam magnopere commendat vniuersim: eiusque de præfata concordia causam perillustris illius conuentus etiam esse significat; & mox speciatim addit [quod ad punctum de physica præmotione spectat: arbitror citra controuersiam esse, nunquam à S. P. N. Augustino cognitam fuisse, nec ei in mentem venisse: &, quod solum videtur requirere ad consensum voluntatis, (liberum nempè) primam cogitationem, quam ipse vocat congruam, ex parte intellectus, & ex parte voluntatis metum amoris, vel timoris in deliberatum: & cum his, quæ præueniunt, & præcedunt. Ex parte Dei statim voluntas cooperatur gratiæ præuenienti, & excitanti; & alia præfinitio physica semper mihi visa est dura, & periculosa, & quam sancta Tridentina Synodus non admittit, vbi agit de cooperatione nostræ voluntatis cum gratia efficaci Dei. Commentaria etiam P. Vazq. in 1. p. hic magnificunt: & ita non deerunt Zoili vt nunquam hominibus excellentibus desint. Si fortè alicuius propositionis, quæ deferatur ad suam sanctitatem, v. Paternitas censor nominetur, rogo, quam vehementer possum, ad-

faueat: quoniam meo iudicio liber ille doctrinam valde sanam, & per omnia conformem Parenti nostro Augustino continet, &c. Salmanticæ die 28. sept. anno 1600. Fr. Ioannes Vazquez.]

7. His pro explorata Salmanticensis Academiæ opinioni nostræ adfuentia, atque in præfinitiones prædeterminatiuas hostilitate sacrarum religionum eius vrbis (quæ Academiæ partes illustriaque membra sunt) Magistri recensendi hic essent; ni postmodum opportunius, dum sacrarum religionum his de rebus examinemus sententiam referrentur. Et quidem recitati Professores, cum præcipua eius facultatis, & vniuersitatis, ex quo res in controuersiam vertitur præsens, lumina fuerint, eos numerasse sat nunc erit, vt certum pro nobis habeatur huius Academiæ iudicium. At inquies illam anno 1581. Theses P. Prudentij de Montemaior negantis præfinitiones nostrorum actuum diuinas grauí notasse censura, imo ad Pincianum inquisitionis tribunal detulisse. Respondeo id ab Academia actum minimè fuisse, sed à Mag. Bannez physicarum prædeterminationum, & præfinitionum inuentore, nec satis moderato, suique compotè (præsertim in hac materia) censore, vt constat ex eius relectione de merito, & augmento charitatis quæst. 3. §. *Sed assirmus*, pag. 149. vbi id de se fatetur, eaque de rebus hilce erroris, aut etiam hæresis propositiones notat, quæ ex eo etiam tempore Theologis communiores, & longè aduersis probabiliores, vt minimum, habentur. Censuratas quippè à Bannesio, ac fortè aliis suarum partium Doctoribus, theses sanctæ Inquisitionis tribunal omni censura immeritas, & prorsus Catholicas declarauit: Complutensis vero Academia etiam laudibus extulit. Ast oppones iterum statutum Salmanticensis studij 9. Iunij anno 1617. de iuramento sectandi S. Augustini, & S. Thom. doctrinam, atque in non ita claris iuxta intelligentiam eorum, [qui S. Augustini, & Thomæ discipuli communiter censentur à Theologis suis Professoribus, & Magistris nuncupantur:] quare & statutum ibi virtute esse prædeterminatiuas præfinitiones eorum, qui vulgo Thomistæ dicuntur, in ea vniuersitate sequendas. Decretum occasione fundationis nostrorum studiorum Mattritensium, Hispaniarum Regis nostri Philippi IV. munificentia Dominicanis Patribus Hispaniæ Academias in nos concitantibus habitum à Salmanticensi fuit. Cum autem à Patribus Franciscanis merito pro Scoti doctrina in omnibus vniuersitatibus celebri, destinata etiam ad eam edocendam Cathedra apud supremum Castellæ Senatum Regium (à quo necessario ad sui validitatem decretum illud confirmandum erat) aduersum eis esse reclamaretur: diuturno, & maturo singulorum senatorum consilio, & postmodum eorum omnium longissima octo horarum, collatione, & consessu habito sexto idus Februarij subsequentis anni omnium calculis decretum illud abrogatum, reiectumque fuit, vt latius refert Lucas Vvadingo Franciscanus in vita Scoti præfixa tom. 1. commentarior. cap. 15. num. 69. Sed, nec si statutum vigeret, nobis, in quorum odium conceptum fuit, nostræque doctrinæ officeret: nihil enim nobis antiquius, quam S. Thomam scholæ nostræ Principem sectari, vt videre est in 4. p. constitut. cap. 14. §. 1. & p. 8. cap. 1. & in 5. congregatione generali can. 41. & 56. quin, ideo prædeterminatiuas præfinitiones, & prædeterminationes physicas à nobis, reiiciendas R. noster P. Claudius Aquaviua Generalis Præpositus Societatis, sub quo disputationes de auxiliis habitæ in vrbe, resque Pontificio decreto absoluta est, præscribit epistola ad totam societatem data Romæ 14. Decemb. anno 1613. quod sanctis Augustino, & Thomæ magis sit consentaneum, &, quamquam eo decreto mentis S. Thomæ dubiæ sensum eorum, qui Thomistæ vocantur tenendum dicatur, cum certè Augustini mens firmius & primo loco ibi præscriberetur tenenda: ea quidem iuxta interpretationem, eorum qui Augustini discipuli communiter habentur esset amplectenda. Ij vero sunt eius germani filij Augustiniani Patres, ex quorum Proceribus omnibus sententiam nostram ipsissimam Augustini mentem esse nuper audiebamus. Ac tandem S. Thom. mentem, & in re præsenti sententiam pro nobis, & contra recentiores, qui Thomistarum nomine gloriantur, adeo esse expressam, vt recursu ad eorum interpretationes opus non sit, multis inferius ostendemus.

8. De Pinciana, seu Vallisoletana Academia nostræ doctrinæ fautrice illud est argumentum non leue: quod, cum ad eius vrbis tribunal S. Inquisitionis nostræ huius doctrinæ theses delatæ bis sint, semel, cum Salmanticæ à Patre Prudentio de Montemaior, atque iterum postea à P. Antonio de Padilla fuerunt publicis disputationibus propositæ, atque orthodoxæ à S. illo tribunali iudicatæ, fieri minimè potuit, quin id sine consultatione, & censura insignis illius Academiæ, quæ adeo ad manum erat, ab illo Tribunali perageretur. Sed habemus rei huius comprobandæ non eum discursum tantum, sed fide dignam historiam. Siquidem de Molinæ doctrina rogatus ex Roma à prænemorato R. P. Ioan. Bapt. Piambino Generali ibi Augustiniano Procuratore, ac doctrinæ illius per Pontificem censore, Doct. Ioannes Garcia Coronel Primarius Vallisoletanæ Academiæ Theologus Professor, & ipse quidem alias Thomista respondit: [Recepi scriptas per v. P. 25. Iulij, in quibus à me flagitat vt dicam, quæ in Hispania communior sit opinio de physica præmotione, quidve ego ipse sentiam: qua de materia vellem potius ab eruditis edoceri, quam aliquid definire: sed vt V. P. morem geram, & vt in tantæ materiæ subsidium (quam grauem, & ex Dei gloria esse autumo) aliquid conferam, proferam, quod ex vero esse mihi occurrit. Has prædeterminationes video generaliter displicere multum fermè omnibus hominibus doctis, qui acriter versati sunt in rebus speculatiuis, & scholasticis, vel in controuersiis fidei, & contra hæreses in hac Pinciana vniuersitate neminem melioris nominis, præter Dominicanos, cognosco, qui arbitrentur prædeterminationes necessarias esse, & omnes pene eas auersantur. In Collegio Augustinianorum vidi Professores non bene de eis sentire: vti, & in cœnobio S. Francisci: & inter hos nuper electum Episcopum Pampilonensem virum doctissimum: & SS. Trinitatis religiosos, & collegas maioris Collegij S. Crucis: quin cernere liqueat in omnibus his communitatibus, qui contrarium, vel legeret, vel defenderet. Idem quoque sentire perspicio doctiores canonicos summæ ædis: & quod ad actum peccaminosum spectat, viri grauissimi fratrum Prædicatorum (quales sunt P. M. Fr. Didacus Zanguas, & P. M. Mondragon iam defunctus) aspere tulerunt à suis Monachis propugnari Deum prædefinire ad actum peccati, vel quod impelleret ad ipsum. Paucis elapsis diebus Mag. Tiedra, qui meo iudicio est omnium eorum, quos Dominicani hic retinent, doctissimus, mihi insinuauit quamvis sentiret affirmandum esse à Deo physice prædeterminari voluntatem ad operandum; sed antecedenter ad hanc præmotionem ponendam esse quandam indifferentiam negatiuam, vt saluetur humani arbitrij libertas extra hanc vniuersitatem in aliis his paniæ Academiis extra Salmanticensi limquet mihi, exceptis Dominicanis, reliquos excellentiores Professores negare huiusce modi prædeterminationes, quales Mag. Curiel vir doctissimus, Magist. Antolinez, & omnes Magistri conuentus Augustinianorum Salmanticensis, qui modo viuunt: etiam Mag. Dom. Manuel Sarmiento, Mag. Arroyo, & vt arbitror, omnes Benedictini Magistri. Quin & Mag. Zumel, qui Dominicanis adhæret, acerbe in suis operibus loquitur de prædefinitione ad peccatum. In Complutensi Academia generaliter recedunt à prædeterminatione physica: & cum certitudine noui censuram tulisse in fauorem oppositæ sententiæ, & libri Molinæ, quam contrariam prædeterminationi opinionem in siguntina, & scuriali vniuersitate (quod est insigne studium fundarum à nostro Monarcha) homines valde graues legerunt. Ex Patribus etiam Dominicanis legit nostra tempestate Mag. Fr. Ioan. Vincentius, & aliquibus annis ante hunc, Mag. Mancius, ambo insignes viri in Academia Salmanticensi: Vidi insuper theses ex Granatensi Academia, in quibus defendebatur & pro comperto habeo idem factum in Beatiensi vniuersitate, in qua, valde procliuem animaduerti quendam eius Professorem valde grauem, nempè R. P. Fr. Didacum de Auila ex ordine SS. Trinitatis, in sacris religionibus; ferme omnibus (excepta Dominicana) inoffense decurrit. Et in Capitulis generalibus, & Prouincialibus, quæ conspexi multa celebrari in hac

hac vrbe, propugnabatur: nempè in generalibus capitulis Benedictinorum, & Minoritarum: & idem fecissent in Capitulo generali fratrum Mercenariorum, nisi Mag. Zumel impediuisset. Quam etiam defendi in capitulo generali Carmelitarum apud Madritum, dum ibi versarer, aspexi anno 1597. & in nullo memini quod physicas prædeterminationes tuerentur: & de præfinitione ad actum peccaminosum communiter male iudicatur.

9. Dedimus his Primarij Vallisoletani Professoris verbis plus multo, quam promisimus. Neque enim tantum pro doctrina nostra Pincianam vniuersitatem, sed & reliquas Hispaniæ Academias recenset, quod autem de illa, & de Thomistarum (è quorum schola de reliquo ipse erat) aduersa suum iudicium fuerit his immediatis subiunxit. [De me ingenue fateor, V.P. (licet sim discipulus Patrum Dominicanorum, & eorum ordinè non mediocriter colo) nunquam potui cum illis has physicas prædeterminationes admittere: & ita oppositum publicè sæpè defendi: & hoc lecturus sum anno. Non enim percipere valeo, quomodo cum illa præmotione consistat determinatio Concilij Tridentini sess. 6. c. 5. can. 4. vbi manifestè docet voluntatem posse resistere, etiam in sensu compositio: nam vocabula dissentire, & abiicere sensum compositum denotant: & c. 6. apertè decernit, Deum non esse causam peccati: & his nunquam, obseruaui, digne satisfieri. Nec etiam satis concipere queo; in quo hæ prædefinitiones differant ab errore Caluini, quo Ecclesia tantum hoc æuo perturbatur: nec qua forma per eas confutari possit. Quare obseruabam ab insignioribus hæresis nostro sæculo impugnatoribus (quales Bellarminus, & Stapletonius) pro eadem ferme haberi sententia cum Caluiniana: vtque multo magis in his, quæ spectant ad actus malos. Nam, vt relati duo, & alij controuersistæ suggerunt Caluinus, & eius asseclæ non adstruebant, Deum esse causam peccati: quo ad formale eius, sed solum, quoad materiale; licet Catholici per consequentiam inferant, eo ipso futurum, & causam actus praui quoad formale: quod, & ex his etiam præfinitionibus modo, quo pronuntur, sequi videatur. Insuper me confirmat in auersione, quam habeo à sententiæ admittentis præfiniri actum peccaminosum secundum materiale, quod his diebus perspexerim à S. Inquisitione quædam grauissima delicta puniri, & quasdam doctrinas valde noxias, quæ multis viris doctis, & grauibus ex his, qui aderant, appendicula quædam videbantur opinionis introducentis præmouere Numen corda hominum ad materiale peccati. Molinæ librum ab hominibus doctissimis conspexi summis encomiis efferri: quem ego attente perlegi; &, licet forsitan quædam in eo melius dici possint, sed re vera nihil occurrit, quod expunctione, aut censura dignum sit; multa autem, quæ magnam laudem promerentur. Et quamvis eius sententia re ipsa satis prisca, & vetus sit, quam esse Beatorum Augustini, & Thomæ pro indubitato habeo, intelligo tamen ipsum primum extitisse, qui distinctius, & fusius eam tradiderit, & cum maiori robore: & scio eos, qui contra hæreses dimicant gratias referre ob ministrata arma aduersus ipsas: quæ fuit causa, vt pro opinionis primo authore haberetur, & ob hanc ipsam causam, quamvis in eo aliquid eluceret, quod purgatione dignum esset, putarem differendam in aliud tempus castigationem: ne, si hac ætate fieret Caluinistis vanæ aduersus Catholicos gloriationis ansa daretur; & scholæ non modicum detrimentum paterentur. Certè quæ contra illum obiiciuntur non multi ponderis sunt, & facilè soluuntur: Authoritas virorum, qui contradicunt, me moueret, nisi satis animaduerterem in his particulares respectus misceri, quos penetrare non est difficile. Addo in quæstionibus tam acutis, & subtilibus non omnium esse, licet pro doctis teneantur, sanum iudicium ferre. Hæc habui, quæ dicerem, vt V.P. mandato obsecundarem: quem diuina Maiestas diu incolumem esse faciat. Ex Vallisoleto, die Octobris 17. anno 1600. Doct. Ioannes Garcia Coronel.

10. Et licet obiter Primarius hic Vallisoletanus pro nobis reliquas ferè Hispaniæ vniuersitates recensuit Granatensem, Scurialensem, Beatiensem, & Siguntinã. De Valentina vero celebri etiam Academia certum omnino est totam, totam semper nobiscum ea in re sensisse. Cum cum his in Hispania mota contra Molinæ concordiam fuit, ea Academia Professorem Augustinianum insignem habuit, qui & è communi sui ordinis sententia, & è Patris Molinæ, & præcipuè Gabrielis Vazq. obseruantia omnes Professores, & sua authoritate, & firmissimis argumentis in nostris, & suis partibus tenuit. Excidit sanè eius nomen vti iam diu plura alia memoriæ assolent meæ, ni scriptis iuuetur. Et sanè neminem, si Dominicanos excipias à nostris in ea Academia partibus, nunc etiam, defecisse, oculatus testis est noster Borrul. d. 5. de scientia media sect. vlt. citans Illustriss. Ludouicum Crespi ex Professore Primario Valentino primum Orlicnsem dein Placentinum Episcopum lecturis de auxil. scientia, & prædest. Ioseph Vergè Primarium etiam eius Academiæ Magistrum lecturis totidem. Melchiorem Fuster cuso de volunt. tract. n. 583. Bonau. Guerau. Chrysostomum Royo, & Castelvi ad sacras insulas assumptum lectura de scientia.

CERTAMEN III.

Quid à Sede Apostolica, & sanctæ Inquisitionis tribunalibus tentatum, actumve re super hac, referatur.

1. HIc denique apponere libet, quæ de doctrina nostra prædeterminatiuis præfinitionibus aduersa, quam, & dante, & fauste obsterricante Deo scripturæ, Patrum, & veterum scholasticorum sententiis grauidum Molinæ ingenium in puram edidit lucem, à Sede Apostolica, & fidei quæsitoribus iudicata sunt. Et quid demum post longas cum aduersariis disputationes coram Clemente VIII. & Paulo V. de ea statutum à Sede Apostolica fuerit, ne aduersarij quidem in dubium reuocant: cum etiam ante conclusam causam de variis accusatam sententiam nostram Clemens VIII. eam defendendi, & vbivis studiorum, & gentium edocendi Orthodoxis doctoribus copiam fecerit amplissimam, vt Augustinianus Mag. Ioan. Puteanus Tholosanæ Academ. Regius Primar. Professor hic testatur in 1.2.t.1. q.111. dub.4. init. [Duæ sunt de hac re extremæ sententiæ, quarũ neutra est de fide. Clemens quippè VIII. de hac re consultus fecit potestatem defendendi quamlibet; modo tamen alteram nulla notaret censura.] Et doct. Sorbonius Andreas Duuallius Regius Parisiensis Academ. Professor t.1. in 1.2. tract. de grat. q.4. sub init. [Et quidem, cum à Clemente VIII. doctorum examini relicta sit cum moderatione, qua neutra opinio hæresis, erroris, temeritatis, alteriusve qualificationis arguatur, ab omni asperiori dicto sedulo abstinebimus.] Cuius decreti, & facultatis, & moderationis meminit Dom. Mag. Petrus de Ledesma Salmant. Theologus, Vespertinus Professor præfat. ad tr. de auxil. & si ex falso quodam testimonio Card. Madrucio impositio referat [Dominicanis, vt veris Discipulis S. Th. absolutam fieri, ac sine vlla limitatione suam doctrinam sequendi à Clemente VIII. fieri facultatem; nostris vero à S. Thom. [Hac in parte alienis suam etiam sequendi, taliter tamen, quod sanam, & Catholicam doctrinam in omnibus doceant.] Hæc tamen in nostrorum næuum ficta, dedecus in ipsos conuerterent, nobisque augerent laudem, si vera fuissent, siquidem & nos non solum de Dominicanis recentibus, sed, vt de S. Thom. authoritate maxima ita accusatos vicisse monstrarent, vt hac in re eius sententia decreto Pontificio ab omnibus scholasticis, & Academiis (quibus nostram sequendi data ibi copia fuit) pessumdari posset. Atque insuper, cum nihil doctrinæ nostræ eo decreto notatur, sed tota docenda relinquatur, eam in omnibus sanam prorsus, & Catholicam esse expressis verbis doceret, Dominicanis vero in S. Th. gratiam suam defendere permitteret: nihil de eius sanitate, vel infirmitate expresse saltem decernens. Sed certè, neque S. Th. authoritas, id vnquam patietur, nec societatis nostræ in Angelicum Præceptorem obseruantiæ gratus ille triumphus extitisset: gaudemusque non ita magnum cum fuisse: neque nos minus ea in doctrina veros S. Th. discipulos à Clemente declaratos. Sed quoniam speciatim, & Augustini ex S. Th. testimoniis nostram doctrinam per omnia tunc probauimus cum rei, & accusati de illa ab hisce Dominicanis essemus, & hos causa cecidisse, & nostræ doctrinæ à Sede

Apostolica

Apostolica probatione, & docendi copia facta cunctis orthodoxis scholis, & doctoribus superasse, & Augustino, & Thomæ gratias habemus.

2. Res igitur hæc ita habuit. Sedatis Lusitaniæ Dominicanorum aliquot motibus aduersus Molinæ concordiam è sanctæ Inquisitionis, illam omnino approbantis, censura, & decreto, exciti rursus ob publicas doctrinæ eiusdem à nostris Vallisoleti editas, ac defensatas theses contra illam fluctus fuere anno 1594. teste Aluarez de Origine Pelagianæ hæres. c. 33. num. 19. Dominicanis aliquibus illas ad Emin. Card. & Tolet. Archiep. & sanctæ generalis Inquisitionis Præfidem D. Gasparem de Quiroga deferentibus: vti ex epistola de eius, & supremi illius Regij Inquisitionis Senatus mandato per Licentiatum Arenillas de Reynoso, Senatus eius Promotorem fiscalem, Prouincialibus vtriusque Religionis, & nostræ, & Dominicanæ data, & intimata 15. Augusti anni eiusdem, qua vtrisque à censuris alterius abstinentia sub certis pœnis præcipiebatur. Et Regius quidem ille Senatus ab Academiis, & doctis quibusque Religionum Magistris de ea controuersia iudicium exigebat. Interim autem per eosdem Dominicanos (quos non satis apud Castellæ Inquisitionem & Academias de causæ exitu confidentes Lusitanæ Inquisitionis, & Academiam ante acta iudicia reddiderant) rem totam ad Clementem VIII. & vrbem, in qua sacri Palatij è Sodalitio suo Magistri, summa his super authoritas erat, detulerunt: quo effectum est, vt cum eorum industria præcipuè rei grauitate perspecta Clemens VIII. ad se, atque ad Sedem Apostolicam aduocans causam decreto, cum ad præfatum Card. Quirogam, tum ad suum Hispaniæ Nuncium D. Camillum Caietanum Patriarch. Alex. iuberet vtriusque religionis Prouincialibus intimando. Primum, ne, donec aliter à Sede Apostolica per S. Inquisitionem insinuatur, de his siue in conclusionibus, siue in concionibus, siue lecturis, siue scriptis cusiue libris de rebus hisce tractarent. Secundum: curarent quantocyus vnusquisque à sui Sodalitij Magistris doctrinæ suæ, cum ab authoritate, tum à ratione fundamenta in scriptis colligere: quorum exemplar vnum supremo fidei senatui, alterum vero Sedi Apostolicæ mitteretur. Id quod à Nuncio Apostolico primum datis ad vtriusque religionis Prouinciales litteris 15. Augusti anni eiusdem 1594. executioni mandatum est, nec multo post, nempè mense Octobris anni eiusdem 1594. litteris à supremo fidei Senatu, per sua inferiora tribunalia, Toletanum, Vallisoletanum, Hispalense, & Valentinum peractum est. Paruerunt, vt par erat, incunctanter vtriusque Sodalitij Prouinciales, & Magistri: exemplariaque vtrobique delata fuere, quibus Romæ diligenter inspectis quatuor post annis Clemens VIII. tam Religionis vtriusque, quam, quibusvis Ecclesiæ Catholicæ scholasticis Doctoribus, & Professoribus vtramliber sententiam tueri docere, ac legere, publicè etiam pro Academiarum more, diplomate suo arbitrium liberum fecit; dummodo à censuris oppositæ omnino abstinerent: vt conitat ex litteris ad P. Ludouicum de Guzman Toletanæ nostræ Prouinciæ Antistitem datis 15. Martij anno 1598. à Tribunali S. Inquisitionis Toletano, quibus subscribunt D. Antonius Moreson, Licentiatus D. Gaspar de Quiroga, Licentiatus D. Franciscus Manuel, fidemque Iosephus de Pantoja secretarius facit.

3. Cæterum, vt delationis Dominicanorum aduersus doctrinam Molinæ, iam nostram vniuersim, causa maturius discuteretur Clemens ipse, anno 1599. iussit, vtriusque Religionis Generales tribus quemque selectis suorum Magistris statò die 22. Februarij in ædes Eminentiss. Cardin. Madruchij conuenire, & quibus discreparent presse, ac dilucide exponere. Id quod effectum per vtrosque est Reuerendissimos: accedentibusque Mag. Generali Patrum Prædicatorum cum Mag. Didaco Albaræ Procurat. ordinis generali, & Mag. Raphaële Ripa, & alio Mag. ignominato, qui Cardinalis Asudani Theologus fuisse perhiberur; & Claudio Aquauiua Generali Societatis Præposito, comitantibus P. Michaële Vazq. Collegij Rom. studiorum maior, Præfecto P. Petro de Arrubal Primario etiam olim Collegij Salmantini Professore, & tandem Prouin. Castellæ Antistite. Aperti ibi articuli, quibus discordabant, & quamvis Madruchio additi etiam comites Eminentissimi Cardinales duo sub Martij finem fuere, Asculanus ex Dominicana, & Bellarminus è Iesuitica assumpti nil per multas vtriusque partis apud eos sessiones actum, quoad concordiam, fuit. Quare ineunte anno 1602. publicè ab eodem Clemente disputationes vtrisque fuerunt indictæ, ab eisque, & acceptatæ, & ceptæ: quarum exitus sub Paulo V. idem, atque sub Clemente VIII. vt, scilicet, vtriusque sententiæ tuendæ, legendæ, atque edocendæ copia omnibus Theologis fieret, dummodo alij ab aliorum censuris temperarent: nec, quovsque aliter per Sedem Apostolicam super hisce rebus statueretur, libri, aut tractatus de auxiliorum efficaciæ argumento cuderentur: ita statuit Paulus V. decreto suo dato 28. Augusti anno 1605. quo anno illud refert Henricus Spondanus auctuario ad Epitom. Baronij, & si eiusdem publicatio, & mandarum ad sanctas Inquisitiones, vt id vbivis præciperent, & euulgarent 5. Septemb. anno 1607. fuerit. Quæ res circa eius decreti tempus variare authores fecit, & quoad impressionis prohibitionem eiusdem Pontificis breue intimatum est anno 1612. die 24. Iulij, vt referunt, t. 2. Ludouici Montesinos in 1. 2. d. 31. q. 5. qui eius editionem curarunt. Vtramque in his edocendis, legendisque moderationem Pontificis. Vrbani VIII. in nouatoris constitutionibus confirmatam nouimus. Sed quoniam de re hac nullum iam est partium dissidium eis constitutionibus referendis breuitatis causa supersedeo. Fuerunt autem eius Pontificis confirmatoriæ constitutiones tres. Altera expedita 22. Maij, anno 1625. cuius meminit Ioannes à S. Thom. art. 6. citando init. Altera anno 1641. Augusti 24. occasione operum Cornelij Iansenij. Tertia anno 1643. Breui prohibenti librum *Augustinus* Cornelij eiusdem, quarum meminit Paulus Leonardus in responsionibus ad expostulationes contra scientiam mediam p. 1. sect. 3. num. 13. Illud tamen notarim Pontificia hæc decreta, & si æquè vtrique parti fauere videantur, nostræ tamen longè esse fauentiora. Siquidem doctrina nostra accusata, atque, vt sic loquar rea aduersariorum criminationibus in eo iudicio fuit; eorum vero opposita sententia actrix, needum accusata, & si argumenta, ob quæ ab illa abscederemus, iremusque in nostram, haud seguiter à nostris fuerint eis disputationibus instructa, & efformata: longè autem maior approbatio est accusatum absolui, quam non damnari non accusatum, sed permitti: & sanè, cum nostræ doctrinæ absolutione habita Doctores nostri oppositæ sententiæ Lutheranismi, & Caluinismi à Tridentino damnati; litem intentarent, longissimarum anteactarum disputationum tædio, alioque Pauli V. mentem auocantibus curis grauissimis, disputationes solutæ, atque in liberius tempus dilatæ sunt, non neglectæ: quæ nobis actoribus, si habeantur, & tamen aduersarij pro sua conditione, & Theologica dexteritate causa non cecidirint, tunc demum æqua vtriusque doctrinæ laus, & commendatio à Sede Apostolica erit.

4. Sed enim Romanæ illæ disputationes atrocium fabularum, mendaciorumque contra nostram doctrinam spississimorum materiam nonnullis dederunt: quorum mala fide decepti discalceati Carmelitani Salmanticenses in suo cursu Theolog. t. 1. in 1. p. tract. 3. dubit. 3. §. 2. narrarunt ex triginta grauissimis viris, Cardinalibus, Episcopis, & Religiosis Vicario Christi testium, & consiliariorum loco assistentibus, omnes, vno, vel altero excepto (quorum postea meminit Mag. Ioan. à S. Th. infrà recitandus) constanter cum Clemente VIII. & Paulo V. iudicasse scientiam mediam, ac subinde futuritionem conditionatam contingentium, aut absolutam, nullum in S. Augustini, & Thomæ doctrina fundamentum habere. Cui historiæ, cum à nostris per sex integros annos, vel hominum Academia disputationum pulueris inexpertium indulgentia, & neglectu, vel superflui laboris tædio, vel causæ securitate, vel tandem pacis, & modestiæ amore reclamatum non esset: nouissimè Ioann. à S. Thom. t. 1. in 1. p. d. 20. art. 6. pag. 688. cussionis Complutens. anno 1637. insultanter scripsit. [Sex anni sunt, ex quo liber est publicatus, vt possit ab aduersariis tale testimonium, & historia, vel refringi, vel redargui. Sed non est factum: & ita factum tenet. Et ibidem pag. 690. sanè, si aduersarij sensissent

sensissent pro eorum parte qualitercumque stare: nullatenus manifestare negligerent omnibus rem suæ opinioni ita favorabilem: cum etiam ex aliis minutioribus, & parui momenti argumentis grãdem aliqui ponderationem faciant.] Nostroque ipse silentio, atque modestiæ fidens ex quodam authographo Doctoris Pennæ, infensissimo societatis nostræ inimico historiam earundem disputationum aliam numeratis, cum die, mense, & anno, congregationibus, vbi de ea materia disputatum, actumque est ait: Congregat. habita apud Reuerend. Dom. S. Agathæ Episcopum die Iouis 7. Iunij anni 1601. Romanos censores omnes (exceptis Regente Carmelitarum, & Procuratore generali S. Augustini) *Statuisse scientiam mediam fuisse inuentam à Massilien-sibus ad extenuandam Dei gratiam effectricem bonæ voluntatis.* Sed quoniam historiæ illius discalceatæ, sicuti, & nimium calceatæ huius falsitas, vel inde deprehendi facile posset (vt docte obseruauit R. Petrus à S. Ioseph d. 4. de suaui concordia, sect. 4. n. 3.) quod nihil horum à Reuerendiss. Didaco Aluarez (quo Dominicano actore, & disputatores præsente, Romanæ sessiones, & disputationes habitæ sunt opere de auxiliis post illas omnes proxime euulgato memoratum fuerit; cum tamen nihil, quod suis fauere partibus posset, vel minutulum eo in opere, & altero responsorum omiserit. Duacenses Patres Dominicani difficili huic, & promptæ obiectioni contra vulgatam ante annos quatuor discalceatorum historiam occurrere volétes opusculum posthumum eiusdem Aluarez *de origine hæresis Pelagianæ* cudi fecerunt anno 1635. Ad cuius calcem addunt codice magna ex parte propria eius manuscripto, eòque ocniobio asseruato testari ipsum. [Ex triginta iudicibus supra recensitis, qui vel Cardinales, vel Episcopalibus insulis conspicui, vel ex grauioribus inter regulares omnes vno, atque altero dempto, & prædictos summos Pontifices Clem. VIII. & Paulo V. vt Doctores particulares, iudicasset veram, & germanam SS. Augustini, & Thomæ sententiam à Thomistis, aduersus Ludouici Molinæ doctissimos, & acerrimos defensores propugnatam,] quibus pro indubitatis suppositis subdunt, [vt proinde, quo iure Doct. Angelicus post tale grauissimorum Pontificum, & tot iudicum interrogatorum iudicium à quodam fulienſi. (Doct. nimirum Fr. Petro à S. Ioseph in defensione à S. Th. à physica prædeterminatione actuum liberorum ipsi falso imposita) [& nonnullis aliis in partes contrarias pertrahi possit viri prudentissimi vehementer mirari non desinant.

5 Vt autem ea præcautio fabulæ illi suadendæ, atque ab obiectione prætata liberandæ prodesset, eam historiæ partem è Reuerendissimi Aluarez codiculo decerptam, manu eius exaratam esse authenticis testimoniis comprobari oportebat. Plura enim eius codiculi alienæ esse manus proferentes ipsi testantur: atque aliorum manibus scripta plura circa eas congregationes, & disputationes apocrypha, & fabulosa ad aduersarios peruenisse certissimum est, tempérque illud instat nullibi suorũ operum, ne opusculo quidem hoc à suis Duacensibus cuso ea historia pro sua doctrina vsum Aluarez fuisse, qui omnia pro illa mouit. Et sane neque per Ioann. à S. Ioseph cit. art. 6. pag. 68. Consultorum Clem. VIII. & Paulo V. pro eis disputationibus assistentium numerus trigenarium expleuit: re autem vera neque vltra decem & quatuor, & sex præterea Cardinales fuit, vt ex relationum concordia singulis, & omnibus nominatim recensitis ostendit Paulus Leonardus proxime n. 11. Secundo vt hic bene obseruat sect. 4. n. 18. cum primum Molinæ doctrina delata ad Sedem Apostolicam fuit anno supra notato, non fideliter, vt in eius concordia erat, sed corrupte fuit delata, vt Molina ipse conqueritur: quare mirum non esset in congregationibus habitis anno 1598. coram Eminentiss. D. Ludouico Madruchio, & Dom. Pompeio Aragonio generalibus inquisitoribus Romanis septem ex nouenario numero Consultorum illam S. Augustino, & Thomæ declarasse contrariam; renitentibus R. Patribus Ioanne Antonio Bohio Collegij Romani Carmelitani Rector, & Ioanne Bapt. Piambino Procurat. generali Eremitar. S. Augustini, quibus adnumerandi ex illis nouem sunt Mag. Greg. Nunnez Coronel, Augustinian. qui è sui ordinis fuit sententia Procuratori suo generali consensit, & D. Ludouicus Creyl. & R. Iacobus de Bussu Benedictinus ambo Sorbonici Doctores Parisienses, ex quibus nemo non ab anno 1626. præfinitiones prædeterminatiuas, ac prægraui censura notatas, non reiecit, vt vidimus cert. 1. an. 2.

quod si, vt refert Ioann. à S. Thom. cit. art. 6. eis congregationibus interfuit Episcopus de Nardo, & Reu Mag. Henricus Siluius, postmodum Generalis Carmelitus in earum congregationum censoribus numeratus à Fr. Antonio Alegre statu 5. paradisi Carmelitici ætate 17. c. 36. ann. 1598. quos etiam pro doctrina Molinæ, vti Augustiniana, & vere Thomistica stetisse veriores dicunt relationes; liquet ex vndecim suffragiis, etiam tunc, cum nondum delatio verificata, doctrinaque à nostris, vt Molinæ, & Societatis propria, & germana recognita fuerat (sequenti anno 1599. actum hoc fuit, vt n. 3. dicebamus) nec disputationes inchoatæ septem doctrinæ nostræ adfauerunt. Et sane vani hi rumusculi per id temporis sparsi ab aduersariis fuere, vt patet ex epistolis recitatis Vniuersitatum, & Professorum Theologiæ cert. 1. & 2. & hoc cert. 3. afferendis; imo, & fabulosior ille, eorum tamen consectarius, quod Clemens VIII. Molinæ præfatam doctrinam vellet damnare; contra quem tamen bono nos animo esse iussit Eminentiss. noster Cardinal. Bellarminus epistola data. De eodemque Bellarmino in eius vita lib. 3. c. 9. dixisse Clementi VIII. fertur. Nihil eum contra nostras assertiones definiturum: id quod, & si probato alias sanctissimi viri prophetico spiritu dictum pie credi possit: cum Eugenio tamen Philadelpho exercit. schol. tripart. appendice ad Camerarium §. *Hus spectat*, ob supremam sedis Apostolicæ, & infallibilem in definiendis authoritatem, & nostræ doctrinæ firmissima, & ab authoritate, & à ratione fundamenta altissime ab eo penetrata, dictum potius reor. Maxime, cum sciam illum sub vitæ finem in sua contra prædeterminatiuas præfinitiones sententia mori se testatum esse.

6 Sed quamuis illud tunc fuerit consultorum, & Clem. VIII. iudicium, cum res non erat, & partis confessione, & disputationibus explorata: qui fieri potuit, vt post illas habitas, repræsentataque à nostris Sixti V. pro eadem doctrina contra Baium, eiusque partiales, omniúmque S. Inquisitionis tribunalium, totque vniuersitatum, & insigniorum ætatis illius Professorum iudicia, atque ex S. Augustino, & Thoma apertissima, & frequentissima testimonia, atque à ratione Philosophica, & Theologica argumenta firmissima, vel Romani censores illi, Clemens VIII. & Paulus V. (adhuc contrario delationis initio iudicio præuenti) in aduersa nobis censura persisterent? Fuerint ergo in rudi adhuc indigesta, & confusa materia ij omnes nobis aduersi, an non gloriosius nobis, nostrísque fundamentis est, causa cognita eosdem nostris partibus præconcepto etiam iudicio renunciantes, & quasi à se ipsis abscedentes nostris partibus accessisse? Quod autem ita demum (si vera illa aduersariorum historia esset) res acciderit: decreta illa vtriusque Pontificis memorata euidenter suadent. Neque enim contra proprium, & longe maioris partis censorum iudicium edita in nostræ doctrinæ fauorem decreta illa fuissent, quæ prudenter, & pie non, nisi ex maiori suffragiorum parte, præsertim contra priuata Pontificum ipsorum statuentium iudicia, edi potuerunt. Accedit sententiam censorum postremam, ex qua decreta illa prodiere secretis singulorum suffragiis ab eisdem Pontificibus per sanctam generalem inquisitionem Romanam, & memoratos Eminentiss. Generales fidei quæsitores in scriptis receptam fuisse: cumque, tum ob materiæ qualitatem, tum ob sanctæ inquisitionis stylũ inuiolabilem secreti iuramento tam inquisitores, quam censores obstringerentur: vnde fide dignis testibus ea iudicij censorũ postremi computatio effor mari potuerit, non apparet; nisi è Pontificiis regestis, quæ nulli partium hactenus patuere, nec ab aduersariis citantur.

7 Eam ob rem Ioan. à S. Th. cit. art. 6. pag. 688. ait: censuram illam maiori longe suffragiorum parte scientiæ mediæ, eiusque connexis articulis aduersã in cõgregationibus habitis apud Ædes Episcopi S. Agathę datã esse anno 1601. quare non esse illam, quæ summo Pontifici à iuratis de secreto censoribus post ventilatam vtrinque quæstionẽ data est. Postremum hoc est verissimum siquidem anno 1602. primũ quæstionis ventilandæ facta est vtrique parti facultas, ac publice disputationes indictæ. Et quidem argumenta hæc cõtra fabulosas istas Cõgregationes & cẽsuras, quæ fusiori calamo Paul. Leonard. persecutus est efficacia satis de se sunt, & Breui Innoc. X efficaciora facta expedito die 23. Aprilis, anno 1654. in Congreg. generalis Inquisit. Romanæ habita in Palacio Apostolico quirinali coram eodem summo Pontifice & Eminentiss. generalibus inquisitoribus, quo postquam libros plures Cornelij Ian-

senij, & Ianſenitarum ſub grauibus pœnis, & cenſuris prohibet, præfatas omnes hiſtorias Congregationum illarum, & ſpeciatim, quæ ex relatione Mag. Lemos, & Doct. Pegnæ circumferuntur, à pochryphas, & nullius authoritatis Innocentius declarat, à nulloque allegandas decernit. Breue incipit. *SS. D. N. Innocentius Papa X. poſt condemnatam ſua conſtitutione, &c.* fine autem ad rem præſentem ait. *Caterum, cum, tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam aſſerta acta manuſcripta, & forſan typis excuſſa, Congregationum habitarum coram ſacris record. Clemente VIII. ac Paulo V. ſuper quæſtione de auxiliis diuina gratia, tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ decani, quam fratris Thomæ de Lemos ordinis Prædicatorum aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui, vt aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Necnon quoddam autographum, ſiue exemplar cuiuſdam aſſertæ conſtitutionis eiuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de auxiliis, ac damnationis ſententiæ, ſeu ſententiarum Ludouici Molinæ ſocietatis Ieſu: eadem ſanctitas ſua præſenti hoc decreto declarat, ac decreuit: prædictis aſſertis actis, tam pro ſententia fratrum Ordinis ſancti Dominici, quam Ludouici Molinæ, aliorumque ſocietatis Ieſu Religioſorum, & auctographo, ſiue exemplari prædictæ aſſertæ conſtitutionis Pauli V. nullam omnino eſſe fidem adhibendam: neque ab alterutra parte, ſeu à quocumque alio allegari poſſe, vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta obſeruanda eſſe decreta Pauli V. Vrbani VIII. ſuorum prædeceſſorum fidem facit Ioann. Antonius Thomaſius ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis Notar.* Huius autem decreti publicatio ita peracta eſt. *Anno à Natiuitate D. N. Ieſu-Chriſti, milleſ. ſexcenteſ. quinquag. quarto, indictione 7. die vero vigeſima ſeptima Aprilis Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. Innocentij diuina prouidentia Papæ X. anno eius decimo ſupradicta littera Apoſtolica, ſiue decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, atque in acie campi floræ, vt moris eſt, per me Hieronymum Maſcellam eiuſdem S. D. N. Papæ, & Romanæ inquiſitionis curſorem.* Decreti huius authenticam copiam apud me habeo.

8. De Hiſpanis inquiſitionibus, quam honorifice hanc Molinæ, & noſtram prædeterminatiuis præfinitionibus abnuentem ſententiam probauerint conſtat ex datis epiſtolis cert. 1. à n. 9. & cert. 2. Datiſque de Luſitana generali inquiſitione reſtant ex iam ſubjiciendis Epiſtolis perſpicua teſtimonia clarebunt. Albertus Auſtriæ Archidux, olim Cardin. & Generalis apud Luſitanos fidei quæſitor, cum poſtea è Belgio Hiſpaniam ducturus infantem Iſabellam claram Philippi 2. filiam veniſſet, hæc è Matritenſi aula ad Clementem VIII. dedit anno 1599. die Aprilis 12. [Beatiſſime Pater, quo tempore Regnum Luſitaniæ, & S. ibi generalē inquiſitionem gubernabam oblati mihi ſunt ſupplices libri aduerſus librum Ludouici de Molina ſocieratis Ieſu de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, diuina præſcientia, & prædeſtinatione, & vt in eo negotio mature p. ederetur, poſt cōmunicatam cum ſenatu inquiſitionis materiam datum eſt Doct. Ludouico Molinæ tranſſumptum obiectionum factarum contra eius librum; quibus ille reſpondit; & ego præcepi, vt, tam obiectiones, quam reſponſiones ad eas perlegerentur, & excuterentur à perſonis doctis, & grauibus eius Regni, & inter has ab aliquibus Patribus Ordinis S. Dominici. A quibus, cum eſſet compertum nihil eſſe in libro, quod cenſuram promereretur; imo potius continere doctrinam valde vtilem, ſanam, & conformem ſcripturæ, conciliis, & SS. Patribus: &, quod Author omnibus, quæ opponebantur, ſolide ſatisfaciebat, vt liquet ex decreto S. inquiſitionis. his viſis facta eſt copia libri in lucē edendi; qui ſtatim prodiit. De quibus V. ſanctitatem admonere volui, quoniam percipio, nunc de nouo hanc eandem materiam Romæ pertractari: atque eidem, qui apud me in Luſitania de opere apud illo detulerunt, modo ad veſtrā Beatitudinem recurrere, vt in librum cenſura feratur. Atque, vt hęc repreſentarem motus ſum, tum quia æquum eſt ita fieri? tum quod Author efflagitauit: tum præcipuè vt V. ſanctitas per me, qui omnia noui, edoctus, ſtatuat, quod de tam graui negotio magis expediat, in quo, & mea periclitatur authoritas, & ſacræ generalis inquiſitionis Regni Luſitaniæ, & vtraque omnium tam catholicorum, quam hæreticorum oculis expoſita eſt.] Conſuli vero Dominicani Patres, fuere perdoctus Mag. Bartholomeus Ferreira ſenatus illius publicus cenſor, & Mag. Ioan. Delaſcueuas tunc Archiduci à confeſſionibus, poſt vero Epiſcop. Abulenſis.

Idem Luſitanæ inquiſitionis iudicium teſtata eidem Clementi VIII. fuit Maria Auguſta Imperatrix præfati Alberti mater litteris ad ipsū datis Matriti 14. Nouemb. anno 1598. tenoris ſequentis. Beatiſſime, perſpecta, & in Germania, & in Hiſpania, cum animi magna cōſolatione, quantum Religio ſocietatis Ieſu Deo, & eius Eccleſiæ deſeruit, obligor ex intimo corde concupiſcere, & adniti eius conſeruationem, & augmentum. Præſertim, cum videam eam à S. illa tua, & Apoſtolica ſede, à Catholicis Principibus tantopere coli, & adamari, quantum eam hæretici, & Pontificiæ Cathedræ omnes hoſtes deteſtantur. Perſuaſum enim habeo tales fauores neceſſarios eſſe, vt fructus laborum, quos ſuſcipit, creſcat, & mercedis, atque præmij quaſi debitos titulo, ob plura, & inſignia eius merita erga veſtram ſanctitatē, & totam catholicam Eccleſiam, pro qua inceſſanter fatigatur, veſtram Beatitudinē ſuppliciter deprecor; tum propter vniuerſalis Eccleſiæ gratiam, tum propter noſtræ in hanc religionem ardentiorem affectum, vt quam commendatiſſimam V. habeat ſanctitas, & paterne defendat omnibus occaſionib. ſpeciatim ea, quæ oblata eſt de P. Ludouici Molinæ libro, quem librum ex authoritate V. ſanctitatis Archidux Albertus filius meus, dum eſſet ſupremus in regno Luſitaniæ inquiſitor cum toto S. inquiſitionis ſenatu examinauit, ob quorumdam æmulorum inſtantiam; & reperit criminationes illorum nullius eſſe momenti: librumque ſecurum, & catholicum eſſe. Quod ipſum quoque iudicatum eſt à multis vniuerſitatibus, Prælatis, & hominibus doctis Caſtellæ: quod V. ſanctitas fuſius percipiet ab Hiſpaniæ in vrbe legato. Cuius beatiſſ. perſonam quod V. ſanctit. obedientiſſ. filia Maria.] Extant etiam apud nos quatuor aliæ Auguſtæ huius in eandem ſententiam epiſtolæ eodem anno 2. Decemb. Madriti etiam datis ad eminentiſſ. Cardinales Aldobrandinum, Madruchium, & S. Seuerinæ, atq; ad ducem de ſeſſa Regis Catholici tunc in vrbe legatum. Similis epiſtola ad Clementem eundem à toto ſupremo inquiſitionis Luſitanæ ſenatu miſſa per id tempus in hæc verba fuit. *Beatiſſ. P. Poſt Sanctiſſimorum pedum oſcula, de licentia huius Senatus Generalis inquiſitionis Luſitaniæ non paucis ante annis, inquiſitore tunc generali Cardinali Archiduce impreſſi ſunt commentarij P. Ludouici de Molina ſocietatis Ieſu, de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, &c. habita prius honorifica approbatione P. Bartholomæi Ferreira è Dominicana familia publici tunc in hoc Senatu cenſoris: quæ approbatio in fronte libri præfertur. Nihilominus accepimus eius libri doctrinam grauiter à nonnullis Theologis in Hiſpania fuiſſe oppugnatam, tandemque ad iudicium ſummi iſtius Apoſtolatus, vnde omnis certa doctrina cenſura petenda eſt cauſam eſſe delatam; huiuſque cognitionem à V. ſanctitate certis deputatis commiſſam. Cum igitur in eo libro approbatæ huius conſilij authoritas, quæ ex delegatione Apoſtolica exiſtit, interpoſita ſit: ac proinde in libri periculo eadem authoritas modo aliquo periclitetur: oportere viſum eſt id exponi ſanctitati veſtræ, prout facimus, humiliter ſupplicantes, vt iubere dignetur communicari huic conſilio obiectiones, quæ eius libri doctrinam in diſcrimen adducere videntur, dato nobis ſpatio congruo ad tranſmittendam ſatisfactionem, quæ reddi poſſe videbitur: nihilque interim contra ipſum librū ſtatuendo. Quidquid tamen ſanctitati V. circa totum hoc negotium diſponere placeat, ſubmiſſe, & obſequentiſſime, vt par eſt, animo, conformique iudicio ſuſcipiemus. Vltiſpone in menſa ſenatus generalis inquiſitionis vacante officio inquiſitoris Generalis, &c. Senatus generalis inquiſitionis.*

Illuſtri hoc tanti ſenatus inſtrumento non ſolū abipſo approbatam eſſe oſtenditur doctrinam noſtram præfinitiones prædeterminatiuas auerſantem, ſicuti ex approbatione opuſculorum noſtri Suarez (quorum alterum de ſcientia media eſt) ab eodem ſenatu facta 9. Mart. anno 1599. vt conſtat editione ex Typographia Reg. Madriti eodem anno, verum & ſupremo illi ſenatui præ oppoſita ſententia approbatā cum eius doctrinæ, nec ſolū cenſura, defenſio, ea epiſtola abillo ſuſcipiatur. Id quod amplius adhuc elucet: cū eiuſdē ſenatus generalis alter inquiſitor illuſtriſſ.

Illustriss. D. Fernandus Mascarenas cum his de rebus adscribendum se contulit, adeo efficaciter oppositam doctrinam impugnauerit, adeóque constanter nostræ adhæserit, vt infra videbimus. Denique mittenda non est Dom. D. Ioannis de Borgia Augustæ memoratæ Maiordomi Maximi Regisque Senatus Lusitani Consiliarij. Data ad Clementem eundem, Madriti 8. Iunij, anno 1601. Latina per nostrum Paulum Leonardum citata 1. p. sect. 7. n. 30. motiuum enim omnium, & artium, quibus Molinæ doctrina impetita ab hostibus fuit, eiusque apud Hispaniæ tribunalia, Academias, & doctos quosque triumphorum compendiaria tanti viri historia est. Titulis, quibus Lusitaniæ inquisitionis, & Regni authoritati consulere debet initio recensitis ait: Rumore ab aliquibus per totam Hispaniam diffuso, nempe prohibendam in vrbe concordiam liberi arbitrij cum gratiæ donis à P. Ludonico de Molina Societatis Iesv in lucem emissam valde commotus sum. Quoniam, si sparsus rumor verus fuisset, non modo tristitiæ occasio fuisset piis, & doctis quibusque eius Regni, periculi quoque non mediocris æstimationi, & authoritati supremi fidei Senatus per S. Sedem ea in prouincia erecti; quæ me compellunt, vt v. Beatitudini repræsentem, P. doct. Ludouicum de Molina per viginti annos, quibus primariam Theologicæ facultatis cathedram Ebornensi in Academia moderatus est, atque per alios multos, quibus à pueritia ad extremam ætatem ibi vixit, eximiæ Religionis virum computatum, & eruditione consumatissimum adeo, vt oraculi instar haberetur: eiusque libri in pretio magno habentur cum generali approbatione: singulariter verò opus eius de concordia gratiæ, & liberi arbitrij: non solum, quia more communi data est eudendi facultas à Concilio S. Inquisitionis, & ab aliis Conciliis Regis Domini: Sed, quia ob denuntiationem quorundam Theologorum ex Castella Archidux Albertus, cum esset V. Sanctitatis Legatus à latere, & supremus inquisitor, mandauit cum omni diligentia, quæ obiiciebantur, simul cum auctoris satisfactione diligenter examinari; quibus perpensis Archidux cum toto supremo Senatu iudicarunt, censura dignum nihil reperiri; proinde non esse impediendum fructum, qui ab eo expectabatur libro, speciatim aduersus hæreses nostrorum temporum. V. Sanctitatem humiliter deprecor hæc omnia perpendat; & quanti inconuenientis futurum sit Domini Archiducis V. Beatitudinis legati & supremæ inquisitionis sententiam tanta cum circunspectione, & pondere latam reuocare: quantæ etiam toti regno amaritudinis condemnari doctrinam viri, quem maximi faciebat, &, à quo vtilitatem plurimam accepisse faretur. Et, licet certus sum Theologos vrbis, quibus libri examinandi cura demandata est, tam graues esse, vt merus esse non debeat, quin suo fungantur munere cum integritate; tamen parta his in locis experientia de mediis singularibus, & extraordinariis, quibus huius P. hostes vti sunt ad eum persequendum, mouere debet, ad diligenter considerandum eorum delectum, quibus censura commendatur, confido in Deo, &c. V. B. humilis seruus Don Ioannes Borgia. | Porro & si ex his, quæ tota hæc quæstione produximus concludi absolute nequeat, prædeterminatiuas præfinitiones, quas insequimur damnatas ab omnibus Academiis, Romanis congregationibus, & sancta Inquisitione prorsus esse, nostramque eadem auersantem sententiam, vti certam commendatam; in hanc vero nostram potius, quam in aduersam potuisse omnino concluditur.

QVÆSTIO V.

An per scholam veram Thomisticam, & Philosophorum, & Magistri doctrinam prædeterminatiuæ præfinitiones liceant?

PHILOSOPHORVM primo loco, & Magistri sententiarum tum antiquitatis nomine, tum, quia iam sectam propriam in scholis non habent exploranda sententia, vt postmodum ad celeberrimæ Thomistæ examen veniamus.

CERTAMEN I.

Philosophis non fatalibus omnibus, ac Magistro sententiarum, prædeterminatiuæ præfinitiones absolutæ actionum humanarum fuerunt semper inuisæ.

1 CVm res hæc ex naturali Philosophia disputari, ac definiri optime queat, vti ex quæst. 7. patebit: merito, dum scholasticorum iudicia super illa explorauimus Philosophorum de illa sententiæ explorandæ etiam sunt. Et in primis Philosophorum Principes Platonem, & Aristotelem pro exclusione cuiusvis principij determinantis ex parte actus primi voluntatem ad alterum operationis extremum retulimus, ac recitauimus, præsertim quæst. 1. certam. 2. num. 2. 6. & 8. & certam. 3. num. 1. & 6. dum nostram de actionibus consultationem, consilium deliberationem electionem, ac propositum, rerumque vsum strictum Aristot. statuit. Inde etiam fatum ad actiones solum naturales restrinxit, ne libera fatali necessitati, contra ipsarum libertatem, subiaceret, vt multis eius locis probat Iulius Sirenius 3. de fato, cap. 4. & 5. & à cap. 41. ad 44. quod ipsum de Platone ostendunt, Nemesius de natur. hominis, & animæ facultatibus, c. 38. & Ludou. Viues 5. de ciuit. c. 1. allegatis multis ex postremo eius lib de Rep.

2 Nemesij primo loco sententia est. *Virtutem (vtpote sui iuris) carere Domino, & quia omnis Platonis oratio eo pertinet, vt electiones, & aliquas actiones ex electione in nostra esse potestate ostendat, ne ex necessitate legis æternæ rerum administratricis.* Sirenius cap. 44. cit. post med. *Stoici* (quorum Plato author) *& fatum, & in nostra esse aliquid potestate tuentur.* Et Plato ipse in gorgia, siue dialog. de Rethorica sub med. ex Socrate: *Quisque sibi imperet, vt temperatus, & sui ipsius potens sit, & voluptatibus, ac cupiditatibus suis imperet:* tanquam scilicet actionum suarum dominus. De Stoicis cum Platone scribit August. lib. 5. de ciuit. cap. 9. sub init. dixisse: *Non omnia ex necessitate fieri, quamvis omnia fato fieri contenderent.* Et cap. 10. iuit. *in his causis, quas sub necessitate esse noluerunt* (Stoici) *posuisse voluntates nostras; videlicet, non essent liberæ, si subderentur necessitati.* Plotinus apud Theodoret. 6. de prouid. post med. aiebat: *Liberæ potestatis animalia, quæ mouentur ex se ipsis, modo in meliorem, modo in deteriorem partem inclinare possunt.* Et Euripides apud Origen. 2. contra Celsum ante med. & apud Euseb. de præparat. Euang. lib. 6. cap. 6. aiebat: *Quemadmodum Laius dare operam liberis, & non dare, sic eius filius interficere & non interficere poterat.* Et si extabat de parricidio vaticinium. Et Cicero de natura Deor. & 2. de diuinat. apud August. 5. de ciuitate, cap. 9. & 10. & Viues ibi, *Libertatem omni necessitatis vinculo solutam* asseruit, cum autem conciliandæ cum hoc infallibilitati, & celsitudini præscientiæ impar esset has erroneè negauit.

3 Audiendus tamen in hanc sententiam est Aristot. 9. Metaph. cap. 5. text. 9. & 10. vbi statuit: irrationales potentias cum requisitis, & absque impedimentis necessario operari; rationales verò, seu liberas esse adhuc contrariorum factiuas, & ad illa indifferentes. Ita enim dixerat textu comment. 3. *Quæ quidem cum ratione agentes omnes contrariorum sunt eadem, & quæ irrationabilis una vnius:* Eumque obiiciat: *quare simul facient contraria* quod est impossibile; respondet: *Necesse est ergo alterum aliquid esse, quod proprium* (aliter) *quod dominetur est, nec adeo commune vtrique dico autem hoc appetitum, appetitionem, aut prohæresim* (id est electio iudicij) *quod enim desiderabit principaliter, hoc faciet, quoniam vt possit extiterit, & appropinquauerit possibile.* Quibus verbis, & si ex parte principij aliqualem videatur determinationem requirere; non tamen illam requirit, sed proprietatem solum respectu actus voluntatis: eamque ponit in prohæresi, seu iudicio, quod ex duobus sequitur de facto apperitus, quod proprium

eius actus est, nec commune ipsi, & opposito; non autem de se determinatiuum ad illum. Appetitionem vero non ponit, vt determinatiuum necessarium ex parte actus primi ad appetitionem, neque enim requiri ad se ipsam, neque ad aliam, potest, ne processus infinitus detur, ni in aliqua sistatur appetitione, quæ immediate ab appetitu, seu voluntate oriatur nullam appetitionem supponens. Hanc igitur ad operandum ad extra solum modo requirit, quæ operatio, cum solum mediatam libertatem ab appetitione participet, determinationem per illam non auersatur. Adde illud ex 3. Ethicor. cap. 5. init. *Nostra in potestate virtutes, & idemtidem vitia collocari; quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere, in ijs & non agere; & in quibus non agere, in ijs est & agere;* vt ad hanc potestatem ad vtrumvis recte explicat S. Th. lect. 11. postea recitandus. Item 1. Perihermen. cap. 8. vt absurdum infert. [Neque est quidquam, quod æque fieri, & non fieri possit: neque erit, aut non erit quidquam, sed omnia necessario eueniunt: & nihil est quod æque fieri, ac non fieri possit.] Et sub fin. concludit: (Patet non omnia necessario, vel esse, vel fieri; sed quædam talia esse, vt æque fieri, atque non fieri possint.] Et subinferius. [Quare, cum ita orationes sint veræ, quemadmodum sese res ipsæ habent, patet, & contradictionem ipsam, quæ circa res eas est, quæ sic se habent, vt æque fieri, atque non fieri, & esse atque non esse possint, necessario perinde sese habere, atque res tales sese habent, & eandem cum illis legem subire.] Et lib. 2. c. 3. post med. [Potentiæ igitur eæ, quæ participes rationis sunt, eædem plurium sunt, & contrariorum; at, quæ sunt rationis expertes, non omnes: sed ignis, vt dictum est, non calefacere, & calefacere non potest: neque cætera quæcumque semper actu existunt. Aliqua tamen eorum, quæ potentias rationis expertes habent, opposita simul suscipere] (passiue) possunt. Alia etiam in sententiam eandem Philosophorum testimonia dabimus q. 7. dum agentis liberi definitionem statuamus.

4 Accedunt Patres plures recitati q. 1. & 2. non vno solum Theologiæ titulo, sed & Philosophiæ illustres: quandoquidem in vtraque eminuerunt. Sed præsertim Scholasticorum Philosophorum nomine referendi hic sunt, qui ex nominatissimis, celeberrimisque Philosophis Christianam religionem ingressi, & sanctimonia vitæ, & sacrarum litterarum accurata meditatione, & intelligentia naturalis suæ Philosophia laudem non minuerunt quidem, sed magnopere auxerunt, & illustrarunt, in quibus sunt Boërius, Athenagoras, Iustinus Martyr, Cyprianus, Nemesius, Ireneus, Nazianz. Basilius, Nemesius, Synesius, Lactantius, Minutius Felix, Augustinus, Ennodius, Damascenus, & ex recitatis q. 2. & 3. Antiquorum plerique, quorum testimonia eis locis videri poterunt, ne hic otiose repetantur.

5 Ex Theologis referendus primo venit Magister sententiarum, & in primis locis ex ipso dandis contra præfinitiones prædeterminatiuas ad materiale peccati. Secundo dandis etiam pro definitione causæ liberæ. Tertio datis iam locis controuers. 2. disp. 5. quæst. vlt. pro concordia præscientiæ infallibilis Dei de nostris liberis actibus cum eorum libertate, quia illos non præcedit, sed subsequitur potius, & supponit. Audiendus præterea est in 2. d. 25. c. 1. sic fatus. *Habilitas voluntatis, & rationis libera est ad vtrumlibet: quia libere potest moueri ad hoc, vel ad illud.* c. 2. negat sub potestate arbitrij esse præterita, & præsentia (qua præsentia scilicet) *imo neque futura; sed ea tandem, qua per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri.* Vbi tantumdem valere posse fieri, vel non fieri, seu potestatem ad faciendum, vel non faciendum, atque arbitrij, & actionum libertatem ait, cap. 5. *Liberum dicitur arbitrium: quia sine coactione, & necessitate, valet eligere, quod ex ratione decreuit,* cap. 9. *A necessitate, & ante peccatum, & post, æque liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita neque modo. Ideóque voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest: vbi necessitas, ibi non est libertas:* vbi *non libertas, neque voluntas: & ideo neque meritum,* c. 13. repetit esse à necessitate liberam, cap. vlt. *libertas à necessitate est per naturam*, quæ consonant dictis ab ipso d. 5. init. & d. 24.

CERTAMEN II.

S. Thomas pro nobis apertus prorsus est.

1 SEcundo loco pro sententia præfinitiones prædeterminatiuas excludente adeo apertus, frequens, & constans S. Thomas, vt absolute, ac sine vlla lectorum eius recitatione, imo & citatione referendus esset, ni Dominicani Patres habitus, & ordinis, quam mentis, concordia, ius priuatiuum, quod aiunt, illum interpretandi sicut, & Thomistarum nomen sibi arrogantes Angelicum Præceptorem in propriis quique sententias trahendi, vel inuitum, communem sibi (sibi tamen non semel, discordem) fecissent potestatem. Quoniam igitur in re præsenti se solos Angelici Præceptoris mentem assecutos, secutosque iactant; Nosque in re tam graui ipsius infensos hostes apud scholas, apud alienæ facultatis, imo mere etiam laicos homines, insciasque mulieres, & plebem conqueruntur, & clamant pluribus illius (vt omnibus fieri absque nimia prolixitate nequeat) testimoniis vbique operum eius obuiis eum ipsis infensum, nobis in hac materia amicissimum esse ostendendum hic erit. Et in primis videnda, quæ ex ipso produximus controu. 2. d. 5. quæst. vlt. cert. 3. à num. 3. vbi, inde solam præscientiæ certitudinem cum contingentis futuri contingentia, & libertate conciliat, quia illa huius causa non est; neque hoc ideo erit, quia præscitur; sed potius ideo præscitur quia erit, atque esse, seu fore in se determinate ad sui præscientiam supponitur. Secundo quia eisdem locis ait futurum ex suis causis necessitatem, vt sic, non habere, neque determinationem essendi infallibilem: ac proinde non posse præscientia Dei physice, ac metaphysice infallibili, in suis causis cognosci futurum potius, quam non futurum: cum in illis, etiam coniunctim acceptis determinationem, & necessitatem essendi potius, quam non essendi eius futuritio non habeat, sed solam indifferentiam, & indeterminationem ad sui futuritionem, & non futuritionem. Quare expectandam esse ait contingentis in suo determinato esse existentiam pro duratione, respectu cuius determinata eius futuritio est potius, quam non futuritio, vt determinate futurum à Deo infallibiliter absque suæ contingentiæ, & libertatis præiudicio cognoscatur: quia necessitas obiectiua, quam præscientiæ infallibilitas supponit, est necessitas essendi futurum contingens in se, quandiu esse supponitur, seu necessitas essendi in se pro duratione, qua in se iam est, scilicet necessitas libertatis, & potestatis ad vtrumvis exercitium consequens, neque vllatenus natura antecedens, Qua doctrina Angelicus Doctor docet, quamvis determinationem, & necessitatem in coniuncto causarum contingentis, vt hoc sit reiiciendam necessario esse, vt eius contingentia, & libertas seruetur; neque aliam determinationem, & necessitatem essendi cum contingentis libertate posse consistere, nisi, quæ ex eo, quod in se ipso contingens est, suboriatur: eam scilicet, qua omne, quod est, quando est, necesse est esse, & quam consequenter appellamus: igitur ex mente apertissima S. Th. quoties in coniuncto causarum futuri contingentis inuenitur determinatio, & necessitas infallibilis, & antecedens essendi eiusmodi futurum eius contingentia, & libertas aboletur: neque alia necessitas, & infallibilitas essendi cum eius contingentia, & libertate componitur, nisi consequens, seu quæ futuri ipsius positionem supponit: At qui prædeterminatiua præfinitio Thomistica, in coniuncto causarum, etiam necessariarum, & essentialium futuri contingentis inclusa, est necessitas infallibilis, & determinatio essendi eiusmodi futurum causalitate, & natura antecedens, nec solum consequens, & quæ ortum habeat ex ipsius futuri positione, quam supponit ergo ex mente S. Thomæ abiicienda est, vti in eius sententia veritissima, & certissima incomponibilis cum futuri ita præfiniti contingentia, & libertate.

2 Eandem sententiam tradit q. 6. de malo art. vn. argum. *Sed contra* nostram ad eligendum libertatem in eo collocans, *vt voluntas hominis se habeat ad opposita, & non ex necessitate moueatur ad vnum, & sit Dominus sui actus: ita vt in ipso sit agere, & non agere.* Atque in 3. Ethic.

Ethic.c.3.lect.7.lit.I. Aristotelis sententiam, *quod consilium* (proprium rationalium, & liberorum agentium) *necessario sit de his, quæ in nostra sunt potestate approbat*: indeque constare ait *ea,quæ ex necessitate causæ fiunt non posse ad consilium pertinere.* Atque ex eodem textu Aristotelis q.24.de verit.art.1. *Sed contra* argum.4. *consilium non esse,nisi de actibus, qui sunt in nobis,& quorum sumus Domini.* Et cit.q.6.de malo à med.articuli,*esse inquisitionem viam habentem ad opposita: vi cuius se voluntas non ex necessitate, sed cum potestate eligendi alterum, vel non eligendi mouet.* Vnde 1.2. q.14. art.3. infert *consilium non esse circa res, quæ necessario fiunt, sed contingenter,& à nobis*, & q.44. art.3. ad 3. *non esse de impossibilibus*, de electione autem, quæ consilium, seu consultationem sequitur 1.2.q.13.art.3.4.5.& 6. docet non esse de *te nobis impossibili, aut quæ ex necessitate fit: quia quod possibile est non esse, non necesse est esse: est autem possibile non eligere, vel eligere: quia potest homo velle, & non velle agere, & non agere*: ergo ex sententia S.Th. necessitas, & determinatio ex parte causæ ad operandum, æque, atque operandi impossibilitas, quarum altera voluntati adest posita præfinitione prædeterminatiua, altera vero ea deficiente deficit, consilio, & electioni humanæ repugnat: quia repugnat potestati indifferenti, quam electio contingens supponit: Item 1.p.q.23. art.1. ad 1. ait. *Necessitatem agendi conuenire rebus naturalibus, quæ ad vnum sunt determinata; non liberis, quæ ad vnum determinata non sunt.* Et 1. cont. gent. c.88. proxime ad rationem 3. ait: *Liberum arbitrium esse respectu eorum, quæ non necessitate quis vult*; vult autem necessitate præfinita prædeterminatiue, ex qua doctrina cap.90. fine Damascenum 2.de fide c.30.aientem: *Deum omnia præscire; non autem omnia prædefinire, ac prædestinare: quia præscit quæ* in nobis *sunt* (liberas nostras operationes) *non prædefinit autem hæc: quia nec cogit ad malum, nec vim affert virtuti. Solumque prædefinire, quæ non sunt in nostra potestate.* Ita interpretatur; *vt intelligantur ea quæ sunt in nobis diuina determinationi non esse subiecta, quasi ab ea necessitatem accipientia*: Atque ibidem in eum sensum explicat Gregorium Nyssenum lib.7. Philosoph.c.1.& lib.8.c.4. dicentem: *quæ sunt in nobis non esse à Dei prouidentia*, scilicet ea prædefiniente, & determinationem, ac necessitatem ea agendi nobis inducente, atque imponente. Prima insuper p.q.22. art.2. ad 4. ex loco Eccles.15. Colligit *nobis non præfigi adeo virtutem operatiuam determinatam ad vnum; sed potius nos ipsos nos agere, mouere, & eligere*, & q.93. art.5.& 9. corp. Laudat Damascenum 2. de fide c.12. sub init. quod imaginem Dei in nobis in potestate indifferenti arbitrij nostri ad vtrumvis constituerit. Eundémque iterum, ac Bernardum eadem de causa laudat q.24. de verit. ad 2. argum. *Sed contra* probat huius imaginis rationem in eo stare, quod voluntatis nostræ potestas non sit determinata ad vnum: quemadmodum neque Dei potestas ad vnum determinata est. Quæ omnia quamvis necessitatem, & determinationem ad operandum (quam dubio procul prædeterminatiua præfinitio illi inducit) à voluntate nostra omnino reiectant.

3 Accedit 1.2.q.10. art.4.arg. sed contra & corp. ex eodem loco Eccl.15.dicens: *quia voluntas est principium actuum non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius.* Determinat autem ad vnum ex necessitate, & impediibiliter, cum illam mouet, & motus remanet necessarius, ac non contingens, si vnum extremum prædeterminatiue prædefinit, eandem ex eodem loco sententiam deducit 1.p.q.83. art.1.arg. *Sed contra*, & corp. vbi etiam determinationem ad vnum à potentia libera excludit Caiet. & 1.2.q.1. art.1. corp. *Homo est Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem. Illa ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*, quod ipsum repetit q.6. art.2. ad 2. docuit autem locis datis n.3. in his, quæ ex determinatione, & necessitate fiunt, nec consilium, nec deliberationem locum habere. Ac de vsu (qui proprius ratio-nalis, & liberi agentis est) 1.2.q.16. art.1. corp. & art.2. ait: importare, ac esse applicationem rei alicuius ad actionem: sicut consentire est applicare motum appetitiuum ad aliquid apprehendum. Cum autem applicatio motus appetitiui, seu voluntatis eius indifferentiam supponat, vsúque, qui consensus est, vt S.Thom. ait ad actionem applicetur: fit ante consensum ipsum voluntatem ad actionem applicatam, & determinatam ad illum non esse: quare nec prædeterminatiuam præfinitionem, ex qua ante consensum determinata, & applicata ad illum esset, admittendum in sententia Diui Thom. fore. Huc etiam spectat testimonium D.Thom. ex commentario eius ad 9. Ethicor. cap.5. lect.11. ne citatum q.2. cert.3. num.1. vbi ait, *in quibus operari est in nostra potestate, in eadem esse debere & non operari: & è conuerso: si non operari sit in nostra potestate itidem esse & operari: aliqui alterum esset nobis impossibile, quare, & alterum non esset ex nobis. sed ex necessitate.* Quibus omnem necessitatem, quæ ex nobis non sit, alterius extremi, impossibilitatem alterius inducere, quæ potestatem ad vtrumvis potentiæ liberæ necessariam, atque vt ex nobis operemur, euertant, atque eodem cert. num.2. in cap.1.Ioan.lect.6. aiebat: consensum liberum requiri ad iustificationem, in adultis etiam post Baptismum peragendam. *Vnde, quia in potestate hominis est, vt consentiat, & non consentiat dedit eis potestatem.* Quod ipsum de potestate conseruandi, & amittendi semel partam iustificationem statim docet. Atque in id 2.Petri 1. *Vos autem curam omnem sub inferentes ministrate in fide vestra virtutem.* Ita illud *subinferentes* commentatur: id est: *sub Deo principaliter, operante inferentes, & ei cooperantes in omnibus enim operibus principatis authoritas est gratiæ; secundaria liberi arbitrij.* His adde eiusdem Sancti Præceptoris commentarium in 3.cap. Dionysij de diuin. nomin. recitatum q.3.cert.1. n.2. vbi posita etiam Dei prouidentia,& prædestinatione nostram ad consentiendum,vel non consentiendum potestatem, cum qua negatio consensus, & salutis coniungi possit admittit. Item illud, quod ait comment. in 2.Physicor.textu 58.& 59.lect.10. *Quod ad proprie agendum dominium sui actus requiratur.* Quod & docet commentar. in 6. Ethicor. c.2. lect. 2. & sæpe alias supra, vt vidimus q.4. cert.1. num.3. vbi etiam retulimus eum hanc propositionem: *Debere esse per se mobilibus, seu agentibus liberis, per aliud mobilem necessitatem*: vbi etroneam refutasse comment. in cap.2. de diuin. nomin. Dionysij lect.4. deberet autem esse per se mobilibus, per aliud mobilis necessitas, si prædeterminatiua præfinitione opus haberent. Pluribus denique locis datis cit. cert.1. num.5. docet: agere proprie, & stricte solis agentibus liberis competere, quia cum dominio sui actus se agunt; eum cætera, quæ cum eo dominio non agunt, agantur proprius quam agant. Dominium autem actionis dicit ad vtrumvis potestatem, cui Physicum alterius ius, seu actiuitas obsit: quemadmodum dominium politicum, seu ciuile potestatem vtendi pro libito quin ius alterius ciuile obsit includit, vt supra expendebamus.

4 Item 3.p.q.79. art.6. ad 1. desumentibus Eucharistiam, & recipientibus eius virtute auxilia, quandoque efficacia, ad non peccandum ait: *quia omnis virtus actiua agit suum effectum secundum modum materiæ, seu recipientis. Homo autem statu viæ est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum, & malum. Vnde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præseruatiuam à peccato; non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.* Quod ipsum de quauis actiua virtute docet, ex qua generaliter asserta de auxiliis præseruatiuis hoc infert. 4. item contra gent. c. 70. fine obiicit ex 1. Ioan.3. *Omnis qui in eo manet non peccat, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Respondet *bona Spiritus sancti, quibus homo adoptatur in filium, vel renascitur in filium Dei, quantum est de se, tantum habent virtutem, quod hominem sine peccato conseruare possunt: neque homo peccare potest secundum ea viuens; Potest autem contra ea agere, & ab eis abscendendo peccare.* Et 1.part.quæst.62. art.3.ad 2. *Omnis forma inclinat suum subiectum secundum modum naturæ eius: modus autem naturalis intellectualis naturæ est, vt libere feratur in ea quæ vult: & ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non vti, & peccare.* Quod ex generali principio, quo vtitur æque contra omnem formam,& principium actiuum prædeterminans probat. Et 1.2.q.106. art.2. ad 2. *Gratia noui Testamenti, & si*

adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, vt homo peccare non possit, &c. gratia autem confirmans efficax est, & specialem Dei electionem supponit, q. 24. de verit. art. 1. ad 19. *Ex habitu infuso efficitur quod homo efficaciter appetat finem consonum illi habitui, & tamen ille habitus necessitatem non inducit, neque libertatem electionis tollit*, non autem efficaciter appetit, ni positis requisitis voluntatis, & gratiæ efficacis diuinæ. Et in c. 7. ad Rom. *id velle adiacet mihi*; Commentatur, *id est, propinquum est mihi, quasi sub mea potestate constitutum. Nihil enim tam est in hominis potestate constitutum, quam hominis voluntas*, notatque id esse ex reparatione gratiæ Dei

5. Sed legendus non postremo loco ad rem hanc est Angelicus Doctor 1. p. q. 116. in cuius art. 1. & 2. Christianum fatum explicat. Et art. 3. tertio loco sic arguit. [Si fatum est immobile ea, quæ subduntur fato immobiliter, & ex necessitate eueniunt: sed talia videntur esse maxime contingentia, quæ fato attribuuntur: ergo nihil erit contingens in rebus; sed omnia ex necessitate eueniunt.] In corpore autem hanc pro eius, & similium solutione doctrinam statuit. [Fatum secundum considerationem secundarum causarum mobile est; sed secundum quod subest diuinæ prouidentiæ immobilitatem sortitur: non quidem absolutæ necessitatis, sed conditionatæ: secundum quod dicimus hanc conditionalem esse veram: si Deus præscit futurum erit.] Et subiuncto in eius confirmationem Boëtij dicto 4. de consolat. prosa 4. circa med. *Fati seriem esse mobilem*: ait addidisse; *quæ tamen ab immobilis prouidentiæ proficiscatur exordijs ipsamque immutabilem esse necesse est: & per hoc patet responsio ad obiecta.* Qua doctrina ex Boëtio desumpta fati Christiani in Dei prouidentia, & prædestinatione, aut præscientia necessitatem, & immobilitatem cum futuri contingentis contingentia, vt à causis secundis est, & subinde cum ipsius fati immobilitate, non aliter componi posse docet, nisi eo modo, quo futuri præsciti contingentiam cum præscientiæ certitudine componebat d. 5. de scient. quæst. vlt. quia nimirum necessitas, & immobilitas ea *non absoluta, & natura præcedens; sed secundum quid, seu consequens* est, atque contingentis præsciti positionem sequens, ac proinde ab Anselmo, & Scholasticis nominatur: Quare ex S. Thomæ sententia prædeterminatiuæ præfinitionis necessitas, quæ antecedens, nec sequens, & supponens contingentis positionem est, conciliari cum eius contingentia, & libertate minime potest, quæst. 6. de malo toto art. vn. fuse probat voluntatem proposito indifferenter obiecto posse illud eligere, vel reiicere, agere & non agere absolute, absque vlla necessitate, aut determinatione ad alterum: atque à med. corporis: [Voluntas mouet seipsam, & omnes alias potentias. Intelligo enim, quia volo.] Inferiuscule.] Sic ergo ad ostendendum quod voluntas non ex necessitate mouetur oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto. Primo quidem manifestum est, quod voluntas mouetur à se ipsa; sicut enim mouet alias potentias, ita & se ipsam mouet, &c.] Et quamvis asserat Deum esse principium mouens per instinctum voluntatem ad primam volitionem, boni scilicet in communi, ait propter eius indifferentiam seruandam relinquere illi potestatem, vt eligat particularia bona, vel non eligat, & solut. ad 3. etiam posita Dei prouidentia certa, & prædestinatione circa particularia bona, relinqui tamen indifferentiam voluntatis omni determinatione, & necessitate solutam. *Deus*, inquit, *mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest* (scilicet consequenter: quia, vt sæpe superius dixit, vsum libertatis sub conditione eius, quo mouet, supponit) [sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa non inducitur necessitas, Dei motione, sed manet libertas.] Et rursus quæst. eadem 6. [Oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto, quantum ergo ad exercitium actus, primo quidem manifestum est, quod voluntas mouetur à se ipsa. [Subinfertius] Cum ergo voluntas se consilio moueat: Consilium autem est inquisitio quædam non demonstratiua, sed ad opposita viam habens: non ex necessitate se ipsam mouet] Et si quidem à se ipsa, necesse est, quod motus voluntatis præcedat consilium, & consilium actus voluntatis: & cum hoc in infinitum procedere non possit, necesse est ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis moueatur voluntas, non actu volentis, sed ab aliquo exteriori] (Deo) [qui cum omnia moueat secundum rationem mobilium, etiam voluntatem mouet secundum eius conditionem; vt non ex necessitate; sed vt indeterminate se habentem.] Vbi ter determinari à se ipsa voluntatem, ac non à primo motore Deo ad suos actus, & si ad consilium, seu primam cogitationem moueri ab ipso intentionaliter, quia mobilis intentionaliter illa est, ab eo doceat moueri, & q. 3. de malo. art. ad 5. dixerat. [Dicendum, quod voluntas, cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis: nec oportet esse per aliquod agens extrinsecum.] Et q. 1. de potent. art. 4. ad 3. [Dicendum, quod, licet causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur.] q. 24. de malo art. 1. ad 5. negat voluntatem esse proprie instrumentum Dei, à quo mouetur, quia etiam se ipsam mouet: se, scilicet determinando, nec solum agendo, seu coagendo: id enim, & intellectus habet. Et vitales potentiæ, quæ immanenter operantur; quibus tamen proprie, vt instrumentis vtitur Deus. Et ad 14. fine. *Non oportet quod mentes humanæ sint determinatæ ad aliquos effectus: sed respectu multorum efficaciam habent ratione cuius conuenit eis libertas*, quam toto art. 1. & 2. ponit in indifferentia potentiæ ad vtrumvis absque vlla necessitate, & determinatione ad vnum; ita vt homo sibi principium, & causa sui motus sit.

6. Rursus q. 22. de verit. art. 5 docet voluntati, qua tali, & qua rationali, aduersandum circa particularia bona, ac non circa bonum in communi, repugnare necessitatem, & determinationem ad vnum; eiusque propriam vim esse suis actibus dominari, & se circa particularia bona determinare. Et ad 5. ait, [voluntas, in quantum est rationalis, ad opposita se habet. Hoc enim est considerare ipsam secundum hoc, quod est ei proprium.] Et fine articuli. [Hoc est proprium voluntatis, in quantum voluntas: quod sit domina suorum actuum.] Quam totam doctrinam repetit art. 6. cuius corpore ait. [Ex hoc dicitur aliquid esse necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad vnum.] Ac statim triplicem indeterminationem voluntatis, qua omni determinationi aduersetur, assignat: scilicet, vt velit, vel non velit; vt velit hoc, vel illud: vt velit bonum, vel malum, materialiter scilicet: quæ vltima solius viæ est. Et art. 9. ad 1. [*Voluntas potest seipsam immutare, respectu aliquorum directè: cum sit domina suorum actuum.* Et q. 2. de potent. art. 3. corporis init. *Voluntas, in quantum voluntas est, cum sit libera, ad vtrumlibet se habet. Potest enim agere, & non agere: sic vel sic facere: velle, vel non velle. Et, si respectu alicuius voluntas sit determinata; hoc non est in quantum voluntas; sed ex inclinatione naturali; quam habet ad aliquid; sicut ad finem vltimum, quem non potest non velle: sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem; neque potest velle miseriam.* Vbi pendenda sunt. Primum: voluntatis libertatem in potestate indifferenti, & indeterminata ad vtrumvis extremum, vel contrarietatis, vel contradictionis à S. Thom. collocari. Secundum: huic per eundem doctorem repugnare voluntatis determinationem ad vnum extremum. Tertium: respectu actionis, & affectus, ad quem vnice determinata voluntas est, non recenseri à S. Thom. voluntatem, vt voluntatem: hoc est, vt potentiam, & causam liberam; sed, vt causam, & potentiam naturalem: id enim docet expresse illis verbis. [Hoc non est in quantum voluntas, sed ex inclinatione naturali.] Quare, si præfinitione prædeterminatiua determinata, necessitateque ad agendum voluntas admittatur, nec indifferens, indeterminata, & soluta eius potestas ad agendum, & non agendum, neque vt voluntas formaliter, seu, vt libera, operabitur; & si physice secundum suam entitatem maneat, & operetur iuxta S. Thom. item quæst. 3. de potentia artic. 7. ad 13. ait: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ;*

prima: Sed, quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet sicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis; & q. 9. de potentia, art. 1. ad 3. *Sola*, inquit, *substantia rationales habent dominium sui actus: itaque in ipsis est agere, & non agere.* Quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus mouet omnia secundum modum eorum: & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate; à natura vero rationali cum libertate: propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideo, sic Deus monet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Adiutante scilicet motione, atque in ea resistendi Deo mouenti, & motioni potestate naturæ rationalis libertatem in actu primo S. Thom. constituit.

7 Nec minus apertus pro nostra doctrina fuit S. Th. in summa etenim 1. part. quæst. 19. artic. 12. ad 3. dixit: *Creatura rationalis est domina sui actus; & ideo circa ipsam specialia quædam signa diuinæ voluntatis assignantur: inquantum creaturam rationalem Deus ordinat ad agendum per se.* Pende: *signa quædam* voluntatis in mediorum, quibus ordinatur collatione, quibus se velle finem, quatenus ex se est ostendit, & significat, non autem absoluta, & efficaci, & ineluctabili nobis voluntate, seu prædeterminatiua præfinitione effectus, seu finis. Talis enim voluntas Dei illam ordinans, mediaque, per quæ eam ordinat esse debent, vt ad agendum per se, & à se, vtpote sui actus dominam, ac non ex determinatione, & voluntate sola alterius, operetur. Id quod subiuncta immediate aduersatiua hac magis explicuit. *Sed alia creatura non agunt, nisi mota ex operatione diuina, ac proinde non à se, & per se.* Et art. 10. corp. *Liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu.* Ergo respectu eorum, quæ necessario volumus arbitrium liberum non admittit, & si necessitas ex naturali instinctu voluntatis non sit, sed aliunde. Et ad 2. probat liberum arbitrium in Deo, & si nequeat velle culpam: *quia ad opposita se habet inquantum velle potest hoc, quod culpa non sit, esse, vel non esse. Sicut, & nos, non peccando possumus velle sedere, & non sedere.* Quod ipsum docuit 1. contra gent. c. 88. & q. 24. de verit. art. 3. maxime fine. Deinde eadem 1. p. q. 59. art. 3. ad 2. ait voluntatem Angeli, quia liberam, non esse determinatam ad vnum, & si eius intellectus determinatus sit ad omnem naturalem veritatem. Vbi etiam Caiet. & q. 82. art. 1. ad 3. *sumens domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc, vel illud eligere.* Et toto art. 2. probat voluntatem particularia bona nullatenus ex necessitate velle q. 83. art. 4. arg. 4. cum eius solutione asserit nostras electiones potestati, & dominio nostro esse subiectas q. 109. art. 4. corp. explicans, quomodo Deus, tanquam efficiens creans voluntatem creatam, illa moueat, ait: *Velle nihil aliud est, quam inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale. Inclinare autem in bonum vniuersale est primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis*: sicut *in vestra humanis dirigere ad bonum commune est eius, qui præest multitudini.* Et nihilominus ad 2. & 3. fatetur voluntatem ex se, & à se ipsa moueri ad particularia bona. Existimo autem motionem illam generalem voluntatis à Deo ad bonum in communi esse solum ipsam voluntatem naturaliter ad illud inclinantem de se se, ac proinde, qui illam creat Deus, illam ad illum creationis ipsa determinat, & mouet actiue: ex qua determinata est, in actu primo quoad specificationem ad bonum amandum, ita, vt malum amare nequeat. Sed si quando volitura sit ad amandum hoc, vel illud bonum, & contradictorie, & contrarie indifferens sit, ac non determinata. Illudque solum probat exemplum eius, qui præest multitudini, vt de se se patet.

8 Insuper 1. 2. quæst. 1. art. 2. corp. [Ad hoc, quod agens determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habeat rationem finis. Hæc autem determinatio, sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas: ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis. Tamen considerandum est, quod aliquid sua actione, vel motu ostendit in finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem mouens vt homo, &c.] Et subinferius. [Illa ergo, quæ rationem habent, se ipsa mouent in finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium] quæst. 9. art. 3. arg. *Sed contra*, & corp. & ad 1. ait, è finis volitione mouere se voluntatem ad volenda media. Et art. 4. indigere motione exterioris mouentis ad primam finis volitionem, ad sequentes vero se ipsam mouere: alias non esse liberam, quibus consonat quæst. 16. art. 1. & 2. de vsu agens. Et quæst. eadem 9. art. 6. fine: [Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum, non ergo motione illa generali determinatur ad volendum, quod vere bonum, aut apparens, id est honestum, vel turpe; alioqui ad ea in particulari volenda non se homo determinaret.] Subdit. [Interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum: sicut in his, quos mouet per gratiam, vt infra dicetur.] Scilicet quæst. 109. Ex quibus constat motionem gratiæ ad vere bonum volendum non esse generalem illam Dei, vt causæ primæ, sed specialem, & quæ detur ad volendum apparens bonum, seu turpe. Item motionem hanc specialem ad bonum non esse determinando voluntatem ad illud volendum, licet sit motio ad illud determinate volendum, scilicet illud determinate, ac non aliud apparens bonum, vt integrum voluntati relinquat se ad illud etiam volendum determinare quæst. autem illa 109. (quo se pro hac speciali motione Dei ad bonum remittit) art. 2. ad 1. docet, iuxta dicta quæst. 9. art. 4. Dei motione speciali opus esse, vt homo deliberare incipiat; deinceps illum suorum actuum Dominum esse propter deliberationem rationis, qua ad vtrumvis flectere se potest. Et art. 7. docet Deum titulo primi mouentis mouere ad bonum in communi, vt sæpe ex ipso retulimus; ad particulare vero bonum, scilicet Deum mouere nos, non eo titulo, sed specialis causæ, ad illum nos per gratiam specialiter mouendo: quod exemplo motionis militum, & à generali duce, & à tribunis illustrat. Item quæst. 10. art. 4. corp. [Quia voluntas est principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter ex se habens ad multa; sic Deus eam mouet, quod non ex necessitate ad vnum se determinat; sed manet eius motus contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.] quæst. 15. art. 2. corp. [Consensus importat applicationem appetitiui motus ad aliquid agendum. Eius autem est applicare appetitiuum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitiuus motus.] vnde infert. *Propriè dicitur consentire sola rationalis natura, quæ habet in potestate sua appetitiuum motum, & potest ipsum applicare ad hoc, vel ad illud.* q. 16. art. 1. corpor. voluntatem vocat *primum mouens* applicans omnes potentias ad operationem q. 17. ar. 5. argum. *Sed contra*. Et corpor. dicit: Reliquos à primo actus voluntatis in eius potestate, ac sub eius imperio esse, atque ad 3. solum primum illius actum esse è naturæ instinctu, aut causa superiore q. 19. art. 8. corp. *Interiores actus esse in potestate nostra.* q. 21. art. 2. corp. ideo eos imputari ad laudem, vel culpam, quia ita in nostra potestate sunt, vt illorum habeamus dominium. Eidem doctrinæ insistit 2. 2. siquidem q. 90. art. 1. corp. docet hominem suorum actuum dominum esse. q. 158. art. 2. ad 3. motus rationis iudicium non prouenientes in eius potestate, & dominio esse; subitos vero illud præuenientes quodammodo solum esse in eius potestate. Quæ docuerat 1. 2. q. 74. art. 10. corp.

9 Ab his vero, relatum quidem, diserepat vnquem in sententiariis. Nam in 2. d. 25. q. vnic. art. 1. corp. ait, *Sic ergo patet, quod hæc differentia est in agentibus: quia quædam determinant sibi finem, & actum in finem illum; quædam vero non.* Postmodum, *Iudicium de actione propria solum modo est in habentibus intellectum: quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam: vnde, & dominium sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam causis prioribus*: ergo tantum abest, vt ex primatu causæ primæ nostrarum actionum antecedens determinatio, seu

seu prædeterminatio, competat Deo, vti arguunt Thomistæ, vt inde, vel maxime, quod prior, seu prima causa sit, salua arbitrij libertate eas prædeterminare nequeat, in S.Thomæ sententia. Et ad 3. *in libero arbitrio hoc modo agit Deus, vt virtutem ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur. Vnde remanet sibi dominium sui actus; licet non ita, sicut agenti.* Quia hoc impletæ potestatis suæ constitutione à nullius libera dispositione pendet, & art.5. ac reliquis eius distinctionis voluntatis nostræ dominium à coactione, & necessitate liberum statuit: consone ad ea, quæ scripserat d.22.art.2. ad 1.& d.2. art.1. corp. & quæ postea scripsit d.35.art.4. corp. ac sæpius lib. item 1.cont.gent.c.81. docet libertatem creatam stare in indifferenti, & in determinata potestate ad vtrumvis absque vlla necessitate inclinante ad vnum obiectum ex his, quæ tali subjacent potestati c.88. *Liberum arbitrium dicitur respectu eorum, quæ non necessitate quis vult, sed propria sponte. Vnde in nobis liberum arbitrium est respectu eius, quod volumus currere, & ambulare.* 3. contra gent. c.73. ratione 1.ait. *Alia agentia secundum suam naturam esse determinata ad vnum, sed voluntatis virtutem non esse limitatam ad vnum, sed habere in potestate pro ducere hunc effectum, vel illum: propter quod est contingens ad vtrumlibet.* Inde concludit ad Dei prouidentiam spectare eam indifferentiam tueri c.111. ait, *quod dominium sui actus habet, liberum est in agendo, liber enim est, qui sui causa est, quod autem quadam necessitate ab alio agitur ad operandum seruituti subiectum est. Omnis autem alia creatura naturaliter subiecta est; sola vero natura intellectualis libera est.* Vtique, quia nec seruituti, & necessitati à Deo iniunctæ subiecta in agendo est; cui sola non intellectu alia agentia, quo ad necessitatem operandi, subiecta naturaliter sunt. Adde hæc ex dist.39.q.1.art.1.corp. [Sed sciendum: quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter vno modo, tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum. Et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur; vt est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis quantum in se, est ad plura; sed, quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Sed tamen in naturalibus actus progreditur ab agente; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed abeo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Ita editione Romana anno 1570. fol.127.p.2.

9 Iam vero, quæ pro determinatiuus præfinitionibus ex Angelico Præceptore aduersarij obiiciunt, nullius sunt ponderis. Quod enim ex comment. in c.5.de diuin.nom. (vbi de rerum rationibus in Deo existentibus agitur) lect.3.ait: *Huiusmodi rationes sacra scriptura vocat præfinitiones, seu prædeterminationes.* Subinferius. *Quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctiua entium, & effectiua, &c.* In primis nomen *prædeterminationes* non inuenitur in correctioribus S.Thom. codicibus, aut Dionysij. Secundo vterque ibi agit de idæis, siue exemplaribus creaturarum non solum secundum rationem communis entis, sed secundum speciales cuiusque rationes, iuxta quæ, creata, indiuiduatim etiam, voluntate sua producit: quare extra rem ibi de præfinitionibus prædeterminatiuis ageretur in sensu, quo hic de eis agimus; sed vocat præfinitiones, & determinationes exemplaria illa, quæ in esse Dei supersubstantiali sunt, & quibus naturæ priori, effectus omnis delineatus suis metis terminis, ac definitionibus idæaliter est: quæque sequitur Dei voluntas, dum eas exequitur adamussim. Vnde illa verba *prædeterminationes, seu voluntates*, synonyma non sunt: Nam prædeterminationes defert idæas, seu exemplaria rerum, voluntates verò principia earum effectiua: quarum prima, esse rerum exemplariter, secunda effectiue, & executiue earum distinctiua ait. Quod constat ex loco scripturæ, quo probat voluntates Dei esse principia rerum distinctiua effectiue. Etenim ille ad Roman. 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit.* Neque enim prædestinationem esse efficacem effectus voluntatem Dei S.Thom. admisit vnquam, seu præfinitionem, aut prædeterminationem, quæ ad Dei voluntatem pertineat. Ex quo patet etiam interpretatio clara, & genuina plurium locorum, quæ ex S.Thom. attipiunt ex quodlib.12. q.1.art.4. omnia etiam contingentia facto immobili quidem catholice intellecto subiacere: scilicet prouidentiæ, & præscientiæ & 1.p q.25.art.5.ad 1. nihil fieri absque Dei præscientia, & præordinatione. Atque ideo q.116.art.1.corp. omnia etiam contingentia reduci in causam præordinantem, scilicet prouidentiam diuinam. Hæc tamen omnia nihil probant: quia opotteret ostendere etiam S.Thom. prædestinationem, & prouidentiam in præfinitione, & efficaci voluntate effectus constituisse, quod nusquam apparet, insuper eam præfinitionem scientia media effectus non inniti cuius nullum est in S.Thom. vestigium. Imo vero, cum Sancti Thom. fatum ethnicum (quod in Dei voluntate efficaci independenter ab vsu nostræ libertatis posita, & tamen cum effectu ineuitabiliter connexa statuebatur) cum Patribus omnibus, tanquam liberi arbitrij euersiuum execretur, nequit præuidentiam, & prædestinationem in simili Dei voluntate constituere.

10. Dices ex 1.p.q.23.art.1. ad 1.q.5. de verit. art.5. ad 1.3.cont.gent.c.90.fine, & 1.2.q.10.art.4.corp. *Deum sic voluntatem mouere, quod non ex necessitate ad vnum determinet*: ergo determinatio voluntatis ad vnum potest esse non ex necessitate, seu cum necessitate operandi, quo ruit nostrum totum fundamentum, vel superflue additur illud ex necessitate, si determinatio eius ad operandum, & non ex necessitate esse non potest. Nego consequentiam quoad vtrumque; & postremam partem: quia quæ magis rem explicant non sunt superflua. Cum autem libertas voluntatis stet in indifferenti, & indeterminata potestate cui opponitur determinatio ad vnum, indeque contingentia operandi, cui opponitur necessitas operandi, vtriusque negatione, omnibus modis, & terminis seruari à Deo mouente voluntatis libertatem explicatur. Instas ex 1.p. q.19. art.3. ad 5.cum obiecisset. *Ab eo, quod est ad vtrumvis non sequi determinatam actionem, nisi ab alio inclinetur ad vnum*, iuxta commentatorem 2.Physicor. ergo Deus, si liber ad aliqua sit, causam determinantem priorem habebit. Negat autem antecedens, in Deo: quia eius voluntas ex se necessitatem habet ad vnum, scilicet ad seipsum: vnde ad volita reliqua potest se determinare, ad quæ habitudinem, licet non necessariam, habet. Creata vero ex se contingentia, & libera determinari ab alio ad effectum debere. Hic locus bene penetratus peculiarem nostrum modum constituendi decreta libera Dei exprimit, solumque, ad rem præsentem, probat causam, seu voluntatem creatam omnino contingentem de sese, debere supponere causam priorem quæ determinetur, vel ad primam volitionem, seu ad amorem boni in communi, vel ad motum primo primum, vt superius dixisse S.Thom. cum de hac re ex instituto disputabat, ostendimus, & patet ex q.24.de verit.art.14. ex quo nobis apponitur etiam, cum pro nobis & contra obiectans sit, vt ex fide articuli patet, id quod in Deo, qui ad primum sui, imo ob sui infinitatem omnium amorem, quo ad substantiam, & modum determinatus est, locum non habet. Et quidem determinationem voluntatis ad opus adeo hic non intelligit S.Thom. determinationem connexionis sed inuitationis intentionalis per obiecti propositionem, quam determinate obiecti huius in sua potestate voluntas non habet, sed ex Dei dispositione, & prouidentia, vel naturali, vel supernaturali, saltem quoad modum, si obiectum honestum, & bonum moraliter sit: atque ea propter liberi nostri, & honesti actus in Deum, tanquam in causam, etiam præcipuam, reducuntur à S.Thom. sæpe & præcipue in 2. d.37. quæst.1.art.1.ad 5. vbi cum dominio, & electione nostra circa actus nostros obinde componit non solum posse, sed & agere à Deo nobis donari. Sic etiam explicandum est, quod S.Thom.1.p.q.105.art.4.& 5.q.83.art.1. ad 3.& 3. cont.gent.c.67.rat.4.c.68.rat.5. & cap.10.ac de pot. q.3.art.7. corp.& ad argum. & sæpe alias ait: quod scilicet moueat causa prima causas secundas, etiam liberas. Ita enim eas mouere specialiter ait intentionali motione per cogitationum allicientium immissionem, & excitationem, siue ex motuum subitorum delectatione, siue aliunde habitam; generali vero motione, & concursu causæ primæ comitanter natura & causalitate, licet priori prædicatum entis concursui causæ primæ, & vniuersalis maioris vniuersalitatis prioritate: quia in eius sententia agentis formaliter respondet. Neutra tamé motione determinatur, tanquá per causas particulares à determinatione causarú secundarú liberarú, vt constat ex eis locis præsertim cit.q.68.&q.83. quod auté q.82. antecedéti ait a.1. ad 1 necessita

[Necessitatem naturalem non auferre libertatem ;] Ad alia, ad quæ necessitas non est, intelligitur. Scilicet necessitatem naturalem voluntatis ad bonum, seu beatitudinem in communi, non auferre libertatem eius ad bona particularia, vt patet ex eo art. & seq. & sequenti etiam quæst. 88.

11. Denique opponis ex 1. p. q. 105. art. 5. post med. corp. [Deus mouet res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem : sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum.] Ergo, sicut mouetur securis, & applicatur ab artifice per impressionem impulsus physici præuij ad scindendum, ita res omnes, etiam liberè, mouentur, & applicantur à Deo ad operandum, intentiuè per Thomisticam præfinitionem, executiuè per qualitatem impellentem, & prædeterminantem ad operandum. Confirmatur ex q. 3. de potent. art. 7. vbi hanc similitudinem explicatius S. Thom. tradit : [Id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis ;] & statim ferè. [Vnde sicut instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur, absque motu artis : ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione diuina.] Respondetur negando ex his locis colligi præuiam physicam motionem, & prædeterminationem. Primo enim loco applicationis nomine non impulsus ab artifice impressus ferræ, aut securi secundum se sumptus essent sic enim non applicatio virtutis, sed virtus ipsa physica applicita est. Applicatio vero est motus ipse, & actio scissiua, seu scindens ferræ, nec secundum se solũ sumpta, sed provt ab arte procedit accommode ad formam artis, & artificiati, iuxta S. Th. 1. p. q. 45. art. 5. corp. 3. p. q. 19. art. 1. corp. & ad 2. & art. 2. q. 62. art. 1. ad secundum de potest. med. corporis. Ita vt motus, & actio illa vt ab impulsu, & forma instrumenti physice est, sit naturalis, vt ab arte, eiusque directione artificialis sit, vt bene explicuit Cajet. 3. p. q. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam.* Ad eum igitur modum ait S. Th. moueri, seu applicari ad operandum causas secundas etiam liberas à prima : non quidem qualitate physica prædeterminante, aut prædeterminatiuo decreto (quæ vel applicanda, aut applicita virtus est, vel applicans Deus, non autem formalis ipsa applicatio) sed motu, & concursu simultaneo, imo idemificato cum concursu causæ secundæ, quatenus à Deo concursus ille est. Idcireo testimonio 2. ait, [Quod fit à Deo in re naturali, quo actualiter agat,] Id autem quo res actualiter agit actio procul dubio est. Ac fine ait, id ita necesse esse, nec absque operatione Dei causa secunda operetur,] sicut nec instrumentum operatur absque motu artis. De ea vero operatione, vt à Deo est pergit : *est intentio sola extrinseca denominatio ab arte diuini intellectus, & voluntatis, quibus ad suum effectum ordinatur, & ex quibus res naturales Dei instrumenta dicuntur* : quatenus enim denominatio hæc rei inhærens cogitatur, quid rationis est, quod solum intentionis nomine significatur apud S. Th. hic iuxta eius generalem regulam in 1. d. 33. q. 1, art. 1. ad 2. & communem omnium scholasticorum, qui intentionem non nisi ad potentias cognoscitiuas, & volitiuas referunt. Id autem quod intentio sola est, non physica qualitas est. Confirmatur, quia post verba postrema ait. *Securi dari non potuit, quodvis artiu esset in ea vniuersim, quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum* : sine quo permanens esse nequit : quare solum transeunter & per extrinsecam denominationem ars in securi esse potest : ac subinde in causis secundis motio primæ ex eius prouidentia arte, & directione suprema eo solummodo esse potest iuxta S. Thom. subdit, *habens esse quoddam* in *artis in instrumento artificis.* Vocatur autem ens incompletum, quia ens rationis, seu intentio ens incompletum, & diminutum est apud S. Thom. in 4 d. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & 4. vbi motionem instrumentorum gratiæ appellat *intentionem, ens diminutum, non completum, sed incompletum.* Tum etiam : quia motus, & operatio illa simultanea non est quid completum, & permanens, sed via & fluxus ab agente in terminum, quare & ens fluens, & incompletum iuxta S. Th. 3. p. quæst. 62. art. 4. fine corpor. & ad 1. & q. 27. de verit. art. 4. ad 4. Caietan. citato §. *Ad euidentiam,* quod vero ait, *esse per modum quo colores sunt in aëre* intermedio inter coloratum, & visum, totum hoc confirmat. Colores enim obiecti secundum suum esse physicum in aëre non sunt, sed secundum esse intentionale suarum specierum, & repræsentationum impressarum, quæ in aëre sunt, & quibus obiectum præsens, tanquam instrumentis, vtitur ad sui visionem. Et si autem motione hac simultanea entitatiuè, imò idemtica cum operatione causæ liberæ, vti Deum ait, tanquam instrumento, non stricte quidem & propriè loquitur, sicut reliquis agentibus naturalibus, sed laxe, & communiori quadam instrumenti ratione : vt patet ex 3. cont. gent. cap. 112. sub init. & q. 24. de verit. art. 1. ad 5. Ex quibus omnibus liquet sensus S. Thomæ 1. p. quæst. 105. artic. 5. corpor. post med. aientis : *primum agens mouet, secundum ad agendum : & secundum hoc omnia aguntur in virtute Dei.* Etenim inde colligi potest solummodo concursus Dei simultaneus exemplo motus instrumenti ab arte, & artifice, quod statim subdit, & hactenus explicuimus ; quin reale quidpiam superaddatur præter extrinsecam denominationem, seu intentionem, aut ens rationis. Quinimo physicæ prædeterminationis, aut præfinitionis necessitas, vt causæ secundæ liberæ operentur apertè eo articulo excluditur à S. Th. ait enim ibi : *Deus immutat voluntatem dupliciter. Vno modo, quando voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc, quod formam aliquam imprimat voluntati.* Non ergo necesse est Deum imprimere aliquam physicam formam, aut qualitatem, vt moueat voluntatem : Secundo. Quia, cum ibi recenset ea, quibus aliter mouet aliquid imprimendo solum numerat gratiam, habitus virtutum ; lumen gloriæ, & visionis Dei claritatem ; nusquam autem physicam qualitatem prædeterminantem, ac fine corporis deformis hisce à Deo impressis ad voluntatem mouendam ait. *Aliquando autem forma superaddita non est vsque quaque perfecta sicut est in viatoribus ; & tunc ex forma superaddita inclinatur voluntas, sed non ex necessitate.* Ergo non est vlla in via forma immissa, & impressa nobis à Deo, cui necessario consentiamus, & cui, etiam adstanti, non possimus resistere, iuxta S. Thom. Alia ex S. Thom. opposuimus d. 6. de scient. q. 1. & disp. 5. q. vlt.

CERTAMEN III.

Contra prædeterminatiuas præfinitiones sanctum Thomam instare ex aliorum, & eius discipulorum insigniorum iudicio ostenditur.

1. REs hæc è nostrorum Doctorum iudicio, & si erudita, & multa in S. Th. lucubratione, & testimoniorum eius allegatione, & collatione fundato agenda hic non est, sed aliorum, quibus nullum partium, aliudve, quam veritatis studium opponi ab aduersariis possit. Et in primis suspiciendum ob accuratam eruditionem, exactissimamque mentis hac in re S. Thom indagationem est iudicium R. P. Petri à S. Ioseph. o Cisterciensis è Fulensi congregatione, erudito tract. inscripto [Defensio S. Th. Aquinatis aduersus recentiores quosdam Theologos, qui prædeterminationem physicam ad actus liberos illi falso affingunt] è cuius disp. 1. sect. 8 n. 4. ea sunt verba. [Scientiam mediam esse ad mentem S. Doctoris dubitari non posse,] & similia d. 2. sect. 10 n. 1. & d. 4. concordiæ suauis sect. 3. & 4. Alphonsus Mendoza q. 7. scholastica n. 13. concl. 5. in his prædeterminatiuis de creatis humanarum actionũ ab earum præuisione independentibus. *Thomistas Scoto potius aduersario suo, quã proprio agonotheta & D. Th. adhærere,* ait, Lorca 1. 2. art. 2. d. 20. n. 1. §. *Et quidẽ* (de Thomistis hac in re scribit) *lõgè esse à mẽte Angelici Doctoris* ; idque testari grauissimos *Thomistas Caietanũ, & Conadũ.* Et q. 21. concl. 2. nostræ de efficia auxilij sententiæ subscribit, at q. 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 10. n. 2 n. 26 diligerer expẽsis S. Th. verbis ad 4. de præsuppositione præscientiæ, vtique conditionatæ, ad prædestinationem ait. [Ex quibus S. Th. verbis

verbis constat præscientiam illam, quam dicit supponi ad prædestinationem non esse scientiam simplicis intelligentiæ, nec scientiam visionis, sed scientiam, quam vocant mediam; quæ ex hoc loco S. Thom. manifeste adstruitur; quo singulatim probato concludit: [Loquitur ergo de scientia conditionata, quæ est prior omni decreto productionis, & media inter scientiam possibilium, & scientiam eorum, quæ absolute futura sunt, &c.] Franc. Dicalleuius Episc. S. Angeli de scient. conditionata c. 5. tit. quarta probatio, nostram sententiam ex S. Thom. esse studiosè probat. Et fine ait. [Hanc autem scientiam, vt patet ex locis datis non refert S. Thom. in decretum aliquod diuinum.] Quæ etsi de aliena à S. Thom. scientia media, & futuris conditionatis ante, atque independenter ab actuali Dei decreto sint: Cum id adeo sit connexum cum existentia contingentium absolutorum, independenter à decreto Dei efficaci prædeterminatiuo in sententia Thomistarum, quos impugnamus, nequeunt non hæc loca suis prædeterminatiuis præfinitionibus aduersari. Secundo: quia omnium opinione scientia media excludit, adhuc ex parte hypothesis, & conditionis, principium sui quodvis connexum essentialiter cum ipso, siue illud physica prædeterminatio, siue prædeterminatiua præfinitio, siue quid aliud sit.

2. Nec minoris eruditionis operam in S. Thoma contra prædeterminatiuas præfinitiones demonstrando locauit Gabr. Pennotus Canonicus Regular. Augustin. lib. 3. propugnaculi humanæ libert. c. 29. n. 1. vbi ait. [Testimonium S. Thom. maximum est, & maximum esse debet ad eandem secundam propositionem (de scientia media) suadendam, cuius, vt omittam loca ab aliis Doctoribus citata, duplex est locus in hac re, mihi quidem, satis euidens, & rem concludens.] Et lib. 8. c. 24. num. 6. [Quod vero hoc sit etiam contra mentem Diui Thom. præter loca adducta, &, præter quod nullum est testimonium in contrarium, hoc ostenditur: quia omnes antiquiores D. Thom. interpretes ita D. Thom. interpretantur, vt cum illo negent hanc præuiam voluntatis motionem.] Magist. Franc. Cornejo Augustinianus Primar. Salmant. Theologiæ Professor lectura de scient. Dei d. 5. dub. 3. re ex S. Th. testimoniis ostensa subiungit: [Interim dixisse sufficiat: [Sæpè Thomistas ex multo minus aptis verbis affirmasse aliam difficiliorem sententiam esse S. Thom.] Atque præsentiæ futurorum in æternitate ex æternitate exemplum adhibet. Mag. Martin. Albiz Augustinian. Primarius etiam Complutens. p. 1. tract. 1. de scient. d. 7. sect. 1. §. *S. Thomæ* ex huius testimonio 3. p. q. 1. art. 5. vbi Augustinum citat. concludit. [Fuit ergo S. Augustinus, & S. Th. in hac sententia] Illustrissimus Ferdinand. Mascarenas d. 2. de auxil. p. 7. n. 3. testimoniorum S. Thom. quæ pro nobis sunt, [alienissimas esse interpretationes mentis S. Doctoris à Dominicanis recentioribus datas testatur. Fr. Angelus à Monte Pilosо t. 2. p. 1. commentat. in Scotum d. 47. art. 3. n. 11. scribit hac in re Thomistas [voluntariè detorquere S. Thomam.] Thomas Vvalden. 1. doctrinalis fidei c. 28. [Impostura esse, docet, si Beato Doctori eiusmodi adscribatur opinio] de prædeterminationibus, seu præfinitionibus humanarum actionum. Doctor Ioannes Garcia Coronel, Primarius Theologiæ Vallisoletanus Professor epistola recitata q. 5. cert. 2. n. 9. circa finem illis verbis quam (scilicet Molinæ in re præsenti sententiam) esse Beatorum Augustini, & Thomæ pro indubitato habeo.] Doctor Ioan. de Roadauila de prouid. & prædest. lib. 2. sect. 7. n. 56. præfinitiones Thomisticas sanctis Augustino, & Thoma repugnare ostendit, & sect. 10. n. 62. ait eas esse scripturæ, & Patribus repugnantes; atque plerumque ab his, qui eos non legunt assertas; [D. vero Thomas, & S. Augustinus id non tenuerunt.

3. His adnumerandi sunt ex Dominicanorum familia solum, viri doctissimi inferius memorandi, qui contra prædeterminationes, & præfinitiones subinde prædeterminatiuas scripserunt, nec vsquam in re adeo graui, à suæ scholæ Præceptore; Maximè vbi contra suæ scholæ, & Religionis alumnos res ab exteris agebatur desiderent. Sed illi in primis, qui horum recentium Thomistarum sententiæ S. Thomam aduersum omnino esse testantur. Ij enim omnes vel tacitè, & virtualiter, vel expressè, & formaliter pro nobis esse S. Thomam & censent, & testantur: euincuntque nostram sententiam è vera Thomistica schola esse potius, quam opinionem aduersam. E postremis recitandus 1. loco est Magister Ioan. Gonzalez Albelda vnus è Dominicanis disputatoribus Romæ contra scientiam mediam, & auxilia ab extrinseco solum consentu nostro efficacia. Teste Aluarez 7. responsionum. Postea vero Primarius sui Ordinis in Academia Complutensi Antecessor t. in 1. p. cuso d. 58. sect. 2. n. 1. ait. [Primo dico contra primam sententiam Thomistarum recentium. Non oportet, quod gratia præueniens intrinsece inhærens, quæ in vno est efficax sit etiam efficax in alio maiori tentatione tentato: ac proinde non est verum dicere, quod gratia præueniens intrinsece inhærens, quæ aliquando est efficax, debeat esse efficax semper, & in quocumque supposito qualitercumque tentato. Eoque ex scriptura, Tridentino, & nostrorum rationibus probato subdit: [Quinto demum probatur conclusio. Nam Diuus Augustinus, & Diuus etiam Thomas explicant gratiæ præuenientis efficaciam per contemperamentum, & congruentiam eius cum subiecto, in quo recipitur, vt videlicet eo modo, quis vocetur à Deo, vt impedimenta, & tentationes insurgentes temperentur ab spiritu sancto iuxta modum, & quantitatem internæ inspirationis, quam nouerat se dedisse ei, qui vocatur.] Etsi autem decretum Dei efficax ad nostras actiones admittat d. 57. ait prædeterminatiuum esse non admittit, quare nec Thomisticum imo nec aliud, quam post exploratam congruentiam vocationis cum vocato, & circumstantiis conceptum absque aperta inconsequentia admittere potest; maximè cum præfinitionem Dei ad materiale peccati eisdem, quibus nos præfinitiones vniuersim reiicimus, fundamentis reiciat disp. 59 sect. 2. n. 13. concl. 3. atque S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. eiusque germanis discipulis aduersas testetur. Cuius ideo hac in re sententiam improbabilem, & implicatoriam docet Magist. eiusdem ordinis Greg. Martinez 1. 2. t. 2. q. 79. art. 1. dub. 3. concluſ. 3. & merito, si præfinitiones prædeterminatiuas, atque à scientia congruentiæ vocationis circa actiones nostras honestas independentes admisisset; siquidem eisdem rationibus præfinitiones malarum actionum, atque bonarum, vel admittendæ sunt, vel ablegandæ, vt de malarum præfinitionibus agentes inferius videbimus d. 2. quin & Magist. Lemos, alter, scilicet physicarum prædeterminationum Dominicanus Romæ propugnator, eas nihilominus contra S. Thomam esse publicè ibi docuisse fertur: idque contra reclamantes Thomistas defensurum se ait Caramuel Theolog. fundam. pag. 18. nota 1.

4. Caietanus vbique tanquam S. Thom. sententiam tuetur causas secundas, præsertim liberas, determinare vltimo causam primam, non autem ab ea determinari ad suas liberas actiones 1. p. q. 14. art. 13. post med. comment. [§. Neque sustinendus est Scotus, ait. Motio causæ prioris modificatur à causa secunda secundum modum ipsius causæ secundæ; & sic, licet à prima causa moueatur necessario secunda; recepta tamen motio in secunda, si secunda causa imaginetur contingens, modificatur contingentia contingentis. Et quoniam prius natura modificatur, quam impellat ad mouendum motio illa iam modificata ad causam contingentem mouebit secundam ad mouendum, non necessario, sed contingenter.] Ac stantim illud Scoti [causa, quæ mouet in quantum mota, & necessario mouetur, necessario mouet ait: *Li* mota ab alia distinguitur alia distinctione: scilicet aut motione præuia propriæ actioni, sicut à qua calefacit calefacta ab igne; aut motione cooperante ad propriam actionem. Primo modo dato, quod esset vera aut sustentabilis; secundo tamen modo sustineri non potest dicta propositio: quoniam causa cooperans intrinsece cooperatur; talis est autem cooperatio primæ causæ.] Subdit effectum contingentem non attingi prius natura à causa prima, quam à secunda: & si prima illa sit, quia independentius, & immediatius immediatione virtutis, quam secunda, ad illum concurrit. Repetit totam doctrinam quæst. 19. art. 8. [§. Secundo distinguendo] col. vlt. quæ, cum præuiam physicam motionem suam, ac prædeterminatiuam præfinitionem euertere Bannez videret, non sine stomacho, & impugnatione retulit ibi [§. Sed antequam nostram. Cum autem Ledesma de auxil. art. 3. [§. Secunda sententia] legeret Caietanum, & art. 8. [§. Primo distinguendo.] Ita S. Th. ibi explicantem, [Non enim oportet

cum

cum aliquis vult aliquid, seu, cum Sol illuminat, primam causam præuia motione, cooperari, sed sufficit, & exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi: & hoc, quia cooperatio in vnoquoque est secundum naturam vniuscuiusque: sic enim disponit omnia suauiter.] Caietanum valde insinuare Molinæ opinionem, vel inuitus faretur. Sed apertius adhuc est Caietani testimonium primum ob prioritatem naturæ qua modificari, seu determinari à causa contingente secunda motionem primæ, vt actu moueat, & cooperetur ibi ab eo concessam. Neque enim determinari à causa contingenti prius natura concipi potest, nisi quia ex parte primæ motio, & cooperatio determinata ex parte Dei minimè est, sed ex parte illius indeterminata, & indifferens.

5. Item q.22.art.4.ad 1. ait. [Difficile non est saluare naturam causæ liberæ cum prædicta infallibilitate diuinæ prouidentiæ, eo; quia huiusmodi infallibilitas nihil dat, vel aufert causæ ad vtrumlibet: sed cum ipsa stat, quod causa habeat potentiam indifferentem ad illud infallibile, & ad eius oppositum, & propter hoc diuina prouidentia non adimit contingentiam à rebus.] Daret autem aliquid ad vnum, & potentiæ absolutæ ad illud, cum proximè, tum remote constitutiuum essentiale, auferretque essentiale, tam proximum, quam remotum potentiæ ad oppositum absolutè complementum, prouidentia, ac prædestinatio, si in præfinitione effectus contingentis prædeterminatiua consisteret: quare neque ea posita esset indifferens ad vtrumque potestas. In quam sententiam plura ibi dedit Caietan. memorata d. 5. de scient. q. vlt. Deinde quæst. 41. artic. 2. eo cum S. Thom. à necessaria causa liberam distinguit: quod hæc non est determinata ad vnum, sed est ad vtrumlibet indeterminata, & sublatis omnibus impedimentis est principium eorum effectuum, qui possunt, sic, vel aliter esse quod versus finem Commentarij illius articuli, & ratione adducta pro 2. conclus. & §. *Ad euidentiam*, & seq. circa med. amplius explicat, & confirmat, & q. 82. art. 1. & 2. omnem, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem volendi, & operandi; vel secus necessitatem à voluntate libera excludit; præter quam ad finem, seu bonum in communi, & q.83. art.1. docet ex S. Thoma libertatem, seu indifferentiam ad opposita pugnare cum determinatione ad vnum. Consonat 1.2.q 9.art.4.vers.fin. dicens, [quamvis primus actus voluntatis sit ex instituto daro ab exteriori causa effectiua, Deo; Ipsa tamen voluntas iam ex hac finis boni in communi volitione seipsam mouet ad volendum alia propter finem; quod brutis non conuenit.] Et volitione illa prima, seu inclinatione naturali voluntatis in bonum per naturalem inclinationem grauibus in motum, & locum deorsum à Deo, & generante inditam ex explicata ait: inde illa nec mouere se, nec se applicare voluntatem: quare eum motum naturalem esse, & à datore naturæ, non autem voluntarium, seu liberum. [Non autem quandoque, sed semper, cum voluntas mouet se, id est liberè operatur, vtitur seipsa applicando se ad volendum, vel nolendum.] Et art.6. fine [in responsione ad 3. habetur: quod Deus non solum potentiam voluntatis dat, sed actum volendi clausum in omni actu volendi: ipsam scilicet volitionem boni. In omni enim volitione hæc volitio clauditur, vt principium in commune. Et propterea in littera dicitur, quod ex hac volitione voluntas per rationem determinat se ad hoc, vel illud bonum verè, vel apparenter: & sine illa præsuppositia volitione, nihil omnino velle potest. Et hæc volitio est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moueri ab alio, etiam quoad exercitium actus.] Quo autem modo ea volitio boni in communi, & naturalis in exercitio sit, & omnem boni in particulari, inqua includitur, volitionem præcedat, explicandum est iuxta dicta cert. 1. & q. 10. art. 1. post med. ait: tunc voluntatem liberè, & non, tanquam naturalem causam operari, cum non determinata ad vnum operatur, sed causat, quia vult, & ad 4. articuli explicationem & coaclusionem S. Thomæ in corpore, tam deinde determinatione voluntatis liberæ in actu primo, & indifferentia ad malita, ac negatione præuiæ motionis à Deo cum determinatione, & necessitate ad vnum, vt maneat effectus contingens, & liber à Deo planam, & exploratam censet, vt

commentario, & confirmatione sua non habeat opus.

6. Ferrara 1.cont. gent.c.67. col.7. §. *Ad euidentiam secundi dubij* probat ex S.Thom. q.2.de verit.art.14.q.5. art.9. ad 10. & 1. sententiar. d.38. art.5. & si Deus ex necessitate operaretur ex parte sua, tamen actionem, seu cooperationem eius in actu exercito, & effectum fore contingentem propter contingentiam in operando causæ secundæ, cui cooperatur. Vnde subdit: [Causa prima producens effectum mediante causa secunda non in aliqua priori duratione attingit effectum, in qua non attingatur à causa secunda, licet dicatur prius agere, in quantum secunda non agit, nisi virtute primæ. Vnde non oportet, vt effectus in aliquo priori instanti, habeat necessitatem à prima causa; sed simul productis à causa necessaria, & contingenti propter causæ secundæ contingentiam, & ipse contingentiam habet.] Quæ, licet solum de prioritate durationis concursus diuini negata sonent; tamen prioritatem in omni instanti etiam naturæ negant. Tum, quia absolutè in nullo instanti eam admitti tandem ait: quare prioritatem durationis in exemplum clarius adduxit: maximè, cum statim solam prioritatem independentiæ virtutis in operando causæ primæ admittat; tum, quia ratio, quam præmiserat, ac verbis repetit postremis de omni prioritate, etiam naturæ, probat, c. vero 81.82. & 88.libertatem causæ vniuersim (provt primam, & secundam ambit, & coërcet) in potestate eius indifferenti, & indeterminata ad vtrumvis, scilicet ad velle, vel non, seu velle hoc, vel illud, quin ex necessitate, aut determinatione moueatur ad vnum, constituit, & c.138.§ 2. confirmat re vera potius quam neget: maximè, si ibi dicta cum recitatis conferantur. Similiter 3. cont. gent. c.70. sub init. §. *circa illam* admittit ex S.Thom. [quod à Deo sit in re naturali, quo actualiter agat, esse solam intentionem habentem quoddam esse incompletum.] Quo prædeterminatiuas præfinitiones euerti potius, quam firmari, ostendimus cert.1.n.13. maximè in sensu Ferrariæ, qui c.89. sub init. vtitur ad id explicandum ratione vltima S. Thom.ibi Aristotelica, petita ex initio consiliandi, quod; non, nisi à Deo, habere possumus, qui obinde sit nostrorum consiliorum, & voluntatum primum principium, & §. *Ad euidentiam* ait: ad primam volitionem finis, seu boni in communi naturaliter, & necessario moueri à Deo voluntates; ad alia vero quandoque è Dei applicatione. Denique §. *Ad omnia ista*, docet dupliciter esse aliquid perfectè in alicuius potestate; Primo: quia independenter ab alia causa producere illud, vel non producere potest: quod solius Dei est. [Alio modo, quia potest producere effectum, & non producere suppositia prima causa,à qua dependet, & à nulla causa ad producendum, aut non producendum necessitatur. Et sic conceditur, quod voluntas habet perfectè in sua potestate volitionem suam]Item 3.cont.gent.c.159.circa medium.[Nullus est, qui à Deo non moueatur ad bonum, &c. Sed quia diuina prouidentia vnumquodque secundum naturæ suæ conditionem gubernat, & mouet: homo autem est liberi arbitrij, potestque diuinam motionem sequi,& non sequi: inde est, quod aliqui diuinam motionem sequentes se ad gratiam præparant; aliqui vero ipsam non sequentes non se præparant,] 4.cont.gent.c.22.§. *Ad huius euidentiam*. Quod filij Dei non simpliciter, sed secundum quid ab spiritu sancto agantur iuxta S.Th. rationem reddit; quia agi simpliciter dicitur,qui non ex indifferenti sua potestate, sed ex determinatione ad vnum à superiori mouente operatur. Si autem actio non determinatur sibi ab altero; sed sic quidem moueatur ab altero, siue inclinetur, quod tamen in potestate sua sit agere, & non agere, siue agere hoc, aut illo modo,tale dicitur agi non simpliciter,sed secundum quid:quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad vnum, sed ipsum se determinat. Sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic spiritus sanctus nos ad agendum inclinat, quòd liberè tamen operamur, & ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi,aut non sequi spiritus sanctus inclinationem, & motionem: ideo dicimur ab ipso, agi, non simpliciter, sed secundum quid Postrema hæc duo de motione gratiæ sunt,& potestate sequendi,& non sequendi in sensu composito eius motionem, vt voluerimus: sicut & reliqua de motione causæ primæ, in sensu etiam composito, cui; quatenus ex parte Dei sumptæ resisti à no-

bis, & adiungi operationis negationem posse Ferrara expresse fatetur.

7. Deza in 2. d. 24. q. vn. toto art. 3. notab. 3. causæ liberæ essentialem ostendit indifferentem ad vtrumvis potestatem (sicuti, & d. 25. q. vn. art. 4. ad argum. contra secundam conclusionem, & d. 28. art. 3. & 4.) art. vero 4. ait proprium voluntatis esse, vt ex indeterminata, seipsam determinet, & ad 15. [Quæ necessaria non sunt ad consequendum finem, & si sint vtilia, non se habent ad mouendum voluntatem determinate, & necessarie sicut finis (scilicet beatitatis, seu boni in communi) & ad ista volenda voluntas seipsam determinat: cum posset ad ea volenda non se determinare, & illa non appetere.] Confirmat ad 16. & d. 25. q. vn. art. 3. notab. 4. & d. 4. sub fine à Deo causa vniuersali esse primam volitionem boni in communi; ast vero ad bonum in particulari à seipsa determinari voluntatem: quæ omnia ex S. Thom. vbique confirmat, & d. 28. art. 3. notab. 6. ait voluntatem agere Dei motione determinante ad actum primum, circa bonum, scilicet in communi; Deinceps vero se ad reliqua determinare. Recitatis vero S. Thom. verbis q. 24. de verit. art. 15. corp. subdit. [Non dicit S. Thom. quod impossibile est hominem aliquid velle, nisi aliquo ipsum mouente, sed dicit, quod impossibile est hominem incipere aliquid velle de nouo.] Quia scilicet cogitationem primam ad 1. volitionem à se, suaque libertate nullatenus habere potest. Insuper in 1. d. 1. q. 3. art. 3. notab. 4. ait: voluntatem non exire necessario in actum respectu alicuius obiecti, præsertim in via: quia in eius potestate est nullum actum respectu illius habere, & ab eo intellectum diuertere, & in 1. d. 38. q. 1. art. 3. notab. 1. fine, & notab. 2. docet: non posse futura contingentia in suis causis, & tota earum collectione cognosci, quoad vsque in se sint; quia in illis; adhuc coniunctim, determinate non sunt, sed contingentia, & quæ non esse absolutè possunt: & subinferius confirmat ex S. Thom. in 1. d. 40. q. 3. art. 1. infert: [Quod futura contingentia in causa prima, etiam determinata, quantum est ex ratione causalitatis cognosci non possunt per certitudinem determinate.] Et in 2. d. 1. q. 2. art. 4. ad 1. Aureoli ait: concursum Dei cum voluntate eam non obligare, seu determinare ad alteram contradictionis partem, sed indifferentem, & indeterminatam relinquere. Heruæus item General Dominicanorum Magist. in 2. d. 25. docet voluntatem ad bonum in communi à Deo ipsam producente determinari; ad bonum vero, cum ex deliberatione fertur, determinari à seipsa. Conradus ex S. Thom. (cuius mentem editis in partes summæ Theologicæ commentariis doctè, & subtiliter venatus est) omnem voluntatis in actus suos liberos determinationem ab alio, quam à seipsa, reiecit. Etenim 1. 2. q. 1. art. 2. comment. 1. ait. [Homo seipsum determinat ad finem, comment. 2. scribit. [Agens ratione determinari ad aliquid certum per voluntatem, sicut per proximum determinatiuum ad actionem; licet primum determinatiuum sit apprehensio.] Comment. 3. toto statuit irrationalium agentium esse determinari, necessitarique à Deo ad agendum; rationalium nec necessitari, nec determinari ab eo ad suas actiones & ibi notab. 3. [Tunc homo agit actionem humanam, liberam, quando ad eam habet absolutè indifferentiam sic, quod potest eam agere, & non agere; & potest velle, & agere hoc, vel illud.] Quibus similia docet q. 6. art. 1. corp. & ad 2. in ea potestate dominium voluntatis in suos actus constituens, q. item 9. art. 3. [Ad argumentum in contrarium ait, in potestate voluntatis, stante generali influentia, est se mouere ad exercitium, vel non mouere: neque ad hoc concurrit aliquid aliud actiue completiue.] Id ipsum fusius docet art. 4. § *Respondet iuxta*, & §. *Nota circa*, & art. 6. ad 3. confutat primo affirmantes requiri specialem Dei motionem, qua Deus moueret voluntatem ad primum actum, seu volitionem boni, vt sic (quæ in eius, & S. Thom. sententia à Deo indita & naturalis, ac necessaria voluntati est.) [Imprimenda voluntati aliquid habens se per modum actus primi, quo voluntas efficitur potens ad volendum.] Multo ergo minus eam antecedentem impressionem à Deo ad actiones liberas voluntatis in ea admittet. Secundo docet per generalem influentiam, qua à Deo mouetur voluntas in exercitio ad volitionem boni in communi, & quæ nihil præuium super additum, & potestatem voluntatis constituens inuoluit, satis ex parte causæ primæ actiue, & physice influentis voluntatem moueri ad actus liberos erga particularia bona. Etenim [hac motione præsuppositâ, voluntas per innatam libertatem potest sub ista motione Dei se determinare ad hoc, vel illud bonum,] quia vt dixerat art. 3. ad argum. *in contrarium* & art. 4. parraphis citatis ea influentia generali suppositâ vnum præ alio velle, ac non velle in potestate voluntatis esse. Quæ repetit quæst. 80. artic. 1. ad 3. quæst. 109. art. 2. conclus. 1. fin. & q. 10. artic. 1. fine addens necessitatem, & determinationem voluntatis eius libertati circa idem obiectum repugnare. Tandem quæst. 79. art. 1. col. 3. §. *Nota in quam*; motionem Dei præuiam ad actus etiam naturales multis ex institutio refellit Vincentius Beluacensis, ob cuius cum S. Thom. conuenientiam, quisnam alterius, quoad sententias in 1. 2. contentas, transcriptor fuerit? Lis apud eruditos est. 1. lib. 29. speculi natur. cap. 65. ex Boëtio docet voluntates nostras esse omni necessitate solutas, etiam imponenda à diuina prouidentia, ni actus futuros hæc supponeret, & lib. 1. speculi moralis ad verbum sententiam S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 6. corp. posuit. Scilicet Deum, qua primum mouentem, conuertere omnia in seipsum tanquam secundum rationem communem boni; Ad particularia bona moueri inferiora mouentia, & libera quidem seipsa vt cert. 1. ad eum S. Thom. locum expendimus.

8. S. Antonin. 1. p. t. 4. c. 2. §. 2. [Ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, & non facere possit, & ita habere viam ad opposita, quia potest velle hoc, & non velle.] Et §. 3. & 4. fine, & §. 7. necessitatem, quæ voluntati non relinquat viam ad opposita & faciendi, ac non faciendi potestatem, & actus contingentiam, & si diuina prouidentia illam inducat, libertati repugnare ait, & post recitata ex §. 2. ait, nos per liberum arbitrium vti posse habita vitioso, vel secus, agereque, & non agere. Et sub capitis init. & c. 3. §. 1. liberum arbitrium, & si non primum, tamen principium, & causam esse sui motus. Et illo c. 2. §. 9. [Immutatur voluntas à seipsa, cum modo vult vnum, modo aliud. Vnde Augustinus, Nihil tam est in nostra potestate quam ipsa voluntas,] & c. 4. §. 2. med. [intellectus mouet voluntatem repræsentans ei obiectum suum. Mouetur etiam voluntas ad actum suum à seipsa: Cum enim sit domina sui actus, & ipsius sit velle, & non velle (quod non esset, si non haberet in potestate sua mouere seipsam) sequitur, quod à seipsa mouetur.] Et §. 3. fine de indemnitate libertatis posita vniuersalis motoris Dei motione assumit illam rationem S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. [Quia voluntas est principium non determinatum.] Ægidius Roman. August. S. Thom. discipulus auditor, & vindex, ex huius doctrina in 2. d. 1. p. 1. q. 2. art. 6. §. *Prosecutis*, docet concursum Dei vniuersalem; æqualem esse, & vniuersalem ad omnia; diuersitatem vero à particularibus causis diuersimode illum recipientibus prouenire: ac si Deus [nec ratiocinans, nec præeligens suum communicaret influxum, vt sol lucem, & d. 25. q. 1. art. 3. dub. 2. liter. via 2. [Quoties obiectum offeratur sub vna ratione boni, & alia mali voluntas poterit illud velle sub ratione, qua bonum, & nolle sub ratione, qua malum. Hic ergo voluntas poterit se determinare, vel, vt velit sequi legem Dei, prætermittendo fornicationem, vel, vt velit, sequi bonum delectabile, prætermittendo legem Dei.] Et subdit voluntatem esse, quæ seipsam determinat: quæ repetit dub. 1. liter. & opusc. de præd. & præsc. & opusc. de ente, & essentia Theophil. Rayner. libertatis essentiam in indifferenti ad vtrumvis, ac non determinata ad vnum potestate ponit. Et in dominio suorum actuum. Item voluntatem, & si ad bonum in communi determinatam, ad particularia tamen liberam, & omnino indeterminatam, aut necessitatem ad vnum: & proinde eiusmodi necessitatem, & determinationem ad vnum libertati potentiæ repugnare, qua velle, & non velle voluntas potest, esseque causa, & domina suorum actuum debet. Hæc sæpissimè repetit in sua Pantheologia, verbo *liberum arbitrium*, c. 1. 2. 8. 10. 11. 14. 15. 16. & 26. verb. *peccatum*, c. 47. & 49. & pluribus verbo *liberatio* à peccato, c. 18 20. & 24.

& 24. verbo. *Reprobatio*, cap.5.6.10. verbo *Tentatio* c.6. & alias sæpe, Paludan. in 3. d.18. art.3. fine. *Per liberum arbitrium intelligimus illud principium, per quod habemus dominium nostrorum actuum; Non solum, sicut communiter dicitur, quod omne agens dominatur suo passo: quia tunc omne agens esset liberum: quod falsum est; sed sic in potestate habentis tale principium est exire in actum, vel non exire in actum aliquem, vel in eius oppositum.* Vt de indifferentia libertatis dixerat art.1. & 2. Herbæus quodlibet.1. quæst.1.art.1. maxime ad 7. docet supposito amore necessario boni in communi voluntatem se determinare ad electionem boni in particulari, quia est principium sui determinatiuum, nec dari posse eius electionis, *Vnam causam per se necessariam, & determinatam.* Addit ita ex coniuncto causarum ad electionem voluntatis concurrentium eam sequi, vt non sequi possit. Et quodlib.10. quæst.9. sub fine explicans dominium voluntatis in suos actus ait, *habere dominium sui actus est, habere sic in potestate suum actum, quod in potestate sua sit agere, vel non agere hoc, vel illud.* Et requiri ad dominium infert, *quod actiuum principium, etiam super illam indifferentiam, vt applicabilis est ad actum, habeat dominium. Si enim aliquid haberet indifferentiam ad agendum, & non agendum, ita, quod illa indifferentia prout applicabilis est ad actum, sibi non subesset non esset in potestate sua agere, vel non agere.* Dicant nunc Thomistæ recentes physicam suam præmotionem, & decretum prædeterminatium suo vnumquodque gradu, & signo solum esse applicationem volùtatis ad actum, seu operationem, non autem complementum potestatis, & potentiæ; dum tamen ea applicatio solius Dei voluntati, & potestati, non autem voluntati nostræ subiaceat (vti non subiacet, si ea in decreto prædeterminatiuo, & prædeterminatione independenter ab vsu nostræ libertatis à Deo habitis, & ponendis consistat, vt hi volunt) voluntatisque libertas, iuxta egregium S.Thom. discipulum Heræum, voluntati nostræ peribit.

9. Succedat Capreolus, & ipse insignis S.Thom. discipulus sententiarum eius interpres, & recitati Deza in 2e Theologica dux, & Magist. Ille enim in 1.d.1.quæst.2. art.1.concl.3.ex S Thom.1.2. quæst.15. art.2. ait. *Sola natura rationalis habet in sua potestate motum appetitiuum, & potest ipsum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud.* Et art.3. ad 4. & 5. cont.1. Conclusionem, docet hominem & se, & reliqua ad operandum applicare, cui omnino consentit Deza ibi artic.3. notab.1. & 2. & art.4. ad argum.cont.1. concluſ. Capreolus. Item qu.3. post concl.3. docet voluntatem liberam esse indeterminatam, & circa obiecta, & circa exercitium actus, seque absque vlla necessitate determinare. Et art.1. concl.3. & ad argum. contra illam: nullum actum voluntatis in via necessarium, quoad exercitium esse, sed eo illam posse abstinere. Item necessitatem, etiam quoad specificationem, qualis est respectu boni in communi, esse contrariam libertati tota qu. docet, maxime art.1. inter quatuor rationes 1. conclusionis: eoque art.& 3. sæpe libertatem voluntatis esse ad opposita, seque ipsam determinare, & mouere, & artic.1. ad probationem 3.concluſ. hæc ex S.Thom. qu.22. de verit. affert. [Libertas voluntatis in tribus consideratur scilicet, quantum ad actum in quantum potest velle, & non velle: & quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc, & velle illud, & eius oppositum: & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, & malum.] Quibus hæc Capreolus adnectit. [Voluntas non necessario exit in actum respectu alicuius obiecti, præsertim hic in via: sic, quod quolibet obiecto proposito in potestate sua est nullum actum habere respectu illius. Potest enim intellectum ab huiusmodi cognitione auertere; & per consequens in aliud inclinare.] Consonat. Deza ibi art.3.notab.4.col.2. Insuper Capreolus d.38. quæst.1. art.1. longe à med. post §. *Ad argumenta contra* 4. concluſ. ait. [Cum Deus vel se solo, vel media causa necessaria; non defectiua, seu contingente effectum producit, tunc non stant simul quod prima causa sit disposita ad producendum hunc effectum, & quod ille effectus non eueniat. Cum autem Deus producit effectum media causa defectiua, seu contingenti, vult etiam S.Thom. quod effectus producti à Deo mediante causa secunda defectiua possunt deficere, & contingenter eueniunt: quia non habent ordinem ad primam causam nisi mediante secunda: & ideo, quia illa secunda causa est contingens, licet prima sit necessaria, oportet quod effectus sit contingens.] cum autem prima causa, eo solum necessaria sit in operando effectum, quatenus ex, decreti quod libere concepit, suppositione necessario sequitur effectus, & non ita operetur effectum media causa contingenti, vt necessario sequatur effectus; sit plane, huius effectum à Deo efficaciter antecedenter non decerni prædeterminatiue, aut physice causam contingentem ex illo prædeterminari. Et ad 2. Scoti contra 4. concluſ. ex S.Thom. quæ.5. de verit. art.9. ad 12. ait. *Necessitas causæ primæ non inducit necessitatem in effectum, nisi posita necessitate in causa secunda.* Ergo, si ponitur necessitas effectus per decretum prædeterminatiuum, aut prædeterminationem, nequit non causa secunda habere necessitatem, esseque causa necessaria, & non contingens: ac subinde nequit effectus esse contingens, & liber; vel, si hic liber sit, nequit esse de eo prædeterminatiuum decretum, & ad ipsum prædeterminatio causæ. Et ad 10. ex S.Thom. ait. *Actio primæ causæ quodammodo determinatur ad hunc effectum per causam secundam.* Et artic.2. prioribus 4. conclusionibus sæpe ex S. Thoma repetit futura contingentia in suis causis determinata non esse: obinde nec in eis, sed in seipsis solum cognosci certo posse. Et in med. ad 1. contra 1. concluſ. ait: *quantumcumque cognoscatur natura humanæ voluntatis, non tamen ex hoc scitur an producet actum suum, vel non. Ipsa enim potest se impedire, vt ita loquar, quantumcumque sit ad eliciendam volitionem inclinata, reproducat.* Ac statim fere recitat S. Thom. in 1. d.38. quæst 1.art.5. dicentem *cognita voluntate, & quibuscumque causis ad actum volitionis concurrentibus non potest certitudinaliter cognosci, ab ipsa producet illum actum, vel non.* Iterum Capreolus d.45.q. vn.ad 4.cent.3. concluſ. ait, *voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet, vt velit, vel non velit, determinatur à seipsa: & illud, quo se ad hoc determinat est actus eius determinatus, sed quantum ad specificationem actus, scilicet, vt tendat in hoc, vel in illud determinatur per intellectum ostendentem sibi suum obiectum:* nempe bonum, ad quod prosequendum, ac non malum, quoad speciem voluntas determinata est. Et licet in 2. d.1. quæst.2. art.1. sub fin. ex S.Thom. quæst.3. de potent. art.7. ad 7. doceat *rei naturali influere aliquid Deum, quo actualiter agat.* art.3. part.6. ad argum contra 6. concluſ. init. ex eodem S.Th. ibidem ad 12. ait Dei in voluntate hominis operationem dato illi in suos actus dominio non obesse, sed adhuc non manere obligatam, & determinatam ad alteram contradictionis partem, sed ad vtrumvis indifferentem d.24. qu.vn. art.3. post med. ad 6. argum. *voluntas*, ait, *quantum est de sua natura est ad opposita. Ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* d.25. qu.vnic.art.3. col.3. & 4. *actus elicitus, & imperatus à voluntate contingenter, & euitabiliter euenit & producitur à causa de se indeterminata; quæ tamen potest seipsam determinare, scilicet à voluntate.* Et toto articulo, libertatem in dominio, potestate, & æquali indifferentia ad opposita constituit. Et ad 3. Scoti cont.2. concluſ. libertatem voluntatis cum concursu scientia, & voluntate causæ primæ vniuersalis componit: quia ita istæ determinatæ sunt ad liberum euentum, vt ad ipsum non esse determinatæ queant. Et ad 1. Henrici cont.2.concluſ. dicit ex S.Thom. motionem vniuersalis motoris Dei esse ad bonum in communi, & complacentiam de eo necessariam: ex ea vero hominem deliberatione sua se determinare ad particularia bona, qua potest se libere determinare, vel non determinare ad quodvis illorum. Quam doctrinam repetit ad 1. Henrici cont.3.concluſ. docueratque articul.1. concluſ.1.fine & d.24.quæst.vnic. artic.3. longe post med. ad 8. argum. cont.5. concluſ.

10. Nec minoris ponderis est Rupertus Holchet Dominicanus, qui si à vera Thomistica schola in Nominalem transierit tamen in indifferenti ad vtrumvis potentiæ liberæ essentiali potestate ab Angelico præceptore, eiusque schola non defecit. Fors, quia adeo id euidens, vt scholæ omnes, quantumvis aduersæ, nequeant non in adeo perspicuo principio conuenire. Igitur Holchot. in 1.q.3.

fere tota eam indifferentem potestatem, & dominium ad velle, vel non velle positis, & immutatis omnibus præ requisitis absque vlla necessitate ad alterum determinante tradit: præsertim artic.2.in diuisione 3. & definitione libertatis, & art.8. ad 5. dub. solut.argum.3. vbi *de nouo*, inquit, *nullam rem recipio, quæ coagat ad causandam volitionem, quam prius non habebat.* Consonat art.9. ad argumenta principalia. Et in 2. quæst.1. art.4. ait. [Deus dicitur aliquid velle dupliciter, vno modo absolute: alio modo ex conditione. Primo modo concurrit ad agendum cum omni natura agente naturaliter voluntarie. Illo etiam modo facit quidquid facit præcise. Et ideo omne tale est ab eo absolute volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum naturali rationali libera: cui tales leges statuit; quod quidquid ipsa velit placet sibi coagere ad illam volitionem; licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem de notatur. Ita quod, si fortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum; vel si impediret eum, hoc facit per legem communem.] Repetit quæst.11. art.4. ad 1. & 2. Franciscus Victoria Dominicanus, etiam ex Illustrissimis, Thomista relect. de peruenientibus ad vsum ration. n.4. propos.3. supponit, vt certam definitionem arbitrij, seu potentiæ liberæ communem: quæ scilicet positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere; omni quidem alterius partis necessitate exclusa: etsi vlterius deliberattonem ad libertatem, & electionem præmitti requirat. Et num.6. propos.5. docet non, nisi necessitate inducta, libertatem abesse, & num.5. propos.4. asserit arbitrij libertatem in dominio suorum actuum stare. Et post pauca. [Ad hoc autem, vt homo sit dominus suarum actionum, duo requiruntur. Alterum, vt homo habeat facultatem consultandi, ac deliberandi, quid bonum est, & quid malum est, & quid consequendum, quid fugiendum, quid vitandum. Alterum est, vt habeat potestatem post deliberationem eligendi, & relinquendi, quod sic deliberatum est: neque enim primum sufficit. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessario, aut sequeretur consilium, aut non posset non sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione, & acceptione verborum. Nam is vere Dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem vtendi re: ita enim definiunt, & Iurisconsulti, & Theologi. Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis, & voluntatis, quo est liberum arbitrium.] Petrus de Soto de institt. Sacerdot. tract. de Sacram. pœnit. lect. 16. post med. § *Primum impotestate voluntatis*, ait. Posita diuina gratia inpotestate voluntatis esse velle amorem, & quantitatem eius, & non velle: quare, & Deum amare supra omnia, vel non amare. Dominicum Sotum acerrimum contra suos recentes Dominicanos, & eorum prædeterminatiuas præfinitiones, & pugnacissimum hostem vidimus quæst.3.cert.3.n.8. & 9.

11. Viguerius scholæ, & instituti eiusdem ex recitata num.9.doctrina S.Thom.quæst.22. de verit.ita scribit. cap.3.§.3. versu 1. fol.28. col.3. *Indeterminatio, siue libertas voluntatis potest considerari respectu trium: scilicet respectu obiecti, & actus, & ordinis in finem. Quoad obiectum inquantum potest velle hoc, vel illud, vel eius oppositum*; vt (legendum potius, [& prout) velle, & nolle positiue. Et hæc libertas vocatur à Neotericis contrarietatis quoad actum, in quantum potest ponere actum, vel non ponere, velle, vel non velle, negatiue, siue cessare ab actu. Et hæc libertas dicitur à Neotericis libertas contradictionis: quoad ordinem vero finis, inquantum potest velle bonum, vel malum, siue apparens bonum.] Et vers.2. [Neque obstat libertati voluntatis, quod eius motus pendeat à Deo, qui primo prioritate naturæ concurrit cum omnibus causis secundis, & magis, ac fortius influit in effectum, quam causæ secundæ. Vnde videtur, quod posito concursu Dei ad actum voluntatis, voluntas non sit libera, vel operatio Dei sit inefficax. Dicendum, quod posita illa suppositione negatur consequentia scilicet, quod ideo non sit libera, nec quod voluntas ex necessitate moueatur à Deo quia (inquit) [Deus libera, libere, & absque necessitate disponit.] Et inferiusculè. [Experimur nos esse indeterminatos circa multa, & bona, & mala: & posse consiliari, & deliberare, & ex duobus oppositis eligere, quod volumus: & vno solo obiecto oblato posse acceptare, vel respuere, vel suspendere actum. Repetit versu 4. Ioan. Vincentius Generalis Dominicanorum Vicarius, & Vespertinus Salmantinus Professor prælect. manuscript. in 1.p.quæst.19.ar.8. dub.2. coaeluf.5. aeriter in physicam præmotionem, & subinde in prædeterminatiuas præfinitiones, tanquam libertati nostræ infensas, inuehitur, vel inde maxime: *quia, si auxilium*, inquit, *efficax prædeterminatiuum est simpliciter necessarium apparet iniustum illud diuinum præceptum, quo Deus obligat Petrum ad actum supernaturalem fidei, spei, charitatis, &c. Ad cuius actualem executionem non confert efficax auxilium*: (seu, quod idem est, de qua non concipit prædeterminatiuum decretum) *Hæc difficultas est maxima apud me. Etenim Authores contrariæ sententiæ non aliter de illa se possunt expedire, nisi recurrendo ad distinctionem de sensu diuiso, & de sensu composito, quæ tamen distinctio in hac parte leuissima est: tota enim consistit in verbis.* Sed quoniam ea prælectio manuscripta prælum non vidit; testes testimonij, & sententiæ huius omni exceptione maiores proferamus. Et quoad distinctionis, eius leuitatem, testis est Ledesma de auxil. art.14. §. *Hæc difficultas leuissima*: quoad Læsionem libertatis art.1.col.7. §. *quo suppositio*. Testis item est Magist. Franciscus Cornelio Augustinian. Primarius etiam Professor Salmantinus tract. de Scient. Dei d.5. dub.3. §. *Dices conuincere*, ait, Præfinitionem, & prædeterminationem, ad materiale peccati præsertim, ex quo ad reliquas humanas actiones euidens in principiis aduersariorum est consecutio) expresè Thomistis aliis displicuisse, ac etiam, inquit, [Magist. Ioanni vincentio, qui in sua lectura de voluntate Dei 1. part.quæst.19. circa art.8. quam ego vidi, & legi, palam professus est: Deum materiale peccati neutiquam prædefinire: aiens ab hac sententia sola Ecclesiæ authoritate se posse dimoueri. Huius in Cathedra successor Basil. Ioannes. Augustinian.1. par.variar. cap.3. fine, & oculatum se, & auritum sententiæ Ioannis Vincentij vniuersim contra præmotionem voluntatis nostræ à Deo his exhibet testem. [Licet nonnulli obstinate prædeterminationem illam voluntatis ex physica præmotione, aut qualitate proeuenientem, quæ ita ad vnam partem determinaret ante consensum voluntarem, vt deinceps non esset electionis humanæ illi positæ motioni Dei, aut obtemperare, aut resistere docuerint; excitauit tamen Deus olim doctissimum, & religione excellentissimum virum Ioannem Vincentium ex eadem familia, qui eandem docendi rationem validissime impugnauit: & morales tantum præfinitiones per excitationes, quæ sunt actus intellectus, & voluntatis induxit, legit, dictauit in Salmantino Theologorum gymnasio me, & spectante, & audiente; & postea alij ex eadem familia ab illa propositione cum laude, & fructu discesserunt.] Fuit autem Magister Ioann. Vincentius, qui dignissimum de gratia Christi opus Typis euulgauit. Et Catherinus 1. de prædestin. & Sixtus Senensis citando loco qu. sequenti.

12. Referendi iam summatim sunt Dominicani alij proceres, quos quæst.3. certam.3. & quæst.4. vel retulimus, vel recitauimus Magist. Hieronym. Mazarelli siue à Bononia sacri Palatij Magister, Franciscus Romæus Magister Dominicanorum Generalis relati quæstione 3. certam.3. num. 8. Magistri etiam Dominicani Campanella, Iulianus Ioubert eius ordinis Vicarius in Gallia Generalis, & Sorbonicus Doctor Antonius Maller, Cosmas Marellus, fidei etiam quæsitor, Augustinus Russus studij Panormitani Regens, P. Foresi eius socius, & Seraphinus Riualdus postea ad sacras insulas assumptus: quos omnes retulimus ibidem num.11. item Magistri Zanguas Mondragon, & Tiedra qui in reliquorum Magistrorum grauissimorum Vallisoleti Dominicanorum, quibus præfinitiones prædeterminatiuæ humanarum actionum, præsertim, fuerunt inuisæ adducuntur à Primario Vallisoletano Professore Doct. Ioann. Garcia Coronel. recitato quæst.4. certam.2. numer. 8. vbi eiusdem doctrinæ Osorem Magistrum Mancium etiam Dominicanum apud Complutenses, & Salmantinos Illustrem Primarium Professorem refert. Et Patres Dominicanos, eosque doctissimos, supremæ Inquisitionis Lusitaniæ iussu Molinæ, id est nostram sententiam, non probasse solum, sed laudasse:

dasse: Magistrum scilicet Bartolomæum Ferreira supremi illius Senatus censorem, & Magistrum Ioann. de Iasenebas Archiduci Austriæ Alberto, tunc eius Senatus Præsidi, & Generali fidei Quæsitori à confessionibus, postea Abulensem, post Almeriæ, Episcopum constat ex certam. 3. num. 8. & 9. quibus addde Complutenses Dominicanos Primarios Professores Magist. Laurentium Gutierez, & Magistrum Biedma, quos suorum fratum hac in re duritiem ferre non posse publicè in suis lecturis, & Generalibus Thesibus è Cathedra conceptis verbis fateri non semel spectauimus, & audiuimus, Magistrum Gasparem de Corduba Philippo 2. à confessionibus Magist. Cuello Collegij Hispalensis sui Regentem Magistrum Balthasarem Buchnerum Academiæ Heidelbipolensis Doctorem, qui, & epistolæ eius Academiæ pro nostra sententia ad Sedem Apostolicam recitatæ à nobis quæst. 4. certam. 1. subscripsit Mag. Arauxo postquam Episcopatu Seguiensi, vt aiunt exfrattauit, licuitque non è suorum Dominicanorum, sed ex animi sententia impune scribere 1. 2. quæst. 111. art. 5. dub. 6. num. 36. qui Physicam prædeterminationem (ac propterea Thomistica decreta) ad S. Thom. ianuas fuisse expositam, non secus, *atque infans foribus Ecclesiæ*, exponitur, vt ab ipsa *volente, nolentemue curam, & tutelam recipiatur*. Exinde vero eam sententiam iunctis cum nostris, & authoritatum, & rationum copijs per plures numeros insectatur; quod autem Prado citandus respondet; hæc Magistri alterius sui ordinis manuscripti in Bibliotheca sua Salmanticensi ad seruata ab Illustrissimo Arauxo suo illi operi inferta fuisse hunc quidem nobis non eripit, sed alium, bonæ apud ipsos notæ, Magistrum contra suos pugnantem vltro donat. Addeetiam è Dominicanis Thomam Elisheem de libert. arbit. quæst. 4. art. 8. Ambros. Catherinum de præscient. part. 1. & 2. Bartolom. Medina Primarium Salmanticensem 1. 2. quæst. 14. art. 3. in expositione litteræ vbi eandem potestatem circa consultanda requirit quam S. Thom. ibi & Arist. 3. Ethicor. cap. 3. omni eius impossibilitate, quare & alterius partis necessitate, exclusa & 3. part. quæst. 18. art. 4. in expositione literæ. Si attente legatur, maxime sine ad Hieronymi testimonium. Porro, si hactenus recitati, citatique Thomistæ Dominicani cum aliis oppositæ sententiæ conferantur, vitra ex eis è S. Th. mente sit (etsi data ex ipso testimonia nos deficerent) facile constabit: quales enim, & S. Thom. intelligentia, & doctrina sunt Berdu, Rispolis Iosephus à S. Maria, Cabbezudo, Nauarretus, imo & huius doctrinæ Antesignanus Bannez, qui hac in re ad plura Sancto Thomæ contradictoria asserenda frontem perfricuit (vt statim videbimus) vt eum his conferantur? Sed & Albarez, & Ledesma bonæ notæ Magistri, & pauculi alij, qui pro suorum sententia post litem contra nostros contestatam scripsere, pro mente præsertim S. Thom. fidem non faciunt eum apertissimo partium suarum studio scripserint. Certe si vere Thomisticæ scholæ, doctrinæ, & Doctoris signa, quæ, vel aduersarij ipsi notant, & præscribunt, ad rem præsentem attendantur, nos nostramque in hac re sententiam vere Thomisticam aduersam vero, Pseudo-Thomisticam euincent.

CERTAMEN IV.

Et signis ab aduersariis præscriptis sententia, & schola nostra vere Thomistica euincitur.

1. AVdiamus Mag. Ioann. à S. Thom. veræ Thomistiæ scholæ doctrinam sequentibus notis delineandæ approbat. doctrin. S. Thom. d. 2. art. 5. habet. *Primum igitur optimum signum intelligentiæ D. Thom. & discipulatus eius est, continuatio, & adhæsio ad illos, qui per successionem temporum discipuli eius habiti sunt, eiusque adhæserunt doctrinæ. Sicut Herbaus, Capreolus, Ferrara, Victoria, Soto, Flandria, Caietan. Conradus,* &c. Atqui his omnibus, qui in exemplum ad purum ex coctorum Thomistarum assignantur, & aliis pluribus per ætates omnes explorato Thomistis, Prædeterminationes physicæ voluntatum nostrarum à Deo, & eis coniunctæ præfinitiones prædeterminatiuæ, inuisæ, & alienæ à S. Thom. mente visæ sunt: quibus nos nostrique omnes adhæremus; vti ex eorum testimoniis patet: ergo ex primo hoc, & præcipuo signo in re præsenti veri Thomistæ, & discipuli S. Thom. re vera sumus; Aduersarij verò Pseudo-Thomistæ, seu Thomistæ adscititio, & arreptitio nomine tantum. Scio Mag. Ioan. Martinez Prado 2. Physicor. controuer. 12. art. 2. numer. 35. dicterio in ipsum ex dictis facile refundendo præmisso, vt ex auriquis Thomistis, & inprimis Capreolo præfinitiones, & præmotiones physicas suas probet, euidentissima testimonia polliceri; cum tamen ea producat, quæ resolutionem quidem mereantur. Solum enim habent Deum, & virtutem causis secundis, earum scilicet productione, conferre, & cum eis ad omnes effectus operari, eisque priùs prædicatum entis, quod priùs, & vniuersalius concurrere: quod solum probat concursus diuini ad creatum præcedentiam prioritate maioris vniuersalitatis, non naturæ. Satius proinde illi ad suum intentum fuisset aliqua probabilitatis specie alicui ex pluribus, iam olim nostris, contra suos Dominicanos inductis, cum ex S. Thomæ cum ex veris ætatum omnium Thomistis testimoniis apertis satisfacere, quam vanas, & ventosas authoritatum euidentias pollicitari. Merito ex hac discipulatus S. Th. nota Doctores recitati num. 2. sententiam Thomistarum recentium non minus S. Thomæ, quam nobis aduersari dicebant. Deponeret ergo si hactenus dicta videret, expendereteque Rispolis querulum in nos stomachum illorum verborum 2. de auxil. quæst. 1. ante 1. concluſ. *Relinquant igitur, quæso nobis Doctorem nostrum, qui clare satis locutus est, vt omnes eius discipuli ipsum interpretantur: quibus solum Angelici Doctoris mysteria noscere, & scrutari datum est.* Mitto mysterij cum claritate sententiæ repugnantiam, quam vltro Rispolis admittit; aliis forsan in re præsenti admittendis assuetus. Faciunt enim nobis eius verba de vero nostro S. Thomæ discipulatu causam meliorem: eum siquidem satis clare, & de se, & iuxta omnium discipulorum eius interpretationem locutum, & intelligimus, & sectamur. Nobis igitur relinquendus ab aduersarijs erit Angelicus Præceptor, quibus mysteria eius, & nosse, & eo modo scrutari datum est. Quod si staminea tunica alba, & nigrum pallium, & bardo cucullus ad eum interpretandum claues intelligentiæ donent, eius sane indumenti omnium sapientissimi homines ad ita nobis, non nisi vestigiis eorum insistendo, ingredientibus referarunt: quamquam non facile assequor, qui vestium habitus, qui Monachum, vt aiunt, non facit, certa adeo lege faciat interpretem?

2. Signum discipulatus S. Th. secundum, & maximum ab eodem Ioanne à S. Th. ibidem præscriptum (& in quod tertium, & quartum recidunt tandem) est *affectus ipse ad D. Thomæ doctrinam, ac conatus ac labor in defendendo, ac ampliando.* Monet vero huic non obesse, *si quando ex infirmitate propria, ac profunditate difficultatum non plane intelligatur, aut etiam deseratur.* Hoc autem ipsum nobis sanctiss. Patriarcha noster Ignatius 4. p. constitut. c. 14. satis insinuauit: dum nostris ad Theologicam suppellectilem parandam, & Sacra Biblia & S. Th. Doctrinam legendam præstituit. Ex inde vero congregatio 5. general. can. 41. vti constitutionibus nostris satis insinuatum, statuit S. Th. à nostris Theologis Professoribus auide, & laudandum, & sequendum, neque vbi (si quando ita videatur oppportunius) sine reuerentia relinquendum; arcendosque à lectura, qui non bene in eius doctrinam animati comprehendantur. Et can. 56. proprius scholæ nostræ Doctor S. Thomas instituitur. Et si moderamen doctum à Ioanne à S. Th. adhibitum statim subiungatur. *Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere Professores intelligantur, vt nulla prorsus in re ab eo recedere liceat: cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur aliquando ab eo recedant:* Nec sine gloria, vt de Mag. Victoria Melchior aiebat can. 12. de locis. *Maiorem eo iudicio laudem dissentiendo, quam si assentiretur consequutum: tanta erat in dissentiendo reuerentia?* Et sane nostram hac in parte sententiam, vel eo in primis docendam

cendam nostris Professoribus mandauit reuerendissimus noster Claudius Aquauiua epist. Data Romæ 14. Decemb. anno 1613. quia Sanctis Augustino, & Thomæ magis consentanea est visa. Quomodo autem iussa nostri rei Theologicæ Proceres, & duces capesserint paucis videamus. Molina primitiuæ concordiæ præfatione ad lectorem. D. Th. veluti theologiæ solem, ac ducem sequi profitetur. Et 1.p.q.23.art.4.& 5.d.1.n.10. *D. Tho. iudicium tanti facio, & doctrinam, vt tunc me securius pedem figere arbitrer, cum illum consentientem comperio.* Legat, qui volet Molinæ eius operis init. ad Philip. 2. nuncupatoriam Epistolam, vbi de S. Thoma, eiusque doctrina amplissimum, si quod aliud, elogium reperiet. Legat & nostrum Valent. t. 1. in 1. p. præfat. ad lectorem, vbi & aliud inueniet nulli secundum. Legat Vasquez etiam nostrum t. 1. p. 1. d. 3. c. 4. n. 7. vbi *S. Thom. sententiam merito ab omnibus theologis sufficiendam: eosque, qui ei contra dicunt, veritatis cognoscendæ viam sibi ipsis præcludere dubium non esse* ait. Legat Franciscum Soarium t. 1. de grat. prologom 6. c. 6. n. 28. nihilque ad S. Thom. eiusque doctrinæ laudem magè desiderabit splendidum. Legat P. Fonsecam tom. 1. metaphysicor. admonitio ad lect. Legat & societatis scriptores reliquos, quorum præ multitudine longus hic, & importunus texeretur elenchus, vbi nisi S. Doctorem, eiusque sapientiam ingentibus laudibus efferentes seque, & libros suos ex eius discipulatu volentes in primis commendatos: quod non, nisi stupidi homines præstarent, qui vel animo, vel effectu ab eius doctrina discederent, & hæc nostri omnium impensissimum studium, & ampliandi S. Doctoris doctrinam indefessum laborem (quia signi huius discipulatus S. Thomæ altera pars est) satis produnt.

3. Sed studij & laboris huius nostri adest aliud notissimum, & euidentissimum (quod iam diu obseruabam) argumentum, notauitque ex parte nostra Flandrobelgica prouincia lib. 3. imaginis primi secul. c. 2. sub finem his verbis *theologis nostris admittentibus perfectum est, vt ordo ille admirabilis, ac diuinus, quem inuenit, sibique inscribenda summa theologia præfixit S. Thomas ab Academiis plerisque, ita sit receptus vt, misso Magistro sententiarum, aliaque minus didactica tractandi methodo, huic vni insistant. Louanienses, vt id facerent Author præcipuus fuit Bellarminus. Alij præterea pluribus in locis Doctores Academici, vel exemplum nostrum in hac re, vel consilium secuti.* Adde Academiam Duacensem Louaniensis filiam non posse non eius methodi sectandæ Bellarminum tandem authorem recognoscere. Ingolstadium eam scribendi methodum Valentia primus inuexit; atque ex eo, & nostris in Pragensem, Herbipolensem Colonienses, & reliquas catholicas Germaniæ vrbes, quæ nostris Professoribus theologis vtuntur) inducta est. Parisiis primus Ioannes Mariana ingenio, & eruditione nobilis, ea methodo est vsus Compluti doctor Alphonsus Deza magnus Magistrorum, & scriptorum Parens, qui postquam Franciscanis Patribus laicus Scotum summo ingenij acumine interpretatus publicè fuit, societatem ingressus ad partum S. Th. interpretationem ea felicitate se dedit, vt eius doctrinam mirifice illustrarit, & sua (quæ maxima erat) authoritate confirmarit. Eadem præstitit Vallisoleti noster Ioann. Martinæ Soarij, & Valentiæ Magister Salmanticæ eandem legendi normam noster Michaël Marcus se legit, vt iuxta Angelici præceptoris. Sexiem eius doctrinam publicè interpretarerur, ac de suo etiam penu firmaret. Eo enim vsque è Salmanticensibus Dominicanis Proceribus theologis, nemo S. Doctorem interpretari, eiusve methodo docere curauerat. Nec ille magnus Thomisticæ doctrinæ instaurator Magister Victoria vtriusque Soti, Cani, & Mancij Magister; sed alij Magistrum sententiarum interpretabantur, vt Dominicus Sotus, vel alia sibi opera scribenda præstituere vt Petrus de Soto, & Canus. Nostri ergo, cum nemo externus, vixque è Dominicanis aliquis (præter Caietanum, qui nuper non tam iustum commentarium, quam breuia, & si ingeniosa, scholea sine post illam summæ S. Th. Theologicæ adiecerat) S. Doctoris methodum in lecturis, & scriptis secutus nedum eius interpretationem, exorsus fuerat, id studij, & laboris aggressi, magna tanti Doctoris gloria omnium Academiarum professores suo hortatu, & exemplo in eam scribendi methodum trahentes S. Thomæ interpretes fecerunt. Videant Dominicani Patres quale, quantumque nostrorum Iesuitarum in S. Th. studium fuerit: siquidem, quod vix ab vno, vel altero ex suis, tot sæculis Angelicus Doctor obtinuit, non solum à cunctis nostris Theologis, qui è laboratissimis commentariis in ipsius summum Bibliothecas opplent, sed eorundem labore, hortatu, & exemplo à reliquis Theologis (quod vltra suorum vota, & saltem modestam spem iure videretur) eius interpretationi vbi vis catholicorum insudetur.

4. Neque vero nostrorum laboribus id solum effectum est, vt Theologi, ab Scotistis, reliqui S. Thomæ methodo, & interpretationi incumbant: Sed eius doctrinam adeo stricta lege, & professione sequantur: vt verbo, & scripto eius authoritatibus sententias suas in primis confirment, & si quæ aduersum aliquid sonent, doctis, subtilibusque interpretationibus conciliare, quasi ex præscripto tenerentur. Vtque id totum nostrorum exemplo, quibus in tantum Doctorem pius amor id oneris primum iniunxit, obtentum esse clarescat, euolui priscorum libros imprimis oportebit: ex quibus nullus inuenietur, qui ad alterius sententiam confutandum S. Th. authoritatibus vtatur: quarum ad eam rem vsus intra septa, & gymnasia Dominicana claudebatur, quousque societatis nostræ scholæ apertæ, ac libri editi sunt, qui vniuersim id genus argumentorum familiare scholis fecerunt. Opportebit secundo statum ante id temporis doctrinæ S. Th. paucis exponere. Etenim apud Parisiensem scholam S. Th. antea bonus quidem author habebatur; sed nil præterea iuris sibi vindicebat, partes præcipuas ibi habentibus Durando, qui totus à S. Th. diuersus erat, & magno plausu ad sæculum vsque proximum à Parisiensibus colebatur. Nec minus doctrinæ Thomisticæ infensi Nominales, qui è Franciscanis, & schola Scoti orti, non ignobiles Dominicanos etiam Magistros (in quibus Rupertus Holcoth) in suas partes pertraxerere ea doctrinæ, & ingenij laude, vt eius sectæ author Okam Parisiis primum, & vbiuis inde *venerabilis inceptor* fuerit proclamatus. Germani vero, & Belgæ ea tempestate ad fidei controuersias intenti rem scholasticam magnopere curabant, sed sacræ scripturæ, & Patrum, & prophanæ linguarum eruditioni, quæ illis (vt tempus, & occasio ferebant) ex potiori vsu esse poterat, incumbentes scholasticam S. Th. latinitatem horrebant maximè, cum eam ab hæreticis, quibus cum futura illis res erat, non modo negligi viderent, sed irrideri. Vulgatissimum quippe illud Lutheri habebant: qui è litterario cum rei scolasticæ peritissimo Caietano congressu tunc dixit, *Nihil* mirum, *se in Caietano inuenisse præter notam quandam grammaticam, & allegationes ex cap. firmiter de summ. trinit.* Neque apud Italos maiori in præmio doctrina S. Thom. habebatur. Cum enim nobilis è societate concionator Hispanus Neapolim aduentaret, atque ex Hispaniæ more, & in S. Thomam amore, sancti huius doctoris authoritatibus in suggestu vteretur, à nostro Salmeronio tunc ea in vrbe celeberrimo, & S. Th. doctrinæ (vti scripta eius testantur) addictissimo, nihilominus est admonitus crebris S. Thom. citationibus in suggesta abstineret: quoniam illo & tempore, & plaga, etsi immerito S. Thomæ frequentes allegationes minus longè, quam deberent plausus conciliarent. Adeo apud ceteras nationes res Thomistista eo sæculo iacebat. Sed neque in Hispania eius status erectior, & fortunatior. Animis siquidem ad arma, & Sarracenorum expulsionem per tot annos euocatis, non aliorum facultatum modo, sed vel latinitatis ignorantia Hispaniæ etiam Academiæ tenebantur. Pauculique neque admodum insignes. Nominales è Gallia, quasi cleemosynæ loco, dati Hispanis non multis prælegebant: quare cum eminentissimus Cardinalis Franciscus Ximenius insigni Complutensis Academiæ à se magnificæ structæ decoris Theologiæ Magistris vellet prouidere: quos in Hispania non reperit, eos è Parisiensi Academia & Nominalium præcipuè secta, multo honore, & mercede conductos neque exiguis ad viam sumptibus, Complutum adducere coactus est. Nec multum temporis abiit, ex quo, qui eos ex lecturis, conuersatione, & nominibus norunt, multaque proinde de illis, nobis etiam narrabant fato concesserunt.

5 Verum

5. Verum quidem est Salmanticæ, non ita ante aperta gymnasia nostra pridem, ingenio acrem, & profundum virum Magistrum Franciscum Victoriam Dominicanum iacentem doctrinam Thomisticam erexisse. Eius subinde discipuli, & in Cathedris Salmantinis, quibus potiebantur Dominicani, successores viri, pro ea tempestate (qua qui sciebat solum scire totum dicebatur) satis docti Sancti Thomæ nomen, & gloriam auxere. Sed nondum is ei honos eiusque doctrinæ alicubi Academiarum deferebatur, qui hactenus scripturæ conciliorum, & Magnorum Ecclæ Patrum proprius fuerat: vt scilicet eius, authoritatibus, tanquam firmis fundamentis, Theologi vterentur: & quibus respondere, quibus possent, aptis interpretationibus, alij in disputationibus, fere ex iure, deberent. Primus autem S. Th. testimoniis ad suas vniuersim sententias confirmandas, ac sono aduersantium interpretationibus vsus apud Germanos fuit, Petrus Canisius tantæ doctrinæ authoritatis, & Sanctimoniæ vir, vt eius scripta ipsis hæreticis in veneratione fuerint. Postea exactius adhuc, & generalius totis suis commentariis idem præstitit Valentia: apud Belgas, Bellarminus, Patiensibus Mariana, Franciscus ille Toletus, & Maldonatus magnum vterque fidei, & Ecclesiæ columen: qui, licet de more illius Academiæ Magistri sententiarum methodo legerent S. verò Thomæ sententias docebant, & illius trahant. Michael Marcus, & Ioannes Martinez Pincianis & Salmantinis, Molina, & Soarius Lusitanis. Alphonsus Deza & Vasquez Complutensibus. Alijque aliis, vti ex eorum innumerabilibus commentariis in D. Thom. patet: quorum exemplum, cum incommentando, tum in S. Thoma defendendo reliqui etiam Dominicani sunt secuti: æquale ne aliud nostro in S. Thomam eiusque doctrinam amplificandam studium Dominicani Patres ostendent?

6. Sed quintum veri discipulatus S. Thomæ signum notat idem author inferius: illudque est. *Maior vnitas, & concordia insequenda doctrina D. Thomæ.* Cuius rationem reddit inferius, & concludit. *Quare vbi maior est vnio insequenda doctrina D. Thom. ibi, maior est dispositio ad assequendam veritatem: & sic ibi apertius est signum sincerioris discipulatus S. Th.* Sed enim vt vidimus toto certam. 2. nostrorum cum antiquis omnibus, certoque discipulis S. Thom. ea concordia est, qua nequeat excogitari maior, atque cum Doctore Sancto non minor, vt constat ex cert. 1. siquidem, non in sententia solum, sed & in verbis ipsis cum illis conuenimus: vt non minori violentia illi in aduersum sensum pertrahi posse videantur, quam nos ipsi patiamur adduci. Sed voluit tamen Ioannes à S. Thom. vnionem hanc maiorem, vel minorem circa S. Th. intelligentiam in eis tantum considerari, qui in præsenti materia, & pauculis aliis partes ducunt aduersas: nimirum inter Thomistas, seu Dominicanos recentiores, & Iesuitas nostros: & quamquam, ita intellectum (quin de ptiscis S. Thom. discipulis in ea vnionis, & concordiæ comparatione sit ratio habenda) hoc signum primo illi certissimo contradicat, & alias sit, non inefficax solum, sed reprobum veri discipulatus S. Th. argumentum; in eo tamen Iesuitas Dominicanis recentioribus valde præstare facillime ostendemus. Et primo quidem argumenti eius vitium, vel inde claret: quod facile possit recentibus scholæ cuiusvis sententia aliqua, quæ suo duci in mentem non venerit, imo, quam ipse fuerit auersatus, conuenire, eandemque ipsi ab eis absque fundamento attribui contra antiquorum omnium eius interpretum intelligentiam: an ex hac recentium ipsum interpretandi concordia vera illius intelligentia, & schola dignoscetur? Id autem Recentioribus Thomistis in præsenti materia contigisse facile comperiet, qui eorum antesignani Bannez expressas contradictorias propositionibus S. Thomæ animaduertat cæteris eius sectæ Dominicanis Recentioribus annuentibus S. Thom. in 1. d. 38. ait, *effectus contingentes in causis, qua se ad vtrumque habent nullam habere certitudinem: quare in his nullo modo cognosci posse.* Et 1. part. quæst. 14. art. 13. corpor. *effectus contingentes in causa non attingi.* Bannez concul. 3. commentar. ait: *Deum cognoscere futura contingentia in suis causis, sed determinatis, & completis:* quasi de incompletis, de quibus nulla apud cordatum Theologum quæstio esse poterat, S. Thom. loqueretur, cum id allegat de causa ad vtrumvis potente absolute: & tamen incompleta causa ad neutrum absolute possit S. Thom quæst. 23. artic. 7. teste Caietano, §. *quod primum. Plura esse Deo certa præcognoscitiue qua non præfinitiue ait*, oppositum Bannez comment. §. *Ad 4. argum.* S. Th. 1. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3. asserit, *determinari à se directe, & à diabolo per modum suadentis voluntatem humanam ad malum consilium*, Bannez 1. par. quæst. 23. art. 3. dub. 2. §. *Sed hac doctrina* ait, *Parum Catholice dici voluntatem se determinare ad bene, vel male operandum: quia ad omnia à Deo determinatur.* Et consone quidem id à se præiacto principio citat. quæst. 14. art. 13. §. *Hactenus explicuimus*: scilicet, *ita à causa prima omnes secundu ad suos effectus determinari, vt nulla causa secunda possit exire ab eius determinatione.* Et quæst. 19. artic. 8. §. *Sed antequam.* Iterum, *Deum omnes causas determinare, & modificare ad suos effectus*, ac subinde: *causam modificatam ab alia superiore non determinare seipsam;* Contra vero S. Th. in 2. d. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3. ait, *determinationem actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constitutam esse: vnde remanet illi Dominium sui actus*, quæst. 1. de pot. art. 4. ad 3. *Dicendum: quod, licet causa prima maxime influat in effectum; tamen eius influentia per causam proximam determinatur*, quibus similia 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. q. 10. art. 4. ad 3. & alibi pluries vt cert. 1. vidimus. Illud tamen omittendum hic non est ex 2. sententiar. d. 39. corpor. *ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed, quod determinate exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Obstinato docet Bannez 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 2. docum. 3. *Cum æquali Dei auxilio, quo Deus misericorditer cor hominis excitat, & præparat, non stare, vnum conari magis, vel minus, quam alterum*, in quo contradicit S. Th. 3. p. qu. 69. art. 8. ad 2. aienti, [Dicendum: quod hoc, quod in baptizatis maior, vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere, vno modo: quia vnus in baptismo percipit maiorem gratiam, quam alius. Alio modo: quia, etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea vruntur: sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.] Et in 25. Matth. ad id, *vnicuique secundum propriam virtutem*, inquit, *si autem quæras quare vnus magis habeat de gratia, quam alius. Dico, quod huius rei est causa proxima & prima. Proxima est maior conatus istius, quam illius: causa prima est electio diuina.* An eius, qui ita aperte S. Doctori contradicit, & eorum, qui in principio earum omnium contradictorium, scilicet prædeterminatiuis præfinitionibus, & physicis prædeterminationibus, ac obinde in eisdem propositionibus cum Bannez conueniunt, & tanquam ducem iurato sectantur, concordia verum S. Th. discipulatum demonstrabit, nonne potius nostrorum, qui cum S. Th. illud execrantur Principium, ac memoratas omnes eius consectarias propositiones facillime tuentur imò illum euidenter ostendent?

7. Sed tamen misso euidentissimo argumento illac eamus, qua nos Ioan. à S. Th. duci desiderat: demusque conuenientiam maiorem Doctorum recentium alterius è duabus sectæ circa S. Th. intelligentiam (nulla siue testimoniorum eius, siue antiquorum discipulorum, & interpretum ipsius habita ratione) veri discipulatus S. Th. maius esse argumentis: ostendamusque eo etiã, quali, quali argumenti genere Dominicanos Recentiores à nostris superari. Tanta enim est Recentium Dominicanorum in re præsenti, eiusque consectariis opinionum diuersitas, alio rumque contra alios pugna, & rixa iamdiu à nostris, & sumatim à R. P. Fr. Petro à S. Iosepho in defens. S. Th. d. 2. sect. 10. n. 1. circa finem notata, vt nec cum veritate, verave S. Th. intelligentia conuenire queat. Certa siquidem dignaque Ciceronе in simili Philosophorum diuersitate sententia est. In tanta opinionum varietate, *alterum fieri profecto potest, vt earum nulla, alterum certe non potest, vt plus vna vera sit.* Incipiamus à conditionatorum scientia: quam solum coniecturalem primos illos huius sectæ Dominicanos duces admisisse ostendimus d. 4. de Sciẽtia q. 1. cert. 1. Ex iis vero, qui certã eorũ scientiã Deo negare non audebant, decreta illa subiectiue, siue ex parte actus absoluta, & obiectiue, seu ex parte obiecti cõditionata cõmenti aliqui sunt; aliis nihilominus ex eorum etiam sociis, tanquam chimærica, & inania reiicientibus, ridentibus, & exsibilantibus, vt vidimus d. 5. quæst. 2. Physicas prædeterminationes, ac

ſubinde præfinitiones noſtrarum actionum prædeterminatiuas (de quibus agimus) Magiſtri ipſorum nobiliſſimi Ioannes Conzalez Albelda, Victoria, Sotus vterque, Mancius, Ioan. Vincentius, Arauſo, Laurentius Gutierrez Ioãnes de Neapoli Biedma & memorati ſupra plures fuerunt pertæſi. Sed, quia o binde Thomiſtarũ purorum cœtu, confraternitateque expunguntur, ex coctorum ferreorum iudicio ad purum Thomiſtarum ea in re conuenientiam inſpiciamus. Quidam enim ex illis prædeterminatiuas præfinitiones, ac præmotiones phyſicas ad omnes noſtras actiones, etiam prauas, acerrime tuentur. Contra verò ex iiſdem alij illas ad eas ſolum, quæ vel honeſtæ, vel indifferentes, ſi quæ ſint, actiones noſtras admittunt; ad prauas autem negant, tanto in primos illas aſſerentes ſtomacho, vt illos impietatis, blaſphemiæ, aliiſque cenſuris proſcindant. Et hi quidem in Deum, alij verò in conſequentiam religioſiores vt clarebit qu. vlt. & alij vniuerſim phyſicas prædeterminationes, earumque ſubinde decreta, reiectant, ſolis moralibus admiſſis. Videat nunc ſigni huius quinti præſcriptor qualis, quantaque ſit, vel Recentiorum ſuorum Thomiſtarum in S. Thoma interpretando concordia: eorum ſiquidem quivis diſputationem ſuam crebris minutiſſimis, etiam lineatim, S. Thomæ allegationibus magnam tranſigit partem. Et, ſane cunctis Angelicus Præceptor fauere non poteſt, quin toties ſibi (quod dictu nefas eſt) contradicat, quoties Thomiſtæ hi alij aliis, vt vidimus repugnat.

8. Contra verò noſtrorum ea in re, & aliis, in quibus veritatis, & doctrinæ S. Thomæ tuendæ gratiæ à recentibus hiſce diſcedunt, concordiam quis non videat? Nemo inuenitur, qui certam Deo conditionatorum contingentium ſcientiam denegarit. Nemo, qui, vel conditionata illa ad ipſorum pro eo ſtatu conſiſtentiam, vel ſcientiam eorum diuinã ad fui infallibilitatem decretis ex parte ſubiecti abſolutis, & conditionatis ex parte obiecti opus habere defendat. Nemo item qui noſtrarũ actionum liberarum prædeterminatiuas, præfinitiones ab arbitrij noſtri libero vſu omnino independentes, ac prædeterminationes phyſicas non fuerit exoſus. Nemo tandem, qui ad has, ſiue ſcientiæ mediæ, ac non intrinſecæ gratiæ, & neceſſario præcedentis prædeſtinationis, ſeu miſericordis voluntatis diuinæ efficaciæ concluſiones S. Thomæ teſtimoniis ſincera, eademque facili aperta interpretatione non vtatur. Ergo ex quinto hoc ſigno, etiam, vt eius præſcriptor intelligi voluit, verus S. Th. diſcipulatus, atque adeo vera ſchola Thomiſtica in Ieſuitis, non autem in Dominicanis recentibus extat. Sed enim nonnullam noſtrorum diuerſitatem in auxiliorum efficacia, & in actus influxu explicandis aduerſarij notant. Ea tamen eſt, quæ ad controuerſiæ cum Thomiſtis recentibus punctum nõ ſpectet. Eiuſmodi eſt Molinam, Bellarminum, & Leſſium gratiæ auxilianti phyſicum influxum, & efficientiam in actum concedere; Vaſquez verò, & Soar. ſolum intentionalem. Illa item quod Molina, & Leſſius nullam illi in actu primo efficaciam tribuant, ſed ab ipſo abſoluto conſenſu efficacem æſtimant; aliqua verò ratione eam in actu etiam primo illi deferant Bellarminus, Valentia, Vaſquez, Soarez, & poſt noſtri Reuerendiſſ. Præpoſiti Generalis Claudij Aquaviuæ præſcriptum omnes. Neque ij tamen eodem prorſus modo: ex eis enim alij à ſcientia ipſa conditionata efficacem dici vocationem cenſent. Alij verò à conditionato ſub illa futuro, quibus, & nos annuimus: Verum hæ omnes diuerſitates extra punctum controuerſiæ cum Dominicanis recentibus ſunt: cum omnes in eo conueniant, quod auxiliorum efficacia infallibilis intrinſeca illis non ſit, neque proinde ex parte actus primi cauſalitate conſenſum formaliter realiter præcedat; ſed ſolum materialiter: quatenus auxilium, quod efficax aliunde, quam à ſeipſo, efficax ab extrinſeco vſu noſtræ voluntatis denominatiue ſolum eſt, in actu primo conſenſum præcedit. Volunt autem alij ante abſolutum conſenſum à conditionato ſolum eam efficaciæ denominationem ſufficienter deſumi: quare & efficaciam ipſam eo prioritatis genere, quo conſenſus conditionatus abſoluto præcedit, ad hunc ipſum præcedere, ſcilicet prioritate maioris vniuerſalitatis: quo etiam pacto ſolum præcedere docent, qui eam efficaciam à ſcientia conditionata deſumunt: quanquam, vt dixi, & ſi hæc auxilij efficacis donationem, & auxilium ex ea donatum maius quid in ratione gratiæ, & beneficij conſtituat; nihil tamen illi efficaciæ (ſeu, vt ſic loquar) effecturitionis confert: quæ ſatis, ſuperque ab eius obiecto, ſcilicet conditionato conſenſu, quod ſupponit, tributum illi non ſit: eodemque modo tribueretur, etſi non ex ea ſcientia, & conſilio; ſed caſu auxilium illud homini tribueretur.

6. Ideo ab efficacis auxilij conſtitutione ſcientiam mediam ſecludunt, ſolamque conditionatam futuritionem merito aduocant, Herize tr. de Scient. d. 7. c. 3. & 16. Meratius tom. 2. tr. de grat. d. 6. ſect. 7. ſent. 5. Ioan. Phelippeus t. 1. in Oſeam c. 2. verſu 14. n. 12. Maſcareñas de auxil. d. 3, p. 4. n. 1. Fr. Petrus à S. Ioſeph. d. 7. de grat. ſect. 9. Andreas Duuallius Doct. Sorbonic. to. 1. & in 1. 2. tr. de hum. actionib. q. 3. de lib. arbitr. tit. *quomodo gratia*, ad 3. arg. Neque alios ex noſtris (præter Didacum de Alarcon) qui pro conſtitutione efficaciæ auxiliorum in actu primo explicato ad ſcientiam mediam recurrere videtur) præfatæ conſtitutioni, à futuritione conditionata ſolum abnuere reor. Siquidem ad certitudinem obiectiuam, ſiue neceſſitatem eſſendi conſenſum abſolute purificata conditione, ſub qua futurus conditionate erat, & in potentiam conſequentem non eſſendi poſita conditione, ſub qua conditionate præuiſus eſt futurus, tandem recurrunt, vt videre eſt in Valq. t. 1. p. 1. d. 98. c. 8. n. 50. Soar. lib. 2. de Sciẽt. condition. n. 65. Tannero t. 2. d. 6. de grat. q. 2. dub. 6. & aliis. Nec tandem ipſa Molin. & Leſſ. ſic explicitæ efficaciæ in actu primo repugnant: cum mediorum certitudinem, ſeu firmitatem, cui prædeſtinationis certitudo innititur, inſcientiã tãdem mediam, & conditionatã obiecti futuritionem ſub conditione auxilij, quod prædeſtinatio de facto abſolute ponit, tandem refundant, vt videre eſt in Molinæ concordia q. 14. a. 13. d. 12. §. *Eſt autem*, d. 50. §. *Tripliciter ſcientiam*, & q. 23. d. 1. m. 9. concl. 2. & m. vlt. §. *Quantum eſt quod*. Vnde, ne in iis quidẽ, quæ extra punctum controuerſiæ cum Dominicanis recentibus ſunt, vllam re ipſa in hiſce rebus diuerſitatem eſſe perſpicuum eſt: vt appareat quam inaniter Ledeſma de auxil. definit. 2. affini concl. 5. §. *Tertio probatur*, & Zumel t. 2. opuſc. concl. 6. to. *Animaduerſio pro nobis*, noſtrorũ in materia præſenti diſſidia clament, quæ fingunt quia fortaſſis rem non penetrant: ſed horum tamen non cũ aliis, ſed vniuſcuiuſque ſecum apertas pugnas inferius notabimus: interim tamen accipe quæ de Zumel iſto erudite obſeruat Faſſolus noſter 1. p. to. 2. q. 14. ar. 13. d. 9. n. 110. *Solemne*, inquit, *huic ſcriptori eſt, nunc noſtris, nunc aduerſariorũ ſententiis, prope modũ verba ipſa deſcribẽdo adhærere.*

10. Verum quoad rem ipſam ſuis nonnullos ex noſtris referunt in re præſenti adhærere. Aluar. 1. reſponſion. c. 1. n. 25. ait: Henr. lib. vlt. de fine homin. c. 4. n. 2. docuiſſe Deũ in conditionali, quod habet decreto noſſe quid homo in tali rerum periſthaſi faceret, Et c. 6. n. 2. ait, docere ité humanos actus abſque libertatis diſpendio à Deo præfiniri, ac prædeterminari. Repetit. 7. reſpõſion. c. 1. n. 9. Addit Ledeſma ita eum pro ſua ſtare opinione, vt aduerſos acriter reprehendat. Verum (præter de eo, & Pererio dandaq. 7. cert. 15.) etſi ita fuſe pro aduerſariorum ſententia diſcurrat, vt deceptionis anſam auide quærentibus neque ita intente legentibus præbere poſſit; neutrum tamen, ſed vtrique potius oppoſitum eo c. 4. verſ. 2. docuit aiens. *Nouit enim Deus præparare voluntatem noſtram, ac munire vt, tantis, talibuſque auxiliis, & cauſarum concurſu, & conditionibus, vt infallibile ſit ſcientia diuina ſecuturum eſſe actum prædefinitum & liberum.* Vbi inprimis phyſice prædeterminatiuas præfinitiones reiectat: cum coniunctũ cauſarum, & circunſtantiam deſigner, neque illas ſolas ad cõſenſus, ſeu effectus conſecutionem, & de eo ſcientiæ (vtique conditionatæ) infallibilitatem, cui abſolutæ omnino præfinitionis, & actus ſubinde præfiniti certitudo innitatur: quod ſi de ſcientia non conditionata formaliter, ſed priori alia naturali loquatur propenſionis volũtatis creatæ, & cumuli auxiliorum totius, quem in ſua omnipotentia cohiber, & cui cõiunctim creata volũtas reſiſtere nequeat, etſi omnibus diuiſim valeat, reſiſtere, eamque ſolam naturalem ſcientiam præfinitioni (quam erga omnes actus noſtros non prauos admittit) cenſeat præcedere (vt ibi & c. 6. in gloſſa lit. L. & n. 4. & in gloſſa lit. X & c. 5. n. 6. & in gloſſa lit. B. & c. 14. num. 8. docere videtur) ſcientiam verò conditionatam contingentis conditionati præfinitionem huius in hypotheſi cum reliquis conditionibus ſupponere, ipſique innixi (vt clarè docet eo capite quarto, num. 2.

num. 2. & c. 6. n. 4. & in glossa lit. X.) nihil tamen docet, quod Thomistarum sententiæ, siue de physicis prædeterminationibus, siue de præfinitionibus de se efficacibus faueat. Ij enim non in cumulo auxiliorum contingentis certam futuritionem, & scientiam, atque præfinitionis suæ infallibilitatem, siue infrustrabilitatem collocant; sed in intrinseca entitate cuiusque auxilij efficacis, seu prædeterminationis physicæ; eamque siue præfinitionem, siue scientiam contingentis impediri à voluntate nostra posse negant; Henriquez vero non in cuiusque auxilij entitate, sed in eorum cumulo præfinitionum suarum infrustrabilitatem, & scientiæ illius, qua regulantur infallibilitatem ponit: ac insuper impediri à nostra voluntate præfinitiones suas posse, ne fuerint, docet cap. 6. idque facilius percipi, quam posse impediri diuinam contingentium nostrorum scientiam: quam tamen impediri posse, ne fuerit, docet ibi n. 7. & in glossa lit. X. firmat authoritate Scoti, Vegæ, Cordubæ, Gabrielis Okami, Richardi, & S. Bonauent. Quatenus vero è nostris præfinitoribus Suaristis non obstante intrinseca auxiliorum indifferentia in suis hisce præfinitionibus, & scientia, qua per ipsum regulantur, Henriquez, vel discreper, vel conueniat, Controuers. de Dei volunt. d. de præfinitionibus suauioribus videbimus.

11. Stat ergo firmum, & certum Henriquez, tam eo cap. 1. quam toto illo lib. vlt. de fine homin. solas præfinitiones diuinas nostrarum non prauarum operationum per scientiam illam præfatam regulatas admisisse; quas tamen aliquando motionem Dei actuam, quandoque determinationem, nec semel prædeterminationes appellat. Nec mirum illum eis tunc vocibus vti, quibus postea aduersarij, vel abusi fuerint, vel decepti, vt eum in suis castris numerarent. Siquidem illum suum librum, quem multis retro annis composuerat typis dimisit anno 1593. integro scilicet, vt minimum, anno ante ortam nostrorum cum Dominicanis controuersiam de scientia media, & auxiliorum efficacia occasione conclusionum eis de rebus habitarum Vallisoleti anno 1594. Ex tunc autem valde Dominicanæ doctrinæ aduersabatur. Nam de præfinitionibus ex parte obiecti conditionatis hæc habet ad eius numeri finem. [Nec vlla ratio, aut authoritas cogit dicere, quod Deus actu libero prædefiniuit omnia futura conditionalia: nempe, quis effectus, aut qualis operatio sequeretur, si in tali, aut alio statu, aut concursu circumstantiarum constitueretur: Nam hic actus in Deo videtur otiosus, & nihil facit ad rerum productionem, conseruationemque, aut decorem vniuersi] Addenda eiusdem sententia c. 14. n. 9. [Si quis consideret speculatiuè duos homines omnino æquales in naturalibus bonis, in habitus, & causarum concursu, & eos moueri auxilio omnino æquali ex parte obiecti, & potentiæ: non videtur implicare ex natura rei, vt vnus cooperetur, & conuertatur, altero non conuerso.] Quod tamen ex natura efficaciæ intrinsecæ auxiliorum, etiam inæqualibus, ne dum in omnino æqualibus, repugnat, aduersariis fatentibus, subditque: [auxilium eius, qui conuertitur, solum esse maius moraliter auxilio alterius, qui non conuertitur.] Frigidius adhuc Zumel t. 1. opusc. d. 5. sect. 1. §. *Adducuntur pro nobis*. Refert pro se nostrum Eminentissimum Toletum in c. 6. Ioan. annot. 21. in id. *Nisi Pater, qui misit me traxerit eum*. Vbi tractione bene explicari gratiæ efficaciam ait, qua non vi, aut necessitate trahimur, & in c. 17. ad id *quos dedisti mihi ego custodiui*. Ait Iudam potuisse non peccare, si vellet, quia ad non peccandum auxilium habuit sufficiens, & ideo etiam reliquos peccare, quia volunt, cum possent vitare peccata. Sed certè, cum in contraria sententia necessitas veniendi ad Deum præfinitione, & prædeterminatione inducatur absolutè, neque cum illis potentia ad oppositum saluetur, ac subinde, neque in non prædeterminato auxilium sufficiens. Ex his solum locis ego nostra sententia stare Toletum satis deduceretur. Sed expressior adhuc est annot. 18. in c. 10. Lucæ ad id. [in Tyro, & Sidone, vbi habet. Nota quarto: Deum quibusdam talia dare auxilia, quæ, si aliis daret etiam magis peccantibus, vtique conuerterentur; & tamen illi, quibus dantur non conuertuntur.] Nequirent autem illi conuerti de facto absque efficaci auxilio; neque isti non conuerti, si intrinseca illi, efficacia aduersariorum esset. [Petgit sæpè enim fit, vt Deo vocanti vnus consentiat, alter non, arbitrij libertate: quod, sicut, cum Dei auxilio operari potest, ita & eidem refragari, & resistere valet.] Et commentario proprio manuscripto l. 2. quæst. 109. art. 7. fine docet [In potestate hominis esse, vt auxilium à Deo datum sit efficax, aut sufficiens tantum.]

12. Camerarius apud Eugenium Philadelphum exercit. scholast. tripartita appendice ad ipsum physicam prædeterminationem tribuit nostro Benedicto Pererio ob huius verba 8. Physicor. cap. 8. [Verum esse, atque iuxta D. Thomæ mentem voluntatem nostram à Deo moueri, applicari, & determinare ad volendum.] Sed hæc satis laluarentur de motione, applicatione, & determinatione ad volendum bonum in communi, vt ex S. Thom. suprà retulimus, & explicuimus. Hunc autem, vel aliunde determinatione, & applicatione comitante, ac nullatenus præuia, nisi quatenus dicit prioritatem concursus diuini maioris vniuersalitatis, & voluntatis in essendo, & operando dependentiam à causa prima c. 9. explicuit Pererius scribens. [Voluntatem à seipsa determinari; alioqui nihil laudabiliter, aut demeritorie operaturam. Si enim voluntas ita moueretur à Deo, vt ipsa se nullo modo moueret, & ad agendum determinaret, omnis profecto meriti, & demeriti, & libertatis ratio funditus tolleretur. Sed, quia Deus, sic eam mouet, vt ipsa nihilominus simul etiam seipsam moueat, & per suam deliberationem se determinet ad agendum hoc, vel aliud quidpiam: ob eam causam appellatur libera.] Postea eius sub ordinationem, & dependentiam in operando nomine applicationis significatam, & à qua libertas causæ creatæ non eximitur, subdit. [Non enim intelligendum est, voluntatem esse liberam omnino ita, vt à nullo pendeat, nullique subiiciatur. Hæc enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus.] Et subinferius vtrumque agens sic discriminat. [Quia adhibitis, positisque omnibus rebus, quæ ad agendum ex parte obiecti requiruntur, ita, vt nihil desit, nihilve obster, agens naturale non potest non agere. At voluntas etiam tunc, potest agere, & non agere, & agere illud, quod ei proponitur vel etiam contrarium.] Consonat eidem doctrinæ lib. 16. in Genes. c. 11. d. 7. n. 95. ad id. *Non desistent à cogitationibus suis*. Ex quo loco pro nobis refertur ab aduersariis; Cabrera, scilicet, t. 3. in p. 3. q. 62. d. 12. §. 7. n. 148. Ledesma de auxil. d. 2. affini de scient. condition. dif. 2. §. *In hac difficultate*. De Patribus Michaële Marco Salmanticæ, & Andrea Martinez Vallisoleti gloriantur aduersarij. Quod suis partibus accesserint. Cæterum Primus solum admisit cum æquali auxilio gratiæ non posse consentire vnum, dissentire alterum; non loquitur autem de æqualitate entitatiua, sed in ratione gratiæ, & beneficij: quod in nostra doctrina certissimum est. Secundus contra physicas prædeterminationes acriter prælegit: Id quod, cum ex eorum Theologicis manuscriptis est certum: tum etiam ex epistola Vallisoleranı Primarij Doctoris Ioan. Garcia Coronel suprà recitata, qui omnes Vallisoletanos, & Salmantinos nostros (in quibus hi duo præcipui tunc Professores erant) physicis prædeterminationibus, ac proinde prædeterminatiuis præfinitionibus per idem tempus repugnare, generatim testatur.

13. Neque aliud euincere potest argumentum Natarrete t. 2. controu. 21. §. 7. illis contentum verbis *velint nolint isti*, Scilicet Molina, Vazq. Soar. & Calent.) *Qui non sequuntur vestigia maiorum suorum, qui in societate Iesu nati, & ad vbera sanctissimi nostri Doctoris Thomæ & Academiarum eius nutriti perpetuo nostræ sententiæ adhæserunt*. Est autem argumentum nostros scholares iuuenes à Dominicanis Professoribus, eorumque Academiis Philosophiam, & Theologiam initio audiisse; ac proinde, & præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas didicisse, quas, cum nostris postea legerent propinarent. Verum vtroque argumentum hoc claudicat pede. Damus libenter ad Societatis initium decem illis primis sanctissimi nostri sociis totidem sapientiæ columnis, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ sustentandæ, atque amplificandæ minimè, vt euentus probauit, imparibus ad societatis inchoantis res statuendas, atque Lutheranorum euertendas, & Principum accitu, & Summi Pontificis iussu distentis, iuuenes nostros à publicis Academiarum

Professoribus audiuisse. An illæ omnes Dominicanis tantùm Professoribus Theologis, vel Thomistis vtebantur? certe neque Salmanticæ, (vbi plurimum potentiæ obtinebant) soli Theologiam docebant. Nam Compluti prævalebant, vt diximus, ea tempestate Nominales; nec quisquam ibi Dominicanus bonæ notæ, imo notus Magister, præter Mancium memoratur, qui inde Salmanticam etiam fuit euocatus. Et Salmanticæ quidem insignis vespertinæ Cathedræ Professor, & Theologiæ Decanus Magister Augustinianus Ioannes de Gueuara prælegebat quo Magistro relati eiusdem sodali Proceres gloriantur. Vix ergo Compluti scholares nostri (vbi tunc nondum fundato Salmanticensi Collegio omnes, & postea nondum satis cõfirmato, & aucto plerique audiebant) Professores Dominicanos, nisi aliquamdiu Mancium, sunt nacti, vt ab eis præfinitionibus, & prædeterminationibus, imbuerentur. Sed & Salmanticæ, etsi Dominicanos Professores audirent, celeberrimum Ioannem de Gueuara nõ omittebant, acerrimum Thomisticarum præfinitionum, & prædeterminationum impugnatorem, qui Alphonso de Mendoza quæstionis 7. scholasticæ contra illas quodlibeticis inferendæ extitit author. Hic ergo & ingenij acumine, & S. Th. eruditione, & qua erat authoritate maxima, satis apud iuuenes nostros vti apud suos destrueret, quod Professores Dominicani ædificare tentarent. Sed esto solos Dominicanos vtrobique scholares nostri audierint. Certe Compluti Magistrum vnum Mancium audirent, qui eas præfinitiones, & prædeterminationes auersabatur Salmanticæ Victoriam forte, vtrumque Sotum, & Mancium, qui easdem in Magistro Bannez reprehendebant. Canus eas (quod sciam) non docuit: nec ipse, nec Bannez à nostris scholasticis audiretur; nisi forte quis credat eos diœteriorum, & probrorum in societatem coniiciendorum, quam Theologiæ, esse discipulos voluisse. Sed demus gratis iuuenes aliquot ex nostris aduersatiorum doctrina (qua velint arte) imbutos fuisse an illi rei nostræ litterariæ maiores habendi sunt, cum iuuenes audirent? an, cum iam Magistri, de suo postea legerunt? Postremum quidem, nil ergo ex eo, duriorum etiam Thomistarum Magisterio euincitur, vt Maiores nostros eiusmodi doctrinam docuisse, atque posteri ab ea recedentes dicantur maiorum vestigia non sequi: cum inter illorum discipulatum, & Magisterium tantum studiorum, & annorum intercesserit, vt possent à suorum Magistrorum sententia ad veriorem, assidua præcipue S. Thom. lectione qui adeo clare vbivis loquitur, resipiscere.

14. Et sane ita euenisse (si forte decepti iuuenes fuere) & constat ex dictis, & ex diuturno tempore, quo primi nostri Professores Theologi docuerunt. Nam Doctor Andreas Martinez Vallisoleti triginta fere totos annos Theologiam docuit, sicuti & Michael Marcos Salmanticæ, & totidem fere Alphonsus Deza Compluti: quo tempore iam Dominicanorum, & Iesuitarum scholæ his de rebus certabant: Iesuitis cunctis (quod secus Dominicani, vt vidimus cert. 2. euenit) sua castra tenentibus, omniumque nomine singulis vbique certantibus: quare certum est satis primos illos Dominicanorum discipulos, vt eam didicissent tunc doctrinam, tandem Magistros dedidicisse. Hoc ita minutim argumentum disiicere placuit: cum ia n abunde à Paulo Leonardo disiectum esset part. 2. responsion. sect. 15. num. 76. discursu sequenti. Etenim Nauarretus t. controuers. 1. Pinciæ edidit anno 1605. qui ab exordio societatis quintus supra sexagesimum erat vita iam Molina, Fonseca, Vasquez, & Valentia vltra sexagenarios functis, præter Vasquez, qui quinquagesimo quinto ætatis suæ anno decessit anno Theologicæ professionis publicæ trigesimo: reliqui vero vltra quadragesimum prælegerant. Soarez verò adhuc superstes quadragesimum circiter annum publice iam docuerat. Assignet nobis Nauarretus antiquiores alios societatis, tunc recens formatæ, Magistros nostros, à quibus hi in ea doctrina recesserint, vt maiorum vestigia suorum illos non sequi probet. Nam coætaneos poterit fortassis plures Maldonatum, Toletum, Bellarminum Marianam, & alios: qui tamen in eadem fuerunt doctrina, etsi maiores fuissent. Sed forte Salmeronem, & primos illos Patriarchæ socios appellet Lainium Fabrum, &c. Sed hos omnes in eadem fuisse sententia constat ex historia Tridentini Concilij, cui fere omnes à Sancta Sede, & Catholicis Principibus Theologorum nomine adstitere, ac præfinitionibus, & prædeterminationibus, non Lutheranorum modo, & Caluinistarum, sed & (si quo nobis occulto, nec dum ab ipsis propalato, differunt, mysterio) Dominicanorum recentium acutis, & accuratis disputationibus coram reliquis Concilij Patribus restiterunt: non modicas illis supperias ferente contra Dominicanum Catanæum Dominico Soto iuxta memoratam supra Petri Suauis, Iesuistis infesti, historiam. Constat etiam ex eruditis Patris Salmeronis commentariis, quæ suis cum Iacobi Lainij Lucubrationibus collatis vtriusque iudicio, & sententia edita sunt. Maioribus etiam nostris Theologis adnumerandus est Petrus Ribadeneyra eo anno, quo confirmata societas fuit nostris adscriptus: vir in Theologia insignis, vt eius varia, etiam historica, opera testantur; etsi mira eius eruditio, & styli suauitas, plurimum historicis manciparint. Sed & hic libello contra præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas recentes Romam à nostra prouincia Toletana misso subscripsit. Constat ergo in re præsenti societatis nostræ doctores siue primos, siue medios siue postremos omnino, verissimæ, & S. Thomæ germanissimæ doctrinæ consensisse; contra vero Dominicanos oppositæ defensores, & à maioribus suis, & à coætaneis, & à se etiam ipsis vicissim antea, & Sancti Doctoris interpretatione discessisse: vt postremo hoc veri S. Thomæ discipulatus, & argumento concordiæ, & signo, non minus, quam reliquis antea expensis, nostra Iesuistica schola vere Thomistica, aduersantium vero, etsi eo nomine censeri velit, anti-Thomistica demonstretur.

QVÆSTIO VI.

Quatenus per scholas alias, & Religiones, cæteroſque Doctores liceant prædeterminatiuæ præfinitiones.

ETsi plures gregatim scholasticos eis præfinitionibus prædeterminatiuis aduersos retulerimus, dum pro nobis Academias omnes qu. 4. recensebamus & qu. 3. dum Senonense decretum Parisiensium examine, & suffragis editum expendere mus: ac de S. Thoma eiusque singulatim discipulis, & schola plus satis quæst. proxima dixerimus: reliquos tamen iam scholasticos pro nobis recensendi locus est opportunus, vt nouitatis, & singularitatis ab aduersariis tentatam sententiæ nostræ notam plenius in ipsos conuertamus. Doctores igitur reliquos omnes qu. hac ita peruertemus, vt pro sua quisque antiquitate præcedat: etsi et eis plures, qui ad varias, vel scholas, vel Religiones pertinent non pro sua, sed pro earum antiquitate numerandi hic sint.

CERTAMEN I.

Franciscana familia sua Scotica schola contra prædeterminatiuas præfinitiones pugnat acerrime.

1. COætanea Dominicanæ Franciscana Religio, ac Thomisticæ scholæ proximo tempore succedentes, & aduersæ ex illa oriundæ Scotica, & Nominalis hunc iure suo sibi vendicant locum. De quibus prædeterminationes physicas, ac subinde prædeterminatiuas suorum actuum præfinitiones constanter, & vnanimiter abiicere extra controuersiam est; etsi enim Scotistarum nonnulli præfinitiones actionum nostrarum siue conditonate, siue absolutè futurarum admittant;

erant; has tamen, non nisi per scientiam mediam regulatas (vti ex nostris plures) admittunt, & neutras ad veritatem status tam absoluti, quam conditionati consistentiam (vti volunt, cum quibus disputamus) requirunt, sed tanquam diuinæ de illis æternæ, & infallibilis cognitionis determinatiuum, ac necessarium verificatiuum, certum, & indefectibile: de quo alia est controuersia contra vtrosque, & nostros aliquos Recentiores à nobis discussa d. 7. de scient. q. 2. Cæterum ad præsentem, quod attinet, difficultatem adeo apertus, & constans Scotus pro nobis est, vt mirum sit aliquos etiam ex nostra schola ipsum pro opposita referre sententia. Scotus ergo in 4 d. 49. q. 6. dub. 1. sic habet. *Nunquam causam secundam præuentam à causa superiore agente ad vnum oppositorum posse potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Ergo præfinitio causæ superioris primæ nostram ad vnum præueniens voluntatem, & si potentiam radicalem eius, seu remotam ad oppositum relinquat extremum; propinquam, & proximam potentiam ad illud in voluntate non relinquit, quod ipsum est libertatem proximam, quæ in proxima ad vtrumvis potentia sita est, non relinquere voluntati. Et in quodliber. q. 6. *Si esset necessitas præuia ad voluntatem, & voluntas intelligeretur cadere sub necessitate, tanquam impellente in actum, & figente in actu, voluntas ageretur, & non ageret: nec staret in actu libertas.* Aſt præfinitionis, & prædeterminationis necessitas, & præuia ad voluntatem est, illaque impellitur & figitur in actu voluntas: ergo nec eius, nec actus libertas cum præfinitione, & prædeterminatione stare per Scotum, Valentiam. Rursus ibidem. *Cum necessitatem computitur, tunc necessitas cadit sub voluntatem, sic, quod voluntas propter firmitatem libertatis sua sibi necessitatem imponit, vt in eliciendo actum, & in perseuerando, siue figendo se in illum:* atqui necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ non cadit sub voluntatem eo modo hic ab Scoto explicato: ergo in eius sententia voluntatis libertas earum necessitatem non compatitur.

2 Et hæc quidem ad rem præsentem satis ex Scoto clarasc nec obscuriora quæ sequuntur. Ille siquidem in 2. d. 37. q. vn. §. *Ad solutionem istorum* ait *in potestate voluntatis creata est recte agere: ita, quod nulla intelligatur subtractio causæ prioris, propter cuius defectum non possit voluntas recte agere. Si igitur Deus esset prima causa non agens rectitudinem, actus non rectus non esset peccatum.* Quibus docet posito, quod opus ad recte agendum ex parte Dei est, vt voluntas peccet, posse illam nihilominus recte agere, & cum peccare non peccat, ac proinde determinationem ad alterum. Ex parte Dei non apponi voluntati nostræ, sed eius potestati per Dei auxilium, & concursum ex parte eius oblatum completæ, & absolute tali relinqui. Et sub eius §. init. dixit: *Deus quantum est ex parte sui daret rectitudinem voluntati, si voluntas ex parte sui recte ageret quemcumque actum elicitum.* Et inferiuscule. *Causa superior, quantum est de se, causaret: si causa inferior secundum suam causalitatem causaret. Et ideo rectitudinem non causari est propter hoc, quia causa secunda, quantum ad se pertinet, non causat.* Quibus ex parte Dei apposita totum fatetur, quod ad actum rectum requiritur; & tamen, quia ex parte liberæ voluntatis non etiam apponitur requisitum, actum rectum non haberi: quia scilicet Deus illum non absolute efficaciter decernit, sed sub ea conditione si ex parte sui voluntas velit: quod totum ipsissima nostra doctrina est: & d. 25. q. vn. vt Gotfredum assentem voluntatem nostram determinari à Phantasia; Henricum vero aientem determinari ab obiecto cognito impugnet, statuit eam esse vim actiuam voluntatis ad vtrumvis, vt à nullo determinata se ipsam determinet, quod, nisi eius à Deo determinationem excludat, nec generaliter, & absolute diceretur, neque assumi ab Scoto poterat vt principium, ex quo contra præfatos concluderet; sed assumeret pro antecedenti conclusionis impugnandæ contradictorium; quod bardi quidem esset, non subtilis anthonomastice Doctoris. Secundo, quia §. ad 1. & ad 2. principale fine quæstionis respondet: mouens, & motum posse, imo esse re ipsa idem in voluntate, solaque ratione distingui: quod falsum esset, si Deus esset mouens, & determinans, & voluntas solum mota: cum Deus, & voluntas non sola ratione, sed re ipsa infinite differant: quæ his consonant, quæ dixerat in 1. d. 8. q. vlt. circa finem §. *Ad argumenta* post med. *si quæras: quare voluntas diuina magis determinatur ad vnum contradictoriorum, quam ad alterum? Respondeo: indisciplinati est quærere omnium causas, & demonstrationem secundum Philosophum 4. Metaph. text. 9. Principij enim demonstrationis non est demonstratio. Immediatum autem principium est voluntatem velle hoc: itaque non est aliqua causa media inter ista: & ideo huius, quare voluntas voluit hoc, nulla est causa, nisi quia voluntas: sicut huius, quare calor est calefactiuus, nulla est causa, nisi, quia calor. Sed hic est naturalitas, ibi autem est libertas.*

3 Rursus in 1. d. 1. q. 4. fuse probat in potestate voluntatis esse determinare se ipsam, & reliquias potentias ad agendum, maxime ad suos actus, non solum intentionis finis, & electionis mediorum, sed omnes vniuersim, etiam fruitionem vltimi finis, vt constat clarius versus finem quæstionis, §. *Ad argumenta pro opinione.* Et §. *Ad tertium*, quin vsque adeo suæ potestatis esse voluntatem asserit §. *Negatiua istius articuli tertij*, absque vlla ad suos actus, etiam fruitionis Dei in patria, necessitate; vt neque visione beata necessitari illam ad Deum amandum, sed posse visione posita eum non à mare, ac non frui, atque horum actuum omissionem cum illa coniungere doceat. Sed certe in 4. d. 49. q. 6. dub. 1. post §. *Dico ergo* similem libertatem in Beatis asserit, ac subinde libertatem etiam ad peccandum; argumentis in oppositum respondens ostendit deliberate absolute tali, seu potentia proxima & expedita eorum ad non amandum Deum, & peccandum se non loqui; sed solum de radicali & remota, & secundum quid solummodo. Eius verba, quæ aperte etiam contra præfinitiones, & prædeterminationes hasce pro nobis sunt, ita habent: *Respondeo. Potentia operatiua non concludit habentem posse operari, nisi intelligendo secundum quid: scilicet ex parte sui: sed posse simpliciter, requirit, quod ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas: vt scilicet requisita possint concurrere, & impedimenta cessare. Sed vltra istam possibilitatem, potentia vel magis possibilitas propinqua requirit, quod conuenientia adsint, & impedimento cessent.* Inferiuscule. *Operatiuum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit vt operetur.* Si ergo requisita essentialia ad actū liberum voluntatis sunt præfinitio, & præmotio, quæ ad vtrumque extremum oppositum pro instanti eodem esse simul nequeunt, infertur non posse esse potentiam propinquam voluntatis ad extremum oppositum præfinito in sententia Scoti; quia ad appositum contrarie deficit præfinitio, & præmotio essentialiter, iuxta aduersarios, requisita ex parte principij ad illud: ad oppositum vero contradictorie actui præfinito adest, impedimentum essentiale. Vnde recte infert Scotus loco recitato ex eodem dubio voluntatem creatam à Deo præuentam ad vnum determinate ex oppositis non posse potentia propinqua, & absolute tali in eius phrasi in eius oppositum prodire: ac subinde ex Dei præfinitione, & præmotione ad vnum, eius absolutam ad vtrumque potestatem quare, & libertatem absolutam aboleri. Vltimo loco recitandus est Scotus ex 2. sentent. q. 1. art. 4. sic fatus. *Deus dicitur aliquid velle dupliciter. Vno modo absolute, alio modo ex conditione, vel ex quadam conuentione cum creatura rationali. Primo modo concurrit ad agendum cum omni natura agente naturaliter voluntariè* (scilicet voluntarie sumpto ex parte Dei) *illo etiam modo facit, quidquid facit præcise per se ipsum: Et ideo omne tale est ab eo absolute volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum natura rationali libera, cui tales leges statuit: Quod quidquid ipsa velit, placet sibi coagere ad illam volitionem, licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem denotatur. Ita, quod, si fortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum, vel si impediret eum, hoc facit per legem communem.* Quod repetit in determinationibus q. 11. art. 1. & 2. quibus nil clarius contra præfinitiones absolutas, actionum nostrarum, & concursum præuium, & prædeterminantem nos ad illas dici potuit.

4 Et hæc sane explorata toties, & constans contra præfinitiones, & prædeterminationes actuum liberorum Scoti mens satis euincit subtilem, constantiæque, & consequentiæ laude Doctorem præstantissimum, nihil suæ huic doctrinæ aduersum docuisse; & si alicubi verba eius oppositum sonent: quæ obinde hic erunt explicanda, ne laudi derogent suæ. Primum opponitur ex 1. sent. d. 39. à §. *Viso de contingentia*, docet omnia cognosci à Deo in determinatione

suæ voluntatis, nec aliter certo, & determinate cognoscet potuisse. Et d.41.§ *Sed contra istud arguitur*, ait, *Deus non præuidet istum bene usurum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat istum bene usurum eo; quia, sicut dictum est d. 39. certa præuisio futurorum est ex determinatione voluntati diuinæ.* consonat d.47.fine, & quod lib.14.post med agens de secundo principali, & quod lib.16. probat late eandem actionem simul necessariam, & liberam esse posse. Et in 1.d.q.1. & 2. §. *ostenso esse* à versu *item* 3. & d.8.q.vlt.d.39. §. *Tertia positio.* & §. *viso de contingentia* citato docet, si Deus concursu quo de facto ex necessitate naturæ nobiscum ageret, nullam fore nostrorum contingentium libertatem: quia causa mouens in quantum mota si necessario mouetur necessario mouet: mouet autē omnis causa secunda in quantum mota à prima: verūm Lychetus in 1.d. 37. Mayronis in 2.d.43. q.4. Scotum interpretantur determinatione non antecedenti, sed comitanti concursus diuini ex suppositione quod nostra se voluntas determinet. Eadem quippe d. 39. §. *quantum ad primum* probat libertatem consistere nostram in potestate ad opposita excludente omnem necessitatem, quæ ex suppositione ipsius actus liberi non prouenit: indeque ad 1.argum.secundæ opin.præscientiæ certitudinem cum potestate ad oppositum conciliat, quia præscientia comitatur quamcumque existentiam rei contingentis: perinde, *ac si te sedente opinarer te sedere; & te surgente opinarer te surgere.* Et eodem pacto nostram libertatem, se ad hanc distinctionem referens, cum diuinæ voluntatis, & prædestinationis certitudine conciliat d.40.q.vn.corp.ait, *Iste, qui est prædestinatus potest damnari: Non enim propter eius prædestinationem est voluntas eius confirmata: & ideo potest peccare: & pari ratione in peccato stare finaliter:* & fine. *Sicut voluntas creata potest mereri damnationem, ita etiam potest concomitanter sequi, quod voluntas diuina non prædeterminauerit ipsum hominē ad gloriam.* Et hinc facilius est, quam aliqui (in quibus noster Ruiz de Montoya d.49.sect 7.n.12.vers. *Dico tertio*) æstimant cum hac doctrina Scoti conciliare oppositā, & similia plura testimonia. Nam illud quod Deus nequeat videre contingentia futura determinate nisi ex sua voluntate, & præordinatione illorum certissimum est omnium sententia: cum, nisi ea futura determinate in se sint, nequeant determinate cognosci: ac insuper Dei voluntatem, & præordinationem, tanquam sui causam necessariam, & essentialem, non autem necessitantem & prædeterminantem, requirant. Ex quo euidenter infertur in Dei voluntate, & præordinatione (non tamen præfiniente, & prædeterminante, tanquam ex medio materiali, determinate cognosci: & specialem qualitatem prænouentem, seu physicè prædeterminantem, quare & ipsi respondens decretum reiectat in 4.d.1.q.1.ad vlt. argum. vers. *Causam etiam secundam*, his verbis: *Ex hoc patet, quod causa proxima in causam secundam propriè dictam, quando simul agunt non est influentia noua, qua fit creatio alicuius rei inhærentis causæ secundæ; sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem.* Eoque causas secundas ab instrumentis differre ait: quod hæ, non nisi per aliquid à causa principali receptum, operantur. Et quamuis aliud agens dist.49.q.6.§. *Dico ergo.* Multum eidem sententiæ fauet.

5. Insignis Scotista Bassolis, & si in 1.d.10. q.vn.art. 3. necessitatem cum libertate euentus absolutè non pugnare doceat; ait explicat statim non loqui se de necessitate principij actiui seu per modum naturæ, sed de necessitate, principij agentis voluntariè, & liberè & quæ non excludat potestatem non agendi, seu agendi oppositum, necessariam ad meritum, ac demeritum, sed quæ satis, vt summum sit, ad rationem voluntarij (quod liberum quandoque & ab ipso, & ab Scoto, & aliis similiter loquentibus appellatur) vt docet sub quæstionis finem. Similiter videtur admisisse nostrarum actionum prædeterminationem per Dei voluntatem, cum qua componi earum omissione queat in 1.d.38. art. 2. Sed nihil tamen minus docet cum ibi §. *Ad primum eorum* dicat. [Nec voluntas diuina immutat aliquid circa modum agendi, vel cessandi contingenter & libere sic enim contingens in se contingēs est; sic à Deo contingenter volitū, & in sua cōtingētia relictū non plus est necessariū, quā si non esset diuina voluntas: adhuc altera pars, non autem vtraque conueniret, & tamen non necessario sic nec modo; & ideo peccat; quantumcumque Deus determinet se non influxurum ad talem actum, cuius scilicet omissione peccat: nec tenetur in illum influere, & ideo non peccat, Deus.] Eodem sensu intelligendus est d.39. art.2. vers. *Dico igitur.* & d.40.art.3. vbi etiam præfinitiones contingentium videtur sonare: sed accipe eum hac d. art. 2. hic fatum. [Diuina scientia de parte negatiua alicuius contingentis (vt, quod sortes non curret) non imponit illi partī necessitatem. Nam diuina scientia, & voluntate circumscripta, adhuc illa pars eueniret, & non necessario, sed contingenter, ergo similiter non imponit necessitatem parti affirmatiuæ, si nouerit eam: vt quod sortes currer. Cum enim diuina scientia non immuret naturam, & modum obiecti: illud, quod est contingens per se formaliter, semper est contingens quantumcumque à Deo scitum, vel volitum:] Quia scilicet eius necessitas, non alia est, quam ex ipsius contingentis obiecti, vel volīti, vel sciti suppositione. *Sicut necessarium à nobis contingenter scitum, & volitum, non propter hoc est minus necessarium: sed semper manet necessarium, & nullo modo contingens est.* Hæc ex locis, quibus aduersum aliquid sonat Bassolis. Nam in 1.d.45.q.1. art 3. sub finem expressè voluntatis nostræ potestatem, & indifferentem ad vtrumvis & actus contingentiam defendit, & expressius adhuc in 2.d.24. & 25. Sæpe: præsertim d.25. q.2.art.3. §. *Ex quo concludo contra.* 2. *dictum* asserens voluntatem esse causam æquiuocam virtute continentem determinationem ad æquè, vel maius, vel minus bonum, quin eius indifferens potestas alterius determinationem expecter, vt determinetur.

6. Franciscus Mayronis, & ipse illustris Scotista, & si in 1.d.38. qu.1. art.4. concluſ.5. doceat contingentia per diuinam voluntatem determinari; ait tamen q.3. & d.40, d.40. q. 2. & prædestinationem adhuc contingentem esse dependenter ab effectus contingentis libera omissione. Quo etiam modo loquuntur Magister, & alij veteres: quod, & si noster Ruiz d.33. de scient. sect.9.d.49. sect.7. & d.45.sect.4. n.27. ita illis tribuat, ac si docuerint, diuinam prædestinationem semel iam à Deo conceptam contingenter esse, atque absolutè posse deficere; tamen cum eam solùm contingentiam diuinæ prædestinationi deferant, qua dependentia à libero vsu voluntatis nostræ sit, ipsumque ideo non impediat: satis ad id est, vt pro priori naturæ ad sui conceptionem à Deo ab eo vsu nostræ libertatis pendeat, vt nisi hic futurus esset, nec prædestinatio conciperetur à Deo, ac proinde in Deo non fuisset; neque adeo absurda, & implicatoria sententia doctis viris vnquam tribuenda est. Cæterum, etsi ita Mayron intelligatur, constat eum necessitatem, & determinationem absolutam antecedentem nostrarum actionum ex diuina voluntate adeo exosum fuisse, vt in eam absurdam, & implicatoriam dependentiam eius ab illarum contingentia & libertate inciderit. Erat siquidem illi altè repositā libertatis arbitrij ad vtrumvis soluta, & absoluta potestas eius libertati essentialis, vt constat 1. sentent. d.10. q.1.dif.2. vbi inter liberum pro spontaneo, & arbitrij libertatem distinguens ait, [Sed liberum arbitrium est præcise circa illa, circa quæ voluntas potest aliter se habere.] Scilicet circa contingentia, subinferius, [Habere se ad oppositā est conditio liberi arbitrij, vt addit supra libertatem] id est, spontaneitatem, & in 2.d. 27.à med. opponit sibi. [Aut diuina voluntate concurrente voluntas.] (Creata) [non potest non causare; & tunc necessario causabit non liberè: si potest non causare: ergo Deus vult aliquid, quod non impletur: [Respondet vero. [Assistēte volūtate diuina potest nō velle: quia Deus assistit in ratione causæ vniuersalis: & ideo si vis agere agit. Nempe Deus agit, si tu vis vt agat.] Ibidem ex instituto defendis indifferentem ad contraria, & contradictoria libertatis potestatem, Dei etiam voluntate, vt causa vniuersali adstante.

7. Eadem est Guillielmi de Rubione sententia in 1.d. 38.q.1. tota maximè art.1. concl.4.p.3. dum Deo prædeterminationem cum necessitate actuum voluntatis concedit; cum statim asserat per omissionem liberam nostram, quæ nostræ absolutè potestatis est, fieri absolutè posse, vt nec sciat, nec velit Deus: quod modo proximè dicto intelligendum est, & d.47. qu.1. circa finem docet electos

electos posse agere contra id, quod voluntate consequenti per suam prædestinationem fieri ab eis Deus voluit; quare nec prædestinatos necessitari ad non peccandum, ac merendum, & d. 10. q.2. post med. §. *Ad hoc respondetur.* Statuit libertatem contingentiæ stare in eo (sicuti & Scotistæ reliqui recitandi cum aliis quæst. 7. cert.1.) vt positis omnibus requisitis ad actus productionem non fieri absolutè possit. Et in 2. d. 24. q.1. & 2. necessitatem agendi à libertate excludit. Et consequenter d.25. q.1. art.2. post med. ait: [In Beatis est vsus liberi arbitrij, non respectu actus beatifici, qui non est in potestate ipsorum, sed respectu omnium in eorum potestate existentium; vt videlicet possint ab eis in esse poni, vel non poni. Consimiliter est dicendum de damnatis. Non enim respectu actus, ad quem sequitur tristitia punitiua videntur habere aliquam libertatem: quia nec potestatem, seu actuitatem; sed respectu omnium in eorum potestate existentium aliorum.] Eidem, quæ putatur absurda, sententiæ de dependentia iam habitæ à Deo voluntatis, & prædestinationis à nostro vsu libero voluntatis, vt libertatem eius defendat, videtur adhærere in1. d.39. art.2. & d.40. art. 2. atque ideo non obstante præscientia, & prædestinatione in potestate causæ liberè esse producere, vel non producere actum, & posse illam perseuerare finaliter in gratia, vel illam per finale peccatum amittere. Et in 2. d. 33. circa med. docet ex Scoto ita à Deo præparari voluntati nostræ concursum, vt in eius potestate sit illo vti ad bonum, vel malum, vel non vti: quod fieri nusquam potest, si prædeterminatiua præfinitione decernatur. Nicolaus de Orbellis in 1. d. 39. art.2. d. 40. art. etiam 2. eodem excessu cum præscientia, & prædestinatione potestatem absolutam peccandi, & amittendi gratiam finaliter componit, ac defendit. Plures Scotistas dabimus q.7. cert.1. vbi causæ liberæ definitionem antiquissimam, atque apud omnes Philosophos, Patres, & Theologos contra nonnullos nouatores statuamus.

8. Sed ad Scotistas recentiores veniamus: in quibus nonulla est circa præfinitiones actionum liberarum diuersitas. Etsi in eo, vt diximus, conueniant: quod prædeterminatiuè, siue physicam prædeterminationem inducentes ad actum præfinitum, vt recentes Dominicani volunt asserentes præfinitiones minimè sint. Sed tamen eas suas præfinitiones connexas essentialiter, & antecedenter ad vsum libertatis cum actibus præfinitis videntur Scotistæ aliquot asserere. Cæterum in Scoti doctrina peritiores eas, tanquam Scoto inuisas, auersantur Camerarius totis tribus libris de libero arbitrio. Sat erit videre eum lib.1. cap.7. circa fin. de Augustino cap.21. de grat. & libero arbitrio loquentem, & lib. 3. cap. 8. sub finem. Petrus Trigosi t. 1. in 1. p. S. Bonauent. quæst. 15. art.2. dub.3. concl. 1. Gibyeuf. & Camerar. & si verbis aliquando à scientia media abscedere videantur, re tamen præfinitiones prædeterminatiuas abiiciunt. Fr. Angelus à Monte Philos. 1. p. commentar. in Scot. t. 2. d. 47. art. 5. & 7. Ildephon. Brizerius, seu Brizeñus potius in 1. sentent. Scoti contr. 11. d.2. art. 2. num. 11. 14. & 20. Philippus Faber fauentin. in 1. d.39. q.vn. d. 54. cap. 4. num.37. cap.5. num.47. & 49. Hugo Cauellus, Episcop. Armachanus Iberniæ Patriæ suæ Primas, multa Scoti (quem perpetuo illustrauit commentario) eruditione, & contextura. In primis in supplemento Scoti quæstionum de anima, d.3. sect.14. num. 6. citans Scotum ex 4. sentent. d.1. q.1. ad vlt. d.12. q.3.§. *Hic est* num.5. d.43. q.3.§. *Tertia opinio* num.9. d.49. q.6.§. *Dico ergo.* Item in 1.d.39 quæst. 5. in Scholio num. 22. §. *Quantum ad secundum* d.40. in Scholio ante §. *Ad vltimam quæst. dico.* Et in 2. d. 37. num.13. §. *Quod si dicatur.* Et in Scholio versu *Adde secundum Scotum.* Ex Scoto 2. Physicor. quæst. 8. §. *Quantum ad* 4. Rursus d.38. n.8. in Scholio ante §. *Dico igitur.* Vbi eiusmodi præfinitionem communiter, nec solum à veris Scotistis negari asserit. Insuper in reportatis in 1. d. 38. n. 6. in Scholio §. *Dico igitur.* Et in tractatum Scoti de primo principio t.3. edit. magnæ Lugdunens. cap. 4. num. 8. schol. 3. antes. concluf. Et in conciliationibus locorum quodlibet alium conciliat. 5. cuius præcipui discipuli & interpretes Scoti verba collecta inuenies apud Paulum Leonardum p. 2. responsion. ad expostulationes contra scientiam mediam sect.4. n.20. à med. Insuper idem Hugo Cauellus in 1. d. 37. quæst. 2. scholast. ante §. *Ad solutionem*, referens ex antiquis præter recitatos Scotistas Elicletum, Tartaretum, Ioannem Maiorem. Et ex recentioribus Angles, Herreram, & Vegam passim in Tridentinum. Nam lib.2. ac.12. *Libertatem* nostram omni necessitate solutam esse debere probat. Et quæst. 11. de iustificat. ad 3. docet Dei concursum nobis oblatum indifferenter applicare, ac determinare nostræ potestatis esse. Etsi Deo prius principalius, ac potius influente in nostram operationem egemus. Quod repetit 6. in Tridentt. c.2. c.7. post med. cap.8. post med. & sub fin. c.9. init. Quibus locis gratiæ auxilium, & efficaciam nostræ etiam potestati subiacere per consensum, aut resistentiam docet. Sicuti & lib.13. cap.13. sub init. Cordubam item 1. quæstion. q. 55. dub. 8. prope vlt. opinionem Gabrielis, & dub.9. sub init. & fere toto dubio 10. maximè sub fine, Michaëlem Medinam de recta in Deum fide cap.1. inter principium, & medium. Cordubam vbi proximè, & quæst. 23. dub. 8. & lib. 2. de ignorant. q.10.11. & 18. Alphons. de Castro hæresi 1. col. 2. 5. 10. & 11. Gasparem Leoribach Herbipolensem Doctorem. Anton. Delphinum lib. 5. de iustificat. §. *de multiplici gratia Dei* pag. 205. & sub tit. *de ordine iustificationis*, §.2. pag. 207. & lib. 1. *de salutis progressu* 14. & 2. *de prædest.* respons. ad 2. dub. p 77. & ad 3. dub. pag. 85. & de libero arbitrio inter princip. lib. 4. sub tom. *Quo pacto sit liberum arbitrium in hominibus* pag. 147. fuit autem sui ordinis General. & ex Patribus Tridentinis. Herreram in 2. sentent. t. 1. d. 13. q. 2. d. 14. quæst. 1. d.30. q. 2. notab.2. t.2. d. con.38. q.3. notab.6. probat.2. conclusionis 4. & q. 6. fusè præsertim notab. 9. §. *Alij autem.* Franciscum Carthagenam de prædestinat. disertissimè discursu 4. dub. 3. discursu 8. dub. 4. discursu 9. discursu 10. dub. 2. vbi, & discursu 4. dub. 3. vsque adeo physicas prædeterminationes, & præfinitiones diuinas liberarum actionum auersatur, vt omnes vniuersim præfinitiones, nec solas prædeterminatiuas Thomisticas actionum libertati aduersari defendat: accedunt etiam è iunioribus Scotistis Hieronym. Tamarit. in floribus Theologicis q. 2. de scient. Meurisse t. 2. metaphysicor. c.3. p.5. q. 3. Ludouicus Caspens. d. 6. de scient. sect. 6. Dola. d. quadripart. p.1.c.3. n.8.c.4. num.2. Theodorus Smising. tract. 3. de Deo d. 2. q. 5. decreta præfinitiua regulata solummodo per scientiam mediam præ nimia eorum facilitate se defendisse testatur, ac non ita regulata repudiasse, & si hæc ibi defendat: ob ea tamen argumenta, quæ satis ostendunt nostram de scientia media doctrinam minus, quam oporteret, tam antea, cum regulatas solum per scientiam mediam præfinitiones defendebat, quam postea cum per illam irregulatas defendit ab eo fuisse penetratam eidem nostræ sententiæ præfinitionibus aduersæ ex Scoti doctrina subscribit ingeniosus etiam Scotista Pontius in cursu Philosoph. tract.3. d.2. q.5. n.151. vbi admittit decretum indifferenter concurrendi cum nostra voluntate pro libito illius, vt ex parte sui concursum præparet ipsi Deus. Licet autem q.4. & d.3. q.3. à n.81. & d.6. q.8. n.600. & alias admittat aliud decretum determinate concurrendi cum voluntate ad eius absolutum consensum; tamen hoc comitans esse ait, atque à voluntatis determinatione dependens; non autem antecedens, vt ex eis locis præsertim ex d.3. citatis constat. Hæc autem comitantia solum decreta, atque à voluntatis determinatione dependentia rectè cum nostra de scientia media, & decretorum abusu libertatis independentium, cumque minimè antecedentium, doctrina consistunt: ac proinde à nostris doctoribus Vazquez, & aliis acerrimis præfinitionum omnino antecedentium impugnatoribus defenduntur, quos refert, & sequitur Gasp. de Ribadeneira art.10. de prædest. c.1. num.1. quamquam decreta hæc comitantia non leues aliunde pariantur difficultates ad eaque confugiant nuperi aliquot Thomistæ non aduertentes diuersas omnino eas ab illis esse, quas hactenus, & sui defendendas suscipere.

CERTA

CERTAMEN II.

Nominalium (altera scilicet Franciscana, vtplurimum, schola) pro nobis contra prædeterminatiuas præfinitiones est.

1. ALtera apud Sapientissimos Franciscanos orta secta est Nominalium schola; quæ ita, & Okami inuentoris ingenio, & sequacium subtilitate apud Catholicos statim inualuit, vt insignes, & Thomisticæ, & Scoticæ, & omnium Religionum, & Academiarum Professores in partes traxerit suas; aliasque Philosophorum, & Theologorum scholas multis annis vbique Academiarum & gentium fecerit conticescere. Ex ea vero Nominalium schola solos hic Franciscanos Doctores referam, ac proinde Ioannem Bachonem Holchot, & eius sectæ (diuersæ tamen familiæ) Professores reticebo, vt ex hoc, & primo certamine constet, quo iure, & fide, perfidus alias hæreticus, Tusslius apud nostrum Annatum vniuersim dixerit Franciscanos omnes in præsenti, & consectariis controuersiis nobiscum contra Dominicanos recentiores ducere agmen. Sed neque aduersarij Nominales in nostris castris esse dubitant: cum potius principium, ex quo ipsos acrius à ratione impetimus, scilicet causæ liberæ definitionem, communem quidem, apud Nominales natam fateantur. Inde otiosum fortassis videatur Nominalium pro nostra sententia testimonia singulatim recensere, ni exploratos sententiæ nostræ Doctores, etiam, qui ab aduersariorum antiquioribus vltro nobis donabantur, ab eorum iunioribus denegari in dies videremus. Sed tamen non omnia Nominalium ad rem hanc testimonia præsenti cert. proponemus: quia quæ eorum ad stabiliendam communem causæ liberæ definitionem spectant q.7.cert.1. producentur opportunius.

2. Venerabilis eius scholæ inceptor Okamus in 1. d.38. q.vn. sub init. [Voluntas in quantum est actus primus, libera est ad oppositos actus: & mediantibus illis actibus oppositis est libera ad oppositа obiecta, in quæ tendit, & vlterius ad oppositos effectus, quos producit] vnde infert non agere necessario, sed contingenter: ita, vt agere oppositum possit. Etsi autem §. *contra istam opinionem* subdat hanc potentiam oppositi solum esse pro instanti sequenti, intelligendus est ex suppositione actus pro primo. Concludit inde in actu determinationis diuinæ non posse certo cognosci nostræ voluntatis determinationem: quia, si ad eam necessario sequitur determinatio voluntatis nostræ, hæc non liberè, sed naturaliter operabitur; si non sequitur necessario, non sufficit cognitio determinationis diuinæ, & paulo ante dixerat. [Voluntas creata cessare potest ab actu causandi se sola quantumcumque nullum prædictorum desit.] Deus, scilicet, volens coagere, & requisita cætera. Consonat dictis à se d.1.q.6. post med. & d.10.q.2. & dicendis in 2. q.16. Gabriel Okami discipulus & proximus ingenio, & doctrina successor in 1. d. 38. q. vn. art. 1. ante 1. concl. probat nostræ voluntatis libertatem, etsi Deus necessario moueret. [Potest enim, inquit, prior causa facere, quod in se est, & ita mouere posteriorem; & tamen posterior, propter sui libertatem, non parere huic motioni,] quibus nihil contra præfinitiones prædeterminatiuas magis perspicuum dici posse videretur, nisi statim subiicienda idem Doctor scripsisset.

3. Idem igitur Gabriel in 2. d. 37. q. vn. art. 1. ad 1. argum. ex quinque viis ait. [Primam causam concausare habet voluntas in sua potestate, Nam voluntas diuina cuicumque concedit antecedentia concederet, & consequentia, quantum est ex se, nisi esset impedimentum: dando autem voluntati libertatem dedit ei omnia opera, quæ sunt in eius potestate: ideo Deus semper coagit ad omnem actum, quem vult elicere. Ergo semper est voluntas ante instans, quo elicit actum, potens elicere, & non elicere.] Et obiiciens inferius non esse Ordinem inter causam primam, & nostram voluntatem, si neutra alteram determinet: negat. [Nam in hoc est ordo essentialis: quod voluntas creata non potest elicere actum non currente prima causa coëfficiendo; licet non è conuerso. Neque sic mouetur à prima causa, quasi aliquid de nouo causet, vel influat in voluntate, quo voluntas velit; sed quia produxit voluntatem liberam ponens actum suum in sua potestate.] Et ibidem cum pro prima via arguisset [si voluntas diuina non determinaret nostram posset voluntas diuina aliquid velle, quod non fieret propter voluntatem nostram non concordantem] negat postea consequentiam: quia nihil efficienter, id est efficaciter, vult diuina voluntas voluntatem nostram, nisi, quod vult voluntas creata. Ad hoc enim determinat se diuina voluntas dando voluntati creatæ libertatem: quod est dare ei facultatem eliciendi, & non eliciendi: &, ad quemlibet actum, quem elicere voluerit, velle sibi coagere.] Item ad argum 3. viæ & d.1.q.2.art.2.concl.4. & in 1. d. 45. fine docet in nullo signo causare causam primam, in quo nostra voluntas eundem actum non causet. Rursus necessitatem, etiam non coactam spontaneam ab vsu libertatis independentem libertati aduersari, nec esse voluntati libertatem, nisi respectu actuum, quos requisitis omnibus positis potest elicere, & non elicere, quorumque proinde dominium habet docet in 1. d.1.q.6.art.1. notab.2.art.3.fine d.10.q.2.d.28.q.vn.art.1. notab.6. & sequentibus in 2.d.7.q.vn.art.1. sub init. d.25. tota, maximè art.1. à Corollar. 4. art. 2. concl. 1. art. 3. dub.3. proposit.1.

4. Gregor.in 1.d.10. q.vn.art.2. circa med. & deinceps essentiam causæ liberæ in eo statuit, vt positis omnibus requisitis ad agendum, & sublatis impedimentis in sua potestate habeat agere, vel secus omni alterutrius necessitate ex parte actus primi excluſa: quare eidem agenti nullam actionem necessariam, & liberam simul esse posse. Et in 2. d. 25. q. vn. ait: [Libertatem sui actus causam esse, & potestatem eliciendi, cum vult] & ad 1. contr. 2. concl. voluntatem cum eadem cogitatione velle, ac nolle posse, & d. 28. q. vn. art. 3. post med. ad 12. (quo loco prædeterminationi, & præfinitioni aduersariis fauere putatur) eidem doctrinæ, & sententiæ insistit & d. 37. q. vn. art. 3. ad 8. arg. ait. [Ad hunc sensum dico Deum sequi determinationem voluntatis: quoniam ideo Deus agit illum actum, quia cum voluntas agit; & non ideo, quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo magis propriè dicitur Deus coagere voluntati in talem actum causandum, quam voluntas dicatur coagere Deo.] Quæ licet de actu prauo, & materiali peccati dicta à Gregorio sint, quoad physicum Dei influxum, etiam in actu honesto verum habent; & si quoad influxum Dei intentionalem, & moralem per victricis cogitationis, seu congrui auxilij immissionem ex misericordi liberali, & gratuita Dei voluntate, & intentione boni operis nostri coagere nos potius Deo (cuius in eo eliciendo præcipuæ partes sunt) quam Deum nobis coagere certum sit. Mitto plura alia ex Gregorio de determinatione voluntatis nostræ, non à Deo, ad materiales actiones peccati, quæ inferius propria specialis huius difficultatis examinandæ sede locum habent commodiorem.

5. Adamus in 1. d.1. q.6. art.2. dub.17. confutat asserentes; [voluntatem non posse denuo aliquid agere, nisi sibi de nouo adueniat aliquid determinatiuum ipsius ad agendum.] Et fine ait. [Voluntas omnibus concurrentibus vniformiter potest causare volitionem, & nolitionem obiecti cogniti: & seipsam determinat ad volitionem, vel nolitionem.] Et totis eo art. & 2. præcipuè dub. 15. 16. & 17. libertatem in potestate indifferenti ad vtrumvis omni necessitate ad alterutrum excluſa constituit: quam etiam ad non causandum esse in eodem instanti, quo causat, sed pro priori naturæ, asserit ad quæstionis finem; verum non ex suppositione quod causet, siue in sensu compositо causationis, quæ repetit q. 8. art. 2. circa med. ad 1. *argum.* item in 3. sentent. d. 14. quæst. 3. dub. 3. ante med. ait: [Alius articulus Parisiens. dicit sic. Falsum est omnia esse prædestinata (præfinitiuè, seu prædeterminatiuè, vt de eo Parisiensi decreto explicamus suo loco) à causa prima: quia sic omnia

omnia euenirent de necessitate : quod est error. Item quæro : an Deus sit determinatus, absolutè ad producendum A, quod siue velim producere A, siue non, A eueniet ; vel solum sub hac conditione, si ego voluero producere A ? si primum : igitur A fore non subest liberæ voluntati meæ. Si secundum : igitur non plus producit ille necessario, quam ego.] E cuius scilicet voluntate productionem, (qua ex parte etiam sua est) pendere voluntate illa conditionali voluit. Et tota ea q. atque 2. 4. 5. & 6. indifferentiam potestatis essentialem causæ liberæ multis defendit : imo eius tuendæ affectu aliqua quæ minus vera sonent, videtur admittere, & in Scotistis nonnullis notauimus cert. 1. in bonumque sensum eursim explicuimus.

6. Marsilius eandem liberæ voluntatis indifferentem potestatem ad vtrumvis, & dominium ad volendum, vel non volendum, omni necessitate, aut impedimento alterius partis secluso, essentialem multoties docet, explicat, & confirmat in 2. q. 16. art. 2. 3. 4. & 6. ad secundam rationem principal. & q. 22. art. 2. eamque potestatem, & dominium non impediri præscientia, prædestinatione, reprobatione, ac denique vlla voluntate diuina docet in 1. q. 40. 41. 44. & 45. vt retulimus controu. de scient. d. 5. q. de concordia præscientiæ cum nostrarum actionum libertate. Sed citata q. 40. art. 2. post 4. conclus. eius rei rationem quasi à nobis insusurratam dedit. [Si effectus est dependens à creata libera voluntate, sicut ab ea dependet liberè, sic Deus disposuit æternaliter quidquid illa voluntas elegerit, siue voluerit se, quoad bonitatem entium producendorum liberè concursurum. Nihilominus præsciendo æternaliter ad quam partem voluntas liberè declinabit.] Quod si præscientia hæc dispositionum diuinæ voluntatis ductrix est, non quidem absoluta, quæ eam dispositionem supponit, sed conditionata est, vt sæpè controu. de scient. notabam. Similia habet 3. p. articuli, & in 2. q. 16. art. 2. dub. 1. post 1. conclus. ait : ideo dependentiam in operando à diuino concursu voluntatis libertati non obesse : [Quia Deus dando libertatem voluntati consequenter dedit ei, vt quodcumque eligeret, cum ea ad illius electionem concurreret.]Et art. 4. concl. 1. docet voluntatem positis omnibus requisitis, & impedimentis sublatis se ad volitionem, vel eius suspensionem determinare. Et ad 3. obiect. [Causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas nunc acceptans, quod ante non voluit acceptare ejsdem existentibus impellentibus.]Repetit ad 4. 5. & 7. obiect. & col. pen. ad 4. rationem princip. ait. [Quamvis concursus diuinus requiratur ad voluntatis liberam electionem ; tamen, quia se Dominus cum libera voluntate concursurum, qualitercumque eligeret, & qualitercumque eligere vellet ad electionis productionem : ideo adhuc manet libertas voluntatis in sua potestate, vt eligat, sicut liber : quia Dominus cum ea electione liberè producet.

7. Ioan. Maior in 1. d. 1. q. 3. 4. 7. & 19. ad libertatem requirit potestatem omittendi actum, tunc, cum eum elicit, nullatenusque necessitatem ad eius productionem. Quod seruari adstante prædestinatione, & reprobatione docet d. 38. q. 2. & 3. d. 40. q. vn. & d. 41. q. vn. & in 2 d. 25. vbi communem liberi arbitrij definitionem per potestatem indifferentem ad vtrumvis positis omnibus requisitis ad operandum statuit q. 1. & sequentibus tribus. Obiicit autem voluntatem egere Dei concursu ad operandum : eoque posito non posse non voluntatem operari. Respondet : [Concedo quod requiritur concursus Dei antequam voluntas concurrat ; sed Deus paratus est cum voluntate agere, & non agere ad nutum voluntatis.]Obiicit secundo. Deus efficaciter vult talem actum esse : ergo talis actus est. Antecedens non est in potestate Socratis : ergo nec consequens. Respondet. [Nego, quoad antecedens non sit in potestate Socratis. Deus est paratus cogere cum voluntate ; sed non sequitur, quod propterea à voluntate nostra dependeat :] Cum id tandem ab eius voluntate ad nutum nostrum coagendi proficiscatur. [Sed quoad nostrum modum loquendi, potest dici Dei concursus quodammodo dependere à nostra voluntate. Cum est paratus coagere, vel non coagere ad nostram nutum, omnibus causis secundis positis ad actionem voluntas potest agere & non agere] quæst. 2. statuit dominium & potestatem voluntatis ad opposita & quæst. 3. sub fine : [Voluntas vult hoc obiectum, quia, & placet, & sua libertate ad hoc se determinat. Neque quærendum est aliud ab ea, per quod se determinat : sed, sicut calor naturaliter calefacit, ita voluntas liberè vult. quod confirmat q. 4. & illustrat indeterminatione ad materiale peccati.

8. Andreas de Castro nouo in 1. d. 22. pluries, maximè q. 2. ad 2. voluntatem concurrendi cum causis secundis esse conditionatam, vt diximus, non absolutam : nihilque prævium ad effectum concursu Dei afferri docet q. 5. fin. & si aliquando auxilium speciale Dei concedat. Repetit d. 38. q. 1. & clarius solutione ad 4. & 6. Petrus de Aliaco in 1. q. 11. art. 1. & q. 12. art. 3. contingentiam effectus, & potestatem ad vtrumvis in voluntate non obstante præscientia diuina, & similibus fuse defendit. Et sub huius articuli init. propos. 4. ait : [Non facilius potest saluari futurorum contingentia, siue, quod futura contingenter sint futura non ponendo Dei præscientiam, quam ipsa posita nec ipsa præscientia affert necessitatem in futuris plus, quam ipsa non posita.] Et iure quidem ita scribit : cum præscientia, & similia solum afferant necessitatem contingentis futuri, quæ in ipsa futuritione contingentis ad præscientiam eius supponitur, nec eius contingentiæ aduersatur, vt sæpè explicuimus ; non vero antecedentem natura necessitatem, quæ sola eius contingentiam valet euertere. Et quamvis seruandæ libertatis studio indissona videatur aliqua lapsus, vt Scotistæ, & Nominales aliquot relati, eadem qua illi, à nobis benignitate interpretandus est.

9. Almain tract. 1. moral. c. 1. notab. 3. asserit, & probat agentis liberi indifferentem agendi, vel non agendi, positis etiam omnibus requisitis, potestatem in eodem instanti, quo agit, eiusque libertati necessitatem ad alterum repugnare ostendit. Et cum à med. capitis obiiciat posito requisito Dei concursu non posse non agere voluntatem. Respondet cum Dionysio Cistercienti in 2. eum concursum non esse requisitum prævium, seu præcedens natura operationem (de cuius generis requisitis sermo in definitione est) sed solum comitans. Quod autem ibi ait, nec prævium esse tempore de concursu ipso verum est ; ast de voluntate concurrendi non ita facilè verum apparet, nisi intelligatur de ea voluntate, vt efficaci, quæ quidem cum efficax concursus illius ab intrinseco, ac de se non sit, sed ad vtrumvis se habens, offerensque concursum pro libito nostræ voluntatis, à solo concursu ipso efficax erit : ac subinde, nec tempore, vt efficax nostram operationem, cui concursus Dei identificatur, præcedet : quo etiam præfinitiones prædeterminatiuas excludit. Repetit eandem sententiam post 4. lib. sententiar. in dictatis circa sententias Ruperti Holkot q. 3. sub init. & q. alia circa 4. articulum §. *circa solutionem 1. argum.* At dices Almainum alia posteriori solutione argumenti illius definitionem causæ liberæ. *Positis omnibus prauiis necessario requisitis.* Ita limitasse : *supple quæ se tenent ex parte illius agentis potest*, &c. quasi dicat. Et si positis quæ se tenent ex parte Dei, scilicet eius voluntate, & concursu non possit non causa libera operari eius libertati non obesse. Noster Ruiz d. 49. sect. 8. n. 22. putat primam solutionem datam esse obiectioni. Quatenus de voluntate Dei concurrendi, & generali concursu cum causa libera formabatur ; secundam vero quatenus è Dei efficaci voluntate actus honesti, quæ esse potest maximè circa actus prædestinati, quæ necessitatem eius actus affert voluntati, quam explicare Almainus ex professo noluit : sed solum ea limitatione asseruit actus ita præfiniti libertati non obesse. Sed multum diuinationis in ea interpretatione est. Facilius respondeo : Secundam hanc solutionem eandem esse cum prima ; nullamque definitionis communis ab Almaino statutæ limitationem continere : sed explicari aliter necessitatem, quæ contingentiæ operationis obest illam solam esse, quæ se ex parte actus primi tenet : Cuiusmodi sunt omnia prærequisita ab agente siue intrinseca, essentialia, vel inhærentia illi sint, siue extrinseca ; ea enim omnia absolutè requisita sunt ex parte agentis illius, quod de se, & ex parte sua illis omnibus eget, vt absolutè non solum operetur, sed & operari absolutè possit. Cuius generis necessitas operandi è concursu Dei, & voluntate concurrendi diuina proueniens minimè est inquit Almainus, quia concursus comitans solummodo est,

non antecedens operationem noſtram ; voluntas vero concurrendi de ſeſe, &, vt concurſum Dei, & noſtram operationem ipſi idemtificatam antecedit efficax, vt diximus non eſt, ſed extrinſecus ab ipſo concurſu, & operatione : quare neceſſitas, quæ eius efficaciam conſequitur, nequit eſſe antecedens, & quæ potentiæ voluntatis ad operationem omittendam, ac ſubinde ipſius libertati repugnet, ſed conſequens, & quæ cum illa amice fœderetur.

CERTAMEN III.

Omnium Eccleſiæ Religionum præſtantes quique Doctores ſemper contra prædeterminatiuas præfinitiones decertarunt.

1. PRimum ſibi doctrinæ, & ſanctimoniæ, atque inſtitutionis antiquitate venerabilis locum adſciſcit ſacra Benedictinorum Religio. Ex qua ante ſcholaſticorum doctorum tempora eis etiam preſſius, & acutius, cum de aliis Theologiæ difficultatibus, tum maximè de re præſenti egit, ac definiuit Anſelmus de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cum noſtrorum operum libertate ex inſtituto ſcribens. Qua de re ſub titulo libri *cur Deus homo* ? Sæpe, nec curſim ſolum, ſed fuſè ſcripſit : vbi eo ſolummodo voluntatis, & prædeſtinationis, ac præſcientiæ diuinæ certitudinem, & infallibilitatem cum noſtrarum actionum libertate componi poſſe docuit, quod neceſſitati conſequenti, & quæ harum poſitionem ſequatur, & ſupponat, non autem antecedenti & quæ eas faciat, vel ponat innitantur. Quod totum ipſiſſima noſtra doctrina eſt præfinitionibus prædeterminatiuis aduerſa, vt ſuo oſtendimus loco, dum de Patrum ſententia diſputabamus. Huius veſtigiis inſiſtit Bernardus eiuſdem inſtituti Monachus, ac tandem alterius nempe Ciſtercienſis Author, vt eadem q. patet : ſed de S. Bernardo, eiuſque inſtituti filiis poſtmodum : nunc de iis, qui in Benedictino Sodalitio floruerunt Theologis dicendum nobis eſt. Vtque plures eius inſtituti, ſicuti & S. Baſilij, Doctores modo præteream, quia in Patribus Eccleſiæ numerantur, vt Magnus Gregorius, & ſimiles, adeoque ad citatam quæſtionem ſpectant ad ſcholaſticos Profeſſores Benedictinos veniamus, qui præſertim à ſocietate noſtra fundata, ac lite præſèti exorta floruere.

2. Eos igitur omnes cauſam noſtram contra Dominicanos, tanquam S. Anſelmi, ac ſui proinde ordinis propriam tunc temporis ſuſcepiſſe conſtat ex epiſtola ſequenti, Collegij ſui Vincentini Salmanticenſis ad ordinis ſui Generalem Procurator. In vrbe. [Ob multam notitiam, quam V. P. habet de propoſitionibus, quæ apud SS. Dominum excutiuntur, de his, quæ ad phyſicam præmotionem ſpectant ſuperſedemus de illis referre. Tantum monere voluimus, quod à Patribus Societatis Ieſu defenditur eſſe doctrinam S. P. N. Anſelmi. Et ideo ob hanc cauſam, & quoniam, quod illi propugnant, verum eſt, & docetur in hoc Collegio à noſtris Magiſtris, & à diſcipulis eorum Monachis noſtris, tam in huius Academiæ publicis Theſibus, quam in iis, quæ in Capitulis generalibus habentur, defenditur.] Quam ob rem V.P. ſedulo conſiderandum eſt hanc eſſe litem nobis æquè communem, à qua noſtræ Religionis honor dependet. Proinde, quæ ſolet, induſtria in ordinis bonum vigilare, proſpiciat doctrinæ tanti momenti, & media opportuna adhibeat, quibus ſubſidietur ei, & ne illorum technis obſcuretur, qui in occulto ſagittant, & feriunt, & præterquam, quod in his V.P. meritis ſuæ perſonæ, & habitus ſatisfaciet, nobis, quod gratiſſimum ſit, operabitur. Nam, & ſi ſacræ Ieſu Societati ob labores, quos in publicum emolumentum confert, æquum eſt vniuerſis fauorem exhibere ; nos tamen ſpecialius deuincimur ob continua præſtantium in ea virorum beneficia erga nos, & germanitatem, quam alterutrum profitemur in pleriſque noſtris Monaſteriis : præſertim in hoc D. Vincentij Salmantino Collegio ; ac proinde optamus ſingulos nobiſcum concurrere, vt animi gratitudinem conteſtemur : veſtram in primis Paternit. qui quam optimè id nouit facere, poteſtque his rebus non leui eſſe adiumento ; quod V. P. ſecure dicere valeat ſuæ ſanctitati, & quibuſcumque aliis perſonis : opiniones ſocietatis, & noſtras legi, & defendi ab Auguſtinianis, Franciſcanis, Carmelitis in concluſionibus, & Theſibus ſuorum Capitulorum, & quotidie magis magiſque amplificantur, & recipiuntur à Theologis valde doctis, vt conformes fidei Catholicæ, & veritati proximiores. Deus P. V. vitam protegat, ipſumque amore & gratia ſua repleat. Salmanticæ ex D. Vincentij Collegio Iulij 31. anno 1600. ſubſcribunt. *Fr. Placidus Pacheco*, poſtea *Placentinus Epiſcop. Fr. Gregorius Criales* præcipuis eius ordinis magiſtratibus functus. *Fr. Antonius de Xepes*, annalium ſui ordinis centuriator illuſtris. *Fr. Marrius de Salazar*, Salmanticenſis Mag. cum primis eius Academiæ numeratus *Fr. Antonius Xerez* Mag. Salmant. poſt ſui ordinis Generalis, & doctis libris euulgatis notiſſimus, ac demum poſt alias inſulas Tarraconenſis Epiſcopus *Fr. Leander de Granada*, qui eruditis obſeruationibus S. Geltrudis reuelationes elucidauit.

3. Extat & alia epiſtola eo ferè tempore ad Procuratorem Generalem eiuſdem ordinis in vrbe ex eodem Collegio miſſa à R. P. Mag. Salmantino Fr. Hieronymo Marton erudito, & docto ſi quis alius Theologo, atque Hiſpalenſi Abbati, quæ eidem veritati facit fidem eius autem exemplar. [Video per noſtræ congregationis Monaſteria rumorem vagari de cenſura in vrbe ferenda aduerſus libros P. Ludouici de Molina ex Societate Ieſu : quod V. P. ibi degenti melius perſpectum erit. Et, licet, quoniam de V. P. ingenio, litteris, Zelo ardenti veritatis, & eorum, quæ ad noſtræ familiæ, vel authoritatem, vel grauitatem ſpectant, certus ſim, hæc mea aduertentia excuſari poſſit ; Nolui tamen officio deeſſe : ne forte ob ſilentium meum noſtro ordini labes aliqua aſpergeretur : præſertim, cum iuxta Chriſti vicarium talis, tantuſque exiſtat vir, qualis V.P. quam ob rem omnes, qui hic litteras profitemur optamus enixe vt V.P. ſedulo perpendat doctrinam Molinæ, de qua controuertitur ibi, ad litteram eandem eſſe, quæ traditur à N. glorioſiſſ. P. Diuo Anſelmo Doctore tam graui, & à quo Eccleſia Catholica mirifice illuſtrata eſt, & quem noſtra Congregatio tantum colit ; quem in finem remitto V. P. Theſes ſubiectas habitas hoc ipſo anno in noſtro Capitulo generali, quarum Præſes fuit acutiſſimus, & eruditiſſimus P. Fr. Maurus de Salazar : & in omnibus Theſibus, quæ à noſtris, vel in Academia iſta, vel intra noſtrum Collegium propugnantur, hæc eadem doctrina defenditur : quam, & noſtri diſtant in ſuis prælectionibus Magiſtri : eſtque apud nos receptum hanc fluxiſſe doctrinam à primitiuis ſcholis noſtræ ſaciæ Religionis. Quos ob titulos hæc cauſa nobis æquè propria eſt, ac Patribus Societatis ; nec declinare poterimus Famæ iacturam, ſi, vel vnus eius minimus apex cenſura Romani Pontificis notetur. Habet ſanè V. P. dignam ingenij ſui excellentiæ materiam : in cuius defenſione, quantum præſtet, cum egregia reputatione oſtendere valeat coram Summo Pontifice, & deſignatis ab eo ſapientiſſimis conſultoribus : idque cum non mediocri, & Dei, & ſuæ religionis gloria. Nolo longiori ſermone faſtidioſus eſſe : nam noui cuius diligentiæ rem hanc commendo : quæ non ſolius noſtri ſodalitij cauſa eſt, ſed aliorum ſacrorum ordinum per Hiſpaniam : in quibus communiter prætata doctrina legitur, & defenditur. Deus nobis ſuam lucem communicet, & V. Paternitatem in longos tueatur annos, vt nobis honori, & ornamento ſit. Salmanticæ ex Collegio S. Vincentij vltima die Iulij anno 1601. Fr. Hieronymus Marton.

4. Ecce quot, quantique ex S. Benedicti ordine Theologiæ Profeſſores non ſolum ſe, & florentiſſimum ſuum Salmanticenſe Collegiũ, ſed & totũ Benedictinum ſodalitium in noſtris caſtris acié re ſuper hac contra recentiores Dominicanos inſtruere teſtantur, vel, vt verius fatear totam noſtrorum aciem non aliis, quam ſui ordinis per Anſelmi manus miniſtratis armis contra eos recentiores inſtrui & pro cauſa vtrique Religioni communi pugnare. Scio ex eo Collegio Vincentino nonnullos poſtea ab hac Anſelmi, & ordinis ſui, & noſtri ſententia, policicis, quam Theologicis rationibus

rationibus aliquandiu defeciſſe : vt de ſe fatetur Caramuel, dum eo in Collegio degebat, in ſua Theologia fundamentali, quam apud Belgas compoſuit : vbi politis illis rationibus ſolutus pro ingenij ſui, & acumine, & ingenuitate inſtructæ à ſe ſatis preſſe, & dilucide contra prædeterminationes ac ſubinde prædeterminatiuas præfinitiones rationi de libertatis euerſione ſolutiones Dominicanas, quas tunc adhibebat refert, & tanquam inanes ridet, & exuges. Neque ipſe ſolus ad ſui ordinis doctrinam noſtram rediit : Verum, & totum illud Vincentinum Collegium, ac proinde hiſpanum totum S. Benedicti Sodalitium, dum hæc ſcribo, ad eandem Anſelmi & ordinis ſui natiuam ſententiam rediit ; in hoc ordine recenſeri iure poſſunt S.Bernardi Alumni, cuius ordo fuit, è Benedictino propagatus.

5. Ex ordine S. Bernardi Doctores omnes in noſtris numerandi ſunt caſtris. Et in primis ſanctimonia & doctrina celeberrimus melliſluus ipſius Author Bernardus, cuius pro nobis plura, & perſpicua in quæſtione, quæ de Patrum authoritate eſt, teſtimonia extant. Sapientiſſimo Parenti, & ordinis ſui, & Theologiæ nobiles Profeſſores quique ea in re adhæſerunt. Inſignis omnigena litteratura Magiſter Fr. Angelus Manrique inter Academiæ Salmantinæ Profeſſores recitatus cert. 2. Magiſter etiam Lorca Primarius in Scoti Cathedra Complutenſis Profeſſor, quem ſola ignorantiæ temeritate, aut impudentia pro oppoſita ſententia citari poſſe hæc euincunt. Nam 1. 2. d.20.de grat.m.1. §. *Et quidem* Thomiſticam de phyſicis prædeterminationibus, & præfinitionibus noſtrarum actionum à cauſa prima ſententiam, à ſe repulſam, longè eſſe à mente Angelici Doctoris grauiſſimorum Thomiſtarum allegatione teſtatur & d.21.concl.2. §. *vt ex omni* de auxilio efficaci (quod ſolum moraliter efficax admittit) agens ait. [Auxilium huius generis infallibile eſt ex adiuncta præſcientia, & cognitione futuri euentus conditionali, quæ ſolum neceſſitatem conſequentem inducit : quæ eſt neceſſitas ſecundum quid, & ſupponens liberam determinationem.] Quibus conſequenter t. in 3. p. q. 1. art.3.d.10.n.2.n.26.allato S.Th.teſtimonio ſcribit. [Ad 4. dicendum, quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum excuſſaque induſtriè S. Th. mente ſubnectit. [Ex quibus S. Th. verbis conſtat præſcientiam illam, quam dicit ſupponi ad prædeſtinationem non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec ſcientiam viſionis ; ſed ſcientiam, quam vocant mediam : quæ ex hoc loco S.Thom. manifeſtè adſtruitur, quibus ſigillatim probatis concludit. Loquitur ergo de ſcientia conditionata, quæ eſt prior omni decreto productionis, & media inter ſcientiam poſſibilium,& ſcientiam eorum,quæ abſolutè futura ſunt : qua ſcientia Deus cognoſcit, non ſolum, quod eſt poſſibile, ſed etiam quid foret, & eſſet in omni euentu, & ordine rerum, & ſuppoſita quacumque conditione dependente à voluntate ſua, & aliorum, & à quacumque ſuppoſitione.] Scientia autem media, ita admiſſa non magis decretis ſubiectiuè abſolutis, & obiectiuè conditionatis, quam prædeterminationibus, & præfinitionibus abſolutè futurorum contingentium aduerſatur. Quibus adde doctum, & ingenioſum Fr.Petrum à S. Ioſeph tract. de grat.d.3.ſect.9.n.67.& in ſuaui concordia tota d.4. Fr. Euſtochium à S. Paulo 2.p.ſumm.Philoſoph. tract.2. d.11. q.3. §. *verum & liberè*. Chryſoſt. Caberum Primarium Theologiæ Profeſſorem Complutenſem tract.2.Phyſicor. d.4.n.9. & tandem vtrumque Hiſpanæ Congregationis ſuæ florentiſſimum Theologorum ſeminarium Complutenſe, & Salmantinum, in quorum primo,& ſi aliquot aliquandiu Profeſſores à ſuorum Anſelmi, Bernardi, & reliquorum doctrina hac noſtra, voluntate, quam mente, deſeruerint ; iam totum ex annis aliquot ad eam ranquam ſui ordinis doctrinam propriam è Capituli generalis ante annos quatuor habiti deliberato conſilio, ac decreto redit. Salmantinum autem ſacri huius ordinis Collegium in ſuis, & noſtris hac in re caſtris ſemper fuit : ac Pauli Leonardi reſponſiones ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam communi ſuffragio probauit, ciuſque nomine ſubſcripſere Magiſtri omnes Fr. Angel. Manrique Ab. Ildephonſus Perez Petrus de Obiedo. Hieronym. Martinez, Thomas Brauo, Henricus de Lagarma.

6. Tertio loco pro noſtra doctrina recenſenda eſſet Patrum Dominicanorum, & religione & doctrina pet illuſtris familia, ex qua primores omnes Theologos, cum veteres, tum iuniores pro nobis ſtare vidimus quoproxima, quibus & numero, & eruditionis, ac Theologicæ ſuppellectilis laude longè impares eſſe illos Dominicanos recentes, cum quibus pugnamus, ne hi quidem inficiabuntur ; ſiquidem ſententiæ huius ſuæ pauci, qui ob excellentiorem doctrinam typis illam docere auſi ſunt inferioris tamen, quam eam impugnantes Dominicani in ſuo ſodalitio habeantur, vt ex citatis & recitatis ſatis claret. Quarto loco Franciſcanorum, & Scotiſtæ, & Nominalis ſcholæ Profeſſores, quos ferè omnes pro nobis eſſe oſtendimus cert. 1. & 2.

7. Quinto loco recitandi veniunt Theologi Auguſtiniani Primores ſuum ſanctiſſimum æquè, atque ſapientiſſimum Patriarcham, Theologiæ, atque Eccleſiæ totius lumen Auguſtinum ſecuti, qui vbivis, & ſententiam noſtram, & eius oſtendendæ principia & docet, & confirmat, vt q.2. videbamus. Sunt autem pro nobis è ſacro hoc Auguſtini ordine inſigniores huius ſæculi Theologi recitati & cert. 1. cum his de rebus Academiarum pro nobis produceebamus iudicia. Scilicet Illuſtriſſ. Auguſtin. Antolinez ex Magiſtro & Profeſſore Primario Salmantino Compoſtellan. Archiep. Mag. Ludouicus de Leon citans Mag. Gueuaram. Baſil. Legionenſ. Salmantin. etiam Primarius, qui & citat Ludouicum auunculum, & Leonardum Coquæum ſcholiis ad cap. 9. libri 12. de ciuit. Dei. Et Petrum de Aragon 1. 2. quæſt. 83. ſolutione argumentor. Sui etiam ordinis inſignes Magiſtros. Poſſet autem eundem Aragon citare ex 2. 2. quæſt.24. art.3. dub. 1. notab. 2. atque attente lectus dub.2. quæſt. 30. art. 4. ſolut. argumenti 2. Magiſter etiam Auguſtinianus Franciſcus Cornejo, & ipſe Primariæ Salmantinæ Cathedræ Theologus Anteceſſor Magiſt. profeſſionis eiuſdem Ioannes de Gueuara Veſpertinæ Cathedræ Academiæ eiuſdem Moderator, atque eiuſdem ordinis, & Cathedræ Rectores Magiſtri Fr. Ioann. Marquez, & Alphonſus Mendoza : quos omnes citato cert. 2. in Salmantina Academia recitauimus. Ex cert. vero 3. à n. 4. addendi ſunt Auguſtiniani ordinis eiuſdem Eremitarum Generalis in vrbe Procurator, & Theologus inſignis Ioannes Baptiſta Piambinus, necnon Mag. Gre.g. Nunez Coronel, qui dum hac de re diſputationes Romæ haberentur à Summo Pontifice nominatus fuit eius controuerſiæ cenſor. His addendi Auguſtinianus etiam Magiſter ſtunica de vera religione aduerſus eius temporis Hæreſes lib.2. cap. 4. col. 3. & deinceps, maximè verſus fin. & toto cap. 7. Mag. Fr. Martinus Albiz Primarius Complutenſis Anteceſſor tract. 1. de ſcient. d. 7. ſect. 5. num. 7. & ſect. vlt. Item Ægidius de Præſent. t. 2. de Beatitud. lib. 1. quæſt. 12. artic. 1. §. 8. &. inſignis Valentinæ Academiæ Primarius Profeſſor cuius in ea Academia memini. Ac demum ne longiorem texam catalogum Gabriel Pennotus Canonicorum Regularium S. Auguſtini Generalis in vrbe Procurator celeberrimo ſuo humanæ libertatis propugnaculo, & nuper Celeſtinus Brunus in quodlibet, d. 13. de ſubſtantia Dei, §.8.

8. Sexto eiſdem omnino fundamentis pro nobis, & contra prædeterminatiuos præfinitores Carmelitus ordo cum ſuis proceribus Theologis ſterit ſemper. Eadem enim, quæ nos modo contra prædeterminatiuas præfinitiones docuit olim reſolutiſſimus Doctor Ioannes Bacho. in 1. d. 40. artic. 2. à med. hanc refert, laudat, & ſequitur Giltonis Doctoris ſententiam. *Licet pronitas quædam ſit in voluntate, & cauſis ſuperioribus ; nulla tamen neceſſitate limitatur ad hanc partem magis quam ad iſtam ſecundum ſententiam Philoſophi, & Catholicorum.* Et ex eodem, & illa probat longè inferius, quibus docet ea ſolum nobis libera, *quæ à Deo* fiunt. *Voluntate permiſſiua, & ſunt in poteſtate noſtra, quantum ad determinationem præſuppoſita influentia tamen in generali & in eſſendo, & in cauſando.* Et recitato Eccleſiaſtico cap. 15. *imaginor ſic, quod Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis, vel iſtam, non determinante me magis ad hanc, quam ad illam ego eligo alteram partem* art. 4. non ſolum in alio probatam, ſed,

vti propriam, atque à seipso, eam sententiam docet asserens arbitrij libertatem in potestate ad vtrumvis, & suarum actionum dominio sitam esse suppositа etiam influentia Dei, & in 2. d. 26. q. vn. art. 1. 3. & 4. docet circa bonum in communi nos libertatem immutabilitatis, siue potius necessitatem habere, quam libertas, seu potius immunitas mutationis deuoluit; ast circa reliqua bona habere libertatem propriam arbitrij, scilicet, potestatis indifferentis ad vtrumvis. Accedit è Carmelo eodem non suppar modo Bachoni Theologus, sed (in rebus præsertim hisce, quæ ad præscientiæ, & prædestinationis cum libertate nostra concordiam attinent) excedens Thomas Vvaldensis Anglicanæ Prouinciæ Prouincialis, de cuius doctrina luculenter Fr. Marcus Antonius Alegre de Casanate in suo paradiso Carmelitico statu 4. ætate 16. anno Christi 1430. c. 234. in Thoma Vvaldensi. Is ergo libris doctrinalis fidei Vviclefum Lutheri, & Calumi erroribus contra nostrarum actionum libertatem præludentem, ita nostra hac doctrina oppressit, vt nemo, qui eum legerit, nisi sciens, & volens possit à Catholica veritate deuiare: legatur eorum operum vbique, sed maximè lib. 1. art. 1. c. 25. vbi explicata, vti nos infrà explicamus, necessitate antecedenti, & consequenti ab Anselmo & satis clarè tradita ait. [Necessitas ergo præcedens non competitur arbitrij libertatem: & ideo non conuenit humanis affectibus. Subditque. Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri necessitate missam præcedentem ponunt in humanis operibus etiam, & quod fluant voluntate Dei: maximè, cum in antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possunt, cum conantur.] Fuerunt autem magni illi viri Brauadina, qui eo tempore præfinitiones prædeterminatiuas docuit cum aliquot Dominicanis suis.

9. Et cap. 28. eam præfinitionum harum antecedentem necessitatem libertatem destruere ait. [Iuxta communem consensum Ecclesiasticæ doctrinæ hausum de fontibus saluatoris per processus scripturæ, & antiquorum scripta Doctorum.] Et cap. 8. dixerat [venerabilis Anselmus, & S. Thomas clarissimo ore dicunt non esse ibi (ratione præscientiæ, & prædestinationis) necessitatem aliquam præcedentem, sed consequentem, quæ nihil efficit; ipse (contra quem agit) omnino imponit eis necessitatem ponere præcedentem, quæ rem obliget ad euentum.] Ex eodem etiam Carmelitano sodalitio numerandus est Mag. Ioann. Antonius Bohius Collegij Romani sui ordinis Regens, quem pro nostra hac Molinæ doctrina sententiam dixisse in Romanis de ea consultationibus, & censuris Sedis Apostolicæ iussu habitis Ioannes ipse à S. Thom. inficiari non ausus expressè fatetur. Item Reuerendissimus Mag. Henric. Siluius eius postmodum ordinis generalis, qui ad eam causam censuræ ius à Sede Apostolica habuit, atque in causæ eius consultationibus Molinam secutus, & summa eruditionis ingenij, & doctrinæ laude tutatus est, vt testatur Fr. Antonius Alegre citato paradisi Carmel. ætate 17. cap. 36. anno 1598. Mag. Fr. Gilius Primarius in suo Complutensi Collegio Professor, in eaque Academia Theologus spectatissimus, atque bonæ omnis in sua hac Castellana Prouincia Theologiæ parens lectu-ris omnibus, quæ præsentem materiam concernunt. Mag. Benauides eiusdem Academiæ Doctor, & Primariæ Cathedræ Theologus antecessor. Magister Lizana Primarius etiam eiusdem cœnobij lector, & Generalis in vrbe Procurator: vtrobique sanctitate, & litteratura nobilis, cum in suis lecturis, tum cursim in opere pro immaculata conceptione, & vno verbo insigne illud Carmeli Complutense Collegium, & Toleranum eius ordinis Monasterium totum per annos multos, quoysque paucis abhinc annis Magister Encinas Cathedræ ex minoribus Complutensis spe ex Dominicanis Patribus concepta, nostram hanc, & suam hactenus doctrinam deferens ex oppositionum suggestu Thomisticam legit: æstimansque eam ob rem causa cecidisse omni arte & potentia (fuit enim postea Prouincialis) doctrinam nostram per vim etiam à sua Prouincia eliminare conatus, lectores aliquot metu potius (vt ex præstantioribus quique testati sunt) quam studio ad Thomisticam perttraxit. Speramus autem eos intellectuali hac tyrannide liberos, libertatem & suam & nostram cum suis antiquis Doctoribus Bachone Vvaldense, & insignioribus reliquis defensuros, sicuti defendisse semper præcipuos doctrinæ laude Carmelitani conuentus Valentini Professores testis est noster Borrull. de scient. med. d. 5. sect. vlt. num. 372. fine, & Vallisoletan. Doctor Coronel epist. recitata, q. 3. & Salmantin. itidem.

10. E Mercenariorum cœtu, vtpote Dominicanorum Colonia, paucos, quos sciam, filialis metus post excitam horum cum nostris litem nostris accedere partibus permisit. Et quamvis controuersiæ huius initio veritatis amore filialis hic timor ab eius ordinis Professoribus fuerit superatus, atque nostram hanc Molinæ doctrinam Generalibus Thesibus in suo Generali Capitulo defendam putarint; à suo Prouinciali Francisco Zumel sunt prohibiti teste omni exceptione maiori Vallisoletano tunc Primario Doctore Ioanne Garcia Coronel, alias Thomista, & Dominicanis de reliquo addictissimo, vti ex eius epistola q. 3. cert. 2. n. 8. recitata constat. Et quidem Zumelium, non Theologicis, sed politicis, nescio quibus, rationibus in eam Dominicanorum recentium sententiam tractum esse vel inde constat: quod sæpè scriptis suis, voluntate in vnam, ratione in alteram trahente in vtramque claudicet partem vti doctè ante nos obseruarunt alij, in quibus ita de Zumelio scribit Fasolus 1. p. t. 2. q. 14. art. 13. d. 9. n. 110. [Solemne huic scriptori est nunc nostris, nunc aduersariorum sententiis propemodum, verba ipsa describendo adhærere. Ex quo quanti eius authoritas facienda sit quivis facilè iudicauerit.] Et nos certè huius ordinis professores dolentes sæpè audiuimus, quod Dominicanorum recentium in rebus hisce doctrinam contra proprium animi sensum à suis Prouincialibus, & Generalibus cogantur defendere: quia nimirum illi Episcopatibus inhiantes Dominicano Regis Catholici confessario, cuius ope illos se consecuturos sperant, ea mentium seruitute ingens obsequium præstare putant: quod & nonnullis aliorum ordinum euenire ipsis fatentibus didicimus, sed enim nimius animi candor est credere eo obsequio id opè, & opera Confessarij Dominicani obtenturos, quod & ipse, & sui appetunt fratres.

11. Ex sacra SS. Trinitatis religione neminem pro nobis referre animus erat: cum totam illam totam vbique nationum, & temporum, ex quo res hæc in controuersiam verti cæpit, sententias hac in re nostras, & defendisse & illustrasse notum à Deo sit, vt, ne aduersarij quidem, qui exteros suæ opinionis Patronos omni arte venantur, trutinatas etiam aliquorum (qui satis clarè pro nobis pugnant) sententias recitantes, vt ipsis adfauere videantur, vel vnum ex ea religione Doctorem pro se referre sint ausi. Cæterum insigniores eius familiæ aliquot singulatim referendi sunt, quorum scripta, vel præsum viderunt, vel merentur. Nempè Magister Paez Doctor Conimbricensis, regiusque apud Lusitanos Concionator insignis, & subtilis sacrorum bibliorum interpres Commentarijs in Ezechielem: Mag. Didacus de Auila grauissimus Theologus, & in Beatiensi Academia initio controuersiæ Professor, cuius meminit nuper citatus Primarius Vallisoletanus epistola citata. Mag. Escalante Hispalensis Academiæ Primarius in suo clypeo concionatorum. Magistr. Sepulueda Salmanticensis & Mag. & Professor tract. de anima d. vlt. sect. 4. Mag. Marcus Antonius Alos. Doctor Valentinus t. 1. selectarum disputationum, & lectura de scientia Dei. Ioannes Hurtado Salmantinus Professor, & Mag. post vero Primarius Vallisoletanus lectura de scientia Dei. Mag. Moya Castellæ Prouincialis, & Mag. Mora celebres Complutensis sui Collegij Professores lecturis de scientia, & auxiliis. Mag. Iosephus Romero de Cos in Salmantina nunc Academia Magister, & scripturæ sacræ Professor, & Castellæ Prouincialis.

12. Totus etiam S. Francisci de Paula maximorum, minimorum ordo à principio controuersiæ nostris etiam partibus summo ingenio, & constantia adhæret, quin vel vnus ex eis Theologus Dominicanis hisce consenserit vt superfluum sit aliquos referre, cum vno verbo possimus omnes: Videantur nihilominus Ioannes Durallaus lib. 2. dialectico Theæ cap. 8. t. *aliqua argumenta*, & tit. *Quomodo stent simul*, §. *Amplius probatur*, & tit. *Soluitur quoddam*, §. *Infertur tandem*. Marinus Mersennus in c. 1. Genes. art. 5. obiect. 10. & 17. Claudius Ranolius in lib. 1. Reg. c. 13. vers. 4. t. *quomodo intelligendus sit* §. Ea

§. *Ex his sequitur.* Et §. *His ita explicatis.* Item Reuerendissimus Ioannes Ponze Regius Concionator, & Bæticæ Prouinciæ Prouincialis supremi Senatus S. Inquisitionis censor. Et Illustrissimus Herrera eisdem muneribus functus, qui sacris insulis electus à Rege, ac Domino nostro Philip. 4. humili magnanimitate renunciauit, ac dum hæc scribo magno sui apud curiam regiam, & bonos omnes desiderio obiit, Ioannes Noboa præcipuis sui ordinis muneribus functus. Hi inquam tres lecturis de scientia, auxiliis, prædestinatione. Etsi enim prælo ea scripta non mandauerint, Lecturæ tamen apud Complutum diuturnitate, & doctrinæ laude, cum ibi, quam in curia Regia, & tota denique Hispania fuerunt notissimi. Nonissime ex huius ordinis scriptoribus Ioannes Salemandet. d. Physicæ partitione 4. post Clypeum 4. Etsi cum Durando, & Aureolo, & Capuscino Dola censeat Deum non concurrere immediate cum causis secundis, præsertim liberis 2. resolut. ex hypothesi verò concursus immediati Dei cum ipsis de præsio prædeterminante hæc habet § vlt. totius resolutionis, [diuertendo enim ad prædeterminantes maximum est periculum de medio tollendi ipsam libertatem: saltem tenentur illam definitionem libertatis negare, qua dicitur, libertas, seu libertum arbitrium est facultas, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, vel non agere. Si enim reciperent hanc definitionem, statim hæc consequentia fieret: posita illa prædeterminatione voluntas non potest non agere. Ergo tollitur eius libertas,] quæ in concursu simultaneo cessare ait.

13. Ex clericorum minorum Sodalitio, vnus pro multis sufficit, & superfluit Reuerendissimus Raphael Auersa sect. 3. §. *in hac re*, ex seruitarum familia Celius Valiosius de prædestin. cap. 8. Etsi idem ac seruitarum apud Bononienses ordo seruorum nuncupatus est, Antiquior Doctor Laurentius Opimus Illustri commentario in Magistrum sententiarum lib. 2. d. 25. Ex clericis regularibus alius Zacharias Pasqualigus t. 1. de Deo, d. 40. sect. 1. vbi omnem determinationem diuinæ voluntatis, nostræ voluntatis determinationi antecedentem libertati contrariam fatetur. Et quamvis scientiæ mediæ nomen fugiat re tamen ipsa illam simplicis intelligentiæ nomine admittit.

CERTAMEN IV.

Doctores exteri reliqui & nostri omnes prædeterminatiuas præfinitiones abiicientes recensentur.

1. HAdrian. in 4 sent. tract. de sacram pœnit. (quo loco pro aduersariis citatur quæst. *an homini semper maneat aculeus vere pœnitendi?* Etsi gratiam excitantem, & subinde possibilitatem, seu facultatem pœnitendi videatur negare sub init. tamen solum negat eis gratiam abundatiorem, & concedit quemcumque posse conuerti, habereque paratum Dei auxilium ad conuersionem: quare in eorum etiam potestate esse illam, etsi difficillima eis sit. Et quodlib. 3. quæst. 1. ante med. & med. ait nulli viatori impositam esse necessitatem peccati, sed potius ratione sufficientis auxilij potestatem adesse non peccandi, & quodlib. 7. §. *videamus*, nostræ potestatis, & dominij esse eligere bonum, vel malum. Et vers. fin. *cuilibet sufficienti auxilium offerri quo resurgere possit, & omnia peccata vitare.* Ac sine rem illustri metaphora explicat dicens, *Plurimorum manus à Deo apprehenduntur, qui tamen extra puteum non trahuntur: quia semetipsos iuuare non satagunt.* Ex his autem qui contra Lutheranum, Caluinum, & kemnitium. Prædeterminantes præfiniones afferentes, scripsere Roffensis art. 36. contra Lutherum inter princip. & med. §. *edissere*, & sequenti, ac Pope articuli med. Ruardus Tapper contra Luther art. 7. toto. præsertim inter princip. & med. propos. 4 5. 7. & 10. & initio articuli in definitione liberi arbitrij de quo q. 3. diximus Triedo de redempt. generis human. citatus à Ruardo proximè tract. 4. c. 2. concl. 1. 2. 3. & corollar. siue concl. 5. & tract. 5. cap. 3. concl. 3. & tract. 6. cap. 1. pag. 2. rationibus tertij, & quarti gener. & lib. de concord. gratiæ cum libero arbitrio cap. 2. partic. 2. & cap. 3 longe ab init. §. *Accedamus iam ad examinanda*, & lib. 1. de grat. & lib. arbitr. tract. 4. lib. 2. toto præsertim tract. 1. fin. Stapletonius duaci, & Louaniæ Professor Regius lib. 4. de iustific. cap. 8. Antidoto in epist. ad Roman. cap. 11. ad id, *sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei*, post med. commentarij, & in cap. 9. ad id. *An non habet potestatem figulus.* Sæpe, & maxime vers. 15. §. *Deum altitudine intellectus sui.* Antidoto in Ioann. cap. 1. ad id: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & in cap. 8. ad id: *si filius vos liberauerit.* & in cap. 15. ad id: *sine me nihil potestis facere.* Et antidoto in acta in cap. 1. ad id *Definito consilio, & præscientia Dei.* Et in promptuario Catholico 6. Feria Hebdomadæ 1. quadragesi. Hi omnes adeo exploratò contra præfinitiones prædeterminatiuas, tanquam libertatis nostræ pestem, & pro scientia nostra media scribunt, vt nobis vltro donentur à primis aduersariorum Ledesma Aluarez, Zumel & Cabreta, etsi postremi, vt Hieronymus Viues, & alij ausi fuerint eos pro se recitare. viuunt tamen, viuentque semper egregia tantorum virorum scripta vbi citata loca videri à quovis possunt, & collecta omnia præter vnum sunt apud Ruiz de scientia d. 49. sect. 9.

2. Eadem audacia citatur pro se ab eodem Viues, & aliis Cunerus Episcop. Leouardiensis; qui tamen ita contra horum impostaram pro se, & pro nobis scripsit tract. de lib. arbitr. cap. 9. [Fit quidem, vt positis iisdem fidei, & conuersionis principiis similibus, Spiritus Sancti Illustrationibus, suasionibus, & inspirationibus vnus sua libera voluntate eas reiiciat, & non credat, alius sequatur, & credat. Cæterum, qui conuertitur, non ex sola voluntatis virtute hos instinctus sequitur, sed Deo generaliter, & Patre misericordiarum cooperante, & Spiritus Sancti inspiratione comitante. His tamen non obstantibus potuit is, qui credidit hoc facere, quod fecit is, qui in infidelitate permansit; & is idem id ipsum potuit facere, quod fecit is, qui acquieuit: quoniam positis huiusmodi præuenientibus adiutoriis ipsa diuina, & Spiritus S. cooperatio ex Dei benignitate in ipso hominis arbitrio quoque posita est, vt ex Deo operari possit, & ex se cessare: quo casu verissimum esse cernimus, quod inter nos diuersitas ex libero nascitur arbitrio: quoniam qui resistit ex eisdem gratiis acquiescere potuit; & is, qui locum dedit spiritui sancto similiter resistere potuit.] Ioannem etiam Malderum Professor Reg. Louaniens. Antuerpiensem Episcopum à nobis alienum vendicant, qui eius scripta non viderunt, vel dissimularunt. Siquidem 1. 2. quæst. 111. art. 3. tract. de grat. dub. 10. toto. Sed præcipue n. 3. & 4. post aduersariorum fundamenta sic fatur. [Verum tota hac operosa argmentorum mole, neque satis ostenditur inutilitas, imo neque tollitur necessitas præscientiæ conditionatæ in explicanda gratiæ efficacia. Imo probabilius est recte, & secundum mentem veterum recentiores quosdam, eosque non paucos, neque obscuros, neque in scholæ vnius sententiam iuratos per hanc præscientiam conditionatam explicare complementum quasi vltimum, & omni gratiæ efficaci commune.] Et postea eo scientiam hanc commendat, [quod per illam omnia, quæ scriptura sacra, & veteres Patres (præsertim Augustinus) de gratia efficaci dixerunt, recte explicentur: Et quod alius modus hactenus repertus non sit, quo æque commode, & clare explicari queat concordia gratiæ, & liberi arbitrij.] His adde Ioann. Vvigers Louaniensis etiam Academiæ Doctorem insignem ad eandem quæstionem & articulum 3. qu. 2. à n. 33.

3. Ioann. Cochlæus totis libris duobus de lib. arbitr. contra Melanth. qui antecedentem necessitatem operum nostrorum, & prædeterminationem ex prædestinatione, gubernatione, & operatione Dei adstruebat (2. eiusdem Cochlæi libro tex. 3. & 4.) excludit ex scriptura, & Patribus, atque oppositam indifferentem potestatem, & dominum arbitrij nostri ex iisdem confirmat, præsertim lib. 1. textu 1. ex illo Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus.* Et textu 2. ex illo Dei 3. Reg. 3. ad Salomon. *Postula quodvis, vt dem tibi.* Et lib. 2. impugnatione textus 5. ad fin. Eandem necessitatis operandi exclusionem ab arbi-

trio libero, eiusque indifferentem potestatem & dominium ad sua opera ex scriptura, & Patribus docet contra Lutherum, posito etiam Dei concursu præparato, & speciali eius gratia Ioann. Echius Enchirid. locorum communn. loco 31. speciatim ad 7. & 11. Hæreticorum obiectionem. Id ipsum ostendunt contra eosdem Hieronym. Torrensis pluribus Augustini locis lib.2. confessionis Augustinianæ cap.3. de grat. & lib.arbitr. & Ioannes Nopelius lib.2. confessionis Ambrosianæ cap.2.de lib.arbit.per quinque priores ritulos pluribus Ambrosij testimoniis. idem docet Albertus Pighius lib.3. de lib.arbitr. c.3.4.5. & lib.7. & 8. Franciscus Sonnius in demonstrationibus tract.12. de consiliis init. & per totum, auxilij vsum in arbitrij potestate locans, & cap.26. circa medium. *Quid enim libertas? nonne facultas agendi, quod velis tequeipso vtendi ad tuam vtilitatem quomodo velis? seruitus autem non aliud, quam non posse, quod velis?* Cardinal. Contarenus ad suorum operum fin. epist. de prædestinat. post med. Dei vocationi, & auxilio quosdam propriæ voluntatis potestate respondere, alios resistere docet: cum vtrique sequi possent, & vtrique resistere, exemploque aptissimo illustrat Illustriss. Alphonsus Virvesius Episcop. Canar. disp. philippica 15. ex viginti, quas contra dogmata Lutherana edidit. Iudocus Tileranus Apolog. pro Trident. contra Kemnitium part. 1. circa 6. sessionem, & sex priores eius Canones, præsertim, §. *Hæc, cum ita sint.* Christophor. à capite fontium de lib.arbitr.pag. 1.& pag.60. in 3. ratione, & pag.117. confutatione 4. Michael de Palacio in 2. d.25. disp.1. init. difficultati de necessaria actione causæ secundæ Deo efficaciter mouente ait: eam necessitatem, sicuti, & efficaciam motionis causæ primæ respectu causæ secundæ liberæ non esse antecedentem, sed consequentem huius operationem, & ab huius positione ortam, & d.37.disp.vn.solut.argum.1. ideo plenam habere suarum actionum potestatem arbitrium ait: quia Deus paratissimus est operari, quando ipsum volet.

4. Nicolaus Grandis ad Roman. 9. maxime in ea. *Miserebor, cui misertus sum.* Et in illa, *non volentis neque currentis.* Negat liberas actiones antecedenti prædeterminatione Dei præueniri, imo electionem, & reprobationem præscientiæ illarum inniti. Marcus Antonius Nattæ lib.9.de Deo initio, & pag.5. cum futurorum præscientia & tota serie causarum voluntatis libertatem, & potestatem ad agendum, vel non agendum, vitanda peccata, vel secus, obedire Deo, vel resistere, & vtrovis se flectere optime constare: fusius lib.12. pag.3. & 6. Horantius lib.1. locor. Catholicor. maxime à cap.31. ad 56. omni necessitate antecedentis solutam libertatis indifferentiam docet. Et c.45. circa fin. ait: Deum neminem vi suæ trahere motionis, & gratiæ, sed præsto solum esse ad opitulandum si velimus. Et c.25. nostri esse iuris primam gratiam irritam facere respuendo, vel confirmare sequendo. Fælicitanus Capitonus Catholicar. explicatio. part.1. explicat.62. libertatis indifferentiam, & potestatem ad vtrumvis indeterminatam, suppositis etiam gratia, docet sicuti 2. part. explicat.55. & 73. num.3. ex Augustino, & 3. part. explicat.21. num.10. nullam necessitatem agendi à prædestinatione, aut præscientia nobis afferri probat Illustriss. D. Ferdinand. Mascarenas Algarbior. Episcop. Lusitaniæ Generalis Inquisitor. tract. de auxil. toto: præcipue d.2. part.3. num.23. & part.4. num.27 d.3.part.4.n.6. Illustriss. Franciscus Diota Leuius Episcop. S. Angeli, & Bisacciarum Legatus à latere à Paulo 5. apud Poloniam opuscul. de scient. conditionat. cap.3. probat 3. & 4. Pesantius Eques Rom. iurium, & Theologiæ Doctor 1.p.qu.14.art.13.d.5.concl.4. & 5.qu. 23.art.5.d.7.& 1.2.qu.111.art.5.d 4. notab.2. Gundisalu. Sanchez Lucero de concept. discursu 1.c.5. Thom. Pius 1. par.qu 14.art.13.dub.3.n.5. dub.4 n.5. Eugen. Philadelph. exercit.scol.Tripart.c.1.corollar.36 cap.3.§.8. Ioan.Putheanus Regius Academiæ Tolosanæ Professor ad q.14.1.p. art.13, dub.2. §. *vltima sententia* dub.3. §. *Ad rationes.* Alphonsus Curie controu.7.seu 1. in 4 sapient. & alibi in Salmantina Academia citatus Oduardus Vestonus Duacensis Professor lib.3. de triplici homin. officio cap.29. Claudius Dauiquius de Sanctitudine B.Pauli Apost.lib.2. c.6.Murcia de la Mana 2.physicor.d.4.de causa efficiente q.3.§. *quinto dubitari potest*, Ludouicus Diaz, Franco tr.1. de reb.naturalib. in communi q.8. c.2. n.11. Paulus Leonardus toto opere celebri responsionum ad expostulationes contra scient.med.

5. Pro eadem porro sententia nostra præfinitiones abiiciente prædeterminatiuas numerandi etiam sunt, qui æstimantes S.Augustinum locis iam à nobis explicatis absolute efficaciter, & voluntate & gratia sua nostra bona opera independenter omnino à nostra libertate ineuitabiliter, & irresistibiliter à nobis Deum operari docuisse censent eum, & cum ipso loquentes Patres alios Pelagianæ hæresis, quam impugnabant, totum arbitrio tribuentes, minus erga arbitrium æque docuisse, atque in foueam alteram incidisse euersæ inde libertatis. Ij vero sunt Genebrard. Epist. ad Carolum 9. Galliæ Regem præfixa Origenis operibus à se correptis, §. *Augustinus id in se agnoscit*, Cornel. Mussus Franciscanus Episcop. Bituntinus ex Patribus Tridentinis ad cap.5. ad Roman. in id. *Igitur, sicut per vnum delictum*, §. *Verum tamen*, & §. *Ad Augustinum autem.* Sixtus Senensis Dominicanus præfat. lib.5 Bibliothecæ, §. *Sunt deinde alij.* Accedunt Iulius Sirenius libro de prædestinat. & libris contra Ethnicum factum, Hieronymus Osorius lib.9. de iustificat. Sadoletus in cap.8. ad Roman. quos cum aliis pro nobis refert Ledesma de auxil. sub init. proposit fundamentali pag.7. item Abulensis in cap.11. Ioluc. Bartholomeus Camerarius Dialog Catholico cap.9.§.4. Cosmas Philiarcus lib. de prædestinat. apud Herreram Franciscan. t.1.in 1. sentent.d.24. qu.vn.sententia 2. Ioannes Roa Dauila Illustriss. insuper D. Ioannes Iannis de Echalas Calagurritanus Episcop. d.32. cap.3. numer.27. quibus & alij plures addendi, quos, cum nullius ordinis sint quæstionibus antecedentibus, è quarta scilicet, recensuimus; Regulares enim in suis quoque ordinibus numerauimus.

6. Iam ex nostræ societatis Doctoribus non admodum breuis Cathalogus texendus est. Ludouicus Molina 1. par. quæst.14. concl. Et super eadem quæst.14. concordia art.3.d.50. §. *Triplicem sententiam*, & qu.23.art.4.& 5. d.1.m.9. §. *Et quidem Deus*, & m. vlt. Fonseca 6. metaphysic. t.3.cap.2.qu.4. sect.8. §. *Vnde aperte*, & sect.10. Vasq.t.1.in 1.p.d.67.c.4.n.21. Valentiat. 1. in 1.p.qu.14. d.1.punct.5.§.2. vers. *secundum est*, & versu *nunc his ita explicatis*, Soarez opuscul.lib.2.de scientia conditionata c.7.& 8.& 1.de grat. prolog.2.c.5.& 2. p.altero prologomeno eminentiss. Cardinal. Robert. Bellar.2.de amiss. gratiæ c.17.ad ration.1.& 4.de grat.& lib. arbit. c.12.& 13. Eminentiss. etiam Cardin. Ioan. de Lugo d.20. de incarnat.sect.2.n.33. Becan.1.p. tract.1.cap.10.q.9. concl.1. q.11.n.2.qu.12.concl.1. Ægydius Koninck.2.2. d.2.dub.7. n.107. Ludouicus Turrian.tract.4.q.8. Conimbricenses 2. Physicor.c.5.qu.13. Didacus Ruiz de Montoia t.de scientia Dei fere toto: præcipue à disp.33. & sæpè tomis sequentibus de voluntate, de prouidentia, & de prædestinat. vt vel citare singulatim loca fir valde prolixum. Arrubal. 1.p.d.42.c.3.d.46.c.1. Herize tract.1. de scientia Dei d.7. c.7.Granado 1.p.tract 5.d.4.n.4.d.8.sect.1.n.7.sect.2.n.10. Albertin. quæst.4. Theolog. Corollar 4. dub.1. assert.2. n.15.dub.2.num.4. Meratius t.1 tract.de Deo d.28.sect.4. vers. *Ex his constat*, sect.5.conclus.3. Tanner.1.p.d.2.q.6. dub.8. assert.3. Lessius Apologetico de grat. efficaci, & lib.6.de diuin. perfectionib.cap.2. fasolus t.2.in 1.p.q.14. art.13.dub.7. Alarcon 1. p. tract.2.d.4.c.1. Ioann. de Salas t.1.in 1.2.tract.3.d.1.sect.6.tract.5. d.3.sect.2. Dionys. Petauius t.2. Theologicor.dogmat.lib.4.c.8. Marcus Anton. Colum.1.p.q.14.doctrina 4.

2. Anton. Peræ 1.p.n.88. Iulius Cæsar Recupitus t.2. in 1. p.lib.1. qu.27. & 28. Franciscus Gonzalez de Sancta Cruz, Bartolomeus Amicus, & Baltazar Tellez in physicis de causa efficienti, & concursu primæ cum secundis agentes, Sfortia Palauicinus 1. p.& 1.2. Anton. Ricardus d. de lib.arbitr. & ad obiectiones Vincentia. Petrus Hurtado d.9. de anima, & 55. de incarnat.sect.2. num.54. Gaspar Hurtado tr. de Scientia Dei diffic. 10. Moncæus d.3. ex Theologicis c.9.§. *Iam ostendo*, & c.16.§. *At inprimis*, Rasusia de incarnat.d.30.§ 5. Theophilus Raynaudus Theolog.naturali d.8.q.1. art.2.n.37. & de noua libertate p.2. c.8.n.3. Martinus Greiserus de conscientia c.19. à n.257. Gualterius Chronologiæ sæculo 1.veritate 4.§.24. sæculo 4.veritate 4.§.15. Ferdinand. Salazar de concept. c.9.n.31.

c.24.

c.14 n.60. Burgheſius de continẽtia Chriſtiana c.11. & 12. Ioannes Martinez de Ripalda de ente ſupernaturali d. 105. Franciſcus Amicus de ſcientia Dei d.12. ſect.12. à n.200. Ioann. Præpoſitus diſſertatiunc. de ſcientia med. dub.2. Arriaga diſp.8. de anima ſect.3. ſubſect.2. Et t.1. in 1.p.d 21. de ſcient ſect.2. Zuñiga de Trinit. q.34 d.9. dub. 7.n.2.n.8. Hemelman.t.2.tit.13.d.1.c.4.n.26.& tit.14.d.2. c.3.num.7. Vvadingus de incarnat.d.9. dub.4.n.21. Perlin. Apolog. Scholaſtica pro immaculata Virg. concep. diſp.4. c.11.n.2.& c.4.n.1. Franciſcus de Lugo 1.p.lib.1.d.32. ante c.1.& d.37. de prædeſtinat. c.1.à n.7.

7. Azor. t.1. moral. Theolog. lib.1.c.21.q.8. Martinon de Scientia Dei d.10. ſect.10. Franciſc. Alphonſus 2. phyſicor. Auguſtinus Bernal, de incarnat. d.18. ſect.3. n.53. Ludouicus de Ribas de Scient. Dei d.6. c.5. Martin Perez ab Vrranoa de incarnat. d.13. ſect.2. Aldrete de incarnat. t.1. d.21. ſect.1. Gaſpar de Ribadeneyra de prædeſt. à diſp.3. & de Scientia Dei d.20. & 21. Chriſtophorus de Vega in Theologia Mariana paleſtra 2. cert.3 & 4. Compton Carleton d.46. ſuæ Philoſophiæ ſect.4. Ildephonſus Peunafiel de poſteriori reſolut. d.5. ordine 14. quæſt.1. n.10. & quæſt.vlt d.9. à ſect.3. Franciſcus Annatus celeberrimo, & laudatiſſimo, nec ſatis laudando opere toto defenſionis ſcientiæ mediæ contra Tuiſſium Caluiniſtam, Auonymum de ordine, Fr. Ioann. à S. Thoma, & Authorum curſus Theologici Carmelitani diſcalceati, Bernaldus Quiros variis locis t.1. in 1.p. præcipue tract. de Scientia Dei, & tract. de voluntate, & cap.2. de prouident. & tract. de prædeſtin. Franciſcus Lyneeus t.1. ſuæ Philoſophiæ lib.10. tract.4 cap vlt. Gaſpar Henao de ſcientia media hiſtorice propuguata aliosreferens plures Matthias Borrull. Valentinus defenſione ſcientiæ mediæ contra nouos eius impugnatores ſcilicet contra Hieronym. Viues Valentinum conciuem, qui eam ſcientiam nouiſſime impugnauerat lib.1. de Primatu diuinæ libertatis ad ſciendum, & diſcernendum de contingentibus contra ſcientiam mediam. Qui omnes, atque ex ſcholaſticis noſtris Doctoribus alij, rem metaphyſice, & rigore ſcholaſtico diſcutientes prædeterminatiuas præfinitiones, ſiue obiectiue conditionatas reſpectu conditionatorum contingentium, ſiue omnino abſolutas reſpectu contingentium abſolutorum (vt renum, quas ex inſtituto diſputabant oportunitas fuit) omnino reiecerunt.

8. Id ipſum è noſtris ſcripturæ ſacræ interpretibus præſtitere Alphonſus Salmeron t.4. in Euangelia p.3. tr. 14. §. *Ad ſecundam quæſtionem*, in quo ſpecialiter notandum cum ibi, tum reliquis commentariorum ſuorum libris ſcholaſticas quæſtiones, quas ex littera ſacri texitus excitat ita exacta eruditione, & ſcholaſticis rationibus ab ipſo diſputari, ac definiri, vt nemini, ſiue priſcorum, ſiue recentiorum Theologorum ſit ſecundus. Atque id quidem, & profundo ingenio, & eruditione, atque indefeſſo tanti viri ſtudio effectum eſt, & manuſcriptorum Iacobi Lainez, Doctorum omnium ætatis ſuæ facile Principis ditiſſimis ſuppetiis: quare in Salmeronio Iacobus etiam Lainez, à quo tantus vir diſcedere auſus nunquam fuit, pro quauis eius ſententia citatur. Venerabilis hæreticorum Malleus Petrus Caniſius apendice Catechiſmi de hominis lapſu, & iuſtificatione c.5. Maldonatus in Euangelia in c.6. Ioannis ad id: *Niſi Pater meus traxerit eum*, n.67. & in cap.15. ad id. *Manete in me, & ego in vobis*. Eminentiſſ. Cardinal. Toletus in c.10. Lucæ annot. 28. notab.5. Barradas t.3. cap.11. ad id. *Væ tibi Bethſaida*, & Cornelius à Lapide in cap.38. Ierem. verſ.17. & in epiſt.2. ad Timot. c.2. verſ.19. Lorinus in c.4. ſapient. verſ. 11. & in c.11. verſ.18. Iuſtinian. in c.3. ad Epheſ. verſ.11. Ioan. Mariana, Gaſpar Sanch. Ioannes Rodolphus de Cordoua apud Henao ventil.17. Antonius Fernandez de viſionib. veteris Teſtam. Viſione 6. c.3. comment.1. ſect.1. n.1. Franciſcus de Mendoza t.3. in lib.1. Regum. c.11. n.26. expoſit. litteræ annotat.1. circa litteram n.1.

9. Iacobus Pintus de Chriſto crucifixo lib.2. tit.1. loco 1. n.13. Tirinus in epiſt.2. S. Petri Apoſtolorum Principis c.1. verſ.13. Contzen in epiſt. ad Roman. c.P. verſ.11. q.7. §.6. Gabriel Aluarez t.2. in Iſaiam c.40. verſ.11. n.299. & c.41. n.256. Gordonus in cap.4. Sapient. verſ.11. & in epiſt. 2. ad Timoth. c.3. verſ.19. Vincentius Regius in concordiis Euang. t.1. l.4. c.10. Theorica 1. n.1. Bonarcius in c.16. Eccleſ. verſ.16. Didacus de Baeza tom.3. commentar. moral. in Euang. lib.14 c.16. §.35. Ioannes Philippæus t.1. in Oſeam c.2. verſ.13. c.4. & 11. Viegas, & Cucuara apud Ripaldam de ente ſupernaturali d.113. n.25. Antonius de Eſcobar t.1. problematum moral. lib.1. n.5. Soherlogus t.1. in cant. anteloquio 4. ſect.1. n.7. Martinus Delrius in c.6. Geneſ. verſ.8. num.25. & in c.50. verſ.19. n.11. Ludouicus à Ponte t.1. in cant. exhortat.6. §.1. Maſuzius in vita S. Pauli lib.2. cap.6. Ioannes Vvalterius de triplici Cœna Chriſti Cœna 2. cap.13. Crombecius de ſtudio perfectionis lib.1. cap.4. n.11. Salianus t.2. annalium anno mundi 2543. n.52. Ioann Anton. Velaſquez in epiſt. ad Philippenſ. c.1. verſ.21. annotat.5. morali num.8. Andreas Pintus Ramirez de concept. n.6. quibus adde Stephanum Dekams, nuperrimum contra Ianſeniſtas ſcriptorem.

CERTAMEN V.

Vtriuſque opinionis pondere ab authoritate ad trutinam vocato vadecernatur Thomiſtica aduerſa.

1. EX hactenus tota hac diſputatione à nobis productis conſtat primo: prædeterminantes præfiuitiones omnino antecedenter ad vſum libertatis noſtræ, atque ab eo ſubinde, quoad ſui efficaciam, & intrinſecam cum actu libero præfinito connexionem independenter, à Deo conceptas, vt præfiniti actus, & arbitrij quoad eius effectionem libertatis euerſiuas ab ſcriptura, Patribus & Conciliis, non ſemel, ſed infinities pene, iterata repulſa repudiati; quin pro eis ſit, vel vnum, ſiue ex ſcriptura, ſiue ex Patribus, ſiue ex Conciliis teſtimonium firmum, imo nec doctis in hac controuerſia adhuc apparens: ſoliſque ex Priſcis fatalis neceſſitatis aſſertoribus Philoſophis, & Hæreticis Prædeſtinatoribus, contra quos agentes Patres quæſt.2 à nobis contorta dederunt, atque ex Recentioribus. Vvicleffo, Luthero, & Caluino, & Aſſeclis (contra quos Conſtantienſe, Senonenſe, & Tridentinum anathemata fulminarunt) quoad antecedens præfinitionum harum conuenire; licet quoad vitandam ex illo libertatis noſtræ euerſæ conſecutionem Catholico animo laborent, & inſudent, vt ab eorum ſe doctrina diuerſos oſtendant, Dominicani recentes. An vero eiſdem omino, quibus illi viis, & ſolutionibus libertatem arbitrij, & humanarum actionum cum ſuis præfinitionibus componant, & ipſi, & alij iudices ſuncto. Noſtrum enim tantummodo fuit vtrorumque ſolutiones coniungere, & ſingulatim conferre, ac nihilominus de Catholicorum Patrum fide bene omnino ſentire, altamque eorum hac in re, quam pro ingenij noſtri tenuitate fortaſſe non aſſequimur, mentem ſuſpicere, nobiſque accommodatius explicatam optare, & ſperare à doctiſſimis Patribus explicandam, ni Sedis Apoſtolicæ oppoſiti definitione præueniantur.

2. Quoad ſcholaſticos verò Doctores ex ſcholis Sectis Academiis, & Religionibus atque aliis ſcriptoribus innumerum pene Catalogum poſſumus texere, è Dominicanorum familia, & ſchola eam pro nobis eſſe, de Academiis contra præfinitiones haſce earum iudicia ſtetiſſe: præcipue illarum, quas pro ſe aduerſarij allegare ſolent, vt Louanienſem: quod ipſum de religioſis familiis, oſtendimus quæſtione ſexto, ex S. Thomæ teſtimoniis certamen ſecundo, & ex eius diſcipulis Dominicanis cum antiquis, tum recentioribus certamine tertio, à numero tertio, per totum retulimus, & recitauimus, Albeldam, Caieranum, Ferraram, Dezam, Conradum, Vincentium Beluacenſem, S. Antoninum, Theophilum, Raynerum, Paludanum, Heruæum, Capreolum, Holcoth, Franciſcum Victoriam, Petrum de Soto, Dominicum Sotum, Viguerium, Ioannem Vincentium Vicarium ordinis General. Hieronymum Mazarelli, alias à Bononia ſui ordinis Generales Magiſtros, Franciſcum Romæum, Ioannem de Neapoli ſacri Palatij Magiſtrum, Campanellam, Iulianum Ioubert eius etiam ordinis Vicarium in Gallia Generalem, Antonium Mallet,

Coſmam

Cosmam Marellum fidei quæsitorem, Augustinum Rusium studij Panormitani Regentem, Foresi, & Seraphinum, Riualdum, Magistros Yanguas Mondragon, Tiedram Bartholomæum Ferreiram, Ioannem de las Cuebas, Mancium, Laurentium Gutierrez, Biedma, Gasparem de Corduba, Araujo, Thomam Elisicem, Barthasarem Bucchnerum, Bartholomæum Medinam. Scilicet tres supra quadraginta viros, in sua quemque ætate doctissimos, quibus adde Sixtum Senens. præfat. lib. Biblioth. §. *sunt deinde alij*; qui, si & numero, & doctrinæ meritis cum eiusdem familiæ Doctoribus, qui pro eis præfinitionibus steterunt, conferantur, dubium æquo rerum æstimatori non erit quin Dominicana non schola solum thomistica, sed etiam familia pro nobis stare absolute dicenda meritò sit. Maxime cum eis Dominicanis, qui præfinitiones prædeterminatiuas nostrarum actionum liberarum, siue conditionatarum, siue absolutarum absolute admittunt plures neque indoctiores conditionatas, absolutas ex parte actus, præfinitiones tanquam ridiculas, & ineptas reiiciant, vt vidimus Controuers. de Scientia d. 6. quæst. 1. plaresque alij non ita illas absolute admittant: vt eas ad actiones prauas siue conditionate, siue absolute futuras, tanquam impias, & blasphemas non exhorreant: Vtrumque autem doctrina (quam hodie eius Patroni Dominicanam, & Thomisticam esse volunt, & clamant) mordicus debeat defendere.

3 De Religionibus reliquis Franciscana, Augustiana, Trinitaria, Minima nemo notus scriptor, Doctorve celebris est, quem pro se allegare aduersarij possint. De Carmelitana absque vlla distinctione, aut limitatione pro se vniuersim referre Hieronymus Viues verius non est d. 19. dist. 2. §. 2. num. 12. cum calceatum à discalceato Carmelo diuidere deberet, inueniretque: primum, qui insignibus ex multo tempore Doctoribus floruit, omni tempore totum pro nobis (si vnum Cornejo ex notis literatus excipias) stetisse dedisse calceato Carmelo, cum nuperus sit, paucos pro se scriptores in hac materia insignes proferre poterit: Scilicet duos Theologos discalceatos Carmelitanos, vnum authorem cursus Philosophici Complutensis, alterum cursus Theologici Salmantini. Nemo etiam ex Benedictino, ac Bernardino ordine notus scriptor, aut Doctor aduersariis consentit, vt vidimus suo loco. Seruitas pro nobis esse ostendimus, & ex clericis minoribus eorum Generalem Præpositum Auersam; quin scriptor ex ipsis alius Thomistis recentibus saneat: alioqui Viues totum eorum ordinem pro se ibidem referens, saltem in exemplum aliquem citaret; & tamen citat nullum. Ex ordine S. Hieronymi totum pro se etiam allegat vno Cabrera producto. Demum vt res ad calculos, vt aiunt, redigatur summarim coniungendi sunt sententiæ nostræ Patroni. Domestici fideliter relati centenarium numerum excedunt: ex Thomistica schola, & Dominicana non minus quadraginta quatuor: ex S. Benedicti ordine cum suo Præceptore Anselmo amplius Doctoribus decem: ex S. Bernardi familia duodecim. E Franciscanis Patribus Scholæ Scoticæ triginta: Ex Schola etiam Franciscana Nominalium octo: ex qua Schola omnes etiam aliorum ordinum, numerari debent: Aduersariis fatentibus, ab Schola hac definitionem causæ liberæ, qua ipsi tantopere vexantur, inductam fuisse: Ex Augustiniano cœtu sexdecim: E Carmelitano Doctores calceati Carmelitani 7. ex Trinitario ordine nouem, & ordo vno verbo totus: sicuti, & tota Minimorum familia, ex qua Doctores sex notissimos produximus. E Seruitarum Religione duos ex Clericis Minoribus, & Oratorij duos.

4 Iam ex Academiarum Professoribus, & Magistris numeris nostræ sententiæ adfauentium exacte designari nequit: quia è sola Parisiensi numerandi essent quotquot ab anno 1226. quo damnatio propositionum (in quibus vna est, de qua nunc cum aduersariis contendimus notata q. 3. cert. 1.) addita post 4. librum sententiarum facta ab Schola illa fuit exiterunt. Siquidem exinde nullus Parisiensis Doctor aduersæ doctrinæ non contra dixit: ideoque annum circiter 1400. similem propositionem cum aliis Vvicleffi rursus eadem Academia damnauit, atque iterum illud decretum Concilij Senonensis, quo aduersariis vexantur, eiusdem Academiæ suffragio communi editum est, at rursus similes in hac materia propositiones Michaelis Baij, & tandem Cornelij Iansenij Schola eadem ita enixe infectata proximis annis est, vt earum damnationem à Sede Apostolica obtinuerit. Numera ergo, si potes Doctores, & Professores Parisienses, qui totis 433. annis nostræ sententiæ consensere. Eius verò Academiæ scriptores, præter regulares, numeraumus quinque Illustrissimos Recentiores. Ex Moguntina vniuersitate, qui totius nomine Epistolæ ad Sedem Apostolicam pro nostra sententia Missæ, atque à nobis ex parte recitatæ: q. de Academiis cert. num. 4. subscripserunt. Sunt autem Doctores Stephan. VVeberus, Ioann. Busæus, Christianus Agricola, Franciscus Rapedius, Christophorus VVebus, Albertus de Pateo, Nicolaus Serarius, Ioann. Mulluisinus, Petrus VVindus, Ioann. Domiclarius, & Leonardus Butanus, scilicet vndecim numero, vt videre est apud Paulum Leonar. 1. p. respons. sect. 9. ex Herbipolensis Academiæ Epistolæ præter Buchnerum Dominicanum, & Gaspar. Leubach. Franciscanum, iam numeratos in nostri fauorem, subscripserunt Eucharius Sangais Georgius Schireickhardus, Erasmus Schaibleim, Magnus Schuid, Nicolaus Gobeluis, Henricus Hauerus, Hermanus Sundorpius, Petrus Thyrens, Houesinensis, Ioan. Pernotus, Thomas Masionius, scilicet numero etiam vndecim: mittimus Becanum, qui & subscripsit, quia in nostris numeratus iam fuit. Mittimus & Doctores Louaniensis Academiæ, quia ferè omnes in ea citati aliis classibus numerabantur: exceptis Ioanne Strienio Episcopo Middeburgensi, Læuino Torrentio Episcopo Antuerpiensi, Eademque de causa alios Doctores, qui vel Tridentino, vel sanctæ Inquisitionis decretis interfuere: & forte non omnes in aliis classibus sunt memorati: neque enim in tanta Doctorum summa de paucis eorum, imò nec de pluribus curandum nobis erit nimis. Denique scriptorum, quos in nulla Religionis Academiarum, aut Scholarum classe recensuimus vsque numerum quadragesimum quartum produximus.

5 Qui omnes recenti viginti, eoque amplius Doctores. Numerus quippe externorum Doctorum decem, & octo supra ducentos continet, Domesticorum verò supra centum duos, quibus coniunctis tercentenarius, & vigesimus numerus expletur; non paucis, vt dixi prætermissis. Videat ergo Viues, quam copiosam aciem quinquaginta quinque propriis Doctoribus instructam duodecim quæ alienis, eisque maiori ex parte suppositiuis, & falsò allegatis (nimirum S. Thom. Alberto Magno, S. Antonino, Capreolo Conrado, Caietano, Hervæo, Ferrar. Dominico Soto, Bartholomæo Medina Catherino, Sixto, Senensi, Deza, & Gonzalez, Albelda, S. Vincentio Ferrer.) vt et dictis manifeste constat. Eis vero Scholæ suæ nervis subtatis enervis sane acies manebit: maxime cum Canus etiam 2. de locis cap. 4. ad 7. Sonzinas 6. mer. q. 15. ad 1. Iauellus tom. 3. q. de prædest. cap. 5. §. *Dico*, Nihil de prædeterminatiuo decreto loquantur, sed solum ex prædestinatione, & præscientia ad eius effectum necessariam illationem esse, quod, & nos, & Catholici omnes fatentur: quia verum id omnino est, & si certitudo, & necessitas illationis consequens sit, & tandem effectus positionem supponens. Reliqui ergo ipsi ex Domesticis erunt, qui studio partium scripserunt, nec adeo nobiles Doctores, & quos magnam partem, legere (ne Doctoribus legendis tempus subtrahant) non curamus. Ex eisque notiores vt Ledesma Nauarrete, Nuñez, Cabezudo, Rida, & Verdu ad consistentiam, & quam Deo tribuunt, contingentium conditionatorum cognitionem decreta subiectiue absoluta, & obiectiue conditionata prorsus inepta, & ridicula appellant, & impugnant: quia nec Scholam Thomisticam hodiernam ad purum sectantur: Martino de Prado, cum argumento euertendæ ex his præfinitionibus libertatis à Patre Gaspare de Ribadeneira in publicis Thesibus Complures premeretur, coram Academia tota præfinitiones hasce à libera effectus positione dependentes esse, atque ab ea dependenter concipi, haberique à Deo è Cathedra nuper fassus est: quare, quid, cum se in scriptis signis impugnabat, scripserit curandum iam non est: cum publicè palinodiam recantauerit: expungendi item ex eo numero sunt Driedo, Ricardus, Tapper, Cuñerus, Scapleronius, Lorca, Curiel, Basil. Legionens. vt ex dictis pater. Zumel verò, & Cabrera, decreta conditionata ex parte actus eodem, ac nuper citati Dominicani, stomacho infectantur, risuque excipiunt: & omnino absolutas præfinitiones

præfinitiones circa materiale peccati ex eis plerique auerſantur, vt d.2.referemus, (& iam diximus) in quibus rationes pro vtrorumque actuum, & prauorum, & bonorum præfinitionibus communes debilitant: ſeque proinde, dum eas ad bonos ſolum actus admittunt, omnino inconſequentes, paruique habendos oſtendunt. Cum ergo aduerſarij ad purum numerati, nec numero, nec bonis doctrinæ qualitatibus comparandi, cum externis adhuc, qui noſtris partibus fauent, videantur: atque ex domeſticis Doctoribus aduerſarij contra ſe habeant ſuos Doctores, & plures, & præcipuos, ex noſtris autem pro ſe nullum; nos autem ſupra centum ex his numeraſſe, è ſuis autem primoribus quatuor ſupra quadraginta, ex externis reliquis circiter ducentos, conſtet; fit planè primo noſtram ſententiam è ſola etiam Scholaſticorum authoritate (ſcripturæ & Patrum ſuffragiis nunc Miſſis) aduerſæ ſententiæ longè antecellere: imò intra Scholæ, & familiæ Dominicanæ ſepta præſtare debere non parum. Cum autem ex non admodum recentibus Theologis nemo, vt vidimus ſit, qui aduerſæ ſententiæ ſuffragetur, atque omnes hanc noſtram docuerint: conſtat etiam, quanto iudicio, & eruditione Molina noſter in ſua concordia Antuerpiæ cuſa d.53.& 1. p.q.14. art.13. d.18. m.2. vtrobique §. *Solent authores*, dixerit: *Verumtamen, cum ex vna parte præfinitiones, quales abipſis confinguntur, neque in Scripturis Sacris, aut traditionibus, neque Conciliis, aut Sanctis Patribus fundamentum vllum habeant, quin potius arbitrij libertatem manifeſtè euertant, Scripturis, Eccleſiæque definitionibus repugnent, & à pauciſſimis Scholaſticis ſint aſſertæ, imò ſub eo nomine ante triginta annos ſint inter Catholicos inaudita: ex alia vero parte, ſi de præſcientia, prouidentia prædeſtinatione, & reprobatione ſine eiuſmodi præfinitionibus ſincere loquamur, libertas arbitrij cum illis optimè cohæreat: non eſt profecto, cur viri Catholici ad tale confugiant aſylum.*

QVÆSTIO VII.

An per rationem liceant prædeterminatiuæ præfinitiones?

CVM tanta fuerit Scripturarum Patrum, Scholaſticorum (quantum hactenus vidimus) in principio antecedenter de ſeſe connexo cum actu libero, ad illumque neceſſitante voluntatem, reiiciendo conſenſio, atque conſtantia, fieri profecto nequit, quin eius repulſa rationi ferè de ſe notiſſimæ, aut per ſe notis proximæ innitatur. Illam ergo in primis hac quæſtione expendemus, & præluſis, diſcuſſiſque ſubterfugiorum tenebris natiuæ ſuæ claritati reſtituemus: atque aliis eius conſectariis rationes comites dabimus: Nec non ad hominem aduerſarios, & ab huius doctrinæ abſurdis nouis impetemus.

CERTAMEN I.

Stata, ac per ſe nota cauſæ liberæ definitio, (quæ ſcilicet poſitis omnibus requiſitis ex parte ipſius ad operandum poteſt operari, vel non operari,) ab authoritate, & ratione contra aduerſarios aliquot ſtatuitur.

1. PRæcipuum contra præfinitiones haſce à ratione argumentum efficaciſſimum, & plurium, quos expendemus, aliorum fontalis, origo (cuius robur miſeretatis euaſionibus à controuerſiæ huius inter Dominicanos, & noſtros, atque inter Catholicos, & Lutheranos, Caluinianoſque integrum me iudice perſeuerat) illud eſt, quod ab explorata, rationeque, & experimentis euidentiſſima, atque toties ab Eccleſia definita, arbitrij noſtri libertate deſumitur. Hoc autem argumentum definitioni, & eſſentiæ potentiæ, cauſæque liberæ in titulo certaminis præfixæ, tanquam proximo, certiſſimoque principio innititur: ſcilicet cauſam liberam eſſe, *quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, vel non operari, ſiue operari oppoſitum*: ſi ſcilicet non contradictionis ſolum, ſed contrarietatis etiam libertate cauſa libera ſit. Et ſteterat quidem ea definitio multis retro ſæculis (nimirum à Philoſophandi, ac Theologizandi initiis) inconcuſſa, & indubitata, vtpote lumini rationis diſcurſibus exercendæ coæua; quouſque prædeterminatiuarum præfinitionum ſententia ex ea definitione euertenda lucem nacta eſt. Exinde enim earum ſiue ex Hæreticis, ſiue ex Catholicis, nonnulli aſſertores, proximè contra illas efformandi diſcurſus metu eam in dubium vocare cœperunt; vt deinceps eam ſuis liberius negandi aditum facerent: exitu tamen adeò infelici, vt illi ipſi, qui de ea addubitandi exemplum facere, negareque eam tentarunt, ad tantum rationis lumen non potuerint, cæcutire: eamque tandem, vtpote lumine naturæ notam receperint. Quo illud omnino effectum eſt, vt ſolutionum ſuarum omnium, quibus eis præfinitionibus poſitis potentiam abſolutam arbitrij ad oppoſitum, ſiue contrariè, ſiue contradictoriè actui præfinito, ac ſubinde abſolute liberam defendere conantur, inſufficientiam oſtenderent: quibus, ſi ad id probabiliter tuendum fiderent, ſtatam cauſæ liberæ definitionem (ſcilicet Philoſophicam, & Theologicam dignitatem, & principium) minimè deplorati ingenij, neque exploratæ amentiæ homines, proterere haudquaquam tentarent.

2. Primus ergo de eius definitionis bonitate legitimæ contra ſe illationis præſagus dubitare cœpit Magiſt. Illuſtriſſ. Aluarez 12. de auxil. d. 115. num. 1. & 4. reſponſionum cap. 1. aſſerens neque apud Ariſtotelem, Magiſtrum, vel S. Thom. illam reperiri, ſed ſed apud Nominales quoſdam: quaſi in ea, adhuc Schola nominis nullius. Eum poſtea imitati ſunt, Ledeſma de auxil. artic. 10. concluſ. 7. §. *Primum fundamentum*. Nunnius Cabezudo tom.1. part.3. quæſt. 62. artic.5. q.ſua 2. §. *Addunt præterea*. Nec mirater poſtremum hunc Hiſpanum Doctorem de notiſſimo, & & euidentiſſimo dogmate, & principio dubitaſſe: æſtimabam enim neminem, qui Hiſpano idiomate *Cabezudo* non eſſet, de eo vſquam dubitare potuiſſe. Satis ea prædictorum dubitatione habuit, rancidus, & cariosus ille; & ſi recens ex Grammatico Caluinianæ Theologiæ, vel potius diabologiæ Magiſter Tuiſſius lib. 2. contra ſcientiam mediam cap. 3. pag. 265. relatus à noſtro Annato 1. defenſionis eius ſcientiæ contra ipſum cap. 6. §. 2. num. 109. vt eam definitionem negaret, negatamque antea aſſereret à Brauardina, & à Gibieufo Gallo, qui niſi addatur poſitis omnibus requiſitis, *ex parte cauſæ ſecundæ*: Illam definitionem non eſſe admittendam aiunt. Noſter vero Annatus melioris, longè quam Tuiſſius, & eruditionis, & fidei citato loco, verſ. *Qua in oratione*, nihil tale in Brauardina legi teſtatur, neque in Gibieufo Gallo, qui ſolum addit communi definitioni libertatis particulas *ſeruato ordine finis*: quas & S. Thom. addit. 1. part. quæſt. 62. artic. 8. non quidem definitioni libertatis in communi, ſed libertatis perfectæ ex parte materiæ non vitioſæ, ſed honeſtæ, qua Beati, qui finis ordinem ſeruare tenentur, nec deſerere poſſunt, libere nihilominus aliquo moueri, vel non moueri queunt: quod minus in doctrina à Sancto Thoma eo loci tradita Gibieufus aduertens, ad formale propriè & perfectæ libertatis in communi aduocauit, libertatem creaturæ ad peccandum, & inhoneſtos actus, quæ libertatis in communi membrum alterum eſt, ſua definitione non amplectens

3. Additamentum autem illud communi libertatis definitioni potius eſt Magiſtri Alutarez, & ſuorum, & Tuiſſij ipſius, quam Brauardinæ: qui licet præfinitionum prædeterminatiuarum VValdenſis ætate Domi-

nicanis suis semina iecerit, quæ non ipsis solum, sed & hæreticis fecerint fructum; ast tantæ instatam definitionem irreuerentiæ non fuit, vt illi addere, vel minuere, litemve mouere tentarit. Præstiterunt autem nuperi Thomistæ, vti ex solutionibus eorum datis quæst.3. dandisque quæst. præsenti, atque ex ratione, qua eam definitionem impugnant, satis claret. Ait enim Aluaræ d. illa 115. numer.1. ex ea definitione inferri posse absolute coniungi prærequisita ex parte etiam Dei ad operandum cum operationis negatione: quod inquit absurdissimum est: qua illatione satis docet eam definitionem, si de requisitis etiam ex parte Dei intelligatur, vti absurdi inferendi principium absurdam esse, nec in scholis sustinendam; quare de requisitis ex parte causæ secundæ intellectam recipi posse. Sed certe, ni requisita à causis secundis ad operandum, ex parte etiam Dei (cui essentialiter in operando subordinantur) sint prædeterminatiuæ præfinitiones Thomisticæ absoluta illa potestas coniungendi negationem operationis cum illis absurda non est, sed omnino liberrati causæ liberæ secundæ tuendæ necessaria, vt ostendemus: siquidem nullum efficax de se decretum Dei (quod in ea suppositione ad operandum à causa secunda non requiritur) de operatione poterit absolute cum eius negatione absolutè coniungi frustraque: quod infrustrabilitati decreti contradiceret: Si ergo ex coniuncto tuæ sententiæ de præquisito decreto de se efficaci ex parte Dei à causa secunda, & definitionis communis absurdum illud sequitur, tolle, quod tuum est, nullumque in definitione communi, & stata deducetur absurdum. Et sane nulla erit certissima etiam definitio, principiumve aliud notissimum in scientiis firmum, ac subinde nulla scientia, si cuique liceat ea immutare, quia cum sua priuata opinione non concordant: ac proinde ex coniuncto vtriusque absurdum aliquod inferatur. Denique, cum per hosce præfinitio prædeterminatiua ex parte Dei essentialiter requisita sit, vt complementum absolutæ potentiæ, & adæquatæ causæ ad effectum à causa secunda, & Deo simul edendum: ac subinde positis requisitis solum ex parte causæ secũdæ ad operandum, seclusisque requisitis ab ipsa ex parte Dei ad operationem absolute operari causa secunda nequibit: sicuti nulla causa partialis, seu pars causæ operari absolute potest: quare requisitis solum ex parte causæ secundæ positis ex parte vero Dei requisitis seclusis, mala, & falsa erit definitio: quia negatio operationis non ab eius potentia, sed ex defectu partialis comprincipij requisiti ex parte Dei necessario, & adæquate erit.

4. Quod autem definitionis eius non Almainus, & nominales aliquot fuerint Architecti, constat ex datis Arist. & Patrum testimoniis quæst.1.2. & 3. quibus arbitrij absolutam libertatem per absolutam potestatem operandi: & non operandi, & similium semper explicarunt; cum tamen sine requisitis, & necessariis omnibus ad operandum potestas absoluta ad operandum non sit. Et quidem ea definitio definita iam contra Lutherum, & Caluinum est locis ex Tridentino recitatis, vbi, vt arbitrij, & actionum nostratum libertas, quoad rem ab eis negata, desinitiue statuatur definitur arbitrium, & voluntatem à Deo motam, excitatam, & vocatam (quæ sunt omnia requisita ad operandum etiam ex parte Dei) ita operari vt dissentire, & abiicere vocationem queat: quod ipsum est posse non operari cum omnibus ad operandum requisitis, vniuersim (ac etiam ex parte Dei expresè) vt ea definitio fert, speciatim verò Arist. eam definitionem totidem æquualentibus verbis tradidit 9. metaph. text.10. vt Ariminus loco obseruat citando. Ait enim *Naturalibus potentiis passo approximatis necesse esse eas agere; passum verò pati; illas verò* (rationales, & liberas) *etiam approximatas agere non est necesse.* Et Nemessius c.9. Biblioth. lib. de nat. homin. & animæ facultatibus cap.35. alias 6. Philosophiæ Chrysip. Philopatrum & fatales alios Philosophos asserentes, *eisdem causis positis necesse est omnino eadem fieri, nec fieri posse, vt aliquando sic, aliquando aliter eueniant, quod illa ex æterno tempore præfixe, statutaque sint.* Confutat his verbis: *debet enim esse liberum quod in nostra potestate est aliquando appetere, & aliquando refugere.* Iisdem scilicet causis positis: quibus verbis eadem definitio continetur. Sed ex scholasticis statuta illa sub eis terminis fuit à tota schola Parisiensi, eiusque Episcopo Stephano anno 1226. in damnatione propositionum addita post 4. librum sententiarum, cuius meminimus quæstione 4. certamen 1. numero 1. titul. enim 4. de voluntate 4. propositio damnata ea erat: *voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moueri, & mouente sic disposito, quod natum sit mouere, impossibile est voluntatem non velle:* ergo possibile definitur ab Schola Parisina voluntatem non velle positis omnibus requisitis, tam ex parte eius, quam motoris sui, vt moueatur, ac velit: ergo ad vtrumvis potestas positis omnibus requisitis, quam definitio illa communis asserit statuta à Parisiensi Schola fuit: quare bene ex illius propositionis damnatione communem illam definitionem probat Marsilius in 2. quæst.16. art.4. propositio 7. ibidem damnata erat, *quod appetitus existantibus impedimentis necessario mouetur ab apprehibili: error est de intellectiuo:* Ac proinde cessante impedimento defectus alicuius ad operandum requisiti ex parte causæ; quod maximum est. Et sub tit.6. de necessitate euentus rerum, §.1 hæc damnatur propositio. *Nihil euenit contingenter considerando omnes causas; non casu,* vt alibi corrupte legitur, quod ita interpretatur Capreolus in 1. d.38. quæst.1. artic.1. colum.7. vt vidimus citato certam. 1. ex cuius damnatione colligit ibidem artic.2. inter med. & fin. communem illam causæ liberæ definitionem, *quæ positis omnibus requisitis ad agendum, & actionem præcedentibus potest agere, & potest non agere.* Et d.6. quæst.vnic. artic.3. ad argumenta Scoti ita agens naturale à libero distinguit, ac definit Naturale, *quod positu omnibus requisitis ad agendum, & nullo existente impedimento, quin ipsum possit agere, necessario agit, neque est in eius potestate non agere;* liberum, *quod eodem modo omnibus positis requisitis ita, vt possit agere, non necessario agit, sed in eius potestate est vt agat, & non agat;* in quam recidere S.Thomæ definitionem ait.

5. Deza in 1. d.38. artic.4. colum.3. ad 1. Durandi contra 2. concl. *Ex causa contingente, quia non habet ordinem necessarium ad effectum suum non sequitur effectus infallibiliter, etiamsi nunquam impediatur.* Vide infert in ea etiam omnino non impedita non posse cognosci effectum. Et ad 3. Gregorij contra 4. concl. ait. *Potentiam liberam esse quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere; sed non ex suppositione, quod agat.* Coradus 1.2. qu.75. art.1. ad 1. ait, *causa existente sufficiente,* (quæ talis non est, nisi prærequisita omnia adsint) *adhuc non sequi effectum ex necessitate, quando ipsa causa potest impedire seipsam, ne effectus sequatur: eo quod motus est in eius potestate, & potest agere & non agere.* Et art.3. ad 2. fine, *nulla est causa sufficiens, nisi voluntas, quæ non semper causat: neque necessario mouetur à quocumque ad peccatum. Igitur non oportet, quod semper peccet: quia voluntas quamlibet causam per libertatem suam impedire potest.* Heruæus quodlib.1. qu.1. art.1. ad dub.5. *causa,* inquit, *sufficienti posita non ponitur effectum necessario, contingit dupliciter. Nam in agentibus naturaliter non habet agens in potestate sua repellere impedimenta; sed in agente libero arbitrio occurrentia pertractationi deliberationis, quæ distrahunt, & possunt impedire, possunt repelli à tali agente.* Et *Non tamen necessario impeditur, quia habet in potestate sua repellere.* Ac tandem ex causa libera sufficienti ad causandum non iqui necessario effectum. Caiet.1.p.quæst.41 art.2. hæc adrem nostram S.Thom. verba in corp. *Eorum enim voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse; eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium naturæ est.* Ait absolute effectus causæ naturalis posse sic, vel aliter esse, si ponantur, vel auferantur impedimenta; sublatis vero impedimentis, vt est sub illa effectus non posse sic, vel alter esse; ast vt est sub causa libera (sublatis etiam impedimentis, ac subinde positis requisitis) effectus voluntarius potest, aut potuit sic, & aliter fieri. Et 1.2. quæst.10. art.1. longe med. *Causa libera vt sic non est talis causa, qualis est natura. Hæc enim est causa quia est: ac per hoc est causa determinata ad vnum: illa vero causat, quia vult: ac per hoc est causa indeterminata libera ad vtrumlibet.* Subinferius, *quid quid causat aliquid, quia*

quia talis res est, naturaliter causat illud : quatenus vero electiua est per modum proprium, id est libere, à proposito ad vtrumlibet, &c. *Causalitatem habet & non naturalem : quicquid enim causat quia vult libere causat.* Si ergo causa adæquata ex coniuncto arbitrij,& omnium præ-requisitorum causat, quia est, naturalis causa est ; sin autem,quia vult,libera est,& non causat,quia in coniuncto est determinatio,sed ad vtrumuis potestas.Ferrara 1.cont. gent.c.67. col.2. §.*Sed tamen*,ait, *Potest aliquando causa esse dispositа ad productionem alicuius effectus*(contingentis de quo ibi) *& tamen ille effectus nunquam eueniet.* Quod autem S.Thom. ratione 3. dixerat, *Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter : ita ex causa contingenti completa, si non impediatur*, intelligendum, ait, de naturalibus,& aliis impedibilibus, ac subinde contingentibus absolute in operando, non de contingentibus propriè,seu liberis,in essendo,col.5 Henricus de Gandauo quodlib.12.q.27.ait : *Licet posset impediri aliqua actio voluntatis, quia potuit aliquid fuisse factum, quo facto non fuisset : illa tamen dicenda est simpliciter esse ex necessitate,& non ex libero arbitrio : postquam stante sua causa proxima nullo modo posset per liberum arbitrium voluntatis impediri.* Causa autem, seu potentia proxima actionis omnia ex parte principij requisita includit, vt patet,& ita dicit Scotus ex Arist.9.Metaph.c.6.

6. Scotus igitur, præter recitata, dum de Scotica, & Franciscana Schola ageremus, loca, in eandem definitionem conspirauit in 4.d.49. q.6.dub.1. vers. fin. versu,*Respondeo potentia operatiua.* De potentia actiua ad opposita, in qua libertatem causæ constituerat, ait remotam requirere omnium requisitorum absolutam possibilitatem ; *Sed vltra istam possibilitatem, potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit, quod conuenientia adsint, & impedimenta cessent, ita, vt nihil extrinsecum desiciat, vt operetur.* Duran.in 1. d.47. q.1. sub fine,*actiones liberi arbitrij non necessario sequuntur, etiam præsente obiecto,& exclusо omni impedimento.* Quare & defectu cuiusuis requisiti Dionysius Cistercienſ. in 2. d.24. q. vnic. art.1. conclus. 5. ait arbitrium dici sic, (id est secundum quid, id est creatum, ac non diuinum, quod solum simpliciter liberum appellat) liberum : *quia positis omnibus extrinsecis ad suum agere requisitis, libere potest agere, vel non agere.* Repetit d.25.q.2.art.2. præambulo 2. & conclus.5. vnde q.3.art.3. conclus.4. ab actu, *Si ita sit necessario productus, vt in potestate producentis non sit positis omnibus præuie necessariis ipsum non producere*, liberta-tem excludit ; consonat d.1.q.2. art.1. init. & proposit.1. & d.25. q.1. art.2. omnem necessitatem antecedentem operandi à causa libera excludit, de Nominalibus præsertim Almaino fatentur aduersarij conceptis verbis eam definitionem tradidisse : quia adeo expresse, & in terminis eam tradunt, vt nulli æquiuocationi pateat locus. Almainus 1. moral. cap. 1. init. Sub nomine voluntarij (perfecti scilicet) seu liberi. Et notabili 2. definitione causæ naturalis liberæ aduersantis. Notabili 3. expressa liberæ definitione causæ, & in dictatis circa sententias Ruperti Holcoth. post 4. lib. sentent. q.3.sub init. ipse Holcoth. in 1.q.3.art.2. & q.3. art.9. ad 2. Okam eius sectæ Princeps in 1.d.1.q.6 vers. fin. d.10. q.2. d.38. q. vnic. post med. §.*Ad formam ergo*, Adamgoddam in 1.d.1.q.6.art.1. concl.2. siue legitime legatur,*omnibus aliis concurrentibus vniformiter* (siue ex Typorum errore *vniuersaliter) sufficientibus* ; & art.2. dub.15.sub init.ex articulis recitatis Parisinæ Academiæ, & fine quæstionis. Maior in d.25. q.1. post init. & §. *Contra hanc definit.* Marsil. in 1.q.40. ad rationem 8. in 2. q.3. art.2. p.2. & 3. *ad 3. Obiectionem*, & quæst.16. art.2. in 2.3. & 4. conclus. Gabriel in 1. d.1. q.6. art.1. notab.2. & art.3. fin. d.28.q. vnic.art.1.notab.6. & 8. dub.post notab.9. & concl.3. in 2.d.25.q vnic. sub init.Gregor.de Arimino in 1.d.10.q.vn.art.2.sub med. concl.1. ex Arist. Augustin. & Damasceno, & col.vlt. §.*Ad dubium quod ipse* : Angelstus 1. moral. c.6. documento 3. Ruardus Tapper art.7. contra Luther. ab init. & propositio.10. pag.309. Guillielm.de Rubion in 2. d.25.q.2.art.1. post med.Stumia 2. de vera religione c.5. fin. Dominicus Soto 1. de nat. & grat.c.16. init. Medina 1.2. q.10. art.4. §.*Hæc constitutio*, eam vniuersorum Theologorum definitionem appellans, sicuti,& Curiel controuers. 2. in cap. 1. Petri ad id *Sanagite*, &c. Et Pennotus 1.Propugnaculi, Bannez 1.p.tom.2.q.83.art.1.dub.2.sub titulo *Decisio authoris*, concl.2. Nazar.1.p. tom.1. quæst.19. art.10. controuers.vn. §.*Explicandum est*, Ioseph. à S.Maria de lib. arbitrio in communi q.4. art.6. §. *Dico septimo*, Zumel opuscul.3. variar.discursu 5. §.*Quarto suppono*, Cabrera 3. tom.2. quæst.18.art.4.d.1.§.8.n.313.§.9. num.3. Ne vero vllus Philosophus, aut Theologus ab ea definitione deficiat, audiendi tandem illi ipsi de eius bonitate dubitatores sunt. Nam Aluarez init. de auxiliis n.7. ita causam liberam definit. *Facultas voluntatis, & rationis ad vtrumlibet agendum,& ad agendum vnum, vel alterum.* Tuisius vero Caluinista explorato alter dubitator citato loco, *Interea semper manet voluntas eatenus indifferens, vt in operatione sua nunquam determinetur, ad modum agentium naturalium : semper enim retinet potentiam, tam ab agendo supersedendi, quam aliud aliquid agendi.*

7. Porro hæc scripturæ,Patrum, Conciliorum, Scholarum,& Scholasticorum omnium, & nostrorum, & exterorũ,quos q.4.5.6.& hac 9. recitauimus,definitio constans adeo esse non posset, nisi per se nota,vel per se,notis proxima eius veritas,seu bonitas,vt diximus, foret. Rationes igitur bonitatis definitionis illius euidentes subiiciendæ hic erunt. Prima : quia in eo stare debet ratio specialis causæ liberæ, vt contra naturalem & necessariam causam diuiditur,in quo nequeat eũ ea conuenire,eique atq; eius differentiali prædicato immediate,& primo aduersetur,& contradicat : atqui in eo solum quod positis omnibus requisitis ad agendum possit nihilominus non agere, cum causa naturali,& necessaria conuenire libera nequit,illiusque prædicato differentiali aduersatur,& contradicit:ergo in hoc solum stare debet ratio specialis causæ liberæ, vt contra naturalem,& necessariam diuiditur.Maior est euidens. Ratio enim conueniendi nequit esse ratio diuidendi, & disconueniendi vnum ab alio : ac proinde nec diuidendi causam liberam à necessaria. Minor æque videtur perspicua etenim specifica differentialis ratio causæ naturalis,& necessariæ,vt contra liberam diuiditur,in eo stat, quod positis omnibus requisitis ad agendum, siue quibus agere non potest, (alias requisita non essent) ita possit agere,vt non agere absolute nequeat, sed determinata ad agendum sit : ast huic prædicato illud solum immediatè, & primo contradicit : ita positis omnibus requisitis ad agendum agere posse,vt nihilominus possit non agere,nec determinata ad agendum causa illa sit, sed indifferens ad agendum, vel non agendum : ergo in eo solum immediate, & primo aduersatur causæ naturali causa libera, atque eius prædicato differentiali contradicit. Secundo probatur eadem minor : quia necessitas entis in essendo nihil aliud est, quam ita illud existere,vt non possit non existere, huic necessitati entis in essendo, seu existendo nihil aliud immediatè, & primo ex parte entis contingentis in essendo aduersatur quam ita existere, seu posse existere, vt non existere absolutè possit:ergo quia necessitas causæ in operando nihil aliud est quàm ita posse operari requisitis positis, vt non operari absolutè nequeat,nihil aliud ex parte causæ contingentis ei immediatè,& primo aduersatur,quam eisdem requisitis positis,vt absolute operari valeat,ita posse operari vt possit absolutè non operari. In qua minoris probatione rationalia pro definitione communi probanda instrui potest.

8. Secunda ergo probatio definitionis esto. Contingentia entis in essendo est posse absolutè rem esse, vel non esse : ergo contingentia entis in operando passiue à causa sua efficienti, siue (quod idem est) contingentia, & libertas causæ eius in eo actiue operando est, ita posse absolutè illud operari (in quo requisita omnia ad agendum clauduntur, vt dixi) vt possit etiam absolutè causa illa illud non operari. Tertia probatio, & secundæ huius confirmatio,& perspicua explicatio sit : quia contingentia,& libertas effectus contingentis, & liberi (de qua agimus) non est contingentia effectus in essendo,solum,seu, vt absolute ab alio quocunque fit,ac fiat, siue relate ad quam piam causam,sed relate ad causam determinatam cui contingentia accidit actiuè,& cui ipsum agere contingens,& liberum est, vt superius diximus. Alioqui, cum effectus omnes creati à Deo causa prima omnium contingenter sint,& fiant, effectus omnes causarum naturalium creatarum, qui & contingenter proinde & in se sunt, & à Deo fiunt, contingentes & liberi erunt, & cum his, de quibus

disputamus, confundentur. Debent igitur esse, & fieri contingenter, & libere respectu causæ secundæ, à qua contingenter & sunt, & fiunt effectus, de quibus disputamus, & quos ab effectibus naturalibus, & necessariis diuidimus. Tum sic effectus naturales, & necessarij, etsi Deo causæ primæ contingenter, quoad esse, & fieri ipsorum iungãtur; tamen, quia causis secundis, quo ad sui ipsorum esse & effectionem positis omnibus requisitis vt fiant, non contingenter iunguntur, sed necessario, ita, vt eis positis nequeant absolute non fieri, & in sui effectione coniungi, contingentes, & liberi absolute earum effectus non sunt: ergo, vt effectus contingentes, & liberi absolute causarum secundarum, ac subinde causæ secundæ eorum causæ absolute liberæ sint, debent in suo esse, & sui ipsorum effectione contingenter, ac libere, positis etiam requisitis omnibus (sine quibus non possunt absolute illos agere) ad agendum, illis adiungi; atqui nequeunt ita illis adiungi positis etiam requisitis omnibus, non agere illos absolute possint: ergo constans est præfata causæ liberæ definitio.

9. Quarta bonitatis definitionis eius probatio ex metaphoricis phrasibus, quibus Patres, & Scholastici causæ libertatem, seu causam liberam, eiusque ad vtrumvis potestatem explicuerunt petenda est. Etenim, vt causam liberam, siue arbitrij, & voluntatis libertatem in actu primo aliorum nobis exemplis, & metaphoris exponerent, atque ad aliorum instar explicarent, aiebant. Liberam nostram voluntatem, & arbitrium in actu primo sui iuris, & potestatis esse in operando, physicumque subinde ius absolutum, & potestatem in suas operationes habere. Percurrite ergo ius, dominium, & potestatem ciuilem politicam, & moralem in res, seu actiones aliquas, & inuenietis nullas ex eis inueniri respectu rerum, seu actionum, in quas non sit plena in eo genere, & absoluta potestas ad eorum vsum; neque vllum absolutum ius, aut potestatem in illo esse posse respectu rei, ad cuius vsum alterum sit in eodem genere obligatio. Vnde argumentum in eis Patrum, & Scholasticorum metaphoricis explicationibus contentum sic edisserо. Dominium & ius ciuile, seu morale in rem aliquam absolutum, est absoluta potestas vtendi re illa in omnes eius vsus, etiam illius destructiuos, pro solo libito habentis dominium absque iniuria alterius: ergo dominium, & ius absolutum physicum causæ, & potentiæ liberæ in suas operationes, & effectus est absoluta physica potestas eius causæ in suas operationes in omnem vsum circa illas, etiam destructiuum illarum per negationis ipsarum positionem, quin physico alterius iuri ex eo præiudicet, alteriue causæ physicæ iniuriam irrogare queat. Cum autem (vt sæpe diximus) ad absolutam physicam potestatem causæ ad vsum positiuum suarum operationum, & effectuum, scilicet eorum productionem requisita omnia ad productionem posita, ac præsupposita ex parte actus primi esse debeant: eis etiam positis operationé posse absolute omittere causam, quæ libera sit, certum esse debet. Stet ergo, nec in dubium deinceps vocetur, bonitas definitionis illius communis, & rationis lumini coëuæ. *Causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum operari, vel non operari absolute potest.* Porro licet operatio sine effectu esse nequeat, quia terminus connexionis essentialis operationis cum ipso est; Actu requisita, de quibus in hac definitione, sunt solum quæ se ex parte causæ in actu primo tenent, non autem actio ipsa, qua actu aget, eiusve terminus, seu effectus, actu in rebus apponetur, cum hæc potentiam ad vtrumvis, de qua hic non constituant, sed pro priori supponant.

Et sane si in materia nostræ libertatis sola præsens controuersia, quæ cum recentibus Thomistis habetur, posset occurrere sonus vocum, sine profundiori examine, & intelligentia illius nobis sufficeret: ad alias tamen, quæ cum aliis postmodum erunt, esseve poterunt atliore eius indagine opus erit: vt enim verba sonant non videtur exacta omnino definitio. Ponamus namque requisitis omnibus ex parte voluntatis, & arbitrij in actu primo positis ad volendum, & quibus solis velle, aut non velle posset, aut nolle, adiungi à Deo ex parte etiam actus primi physicam aliquam qualitatem (non quidem necessariam, vt Thomisticam) ad volitionem vltra exigentiam, & indigentiam, cum volitionis, vt fiat, tum voluntatis, vt velit, prædeterminantem tamen, & necessitantem in actu primo voluntatem ad volendum; tunc quidem, etsi requisitis omnibus positis posset voluntas absolute velle, ac non velle; ast ex adiunctione illius qualitatis non requisitæ prædeterminantis omnino antecedenter ad vsum libertatis voluntatem ad volendum, absolute non poterit nõ velle, ac proinde nec erit causa liberæ volitionis: ergo ad causæ liberæ rationem saris non est posse non operari? attentis præcise requisitis omnibus; sed oportet vlterius, vt positis quibuscumque ex parte actus primi concurrentibus ita absolute operari possit, vt possit absolute non operari. Secundo pone dari à Deo antecedenter & independenter ab vlu libertatis gratiam incompossibilem cum peccato: tunc quidem pro eo instanti, etsi ita necessaria ex parte actus primi adsint voluntati sic iustificati; tamen voluntas non poterit absolute, vel in peccato persistere, vel denuo peccatum admittere: ac proinde etsi per requisita omnia possit peccare, & libera alias esset: libera tamen ad peccandum non est: quia independenter à suæ libertatis vsu, ac proinde antecedenter extremum alterum libertatis exercendæ, & alteri repugnans positum à Deo fuit. Quare nequit ad alterum pro eodem instanti apponendum potestas voluntati adesse, quin ad vtrumque coniungendum potestas adsit: quæ prorsus chimærica esset potestas.

Eapropter æstimare aliquis posset rectius causam liberam definiendam, si loco dictionis illius *positis omnibus requisitis*, hæc alia *iisdem causis positis*, vt aiebant Nemesius, & alij *vel vniformiter perseuerantibus ponatur*, vel cum Scoto & aliis exclusio omnium impedimentorum per dictionem *& sublatis impedimentis* definitioni adderetur. Et ego quidem in ea fueram sententia. Etsi enim positis omnibus requisitis ad operandum non possit non esse ad operandum absoluta potestas, quantumvis addatur vltra requisita principia vlterius aliud prædeterminans ad operationem: imo tunc indefectibilis ab operatione, & efficacior potestas absoluta ad operandum sit; tamen, cum eo prædeterminante principio vlterius adiuncto operationis negatio, & suspensio esse absolute à voluntate nequeat, quin chimærice cum operatione ipsa simul existat: eo principio etiam posito non est in voluntate ad suspensionem, & negationem operationis absoluta potestas: ac subinde neque libera ad operationem ipsam potentia, quæ ad operandum, vel non operandum absolutam includit potestatem: non quidem defectu absolutæ ad operandum potestatis, quæ eo etiam casu fortior, efficacior, & expeditior est, vt supra dicebamus; sed defectu absolutæ ad non operandum potestatis, ad causæ libertatem requisitæ: ea quippe ad non operandum potestas determinatione antecedenti ad operandũ ineuitabiliter aboletur, vt absolute possit non omittere operationem: ac proinde ex parte actus primi excluſa ea prædeterminatio supponi debet. Similiter etiam donatio, seu infusio à Deo independenter, & antecedenter ad vsum libertatis cuiusvis extremi ex oppositis, ad quæ debet esse potestas causæ liberæ proprie ex parte actus primi supponenda est excluſa: quare, vt de reliquis libertatis impedimentis singulatim recensendis, nunc fileam, vniuersim omnium impedimentorum remotio videtur definitioni addenda.

12. Cæterum cum difficultates istæ à Deo abstructæ non sint, vt mediocriter etiam instructis, nedum Philosophis, & Theologis sapientissimis, qui ea definitione vsi sunt latuisse illas iudicare possimus, ea definitione, vt iacet eis omnibus difficultatibus præcaueri, si altius penetretur, certum nobis omnino est. Etenim requisita ad operandum non ea solum sunt, quæ actiuam adæquatam virtutem agentium constituunt, significant, & in se coercent. Sed & conditiones reliquæ ex parte actus primi se tenentes: vt agentis corporei, est, vt minimum, ad passum applicatio, & similes aliæ: in quibus omnium impedimentorum remotio, sine qua potentia absoluta, & expedita non est eis verbis positis requisitis omnibus ad operandum, ita continetur, vt eam adiungere supervacaneum fuerit & inutile, id quod sapienter docuit Aristot. 9. met. cap. 5. text. 10. vbi postquam absolutam potentiam agentis definiuit his verbis. *Quod potest aliquod, potest & aliquando, & aliquo modo, & quæcumque alia necesse est adesse* (scilicet

(scilicet requisita omnia) *in definitione.* Quibus addendam non esse remotionem impedimentorum, quia hæc illis particulis: *Quæ unque alia necesse est*, adesse sub textus finem statuit his verbis. *Nullo namque exteriorum prohibente adiungere, nihil adhuc oportet*, vt Docte S. Thom. ibi lect. 4. & reliqui interpretes. Hæc de requisitis, & prohibentibus actionem; ast quæ eius omissionem impediunt, seclusa satis sunt illa definitionis parte, *potest non operari*: Siquidem potestas absoluta, siue operandi, siue non operandi non est, quæ ex parte actus primi impedita absolutè est: quare immutata prorsus causæ liberæ definitio debet in Scholis persistere.

13. Adhuc censent aliqui addendum definitioni positis omnibus requisitis ad operandum, *quorum existentia in potestate voluntatis non sit.* Siquidem in satis communi opinione negante possibilitatem electionis mediorum, quin finis intentio præcedat, qui non eligit media, quia finem non intendit, cum libere posset, libere etiam dicitur non eligere: quia in eius potestate fuit, vel intentionem finis, vel eius omissionem apponere. Cæterum in ea communi opinione, omissione electionis medij intentione omissa, ac non apposita, sola libertas mediata potest exerceri, quatenus circa intentionis appositionem, vel omissionem exerceri potest: quare verum omnino, ac sine vllo additamento est potentiam liberam esse, *qua positis omnibus requisitis*, ad operandum potest operari, vel non operari proximè, & immediatè, si libera immediatè sit, mediatè, si solum mediate sit libera.

CERTAMEN II.

Edata causæ liberæ definitione, & voluntatis libertate variè argumentum contra prædeterminatiuas præfinitiones instruitur.

1. Causæ liberæ communi definitione asserta, præfinitiones prædeterminatiuas, (quas Thomisticas appellant,) Lutheranas, item, & Caluinianas definiram, atque euidentem voluntatis, & arbitrij creati libertatem euertere variis, multisque arguendi modis, quicumque eas negant scholastici, efficaciter ostendunt; Et eos quidem in præsentiarum persequi longissimum esset, neque admodum vtile: quare eos solum attingam, quæ planius, plenusque difficultatem proponant. Eam siquidem hac, vel illa forma in argumenta disponere proprij cuiusque genij, & ingenij labor, & industria est. Arguo primo, causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ex parte causæ ad operandum operari absolutè potest, vel non operari: atqui prædeterminatiua præfinitione requisita essentialiter ex parte causæ ad operandum posita independenter ab vsu libero voluntatis, & arbitrij, (vt aduersarij illam ponunt,) non ita hoc potest absolutè operari, vt non operari absolutè possit: ergo neque est causa, seu potentia libera. Minor probatur: quia posita eiusmodi præfinitione necesse est absolutè ex parte causæ esse operationem præfinitam: ergo impossibile est non esse illam, seu esse negationem operationis: necessitas enim cuiusuis, vt sit, negationem possibilitatis, vt non sit, sine impossibilitatem essendi eius negationem, ineludit, vt ex modalium propositionum æquipollentiis summulistis patet: atqui impossibilitas alicuius extremi, seu effectus ex causa requisitis positis, est impotentia causæ ad illum effectum absoluta eis positis: ergo posita ex parte causæ independenter ab vsu libero voluntatis eiusmodi præfinitione, essentialiter, requisita ad absolutam potentiam operandi, absoluta potentia non operandi in voluntate non est. Hanc eandem rationem efformant alij in hunc modum.

2. In omni bona legitimi syllogismi illatione, qui nequit tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis, nequit tollere, seu falsificare consequens: ast in hac legitimi syllogismi consequentia bona iuxta præfinitores hosce: *Omnis, cuius consensus præfinitus prædeterminatiue à Deo est, consentiet: sed consensus Petri ita præfinitus à Deo est: ergo Petrus consentiet.* Petrus absolutè non potest tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis: ergo neque absolutè potest consequens tollere, seu falsificare, Minorem probo: quia maior; *Omnis cuius consensus præfinitus ita à Deo est, consentiet*, est in materia necessaria, in horum sententia: ac proinde ad eam falsificandam, aut tollendam nulla datur in subiecto potestas: sicuti neque ad has falsificandas, *Omnis homo est risibilis*; vel *omne album est disgregatiuum visus*, quia in materia necessaria sunt, nec potentia vlla potest subiectum à prædicato separari. Similiter minor *Petri consensus ita est præfinitus* potentiæ, seu potestati Petri minimè subest, vt tollatur, vel falsificatur: siquidem omninò independenter à Petri voluntate, potestate, & libertate consensus Petri in horum sententia præfinitur. Efficiam ita efformati argumenti negare non possumus, quin & primo à nobis, & omnibus efformati efficaciam negemus. Illud tamen in Recentioribus nostris nonnullis non probamus: quod hanc arguendi formam, vt proprium adinuentum, quæ communibus solutionibus, & euasionibus non pateat, velint venditare. Cum tamen tringinta, & amplius retro annis ea forma Ruiz noster de scientia fuerit vsus: & eius syllogismi maior ea potestate ad omissionem, quam in eo, cuius consensus ita præfinitus à Deo est vtrumque adstruere, seu fingere aduersarij volunt, falsificari posse, eadem, vel falsitate, vel facilitate respondere queant: quod ipsum in aliis arguendi formis omnibus, (de quibus sibi Recentiores, tanquam de adinuentis propriis blandiuntur, cum tamen nullam antea Ruiz noster omiserit) cernere licet, quam etiam ob rem eis describendis, & multiplicandis inutiliter hic abstinebimus; simplici, & clara difficultatum contra præfatas præfinitiones propositione contenti. Ea siquidem sunt, quæ exquisitis artis suppetiis, vt aduersarios vexent, minimè indigeant.

3. Argumentor secundo. Posita præfinitione illa requisita ex parte causæ ad consensum independenter ab exercitio libero voluntatis implicat coniungi, seu poni negationem consensus, seu dissensum oppositum: ergo præfinitione requisita ex parte principij posita non est potestas in voluntate ad ponendam consensus negationem, aut dissensum. Antecedens est aduersariorum doctrina, quod si negent, nobis consentiunt. Consequentia est legitima: quia potentia ad actum impossibilem est Chimærica, & impossibilis: atqui cum per hosce positio negationis consensus, vel positio dissensus, posita præfinitione consensus sit actus impossibilis: potentia ad negationem consensus, seu ad dissensum posita præfinitione est potentia ad actum impossibilem, & Chimærica: confirmatur: quia potentia ad dissensum, seu negationem consensus absoluta, & adæquatè talis claudit essentialiter principia omnia essentialiter ex parte causæ requisita ad consensum, &c. E quibus in horum sententia præfinitio consensus, vnum, & præcipuum est; imò, quod cætera principia determinet, secumque irresistibiliter ad operationem perducat, & trahat: ac subinde vniuersim præfinitionem ad quemuis effectum spectare etiam ad absolutum posse, seu potentiam absolutam ipsius aduersarij (vti in suo hoc principio debent) plane fatentur: Atqui cum præfinitione consensus, pugnat dissensus, siue negationis consensus præfinitio: ergo, quod cum præfinitione, seu posita præfinitione consensus sit potentia, seu posse absolutum ad dissensum, seu negationem consensus. Tertio causa libera est quæ positis requisitis omnibus ad operandum absolutè est indifferens ad operandum, vel non operandū: atqui posita præfinitione consensus præfata ad operandum consensum requisita per vos, voluntas non est indifferens ad operandum, vel non operandum consensum, sed determinata, & prædeterminata: ergo voluntas posita præfata præfinitione, requisita per vos, ad operandum non est causa libera, ac subinde, nec consensus, qui è causæ libertate solummodo liber est, liber erit. Minor est certa siquidem determinatio voluntatis ad operandum posita præfinitione non determinationi & indifferentiæ ipsius ad operandum omninò contradicit. Quarto necessitas quæ causa est operandi facitque rem esse, siue, vt res sit, ac fiat, nec solum est

necessitas operationis ex suppositione, quod esset, seu, quia est operatio, opponitur, & pugnat cum causæ, & effectus ab illa oriundi libertate, vt Patres, scholastici omnes, & Anselmus aiebant cum d.5. de scient. q. vlt. tum hic. q. 3. estque lumine naturali rationis euidens. Siquidem tunc causa ex necessitate illa effectum operatur: quod naturalis causæ, vt contra liberam diuiditur, proprium, & essentiale est. Sed posita præfata præfinitione consensus necessitas consensus voluntatis est necessitas, quæ causa est voluntati censentiendi, facitque consensum esse, & fieri à voluntate: ergo pugnat, & contradicit eum voluntatis libertate. Hæc omnia argumenta & de se se aperta sunt, & solutionum impugnationis viuidiora persistent.

4. Quinto argumentor ratione, quæ omnes omnino aduersariorum euasiones, & solutiones præoccupat, ex stato apud aduersarios (& si aliis omnibus falsissimo) principio ad efficaces de se se nostrarum actionum suadendas, nempe *à principio, seu causa indifferenti non potest esse actio determinata, seu effectus determinatus prodire*, quo posito eos percontorran posita præfinitione maneat absolute potentia omittendi, ac proinde indifferens absolute potestas ad actum, & omissionem actus, nec ne? Si non manet: ergo nulla ratione, & solutione saluatur absoluta potestas voluntatis ad omittendum, neque absolute proinde potestas indifferens ad vtrumvis, nec, quæ in ea stat, voluntatis, vt huc vsque contendebamus, & ostendimus: quare manere asseris, ne des manus aperte; sed tamen aliunde ex hoc responso, & tuo illo principio eas reuinciam hoc syllogismo *in Ferio. A principio absolute indifferenti nequit esse actio determinata, ac determinatus effectus. Sed per te voluntas, secundum quamcumque rationem, est absolutum principium indifferens operationis, & effectus, atque omissionis eorum posita etiam præfinitione: ergo à voluntate, posita etiam præfinitione tua nequit esse actio, aut effectus determinatus*: quod ipsum de progressu alterius determinate extremi oppositi, ad quod etiam voluntas est principium, & potentia absolute indifferens, nempe omissionis aut actus contrarij simili syllogismo infertur: quare, dum aliis, atque aliis solutionibus potentiam absolutam ad omissionem actus præfiniti, & ad contrarium actum defendere aduersarij contendunt, é suo illo principio ad nullum extremum ex oppositis potentiam absolutam voluntatis ab illis relinqui conuincuntur. Adiungi posset contra omnes vniuersim aduersariorum solutiones. Sexto aliud argumentum efformatur ex altero aduersariorum principio ad suadendas suas humanarum actionum præfinitiones: scilicet eas poni oportere ad diuinæ de contingentibus scientiæ Physicam, & Metaphysicam infallibilitatem, quæ sine causæ, quæ medium eius scientiæ est, determinatione ad effectum, & ineuitabili à voluntate connexione cum illo, nullatenus esse potest: & quamquam hoc multo ex capite controu. 2. d. 5. impugnarim: ex eo, nunc permisso, argumentor sic contra præsentem, & reliquas omnes eorum solutiones: quia medium Physicè, & Metaphysicè absolutè infallibile illationis effectus ex causa omnem contingentiam separationis causæ ab effectu, seu indifferentiam ad ipsum, vel eius oppositum absolute excludit: ergo vel præfinitio excludit absolute omnem contingentiam separationis voluntatis ab actu præfinito, & potestatem eius ad ipsum omittendum, ac subinde indifferentem eius ad vtrumvis potestatem, ac libertatem, vt contendimus contra aduersarios; vel, si eam absolutè non excludit nequit esse præfinitio actus simul cum voluntate medium, cui diuinæ contingentium futurorum scientiæ infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica innitatur. Patet extremum hoc: quia infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica diuinæ scientiæ in causa, quæ medium est cognoscendi effectum omnem omninò contingentiam aliter essendi, seu non essendi ab illa causa effectum ab ea causa absolute exclusam supponit, & importat: ergo, si posita præfinitione non excluditur absolutè omnis contingentia omittendi effectum, sed manet in voluntate absoluta potestas illum omittendi, & indifferens ad vtrumuis potentia, atque libertas, voluntas etiam cum præfinitione non est causa, cui ranquam medio diuinæ scientiæ de actu contingenti præfiuito infallibilitas possit inniti.

CERTAMEN III.

Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur.

1. Ad solutiones aduersariorum veniamus, quæ eadem cum fatalium Philosophorum, ac Hæreticorum prædestinatorum, nouorumque præfinitorum nostrarum actionum à Deo è doctrinæ, & verborum conuenientia esse videntur, vt constat ex q. 3. & 4. & quarum à ratione impugnationes in hunc locum remisimus. Prodeat solutio illa, primum de impotentia voluntatis nostræ ad negationem consensus præfiniti posita præfinitione *in sensu composito*, potentia autem eiusdem ad eius negationem *in sensu diuiso*, quam potentiam in sensu diuiso satis ad voluntatis libertatem, & potestatem ad extremum oppositum consensui præfinito, & infallibiliter apponendo tuendam, ac subinde ad absolutam voluntatis nostræ indifferentiam, & indeterminationem ad vtrumvis, seruandam, excludendamque solummodo oppositam consensus præfiniti, in sensu etiam diuiso necessitatem, & determinationem ex nostra etiam doctrina conantur ostendere, in qua distinctionis eiusdem, & vsus nobis, & necessitas est, vt illæsam libertatem in nostris etiam principiis ostendamus. Etenim quantumuis indifferentia de se se principia voluntatis libertatem, & potestatem absolutam constituentia sint, posito à voluntate consensu, illam in sensu composito eius negationem, vel dissensum oppositum ponere non posse certissimum est: cum consensus negatio consensui contradicat, ac proinde ac ipsam in sensu composito consensus apponendam, siue (quod idem est) coniungendam cum consensu nulla, etiam in Deo, nedum in nobis, potentia esse potest: cum ad apponendam contradictionem æquè Chimærica, & impossibilis omnino potentia sit, atque impossibilis est ipsa contradictio. Ad apponendum vero cum consensu contrarie oppositum dissensum non nisi in eo, cui coniungendi contraria facultas est (in Deo nimirum) potentia esse potest; quare in nobis potestas ponendi dissensum in sensu composito consensus, nulla est omnino potestas; & tamen, quia nobis ad eum in sensu diuiso oppositi consensus ponendum facultas, & potestas adest; adest etiam nobis ponendi consensum, eiusve negationem, & vel dissensum, absoluta libertas.

2. Sed certe, & si communis, & nobis, & aduersariis terminorum eius distinctionis vsus, adeo tamen diuersus est eius apud vtrosque sensus, vt citius oriens cum occidente in eundem locum possit conuenire; nec immerito proinde de Cabezudo, & hac distinctione ad has difficultates emolliendas vtentibus dixerit Illustriss. Mascareñas d. 2. de auxil. p. 3. n. 11. *Rem non capiunt, vel certe capitores sunt, qui apertam veritatem volunt occultare, ne à sua discedant sententia.* Cum enim consensus voluntatis nullatenus ex parte se actus primi, & causæ ad se ipsum teneat, sed potius sit voluntatis effectus: licet posito semel à voluntate neque ipse possit non esse, ac proinde eius negatio, aut dissensus oppositus in sensu composito illius esse nequeant: cum tamen, in nostra sententia, à voluntate ex parte actus primi, tam de se, quam ex requisitis omnibus ad operandum indifferente, ac proinde non determinata, aut necessitata, vel de se se, vel ex requisitis ex parte actus primi ad operandum consensus procedat, indifferentiam, & libertatem voluntatis, vt causa in actu primo est, quam pro naturæ, & causalitatis priori supponit, & à qua procedit, nequit destruere; nullus enim effectus suæ causæ, pro tempore, quo agit Physicè (nec solùm moraliter, vt dominium donationem) destructiuus esse potest: ac proinde voluntatis in actu primo libertas consensu effecto manet, & in sensu composito illius, & si eius negatio eo ex parte actus secundi posito sit absolutè impossibilis, quia libertas voluntatis in actu prima ad vtrumque simul ponendum nusquam erat, sed ad ponendum vnum, vel alterum. Id quod ex parte actus primi, ad quem actus secundus consentiendi trahi non potest, etiam cum consensus de facto ponitur, perseuerat: & si posito consensu incommuncto actus

actus primi voluntatis, & actus secundi consensus, non fit ad eius negationem, & dissensum apponendum potestas. At impossibilitas negationis consensus in sensu compositio præfinitionis aduersariorum ex parte causæ ad consensum antecedentis, imò & essentialiter requisitæ ex parte actus primi ante omne voluntatis exercitium se tenet, quam prædeterminat, & necessitat ad consensum infallibiliter futurum: quare in actu primo absoluta potentia ad negationem consensus, & dissensum, præfinitione ponè posita, nusquam manet: vt ad rationem potentiæ, & causæ liberæ requiri demonstrauimus: siquidem in eis circunstantiis, & suppositionibus ad agendum requisitis, in quibus effectus impossibilis est potentia ad ipsum esse non potest. Stet ergo vsum distinctionis huius de sensu compositio, & diuiso saluandæ voluntatis libertati in nostris principiis vtilem, inutilem prorsus aduersariis esse: Est siquidem argumentum, Impotentia voluntatis ad omissionem consensus positi post exercitium liberæ potentiæ, & indifferentis ad ipsum ponendum, vel non ponendum, non impedit absolutam eius in actu primo potentiam ad ponendum vtrumvis: ergo præfinitio consensus ex parte actus primi requisita, & posita omninò independenter ad exercitium liberum voluntatis prædeterminans, ac necessitans ad infallibiliter, & irresistibiliter apponendum consensum, atque ad apponendam eius negationem, & dissensum impossibilitans (vt sic loquar) potentiam absolutam omittendi consensum, & apponendi dissensum eum consensu incompossibilem non impedier.

3. Ex his autem constat quo iure Magist. Ioannes Vincentius, Vicarius Generalis Dominicanorum, & Salmantinus Professor eximius ob suorum abusum distinctionis huius *in sensu composito, & diuiso* dixerit: *eam distinctionem in hac parte leuissimam esse, & , qua tota euanescat in verbis*, vt quæst. 3. cert. 2. num. 8. referebamus & Caietan. 1. part. quæst. 22. art. 4. §. *Ad hanc dubitationem intellectum non quietare.* Et Henricus Villegas Primarius Complutensis Thomistas multa ea distinctione ex Logica profudisse, *quæ mallem*, inquit, *iuxta Theologiam declarari, vt obscuritatem nullam peperisset.* Ioannes Roadauila, de prouident. & prædest. quæst. 3. sect. 2. num. 77. *Refugium esse fugientium à vi difficultatu.* Sed quoniam verba hæc in duplicem, verbis tenus, sensum, æquè difficultatibus propositis euacuandis inutilem, singulatim à nobis confutandum, explicare contendunt. Moneo interim eadem distinctione & sensu (si duplex esset) vtroque æque commode fatales Ethnicos prædestinatores Lutheranos, & Caluinistas vti posse, vt præter eorum testimonia data quæst. 3. ex vtriusque sensus explicatione ab aduersariis data, moxque subiicienda clarebit. Primus (qui me iudice vnicus eius distinctionis sensus esse potest apud aduersarios) est in sensu composito præfinitionis consensus requisitæ ad operandum, siue quandiu ea posita est, non posse voluntatem dissentire, siue non consentire; sed solum in sensu diuiso voluntatis à præfinitione ipsam non consentire, aut dissentire posse, eamque potentiam in sensu diuiso à præfinitione ad saluandam libertatem voluntatis, & arbitrij satis esse: ita Bannez 1. part. quæst. 23. art. 3. dub. vltim. aute §. *Ad motiua*, & art. 5. dub. 1. *ad 7. Inuelli* Cabecudo tom. 1. in 3. part. quæst. 52. art. 5. quæst. 3ua 2. conclus. 6. §. *Ad 12.* & quæst. 62. art. 5. quæst. 3ua 2. conclus. 3. §. *Ad quintum.* Ledesma de auxil. art. 10. §. *Tertia solutio.* Aluarez 9. de auxil. d. 94 num. 2. & lib. 2. responsion. cap. 1. num. 30. Sed certè si, vt voluntas nostra absolute possit omittere consensum, vel dissensum ponere, diuisa à præfinitione consensus, requisita essentialiter ad ipsum apponendum, esse debeat: ergo ea posita præfinitione impossibile est ponere dissensum, vel consensum præfinitum omittere: ergo neque posito eo requisito ad operandum consensum eum operari, vel non operari absolutè potest, vt in primo syllogismo assumebamus: ac proinde neque causa, seu potentia libera est. Secundo eodem sensu diuiso aquæ feruentis à calore potest frigefacere lignum viride, siue eius materia prima ignire: ignis materia frigefacere, & sic de reliquis naturalibus agentibus: quare, cum in hoc sensu diuiso in eis saluetur posse non operari quæ operantur, agentia naturalia omnia libera agentia erunt. Tertio & Christi humanitas contra Thomistas hoscè erit absolute peccabilis, & libera ad peccandum: quia in sensu diuiso ab vnione hypostatica poterit peccare. Ratio autem, cur hæc admittenda non sint, est quarta huius sensus distinctionis impugnatio; quia potentia causæ in sensu diuiso à forma, seu aliquo, quod supponitur esse in illa vel, cum illa, est potentia solum conditionata causæ illius, scilicet, si diuidatur à forma, seu illo, quod supponitur esse, non autem potentia absoluta illius causæ: ac proinde non est potentia quæ est, sed quæ esset, si præfinitio auferretur.

4. Cum autem præfinitione semel posita eam pro duratione, in qua posita est, non solum humanitus, sed & diuinitus auferri repugnet: ac insuper eam poni à libertate voluntatis nullatenus per aduersarios pendeat; fit planè sensum illum diuisum nullatenus voluntatis potestati subiacere: quare neque illi adesse, mediatam adhuc, ad omissionem consensus præfiniti, vel ad oppositum dissensum potestatem: vnde nullo etiam sensu Concilij Tridentini, Senonensis, & Pontificum Vrbani VIII. Innocentij X. & Alexandri VII. definitiones verificari, ea solutione sensus diuisi, & compositi ita explicata vllatenus posse, neque nostris argumentis satisfieri, scilicet posito auxilio efficaci, quo quis de facto conuertitur, Deumque vocantem sequitur: ac proinde Dei de eius conuersione, & consensu voluntari, & electioni resistere, dissentire, Deumque vocantem, & eligentem abiicere absolute posse. Id circo hanc eius solutionis sensus compositi, & diuisi explicationem esse Caluinianam, & Hæreticorum, nec posse cum eis definitionibus Tridentini consistere ait Magist. Petrus de Herrera Dominican. Primarius Theologiæ apud Salmanticenses Professor Episcopus demum Tudensis Manuscripto de auxil. dictato Salmanticæ anno 1650. eam verò eius distinctiones explicationem à nostris impositam suis Dominicanis conqueritur, eius verba recitat Paulus Leonardus 2. part. responsi. sect. 2. num. 9. & quoad primum de insufficientia eius ita explicatæ distinctionis, ad saluandas Tridentini definitiones consentit Cabrera tom. 2. in part. quæst. 18. art. 4. d. 8. num. 313. Inde tamen in Dominicanos prædeterminatiuos præfinitores, (quibus quo ad præfinitiones, & præterminationes consentit) inuehitur. *Audiendos non esse, qui admittentes physicas prædeterminationes affirmant voluntatem ex vi concursus, seu auxilij efficacis ita præmoueri, vt illos supposito non possit non elicere actum*: Iuxta quem sensum rectè errorem in fide à nostris appellari, ait ob aduersas omninò Concilij Tridentini definitiones memoratas. Fatetur ergo prædeterminantes aliquot ita potentiam ad omissionem consensus, seu dissensus in sensu solum diuiso voluntatis à præfinitione admisisse: quare nulla in eo nostrorum impostura est, vt aiebat Herrera: forte, quia citatos Dominicanos locis datis num. 6. vel non attente legit, vel attentius dissimulauit: Sicuti & Ledesma de auxil. art. 12. §. *In hac difficultate.* Nauarrete verò tom. 2. Controuers. 21. §. 18. tit. *Libertatis voluntatis*, maiore ingenuitate ita explicatam à quibusdam suis eam distinctionem fatetur: imò & §. 3. eo sensu illam admittit dicens, *suppositâ præmotione Dei necesse est, quod* voluntas: *operetur actum, ad quem præmouet, & non potest contingere, quod voluntas non operetur.* Et Franciscus Dauila de auxil. cap. 19. *Ex ipsamet motionis diuinæ natura fit, vt voluntas non velle*: quod ipsum est impotentia omittendi volitionem in sensu composito præfinitionis ad illam. Et quod magis mireris Cabrera ipse, qui errorie ita explicatam solutionem insimulat tom. 3. in 3. p. q. 62. n. 9. fine eo solum sensu diuiso potentiam ad omittendum consensum admittit, & in sensu composito præfinitionis (seu quod idem est) auxilij de se efficacis potentiam omittendi omnino voluntati negat his verbis: *Posito auxilio præuio in sensu composito necessario operatur voluntas: & non potest non operari.*

5. Sed quoniam eius distinctionis sensum, seu explicationem primam adeo iam Thomistæ præfati, & Recentiores reliqui reiectant, vt à suis dictam negent, & nolint: sensum eiusdem distinctionis alterum, siue explicationem secundam proferamus, & in aperto examine mus: eam his explicat Herrera vbi proxime: *Admittimus hanc distinctionem, & necessitatem in sensu cõposito in hoc sensu: quod posito in voluntate auxilio efficaciter prædeterminante possimus illi resistere, & dissentire, vt dixit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 4. Et eo posito possimus nõ operari: non tamen simul*

simul sint in voluntate auxilium collatum, verbi gratia, pro actu charitatis, & omissio talis actus, vel odium Dei; Ita etiam Aluarez 9. de auxil. d. 92. concluſ. 2. num. 6. d. 94. num. 2. §. *Igitur quando*, & 2. reſponſion. cap. 1. num. 26. (*vbi id à nullo Catholico negari poſſe ait, & alio ſenſu falſo, Thomiſtis imponi*, & cap. 4. num. 9. ſuorum, ſcilicet, qui id negant, imò, & ſui immemor. Siquidem citata d. 94. num. 2. & 2. reſponſion. cap. 1. citato num. 30. primam eius diſtinctionis explicationem amplectitur, vt num. 3. dicebamus: Et quidem in hoc ſecundo ſenſu eius diſtinctionis quieſcunt Cabrera tom. 2. in 3. part. quæſt. 18. art. 4. d. 2. §. 10. num. 364. Zumel tom. 1. variar. d. 5. in Appendice §. ad 3. Ioſephus à ſancta Maria, tract. Thomiſt. de libero arbitr. in communi q. 4. art. 6. §. *Dico* 7. & §. *Supponendum* 7. Nazar. tom. 1. in 1. part. quæſt. 22. art. 4. Controuerſ. 2. Ad argumenta ſeptimæ concluſionis, §. *Secundo reſpondeo*. Gregor. Martin. tom. 1. in 1. 2. quæſt. 10. art. 4. dub. 1. concluſ. 2. ad 1. Argum. Theologus Diſcalceatus Carmelitus, & Ioann. à S. Thom. Martinez de Prado, & vno verbo iam è ſuis reliqui, quibus ad reſpondendum in forma familiares termini ad hunc ſenſum ſolutioni applicandum ſunt: *voluntatem poſita perfinitione conſenſus illum nihilominus omittere poſſe ſi multate potentia; non tamen potentia ſi multatis omiſſionis, ſeu diſſenſus cum præfinitione*. Idque exemplis nonnullis inferius adducendis, & refutandis explicant amplius, & confirmant: & poſſent quidem verbis Ariſtotelis, & Scoti, apud Guillielmum Eſtium in 1. d. 38. §. 8. init. vbi & ipſe ex Scoto, tract. de rer. princ. quæſt. 4. artic. 2. ſect. 5. num. 38. ait: *Et iſtum modum* (ſenſus diuiſi & compoſiti,) *Tradit. Ariſt. Elenchor. cap. 3.* vbi dicit: *Quod iſta propoſitio, ſedentem ambulare eſt poſſibile, eſt multiplex: quia poteſt eſſe diuiſa: vt, ſi poſſibile determinet* ly *ambulare, ſecundum ſe, & abſolutè, vt ſeparatum ab actu ſedendi: & ſic in ſenſu diuiſo eſt vera ſub hoc ſenſu; qui vere ſedet habet potentiam, vt aliquando ambulet: vel poteſt eſſe compoſita, vt* ly *poſſibile determinet actum ambulandi, vt coniunctum actui ſedendi: & ſic eſt falſa: quia ſenſus eſt: aliquis habet potentiam, vt ſedendo, vel, dum ſedit, ambulet.* Quibus aſſerit potentiam ambulandi in eo, qui ſedet, conſiderato actu ambulandi ſecundum ſe, & non, vt coniuncto cum actu ſedendi: ac proinde, & in voluntate, cuius conſenſus verè præfinitus eſt, veram potentiam ad conſenſus omiſſionem, poſita præfinitione per ipſos admitti; & ſi ad omiſſionem, vel diſſenſum apponendum præfinitio debeat abeſſe, vt aduerſarij fatentur: vbi de ſeſſione Ariſtotelcs, & Scotus aiebant, vt poneretur ambulatio: quia æque incomungibiles ſunt omiſſio conſenſus cum huius præfinitione, atque cum ſeſſione deambulatio.

6. Contra tamen eſt: quia ſeſſio eſt actus ſecundus potentiæ abſolutæ deambulatiuæ ab ea ex libero imperio voluntatis libere poſita: ac proindeque, & potuit abſolutè pro eo & pro inſtantibus reliquis à poſitione ambulationis cum ſeſſione pugnantis impedire, quia potentiam ambulandi non complet pro priori cauſalitatis, ſicuti nec ſeſſio potentiam abſolutam ſedendi: quare, & hac poſita manet potentia abſoluta deambulandi; atqui abſque præfinitione potentia ex parte actus primi completa, & abſoluta potentia omittendi conſenſum, vel ponendi diſſenſum non eſt: quæ iuxta hos Decreto oppoſito debet compleri, ad quorum neutrum pro eo ſigno à Deo obtinendum, & habendum vlla eſt in voluntate poteſtas. Vnde rurſus arguitur: quia pro eo ſigno, quo adeſt extremum incompoſſibile cum alio nequit eſſe per Ariſtotelem, & Scotum potentia, ſeu poteſtas adhoc aliud in ſenſu compoſito cum illo, ſolumque in ſenſu diuiſo ab illo abſoluta ad oppoſitum poteſtas eſſe poteſt, vt aperte vterque docet, & de ſe patet, ac ſtatim demonſtrabitur: atqui per vos præfinitio conſenſus, & ſe ex parte actus primi, & cauſæ conſenſus tenet, & eſt extremum incompoſſibile cum eius omiſſione, & diſſenſu: ergo pro ſigno actus primi, ſeu cauſæ (quod eſt ſignum vnicum potentiæ, ſeu, pro quo verificanda potentia neceſſatio eſt) in ſenſu compoſito præfinitionis conſenſus potentia ad eius omiſſionem, vel diſſenſum nullatenus eſſe in voluntate poteſt: quare iuxta Ariſtotelis, & Scoti doctrinam ſolum poteſt: ni aduerſarij admittant cum Suariſtis noſtris (quod mordicus negant) eſſe eius præfinitionis poſitionem, vel impeditionem in libera poteſtate voluntatis: de quo controuerſ. 4. Ex quo patet quo iure citatus Eſtius. Et Mag. Lorca 1. 2. tom. 1. d. 21. concluſ. 2. §. *Secundo quaeritur dixerit. Senſus compoſitus idem eſt, ac poſito, & applicato auxilio; Diuiſus autem eſt conſiderando voluntatem abſolutè, & ſine auxilio.* Non autem ſine actu, vt explicatione hac ſecunda eius diſtinctionis contenditur. Sin autem præfinitionis Thomiſticæ natura, & cauſalitate conſenſum antecedentis poſitio à noſtræ voluntatis exercitio libero penderet, vt ſcientia conditionata, ex qua auxilium, cui conſentiemus, de facto tribuitur, & quæ ſubinde conſenſum antecedit, (& vt Suariſtæ volunt præfinitio per ſcientiam mediam regulata,) ſecundus hic ſenſus diſtinctionis locum, & veritatem haberet. Siquidem, vt dixi, in voluntate pro naturæ prioritate ad negationem præfinitionis antecedens de facto poteſtas abſoluta fuiſſet, & antecedens eius poſitionem: quæ eius poſitione pro naturæ poſteriori deſtrui non poteſt: quare, & etiam poſita poteſtas omittendi conſenſum præfinitum in ſenſu diuiſo à præfinitione perſiſteret: quia eam diuidendi à voluntate, ac ſubinde apponendi conſenſus omiſſionem ipſi repugnantem, eſſet in voluntate abſoluta poteſtas, quæ ſola eſt vera potentia non operandi in ſenſu diuiſo.

7. Sic ergo contra Thomiſtas concludo. Potentia non operandi diuiſo poſito ex parte antecedentis, & cauſæ aliquo impoſſibili cum negatione operationis, eſt potentia diuidendi illud antecedens incompoſſibile cum negatione operationis: ſed nulla eſt pro vllo ſigno poteſtas diuidendi præfinitionem antecedentem operationis in voluntate: ergo pro nullo ſigno eſt in voluntate potentia ad negationem operationis præfinitæ in ſenſu diuiſo, præfinitione Thomiſtica poſita. Conſequentia eſt legitima in *celarent*, vel ſi particulariter aſſumas Minorem, *in ferio*. Minor eſt aduerſariorum doctrina dicentium præfinitiones noſtrarum actionum nullatenus à noſtræ libertatis vſu dependere. Maior conceditur etiam à Cabrera, Auila, & aliis: quare, cum conſequentiam negant alio, quam ratione agendum eſt. Aluaræ tamen opuſcul. de origine Pelagianæ cap. 32. num. 7. & Ioann. à S. Thom. 1. part. d. 20. art. 6. negant maiorem: quia alias vera eſſet Petri de Riuo propoſitio, *quod ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, hoc eſt inimpedibile, & neceſſarium*, damnata à Sixto IV. annum circiter 1475. verum & ea propoſitio certiſſima eſt, & alia longè ab ea, quæ damnata in Riuo fuit, vt oſtendimus quæſt. 4. in Louanienſi Academia. Quare, & maior illa ſyllogiſmi noſtri certiſſima, & ab Ariſtotele nuper tradita, cum potentiam in ſenſu diuiſo ad actum oppoſitum, & incompoſſibilem ei, qui poſitus eſt, in eo ſolum actu admiſit, qui libere, ac dependenter à libertate noſtra poſitus eſt, vt ſeſſio. Secundo demonſtratur ab abſurdo, quia alias aqua calida, cum calor etiam adeſt, haberet poteſtatem in ſenſu diuiſo non calefaciendi, & frigefaciendi: quare, & libere iuxta aduerſarios calefaceret, & ſic de reliquis naturalibus agentibus, ad poteſtatem in ſenſu diuiſo ad incompoſſibile cum eo, quod adeſt, poteſtas libera hoc impediendi; ac proinde eius in ſui poſitione ab vſu noſtræ libertatis dependentia requiratur, & ad ipſum diuidendum facultas in nobis, atque vt huius, & ſimilium argumentorum robur non detur, habendum præ oculis eſt: aliud longe eſſe non poſſe non operari, ac poſſe non operari: & ſi enim ex alterutro negatio operationis procedat, ex primo tamen procedit ex impotentia non operandi; quæ cauſis naturalibus adeſt ex ſecundo autem ex potentia non operandi, quæ ſimul cum potentia operandi in cauſis liberis eſſe debet, & impotentiæ non operandi contradicit: quare neque eſſe in illis vllatenus poteſt, niſi pro naturæ priori eius impotentiæ poſitionem auferre, & impedire, ne eſſet abſolutè cauſa, & potentia libera potuerit, vt diximus: ac proinde potentiam pro aliquo naturæ priori eam impotentiam non operandi à ſe abiiciendi habuerit: aſt voluntas pro nullo ſigno priori naturæ habuit potentiam abſolutam impediendi neceſſitatem operandi, & impotentiam non operandi, quam ſe cum præfinitio requiſita deuoluit. Siquidem nec impedire potuit, nec præfinitio poneretur, cum eius poſitio à poteſtate voluntatis independens opera aduerſa-

tion

tios sit: ergo nulla, posita præfinitione, adhuc in sensu diuiso potentia non consentiendi; sed sola impotentia non consentiendi in voluntate est: quare nec libera ad consentiendum potestas est.

8. Vrgeo in communi etiam aduersatiorum sententia de incompossibilitate gratiæ cum peccato; si Deus alicui reuelet esse in gratia in hoc instanti nullam habet potentiam ad dissentiendum reuelationi actu existenti: ergo præfinitione posita nulla est potentia ad omissionem consensus præfiniti. Probatur maior: quia dissensus reuelationi de existentia gratiæ pro hoc instanti peccatū est, quod incompossibile est cum gratia pro eodem instanti, quam essentialiter supponit reuelatio pro hoc instanti: quare nequit esse potentia ad dissentiendum reuelationi pro eo instanti, nisi sit potentia ad coniungendum peccatum cum gratia, quæ est potentia pure chimærica, & impossibilis, consequentia est manifesta, quia ideò nulla est potentia ad eiusmodi dissensum reuelationi præfatæ: quia dissensus dicit coniunctionem cum gratia, repugnantem, & ex alia parte reuelatio independenter ab vsu libertatis iuxta illius circa consensum, & dissensum posita est. Quare in potestate voluntatis, eiuiq; potentiæ ad cōsentiendum, aut dissentiendum reuelationi nullatenus fuit reuelationem tollere, aut impedire, ne fuerit: sed per vos nulla est potestas ad coniungendam omissionem consensus, siue cum hoc, siue cum eius præfinitione, quia coniungi cum alterutro omissionem consensus repugnat: tollereque præfinitionē, aut impedire in potestate voluntatis consensuræ, siue potentia voluntatis ad consensum, non est: ergo nec in sensu compositio, nec diuiso potentia vlla ad omissionem consensus præfiniti cum præfinitione incompossibilem est. Quare nulla potentia, adhuc in sensu diuiso, adest voluntati ad omissionem consensus, dum huius adest præfinitio. Nec satis est gratiam reuelatam infusam esse dependenter à negatione peccati, & libertate ad peccandum alio peccato, quod reuelationem non supponat: tum, quia id de positione præfinitionis communiter non asserunt Thomistæ: quare iuxta communem eorum sententiam argumentum de infusione gratiæ reuelatæ independenter ab vsu nostræ libertatis ad vllum peccatum procedet: in quo nullus est elusioni æquiuocationis omnino locus. Tum denique, quia etsi ea potentia ad aliud peccatum à dissensu reuelationis gratiæ ad hanc essentialiter suppositæ infusionem antecedens admittatur in voluntate, similiterque potentia libera ad alia opera, dependenter à quibus à Deo habeatur præfinitio consensus, vt tandem Thomistæ nonnulli, non tam à semipelagianismo, quem nobis volūt affigere, quam à suis principijs alieni, comminiscuntur) tamen potentiam proximam ad omissionem consensus posita eius præfinitione non saluant, vt in sequentibus plane videbimus. Ac denum independentem ab omni vsu libertatis nostræ circa actum peccaminosum gratiam infundi nobis à Deo posse, ac reuerari citra dubium est: quo in casu nulla esset, nec mediata, ad dissentiendum reuelationi potestas, voluntatis, nec in assentiendo libertas.

9. Adde: visio beata non relinquit per hoscce libertatem, dum adest, in sensu adhuc diuiso, ad non amandum Deum, vel peccandum, quia cum ea componi nequit caritas amoris Dei super omnia, aut peccatum, neque eius positio pendet à libertate Beati: at omissio consensus præfiniti componi cum eius præfinitione nequit huiusque positio à libertate voluntatis nullatenus pendet: ergo nulla est, adhuc in sensu diuiso ad omissionem consensus potentia, posita præfinitione. Nec satis est visionem non esse separabilem ex se, & natura sua à Beato, sicut separabilis est, & defectibilis præfinitio, ac prædeterminatio quæuis. In primis visio Dei natura, & essentia sua æterna non est, sed separabilis, & defectibilis pro duratione sequenti, etsi ratione status beati è voluntate libera Dei eximatur, sicut pro reliquis omnibus instantibus extendi potest præfinitio. Secundò è positione visionis in hoc instanti independenter à nostra libertate, eiusque incompossibilitate cum omissione amoris Dei super omnia, infertur impotentia diuidendi visionem Dei, & apponendi illam ab ea negationem amoris ipsi incōpossibilem pro eo instanti: ad hoc autem, vt pro eo instanti sit ea impotentia in sensu diuiso, vel non sit, nihil refert, vt natura sua, vel aliter duratura sit visio duratione sequenti: quid enim de hoc ut habetur in eo instanti, in quo ponitur amor Dei super omnia, & pro quo futura est potentia ad eius omissionem, vt liber sit, in potentia omittendi diuidendo, siue auferendo visionem: & similiter de potentia, vel impotentia diuidendi præfinitionem consensus, & apponendi eius omissionem, vt necessarius consensus sit, vel potentia omittēdi illum, vt sit liber, qui pro ea duratione, qua in eo eliciendo voluntas exercetur esse debet. Quod enim pro sequenti diuidi natura sua, vel ex accidenti possit, vel non possit, vel alterutro modo diuidatur, vel non diuidatur potentiæ, aut impotentiæ voluntatis ad diuidendum, necessitatem, aut libertatem voluntatis priori durationi exercendam constituere, iuuareve non potest, vt de se patet; etsi posset iuuare altera ad potentiam, altera ad impotentiam in sensu diuiso pro duratione sequenti, quo permansuræ natura sua, vel aliunde, aut non permansuræ sunt. Tertio nec pro sequenti duratione (nedum pro ea, qua, visione, aut præfinitione posita, voluntatis libertas, aut necessitas in cōsensu præfinito, vel amore exercetur natura sua vel aliunde alterutram diuidi, & separari, vel auferri oporteret) ad potentiam, siue impotentiam eas diuidendi, aut auferendi potest conferre; dummodo præfinitionis, aut visionis positio, vel ablatio pro sequenti duratione à potestate voluntatis non pendeat, vti non pendere præfinitionis positionē aduersarij aiunt. Primo quia, si in eius potestate, & libertate non est visionem, aut præfinitionem, ponere, nihil profectò potestatis eius, & libertatis refert, quod de se, & natura sua, vel aliunde, omnino tamen independenter à potestate voluntatis separabilis, vel inseparabilis sit, separetur separeturque, vel non separetur, qu in ideo, quod de se, naturaque sua inseparabile, & indiuisibile est, pro quauis duratione semel positum aufert potentiam diuidendi illum, seu in sensu diuiso; quia, cum de se, & natura sua inseparabile sit potestati voluntatis nō subiacet, quod diuidatur, ac separetur. Quartò, quod absolute inseparabile est sensum diuisum, ac subinde potentiam voluntatis ad illud facit impossibilem. Quintò, quia, etsi ignorantia inuincibilis, seu inaduertentia rationis separabilis ex se sit, tamen quia illā separare, & auferre non est in potestate voluntatis sensus diuisus illius potestati voluntatis non subditur: ergo nihil ad id confert, quod separabile de se sit, vel non sit id quod diuidendum est, vt oppositum apponatur. Sed solum quod illud diuidere, & auferre potestati voluntatis subiaceat. Quare nihil discrimen hoc inter visionem, & præfinitionem suam tentatū ab Aluare 2. respons. c. 4. n. 20. ipsi, & suis præstat. Cum igitur, & his exemplis, & rationibus euidēs sit posita præfinitione consensus non habere potestatem absolutā ad ponendam omissionem eius, vel dissensum, coniunctim cum præfinitione, vt aduersarij fatentur, nec disiunctim à præfinitione, cum hanc nequeat, nequiueritque pro vllo priori naturæ disiungere, & tollere, seu impedire, sed eam disiungere non suæ, sed solius sit diuinæ potestatis: sit plane, nullam esse in sensu adhuc diuiso secundo potestatem ad omissionem consensus, cuius præfinitio adest; siquidem nulla esse ad omissionem apponendam, nisi vel conjunctim, vel diuisim à præfinitione posita excogitari potestas queat. Vnde ea solum potentia ad omittendum voluntati restat, qua possit omittere, si aliunde, quam à sua potestate, & facultate præfinitio absit, quæ solum est conditionata, ac non absoluta potentia, & quam prima eius distinctionis explicatio iam Thomisticis inuisa, concedit.

10. A ratione rursus demonstratur, quia potentia ad quemuis actum, vel eius omissionem, aut cōtrarium debet esse pro signo, & priori causæ ad actum, & eius oppositum, siue contrarie, siue contradictorie: siquidem potentia causatiua, cuiusvis generis sit, suum actum debet natura, & causalitate præcedere: atqui posita præfinitione (quæ per vos ex parte actus primi, & causæ necessario, & essentialiter ad consensum, atque ab illius libera positione omnino independenter requiritur) nequit esse pro eo signo priori naturæ, & causalitatis potentia absoluta ad oppositum actus siue contrarie, siue contradictorie: ergo posita præfinitione, siue in sensu cōposito illius nequit esse absoluta potentia ad oppositum siue contratie, siue contradictorie actui præfinito, sed solum conditionata, si absit, vel abesset præfinitio (quod nostræ potestatis per vos non est) quæ est potentia omittendi, vel ponendi actum contrarium præfinito in sensu diuiso præfinitione primo sensu iam aduersariis inuiso. Minor probatur: quia posita præfinitione ponitur ex parte causæ, seu actus primi ad

consensum omnino independenter à libero exercitio voluntatis aliquid, & essentialiter requisitum ad illum, & ei essentia sua connexum, & determinatum ad conjunctionem, & coexistentiam cum illo, ac subinde essentia sua repugnans cum illius opposito, siue contrarie, siue contradictorie: sed cum hoc pugnat pro eo signo priori naturæ, & causalitatis potentia absoluta, siue absolute talis ad oppositum contrarie, vel contradictorie actui præfinito (siquidem cum determinatione, & necessitate actus, & repugnantia oppositi pro aliquo signo pugnat contradictorie non repugnantia oppositi pro eodem signo, quam necessario potentia absoluta ad oppositum pro eo signo essentialiter claudit, vel concernit) ergo posita præfinitione consensus nequit esse in sensu composito illius potentia absoluta, siue absolute talis pro signo priori naturę, & causalitatis ad oppositum actui præfinito. Sola ergo potentia conditionata, si absit præfinitio, in sensu scilicet diuiso, iuxta explicationem primam iam ab aduersariis fastiditam, ac saluandæ libertati voluntatis, & causæ liberæ inutilem, in voluntate ad oppositum actus præfiniti posita eius præfinitione esse potest. Quod argumentum constans apud S. Thom. semper fuit in 3. ethicor. c. 3. lect. 7. litt. I. q. 24. De verit. art. 1. *Sed contra.* Et ad 4 q. 6. de malo art. vn. à med. 1. 2 q. 1. art. 3. 4. 5. & 6. dicentem: consilium, & electionem non esse *de re nobis impossibili, aut quæ ex necessitate fit; quia*, inquit, *quod possibile est non esse, non necesse est esse. Est autem possibile non eligere, vel eligere: quia potest homo velle, & non velle agere & non agere*: quæ & sæpius docet, vt vidimus q. 5. cert. 2. à num. 2. arguens ex necessitate causæ ad operandum vnum impotentiam eius ad oppositum, & negationem proinde contingentiæ, & libertatis ipsius, vt fiat, vel non fiat, quare cum necessitate causæ ad operandum vnum, quam præfinitio aduersariorum affert pugnare potentiam ad illius oppositum in sensu composito illius.

11. Denique hic locum non habet euasio illa, quæ pro physica determinatione tentari ab aliquibus aduersariis solet: nimirum eam non complere principium activum consensus, vt partialem virtutem illius, sed esse conditionem ad agendum, quæ ex parte actus primi non se teneat. Etenim præfinitio non potest non ex parte actus primi se tenere, cum prædeterminationem (ad quodcumque ea signum expectet, etiam comitans, & non antecedens) actū natura, & causalitate antecedat. Secundo conditio ad agendum, ex verbis ipsis, ad actionem ex parte actus primi, & causæ se tenet: quare cum hoc de conditione ad agendum negatur contradictoria dicuntur, & ex terminis ipsis pugnantia. Tertiò, vox prædeterminationis, aut præfinitionis eandem dicit antecedentiam naturæ ad consensum. Quartò, cum iuxta Aristotelem recitatum cert. 2. n. 12. tam præfinitio, quam prædeterminatio consensus essentialiter eius omissionem, ac dissensus positionem impediat, potentia ad oppositum consensus positis requisitis ad operandum in horum sententia absolute non erit (si præfinitio requisitum quid iuxta aduersariorum doctrinam sit) sed solum conditionate, si illæ absint, siue in sensu diuiso iuxta primam eius distinctionis explicationem: quia eiusmodi præfinitio consensus insuperabile impedimentum omissionis, & dissensus voluntati nostræ est: quare, & eius remotio absoluta ad absolutam potentiam omittendi, & dissentiendi requiretur: quæ cum positione præfinitionis siue in sensu composito illius contradictorie pugnat: quia & erit, & non erit præfinitio, & quidem potentiam ad omissionem actus præfiniti, siue eius contrarium stare non posse, nisi & omissio, & actus contrarius coniungi possint, quare & secundam hanc distinctionis eius explicationem de potentia ad actum oppositum, & omissionem præfiniti inanem prorsus esse fatetur ingenue Aluarez possint dum ab absurdo communem potentiæ, & causæ liberæ definitionem memoratam, & statutam reiiciendam tentauit. Etenim 12. de auxil. d. 115. n. 1. ex ea definitione absurdum infert à nobis relatum cert. 1. n. 3. his verbis: *quoniam inde sequeretur, vt compositio fieret inter antecedente prærequisita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium: & consequenter, quod omnia prærequisita etiam ex parte Dei, ad operandum talem actum particularem, & carentia eiusdem actus, seu actus contrarius possint esse, aut aliquando sint simul &c.* Ast, si possibilis sit potentia ad omissionem actus, seu actum contrarium præfinito posita præfinitione, siue in sensu composito præfinitionis requisitæ ad operandum consensum, & in coniungibilis cum eius omissione id nullatenus infertur, vt patet: ergo infertur ex Aluarez, quia censet repugnare potentiam ad omissionem actus præfiniti in sensu composito præfinitionis requisitæ ad actum, & in coniungibilis cum omissione actus, vt hactenus contra ipsum, & Affectas contendebamus.

CERTAMEN IV.

Viterior potentiæ assignatæ ad omissionem posita præfinitione impugnatio.

1. SEd hoc ipsum apertius ostendamus confutatione potentiæ ad omissionem actus præfiniti, quam in sensu etiam composito præfinitionis permanere in voluntate nostra explicatius aduersarij designant. Aiunt enim, vt vidimus q. 3. cert. 2. n. 11. in sensu etiam composito præfinitionis consensus ad ipsum prædeterminantis, & necessariæ, esse potentiam ad eius omissionem, & dissensum: quia præfinitio non destruit voluntatem, quæ de se potentia ad omissionem, & dissensum est: nequitque proinde secundum se absolute perseuerare (vt posita etiam præfinitione perseuerat) quin potentia ad vtrumvis absolute permaneat: maxime ii indifferenti cogitatione ad vtrumvis præueniatur. Etenim possibilitas effectus passiua absolute, siue absoluta, cui possibilitas actiua, siue potentia absolutæ causæ respondet effectibus, & potentiis secundum se præcisæ sumptis competit: quare, etsi ex aliqua suppositione eorum naturis superaddita esse, fierive repugnent, nec effectus impossibilis absolute, neq; infacibilis absolute est, neque possibilitas actiua, seu potentia causæ impossibilis, aut actiue impossibilis absolute redditur. Ex qua doctrina aiunt necessitatem consensus, & impotentiam ad eius omissionem, & dissensum præfinitione consensus, & impotentiam ad eius omissionem, & dissensum præfinitione consensus voluntati inductam, non esse necessitatem vnius, & impotentiam aliorum absoluram, & simplicem libertati causæ, & potentiæ ad oppositū absolutæ aduersam, sed necessitatem solummodo ex suppositione, & secundi quid, quæ iuxta DD. omnes cum absoluta causæ libertate, & potentia ad oppositum amicè componitur. Hæc omnia sunt, quæ ab aduersariis ex prima illa doctrina consequenter dicuntur, atque in eam tandem recidunt: quam præter rationem datam exemplis illustrant. Nam subiectum album, etiam cum albedinem habet, siue in sensu composito albedinis potentiam passiuam, siue capacitatem ad habendam nigredinem retinet, neque nigredinis receptione amittit. Sedens item, vel competitus, quin absolute potentiam habeat ambulandi, seu progressiuam facultatem dubium non est: neque enim illa, vel competibus, vel sessione priuatur. Denique quamuis oculi nostri tenebris circumfusis teneantur, ne actu videant: attu eis potentiam visiuam absolute ad videndum esse nemo inficiabitur, ita ergo (inquiunt, ex Aluarez iam aduersarij omnes) etsi præfinitione consensus, ne illum omittat in sensu composito illius voluntas teneatur, quæ consentiendi, & non consentiendi, seu dissentiendi facultas, & potentia est; ast illum omittere, ac dissentire in sensu etiam composito absolute potest, vt allata exempla, & ratio facta suadent.

2. Sed enim exempla hæc ipsa iam pridem à Pelagio adducta, vt potentiam bene volendi sub nostram potestatem non cadere, & tamen actum bonæ voluntatis absque gratiæ diuinæ lumine in nostra omnino potestate esse defenderet. Quemadmodum, etsi potentiam visiuam habere nostræ potestatis nō sit, sed Dei, vel se solo, vel cum causis secundis illam nobis donantis; ast ea nobis semel indita, etsi nullum nobis lumen affulgeat, sed in tenebris prorsus simus videre actu nostræ facultatis, & potestatis est: cum adhuc sub tenebris potentia visiua nostra perseueret. At ita refellit Augustinus lib. de natura & gratia cap. 47. *Quomodo in nostra potestate est videre, si velimus: cum etiam salua integritate corporis, cuiuscumque nostrorum, nec volentes videre possimus: sine potestate*

noctem luminibus, quæ forinsecus adhibetur, ademptis sine nos quispiam in tenebroso loco aliquo includat? Eademque ratione potentiam absolutam progrediendi, & ambulandi in sensu composito compeditionis reiectat, & in sensu composito sessionis reiici potest; ni ex libera voluntate sedentis, atque arbitrij eius exercitio posita sit. Si enim ex hoc apponatur potentiam ex parte actus primi ad sedendum, ac non sedendum, & deambulandum expeditam supponet, quam proinde impedire; abolereve non poterit, vt sæpè docuimus. Sin autem sessio non ex libito sedentis, sed eius liberum voluntatis exercitium præuertens sedenti contingat, nulla eius ad standum, seu ambulandum erit potestas. Siquidem pro nullo priori, vt aliunde ponatur, aut non ponatur sessio sedenti potestas est, aut fuit: eaque semel posita, siue in sensu composito sessionis, potestas alia ad progrediendum esse nequit ab ea quæ ad coniungendam cum sessione progressionem potestas sit: ad has autem nulla vera sedentis potestas, sed solum chymærica esse potest, vt Aristot. & Scotus suprà, aliique omnes Philosophi, ac Theologi fatentur. Tertio euasio ista potentiæ, & causæ liberæ definitione, qua pro Maiori nostri omnes Syllogismi vtuntur, præclusa est. Ait enim: potentiam, seu causam liberum esse, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, vel non operari: ergo, vt potentia ad vtrumvis absolutè talis, & libera sit, non nuda potentiæ, & causæ entitas secundum se præcisè, sed in consortio, & coniuncto requisitorum omnium ad operandum spectanda, accipiendaque est. Quarto: quia cessatio, seu ablatio impedimentorum operandi, vel non operandi ad causam, & potentiam operandi, vel non operandi absolutè talem à Deo intrinsece, & essentialiter spectat, vt non solum ad potentiam absolutè talem attendi debeat, sed in ipsa potentia absolutè tali intelligatur inclusa: vt proinde in definitione causæ, & potentiæ absolutæ talis ad effectum aliquem eiusve negationem exprimenda, addendaque non esse dicatur ab Aristotele recitato cert. 1. num. 12. Ablatio autem impedimentorum intrinseca potentiæ, & entitati causæ, siue liberæ, siue naturalis non est: ergo ad potentiam causæ ad operandum, vel non operandum absolute talem, satis non est potentia causæ secundum suam entitatem consideratæ, sed cum coniuncto reliquorum requisitorum etiam extrinsecorum ad operandum, vel non operandum, siue ea positiua, siue negatiua sint, vt impedimentorum negatio.

3. Quinto aduersarij iudicium indifferens ad absolutam potentiam operandi, vel non operandi requirunt, etsi extra potentiam intrinsecam, & entitatem voluntatis sint. Item præfinitionem consensus prædeterminatiuam non solum entitate, sed & supposito diuersam. Septimo: & negationem præfinitionis Lutheranæ, & Caluinianæ de substantia actus præfiniti, ac non de modo etiam libertatis, vt suas ab hæreticis præfinitionibus, libertatem potentiæ voluntatis, & arbitrij nostri euertentibus, diserimenti, suaque cum libertate arbitrij creati perstare, vtcumque, suadeant, de quo inferius: & tamen hæc omnia extra entitatem voluntatis, eiusque potentiam sunt, quæ eis etiam positis perseuerat. Octauo idem argumentum sit ex principio cogente voluntatem, & necessitante coactiue ad actum, quam etiam tribuunt hæreticis præfinitionibus, & libertatem euersuras fatentur; secus suas, quæ coactiuæ non sunt: & tamen illæ nec de entitate voluntatis sunt, nec illam destruunt, cum adsunt. Ratio autem est, ad potentiam absolutam operandi, aut non operandi potentia sola, & nuda voluntatis præcisè sumptæ attendi non debeat, sed cum aliis: scilicet iudicio indifferenti, & præfinitione prædeterminatiua consensus, ac negatione præfinitionis coactiuæ ad ipsum, ea apud aduersarios est: quod, tam positiua hæc duo, quam negatiua reliqua, seu præfinitionum cogentium, ac non circa modum etiam libertatis versantium, & proinde potentiam impedientium, eum adsunt, requisitaque, siue ad potentiam non operandi ex parte causæ sunt: quare & ex parte potentiæ & causæ liberæ attendendæ spectandæque etiam sunt, vt libera illa ad operandum, vel non operandum sit, necne, vere iudicetur: ergo ex sola potentia voluntatis præcise, ac secundum se consideratæ non potest, etiam in aduersariorum doctrina, eius libertas ad vtrumuis pensari; sed ex ipsa, vt coniuncta cum aliis omnibus requisitis, siue positiuis, siue negatiuis, scilicet remotione impedimentorum cum altero ex extremis, quæ causæ libertas, seu potentia eius indifferens recipit, incompossibiliū, libera censetur; ex defectu autem alicuius ex requisitis siue positiuis, siue negatiuis ad alterum ex eis extremis apponendum, nec libera, & indifferens potentia absoluta ad vtrumvis persistit, nec potentia absoluta ad extremum illud, quod cum cōiuncto, quod de facto potentiæ adest, repugnare inueniatur, esse potest. Quare, cum de facto adest præfinitio consensus, quæ essentiale requisitum ex parte causæ, & potentiæ voluntatis ad actum eliciendum est, eiusque omissioni repugnat, quantumuis potentia volitiua secundū suam perstet entitatem, ac essentia sua consensui præfinito non connectatur, tamen absolutam potestatem ad non consentiendum nusquam habet, sed conditionatam, vt summum; si nimirum abesset præfinitio, quæ ex parte causæ, & actus primi ponitur ab aduersariis omnino independenter ab vsu libero voluntatis, ac de sese connexa prorsus cum consensu præfinito, ab eoque physicè, & metaphysicè inseparabilis, quare & eius omissioni, atque oppositio dissensui repugnans.

4. Nono impugnatur solutio hæc à priori, ac simul præcipuo eius, & exemplorum fundamento manifestè occurritur. Etsi enim, præfinitione posita, non auferatur omissionis absoluta, & latissimè sumpta possibilitas intrinseca, scilicet, intrinseca prædicatorum eius non repugnantia (atq; idem dicendū est de oppositæ operationis intrinseca possibilitate) ast possibilitas adhuc illa, vel cōsensus, vel omissionis eius principia, & requisita omnia, à quibus essentialiter pendere debet quandocumque extiturus est consensus, siue omissio possibilia esse debent: cum autem præfinitionis positio, vel ablatio (à quarū altera per aduersarios essentialiter pendet cōsensus, ab altera vero eius omissio, quæ præfinitioni per ipsos contradicit) non afferat alterutri impossibilitatem absolutam intrinsecam, fit plane, vt neque absolutam impossibilitatem intrinsecam consensui afferat præfinitionis negatio dum adest, neque omissioni consensus, cum abest præfinitio. Cæterum sicuti ad statum possibilitatis intrinsecæ consensus, & operationis possibilia esse requisita omnia necesse est, nec sufficit volūtatem solam requisitis reliquis repugnantibus esse possibilem: ita ad statum existentiæ ablatæ consensus, & operationis omnium requisitorum absoluta existentia requiritur, nec sufficit solius voluntatis existentia absoluta, vt consensus, & operatio absoluta existat: alioqui cum ab actu ad potentiam, atque ab actuali existentia rei ad eius possibilitatem valeat consequentia, si à sola voluntate actu existente existere absolute consensus, & operatio valeant, reliquis requisitis non existentibus, his etiam repugnantibus, possibiles consensus, & operatio voluntatis manebunt. Si ergo horum omnium possibilitas necessaria est, vt consensus, & operatio voluntatis sint absolute possibiles intrinsece, & in se: eorum omnium existentia requiretur absoluta, vt idem consensus, & operatio absolute in se existant; alioqui requisita ad id minime erunt ea, quibus deficientibus illa absolute existere non repugnat. Cum autem eodem modo de possibilitate dissensus eiusque existentia philosophandum sit, ac suo etiam modo de possibilitate, & existentia omissionis consensus: constat ea, quibus de facto positis, vel omissio consensus, vel dissensus esse absolute, & actu à voluntate nequit, etsi voluntas de facto, & absolute sit, ac secundum suam entitatem permaneat, non esse vel dissensum, vel omissionem consensus absolute possibilem: quare neque absolutam ad alterutrum potestatem perstare. Secundo plura quæ secundum se considerata possibilia sunt ratione adiuncti alterius fiunt, vel constituuntur impossibilia, quia alterum alteri repugnat. Hircus, & cervus possibilis quidem vnusquisque in se, & intrinsece est: at vero alter in alterius consortio, vti eos in hirco cervo comminiscimur, intrinsece impossibilis est.

5. Item ens quodvis, eiusque carentia seorsim non repugnat, repugnat autem coniunctim: ac per aduersarios non repugnant in se præfinitio ex prædicatis suis, neque ex suis omissio actus præfiniti; & tamen altera in consortio alterius est impossibilis, & chimæra: ergo quod de sese, & intrinsecis prædicatis non repugnat, repugnare tamen in consortio alterius, quod extrinsecum ipsi est, optime potest, fierique ex illius suppositione absolute impossibile, ac proinde & potentia absoluta

ad ipsum in ea etiam suppositione chimærica, & repugnans. Cum enim potentia vera, & realis ad impossibile esse nequeat, potentia ad impossibile in alterius suppositione, in eadem suppositione est impossibilis, vt patet. Quare nihil refert, quod effectus, seu operationis, aut negationis eius intrinseca, & absoluta possibilitas non auferatur alterius repugnantis positione, vt ex huius positione potentia ad illud asseratur: cum huius positio alterum contradictionis cum illo extremum asferat, quod cum alio contradictionem constituat: quæ apertissima chimæra est, & exploratissimum impossibile. Quo circa ni ea suppositio vitari, ac impediri absolute à causa, & potentia pro priori signo naturæ reipsa potuerit, nulla omnino neque mediata ad extremum oppositum, & suppositioni repugnans potestas esse nullatenus absolute potest; & si causæ, & potentiæ entitas, ea etiam suppositione, seu alterius extremi positione facta, perseueret. Decimo impugnatur solutio quia, si satis sit ad absolutam potentiam omissionis præfiniti consensus posita præfinitione, quod ea etiam posita entitas potentiæ, & voluntatis absolute perseueret, atque item omissionis secundum se, & intrinseca prædicata spectatæ possibilitas eius positione non aboleatur, sed solum ex suppositione, & in consortio præfinitionis: ergo & sublata præfinitione consensus positaque eius negatione præfinitionis, & aliorum omnium ex parte causæ requisitorum per vos ad consensum, potentia absoluta ad ipsum perstat. Patet consequentia, siquidem negatione præfinitionis, & aliorum posita, existente tamen voluntate, & eius potentia absolute perseuerat, & absoluta consensus quoad intrinseca possibilitas; quia vero eam consequentiam deglutire, vt auxilium sufficiens non negent aduersarij coguntur: aduertant in eas se angustias deduci, vt ad impossibile admittendum cogantur. Id enim, sine quo absoluta potentia ad aliquid agendum est, seu sine quo aliquid fieri absolute potest requisitum ad illud agendum non est: siquidem id solum ad aliquid agendum requisitum est, sine quo absoluta potentia ad illud agendum non est, seu sine quo illud aliquid absolute fieri non potest? ast sine præfinitione absoluta potentia voluntatis ad consensum est, atque hic fieri proinde absolute potest: ergo præfinitio requisita ad consensum non est, quod vestræ sententiæ & stato apud vos principio contradicit.

6. Vndecimo: Si ad absolutam potentiam ad effectum solum requiritur, quod satis est, vt absoluta eius secundum se spectati possibilitas persistat, nec requisitorum, & insuperabiliter impedientium eius absolutam existentiam positio, vel ablatio attendenda est: neque voluntatis absoluta adhuc existentia attendenda erit, sed satis erit voluntas possibilis: eius enim possibilitas satis est, vt tam effectus, quam operatio in se & secundum sua prædicata intrinseca sint absolute possibiles: ac subinde vt absolute à voluntate sint producibiles. Quod si dicas hic non agi de potentia absolute solum possibili, sed absolute actuali, &, à qua actu, & exercite, tam effectus, quam operatio quævis, earumve omissio suo modo progressura est. Contra erit: quia non minus requiritur præfinitio ad consensum, eiusque negatio ad ipsius ommissionem, vt actu, & exercite alterutra suo modo progessura sit, quam voluntas: alterutra enim sine altero suo requisito absolute existente de facto, & exercite non minus, quam sine absoluta actuali existentia voluntatis poni nequit: ergo, vt ad potentiam absolute talem consentiendi, vel ommittendi consensum de facto, & exercite requiritur actualis absoluta voluntas, ita in vestra sententia ad absolutam actualem potentiam consensus actualis præfinitio requiritur; ad eius vero omissionem præfinitionis negatio, nec ad alterutrius potentiam absolutam actualis nudæ voluntatis existentia sat erit. Duodecimo in entitate voluntatis nude considerata, cum præfinitio adest, absolute non est potentia remota, neque proxima ad omissionem: ergo nulla est absoluta potentia ad omissionem consensus præfinitione posita, considerata etiam nude voluntate, quæ in sensu composito illius perseuerat, ac proinde nulla est ad eliciendum consensum libertas. Antecedens (quod solum probatione eget) ostenditur: & primo de potentia remota. Erenim potentia remota voluntatis nude consideratæ ad consensum, vel eius omissionem ea est, vt scilicet de se se, ac suapte natura, & entitate determinata, & connexa absolute non sit cum consensu, nec cum eius negatione per omnes, sed, vt posita præfinitione requisita ad proxime operandum, iuxta aduersarios, non possit non operari, & omittere effectum præfinitum; sublata vero præfinitione requisita non possit operari, ac proinde purificata conditione præfinitionis sola remanet absoluta potentia ad effectum præfinitum. Ad eius verò ommissionem, cuius conditio (nempe negatio præfinitionis) purificata non est, solum remanet conditionata potestas eius entitati intrinseca, & ne illa quidem potestas libera, & indifferens remote est: siquidem agentia naturalia indifferentem de se se habent conditionatam potestatem, vt scilicet, si adsint requisita proxime operari possint, nec possint absolute non operari; si vero requisita desint operari non possint: ac proinde requisitis positis sola manet, conditionalis potestas non operandi; sublatis vero impotentia operandi, quæ datur in calido, aut frigido non approximatis v. g. ferro candenti, & aqua calida absoluta, quæ vt dixi longe à potestate non operandi abest.

7. Decimotertiò vbi proxima potestas indifferens repugnat voluntati; remotam, & entitatiuam ipsi repugnare posita præfinitione certum est, neque aliunde naturalibus agentibus remota, & entitatiua indifferens potestas melius probatur repugnare, quam è repugnantia proxime, repugnare autem voluntati potentiam proximam omittendi actum huius præfinitione posita, & ipsum operandi præfinitione sublata in hunc modum probatur. Quia posita præfinitione consensus (sine qua, in horum sententia, potentia proxima ad illum agendum non est) determinatior, connexiorque consensui est voluntas, atque eius omissioni repugnantior, quam agens quodlibet naturale cum requisitis omnibus ad agendum determinatum, connexumque suo effectui sit, eiusque negationi repugnans: siquidem hæc diuinitus coniungi cum agente naturali proxime constituto, & expedito ad agendum valet; omissio vero actus præfiniti, nec diuinitus cum requisita præfinitione ad potentiam proximam, & expeditam voluntatis ad actum præfinitum coniungi potest: atqui agenti naturali ita constituto, & existenti nulla est potentia proxima ad omittendum suum effectum: ergo nec voluntati existenti, & constitutæ cum præfinitione sui actus vlla ipsum omittendi potentia proxima adest. Etquidem, etsi potentia remota intrinseca voluntatis satis indifferens ad remoram libertatem causæ repugnante proxima indifferentia causæ proxime liberæ per staret: ad effectus vel omissionis eius libertatem absolutam, ac subinde ad absolute talem libertatem voluntatis, & causæ satis non esset. Etsi enim potentia proxima naturalis, & immediata ignis à substantia ignis prorsus indistincta effet, ac proinde potentia ignis remota repugnaret, necessario operaretur, quia potentia illa immediata, à qua immediate eius effectus progressurus est determinata ad effectum, ipsique connexa est, atque eius negationi repugnans: ergo etsi in entitate voluntatis perfistentis cum præfinitione persistat potentia remota indifferens sufficienter in ratione potentiæ, & causæ remotæ liberæ; si tamen posita præfinitione, quæ potentiam proximam, & immediatam agendi in opinione aduersariorum constituit, & complet) potentia proxima, & immediata voluntatis determinata est ad consensum, nec potens illum omittere, sed prorsus eius omissioni repugnans potentia absolute indifferens, & potens absolute omittere, minime esset: ac proinde nec libertas sufficiens eius in ratione causæ, & potentiæ ad consensum, nec in consensu elicito in ratione effectus permaneret. Probatur consequentia quia potentia, cuius defectus ad necessitatem absolutam causæ naturalis in causando non obest, & cuius positio non proficit, nec causæ liberæ obest, si desit, proderit, si adsit, confirmatur. Nam si per impossibile data potentia remota necessaria & naturali in ferro candenti ad calefaciendum, nihilominus potentia proxima eius esset indifferens, & libera ipsum causa indifferens, & libera igniendi absolute foret: ergo, etsi potentia remota intrinseca voluntatis posita præfinitione consensus indifferens, sit ad ipsum, eiusque omissionem, si tamen proxima eius potentia per eam præfinitionem constitutra determinata adipsum, ipsique connexa sit, & commissioni, iuxta aduersarios, repugnans, nec potentia absolute talis ad omissionem

libera

libera ac proinde indifferens ad eam, & consensum, neque consensus libere ab ea egredi absolute censendus erit. Si autem antecedens in causa naturali repugnet in voluntate, & causa libera noc repugnat, vt iam ostendam, quare tenet consequentia.

8. Idipsum probatur tertio: quia potentia ad consensum est potentia proxima ad illum: ergo potentia ad consensum liberum absolute talis, est potentia proxima etiam ad eius omissionem: ergo quandiu proxima potentia absolute ad omissionem non detur (vti posita præfinitione, in aduersariorum sententia non datur) etsi maneat remota potentia ad illam voluntati intrinseca, non datur potentia ad consensum liberum absolute talis. Secunda hæc consequentia de se patet, atque huius argumenti antecedens est etiam certum primo ex Aristotele 9. met. c. 5. tex. 10. à nobis recitato cert. 1. n. 12. aiente *ad posse absolute tale causa cuiusvis requisita omnia, & impedimentorum remotionem necessario adesse*, & potentiæ absolute talis nomine ita intelligi quin exprimi in eius definitione sit opus: tum etiam ratione, siquidem neque agens vllum in potentia absolute tali ad agendum absolute est, ni requisita omnia, quibus proxima agendi potentia constituitur, & completur absolute adsint: quin, ni id necessarium esset, neque causæ vllius existentia absoluta ad absolutam potentiam necessaria foret, sed solum eius, sicuti & aliorum causarum partialium, & requisitorum ad causandum, possibilitas sufficeret, vt nuper dicebamus. Tum denique quia neque aduersarij, quos impugnamus, de antecedentis veritate dubitant. Sola ergo consequentia prima probanda contra ipsos erit. Primò, quia si potentia absolute talis ad aliquid vnum (scilicet actum) non est, nisi potentia proxima ad illud, potentia absolute talis ad ipsum, eiusque oppositum, siue indifferens, siue indifferenter ad vtrumvis (qualis ad actum, seu consensum liberum requiritur) non erit nisi potentia proxima ad vtrumvis (scilicet actum, vel eius omissionem) fuerit: in qua potentia proxima ad omissionem essentialiter inluditur. Secundò, quia ad idem signũ, & prius naturæ spectare debet potentia omittendi, in quo est potentia operandi, vt pro illo potentia operandi sit indifferens, & libera ad vtrumvis, vt ad libertatem operationis, & actus oportet: sed potentia ad operationem, & actum absolute talis debet esse potentia proxima, seu in actu, & pro actu primo proximo ad illum, nec sufficit remota: ergo potentia absolute talis ad consensum liberum debet esse potentia etiam proxima ad omissionem actus, nec remota, & mediatior potentia omittendi, quæ non ad illud signum, & prioritatem naturæ, sed ad prius, & remotius signum naturæ spectet, satis erit. Id quod exemplo actus intentionis in communi opinionis ad actum electionis requisiti illustratur. Posita enim intentione efficaci finis, ad quem vnicum solum medium est, ad eius electionem non est proxima potentia libera in eodem instanti: quia, etsi ad omissionem intentionis ad eam electionem requisitæ, & antecedentis proxima potestas pro signo naturæ anteriori fuerit: ast posteriori causæ proximæ electionis vnici medij (quod signum proximum intentio efficax finis constituit) potentia etiam proxima ad eam electionem non est: ac proinde nec electio proxime, & immediate libera procedit, sed mediate solum; sicuti & actus imperatus, etiam voluntatis præcedente imperio efficaci ipsius. Cum autem præfinitionis positio pro nullo naturæ priori à nostro arbitrio pependerit, in horum sententia, fit sublata per ipsam potentia proxima omittendi, ne mediate quidem liberam operationem voluntatis posita præfinitione prodire.

9. Vrgetur: omissio actus dicit essentialiter carentiam actus coniunctam cum potentia proxima non operandi, sicut positio actus dicit coniunctionem actus cum potentia proxima ipsius: ergo, & dicit omissio actus coniunctionem cum potentia proxima ad actum: ergo potentia ad omissionem actus dicit potentiam coniungendi carentiam actus cum potentia proxima ad ipsum: hæc autem non est per aduersarios voluntati secundum se sumptæ adhuc remote, imo neque absolute vllatenus possibilis quia esset in horum opinione potentia ad coniungendam omissionem actus cum eius præfinitione, qua completur potentia proxima ad ipsum: scilicet potentia ad iungenda duo contradictoria, ad quod nec proxima, nec remota, siue intrinseca, & entitatiua voluntati, siue extrinseca, dari adhuc diuinitus, ne dum humanitus potest. Prima consequentia (ex qua reliquæ in offenso currunt) probatur. Quia, si carentia actus nequit à voluntate coniungi cum ipsamet præuenta omnibus requisitis ad operandum, & proinde constituta in potentia proxima ad operandum omnino independenter à libertate voluntatis, & suæ operationis, verum absolute erit: impossibile omnino est carentiam actus esse in voluntate ita constituta cum omnibus requisitis, & in potentia proxima ad operandum actum: sed ad omnino absolute impossibile, nec omnino datur, dari ue potentia potest, siue proxima, siue remota: ergo si carentia operationis, nequit coniungi cum voluntate ita constituta cum omnibus requisitis, & potentia proxima ad operandum, nulla est in voluntate potentia ad omissionem: quare vt sit possibilis omissio actus absolute, & subinde potentia ad omissionem actus debet esse potentia ad coniungendam carentiam actus, & operationis cum voluntate ita constituta cum requisitis omnibus, vt illa consequentia prima inferebat. Probatur eadem consequentia secundo, quia potentia omissionis causæ liberæ non est impotentia sola operandi, quam sequitur non operatio: quia hæc datur in igne, & quouis agente naturali ad non operandum effectum oppositum, & ad non operandum suum effectum deficiente applicatione ad passum, decreto diuino concurrendi, aliuve ad agendum requisitis: quare ignis, etsi non frigefaciat, nec calefaciat; cum applicatio, aliudve ad operandum requisitum, deficit, frigefactionem, aut calefactionem non dicitur ommittere ex potentia ommittendi: atqui voluntati absque requisitis, & potentia proxima operandi sola est impotentia operandi quam sequitur carentia operationis: ergo potentia omittendi, siue omissio ex illa, non est. Potentia ponendi carentiam operationis absque requisitis, & potentia proxima operandi, sed coniunctam cum illa, vt inferebamus. Stet ergo ad ommissionis possibilitatem, ac subinde potentiam omittendi, voluntatis secundum se spectatæ, & absque requisitis, & potentia proxima operandi non saluari: siquidem omissio debet esse carentia actus coniuncta cum requisitis omnibus, seu potentia proxima ad actum, & subinde, potentia ommittendi debet esse potentia ad ponendam carentiam actus in voluntate cum requisitis, & potentia proxima ad actum; atque à Deo cum præfinitione, cum qua in aduersariorum sententia repugnat, nulla est, esseve potest in entitate voluntatis, remota adhuc, potentia, vt dixi, deseque patet.

10. Rursus decimo quarto impugnatur solutio: quia manente potentia intrinseca, & entitatiua voluntatis secundum se, & præcisiue sumptæ & intrinseca etiam possibilitate, seu non repugnantia prædicatorum operationis, & actus secundum se etiam sumpti (in quibus potentia hæc indifferens remota ad omissionem etiam stare) potest nihilominus necessitari aliunde voluntas necessitate opposita libertati, eamque tam à voluntate quam ab operatione, & actu absolute abolente, & afferente absolutam impotentiam ad omissionem operationis, & actus necessitatem, ad quem aliunde ita voluntas necessitatur: ergo, etsi illa omnia opposita præfinitione persistant, satis non erunt, vt saluetur causæ libertas, & absoluta. Proinde potestas voluntatis ad omissionem; nisi aliunde ex præfinitionis eius natura speciali ostendatur cum omissione actus præfiniti, ac subinde cum potentia absoluta ad omissionem, non pugnare. Antecedens est certum, etiam in aduersariorum sententia. Asserunt enim motione intentionali per obiecti propositionem intellectualem ita præmoueri, ac prædeterminari intentionaliter, necessitarique voluntatem ad obiecti amorem posse, vt nulla in voluntate ad illius omissionem potestas absolute sit, atque à Deo, neque in eius amore libertas; vti in Beatis è visione intuitiua Dei asserunt euenire. Secundo admittunt Deum de potentia absoluta ita physice posse prædeterminare voluntatem ad assensum, vt in actu primo, seu potestare voluntatis non sit eius omissio: quare neque in actu secundo assentiendi libertas, vti de fato ethnico de præfinitione coactiua voluntatis, de Nouatorum præfinitionibus, & de illis omnibus, quibus substantia operationis voluntatis solum, non autem modus libertatis præfiniretur

constanter affirmant & sane ita physicè prædeterminari, necessitarique volntatem à Deo ad suos actus posse, vt ipsi absoluta eos omittendi impotentia inducatur, ac subinde eius, & operationis libertati præiudicetur communior Philosophorum, & Theologorum opinio fert, atque à paritate similis præmotionis, & prædeterminationis intentionalis ad amorem beatum per visionem beatificam in communibus eorundem principiis (etsi nobis non satis firmis) de physica nec solum intentionali voluntatis mobilitate euidenter ostenditur.

11 Eo vero principio negato, efficacius adhuc, prædeterminationis, ac prædeterminatiuæ proinde præfinitionis de se efficacis impossibilitas demonstrabitur vt cert.6. videbimus. Iam verò nihil speciale in præfinitione aduersariorum esse, ex quo mitius se gerat cum potestate omittendi actum præfinitum, & voluntatis libertate, quam in casu antecedentis possibili sic ostendo. Nullo alio modo necessitari ita posset voluntas ad actum, & impotentia absolute talis illum omittendi induci, atque indifferentia ad vtrumvis, seu libertas eius ad agendum aboleri, quam determinando illam in actu primo proximo independenter omnino ab eius libertate ad agendum; quin, si hoc à quouis modo possibili ita necessitandi voluntatem ad agendum, & inducendi impotentiam non agendi, ac libertatem eius euertendi, siue præmotione, & prædeterminatione physica, siue intentionali auferatur, impotentiam non agendi, atque euersionem libertatis per illas non induci planum erit. Sed præfinitione actus de se efficaci determinatur absolute, & independenter omnino ab vsu libertatis eius voluntas per aduersarios ad agendum: ergo inducitur per illam impotentia absoluta non agendi, euertiturque per illam voluntatis libertas: quin sufficiat ad potentiam omittendi, & voluntatis libertatem, & indifferentem ad vtrumvis absolutam potestatem remota voluntatis secundum intrinsecam eius entitatem præcise sumpta potestas, effectusque secundum intrinseca spectati non repugnantia, seu possibilitas. Arguo decimoquinto, & confirmo, seu explico à contrario vim præcedentis argumenti. Perstante potentia remota voluntatis ad omittendum, siue entitate voluntatis præcise, & secundum se, & non repugnantia, seu possibilitate effectus secundum se spectati, manet absolute potentia omittendi actum, ac subinde indifferentia ad vtrumvis, & absoluta voluntas: Sed nullus est modus possibilis necessitandi, & prædeterminandi, aut præfiniendi siue physice, siue intentionaliter actum voluntatis præcise & secundum se sumptæ, nec possibilitatis, seu non repugnantiæ actus secundum intrinseca prædicata ipsius, seu quo posito hæc non perstent: ergo nullus est modus possibilis Deo ita necessitandi, siue physice, siue intentionaliter voluntatem, eiusque libertatem euertendi. Contra id, quod aduersarij ipsi supponunt: vtroque scilicet modo ita necessitari ad actum aliquem voluntatem posse, eiusque libertatem euerti intentionaliter; physice verò vnione hypostatica, visione beata ad amorem, & præfinitionibus coactiuis, & fatalium ethnicorum atque hæreticorum præfinitionibus.

CERTAMEN V.

Solutio ex indifferenti iudicio præcluditur.

1 Sed illo additamento indifferentis iudicij, quo voluntas ad vtrumvis extremum inuitatur boni, & mali propositione in obiecto perstente, ac simul possibilitate, & non repugnantia operationis, & effectus nihilo difficultatem emolliunt quantumvis ei solutioni insistant ex Antesignano suo Bannez 1. p. q.14. art.10. Nunnius Cabeeudo t.1. in 3.p.q.62.art.5.q.sua 5. Ledesma de aux. art.10. §. *Hæc autem distinctio.* Aluarez de auxil. d.18. num.23.d.22.num.43.d.115.num.7. d.116. num.3. Franciscus Dauila de auxil. cap.3. pag.31. alios è suis referens Ioan.à S.Thom. Theologus discalceatus Carmelitus. Ioan. Martinez de Prado, & reliqui ex eis omnes, docentes iudicium indifferens à Deo efficacem & necessariam libertatis radicem esse, vt implicet voluntatem per illud in obiectum aliquod moueri, ac non libere moueri. Sed in primis, vt supra quæst.3.cert.1. num.13. & hic non semel monebam fatalium præfinitionum ethnici authores, & Lutherani, ac Caluinistæ cum suis præfinitionibus iudicium rationis indifferens, per quod voluntas ad obiectum vel prosequendum, vel fugiendum moueretur, adesse experiebantur, nec negare vnquam tentarunt; & tamen à sapientioribus Philosophis, à Patribus, & Concilijs, tanquam libertatis, per eiusmodi præfinitiones ad agendum necessitantes, & impotentiam oppositi extremi inducentes, euersores repellebantur. Quod etiam his verbis obseruauit Hugo Cauellus Franciscan. & Iberniæ Primas supplemento ad quæstiones Scoti de anima, t.2. editionis Lugdunensis d.3.sect.14. num.6. [Patres dum fati ineuitabilis necessitatis Patronos refutarent, nunquam eos reprehendebant, quod docerent Deum hominibus iudicij tollere indifferentiam: quoniam sane, neque ipsi, nec hæretici, quibus eorum placuit insania, tale quidpiam adstruebant. Et tamen eos accusabant merito, tanquam libertatis euersores: quia affirmabant, Deum sua voluntate, & præscientia ita præmouere voluntatem, vt illam necessariò faciat operari: ex suppositione nimirum præcedenti, quam impedire in eius potestate non erat. Jtet sane, cum Patrum nemo ignoraret posita Dei præscientia, & prædestinatione iudicium nihilominus indifferens mouendæ voluntati adesse, si huius assistentia non posset non voluntatis, & operis secundum intrinseca prædicata possibilis absoluta perfistere necessario libertas, adeo difficilem concordiam libertatis nostræ cum præscientia, prædestinatione, & gratia Dei minime prædicarent, vt prædicant Patres omnes: & in primis Augustinus frequentissime lib.2.contra litteras Petilij c.84.contra Iulianum c.4. de grat.Christi, c.24. & 47. lib.2. de peccator. meritis, c.18. de prædestinat.Sanctor.c 8.& 10.& epist.46. & 47.quod si ideo scientia media de falsitate suspecta aduersarij est, quod facile per illam prædestinationis, & præsciétiæ cum nostrorum operum libertate certitudo componatur, vt videre est apud Aluarez 9. de auxil. d.118. num.6.& 7. & Zumelem t.2.variar.dub.5.post 6 appendicis conclusionem; nec credi absque Patrum, & præcipue Augustini (qui adeo toties huic concordiæ inuendæ insudauit) iniuria eam viam adeo facilem illos latuisse, atque repellendis hæreticis traditam aperte non esse, vt contra nos inclamat Ioann.à S.Thom. t.1. in 1.p. d.20. art.6. §. *Si verò dicatur Augustinum.* Quanto maiori Patrum, & Augustini præsertim, dedecore diceretur pervium, (bardis etiam hominibus, qui ea solum percipere, assequique possunt, quæ experiuntur) concordiæ huius iudicij indifferentis medium eosdem latuisse, vel repellendis hæreticis traditum non esse; imo vero, quasi de industria dissimulatum, & scientiæ quidem abstrusioris mediæ, etsi aliis nominibus ad eam concordiam vsum Patribus, & præcipue Augustino frequentem ostendimus controuers. 2. de scient. d.5. quare aduersariorum contra scientiam mediam inclamationes euanescunt; similes vero nostræ contra hanc iudicij indifferentis Patribus notissimi solutionem, qua tamen nullam vsi Patres sunt validè eius solutionis falsitatem ostendunt.

2 Vlterius cum addito etiam voluntati indifferenti illo iudicio bonitatem, & malitiam obiecti proponente, completa, & proxima, siue proxime operatiua potentia suorum actuum ipsi absque præfinitione per aduersarios non adsit (alioqui præfinitio, neque vt partiale comprincipium, neque vt applicatio vltima voluntatis ad operandum, vt hi aiunt, requiretur) omnia argumenta hactenus facta contra voluntatis secundum se, & præcise sumptæ potentiam incompletam, remotam, seu non vltimo applicatam, contra eam iudicio etiam indifferenti instructam integrum, totumque suum retinent robur: vti ea singulatim percurrenti planum adeo erit, vt nostra applicatione, siue explicatione minime indigeat. Tertio, si voluntas in incognitum ferri absolute posset (vt nonnulli Theologi contemplationi diuinæ, quam rationi philosophicæ, attentiores docuere) absque omni prorsus boni, & mali iudicio, & propositione, quare, &

& absque iudicio indifferenti daretur voluntatis in actu primo indifferens potestas, & tam eius in actu primo, quam in actu secundo operationis libertas: ergo tota ratio, ob quam iudicium indifferens requiritur ad voluntatis, & operationis eius libertatem, est: quia, vti absque iudicio ferri in cognitum voluntas proxime nequit, ac proinde, ni illud necessario prærequisitum intentionale principium, seu applicatiuum voluntatis ad obiectum indifferens esset, neque ad obiecti prosecutionem determinans, vel ab eo determinate retrahens, non relinqueret potentiam absolute indifferentem ad vtrumvis. Atqui absque Dei causæ primæ voluntate & decreto nequit etiam voluntas nostra operari proxime: Ergo, & si iudicium indifferens adsit, si tamen Dei voluntas, & decretum non sit indifferens ad prosecutionem, vel non prosecutionem, & fugam obiecti propositi, sed determinatum & determinans voluntatem ante vsum libertatis ad prosecutionem obiecti determinate, non relinquet ad non prosequendum, siue ad fugiendum obiectum potestatem: quare neque absolutam ad eius prosecutionem libertatem. Confirmatur, & explicatur huius argumenti robur, quia potentia proxima operandi in voluntate duo comprincipia extrinseca (in communi, & vera opinione de impotentia voluntatis prosequendi incognitum) essentialiter, & ex æquo requirit, & claudit: & voluntatem, seu decretum Dei, sine quo poni in rebus creatum aliquod repugnat, & obiecti propositionem: cur ergo determinatio, ac non indifferentia intentionalis propositionis obiecti voluntatis, & operationis indifferentiæ, & libertati officiet, non autem determinatio ex voluntate, & decreto Dei præfinitiuo operationis, & actus voluntatis creatæ? Huius iam diu speraui, vel potius desperaui, disparitatem: ergo. Etenim, cum potentia proxima, seu proxime operatiua voluntatis in coniuncto voluntatis propositionis, & diuinæ voluntatis, seu decreti consistat, neque aliquo ex his deficiente potentia proxima, & proxime operatiua voluntatis stare queat, ex quocumque horum determinatum sit coniunctum, seu potentia proxima ad extremum vnum, v. g. ad operationem, potentia proxima voluntatis indifferens non erit ad vtrumvis; sed ad alterum determinata, ad eius vero oppositum impos: quare non libera, sed necessaria potentia.

3 Vrgetur amplius quia eo solum titulo, quod potentiam proximam operandi cum voluntate iudicium constituit, debet esse indifferens, vt potentia proxima voluntatis, seu coniunctum illud indifferens, & liberum in operando absolute sit: ergo & duo etiam alia, quæ coniunctim illud, seu potentiam proximam operandi æque constituunt, eorumque quodvis indifferens esse debet, neque ad vnum determinans, & determinatum vt coniunctum, & potentia proxima indifferens absolute, & libera sit. Vrgetur tertio, quia si intrinseca, & entitatiua potentia voluntatis determinata ad vnum esset, quamtumvis iudicium indifferens adesset coniunctum illud, seu potentia proxima indifferens absolute non esset, ac libera, sed determinata absolute ad vnum, ac necessaria: idque eo solum titulo, quod voluntas coniunctum illud, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit: atqui Dei voluntas, & decretum coniunctum idem, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit æque, atque voluntas creata: ergo, si ad vnum extremum determinans sit, ac determinatum, & si iudicium indifferens adsit, coniunctum illud, siue potentia proxima operandi absolute indifferens ad vtrumvis, & libera non erit, sed determinata, atque necessaria. Denique vrgetur & confirmantur simul instantiæ omnes productæ hactenus, quia in opinione omnibus fere, etiam Thomistis, communi, & vulgatissima de necessitate intentionis finis ad electionem medij ad ipsum obtinendum, posita intentione efficaci finis, quæ potentiæ proximæ cum aliis suprædictis ad medium eligendum constitutionem essentialiter ingreditur, si medium vnicum sit, potentia proxima ad eius electionem indifferens; & libera absolute non est, sed determinata ad vnum, & necessaria in operando: idque ideo, quia principium determinatum, & determinans ad electionem est, & coniunctum, seu potentiam proximam ad eiusmodi electionem essentialiter constituit: ergo, cum Dei voluntas, & decretum essentialiter coniunctum, seu potentiam proximam operandi essentialiter ingrediatur, determinatumque per vos, & determinans sit ad operationem & actum determinatum, eius indifferentiam, & libertatem euertet.

4 Quarto impugnatur solutio. Vnio hypostatica non abstulit humanitati Christi iudicium indifferens, quo mors ex præcepto diuino amplectenda, atque ob disconuenientiam physicam naturæ fugienda eius voluntati proponebatur, vt Christus Dominus his verbis expressit. *Pater si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, vel *non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et tamen abstulit humanitati potentiam peccandi, seu omittendi acceptationem mortis oblatæ præceptam, & faciendi siue omittiue, siue positiue contra quodvis præceptum naturale: siquidem eam constituit per aduersarios antecedenter impeccabilem: ergo, & si præfinito compatiatur iudicium indifferens circa obiectum propositum, cum tamen non minus determinet antecedenter, & in actu primo voluntatem ad actum præfinitum, quam vnio hypostatica humanitatem ad actum præceptum, ac non peccandum, tollet absolute potentiam ad omittendum actum præfinitum, ac subinde ad eum eliciendum libertatem. Negabis in humanitate iudicium indifferens esse posse circa obiectum præceptum, siue positiuum, siue priuatiuum, quia cognouit humanitas connexionem actus, seu omissionis præceptæ cum bono in communi, ad cuius prosecutionem determinata, & necessitata de se se voluntas creata est iuxta S. Thom. ac proinde cognito præcepto actus, vel omissionis cessat indifferentia iudicij: maxime, cum vi vnionis hypostaticæ humanitati afferatur visio beata pugnans cum iudicio conuenientiæ prosequendi prohibitum, & omittendi actum præceptum. Sed in primis solutio pugnat cum textu Euangelij recitato. Qui tradit conuenientiam physicam, & naturalem mortis præceptæ fuisse Christi humanitati repræsentatas: quod ipsum est iudicium indifferens. Secundo voluntatem necessitatam esse ad bonum in communi prosequendum, quoad speciem intelligitur à S. Thom. & reliquis, non quoad exercitium: quare, & si connexio actus prohibiti, vel præcepti necessario vi vnionis humanitati innotesceret, adhuc iudicio alterius partis esset locus, imo & libertati contradictionis in exercitio eliciendi, vel non eliciendi actum prohibitum, vel præceptum. Quarto, ni aliunde vnio antecedenter etiam cum peccato pugnaret, nil libertati obesset, nec iudicij indifferentiæ. Quinto, cum bonum physicum species boni sit, tam habet connexionem identitatis cum bono in communi, quam species altera boni moralis: quare, cui conuenientia, & bonitas physica non moriendi repræsentata est, ac simul moralis, vt repræsentata fuit humanitati Christi, non repræsentatur alterius determinate cum bono in communi connexio: ac proinde suppositis determinatione voluntatis quoad speciem ad bonum præ malo amplectendum, datur nihilominus libertas eius, quoad speciem, & quoad exercitium ad bonum physicum præ morali prosequendum; & è contra ad fugiendum malum physicum præ morali, dareturque in Christi humanitate, ni ad malum morale fugiendum vnione hypostatica antecedenter impeccabilis euaderet.

5 Sexto, dato toto, quod in solutione hac supponi ab aduersarijs potest de necessitate voluntatis, etiam quoad exercitium, ad prosequendum bonum in communi, & cognitione præcepti actus, vel omissionis, solum infertur indifferens iudicium non posse, secundum eam partem, qua retrahit à præcepto exequendo, mouere voluntatem humanam Christi. Et si ea pars iudicij persistat: quia ea necessitate voluntatis ad prosequendum bonum in commune non potest non prosequi præceptum actum, vel omissionem, quam connexam cum bono in communi humanitas Christi vnita hypostatice cognouit: non autem probat iudicium de disconuenientia physica, & naturali mortis non manere, vt patet: sed posita præfinitione tua, & si maneat iudicium indifferens, & retrahens ab actu præfinito, & ad

illum

illum inducens, tamen ea parte, qua ab actu præfinito retrahit, non mouet, poteſtve mouere voluntatem, ſed ſolum ea parte, qua in ipſum inducit: ergo ſicut iudicium indifferens ſatis non eſt, vt humanitas Chriſti ex vnione hypoſtatica antecedenter impeccabilis potentiam habeat abſolutam ad omittendum actum præceptum impeccabilitati repuganter, ac proinde ad illum eliciendum libertatem, ita, nec voluntas poſita præfinitione antecedente actus, potentiam habebit abſolutam ad ipſum omitrendum antecedenti præfinitioni illius repugnanter. Et quidem ſolutio hæc ſecundum hanc conſideratione in eam recidit, quam aduerſarij adhibere ſolent de iudicio indifferenti ſpeculatiue ſolum reſpectu humanitatis Chriſti; reſpectu autem voluntatis noſtræ ad actum præfinitum, non ſpeculatiue ſolum, ſed practice indifferenti, de qua infra. Et ex qua aduerſarios iterum refellemus, eorumque rationem præcipuam pro ſolutione iudicij indifferentis eneruabimus. Illud tandem de viſione beata humanitatis Chriſti titulo vnionis hypoſtaticæ ad Dei amorem neceſſitantis, atque iudicium de conuenientia mortis præceptæ quod conuenientiæ illius vitandæ iudicium minime patiatur, quare neque indifferens circa eam acceptandam, & recuſandam iudicium ſit, extra rem præſentem in primis eſt. Etenim argumentum eſt ex impotentia antecedenti omittendi, ſeu non acceptandi mortem præceptam ſeu impeccabilitate, quam humanitati formaliter affert, nec ſolum exigit, vt beata viſio: ac proinde, & ſi viſio Dei cum iudicio conuenientiæ fugiendi, ac non acceptandi mortem, aut peccatum admittendi pugnaret; id tamen aliud impeccabilitatis genus, & aliunde ortum formaliter eſſet, non ex vnione hypoſtatica præciſe, vt hi aſſerunt: quæ quidem, & ſi Deus exigentiæ vnionis non annueret, viſionemque (vt abſolute potuit) negaret humanitati (ſicut plura, quæ tam vnio, quam viſio beata exigebant, humanitati eidem pro ſtatu viæ negauit) nihilominus eius impeccabilitas antecedens permaneret, tuncque impotentia non acceptandi mortem, ac negatio libertatis ad peccandum, vel non peccandum cum iudicio indifferenti conſiſteret: quare, & impotentia omittendi actum præfinitum, & negatio libertatis ad illum omittendum, vel non omittendum cum iudicio indifferenti perſtabit.

6 Et tandem cum viſione etiam beata humanitatis iudicium, non ſolum de conuenientia morali acceptandi mortem præceptam, ſed de eius etiam diſconuenientia phyſica, & phyſica etiam conuenientia vitandi mortem præceptam, ſpeculatiue, ac proinde iudicium indifferens ſtare ſpeculatiue poſſe certiſſimum eſt: cum, nec obiectorum, nec vtriuſque iudicij veritates, vel inter ſe ſe, vel cum viſione beata decertent, quod autem iudicium hoc indifferens, qua parte retrahit ab operè præcepto, mouere ſtante viſione beata nequeat, ſolum probat non eſſe iudicium ex ea parte practicum quod iam impugnanda ſolutio alia eſt. Mitto alteram ſolutionem, qua iudicium indifferens ad tranſgreſſionem præcepti humanitati Chriſti, aiunt aduerſarij impoſſibile: quia cum ex vnione ſit impeccabilitas, ac proinde impotentia antecedens tranſgreſſionis, & iudicium indifferens ſit libertas, ſeu poteſtas ad vtrumvis duo contradictoria coniungerentur, ſi hoc humanitati vnitæ hypoſtatice adeſſet. Solutio enim hæc eſt petitio principij, & concluſione ipſa reſpondet ſatis impugnata huc vſque: nimirum in iudicio indifferenti ita voluntatis conſtitutam eſſe, vel neceſſario conſequentem libertatem, vt quæcumque requiſita ex parte cauſæ determinantia ineuitabiliter ad effectum vel adſint, vel deſint, voluntati (etiam decretum diuinum concurrēdi cum ipſa) ſtare neceſſario debeat eius ad vtrumvis potentia abſoluta, & libertas, quod in impotentia peccandi, & neceſſitate humanitatis Chriſti ad non peccandum deficere, ratione impeccabilitatis ab vnione hypoſtatica formaliter inductæ, ſatis oſtendimus. Secundo non minus antecedenter pugnat præfinitio cum omiſſione, ſeu negatione actus præfiniti, quam vnio hypoſtatica humanitatis, & antecedens impeccabilitas per ipſam inducta in humanitatem cum peccato, & tranſgreſſione præcepti. Sed per vos non obſtante ea pugna componi poteſt, de factoque componitur præfinitio cum iudicio indifferenti, & poteſtate ad omiſſionem actus, & libertate: ergo, pugna impeccabilitatis humanitatis non obſtante, poteſt componi cum iudicio indifferenti poteſtas abſoluta tranſgreſſionis præcepti, & peccati; ac proinde neque cum abſoluta eius libertate ad peccandum, vel non peccandum pugnabit: quare neque humanitas Chriſti erit abſolute antecedenter impeccabilis, vt aſſeritis: ergo alterum à vobis deferendum neceſſario eſt: ſcilicet, vel ſolutio hæc ex indifferentia iudicij petita, vel abſoluta humanitatis Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ impeccabilitas antecedens.

7 Reſpondent denique aduerſarij iudicium indifferens ſpeculatiue humanitati Chriſti adeſſe poſſe, & de facto adfuiſſe, ſecus autem indifferens practice, quod ſolum libertatem conſtituit: quia & tranſgreſſio præceptæ mortis impoſſibilis eſt humanitati ratione vnionis hypoſtaticæ antecedenter impeccabili: quare & iudicium ſit vnitæ humanitati conuenientiam phyſicam recuſandi, aut non acceptandi mortem præceptam, & hoc præceptum, (& idem eſt de quouis alio) tranſgrediendi eſſe de re humanitati ſic vnitæ impoſſibili, quare practicum eſſe non poſſe: ſicuti iudicia alia de re nobis impoſſibili, à nobiſque non factibili practica nobis eſſe nequeunt: maxime, cum nobis aliquid agendi, aut omittendi, ſicuti tranſgrediendi præceptum, & non acceptandi mortem impoſſibilitas ob antecedentem impeccabilitatem, innotuit. Etenim ad impoſſibile nulla etiá vis, aut poteſtas motiua intentionalis in iudicio vllo eſſe poteſt, quantumvis id iudicans ignoret, ac poſſe ſe ad illum per errorem cenſeat; nedum, cum ſe ad illud non poſſe clare, & euidenter cognoſcit. Contra tamen eſt. Idcirco iudiciū indifferens humanitatis vnitæ hypoſtatice, & antecedēter impeccabilis, qua parte illam à præcepto exequendo retrahit, & ad eius tranſgreſſionem inducit, practicum non eſt, ac ſubinde nec practice indifferens abſolute, vti ad libertatem conſtituendam eſſe debet: quia humanitati hypoſtatice vnitæ, vt vnitæ, & impeccabili, tranſgreſſio præcepti eſt antecedēter impoſſibilis: atqui voluntati, vt ſubeſt præfinitioni actus ſeu coniunctim ſumptæ cū illa (ſicut ſumitur ad eius impeccabilitatem, & impoſſibilitatem trāſgreſſionis præcepti antecedentem humanitas coniunctim cum hypoſtatica vnione) eius omiſſio, aut actus contrarius eſt antecedenter impoſſibilis: ergo, nec iudicium indifferens proponit practice voluntati, qua parte ab actu præfinito retrahit, & ad actum contrarium inducit, ſed ſolum ſpeculatiue: quare nec practice indifferens abſolute eſt: ac proinde, nec libertatem cōſtituere, iuxta ſolutionis huius doctrinam ſufficiens. Quod additur de iudicio euidenti humanitatis vnitæ impoſſibilitatis præcepti ab ipſa tranſgrediendi, ſolum probat non poſſe in illa eſſe errore poſſibilitatis tranſgreſſionis vnione poſita, neque inanes trāſgrediendi conatus; non autem rationem impractici ex ea parte per illud iudicium euidens indifferenti iudicio augeri, quod ex vnione ſuppoſita, ex qua tranſgreſſio iudicatur humanitati impoſſibilis, omnino ex parte illa impracticum erat. Secundo quidquid de hoc ſit, etiam euidens Chriſti humanitati fuit cum præfinitione cuiuis operis (quam adeſſe ſibi, iuxta aduerſariorum ſententiam non ignorabat ad omnia, quæ operabatur) eſſe eius omiſſionem impoſſibilem: & tamen fuit in eis eliciendis liber nemine, etiam ex aduerſariis, negante, potenſque non elicere: ergo & in obſeruatione præcepti ita liber fuit, vt tranſgredi illud, ac peccare abſolute poſſet. Quare & contra ipſos fuit abſolute peccabilis, neque ex vnione abſolute impeccabilis: vt ex hac eorum contendebamus ſolutione.

8 Hinc arguo contra eandem ſolutionem de iudicio indifferenti, ac ſimul eius præcipuum argumentū euerto: quia poſita præfinitione iudicium indifferens, qua parte proponit motiua illum omirtendi, & omiſſionem, ſeu cōtrarium actum, non eſt practicum, ſeu motiuum intentionaliter abſolute, etiam in actu primo ad omiſſionem, vel actum contrarium: ergo non conſtituit potentiam liberam intentionaliter. Antecedens probatur: quia repræſentatio ad actualem revera impoſſibilem motionem impoſſibilis effectus non eſt motiua vere, & abſolute intentionaliter: ſed motio, ſiue poſitiua actus contrarij, ſiue negatiua actus præfiniti, ſtante præfinitione illius eſt voluntati abſolute impoſſibilis: ergo repræſentatio iudicij indifferentis, qua parte ab actu præfinito retrahit, ad omiſſionem, vel ad actum contrarium inducit, non eſt abſolute motiua in actu primo intentionaliter. Conſequētia

prima

prima probatur, quia potentia libera in actu primo intentionali constitui solum potest per iudicium indifferens motiue, seu potens in actu primo repræsentatione conuenientiæ vtriusque partis contrarietatis, seu contradictionis intentionaliter mouere ad obiecti prosecutionem, vel fugam, siue positiuam, siue negatiuam: atqui iudicium illud indifferens, qua parte retrahit ab actu præfinito, præfinitione posita, non est potens mouere ad omissionem actus, neque ad actum contrarium, ac proinde non est indifferens motiue: ergo nec constituit, nec constituere potest, præfinitione posita, potentiam liberam intentionaliter. Atque hinc euertitur funditus aduersariorum fundamentum. Etsi enim posita præfinitione maneat iudicium indifferens, ac sine iudicio indifferenti nequeat esse libertas voluntatis, ac proinde hoc intret necessario libertatis arbitrij in actu primo constitutionem. Ast neque adæquatum libertatis constitutiuum est; alioqui appetitum brutorum, cui vtrumque sæpe sensibiliter proponitur, liberum contra aduersarios constitueret: nec, inadæquate adhuc ex parte indifferentiæ intentionalis ad absolutam voluntatis libertatem requisitæ illam constituit, nisi practice indifferens (vt aduersarij aiebant) sit, seu vtrinque, vel potius ad actum, vel eius oppositum mouere intentionaliter, & solicitare voluntatem ex parte actus primi possit. Quod autem posita præfinitione mouere illam ad oppositum actui præfinito nequeat, vt ostendimus, respectu huius partis pure speculatiuum manet, quare absolute indifferens practice non est, neque aptum libertatem constituere: sicuti neque in humanitate Christi ad peccandum, vel obseruandum præceptum, neque in compedito, & catenato ad ambulandum, vel non ambulandum, & mille aliis, in quibus iudicium indifferens speculatiuum cum impotentia, seu potentia remota absolute impedita ad vnum ex oppositis extremis reperitur. Vnde etiam constat falso ab aduersarijs dici: voluntatem posita præfinitione actus ex iudicio indifferenti illum elicere: Ad id enim opus erat, quod ab actu præfinito in actu primo retraheret, solicitaretve ad oppositum, atque voluntas eiusmodi solicitationi renueret, & solicitationi ad actum concederet: quod vim motiuam iudicij ad vtramque partem requirit, quæ ipsi ad retrahendum ab actu præfinito deficit: quare ex ea parte pura speculatio est, & testis, non suasor; solaque iudicij illius parte, qua ad actum solicitat, voluntas mouetur, ac si, quod ad eius motionem attinet, pars altera retrahens ab actu non adesset.

9 Sexto eandem solutionem impugno, quia non minus indifferens actiue physice de se se voluntas est, quam sit intentionaliter indifferens iudicium illud: & tamen indifferentia actiua physica voluntatis de se se, & intrinsece indifferentis per extrinsecam determinationem ipsi ex parte actus primi adiunctã ita antecedẽter determinatur, seu prædeterminatur, vt absolute indifferens, & libera in actu primo non maneat ad vtrumvis, sed impos absolute ad oppositum: ergo, etsi iudicium indifferens de se se vim motiuam intentionalem habeat, tamen extrinseca prædeterminatione præfinitionis ad vnum determinatur vt non maneat indifferens sed ad vnum determinata in actu primo, & impos absolute ad oppositum. Nec valet: determinationem, qua absoluta indifferentia vnius generis absolute auferatur, aut impediatur in eodem genere, vel physico, vel intentionali esse debere; præfinitionem autem esse in genere actiuæ determinationis physicæ, quæ proinde potentiæ voluntatis indifferenti physicè actiuæ officiat: secus indifferentię potentiæ solum intentionaliter motiuæ, quæ alterius generis est. Nam per determinationem iudicij solum intentionaliter motiui, v. g. visionis beatæ, impediri, auferrive potentiam absolutam, physice alias indifferentem ad amandum, vel non amandum, aut odio habendum Deum, & aduersarij asserunt, & hac ipsa solutione, quam confutamus generaliter supponunt. Et ratio à priori est, quia cum indifferentia absoluta voluntatis in actu primo ad vtrumvis ex indifferentia vtriusque generis, & actiuitatis physicæ, & intentionalis essentialiter constituatur sublata indifferentia alterutrius generis per determinationem in illo, implicat absolutam indifferentiam, seu potentiam ad vtrumvis persistere. Septimo impugnatur solutio eadem de indifferenti iudicio, quia etiam posito, & addito voluntati, si tamen ex parte Dei causæ primæ non adsit decretum concurrendi cum volunrate creata (siue illud præfinitio sit, vt hi asserunt, siue indifferens concurrendi decretum quod quidem primo, & principalius ad voluntatis operationem requiritur) absit, absoluta potentia ad operandum aberit: quare neque indifferens ad operandum, vel non operandum, & libera esse potentia ad vtrumvis poterit, sed operandi impotentia. Octauo tristitia damnatorum de pœnis concepta libera erit: cum malum vlterius sibi esse de pœnis tristari, ac non tristari bonum sibi esse iudicent, quantumvis cogniti pœnarum ad tristitiam solicitet: quare & in damnatis est iudicium indifferens ex vna parte ad tristitiam inducens, & ex alia à tristitia retrahens, in quibus tamen de pœnis tristari liberum non est. Nono tota hæc solutio de potentia voluntatis secundum se, & præcise sumpta, aut etiam indicio indifferenti instructa (imo & omnes aduersariorum solutiones) aperte confutantur ex stata ipsis doctrina de absoluta impotentia Angeli ad peccandum in primo instanti suæ creationis: in quo, & voluntas secundum se, & possibilitas præcisiue sumpti peccati, & iudicium indifferens ad vtramque partem aderat, adesseve poterat; & tamen ad peccandum absoluta potentia non erat, imo vero absoluta per eos peccandi impotentia Angelo pro eo instanti aderat: quia Deus creationis iure illius instantis primi operationes creato Angelo indere tenetur, eumque proinde ad illas eliciendas prædeterminare: ad quod ipsum causæ primæ titulo respectu operationum rationalis creaturæ pro quavis duratione operaturæ per ipsos præfinitores, & prædeterminatores tenetur.

10 Ex dictis cert. 4. & 5. verbales aliæ, rerum vacuæ, solutiones aduersariorum disparent. Quarum meminimus cert. 4. n. 1. nempe necessitatem consensus nostri à Deo præfiniti ex Dei præfinitione ortam, & impotentiam ad eius contradictorium, & contrarium extremum eadem præfinitione simul inductam esse necessitatem vnius, & impotentiam alterius, non simpliciter, neque absolutam, quæ libertati causæ, & voluntatis solummodo officiunt, sed secundum quid, & ex suppositione, quæ cum voluntatis libertate cohærent, vt Patres, & Theologi omnes fatentur. Etenim ea necessitas, & impotentia voluntati secundum se absolute, & simpliciter sumptæ non competunt, sed cum addito, & ex suppositione præfinitionis. Cæterum, qui Patrum nostris, & Theologorum, ac Philosophorum omnium verbis conueniunt hisce, eorum omnium sensum, sententiamque debent retinere. Constat autem ex eorum verbis datis supra q. 3. & sequentibus necessitatem simpliciter, & absolute talem libertati voluntatis aduersam, eandem cum necessitate antecedente, & ex parte causæ, & potentiæ ad operandum, & quæ causa est, vt res sit, facit, cogitque, aut prohibet rem esse, quæ omnia in necessitatem ad vnum, & impotentiam ad extremum oppositum ex præfinitione alterius extremi ortam, manifeste cadunt. Constat item necessitatem ex suppositione, & secundum quid vnius extremi, & impotentiam, seu impossibilitatem alterius, quæ libertatem voluntatis compatitur, eandem cum consequenti necessitate esse, & quæ nec facit, nec cogit, aut prohibet rem fieri, ac esse, vel non esse à causa; sed qua res necesse est quandiu est, siue ex suppositione quod sit. Et hanc quidem necessitatem vnius extremi, & impotentiam alterius oppositi solam diuina vnius extremi præfinitione non induci, sed aliam explicatam, & libertati contrariam manifestum est. Secundo constat ex aduersariorum principiis. Etenim, si quidquid voluntati absolute, & simpliciter sumptæ additur necessitatem, & impotentiam simpliciter, & absolute talem ad eius operationem, & negationem operationis non inducit; neque ad potentiam absolute talem ad vtrumvis iudicium indifferens requiretur: nam potentia, aut impotentia ad vtrumvis simpliciter, & absolute talis in voluntate simpliciter, & absolute tali; absque attentione adiuncti alterius constituenda per hos erit. Cum eorum solum positio, aut defectus attendi debeat, quæ absolute talem potentiam ad vtrumvis constituunt.

11 Secundo. Cum vnio hypostatica, & beata visio suppositiones extraessentiales voluntati sint, nõ absoluras, & simpliciter dictas necessitates libertati humanitatis Christi ad peccandũ, & beati ad non amandum Deum contrarias inducent; sed solũ necessitates ex suppositione, & secuti-

dum quid libertati non aduersas: & humanitas Christi ad peccandum potens, & libera absolute,& simpliciter erit, & ad non amandum Deum Beatus,quod abnuunt aduersarij omnes. Tertio,reiectæ eæ solutiones sunt ex causæ liberæ definitione:quæ non secundum se sola,sed aliis omnibus requisitis ad operandum positis, ac proinde ex suppositione aliorum extra essentiam,& entitatem causæ,seu potentiæ quæ libera est,& absolutè dicitur ad operandum posse absolute debet operari & non operari:quare necessitas operandi, & non operandi impotentia,quæ è cuiusvis ad operandum requisiti (quale est diuina præfinitio) suppositione prouenit,non secundum quid,& ex suppositione libertati voluntatis absolutæ & simpliciter tali amica sensu Patrum,& Theologorum est,sed ex suppositione antecedente natura,& causalitate operationem tenente se ex parte potentiæ, atque illam simpliciter, & absolute naturalem, & necessariam in operando constituit, ac subinde absolute, & simpliciter, & eius, & operationis abolet libertatem: quarto, nulla alia ratione iudicij indifferentia, etsi extrinsecum entitati voluntatis illud sit, supponi ad absolutam,& simpliciter talem potentiam liberam voluntatis debet,nisi,quia,etsi eius suppositio,extrinseci voluntati suppositio sit,tamè est suppositio alicuius requisiti ad operandum quod quidem,si determinatum,& ad operandum, determinans, & necessitans voluntatem foret, non quidem secundum quid,& ex suppositione, (vt opponuntur necessitati simpliciter,& absolute tali) sed simpliciter absolute necessitaret ad operandum: alt præfinitio per vos alterum, prius & principalius requisitum voluntati ad operandum est: & ad id antecedenter determinans,necessitansque voluntatem: ergo eius suppositio, etsi extrinseci voluntati suppositio sit, simpliciter, & absolute illam necessitat ad operandum,impotemque non operandi constituet. Quinto denique solutio hæc re ipsa eadem est cum solutione de potentia ad vtrumvis,& exclusione necessitatis, ac impotentiæ ad alterutrum extremum voluntaris præcise sumptæ impugnata ad satietatem cert. 4. quare datis ibi impugnationibus omnibus est obnoxia.

12. Porro necessitatem simpliciter, & absolute talem absolute arbitrij libertatis euersiuam eandem esse, atque antecedentem natura rei, & operationis positionem sæpe ex Theologis, & Patribus ostendimus; necessitatem verò ex suppositione, & secundum quid cum absoluta voluntatis libertate conuenibilem, eandem itidem cum necessitate consequenti,& quæ rei positionem natura non præcedit,ergo ea solum est,qua id,quod est,quamdiu est,siue ex suppositione quod sit,necesse est esse,ac proinde in potentiam indifferentem, quam ad sui effectionem,& existentiam supponit,quamque in existendo pro naturæ posteriori sequitur, & nequit necessitatem retrotrahere, & regrediendo in sui potentiam refundere. Inde verò manifestum est aduersarios atque vocibus necessitatis antecedentis, & consequentis abuti: cum necessitatem suæ præfinitionis,quæ per ipsos ex parte causæ se tenet,necessitatem antecedentem esse negant,& consequentē solum appellant. Sed Aluaræ d.22.& 25.de auxil. ait: necessitatem consequentem solum, ac non antecedentem esse, quamvis necessitatem quæ subsequitur voluntatem, seu decretum causæ primæ. Sed certe necessitas consensus decreto ipso præfinitiuo inducta non subsequitur decretum.sed est ipsi decreto identificata: ergo non est consequens necessitas, sed antecedens: quare, licet ea consequentis necessitatis acceptione admissa physicæ prædeterminationis, seu auxilij de sese efficacibus, atque decreti diuini effectibus necessitas emolliretur,secus necessitas decreti diuini præfinitiui. Secundo visio beata,& vnio hypostatica earumque necessitates ad amorem Dei, vel ad non peccandum absolutæ & antecedentes, nec consequentes necessitates sunt, per aduersarios, libertati antecedenti humanitatis vnitæ ad peccandum, aut Beati ad non amandum Deum repugnantes, & tamen subsequuntur Dei voluntatem, seu decretum, à quo actiue proueniunt. Tertio, si subsecutio diuinæ voluntatis in actu primo consideratæ intelligatur, aut decreti etiam necessitas saluetur, nullo decreto, aut effectu creato possibili, aut excogitabili, siue ab ethnicis fatalibus, siue à vetustis, aut nouis hæreticis prædestinatoribus, ac præfinitoribus humanarum actionum, absque modo etiam libertatis, poterit voluntatis,& operationum humanarum libertas impediri, contra omnes,etiam aduersarios,qui variis modis impediri, euertive à Deo posse defendunt:quia quodcumque decretum excogitabile diuinam, à qua concipitur voluntatem subsequitur, quivisque creatus effectus,& Dei voluntatem,& decretum subsequitur.

13. Quarto solutio hæc eam re ipsa doctrinam continet,qua statam definitionem causæ liberæ mouere Aluaræ in casum tentauit certam. 1. vt addereturillī, *positis omnibus requisitis ex parte causæ secundæ. non autem ex parte causæ primæ*: eam autem doctrinam ad tædium vsque reiecimus ibi,ac rursus reiiciemus certam,seq. Quinto demum: quod diuinam voluntatem eius decretum, & effectus illo productus subsequantur, dummodo ex requisitis, & antecedentibus ex parte causæ, & potentiæ ad operandum sint, non tollit, quod determinent, & necessitent in actu primo potentiam ad operandum, impotemque ex parte actus primi ad non operandum reddant, atque ac subinde, quod sit necessitas vere antecedens causalitate, facientque ex necessitate rem esse, & impediens incuitabiliter rem non esse: &, quod inde infertur,quod positis omnibus requisitis ad operandum ita operari determinate possit, vt non possit non operari voluntas: quod ipsum est eorum necessitatem vere antecedentem esse libertati potentiæ voluntatis contrariam, atque huic simili requisito ex parte causæ determinante ad operandum, etsi Dei voluntatem, aut decretum subsecuto causæ libere definitionem minime conuenire. Huc etiam verbalis alia solutio spectat: scilicet præfinitione necessitatem inductam ad vnum extremum esse necessitatem consequentiæ saluantis libertatem, non consequentis illam lædentis, vt Theologi nonnulli antiquiores docent cum S.Thom. quos tamen, si intelligere aduersarij, vel eorum sensum non dissimulare (sicut in datis proxime) voluissent, tempori, & scriptis nostris parcerent merito, & suis. Necessitatem consequentiæ eam, quæ satis ad syllogismos efformandos est S.Th. & veteres iutellexerunt, quæ plerumque (scilicet in omnibus syllogismis quatuor figurarum organi Aristotelis)in connexione identitatis terminorum, seu extremorum cum medio (quam logicam proinde connexionem vocamus) fundatur: ac proinde eiusdem ad seipsum esse optime potest: debet enim in iis idem realiter esse consequens, & antecedens; necessitas autem consequentis physici ex antecedenti physico, quæ in necessaria connexione physica causæ cum effectu suo physico fundatur: & quæ in præfinitione diuina, & voluntate nostra,stante præfinitione,omnino fatentibus aduersariis, intercedit: ac proinde libertatem euertere à. S. Th. & veteribus aliis dicitur: quia est necessitas, & determinatio physice, nec solum logice antecedens ex parte causæ, & potentiæ ad effectum præfinitum se tenens,neque eius positionem supponens:quare & huius,& voluntatis libertatem euertens.

CERTAMEN VI.

Euasiones aduersariorum aliæ præoccupatæ.

1. REspondent vlterioribus verbis aduersarij necessitatem alterius extremi, & impotentiam antecedenter etiam causalitate, & natura extremi oppositi voluntati nostræ inductam, dummodo ex parte Dei causæ primæ se teneat (vt se tenet; ac prouenit præfinitionis antecedens ad vnum necessitas, & impotentia voluntatis nostræ ad alterum oppositum) eius libertati non officere; secus si ex causa prouenia at secunda, Iuitus toties easdem repeto impugnationes; & tamen repetere cogor, cum aduersarij eiusdem solutionis alijs, atque aliis verbis repetitæ tædio nos æstiment vinceredos: ne ex improbo repetitionis labore commodum immerito re portent: eadem sane hæc solutio est, atque proxima necessitatis consequentis pro subsequente Dei vel decretum, vel voluntatem, & cum doctrina de additamento illo tentato in casum ab Aluaræ, & nonnullis ex suis definitioni communi, & firmæ causæ liberæ iam

iam impugnatis. Nunc autem addo si nomine necessitatis antecedentis se tenentis, ac prouenientis, ex parte causæ primæ, & compossibilis cum nostra libertate sola necessitas ab extrinseco Dei prouenientis nostris actionibus, (v.g. ex præfinitione, aut efficaci de se decreto illarum) intelligatur, physicæ præmotionis necessitas, cum non ex Dei intrinseco solummodo proueniat, sed ex creato extrinseco, & nobis intrinsecus affixo, voluntatis, & actionis nostræ libertas ea solutione defendi non poterit. Secundo, negatio decreti, seu præfinitionis consensus, & necessitas non operandi, seu operandi impotentia, quam ea decreti negatio, seu decretum de operationis negatione voluntati inducit, potentiam absolutam operandi, seu indifferentem ad operandum, vel non operandum non lædet: ex quo euincitur decretum, seu præfinitionem diuinam requisitam ad operandum non esse, contra aduersarios: siquidem id, sine quo aliud fieri absolute potest requisitum non est, vt fiat illud aliud. Tertio: cum ad etiam decretum Deo intrinsecum requisitum per vos ex parte causæ sit, vt voluntas operetur, & primum, principaliusque requisitum necessitatem operandi, & impotentiam non operandi inducens voluntati, adhuc definitio causæ liberæ ad operandum, vel non operandum effectum præfinitum in illam non cadit. Quarto, cur necessitas antecedens natura, & causalitate operationem voluntatis multo minor, & à Deo saltem physice superabilis eius in operando libertatem euertet; non autem necessitas antecedens etiam, & creatis necessitatibus antecedentibus prior, & physice & metaphysice prorsus insuperabilis, quam voluntati affert diuina operationis præfinitio, eius in operando liberratem non aboleat? Quinto, sic intellecta solutio sensu ipso sibi abrogat fidem. Etenim necessitas, quam sibi imponit voluntas antecedenter per imperium sui actus, aut intentionem efficacem finis ad vnici medij electionem, minus officit voluntatis libertati, quam necessitas orta ex intrinseca Deo præfinitione diuina cuiusvis actus. Siquidem illa proximam, vt summam ad suum actum imperatum, aut electionem euertit libertatem, non remotam; Præfinitio verò diuina, ne remotam quidem ad operandum absolutam libertatem relinquit.

2. Sin autem necessitatis antecedentis voluntatis operationem ex parte causæ primæ prouenientis, ac proinde cum causæ creatæ, & operationis nostræ libertate absoluta compossibilis, nomine, intelligantur etiam quæ ex iis, quæ à Deo prouenium ad extra necessitates oriuntur. Inprimis nulla siue physica, siue intentionalis necessitas antecedens erit, esse, fierive, aut dari poterit quæ voluntatis, & operationis nostræ libertatem euertat: quod hoc syllogismo *in Celarent*, facile demonstratur. *Nulla necessitas antecedens à Deo prouenies, etiam extrinsece, tollit libertatem voluntatis, & operationis: sed omnis necessitas antecedens prouenit à Deo, saltem extrinsece; nec potest non ita saltem à Deo prouenire: ergo nulla necessitas antecedens tollit, tollereve potest libertatem nostræ voluntatis, & operationis.* Hoc autem, ex sic intellecta solutione euidens, repugnat in primis libertati abolitæ Beatorum ad amandum, vel non amandum, aut odio habendũ Deum ex necessitate antecedenti amandi Deum ipsis à Dei visione allatam. Item libertati ad peccandum humanitati Christi deperdita ex necessitate antecedente obseruandi præcepta, ac non peccandi ipsi ex vnione hypostatica suborta, vt aduersarij mordicus, & Christo gloriosissimè tuentur. Tertiò: pugnat cum eorum sententia, dum hæreticorum, & fatalium ethnicorum necessitates antecedentes nostrarum voluntatum, & actionum libertatem euertere Catholice clamant. Pugnat quarto: cum Theologis, & Philosophis cunctis asserentibus Deum ita posse voluntates nostras agere, vt earum, & operationum nostrarum libertatem pessundet: &, quod adeo benigne se nobiscum gerat, vt nostræ libertati, & industriæ sua prouidentia locum relinquat, nec nos à virtute, merito, & præmio excludat, gratias agunt. Pugnat quinto cum receptissima, & quantumvis stupidis hominibus notissima diuisione causæ creatæ in naturalem, seu necessariam, & causam liberam. Etenim omnis necessitas antecedens causæ naturalis ad operandum, & impotentia ad non operandum prouenit à Deo, seu causa prima etiam, saltem extrinsece: ergo nulla necessitas antecedens causæ naturalis ad operandum, & impotentia eius ad non operandum excludit eius libertatem. Sexto, contra sic explicatam solutionem integrum est robur argumenti petiti ex definitione causæ, & potentiæ liberæ: cum tam Dei decretum, quam quodvis principium necessarium voluntati ad operandum positum & suppositum esse ex parte causæ debeat ad operandum, & potentiam absolutam non operandi relinquere voluntati, quam nequit illi relinquere, si de sese operationi connectitur, ac proinde ad eam prædeterminat, ac necessitat antecedenter voluntatem: vt præstat eius præfinitio.

3. Respondent rursus aduersarij necessitatem antecedentem voluntati ad operandum, & impotentiam ad non operandum à præfinitione operationis inductam esse necessitatem à principio, etiam quoad suppositum extrinseco, quæ proinde libertatem eius non lædit. Addidi *quoad suppositum*, ne eadem sit omnino hæc solutio cum illa, quam per otium confutauimus cert. 4. de necessitate extra essentiali voluntati præcisè secundum suam entitatem consideratæ. Cæterum eisdem, quibus illa impugnationibus patet. Nam primo definitio causæ liberæ non restringit requisita ad operandum, quæ omnia, & coniunctim posita debent relinquere potentiam ad non operandum, vt liberam ipsam relinquant, ad sola requisita, quæ à potentia, seu voluntate cũ illis operatura, ac non sine illis operatura supposito, aut subiecto non differentia, sed de omnibus omnino requisitis affirmat potentiam ad non operandum causæ liberæ relinquere debere. Idque ostendunt rationes omnes, quibus eius definitionis veritatẽ, seu bonitatem cert. 1. probauimus. Secundo: fatales ethnici antiqui hæretici prædestinatores, ac noui præfinitores Lutherani Vvicleffistæ, Caluinistæ à Patribus, & scholasticis, etiã aduersariis, reiiciuntur, quod fatum ethnicum prædestinationes, ac præfinitiones eiusmodi nostrorũ operum, & voluntatum necessitate sua antecedenti libertatem abolerent, si, vt ab illis asserebantur, darentur. Et tamen ea omnia non minus, quam præfinitiones, quas refellimus, & inde ortæ necessitates absolute antecedentes vsum nostræ libertatis, supposito, ac subiecto à voluntate distinguerentur: ergo nulla, & doctrinæ aduersariorum in consequens, ea solutio est. Tertio: præfinitionem omnem diuinam de substantia operationis nostræ solum, ac non de modo etiã libero operandi ex libertate voluntatis, & operationis nostræ libertatem abolere solemne aduersariis est, vt inferius videbimus: solemne item apud illos præfinitionem coactiuam, si daretur, cum nostra libertate, & potestate absoluta ad oppositum operis, ita præfiniti, pugnaturam: cum tamen per ipsos supposito, & subiecto à potentia nostra volitiua distinguerentur. Quarto impugnatur à priori: quia antecedens omnino præcise ad operandum, & impotentiam absolutam antecedentem ad oppositum inducens libertati, & indifferẽti absolutæ potestati ad vtrumvis repugnat: Id autem absolute habet præfinitio, etsi supposito à voluntate differat: ergo pugnat cum eius, & operationis præfinitæ libertate. Maior patet. Tolle enim à principio quovis non differente supposito, aut subiecto à voluntate, & necessitate operandi indita ex illo voluntati, necessitatem omnino antecedentem vsum libertatis in operando esse, ac statim principium illud, & necessitatem operandi, quam voluntati affert, cum eius libertate annuentibus Patribus, Theologis, & Philosophis cunctis, ac causæ liberæ definitione, ex qua adeo vexaris, facile compones. Quinto, denique solutio hæc breuioris pallioli est, quam vt duos cooperire valeat, præfinitionem scilicet, & prædeterminationem, seu præuiam qualitatem. Hæc quippe supposito, & subiecto à voluntate nostra non differt.

4. Respondere verò similius ex nostris nonnullis possent. Præfinitiones diuinas prædeterminatiuas humanarum actionum esse earum remota principia non proxima; ad libertatem autem voluntatis satis esse, si principia omnia proxima ad operandum requisita indifferentia sint, nec remoti, (quod non, nisi mediis proximis, operatiuum est) necessitatem antecedentem proximorum indifferentia temperatam, & in effectum sic transmissam libertati voluntatis officere: quæ doctrina Soarij nostri, & asseclarum eius satis est frequens, vt præfinitiones suas nostrarum actionum per scientiam mediam regulatas, & decretum auxilij efficacis collatiuum ex eadem scientia regulatum cum nostræ voluntatis libertate, & indiffe-

renti potestate constare ostendant. Cæterum solutio hæc ad physicæ prædeterminationis necessitatem antecedentem Thomisticam cum nostræ voluntatis libertate componendam extendi non potest: quare angustior, quam eorum doctrinæ opus est, solutio erit. Secundo: cum prædeterminatio principium proximum de se efficax, & essentialiter connexum actui ad quem prædeterminat voluntatem, sit, nequit præfinitionis prædeterminatiuæ necessitatem remoram in effectum transmittere temperatam, vt de suis principiis proximis indifferentibus Doctores nostri philosophabantur. Tertio: Nec supponit scientiam conditionatam, & futurum sub conditione consensum ea præfinitio, sicuti Suaristicæ præfinitiones, & decretum efficacis auxilij collatiuum: vtrumque enim, & scientia conditionata conditionatum futurum supponunt: cuius veritas cum à futuri absoluta existentia purificata conditione pendeat, eidem libertati voluntatis, cui futurum absolutum contingens, subiicitur: quare pro priori illo remoto scientia conditionata collatiuum decretum, & suaristicæ præfinitiones impediri absolute à voluntate potuerunt, ne fuerint, ac præcesserint, eadem potestate, ac libertate, qua impediri potuit absolute futurum contingens.

5. Et hac quidem ratione, dependentiæ principij connexi, siue physica connexione, siue identitate actui, à libertate voluntatis absoluta circa ipsum aperte necessitas eius principij cum voluntatis libertate saluatur, siue proximum illud, siue remotum principium sit: quare nulla inde inter proximi, & remoti principij necessitatem cum libertate nostra conciliandam differentia intercedit. An vero ea ratio in præfinitionibus Suaristis locum habeat controuers. 4. examinabimus. Certe in Thomisticis, & Franciscanorum pauculorum, ab Scoto in eo deficientium, præfinitionibus locum non habet. Cum ea principia essentialia absolute ad futurum contingens absolutum sint, & in hypothesi ad conditionatum, neque horum scientia regulentur, vllatenusve à voluntatis libertate dependeant. Denique rationem principij, seu causæ remotæ necessitatem effectus, & oppositi extremi impotentiam antecedenter natura, & causalitate inducentis, atque omnino in sui positione à libero exercitio arbitrij independentis præcise satis esse posse, vt eius antecedens necessitas cum arbitrij libertate consistat, nunquam potuit penetrare. Tum: quia, etsi causa, & principium, & necessitas eius remota sit, facit tamen, & cogit rem esse, prohibetque ineuitabiliter rem non esse, neque à libera voluntate fit, aut descendit, quæ sunt signa omnia necessitatis antecedentis euertentis nostram libertatem ab Anselmo, & reliquis Patribus, & Theologis notata. Tum, quia percipi nequit, quo demum pacto id, quod ex priori naturæ remoto, ac proinde anteriori in serie causalitatis, & naturæ impossibile voluntati est, per subsequens in eadem serie signum principij ad effectum proximioris possibile eidem voluntati fieri valeat: nisi in eius potestate proxima per principium proximum constituta sit illud principium remotum, & proximo anterius auferre, seu impedire ne pro illo anteriori signo fuerit, vel auferre saltem ab eo illud, per quod alterum extremum cum principio illo remoto pugnantis reddebatur voluntati ex illo anteriori signo naturæ impossibile: quorum neutrum in potestate voluntatis proximæ ad operandum constitutæ positis præfinitionibus Thomisticis, & pauculorum Franciscanorum omnino independenter ab exercitio libero nostræ voluntatis certissimum est.

6. Vltima defendentium præfinitionum essentialiter requisitarum ad omnes creatæ voluntatis operationes, & de se efficacium, & connexarum cum nostris operationibus præfinitis omnimodam ab eius libertate in sui positione independentium est, quam dedit suis Aluarez citata d. 22. de auxiliis, aliâ deferens de necessitate prouenient ac tenente se ex parte causæ primæ iam impugnatam, reprobas n. 39. §. *Ad octauum*. Eiusmodi præfinitiones de sola substantia operationis humanæ non esse, sed de modo etiâ libertatis eius, vt, scilicet, Deus præfiniat irreuocabiliter, & irresistibiliter, non vtcumque consensum fieri; sed fieri libere à voluntate: ex quo inquirunt obfirmatur potius, non infirmatur operationis, & voluntatis in ea operatione elicienda libertas. Siquidem non libere exercita ea operatione libertatis præfinitio, seu decretum illud efficax Dei frustraretur, quod ipsius infrustrabilitati repugnat. Itaque in eiusmodi præfinitione, & decreto de se efficaci operationis libere eliciendæ tam eius, quam voluntatis nostræ libertas, non quidem euertetur, sed fideiussorem Deum habet. Rectè enim Augustinus suprà recitatus aiebat Dei prædestinantis voluntatem *non destruere, sed perficere nostram libertatem*, atque vt ipse Aluarez recitat, Anselmus de concordia c. 1. ait, Dei voluntatem, qua vult effectum sequi voluntatem nostram, libertatem non euertere. *Tunc enim necesse est voluntatem esse liberam: & esse quod vult.* Clarior hæc aliis suprà impugnatis solutio; sed quæ (vti falsis vsu venit) claritate suam prodat falsitatem. Et primo quidem Augustini, & Anselmi verba, si eorum sensu adducerentur rem euincerent. Vereor tamen vehementer, ne Caluini sensu vsurpentur, vt suprà ex Caluino hæc eadem pro suis præfinitionibus vsurpantes obseruabamus quæst. 3. cert. 1. atque ab ethnicis fatalibus vsurpata refert Iulius Sirenius 3. de fato cap. 2. his verbis, quæ ipsissima Aluarez, & Dominicanorum sunt. *Asserebant*, inquit, *fatum non destruere hominis naturam. Et ideo manere semper in nobis, & velle: quia efficacia diuina præfinitionis non est in ruinam liberæ facultatis; sed in adiutorium, & subministrationem eius.* Patrum vero sensus valde est in similibus verbis diuersus. Nam hi quidem non aliud prædefinitionis genus respectu nostrarum actionum agnouerunt, quam prædestinationis cuius (sicuti, & præscientiæ absolutæ, necessitatem antecedentem, & causalitatis, seu causæ de se physicæ connexæ cum effectu contingente, sed consequentem, & quæ ex contingentis, & liberi voluntati nostræ effectus suppositione defecndat: quia futuritionem eius conditionatam, & scientiam ipsius, ex qua voluntatem prædestinatiuam Deus concipit, supponit: cuius (vt sæpe diximus) consistentia è futuri absoluti, purificata conditione, positione pendet: quare tam futuritio conditionata contingentis, quam diuina de ipsa scientia à libero vsu absoluto libertatis in sui positione demum dependet: ac subinde necessitas essendi contingens illud consequens vsum libertatis nostræ, & ex eius vsus suppositione solummodo est, & quæ sola nostram libertatem compatitur; non autem antecedens natura, & causalitate contingens illud, quam cum eius contingentia, & libertate pugnare, & Augustinus, & Anselmus citatis libris, & locis, & alias sæpè, Patresque reliqui docent, vt vidimus q. 2. Ex quibus constat ea contingentia, quæ vult Deus decreto prædeterminatiuo necesse esse, vt contingentia sint, sicut ea, quæ præscit absolutè contingentia fore necesse esse contingentia fore necessitate nimirum consequenti connexionis logicæ solum cum contingenti futuro, quia eius tandem contingentiam supponunt iuxta horum Patrum doctrinam; non autem necessitate natura antecedente causæ, aut principij alicuius de se connexi physice cum effectu: cuiusmodi est præfinitio de se connexa ineuitabiliter cum actu, atque in sui positione à libera huius positione omnino independens.

7. Explosis iam solutionis huius ab authoritate horum Patrum fundamentis, eius, præter principij petitionem in terminis ipsis repugnantiam aperiamus, ac subinde ad argumenta nostra diluenda insufficientiam. Quod vt præsterur longius nobis eundem non erit quam ad principium idem communis, & tandem, & si reluctantes, ab ita respondentibus admissæ definitionis causæ liberæ, ex quo illa omnia efformauimus ea siquidem est, *quæ positis requisitis omnibus ad operandum potest operari, vel non operari.* Ex quo euidens est operationem, seu effectum suæ causæ contingens, & liberum illum omnino esse debere, qui ita ab illa positis requisitis omnibus fit, vt tunc eidem positis possit non fieri: est siquidem oratio hæc oratio de passiua, illi primæ orationi de actiua, qua actiua causæ libertas definitur correlata, atque omnino respondens, sicut hæ duæ. *Ego amo Deum: Deus amatur à me.* Hoc posito sic argumentor. Operatio libera voluntatis est, quæ, ita à volûrate cum requisitis fit, vt possit tunc absolute non fieri. ergo operatio, quæ positis requisitis, ita necessario fit, vt non possit tunc absolute non fieri, libera non est. Est enim propositio hæc primæ immediatè repugnans, eiusque contradictoria. Sed præfinitus antecedenter determinare actus, cui essentia

tas

sua indissolubiliter eius præfinitio connectitur, & subinde necessitans antecedenter, & ex parte causæ voluntatem ad illum, ac insuper in modum libertatis, quo ab illa fiat tenderet in hæc duo, vt, scilicet, actus posita præfinitione requisita ad ipsum, & necessitante antecedenter, atque ex parte actus primi voluntatem, vt ipsum determinate operetur, itavt stante illa non possit ex parte antecedentis, & potentiæ in actu primo ipsum non operari, à voluntate ita fiat, vt tunc non possit non fieri; & hoc alterum, quatenus actus libertatem præfinit: ita actus idem posita præfinitione à voluntate fiat, vt tunc possit ab illa non fieri. Hæc autem apertissima contradictoria sunt: ergo præfiniens Deus hunc actum determinate, & ineuitabiliter à voluntate fore, ac simul liberè fore duo contradictoria simul intenderet: vide quaJem Deum tua hæc solutio fingat, omni stupido homine dementiorem, cuius voluntas duo contradictoria simul, semelque serio intendat. Æstimo ita respondentes non multum dubitaturos afferere aliquando Deum velle efficaciter dealbare hominem per nigredinem, & (quod exactius adhuc doctrinæ huius solutionis exemplum est) aera tenebris offusis illuminare. Nec alia est aliorum Thomistarum solutio, scilicet præfinitionem diuinam eminenter continere liberum nostrum consensum, ac proinde eius non officere libertati. Quidquid enim determinat ex parte actus primi ad vnum, ita, vt sit inconiungibile cum alio determinat actiuè per modum naturæ, & causæ necessariæ: quare nequit eminenter actiuè libertatem, effectus, quam destruit, continere, sed potius eius necessitatem, quam efficit.

8. Duas alias vix vnius, vel alterius Thomistæ ex his, qui præfinitionis requisitæ ad operandum in sui positione ab exercitio libertatis nostræ independentiam omnimodam tuentur, solutiones omittere decreueram: tum, quia infirmæ: tum, quia paucorum erant. Sed cum reliquis non satis (vt vidimus, videbimusque) firmas non pauci ex illis, vt nostris argumentis (non exigua eorum commendatione) occurrerent percurrerunt, producendæ hic etiam sunt, ne deinceps plures ab aliis solutionibus difficultatis impetu propulsi his etiam vtantur. Altera est necessitatem actus præfiniti, & impotentiam ad oppositum, qua sua præfinitio inducit cum consequens exercitium libertatis nostræ non sit; ast antecedentem (quæ sola iuxta Patres, & rationem libertatem nostram euertit) non esse, sed mediam aliam nescio quam: quia decretum comitans determinationem nostræ voluntatis non admittunt, sed præuium, & requisitum esse ad operandum defendunt. Distinguunt autem inter necessitatem, quæ causa est operationi & actui, vt sit, siue causa operationis est, & inter necessitatem, quæ non causa, sed causæ operandi est. Primam aduersari libertati aiunt, secus secundam, quæ suis conuenit præfinitionibus. Sed primo solutio hæc Anselmo & reliquis Patribus Theologis, & Philosophis est iniuria. Siquidem necessitatem rerum, ad eius cum libertate contingentium, & liberarum concordiam, diuidentes, huius tertiæ à Deo ad eam concordiam opportunæ, ne insinuat quidem vocula, meminerunt; sed solum duplicis membri antecedentis necessitatis, siue aliis verbis, simplicis, vel absolutæ, & necessitatem consequentis, siue aliter, secundum quid, vel ex suppositione, vel consequentiæ. Tertio omnem necessitatem, quæ consequens non sit rei positionem, huius libertati aduersari Anselmus, Aristoteles, Boëtius, & Patres reliqui constanter affirmant: cum disputat, hac q. 3. tum controuer. 2. d. 5. q. vlt. sed necessitas præfinitionis tuæ inducta voluntati ad hunc determinate actum, quæcunque illa sit consequens non est huius actus positionem per te: ergo eius libertati aduersatur. Quarto distinctio illa necessitatis, quæ causa est, & necessitatis, quæ causæ sit vocum, seu casuum grammaticalium est, non rerum: vt prima antecedens natura, & causalitate ad operationem, & effectum absolutè sit, non secunda: nulla quippe necessitas, quæ causa operationis, & effectus, & antecedens absolutè sit inueniri potest, nisi quæ sit necessitas, seu determinatio causæ ad ponendum indefectibiliter operationem, & effectum.

9. Hoc exempla ipsa necessitatis cœlorum, vt se voluant, ac rorentur, ac similia, quibus Anselmus, & reliqui Patres antecedentem absolutè necessitatem explicuerunt suadent aperte. Siquidem eo necessitates absolutè antecedentes, & quæ sint causæ volutionis cœlorum sunt, quod sint necessitates causæ, & virtutis naturalis, quæ in cœlis est, vt se se rotent, ac voluant; neque vllam necessitatem operandi, quæ causa operationis absolutè ipsam antecedens sit, inuenire, excogitareve poteris, nisi, quæ causæ operatur necessitas, & determinatio ad operandum indefectibiliter, ratione intrinsecæ connexionis physicæ causæ cum operatione sit; neque è contra vllam necessitatem ad operandum, quæ ratione huius determinationis, & physicæ connexionis causæ cum operatione necessitas causæ sit causans, siue causæ operationis eiusdem; & ratio est; quia necessitas quæ causa est operationis nequit excludere rationem causæ operationis, & antecedentiam naturæ, & causalitatis ad ipsam ac proinde nequit non causæ necessitas esse: eoque ipso, quod causæ necessitas ad operandum sit, nequit non esse necessitas, quæ natura, & causalitate ad eam operationem, ad quam necessitas est, præcedat; quod ipsum est esse necessitatem, quæ causa est, vt operatio sit, atque ab ea, siue ex ea necessitate fiat: quare & per ita inaniter, & sibi etiam inutiliter, respondentes necessitas absolutè antecedens, ac libertati causæ, & operationis contradicens. Fatentur enim (quod ne vocibus quidem audent, possuntve diffiteri) necessitatem operationis huius determinatæ præfinitæ à Deo diuina præfinitione in voluntatem inductæ esse necessitatem causæ ad operandum. Denique quinto necessitas absolutè antecedens, atque voluntatis libertati infesta est, quæ voluntatem reddit impotentem omittendi operationem: quia ex parte actus primi necessitat, seu determinat illam ad indefectibiliter (quatenus scilicet ad eius virtutem attinet) operandum: id autem essentialiter habet præfinitio Thomistica ex parte actus primi essentialiter ad operandum requisita, atque à libero exercitio voluntatis in operando omnino independens: ergo & est absolute antecedens, & pugnans cum libertate voluntatis. Maior ex definitione causæ, seu potentiæ liberæ in actu primo toties reperita patet. Necessitas siquidem illa, quæ contradicit libertati potentiæ absolutè antecedenti, id est potentiæ operandi vel secus, etiam positis requisitis omnibus, ac proinde potentia necessitans ad operandum (qualis est necessitas, de qua in maiori) nequit non esse absolutè antecedens; alias libertati antecedenti absolutè causæ liberæ non contradiceret: siquidem necessitas pro alio quovis signo posteriori, vel disparato, non contradicit libertati potentiæ, seu causæ pro signo antecedenti: vt patet in libertate voluntatis antecedente, quæ consequentem necessitatem compatitur. Minor quinti huius argumenti præclusis effugiis omnibus probata hactenus manet, & consequentia est legitima.

10. Solutio alia nonnullorum Thomistarum est, quam refert, & refellit noster Borrul. de scientia media d. 10. sect. 5. §. *Tertio alij* num. 587. scilicet necessitatem antecedentem ad vnum extremum libertati causæ; & potestati ad vtrumvis oppositam non esse, quæ affert incompossibilitatem ratione extremi vnius, cui essentia sua connectitur principium, quia extremum illud cum oppositio extremo altero repugnat (quam solam incompossibilitatem habet præfinitio consensus, quem essentialiter infert cum negatione, vel contrario ipsius, cum quibus consensus præfinitus se ipso incompossibilis est) & vocare possumus mediatam incompossibilitatem illius principij, quia est incompossibilitas eius cum altero extremo, quatenus huius oppositum, cui connectitur principium illud, opponitur formaliter, & immediatè incompossibile est cum altero extremo; necessitatem autem absolutè antecedentem libertati causæ oppositam afferre debere incompossibilitatem principij immediatam ratione sui, ac non ratione incompossibilitatis extremi, cui connectitur cum extremo oppositio. Contra tamen primo: quia, si solum est incompossibilis cum dissensu, aut negatione consensus huius præfinitio, quatenus incompossibilis cum illis consensus est, nec aliam intrinsecam, ac de se se incompossibilitatem habet consensus præfinitio, quandiu consensus sui negationi per se formaliter immediatè repugnans non adfuerit, poterit præfinitio cum consensus præfiniti negatione,

ac dissensu absque vlla repugnantia componi. Sed quotiescumque fuerit negatio consensus non erit consensus ipse, cui sui negatio immediate, & contradictorie formaliter repugnat: ergo semper, & absolutè præfinitio consensus coniungi potest cum negatione consensus, ac subinde cum dissensu: quod præfinitionis diuinæ infrustrabilitati, & aduersariorum doctrinæ, quam modo impugnamus, contradicit. Secundo. Nec visio Dei erit absolutè incomponibilis cum negatione amoris Dei super omnia in Beatis, nec vnio hypostatica humanitatis Christi incomponibilis absolute cum negatione obseruationis præcepti, seu peccato humanitatis eiusdem, ac proinde illis etiam positis, & Beati, & Christi humanitas ad non amandum Deum, & ad peccandum absolutam potestatem, & libertatem contra horum Thomistarum doctrinam habebunt. Tertio nullum agens naturale, & explorato necessarium in operando esset naturale, & necessarium, seu inconiungibile absolute cum negatione, seu contrario sui effectus, sed absolute posset coniungi cum illo, ac subinde absolute etiam liberum in operando, contra omnium omnino hominum iudicium. Tres hæ consequentiæ, vel apud ita respondentes, vel apud omne hominum genus absurdissimæ ex huius solutionis doctrina sunt irrefragabiles. Siquidem nullum horum principium quantumvis connexum aliam iuxta hanc solutionem pugnam habebit de se, nisi quatenus extremum vnum, cui essentia sua connectitur, quemque indefectibiliter infert, formaliter immediate pugnat cum extremo opposito, atque adeo non ex incompossibilitate sui, sed extremi, cui connectitur, quodque necessario infert, mediatam nimirum, & extrinsecam tantum incompossibilitatem habet: quare secundum se consideratum quodvis horum principiorum componi absolute poterit cum sui effectus extremo opposito, æque, atque præfinitio cum negatione consensus præfiniti, ac dissensu contrario.

11. Quod si, vt hæc vites absurda, dicas: vnionem hypostaticam, visionem beatam, & naturalium agentium virtutem, eo ipso, quod virtutes de se esse determinatæ sint, connexæ suis effectibus, eorumque indefectibiliter illatiuæ oppositionem habere intrinsecam, ac de se esse cum extremis oppositis, licet non immediatam formalem, & contradictionis, seu contrarietatis formalis, quæ est inter album, & non album, seu inter album, & nigrum, solumque in rebus, quæ ad idem signum naturæ, vel prius, vel posterius spectant, esse possunt, aut mediatam (quia sola oppositio, & repugnantia contradictionis, & contrarietatis immediata, & formalis est) & illatiuam. Cum enim essentia, & entitate sua vnum extremum contradictionis, & contrarietatis inferant. Cum extremis ita oppositis intrinsecam pro suo signo priori oppositionem virtutis, & eminentiæ, qua extremum illud aliis immediate oppositum continent, & necessario ponunt, omnino habent, nec solum mediatam extrinsecam ratione solius repugnantiæ extremi necessario apponendi cum oppositis sibi extremis, quasi nulla sit in principiis illis cum extremis suo necessario effectui incompossibilibus pugna incompossibilitatis, & repugnantia intrinseca virtutis eminentialis, & illatiua. Eo enim ipso quod de se atque ab intrinseco ad vnum extremum ex oppositis ipsis incompossibile determinata sint, determinata intrinsece, ac de se esse sunt ad opposita excludenda. Vnde fit non posse esse pro priori naturæ antecedenti, ad quod principia illa determinata, & determinantia absolute ad vnum extremum sunt, absolutam ad eius opposita extrema absque contradictione manifesta absolutam potestatem, cum autem ad absolutam libertatem causæ, ac principij operatiui essentialiter requiratur absoluta ad vtrumvis potestas operationem alterius extremi antecedens: nec naturales causæ in suos effectus, nec visio, ne posita Beati ad Dei amorem, nec humanitas cum vnione hypostatica ad non peccandum libertas consistit. Fateor solutionem totam Philosopho, & Theologo dignissimam, euidentissimamque esse: ac proinde argumenta suprà facta contra tuam solutionem intellecta de incompossibilitate præfinitionis consensus cum eius oppositis negatione, & dissensu, solum mediata extrinsece ratione formalis incompossibilitatis immediatè contradictoriæ, vel contrariæ consensus cum sui negatione, vel dissensu omnino eneruare. Verum, ni ita à te tua solutio pro tua præfinitione intelligatur; sed intrinsecam vlteriùs mediatam siue virtutis, siue eminentialem, & illatiuam incompossibilitatem cum negatione consensus præfiniti, aut contrario dissensu in eius præfinitione recognoscas, quia ad consensum præfinitum ipsis formaliter immediate, siue contradictorie, siue contrarie incompossibilem determinata, ac determinans ex parte actus primi antecedentis absolute ad operationem eius consensus est, præfinitionis tuæ necessitatem absolute antecedentem, & cum potentia ad oppositum absolute incompossibilem, & cum libertate voluntatis in actu primo pugnantem eadem doctrina teneris fateri: quare solutione tua caperis, dum difficultatem soluis.

CERTAMEN VII.

Euasio alia non adeo rigida de necessitate, & impotentia infallibilitatis, non absoluta præcluditur.

1. DVo rigide Thomisticæ præfinitiones ad operandum requisitæ continent. Alterum de esse, siue ex intrinsecis prædicatis inseparabiliter cum actu præfinito connexas esse, ita, vt eas ex parte actus primi poni, atque actum non poni repugnet. Alterum eas omnino independenter ab vsu libero voluntatis ex parte actus primi poni. Ex horum coniuncto argumenta contra ipsas efformata, & solutionum impugnationes hactenus datæ processerunt: neque adeò segniter, & inutiliter eisdem fere rationibus iam pridem à nostris pugnatum est, vt illi ipsi aduersarij, qui duo illa, tanquam scholæ suæ tesseram tuenda fuscepерunt, præteritarum solutionum arcibus à nostris pulsi, alij eorum è duobus illis vnum; alij vero alterum asserere destiterint. Alunt ergo primo, ex eis non pauci: necessitatem consensus præfiniti, & impotentiam ad eius oppositi omissionem, & dissensum, quam diuina præfinitio inducit, non esse necessitatem voluntatis ad consensum, & impotentiam absolutam eius ad oppositi ipsi extrema; sed necessitatem infallibilitatis: quia etsi voluntas posita præfinitione requisita ad operandum ex parte actus primi, ad quem præfinitio spectat, possit absolute non operari, & coniungere omissionem consensus cum illa, vt ad eius libertatem necessarium demonstrauimus; attamen præfinitione posita infallibiliter consensura sit: & subinde infallibiliter non est omissura consensum. Ita, & si non conceptis verbis, respondebant olim Thomistæ apud Suarium nostrum de auxiliis lib. 1. cap. 10. num. 6. conceptis autem verbis Cabrera t. 2. in 3. p. q. 18. à num. 304. dicens hanc potestatem omittendi actum præfinitum, seu apponendi contrarium, quam diuina prædeterminatio, seu præfinitio voluntati relinquit, infallibiliter nunquam reduci ad actum, & d. 1. num. 10. dixerat potestatem liberæ potentiæ esse, *vt cum potentia, & omnibus requisitis ad operandum possit componi, id est simul poni, tam actus, quam carentia illius.* Item Primus Dominicanorum Cathedrarum Complutensium, & Primarius Professor cum ob doctrinæ laudem, tum ob laborem disputationibus de auxil. coram Sede Apostolica naratum Ioannes Gonzalez Aluelda 1. p. d. 58. sect. ea 2. quia inquit potestate nunquam continet hominem sic vocatum, ac promissa præfinitione consensus præuentum, non consentire fr. Ioannes à S. Thom. tract. de volunt. Dei d. 5. art. 6. n. 13. & 14. Hic autem Doctor de nuda auxilij entitate loquitur, non autem, vt coniuncta modo infallibili, quo Deus præfinitione sua, seu decreto illius executiuo illud apponit, & consensum per illud præfinit, siue, vt ait Aluarez d. 92. de auxil. num. 2. vt auxilium efficax voluntatis Dei actum præfinientis instrumentum est; quare hi duo auxilij de se efficacis doctrinam suam deserunt, non autem præfinitionum, de quibus nunc disputamus. Verum non excluso illo respectu ad Dei præfinitionem ita

sensum

sensum compositum potestatis ad oppositum coniungendum cum efficaci auxilio docent, & si potestatem infallibilitatis negent Nazarius 1. p. t. 1. q. 22. art. 4. controuer. 2. ad argum. 7. conclusionis §. *Secundo respondeo.* Gregor. Martinez 1. 2. t. 1. q. 10. art. 4. dub. 1. concluſ. 2. ad 1. argum. Zumel t. 1. variar. d. 5. appendice §. *Ad tertium.* Ioseph à S. Maria tract. de libero arbitrio in communi quæst. 4. art. 6. §. *Dico 7.* & §. *Supponendum 7.* apud Paulum Leonardum 2. p. responsionum sect. 13. num. 63. His autem priores fatales ethnici idem omnino pro sui fati antecedente necessitate cum nostra libertate concilianda dicebant referente Iulio Syren. 3. de fato cap. 22. *Licet voluntas aliter re vera non sit operatura, tamen posset aliter operari*: qua solutione illos *vocibus solum vti, ac proinde nugari* ipse concludit. Et Ioann. de Bononia Louanien. Doctor, & Professor. Archidiaconus Panormitan. de prædestinat. & reprobat. edita Louanij anno 1565. in solut. argumentorum ad 2. pag. 514. *Stulta nimium est igitur, & pernicioſa persuasio docentium nos, posse quidem diuinam reiicere inspirationem* (huius loco præfinitionem pone, de qua agimus) *sed non ea potentia, qua aliquando reducatur ad actum.* Et Claudius Rangolius Minimus Maximus t. 1. in lib. 1. Reg cap. 13. vers. 14. tit. *Quomodo intelligendum*, ita de hac solutione distinctionis absolutæ potentiæ, & potentiæ infallibilitatis ait: *commentitia videtur, & chymærica.*

2. Nollem Thomistas hosce fortè ad nos (vt bono eius distinctionis, & legitimo sensu possunt) venientes abhis, qui in nostris castris sunt, in explorato eorum animo duris à Deo accipi censuris. Si enim necessitatem vnius extremi, & impotentiam alterius infallibilitatis solius scientiæ diuinæ de obiecto contingenti posita Dei voluntate de illius existentia sublata tamen ab hac Dei voluntate connexione physica, & metaphysica cum existentia, seu futuritione absoluta obiecti illius contingentis intelligant, verissime docent cum hac infallibilitatis necessitate vnius extremi, & impotentia alterius. Stare absolutè posse absolutam ad hoc alterum potentiam physicam actiuam. Siquidem, & si non necessario positum sit extremum à Deo volitum à Dei voluntate, vt poni æquè eius negatio, & cum Dei voluntate non conrangi physica actiuitate absolute potuerit; posito tamen à voluntate nostra Dei voluntati annuente, atque ita à Deo cognito necessitate consequente, & intrinseca necesse est vt sit: & rursus necessitate infallibilitatis diuinæ scientiæ; (quæ consequentem illam extremi in se positi necessitatem supponit) extrinsece necessarium etiam est: & si absolutè sit contingens. Verissime inquam ita solutione hac vrentes Thomistæ discurrent: sed præfinitionum suarum, & nomine, & re abstinere debebunt: ac proinde veritatis victoria ingenue victi nostris castris cum laude, & gloria adscribendi erunt. Nomine quidem præfinitionis abstinere debebunt: quia ea vox nonnisi in voluntatem efficacem, & decretum Dei efficax obiecti præfiniti; huicque essentia sua connexum indefectibiliter cadit. Inde etiam, & reipsa præfinitionis abstinere, ita distinctionem intelligentes, omnino debent. Si enim præfinitionis diuinæ res, & essentia ipsa connexa inseparabiliter est consensui præfinito nequit eius existentia absoluta coniungi cum negatione consensus præfiniti: ac proinde ea ex parte actus primi, & antecedenter natura ad operationem consensus voluntas nostra impos absolute antecedenter ex parte actus primi erit ad ponendam simul negationem consensus præfiniti, vt pè ostendimus, ac statim breuiter, & dilucide iterum ostendemus: quare vt operationum nostrarum necessitas extrinseca infallibilitatis ex infallibilitate scientiæ diuinæ de operatione ex Dei voluntate, & vocatione absolute existente, vel futura absolutè, vt membrum eius distinctionis ab altero absolutæ, & antecedentis necessitatis abolentis libertatem defendatur, voluntas Dei, decretum indifferens, ac non determinatum, & determinans efficaciter ad consensum statuendum, dicendumque ab ita respondentibus erit. Vel, si efficax esse, dicique ipsi malint comitans solum operationem esse in sequentibus examinandum non illam physice antecedens: quare & re, & nomine præfinitionis ita distinctionem potentiæ absolutæ, & potentiæ infallibilitatis solius ad rem præsentem intelligentes aduersarij abstinere, atque aperte, & re, & nomine partibus nostris accedere debebunt.

3. Sin autem necessitate infallibilitatis ad actum præfinitum, & impotentia infallibilitatis ad extremum oppositum non illam solam extrinsecam diuinæ scientiæ, quæ consequentem actus necessitatem supponat, sed obiectiuam aliam præfinitionis ex parte actus primi ad existentiam actus præfiniti à voluntate expositione præfinitionis determinantis de se ad illum ratione intrinsecæ connexionis cum illo intelligant, nomen quidem, & rem Thomisticæ præfinitionis retinebunt, sed distinctionem chymæricam, ac conciliandæ cum humana libertate præfinitionis necessitati prorsus inutilem; & si ad necessitatem infallibilitatis diuinæ scientiæ, quæ illam connexionem obiectiuam, & necessitatem essendi à voluntate ex præfinitione adiuncta actum præfinitum supponat, recurrant. Primo quia etiam diuinæ præscientiæ infallibilis necessitas ad vnum, & impotentia ad aliud simili connexioni obiectiuæ fati cum humanis actionibus ipsis ex fato ethnico prouenientibus aderat nota, Philosophis fatalibus, & Patribus notissima erat: & tamen illorum fatum, vt absolutæ libertatis, & potentiæ absolutæ ad oppositum actus eo destinati ex parte antecedentis euersiuum reiectum ab his est. Secundo amori Dei ex visione beata, & negationi peccati ex vnione hypostatica infallibilis necessitas negationis peccati, & impotentia ad peccatum in humanitate vnica, ac Beatis diuinæ scientiæ adest: & tamen, quia supponit necessitatem obiectiuam antecedentem ex vnione ad obseruantiam præcepti, & impotentiam ad peccandum in humanitate vnita: ac similiter ex visione obiectiuam necessitatem antecedentem amandi Deum, & subinde impotentiam non amandi illum in Beatis, non saluatur in his absoluta potestas non amandi Deum, neque in humanitate vnita absoluta potestas peccandi: quare neque absoluta libertas ad peccandum, vel non peccandum in hac, atque ad amandum, vel non amandum Deum in illis, vt vos ipsi, qui ita respondetis, fatemini: ergo, & si adsit nostris operibus præfinitis infallibilis necessitas ad ipsa, & impotentia ad eorum opposita diuinæ scientiæ illa in præfinitione Dei cognoscentis, quia tamen supponit necessitatem antecedentem obiectiuam ad ipsa, & impotentiam ad eorum opposita, non saluatur in nobis absoluta potentia ad opposita extrema actui præfinito, ac subinde neque absoluta ad ipsum agendum, vel non agendum libertas. Tertio neque effectibus omnibus, ac singulis causarum naturalium ea scientiæ diuinæ in suis causis ipsos penetrantis, iuxta communem, & omnium Thomistarum sententiam, infallibilis necessitas, & impotentia non essendi à suis causis deficit; & tamen, quia obiectiuam antecedentem necessitatem, vt à suis causis fiant, & impotentiam vt ab illis non fiant diuinæ scientiæ infallibilis necessitas supponit, neque in causis naturalibus absoluta potestas non operandi, ac proinde neque absoluta libertas operandi est ergo nec in voluntate posita operationis, & actus eius præfinitione saluabitur libertas ob rationem eandem.

4. Ratio à priori, & vltima ita intellectæ distinctionis, & explicatæ solutionis ex illa, impugnatio est: quia nihil potest esse destructiuum eius, quod necessario tanquam sui fundamentum supponit: sed necessitas ad vnum, & impotentia ad eius oppositum, quam hi vocant infallibilitatis, à diuina scientia habita de contingentibus in præfinitione requisita ad ipsorum absolutam existentiam, tanquam in causa, supponit tanquam sui fundamentum necessarium, absolutam necessitatem antecedentem voluntatis ad operandum, & absolutam impotentiam eius ad non operandum posita præfinitione: ergo non destruit hanc necessitatem eius ad operandum absolutam, & antecedentem, nec impotentiam absolutam antecedentem non operandi posita præfinitione. Minor probatur: quia infallibilitas diuinæ præscientiæ de obiecto contingenti in præfinitione supponit obiectiuam connexionem intrinsecam, & è suis prædicatis præfinitionis ex parte causæ requisitæ, ac positæ, vt voluntas operetur: quare & physicam absolutam determinationem

voluntatis

voluntatis antecedentem ad illud operandum, posita eius præfinitione: & physicam subinde impotentiam absolutam ad non operandum. Imo ad hoc præfinitio actus nostri ab aduerſariis inducitur: ne ſit abſolutè poſſibile voluntati ea poſita actum omittere, ac diuina ſcientia in cauſa actum determinate attingens, & exprimens potius, quam eius omiſſionem, poſſit falſitati ſubeſſe: ergo infallibilis neceſſitas, vt ſit actus præfinitus, & impotentia, vt ſit eius omiſsio, poſita præfinitione ex infallibilitate diuinæ ſcientiæ actus præfiniti in præfinitione, ſeu voluntate cum præfinitione, tanquam in cauſa ortum ducens, ſupponit obiectiuam phyſicam antecedentem, & abſolutam neceſsitatem operandi, & impotentiam non operandi ex præfinitione actus inductam in voluntatem, diſtinctam à neceſsitate, & impotentia ortis è ſcientiæ diuinæ actus in coniuncto voluntatis cum præfinitione: ſiquidem nihil ſeipſum poteſt vere, & reipſa ſupponere. Quod autem cum his pugnet potentia phyſica abſoluta antecedens non operandi ſatis ſupra demonſtratum eſt: breuique rurſus demonſtratur: quia ea potentia abſoluta, & antecedens, tam illi neceſsitati abſolutæ, & antecedenti voluntatis ad actum, quam impotentiæ ad oppoſitum pro eodem ſigno, & priori naturæ contradiceret. Et enim pro eo ſigno vera hæc ſunt: *poſita præfinitione ex parte actus primi eſt impoſſibile voluntatem non operari: & rurſus voluntatem operari eſt neceſſe.* Aſt poſita abſoluta potentia antecedenti non operandi vera hæc propoſitio eſt. *Voluntatem non operari poſſibile ex parte actus primi eſt*, quæ vtrique illi contradicit iuxta ſummuliſticas regulas modalium: ergo potentia abſolutè antecedens voluntatis ad non operandum poſita præfinitione requiſita ad operandum, ac proinde neceſsitate abſoluta, & antecedente ad operandum, & impotentia ad non operandum, & huic neceſsitati, & huic impotentiæ abſolutis, & antecedentibus contradicit. Tertio. Potentia hæc voluntatis ex parte actus primi antecedens, & abſoluta non operandi ſtante præfinitione, vel eſſet non operandi ſublata operatione, vel non ſublata operatione: primum inducit contradictionem: ſiquidem ſtaret præfinitio, vt ſupponitur, & non ſtaret: quia non eſſet operatio, cui eſſentia ſua connectitur: ac proinde, ſine qua eſſe repugnat. Præterquam quod ea potentia in voluntate eſſe nequit, niſi ſit potentia auferendi, ſeu impediendi præfinitionem pro naturæ priori ad poſitionem actus, vt patet. Secundum etiam aliam contradictionem inducit: ſcilicet eandem operationem ſimul, ſemelque eſſe, quia eſt ipſi connexa eſſentia ſua præfinitio, & non eſſe: ergo ea abſoluta, & antecedens potentia voluntatis ad non operandum poſita præfinitione chimærica eſt, & impoſsibilis.

5. Vnde conſtat, quam male admiſerit Ioannes Gonzalez ſuprà ſect. 3. num. 30. ſtante præfinitione poſſe voluntatem abſolutè coniungere carentiam actus cum illa: cum id alterutro ſolummodo (quorum vtrumque repugnare oſtendimus) fieri neceſſario debeat; quæ tamen in voluntate independenter à noſtræ voluntatis libertate, & exercitio poſita nuſquam eſt, aut fuit. Quare neque eam auferre, & non eſſe noſtræ eſt, aut fuit poteſtatis, adhuc pro naturæ priori ad præfinitionis poſitionem conſideratæ: vnde non ſolum non poteſt eſſe potentia apponendi negationem operationis ſeiunctim ab operatione, verum neque coniunctim cum præfinitione: quia nequit eſſe potentia ad coniunctum aliquod abſolutè apponendum, quin ſit potentia ad apponendas eius partes, quarum ſimultaneam exiſtentiam ſolummodo, & neceſſario coniunctum illud dicit, at nulla eſt poteſtas abſoluta voluntatis noſtræ ad apponendam præfinitionem operationis: ergo neque ad apponendum coniunctum præfinitionis, & operationis, ſeu operationem coniunctim cum præfinitione, aut plus omiſsionem ſeiunctim à præfinitione: quia neque in eius poteſtate eſt præfinitionem ſeiungere conſiderata pro quouis ſigno naturæ voluntate. Cum autem nequeat operatio, niſi alterutro modo exercite apponi, ſcilicet, vel coniunctim cum præfinitione, vel ſeiunctim ab illa, ſine vel cum illa, vel ſine illa, (& idem eſt de omiſsione operationis) ſit: nullam eſſe in voluntate potentiam ad omittendam operationem præfinitam, neque ad apponendam operationem contrariam. Dices eſſe potentiam ad ponendam operationem præſcindentem à præfinitione, eiuſque negatione, & ſic de omiſſione. Contra tamen eſt, quia implicat eſſe operationem exercite abſque requiſitis ad ipſam operationem, vel omiſſionem abſque ſuis requiſitis. Sed præfinitio per vos eſſentiale requiſitum eſt ad operationem, & negatio præfinitionis ad omiſſionem operationis: ergo operatio præſcindens à præfinitione, & eius omiſſio præſcindens à negatione præfinitionis ſunt impoſſibiles, & ad quas nulla vera potentia realis eſſe poſſit; niſi admittat decretum Dei efficax (cuiuſmodi eſt cuiuſvis effectus diuina abſoluta præfinitio) fruſtrabile eſſe: quod & abſurdum eſt, & apud Theologos inauditum, alterique eiuſdem, & ſequacium aliorum aſſerto omnino diſcordans. Ait enim præfinitionem actionum noſtrarum, & ſi coniungi cum earum negatione poſſit neque eſſentia ſua cum actionibus connectatur præfinitis; aſt ſemper effectum habituram: vnde enim, ſi natura, & eſſentia ſua cum vtroque extremo coniungibilis præfinitio eſt, ſemper effectum operationis præfinitæ habituram hic Doctor nouit, ſi abſuit reuelatio, quæ operationis ex præfinitione contingenter prouenientis, ita, vt potuerit ex illa non prouenire abſolutam poſitionem ſupponat? hoc autem eſt efficaciam præfinitionis diuinæ extrinſecus operatione, præfinita conſtituere, vti nos decreti indifferenter concurrendi efficaciam concurſu ipſo Dei noſtræ operationi identificato conſtituimus, ſicuti & vocati, & vocationis, ſeu auxilij congruitatem, & efficaciam: quod ipſum eſt diuinas præfinitiones noſtrarum actionum deſerere, ad noſtraque caſtra tranſire. Ad hæc ſuæ ipſi doctrinæ Doctor hic contradicit. Eſti enim de diuinarum præfinitionum actuum humanorum efficacia, ſicuti, & de auxiliorum congruitate verè, & conſequenter loquatur; de auxilio tamen gratiæ entitatiue ſumpto ita conſectarie etiam docet contra ſuos Dominicanos Thomiſtas citata d. 58. ſect. 2. n. 10. *Primo dico contra primam* (ſuorum ſcilicet à ſe relatam n. 4.) *ſententiam. Non oportet quod gratia præueniens intrinſece inhærens, quæ in vno eſt efficax, ſit etiam efficax in alio maiore tentatione tentato: ac proinde non eſt verum dicere, quod gratia præueniens intrinſece inhærens, quæ aliquando eſt efficax, debeat eſſe efficax ſemper, & in quocumque alio ſuppoſito qualitercumque tentato*: ergo cum præfinitiones ſicuti, & vocationes, & auxilia gratiæ non de ſeſe efficaces, & coniunctas, ſeu connexas cum operatione præfinita, ſed potius natura ſua cum huius negatione coniungibiles docuit hic Author; eas ſemper habituras operationis præfinitæ effectum, efficaceſque proinde eſſe debere iuxta eius doctrinam dicere non oportebit.

CERTAMEN VIII.

Prima dependentia præfinitionis à libertate noſtræ voluntatis à Thomiſtis excogitata euaneſcit.

1. SEcundo alij Thomiſtæ ex alia parte à doctrina primæua ſua deficientes præfinitionis requiſitæ ad creatæ voluntatis operationes ab vſu libero voluntatis dependentiam in ſui abſoluta exiſtentia, & poſitione aliter, & aliter deſignant, vt aliquo modo antecedentem neceſſitatem operandi ratione intrinſecæ connexionis præfinitionis diuinæ cum effectu præfinito (quam præfinitioni, ſeu efficaci Dei decreto nefas eſt negare) cum creatæ voluntatis libertate in operando concilient: quippe quæ ſuæ poteſtatis vſu, & exercitio libero eiuſmodi inductam ſibi à præfinitione operandi neceſſitatem cauere, atque auferre poſſit. Vnde iuxta Boëtium, Anſelmum, & Patres ſuprà relatos non abſoluta, & antecedens neceſſitas voluntatis ad operandum præfinitione, ſed ex ſuppoſitione ſecun-

dum

retur. In hanc solutionem difficultate à nostris initio controuersiæ propositâ, & à nobis hactenus expensa, & si suo iudicio, vel saltem effato, leuissima, in simili conuictus tandem generatim, sibi contradicens iuit Aluarez, etsi enim d.8. de auxil.num.20. dixisset. *Auxilium efficax gratia non dependet ex libera cooperatione arbitrij, neque positiue, neque negatiue.* Posteaque. §. *Ad argumentum consone ait. Non est necesse quod auxilium efficax sit in nostra potestate, vt actus, quem virtute eiusdem auxilij producimus, sit nobis liber. Repetit eandem sententiam d.105.* Hoc suum dogma hausturn ex Bannez 1.p.q.23. art.3. dub.3. & Nauarrete controuers. 11. & 19. ante §.1. & suorum communiter, his retractat disp.23. num.31. *Quamuis peccator, qui non adimplet præcepta, non habeat auxilium efficax, quod necessarium est, vt actu operetur; potest tamen absolute loquendo illud habere, & sua culpa illud non habet.* Repetit d.61. de auxil. ad 7. inquiens: *Deum offerre omnibus auxilium efficax, & ex aliquorum culpa procedere, quod illud non recipiant.* Eadem contradictione loquitur Cabrera. Nam d.6. de auxil. intrusis 1. de incarnat. dub.3.num.109. dub.4. num.43. ait: non esse in potestate hominis, adhuc dispositiue, auxilium efficax, & ad q. 18. art.4. d.2.§.11. num.157. & 464. & 476. esse in potestate hominis aut ratione dispositionis negatiuæ. Ledesma item de auxil. q.vn.init. fundamento 4. supponens physicam prædeterminationem pendere à nostra voluntate media dispositione positiua actus alicuius, & art.1. ad 3. & art.3. ad 10. dependere à voluntate nostra prorsus negat. Zumel insuper t.1. opusculor.d.4. sect.2.concl.5. §.quomodo repellatur difficultas voluntatem posse adquirere physicam prædeterminationem docet se dispondendo positiuo actu, & tamen sect.3. concl.3. id ipsum ex instituto negat. Hanc Thomistarum contradictionem docte obseruat Soarez lib.5. de auxil. cap.10. num.40. & 41. ea vero contradictione omissa, & ab eius materia, scilicet auxilij intrinseca efficacia (de qua nunc disputare nec locus, nec animus est) abstrahens eam doctrinam, & solutionem dependentiæ à nostra libera voluntate (cui etiam subscribit Franciscus Dauila Dominicanus de auxil. 6.7. pag.55.) præfinitionibus applicitam ex instituto in præsentiarum examinabo. Siquidem auxilij, aut prædeterminationis dependentia admitti quouis modo ab aduersariis nequit, quin & præfinitionis, qua illa à Deo conferuntur eodem prorsus modo dependentia admittatur: tum, quia cum hac præfinitione à Deo concepta necessario, & omnino inimpediblliter prædeterminatio, & auxilium efficax ea præfinitione independenter à nostra voluntate posita, dependentiæ prædeterminationis à voluntate nostra locus non supereſt: tum, quia dependentia dispositiua prædeterminationis, & auxilij à nostra voluntate, siue negatiua, siue positiua motionis intentionalis voluntatis diuinæ, vt ea velit conferre, solummodo esse potest: a c proinde primario voluntati, seu præfinitioni diuinæ conuenit, & secundario prædeterminationi, seu auxilio: quare, qui hanc quoquo modo prædeterminationis, & auxilij efficacis de se dependentiam asserunt, primario diuinæ præfinitioni conuenire supponunt.

2. Et quanquam dependentia hæc præfinitionis à nostra voluntate dispositiuæ ab his, non admodum recentibus Thomistis asserta, dupliciter, vt vidimus, asseratur, scilicet, vel dispositione præuia positiua per actum positiuum, qui præfinitionem præcedat vel negatiua per omissionem actus, qui eam præfinitionem impediat, atque alteruter modus specialibus impugnationibus reiiciendus postmodum, sit, tamen in primis simul vterque impugnatur. Quia iuxta alterutrum immediata voluntatis nostræ, ad actum præfinitum libertas perit, vt mediata saluaretur. Probatur quia, etsi libertas, & nostræ potestatis sit præuia illa dispositione, siue positiua, siue negatiua ponere præfinitionem ex parte actus primi requisitam à voluntate ad operandum actum præfinitum: ea tamen semel posita, & de se connexa essentialiter cum actu præfinito (vt ita respondentes aiunt) non potest ex parte actus primi proximi non poni actus præfinitus à voluntate: ergo adest voluntati necessitas absoluta antecedens, & proxima illum actum apponendi, & absoluta antecedens impotentia proxima illum omittendi: ergo deficit voluntati potentia absoluta antecedens proxima illum omittendi, quæ huic impotentiæ, & illi necessitati contradicit: ergo & proxima libertas. Probatur vltima consequentia; nam reliquæ, & de se patent, & obiter sunt probatæ. Quia libertas causæ est absoluta potestas ad operandum, vel non operandum positis requisitis omnibus, &c. ergo, quo gradu fuerit potestas hæc ad vtrumvis requisitis positis, &c. erit libertas, & quo defecerit gradu deficiet libertas causæ: sed posita præfinitione actus, etiam dependenter ab vsu præuiæ voluntatis se negatiue, vel positiue disponentis ad illam per omissionem, vel positionem alterius actus, non est potentia proxima ad omittendum illum, sed proxima potius necessitas illum ponendi, & impotentia etiam proxima antecedens ipsum omittendi: ergo non est libertas proxima ad actum. Confirmatur, quia in communi Philosophorum, & Theologorum, etiam aduersariorum, sententia, etsi intentio efficax finis, & actus quiuis imperans efficaciter actum alium voluntatis pendeat in sui positione ab vsu libertatis voluntatis liberæ intendentis finem, vel alium eius actum imperatum; tamen eis ita positis voluntas proxime, & immediate libera non est ad electionem vnici medij, vel ad actum imperatum apponendum: quia intentione efficaci finis connexa de se cum ea electione, & actu imperatæ de se connexo cum imperato positis ex parte actus primi determinatur, necessitaturque ex parte actus primi voluntas ad electionem illam, & actum imperatum, imposque absolute ex parte actus primi, & antecedenter redditur ad illos omittendos: id autem ipsum facit in voluntate præfinito respectu actus præfiniti, etsi ponatur ex parte actus primi dependenter à dispositione libera voluntatis per alterum actum, vel per omissionem actus alterius: ergo ea solutione non saluatur proxima, & immediata libertas voluntatis respectu actus præfiniti posita præfinitione requisita ad illum, ipsique de se connexa, ac proinde absolute antecedenti ad ipsum operandum.

3. Tertio inde arguo: Præfinitio non relinquit immediatam, & proximam libertatem voluntatis ad actum præfinitum posita præfinitione requisita: ergo nec mediatam in vestris principiis. Præfinitio per vos essentialiter requiritur ad omnem actum, imo & negationem actus, ergo quiuis actus, vel negatio supponit ex parte antecedentis sui præfinitionem necessitantem ex parte actus primi absolute antecedenter voluntatem ad præfinitum: ergo nulla dispositio præuia etiam remotior, & remotior libera proxime, & immediate voluntati erit, posita præfinitione, vt nuper ostendimus. Vnde ergo actus vltimus præfinitus mediate liber erit, si remotiores, & remotiores, siue actus, siue negationes à voluntate præuiè & dispositiue positæ liberæ proxime, & immediate non sunt? Etenim libertas mediata actus posterioris ex proxima, & immediata anterioris debet prouenire: vt electionis medij vnici supposita intentione efficaci finis, ex huius immediata, & proxima libertate, & actus imperati ex libertate proxima imperantis; quam, si hi anteriores actus, & ad hos necessitantes non haberent, nec mediatam libertatem imperatus, & electio obtinuissent. Antecedens primum, quoad dispositionem præuiam positiuam voluntatis per actum quemuis constans apud aduersarios est. Asserunt quippe præfinitionem ad omnem voluntatis actum prærequiri. De dispositione autem negatiua contingenti idemtidem præfinitionem requirunt vt si à Deo cognoscatur infalliblliter; alioqui, si hæc in se, ac non in causa necessaria, seu præfinitione cognosci à Deo infallibiliter posset, & actus contingens absque præfinitione cognosci à Deo contra ipsos valeret. Tertiò Dei voluntatem non posse circa obiectum aliquod pure omissiue se habere plurium, imo omnium ex ipsis doctrina est, & huic de cognitione contingentiû in præfinitione, tanquâ in causa constanter suæ, valde conformis. Quartò de negationibus, quibus se voluntas disponat ad præfinitionem actus honesti, & meritorij vitæ æternæ debere esse ex præfinitione, seu voluntate efficaci Dei supernaturali certissimum est ex fide & horum principiis: Siquidem ea Dei voluntas est dis-

cretiua bene operantis à non operante, seu male operante v. g. credentis à non credente, cuius etiam remotissimum principium, & inchoatio, quæcumque sit, non, nisi ex misericordi Dei voluntate esse debet: omnis autem misericors Dei voluntas, quouis gradu, & modo conducens ad actus honestos meritorios in aduersariorum sententia est efficax, & præfinitio: ergo & negationis dispositiuæ ad præfinitionem actus honesti, & meritorij (v. g fidei) debet efficax Dei voluntas, & præfinitio. Cum autem ex hac præcedentia inferatur (vt nunc ostendebamus) actum ne mediate quidem liberum esse; fiet iuxta hanc solutionem, quam impugnamus, nullum actum honestum, etiam supernaturalem, & Theologalem, liberum adhuc mediate esse posse. Vnde infertur iuxta horum præsentem solutionem, & principia, neque esse posse meritorium: quo nihil magis absurdum, & Catholicis dogmatibus dissonum potest excogitari.

4. Sed iam assignatas liberas dispositiones nostras, à quibus præfinitiones operationum nostrarum in sui positione dependeant, singulatim refellamus, & primo liberam dispositionem per actum positivum, quam assignant Ledesma, Zumel, & Dauila. Etenim per hos ad omnem actum positivum voluntatis nostræ necessaria est præfinitio: ergo nullus actus esse potest, quo disponamur ad præfinitionem absque præuia præfinitione. Patet consequentia, quia implicat extra omnem actum esse aliquem actum: alioqui hic aliquis in cumulo omnium aliorum non est: ac proinde in cumulo illos omnes actus non sunt: quod suppositioni de omnium actuum nostrorum dependentia à præfinitione diuina contradicit: erunt enim hæc simul vera. *Omnis noster actus pendet à præfinitione, aliquis actus non pendet à præfinitione.* Iam vero cum actus ipse præfinitus posita præfinitione requisita ex parte actus primi, vt voluntas operetur, liber in se formaliter, & proxime liber non sit (vt vidimus nuper, & aduersarij hac solutione supponunt ad libertatem præuiè dispositionis positiuæ recurrentes, quam in actus præfiniti exercitio, & positione nequeunt inuenire) si nullus actus quantumuis anterior, & anterior absque præfinitione potest inueniri, vt ex aduersariorum dogmate alio demonstrauimus, sit plane nullam ad præfinitionem alicuius actus præuiam dispositionem liberam, siue aliquo actu præuio libero apponi à nobis posse. Contra secundo arguo deducendo aduersarios, vel ad processum infinitum anteriorum, & anteriorum actuum prius, & prius disponentium, vel ad dogmatis illius sui, *diuina præfinitio necessario requiritur, seu prærequiritur ad omnem actum nostræ voluntatis*, contradictorium. Etenim, vel ille actus, quo libere disponimur ad præfinitionem actus fidei, est non supposita Dei præfinitione, vel necessario ab ea supposita procedit. Si primum: ergo aliquis actus positivum esse potest, imo de facto est, absque supposita præfinitione: quod aperte vestro illi dogmati contradicit: *Omnis actus est, effegue debet ex præfinitione supposita; siue nullus actus est, esseve potest absque præfinitione suppositа.* Si secundum præterquam, quod liber ille actus in se immediate, & proxime non erit) supponet alium actum positivum, quo voluntas ad eius præfinitionem libere positiue disponatur iuxta hanc solutionem; alias, ne mediatam quidem libertatem, tam ipse, quam ipsum præuiè supponens actus fidei præfinitus habebunt. Rursus de tertio hoc actu, tribus retro gradibus præuio disponente, redintegratur interrogatio, & difficultas sit ex præfinitione actuali præuio dispositiue quarto gradu anteriori ad præfinitionem tertij actus, neene & sic in infinitum de anterioribus, & anterioribus actibus præuiè dispositiuis ad præfinitiones necessarias actuum subsequentium: nisi ad actum aliquem anteriorem deueniatur, qui ex supposita præfinitione non sit, & in quo dogma illud aduersariorum falsificetur. *Omnis actus necessario supponit, ac prærequirit diuinam præfinitionem*: quia qui eam non præ requirat, aliquis erit: vnde, cum eadem de vno, ac de reliquis actibus nostris, quo ad prænitionis requisitionem, vt à voluntate apponantur, ratio, & causa sit, fiet nullum esse actum, qui eam prærequirat: quare, & contraria hæc dogmati eorum propositio. *Nullus actus voluntatis nostræ diuinam præfinitionem requirit*: in qua tot illius contradictoriæ, quot sunt actus à nostris, & omnibus possibilibus voluntatibus, clauduntur. Denique, cum non possit esse actus vllus sine præfinitione ipsius, neque hæc sine actu præuio, infertur, non solum processus infinitus actuum, & præfinitionum, anteriorum, & anteriorum, sed & auxiliorum sufficientium (in quocumque illa aduersarij constituant) si actus præfinitus meritorius vitæ æternæ sit: quia sine auxilio sufficiente ad actum præuium præfinitioni ad actum meritorium impossibilis est hic actus, & sine sufficienti ad actum vlteriorem præuium præfinitioni actus præuij primi nequit esse ex actu præuio secundo, præuius primus, & sic in infinitum: vnde, vt absolute voluntas habeat in sua potestate præfinitionem ad aliquem actum debet habere in sua potestate infinita auxilia sufficienti, a sine quibus absoluta potestas non est.

5. Dispositio autem præuia negatiua ad præfinitionem actus libera voluntati, ratione cuius præfinitio illa à voluntate nostra pendeat (quæ nuper impugnatis Thomistis displicet, placet autem Cabreræ loco postremo) impugnatur. Quia, cum omissio illa præuia dispositiua ad præfinitionem actus, v.g. fidei, libera, vt præfinitionem habeat voluntas in sua potestate habere debet (vt nuper in simili dicebam) sufficiens auxilium ad actum omissionis illius; cum enim libertas siue ad actum, siue ad eius omissionem absque sufficiente ad vtrumvis potestate (quæ auxilio, siue adiutorio voluntatis sufficiente completur) esse nequeat: fit plane sufficiens adiutorium ad actum, cuius omissio libera præuia debet præcedere ad præfinitionem actus fidei, debere etiam voluntati adesse: ergo adesse voluntati debent infinita auxilia, siue adiutoria sufficientia ad infinitos actus, & omissiones præuias dispositiuas anteriores, & anteriores. Probo consequentiam: quia, iuxta huius solutionis doctrinam, vt actus in impedibiliter à præfinitione præcedente natura, & causalitate (& cui connexa de se est præfinitio est) libera præuiè disponens sit, requirit auxilium sufficiens ad actum omissum: ergo ad omissionem hanc vt libera sit, debet præcedere carentia diuinæ præfinitionis actus omissi: patet, quia huius præfinitione posita non est libertas, & potestas proxima voluntati omittendi illum, vt hæc solutio, recurrens ad præuiam libertatem dispositionis negatiuæ ad habendam præfinitionem actus præfiniti; supponit, & fatetur: ac proinde absque negatione præfinitionis actus omissi non datur absoluta proxima potestas voluntatis ad huius omissionem, quare neque auxilium, siue adiutorium sufficiens ad illam: sed posita carentia præfinitionis actus omissionis præuia, omissio hæc præuia non est in se proxime, & immediate libera: ergo vt libera sit voluntati, recurri in hac doctrina debet ad omissionem præuiam anteriorem alterius actus voluntati liberam, ratione cuius negatio præfinitionis, ac subinde præuia omissio, quæ effectus huius est, libera & absolute in potestate voluntatis sit: ac proinde quæ auxilium sufficiens, siue adiutorium ad actum illum, cuius omissio illa secundo loco anteriore debet præcedere. In qua, & anterioribus, & anterioribus in infinitum argumentum de auxiliis sufficientibus, & exercitiis libertatis voluntatis vlterius, & vlterius præcedentibus eodem modo, & robore instauratur. Quod autem posita carentia præfinitionis actus omissionis primæ præuiæ dispositiuæ ad præfinitionem actus alicuius (v.g. actus fidei) non sit proxime, & immediate libera eiusmodi omissio probatur facile contra ita respondentes. Quia posita præfinitione supponunt, ita respondentes non esse actum præfinitum in se immediate, & proxime liberum: quia de se se cum actu præfinito connexa essentialiter præfinitio est: ac proinde semel posita nullam proximam, & immediatam potestatem voluntati ad eius omissionem relinquit: quare neque absolutam ad actum præfinitum, quæ sine absoluta ad vtrumvis potestate esse nequit, libertatem: atqui negatio præfinitionis actus æque de se connexa essentialiter est cui eius omissione, seu negatione ipsius: ergo semel posita non relinquit voluntati immediatam, & proximam ad actum potestatem: quare neque ad eius omissionem, seu negationem quid, & consequens tantum modo necessitas afferretur,

nem, absolutam, & immediatam, seu proximâ libertatem. Ex hoc autem euidens est illata consequentia, quia, sicut defectu immediatæ, & proximæ libertatis voluntatis ad actum præfinitum semel posita præfinitione ad libertatem omissionis, seu negationis alterius actus præuiam dispositiue præfinitioni recurritur, vt absolute aliquo modo liber sit, actus præfinitus, atque in voluntatis potestate: ita, vt libera absolute aliquo modo, & in potestate voluntatis sit omissio, seu negatio actus semel eius præfinitione necessario sublata per negationem præfinitionis ad præuiam dispositionem negationis alterius actus liberæ, æqua negatio præfinitionis actus oppositi debet præcedere: ac subinde alia, & alia negatio præuia dispositiua ad anteriorem, & anteriorem negationem præfinitionis aliorum actuum, quorum omissiones ad negationes præfinitionum eorum vlteriores, & vlteriores in infinitum sunt.

6. Mitto alia plura, quæ contra hanc solutionem ex impossibilitate auxilij sufficientis hæc præfinitione inducta possent opponi: vnde alius infinitus processus præfinitionum vlteriorum, & vlteriorum aperte inducitur, cum ad libertatem dispositionis præuiæ, siue positiuæ, siue negatiuæ ad præfinitionem actus cuiuslvis requiratur præfinitio actus, siue præuiæ omittendi, siue apponendi, siquidem sine absoluta voluntatis ad actum, nequit esse ad illum, neque ad eius omissionem libertas absoluta, quæ in absoluta ad vtrumvis potestate consistit, sine præfinitione autem actus, cum auxilium sufficiens ad illum non sit (vt cert.11. ostendemus) neque erit ad ipsum sufficiens voluntatis absoluta potestas ad vtrumvis, neque ad ipsum, neque ad eius omissionem libertas: sed tandem discere ab illustrissimo Aluare, his præmissis, vellem quo pacto Deus offerat cunctis præfinitionem præderminatiuam honesti præsertim (de quo loquitur) actus efficaci auxilio necessario præcedentem? Cum enim omnibus non detur, non offertur absolute cunctis: offeretur ergo illis conditionate, si se præuie alio actu positiue, vel actus alicuius omissione negatiue, libere tamen, disponant ad præfinitionem à Deo obtinendam: quare alterutra dispositione præuia non opposita in culpa sint, cum illam à Deo non habent, vidimus autem in infinitum regrediendo neutram earum dispositionum liberam esse posse. Neque assignari potest actus præuius bonus positiue disponens ad præfinitionem actus alterius boni, qui præfinitione alia opus non habeat; actus vero malus, nec de se dispositio ad præfinitionem actus boni est, neque ex Dei lege, & præstituto esse potest. Eademque de causa, neque omissio alterius actus boni, ad actus honesti præfinitionem negatiue potest disponere, in actus vero mali omissione processus similis infinitus infertur. Præterquam quod, neque actus bonus, neque actus mali omissio naturalem connexionem cum præfinitione actus alterius boni habet: nec Dei pactum de concipienda præfinitione actus honesti, v. g. fidei, vllo scripturæ, aut Patrum fundamento dicetur. Deinde, cum nullum extet præceptum de eliciendo opere bono non præcepto, nec Dei pactum præficiendi actum fidei, si eliciatur, quo pacto illius omissione in culpa fuit, is, cuius actus fidei præfinitus non est, non habendi præfinitionem ad illum? Similiter, qui actum malum alium exercuit, etsi in culpa fuerit exercitio illo contra virtutem, cui actus ille opponitur; cum tamen, neque actus illius omissioni annexa, vel ex natura rei, vel ex Dei præstituto sit præfinitionis ad fidei actum negatio, sicuti neque actui ad fidem præfinitio (vt contentiæ actum adfuit in aduersariorum sententia, cum nihilo melior, sed peior fortasse socio malo latrone incredulo, & impenitente fuisset) non ideo, quia alius actum bonum omisit, vel malum quis exercuit infallibiliter alterius fides præfinita est: sed quia ita suæ gratiæ, & electionis ad bonum, seu præfinitionis Dominus Deus est, vt neque ante acta peccata ipsum præpediant ne præfiniat, seu eligat; neque præexercitæ virtutes, ipsum obligant, & quasi iure retinent, vt actum bonum vlteriorem præfiniat. Et sane in præfinitione primi actus boni, & negatione præfinitionis ad illum præuiè omnes dispositiones, siue positiuæ, siue negatiuæ ad illam, vel obtinendam, vel non obtinendam exterminantur. Siquidem absque vlla præuia dispositione, siue bona, siue mala positiua, vel negatiua actus bonus à Deo præfinitur (loquimur in horum doctrina) in vno, non præfinitur in alio, sed potius permittitur peccatum, vt de Iacob, & de Esau aiebat Paulus: *Antequam quidquam boni egissent, aut mali.* Ex quibus, & plus satis, confutatus manet Zumel supra asserens eum, qui peccat potuisse obtinere, ac disponi ad præfinitionem actus boni, quo non peccaret, seu conuerteretur, per voluntatem, cessando à negotiis sæcularibus, & attendendo serio ad periculum status peccati.

7. Verum ad Theologicas contra hanc solutionem rationes, veniamus, quarum vim vltima hac impugnatione, etsi presse, attigimus tamen, fusius hic ostendam. Cuius ostensioni præmitto dogma Theologicum contra Pelagij, & reliquiarum eius errores: quoduis nempe initium & inchoationem qualemcumque ad opus supernaturale, & quouis gradu ad gratiam, & salutem conducentem ex viribus naturæ solis, ac sine misericordi Dei voluntate, & supernaturali (saltem quo ad modum) auxilio esse minime posse. Hoc quidem ex Patribus, Conciliis, & Catholicis Theologis statuebam tom.1. de ente supernaturali (qui totus de ente supernaturali in genere, ac de supernaturalibus habitibus, gratia cum auxiliante, tum iustificante, ac merito erit, ac Deo dante post præsentem tomum prælum adibit) interim videanturnostri Vasq.1.2. tom.2 totis. disp.189.& d.190. qui ad hanc rem scripturæ Patrum, Conciliorum, Theologorum, & rationum Theologicarum momenta stupenda eruditione, & argumentatione congessit, & instruxit: & Ioann. Martines de Ripalda d.17.de ente supernatur.sect.1.n.4.& sect.3.& 4. sufficiant nunc Concilij Arausicani.2. verba quibus Semipelagianorum error damnatur can.6. scilicet *Vigilantibus, petentibus, quærentibus, sine auxilio gratiæ adiungi misericordiam Dei* (ecce præfinitionem, vt vis, diuinam) *& gratiam.* Hinc infero: ergo in potestate homicis non est adquirere per præuiam positiuam dispositionem, præfinitionem, seu misericordem Dei voluntatem primam ad primum actum bonum per aduersarios requisitam. Probo consequentiam. Si illa præfinitio acquiratur per actum præuium disponentem ad illam, actus hic præuius, vel erit à misericordi Dei voluntate, quæ apud te est præfinitio, vel prorsus absque illa, ac proinde viribus naturæ. Si primum: ergo præfinitio illa, ad quam actus præuius disponit, nec prima est, neque actus illa præfinitus primus actus contra suppositionem erit, sed præuius disponens, eiusque præfinitio, in quo & reliquis in infinitum argumentum instaurabitur. Sin autem, vt adeo proxima, & aperta absurda vites, dicas secundum, expresse Paulo aduersaris dicenti ad Ephes.2. *Donum enim Dei non est ex operibus naturæ*, de quibus ibi agebat. Secundò, ergo iam prima illa misericors, & gratuita Dei voluntas, ex qua gratiæ auxilium (in quocumque stet) gratuitum, neque auxilium gratiæ, vt aiebat Paulus ad Roman.11. scribens. *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Tertiò: Dei voluntas misericors spectat, sequiturque posterior nostræ voluntatis operationem viribus propriis absque Dei gratuita præfinitione, ac subinde auxilio gratiæ elicitam, cuius oppositum defuit Arausicanum 2. can. 4. & statuit Paulus ad Roman.11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Id emphatica interrogatione vniuersim negans. Quartò ergo iam misericors Dei voluntas, & gratia volentis, atque currentis erit, non Dei miserentis contra illud Pauli. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quintò, ergo voluntas nostra libertate sua consequitur Dei voluntatem misericordem, & gratiam contra illud Augustini de corrept. & grat.c.1.2.& 8. *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Sextò, ergo cum per illam præfinitionem, & misericordem Dei voluntatem discernatur fidelis ab infideli, & tandem prædestinatus à reprobo, si ea in præuie disponentem actum ad illam viribus naturæ elicitum refundenda, iuxta hanc doctrinam sit, in ita se disponentes tandem eorum ab aliis discretio reducetur. Et vbi est illud Pauli, quod doctrinæ nostræ inaniter, suæ vero raucitati vtiliter inclamant:

Quis est, qui te discernit ? septimo cum præuium actum disponentem ad præfinitionem infallibiliter sequatur, horum sententia, præfinitio, & hanc sequatur infallibiliter auxilium efficax, atque hoc immediate, infallibiliter, actus præfinitus, si hic contritionis, seu perfectæ charitatis sit, cui annexa etiam necessario est iustificatio, infertur: posse nos viribus naturæ disponi, & adquirere infallibiliter cum auxilium gratiæ efficax (si ita acquisitum gratia foret) tum etiam gratiam iustificantem quod non modo Semipelagianum sed & Pelagianum est.

8. Octauo: iuxta horum doctrinam, actus mediate solum liber ratione actus præuij, qui in se formaliter proxime, & immediate liber est & nil meriti supra meritum præuij illius actus addit (vt constat de actu imperato, siue interno, vt actus fidei ab affectu efficaci credendi, & alij affectus voluntatis imperati efficaciter ab aliis, & electio vnici medij ex intentione efficaci finis de externo: atqui iuxta huius solutionis doctrinam actus præfinitus solum est, vt summum, mediate liber ratione libertatis proximæ dispositionis præuiæ ad præfinitionem, vt vidimus num. 2. ergo nil meriti affert, apponitve de suo supra meritum præuiæ dispositionis. Tum sic ergo actus supernaturalis præfinitus non est absolute meritorius, iuxta secundum membrum dilemmatis ab aduersariis admissum, quod impugnamus; quod absurdissimum est. Probo consequentiam: Actus mediate liber nil affert vel habet meriti supra meritum actus præuij, ratione cuius libertatis, mediate liber est; sed actus præuie disponens præfinitionem actus supernaturalis, iuxta secundum membrum dilemmatis ab aduersariis admissum, nullum habet meritum: ergo nec actus supernaturalis præfinitus aliquid meriti habet. Minor probatur, quia, iuxta secundum dilemmatis membrum, quod insectamur, actus ille præuiè disponens est ex viribus propriis, & naturalibus nostræ voluntatis, & absque præfinitione illius, atque à Deo absque auxilio gratiæ Dei necessario ad operandum: at nullus actus ex viribus naturalibus absque auxilio gratiæ est meritorius iuxta definitiones Concilij Arausicani, & dogma Theologicum & fidei: ergo actus ille præuie disponens ad præfinitionem actus supernaturalis, & ratione cuius libertatis hic mediate liber est, meritorius non est. Si dicas actum illum præuium esse ex voluntate misericordi, & gratuita Dei, quæ tamen præfinitio non sit, ac subinde ex auxilio gratiæ, & si de se non prædeterminante, & efficaci: quare, & esse supernaturalem, & meritorium: iam admittes contra tuam doctrinam, præfinitionem, & subinde tuam prædeterminationem non esse necessariam vniuersim, & simpliciter ad operandum, nec solum ad posse, sed & ad operari: siquidem aliqua operatio de facto à te admittitur absque præfinitione. Imo fateri cogeris ad nullam operationem, etiam supernaturalem, requiri: quia in eo actu præuio absque præfinitione prædeterminatiua infringuntur omnia adeo difficilia, vt putas, & pugnantia contra dogmaticam arbitrij libertatem argumenta. Primum debita subordinatio causæ secundæ ad primam in operando secundum prima determinatio primi liberi, qualis est Deus, ad secundorum determinationem. Tertium indifferentia principij, à quo tamen fit actio determinata. Quartum eleuatio naturæ vltra vires suas ad ordinem gratiæ. Quintum, quod, *vt faciamus faciat Deus: & operetur in nobis, & velle, & perficere.* Sextum, quod nihilominus à non se disponente actu præuio supernaturali ad præfinitionem discernat Deus, neque se hic discernat ab illo. Hæc siquidem omnia saluari ab aduersariis, si ita respondeant, omnino debent, vt actus ille præfinitioni præuius, & supernaturalis à misericordi, & speciali Dei voluntate, & supernaturali auxilio gratiæ inde orto de se tamen non connexis cum eo actu præuio, neque vllatenus ad ipsum nostram voluntatem prædeterminantibus, absque præfinitione, & auxilio de se se efficacibus à nostra voluntate apponantur. Quod quidem in nostram sententiam de efficacia voluntatis diuinæ, & auxilij gratiæ extrinsecus desumptam ab effectu, recidere prorsus est. Siquidem illa Dei voluntas, illudque auxilium, cum effectum sortiatur efficax aliquo modo est: quin alias, quam per denominationem ab effectu ipso extrinsece desumptam esse possit. Inde vero & scientiam Dei de futuris contingentibus absolutis, & conditionatis in seipsis, ac non in causis, aut conditionibus eorum admittere necessarium consectarium est. Iamque (quod faciendum tandem spero) vtriusque de rebus hisce scholæ concordiam habebimus.

CERTAMEN IX.

Ex impij iustificatione vlterior eiusdem solutionis impugnatio.

1 RVrsus à capite præuiæ dispositionis liberæ ad præfinitionem (siue ea naturæ viribus, siue ab auxilio gratiæ, & misericordi Dei voluntate de se non efficacibus proueniat) solutionem impugno: quia ponamus præfinitum actum esse actum contritionis, quo peccator ad Deum conuertitur. Tunc, ne in infinitum abeamus, actus præuius proxime ad præfinitionē, & prædeterminationem contritionis à Deo. Erit dispositio vltima ex parte nostræ voluntatis, quam iuxta solutionis huius doctrinam infallibiliter sequatur contritionis præfinitio, & inde prædeterminatio, & contritio, & exinde iustificatio impij ab ea inseparabilis: ergo actus ille præuius erit dispositio, infallibilis, & quæ absolute ponat impij iustificationem extra Sacramentum, quod est inauditum: tantundem enim est esse immediatam & vltimam dispositionem ad id, quod inseparabile est ab alio, atque esse dispositionem ad illud. Id quod de actu præuio ad auxilium efficax (de quo non disputamus, in quo consistat, & in quo aduersarij eadem solutione vtuntur) immediatius concluditur. Confirmatur consequentia: quia non alia ratione Deus dicitur nobis dare contritionem, nisi quatenus iuxta hos Doctores præfinit illam, & iuxta omnes Doctores auxilium efficax (in quocumque stet) & operaturum donat, infallibiliter cum contritione coniunctum. Item qui dat formam dare consequentia necessario ad formam, in physicis, & moralibus dogmaticum apud Philosophos, & Theologos proloquium est. Contra secundò illatione quæ consequentiæ illius absurditatem magis prodit. *Ergo qui lethali culpæ subiacet, si bene sufficienti vtatur auxilio, præsto ei aderit auxilium efficax, & cum eo gratia iustificans.* Quæ propositio, etsi admittatur, vt doctrinæ huius consectaria conceptis verbis à Franc. Dauila dominicano supra citato pag. 55. & 71. quam sit absurda sic ostenditur.

2. Præuius actus ex bono vsu gratiæ sufficientis præfinitioni contritionis perfectæ, auxilioque efficaci adillam, & contritioni congruentior, atque natura sua accommodatior assignari, excogitariue non potest, quam attritio ex auxilio gratiæ sufficientis & motiuis, ex quibus ad sacramentum pœnitentiæ concipi debet. Est siquidem de peccatis præteritis detestatio efficax, ac proinde propositum efficax pro tunc de cætero non peccandi virtute saltem claudit: in quo affectu peccatorum illecebræ, illices Lenocinia, & pellicatus ex motiuis fortioribus, & superioribus deuicta, despectaque à voluntate sunt: quo scilicet expeditius, faciliusque voluntas ob immensam summe diligendi Dei bonitatem, & beneficentiam munificentissimam detestationem, & propositum idem repetat, atque experimur quidem ob præfatam congruitatem, & proportionem attritionis præfatæ ad contritionem perfectam de peccatis ad hanc peccatores semper, & quasi ex ordinaria diuinæ, etiam supernaturalis, prouidentiæ lege disponi; ergo semper de ea lege ordinaria bono vsu sufficientis auxilij in actu præuio disponente ad præfinitionem, & auxilium efficax ad contritionem, bonus vsus auxilij sufficientis in actu attritionis secum reliqua sequentia deuoluit: vel saltem quotiescumque peccator concipit animo ex auxilio sufficienti gratiæ attritionem, ponit actum præuium omnium excogitabilium congruentissime disponentem præuie ad contritionem, auxiliumque efficax ad illam, & illius præfinitionem. Atqui posito actu præuio disponente ex bono vsu gratiæ sufficientis ponitur per se, & infallibiliter, per vos præfinitio contritionis, sine qua auxilium efficax ad illam

poni nequit, auxilium efficax contritio, & eius affecta individua gratia iustificans: ergo quotiescumque etiam extra Sacramentum est attritio de peccatis in peccatore per se necessario, & infallibiliter est etiam de eisdem contritio, & iustificatio. Hoc autem præter quotidianam experientiam aduersam expresso contradicit Tridentino dicenti sess. 14. cap. 4. *Attritionem sine Sacramento Pœnitentiæ per se non posse peccatorem ad iustificationem perducere.*

3. Et sane si attritione extra Sacramentum ad contritionem perfectam, & iustificationem perduceremur per se infallibiliter peccatores Christo Sacramentum Pœnitentiæ instituenti, ac nobis Sacramentalem Confessionem adeo difficilem præcipienti, obedientiam quidem, ast non gratias deberemus: pondus siquidem ea nobis esset non subsidium. Quarto, nec verum esset vllo sensu in Sacramento Pœnitentiæ ex attrito fieri peccatorem contritum, vt idem Tridentinum ait; Cum formalem contritionem (independenter à Sacramento præuia offerat infallibiliter attrito. Nec quo ad effectum iustificationis, qui in dependenter etiam à Sacramento Pœnitentiæ contritionem præuia attritione adductam consequitur. Quinto, cum præfinitio contritionis, contritio, & gratia iustificans, seu formalis iustificatio ex præuia attritione disponente simul necessario apponantur nunquam iustificatio impij virtute Sacramenti, & absolutionis, quæ eius essentialis forma est, adhuc comitâter peragetur, quod est contra fidem, vt Docte probat Vasq. de Pœnit. q. 84. art. 3. dub. 1. à n. 5. contra priscos, & recentiores Hæreticos solita eruditione Patrum, & Conciliorum, præsertim Tridentini sess. 14. cap. 1. & 6. & can. 3. 9. & 10. Assumptum probatur: quia absolutio post Confessionem peccatorum dolorosam tempore, & duratione successiua: ac proinde post attritionem, quæ in eodem instanti antecedenti absolutionis inchoationem (ne dum perfectionem necessariam, vt tam ipsa, quam Sacramentum, quod constituit confitentis iustificationem operentur) præfinitio contritionis, & iustificatio infallibiliter simul adest: ergo cum absolutio, & Sacramentum Pœnitentiæ peragitur inuenit impium iustificatum, atque peccatis anteacta duratione solutum, & absolutum: ergo nec eum iustificat, neque à peccatis soluit, seu absoluit. Quid ergo restat iuxta horum solutionem, quam impugnamus, nisi clauium potestatem cum VVicleffo, Luthero, Melanchthone, & huius Farinæ Molinatiis, ne Catholicissimæ Molinæ nostri doctrinæ consentiatur, Ecclesiæ denegare?

4. Sexto: quia, cum omnes bene instructi fideles sciant Confessionem Sacramentalem, non historicam solum, sed dolorosam de peccatis esse debere, antequam ad Sacramentum accedant (ni temere accedant) dolorem saltem attritionis debent concepisse, & se habuisse iudicare: quare Ecclesiæ totius praxis est hortari peccatores, vt antequam peccata sua pœnitentiæ Sacramento expiaturi ad Confessionem se præparent, non solum ante actorum peccatorum recogitatione matura, sed in primis efficaci, & quam maximo, gratiæ auxilio, possint peccatorum dolore saltem attritionis; quam ni præconceptam à se iudicent Sacramentali Confessione abstineant, eos horramur, si ergo ante Confessionem Sacramentalem attriti esse debent, ac subinde iuxta hanc solutionem iustificati, vel saltem contritos se credere, ne temere accedant, multo ante Confessionem, ne dum absolutionem tempore iustificati erunt à peccatis, vel saltem se iustificatos credent, qui non temere ad illam accedunt. Ex quo septimo arguo. Cum enim cum hoc iudicio firmo de sua attritione, & debita dispositione ad accedendum rite ad Confessionem Sacramentalem cum fide absoluta, & spe certa suæ à peccatis iustificationis per Sacramentum obtinendæ nequeat accedere: fiet, neminem, qui de suo dolore, attritionis adhuc, de peccatis suis dubius non sit, posse cum ea Spe, & Fide absolutis, formalibus, vel virtualibus, accedere: cum autem hæ etiam dispositiones necessariæ ad Sacramentum Pœnitentiæ per omnes Theologos sint, & cum iudicio illo firmo de dolore suo saltem attritionis de peccatis sint incompossibiles, fiet neminem cum omnibus dispositionibus necessariis posse, ad Sacramentalem Confessionem accedere; quod est absurdissimum, temerarium, errorique proximum.

5. Nec satis hæc in contritione, ad quam pœnitentes, antequam ad Sacramentalem Confessionem accedant, hortamur instari possunt: quia neque iudicium firmum de ea, neque ipsa, vt dispositio requiritur, vt cum absoluto actu fidei, & spei de iustificatione à peccatis per absolutionem recipienda, quæ altera dispositio est, pugnet; neque adeo facile, & frequenter contritio de peccatis concipitur, nec iudicium firmum de habita contritione perfecta concipi potest; quin certos nos de eius existentia in hac vita, nisi ex Dei reuelatione, esse non posse, dogma fidei proximum est: cum non posse nos esse, nisi ex Dei reuelatione de nostra iustificatione certos definitum in Tridentino sit satisque illis verbis, *nemo scit vtrum amore, an odio dignus sit?* Declaratum: de attritione vero de peccatis ob pœnas à Deo in alia vita, (& si læthalia peccata fuerint, ne nos de ipsis pœniteat, æternum) infligendas, certi esse possumus, & frequenter certissimi: ergo infertur non posse nos credere, aut sperare absolute iustificationem à peccatis per Sacramentalem Confessionem.

6. Minus præstat, satis esse fidem, & spem conditionalem: sicuti, cum quis cum iudicio probabili de sua contritione accedit. Tum, quia cum certus est absolutè de sua attritione, illa fides & spes, pro tunc, essent de conditione impossibili sibi nota in hac doctrina; scilicet si non sim iustificatus; cum tamen certo sciat se iustificatum accedere: quod non euenit, cum quis contritus (quod ipsi, vt diximus certum non est) accedit: quare optimè potest fidem, & spem prudenter concipere de sua iustificatione per Sacramentalem Confessionem & absolutionem si non accedat contritus, & subinde iustificatus, quod sibi naturalibus viribus, seclusa Dei reuelatione, ignotum omninò est, & incognoscibile. Nolo vero huic disparitati de certitudine attritionis, ac subinde iustificationis impij, qui attritus ad Sacramentalem Confessionem accedit: quare & certus de ante acta sua iustificatione, iuxta horum doctrinam, atque de impossibilitate certitudinis pro tunc conditionis, sub qua crediturus, spectaturusque erat instantiæ huius repulsa innitatur: quia certa cognitio attritionis ab aliis controuersiarum decisionibus, non adeo apud omnes certis, pendet: Nempe: an possit esse attritio vera ex auxilio naturali, quo ad substantiam, & solum supernaturali quoad modum? ac proinde & ipsa quoad modum solum supernaturalis: quare nec omnium sententia possit naturaliter certo, & euidenter ab eam habente cognosci? Ac rursus: an, etsi supernaturalis quoad substantiam attritio sit, atque obinde ex auxilio eiusdem ordinis necessario prouenens, tamen naturaliter ex suppositione quod sit certo, experimentali euidentia, ab eo cognoscatur, cognoscique possit qui eam concepit? Cum enim circa hæc duo controuersia inter Authores versetur, etsi attritionem ad Sacramentalem Confessionem necessariam, atque ex auxilio gratiæ necessario concipiendam, solum, quoad modum supernaturalem, & naturalem, quoad substantiam, sicuti & auxilium ad eam requisitum iudicem, ac proinde certo, euidentia experimentali, ob eam habente cognoscibilem, imò & ab experientia ita cognitam recognoscam: tamen, vt dixi solutionem, & instantiam hanc nolo ex solum probabilibus, adhuc vero similioribus, reiici, cum euidenter possit reiici, & confutari.

7. Sic igitur eam impugno. Etiam si certus quis de attritione, qua se ad Sacramentalem Confessionem præparauit non sit, tamen non posse eum absque iudicio probabili, & prudenti de sua attritione ad Sacramentalem Confessionem ritè, ac non temerè, accedere certissimum est. Sed ita accedens nequit habere fidem, & spem, adhuc conditionalem de sua à peccatis iustificatione in solutione principaliter impugnata, virtute Sacramentali Pœnitentiæ: ergo nulla est instantia, & solutio ex accedente contritio ad Confessionem Sacramentalem cum fide, & spe conditionalis de iustificatione sua per Sacramentum. Antecedens probatur: quia fides, & spes conditionatæ sub hac conditione erunt: *Si non sim, accedamve iustificatus à peccatis confitendis virtute Sacramenti ab eis iustificabor*: Hæc autem conditio in præcipua solutione, quam impugnamus, huic omnino æquiualet: *Si non accedam adhuc attritus ad Sacramentalem Confessionem virtute Sacramenti à peccatis anteactis iustificabor*: Cum in hac solutione præuie attritum, ac non contritum, &

iustificarum accedere sit impossibile: atqui iudicium illud conditionatum est erroneum, & Hæreticum: ergo non est fides, nec ipsum secuta spes Theologica, sed præsumptio Hæreticalis. Minor est certa: Siquidem, qui nec attritus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit virtute illius non esse à peccatis iustificandum fides Catholica est. Ex quo præoccupatur euasio alia: quod scilicet si certus non sit de sua attritione possit credere, & sperare absolutè se per Sacramentalem Confessionem, & absolutionem esse à peccatis iustificandum: si enim de facto attritus sit, & obinde iustificatur, licet incertitudo iudicij de sua attritione, & iustificatione locum fidei, & spei Theologicæ, (ni aliunde tunc repugnarent,) de sua à peccatis iustificatione virtute Sacramenti faceret; aſt tunc inde absoluta fides, & spes illa repugnant: quia tunc iudicium illud falsum esset; scilicet à peccatis iustificandum, & absoluendum virtute Sacramenti, qui ante illud prioritate naturæ, & temporis quandoque non exigui, iustificatus, & solutus in aduersariorum doctrina, & est, & supponitur: siue ergo certus quis, siue incertus de sua attritione sit, cum ad Sacramentalem Confessionem rite præparatus accedit, cum fide, ac spe iustificationis à suis peccatis virtute Sacramenti obtinendæ, siue absolutæ, siue conditionali, siue explicita, siue implicita (quæ explicitæ, seu formalis possibilitatem supponit) nequit accedere; cum tamen aliquo ex his modis id credens, & sperans accedere necessario debeat.

8. Neque vero plura, quæ dedimus cert. 8. contra solam dispositionem præuiam positiuam præfinitionis per actum positiuum, qui nostræ potestatis sit, & ratione cuius nostræ tantum libertati præfinitionis positio subiiciatur, militant: nam & negatiuam dispositionem nostram liberam præfinitioni præuiam æquo ferè impetu arietant. Etenim negatiua illa dispositio alicuius actus præuij libera omissio erit, ac proinde tentationis ad actum illum prauum in ducentis victoria: quæ Dei proinde gratiam auxiliantem, & efficaciter ab eo auertentem, & præfinitionem proinde in ea quidem sententia semper supponat, omnium vero opinione, si grauis tentatio sit: Vnde infinitus processus contra istam dispositionem negatiuam, & reliqua consectaria inferuntur. Sed quoniam solus Cabrera supra citatus hanc dispositionem negatiuam citatus ex Thomistis est: ex eius mente absurda aliquot notanda hic sunt: ait supra, *quam dispositionem ex se inchoat voluntas*: & num. 476. *Auxilium efficax incipere à nobis dispositiue: quia determinatio*, seu prædeterminatio, *dependet ex libera dispositione nostræ voluntatis negatiua; licet effectiuè sit à solo Deo.* Et rursus talem esse hanc dispositionem ait: *Vt illa posita infallibiliter sequatur determinatio Dei, & sine illa nunquam sequatur.* Atque hanc causalem admittit: *Quia voluntas se disponit ad talem actum, ideo Deus per auxilium efficax ad illum eam determinat.* Ex his autem infertur dispositione hac præuia negatiua propriis viribus nostris, iuxta hunc Authorem, à nobis posita, & imperfectiore quauis dispositione positiua initium salutis, & prædeterminationis ex nobis, & à nobis esse nostramque voluntatem expectari à Deo, vt suam misericordiam erga nos apponat, & sua nostram sequatur: quare gloriandum esse iusto prædestinato, quod se ab impio, & reprobo tandem discernat, aliquidque habeat ad prædestinationem conducens, quod non acceperit: quare, & quod nostræ naturalis potestatis sit præfiniri, ac prædestinari ad bonum: Siquidem iuxta Augustinum 1. determinationum capite 22. & iuxta rationis naturalis lumen, *id est, in nostra potestate, quod, cum volumus facimus.*

CERTAMEN X.

Dependentia alia præfinitionum ab exercitio libertatis nostræ à Thomistis excogitatæ præciditur.

1. PRæuiis dispositionibus liberis nostris ad præfinitiones à Deo obtinendas malè nos dispoui posse animaduertentes Thomistæ præfinitiones diuinas, non aliter bene cum nostra libertate componi, æstimarunt tandem, ni eas à liberis ipsis actibus per illas præfinitis dependentes assignarent. Idque, ne nobiscum, (vt verba asserti huius sonant,) omnino consentiant, variis etiam modis explicarunt. Primus est; Præfinitiones suas, cum de sese connexæ cum actibus præfinitis sint, non posse esse sine illis, tanquam necessariis suæ essentialis connexionis terminis: ac proinde earum quamuis à suo actu contingenti, & libero præfinito, quare, & à nostræ in illo edendo exercitio libertatis in sui existentia, & positione pendere: cum nil aliud vnius ab alio dependentia sit, quam in se sine illo consistere non posse. Cæterum dependentia hæc præfinitionis ab actu præfinito non tuetur, sed potius destruit actus libertatem. Patet, quia de essentia causæ liberæ est posse operari, vel non operari positis omnibus requisitis ad operandum, vt cert. 1. statutum abundè ab authoritate & ratione est: sed hoc pugnat cum dependentia cuiusvis è requisitis ab effectu suo ratione essentialis connexionis requisiti illius cum ipso: ergo hic modus dependentiæ præfinitionis requisitæ ad actum, seu effectum ratione connexionis cum illo non tuetur voluntatis nostræ, sed potius destruit, libertatem. Minor probatur: quia ex dependentia requisiti ad operandum à sua operatione, & effectu, tanquam à termino essentialis connexionis, quam habet, fiet necessario vt requisitum illud poni repugnet, quin operatio, & effectus ponatur: ergo quin repugnet eo posito non esse operationem, & effectum præfinitum, ac proinde esse eo posito potestatem operandi, vel non operandi, quod ipsum est potestatem liberam esse: ergo modus hic dependentiæ causæ à suo effectu, tanquam à termino essentialis suæ connexionis cum ipso, destruit potius libertatem causæ, quam eam tueatur, atque ipsa causæ liberæ definitione ab ea secluditur. Confirmatur: Siquidem ea solutione generatio Filij, & Spiritus sancti processio in diuinis liberæ hoc stricto libertatis genere, de quo hic agimus essent: contra omnes, non solum Thomistas Dominicanos, & Iesuitas, sed Scotistas, qui libertatem eis, non strictam hanc, sed aliam laxiorem solummodo concedunt. Item causæ omnes naturales, & contra liberas diuisæ, eorumque effectus, & liberæ, & liberi iuxta hanc dependentiam ratione connexionis essentialis cum ipsis ab eis, tanquam à terminis, proculdubio forent. Tertio: Beati posita visione Dei in eo amando, & Christi humanitas, posita hypostatica vnione in non peccando libera esset contra aduersarios. Nec refert præfinitionem actus liberi esse illius, vt liberi præfinitionem: quare, & cum eis, vt liberis connexionem habere; quod in effectibus causarum naturalium, locum non habet: id enim vt in terminis implicans ex definitione eadem causæ liberæ diiectum à nobis est certam. 6. à num. 6.

2. Illustrissimus Herrera Dominicanus, dum primaria sui ordinis Cathedra in Salmanticensi Academia dictaret Manuscripto de auxiliis aliter dependentiam prædeterminantis auxilij (& idemtidem prædeterminatiuæ præfinitionis) quam ratione connexionis cum actu prædeterminatiuè præfinito, ab ipso actu componere tentauit: nempe inter præfinitionem, & actum præfinitum mutuam prioritatem, & antecedentiam naturæ, & causalitatis, ac subinde mutuam dependentiam, in diuerso tamen genere, excogitauit. Vt scilicet actus prædeterminatiuè præfinitus in genere causæ materialis, vti necessaria ad prædeterminationem dispositio physica præcedat: quare & ex parte ipsius Deum

Deum ad præfinitionem, ex qua prædeterminatio apponenda est sua physica exactione mouens quemadmodum, & reliquæ formarum aliarum dispositiones; præfinitio vero actus ipsius, & ad illum prædeterminatio in genere causæ efficientis antecedat: Sicque dependentia alterius ab altero mutua, in diuerso tamen genere, iuxta plurium sententiam in aliis multis admissam. Placuit solutio Magistro Zumel 1. opusculor. d. 4. sect. 2. titulo, *Conferentia difficultatum.* Cuius, sine plausu, etiam meminit Magist. Lorca d. 21. de grat. fin. Acerrimusque extat impugnator Soarez noster tom. 2. de grat. qui est de auxiliis, lib. 5. cap. 20. num. 3. Et primo quidem contra hanc solutionem pugnant omnia argumenta, quibus in physicis tract. de causis controuers. de causarum virtute d. vltim. ostendimus causas, quæ absolutam sui existentiam supponunt, vt causent, & moueant sibi inuicem causas esse nusquam posse; est inter eas, quarum omnes existentiam absolutam, vt causent, non requirunt, vt in efficienti, & finali contingit mutua causalitas, prioritas, & dependentia possit intercedere: imo & de facto intercedat, ac debeat. Cum enim finis non causet quia est, sed, vt sit, debet causam, à qua vel proximè efficienda est, vel proximum sui agens apponendum est, atque apparandum sua bonitate solicitare, & intentionaliter mouere, vt sua existentia donetur; quin eius existentia ad quam, sed qua non mouet vllatenus ad seipsam supponatur, & repugnanter præcedat: quod in causalitate mutua causarum, (etiam generis diuersi,) quarum quæuis ad causandum absolutam sui existentiam requirit omninò absolutè infertur, impossibile: æquè, ac si in eodem genere sese causarent vicissim: imò ni eiusdem generis causæ sui existentiam absolutam vt se mutuo causarent requirerent, ac subinde repugnans præcedentia existentiæ vniuscuiusque ad seipsam absolutè inferretur, nihil obstaret, quominus à se inuicem causarentur. Sed de his affatim citata controuersia, & loco physicorum. Nunc, ea mutua causarum in diuerso genere aliarum ab aliis dependentia permissa, aliunde præfatam solutionem impugnemus.

3. Et in primis libertas causæ ad genus causæ efficientis spectat, & subinde libertas actus secundi in exercitio, & operatione, qua actio, & ab agente, non qua passio, & à patiente prouenit, sita est: vti ex ipsa causæ, & potentiæ liberæ definitione, scilicet potestate agendi, vel non agendi manifestum est; & pati quidem solum nullam dicit passi, vt patiatur, vel non patiatur, in id, quod passurus, vel non passurus est, potestatem viuam, & dominatiuam; & si mortuam, & subiectam ei, à quo pati potest, dicat indifferentem capacitatem: ergo actus præfinitus vt libera dispositio sit ex parte voluntatis ad præfinitionem, actiuè debet prouenire à voluntate, nec solum passiuè illam recipiendo: ergo in eodem genere agentis physici, & præfinitio, & actus præfinitus se inuicem causant, naturaque, & causalitate præcedunt; quod iuxta aduersarios, Theologos, & Philosophos omnes repugnat. Secùdo, vel voluntas se sola, non solum receptiuè, seu passiuè, sed actiuè etiam, vt libere apponat, seque ad præfinitionem actus ipsius, & auxilium efficax disponat, per solas suas vires actiuè etiam, & libere illum apponit, ac se disponit: & tunc recurrunt omnes contra semipelagianos Canones, & damnationes ab Arausicano, & aliis Conciliis, & Patribus editæ. Sin autem actiuè, vt ad liberam, actus positionem, ac dependentiam proinde præfinitionis ab actus libertate in genere causæ materialis dispositiuè, quam exercitam supponat pro priori aliquo naturæ, ne illam euertat, oportet, vt non à sola voluntate, sed à præfinitione prædeterminatiua ponatur: ergo præfinitio ad actum, vt libere disponit voluntatem ad ipsam, necessario debet præcedere. Siquidem ex ea parte, qua libera ea dispositio ex parte voluntatis est, actiuè debet, vt diximus procedere: nequit autem per vos de facto poni actiuè, nisi præfinitio de facto præcedat: ergo, vt se libere voluntas passiuè disponat ad præfinitionem, & auxilium efficax, non potest non præfinitionem actus supponere, & auxilium efficax in quocumque stet: etsi enim vt merè passiuè, & purè receptiuè se habeat, & mortue disponat, satis ad entitatem voluntatis sit: tamen, vt viuide, actiuè, & libere actu, & operatione præfinita se disponat, debent præire necessaria omnia requisita, vt sit exercite actus, & operatio: quare & præfinitio, &c. ad eiusmodi dispositionem in eadem linea actiua dispositionis liberæ à voluntate supponi: ast supposita per te præfinitione ante vsum libertatis, à quo in sui positione pendeat tollit libertatem: ergo in ea linea dispositionis, quam actiuè etiam, & libere, debet apponere voluntas, & in qua præfinitio necessario actum eius præcedit, nec supponit, tollit libertatem actus, & operationis. Confirmatur: Eatenus voluntas potest adquirere præfinitionem, quatenus potest elicere actum: & eatenus adquirit, quatenus actum elicit; sed elicit actiuè: ergo adquirit actiuè: ergo in genere causæ actiuæ, seu efficientis præcedit actus præfinitionem, à qua in eodem genere causatur. Vrgeo præfinitio requiritur essentialiter per vos ad operari liberum, seu ad omne exercitium absolutum libertatis: ergo nullum exercitium libertatis, à quo pendeat, potest supponere, de quo iterum à n. 9. postquam effugij præclusione radicitus solutionem euellamus.

4. Dices: Confundi hic duo causarum genera: passiuæ, seu materialis voluntatis, & actiuæ eiusdem voluntatis, vel secundum se, vel coniunctè cum præfinitione. Quod solutione tua distinguis, fateor: sed vtrumque tamen solutione ipsa confundis; dum in potestate, & libertate voluntatis nostræ asseris esse præfinitionem, & auxilium efficax ad actum, quatenus actu ipso libere se disponit voluntas; Tu eius vero actus libertate actiuus voluntatis in ipsum influxus necessario, & essentialiter, quare, & quidquid in genere efficientis prærequisitum est, supponitur. In ergo solutione tua genera causarum actiuum, & passiuum confundis; imò vero mutua hæc causalitas dispositionis, & agentis, quoties dispositio positiua est, non solum possibilis, sed & intelligibilis non est; etsi cum negatiua est dispositio, vtcumque intelligi possit, vt inter expulsionem, seu de nudationem formæ antiquæ, quam priorem ex parte materiæ inductione nouæ formæ ab agente in eandem materiam ex parte huius nonnulli aiunt; in genere vero causæ efficientis posteriorem: quia ad carentiam, seu denudationem formæ præexistentis satis est agens conseruans ipsius concursum ad agentis contrarij præsentiam cohibere, atque suspendere, quia agentis contrarij influxus in suam formam opus sit, vt antiqua subiecto cedat, & abscedat, in suique nihilum abeat: Quamquam neque huic mutuæ causalitatis modo nimium fidam: Nam reuera, & formæ incompossibilis nouæ à suo agente inductio, eiusque, in subiecto, inexistentia, & exigentia pro priori naturæ à Deo attenditur, & expectatur, vt pro naturæ posteriori in eadem duratione concursus cum agente conseruante, (si alius à Deo sit) denegetur: vt fusè controuers. de alteratione, d. de resistentiis, & impugnationibus, cum formarum incompossibilium, tum agentium contrariorum quæstione præsertim de signis naturæ impugnationum, & resistentiarum vtriusque generis monstrabimus. At vero cum dispositio ex parte subiecti positiua est, & effectus præcipuè immediatus actiuæ virtutis, ad quam sua absoluta existentia effectus ille positiuus disponit, mutua hæc in diuerso adhuc genere causæ materialis dispositiuæ, prioritas, & dependentia, non solum reuera implicatoria, sed & omninò imperceptibilis est. Cum enim non nisi absoluta sui existentia positiuus ille effectus disponat, hæc autem absoluta effectus illius positiui à causa materiali sola poni in rerum natura nequeat, sed necessario in consortio virtutis actiuæ, & reliquorum requisitorum ad operandum, atque apponendum absolutè existentem effectum illum: fit planè, nec hunc esse, nec intelligi absolutè existentem, nisi à coniuncto toto causæ materialis, & actiuæ suarum cum reliquis ad agendum requisitis: ac proinde, & hæc omnia absolutè præcedentia ad ipsius absoluram existentiam, & dispositiuam causalitatem primum dari, & existere: cum antea pro naturæ priori existere supponatur.

5. Confirmatur: Quia non minus essentialiter subordinantur causa materialis, & actiua in operando, ac ponendo absolutè effectum à materiali causa educendum, quam agentia partialia, à quibus effectus quiuis ab ipsis essentialiter dependens; imò, licet illæ diuersi generis sint, & earum quæuis in suo genere adæquara, absolutè tamen in genere causæ vniuersim, & absolutè dictæ partialis causa est vnaquæque earum: vtpote quæ in

genere

genere causæ absolutè talis respectu effectus illius causa totalis non est, sed alterius consortio eget, vt illum effectum operetur. Sed ob eam essentialem subordinationem in operando agentium partialium, nequit esse, aut sine repugnantia intelligi effectus absolutè positus ab vtroque, à quibus essentialiter dependet: ac proinde quia vtrumque illud partiale agens, est vtrumque debet absolutè effectus absolutam positionem præcedere: ergo, & effectus educendus à causa materiali, & actiua essentialiter dependens, neque esse, neque intelligi, sine repugnantia, poterit ab vna ex eis causis positus absolutè; sed necessario ab vtraque, ob eandem rationem inadæquationis in genere causæ absolutè talis, atque ob inde essentialis subordinationis mutuæ alterius ad alteram in operando ad effectum illum educendum: si ergo implicat esse, aut intelligi effectum essentialiter ab vtraque causa materiali, & actiua dependens absolutè positum, quin absolutè posita vtraque causa pro priori naturæ præcedat, nec satis est alterius solum, verbi gratia, causæ materialis, & absolutè partialis præcedentia, vt absolutè sit; atque sine absoluta sua existentia effectus ille ad causam actiuam dispositio esse non possit, fiat sane, quatenus à causa materiali præcisè est absolutè non esse effectum illum: atque neque ad actiuam sui causam dispositionem veram realem, & non Chimæricam esse posse, vt intendebamus. Reuocata igitur (vt Rhetores aiunt) hypothesi ad thesim, siue generali hoc principio ad specialem materiam, quam versamus: cum actus voluntatis nostræ præfinitus prædeterminatiuè à Deo essentialiter à præfinitione, & auxilio efficaci, ac insuper à voluntate ipsa actiuè dependeat, imò ab hac etiam materialiter: implicabit quatenus à sola voluntate est absolutè esse, atque ad actiuam virtutem præfinitionis, & auxilij efficacis esse dispositionem, seu alio quouis modo, & genere secundum suum esse absolutum præfinitioni, & auxilio pro priori naturæ præcedere: siquidem, non nisi ab vtroque præfinitione, & voluntate esse potest: quare, & vtrumque debet pro naturæ priori supponere: quo modo ergo disponit, quouisve genere causalitatis conducet, vt sit, ac ponatur præfinitio, quæ antecedenter ad ipsum, ac prorsus sine ipso pro naturæ priori iam erat?

6. Sed, his repugnantiis prætermissis, vel nunc intermissis, demus Illustrissimo Dominicano, & asseclis actum præfinitum à sola voluntate materialiter solum recipiente posse esse, & intelligi absolutè, & libere etiam positum: indeque infero: ergo nequit esse dispositio, aut principium quoquo modo conducens ad præfinitionem ad ipsum actum, & operationem requisitam, siue ex natura rei, siue ex Dei promissione. Non quidem ex natura rei: tum quia iam præfinitio, & auxilium aduenirent voluntati ad actum post actum absolutè positum, & exercitum à voluntate solum concurrente: quod pugnat cum necessitate præfinitionis, & essentialitèr prærequisitæ per aduersarios ad operari, & exercitium absolutum apponendi absolutè illum actum: quomodo enim necessarium ad absolutam actus appositionem, & operationem est, quod, non, nisi post eius absolutam positionem, & operationem natura sua venit? Ita etiam dici posset visionem beatam absolutè, provt ab intellectu positam esse dispositionem ad lumen gloriæ absolutè conferendum; & tamen hoc necessarium principium esse ad illam: Ita etiam visionem quamvis naturalem, provt absolutè positam ab oculis corporeis, vel intellectualibus esse dispositionem naturalem ad speciem obiecti recipiendam, quæ essentiale tamen principium visionis ipsius absolutè apponendæ sit. Neque enim minus essentialiter præfinitio ad actum præfinitum ex parte principij, & potentiæ voluntatis, per hoscè, requiritur, quam species absolutè videndi ad visionem quamvis, & lumen gloriæ ad beatam visionem: Quare alterutrum ab aduersariis deferendum est. Vel scilicet actum præfinitum absolutè positum esse naturalem dispositionem, quidpiamve aliquo modo conducens præuiè ad sui præfinitionem, vel eiusmodi præfinitionem absolutè positam esse essentialiter requisitam ex parte principij ad actum præfinitum absolutè apponendum. Quinimò: cum natura superfluum omne abhorreat, ac præfinitio aliunde, quam ab ipsa, actum absolutè positum supponat (vt oportet ad hoc, vt secundum absolutam sui existentiam ad ipsius præfinitionis absolutam positionem, quoquo modo, conducat) nec supererogatione, (ne dum ex necessitate) ad actum præfinitum, qui absolutè positus ante ipsam supponitur, atque ex natura rei præcessit, vllatenus, ex natura etiam rei concurret: Siquidem concursus illius, vt absolutè actus præfinitus, qui absolutè supponitur esse, absolutè sit, erit omninò superfluus, ac proinde naturæ rei inutilis, non autem ab illa exactus. Denique, si ex natura rei, atque independenter ex libera Dei promissione annexa sit absolutæ actus positioni præfinitionis absoluta positio, posita potestate voluntatis absoluta per iudicium indifferens, (vt vis,) ad eum actum absolutè ponendum essentialiter connexum dispositiuè ex natura rei, non potest Deus ex seipso habere decretum denegandi præfinitionem eius actus, seu omissionem decreti illam conferendi, sed omnino dependenter à positione, vel non omissione talis actus à potestate voluntatis: quæ nulla sane absolutè esset, sed si Deus indepẽdenter ab eius potestate, & vsu, vel decernere omitteret: ergo Deus in præfiniendo actu, & subinde in conferendo auxilio, quo prædestinatus à reprobo discernitur, nullam sui potestatem, ex parteque sua libertatem, quare nec misericordiam, nec gratiam exercet, si actus absolutè positus, sit ex natura rei dispositio ad præfinitionem: quod est Hæreticum. Stet ergo actum præfinitum absolutè positum reipsa neque alio quouis modo conducens principium ad absolutam præfinitionis, & auxilij positionem ex natura rei esse vllatenus posse (vt prima assumpti nostri pars ferebat) si præfinitio essentialiter ad absolutam actus positionem requiratur (quod tota hac d. impugnamus,) imò & supererogatorie ad actum absolutum possit conducere.

7. Sed neque ex Dei promissione, & pacto potest actus absolutè positus à voluntate absque præfinitionis consortio, siue dispositiuè, siue alio quouis modo ex parte voluntatis ad absolutam præfinitionis ad ipsum absolutè apponendum essentialiter, (quo velint aduersarij modo) prærequisitæ appositionem præcedere: quod erat assumpti nostri pars secunda. Probatur primo: quia promissio Dei de habenda, & concipienda præfinitione requisita, & prærequisita essentialiter ad actum absolutè apponendum esset huiusmodi. *Præfiniam actum, & dabo reliqua immediatè, & proximè requisita, & prærequisita ad actum voluntati, si actus absolutè ab ipsa,* (quo volueris genere causæ, & causalitatis) *absolutè apponatur*: hæc autem promissio est omnino inepta, & ridicula, nec Deo solum, sed homine etiam non omnino stupido, indigna est enim *dabo tibi necessarium, & essentiale principium, vt operetis, & ponas hunc actum absolutè; si tamen prius naturaliter apposueris absolutè*: Quid, ni ita Deum pacisci cum beatis asseras? *Dabo vobis lumen gloriæ necessarium, essentialiterque prærequisitum ad mei beatam visionem; si prius tamen visionem mei beatam absolutè posueritis; & speciem ad cuiusuis obiecti visionem, si tamen prius illud absolutè videritis*, atque in politicis, & moralibus ineptiores, magisque adhuc ridiculæ, & illusoriæ similes promissiones apparent. *Dabo tibi hic, & nunc meum hunc panem, sine quo absolutè hic, & nunc comedere absolutè omnino non potes, si tamen prius absolutè hic, & nunc comederis; & dabo tibi facultatem, vt pro me valide contrahas, sine qua valide pro me contrahere nusquam potes. si tamen prius valide pro me contraxeris.* & superior religiosò subdito: *Dabo tibi facultatem recipiendi licite scuta centum, quæ absque illa recipere licite prorsus nequis; si prius illa licite receperis.* Et ratio à priori harum omnium, & plurium similium promissionum inaptarum, si serio fiant, illusoriarum, si per iocum amentibus ita promittatur, est; quia sunt promissiones conditionatæ de conditione impossibili: quare naturæ iure nullæ in se, nec solum quo ad effectum obligationis.

8. Neque vllam impugnationum harum effugies, si dicas; negari non posse actum voluntatis absolutum reuera à voluntate procedere, & libere ab illa procedere, & quatenus à voluntate formaliter est, non esse à præfinitione, & si materialiter à præfinitione, totus etiam actus sit: hasque veritates, & respectus diuersos ad diuersa operationis, & effectus absolutè positi principia, & causas omnibus Philosophis esse notissimos, attendique à Catholicis omnibus, & à Deo ipso debere:

Ab

Ab illis quidem, vt Deum peccati causam, & authorem catholicè negent: adeo vt operum nostrorum siue in præmiis, siue in pœnis conferendis iustitiam exerceat: ea enim provt à nobis, non autem provt à se præmio afficit, vel supplicio. Ad eum igitur modum, inquies, etsi actus præfinitus absolutè apponi à voluntate absque præfinitione omnino nequeat: tamen, provt à voluntate in suo causalitatis genere receptiuo ponitur; à præfinitione formaliter non ponitur: quare ea ratione præfinitioni absolutè præcedere, atque adeo in illo naturæ priori potest, vt eius actus præfinitionem concipiat. Sed præclusa effugia hæc impugnationibus datis omnino sunt, & factæ primo loco ex libertate operationis absolutè necessaria, & asserta ab huius solutionis authoribus, vt in nostræ voluntatis potestate, & libertate præfinitionem actus absoluti defendant, ne sono quidem vocum occurrit: cum exercitè, & absolutè, & in genere causæ efficientis à voluntate sit & ab ipsa sola; & absque præfinitione esse per aduersarios repugnet: quare, &, qualiter, actus præfinitionem respicit, neque provt à voluntate actiue, quin etiam provt à præfinitione esse considerative potest. Secundo. Et si semel posito absolute actu à quavis causa absolutè, in genere causæ, inadæquatæ, siue in suo genere speciali, siue in diuerso eæ veritates, & respectus diuersi ad vnam formaliter, & non ad aliam concausam sint, atque, vt dicitur, à Catholicis, & à Deo attendantur, attendique prorsus debeant, *Iis* autem præsens de eo non est; sed an ab vna causa partiali, & inadæquata, absque alia concausa (siue alterius, siue generis eiusdem) essentialiter requisita absolutè ad absolutam actus illius positionem, actus ille poni in rerum natura absolutè possit, sicut oportet, vt præfinitionem dispositiuè, vel alto quovis modo, causet, ac præcedat: posse autem ita actum illum absolutè ab vna tantum ex concausis requisitis essentialiter ad ipsum absolutè apponi nemo est, qui absolutè asserat, imo neque asserere sine contradictione possit: etsi quatenus ab ipsa, ab alia concausa formaliter non procedat: quia absolutum esse illius actus non illam solum essentialiter respicit, & supponit, sed totam concausarum congeriem: ex qua, si vel vnam demas minimam concausam, ac positiue non supponas, esse absolutè actum illum repugnabit.

9. Dices tamen, duplicem præfinitionem actus esse, alteram prædeterminatiuam voluntatis in genere causæ materialis receptiuæ, alteram eius prædeterminatiuam in genere causæ efficientis; ad quam voluntas receptiuè per actum se disponit sine præcedentia in eodem genere, & ordine causandi. Sed nihil impugnationum minus: tum ex prædicato liberæ dispositionis actus, qui qua liber; à voluntate actiuè etiam, quare, & à præfinitione in genere efficientis debet procedere: cum per te implicet exercitium quodvis absolutum, & liberum voluntatis absque præfinitione in genere efficientis: tum etiam ex dependentia essentiali vt actus absolutè sit, ab vtraque etiam præfinitione essentialiter requisita ad ipsum: vtramque enim debere absolutè præcedere argumenta nuper facta, conuincunt, & mille alias, si totidem ad eius absolutam existentiam essentialiter prærequisitas assignes: quare commodius erit supertluarum præfinitionum, & difficultatum effusa abstinere prodigalitate. Secundo: cum præfinitio prædeterminatiua in genere causæ materialis non supponat præfinitionem prædeterminatiuam in genere causæ efficientis per te (quia diuersi generis sunt, nec possunt in eandem lineam ordinari, ne in eadem actus voluntatis sit præfinitione prædeterminatiua actiuè posterior, & prior, quia ad illam dispositionem) inquiro: an ad passiuè, & receptiuè prædeterminantem præfinitionem actus ille disponat? Si asseras: ergo in eodem genere causæ materialis receptiuæ, & dispositiuæ, in quo posterior præfinitione illa est, est etiam prior actus idem. Si neges: ergo præfinitio hæc in genere causæ materialis prædeterminatiua prærequisita essentialiter, ipsique connexa; & proinde ineuitabiliter coniuncta ponitur, omnino independenter ab actu præfinito, & exercitio nostræ libertatis: quare, vt in hanc eunt es solutionem fatentur expresè tollit arbitrij nostri libertatem. Nec quidquam præstiteris, si respondeas: per actum, vt prouenientem à voluntate, & præfinitione actiuè prædeterminante in genere efficientis; ac proindè liberè adquiri præfinitionem actus in genere causæ materialis prædeterminantem. Etenim cum præfinitio prædeterminatiua actiuè omnino connexa, & inseparabiliter, etiam diuinitus, annexa sit præfinitioni passiuæ, seu receptiuè prædeterminanti. Cum neutra sine actu esse absolutè possit, & actus absolutè esse nequeat, si neutraque coniunctim, actiuè scilicet, & receptiuè concurrentibus: Infertur: non posse actum, vt prouenientem à præfinitione prædeterminante actiuè esse dispositionem ad præfinitionem prædeterminantem passiuè, quin sit ad præfinitionem actiuè prædeterminantem dispositio: quia quidquid est dispositio alicuius adquisitiua, & est omnium quæ indiuisibiliter, & inseparabiliter ipsi connexa sunt: ideo, qui catenæ extremum annulum mouet, & trahit reliquos, & totam simul catenam trahit: quod si totam trahere nequit, neque extremum trahere potest: atqui per vos actus, vt à præfinitione actiua, nequit esse ad ipsam dispositio: ergo neque ad passiuam. Item, cum eadem, quæ ad adquirendam vnam præfinitionem prædeterminatiuam materialiter ad adquirendam prædeterminatiuam efficienter potestas sit, cum ais ex prædeterminatiua efficienter posse voluntatem adquirere prædeterminatiuam materialiter, posse adquirere prædeterminatiuam efficienter, probas, & vitioso circulo circumageris. Quod ipsum vniuersim contra præcipuam & primariam solutionem vniuersim ostenditur. Ideo enim dicitur voluntas sufficientem habere potestatem ad actum præfinitum, ad quem necessaria omnino est præfinitio, quia habet potestatem sufficientem ad habendam prædeterminatiuam præfinitionem: & ideo habere eam potestatem ad habendam præfinitionem: quia habet sufficientem ad actum potestatem, quid ni probes habere potestatem ad actum, quia habet potestatem ad præfinitionem, & ad præfinitionem, quia habet potestatem ad actum?

10. Denique ex hac solutione quæcumque in decreta, & auxilia de se indifferentia ad actum, & eius omissionem, solumque ab extrinseco efficacia aduersarij contorquent, in ipsos maiori impetu retorquentur. Potest enim haud dubio, quisque sibi tribuere, non solum quod vocatus veniat, sed *quod vocatus sit*, Contra Augustin. quæst. 68. ex octoginta tribus: siquidem præfinitionem prædeterminantem actum, quatenus ab ipso est, ille obtinet à Deo. Cumque eiusmodi præfinitio sit consensuri à non consensuro discretio, qui eam suo actu præfinito à Deo acquirit, se à non consensuro discernit: atque eadem ratione tandem se discernit prædestinatus à reprobo contra Pauli textum toties contra nos ab aduersariis inclamantum: *quis est, qui te discernit.* Etenim Deus de se paratus est præfinire actum, & salutem cuiusque per illum, si se quisque illo actu, & non provt à præfinitione efficienti disponat: quare actus ita consensuro, & prædestinando in causa est, vt Deus illum, & salutem per illum ita à consensuro, & prædestinando positum præfiniat, ac prædestinet; atque omissio consensus non consensuri, & reprobi in causa etiam est, vt nec eius actus, & salus præfiniatur: quare vt nec prædestinetur. Nisi dicas, Deum de sese non esse paratum actum, & salutem omnium præfinire, si actum eliciant: quod, & doctrinæ solurionis aduersatur, & probat in non consensuro, nec saluando non esse potestatem consentiendi exercite, & vt de facto saluetur: quia neque in eius potestate est præfinitionem, & prædestinationem ad vtrumque necessariam adquirere, ratione cuius potestatis, iuxta hanc solutionem, in potestate, & libertate, nostra, & actus, & salus vnicè absolutè sunt. Item cum actus primus præfinitus liber per hosce sit, & meritorius saltem de congruo, & quatenus à voluntate nostra ponitur ad præfinitionem sui disponat, ac præcedat, quæ eius est essentiale principium, iam principium etiam proximum meriti sub meritum cadet. Primæque gratiæ, ac subinde totius prædestinationis meritum nostrum dabitur. Quod Augustini, & reliquorum Patrum, & Conciliorum doctrinæ repugnat; neque prima vlla re gratia, & misericors Dei voluntas erit argumento Pauli ab Augustino toties repetito *si autem ex meritis, seu operibus: ergo gratia iam non est gratia.* Quarto. *Non*

solum Dei miserentis, sed hominis volentis, atque currentis est auxilium gratiæ acquirere. Contra Paulum ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Ex quo ita opportune ad rem præsentem Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Nam, si propterea non volentis, neque currentis, &c. quia voluntas hominis non sufficit, vt iustè, rectèque viuamus, nisi adiuuemur, misericordia Dei; potest, & hoc modo dici: non miserentis est Dei; sed volentis est hominis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Non igitur ob essentialem subordinationem mutuam Dei, & nostri in nostro actu operando; sed quia solius Dei, se solo, independenter omnino à nostræ voluntatis dispositione est velle (præfinitione, vt isti aiunt) misericorditer congruum auxilium conferre dictum esse concludit eo discursu Augustinus. Cui & Paulo aduersatur solutio hæc de dispositione nostra libera per actum præfinitum ad sui præfinitionem. Quinto, aduersatur Augustino eidem 1. de grat. & lib. arbitr. c. 16. statuenti. *Certum est nos velle cum volumus, sed facit, vt velimus, de quo dictum est: præparatur voluntas à domino*; & annecteuti statim c. 17. *vt ergo velimus, sine nobis operatur.* Non vtique sine nobis cooperantibus actiuè ipsum velle, sed ad misericordem Dei voluntatem auxiliantem, & præparantem nostram ad illud velle voluntatem.

11. Sexto aduersatur Arausicano 2. can. 4. dicenti. *Si quis, vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit: non etiam vt purgari velimus per spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit spiritui sancto.* Septimo aduersatur Augustino 1. ad Simplician. q. 2. circa med. aienti: *Quod non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem. Propterea vocanti Deo vitè tribuitur, quod bene volumus; nobis vero tribui non potest, quod vocamur.* Tribuetur autem, quod vocemur, & præcedet voluntas vocationem, iuxta hanc solutionem: verum item erit, quemliber vocari ad fidem: *quia credit, & non, vt credat.* Contra Augustin. de prædestin. sanctor. cap. vlt. scribentem. *Non, quia credidimus, sed, vt credamus vocamur.* Et contra Arausicanum nuper citatum id definiens ex ponderatione Augustini ad locum illum Pauli Corinth. 7. *Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis.* Et ad id: *elegit nos in ipso, vt essemus sancti.* Vnde cum Augustino inferunt Theologi omnes: *ergo non quia futuri eramus sancti.* Quia *vt* finis, & *quia* quod absolutam existentiam motiui, quam finis, vt moueat, finaliter, necessario excludit sibi contradicunt, iuxta hanc vero solutionem: quia credimus eligimur, & vocamur ad fidem. Denique iuxta hanc solutionem verum, & infallibile, ac certissimum esset nunquam cum præfinitione, & inde necessario proueniente vocatione efficaci posse coniungi dissensum, aut omissionem consensus præfiniti: cum hic necessario, & essentialiter, non solum sequi illas debeat, sed, & natura, & causalitate antecedere. Cum autem, vt dissentiri, resistereque Deo, cui assentimur, vocanti absolutè possimus, opus sit posse nos absolutè coniungere omissionem consensus, & dissensum cum misericordi Dei vocantis voluntate, & vocatione, vt ostendimus suprà q. 3. fiet manifestè; minimè nos posse dissentiri Deo per hanc præfinitionem, per aduersarios, misericorditer vocanti, neque illam abiicere contra Tridentini loca ea q. à nobis ponderata, si consensus absolutus dispositiuè positus à voluntate præfinitionem sui, & subinde Dei vocationem ipsi necessario, & infallibiliter annexam præcedat: neque item posse illis resistere contra Senonensis Concilij, & Innocentij X. & Alexandri VII. datas q. eadem definitiones.

12. Iam instantiis, ex nostris, quibus eam solutionis huius doctrinam aduersarij imponunt obuiandum est. Aiunt enim prioritatem mutuam similem inter habitum, & actum charitatis à nostris admitti: vt scilicet hic in genere causæ materialis dispositiuè habitum causet, à quo tamen efficienter causatur. Cæterum doctrina hæc nostrorum doctorum non est, vt erudite ostendit Ripalda t. 2. de ente supernat. d. 124. & Vazq. quidem 1. p. d. 111. solus nostrorum (quasi pro reliquis cautionem præstiterit) omnium nomine allegatus, non docuit actum habitu secundum se sumpto, & vti à Deo infuso esse priorem, sed eius vnione, siue vnitiua formali receptione, quæ, vt ab habitu actiuè causetur, non requiritur: æque enim, & si non vniretur, produceret actum charitatis, qui etiam ab auxilio extrinseco Dei in communi nostrorum doctrina produceretur: quare rectè ait habitum à Deo infundi vt actus, sit, non autem quia actus est, neque inter actum, & habitum, eiusque infusionem mutuam causalitatem admittit: nec principium prædeterminans ad illum: tum, quia, vt vnitus, & informans solum posset ad actum charitatis, instante præcepto, prædeterminare voluntatem, & si cum cum gratia habituali identificati, vel illam supponere tunc doceret; quorum primum negat, secundum non docet. Aduersarij vero præfinitionem de se, & prædeterminatione inducta, prædeterminare ad actum præfinitum, ac secundum se esse illius necessarium principium, & requisitum ex parte actus primi aiunt in genere efficientis, atque nihilominus illius effectum in genere causæ materialis dispositiuæ: ac proinde haberi à Deo eius præfinitionem, & dari prædeterminationem, quia actus præfinitus est. Videant aduersarij ergo, in quantis nostri Vazquez doctrina ab hac sua discordet! Sed tamen, vt dixi, doctrinæ huic nostri Vazquez his adhuc subtilitatibus Philosophicis, ac Metaphysicis explicatæ, vix vnus, aut alter, adhuc ex eius discipulis, noster adhæsit; quia planius plerumque nostri venantur veritatem, & extraordinaria prouidentia, & potentia absoluta Dei (quæ in hoc modo intercederet) quam minus possunt suis doctrinis componendis vtuntur. Ne tamen aduersariorum (cum quibus de maioribus, scilicet de fidei dogmatibus, res nobis est) nonnulli, quibus difficilia, & exotica ingredi amor, & ingenium fuerit, ita explicatam nostri Vazquez doctrinam, vt nostris occurrant argumentis arripiant, aduertant primo: in præfinitionibus suis, quæ à solo Deo concipiendæ sunt, non autem voluntatibus nostris vniendæ præfatæ doctrinæ nullum esse locum. Secundo: physicam prædeterminationem, seu qualitatem prædeterminantem non prædeterminare voluntatem, nisi, quatenus vnione ipsam informat: quare neque esse medium aptum ad infallibilitatem scientiæ diuinæ in ipsa de futuro contingenti. Tertio: in eorum doctrina stata vnione habitus, & cuiusvis qualitatis adiunctæ voluntati opus esse, vt eam in actu primo compleat ad actum. Inde enim Thomistæ omnes negant posse habitus supernaturales suppleri à Deo per auxilium extrinsecum. Quarto: apud ipsos eadem actione educi foecundam, & vniri subiecto. Cum quibus omnibus, & singulis nequit doctrinæ præfatæ vsus consistere.

CERTAMEN II.

Ab impossibilitate auxilij sufficientis præfinitiones de se efficaces eliminantur.

1. HVic impossibilitati sufficientis auxilij demonstrandæ illius, prout ab efficaci auxilio distincti nobis cum aduersariis, & Theologis cunctis communis definitio statuenda est. Nempe illud esse auxilium sufficiens, [quo cum voluntas operari absolutè potest, & non operatur de facto.] Et quamquam posse absolutè nos aliqua operari dicamur etiam, cum nonnulla ex requisitis ex parte actus primi proximi ad ea operanda non habemus, vt cum quis nondum habet efficacem ambulandi voluntatem requisitam ad ambulandum, posse absolutè nihilominus ambulare rectè dicitur: opus tamen est, vt requisita illa ex parte actus primi proximi in illius, potestate sint, vt in eo casu voluntas efficax ambulandi, sin autem in eius potestate requisitum illud non sit, non dicitur quidem aliam remotiorem potentiam habet ad effectum absolutè potens. Patet in catenato, & compedito carcerato per iudicis decretum: qui, licet potentiam habeat deambulandi, possitque à se voluntatem habere deambulandi, imo

imo & ex parte sua illam habeat; quia tamen sublatio impedimenti compedum, & catenæ requiritur ad proximè expediram, & absolutam, potentiam ambulandi, & gressum, absolutè potens ambulare non dicitur: & si, cur non ambulet? rogetur, respondebit statim rectè: quia compeditus, & catenatus ambulare non possum. Et sanè non eo modo eum qui auxilium solummodo sufficiens habet, non autem sui actus prædeterminatiuam, ac prædeterminantem prædefinitionem necessariam ex parte actus primi proximi ad illum operandum potestatem absolutè habere, quatenus in sua potestate est eiusmodi præfinitionem adquirere, & apponere constans apud aduersarios est: vt videre est in Aluarez de auxiliis passim, & fusè, d. 105. & Cabrera d. 6. de auxil. dub. 3. num. 109. etsi nostris argumentis pressi variis modis, eius adquisitionem & appositionem in nostra potestate esse, vel præuia dispositione, vel per actum ipsum, satis, & ipsi in sua doctrina varij, defendere tentauerint, vt proximis duobus certaminibus retulimus, & valide impugnauimus. Quare præsens cum aduersariis disputatio solum erit de auxilio sufficienti, quo absolutè in actu primo proximo possit voluntas operari, quin aliquod aliud requisitum, vt proximè absolutè possit in actum prodire, & operari expectandum sit: an in non operante, cuique præfinitio prædeterminatiua non adest inueniatur? Si qui enim ad potestatem de facto non operantis ad obtinendam à Deo eiusmodi præfinitionem, siue præuia aliqua dispositione siue, actu ipso præfinito recurrat, datis impugnationibus citatis certaminibus confutandi facilè erunt. Quanti vero faciendum hoc argumentum nostrum sit, si intentum euincat, vt Catholici omnes Doctores præfinitiones hasce execrentur is solum nesciat, qui ignoret his omnibus, qui præcepta non seruant, quorumque obseruatio præfinita à Deo iuxta omnium aduersariorum sententiam non est, auxilium sufficiens, & misericordem Dei voluntatem, quibus absolutè non transgredi præcepta possint, quæ de facto transgrediuntur, adesse fidei dogma esse ignoret definitum in Arausicano can. 25. Tridentino sess. 6. can. 5. & 13. & ab Innocent. X. & Alexand. VII. in suis decretis contra quinque Cornelij Iansenij propositiones ibi damnatis, vti ex prima damnatione à nobis recitata supra q. 3. cert. 5. à n. 3. & speciatim 5. claret, & quidem, ii obtenare ex Dei sufficienti adiutorio absolutè possent præcepta, quæ transgrediuntur, inique eis imputarentur transgressio, & crudeliter ob illam iniungeretur illis supplicium.

2. Sic igitur arguo. Quisquis non habet omnia essentialiter, quovis modo, requisita ex parte causæ proximæ ad operandum, non potest absolutè operari (ni hæc omnia habere suæ potestatis sit, quod respectu præfinitionis aduersarij, cum quibus nunc pugnamus notitiæ voluntati negant) sed, quisquis non operatur, non habet omnia essentialiter requisita ex parte causæ proximæ ad operandum: ergo quisquis non operatur; non potest absolutè operari. Maior videtur certa. Minor in aduersariorum doctrina euidens est: quia quisquis non operatur, non habet præfinitionem prædeterminatiuam, quod vnum per eos ex essentialiter requisitis ex parte causæ proximæ non operatur ad operandum est: ergo quisquis ex parte proximæ non habet vnum ex essentialiter requisitis causæ ad operandum. Ex ea vero consequentia infertur. Ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficiens ad operandum. Est aperta ex definitione auxilij sufficientis præmissa. Quisquis habet auxilium sufficiens ad operandum absolutè operari potest: ergo quisquis non potest absolutè operari, non habet auxilium sufficiens: sed quisquis non operatur non potest absolutè operari: ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficiens: contra Conciliorum, & Pontificum memoratas definitiones. Hoc argumento conuictus Mag. Ioan. Vincentius Dominicanus insignis Professor Salmantinus, ac sui Ordinis Vicarius Generalis physicas suorum præmotiones, & præfinitiones reiecit, & mordicus confutauit: solaque Ecclesiæ definitione à sententia dimoueri se posse professus est teste Mag. Ledesm. de auxil. art. 4. probat. vlt. conclus. 2. qui art. 2. ad 3. *grauissimum, & difficillimum argumentum esse fatetur*. Et præfinitionum prædeterminatiuarum Primipilus Bañez 1. p. quæst. 14. art. 13. §. *Ad hoc respondetur*, ait, *vix declarari posse, quo pacto concursus causæ primæ efficax sit, & necessarius, & simul conformetur cum natura causæ contingentis*. Potro præfatis consequentiis proxima illa est, quam n. 1. fine posuimus. Nempe non posse alicui nostrum imputari ad culpam, quod actum præceptum non apponamus; cuicumque enim non adest auxilium sufficiens, quo absolutè possit operari inimputabilis ad culpam est operis omissio: sed cuicumque non operanti opus præceptum, & non adest præfinitio prædeterminatiua operis præcepti, non adest auxilium sufficiens, quo absolutè illud possit operari: ergo cuicumque non operanti opus præceptum non est imputabilis ad culpam præcepti operis omissio. Quod ipsum de actu positiuo, quo præceptum negatiuum transgredimur simili argumento conficitur. Vnde tandem infertur Deum nugatorie præceptorum alterutro modo transgressoribus æternam pœnam minitari: tamque eum, quam Reges, & humanas quasque potestates, non, nisi inique, crudeliter, & nefarie pœnas eis infligere: æque ac si vincto, quod non ambulet, non habenti lucem, speciem, vel librum, quod non videat, aut legat, non existenti Romæ, sed Mattriti, quod Romanam vineam non excauet, aut vindemiet in quibus posita sunt, tam, quæ, vt principia ad aliquas ex enumeratis operationes requiruntur, quam, quæ solum, vt conditiones requiruntur ad alias: vt nullum aduersariis effugium pateat, siue præfinitionem requisitam ad operationem, vt principium, siue, vt conditionem, & applicationem, requisitam solummodo esse velint.

3. Sed quoniam Aluarez tanti apud suos ponderis argumentum *inane* reputauit, & *leue*, cuius iudicio nonnulli ex suis recentioribus accedunt: quid habeant soliditatis eorum solutiones examinemus. Respondet primo ille sæpeque repetit lib. de auxil. d. 18. n. 20. d. 22. num. 23. d. 23. n. 30. d. 79. per totam, Cabrera de auxil. disp. 6. dub. 3. n. 109. dub. 4. n. 6. & 7. dub. 7. n. 32. & 33. Franciscus Dauila Dominicanus de auxil. c. 7. præfinitionem prædeterminatiuam non requiri ad absolutum posse operari, siue potentiam absolutam operandi voluntatis, quæ satis superque auxilio sufficienti constituitur, sed solum requiri ad operari. Sicut, inquiunt, etsi albedo necessaria sit, vt homo sit albus actu, non tamen vt possit esse albus: &, licet lux necessaria sit, vt homo actu videat, non tamen, vt possit videre: quare voluntas sine prædeterminatione potest absolutè operari, non autem absolutè operari sine prædeterminatione potest. De hac vero solutione argumento eidem contra auxilium de se efficax Thomistarum eorundem (de quo non agimus) à nostris efformato, hæc habet Illustriss. Mascarenias Algarbiorum Episcop. & Generalis fidei apud Lusitanos Quæsitor. d. 2. de auxil. p. 2. n. 13. *Nugæ sunt, si hæreses non sunt*. Censuris abstineo: totusque ad rationes venio. Contra primo: quia præfinitio prædeterminatiua operationis nostræ neque requiritur, vt terminus per illam productus, eaque posterior, nec est pars operationis nostræ voluntatis, cum sit partialis causa operationis nostræ, vel saltem applicatio actiua virtutis causæ primæ prius se ad nostram operationem accingentis, & media prædeterminatione physica voluntatem creatam ad operationem applicantis. Vnde etsi nonnulli recentiores Thomistæ prædeterminationem suam physicam, vel identificent, vel ad idem signum operationis nostræ comitanter se habere, primæuam suam sententiam deferentes, asserant, vt videbimus cert. vlt. tamen de præfinitione id nequeunt asserere: cum Dei, & nostram operationem nequeat non, in eorum, & Thomistarum omnium (qui Dei decreta libera operationibus ad extra non constituunt) sententia operationem natura antecedere. Verum vt ipsos huius distinctionis tam apertæ contra S. Thom. pudeat, non recondita Angelici Præceptoris, sed illa ipsa loca, quibus præuiam physicam motionem, & prædeterminationem nobis obtrudere contendunt, recitanda ipsis erunt, ergo 1. 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. *Sine hac essentiali motione homo nequit aliquid velle*. Ipsi vero aiunt solutione hac sua, *Sine hac essentiali motione homo potest omnia velle, quæ non vult*. quæst. 109. art. 1. corp.

Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum prodire, nisi moueatur à Deo, art. 4. corp. *Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ.* Ergo motio diuina, siue se teneat ex parte actus primi, siue pro signo, quo volueris, essentialiter requisita ad operationem (nedum præfinitio, quæ explorato ex parte actus primi ad nostram operationem se tenet) requiritur ad posse operari, nec solum ad operari, vt, contradictoria sententiæ S. Thomæ, tua dicit solutio. Et sanè cum auxilium gratiæ omne præueniens, & excitans voluntatem nostram sit. Etiamsi de auxiliis ageremus efficacibus, quæ in physica præmotione, seu prædeterminatione per hosce consistunt, ad actum primum potentiæ volitiuæ spectare dicendum necessario foret: citiusque de præfinitione diuina, ex qua illa, tanquam è sui vnica, & totali causa anteriore, procedunt.

4. Si ergo nostrum velle, & operationem voluntatis ex parte actus primi actiui, vel, vt comprincipium, vel vt conditio indispensabilis præcedunt, requisitaque ad illam sunt, ad absolutam potentiam, & posse absolutum operari voluntatis nostræ spectare certissimum est argumento facto, ac proinde absque eis non posse absolutè voluntatem operari: quare neque habere sufficiens Dei adiutorium, & auxilium, non stante operationis nostræ, quam non exequimur, præfinitione: cum sufficiens auxilium absolutam potentiam operandi nostræ voluntati faciat, & necessario constituat. Semper enim est firmum: potentiam, cui aliquod aliud requisitum necessarium ex parte actus primi deficit, ad operandum, siue, vt prodeat in operationem actiue non esse absolutam potentiam, quæ absolute possit operari (nisi in sua potestate habeat illud aliud apponere, & adquirere, vti, iuxta aduersarios, voluntas nostra præfinitionem non habet) quæcumque enim absolutè in actu primo proximo requiruntur ad operationem in genere efficientis, sunt constitutiua formalia absolutæ potentiæ actiuæ, in genere causæ formalis; idque demonstrant exempla omnia à nobis data non habentis lucem, aut speciem ad videndum, aut applicationem ad agendum aliaque omnia, quæ ferè vltra numerum afferri possent: atqui præfinitio, & requisita proximi & non operanti non adest: ergo neque adest illi absolutum posse operari: quare non ad operari solum, sed ad posse absolutum requiritur. Totus discursus, non solum noster, nobisque dignus, sed & Augustini illoque etiam dignus est, ita de corrept. & grat. cap. 11. & quæst. 68. ex octoginta tribus scribente. *Si ad aliquod opus sit necessarium aliquod gratia donum, & illud ita denegetur homini, vt Deus neque illud det, neque sit paratus dare, quidquid homo faciat, aut conetur, non potest homini imputari ad culpam, quod tale opus non faciat.* Quare? ob rationem hanc nostram, inquit Augustinus. *Quia simpliciter est impotens ad faciendum.* Cum autem Deus, independenter omnino à nostræ libertatis vsu, è voluntatis suæ libito puro, non operantibus præfinitionem requisitam essentialiter ad operandum non apposuerit, eos absolutè operari non posse, quare, nec habere sufficiens auxilium ex mente, & sententia Augustini conuincitur. Quid? ipsi tandem, qui ita respondent fatentur, dum ita respondent, etiam Aluarez. Quippe d. 79. citata num. 2. & 3. ait. Non operantem, sed omittentem præceptam operationem, quare neque habentem operationis præfinitionem, sufficiens auxilium habere, sed incomplete quidem, non complete sufficiens ad operationem. Sed quod incomplete tale est, absolute, & simpliciter tale non est: ergo, quod incomplete sufficiens solummodo est, absolute, & simpliciter sufficiens non est. Et si autem contra se tamen pro veritate loquitur: cui enim aliquid ad aliquid deficit sufficiens ad illud non esse ex terminis ipsis patet.

5. Cabrera de incarnat. quæst. 18. art. 4. d. 4. num. 4. inde probat humanitatem Christi absolutè impeccabilem, ac simpliciter loquendo non potuisse peccare: quia Deus habuit decretum non concurrendi cum ipsa ad actum prohibitum; sed habet decretum non concurrendi cum non operante, seu negationem decreti concurrendi ad operationem, siue prædeterminatiuæ præfinitionis, cum non operante æque necessarij ad operationem: ergo simpliciter, & absolutè, quicumque non operatur non potest operari. Sed & consequentiæ huius labore, quantumlibet æqui, exonerare nos pius, & doctus Cabrera voluit d. 6. de auxil. citata n. 110. fassus: voluntatem absque prædeterminatione non esse simpliciter in actu primo constitutam ad operandum: *Sicut*, inquit, *potentia visiua sine specie, licet in ratione potentiæ habeat suam completam virtutem, tamen in ratione actus primi non est simpliciter constituta.* Posse autem, seu potentia absoluta, & simpliciter talis, idem est quod potentia in actu primo simpliciter tali constituta. Franciscus etiam Dauila de auxil. c. 7. pag. 55. *Auxilium præueniens sufficiens est ad salutem; non tamen per se solum potest salutem consequi.* Quod autem per se solum aliquid non potest sine consortio alterius, absque illo potens non est. Subdit exemplum. *Sicut visus est principium videndi sufficiens; non tamen potest actu videre sine lumine.* Ecce illis ipsis verbis, quibus huius solutionis Authores posse absolutum, quod auxilium sufficiens, secluſa præfinitione, præstare absolutè voluntati debet ad operationem, cum non exequitur, vt sufficiens ad illam absolutè sit, vel incompletum posse, & sufficientiam esse vel tale, vt sine prædeterminatione absolutè, & simpliciter nequeat voluntas operari: quod idem est, atque non habere absolutam potestatem, seu posse simpliciter: neque auxilium absolutè sufficiens ad operandum, si vnum ex præuiis requisitis ad operandum prædeterminatio, seu præfinitio diuina, quæ omni non operanti per ipsos abest: quod solum contendimus, & exemplis ipsis, quibus oppositam explicare doctrinam volunt, de visu, absque lumine, & speciebus nostram demonstrant. De quo & supra aliquantulum, & fusius infrà dicemus.

6. Sed ea distinctione nunc permissa contra ita distinguentes ostendam: neque diuinam misericordem voluntatem Dei, ex qua sufficiens auxilium ab ipso tribuitur, neque ipsum auxilium sufficiens non operantibus ad absolutam potestatem operandi, seu posse absolutè, & sufficienter operari opus nobis esse: quod est hæreticum, & contradictorium sententiæ Pauli. *Non possumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Probatur primo quia, non minus requiritur ex parte actus primi ad operandum per vos præfinitio, quam obiecti honesti propositio, qua, per vos etiam, vocamur à Deo ad operis iniuncti executionem, & ad id nobis ipse sufficienter auxiliatur: & nihilominus, per vos, præfinitio, & prædeterminatio diuina non spectat ad posse, sed ad operari solum nostræ voluntatis: quare sine illa opus non præfinitum, quod de facto omittimus operari, absolutè absque prædestinatione possumus; & si absque illa operari non possimus: ergo & si operari sine vocatione, & auxilio sufficienti gratuito, esse nequeat: ast absque illo absolutè possumus operari cum sola cogitatione nobis debita iure naturæ: imo & sine illa, iuxta ita respondentium doctrinam. Etenim principium incompletum potest per vos sufficientiam principij habere, atque absolutè appellari sufficiens, vt posse absolutum constituat, licet aliis pluribus compleri debeat, vt operetur: vt exempli pro potentiæ visiuæ absque specie, & lumine contenditis: ergo voluntas sola, quæ principium incompletum operationis est, & si pluribus aliis compleri debeat, vt operetur, sufficiens principium erit, vt absolutum posse constituat. Tertio. Probatur ipsis Aluarez verbis d. 79. n. 2. quibus explicat posse absolutum, seu potentiam absolutè, & simpliciter talem operandi per auxilium sufficiens constitutam absque prædeterminatione. *Sicut cum asserimus hominem per potentiam visiuam posse videre: quia videlicet, quantum est ex parte potentiæ, per quam constituitur in actu primo ad videndum, non requiritur vt verè dicatur posse videre, quod superaddatur illi aliqua alia potentia tribuens in actu primo ipsum posse videre. Quamuis vltra potentiam visiuam alia plura requirantur, vt quis actu videat. Et in hoc sensu &c.* atqui voluntas, quantum est ex parte potentiæ, per quam constituitur in actu primo ad volendum, non requiritur quod

quod superaddatur illi aliqua alia potentia tribuens ipsi posse velle, quamvis vltra voluntatem, quæ se sola potentia volitiua, seu volendi absolute est, vocatio Dei, & alia requirantur, vt actu velit: ergo se sola absque misericordi Dei voluntate, & vocatione, seu auxilio, quod vocas sufficiens, voluntas nostra constituet posse absolute velle & operari. Si enim abuti licet voce, qua visus potentia visiua nuncupatur, vt ea sola, absque aliis ad videndum requisitis, constituat in actu primo absolutum posse videre, seu ad videndum: licebit etiam abuti voce, qua voluntas potentia volitiua dicitur, vt ea sola absque requisitis misericordi Dei voluntate, & auxilio gratiæ sufficientis, absolutum posse ad volendum nobis constituat.

7. Contraquarto: quia, etsi præfinitio necessaria sit solum ad operari non ad posse, tamen operatio absque præfinitione per vos est impossibilis: ergo solum, vt coniuncta præfinitioni est possibilis. Patet: nam operationis, absque præfinitione contradicens terminus est operatio, non sine præfinitione: hoc autem idem prorsus est, atque operatio cum præfinitione: ergo vt detur vera, & absolute talis potentia ad operationem debet dari ad operationem coniunctim cum præfinitione, aliàs daretur vera, & realis physica potentia ad impossibile: at neque cum auxilio, & vocatione, quam sufficientem vocas ad operandum, datur voluntati nostræ impræderminatiue à Deo potentia ad operationem cum præfinitione: ergo nec vera realis absoluta potentia ad operandum. Minor probatur: quia impræderminata voluntas à Deo dicit negationem prædeterminationis à Deo, cum qua nequit prædeterminatio à Deo coniungi, sine contradictione: quod autem dici poterat negationem prædeterminatiuæ præfinitionis à Deo poni pro naturæ posteriori ad voluntatem instructam auxilio sufficienti, quia hoc vsa illa non fuit, non habet locum in doctrina quam impugnamus: statuit enim non dari dependenter ab vsu nostræ voluntatis ex auxilio sufficienti: ac insuper, cum vsus hic operatio ipsa voluntatis sit, iam pro priori ad præfinitionem Dei operatio à voluntate absolute esset: quare non solum ad posse, sed & operari necessaria præfinitio non foret. Nec magis præstat, si dicas: illam absolutam, & simpliciter dictam potentiam operandi, seu posse absolute operari voluntatem esse posse ad operationem, neque coniunctam cum præfinitione, neque seiunctam ab illa, sed præscindentem, ac secundum se sumptam præcisiue ab vtraque: siquidem, sicut operatio in sui appositione nequit præscindere ab essentialiter requisitis; alioqui vel chimæricè apponeretur: ita potentia, quæ ad apponendum exercite operationem est, ad apponendam cum requisitis solummodo esse potest, vt chimærica potentia non sit: quare ad operationem, vt præscindentem esse nequit: vt autem potentia foret ad ponendam operationem cum præfinitione requisita ad ipsam oporteret, quod esset potentia ad ponendam præfinitionem, quæ nusquam in voluntate instructa vocatione sufficiente est: quandoquidem non, nisi coniunctim poni potest: nec poni coniunctim potest, nisi ab eo qui potest ponere requisitum & operationem, quia Deus, cum aliquid præcipit non præcipit posse operari, quod tu assignas, sed operari, & exequi præceptum opus: ergo quousque dat requisita necessaria ad operandum, & exequendum, quæ nostræ potestatis non sunt, etsi det posse illud quod vultis, non dat sufficientiam ad implenda præcepta: quare neque auxilium sufficiens, sine quo implicat sufficientiam dari.

8. Confirmatur: quia, etsi actio diuersa sit ab effectu, nec spectet ad posse, quia tamen requiritur ad operandum effectum, qui non potest absolute actionem, non potest absolute effectum: ergo, licet præfinitio non requiratur ad posse operari, sed ad ipsum operari, tamen, qui non potest absolute ad præfinitionem, nec potest absolute ad operationem: sed, qui non operatur, non potest ad præfinitionem iuxta doctrinam, quam modo insectamur: ergo nec potest absolute ad operationem: ac proinde neque habet absolutam potestatem, & auxilium ad operandum sufficiens. Sexto, auxilium sufficiens voluntati nostræ tribuens absolutum posse, ad operandum præstare debet, ne stet per Deum, sed per nos defectus operationis. Sed, si requiritur ad operati profinitio diuina independens in sui positione, aut remotione ab vsu nostræ libertatis defectus operationis nostræ non stabit per nos, sed per Deum: ergo nec stabit auxilium sufficiens, neque absolutum posse operari nostræ voluntatis, quod illud non constituit. Minor probatur: stat per Deum omnino, neque aliquatenus per nos, defectus decreti, seu præfinitionis requisitæ essentialiter connexus cum negatione, seu defectu operationis, quæ prorsus nequit esse sine decreto: sed penes quem stat omnino ponere defectum alicuius rei requisitæ ad aliud, ac proinde connexum cum rei illius negatione; stat omnino ponere rei negationem: ergo penes Deum omnino sine nobis ponere negationem operationis. Minor mille obuiis exemplis monstrari facile potest: & ratione, quia quoties plura requisita necessaria sunt ad quamvis operationem, aut effectum, cuiusvis defectus eit causa adæquata negationis effectus, & operationis illius: quare, qui, vel minimum, requisitum remouet, etsi reliqua adsint, & in cassum conentur, operationis, & effectus negationem inducat necesse est: atqui Deus se solo, nullatenus libito nostro interueniente ponit defectum decreti necessarij requisiti per vos ad operationem, & effectum voluntatis nostræ: ergo se solo ponit operationis, & effectus negationem. Hinc autem fit nullam omissionem operis præcepti humanæ voluntati esse imputabilem ad culpam, & reatum: siquidem non per nos, sed per Deum stabit, quod præcepta absit operatio. Contra illud Eccles. 15. *Ne dixeris per Deum abest.* Ratio autem est: quia non sufficit rem esse absolute possibilem, vt mihi etiam possibilis sit; erit siquidem res absolute possibilis, etsi à me fieri nequeat dummodo fieri ab alio illam non repugnat: ast mihi possibilis, seu à me possibilis non erit nisi in mea potestate contineatur: atqui, si præfinitio requisita ad operationem omnem necessario sit, neque meæ potestatis operatio absolute erit: siquidem præfinitionem requisitam ad operationem, & sine qua est operatio, non mihi solum, sed, & absolute impossibilis, ponere meæ potestatis non est: quod autem mihi impossibile est, quod apponatur, vel non apponatur, mihi ad culpam, & reatum imputabile non est: ergo nec omissio, nec operatio præcepta si ad hanc præfinitio requiratur.

9. Hoc ipsum exemplis ab aduersariis pro hac solutione adductis explicatius & euidentius demonstratur. Non enim aliter est homo potens operari sine requisita præfinitione, seu prædeterminatione diuina, quam potentia visiua, sine specie, aut lumine, requisitis necessario ad videndum, & quæ habere in sua potestate non est, est potens videre per vos: sed qui hanc potentiam habet sine specie, aut sine lumine, quæ non potest adquirere, & sibi parare, neque est absolute potens ad videndum, neque ipsi imputabile, quod non videat: ergo, qui habet voluntatem, & vocationem sine præfinitione, quam nequit parare sibi, neque adquirere, nec est potens absolute operari, ac proinde non habet auxilium sufficiens, neque, si opus præceptum sit imputabile ipsi est, quod illud non operetur. Minoris primam partem dedit nobis Augustinus recitatus supra cert. 5. n. 2. ex lib. de natura, & grat. cap. 47 & rursus illam docuerat eodem libro cap. 26. sic scribens. *Oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere.* Sed ne adhuc vocibus potentiæ visiuæ, & volitiuæ abutaris, & hæreas: veniamus ad secundam partem minoris, ex qua prima, apertius adhuc, ostenditur cum enim imputabilitas absoluta omissionis operis præcepti ad conuertentiam cum potestate absoluta illud operandi dicatur iuxta illud Eccles. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus*: si probemus non habenti lucem, aut speciem absolute imputabile non esse, quod non legat, aut videat: neque eum absolutam potestatem ad videndum, & legendum habere, neque videre, aut legere absolute posse demonstrabimus. Id autem sic probo: quia aliàs, qui tenebroso specu luci omnino imperuio videre picturam, quæ inibi, vel si manus Romæ esset, vel horas Canonicas per librum recitare iuberetur, nec tamen videret, nec per librum recitaret, peccaret, pœnæque impositæ reatum, v.g. verberum incurreret. Æstimo, si tecum (quantumvis ferreus Thomista sis) verberibus eo super, ex tam iniqua lege ob eas omissiones ageretur, præfinitiones Thomisticas, & superiorem, earum ineuitabili consequentia, tam inique

agentem, abiuraturum: præsertim si iam te verberaturus superior esset, qui & præceptum illud sub ea pœna tibi imposuit, & in tenebrosum illum locum detrusit: quæ non illi, & sententiæ tuæ mala imprecareris, quibus non deuoueres diris? Mirum autem est apud rationalem hominem minus tot rationibus plena verba posse, quam verbera. Et his quidem exemplis præclusus omnino est recursus ad solutionem de sensu composito, & diuiso. Nam etiam, qui nec speciem habet, nec lucem ad videndum, & legendum, potest videre, & legere in sensu diuiso à tenebris, & speciei defectu: Et tamen imputabile illi non est, quod non videat, nec legat: quia neque ea posse iudicatur. Plura contra hanc absolutam potentiam dedimus cert. 5. & 6.

10 Sed vide, qua reuerentia tua hæc sententia cum Deo agat, ei quippe tribuis, quod in nefario etiam homine meritò damnares: vt de se præfinitionem ad opus negans, quod ipse præcipit, & fieri sine ipsa nequit; tamen, non verbera solum, & temporaneos cruciatus non operanti, ac necessario non operaturo, sed æternam pœnam iniungat: scilicet quod sibi impossibilia non exequantur. Neque illud leue est: quod Deum præcipere impossibilia non operantibus coguntur admittere contra Trident. sess. 6. can. 11. & decreta Innocentij X. & Alexandri VII. vide quo pacto *velit omnes homines* (etiam non operantes, seu cooperantes ad salutem, nec credentes) *saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, vt Apostolus ait: Cuius doctrina August. lib. ad articulos sibi falsò impositos ad 2. quod scilicet Deus nollet omnes homines saluare respondet: *Syncerissime credendum est, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius est ista sententia, solicite præcipit, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Quæ etiam ad verbum desumpsit Prosper ad obiectiones Vincentianas respons. ad 2. sequi autem aduersariorum doctrinam Deum non velle omnes homines saluos fieri: quia non vult non operantibus salutem probatur. Quia, qui nec dat, nec paratus est dare media necessaria ad finem, quæ in eius tantum potestate sunt, nullatenus intendit finem: Siquidem huius intentio, etiam inefficax, concernit medij ex parte intendentis apponendi necessario requisiti ad finem appositionem, vel præparationem, quantum est ex parte sua, ad illud apponendum; alioqui non illa intentio, sed pura finis complacentia est. Atqui Deus reprobis non operantibus ad suam salutem, neque dat, neque paratus est dare, seu habere præfinitionem, & prædeterminationem necessariam per vos, & omnino ex parte sua apponendam ad consecutionem salutis eorum: ergo Deus non vult, aut intendit salutem reproborum non operantium ad ipsam. Minor probatur: quia non habet præfinitionem, nec dat prædeterminationem, neque paratus ex parte sua est habere, & dare reprobis non operantibus ad salutem; sed ex parte potius sua, vel positiue noluit eos operari ad salutem, vel saltem omisit libere præfinitionem operis ad salutem necessarij, & dare prædeterminationem ad illud. Sed cum hoc pugnat, non solum operis, & salutis præfinitio, & prædeterminationis ad illud donatio, sed & paratum esse Deum ad illas habendas, & donandas: ergo neque eas ex parte sua habet, ac dat, neque paratus ex parte sua ex illis dare, & habere, & ita sane fatetur Thomista Cabrera d. 6. de auxiliis, dub. 7. n. 13. & 14. expressis his verbis de auxilio efficaci locutus. [Deus neque dat, neque paratus est dare auxilium efficax omnibus reprobis, sed decreuit firmo proposito, & quasi prolata sententia, illis non dare, sed eos deserere.] Nec recursus patet ad negandam maiorem de concernentia essentiali intentionis finis cum electione, seu præparatione ad eligendum efficax medium à solo adhuc intendente apponendum, cuiusmodi sunt diuina præfinitio ad salutem, & prædeterminatio: ad medium quippe efficax eligendum sola intentio efficax finis cogit. Solum ergo concernit vera Dei intentio, sed inefficax, auxilij sufficientis electionem. Sed in primis ostensù hactenus est nõ esse medium sufficiens præter præfinitionem, & prædeterminationem diuinam, in horum sententia, de se efficaces, & necessarias omnino ad salutis consecutionem: quare, cum intentio finis à simplici eius complacentia diuersa electionem, seu appositionem alicuius medij, quem intendens (præsertim, si is solum potest) ex parte sua potest apponere, defectu alterius materiæ, iuxta hanc sententiam, tenebitur vel eligere, vel paratus esse eligere, & apponere medium efficax, si vere, adhuc inefficaciter intendit omnium hominum, quare & reproborum etiam, salutem, vt scripturæ dogma est. Cum autem neque illud eligat, neque apponat, neque ad illud eligendum, & apponendum paratus sit respectu reproborum, concluditur eorum, quare, neque omnium hominum, salutem intendere contra fidei dogma: atque vniuersim in Deo efficacis ab inefficaci intentione distinctionem, in aduersariorum præfinitorum sententia, locum non habere, quod exoticum in Theologia etiam est. Si tandem dicas Deum paratum ex se esse dare reprobis non operantibus prædeterminationem, seu operationum eorum præfinitionem concipere, si, vel ipsi præuie se disponant, vel operatione ipsa præfinienda, incidis in impugnationes datas cert. 9. & 10.

CERTAMEN XII.

A communibus præfinitionum harum consectariis absurdis eædem præfinitiones reijciuntur.

1 PRæter notata hactenus absurda libertatis per illas euersæ, & sufficientis auxilij è medio sublati, & quæ his affinia proxime expendimus à certam. 2. ad 11. sunt & alia, quæ ex his communiter deducuntur, atque in hoc certam. cogere statuimus. Vt simul, semelque propositis, quanti præfinitionum de se efficacium, & ad operandum necessario prærequisitarum emendæ, conseruandæque sint prudens Theologus agnoscat. Et primo omnis consultatio de agendis, & electio nostra perit, siquidem hæc, non, nisi de his, quæ in nostra potestate, & libertate sunt, esse possunt, vt ostendimus ex Aristot. S. Thom. & pluribus Patribus quæst. 1. cert. 2. à num. 2. leges item, & præcepta sunt irrita: Cum ea omnia in eos, qui, vel aliter, quam ab alio præstitum est, operari nequeunt absolute, vel absque eius præstituto operari non possunt, nonnisi inepte, & inutiliter ferantur. Item exhortationes, petitiones, & confilia sunt omnino ob eandem rationem frustranea, vt Patres arguunt ibidem n. 3. Quarto, præfinitione de se efficaci, & prærequisita ad operandum libertas contrarietatis arbitrij nostri è medio tollitur. Etenim, si ad omnem operationem necessaria præfinitio hæc est, facta impossibili præfinitione alterius extremi contrarietatis, seu decreto concurrendi ad illam, & arbitrio nostro, independenter ab vsu libertatis arbitrij nostri fit nobis eiusmodi extremum absolute impossibile. Aſt præfinitione vnius extremi contrarietatis (v. g. amoris obiecti vnius) fit impossibilis præfinitio odij eiusdem obiecti, seu decretum concurrendi ad odium eiusdem obiecti independenter ab vsu libero arbitrij nostri: ergo posita præfinitione amoris independenter ab vsu nostri arbitrij fit nobis odium absolute impossibile, ac proinde non liberum nobis absolute: quare tollitur arbitrij nostri contrarietatis libertas. Minor probatur, quia præfinitio amoris pugnat cum præfinitione odij, & decreto efficaci Dei concurrendi ad odium eiusdem obiecti cum arbitrio nostro: quare, & est virtualis nolitio concurrendi ad illud: ergo per præfinitionem amoris fit impossibilis absolute præfinitio odij, & decretum concurrendi ad illud: imo, & est decretum non concurrendi, seu nolitio concurrendi ad illud virtualis. Posita vero nolitione Dei concurrendi ad aliquem actum fieri hunc nobis impossibilem, & arbitrij nostri erga illum libertatem perire aduersarij fatentur. Quod æque quidem certum est de nolitione virtuali odij, & concursus ad illud in præfinitione amoris inclusa, atque de nolitione formali, & libera omissione præfinitionis, seu decreti concurrendi ad odium præfinitioni amoris adhuc diuinitus inseparabiliter annexa: quia eatenus solum nolitio concurrendi ad odium impugnat, in horum principiis, cum absoluta

nostri

nostri arbitrij potestate, & libertate ad odium, quatenus cum illa pugnat præfinitio odij, seu decretum concurrendi ad illud necessario prærequisitum; si enim hæc cum nolitione odij, seu decreto concurrendi ad illud, non pugnarent, posita adhuc nolitione formali, maneret absolute odium nobis possibile: ast posita præfinitione amoris, quæ virtualis odij nolitio est, & ei necessario, adhuc diuinitus, inseparabiliter annexa negatione præfinitionis odij, seu decreti concurrendi ad illud, repugnat eius præfinitio, seu decretum concurrendi ad illud: ergo, & fit odium arbitrio nostro absolute impossibile, nec nostræ absolutæ potestati, & libertati subiectum. Vnde, qui adimplet præceptum positiuum, nequit peccare per actum positiuum oppositum: quia non potest adimplere, nisi ex præfinitione actus præcepti, quæ est virtualis Dei nolitio concurrendi ad actum oppositum: cum quo nec stat potestas, nec libertas ad illum.

2. Quinto. Præfinitiones istæ prædeterminatiuæ à nostra libertate independentes, & ad eius vsum requisitæ antecedenter faciunt homines impeccabiles quia ponunt, & contrarietatis libertatem tollunt, quia sunt virtuales nolitiones concurrendi ad oppositum: cum tamen sine volitione concurrendi, & præfinitione positiua actus oppositi, hic sit chimæricus, & impossibilis: imo & contradictionis abolent libertatem, vt late ostendimus hactenus sublatis verò præfinitionibus, & decretum concurrendi petit: quare, & in omni non exequente opus præceptum, cui plane, & præfinitio, & decretum concurrendi ad illud opus deficit, deficit absoluta potestas, & libertas ad illud, vt nuper vidimus: quare in eius carentia nullam suam exercere potest libertatem. Sine libertate autem peccatum est impossibile. Hoc autem hæresis aperta est. Verum Dominicanus Franciscus Dauila de auxil. cap. 7. n. 57. etsi id de omnibus hominibus non admittat: ait iustos, qui perseuerantiæ donum accipiunt, seu gratiam, in qua sunt moriturí esse absolute impeccabiles. Cum autem prædestinati omnes, & donum perseuerantiæ & gratiam, in qua tandem obibunt, obtineant, in huius sententia prædestinati omnes erunt aliquandiu absolute impeccabiles; quod est contra August. cap. 11. & 12. de corrept. & grat. vbi tria distinguit: *Posse nunquam peccare: nunquam actu peccare: & non posse peccare: & duo quidem prima: dari omnibus adultis; pauca quidem pro toto tempore vitæ: omnibus autem pro aliquo tempore. Tertium autem pertinere ad statum gloriæ.* Contra Prosper. de vocat. gentium cap 28. init. Bernard. serm de duplici baptismo, &c. init. ad id Roman. 9. *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia,* &c. vbi notat non adiecisse *nec nos ipsi. Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberauit: vt nulla creatura auellere nos, aut vim facere possit. Sola id deferre possumus propria voluntate*, quæ Pauli verba eadem commentatur sententia Hugo Victorin. quæst. 229. in epist. ad Roman. est contra S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 9. corpor. aientem, *Non tamen per hoc* (perseuerantiæ donum) *ita retrahuntur à malo, quin omnino peccare non possint* & 4. cont. gent. cap. 70. ait. Confirmatos in gratia posse absolute peccare. Et 2. 2. quæst. 24. art. 11. impeccabilitatem homini non videnti Deum minime conuenire defendit: quibus consonat. 1. par. quæst 82. art. 2. corp. fine quæst 100. art 2 & 1. 2. quæst. 106 art. 2. ad 2. Id quod etiam de B. Virgine ante verbi conceptionem docet qu. 24. de verit. sed tamen de B. Virgine à verbi conceptione potestatem peccandi non habuisse docet in 3. d. 3. qu. 1. artic. 2. quæstiunc. 3. ad 1. & 2. vbi de physica impotentia peccandi plane loquitur. Nam impotentiam peccandi moralem in prima eius sanctificatione antea ipsi decuerat eandem physicam impotentiam peccandi à verbi filii conceptione Virgini deferunt Alex 3. p. quæst. 9. m. 9. art. 1. §. 2. circa med. Marsil. in 2. quæst. 17 fine, quibus consentit tacite Ruiz sect. 5. num. 8. Adde rursus S. Thom 3. part, quæst 27. artic. 4. ad 1. S. Bonauent. in 3. d. 3. artic. 2. quæst. 2. Ricard Victorin. lib. super Cant. cap. 16. & à prima etiam virginis sanctificatione Gabr. in 3. d. 3. qu. 1. art. 3. Okamum secutus Almain d. 12. q. 2. quos refert Soar. 3. p. tom. 2 d. 4. sect. 4. §. *quamquam*. Quibus ego libentissime subscribo, sed inre solum vnitatis moraliter inter filium, & Matrem. Deo quippe filio indecens foret, si eius iam in Matrem electam, & Matrem peccaret: eique eius peccatum imputaretur citius quam peccatum filij, & pupilli, Parenti, & curatori: quare & potestas peccandi absoluta Beatissimæ Virginis coniuncta cum absoluta potestate, vt Deo imputetur peccatum esse deberet: Vnde & hac repugnante (vt vere, & Catholice repugnat) & virginis eam Matris potestatem peccandi absolutam repugnare necesse est, vt t. de Deo incarnato de eius humanitate Theologicabamur. Sed ad reliquos, qui perseuerantiæ donum, imo & confirmationem in gratia à Deo obtinuerunt redeundo S. Thom. imitantur Theophilus Raynerius in Pantheolog. verbo *liberum arbitrium*, & verbo *charitas*, S. Antonin. 1. p. tit. 4. cap. 1. §. 3. cap. 2. §. 6. circa med. cap. 4. §. 3. Caietan. Deza, Capreol. Conrad. & reliqui Theologi apud nostrum Ruiz de Scient. d. 47. sect. 4. à n. 3. & n. 10. & 11. refert Durandum, Maior. Medinam, Soar. Molin. & Azor. qui sect. 5. n. 3. refert errorem Beguardorum damnatum Clement. *Ad nostrum*, de Hæretic. aliquos iustos ad tantam charitatis perfectionem peruenire in hac vita, vt iam peccare nequeant: quod tamen hic Author de omnibus asserit prædestinatis.

3. Pugnat etiam hoc Dauilæ effatum cum apertissimis rationibus Theologicis: quin iuxta Tridentin. sess. 6. cap. 12. & 13. & can. 23. donum perseuerantiæ, & necessarium ad salutem est, & ad ordinariam prouidentiam erga iustificatum prædestinatum spectat: ergo id donum non aufert ab homine absolutam potestatem peccandi. Probatur consequentia. Non est minus miraculum, & extraordinariæ prouidentiæ auferre ab homine potestatem peccandi, quam potestatem moriendi: at auferre hanc est extraordinariæ prouidentiæ, ac non ordinariæ: ergo & auferre illam: quare dono illo, quod ordinariæ eius prouidentiæ est, nequit illa auferri. Secundo, si perseuerantiæ donum, quod peccandi absolutam auferat potestatem ad perseuerandum requiratur, perseuerantia in hominis iusti potestate non erit: quare neque salus, quæ absque perseuerantia, eiusque dono esse non potest. Primum patet: quia in nullius hominis potestate est auferre sibi potestatem peccandi: ast, si perseuerantiæ donum eius potestatis ablationem inducceret, nequiret in hominis potestate hoc esse, quin & ablatio potestatis peccandi esset in eius potestate. Tertio à priori, quia in via, cum nihil satiet appetitum, nec summum bonum clare visum voluntatem rapiat, locus manet, vt voluntas bonis delectabilibus, etsi illicitis, allici absolute possit: quare cum ij, qui perseuerantiæ donum, imo & confirmationem in gratia à Deo obtinuerunt eis donis à viæ statu non extrahantur, allici absolute à bonis illicitis, & peccare absolute possunt, in quam rationem recidit illa Durandi in 3. d. 3. quæst. 4. num. 6. quamdiu possibilis est defectus in ratione, possibile est voluntatem peccare in electione: at in omni viatore possibilis est defectus in ratione erroris ignorantiæ inconsiderationis, minusque perfectæ considerationis, euidentiæ, & certitudinis, de conuenientia boni honesti, & obseruatione præcepti, & disconuenientia transgressionis: ergo & in omni voluntate iusti, etiam in gratia confirmati, possibile est peccare in electione. Et sane cum Paulus eximie in gratia confirmatus, ita vt expendebant Bernardus, & Hugo Victorin. nuper ad Romanos scripserit: ac rursus primo Corinth. 9. dicat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar*: vt ad rem hanc ponderat S. Th. citato loco cont. gent. ac de Seraphico Francisco, mihi citra dubium, in gratia confirmato S. Bonauent. in eius vita c. 6. §. *Studebat*, hæc scribit. *Sæpe cum beatificaretur à pluribus verbum huiusmodi proferebat: filios, & filias habere possum, nolite laudare me vt securum*: nescio quo pacto asserere quis audeat, contra tot Patrum, & scholasticorum, ac Pauli expressa testimonia, imo & Tridentinum vbi proxime vniuersim definiens *iustum absolute peccare posse*, & citatam Clementinam, iustos in gratia perseuraturos peccare absolute non posse damnantem, vti Dauila asseruit. Etsi enim doctrinæ de præfinitionibus nostrorum actuum de se efficacibus consectarium sit, tot authoritatum, & rationum momentis, absque vllo Doctorum patrocinio aduersatur.

4. Et enim si Carthusian. in 1. d. 46. qu. 3. post med. de Apostolis in gratia die Pentecostes confirmatis non potuisse

de

de cætero mortaliter peccare asserit, ac de B. Virgine neque venialiter; tamen ibi de potestate solum consequente, & morali impotentia loquitur, quæ per dona, & charismata Spiritus sancti, haberi solummodo potest; etiamsi in' supremis gradibus, & copiosissima affluentia spiritualis consolationis, & altissimæ contemplationis, quibus obuiantia quæque virtuti, & obseruantiæ confirmatis in gratia proterantur, vt de se Apostolus aiebat ad Roman. 9. recitatus, atque ad rem hanc expendebat Augustinus in Psalmi 7. illa verba. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Est enim confirmatio in gratia per eiusmodi donorum copiam (vt noster Ruiz docte scribit citata sect. 5. num. 7.) [Velut incendium syluæ vastissimæ, ac frondosissimæ summa æstate excitatum, tæda, ficcis, piceis, & similibus arboribus abundantis: quam præterea fingas multo grandine ceræ, multaque pluuia olei perfundi. Hanc enim proinde aquæ multæ inferius præterfluentes non poterunt extinguere, nec flumina obruent illam, ventorumque vehementiores flatus magis inflammabunt.] Cum tamen leuiores venti, & fluctus reliquorum prædestinatorum charitatis lucem, & ardorem extinguere, & obruere valerent, qua eadem fere similitudine ad rem eandem explicandam vsus est Bernardus serm. de natiuit. Ioann. Bapt. sub init. Cassian. collar. 6. Abb. Theodori cap. 13. Augustin. epist. 144. ad Anastasium expenso testimonio Pauli ad Rom. 8. *Quis nos separabit*, &c. Atque à contrario perditissimorum hominum obdurationem explicat ibidem, quos nec flagella temporalia à vitiis reuocant, nec inspirationes vehementes in bonum inducunt, quo etiam pacto hanc obdurationem explicant Gregor. lib. 34. moral. cap. 6. ad illud Iob 41. *Cor eius indurabitur, quasi lapis, & stringetur, quasi malleatoris incus*, & lib. 29. c. 15. col. 2. & 3. alias c. 22. & 23. ad illud Iobi 38. *In similitudinem lapidis aqua durantur.* Hieronym. in Zachar. 7. vers. fin. ad illud: *Cor suum posuerunt in adamantem.* Bernard. 1. de considerat. ad Eugen. sub init. serm. 2. de resurrect. ante med. & S. Bonauent. 3. pharetræ cap. 13. Hæc autem impotentia peccandi ita in gratia, etiam eximie confirmatorum, per affluentem donorum, & charismatum, etiam feruentissimæ charitatis, copiam, & redundantiam præcise impotentiam peccandi physicam solummodo consequentem importat, antecedentem vero impotentiam solummodo moralem, si enim physicam induceret libertatem ad peccandum contra dogma Catholicum viatoribus ita confirmatis afferret: sicuti, & obduratis etiam impotentiam peccandi induceret, quia, & non transgrediendi absolutam tolleret potestatem. Est autem hoc inter confirmatos in gratia, & obduratos in malo discrimen, quod hi malo vsu gratiæ sufficientis se positiue, & principaliter obdurent, Deusque solum negatiue, & permissiue se habeat, quatenus efficacia auxilia, quibus non male vsuros nouit, non donat, vtpote suorum beneficiorum, & gratiarum absolutus dominus, quique eas hominibus conferre nullo iure tenetur: atque ea solum ratione eorum corda, & voluntates obdurare in Scriptura dicitur sæpe. Confirmare vero in gratia, atque moralem illam impotentiam peccandi confirmatis inducere positiue & principaliter dicitur. Tum quia, & eius affluentiæ donorum, quibus ea moralis peccandi impotentia antecedens ita confirmatis affertur, vnicus, nec solum præcipuus, author est: tum, quia ex ea intentione, vt non transgrediatur, sed iustitiam, & gratiam conseruent à Deo eiusmodi charismata conferuntur. Alexander vero Alensis, qui ex loco citato citari aliqua apparentia pro parte effati huius Dominicani, quod impugnamus, vtcumque posset, quatenus impotentiam peccandi, quam post filij Conceptionem Virgini defert, ad quemlibet finaliter in gratia perseuerantem pro vltimo instanti vitæ extendit in solut. ad primum de impotentia physica peccandi consequenti tantum, antecedenti vero solum morali per Spiritus sancti dona, vel gratiam Dei externæ protectionis, quibus vel dæmonis pro eo vehementes tentationes, & astus remoueantur, vel superentur, intelligendus certe est; in B. quippe Virgine duplicem peccandi impotentiam agnoscit. Alteram per Spiritus sancti dona, & charismata, excellentiora quidem, quam in aliis omnibus in gratia confirmatis, sed horum tamen charismatibus similia, in prima sanctificatione (scilicet in sui conceptione simul cum gratia ipsi à Deo collata: & hanc proinde physice consequentem solum, & moraliter antecedentem, debiliori, & imperfectiori gradu ad omnes finaliter in gratia perseuerantes pro vltimo vitæ instanti extendi satis Theologice docuit. Alteram vero à conceptione filij, & sui, & Patris ex Dei maternitate prouenientis, quam absolute impotentiam peccandi, quare & physicam merito censet: quia eius peccata in filium Deum titulo maternitatis, vt diximus refunderentur; sicuti & peccata humanitatis Christi titulo hypostaticæ vnionis, & hanc ad perseuerantes in gratia finaliter, nec pro vltimo vitæ instanti, extendit, vt oportebat, ad hoc, vt ex parte effato Dominicani huius adfaueret.

5 Cæterum, etsi adhuc respectu prædestinatorum (imo, & confirmatorum etiam in gratia) à Deo absurda ea Dauilæ propositio sit, est tamen doctrinæ præfinitionum de se efficacium consectaria. Nec solum horum impeccabilitas absoluta (quam in his pro aliquo tempore, quo continue in gratia finali perseuerabunt hic Doctor admittit) sed & reliquorum omnium, etiam non prædestinatorum impeccabilitas, seu physica absoluta peccandi impotentia pro instanti quouis, quo non peccant, eadem præfinitiones necessario consequitur, vt n. 1. & 2. ostendebamus, ac rursus ex huius discursu pro prædestinatis, & tempore, quo gratia ad finem vitæ continuatur in hunc modum ostendo. Ideo per te prædestinatus eo tempore, pro quo habet perseuerantiæ donum impeccabilis absolute est quia est decretum Dei de se efficax, & prædeterminatiuum actuum eius pro toto illo tempore: atque pro instanti, quo quivis alius, etiam ex non prædestinatis, non peccat, adest Dei præfinitio de se efficax, & prædeterminatiua actus, quo legem non transgreditur, nec peccat, sed obseruat: ergo quivis, etiam ex non prædestinatis, homo pro instanti, & duratione, qua non peccat, est absolute impeccabilis, nec poterit absolute peccare, ac non adimplere præceptum: quod prorsus hæreticum est. Consequentia videtur certa. Idem enim præstat repugnantiæ transgressionis præcepti præfinitio pro vno instanti actus, quo pro eo instanti obseruandum, nec transgrediendum præceptum est, quod præfinitio omnium actuum, quibus pro toto tempore, pro quo prædestinatus habet perseuerantiæ donum, obseruandum, nec transgrediendum præceptum est; imo non aliter præfinitio illa, si vnica sit, omnium actuum obseruantiæ præcepti impeccabilem absolute, & impotem transgrediendi præcepta prædestinatum reddit, quam, si pro singulis omnibus instantibus præfinitiones singulæ eiusmodi actuũ obseruantiæ adessent: nec, si ita à Deo singulatim præfinirentur imperfectius, debiliusve cum peccato pugnans perseuerantiæ donum prædestinatus haberet. Secundo præfinitio prædeterminatiua materialis peccati necessaria indispensabiliter est ad peccandum, iuxta hunc Doctorem, & omnes iam suæ sectæ Recentiores: quare à negatione peccati ad negationem præfinitionis prædeterminatiuæ ad materiale ipsius, in horum sententia, est necessaria consecutio: ergo respectu cuiusvis non peccantis, pro instanti quouis, non est præfinitio prædeterminatiua materialis peccati pro quouis instanti, pro quo non peccat: seu potius est nolitio efficax prædeterminandi illum pro eo instanti ad materiale peccati, seu libera omissio præfinitionis prædeterminatiuæ ad illud, cum qua æquè impossibile est peccatum, atque cum nolitione efficaci Dei concurrendi, seu omissione libera decreti concurrendi ad illud, horum sententia ergo cuiuis non peccanti pro eo instanti, quo non peccat, peccatum est absolute, & antecedenter impossibile ex absoluta impotentia peccandi. Consequentia hæc probatur: quia nolitio efficax concurrendi, seu omissio decreti concurrendi ex parte Dei ad materiale peccati, facit non peccanti absolute impossibile peccatum ex impotentia absoluta peccandi, vt Dauila, & commilitones præfinitores materialis peccati fatentur: ergo, & nolitio efficax prædeterminandi, seu omissio præfinitionis prædeterminatiuæ ad materiale peccati, quæ æque, eademque ratione pugnat cum peccato, facit cuiuis non peccanti pro instanti, quo non peccat, absolute impossibile peccatum ex impotentia absoluta peccandi pro instanti illo. Quod autem æquè, eademque ratione pugnet cum peccato omissio præfinitionis prædeterminatiuæ, seu nolitio prædeterminandi ad mate-

riale

riale peccati, ac nolitio efficax concurrendi, seu omissio decreti concurrendi ad illud est certum. Primo: quia, cum prædeterminatio fit concursus prævius causæ primæ, & physica prætmotio eius respectu causæ secundæ, ad huius motionem requisita, vt necessaria, & essentialis causæ secundæ in suis motibus, & operationibus subordinatio seruetur. Idem omnino est præfinitio prædeterminatiua ad materiale peccati, eiusve omissio, & nolitio efficax concurrendi. Idem autem æque, eademque ratione, pugnare cum eodem debet, vel non pugnare. Secundo, etsi decretum concurrendi ad materiale peccati, ac præfinitio prædeterminatiua ad illud, ac subinde eorum omissiones distinguantur, imo & præfinitio materialis peccati ad decretum concurrendi ad illud, tanquam intentio efficax ad electionem supponatur: cum tamen, & necessaria præfinitio, & anterior ad materiale peccati sit, imo, & vno gradu anterior, quam decretum concurrendi, eius omissio, vel opposita nolitio materialis peccati eadem ratione, atque omissio decreti concurrendi, vel decretum non concurrendi ad materiale peccati, eodemque anteriori naturæ, & causalitatis gradu, imo vno gradu anterius non peccanti cuivis peccatum impossibile absolute ex absoluta peccandi impotentia omnino iuxta aduersariorum doctrinam prorsus reddet: vti absurdo hoc quinto vniuersim probandum suscepimus. Porro ex hoc absurdo aliud deducitur, vel continetur fidei dogmati alteri aduersum: scilicet peccati originalis culpam omnibus Adæ posteris (Deipara excepta) communem, cum absque actuali Adæ peccato non sit (quod præfato discursu repugnare ostenditur) esse nobis impossibilem.

6 Infertur sexto cum nostro Ruiz de Montoia d. 46. deficient. ex contractu, iuramento, aut voto nullam hominibus, in præfinitorum horum sententia, suboriri adimplendi illa obligationem. Probat bene ille, quia, qui se obligat ad agriculturam per annum ex contractu, vel se obligat ad agriculturam separatam à præfinitione, vel coniunctam cum præfinitione illius, neutro modo ex eo contractu suboritur ipsi obligatio: ergo ex contractu illo (& idem est de reliquis) nulla obligatio contrahenti suboritur. Probatur ex prima antecedentis parte consecutio, in præfinitorum horum sententia, quia contractus de opera, aut re impossibili præstanda casus natura sua est, & ex quo proinde nulla eius præstandæ obligatio suboritur: vt notum in iure est instit. de inutilib. stipulat. §. *Item contra*, & pluribus vulgatissimis iuribus. Atqui agricultura separata, siue seiunctim præstanda à præfinitione eius, necessaria in horum doctrina ad ipsam, est contractus de opera, ac re impossibili: ergo & casus contractus est, & ex quo nulla obligatio suboritur contrahenti. Æque vero ex secunda antecedenti parte inoffense consequentia curritur. Etenim dupliciter solum potest de agricultura coniunctim cum præfinitione præstanda contractus iniri: scilicet, vel conditionate, siue de ea, si Deus ipsam præfiniat, seu præfinierit, qui est contractus de ea præstanda sub conditione præfinitionis diuinæ: & hoc modo nullatenus oritur obligatio quovsque conditio posita, & purificata absolute est. Cum autem, quoties contrahens de agricultura illam non exequitur, conditio, sub qua de illa præstanda contraxit, non solum non purificetur, imo vero eius oppositum, scilicet præfinitionis agriculturæ omissio, vel præfinitio negationis agriculturæ: ergo non tenetur ad agriculturam, quoties illam non exercet. si contractus ille de agro alterius excolendo conditionatus sit sub præfinitionis conditione. Sin autem præfinitio ponatur, & purificetur conditio, cum, velit, nolit, agrum debeat excolere ad nihil omnino se ex vi contractus obligat denuo, ad quod ex voluntatis suæ creatæ prædicatis obligata in doctrina præfinitorum non sit. Cum eo etiam semoto non possit non agriculturam præfinitam exercere: quare contractus ille ridiculus, frustraneus, & illusorius æque erit, atque hic *ponam effectum, si eius actionem volens, nolens apposuero, vel aliunde eius apponatur actio.* Alio vero modo tantum intelligi is contractus potest: scilicet, de agricultura absolute apponenda: cum autem agriculturæ actio essentialis actualis dependentia à sui præfinitione prædeterminatiua sit, & quæ proinde absque essentiali suo principio, nempe præfinitione, esse absolute nequit, sicuti, & reliquæ essentiales actuales dependentiæ, & actiones absque suo essentiali principio esse non possunt: ergo, qui contrahit de agricultura absolute, & secundum essentialia exercite, & actualiter apponenda contrahit de illa apponenda contrahit de illa apponenda simul, seu coniunctim cum præfinitione ipsius, à qua nequit in suæ actualis, & essentialis appositionis exercitio præscindere; sed nequit contrahere valide, & obligatorie de coniuncto agriculturæ, & præfinitionis, seu de coniungenda agricultura cum præfinitione: ergo nec de agricultura absolute apponenda potest valide, & obligatorie contrahere subsumptum probo. Nemo potest valide contrahere de eo, quod suæ potestatis non est, neque ad illud se obligare: ast coniunctum agriculturæ & præfinitionis non est potestatis Agricolæ contrahentis: ergo Agricola nequit valide de eo coniuncto contrahere ad illudve apponendum se obligare.

7 Minor probatur: quia dupliciter solum potest esse potestatis Agricolæ contrahentis illud coniunctum apponere: nempe, vel quia habet vnam coniuncti illius partem, verbi gratia, præfinitionem, & suæ potestatis est ponere aliam scilicet agriculturam, qua coniunctum ex vtraque confletur; vel quia suæ potestatis est vtriusque simul positio: sed Agricola contrahens de agricultura tunc, cum contrahit non habet præfinitionem agriculturæ per annum, singulosque eius dies, & horas exercendæ, vt patet, & aduersarij fatentur: ac proinde non ita potest ponere coniunctum præfinitionis, & agriculturæ, quatenus illam præhabet & hanc illi potest adiungere; præterquam quod, vt diximus præhabita præfinitionem non ponere agriculturam non potest: quare neque ex sua potestate potest illam apponere, vt non frustraneè, & illusorie contrahat, teneaturque ad pretij, quod pro agricultura acceperit restitutionem: siquidem pro opera, quæ suæ potestatis, & dominij, posita præfinitione, non erit illud recipit, quod est paradoxum absurdum: sed nec suæ potestatis est ponere vtramque simul: quia in primæua præfinitorum, quos impugnamus, sententia, operationum nostrarum præfinitiones soli potestati, & libertati arbitrij diuini subduntur, quin nostræ voluntatis potestati, & libertati in sui conceptione, & positione subiaceant: ita, vt omnino independenter ab vsu nostræ libertatis è mero eius arbitratu, & libertate à Deo concipiantur. Deinde contra aduersariorum aliquos, qui præfinitionum harum in sui à Deo conceptione, & positione ab vsu nostræ libertatis dependentiam aliquam per actus, vel omissiones præuie disponentes, vel per bonum earum vsum actibus ipsis præfinitis à nobis exercitum admittunt pugnatum à nobis est certaminibus totis 9. 10. & 11. Præterea impugnatur potestas ad præfinitionem prædeterminatiuam agriculturæ à Deo obtinendam, ac subinde ad coniunctum totum apponendum per præuiam dispositionem, & diligentiam contrahentis Agricolæ de agricultura, quia, cum omnis contrahens ex vi contractus teneatur ea omnia præstare, quæ in sua potestate sunt, vt contractum adimpleat; fiet sane, vt Agricola omittens præuiam illam dispositionem, & diligentiam, siue positiuam, siue negatiuam ad præfinitionem, sine qua contractum adimplere nequit, tunc, & toties peccet, quoties illam omittit. Vnde rursus fiet: vt peccare sæpe ex contractu hoc contra iustitiam possit qui agriculturam sedulo industrie, & perfecte exercet, de qua contraxit: quod est absurdissimum: quia operam de qua contrahit potest Deus præfinire, etiam, cum omnem præuiam dispositionem omisit, qui de ea opera contraxit: tunc autem opera illa cum omni perfectione, sedulitate, & industria cum qua præfinita à Deo est fiet à contrahente, quin ea non fieri, vel fieri aliter ab illo queat & tamen in omissione præuiarum dispositionum illarum ex contractu, & contra iustitiam peccabit: ergo stado in opere executione sedula, industria, & perfecta poterit ex contractus vi cõtra iustitiã peccare.

8 Neque vero vrgeri contra nos hæc argumenta, aliquodve ex illis potest. Etsi enim Deus sui omnino iuris absolute sit: cum in decreto concurrendi cum

nostris voluntatibus indifferenter ad vnam, vel alteram partem, ad quam se illæ determinent: tum in cogitationibus indifferentibus disponendis, ac præstandis, quibus, quantum satis, vt minimum, est, instrui, apparatique voluntas debet, vt absolute libera, atque ad vtrumvis potens constituatur: tamen, cum ea omnia ex munere causæ primæ à Deo posita, & naturæ iure ad naturales omnes operationes supponantur, & moraliter ex ordinaria Dei prouidentia semper habenda, solúmque ex parte nostræ libertatis, & potestatis ad vtrumvis, quam principia illa à Deo moraliter certo apponenda & indifferentia de se ad vtrumvis, neque ad alterum determinantia, relinquant nobis ad rem, & operam, industriam liberam, qua contrahimus & viuos, pacisci mur, atque operam nostram adiuncturos, quo pacto coniunctum ex eis principiis indifferentibus, & re, de qua contrahimus absolute apponere nostræ omnino potestatis, & libertatis est: quare nec de impossibili irrito, nec de eo, quod non apponere non possumus, illusorie pacisci mur: atque adeo absurda omnia contra præfinitores hosce legitime, vt æstimo, deducta in nostra doctrina cessant. Quoniam vero potentia extraordinaria, & absoluta sua Deus ob alios, quam naturæ ab ipso creatæ iuribus attendere, fines, & decretum indifferenter concurrendi cum voluntate nostra suspendere, & cogitationem ad operam, de qua contrahitur, præstandam denegare de se Deus potest: in omni contractu nostro conditio implicita & subintellecta est, ni Deus me id tibi præstare extraordinaria sua potentia nolit: vel si Deus, non obstante absolutæ, & extraordinariæ suæ potentiæ iure, quantum ex ipso est, velit, & necessaria ex parte sua apponat. Porro hæc absurda omnia, quæ ex parte vnius contrahentis de agricultura fundi alieni, ex parte etiam domini fundi illius de agriculturæ pretio præstando. Eodem modo contra præfinitores omnes inferuntur, imo contra omnes omnino contractus, & promissiones, earumque valorem, & obligationem æque probant, vt cuivis ea mediocriter intelligenti, & ad quemvis contractum, promissionem, & similia cætera applicanti manifeste patebit.

9 Ex dictis etiam constat vota omnia, & iuramenta irrita se ipsis, nulliusque obligationis eisdem de causis iuxta præfinitorum sententiam esse. Quod hæreticum, vel saltem hæresi proximum est. Etenim votum, & iuramentum de re præstanda promissio est Deo facta, eamve continet: quare à promissionibus reliquis ex persona, cui fit, & ad quam dirigitur, differt: ergo, si promissiones omnes irritæ sunt, nullamque obligationem inducunt promittenti, suntque pure illusoriæ. Idem etiam de votis dicendum in aduersariorum sententia erit. Secundo probatur breui discursibus factis voto, & iuramento de opere præstando applicatis: quo & ad promissiones reliquas applicati eadem proportione manebunt. Etenim, si conditionatum votum sit illud opus faciendi si Deus illud prædefinierit, cum aliter à nobis fieri, vel non fieri illud opus nequeat, purificata conditione per præfinitionis positionem, nihil quod nostræ potestatis sit, quodve ea posita velimus nolimus Deus habiturus non sit, Deo pollicemur: quare irrito, & in Deum irrisorie vouetur. Secundo, cum non obliget votum, vel iuramentum conditionatum, nisi purificata conditione; ac insuper quoties id, quod Deo per votum obtulimus non præstamus conditio præfinitionis, quæ sine opere præfinito esse, in aduersariorum sententia repugnat, non purificetur, atque absolute ponatur, non erit illud tunc præstandi obligatio: quare neque vnquam in eo non præstando potent esse peccatum. Deinde, si de opere absolute præstando votum emitti velis, cum non possit præscindere executio operis, quam offerimus, in exercitio à sui præfinitione magis, quam ab essentia præscindere valeat: erit votum de opponēdo opere cum præfinitione ipsius coniunctim, siue coniunctum vtriusque: quod is solum præstare potest qui operis præfinitionem pro tempore, pro quo illud præstare vouit, habet, & ex illa opus apponere, illique adiungere potest, vel qui vtrumque ponere in sua potestate habet; non habet autem vouens præfinitiones operis, quod vouet, pro tempore, quo illud præstare Deo vouit, vt aduersarij fatentur. Et ex iis omnibus, qui frequentissime vota Deo non reddunt, euidēter ostenditur: nunquam enim non redderent, si ea semper reddendi præfinitiones haberent: imo non reddere minime possent. Secundo, si eas haberent, atque ex earum præhabitione, & suppositione vouent irrito, & irrisorie vouent: cum id Deo offerant, quod independenter à voto, ac velint, nolint, non præstare non possunt. Ad ponendum vero vtramque coniuncti partem, scilicet præfinitionem, & opus Deo oblatum potestas vouenti non est: cùm præfinitio eius potestati, & libertati in sui positione, iuxta aduersariorum primam quam doctrinam, non subiaceat: eaque, vel posita, vel non posita facultas ad ponendum, vel non ponendum opus oblatum non adsit, vt oporteret ad alterutrum ex potestate sua apponendum.

10 Iam vero si decretum non præfinitiuum, & prædeterminatiuum operis, de quo votum emissum, sed de se se indifferens, vt cum operatione nostra, eiusve negatione coniungi possit, atque item reliqua, quæ voluntas habet opus, vt ad operandum progrediatur, progrediique absolute possit, eius etiam indifferentiæ sint, vt in nostra sententia: quomodocumque votum, eiusque obligatio explicetur, consistere illa apertissimum est. Et si enim cogitationes sanctæ ad voti adimpletionem necessariæ, nec potestati, nec iuri, & exigentiæ naturali voluntatis nostræ subdantur: ac proinde illas ponere, earumque collatiua decreta habere, ad supernaturalem Dei, prouidentiam solummodo spectet; voti adimpletio nostræ tandem sub illis principiis potestatis, & libertatis est. Etenim, siue sub illorum conditione voti promissio, & obligatio conditionata solum intelligantur, siue absoluta (quia ex ordinaria prouidentia supernaturali, quæ de facto erga omnes homines, & rationales creaturas habet, quibus omnibus auxilia sufficientia ad salutem, ac subinde ad præcepta, votaque omnia adimplenda Deus impertit) certa eorum habendorum spe moraliter præhabeantur, tam auxilia & sanctæ cogitationes, quam decretum concurrendi de se indifferens, quod voluntas causæ creatæ iure reposcit concepitque Deus titulo causæ primæ, cum eas sanctas cogitationes, & auxilia conferre decreuit. Constat ergo vouentes ita vota sua Deo reddere purificatis, & positis requisitis hisce posse, vt de re, neque absolute, neque sibi impossibili vota emittant: ac insuper cum iisdem requisitis positis, & stantibus non reddere vota absolute queant, de re necessaria, &, quæ illis positis vouentium potestati & libertati non subdatur, minime vouent. Si igitur, siue sub requisitorum conditione, siue ex præfata eorum præhabitione absolute, vel conditionate opus adiungere, illaque, & si de se non efficacia sui operis adiunctione efficacia reddere, & possunt, & vouent, & tenentur.

11 Septimo in præfinitorum sententia grauium, & leuium tentationum distinctio apud Theologos Patres, & Scripturam dogmatice in omni materia asserta, et eo, quod circa quamvis materiam possit homo vel fortius, vel remissius ad peccandum impelli: ac proinde grauius tentati, vel martyres, vel confessores, vel virgines maiori plausu immerito ab Scriptura, Patribus, & Ecclesia tota, quam leuius tentati celebrantur. Assumptum probatur, quia cum præfinitione victoriæ quæcumque tentatio leuis est, sine præfinitione autem ad illam, vel cum opposita præfinitione ad peccati materiale (quam necessariam etiam nonnulli ex antiquis Thomistis, & Recentiores ex ipsis omnes reputant) ad peccatum omnis tentatio est prorsus grauis; imo ab homine quovis insuperabilis: nulla autem tentatio de se se affert prædeterminationem ad victoriam, vel eius negationem, aut prædeterminationem oppositam ad peccatum, ac proinde considerata voluntate cum quovis motiuo, & occasione peccandi præcise non est magis leuiter, quam grauiter tentata, impulsiue, & sollicitata ad peccatum; sed si adsit ad hoc præfinitio, vel absit præfinitio necessaria ad victoriam, quantumvis occasio, & motiuum leue sit, grauiter, & ineuitabiliter ad peccatum tentata; si vero adsit ad victoriam præfinitio tentata, vt summum, leuissime, imo perfunctorie solummodo, vt certam. seq. ostendemus, tentata erit, nec maiori periculo peccandi expósita. Nec satis facies, si dicas grauiori impulsioni, occasioni, & motiuo

peccandi

peccandi frequentius coniungi, vel negationem præfinitionis ad victoriam, vel etiam præfinitionem oppositam ad materiale peccati connexum inexitabiliter cum ruina, & peccato ita tentati: ac proinde malus esse in illa, quam in leuiori tentatione periculum peccandi: tum quia id non prouenit ex vehementioris de se se impulsionis, & occasionis ad peccatum; sed è Dei pure arbitraria præfinitione, aut omissione præfinitionis ad vnum, vel ad alium: quare non nisi stupide, & inaniter Dæmones, qui id sapiunt, tentationes, & suggestiones malas nobis virgerent, vehementiusque, & ardentius nos ad peccandum instigarent: tum etiam, quia grauis tentatio, qua grauis est, & à leui distinguitur, maiori nos peccandi periculo exponit: atqui maiori nos periculo exponit peccandi, & difficultatem affert resistendi maiorem ratione coniunctionis cum præfinitione materialis peccati, vel negationis præfinitionis ad victoriam, seu inclusæ exigentiæ, & connexionis cum illa: ergo nullus grauiter tentatus resistit, sed potius omnis graui tentationi cedit, & peccat: quod & contra experientiam quotidianam, & contra scripturam est. Patet consequentia, quia cum præfinitione ad materiale peccati, seu negatione præfinitionis ad victoriam, seu aliquo exigente, & connexo cum illa, nequit non vincere tentatio, peccatumque ab ita tentato admitti, vt ex hactenus dictis claret.

CERTAMEN XIII.

Neque vltima solutione palinodiam recantante quidquam aduersarij præstant.

1. HActenus contra præfinitionum prædeterminatiuarum absolute arbitrij nostri, & libertatis vsum ex parte actus primi antecedentium ab illoque omnino independentium sententiam pugnatum est. Nec adeo segniter, vt eorum impetu acti illi etiam præfinitores prædeterminantes primi, post varias male fidas solutiones tentatas, à primæua sua doctrina non decesserint: asserentes, vel præuio actu, vel omissione dispositiua, vel actu ipso prædeterminatiue præfinito in genere causæ materialis præcedente præfinitionis, ac inde ortæ physicæ præmotionis absolutam positionem ab vsu arbitrij, & libertatis nostræ pendere, in quo alteram primi sui asserti partem deserunt aperte, illiusque fundamentum præcipuum ad raucitatem ab ipsis contra nos inclamatum (quod se homo ipse in suæ prædestinationis negocio discernat) non perdunt solum, sed contra se ipsos armant impetu maiore: vt à quovis periculosius in ipsos regeratur, vt vidimus cert. & 11. sed vt planè, pleneque sententiam deponerent priscam, ac palinodiam tandem, quoad præmotiones physicas præfinitionum suarum asseclas, recantarent, asserunt tandem eas ad voluntatis nostræ operationes ex parte actus primi, ac prioris naturæ, & causalitatis non antecedere; quimino eius operationibus identificari: quare non magis ad has ex parte causæ, vt comprincipia, siue, vt applicationes cum voluntate nostra præcedere posse, quam possint operationes nostræ sibi ipsis ex parte causæ alterutro modo cum voluntate præcedere. Atque hoc modo voluntatis nostræ libertatem non lædi planum quoad præmotiones est: eadem quippe potestate, qua suam possunt operationem cohibere, possunt diuinam præfinitionem, seu præmotionem physicam ipsi identificatam impedire: siquidem, quod à duobus pro libito concurrentibus essentialiter pendet, nolente altero, esse non potest, vt mille obuiis exemplis patet. Ita respondet Ledesma de auxil. art. 6. concl. 2. & 4. art. 7. concl. 2. solut. argumentor. art. 8. concl. 3. art. 10. ad 7. & 8. Zumel 1. p. q. 111. art. 7. disp. 4. ad 2. tom. 2. opusc. l. d. 4 sect. 7 concl. 4. & 5 & Thomistæ Recentiores Complutenses publice hac tempestate de suggestu responderunt: probabileque reputauit olim Cabrera d. 6. de auxil dub. 10. n. 7. Et quidem Capreolus in 1. disput. 38. q. 1. art. 2. ad 1. contra 4. concluſ. & Lorca d. 21. de grat. vers. *Ex hac autem* idemtitate concursus, & prædeterminationis diuinæ cum nostræ voluntatis consensu posse nostram libertatem componi asserunt.

2. Non tamen prædeterminationem Thomisticam, siue voluntati intrinsecam, & inhærentem, siue extrinsecam diuinæ præfinitionis, qua à Deo voluntas nostra præmotione, actio neque, siue adactione præuia antecedenter causalitate determinetur, loquuntur: quam vterque pessime odit, vt vidimus. Sed præillud præcedentiam non actionis diuinæ ad nostram cui idemificatur, sed causæ primæ ad voluntatem nostram, quæ sicut creatæ aliæ, causa respectu illius secunda est, & posterior nobilitate, principalitatem operandi, & maioris vniuersalitatis prioritatem apud illos significat: quia vniuersim creata omnia in operando à Deo pendent: vnde vniuersim valet subsistendi consequentia ab operatione creaturæ ad Dei operationem; non autem è contra ab operatione Dei ad operationem creaturæ vniuersim loquendo. Et quamuis in voluntaris cooperatione hac valeat ab operatione Dei ad operationem creaturæ: id tamen ex indigentia operationis ipsius est, non autem causæ primæ in operando, quæ ad hanc etiam operationem, non solum ex operationis ipsius, sed & voluntatis ipsius indigentia, subordinatione, & dependentia in operando requiritur: quare etiam, vt à Deo, communis vtrique, & eadem operatio, est prior se ipsa, vt à voluntate creata prouenit esse optime potest, atque adeo, vt à Deo est, prædeterminationis nomen merito sortiri. Ideo nostri etiam Doctores, qui constanter Dei concursum cum nostræ voluntatis operatione idemificarunt, ipsi quatenus à Deo est, hanc prioritatem, & præcedentiam respectu sui ipsius, vt à voluntate est, admittunt: nec eo sensu prædeterminationis nomen recusabunt, vt constat ex Lessio cap. 4. Apolog. n. 9. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 8. num. 52. qui eo sensu bene intelligunt S. Thom. in 2 d. 37. q. 2. art. 2. de voluntate creata aientem. *Non posse vitari, quin esset primum agens si eius actio in aliquod prius agens, non reduceretur.* Similiter loquuntur ex nostris alij Soar. 1. de auxil. cap. 4. num. 8. ex Aristot. & Scoto) & cap. 15. n. 7. c. 17. num. 9. licet eo cap. & cap. 22. num. 8. prædeterminationis nostræ voluntatis à Deo nomine consultius abstinendum dicat, *ne cum hæreticis in modo loquendi conueniamus, quamuis in verbis non sit multum inhærendum; si satis explicetur per illam particulam, præ, non significari præmotionem, extrinsecam efficacem ipsius Dei; sed significari solum concursum Dei in illa actione esse principaliorem, & aliquo modo priorem natura secundum independentiam & subsistendi consequentiam, vt supra explicatum est.* Repetit tom. 2. de grat. qui de auxiliis, eorumque efficacia est, lib. 5. cap. 22. ad 21. inclusiue, & quamuis in alia simili de nomine quæstione; an Deus ratione simultanei huius concursus determinare voluntatem dicendus sit? affirmare absolute videatur in opusc. l. 1. de auxil. cap. 11. n. 8. & cap. 17. n. 8. & lib 3. cap. 22. n. 15. fine, id tamen sensu solum explicato admittit, ac non absolute, sed cum addito, vt ipsa simul se determinet, & Deus determinet, non sine illa, & citato tom. 2. de grat. seu efficacia auxil. lib. 3. cap. 30. num. 12. *Nec simpliciter dicendum est Deus determinare physicè voluntatem, sed condeterminare, vel coefficere determinationem eius.*

3. Neque alia sane ratione determinatio, seu prædeterminatio, ac præmotio à Deo voluntatis nostræ ad volendum à Pererio nostro admittitur, solum enim eas voces ob prioritatem maioris vniuersalitatis, & à quo non valet subsistendi consequentia à nobis, & Soario explicatam; & cum Soariana limitatione, & addito, non autem simpliciter ab eo admittuntur, vt constat ex locis, vbi eas admisit, scilicet 8. physicor. c. 8. & 9. vbi ait voluntatem à seipsa determinari, vt eius laudi merito, & demerito, ac libertati sit locus, Deum ita mouere, & determinare voluntatem, *vt ipsa nihilominus simul se ipsam moueat, & per suam deliberationem se determinet ad hoc, vel illud.* Et quamuis causalitatem primæ causæ causalitate secunda priorem natura eo cap. 8. docear, hæc tamen prioritate naturæ

solam prioritatem maioris vniuersalitatis, & à quo non valet subsistendi consequentia, intendere satis explicuit, subdens: similem illam esse ei, quæ informis reperitur inter prædicata sensitiui, & vegetatiui: *Quemadmodum enim esse sensitiuum præsupponit esse vegetatiuum, & hoc esse corporeum; sic etiam in mouentibus, & efficientibus per se subordinatis posterius necessario præsupponit prius: & prima causa causalitas prior natura est, quam causalitas secunda.* Quod autem dicat etiam causas secundas respectu primæ, vt instrumenta artis respectu artificis se habere: non quo ad omnia, adhuc aduersarij intelligi volent, vt in suas partes trahant Pererium: alioqui, & voluntates nostras, vt in anima instrumenta à Deo, prima causa, moueri contra Tridentinum admittent. Sensus ergo, & paritas à Pererio significata ea solum est: non magis voluntates nostras independenter à Dei motione, & concursu mouere se posse, quam artis instrumenta independenter ab artifice, in quo sensu & verum exemplum est, & prius à S. Thom. allatum, vt videre est apud Soarium lib. 1. de auxil. cap. 11. num. 5. fine. Suum vero hunc paritatis eius sensum, & mentem necessariæ dependentiæ in operando causæ secundæ à prima satis Pererius expressit cap. illo 9. recitatis adnectens *ob eam causam*, (scilicet determinationem propriam adhoc, vel aliud) *meritò appellatur libera. Non enim intelligendum est: voluntatem esse liberam omnino ita, vt à nullo pendeat, nullique subiiciatur; hac enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus.* Et inferiùs agens naturale à libero creato discriminat: quod illud positis omnibus ad operandum requisitis, ita, vt nihil desit, nihilve obstet, non possit non operari; *at voluntas, etiam tunc potest agere, & non agere illud, quod ei proponitur, vel etiam contrarium.* Neque aliud voluit prædeterminationis nostrarum actionum à Deo voce (ita enim perfinitiones earum diuinas à nobis explicatas, quæst. 5. certam. 3. num. 10. quandoque appellat,) Henriq. lib. vltim. de fine hominis, quam maioris vniuersalitatis prioritatem Dei, & independentiam à causis secundis in operando, quam ipsæ à Deo nequeunt subterfugere, ita enim seipsum explicuit eo lib. cap. 5. num. 3. & in Gloss. litt. H. *Deus, quia independens est, & prima causa, dicitur prius agere in genere causæ efficientis: maxime, quia causa secunda à Deo vim agendi, & conseruationem habet; sed causa secunda dicitur prior in genere determinationis ad talem effectum specie, & numero*; Pro qua doctrina citat S. Thom. Scotum, Molinam, Caiet. & alios. Sed de huius & Pererij à Dominicanis, quo ad rem præsentem, & consectaria auersionem dedimus plura quæst. 5. cert. 3. à n. 10. ad 12. inclusiue.

4. Sed tamen eis vocibus determinationis, & prædeterminationis voluntatis nostræ, & actionum eius à Deo (quibus solam præcedentiam dignitatis diuinam in agendo, & maioris vniuersalitatis prioritatem & independentiam nostri significarunt) siue de intrinseca, siue de extrinseca voluntati nostræ, atque omnino ab eius voluntate independente loquantur Doctores nostri merito abstinent. Tum: quia determinatio causæ indifferentis proximè ad operandum (qualis constituit à Catholicis omnibus voluntas nostra libera debet, & in sua etiam doctrina constitutam manere aduersarij contendunt,) dicit elicientiam actionis, quæ sola potentiæ illius proximæ secundum se totam indifferentis ad operandum, vel non operandum, vel operandum oppositum immediata determinatio esse potest. Tum etiam: ne videamur eis vocibus cum Hæreticis conuenire: vt nuper Soarius aiebat, nosque illi proinde (sicuti & Catholicos Patres Dominicanos ea, vt minimum, de causa numerant) in suis castris recenseant. Tum: quia prædeterminatio ad operandum, seu operationem, dicit motionem determinationis ab eo, ad quod determinatio est, tanquam medij ad finem, sermonis proprietate: quæ eiusdem à se ipso esse non potest. Denique: ne Dominicani Patres, & asseclæ Thomistæ Recentiores, suis nos partibus, & sententiæ, (à qua sensu, & mente toto abscedimus cœlo) inani vocum earum aucupio, accedere clament, & glorientur: vti in Pererio, Henriquez, & aliis (quos ab ea impostura, cum hic, tum præsertim quæst. 5. cert. 3. vindicauimus,) præstiterunt: quod si adhuc prædeterminationis nomen ob maioris vniuersalitatis independentiæ, & principalitatis in operando prioritatem conseruare nihilominus aduersarij velint, per nos vtique, & gratos, licebit: Siquidem suam prædeterminationis diuinæ antecedentiam natura, & causalitate, seque ex parte actus primi tenentem cum voluntate ad operationem liberam, & necessario cum illa de se, & ex tunc pro illo actu primo connexam ab eiusque libertate omnino independentem deferunt; & nobiscum, & à libero voluntatis, & operationis exercitio pendere neque illud ex parte causæ in actu primo constitutæ præcedere, sed illi potius idemtificari, vt idem ipsum exercitium, & operatio voluntatis nostræ liberum vtrique sit, qui in illud conuenire simul suo arbitrio, & libertate debet, vt ipsum exercitium apponatur, & in se absolutè existat, ac subinde altero è duobus præ sua libertate non concurrente, sed renuente, & nolente, nequeat operatio, & exercitium liberum voluntatis nostræ, nec Dei extrinseca operatio (quæ eadem cum nostra ab his dicitur) absolute subsistere. Non secus, ac motus lapidis, qui non nisi à duobus, præ ingenti sua magnitudine, & pondere, moueri potest, vtriusque motio esse debet, ita, vt, renuente altero, alterius motio esse non possit. Id autem ipsum est, quod nos constanter asseruimus, & asserimus nostrorum sensu, & mente. Neque hanc physicarum prædeterminationum doctrinam referimus, vt disputemus, refellamusque (à quo tota hac disputatione abstinere statuimus) sed, vt amicas in ea doctrina dextras iungamus, ac videamus, an possint per illam etiam nobiscum in præfinitionibus suis (de quibus solum præsenti agimus disputatione) amice conuenire.

5. Cæterum, etsi inueniendi, quod vehementer optamus, adeo exploratum desiderij genium, & ingenium sit; fœderis, quoad præfinitiones cum Thomistis Recentioribus (cuius ingens nobis amor est) nulla dispicitur via. Cum enim Dei præfinitio libera in horum sententia æque necessarium principium operationis nostræ sit, atque nostra voluntas, quæ seorsim, ac se sola illam elicere nequit, sicuti neque à diuina præfinitione seorsim, cum ab vtroque essentia, & entitate sua indiuisim, iuxta veram solutionis memoratæ doctrinam, pendeat: fiet sane è duobus alterum: vel diuinam præfinitionem ex parte actus primi ad operationem voluntatis præsuppositam renuente ex parte sua voluntate consisterepolle: ex quo euidenter infertur diuinam præfinitionem absque operatione præfinita posse absolutè esse, ac proinde frustrari: siquidem absolute renuente, ac non concurrente voluntate, si neque eius operatio essentialiter esse absolutè operatio nequit magis, quam ipsam non præfiniente, sed renuente Deo; quare & erit præfinitio absoluta Dei, si renuente, ac non concurrente ex parte sua voluntate absolutè persistat, sine operatione præfinita, ac subinde frustrabitur: quod aduersarij, imò, & sanæ mentis homo non admittet: cum de præfinitione, & voluntate Dei quauis efficaci verum in primis certumque illud ex fide & naturali ratione esse debeat: *voluntati eius quis, quidve resistet?* Quod si, vt hoc vitetur absurdum præfinitio Dei necessario ex parte actus primi ad operationem voluntatis præsupposita, ita de sese cum operatione voluntatis independenter omnino ab vsu, & exercitio libertatis posita, & connexa inseparabiliter ab eius operatione asseratur in alterum absurdum manifestè incurritur: nempe libertatem voluntatis nostræ necessario eiusmodi præfinitione aboleri, vt hactenus tota fere hac disputatione contendimus, & cui solutione pro physica prædeterminatione (quam nunc non impugnamus) ad præfinitiones de sese efficaces accommodata, vel accommodanda erat occurrendum. Etenim si ita necessario præfinitio Dei de sese connexa, atque inseparabilis ab operatione præfinita voluntatis, atque ab exercitio libertatis eius prorsus independens ex parte actus primi ad eam operationem debeat præcedere, ea præfinitione ita posita non esse operatio ex actu illo primo pro posteriori suo naturæ ingno nequibit: neque eius absoluta existentia voluntate, & arbitrio absolutè impediri citius posset, quam præfinitionis eius absoluta positio, atque illius à diuina

uina voluntate absoluta præ conceptio: quam neque à voluntate nostra impediri absolute posse, neque huius arbitrio absolute subiacere aduersarij ipsi supponunt. Vbi ergo in sua ita præfinita operatione absolute edenda voluntatis libertas? Vbi ad suas operationes arbitrij locus? vbi indifferens eius ad vtrumuis in actu primo potestas, atque resistendi, abiiciendi, ac dissentiendi nostrum absolutum posse? nisi ad aliquam è convulsis, eradicatis, funditusque euersis hactenus solutionibus à postrema ista recurratur.

6. Quodsi (quandoquidem doctrina hac adeo proxime ad nostros Doctores aduersarij accedere voluerunt) intimioribus aliquorum ex nostris doctrinis velint adhærere: nescio an id toto exequi possint. Dicere enim primo possent: præfinitiones absolutas diuinas nostrarum operationum, eisque ex parte actus primi præcedentes futuritionis earum à volntate nostra conditionata scientia, dirigi, ac regulari. Sed in primis solutio hæc, vel scientiam conditionatam nostram admittit, & ad Soaristicas nostrarum operationum, Thomisticis de sensis, diuinas præfinitiones venit, vel est omnino insufficiens. Patet quia, vel scientia illa conditionatæ futuritionis nostrarum operationum decreto efficaci, seu præfinitioni earum absolutæ ex parte subiecti, & ex parte obiecti conditionatæ innititur, iuxta statam apud ipsos doctrinam, & tunc redeunt argumenta omnia, quæ contra ipsos dedimus controu. 2. Præterea cum operatio nostra essentialiter à præfinitione hac, æque, atque à voluntate dependeat in nullo statu à voluntate absque decreto efficaci, seu præfinitione ipsius, fieri neque absque voluntate nostra esse potest. Cum autem à decreto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte subiecti esse pro illo statu nequeat, vt nunc dicebamus, atque decretum efficax, seu præfinitio operationum nostrarum earum principium, & compricipium cum voluntate nostra sit, eodem loco, & signo ad futuritionem, & veritatem obiectiuam conditionatam earum poni debet, quo voluntas, ex prærequisita essentialia ex parte actus primi ad illas exercendas apponantur. Cum autem hæc omnia ad futuritionem, & veritatem obiectiuam conditionatam illarum in hypothesi, seu conditionis loco apponenda necessario sint, & præfinitio etiam pro conditione ad futuritionem eandem illarum conditionatam necessario apponetur. Eo vero loco præfinitione ipsarum posita, ipsarum pro eo etiam statu contingentiam, & libertatem conditionatam euertat necesse est: vt facili hoc, & irrefragabili augmento demonstro. Quidquid præstat absolute principium operationi suæ absolute positum, præstat conditionate eidem, si pro conditione, siue in hypothesi ad ipsam apponatur: cum nihil aliud tunc designet, quam quod præstabit, præstaretve absolute, casu quo absolute poneretur: quare implicat verum esse ab eo absolute posito aliquid absolute operationi præstare, quod in hypothesi, & pro conditione positum eidem conditionate non præstet. Tum sic: Sed posita præfinitio Thomistica (vel similis alia quæuis) absolute præstat operationi nostræ præfinitæ euersionem absolute contingentiæ, & libertatis, vt num. 5. summatim, & fusius tota d. demonstrauimus: ergo eadem posita in hypothesi, seu pro conditione ad operationem nostram euersionem conditionatæ contingentiæ, & libertatis eidem præstabit. Vt ergo ex directione, & regulatione præfinitionum harum per scientiam conditionatam illarum, voluntatis, & operationum nostrarum libertatem cum ipsis componant, vel eas præfinitiones de se se cum operatione præfinita connexas deserere, vel non esse necessaria, & essentialia nostrarum operationum, sed supererogatoria principia fateri debent quod est, & à sua sententia decedere, scientiam nostram conditionatam & plane mediam admittere, atque ad Soaristicas præfinitiones migrare.

7. Denique vt vtrumque hoc absurdum retenta præfinitionum cum præfinitis operationibus connexione declinent, dicere possunt: præfinitiones determinationi, seu operationi voluntatis nostræ præuias non esse, neque ex parte actus primi ad illam cum voluntate se tenere sed ipsam comitari operationem, & determinationem voluntatis, atque ad idem ipsum signum naturæ posterius cum illa spectare. Ita ingeniosos Recentiores Complutenses Thomistas, qui huius sectæ Dominicanis blandiri, eo etiam nomine, profitebantur respondisse audio, cum à nostris vexarentur. Cæterum solutione hac in pluribus à Thomistica Schola necessario discedunt, atque aliarum sectarum difficultatibus præpediuntur. In primis enim præfinitionis nomen prisca, & hactenus apud ipsos recepta, ac propria quidem significatione, quæ eius ad operationem præfinitam naturæ, & causalitatis præcedentiam significat, abiiciunt: cum huic non ita præcedere, sed comitari solum ipsam pro eadem naturæ, & causalitatis posteriori signo fatentur. Quare licèt Pontio ingenioso Scotistæ ea solutione annuentes decretum efficax operationum nostrarum comitans defendere possent, nequeunt tamen suas Thomisticas præfinitiones tueri, quæ & sermonis proprietate eam naturæ antecedentiam sonant, & apud ipsos semper significarunt. Secundo neque decretum efficax comitans operationem, seu (quod eodem recidit) voluntatis nostræ determinationem, ac non prioritate naturæ antecedens in suis principiis possunt. Ipsi enim cum Caietano 1. p. q. 19. art. 2. actum omnem liberum voluntatis diuinæ, secundum se totum, & adæquate sumptum, Deo intrinsecum esse docent, licet, qua, liberum realiter formaliter perfectionum secundum quid solum, & diminutam, ac defectibilem, non absolutam, & simpliciter talem intrinsece absolutæ perfectioni necessariæ volitionis Dei superaddat. Cum autem decreto suo libero, & efficaci de operatione nostra, nec nuda sua voluntate necessaria, & inuariabili Deus operationis nostræ causa, & principium ex parte sua, iuxta hanc volitionis, & decreti liberi efficacis constitutionem sit: nequit decretum liberum efficax Dei, de operatione nostra illam ex parte causæ, & prioris naturæ non antecedere, se ex parte actus primi cum voluntate operatura tenendo ad operationem efficaciter ab ipso decretam eliciendam: quare non magis ipsam pro signo posteriori naturæ, & causalitatis operationis nostræ comitari decretum liberum efficax Dei poterit, quam voluntas ipsa, à qua etiam operatio ipsa procedit. Iis ergo, qui decretum liberum Dei adæquate per Dei intrinseca constituunt, quin ad libertatis eorum constitutionem extrinsecum aliud creatum aduocent, ea solutio ex vsu esse nullatenus potest. Mitto impugnationes alias statim attingendas contra eos, qui ad decreti liberi constitutionem creatum aliquid adsciscunt, vt postrema hac impugnatione se expediant (quod assequi adhuc eos non posse constabit ex dicendis sequenti controuers. de volunt. Dei d. de liberæ volitionis Dei constitutione) eę siquidem omnes decretum liberum hoc comitans operationem nostram decretam, etiam adæquate per Deo intrinseca constitutum æquo impetu quatiunt.

8. Si igitur, vt hæc absurda vitent, decreti liberi deserant per Deo intrinseca omnino constitutionem, quam (Ferrara omisso) tota sua Schola cum Caietano sectatur, atque illud extrinseca creata operatione præfinita velint, qua liberum est reipsa (rationis nostræ respectibus, & figmentis resecatis) compleri: quare neque frustrari posse effectu, seu operatione præfinita, sine qua absolute non est, neque antecedere natura, & causalitate operationem voluntatis nostræ præfinitam, qua completur, ac subinde neque voluntatis in actu primo libertati officere: siquidem neque ex parte actus primi operationem voluntatis antecedit, sed expectat potius, & tanquam sui constitutiuum subsequitur in desertam à se ante hac sententiam Ferrarae 1. cont. gent. c. 75. quam noster Vasq. 1. p. tom. 1. d. 8. Arrubal, & Herize ingeniose illustrarunt, quare, & in Vazquianæ Scholæ nostræ sententiam eunt. Secundò præcedentiam naturæ suarum præfinitionem ad operationes, qua illas constituunt plane deserunt. Tertiò, cum ita diuina decreta efficacia, & libera per nostræ voluntatis operationem liberam constituunt: etsi voluntatis nostræ adseruetur in operando libertas; apertissime voluntatis diuinæ libertas pessundatur; atque nostræ potius in operationibus nostris discernendis libertati subjicitur, quam nos eius arbitrio subdamus; quod dictu est nefas, atque aduersariorum præcipuo fundamento repugnans. Patet, siquidem quousque nostræ voluntatis exerceatur liberras

positione ipsa operationis nostræ, qua liberum de illa decretum Dei formaliter constituitur, nullatenus Dei libertas exercetur. Cum autem in nostra potestate absolute sit eam operationem apponere, vel secus, vt eam edere libere possimus, in nostra certe potestate erit, quod Deus decernat. Insuper cum absolute in nostra potestate esse absolute nequeat operationem edere, quin, quæ ex parte Dei prærequisita à nostra voluntate sunt, ad operandum ex parte actus primi adsint, atque ex parte Dei nulla in actu primo ante operationē exerceatur libertas, quæ per illam constituitur, neque liberū decretum adesse magis possit, quam operatio sibi ipsi in actu primo præcedere: sit plane exercitium libertatis diuinæ in decretis nostrarum operationum concipiendi à nostræ libertate voluntatis pendere; secus autem huius exercitium liberum à libertate diuinæ voluntatis; quando quidem nullus actus Dei liber, qua liber, sed solum, qua Deo necessarius liberam nostram operationem potest ex parte actus primi (iuxta hanc decretorum liberorum Dei per decretas operationes, & effectus creatos constitutionem) antecedere. Quarto inde fit nostra libera voluntate nos ipsos iuxta hanc solutionem in negotio prædestinationis discernere, non autem libera voluntate, & electione diuina, vt patet: quod incassum toties contra nos inclamant aduersarij.

9. Quintò: etsi hæc omnia cessarent, & operatio nostra (quæ eadem Dei est) diuinam libertatem ex præfata ratione non aboleret, nostræque non subderet: ac subinde vtriusque libertatis exercitium liberum commune eadem operatio decreta esse posset; aliunde tamen vtriusque voluntatis, & creatæ, & diuinæ libertatem euerteret. Etenim absoluta, ac plena physica libertas ad operandum sine plena, & absoluta potestate physice operandi pro arbitrio eius, qui liber est, esse prorsus nequit: sicuti, neque naturalis, ciuilis, & politica potestas, ac dominium & absoluta libertas absque plena, & absoluta potestate ciuiliter moraliter, ac politice operandi pro arbitrio eius, qui eā libertatē habet esse potest: ast quoties à duobus essentialiter, & indiuisim operatio physice pendet pænes neutrius arbitrium est plena, & absoluta potestas physica ad eam operationem: ergo penes neutrum est plena, & absoluta potestas ad illam: atque ab vtroq; exulat plena, & absoluta libertas. Maior huius syllogismi per se nota est, atque exemplo absolutæ, & plenæ moralis ciuilis, & politicæ libertatis, & dominij (quæ physicæ libertatis imitatio est) demonstrata. Minor probatur: quia potestas physica plena operationis nequit esse in parte sola potestatis, seu principio solum partiali (cuiusmodi voluntas nostra seorsim, & diuina voluntas seorsim est) sed in vtriusque coniuncto, vel in altero, quod alterius etiam præhabeat partialem potestatem; absoluta item potestas ad operandum in partiali potestate, & principio non est ad operationem, quam nequit sine consortio alterius exercere, sed cōditionata solum, si alterum comprincipium operari velit: quare opus est, vt alterum ex illis, vel alterius exercitam voluntatem, & determinationem operandi, quantum ex parte sua est, præhabeat, vt præhabet in nostris principiis exercitam Dei, quantum ex parte eius est, circa operationem nostram nostra voluntas, decreto nobis cum concurrendi, & in cogitatione auxilio, quod habiturum de facto effectum scientia sua media nouit, quodque donat (si id prius, quam concurrere indifferenter decernat, donat) vel in cumulo auxiliorum, & cogitationum in sua omnipotentia contentorum (si ante decretum conferendi cogitationem libera sua voluntate concursum nobiscum parat, de quo d. 3. præhabet determinationem liberam nostræ voluntatis, quod si auxilia, seu cogitationes sufficientes solum donet, neque effectum de facto habituras, atque concursum ex parte sua, licet non sit voluntatis operationem habituras, quam intendit inefficaciter, permissiue se circa operationis negationem (si prauasaltem sit) in eius cogitationis donatione, & alterius efficacis, siue effecturæ, si donaretur negatione se habet: cum in sua potestate hanc habeat, vt donare posset, si vellet. Probatur secundo eadem minor exemplo moralis, politicæ, & ciuilis potestatis, & dominij, quæ physicam liberæ voluntatis, & arbitrij potestatem, & dominium in operando imitantur. Etenim, tam in suprema Principis alicuius absoluta, & plena potestate, & dominio ciuili, aut politico actio non est, quæ ab alterius potestate pendet, cuius arbitrium non sub eius sit potestate; sed inadæquate, & conditionata, si alter non renuat, sed in idem conueniat vterque. Similiter nec plenum, & absolutum dominium rei eiusdem penes vnum esse potest, qui ea sine iniuria alterius habentis in illam æquum ius, & potestatem vti, hoc renuente, nequit: vnde illud axioma iuris emanauit. *Rei eiusdem penes duos dominium in solidum* (id est plenum, & absolutum, ac non ex parte solum) *esse non posse*: quod de subtilibus, quam solidis, argumentis & technis nostrorum recentiorum controuersi. 2. de incarnat vindicamus.

10. Sexto denique impugnatur solutio: quia cum ex æquo, & à Deo, & à voluntate essentialiter oriatur voluntatis nostræ operatio (quæ idem vtriusque exercitium commune liberum est) casu omnino, & fortuito, neque ab alterutrius consilio apponi poterit: quare ex decreti huius comitantia cum nostræ voluntatis operatione, & determinatione tota diuinæ prædestinationis, & de nostris liberis actibus prouidentiæ certitudo aboletur, quod est absurdissimum. Assumptum ostendunt, cum enim, vt dicebamus n. 6. in nullo statu, siue conditionato, siue absoluto ea operatio ab altera solum voluntate siue creata, siue diuina esse possit, sed necessario, & essentialiter ab vtraque coniunctim esse in vtroque statu debeat; nequit Deus, quid voluntas in alterutro statu præstitura sub his circunstantiis vel absolute, vel in hypothesi positis præstitura in edenda operatione sit nosse, vt se le illi, comitem adiungat, quin se ea ipsa scientia, vel conditionata, vel absoluta cooperantem adiunctum voluntati, ac proinde nulla scientia directum, sed casu, & fortuito videat. Non secus, ac si cæca nocte duo in trabem, seu asserem prægrandem ab vnoquoque seorsim immobilem ex aduersis extremitatibus mouere tentantes casu, & forte fortuna mouerent: idque fore conditionate sub eis circunstantiis Deus scientia sua conditionata nouit: quia purificatis, & absolute positis illis ita omnino, ac non aliter & suæ, & nostræ voluntatis in operando coniunctio futura est, quocirca, etsi quia ita vtriusque coniunctionem in ea hypothesi, & circunstantiis fore scientia sua conditionata prænouit periculo fruſtrandi suæ libertatis exercitium absolutum, & decretum non se exponat, cum ex parte sua, & ipsam, & concursum determinate absolute decernit; ast casu, & fortuito sui, & voluntatis concursum simultaneum in eadem voluntatis nostræ operatione coniungi conditionata sua scientia nec vitat, (vt contendimus) nec ignorat. Porro duæ postremæ, nempe quinta, & sexta impugnationes, etsi decretum efficax de nostræ voluntatis determinatione, effectu, & operatione, non ex extrinsece, sed per Deo intrinseca omnino, & adæquate constitutum, & nihilominus (quod falsum, & impossibile esse ostendimus) determinationem, & operationem voluntatis nostræ comitans solum, ac non antecedens ella permittamus, æque eiusmodi decretum impugnant: vt facile eas, perfunctorie etiam, meditanti patebit.

CERTAMEN XIV.

Argumenta à ratione aduersariorum exarmantur, ac fortiùs in ipsos regerunturs.

1 REstat aduersariorum argumentis à ratione effo-
rmatis occurrere. Namque ab authoritate petuntur, institutis quæstionibus, dissecta, regestaque in ipsos satis à nobis antea sunt. Et quidem si quæ à ratione opponunt, & vocum ambagibus, quibus aduersariorum quisque ea proponit, & superfluo ingemmat, ponenda hic essent, neque sub terminis non paucis, iam in præcedentibus elumbata manerent, nec tomi integrum, atque vltra iustum etiam, oblongum certamen eis recensendis, (nedum diluendis, & regerendis) sufficerent. Sed tamen quæ rei argumenta sunt breui, ad pauca

pauca à Deo capita rediguntur, vt ea pauculis numeris proponi, dilui, atque in obiectantes maiori impetu retorqueri facile possint. Ex eis vero quædam generalia sunt ad omnem voluntaris creatæ operationem: quædam vero ad omnem eius operationem honestam gratiæ meritoriam, & æternæ saluti proficuam, quare & ex misericordi Dei electione supernaturali, siue prædestinatione prouenientem spectant. Sub primo capite (quod bifidum est) duo alia continentur specialiora. Alterum ex indifferentia voluntatis petitum, alterum vero ex prædicatis causæ, & libertatis secundæ, quæ in illa est, siue ex parte primatus causalitatis, & libertatis diuinæ. Tertium aliud arguendi caput è diuinæ scientiæ infallibilitate, & certitudine desumptum omittendum hic fuit, quia quatenus ad puram scientiæ veritatem necessariam spectat obtruncatum à nobis est controuers. de scient. disp. 4. q. 4. quatenus vero ad necessitatem earum præfinitionum pro determinatiuo, aut verificatiuo diuinæ de ipsis scientiæ attinet ibi disputatione de determinatiuis, & verificatiuis scientiæ diuinæ.

2. Ad rem igitur præsentem arguunt primo. A principio, & causa actiua indifferenti, vt indifferenti, nequit esse operatio, & effectus determinatus, seu determinate: atqui voluntas nostra de se, & in se indifferens principium, & causa actiua suarum operationum, & effectuum est: ergo ab ea, vt tali, nequit esse sua operatio, aut effectus determinatus, seu determinate: ergo, ab ea operatio sua, aut effectus determinatus seu determinate prouenire, oportet illam ex parte principij aliunde, seu ab alio determinari, seu prædeterminari, siue intrinsece per physicam prædeterminationem (de qua nil in præsenti) siue extrinsecus per Dei præmotionem, sicam prædeterminationem (de qua nil à quo in operando dependet. Nisi in maiori subdolam vocem *determinate*, quasi alterius *determinatus* synonymam haberemus, facile negaremus maiorem. Etenim à Deo præcipuo, & primo agente libero, & indifferenti, qua tali, & creatæ omnes operationes, & effectus determinari, & libera sua omnia decreta determinata suo modo prodeunt: quare, & à reliquis agentibus liberis, & absolute indifferentibus, quæ primi illius imitationes, & imagines in eo (vt vidimus q. 1.) sunt, qua talibus etiam, non potest solum vna, sed debent determinatæ suæ operationes, & effectus prouenire. Quod autem Deus primum agens liberum sit, non tollit, quo minus agentia libera creata ipsum, in eo etiam imitentur: cum aliunde libertas diuina in operando abunde saluetur, vt argumentis ex eo capite petitis respondentes ostendemus. Secundò eius maioris falsitas ex definitione causæ liberæ vniuersim sumptæ, provt creatam etiam coercet, ab scriptura Patribus, & Conciliis, & Scholasticis Doctoribus consone tradita & euidenter cert. 3. demonstrata ostenditur. Siquidem iuxta illam agens liberum, qua tale, debet esse indifferentis in actu primo, ad agendum, vel non agendum, seu hoc, vel eius oppositum potestatis.

3. Tertio ex horum doctrina necessario à Catholicis omnibus admittenda impugnatur, quia per hos potius etiam præfinitione operationis nostræ voluntatis, vt libera maneat, debet manere in illa potestas, & actiuitas indifferens ad operationem, eiusque siue positionem, siue priuatiue oppositum: ac proinde maner in voluntate in sensu composito præfinitionis (& idem est physicæ prædeterminationis) si multas potentiæ ad vtrumque extremum, licet non potentia simultatis præfinitionis cum extremo oppositio operationi præfinitæ, sed ab indifferenti, qua indifferenti potestate actiua saltem creata nequit operatio, & effectus determinatus, seu determinate prouenire per vos: ergo nequę operatio determinata, seu determinate potest prouenire à voluntate, posita etiam quauis præfinitione diuina ipsius. Vnde & incassum contra nos eo principio arguunt Thomistæ, quod æque eos impugnat: ac surtus suarum præfinitionum cum operatione, & effectu præfinito necessariam connexionem debellat. Siquidem iuxta illud, & potentiam voluntatis indifferentem (quam catholice fatentur) non solum non necessario, & ineuitabiliter futura à voluntate præfinita operatio est, sed quod ea sit, est omnino impossibile, vt ergo illam maiorem tueantur potestatem indifferentem voluntatis ad vtrumvis posita præfinitione, siue vt ipsi aiunt simultatem potestatis in sensu composito præfinitiones, posita præfinitione contra scripturam Patres Concilia Senonense, & Tridentinum contra Innocent. 10. & Alexandri 7. definitiones, & contra euidentissimam rationem coguntur deserere, & aperte negare cum hæreticis libertatem. In forma respondeo distinguendo (ob æquiuocationem adverbij *determinate*, quæ in vocem *determinatus* etiam refunditur) maiorem: *determinatus* in sua causa, *& determinate* determinatione antecedente in sua causa nequit effectus, aut operatio ab agente indifferenti principio procedere fateor. *Determinatus*, *& determinate* talis in se, & quoad suam entitatem nego: ita enim à principio indifferenti, qua tali, omnis operatio, & effectus contingens, & liber debet procedere: quin, si ab indifferenti principio procedat, liber esse possit. Procedere enim à principio determinato ad vnum operationum & effectuum naturalium, & necessariorum necessitas est, quæ libertatem abolet, atque eos à liberis operationibus, & effectibus distinguit. Inde concessa minori, distinguitur eodem modo consequens, & argumentum euanescit.

E primatu libertatis Dei, qui prima causa efficiens libera est, arguunt à primo agente libero operationis nostræ debet esse anterior, & prima absoluta determinatio operationis nostræ: atqui Deus primum agens liberum eius operationis est: ergo à Deo debet esse anterior, & prima determinatio nostræ operationis. Nequit autem esse ab eo determinatio anterior, & prima, nisi per diuinam illius prædeterminationem, saltem extrinsecam præfinitionis seu decreti efficacis de illa anterius natura ad ipsam à Deo libere concepti: ergo ad nostram operationem necessario, & essentialiter Dei de illa præfinitio prioritate naturæ, & causalitatis præcedit. Confirmatur maior, imo & integrum argumentum. Quia, ni Deus operationem nostram anterius natura præfiniat, atque voluntatem nostram ad illam exercendam in actu primo, saltem extrinsecus præfinitione sua, prædeterminet, sed potius absolutam eius determinationem nostræ voluntati relinquat, Dei primæ causæ in ea operatione edenda, & indifferentia, & libertas absolute à libertate inuerso naturæ ordine determinabitur: cum ante operationem, & determinationem voluntaris, & arbitrij nostri, ni Dei de illa præfinitio præcedat, ex parte etiam Dei absoluta eius determinatio non sit, sed ad illam edendam indifferentia absolute, & determinatio, vt summum, conditionata oblatione indifferenti concursus sui, si se voluntas determinauerit, ac Dei omnipotentia ipsi per illam oblationem applicita vti voluerit. Quod si de determinatione voluntatis ex libertate contrarietatis ad operationem, eiusque contrariam: cum ad vtramuis Deus concursum suum offerre debeat, & omnipotentiam applicare ad alterutram edendam; neque ad eam, quæ à voluntate se determinante elicitur conditionalis illa determinatio ad illam potius, quam ad oppositam operationem præcedit: cum ad oppositam etiam ea ad vtrumvis concursus sui oblatio, & omnipotentiæ applicatio, sit etiam conditionata voluntas concurrendi in Deo: ergo eiusmodi oblatio indifferenter concurrendi cum nostra voluntate ad vtramuis operationem Deum causam primam liberam nostræ operationi omnino, non solum absolute, sed conditionate indifferentem, ac indeterminatum relinquit: quare à secunda causa libera, scilicet voluntate nostra, determinatur causa prima libera ad operationem, quæ libere ad vtramque edendam est: in quo naturæ ordo aperte subuertitur (maxime cum ex libertate contrarietatis operamur) & diuina libertas in nostris operationibus edendis humanæ subiicitur: quæ sono ipso vocum suam produnt absurditatem; & deuoranda tamen sunt ab his, qui antecedentes liberarum nostrarum operationum præfinitiones, seu decreta Dei prædeterminatiua negent.

5. Expendi, quam potui arctissime, quia breuissime,

sime, quæ aduersarij, dum innumeris vocibus opponunt, & amplificant extensione ipsa confundunt debilitant, & extenuant; imo & argumento vires ex propriis addidi. Respondeo tamen in primis hoc argumentum cum tota confirmatione maiori impetu Thomistas solutionis postremæ de comitantia, ac non antecedentia diuini decreti ad operationem, seu determinationem nostræ voluntatis, quam toto cert. 13. dissecimus, impugnare: quare si quid ardoris viuidi illa haberent ad eius solutionis authores Cabreram, Ledesmam, Zumelem ea dirigeremus, vt in aduersarios efferuescerent, frigidioraque ad nos deinceps peruenirent: maxime cum illi nullum aliud diuinæ libertatis exercitium anterius natura ad concurrendum & cooperandum nostræ voluntati ad suam determinationem, seu operationem recognoscant primis suis præfinitionibus ea solutione destitutis quo posito nihil aptum argumento ex primatu causæ primæ libere, seu libertatis diuinæ eluendo possunt respondere, vt etiam dicendis manifestum fiet: siquidem, vt hic saluetur primatus, exercitium aliquod diuinæ libertatis natura anterius determinationi, seu operationi voluntatis nostræ debet assignari, aliquaque huius in exercitio suæ libertatis ad diuinum illud subordinatio, atque subiectio. Respondeo ergo in nostra doctrina facillime negando maiorem argumenti. Vt enim saluetur primatus libertatis causæ primæ Dei respectu operationis, & determinationis nostræ voluntatis, opus non est à causa prima libera eam prius natura determinari: sed causam primam liberam suam, liberam potestatem, & indifferentiam circa eius operationis, & determinationis nostræ positionem ex parte sua determinare anterius natura ad voluntatis nostræ, seu causæ secundæ liberæ determinationem, & operationem, per id enim exercitium libertatis secundæ creatæ, & posterius, dependens, & subiectum, ac subordinatum exercitio primæ libertatis diuinæ sufficienter intelligitur: cum hoc non præsupposito circa operationem, & determinationem voluntatis creatæ exercitium libertatis secundæ esse prorsus nequeat. Ast decreto voluntatis diuinæ concurrendi ex parte sua ad operationem, & si non prædeterminatiuo operationis (quod & debere ex parte actus primi præcedere, & à voluntate ad suæ libertatis absolutam determinationem, & exercitium operationis supponi asserimus) libere à Deo concepto ea anterioritas exercitij libertatis causæ primæ respectu exercitij libertatis causæ secundæ, huiusque respectu illius posterioritas, dependentia, subordinatio, atque subiectio seruatur vt patet: ergo diuina præfinitione operationis pro naturæ priori ad determinationem, & operationem voluntatis nostræ opus non est, vt diuinæ libertatis respectu operationis nostræ præfinitio, seu determinatio præcedat.

6. Quocirca æquiuocatio vitanda est de contingenti, & libera appositione operationis nostræ etiam à Deo, à quo libere etiam, nec solum à nostra voluntate apponitur. Etenim, vt libere aliquid ab agente libero apponatur, opus non est, vt sit illud formale, & immediatum exercitium libertatis, seu indifferentis potestatis in actu primo agentis illius à quo libere, ac non necessario apponitur: siquidem plures extrinsecæ nobis operationes formale immediatum, & primarium exercitium libertatis nostræ non sunt, & tamen libere à nobis apponuntur (vt domus, ad quam ignem libere applicamus, incensio, vulneratio, & occisio inimici, imo, & manus ad ignem, vel ensem applicandum, & immittendum extensio) quæ proinde, & alia pleraque libera nobis secundario sunt: quia eatenus libera nobis sunt, quatenus à libera nostræ voluntatis formali & primaria determinatione, seu volitione efficaci pendent, & proueniunt: quæ, si abesset, neque ea omnia à nobis fierent, eaque semel à nobis habita, non libere immediate, & in se, sed necessario à nobis proueniunt. Igitur operatio, & determinatio voluntatis nostræ libere, & à Deo, & à nostra voluntate est, diuersimode tamen. Respectu enim nostræ liberæ in actu primo voluntatis formale eius exercitium liberum immediatum, & primarium est, gaudetque ideo libertate nostra primaria. At vero respectu libertatis causæ primæ Dei formale, & immediatum exercitium, & determinatiuum non est. Sed ex præsupposita volitione libera concurrendi diuina cum voluntate nostra, quæ formalis libertatis diuinæ determinatio, est exercitium immediatum eius, ac primario liberum prouenies: quare ea nostra operatio respectu libertatis diuinæ libera secundario solummodo censetur, etsi non necessario determinationem formalem diuinæ libertatis, seu exercitium primarium eius absolute, sequatur, vt libertatis nostræ, vt hactenus ostendimus, iura seruentur. Ex qua doctrina tota subruit confirmatio. Siquidem ex ea constat exercitium liberum primarium, & formalem determinationem libertatis diuinæ à nostra operatione, seu libertatis creatæ determinatione non pendere, nec ei subordinari, vel subiici; sed potius è contra: cum operatio, & determinatio libera nostræ voluntatis primæ libertatis diuinæ immediatum exercitium, & formalem determinationem in decreto concurrendi (quodcumque illud sit, de quo d. 3. sequenti) nostræ operationis minime absolute determinatiuo, supponat. Quod autem in effectu, seu operatione absolute apponenda à nostræ voluntatis libertate dependeat, seu potius illam sine nostra libertate non possit apponere, non est libertatis Dei dependentia subordinatio, & ad creatam voluntatem subiectio, cum in eo benigno concurrendi decreto eam voluntati permittat, vt iura libertatis eius, & operationis seruet, quæ omisso saltem decreto concurrendi, vel præmiendo fortasse oppositum, posset violare. Ac demum elargitione cogitationis effectum habituræ, si donetur, eam ipsam voluntatis nostræ operationem, & determinationem in suo dominio, & potestate habet: quare eo etiam titulo est alia libertatis nostræ secundæ ad primam Dei in absoluta determinationis, & operationis suæ positione subiectio, & subordinatio.

7. Ex nudo, & generaliori prædicato causæ primæ respectu omnium causarum secundarum, etiam naturalium, arguunt tertio quia causæ prioris altera prior esse natura debet influxus, & operatio in illam: ergo causæ primæ Dei (quæ prima respectu omnium causarum creatarum, & operationum est) influxus, & operatio in illas prior natura esse debet. Atqui voluntas causa creata, & secunda est respectu, suæ etiam operationis: ergo causæ primæ Dei operatio, & influxus, in hanc etiam, debet esse natura prior. Confirmatur, quia causa omnis secunda ideo dicitur. Non, nisi mota ab alio, mouere, id est à Deo; Deus autem mouere immotus ab alio: Vnde & hic dicitur mouens immotus, & primus motor ab Aristot. Sanct. Thomæ Philosophis, ac Theologis reliquis nominatur. Confirmatur: quia si nostra creata voluntas, quæuisue alia causa secunda, immota prius à Deo in suam operationem prodiret, ac se, non prædeterminata, determinaret suæ operationis esset, mouens immotum, quod est causam primam, siue primam aliam non habens suæ operationis esse, atque adeo minime admittendum. Respondeo in primis retorquendo in aduersarios argumentum. Ipsi enim, vtpote catholici, fatentur voluntatem creatam ad dissensum non prædeterminatam siue intrinsece, siue extrinsece, imo vero prædeterminatam ad consensum ipsi contrarium, & in sensu composito prædeterminationis huius habere potentiam absolutam ad dissensum, siue posse simultate potentiæ, vt aiunt, dissentiri iuxta concilliorum, & Pontificum definitiones datas q. 3. ergo absque prædeterminatione, siue intrinseca, siue extrinseca Dei, voluntas de se, & à se potest operari: ergo & potest absolute esse causa prima suarum operationum, primam aliam non supponens, si quid aduersariorum discursus probat: non minus autem regnant creaturæ posse absolute esse causam primam non supponentem aliam, cite, & actu causam primam non supponentem aliam: ergo aduersarij totum sui argumenti impetum, (si quem habet) excipiunt. Sed certe nullum habet: fallum siquidem assumit, dum causæ prioris alicuius operationis, & effectus, ac proinde primæ, quæ Deus est respectu omnium creatarum, debere per aliquam prio

debere per aliquam priorem natura prædeterminationem physicam, siue intrinsecam, siue extrinsecam operationi causæ secundæ præcedere. Et de intrinseca quidem & inhærente causæ creatæ facile constat; quia præter eius superfluitatem præsertim in causis naturalibus secundis) ea prædeterminatio actio formaliter esse nequit; alioqui propriori naturæ ad operationem creaturæ, & pro quo ea prædeterminatio ab aduersariis ponitur, ponenda esset operatio, & influxus Dei in effectum, & operationem creaturæ, ac proinde, & ipsa creaturæ operatio, & effectus: cum actio, & influxus in terminum pro nullo signo absque termino esse absolute possit, neque influxum alium, vt illum apponat spectare: alias absolutus non esset; quare actio, & terminus, seu effectus ad idem ipsum naturæ signum spectant, vel certe nullum aliud prius expectant: qualitas autem creata esse itidem nequit ea prædeterminatio; esset enim operationis creaturæ causa etiam secunda: quæ, si absque alia Dei prædeterminatione solo Dei influxu actuali, & cooperatione comitante cum ipsius, & causæ alterius secundæ per ipsam prædeterminatæ cooperatione à Deo satis præmoueatur (vt fateri necesse est, ne in processum infinitum prædeterminationem anteriorum natura, & causalitate abeatur) totus totus Thomistici huius argumenti impetus infringitur. Principium hoc de necessitate anteriotis naturæ prædeterminationis Dei, vt causa vlla secunda (ne dum omnes) operetur, Caietanus, Albelda, & reliqui peritiores Angelici Præceptoris esse reiiciunt, & explodunt. Respondeo ergo primatum causæ primæ nostrarum operationum concursu simultaneo Dei cum illa, sicuti, & cum causis reliquis secundis saluari, vt non solum prisci Thomistæ peritiores, verum & ex Recentibus, cum quibus pugnamus, subtiliores memorati certam. proximo fatentur. Saluatur siquidem in eo non solum causarum secundarum in essendo, atque ita in operando, seu operatione sua dependentia remota (quam satis esse Durandi schola ad primatum Dei, in causando etiam defendit) sed & proxima in operando dependentia, & quod causa secunda ea ipsa operatione, qua mouet, & se, & alia, à Deo prima causa simul moueatur ac suarum operationum primum mouens non sit: cum illa ipsa sui motio sit à Deo, & quatenus à Deo, est prioritate dignitatis, & maioris vniuersalitatis, & independentiæ sit prior seipsa, quatenus à causa creata, & secunda procedit, vt sæpe dixi.

8. Quamquam respectu creaturarum voluntatum, siue earum secundarum contingentium præmotio alia intentionalis per primam indeliberatam cogitationem, & motus subitos cum S. Thom. Albelda, Vasquez, & vtriusque scholæ Dominicanæ, & nostræ Doctoribus Deo soli adscribenda sit: & in operibus omnibus meritoriis, & ad vitam æternam, quouis gradu, conducentibus per sanctas cogitationes, siue congruas, siue sufficientes entitatiue sumptas, etiam ex sola Dei misericordia, intentionalis est præmotio: quoad extrinsecam vero nostræ voluntatis à Deo prædeterminationem per decretum efficax Dei antecedens illius operationem, siue præfinitionem Dei ab eius primatu in operando causæ primæ non venit: vt aduersariorum discursu patet: nisi simul asseratur creata aliqua operatione Dei decretum (quod cum aduersariis abnuimus) constitui: tunc enim si quid argumentum probaret de operatione, probaret etiam de Dei decreto, seu præfinitione per ipsam constituta debere nostræ voluntatis operationi natura præcedere: sed, cum nihil de operatione probet, nihil in hac etiã decreti constitutione probat de decreto: imo illi ipsi Thomistæ, qui ad libertatem nostræ voluntatis tuendam ea constitutione cum Vasquianis nostris vti volunt, ea vtuntur, vt Dei decretum efficax de nostris operationibus comitans solum illas, nullatenusque antecedens statuant. Solum ergo materiale arguendi caput pro anteriotibus natura nostra operatione diuinis præfinitionibus primatus primæ causæ Dei esse potest, quia primatus causæ primæ absque libertate in causando esse nequit: ex qua libertate prima in causando ducitur formaliter, & immediate argumentum de primatu diuinæ libertatis, à nobis ante hoc de primatu causæ primæ in operando eneruatum n. 5. & 6.

9. Quantum arguendi caput aduersariis angustius est.

Sed nequaquam strictius enodatis tribus anterioribus, & discussis. Nempe ex discretione prædestinati à reprobo: quæ quidem per prædestinationem Dei absolutam anteriorem natura operatione nostra, atque ab ipsa independentem (alioqui prædestinatus se tandem à reprobo discernet) è pura Dei gratuita, & misericordi voluntate ab eo habitam esse debet; quæque item cum salute, & bonis ad eam necessariis prædestinati connexa certo sit: quid ergo illi ad præfinitionem antecedentem ab vsu libertatis prædestinati, cum salutis, tum necessariæ ad hanc operationis prædestinati deficit? Hoc argumentum eneruatum supra, nec semel à nobis est: præsertim quæst. 1. certam. vlt. atque iterum fusius excutiendum contouer. de prædestinat. vbi de eius cum libertate nostra concordia. Nunc autem breui ex dictis respondeo. In primis illud ipsum validius impetere plures ex aduersariis subtiliores, qui argumento de euersione creatæ libertatis per suas præfinitiones pressi dependentiam earum in sui positione ab exercitio absoluto libertatis nostræ, vel præuiæ actionis, aut negationis disponentis, vel actionis ipsius præfinitæ in diuerso genere causæ præcedentis, vel prænitionem comitantis admiserunt, vt proxime anterioribus tribus, aut quatuor certaminibus ostendimus. Secundo respondeo: in nostra doctrina absolutam prædestinationem, & discretionem prædestinati à reprobo per illam absolutæ saluti consequendæ, & bonis operibus prædestinati ad illam absolute apponendam actiue absolute præcedere: item à Deo independenter ab illis absolute positis, tanquam causis, moraliter adhuc dispositiuis, seu meritis, quamtumvis tenuissimis, & motiuis debilissimis, è sola gratuita eius voluntate omnino liberali, & misericordi concipi. Denique infallibiliter ac certo, cum salutis, tum bonorum operum prædestinati, quibus obtinenda hæc est, effectum habituram absolute prædestinationem esse: ac subinde illi connexionem aliquam cum salute, & operibus ad illam præcessuris prædestinati, siue intrinsecam, & causæ, siue extrinsecam, seu logicam, & aliunde, siue extrinsecus mutuatam arguitiuam solum, & consequentiæ negari minime prædestinationi posse. Nihilominus prædestinationem discernentem prædestinatum à reprobo neque salutis, neque operum prædestinati ad eam obtinendam præfinitionem, seu efficacem Dei de illis voluntatem antecedentem prorius ipsa cum esse de se connexam ordine causalitatis necessario esse debere, nec salua nostra libertate esse posse.

10. Etenim prædestinatio salutis, aut operum ad eam obtinendam efficax voluntas non est; sed solum est voluntas efficax efficactum auxiliorum, seu congruarum cogitationum (horum siquidem *præscientia, & præparatio* ab Augustino definitur) neque intentionem salutis prædestinati de se efficacem supponit necessario; etsi de supererogatoria regulata per scientiam mediam quæstio inter Soaristas, & Vasquistas apud nostros sit, de qua nos suo loco: cum autem efficacia auxilia, atque effectum habitura, quæ essentia sua, prædestinatio concernit, de se, & ab intrinseco efficaciam ad opus non habeant, & determinationem, sed à consensu voluntatis, saltem sub eorum hypothesi, & conditione futuro oportet, vt prædestinatio consensus conditionati præscientiam præire spectet: tum, vt ab auxiliis efficacibus apponendis non aberret: tum, vt intenta salute prædestinati non cadat, cui nec de se, nec ab intrinseca natura auxilij efficacis, quod apponit, nec mediate, aut immediate pro naturæ priori connectitur. Hinc autem fit omnem connexionem, quam prædestinatio habet cum salute, & prædestinati operibus à futuritione conditionata consensus nostri, à qua efficax auxilium est, habiturum effectum, si douetur, & cuius præscientia Deus in prædestinando dirigitur pendere; ac proinde logicam solum connexionem esse cum consensu, seu effectu & operatione nostra, cum donatione illius auxilij purificatur conditio: imo non intrinsecam prædestinationi, aut conditionatæ scientiæ, qua regulatur, sed extrinsecam, & mutuo acceptam à certitudine obiecti (scilicet conditionata futuritione) quod esse supponitur, vt illud diuina scientia infallibiliter repræsentet: quia quidquid pro quovis stola est, necesse est esse. Inde etiam fit: eam connexionem, cum eius

auxilij donatione purificatur conditio, prædestinationis cum consensu absoluto voluntatis, & necessitatem, quam futuritionis absolutæ consensus prædestinatio affert, solummodo consequentem esse: siquidem, nec alterius rationis, imo, neque alia, ab ea est, quam futuritio conditionata consensus ad absolutam eiusdem futuritionem purificata conditione affert: quæ hanc naturæ priori non antecedit, sed potius tunc subsequitur; siquidem casu, quo (vt absolute potest) posita, & purificata conditione absolute non esset consensus, fore illum sub ea conditione falsum esset: nec futuritio eius conditionata, nec præscientia proinde, neque prædestinatio per illam conditionem, siue auxilium fuisset. Vnde tertio fit: scientiam conditionatam, quæ illam conditonatam futuritionem necessario supponit, & prædestinationem, quæ ei scientiæ necessario innititur ab exercitio absoluto libertatis voluntatis in sui positione, pro suo priori signo pendere; ita, vt absolute in potestate voluntatis, purificata etiam auxilij congrui vocatione, sit, ne eiusmodi præscientia, & prædestinatio pro signo illo anteriori fuerit. Non secus, ac futuritionem conditionatam (cui tota prædestinationis machina innititur) eadem sua indifferenti ad vtrumvis potestate, ac libertate in actu primo (in qua etiam potestas non consentiendi clauditur) purificata etiam conditione impedire absolute voluntas potest, ne fuerit pro ptiori suo maioris vniuersitatis per absolutam consensus negationem.

11. Sed tamen nihil horum, si semel, vel maioris vniuersalitatis, vel naturæ priori præcedat, potest, purificata ex illis conditione, abolere voluntas ne sint, sicuti ex suppositione consensus sui absoluti purificata conditione, ne sit, facere absolute nequit: esset enim potestas ad coniungendam cum actu eius negationem, & contradictorium, quæ chimærica omnino potestas est. Sine hac verò potestate faciendi, ne absolutè sit consensus voluntatis, qui semel est, purificata conditione, ne pro suis signis ea omnia, quæ semel sunt, & præcedunt, sint pro illis, & præcedant ne fuerint tamen, nec pro suis signis ea omnia præcesserint, absoluta potestas voluntatis est; siquidem, cum futuritio conditionata sub eius auxilij hypothesi, & conditione, & subinde reliqua præfata ipsi innitentia à consensu absoluto voluntatis contingenti purificata conditione in sui positione pendeant (qui à libera omissione consensus purificata etiam conditione reiici absolute potest) futuritio conditionata, & præfata ipsi innitentia impediri absolute possunt, ne pro suis signis fuerint; tametsi verum est plane, in voluntate non posse esse potestatem absolutam posita conditione ad præstandum ne illa semel posita, siue ex suppositione, quod suis quæque signis præcesserint non sint, nisi sit potestas ad omissionis absolutæ consensus posito etiam absoluto consensu: cui, vt diximus absolute futuro, vt tali, purificata conditione futuritio eiusdem conditionata, & præfata reliqua eam supponentia innituntur. Verum dependentia hæc præscientiæ conditionatæ obiectiua solum ac subinde prædestinationis à futuritione conditionata, ac demum, cum purificatur conditio à futuritione absoluta consensus, cui conditionata veritas, & futuritio innititur, nec tanquam à morali dispositione, merito, vel motiuo prædestinationis est, vt dixi; sed tanquam à materia capaci, quæ prædestinatione à Deo ad finis intenti infallibilem affectionem assumi possit: nisi enim auxilium habiturum effectum, si daretur, & esset, & præscireturapta media prædestinationis ad salutem prædestinati infallibiliter obtinendam Deo non forent: sicuti in aduersariorum præfinientium sententia salus, & consensus, & subiectum prædestinati præfiniri à Deo minime possent, si essent impossibiles: ac proinde earum possibilitas ad Dei præfinitionem, & scientiam simplicis intelligentiæ, qua præfinitiones illæ regulantur necessario supponitur: ac subinde duo hæc à consensus, & salutis per eam præfinitionem prædestinati tanquam à materiæ capacitate obiectiue pendent. Neque verò id obest quominus tota prædestinationis vnius præ alio ratio, & causa, ac proinde prædestinati à reprobo discretio penes Deum sit: vterque etenim materiam capacem, & obiectiue offert ad prædestinationem suam: cum nemo sit, esseve possit, qui singulis, & omnibus auxiliis diuinis non sit consensurus, ita vt nulli eorum omnium, quæ in Dei omnipotentia continentur, consensurus est, & si daretur, vt suo loco monstrabitur ex sola ergo gratuita misericordi, liberali, ac benefica Dei voluntate pendet, huic potius præ alio, ea, quibus consensurus est, si donentur, & salutem consecuturus, auxilia ex præscientia prædestinatione sua præparare; non verò alteri, cui præparare etiam posset, si vellet: in eoque, ac proinde penes Deum solum tota tota prædestinati à reprobo discretio est.

QVÆSTIO VIII.

An per alias rationes præfatæ liceant præfinitiones.

ROBVSTIS hisce præfinitionum prædeterminatiuarum communibus impugnationibus nostratia etiam, leuioris fors armaturæ, placuit seorsim adnectere.

CERTAMEN I.

Peculiares à ratione impugnationes contra præfinitiones de se efficaces, & prædeterminatiuas.

1. SIt impugnatio ex ipsa natura arbitrij, & voluntatis nostræ, quam mobilem ab alio solum intentionaliter, seu per obiecti propositionem, physice verò, à se ipsa tantum, mobilem semper iudicaui: imo ita censet Vasq. 1.2.d.26.n.4 & 7. & 1.p.d.99. c.8. n.51. asserens voluntatem necessitari non posse ad amandum obiectum, de quo boni, & mali ratio repræsentatur: id quod, si mobile ab alio physice esset non erat cur cum eo iudicio indifferenti non posset physice ab alio ad amandum determinate impelli, & determinari, siue necessitari: quare non esse physice mobilem ab alio supponit: quia si mobilis physice ab alio esset nulla assignari repugnantia posset principij alterius necessitantis illam, siue illud decretum prædeterminatiuum consensus extrinsece, siue quasitas intrinsece voluntati inhærens de seque connexa cum cõsensu, & ad illum irresistibiliter inducens: quæ vt omnino necessitantia non solum reiicit, sed asserit Vasqui repugnare. Huic principio consentit Guillielmus de Rubione in 1.d.10.q.2.art.1.fine & in 2.d.25.q.2.art.1.concl.2. arbitrium liberum necessitari non posse multis probans. Nec solum; vt liberum formaliter, intelligit; nihil enim afferret: cum esse liberum absolute, idem atque non esse absolute necessitatum ad operandum, etiam per aduentarios sit: quare loquitur de voluntate, seu arbitrio cum iudicio indifferenti: quod, vt dixi, si mobilis etiam physice voluntas nostra sit, saluari non potest. Consentiunt etiam S. Th.1.2.q.6.art.4.vbi Conradus, & Caiet. S.Bonauen. in 2. d.25.p.2.q 5. & 6.ar.6. Ægidius ibi q.1 art.3 ad vlt.argum. principale. Ricard. art.4.q.1. fine, & 2. Durand. quæst.4. ad 2. & in 4. d.29. quæst. vnic. §. *Ad quæstionem*. Paludan. ibi quæst.1.art.1.concl.1. quos omnes refert Ruiz de Scient. d.53.sect.3. n.7. Mitto Marsilium, qui in potentiam voluntatis, vt ab alio necessitetur in immobilitatem physicam illius ab alio nequit reducere. Cum neque intentionaliter visione Dei necessitare posse voluntatem ad eius amorem doceat. Scio oppositum doceri ab Holcoht in 1. quæst.3. art.3. & 9. post solut. ad 13. *de forte* Abulensi Iosue 11. quæst.79.med. Ruard. Tapper. art.7 contra Lutherum, Soto 1. de natur. & grat. cap 6. col.3. Bellarmin. lib.4.de grat. & lib. arbitr.c Suarez 1.de auxil. c.4.& d.19. metaph. Ruiz cit. d.53 sect.3. num.9. & sect.4.5. 6. & 7.

2. Cæterum; etsi non omnibus principium hoc nostrum de physica voluntatis immobilitate ab alio constãs sit, neque

que illud ex instituto ostendendi locus hic oportunus; nonnihil tamen dicendum hic erit, vt verus eius sensus explicetur. Sensus igitur non est necessitati absolute physice voluntatem non posse, etiam cum iudicio indifferenti constitutam, ad non operandum: cum enim voluntas creata subordinata essentialiter in operando primæ causæ Deo sit. Eo præcise, quod necessarium Dei decretum concurrendi cum ipsa sit, siue decreto non concurrendi, posito, siue decreto concurrendi è pura contradictionis libertate omisso: tunc enim cum absolute impossibile operandi sit, vt patet, diximusque sæpe, necessitata ad non operandum erit. Neque item negamus voluntatem forma, seu entitate aliquo incompossibili formaliter cum actu aliquo voluntaris posse ab alio oppositio etiam absolute impediri, necessitarique ad eum non apponendum; sicut enim à se necessitatur posito amore obiecti eiusdem odium non apponere: ita si gratia formaliter cum peccato pugnans aliunde, quam à nostræ libertatis vsu apponatur (à Deo scilicet se solo, & è sola sua libertate ipsam infundente) ad non peccandum physice, & antecedenter voluntas necessitabitur, etiamsi ipsi iudicium indifferens adsit. Ita etiam, & fortius vnionis hypostaticæ beneficio Christi humanitas præuenta peccare etiam venialiter, imo & quamvis imperfectionem moralem admittere, adhuc antecedenti potentia, nequit, ac necessitatem non peccandi fortitur, etsi obseruandi præcepta, ac contra perfectionem agendi commoda inducentia, & incommoda de se ab obseruatione retrahentia perfectissime penetrauerit. Non ergo negamus posse voluntatem assistentia formali solum alicuius ab alio etiam appositi, vel omissi necessitari physice, & absolute posse ad agendum, vel non agendum aliquid cum illo appositio incompossibile: neque id ex nostro hoc principio infertur; sed solum non posse physice influxiue voluntatem necessitari, imo neque aliquo modo adhuc non necessitante, sed vtcumque influxiue physice mouente, & impellente ab alio, quam à seipsa moueri: id enim ipsum est voluntatem ab alio, quam à se physice esse immobilem, in quo motus physicus quivis influxiuus ab alio, vt voluntas operetur, siue is necessitans, siue non necessitans illam ad operandum voluntati asseritur impossibilis.

3. Inde controu. de anima omnem voluntatis habitum diuersum ab speciebus viuidioribus, ac viuidiorem obiecti, & delectationis positiuæ, seu negatiuæ cognitionem obtinentibus in voluntate relinqui, eamque ad similes actus physice inclinantem, & impellentem negaui: quia physice mouere deberent voluntatem ex parte actus primi contra hoc principium, si diuersi ab speciebus & obiecti, & præteritorum circa illud actuum voluntatis essent; si autem idem cum eis speciebus sint solum intentionaliter illam mouent, & inducunt, vt patet. De supernaturalibus autem habitibus ad actus supernaturales quoque voluntatis alia est ratio. Hi enim potentiam voluntatis de se inchoatam, incompletam, & partialem complent, quidem; non autem ad actus præmouent, aut physice impellunt. Ratio autem huius principij ex natura ipsius voluntatis petenda est: quia cum voluntas, & appetitiua potentia, & prosecutiua de se, & à se obiecti, seu boni proposiri sit, omnis actus physicus impulsus voluntati sufficienter & adæquate ex parte actus primi constituæ, & in actu primo physice absolute potenti, ab alio ex parte actus primi physice adueniens, & mouens impulsus non solum superfluus, sed eius naturæ, & essentiæ disconueniens, & repugnans est: ex ea quippe parte inductionis à physico illo impulsu, & motione motum voluntatis ipsius natura præcedentibus, non se in obiectum propositum voluntas, & appetitus ipse mouet, & fert, sed fertur, moueturque ab alio: quare nec motus appetitiuæ facultatis est: quod cum actu appetitus, & voluntatis repugnat, qui essentia sua totus voluntatis, seu appetitiuæ facultatis prosecutio, & appetitio est, in quo à seipsa solummodo in proposita obiecta physice actiue ferri clauditur: quare locum physico impulsui, motioni, & inductioni ab alio omnino ab actu appetitionis excludit. Porro ex hoc principio apertissima ratio datur: cur voluntas in incognitum ferri nequeat. Si enim solum intentionaliter, id est per obiecti propositionem, mobilis sit, non autem physice ab alio implicat aperte in incognitum, non à se, sed ab alio physice ferri; sin autem ab alio mobilis etiam physice sit: non est, cur alterius motione physica moueri, ac non à se nequeat: cum enim vtroque modo moueri absolutè in bonum possit, & intentionali obiecti motione, qua inducitur, vt se in obiectum exercite moueat, & physice etiam ab alio: atque motione intentionali sola possit adæquate à se exercite moueri, nulla physica alterius motione præcedente, imo ita frequenter moueatur; cur non ab alio etiam solum physice in obiectum adæquate ferri quandoque possit? cum æque sit vtriusque motionis capax, atque vtramque simul præire non sit necesse: siquidem motione solum intentionali præeunte, & moueri à se physice potest sæpe in obiectum mouetur, quin ab alio physice moueatur.

4. Recurrendum sane tibi erit ad rationem motionis exercite voluntatis à se in obiectum, quæ omni prosecutioni ipsius ad obiectum sine obiecti solicitatione, aut dissuasione boni, vel mali, quod in obiecto sit, propositione, & cognitione necessario habenda esse non potest, sed hanc ipsam euasionem ratio facta præcludit. Si enim, & à se, & ab alio mobilis physice volûtas sit: neque ita inter se motiones istæ essentialiter subordinantur, vt altera sine altera dari nequeat; siquidem datur motio à se, quin motio ab alio physica præcedat; sola intentionali motione obiecti præcedente: cur non detur motio ab alio physice in obiectum, quin se ferat voluntas in illud, ac proinde quin præcedat motio intentionalis, sed ab alio adæquate physice moueatur, & feratur in obiectum? Hoc solum contendunt, qui voluntatem in incognitum ferri, quandoque posse volunt: posse, scilicet, physice ab alio ita in obiectum ferri, actumque ex ea alterius motione actiue circa illud elicere, vt à se in ipsum non feratur, sed agatur, feratur, & rapiatur physice ab alio; sicut lapis proiectus in locũ, in quem proiicitur, etsi deorsum, motio sit, & sua naturali virtute impulsum adiuuet proicientis, tamen à proiciente, ac nõ à se moueri dicitur: etsi eius motiua virtus non magis inclinaret de se ad motum deorsum quam sursum (sicuti voluntatis potentia vtriusque actiua, & potens ad odium, & amorem, prosecutionem, & fugam) planius non à se, sed à proiiciente sursum, vel deorsum ferri, ac proiici diceretur: quod si iterum dicas essentiam actus appetitiuæ facultatis prosecutionem vel fugam esse, quæ dicunt appetitum à se, vel obiectu sequi, vel ab illo separari; qui enim aliquãdo ab alio retrahitur, non fugit ipse, nec discedit: & qui ab alio aliquo trahitur, non petit ipse, nec accedit: dicet tamen aduersarij non eos actus solos, prosequendi, vel fugiendi à se obiectum, posse elici physice à voluntate, sed coniunctionem, vel separationem ab obiecto ab alio physice trahente, & retrahente ab illo: quibus à ratione satisfacere non poteris, nisi actum omnem potentiæ appetitiuæ natura, & essentia sua talem esse, vt à potentia ipsa totus totus esse physice actiue debeat, neque secundum rationem vllam ab aliena motione physica voluntatis possit prouenire: vt nomina illa prosecutionis fugæ, & generale volendi, seu appetendi, satis demonstrant, vt dicebamus.

5. Similiter ex eodem principio apertissima ratio datur illius statæ apud Philosophos, & Theologos sententiæ de impossibilitate, seu incapacitate voluntatis, vt in suis actibus propriis violetiam patiatur, ac subinde omnis eius actus voluntarius necessario esse debeat: siquidem eo præcipue huius ratio deuoluitur, quod omnis actus illius non nisi ex cognitione esse possit. Hoc autem, vt vidimus nisi ab alio physice immobilis sit ægre defenditur. Porro contra hoc principium illud solũ obiici potest (præter vnionem hypostaticam, & gratiam habitualem à Deo independenter ab exercitio voluntatis nobis infusam) quòd ex intentione finis, & actu imperante voluntas ad medij electionem, & actum, suum etiam, imperatum physice videatur inducì; imo si intentio efficax, & medium vnicum sit ad finis consecutionem, & imperiũ efficax ad eius medij electionẽ, & imperatum actum physice necessario voluntatẽ inducit. Cæterum nihil horum physica præmotione, & influxu prævio physico mouet voluntatem, sed sui præcisa formali assistentia voluntati ob incompossibilitatẽ eorum cum actibus, aut omissionibus appositis (vt n. 2. de vnione hypostatica, & gratia ita à Deo positis, & infusis diceba-mus) de intẽrione verò, & actu imperãte. Ex quibus nũc arguitur, probatur. Siquidẽ inductio physica voluntatis ex intẽtione finis, & actu imperãte, siue libera, siue necessariaad

medij electionem, & suum actum imperatum eliciendum, etiamsi influxiua inductio physica foret, tandem in motum voluntatis à seipsa reducereretur. Siquidem à seipsa voluntas imperante actu, & finis intentione mota est: atque in eis motionibus implicite se ad electionem medij, & actum imperatum mouit; præsertim si pro eo instanti medium eligendum, eiusque commoda, & incommoda menti simul oberrabant: quod si tunc non oberrabant menti, sed primum in sequenti instanti ad illud, quo intentio, seu actus imperans concepti sunt: tunc etiam intendere, & imperare, vel eos actus omittere, & retrahi, incommodorum in prosequendo medio, ac obiecto actus imperati repræsentatione, voluntas à seipsa potuit: quare in intentione, & actu imperante à se conceptis, à se etiam sola implicite ad electionem, & actum imperatum mota est, ac fortasis explicite: siquidem commoda, & incommoda eligendi medium, & actum imperatum eliciendi pro naturæ posteriori pro priori naturæ ad intentionem, & actum imperatum eliciendos anteacto (vt mente, & intellectione possunt) proposita voluntati sunt: qua ratione non incongrue medij etiam vnici electio, & imperatus actus voluntatis cum efficacia intentionis, & imperantis actus, libere nihilominus, elici poterit. Et tandem, tam intentio, quam imperans actus sui assistentia formali, & incompossibilitate cum electionis, & actus imperati omissione, non influxu physico præuio, & præmotione in eos actus, sed, vt summum, impeditiue, & à se quidem ipsa voluntatem determinat: cui determinationi principium hoc nostrum non aduersatur.

6. Eo vero statuto principio in Thomistarum doctrina (vt iam ostendam) firmiori, sic præfinitiones Thomisticas impugno, primo, voluntas creata non est physice mobilis ab alio, sed mobilis ab alio intentionaliter: atqui eius actus nequit esse præfinibilis prædeterminatiue à Deo, nisi ipsa sit mobilis physice ab alio: ergo eius actus non est præfinibilis à Deo prædeterminatiue: ergo præfinitio prædeterminatiua Thomistica actus voluntatis creatæ non est possibilis, sed omino repugnans. Syllogismus, & consequentia vtraque legitime fluunt: & de postrema patet. Siquidem si præfinitio prædeterminatiua actus voluntatis possibilis, ac non repugnans sit, nequit non eiusmodi actus voluntatis esse præfinibilis prædeterminatiue. Syllogismi maior est principium hactenus statutum. Minor probatur: quia posita impossibilitate motionis voluntatis ab alio physice, seu physica immobilitate eius ab alio ad actus, motio ab alio omnis, quare, & physica, impossibilis est; posita autem physicæ præmotionis, seu prædeterminationis impossibilitate impossibilis est præfinitio prædeterminatiua, quæ essentia sua non solum physicæ prædeterminationis possibilitatem concernit, verum & eius absolutæ existentiæ connectitur: ergo, nisi voluntas mobilis physice ab alio sit, eius actus à Deo præfinibilis non est, vt in minori assumebatur. Maior est statutum hactenus à nobis principium, & in Thomistarum, quos impugnamus, doctrina certum. Ipsi enim vt ab argumentis supra factis arbitrij nostri libertatem (quæ de fide est) tueantur, nec adeo aperte à Catholicis deficiant, & in Caluinismum eant, conspirato docent: Ad stante iudicio indifferenti voluntati nostræ necessitari absolute illam ab alio, adhuc à Deo, minime posse. Hoc autem nulla ratione valet defendi, si voluntas physice mobilis ab alio sit ad actus suos: ergo voluntas physice mobilis ab alio ad actus suos non est, sed omino immobilis. Minor (quæ sola in hoc discursu probationem desiderat) probatur: quia, si voluntas nostra præmoueri ad suos actus physice potest, non est, cur, stante etiam iudicio indifferenti, & retrahente ex parte, & inuitante ex parte ad prosecutionem obiecti, nequeat ab alio præmotione aliqua physica (esto alterius à Thomistica naturæ) necessitari absolute ad illius prosecutionem, huiusque libertatem absolute euerti, vt secundo argumento ostendemus, & de sese patet: quia physicæ præmotionis modus, & vis, ac temperamentum non est penes libertatem, seu liberam electionem voluntatis, seu penes iudicium indifferens, quod totam suam motionem intentionaliter exercet; sed penes alium, qui physice præmouet: in quo solummodo ostendi debet impossibilitas physicæ præmotionis necessitantis absolute voluntatem ad actum, ad quem ipse potest physice præmouere: sed eius virtutis defectus nequit esse in Deo, à quo, si mobilis physice ab alio voluntas ad suos actus sit, mobilis inprimis erit: ergo, si voluntas ad suos actus sit mobilis physice ab alio, etiam stante iudicio indifferenti, poterit ab alio necessitari absolute ad illos, atque absolute amittere in eis eligendis libertatem.

7. Dices indifferentiam voluntatis constitui adæquate per iudicium indifferens intentionaliter indifferenter præmouens voluntatem ad prosecutionem, vel non prosecutionem obiecti, vel eius fugam: quare implicare stare iudicium indifferens, ac non stare absolutam voluntatis libertatem, & indifferentiam ad prosecutionem, vel non prosecutionem obiecti, eiusve fugam, quæ pugnat cum absoluta eius necessitate ad prosecutionem, ab alio per physicam quamvis, & cuiusvis conditionis sit, inducenda voluntati. Hanc solutionem ethnicis fatalibus, atque hæreticis priscis prædeterminatoribus à Patribus, & Conciliis damnatis familiarem, pluribusque rationibus, imo & consequentiæ Thomistarum aduersam, ostendimus supra. Sed vniuersaliores rationes, atque à materia præfinitionis prædeterminatiuæ, & physicæ præmotionis abstrahentes huc referuabimus: vt eo receptaculo exclusos Thomistas deprehenderemus facilius in aperto palantes. Arguo sic: etli potestas indifferens, & libertas voluntatis in actu primo, iudicium indifferens requirat, & indeterminationem motionis intentionalis, tamen non in eo stat adæquate ea potestas indifferens, & libertas voluntatis in actu primo; sed vlterius, & principalius claudit actiuam indifferentem potestatem voluntatis ad opposita: ergo, si stante iudicio, & motione intentionali indifferente, non staret actiua potestas indifferens voluntatis, non staret absolute libertas in actu primo voluntatis: at, si ab alio physica aliqua præmotione (non dico benignissima, & suauissima qualem Thomistæ suam esse volunt, & vendicant, essequo modo permitto) acerrima, ferrea, & aculeata, ita in actum suum ageretur voluntas, vt absolute necessitaretur actiue ad illum, non starent simul absoluta libertas voluntatis in actu primo, & eiusdem absoluta in actu primo necessitas: siquidem, vt prima consequentia inferebat, non esset absoluta eius libertas in actu primo, sine vtriusque coexistentia repugnans, quæ solutione aduersariorum futura asserebatur. Prima vero consequentia negari, nisi ab stupido homine, nequit. Elit enim huic similis consecutio. *Homo claudit essentialiter animam rationalem, & corpus: ergo deficiente corpore non est absolute homo, etsi anima perseueraret*, vel si ad aliud quidpiam duo requirantur: *ergo non sufficit vnum*. Nisi illa tibi consecutio magis arrideat, quæ risum pluribus adstantibus aliquando, diu mouit. *Requiruntur ad probationem iuridicam duo, vt minimum testes: ergo sufficit vnus.*

8. Igitur antecedentis probatio totum, sed fere nullum, negotium erit. Probatur primo: quia ad indifferentem potestatem, & libertatem in actu primo requiritur actiua indifferentia voluntatis præter intentionalem indifferentiam iudicij proponentis. Si enim determinata actiue ad vnum voluntatis potestas esset, etsi indifferenter ipsi obiectum proponeretur, non esset absoluta eius in actu primo absoluta libertas: ergo actiua etiam potestas indifferens, nec solum intentionalis per indifferentem obiecti propositionem, constituit libertatem voluntatis in actu primo. Confirmatur. Nam appetitu bruterum sæpe proponitur obiectum cum indifferentia, & tamen libertatem in actu primo non habet, quia neque habet alterutrum eligendi actiuam potestatem, sed instinctu ad vnum, quod viuidius proponitur agi solummodo possunt: quod si & obiecta duo æque commoda, ac æque viuide proponantur, neutrum prosequi potest, vt de celebri asino Buridani vulgo dicitur. Secundo probatur à priori ex definitione causæ, & potentiæ liberæ apud Philosophos Patres, & Theologos decantatissima, à nobisque cum ex his, tum rationibus naturalibus statuta, & demonstrata, cert. 1. quæst. 7. ex ea quippe constat potestatem indifferentem causæ liberæ, seu eius in actu primo libertatem esse ad operandum, seu agendum, vel non agendum, vel etiam ad agendum oppositum: ergo potestas indifferens, in qua causæ liberæ, seu voluntatis libertas in actu primo formaliter stat, tota tota in potestate actiue

actiue indifferente causæ liberæ, seu volũtatis formaliter, & directè consistit; & si indifferentem obiecti propositionem, quia in incognitum ferri nequit, necessario præsupponat, atque, vt conditionem indispensabilem prærequirat: ergo indifferentia actiuæ potestatis libertatem causæ liberæ in actu primo non potest non constituere; quin eam indifferentia intentionalis indifferenti obiecti propositione constituat: siquidem actiua indifferentia in linea eadem actiuitatis potentiæ, in qua libertas in actu primo voluntatis est, omnino inuenitur; secus autem intentionalis indifferentia propositionis obiecti, quæ actiuitatis lineam, in qua ipsa non est, minimè complet, sed tantum vt conditio necessaria viam voluntati aperiens, vt facultate sua progrediatur, sistatve, vel fugiat ostendens, prærequiritur. Et sanè non menti solum, sed, vel sensui ipsi, absonum est: conditionis indifferentiam, non autem facultatis actiuæ, in qua, & libertas in actu primo est, & à cuius indifferenti potestate egredi operatio, & effectus debent, vt liberi sint, & fiant, ad libertatem voluntatis requiri. Si autem actiuæ voluntatis indifferentia ad libertatem eius in actu primo, non æquè solum, sed & principalius, & directius, quam indifferentia intentionalis propositionis obiecti, formaliter constituendam, ea actiuitatis indifferentia concurrit: etsi intentionalis adsit, si actiua, ex acri, & inflexibili aliqua physica præmotione necessitante absolutè voluntatem ad suos actus & prædeterminante etiam adsit sola necessitas absoluta erit. Quare & stante indifferenti obiecti propositione, si mobilis physice ab alio voluntas creata sit, nulla erit repugnantia in eo, quod necessitate absoluta physice ab alio in suos actus præmoueatur: ergo voluntatem non posse necessitate absoluta physice ab alio moueri ex nostro hoc principio vnice probandum est, quod voluntas physice mobilis ab alio non sit.

9. Dices iterum libertatem voluntatis in actu primo non stare in sola indifferentia intentionali propositionis obiecti, sed in ea, & actiua potestate voluntatis entitatiua ipsique intrinseca; quæ nulla, quantumvis acerrima, & flecti nescia præmotione physica ab alio destrui absolutè potest: quare neque induci ab alio absoluta necessitas operandi in voluntatem, quin simul absoluta necessitas, & absoluta libertas, ad operandum, scilicet contradictorie, iungantur. Sed contra primo: quia stante indifferentia intentionali, & entitatiua intrinseca, & essentiali actiua voluntatis potest si mobilis physice ab alio hæc sit sine vlla repugnantia ex parte actus primi, & actiuitatis, tam influxiue, quam purè impeditiue absolutè ab alio physice necessitari, tam ad operandum determinate, quam ad determinate non operandum: ergo nequit in entitatiua, & essentiali voluntatis indifferentia actiua, & intentionali propositionis obiecti stare adæquate libertas voluntatis in actu primo; sed viterius necessitate absolutæ impediente, vel influxiue ab alio adiunctæ voluntati excluditur eius in actu primo libertas: ac proinde eiusmodi necessitate ab alio posita non stabit simul absoluta libertas ipsi contradicens. Maior probatur: quia potestas actiua indifferens essentialis, & entitatiua voluntatis, quatenus ab ipsa, & per ipsam secundum se sumptam est. Sed huic indifferenti potestati actiuæ non repugnat esse necessitatam actiuè, seu ferreè ad vnum determinatam physice ab alio si mobilis physice ab alio sit: ergo neque, repugnat ab alio actiuè necessitari absolutè ad vnum, non obstante indifferente potestate actiua entitatiua, & essentiali voluntatis. Secundo intrinseca entitatiua, & essentialis potestas indifferens actiue voluntatis de sese non habet sibi identificatam negationem necessitatis absolutæ ab alio, & physicæ prædeterminationis, quantumcumque ferreæ, ad vnum: ergo, etsi ipsi accidat nihil ipsi contradicens eueniet, & repugnans. Tertio actiua, & essentialis hæc indifferentia voluntatis de sese ad peccandum, vel non peccandum: quia negationi vnionis hypostaticæ non identificatur, ac subinde neque negationi necessitatis absolutæ, & irresistibilis determinationis ad non peccandum, vnionem hypostaticam, & absolutam inde necessitatem, & irresistibilem determinationem ad non peccandum compatitur, de factoque admisit per vos in Christo Domino, atque à Deo humanitatis Christi voluntas ratione vnionis hypostaticæ libertatem absolutam, & indifferentem absolute actiuam potestatem ad peccandum non habuit: sed neque habet voluntas creata sibi identificatam negationem præmotionis physicæ ab alio, quantumcumque ferrea opus sit, ad necessitatem absolutam ad vnum quempiam actum inducendam: ergo & absolutam præmotionem physicam ab alio, quantumcumque ferrea opus sit ad necessitatem absolutam illius actus inducendam voluntati voluntas pati potest, ac sine vlla repugnantia, & contradictione patietur. Confirmatur: quia, vt superius ostendi, cum vnione hypostatica iudicium, seu propositio indifferens obiecti prosequendi, vel fugiendi ab humanitate Christi ad præcepti obseruationem adfuit. Et eodem modo, quo practice indifferens ad transgressionem voluntati humanæ Christi non fuit, nec voluntati humanæ Christi ab alio ita ferreè prædeterminatæ, ac præmotæ physice ad vnum actum, vt absolutè ab alio necessitaretur, practice indifferens esset ad eius actus omissionem propositio: quare, sicut cum necessitate absoluta non peccandi non coniungeretur libertas absoluta voluntatis illi necessitati non peccandi absolutè contradicens, quia propositio practice indifferens non peccandi ob peccati incompossibilitatem cum vnione hypostatica non adest: ita nec tunc adesset libertas ad omissionem actus, ad quem præmotione illa necessitaretur absolutè: quia propositio indifferens speculatiuè, practice indifferens non esset ob omissionis cum præmotione physica necessitante incompossibilitatem.

10. Quarto inde arguo intrinseca de sese indifferentia, & essentialis propositionis obiecti necessaria ad libertatem nullo adumente auferri potest, quandiu illa persistit entitatiue; & tamen extrinsecus posita vnione hypostatica, & aliis, potest per vos impediri, ne habeat rationem practicæ indifferentiæ necessariam ex parte intentionalis indifferentiæ vt libertatem absolutam voluntatis in actu primo de facto constituat: ergo entitatiua intrinseca, & essentialis indifferentia actiua voluntatis de sese, etiam per stans, poterit extrinsecus ad vnum extremum impediri, atque ad aliud absolute ab alio extrinsecus actiue physice necessitari si mobilis ab alio absolute voluntas sit. Confirmatur, quia potest essentialis illa actiua indifferentia voluntatis in se perstans necessitari absolute ad vnum ab alio nempe à iudicio, seu propositione determinata, ac determinante: ergo, & ab alio actiue physice, si ita mobilis æque ab alio sit, atque est mobilis intentionaliter per obiecti propositionem determinatam, & determinantem intentionaliter: quia voluntas, cæca potentia cum sit, essentialem dependentiam habet à motione intentionali propositionis obiecti, neque adducet aliquo, retrahive potest, nisi ad vtrumvis propositione bonitatis, & malitiæ obiecti; quod ipsum responderi potest ad quartum argumentum principale; nimirum intentionalem motionem propositionis indifferentis esse essentialiter dependentem, & subordinatam indifferentiæ actiuæ voluntatis, quæ alterius generis est, ac proinde ex eius impotentia absoluta actiua ad vnum posse amittere rationem practicæ indifferentiæ necessariam, vt de facto libertatem voluntatis in actu primo constituat. In suo autem genere, neque intentionalem propositionis indifferentis de sese intentionaliter, neque actiuam voluntatis de sese indifferentiam actiue physice posse ab alio absolute necessitari. In primis solutio hæc, quatenus docet neutram indifferentiam physicam actiuam, & intentionalem entitatiuam, & essentialem posse in sua linea, siue physica, siue intentionali ab alio absolute necessitari, & impediri, quominus quæque ex parte, & linea sua, & vtraque coniunctim, adæquate libertatem voluntatis in actu primo constituant, pugnat cum his, quæ ad id statuendum adducit: scilicet propositionem entitatiue, & repræsentatiue, ac speculatiue indifferentem amittere rationem indifferentiæ practicæ necessariam, vt ex parte sua de facto libertatem voluntatis in actu primo ad peccandum v. g. constituat, atque à Deo ab eius ex parte sua constitutione impediri: quia ex parte potentiæ actiuæ voluntatis absolute non est actiuitas indifferens physice ad peccandum, in humanitate Christi v. g. atqui hæc indifferentia actiua, & physica

voluntatis non aufertur, neque impeditur, quominus absolutè talis vere dicatur, ac sit, & ex parte sua voluntatis humanæ Christi in actu constituat, ab alio, non intentionaliter, sed physicè absolute necessitante voluntatem Christi ad non peccandum per actiuam physicam inductionem vnionis hypostaticæ in Christi humanitatem: ergo statuis initio solutionis huius actiuam indifferentiam physicam entitatiuam voluntatis in eadem linea physica ab alio posse, auferri seu impediri, quominus ex parte suæ illius lineæ libertatem voluntatis in actu primo constituat. Contra secundo: quia stante propositione obiecti indifferente secundum se potest coniungi cum illa intentionalis determinatio, & necessitas ad vnum: vt in Beatis, & Christo, adhuc in hac vita, Deum vidente cernere licet: qui nouit commoda, & incommoda amplexandi passionem, & mortem præceptam; & tamen visione Dei intentionaliter necessitabatur ad mortem præceptam amplexandam, ita vt eam, non acceptare non posset ex vi præcisè intentionalis determinationis illius per visionem Dei, etsi vnio hypostatica abesset: ergo indifferentia intrinseca intentionalis in eadem linea intentionali determinationem, & necessitatem absolutam ad vnum compatitur, potestque absolutè impediri, ne de facto libertatem voluntatis in actu primo constituat.

11. Illud de essentiali dependentia voluntatis à propositione obiecti ad operandum, ac proinde ab indifferenti propositione illius, vt ex libertate & potestate absolutè indifferente operari valeat, & operetur, nihil ad confirmationem eneruandam præstat. Solum enim probat sublata indifferente obiecti propositione per determinatam, & determinantem ad vnum propositionem absolutam voluntatis in actu primo necessitatem induci, atque aboleri oppositam absolutam eiusdem in actu primo libertatem: quod omnes fatemur: Inde arguimus ex potestate inducendæ necessitatis voluntati motione intentionali ab alio, posse. Etiam ab alio præmotione physica absolutè necessitatem in nostram voluntatem cum sua entitatiua indifferentia actiua perstantem induci. Quod enim ex defectu essentialis requisiti perire libertas possit, non tollit, quod aduentu alterius non essentialiter requisiti possit etiam absoluta necessitas operandi succedere. Ecce ad tuendam vitam naturaliter alimento opus est: quare eius defectu mors euentura naturaliter legitimè infertur; & tamen abundante alimento febre, ferro innumerisque aliis naturaliter etiam induci potest. Cuius ratio est: quia res omnes non solum defectu requisitorum, vt sint, atque persistant, sed aduentu contrariorum possunt perire. Contra secundo arguo, & rationem proximam confirmo. Quia voluntas creata non pendet essentialiter physicè, aut intentionaliter in sua operatione ab vnione hypostatica: ea tamen, è superfluo, data à Deo humanitati Christi necessitatem absolutam non peccandi in humanam eius voluntatem induxit, atque absolutam illius libertatem abstulit ad peccandum: ergo libertas voluntatis intrinseca, seu potestas indifferens de sese entitatiua non solum defectu alicuius requisiti essentialiter, vt absolutam libertatem operandi, vel non operandi cum illo constituat, potest impediri absolute ne absolutam libertatem constituat, & absolutam potius necessitatem operandi patiatur, vel non operandi; sed id etiam potest illi aduentu alterius ad operandum non requisiti contingere. Tertio demum esto: nequeat necessitari entitatiua actiua potestas voluntatis indifferens de sese nisi defectu alicuius requisiti essentialiter ad operandum, vel non operandum, seu aduentu oppositi, & pugnantis cum eo requisito (vt contingit cum adest propositio determinata, & determinans ad obiectum propositum prosequendum) atqui non minus, sed multo magis, & principalius pendet voluntas creata, qua creata à decreto Dei concurrendi cum ipsa, &, (vt aduersariis placet) à physica eius prædeterminatione, & præmotione ad operandum quidquid operatura est: ergo, si decretum hoc, & præmotio physica determinata ad vnum sit, & subinde determinans, ac prædeterminans ad illud vnum voluntatem, entitatiua eius potestas de sese indifferens necessitabitur absolute ab alio ad operandum, nec habebit absolutam ad operandum, vel non operandum libertatem. Probatur consequentia posito decreto illo de se efficaci, & concursu, seu præuia motione, & prædeterminatione Dei requisitis per vos essentialiter à voluntate ad operandum ponitur determinatio prædeterminans ad vnum incompossibilis cum decreto efficaci etiam de se, & prædeterminatione ad extremum oppositum essentialiter requisito ex parte actus primi, vt possit absolute oppositum hoc extremum à voluntatis potestate actiua entitatiua de sese indifferente apponi: non minus, inquam, requisito, sed magis, ac principalius, quam propositio obiecti, vt in illud voluntas, quia cæca potentia est, ferri absolute possit: sed per te appositione propositionis obiecti determinatæ, ac determinantis ad eius prosecutionem, & incompossibilis cum propositione, saltem practice, & motiue, indifferente determinatur ex parte actus primi, & necessitatur absolute voluntas ad operationem prosecutionis, quia deficit propositio practica alterius partis cum propositione determinata, & determinante repugnans, à qua essentialiter voluntas ad eam partem sequendam dependet: ergo decreti de se efficacis, & præmotionis physicæ ad vnam partem appositione inducitur voluntari absoluta necessitas illam exequendi: quia deficit necessario eo posito aliud essentialiter requisitum ex parte actus primi, vt aliam partem sequi voluntas possit.

12. Nec saris respondebis: præfinitionem prædeterminatiuam, & præuium Dei concursum, seu præmotionem physicam, requiri quidem ad operationem, non ad potentiam voluntatis absolutam operandi, cuius proinde indifferentia actiua pro signo potentiæ, ad quod præfinitio nec requiritur, nec spectat, auferri absolute, aut impediri præfinitione, aut præmotione physica nequeat. Neque enim quidquam requisitum ex parte actus primi ad operationem, & sine quo ex parte actus primi posito operatio esse nequit cognitum à Philosophis & Theologis est, quod ad potentiam operandi absolute non spectet: sed præfinitio prædeterminatiua, eiusque promotio requiruntur per vos ex parte actus primi voluntatis ad quamvis operationem voluntatis: ergo ad potentiam operandi absolute talem, siue ad posse absolute, nec solum ad operari: quare ad eam partem, ad quam positione decreti de se efficacis ad oppositum præfinitio prædeterminatiua non fuerit, nec posse absolutum voluntatis erit, quod generale argumentum est de omnibus requisitis ex parte actus primi, vt comprincipia, vel vt applicationes ad operandum, quo pacto solum requiri suam physicam præmotionem Thomistæ aliquot volunt sed ex requisitis ex parte actus primi ad absolutam potentiam operandi, vt comprincipia partialia (quomodo præfinitio, seu decretum Dei efficax concurrendi cum voluntate creata,) est adhuc euidentius spectare ad absolutum posse operari. Cur enim ex duabus causis partialibus eiusdem generis, altera ad absolutum posse spectet; altera ad idem absolutum posse, quod æque in eodem genere causæ constituit, non spectet? Denique impugnatur solutio, quia æqua facilitate, & maiori ratione dicetur indifferentiam intentionalem propositionis vtriusque partis obiecti non requiri, & spectare ad absolutum posse operari voluntatis, sed solum ad operari; quare neque sublata practica propositione vnius partis prædeterminatam, ac determinantem propositionem partis alterius auferri absolutum posse voluntatis ad illam: siquidem obiecti propositio solummodo, vt conditio, ac non, vt principium actiuum (in quo genere tota indifferens absoluta potestas voluntatis requiritur) præcedit. Hoc autem & contra sententiam Thomistarum ea distinctione vrentium est, & contra ipsos concludit: quod sicut determinatio intentionalis per propositionem alterius partis obiecti determinatam, & determinantem voluntatem ad vnum, atque excludentem practicam propositionem partis alterius, ac subinde indifferentiam intentionalem motionis practicæ vtriusque partis non obstante quod solum requiratur ad operari, non autem ad absolutum posse operari euertit per hoc esse libertatem voluntatis in actu primo: ita etiam determinatio siue extrinseca præfinitionis suæ, & intrinsece indita physicæ prædeterminationis, & si solum ad operari requisita sit, non ad

posse

posse absolutum operari, eius libertatem euertet: quia præfinitionem alterius partis requisitam, & si non ad posse operari, illam tamen ad operari excludit. Sed de hac distinctione plura dedimus q. 7. argumento alio ab auxilij sufficientis eliminatione contra Thomisticas præfinitiones perito agentes: nec pauciora has eisdem solutiones de iudicio indifferenti, & potestate entitatiua voluntatis eadem quæstione confutantes.

13. Quinto principaliter arguo. Necessitas absoluta voluntatis in actu primo opposita absolutæ eius libertati in actu primo opponitur formaliter actiuæ voluntatis indifferentiæ in actu primo. Patet siquidem libertas absoluta voluntatis in actu primo id ipsum, quod actiua voluntatis indifferentia absoluta in actu primo, est omnium, etiam aduersariorum, sententia: quare implicat necessitatem absolutam voluntatis in actu primo eius absolutæ libertati in actu primo repugnare, & contradicere, quin & absolutæ eiusdem actiuæ indifferentiæ contradicat; alioqui enim eidem ipsi termino, & extremo contradiceret, & non contradiceret. Inde eadem euidentia infero secundo: ergo, quod contradicit absolutæ indifferentiæ actiuæ voluntatis in actu primo, absoluta eiusdem voluntatis necessitas in actu primo, libertati eius absolutæ in actu primo contradicens, est. Patet etiam consequentia. Quia, si libertas in actu primo, & indifferentia actiua voluntatis idem omnino realiter formaliter sunt, & eidem debent contradicere: quare, cuicumque contradicit indifferentia actiua voluntatis, debet etiam libertas eius in actu primo contradicere: alioqui idem eidem contradiceret, & non contradiceret. Sed potest dari perstante voluntate, eiusque entitatiua indifferentia, & indifferentia intentionali per indifferentem obiecti propositionem, (imo de facto datur in aduersariorum sententia) quod contradicat indifferentiæ actiuæ absolutæ voluntatis: ergo eidem perstantibus potest dari, de factoque datur necessitas absoluta voluntatis eius libertati in actu primo contradicens. Consequentia negari non potest, quin negans ad contradictionem secundi consequentis cogatur, quod est vltima huius syllogismi Maior. Minor autem subiumpta probatur. Nihil magis, & immediatius contradicit actiuæ indifferentiæ absolutæ voluntatis in actu primo ad vnum, quam eiusdem actiua absoluta determinatio in actu primo: at si voluntas mobilis physice ab alio sit, potest dari absoluta eiusdem actiua determinatio in actu primo: imo datur per aduersarios ea in actu primo determinatio ad vnum, cum extrinseca prædeterminatiuæ præfinitionis nostrorum actuum, tum intrinsece inhærens physicæ qualitatis præmouentis ad actiue voluntatem ad actum præfinitum, quæ ipsis fatentibus physica actiua prædeterminatio est stante voluntate, eiusque intrinseca indifferentia intentionali propositionis obiecti indifferenter: ergo potest dari, imo per aduersarios de facto datur, aliquid contradicens absolute indifferentiæ actiuæ voluntatis in actu primo: ergo potest dari absolute, & de facto datur absoluta necessitas ad operandum stantibus iudicio indifferenti, & entitatiua indifferentia actiua voluntatis de se esse, ni secunda consequentia illa discursus huius iam demonstrare defeciat. Hoc autem est, quod contra aduersarios contendebamus si mobilem physice ab alio voluntatem esse velint, vt physica eorum præmotio, & prædeterminatiua præfinitio respectu nostræ voluntatis locum possint habere. Vlterius vero probatum obiter est præfinitionem prædeterminatiuam, & physicam prædeterminationem, suo quamque gradu voluntati nostræ absolutam simpliciter talem, & antecedentem necessitatem ad operandum absolutæ eius indifferentiæ actiuæ, & libertati in actu primo contradicentem, inducere: ac subinde præfinitionem actuum nostrorum, & physicam prædeterminationem Thomisticas voluntatis nostræ libertatem in actu primo destruere: proindeque, & eorum in actu secundo libertatem euertere, de quo prolixa, neque ingrata nobis concertatio per quatuordecim tota certamina q. 7. continuo cum aduersariis fuit: quare extremæ huic parti viterius, & copiosius demonstrandæ nunc abstineo, vt breui latè probatum, nostrum hoc argumentum sic colligam vel voluntas est physice mobilis, vel non est physice mobilis ab alio. Si posterius præfinitio vestra prædeterminatiua, & illam subsequens physica prædeterminatio voluntati nostræ sunt impossibiles: si primum positis etiam actiua entitatiua indifferentia voluntatis de se potest absolute actiue necessitari, & determinari in actu primo ab alio ad vnum, quod absolutæ eius indifferentiæ actiuæ (quæ idem cum eius libertate in actu primo omnino est) contradicit: imo per aduersarios adest in præfinitione prædeterminatiua Thomistica, & inde orta prædeterminatione: ergo cum præfinitione prædeterminatiua Thomistica, qua mobilis ab alio physica admittitur voluntas, non stat voluntatis nostræ libertas.

CERTAMEN II.

A peculiaribus absurdis eædem præfinitiones impetuntur.

1. VVlgaria quidem absurda hæc, in quæ præfinitores hosce egimus: adeoque prope, & ad plenum naturalis rationis lumen, & limen posita, vt statim, ac eorum sententia auditur, nullis ad rei meditationem, & laborem temporis inductis vltroneæ ea omnia occurrant. Cum tamen nulli eorum elapso fere integro sæculo, ex quo nostrorum cum Dominicanis Patribus exorta controuersia est, alio, quam vocum, & vocum vacuarum multiplicatione inutili verbo, aut scripto fuerit ab illis obiuatum (vt ex recitatis, & confutaris eorum solutionibus facile constat,) quam inde ea argumenta apud alios prudentes rerum æstimatores laudem fuerint assecuta referre omitto: satis enim inde constat, quam meantur. Alias enim tenuitas nostra (acutioribus fors notissimis) euidentis discursus notas ignorat, quam nusquam à cunctis, multumque conantibus, illius robur infringi, eique nunquam satisfieri. Quod autem ea omnia, quæ hactenus à nostris, & à nobis contra ipsos deducta absurda, & intructa ex eis argumenta sunt, statim esse solo rationis lumine absque alio pene studio, & labore prodant vel inde monstratur; quod ea omnia à litis huius initio & contestatione, (vt aiunt) ex Doctorum societatis vbique errarum commorantium, ac separatim ea de re scribentium discursu omnino concordi ea omnia anno 1599. Clementi VIII. contra præfinitiones hasce per bonæ memoriæ Præpositum nostrum generalem R. Claudium Aquauiua 22. Februarij repræsentata à societate nostra sunt. Cum enim eius Pontificis iussu à societate causæ, ob quas præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas tantopere abhorrerent quærerentur, rescripto (cuius originale Romæ apud nostros adseruatur) Cardinali Madruchio tradito in hæc verba respondit. Quæ etsi de prædeterminatione, gratiaque de se efficaci prædeterminante (de qua nihil hic dicimus) vt plurimum sint. Loco tamen prædeterminationis, seu auxilij efficacis prædeterminantis (quæ transcriptionis fides mutare non permisit) præfinitiones diuinas de se esse efficaces intelligi volumus, & substitui.

2. *Quia in re grauissima, & ex qua magna pars Theologiæ supernaturalis pendet, nouam doctrinam prædeterminationis voce introducunt, qua nullo authoritatis fundamento, sacrarum litterarum, Conciliorum S. Augustini, & aliorum sanctorum Patrum, D. Thomæ, vel antiquorum scholasticorum, Aristotelis, vel grauis cuiuspiam Philosophi nititur; sed, tum hæc ipsa prædeterminationis opinio, tum quæ ex ea deducuntur illis omnibus non obscure repugnant: ac præsertim plurimis D. Thomæ sententiis, quas cum hac prædeterminatione nullo modo coherent. Secundo: multa, quæ ex ea consequuntur sunt iis valde consentanea, quæ Lutherus, Caluinus, aliique nostri temporis hæretici docuerunt: atque adeo multi sunt, qui existiment ea, nec re, nec verbis ab eorum doctrina differre: quare ne hæretici nostrorum Doctorum authoritate, ac veluti patrocinio abutantur, eam sententiam non putamus amplectendam. Tertio: hac prædeterminationis recepta sententia nonnulli sacri Collegij Trident. præfinitiones, quibus*

horum

horum hæreticorum doctrina damnatur prorsus eneruantur, vt vix possint ab absurdis sensibus vindicari. Quarto introducitur ex hac sententia nouus quidam gratiæ præuenientis modus in hac prædeterminatione positus Ecclesiæ Catholicæ ante hac tempora inauditus : cum huiusce sententiæ Authores gratiam prædeterminationis necessariam esse constituant ad conuersionem in Deum, atque alios huiusmodi actus sufficientia euertunt auxilia : siquidem, præter illa, prædeterminatio prorsus necessaria ponitur, qua non est in hominis potestate ? ex quo efficitur hominem, qui à Deo hac prædeterminatione non mouetur, prius deseri, quam ipse deserat Deum : ac proinde per Deum stare, quominus pie operetur ; quod est contra sacras litteras, & Patres Ecclesiæ : cum præcipuè huius sententiæ Authores asserant, Deum absoluta volitione antecedente, & consequenter ab æterno, statuisse non dare necessariam hanc prædeterminationem iis omnibus, quibus de facto data non est. Quinto : nam, si in hac prædeterminatione gratia efficacia consistit, gratia natura sua, & entitate per se, & à se sola erit efficax, sine vllo respectu ad liberum arbitrium : de qua re, qui contra Caluinum nouissimè scripserunt hæc dicunt. Fatetur ergo Caluinus efficacem à se ipsa gratiam, quam ponit nouellam esse, suique cerebri commentum : indignum sanè dogma, quod ab homine tam impio inuentum viri Catholici amplectantur. Hæc Stapletonius. Sexto hac efficaci prædeterminatione libertas humanæ voluntatis euertitur. Cum enim voluntas prædeterminata ad vnam partem non potest se determinare, neque cum indifferentia agere, ac proinde neque actionem à necessitate liberam elicere. Similiter cum volnntas non agit defectu huius prædeterminationis non poterit agere : cum neque habeat eam prædeterminationem, neque sit in eius potestate illam habere : quare nec seruare poterit affirmatiua præcepta ; nec, si non seruaret eorum omissio illi poterit adscribi. Quin etiam, nec Deus poterit præcepta dare voluntati, quam non prædeterminat ; aut certè præciperet impossibilia : cum sine illa prædeterminatione seruari non possint. Præterea inanes essent omnes sacrarum litterarum cohortationes, vt voluntas, quæ prædeterminata non est conuertatur ad Deum, & pie agat : inanes obiurgationes, quod non conuertatur : inanes denique comminationes, iniusta supplicia. Septimo qua ratione hac prædeterminatio ponitur ad actus supernaturales propter subordinationem causæ secundæ, quæ agere non potest, nisi efficaciter à prima prædeterminata : eadem ponitur etiam ad omnes actus naturales, & ad realem entitatem cuiusque peccati, vel intrinsece mali : ad quam necessaria esse dicitur, vt Deus præmoueat inclinet, prædeterminet : ita, vt hac prædeterminatione posita voluntas non possit, in actu secundo non peccare. Quare, vt dicitur gratia prædeterminationis esse ex se sola ad bonum efficax, & causa sola conuersionis ; ita dicendum esset hanc prædeterminationem ad malum esse ex se sola, efficacem ad malum, & solam causam peccati. Octauo denique. Quia hac prædeterminatione concessa, quam inexplicabilis est concordia liberi arbitrij cum prædestinatione, & gratia efficaci prædeterminante, tam inexplicabilis erit cum ista prædeterminatione libertas voluntatis ad actus naturales, & ad peccata : quod hæreticis vehementer fauet ; & certe posita hac sententia vix illorum sententiis satis facere potest.

3. Sed validissimis præfatis vulgaribus argumentis speciáliora alia (leuioris certe armaturæ, vtpote nostratia) adiungamus præter illud à priori de physica voluntatis ab alio immobilitate, quod cert. 1. sumus persecuti. Sit ergo aliud absurdum contra aduersarios deductum obiter, q. 7. in septimo probando attactum cert. 13. n. 11. scilicet, præfinitionibus omnino antecedentibus nostrarum actionum admissis, nullas in nobis internas, nec nisi pure perfunctorias tentationes (nedum graues, & leues) esse posse. Probatur ex dictis controu 4. de incarnat. d. 4. q. 7. cert. 4. de humanitate Christi, siue Christi, qua hominis tentationibus. Vbi illum, qua talem exterius quidem ab ignaro vnionis hypostaticæ humanitatis Christi diabolo tentatum esse, cum communi, & fere dogmatica sententia docuimus : interius vero non fuisse tentatum ad peccandum, vt communis etiam veterum, & Recentiorum Theologorum, imo, & Patrum opinio fert. Etsi enim ab illis tentationibus externis sensationes internæ, atque ex his malesuadæ cogitationes fuerint in humanitatis illius mente subortæ ; vim autem motiuam, & sollicitatiuam ad malum solutam, & absolutam non habebant : quia ex parte actus primi earum vis motiua, & allectiua ad peccatum vnione hypostatica eneruabatur, euacuabaturque : vt in ordine ad mouendam voluntatem humanam Christi ad peccandum, cui omnino impossibile antecedenter peccatum erat, perinde, essent cogitationes illæ, ac si non essent. Atqui posita præfinitione ad obseruantiam præceptorum impeditæ eneruatæ, & euacuatæ ex parte actus primi sunt malesuadæ omnes cogitationes, & quantum ad vim absolutam motiuam cuiusque voluntatis creatæ ad peccatum, perinde se habent, ac si non essent : ergo veræ tentationes internæ voluntatis creatæ, admissis necessariis hisce præfinitionibus. Ad præceptorum obseruantiam, contra quam tentandi eramus, omnino à nostris voluntatibus exulabunt. Confirmatur ex doctrina aduersariorum, qui ideo iudicium de bono delectabili in honesto in Christi Domini, & Beatorum mentibus existens practicum non esse, & sufficiens ad constituendas eorum voluntates liberas ad peccandum, quia vel visione beata, vel hypostatica vnione peccatum ex parte actus primi redditur ipsis impossibile. Idem autem est practicum iudicium absolutè non esse, ac non esse absolutè motiuum ad peccatum : cum autem ex præfinitione ad obseruantiam præcepti ex parte etiam antecedentis fiat nostris voluntatibus eius transgressio, & peccatum absolutè impossibile, malesuadæ cogitationes internæ, neque absolutè practicæ, & motiuæ ad malum, quare neque internæ, & veræ tentationes erunt. Si autem, vel præfinitio opposita ad materiale peccati, & transgressionis, (vt plerique ex aduersariis, imo iam omnes eorum recentiores respectu omnis transgressionis admittunt) adsit, vel absit obseruantiæ præfinitio, cum absolutè non possit non esse delictum, seu præcepti transgressio, materialis solum, sicut in pueris, & amentibus, qui exinde liberato transgrediuntur transgressio erit. Quare, sicut respectu horum vera tentatio interna obinde esse nequit : ita neque respectu voluntatum creatarum, quarum obseruantia præceptorum præfinita non est, sed potius præfinita transgressio internæ tentationes veræ esse non poterunt quod si (vt ex aduersariorum principiis inferius deducemus) prædeterminationes omnes naturalis ordinis qualitates, & accidentia sint : eas vel esse, vel abesse, ac proinde prædeterminatiuas negationes earumve operationum præfinitiones, earumve negationes adesse diabolus cognoscet : quare ne irrito, fatagat, & stulte laboret neminem nostrum, vel internis suggestionibus, vel externis adhuc occasionum, obiectorum dispositionibus tentauit, cum sciat, siue posita, siue ablata obseruantiæ præfinitione neminem materiali transgressione sola peccaturum ; quod quidem ne Christi, qua hominis impeccabilitas obtinuit : cum eum neque impeccabilem, neque vnitum hypostatice scierus recensitis in euangelio tentationibus externis fuerit adorsus.

4. Nonum absurdum sit in fere omnibus hominibus peccati fomitem aliquando ligatum, in prædestinatis vero non paucis, cunctisque in gratia confirmatis exinctum in via iuxta præfinitores hosce asseri debere : quorum neutrum, nisi de Christo, qua homine, eius Matre Virgine sanctissima, ac Beatis in patria, & Protoparentibus in statu innocentiæ Theologia recognoscit, duo absurda nonum istud continet. Alterum de fomitis ligamine, alterum de eius in præfatis viatoribus extinctione. Vtriusque probationi ex dictis citata controu. 4. de incarnat. d. 4 quæst. 7. cert. 1, supponendum est primo. Fomitem, seu, quod idem est, incentiuum peccati, in paruulis etiam omnibus ex originali suborum, nec stare in morbida qualitate à sanctis aliquot Theologis asserta, neque in actu appetitus sensitiui circa bonum delectabile in honestum, qui in paruulis locum non habet ; sed in appetitu sensitiuo cum interna sensatione deordinato, seu cum vi mouendi se ad affectus erga bonum delectabile inhonestum per subtractionem donorum, quibus inordinati illi affectus appetitus ipsius

ipsius ex parte actus primi, vel ligamine, vel extinctione potestatis appetitus ad illos concipiendos, eisque mediis inflamandam voluntatem impedirentur: vt cum Soario ostendimus ibi num. 3. secundo supponendum est: fomitem, quamdiu fumigat, flammasque motuum suorum inordinatorum aptum absolute est concipere, & voluntatem subinde inflammare, ad eosque progrediendi, & viterius inflammandam voluntatem habet absolutam facultatem, neque extinctum esse, nec ligatum; sicut nec lignum fumigans, etsi flammas non concipiat, extinctum absolute est: nec canis quandiu ad mordendum progredi absolute, & expedite potest est ligatus. Ex iis enim fomitis, & incentiui peccati, extinctionis, & ligaminis eius metaphoricæ voces à Patribus, & Theologis petitæ sunt. Ceterum tunc fomes extinguitur, cum manente appetitu in se, & cum sensatione etiam interna, tollitur deordinatio per eorum, quæ iam dicemus assistentiam. Ligatur vero, cum manente etiam deordinatione per eorum absentiam, impeditur tamen, ne vel in motus suos inordinatos, vel viterius ad similes alios in voluntate causandos progredi possit. Ligamen, ne in suos motus ire possit, arctissimum fomitis ligamen est; Laxius tamen, cum suos edendi non impeditur potestas, etsi ad similes in voluntate causandos non relinquatur fomiti facultas expedita. Ligari enim quempiam strictius, vel largius contingit vt ibidem num. 4. & 5. dicebamus. Tertiò supponendum est: quoties vis de se motiua appetitionum circa bonum delectabile in honestum sensatione interna propositum in appetitu per illam informato, & sollicitato absolute manet non esse peccati incentiuum, & fomitem, extinctum, etsi eiu svis impediatur, ligeturve, etiam ex parte actus primi, ne in motus illos prodeat, neue eis etiam habitis ad inflammandam actibus similibus voluntatem: tunc enim vis motiua, & incentiua ad eos motus, in qua fomes absolute talis consistit, non deficit; etsi prodire in eos impediatur: sicut lignum fumigans incentivum adhuc est, & flammarum concipiendarum fomes, quandiu fumigat, etsi ex aliquo accidenti ex parte actus primi etiam illas concipere impediatur.

5 Itaque legem fomitis vim motiuam, & incenti uam appetitus non destruit, etsi impediat ne in actum prodeat, siue suorum motuum, siue similium in voluntate; extinctio vero formaliter vim ipsam motiuam appetitus per internam sensationem boni delectabilis in honesti destruit, vt citata quæst. 7. cert. 2. num. 11. obseruabamus. Inde iis omnibus, quibus vis illa motiua appetitus censitiui ab actibus circa bonum delectabile impeditur solum, fomes ligatur; iis vero, quibus aduersæ virtutis assistentia fortius alio agitur fomes extinguitur. Virtus autem alio motiua appetitus, mea quidem, & vera, vt opinor, sententia solum intentionalis; in præfinitorum vero prædeterminantium sententia physica etiam esse potest: quare in mea illa sententia, quandiu subiectum mobile absolute intentionaliter, & absolute capax motionis in bonum delectabile in honestum manet (vt viatores reliqui ab homine Christo, eiusque beatissima Matre manserunt, quippe quibus nec vnionis hypostaticæ, nec maternitatis Dei adstitit donum) solis donis intentionaliter motiuis fortius, quam sensatio interna boni delectabilis inhonesti fit, quæque, proinde vim eius sensationis motiuam intentionaliter longe superent, vincant & prorsus debiliter extingui peccati fomes potest, vt dicebamus de Adamo, & Eua in statu innocentiæ, & Beatis in Patria eo cert. 2. num. 5. in præfinitorum vero sententia, cum mobilis physice ab alio voluntas nostra etiam asseratur, non vis sola intentionaliter motiua, sed physice etiam motiua in oppositum attendenda erit, & comparanda cum vi motiua intentionali sensationis internæ, vt alterutra ab alterius robore præstantiore, maioreque motiua virtute superetur, debiliteturque prorsus dignoscatur: atque per physicam in oppositum motiuam virtutem intentionalis illa sensationis ita enerueturr, ac disparear, ac si non esset, subindque fomes extinguatur. Hæc, & de se perspicua, & citata q. 7. fusius explicata, & probata, atque ad distinctionem ligaminis, & extinctionis fomitis peccati (in qua assignanda Theologi commupiter hallucinati hactenus sunt) omnino certa, & necessaria ex quibus expedita omnino pronaque vtriusque absurdi contra præfinitores hosce probatio. Et primo quidem de ligatione fomitis in fere omnibus adultis aliquando, & de extinctione aliquando in fere cunctis prædestinatis, & in omnibus in gratia confirmatis.

6 De ligamine fomitis constat infere omnibus, & singulis aliquando quia adultus vix vnus, aut alter inuenietur, qui pro breuissimo tempore post gratiam recuperatam penitentiæ virtute, vel Sacramento, peccet vllo peccato: ad quod opus est, vt minimum absit decretum efficax concurrendi cum voluntate, ad affectus circa bonum delectabile in honestum, vel adsit etiam decretum non concurrendi ad eiusmodi affectus cum illa: atqui negatione decreti concurrendi, seu decreto non concurrendi ad eiusmodi affectus voluntatis impeditur ex parte actus primi ne inflammet in illos voluntatem, ligaturque ne noceat voluntati, etsi non ligetur, ita arcte, vt motus etiam materialis appetitus impediat: ergo absolute fomes peccati ligatus est. Maior est aduersariorum doctrina certa est. Cum enim quis perfecte conteritur de peccatis habet, vel virtuale, & implicitum, vel formale, & explicitum propositum non peccandi peccato vllo: idque ob Deum summe dilectum: imo etiam cum imperfecta, vel non ita nobili contritione conteritur, si sufficienter ad remissionem peccatorum in Sacramento conteritur, vel explicitum, vel implicitum saltum, non peccandi de cætero propositum, etsi ob minus perfecta motiua non potest non habere: cum autem propositum hoc, nisi ex præfinitione diuina de se efficaci ipsius esse in aduersariorum sententia nequeat: & cum hac pugnet decretum concurrendi pro eius propositi duratione, ad quamuis actionem peccaminosam necessarium, vt ea esse ex parte actus primi absolute possit, dubio procul fomes pro ea duratione, & tempore ligatus, vt minimum est. Minor eiusdem syllogismi de se patet, & à communi Theologorum etiam aduersariorum est admissa. Siquidem ex defectu essentialis cuiusvis comprincipij ad quamuis actionem alterum comprincipium quantumuis de se, & ex parte sua potens, & determinatum ad illam impeditum ex parte actus primi, & ligatum absolute est, ne agat: consequentia vero est legitima. Etsi enim appetitus sensitivus in motus suos proprios circa bonum delectabile in honestum progredi absolute, & expedite possit, decreto concurrendi ad similes actus voluntatis deficiente, siue aditante decreto non concurrendi ad illos ligatus est, ne ad actus illos voluntatis, & ad nocendum illi progredi possit: quo satis habetur, vt ligatus absolute sit, ac dicatur. Quemadmodum rabidus, & infestus hominibus canis, etsi non ita arcte ligatus, aditrictusque columnæ sit, vt mouere se, & progredi paululum nequeat; si tamen, ita sit ligatus, vt ad locum, ex quo nocere hominibus possit progredi nequeat absolute ligatus dicitur. Hoc autem fomitis ligamen absolutum in prædestinatis, & confirmatis in gratia (cuiusmodi Apostoli certo fuere, ac pie, satisque Theologice insignes illustrium Religionum Patriarchæ sancti fuisse creduntur) diutius, & habitualiter in præfinitorum sententia extitisse planum ex dictis est: siquidem decretum Dei præfinitiuum, siue decreta obseruantiæ præceptorum pro toto tempore vitæ, ex quo gratia illis ad mortem vsque, & Dei prædestinatione de se efficaci, & confirmatione in gratia conseruanda est, decretum non concurrendi ad peccatum vllum, siue omissionem decreti concurrendi ad illud adiunctum habet: quare, & habitualiter fomitem ligatum, & impeditum in illis reddit.

7 Absurdi eiusdem pars secunda de fomitis extinctione pro tempore, ex quo ad finem vsque vitæ gratia in prædestinatis, & præcipue confirmatis in illa est perstitura, probatur ex dictis: quia prædestinatio, & confirmatio in gratia, horum sententia, stat in præfinitione de se efficaci conseruationis gratiæ vsque ad mortem duraturæ: & confer endi physicam prædeterminationem ad non peccandum toto illo tempore, idque omnino independenter à prædestinatorum, & confirmatorum in gratia libertate; alioqui, vt hi discurrunt, nec prædestinatio, nec confirmatio in gratia speciale Dei

beneficium, gratiaque esset: imo opus non est vt ad ea decreta concipienda inordinati motus appetitus sensitiui præcedant, à Deoque absolute futuri præuideantur: ergo antecedenter ad illos etiam adstat virtus actiua physica longe maior, ac fortior ad obseruationem præceptorum, quam sit vis, & inclinatio physica appetitus, & intentionalis sensationis internæ de bono delectabili inhonesto; ac proinde vis incentiua fomitis ad peccatum, & inordinatos motus ab eis præfinitionibus euacuata in prædestinatis, & confirmatis in gratia habitualiter, est pro toto tempore, pro quo sunt in gratia vsque ad finem vitæ perseueraturi: quare vis fomitis perinde in illis est, ac si non esset, vt dicebamus num. 5. quocirca contra experientiam infertur motus inordinatos appetitus sensitiui circa bonum delectabile inhonestum non posse præfatis contingere, nisi consentiente prius natura voluntate: quare non ex fomite, sed solum ex vitio voluntatis in illis prouenturos. Non aliter atque de Adamo, cui pro innocentiæ statu maiori vi superni hominis, quam esset appetitus ad prosequendum bonum delectabile inhonestum, etiam sensatum, fomes erat extinctus, dicitur non posse appetitum in horum delectabile inhonestum moueri prius natura, quam voluntas eius prius natura præuenta illo lumine perpetuo, quatenus ex parte Dei erat; duraturo, vitio proprio in illud consentiret, vt dicebamus citata contro. 4. de Incarn. d. 4. a. 4. q. 7. cert. 2. n. 5. quod ipsum est eius appetitum rationi, & rationali eius voluntatis subditum fuisse. Cum ergo vi physica, longe maiori, imo insuperabili diuinæ præfinitionis independenter à motibus appetitus sensitiui prædestinatiuæ, & confirmatiuæ in gratia prædestinatorum, & confirmatorum in gratia voluntates habitualiter præueniantur pro tempore dicto, & fomitem peccati in illis extinctum, & appetitum sensitiuum suis inordinatis motibus voluntatem præuenire non posse dicendum contra apertam experientiam, & omnem bonam Theologiam erit.

8. Dices hoc solum probare: fomitem, non absolute talem, seu ad peccandum absolute extinctum in prædestinatis, & confirmatis in gratia esse, sed secundum quid, & ad ea solum peccata, quæ gratiam conseruandam ab eis propellerent, si admitterentur; cuius generis sola mortalia sunt. Sed in primis id solum, quod fateris satis est absurdi: nimirum in his fomitem ad mortalia pro duratione dicta extinctum esse, ne deinceps vllo modo, aut gradu possit ad peccandum mortaliter illos, eorumque voluntates, imo neque appetitum, incendere. Quamuis autem discursus factus id solum de prædestinatis, & confirmatis in gratia probet: alium tamen discursum subiungamus, quo non de eis solum, sed de omnibus omnino hominibus etiam originali infectis probet ex superius demonstratis. Fomes peccati viuus, & absolute talis, ac non extinctus supponit, concernitque essentialiter peccati absolutam possibilitatem: ergo, quibus peccatum absolute impossibile est, & fomes peccati est absolute impossibilis. Et certissima consequentia ex æque euidenti antecedente: siquidem vera absoluta vis, & facultas ad aliquid præstandum, quod impossibile est, omnino repugnat. Tum sic pergo: Sed posita necessitate præfinitionis independentis omnino ab vsu nostræ libertatis omne peccatum, tam veniale, quam mortale etiam post originale (etsi id in ea suppositione esset possibile) omnibus omnino hominibus impossibile est (vt vidimus cert. 12. à num. 2. ad 5. inclusiue) ergo & omnibus omnino hominibus, etiam post originale contractum, fomes peccati viuus, ac non absolute, extinctus est omnino impossibilis. Hoc autem & contra fidem est traditam à Tridentino sess. 5. decreto de peccato originali, vbi fomes, siue appetitus sensitiui deordinatio originalis peccati effectus asseritur: & plura alia absurda non solum bonæ, & statæ apud catholicos Theologiæ: verum, & fidei dogmatibus aliis aduersa. Etenim nulla erit Adami, aut pro innocentiæ statu, quoad fomitis peccati extinctionem, prærogatiua singularis, imo neque diuiparæ sanctissimæ eiusve, ac Patris æterni vnigenito filio homini Christo. Orioseque insuper, & Deus dona singularia eis impertiturus est, & Theologi ea inquirere indagare, & explicare laborant, & insudant, quibus & primi parentes, Deipara, ac eius filius eam prærogatiuam obtinuerint; quam titulo subordinationis essentialis creatæ voluntatis, & causæ secundæ ad primam non poterant non cum reliquis voluntatibus, & causis creatis habere communem.

CERTAMEN III.

Postrema duo contra easdem præfinitiones absurda particularia.

1 Decimum absurdum principale contra præfinitiones nostrorum actuum prædeterminatiuas est: prædestinationem diuinam neque esse supra naturam nostram, eiusque exigentiam: quare neque Dei misericordiam, & gratiam: quod est in hæresim Pelagianam incidere. Probatur assumptum, quia prædestinatio in horum sententia stat in præfinitione prædeterminatiua boni operis à Deo habita, titulo causæ primæ, & cui voluntas essentialiter, non in essendo solum, sed & in operando essentialiter subordinatur: ac proinde decreto hoc efficaci, seu præfinitione præuia de præuio etiam physico concursu indiget, exigitque proinde ad suas operationes: non aliter, atque aliæ causæ secundæ Deo essentialiter etiam in operando subordinantur, similibusque proinde suarum operationum decretis efficacibus, & præfinitionibus præuioque Dei concursu iuxta cuiusque naturam indigent, haberique illas, & dari à Deo eo titulo exigunt ad operandum. Ast quidquid titulo essentialis subordinationis huius indifferentiæ, & exigentiæ causæ secundæ naturalis decernitur, donaturque à Deo, naturaliter titulo, & iure creationis decernitur à Deo, & donatur, ac proinde supra naturam, ac supernaturali, gratia Theologica, & per Christum nec datur à Deo, nec decernitur, vt contra Pelagium contenderunt, definierunt que Patres, & Concilia: ergo prædestinatio, quæ in eiusmodi præfinitionibus per hoc de præuio Dei concursu consistit, nec supernaturalis, nec ex meritis Christi à Deo concipitur, nec donum aliquod, quod gratia Dei per Christum sit, nobis defert.

2 Dices primo: Deum non præfinire, seu decernere efficaciter opus ad salutem conducens, & præuium ad illud concursum cum voluntate nuda, quæ ad illud non potest; sed cum illa vt informata habitibus supernaturalibus, quos vltra eius exigentiam naturalem ipsi decreuit, & donauit. In primis ad actus virtutum moralium præcise, neque ex fine, aut motiuo aliquo supernaturali eliciendo Dei præfinitio, & inde ortus præuius Dei concursus, nec supernaturales, neque gratia per Christum erunt: quia, vt præfiniantur decernaturque efficaciter præuius Dei physicus ad illos habitus supernaturalis aliquis non supponitur: quia ipsi actus naturales prorsus sunt, & iuxta Thomistarum, mihique veram sententiam, cum obiectum formale supernaturale nullatenus habeant, sed pure naturale, supernaturales actus illi esse non possunt, quo ad substantiam: quare nec habitum supernaturalem ex parte principij supponere. Quoad modum autem, scilicet quia ex gratia Dei indebito naturæ modo auxiliantis eorum actuum supernaturalitas. Argumento cui ita respondetur est impugnatum manet secundo: adhuc respectu actuum supernaturalium, etsi ad eos habitus supernaturales ex parte principij ad præfinitionem prædeterminatiuam eorum, & decretum efficax de concursu præuio ad ipsos supponendi essent (quod in eorum doctrina locum non habere inferius ostendam) nec præfinitio eorum actuum, decretumue concurrendi ad illos, ac præuius concursus formaliter supernaturalis esset. Siquidem habitibus illis ex prædicato causæ secundæ, ex quo essentialiter subordinantur primæ in operando ea indigentia, & exigentia præfinitionis, præuijque concursus diuini competit: prædicatum autem illud formaliter supernaturale non est, vt patet: quare nec titulus, & exigentia, quæ in ipso fundatur; etsi habitus, in quo

quo reperitur, supernaturalis sit: ac proinde, & prædicatum illud ac titulus in eo fundatus materialiter supernaturalis solummodo est; ast, tam hic, quam, quæ ob illum à Deo decernuntur, & donantur, supernaturalia, & vltra debitum naturæ, atque ob Christi merita, & ex eius gratia formaliter, nec sunt à Deo decreta nec donata: quia id solum formaliter supernaturale est, & supernaturaliter à Deo decernitur, & donatur, quod titulo supernaturalis formaliter prædicati rerum à Deo decernitur, & donatur.

3. Ecce vbicatio habitus supernaturalis, non est supernaturalis formaliter, quia decernitur illi daturque à Deo titulo prædicati entis, quod supernaturale formaliter non est, atque idem ipsum formaliter in entibus omnibus naturalibus inuenitur; etsi in supernaturalibus habitibus, in quibus identice est, materialiter sit supernaturale prædicatum. Confirmatur, & explicatur clarius in sententia satis communi Philosophorum, qui sola quantitatis præsentia accidentia omnia vbicari censet; quæ vtique etiam naturalis pro habitibus supernaturalibus, imo & eadem quæ pro naturalibus erit. Quod ipsum de habituum duratione si à durante distinguatur duratio dicendum omnino est. Tertiò cum habitus supernaturales ad supernaturales actus eliciendos potentia naturali dentur, vt eis vtatur, atque prohibit, & ex natiua sua potestate indifferente, & dominio (si libera potentia sit, (vti ad supernaturalium etiam habituum vsum libera est creata voluntas) sit plane præfinitionem, & concursum præuium voluntatis intrinsecæ, & natiuæ potentiæ, æque eis habitibus vsuræ pro libito, & ex naturali suo dominio, & potestate indifferenti à Deo decerni, & donari, non autem supernaturalibus habitibus, qui eius potestati, quoad vsum subduntur, etsi, vt eius complementa ex parte actus primi supponantur. Nec refert habitus illos esse totam virturem, & rationem agendi actus supernaturales in horum sententia. Primò: quia statim ex sententia præfinitionum, quam modo impugnamus, deducemus habitus supernaturales, non totam quidem, sed nullam virturem, & rationem agendi esse posse. Imò nec dari in nobis habitus supernaturales ad supernaturales actus vllos, quo tota solutio, quam modò infectamur penitus euanescit.

4. Sed quocumque modo ea sententia de tota ratione, & virtute agendi actuum supernaturalium pro habitibus supernaturalibus explicetur, suas tamen partes in illis agendis voluntatis, siue *vt quod*, siue in ratione potentiæ actiuæ, etsi non *vt quo* & in ratione virtutis deferunt deferreque Thomistæ voluntati nostræ necessario debent, ne Tridentino aperte, & hæreticè aduersentur: & earum partium ratione vsum supernaturalium habituum potestati dominio, & facultati indifferenti de se voluntati nostræ subdi, ac subjacere: ex quo impugnatio hæc tertia perstat firma. Nam præfinitio, & concursus præuius Dei ad determinatam eorum habituum vsum necessarius, ei qui Dominus vtendi eis habitibus est. Tituloque eius dominij, & indifferentis potestatis habendi à Deo, ac præparandi sunt; non autem eis qui suæ, quoad sui etiam vsum, potestatis non sunt, scilicet habitibus supernaturalibus: cum autem indifferens illa de se potestas, & dominium voluntatis, quoad habitum, etiam supernaturalium, vsum, natiua, ipsique ingenita, & naturalis sit, præfinitio quæ eius dominij titulo à Deo haberur, & concursus præuius, qui eo etiam titulo ab ipso voluntati donatur, naturalis, itreque naturæ debitus erit, non supernaturalis, gratiaue Dei per Christum.

5. Ne vero æstimes nos eidem difficultati, & absurdo subiacere: etenim neque gratiæ auxilia ex meritis Christi nobis ad quoslibet honestos actus, etiam pure naturales, quoad substantiam, data, vt fatemur, æque, decretum prædestinativum, & de facto conducens ad eos actus eliciendos, quod supra nostræ, imo & totius naturæ vires, & exigentiam concipit Deus, cum concursu, ac decreto concurrendi, quod titulo potestatis indifferentis, & dominij ad vsum, & suæ virtutis, & cuiusvis potestatis sibi adiunctæ ad actus eliciendos Deus concipit, & ex quo pro voluntatis libito concurrit identificamus: quare etsi decretum concurrendi (quodcumque sit) eo titulo à Deo habitum, nec supernaturale, neque è Christi meritis sit, vt dicebamus; tamen prædestinatio, & voluntas quæuis diuina nobis auxilians, & auxilia ex illis collata, siue, vt absolute eos actus possimus, siue, vt de facto eos actus operemur, supernaturalia saltem quoadmodum sunt, si actus naturales quoad substantiam sint, atque è Christi meritis, & decreta illa à Deo concipiuntur, & conferuntur auxilia. Cæterum cum Dei concursum cum voluntate nostra non præuium, sed identicè nostrum comitari asseramus ad supernaturales actus supernaturalem esse absolute asserimus, sicuti, & concursum nostrum: quia vterque concursus cum concursu habitus supernaturalis identificatum, etsi quatenus à nobis, & à Deo, quatenus ex se est suam cooperationem afferente, & dominio, ac potestati voluntatis; quoad vsum eius, & habitus permittente supernaturalis non sit. Decretum autem quo eo titulo concursum non prædeterminatiuum offert voluntati omnino est naturale, vt contra Thomistas dicebamus: neque concursus, si præuius esset, vt Thomistæ volunt, altioris ordinis absolute esset, ob rationem datam: quia etsi de concursu, cooperatione & operatione supernaturali sit, tamen titulo, & ex motiuo pure naturali conceptum illud decretum à Deo est, vt diximus; nec nostræ operationi supernaturali identificatur, cui præuius horum sententia est, ac natura præcedit.

5. Vndecimum absurdum principale (& quo, vt dixi solutio argumenti, quo decimum absurdum probabamus prorsus euertitur) contra præfinitores prædeterminatiuos est. Omnem habitum supernaturalem cum in via, tum in patria esse omnino superfluum: quare ne vtrobique à Theologis, si præfinitiones prædeterminatiuæ admittantur esse admittendum. Hoc autem, & contra ipsorum Thomistarum doctrinam est: Siquidem si ij habitus non sint, non tota virtus, & ratio agendi actus supernaturales & mordicus contendunt ipsi) sed nulla prorsus eos agendi ratio, & virtus erunt: Siquidem quod non est nec ratio, & virtus agendi aliquid, neque aliquo modo, siue, *vt quo*, siue, *vt quod* alicuius actiuum esse potest. Sed hoc, etsi ipsis inconsequens incommodum, & ingratum esset, veritati tamen, & Theologiæ gratissimum foret: siquidem à dissona ea opinione deterrerentur. Absurdior tamen est ea habituum supernaturalium sublatio. Quandoquidem eos negare, siue in patria, siue in via temerarium, & erroneum est: atque de habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis in via hæresis expressarum in Baptismo paruulis etiã (in quibus earum virtutũ actus locũ non habent, sed habitus solum) fidem, spem, & charitatem infundi definitum à Tridentino sit. Quod autem admissis eiusmodi præfinitionibus prædeterminatiuis ad actus supernaturales, & præuiis Dei concursibus & præmotionibus physicis, quas concernunt, nostrisque voluntatibus ad illos eliciendos deferunt, ac deuoluunt, supernaturalibus quidem, vt catholice debent aduersarij tueri, atque ex meritis Christi, nec solum ex naturæ iure, & titulo à Deo concepcis, & datis supernaturales habitus ad illos actus eliciendos superfluant, sintque proinde & Theologia, & medio, vt dicitur, tollendi facile ostenditur.

7 Etenim, quoties ex parte principi' actiui inuenitur id, cui omnia prædicata effectus, seu actus sufficienter respondent, quodvis aliud comprincipium ex parte principij illius ad eos effectus, & actus superfluit, estque in omni bona philosophia, & Theologia ex parte principij relegandum: atqui posita præfinitione prædeterminatiua supernaturali, & ex meritis Christi ad actus supernaturales in earum coniuncto inuenitur ex parte principij actiui id cui omnia prædicata actus supernaturalis sufficienter respondeant ergo posita præfinitione prædeterminatiua voluntatis ad actum quemuis supernaturalem, quoduis aliud comprincipium, ac proinde supernaturalis habitus ex parte principij, ad eum actum superfluit, estque in omni bona philosophia, & Theologia relegandum. Maior est axioma, dignitas, ac definitio causæ tam absolute, quam in quouis causæ genere, adæquatæ ab schola tota Thomistica, potioreque, & maiore

longe Philosophorum parte merito receptæ, vt controuers. de causarum diuisione contra eius impugnatores pauculos monstrabamus. Minor autem est aperta, quia, cum præfinitio prædeterminatiua, præuiusque ex ea concursus inditus voluntatis supernaturales, & ex meritis Christi sint, (vt aduersatiis nunc in eorum principiis etiam esse permittimus) supernaturalitas, quæ habitui supernaturali erat responsura eis sufficienter respondebit. Dices habitu supernaturali compleri potentiam, quæ absque illo incompleta est ad actum supernaturalem: supponique ita completam ad præfinitionem, seu decretum efficax concurrendi ad illam titulo causæ primæ, & vniuersalis Deum ipsum, qui eo titulo cum causis secundis omnibus tam naturalibus, quam supernaturalibus concurrere debet, atque vt concursum præuiumque, sibique proprium decernat, & conferat completas supponere.

8. Certe, si concursus hic Dei præuius physice non esset, & per qualitatem, & præmotionem physicam ex parte actus primi voluntatis ad actum supernaturalem eliciendum, sed causæ secundæ operationem solummodo comitaretur, vt reliqui à Thomistis, quos impugnamus, asserunt, teneret solutio, & ad Dei decretum concurrendi, & concursum ipsum causam creatam, seu voluntatem completam in genere causæ secundæ ad suos actus, quare, & cum habitu seu comprincipio supernaturali ad actum supernaturalem eliciendum debere supponi, neque superfluere satis ostenderet. Ast, cum præuia illa, & creata physica qualitas, & præmotio Dei ex parte actus primi ad actum supernaturalem secum voluntate teneat, nequeatque non illam in actu primo ad ordinem supernaturalem eleuare, atque complete potentem ad actum supernaturalem constituere; de præuiis, ac præsuppositis illis habitibus superflue à Deo prouidebitur: qui scit, & eleuationem, & complementum totum actiuitatis in actu primo, & genere creati agentis inexcusabili præfinitione sua extrinsecus (quod satis esset) & præuia physica præmotione, & qualitate intrinsece imprimenda fore necessario præstandum, vt actus ille in sui effectione à Deo causa prima independens non sit, à quo in sui esse fieri, & conseruari è creaturæ prædicato essentiali, & titulo dependens esse debet. Nec satis est eam præfinitionem, & præuium physicum concursum titulo causæ primæ, & vniuersalis à Deo haberi, atque apponi, etsi enim eo titulo præfinitio à Deo habeatur, atque apponatur concursus physicus præuius ad actum supernaturalem, non tollit, quominus effectum formalem quem sui reali formali assistentia, seu inhæsione voluntati nostræ præstat eam scilicet eleuandi ad ordinem supernaturalis agentis, complendique in genere principij actiui creati, subinde illius actiuitatem ad supernaturales operationes, & actus præter: cum, & comprincipium creatum, & supernaturale (vt nunc permittimus aduersariis) siue assistens præfinitio, siue inhærens voluntati physicus concursus, & præmotio præuia sit. Quo solum titulo, siue habitus, siue comprincipium quoduis aliud, physica sui assistentia, vel inhæsione voluntatem, & ad ordinem supernaturalis agentis eleuant, & eius actiuitatem ad supernaturales operationes, & actus ex parte actus primi complent.

DISPVTATIO II.

De præfinitionibus prædeterminatiuis ad materiale peccati.

TAMETSI effusa disputatione proxima, qua nullam creatam liberam actionem independenter à creati arbitrij, & libertatis vsu antecedenter natura, & causalitate ab eiusmodi libertatis creatæ, & exercitio, salua, cum arbitrij creati, tum operationis eius libertate prædeterminatiue præfiniri à Deo posse (ad nauseam) monstrauimus, satis prona sit de præfinitionibus prædeterminatiuis Dei ad materiale peccati nostri negatiua decisio, quando quidem materiale peccati creata, & libera operatio esse necessario debet, cuius vtique libertati eiusmodi præfinitiones (sicuti & omnium vniuersim creatarum actionum libertati) aduersantur. Quia tamen aliunde etiam bonitati, iustitiæ, & sanctitati Dei præfinitiones, prædeterminatiuæ ad materiale peccati nostri speciatim videntur repugnare; de eis seorsim secunda hæc valde ad rem Theologicam, fideique dogmata, inconcussa firmitate stabilienda, disputario statuenda merito fuit. Ne vero amphibologiis, atque æquiuocationibus locus inter disputandum supersit: disputationis, & controuersiæ inter vtramque scholam Thomisticam Iesuiticarum nostrorum (quam vere Thomisticam censemus) & Thomisticam Recentiorum dominicanorum (qui vestitus, & ordinis iure gloriosum hoc sibi adrogant nomen) punctum, & scopus exponendus in primis est. Igitur in his vtrique, quoad præsens, scholæ citra vllum conuenit dissidium.

2. Primum, vt materiale peccati consistat opus esse præcepta, seu lege siue naturali, siue positiua actionem creatam prohibente, si commissionis peccatum sit futurum, vel actionem præcipiente si futurum sit omissionis peccatum. Secundò item vtrique scholæ conuenit eiusmodi legis, vel prohibentis, vel præcipientis notitiam, & aduertentiam actualem, formalem (vel interpretatiuam, vt vincibilem ignorantiam comprehendamus, quæ ad rem præsentem nihil differt) debere pro priori naturæ in peccaturo hic, & nunc supponi, vt hic & nunc eius operatio, vel omissio contra legem alterutram materiale peccati sit, quod subinde inexitabiliter formale peccati sequatur. Ex ea quippe aduertentia actuali ab operatione, vel omissione contra legem pro naturæ priori alterutrius malitiam recognoscunt, & ab alterutra rerrahuntur, ne hic, & nunc pro naturæ posteriori vel operentur, vel omittant: vt proinde alterutro modo, vel omissione, vel operatione malitiam alterutra concipiat moralem, quarum neutra absque ea actuali aduertentia prauia nullatenus contraheret.

3. Tertiò vtrique etiam scholæ conuenit. Ad omnem physicam actus, & operationis creatæ commissiue peccaminosæ in præfatis circumstantiis legis, & actualis aduertentiæ prohibitionis, tam Deum, quam creaturam hic etiam & nunc concurrere, & immediate quidem contra Durandum. Etsi enim in recentium Dominicanorum sententia Dei præmotio, & prædeterminatio à primis eorum excogitata pro naturæ priori creaturæ operationem præcedat, eaque proinde prior sit, sub eaque ratione, quatenus actus, seu operatio à creata voluntate est, mediate solum à Dei physica præmotione, ac physica qualitate voluntatem prædeterminante proueniat; ast ipsam illam immediate, quatenus creatus actus à Deo etiam causa prima est actum ipsum attingere, & in rebus apponere volunt, ne aperte durandizent, tametsi, & hoc non ita facile præcipi queat.

4. Denique conuenit vtrique scholæ quarto ex hac præcise attingentia immediata actionis prauæ à Deo nullam eius bonitati, & sanctitati indecentiam aduersam Deo suboriri: neque vsquam, quod peccatum nostrum formaliter, aut interpretatiue amet, eiusve causa sit, inde illi obitici posse: cuius rationem disputationis hac aperram in nostræ scholæ principiis, quæ præfata hactenus communia cum recentibus hisce dominicanis Thomistis solummodo admittunt, Deo donante dabimus. Imo ex eo etiam præcise, quod creatura immediate ad eiusmodi actum concurrere (ni alia ex parte ipsius decursu disputationis exponenda considerentur, ob quæ & ipsi actio imputatur ad culpam, velleque, & causare proprie peccatum dicitur) nec velle, nec causare peccatum creatura diceretur.

5. Tota ergo controuersiæ scholæ vtriusque, quoad præsens attinet, materia, punctumque difficultatis, & disputationis scopus in eo est, quod vlterius aliquot Dominicani Recentiores, eorumque affectæ addunt, nostræque scholæ Doctores cum Dominicanis omnibus,

quis, & Primoribus etiam Recentioribus, aliàs creatarum actionum liberarum non prauarum prædeterminatiuis præfinitoribus, mordicus negant. Nempe circa physicam Dei præfinitionem prædeterminationem, & præmotionem antecedentem natura ad prauam operationem ex parte creatæ voluntatis præstandam, independentem ab exercitio, & operatione, seu (quod idem est) determinatione libera ipsius, vt diximus, & ad quam in prædictis circunstantiis inexitabiliter malitia moralis subsequitur, ratione cuius Deum mediate ad actus prauos, quatenus etiam à creata voluntate, & arbitrio proueniunt, concurrere dicantur: ea enim ratione, & actus, prout à nobis, & determinationis nostræ ad agendum actum, hic & nunc in hisque circunstantiis prauum, & prohibitum, seu operatio prauа, prout à nobis, qua, vt à nobis, totum materiale peccati ponitur, cui, & à nobis, & à Deo, inexitabiliter, formale, seu malitia peccati annexa est à Deo tandem ponetur.

6. In hoc igitur postremo ita proposito, & explicato disputationis præsentis totus vertitur cardo nostris cum fere reliquis Theologis, ita Deum actiones nostras prauas præfinire prædeterminatiue negantibus, non de facto solum, sed etiam de possibili: quia vtra earum libertatis ad moralem malitiam essentialiter requisitæ eiusmodi præfinitione euersionem, aliaque incommoda, Dei sic præfinientis voluntas, bonitasque, quam maximam rectitudinis, & honestatis paterentur iactum, quod est impossibile; asserentibus vero recentibus Dominicanis pauculis cum aliis assectis, vt videbimus. Res autem hæc, quia tanti in Theologia, fideque catholica ponderis est, & ab authoritate, & à ratione altè erit, ac rigide examinanda. Ac primum quidem à Theologorum præcipue S. Thom. veræque Thomisticæ scholæ authoritate. Secundò ab authoritate Scripturæ, & Patrum. Tertiò à ratione. Quartò ab aduersariorum inconsequentiis.

QVÆSTIO I.

Luceantne per Philosophos, & Theologos catholicos Scholasticos (præcipue sanctum Thomam, eiusque veros discipulos) materialis peccati prædeterminatiuæ præfinitiones.

INGENS hic citatorum pro affirmatiua Doctorum non satis lectura, & contextu exploratorum aucupium, quorum mens, & sententia tigide exploranda hic erit; cum, vt à plagiariis hisce soluti suæ libertati, & ingenuitati restituantur: cum, vt qui nullo rei examine præmisso affirmantes pauculos, ex hactenus non damnatis, in publicis quandoque disputationibus verbo, scriptoque ignotis lecturæ suæ codiculis, plerumque transcriptis, quam meditatis, sequuntur, videant tandem quantula se authoritate in tuto positos arbitrentur.

CERTAMEN I.

Viriusque sententiæ explorati Doctores ad purum recensentur.

1. Affirmatiuam præfinitionum diuinarum omnem creatæ libertatis vsum antecedentium ad materiale eorum peccati, siue ad actiones prauas, quatenus à creata voluntate, eiusque determinatione influxu, conciusque ex parte sua proueniunt, docuerunt olim fatales Ethnici, contra quos Iulius Sirenius totis libris de fato, ac reliqui Christiani Philosophi illustrissimi decursu disputationis memorandi. Item & prisci hæretici Prædestinatores, contra quos Augustinus sæpe, & reliqui Ecclesiæ Patres suis locis referendi scripserunt. Ex nouioribus hæreticis, siue proximi sæculi Nouatoribus Vvicleffus, & qui de eius nomine, & secta infame apud catholicos Vvicleffistarum cognomen traxerunt. Lutherani item omnes, & Caluinistæ, qui e suis Præceptoribus, Luthero, & Caluino hæresum à Vvicleffo posita ova excludentes præfinitiones ad actiones nostras prauas, seu (quod idem est) materiale peccati expresse docuerunt. Nimirum Zuinglius Theodorus Beza, Melancton, Buzerus, Tuissius, & eius farinæ reliqui inferius memorandi: ex eis autem subtilior, longeque ingeniosior Caluinus conclusionis huius, toties suæ horrorem dissimulare tandem non potuit lib. 3. Institut. cap. 24. in hæc de eiusmodi suo decreto, & præfinitione scribens. *Horribile fateor: sed necessario deuorandum.* Et quis autem sanæ mentis (nedum litteraturæ mediocris Caluini gulam tot immanibus hæresibus deuoratis dilatatam, atque hominem (seu potius Cerberum trifaucem) struthionis in morem errorum ferro deglutiendo, bibendisque quasi aquam iniquitatibus spissimis assuetum, ad traiiciendam non hærentem solum, sed & horrentem videat, & tamen à catholicarum delicatioribus gulis facile deglutiendam, eorumque stomachis absque nausea recipiendam (etsi nunquam concoquendam) non miretur? maxime ab eis qui, quoad præfinitionum earum conclusiones, sibi cum Caluino conuenire ingenue fatentur (vti ex Ioanne à S. Thom. præstulimus d. ...) etsi non, quoad inde à Caluino, & suis admissas consequentias.

2. Sed enim adeo frequenti videndi vsu ipso mitescunt oculis monstra: atque iis, quæ non semel audimus, vel assuescunt aures, vel mens potius ipsa obcalleſcit, vt præfinitiones hasce ad materiale peccati doctioribus, quibusque Dominicanis (etiam alias creatarum actionum liberarum præfinitoribus) execrabiles, ipsisque hæreticis horridas intrepide ab aliàs catholicis viris asseri, & scriptis suis legamus, & ex ipsis in disputationibus publicis sustineri, ac sine adstantium stomacho apud scholas catholicas videamus audiri. Eas igitur materialis peccati præfinitiones diuinas in terminis docuit Trigosus in 1. p. summæ Bonauenturæ q. 18. art. 4. dub. 3. ad 2. & 3. Bannez generale suum principium de diuinis creatarum contingentium operationum præfinitionibus 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. vlt. §. *Hactenus*, & §. *Ad hoc respondetur.* & quæst. 19. art. 8. subinit. concluſ. 3. & art. 10. dub. 1. circa quintum argumentum ad omnem omnino creatam operationem (nulla excluſa) quatenus bona entitatiue est, concluſionem suam extensam, & intellectam voluit: cum tamen in entitatiue bonis materiale peccati, siue operationem nostram, prout nostram contineri non ignorauerit; imo vero, vt eam sub Dei præfinitione comprehenderet, bonitatis actionum nostrarum entitatiuæ à morali distinctionem appoſuit. Sed clarius tamen q. 23. art. 3. dub 2. poſt 2. concluſ. §. *Ex hac doctrina* duriſſimum, suis etiam, ad materiale peccati Præfinitoribus effatum hoc asseruit: *Deus est volens, & efficiens odij Dei*, & §. *Secundus sensus* ex eadem doctrina docet voluntatem nunquam esse indifferentem, vt seipsam determinet ad prauam etiam operationem, sed à Deo ad illam determinari. Idem tutatus ex instituto est Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. ad 2. §. 12. ann. 530. Nauarrete part. 1. tom 1. controuerſ. 25. concl. 6. & 7. controuerſ. 26. concl. 2. & 3. Aluarez d. 24. de auxil. concluſ. 2. collata cum disputationis progreſſu, maxime n. 22. & 23. & cum disput 11. Ledesma de auxiliis art. 18. concl. 3. & ad 12. argumentum. Ioann. à S. Thom. 1. p. tom. 2. diſt. 5. art. 6. n. 65. & hi quidem certo pro affirmante hac sententia steterunt. Ex alias vero nostrarum operationum præfinitoribus plures, numinis reuerentiæ, quam Philoſophicæ conſequentiæ attentiores materialis peccati præfinitiones diuinas stomachati, contra suos expresse sunt, vt inferius videbimus: vel ob fraternam incitatos sui ordinis Doctores charitatem, & obſeruantiam ad has ſpeciatim præfinitiones materialis peccati disputa-

tionem extendere noluerunt: ne vel Dei bonitati iniurij essent, vel præfatis odiosi.

3 Quoniam vero explorati affirmantis suæ sententiæ Doctores septenario numero contentos viderũt, (per exiguo, scilicet, vt cum frequentissima negantium Doctorum acie manus, nisi desperato consererent) aliis ex male lectorum libris scriptorum lectis hinc inde militibus copias augere suas conati aduersarij sunt. Ex antiquis Scholasticis pro se referunt Scotum, Capreolum, Altisiodorensem, Durandum, atque è proximo sæculo Caietanum, Canum, Driedonem, qua vero fide facile videat, quisquis quæstionem 5. & 6. disputationis primæ legat. Ibi enim hos omnes actionum nostrarum liberarum vniuersim auersantes, & impugnantes videbit: peccati vero materiale, vt diximus necessario, & essentialiter libera nostra actio est. Citatur etiam pro eadem sententia Bartholom. Medina 1.2.q.79.art.2.dub.1.concluſ.4. paulo ante argumentorum solutionem, dicens Deum velle, & causare peccatum, & ea quidem citatione admittunt, non aliter causari à Deo peccatum posse, ne eius materiale peccati præfiniendo, vt contra eos vrgebimus, cum id ipsum eis causare merito sonet, ac præfinire. Et quidẽ minus proprie illum, maleque locutum fuisse certum omnino est. Verum ideo adeo incaute est loquutus, vt Deum, & velle ex parte etiam sua concurrere, concursumque exhibere ad actiones nostras prauas ostendat; minus tamen attendens: quid vlterius denominationes illæ volendi, causandi illas proprietate sermonis addant. Cæterum voluntatem illam diuinam concurrendi ad ipsas efficaces antecedenter ad liberum in eis edendis libertatis creatæ vsum ac subinde illarum præfinitiones esse, Deique concursum præmotionem, seu prædeterminationem creatæ ad ipsas voluntatis nusquam ibi aut alibi Medina asseruit. Id autem opus omnino erat, vt pro aduersariorum affirmatiua sententia bona fide citaretur; siquidem in eo stat ipsorum sententia. Quare, & si lapsus in modo loquendi Medina deprehendatur, nusquam tamen in horum doctrina deprehenditur. Citatur etiam ex eodem tomo ad q.19.art.2. vbi pro ea sententia nil habet, vt legenti constabit. Sed quia eo Authorum aucupio numerum solum aduersarij quærunt, quem nobis opponant, meliori fide eis Patronorum, & si non fidei satis bonæ, numerum dabimus.

4 Etenim præter fatales Ethnicos prædestinatores, & Nouatores memoratos n.1. pro nostrarum prauarum actionum, siue materialis peccati præfinitionibus diuinis numerandi etiam sunt Simon Magus apud Clementem Romanum III. Recognitionum pag.5. fic & S. Petrum, cum quo disputabat affatus. *Si, quod Deus vult esse, est, & quod vult non esse, non est: si vult mala non fieri, non erunt. Quare solum erunt si ea fieri à nobis velit.* Theodorus Mopsuestensis inter errores alios relatos II. Synodo Constantinopol. generali 5. collat.4. post med. damnatos collat.8. post med. docebat Deum *voluisse, docuisse, fecisse, & concessisse, vt homo peccaret* ob vtilitatem eius ex peccato capiendam. Quibus Deum, eiusque voluntate materialis peccati authorem, causamque esse professus est, & si ad peccati formale, seu malitiam, ex pœnitentiæ, & humilitatis peccatoris vtilitas captari potest amandam videatur extendere. Verum, cum malum, vt malum, siue malitiam qua talem nemo vnquam hominum expresse, & formaliter amari posse senserit, sentireve potuerit. Neque ita peccatum suum ament, illi ipsi, qui peccant, de interpretatiua solum Dei voluntate, quæ in amore materialis peccati est, id Mopsuestensis censuit, & docuit. His etiam accessere Cerdonistæ apud Tertullian. de præscriptionib. Marcionistæ apud Irenæ. 1. aduersus hæreses, cap.29. Necnon Florinus, qui (teste Irenæo etiam apud Euseb. Cæsarienſ. 5. histor. c.20.) ob inde peccati causationem in Deum expresse referebat, eum imitati proximo sæculo, non certa fide referuntur Coppinus, & Quintus Sutores Flandriæ, & libertinorum Magistri, quos Caluinus etiam confutauit instruct. contra Libertinos, & epist. ad Rothomagenses contra Franciscanum quendam eius erroris sectarium: quasi ipse ex Dei voluntate, & præfinitione materialis peccati, quam docebat (vt vidimus num.1.) eius causationem in Deum non cogeretur refundere, mala tamen fide eos pro voluntate Dei formali erga malitiam, peccati, imo ne erga materiale peccati proprie tale, vel inde constat, quod errore oppositio nullum esse posse peccatum actionemve malam asserebant: vim tandem adeo fiant, qui nihil mali facere potest, teste Bellarmino infra citando in §. *Florinum*, & cap.2. §.2. Scholastici Magistro sententiarum coæui ab ipsoque relati in 1.d.46.§. *Ideoque*, asserebant Deum, & si mala culpæ non velit, esse tamen, fierique à nobis efficaciter, & determinate velle, quæ ipsissima est Dominicanorum Recentiorum sententia. Citari denique ab aliquibus pro ea sententia Manichæi possent apud Augustinum de Hæresibus cap.49. Priscillianista apud S.Leon. Pap. epist.93. ad Turib. Albigenses apud S. Antonin. in summ. Theolog. p.4.tit.1.c.7.§.5 qui omnes Deum peccati causam dicebant. Sed certe de vero, bonoque Deo nostro id nullatenus asserebant; sed de alio, quem erroneè fingebant Deo malo, malorumque omnium principio primo, & causa, siue cacodæmone (vt volebant Manichæi) siue alio: quin in Deum bonum tantum probris & blasphemiæ conicere, peruersi etiam, ac perditissimi homines auderent quæ omnia, & plura erudite recitat Eminentiss. noster Bellarminus lib.2.de amiss. grat. cap.1. & 2. vbi præter Nouatores & eorum loca citata refert Caluinum lib.1.instit.c.17.§.1. c.18.§.1. & 2.c.4.§.2. & 3. lib.3.c.24. §.4 7.8. & 9. lib.de æterna Dei prædest. editione geneuenli an.1570.pag.905. 906.944.946. & instruct. contra libertinos, c.14. quorum plerisque locis Catholicam solutionem de solo Dei erga praua nostra opera permissa absque positiua eius voluntate, vt friuolam, & scripturæ aduersam, ridet Zuinglius serm.de prouid. ad Philippum Cattorum Principan.1530. cap.5. & 6. Beza respons. ad Sebast. Castellion. de æterna Dei prædest. refutat. calumniæ 2. & infra aphorismis pluribus Caluinianam suam sectam huc in re fundans, & ab aphorismo 17. ad 22. & 31. præsertim explicans tametsi (vt errantibus accidit) clarius errorum contradictiones maiori explicatione innotescant.

5 Pro negante vero nostra, & reliquorum Theologorum, vt statim videbimus, sententia stetere quique ex Philosophis Primores Plato dialog.2. de republica sub finem: [Neque Deus (quandoquidem bonus est) omnium causa est: sed paucorum quidem hominum causa; multorum vero non causa. Multo enim pauciora nobis bona sunt, quam mala, & bonorum quidem nulla alia causa facienda est; verum malorum, alias quasdam causas quærere oportet, & nõ Deum. Nimirum male fados, & homines & dæmones, nostrasque voluntates se ad prauas actiones, seu materiale peccati, cuius formali, & expressa voluntate implicite solum, & interpretatiue malitiam, seu formale peccati volumus, nec aliud quam actionem prauam ob delectationem, aut commoda ex illa capienda nobis, vel homines perditi, vel dæmones suadent, vt interpretatiue malitiam, & formale peccati velimus, & admittamus; quam formaliter, & expresse velle sua de re nobis neutiquam possent: imo malorum tristium, vt pœnæ, quæ prauam actionem, & peccatum supponit, Deum causam non esse inibi docet, etsi eam iis, *qui pœna opus habent infligat, cum autem subdit pœnas dent vtilitatem à Deo percipere.* Multo ergo in eius sententia minus actionem prauam, quæ malitiam non supponit solum, sed ponit, atque ineuitabiliter affert, cuius causa proinde nemo aliter esse potest, quam actionem prauam, siue peccati materiale suasione, instigatione, aut determinatione propria apponendo: quæque nobis nullatenus bona esse potest, sicuti pœna esse potest, infra. [Malorum causam esse Deum posse, cum benus sit refellendum est omnino: nec permittendum hoc quenquam dicere in sua ciuitate, si bonis instrui legitus ciuitas debet. Nec insuper quenquam audire, siue fe ille iunior, siue carminibus hæc inserantur, siue soluta oratione narrentur: tanquam, quæ neque dicta sancta sint, neque aliis vtilia, neque inter se consona.] & siue dialogi mendacij (quod licere quandoque nobis putat adhuc per somnium, & inculpabilis, Deum causam negat his verbis. [Est Deus simplex, & verus, & non opere, & in sermone: & neque ipse transmutatur, neque alios decipit: neque per spectra, neque per somnes, neque per signorum pompas, neque re vera, neque per somnium.] Ac de oppositio Poetas capite Quonam non solum in inculpabilem errorem, sed in

prauam

prauam actionem, cui malitia annexa inseparabiliter est inductorem à nobis irresistibiliter, & prædeterminatorem facientes Deum stomacho exciperet? Et dialogo 10. celebre illud axioma, laudatissimum à Nemesio lib. de nat. homin. & animæ facultat. cap. 38. sub init. Iustin. M. apolog. 2. pro Christian. dicente è libris Mosis fuisse mutuum. Nempe *culpa eius est, qui elegit: Deus extra culpam est.* Extollit: At si Deus prædeterminaret ad materiale peccati nulla esset nostri, cum eius, tum malitiæ illius ineuitabiliter annexæ electio; sed tota electio esset Dei. Secundo culpæ nomine actiones solum prauas, Plato intelligit, seu materiale, non formale peccati, seu malitiam: constat enim ex contextu de actionibus in quibus humana vita transigitur ipsum loqui, exemplaque subdit, in eis, quibus brutis assimilamur, odioque & tyrannide aquarum causatione, & voluntate Deum excusat, quia ea à nobis agi non faciat, nec velit; etsi ad illa nobiscum concurrat: quia, quatenus ex se est, & fieri potius nolit, videatur contextus priorum etiam locorum, quo ea euasio satis præcluditur.

6 Consonat (præterquam supra datis locis) Aristot. vbivis in hanc materiam incidit lib. 3. Ethicor. cap. 5. actus prauos nostræ omnino potestatis esse ait; nec in principia alia, quæ nostræ potestatis non sint, esse reducenda. [Quod si hæc, inquit, vera videntur, neque in alia principia vlla nostros actus, quam in ea, quæ sunt in nobis, reducere possumus: quorum principia sunt in nobis, ea quoque in nobis sunt sita:] Quare, cum in nobis, nostrave potestate præfinitio prauarum actionum non sit, sed in Dei potestate, & arbitrio solum, ille quidem nec nostræ potestatis erunt, neque in nos reducibiles, nostraque principia, sed solum potestatis, & arbitrij erunt diuini, atque in liberum, ipsi solum, præfinitionis suæ principium: atque in Deum subinde solum reducibiles, ipsique imputabiles. Addit consequenter ea tantum ratione actiones prauas, ignorantiam, vel ebrietatem secutas, ad culpam nobis imputabiles esse, iusteque à potestatibus puniri, quatenus ignorantiam, & ebrietatem (quæ illarum principia sunt) vitare in nobis nostræque potestatis sunt: vt ait longe à capitis initio, & inferius. Cuius textum illustri hoc commentario elucidat ibi S. Thom. lect. 11. [Quod si consilium, & electio, & voluntas, quæ sunt in nostra potestate, videntur principia operationum nostrarum, & non possumus reducere operationes nostras in alia principia, nisi in ea, quæ sunt in potestate nostra consilium, & electionem, consequens est, quod operationes nostræ bonæ, vel malæ sint in potestate nostra, quia illa, quorum principia sunt in potestate nostra, & ipsa sunt in potestate nostra.] Denique 1. magnor. moral. cap. 9. sub finem contra Socratem statuit [esse in nobis prauos, vel improbos esse.] Et inferiuscule. [In nostro arbitrio esse bona, malaque facere;] quæ repetit cap. 12. & addit. [Actionis, tam bonæ, quam malæ principium est propositum, & voluntas, & quidquid ad rationem tendit.] Denique Tyrius cognomento apud vetustissimos Philosophos Maximus serm. 25. qui de mali, siue peccati, causa, est, ita scripsit: eius nomen est improbitas: causamque ab eligentis arbitrio nanciscitur; Deo semper extra omnem causam constituto.] Hæc sane loca de actionibus ipsis prauis aperta sunt, quæ non peccati formale, sed materiale directe important, & si annexum sibi inenitabiliter formale peccati, siue malitiam moralem contemant: non aliter nostræ potestati, nisi ratione materialis peccari, siue actionis prauæ apponendæ pro libito nostro, vel non apponendæ subiectam, nec aliter ab vllo apponibilem; quare, cuius potestatis est actionem prauam apponere, vel non apponere, eiusdem omnino realis formalis potestatis est malitiam apponere. Cum autem in aduersariorum sententia solius potestatis diuinæ sit prædeterminatiue prauas actiones, etiam provt a nobis, præfinire: atque in nobis eas sic præfinitas apponere, vel secus, minime sit: non in nobis, sed in Deo & eorum, & malitiæ principium & causa contra Primores hosce Philosophos est, vt de se patet, & apertius adhuc à ratione agentes q. vltima monstrabimus.

7 Ex Theologis, qui negatiuæ nostræ sententiæ suffragantur, cum quæst. 5. & 6. & quæst. 7. in approbatione communis, cum Philosophis, tum Theologis cunctis definitionis liberi agentis & causæ disput. 1. multo trecentis plures numerauerimus, qui omnium liberarum creaturarum (etiam honestarum, quæ tamen in Deum principalem causam, & Authorem Catholice, & honestissime refunduntur) vniuersim, ac non sine censuris quandoque in aduersam affirmatiuam abiiciunt, præfinitiones prauarum actionum, siue materialis peccati prædeterminatiuas eosdem, titulo solo libertatis earum necessariæ, vt in peccata consentiantur, reiectare exploratum à Deo est, vt eorum hic repetitio, & supputatio superfluat. Maxime cum decentiæ voluntatis, bonitatisque Dei (in quem, vt causam refundenda peccata nostra forent si ab ipso materiale peccati præfiniretur) titulus ad eas speciatim abhorrendas adsit titulus vlterior, neque laxior, solum ergo referendi hic sunt, qui tantæ in Deum irreuerentiæ speciali horrore ad materiale peccati præfinitiones prædeterminatiuas videntur execrati. Et in primis Magister supra aduersus relatos Theologos eam reiectat. Item Gregorius de Arimino, vetus Scholarum delicium, in 1. d. 34. q. 1. art. 3. affirmatiuam præfinitionum ad materiale peccati sententiam *falsissimam, & blasphemam* esse dixit. Puteanus supra *improbabilem.* Lorca etiam supra *Sancto Thomæ aduersam.* Mendoza Augustinian. q. 7. quodlibetica Scholastica, *impiam, & stultam.* Quibus & similibus aliorum de ea opinione indiciis subiiciendis pro rei grauitate intimanda transcribendis abstinendum non fuit; Etsi illis subscribendi animus nobis in præsentiarum non sit. Accedunt ex Dominicanis Mag. Ioann. Vincentius supra recitatus apud Ledesmam de auxil. art. 18. §. *In hac difficultate,* vbi negatiuam sententiam Tridentini definitionibus censet conuinci ab eaque *sola Ecclesiæ authoritate dimouerî posse* profitetur. Albelda 1. p. q. 19 art. 8. ad 59 sect. 1. n. 1. Tacitus & sect. 2. n 13. §. *Dico tertio,* expresse ait negatiuam nostram esse *expressam D. Thom. & discipulorum eius.* Ex quo verba etiam mutuatus Nazarius fuit 1. p. q. 22. art. 4. conel 3. §. *An autem.* Illustrissimus Arauxo celebris iam olim apud Dominicanos Primarius Professor Salmantinus, & Magister affirmatiuam *parum probabilem, nec dignam quæ Augustini puteur esse* dixit 1. 2. tom. 2. q. 111. dub. 6.

8 Et hi quidem (si Nazarium excipias) actionum creatarum contingentium prædeterminatiuas, physice saltem præfinitiones vniuersim abiiciunt, vt vidimus d. 1. q. 5. & 6. Ex eis vero ipsis, qui eas ad reliquas admittunt, ad actiones tamen prauas non magis æquo animo præfinitiones ita prædeterminatiuas ferunt. Zumel. 1. 2. q. 79. art. 2. d. 3. & 1. p. editione 2. appendice ad quæst. 22. art. 4. concluf. 5. relatus ab Albelda vbi proxime, hæc de affirmatiua scribit: *Neque esse veram, nec sana doctrina congruam, eamque execratos semper fuisse Augustinum, Damascenum, Fulgentium, & Sanct. Thom.* Et paucis inter calatis adnectit. *Nullus Hæreticorum, qui huic sententiæ fauet; dixit Deum concurrere* (prædeterminatiuè præfiniendo) *ad formale peccati, sed solum ad materiale; & nihilominus damnantur à Concilio:* nempe Tridentino. Et tom 2. opuscul. siue disputationum variarum, d. 6. sect. 6. affirmantem eandem sententiam *suspectam in fide, ne dicat erroneam,* vocat. Fuit autem hic, qui sacrarum insularum amore, dum sui ordinis generalis esset, fratres suos negatiuam præfinitionum prædeterminatiuarum vniuersim thesibus pro Generalibus sui Ordinis Comitiis expungere, atque ad actus, non prauos, defendere illas coegit, vt Dominicanis gereret morem: vt ex primario tunc Vallisoletano Doctore Coronel. d. 1. non semel vidimus. Nec mitius contra hasce præfinitiones ad materiale peccati prædeterminatiuas egit illustrissimus Mag. Machin. tom. 1. in 1. p. q. 22 art. 4. d. 40. sect. 5. concluf. 2. Ex eodem Mercenariorum ordine, eodemque insularum amore Dominicanis actionum aliarum præfinitionibus consentiens. Mag. Dominicanus Verdu, ex primis præfinitionum, & prædeterminationum suarum, quoad reliqua, scriptoribus celebratissima, à nostris etiam Relect. contra scientiam mediam affirmatiuam sententiam præfinitionum earum ad materiale peccati, *impiam* censet, & *blasphemam*, & sane Patribus nostris Romanorum disputationum initio scripto publico societatis nomine à nobis recitato d. 1. q. 8. certam. 2. obiicientibus Dominicanos aduersos è suis principiis cogi ad præfinitiones prædeterminatiuas materialis

terialis peccati, siue prauarum, provt à nobis sunt, actionum, vel ad eas, quoad actiones reliquas nostras deferendas, rescripto etiam publico, suique ordinis nomine cuius apud nos Romæ authenticum exemplar adseruatur. Dominicani Patres responderunt n.26. [Ad bonum præmouet Deus efficaci motione causam aliam liberam, sed non ad malum: quia Deus non est prima causa mali. Hæc doctrina est Sanct. Thomæ 1.2.q.112. art.3. ad 2.] Eapropter recitatus num.prox. Albelda, ex præcipuis Romæ tunc pro suo ordine Dominicano disputatoribus, præfinitiones prædeterminatiuas ad materiale peccati expresse S.Thomæ aduersas aiebat. Et Ledesma ipse de auxil. art.18.pag.228.253.290.295.expressius affirmatiuam hac in re sententiam sapientissimis S.Thomæ discipulis nec veram, nec sanæ doctrinæ congruam videri; sibique in hoc de S.Thom. discipulis iudicio concordat pag.415.

CERTAMEN II.

Ex Discipulis Sancti Thomæ, præsertim pro affirmatiua citatis, negatiua nostra genuina Sancti Thomæ sententia esse conuincitur.

1 HÆc veritatis amatoribus satis esset, vt saltem discipulos Sancti Thomæ, etiam Dominicanos, præfinitiones ad materiale peccati prædeterminatiuas auersatos fuisse cum recitatis Primoribus suis disputationum cum nostris tempore, & occasione id expresse asserentibus ingenue faterentur. Sed quoniam aduersarij non satis fidarum allegationum ex discipulis Sancti Thomæ multitudine, & earum examinis tædio rem hanc pluribus dubiam saltem remanere volunt, & sperant: fastidiosum examinis huius laborem voluimus nos pro omnibus suscipere: vt exiguo quisque labore earum citationum vacuitatem deprehendat: atque aduersarios eo etiam discipulorum S.Thomæ patrocinio destitutos, nudosque adoriatur, in primis Ægydius Romanus, Augustinianus Angelici Doctoris auritus, & oculatus discipulus, atque aduersus doctrinæ eius corruptores vindex acerrimus in 2.d.25.quæst.1. art.3.dub.2. litterali *via secunda* aiebat (vt retulimus d.1.quæst.6.) *voluntatem se posse determinare ad sequendam, vel non sequendam, sed fugiendam fornicationem prohibitam.* Quibus voluntatis à se, ac non ab alio præuentam, & præoccupatam irresistibiliter determinationem ad actionem illam & similes prauas fatetur. Repetit art.6.dub.1.litterali, & d.37.art.1. ait: [Modum culpabilem voluntatis esse applicationem à se ipsa ad actum, quo & se, & illum applicat ad obiectum prohibitum: qui modus culpabilis in Deum, vt causam refundi nequit, qui ita circa actiones prauas agentia libera administrat, vt ea voluntate propria agere sinat, neque adigat ad eiusmodi operationes neque agat.] S. Antonin. 1.p. summ.Theolog.tit.4.cap.4.§.2. sub init. actus voluntatis creatæ omnes à Deo esse statuit, ac statim addit. [Neque tamen inde sequitur, quod cum homo vult malum, Deus moueat ad illud malum: quia ipse est motor, & vniuersale obiectum voluntatis; quoniam secundum S.Thom.1.2.quæst.9.art.6. Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum, quod est bonum: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.] Non igitur à Deo, vel alio quopiam, sed à se prorsus ipso ad volitionem apparentis boni, seu reuera mali, quæ peccati materiale est homo determinatur, seu præuenitur ex sententia S.Antonini, Theophylus Raynerus vetus etiam Dominicanus Doctor in sua Pantheologia verbo peccatum, cap.3.post med. [Nauta est causa periculi,& submersionis nauis per suam absentiam; sed Deus, quantum in se, est, nulli est absens: sed peccator absentat se à Deo. Et ideo peccator est causa sui peccati, & non Deus.] Præsente igitur Deo, eiusque voluntate necessaria concurrendi ex parte sua, vt actus prohibitus sit, peccator voluntate sua se à Deo, eiusque voluntate iuxta Raynerum absentat, & absceditcum tamen à præsiniente Dei voluntate actionis illius prauæ actione ipsa abscedere non posset, sed potius Deo, eiusque voluntati accederet. Capitis item fine, & c.6. ac 7. nec vnde nobis praue agendi necessitatem adesse docet, quo, & necessitatem præfinitione nobis necessario inducendam, ac subinde præfinitionem ipsam excludit. Toto etiam c.49. eidem præfinitioni aduersatur: maxime circa med. vbi scribit. [Huius, quod est libere agere, vel non agere, libere attendere, vel non attendere, vti regula, vel non vti, non oportet aliam causam quærere: quia ad hoc sufficit ipsa libertas voluntatis, per quam potest agere, & non agere, vti regula & non vti:] Subiunctoque exemplo de duobus æque, & vocatis, & tentatis, quorum alter, altero succumbente, vincit, ex Augustini doctrina 12. de ciuitate, c.6. concludit. [Quæ igitur est causa? Non est, nisi, quia placet. Placiti autem non est alia ratio quærenda. Sicut in bonis, cum peruentum est ad voluntatem Dei, nulla est ratio: ita in malis cum peruentum est ad voluntatem peruertibilem sibi derelictam, nulla est alia quærenda ratio, nisi quia vult, vel placet.] Hoc igitur primum mali principium, & ratio vltimo quærenda actionis prauæ non esset, si Dei ad illam prædeterminatiua præfinitio antecederet. Reperit eodem exemplo, & doctrina Augustini verbo *liberatio à peccato*, c.22. Plura ex ipso dedimus q.6.& specialius ad rem hanc faciunt quæ habet verbo *peccatum*, c.5. post med. verbo *liberum arbitrium*, c.24. verbo *Reprobatio*, c.5. sub init.

2 Citatur pro affirmatiua etiam Capreolus, cui, & discipulo suo Dezæ nil inuisius, vt satis eorum testimoniis datis q.6. & pro communi definitione causæ liberæ, q.7. constat. Ad præsens vero Capreolus in 2.d.28.q.vn. art.3. circa med. ad 12. distinguit cum Gregorio Arimin. duplicem modum concursus diuini cum voluntate creata. Alterum communem causis omnibus creatis. Alterum faciendo, vt voluntas concurrat, & concauset mouendo illam, ita vt in eius voluntate relinquat sequi motionem. Et respondet: [Ad productionem actus mali solum primo modo concurrit Deus: quia non facit voluntatem agere actum malum; sicut facit eam agere actum bonum] quibus postremis verbis nusquam Capreolus (sicuti nec Raynerus similibus) præmotionem physicam, seu præfinitionem Dei ad actus bonos (quam sæpius vterque retecit, vt vidimus q.6 & 7. & hic explicatione specialis modi, quo voluntates Deus mouet relinquendo potestatem sequendi, vel secus eius motionem intentionalem, nempe bene suadæ gratiæ, qua nos præuenit, vocat, atque ad honestos actus inducit: quare & horum nobis Author, & principalis causa est.) Et hanc etiam, ne dum præfinitionem prædeterminatiuam physicam ad actum prauum expresse negat, sed ea ipsa ex quibus Capreolum aduersarij citant, loca expendamus. Et primo hæc ex ipso recitare in 2.d.37. art.3. ad 2. [Quantum ad omne positiuum, quod est in actu voluntatis, actio voluntatis creatæ est posterior actione Dei in producendo, quodlibet tale: quia nulla creatura agit, nisi mota à Deo.] Subditque. Motio Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid, quod sit secundum se malum, sed ad illud quod est secundum se bonum ex natura sua, licet sit malum quoad deformitatem, quam habet relatum ad causam secundam.] Si ergo Dei motio, & anterior, priorque voluntatis nostræ motione, & ad totum actum, & quidquid in eo est præter deformitatem, seu formale peccati & malitiam determinans est: quid aliud est præfinitio prædeterminatina, seu prædeterminatio physica voluntatis creatæ à Deo ad materiale peccati? Vrgeo, quia secundum argumentum, cui respondet sic habet. [Prius Deus determinat se ad agendum, & voluntas nostra sequitur determinationem eius.] Quod de concursu simultaneo ad totum actum verificari nequit, quare solum de præuio, & præfinitione, cuius determinationem, & præterminationem voluntas sequatur, intelligit. Addit. *Item negatur alia consequētia ibi facta: scilicet, voluntas nō agit à se, sed ab alio habet, quod sit causa mali: & per consequēs nō peccat, & ratio est, quia voluntas creata, nō ideo peccat, quia*

quia illum actum agit; sed quia taliter agit. Primum habet à Deo; non autem secundum. Rursus ad 2. principale hac Gregorij solutione recitata: *Dico Deum sequi determinationem voluntatis creatæ. Quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo, quia Deus agit illum, voluntas agit illum. Et ideo magis propriè dicitur Deus coagit voluntati in causando talem actum, quam voluntas dicatur coagere Deo.* Quibus Capreolus. *Apparet mihi, quod aliter potest melius dici, quod quantum ad omne positivum, quod est in actu voluntatis creatæ est posterior actione Dei:* vt primo loco dixerat, ac fine articuli §. *Ad sextum dicit Gregorius:* contra hunc ait: *Deum velle istum actum esse ab homine quantum ad omne, quod est bonum in actu.*

3. Ruiz de Montoya d. 39. de voluntat. sect. 3. num. 15. Respondet Capreolum solum docere velle Deum, vt ab homine sit actus prauus, quatenus tendit in bonum in communi. Sed expressè loquitur Capreolus de omni positiua tendentia in actu prauo inclusa, quæ est ad tale etiam bonum apparens. Verum Capreoli mens de prioritate naturæ, & causalitatis diuinæ motionis ad nostram in actum prauum, vllumve liberum nostrum actum minimè est. Siquidem id expressè negat loco recitato ex d. 28. & ea ipsa d. 37. art. 3. ex quo nobis opponitur, ait Dei motionem non determinare voluntatem creatam ad aliquid de se malum. Et ad 1. aliorum his Gregorij verbis respondet. *Sicut Deus, non agit contra rectam rationem faciendo hominem, qui possit malum actum facere, cum eum ad illum faciendum non cogat, vel inducat: sic neque agit contra rectam rationem non subtrahendo illud, sine quo homo non potest facere actum malum; neque tamen excitando, vel faciendo, vt homo faciat talem actum. Illud autem, sine quo non potest homo malum actum facere est coefficientia Dei.* Non ergo præmotio, & præoperatio, physicave prædeterminatio: maximè cum adhuc inductionem nostri in illum in Deo nedum determinationem ab illo, admittat. Id quod insignis etiam Thomista, eiusque discipulus Deza eadem d. 37. artic. 2. docet sic argumentum 2. proponens [Si Deus coagit actui voluntatis: aut hoc est, quia sequitur determinationem voluntatis in illo actu sic, quod voluntas prius natura determinat se ad actum illum, & ex hoc Deus coagit: voluntati determinatæ, aut è contra, prius Deus determinat se ad agendum & voluntas nostra sequitur voluntatem eius.] Respondet vero artic. 4. Ad secundum principale dicitur: quod Deus coagit voluntati primo modo diuisionis.] Et d. 28. q. vn. artic. 4. ad 12. ex dictis à se artic. 3. notab. 2. & d. 34. quæst. 2. art. 3. notab. 4. circa med. ait [ipsa voluntas secundum se considerata illius defectus est causa, cum sit domina sui actus, ac per hoc ad vtrumlibet libera. Vnde ipsa se ipsam determinare potest, & huic, vel illi, id est bono, vel malo, adhærere, & regulam attendere, vel non attendere.] Cum igitur vterque & Capreolus, & Deza, quatenus ad Dei concursum, & cooperationem cum creata voluntate ad actus eius, & speciatim prauos, illam, nec præuiam physice, nec prædeterminatiuam eius ad ipsos motionem, sed comitantem, imo, ratione aliqua, nostra cooperatione, & determinatione asserant posteriorem: obiectis locis de prioritate naturæ diuinæ operationis, & concursus ad actus prauos minimè illos loqui manifestum est. Loquuntur ergo de prioritate dignitatis, & maioris vniuersalitatis, quam diuinus: & motione, seu determinatione à Deo voluntatibus nostris indita; & congenita ad bonum in communi, ad quod determinatæ quoad speciem voluntates nostræ natæ, atque à Deo conditæ sunt: & ex qua bona in particulari, siue vera, siue solum apparentia sequi suis actibus præ sua libertate possunt: quod si apparens bonum, & prohibitum è sua determinatione sequantur, iam illud *taliter*, & deformitas adest, quam à Deo esse, eamve à Deo induci Capreolus negauit. Quocirca, & si Deum velle, vt quidquid positiuum in actu prauo est, homines faciant, asserat loco recitato, de actu, non secundum determinationem ab eo, vt sit, intelligi potest, in quo est talitas vitiosa, & moralis deformitas; sed solum secundum physicum influxus ea determinatione voluntatis creatæ minimè attenta, & volita: quia secluſa ipsa voluntatis liberæ conditione, vt facere posset, quæ vellet, physicum eius influxum voluit: cæterum, si illum ex voluntatis in his circumstantiis determinatione fieri vellet, ad idque illam prædeterminaret: plane illud *taliter*, & *deformitatem* moralem, quam à Deo amari, causarique, & Capreolus, & Deza catholice, & constanter negant, & vellet, & causaret.

4 Conradus (præter loca ex ipso recitata q. 6. contra prædeterminatiuas nostrarum actionum liberarum præfinitiones vniuersim, & q. 7 pro communi causæ liberæ definitione) speciatim de actu prauo ait 1. 2 q. 9. art. 6. ad 3. *Stante motione Dei, qua mouetur ad volendum, quantum ad exercitium actus potest se habens voluntatem determinare per rationem, vel intellectum ad hoc, vel illud bonum, quod est quandoque secundum quid bonum, & in veritate malum: & sic incidit ratio peccati.* Intelligit autem motionem Dei ad volendum bonum in communi; siquidem repulsa alia quavis præmotione impressa voluntati, ac subinde præfinitione ad bonum particulare addit. *Hac motione præsupposita voluntas per innatam libertatem ex indeterminatione rationis potest sub ista motione Dei se determinare ad hoc, vel illud bonum, & ex hac ratione incidit peccatum.* quæst. 79. art. 1. col. 3. §. *Nota inquam*, sic habet. *Non enim, cum aliquis vult, oportet antequam velit, præcedere motionem Dei (loquendo de naturali, volitione, vel mala: nam ad bonam Dei motio per gratiam præcedit)* Intimiorique Dei, quam voluntatis concursu asserto, *Talis*, inquit, *effectus non habet necessariam habitudinem ad causam primam, sed contingentem: quia fit ab ea secundum conditionem voluntatis, & causa secunda, quæ est contingens. Vnde habet motionem cooperatiuam propriæ actioni creaturæ, & secundum modum eius. Vnde, si Deus ageret ex necessitate naturæ, staret nihilominus contingentia rerum propter defectibilitatem, & libertatem causarum secundarum.* Explicatoque intimiore, & perfectiore, ac dignitate priore Dei concursu ad nostros, etiam actus prauos, §. sequente doctrinam Scoti in 2. d. 37. §. *Ad solutionem istorum* à nobis recitandam, quæst 2. cert 1. ad verbum transcribit. Nempe Deum non esse causam deficientiæ, quia ex boni potius intentione concursum affert, quo vitio, & determinatione sua, ad malum abutitur creatura. Denique quæst. 80. art 1. ad 3. ad dicta quæst. 9. se referens de motione Dei in bonum vniuersim sumptum ait. *Intellectus, & voluntas virtute huiusmodi principij naturaliter, & primo tendunt in verum, & bonum in communi; sed ad particulare bonum voluntas seipsam per consilium rationis determinat. Ita, quod illud exterius principium, est causa vniuersalis omnis interioris motus; non tamen admittit libertatem voluntati determinandi se ad hoc, vel illud bonum, quod scilicet est verum, vel apparens.* Quo explicat illud S. Thom. fine eius articuli. *Deus est vniuersale principium omnu interioris motus humani; sed quòd determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè est à voluntate humana.*

5. Citatur pro affirmatiua Caietan. ex 2. Reg. cap vlt. sub init. dicens, Deum incitasse Dauid ad numerandum populum, & gaudium de eius numerositate positiue, quo ad eius desiderij, & gaudij entitatem, cuius Author, & causa Deus erat; & permissiue, qua peccatum erat, & ienraculo 6. q 2. ad id *quod sacu, fac citius.* Secundo sensu inquit, [secundum bonum est bonum naturæ ipsarum actionum Iudæ. Omnis enim actio quantumcumque mala moraliter, cum sit res aliqua, bona est bonitate naturæ: &, vt sic est à Deo: & quantum ad hoc verba Domini sunt præcipua & significant ordinem prouidentiæ ad accelerandum actiones Iudæ, vt tempore statuto à diuina prædestinatione adimpleretur passio Christi: sicut enim malum non est Deum cooperari actionibus peccatorum, quantum ad bonitatem naturæ: ita malum non est illas præcipere.] Cæterum his Caietani verbis, vt sonant, voluntque aduersarij acceptis contra se, & contra ipsos obiectantes, & contra S. Thomam Patres reliquos, & Concilia Deum posse

ad actiones prauas, vt à nobis etiam sunt, incitare, easque præcipere probabunt: quod est apertè erroneum; nihil autem (quod obiicientium intererat) de prædeterminatiuis præfinitionibus, physicisque prædeterminationibus, quas à Deo expressè, d.1.q.5.cert.3.n.4.& q.7.cert.3. reiecit. Porro qui Caietani expositiones scripturarias non nimis curandas censent ob duriora, quæ in eis reperiuntur non semel, facilè se expedirent, hanc expositionem cum illis aliis durioribus numerantes. Sed tamen, ne pluribus durioribus (sat enim in aliis habet) Caietanus oneretur, censeo illum ex scholastica subtilitate, & Capreoli doctrina explicata num. 3. fuisse locutum, scilicet de incitatione, & præcepto actus praui secundum physicum eius, & provt præscindit ab eo, quod ex voluntatis creatæ determinatione à Deo de, & Iuda apponendi erant: in quo, & talitas, ac deformitas moralis, (quam à Deo esse posse incitatiue, & præceptiue negat,) fundatur, & materiale peccati consistit; non autem in physico influxu præcisè ad illos, qui Deum planè eiusque bonitatem, & sanctitatem maximè decent.

6. Citatur & Ferrara 3. cont.gent.cap.72.probans ex S. Thom. posse Deum primo mouere nos ad actionis prauæ entitatem, quin ad eius moueat deformitatem. Sed tamen, cum tam ipsius, & S. Thom. doctrina contra præfinitiones, & physicas prædeterminationes nostrarum liberarum operationum à Deo explorata sit, vt vidimus q.5. cert.3. & q.7. cert. 3. de alia præmotione Ferraram ex S. Thom. loqui ab ea, quam aduersarij volunt certissimum est. Nempe, de præmotione, seu prima motione Dei ad boni in communi prosecutionem, quoad speciem, naturæ voluntatis congenitæ, ex qua ad particularia bona prosequenda inducitur, ac descendit: non tamen ex necessitate, sed liberè atque ex electione sua: quæ proinde, si ad prauum actum, & obiectum prohibitum sit, ipsi merito imputatur, non Deo ita primo mouenti, & præmouenti, imo ipsa voluntatis creatione ad boni vniuersim pœnali prosecutionem voluntatem, quoad speciem, prædeterminantis, quoad exercitium vero actus praui, in quo physico simultaneo concursu coagit voluntati nostræ Deus, primo etiam, ex sententia S.Th. Ferrariæ, & cæterorum discipulorum Angelici Præceptoris concurrit Deus. Non quidem primatu, seu prioritate naturæ, & causalitatis, quæ nostram euerteret libertatem, & actionis prauæ, deformitatisque subinde causationem in Deum plane refunderet.) Sed primatu maioris vniuersalitatis, principalitatis, & intimitatis. Ex quo, licet perfectius, intimiusque actiones prauas nostras, quoad physicum earum concurrere conuincatur Deus; etiam ad earum deformitatem, &, provt à nobis, nostraque determinatione, siue materiale peccati sunt, minime concurrere Deus conuincitur. Quare bene ex S. Thom. eiusque schola, & mente vtrumque Ferrara docet; quin aliquid doceat, quod hisce prædeterminatiuis præfinitoribus ad materiale peccati, vel leuiter, faueat.

7. Audiatur ad rem præsentem Ferrara eodem libro cap. 10. vers. fin. *Actus voluntatis liberè elicitus dicitur voluntarius: quia in potestate voluntatis est ipsum producere, vel non producere. Et hoc modo defectus huiusmodi dicitur voluntarius. Est enim in potestate voluntatis procedere ad operationem sine tali ordine, vel non procedere: quia non necessario à contrario bono rationis retrahitur, aut apprehensione sensuali mouetur; sed libera est ad vtrumlibet se habens. Et ideo huiusmodi defectus non oportet aliam causam quærere nisi voluntatis libertatem.* Infrà *voluntatem se applicare ad opus cum tali defectu*, cap. 89. sub finem argumento Scoti respondet. *Secundum intellectus considerationem potest voluntas in aliquid, quod causa prior* (Deus) *in primo instanti non produxit. Imo potest in rectitudinem, qua nata est actui conuenire, vt à voluntate humana producitur: peccat vero, quia hanc non exequitur.*

7. Citatur etiam pro aduersariis Sotus, qui tamen ita Lutheranas, & Caluinicas ad materiale peccati, siue prauas actiones confutat 1. de nat. & grat. c. 17. vers. fin. [Nam, nisi in nostra positum esset voluntate cum promptissimo auxilio Dei vitare singula mala: quid est quos nos commonefacit Paulus, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore,] cap. 18. col. 3. certissimum sibi, & sanctis Patribus ait: [Neminem fuisse in hac vita à Deo derelictum, & suis cupiditatibus permissum, nisi secundo modo permissionis: videlicet sinendo, illum agere secundum propriam voluntatem: ita tamen vt semper sit Deus paratissimus manum porrigere, nisi per hominem steterit.] Ac subinferius. [Deum velle, vt omnes, & singuli salui fiant: ita, vt sit omnibus præsentissimus ad ostium pulsans, vt à se nihil desit officij, quin, perditissimo etiam, cuique opem ferat, nisi per se homo ipse abnuerit.] Roffensem, quod id de perditissimis, nonnullis art. 36. neget acriter carpens & capitis fine: [Sicut Deus non dicitur causa homicidij, quia dedit homini manus, & oculos: sicut neque faber, qui bona intentione fecit gladium: ita neque ex eo, quod auxilium præbet homini vniuersale eo modo, quo præbet belluæ dicitur causa peccati.] cap. item 16.17. omnem operationis liberæ præfinitionem diuinam vniuersim reiectat, vt vidimus q.5. 6. & 7. & fine capitis 18. ait [entitatis peccati eo sufficientiæ genere consam esse (Deum) quo cuncta animantia, & animalia ad suas naturales actiones præmouet.] Vtique non præmotione natura, & causalitate ipsas antecedente. Sed prioritate & præcedentia maioris vniuersalitatis dignitatis, & intimitatis, inditæ ab ipso naturalis inclinationis ipsis congenitæ, vt constat ex eius locis, quæ dedimus, d. 1. quæst. 4. cert. 3. num. 8. & 9. citatur denique Canus ex 2. de locis cap. 4. ad 6. & 8. posseque eodem titulo citari ex relectione de sacrament. p. 4. post 6. conclusionem §. *Pro eius itaque.* Vtrobique enim dicit Deum actionis prauæ causam solum physicam esse non moralem, monetque ad illam, ne leuiter quidem mouere, aut incitare. Quod & verissimum est; Deum scilicet ex parte sua quantum opus est, ad actionem prauam physice concurrere.

CERTAMEN III.

Pro negatiua nostra sententia constans, & expressius vbique S. Thomas.

1. HActenus è priscis, verisque omnium iudicio S. Thomæ discipulis ducta pro negatiua nostra sententia Angelicum Præceptorem stetisse demonstrant. Sed quoniam pauculi ex aduersariis variis eius allegationibus in suas illum partes, vel trahere conantur, vel, apud minus doctos, eius mentem in dubium: res iam tanti Doctoris verbis, & sententiis ipsis agenda est: & (præter ea loca, quæ contra præfinitiones prædeterminatiuas, ac physicas prædeterminationes actionum voluntatis nostræ vniuersim ex ipso dedimus q.5.6. & 7.) speciatim ad actiones nostras prauas pluries eiusmodi præfinitiones, & prædeterminationes negat in 2.d.34. q.1. art.3. statuto Dei decreto, & concursu necessario, vt creata voluntas operetur ad 3. sub fin. inquit, [Illius defectus, qui est in actu voluntatis non oportet, quod sit causa aliquis alius defectus in voluntate præexistens: quia sic in infinitum iretur; sed ipsamet voluntas secundum se considerata illius defectus causa est. Ille enim defectus in voluntate est, secundum quod voluntas ad aliquid in debito modo conuertitur. Eius autem, quod est conuerti ad bonum creatum voluntas dominium habet, quia libera est: non enim est simile de voluntate, & agente naturali. Agens enim naturale est determinatum ad vnum ex sua natura: vnde non potest esse causa actionis inordinatæ, nisi per hoc, quod aliquis defectus in ipso agente est. Voluntas autem non est determinata ad vnum, sed seipsam determinat, secundum quod huic, vel illi adhæret.] Cum autem decretum Dei de concursu cum voluntate supponat, quantum ex parte Dei opus est, vt ad obiectum creatum prohibitum se suo affectu conuertat,

atque

atque ad id indifferens indeterminata, suique iuris, vt ad illud non conuertatur cum conuertitur. Nusquam decretum Dei de concursu necessario efficax de se, & prædeterminatiuum antecedenter, secumque prædeterminationem ad actum prauum conuersionis ad creatum bonum prohibitum deuoluens, ex quo eius omissio esset absolute impossibilis voluntati, & actus ipse conuersionis necessario ineuitabiliter à voluntate, nusquamque è sua potestate apponeretur. Sed causa alia præter voluntatem, eiusque libertatem anterior quæri posset, imo deberet. Secundo: si præfinitio prædeterminatiua, ac prædeterminatio ad bonum oppositum adesset, iuxta horum sententiam ad eius prosecutionem necessaria, eiusque prosecutionem necessario, & irresistibiliter inferens, impediret actum prauum conuersionis ad bonum prohibitum: ergo ex parte causæ, & actus primi est defectus, qui sit causa conuersionis illius prauæ in voluntate æque, atque in agente naturali, nec prauæ illius conuersionis causa est sola voluntas, vt S. Thom. aiebat.

2. Eidem insistit sententiæ quæst. 1. de malo, art. 3. fin. *Non vti*, ait, *regulæ rationis, & legis diuinæ præintelligitur in voluntate ante inordinatam electionem. Huiusmodi autem, quod est non vti regula prædicta, non oportet aliquam causam quærere: quia ad hoc sufficit ipsa libertas voluntatis, quæ potest agere, vel non agere. Et hoc ipsum, quod est non attendere actu ad talem regulam in se consideratum non est malum nec culpa, nec pœna: quia anima non tenetur, nec potest attendere ad talem regulam, semper, & in actu; sed ex hoc accipit primum rationem culpæ: quod sine actuali consideratione procedit ad electionem.* Quæri autem potest alia causa non vtendi regula rationis per actum, vel omissionem prauam, & prodendi: praue ad electionem sine consideratione actuali regulæ rationis, & legis diuinæ, si prauus actus, seu materiale peccati præfiniretur, physiceve prædeterminaretur à Deo & ad 6. [Cum ergo dicitur, quod bonum, in quantum est deficiens, est causa mali, si li in quantum, designet aliquid præexistens. Sic non est vniuersaliter verum; si autem designet concomitantiam, sic verum est vniuersaliter; quia omne, quod causat malum est deficiens, id est defectum causans. Sicut; si diceretur, quod omne calefaciens calefacit, in quantum est calefaciens.] Atqui ex necessitate præfinitionis prædeterminatiuæ ad actum prauum. Verum vniuersaliter esset bonum in quantum deficiens esse mali causam, nec solum comitanter, seu causali formali à forma ad effectum formalem, sed actiuè ab agente ad effectum præexisteret bonum deficiens ad defectum actus praui in quantum deficiens contra S. Th. His consone 1 p. q. 49. art. 1. ad 3. libera agentia à naturalibus distinguit quod in his, *nunquam sequitur malum in effectu, nisi præexistat aliquid aliud malum in agente, vel materia.* Quæ distinctio nulla esset, si vt actum prauum voluntas eliceret, & defectus præfinitionis prædeterminatiuæ ad eius oppositum actum, vel eius omissionem, & præfinitio ad ipsum deberet, iuxta præfinitores hosce, ex parte efficientis præcedere. Et 3. contra gent. c. 10. sub fin. probat nullum inuoluntarium defectum præcedere deordinationem voluntatis in actu, seu in considerantia prauæ exercitam. [Hic ordinis defectus voluntarius, inquit, est: quia in potestate voluntatis est velle, & non velle: atemque in potestate ipsius est, quod ratio actu consideret, vel à consideratione desistat: & quod hoc, vel illud consideret. Non ergo ex præfinitione prædeterminatiua, vel consideratione debita ante electionem, vel à recti huius ordine prauo deficit, sed à se, suaque potestate deficit creata voluntas iuxta S. Thom. vt recte Ferrara ibi.

3. Sæpe item, & ratione, & exemplis probat defectum, & deordinationem actus praui non posse in Deum causam primam refundi, etsi ad totum physicum actus concurrat: quia eius concursus nec in illam tendebat, nec intendebat, sed eo ex causæ particularis secundæ liberæ ab vsu deflexit. Quod sic exemplo effectus monstrosi sublunaris, ad quem totum totalitate effectus, & si non causæ, influxus, & motus cœli vniuersalis, sublunarium causæ, pertingit, explicuit. [Cui enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendam motionem primi mouentis, consequitur actum primi mouentis; sed, si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendum motum primi mouentis; sequitur, actio imperfecta. Et tunc quidem, quod est ibi actionis reducitur in primum mouens tanquam in causam; secus monstrositatis defectus, & deformitas, quæ tota in indispositionem particularis agentis, & materiæ reducitur.] Eoque modo infert deformitatem, & deordinationem actionis prauæ Dei motione ad bonum oblata, &, quantum ex parte Dei est, tendente, & intendente, in voluntatis creatæ abusuum cooperationem solum, tanquam in causam reduci, & explicatius adhuc ad 1. [Deformitas voluntatis aliquo modo cadit sub voluntate peccantis. Cum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu cessare.] Dixit autem aliquo modo: quia deformitas, & malitia secundum se sub nullius voluntatem, quæ in malum, qua tale, ferri nequit, nec in peccantis quidem voluntatem cadere potest, sed solum, quatenus materiale peccati eligit. Quod præstari pro suo arbitrio à peccante ait posita non solum diaboli suggestione, & instigatione ad illud, sed Dei etiam ex parte sua concursu necessario oblato, vt alterutrum eligat è contrariis, vel contradictoriis extremis. Etsi enim, vt argumento 5. assumebatur, voluntatem vt in actum prauum determinate prodeat à demone instigante (qui ad id aptissimum determinans videbatur) determinari proposuerat: cui difficultati promptissima solutio erat Dei primæ causæ præfinitione prædeterminatiua, & prædeterminante concursu determinari, si eam S. Thom. admitteret; respondit autem, [voluntas cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum: scilicet per consilium rationis. Neque oportet hoc (idest determinationem per consilium rationis) esse per aliquod agens extrinsecum, quo, & Deum, & eius præfinitiones prædeterminatiuas exclusit: sed per suæ libertatis à seipsa determinationem (vt sæpe ex ipso retulimus, & pluries referemus) habere docuit.

4 Eodem spectat discrimine causæ primæ mali naturalis, & causæ primæ mali moralis. Assignato 1. p. q. 49. art. 1. corp. & ad 3. quod causa prima mali naturalis, semper sit bonum qua tale; & si proxima plerumque sit deficiens. Moralis vero mali, tam prima, quam proxima sit bonum, nempe voluntas, qua deficiens, actuque carens actuali vsu regulæ rationis: non tamen directe, & per se malitiam intendens: si autem actus praui Deus, & præfinitor, & prædeterminator subinde foret: causa eius prima, & voluntate anterior (quare non hæc) Deus esset: cum eo etiam modo, indirecte nimirum, vellet malum formale, seu malitiam, quo eam velle voluntas dicitur. Id autem explicatius tradit, & probat q. 1. de malo art 3. corp. dicto monstrositatis naturalis exemplo. [Huius mali, quod est monstrositas partus, causa est virtus deficiens in semine. Sed si quæratur causa huius defectus, quod est malum seminis, erit deuenire ad aliquid bonum, quod est causa mali per accidens, & non in quantum est deficiens. Huius enim defectus, qui est in semine, causa est aliquod principium alterans, quod inducit qualitatem contrariam qualitati, quæ requiritur ad bonam dispositionem seminis. Cuius alterationis virtus, quanto fuerit perfectior, tanto hanc qualitatem contrariam magis inducit, ac per consequens defectum seminis consequentem. Vnde malum seminis non causatur ex bono in quantum est deficiens; sed causatur ex bono in quantum est perfectum, sed per accidens, extra eius intentionem.] De causa vero prima mali moralis subdit. [Si ergo, ita esset, quod voluntas ex necessitate reciperet impressionem delectabilis allicientis, sicut ex necessitate corpus naturale recipit impressionem agentis, omnino idem esset in voluntariis, & in naturalibus. Non est autem sic. Quia quantumcumque exterius sensibile alliciat, in potestate tamen voluntatis est recipere, vel non recipere. Vnde mali, quod accidit, ex hoc, quod recipit non est causa ipsum delectabile mouens, sed magis ipsa voluntas: quæ quidem est causa mali (etiam formalis) secundum vtrumque prædictorum modorum, scilicet, & per accidens, & in quantum est bonum deficiens.] Reciperet autem impressionem boni delectabilis, siue in illud affectum, si ex præfinitione prædeterminatiua reciperet, sicuti, & semen dispositionem prauam: quare nec ipsa causa prima esset illius (etsi proxima esset) sed Deus: qui etiam causa per accidens eius mali moralis dicendus esset, sicut naturale agens seminis alteratiuum, quæ ibi S. Thomas negat. Deus-

que tandem eius mali, vt bonum deficiens causa foret, quod negat etiam ad 6. eidem doctrinæ insistit 1.2. q.75. art.1. & 2.

5. Sed q.79. art.2. ad 2. & q.3. de malo art. 2. ad 2. & 1.2. quæst. 8. art.1. maximè ad 3. docet (quod cum ipso reliqui) Deum concursu suo ad materiale peccati, seu actum creatum prauum non causare peccatum, nec velle: quia nec illud intendit, nec ad illud determinat. Et postremo loco in corpore init. notat: *Cum peccatum actus quidam sit eo modo aliquem causam directam peccati esse posse, quo directe est causa alicuius actus*: talem vero esse, cum mouet ad illum principium proximum illius, nempe voluntatem: vnde concludit, *cum Deus solus* (qui solus immediatè effectiuè voluntatem mouere ad suos actus potest) *nequeat ad actum eius prauum ita mouere voluntatem, solam hanc esse causam directam peccati.* Legatur totus corporis textus (cui quia longiori transcribendo parco) inuenieturque primo ex definitione recitata causæ directæ peccati, Deum iuxta S. Thom. doctrinam directam causam peccati à Præfinitoribus prædeterminatiuis ad peccati materiale, siue actum prauum, plane admitti. Secundo: omnem Dei motionem, & præfinitionem prædeterminatiuam physice actiue concursu suo à S. Thoma excludi. Repetit rationem, & conclusionem q. 3. de malo art.3. corp. his verbis: *Sicut in formis producendis causa perficiens est. Ex cuius actione consequitur forma: ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cuius actione agens directè inclinatur ad agendum. Peccatum autem non est forma, sed actus: illud ergo per se potest esse causa peccati, quod potest directè mouere voluntatem ad actum peccati: ex quibus notabiliter illis: non est forma, sed actus, & quod potest mouere ad actum peccati* eluisiones de præfinitione prædeterminatiua ad materiale non ad formale peccati à S. Thoma reiectas. Infrà addit. *Motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui est voluntatis causa, qui solus voluntatem inclinare potest, in quodcumque voluerit. Deus autem non est causa peccati, vt suprà ostensum est.* Subinfert tacitus: ergo nec ad actum peccati inclinat, aut mouet actiue; alioqui causa directa peccati esset iuxta dicta. *Relinquitur ergo quod nihil aliud sit directa causa peccati, nisi voluntas humana.* Etsi iuxta suam sæpe à nobis memoratam doctrinam inibi dicat voluntatem circa finem vniuersim, seu bonum in communi ex necessitate à Deo moueri, & determinari, secus circa particularia bona, quorum electionem eius iuri, dominio, & potestati reliquit, qua boni, & mali, seu virtutis, & vitij materiale apponendum à voluntate demum est. Consonat in 2. d. 37. q.2. art. 2. & 1. 2. quæst.79. citat art.2. pluribusque locis aliis datis, d.1. quæst.5. Quibus proinde ait: Deum esse causam praui actus quatenus bonum, & ens in communi, non autem actus erga particularia bona prohibita, ad quos, nec inclinat voluntatem, nec fieri intendit; imo vero, quantum de se est, vult non fieri, sed fieri oppositum: bonumque, & ens in communi, seu transcendens actibus potius oppositis honestis à voluntate creata apponi; tametsi, vt primæ causæ muneri satisfaciat, ac libertatis iura voluntati à se creatæ seruet, concursum suum (sine quo operari nequit) siue ad bonum, siue ad malum eius arbitrio deflectendum offerat, præparetque promptissimum.

6. Sed ex hac sua doctrina, de motione, &, quo ad speciem, determinatiua voluntatis à Deo ad bonum, vt sic, & in communi, & praua determinatione voluntatis ad bonum particulare prohibitum, nusquam è Dei præuia motione, & voluntate hanc esse docet; sed ipsius potius voluntati, & ordini diuinæ sapientiæ obnitentis, & aduersantis. Sic loquitur 1. p. q.103. art. 8. corp. *Vno modo consideratur* (nostra actio) *in generali, secundum quod progreditur à causa prima gubernatiua totius: & sic*, ait, *nihil contra niti ordini diuinæ sapientiæ: quia omnis operatio tendit in bonum; & sic omnis inclinatio, tam naturalis, quam libera est à primo mouente, in bonum scilicet, qui sibi nequit contra niti.* Gubernationi vero speciali Dei, qua naturæ, & statui nostro consentaneum bonum intendenti, cuius tamen executio arbitrio, & potestati libertæ voluntatis nostræ committitur, actibus pratis electis, & elicitis sæpe non reniti, atque specialis huius diuinæ sapientiæ gubernatiuæ ordini aduersari. Ita in corpore semel, & ad 6. verbis hisce: [Dicuntur aliqui, vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum, non quia totaliter renitantur ordini diuinæ gubernationis: quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum. Sed, quia contra nituntur eidam determinato bono, quod est eis conueniens secundum suam naturam aut statum. Si autem Deus hunc discessum, & defectum voluntatis nostræ cogitatione, verbo, & actione à particulari bono naturæ, & statui nostro consentaneo, & speciali gubernatione Dei intento, præfinit prædeterminatiue, vt hi asserunt, cum totum materiale peccati præfinit, quod illis actibus circa bonum particulare prohibitum, & bono particulari intento aduersum est: qui fieri potest, vt speciali gubernationi Dei efficaciter volentis, & præfinientis illos ipsos actus, & prosecutionem voluntatis boni illius particularis prohibiti, cui omnino actionibus illis conformis est, contra nitatur, & aduersetur peccans voluntas?

7. Secundo, Ex eo, quod Deus sit præmouens, determinans, quo ad speciem solum ad bonum in communi actus prauus, quatenus in particulari bono, quod prosequitur, bonum in communi huic particulari bono identificatum prosequitur nequit Deo, eiusque generali gubernationi, & ordini sapientiæ gubernatiuæ omnium reniti, quin Deus sibi ipsi renitatur, vt aiebat S. Thom. ergo nec poterit reniti peccator actu prauo speciali ordini diuinæ prouidentiæ erga particularia bona oppositum bonum in particulari prosequendo, quin Deus ipse illius particularis boni prosecutionem, non quoad speciem solum, sed, & quoad exercitium, præfiniens sibi renitatur ipsi: quod æque, imo magis implicat. Tertio distinctio duplicis illius gubernationis generalis, seu vniuersalis, & specialis Dei à S. Thom. asserta falsa præfinitionibus hisce probatur, & ridicula. Primo quia præfinitiones hasce titulo causæ primæ, & vniuersalis omnium ad materiale etiam peccati aduersarij inducunt: cum specialis gubernatio titulo speciali tribui solummodo possit: titulo vero causæ primæ, & vniuersalis omnium sola generalis prouidentia, & gubernatio, vt S. Thom. hic ait, & omnes fatentur. Secundo: cum per hosce actum prauum prosecutiuum boni prohibiti in particulari, & oppositi bono speciali naturæ, & statui nostro consentanee efficaciter Deus, velit, ac præfiniat, quidnam voluntati diuinæ erga bonum naturæ, & statui nostro consentaneum specialis prouidentiæ, & gubernationis Deo reseruatur: qua, & hanc constituat, & per eam bonum hoc velle absolutè dicatur? Etenim, cum efficaci voluntate, & præfinitione prosecutionis boni particularis prohibiti, sola velleitas boni oppositi nobis consentanei, & prosecutionis eius locum habet, non seria adhuc, & si non efficax, voluntas, quæ contra oppositi ad statum absolutam efficacem præfinitionem non potest Deum absolutè volentem, serio nobis de bono consentaneo, eiusque prosecutione prouidentem denominare, & constituere: videant ergo, quam conueniant Angelici Doctoris menti Præfinitores isti materialis peccati, qui à Deo de eius discipulatu censeri gloriantur, quique volunt, cuius tamen principia supposita, conclusiones hac in re omnes in sua hac sententia deserere, ac negare coguntur.

8. Tertio item contra gent. c. 110. fine habet [Omnia quæ ratione carent, aguntur tantum, & non agunt se ipsa: non enim sui actus dominium habent. Vnde non possunt exire à regula primi ipsa mouentis, nisi per hoc, quod rectitudinem primæ regulæ recipere non possunt. Quod quidem contingit ex indispositione materiæ. Substantiæ vero rationales non tantum aguntur, sed agunt se in proprios actus: cui implicitum est à regula primi mouentis exire posse.] Vnde inferius perfectionem subsantiæ suæ Angelis non obesse subdit: [Quia peccatum in eis accidere possit. Ex hoc scilicet, quod eorum ipsis inhærent ordinem superioris agentis non attendentes.] Quare rationales creaturæ posita regula, & motione primi mouentis in bonum, secluisaque in malum motione, quia se ipsas agunt, nec solum aguntur, vt irrationales, ab

ab eius regula possunt exire,& actiones suas prauas exercere, & apponere. Rursus 1.2.qu.75.art.3.init.arguit: *Peccatum est actus voluntarius: voluntaria autem sunt eorum, quæ sunt in nobis, & ita non habent exteriorem causam.* Respondet autem. *Ex hoc ipso, quod exteriora mouentia ad peccandum non sufficienter, & ex necessitate inducunt, sequitur, quod remaneat in nobis peccare, & non peccare*: ergo, nec Deus, qui exterior motor ad actum prauum, vt summum, potest ab his asseri, sufficienter, & ex necessitate nos ad illum mouet iuxta S.Thom. Secundo, ergo ex S.Thom. si ex necessitate moueret præfinitione prædeterminatiua peccatum in nobis non esset: quare, nec voluntarium, seu liberum, nec peccatum. Ne verò respondeas loqui de motione ad formale peccati, non ad materiale. Contra primo: quia nullo alio modo potest esse motio ad formale, nisi mouendo ad materiale, quod admittis. Secundo: quia generali exclusione mouentium extrinsecorum ad peccandum obiecta sensibilia claudit, quæ nihil (vt sic loquar) formalis peccati curant, intendunt, ad illudve formaliter sollicitant, sed ad sui prosecutionem solum, quæ materiale solum peccati est: sufficitque, vt ad peccandum, etsi non ex necessitate, absolute, atque ad formale peccati monere dicantur: & in corpore negat eo adhuc modo, quo sensibilia peccati causam esse, mouereve Deum ad peccandum; ne dum ex necessitate item loquitur de actu voluntario, & peccato, qua actus voluntarius est: quod actui ipso proprie, & materiali peccati competit; nec nisi ratione huius potest formali peccati conuenire.

9. Accedunt demum duæ S.Thom. (imo Philosophorum, & Theologorum omnium tam scholasticorum, quam moralium) doctrinæ his præfinitionibus aduersæ, & repugnantes. Prima statuitur ab Arist.3.Ethicor.cap.5. post initium, illustraturque à S.Thom. lect.11.12. & 13. & vt indubitata asseritur ab ipso 1.part. quæst.83. art.1. ad 5. & 1.2.qu.77. corporib.art.7 & 8. Nimirum: actionem prauam ex adeo vehementi passione, dispositioneve alia, quæ nobis agendi, vel non agendi potestatem non relinquat, cuiusque positio, & amotio potestatis, & libertatis nostræ non sit peccatum, nobisve ad culpam imputabilem nusquam esse. Eligant ergo hi præfinitores: an præfinitionem ad materiale peccati dependenter à nostræ libertatis vsu apponi velint? an ea posita, & cum ipsa actionem prauam, seu materiale, ac subinde formale, peccati omitti, eiusque omissionem coniungi posse admittant? alterutrum enim ab eis admittendum est, ne sint S.Th.& totius hac in re Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ, ac moralis exploratí desertores. Alterutro vero admisso plane à suarum præfinitionum prædeterminatiuarum doctrina deficiunt, quod si nihil de sua hac præfinitionum doctrina remittere, nec communem hanc velint deserere fidem deserere videntur legitima illatione cogendi: nempe,nullam prauam actionem nobis ad culpam imputablem esse posse. Secunda doctrina communis, expressa à S.Th.1.2.q.77. citata art.6.& 7.est: quæcumque prauæ cum maiore libertate, siue ob maiorem aduertentiam, siue ob viuidiora auxilia retrahentia ab eis, siue ob minorem passionem, ac tentationem inducentes ad illa, maiora esse peccata, quam, si minori libertate ob aduertentiæ,& viuiditatis auxiliorum defectum,vel passionis,ac tentationis excessum; à nobis fierent. Determinatiuis autem præfinitionibus hisce admissis maiore libertate, vel minore nequeunt à nobis,quovis modo præfata accidant, retici, vel admitti: is enim actus prauus si præfinitus prædeterminatiue sit, necessario, incunctanter, ac irresistibiliter à nobis apponetur; sin autem præfinitus non sit impossibilitate,& impotentia antecedente pro naturæ priori absolute nequit apponi: cum eius præfinitio necessaria ex parte causæ voluntati sit; vt potentiam eius adæquate,& absolute talem constituat, vt in actum prauum possit absolute prodire: quare ea etiam S.Thom.& communis doctrina præfinitionibus prædeterminatiuis ad materiale peccati siue actum nostrum prauum, omnino repugnat.

CERTAMEN IV.

Locis, quibus aduersarij eis præfinitionibus S. Thomam fouere volunt, eum habent aduersum.

1. NOster Ruiz de Montoia d.28.sect.1.& 3.vt erat ingenio acri,& eruditione profunda, eis ipsis locis S. Thomæ adorsus aduersarios est, quibus & suam doctrinam stabiliri putabant, ac retundendis argumentis nostris arma ministrari. Primus ex eis locis est 1.2. qu.79.art.2. corp. *vbi defectus* (inquit de morali actionis prauæ) *ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei vnde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium: sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam,sicut in causam; non autem in virtutem motiuam, à qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hoc Deus est causa actus peccati; non tamen est causa peccati: quia non est causa huius, quod actus sit cum defectu,* siue vt recta, ac dilucida paraphrasi Caietanus ibi: *non est causa concomitantia, seu coniunctionis defectus cum actu.* Eum verò defectum stare ad 2. ait: *quod homo non subditur ei, cui debet subdi.* Et postmodum. *Deus verò sic est causa actus, quod nullo modo sit causa defectus concomitantis actum.* Repetit doctrinam, & exemplum 1. part. qu.49. art.2. corp. & ad 2. item in 2.d.37.qu.2.art.2. & doctrinam eandem qu.3. de malo art.2.exemplo alio de motu, & influxu cæli (quod sublunarium effectuum causa vniuersalis est) in monstrosos partus, & effectus illustrauit vt dicebamus cert.3.tibia hæc dulce Præfinitoribus hisce iam diu, ac perpetuo sonat, quasi eo exemplo Angelicus Præceptor præfinitionem diuinam prædeterminatiuam ad totum actum prauum, ac subinde ad materiale peccari, quin eius formale refundi in Deum, vt causam valeat, dilucide ostendat. Verum tibia hac curua, qua solum doctrinam suam currere Præfinitores putant, non,nisi claudicando, ambulare adhuc posse exemplo ipsomet, & verbis ex S.Thom. oppositis monstrandum nunc est. Mirum siquidem esset S. Thom. eisdem ipsis locis, ex quibus tot contra præfinitiones ad materiale peccati testimonia produximus, & genuine expendimus,vt patet cert. 3.eas fere immediate statuisse, & illustribus adeo exemplis declarasse.

2. Et in primis S.Thom. defectum non esse in Deum refundendum ait, quia non est vllo modo Deus causa defectus illius, qui solum est à libero arbitrio creato, sicut à tibia curua claudicatio: atqui nequit non esse causa defectus, vt à libero arbitrio prouenit, si est causa materialis peccati: ergo ex S.Thoma nequit Deus præfinire materiale peccati. Minor probatur. Materiale peccati non est sola physica entitas tota actus prauí, sed eiusmodi entitas, vt ponitur in his circunstantiis, hic, & nunc à libera, siue ex libertate voluntatis, & libero arbitrio; atqui ita à libero arbitrio, & libertate voluntatis apponi est defectus ipse illius actus, & deficere voluntatem in illo à Deo, cui debet subdi vt S.Thom. defectus explicatur: ergo, si Deus hunc actum fieri hic, & nunc à voluntate libere præfinit, iuxta S.Thom. fieri cum defectu, siue defectuosum: quidquid autem fit ex præfinitione Dei eo modo, quo ab ipso præfinitur est suæ præfinitionis, seu ita præfinientis effectus, atque in Deum, sic præfinientem tanquam in causam reducitur: ergo, & defectus actus nostri prauí, ac subinde actus prauus, vt defectuosus, in Deum, vt in causam reducitur, si actum prauum, vt materiale peccati est, siue, vt à libero nostro hic, & nunc arbitrio faciendum præfinit.Secundo eius solum defectus iuxta S.Thomam Deus causa non est in actu prauo, qui comitanter solum, non consequenter se habet in actu illo respectu Dei: atqui defectus actus prauí, siue eius positio hic, & nunc ex libertate voluntatis, non se habet comitanter, sed consequenter ad respectum Dei, si illum

fieri à voluntate, ex eiusque libertate præfinit: ergo defectus actus praui comitanter, qui in eo stat, vt ab arbitrio, & libertate fiat Deus causa est. Minor est certa, & clara ex dictis: nam, si ita à libertate creata fieri præfinitur, atque ità fit, quia præfinitur ita fieri ab ipsa: Id ipsum ita fieri effectus est præfinitionis, & Dei præfinientis, eiusque ita fieri Deus est causa: quare Dei in actum prauum causalitas, & effectio cum effectione, & causatione eiusdem actus voluntatis liberæ nequit, solum se comitanter habere: siquidem huius, vt ex libertate operatur, suaque operatione deficit, operatio Dei præfinitione, vt ita operetur, ac deficiat posterior natura, & causalitate, effectusque illam consequens est. Solum ergo vera hæc S. Thomæ doctrina, & distinctio iam pridem à Patribus, & scholasticis tradita, ex eisque à S. Thom. accepta, saluari potest: si Deus, & creata voluntas ad actum prauum circa bonum particulare prohibitum comitanter solum natura, & causalitate operentur, vt revera operantur; non autem, si Dei operatio in actum prauum operationem creaturæ in actum prauum, etiam prout ab ipsa, eiusque libertate apponendum natura, & causalitate præcedat eamque secum pro posteriori trahat (vti in præfinitorum materialis peccati sententia necessario antecedenter, & irresistibiliter trahit) imo, vel ad eam ex parte sua libere apponendam arbitrium creatum inducat. Idcirco recte, vt dixi num. 1. Caietanus illud S. Thom. *Non est causa huius, quod actus sit cum defectu*, paraphrastice vertit. *Non est causa concomitantiæ, seu coniunctionis defectus cum actu.* Et S. Thomas postea ita Deum esse causam totius actus praui aiebat: *quod nullo modo sit causa defectus concomitantis actum.* Ideist determinationis, seu cooperationis arbitrij creati, & voluntatis è sua propria libertate (in quo defectum stare ait) in actum illum; quod nusquam verum esse potest, si Dei præfinitio, vt ita ex parte sua voluntas actum operetur, natura & causalitate eius operationem antecedat.

3. Hoc ipsum apertissime ostendit exemplum claudicanter ambulantis ob tibiæ, siue curtæ, siue curuæ defectum, qui in facultatem progressiuam refundi, vt in causam nequit, sed solum in tibiæ defectum, siue curtitatis, siue curuitatis: quia nimirum ad eam claudicationem, siue ambulationem defectuosam solum comitanter cum tibia defectuosa facultas ambulatiua concurrit: ac proinde motum, quatenus defectuosus, & à tibia est, non antecedit: Si enim non solum comitanter respectu motus, vt defectuosus à tibia est, sed antecedenter natura à facultate progressiua claudicatio proueniret, quia ab eadem, & tibiæ defectus, à quo claudicatio, siue ambulatio defectuosa est, procederet, dubio procul defectus claudicationis in facultatem progressiuam, tanquam in causam demum reduceretur. Etenim, si cui extrinseco impulsu simul frangeretur tibia, & vlterius ambulandi imprimeretur necessitas, dubium non est, quin extrinseco illi impulsui, & claudicatio, nec solum ambulatio, vt causæ tribueretur: quia tibiæ defectus, à quo immediate determinate claudicatio prouenit, ab impulsu illo producta est, imo etsi aliunde, alioque impulsu tibia frangatur, aut decurtetur; claudicatio frangenti decurtantive crus, tandem ob eam rationem, vt causæ tribuitur: atqui præfinitio, siue prædeterminatio ad materiale peccati, siue ad actum, prout à voluntate, & arbitrio pro posteriori naturæ futurum, in aduersariorum doctrina, non se habet comitanter tantum, sed antecedenter, & pro priori naturæ, vt antecedenter ipsam determinet voluntatem, vt ex arbitrio, & libertate (etsi in hoc repugnantiam aliam doctrina hæc præfinitorum ostensa quæst. 7. inuoluat) sua actum prauum ac proinde cum defectu illo exerceat: ergo est causa illius defectus in actu, siue actus illius praui, vt prauus, & defectuosus est. Id etiam probatur exemplo alio partus, & effectus sublunaris monstrosi, cuius cœlum, eiusque motus, & influxus causa vniuersalis est; & tamen ei monstrositas effectus non tribuitur, sed defectui seminis, aut indispositioni causæ alterius sublunaris, & particularis partus, effectusve illius: quia cœli influxus, & actiuitas in eam monstrositatem, neque proxime, neque remote tendebat, eamve inrendebat, sed solum in eo edendo vitiatæ, siue vitiosæ causæ sublunari particulari cooperetur: sin autem vlterius vitiatam virtutem, & ex qua monstrosicas; effectus, & cooperatio prouenit, illi imprimeret, dubio procul monstrositas effectus cœlo tribueretur. Solum ergo doctrina, & exempla hæc à Sancto Thoma adhibita probant Deum ex cooperatione (quam solam in Deo recognoscit) ad actum prauum & defectuosum, prout à creata libertate cooperante etiam procedit, defectus, & prauitatis illius causam nullatenus esse: quæ nostra doctrina est. Si verò vlterius actus illius praui, siue, vt à creata voluntaris libertate prouenit, (in quo defectus stat) causa antecedens sit illam, vt ita operetur antecedenter mouens, & determinans (vt opus est ad hoc vt iuxta Præfinitores hosce materiale peccati, siue actum prauum prout à voluntate creata est, præfiniat) & doctrina, & exemplis S. Thom. causa eius actus, vt praui, & defectuosi Deus conuincitur. Denique defectum moralem illius actus in eo statuit S. Thom. quod superiori agenti Deo in actus praui operatione non subdatur, sed renitatur, & contrarietatur, vt sæpe aiebat S. Thom. cert. 3. vt autem ibi ostendimus, non contra niteretur voluntati Dei voluntas creata in ea cooperatione ad actum prauum ex parte sua, si vt ita ex parte sua operetur, & cooperetur præfinitum prædeterminatiue à Deo voluntate absoluta, & efficaci antecedenter omnino est: imo vero, sic ex parte sua cooperans ad actum prauum Dei voluntati se subderet, & officiosissime obsequeretur.

4. Obiicitur idem Angelicus Doctor ex 2. sententiar. d. 37. quæst. 2. art. 2. corp. dicens actum prauum quatenus actum, & ens à Deo esse, & produci. Hoc tamen & nos fatemur. Sed vbi docet à Deo antecedenter præfiniente, & physice nos, vt illum agamus præmoueare, ac prædeterminante illum actum prouenire? Hoc autem debebat docere, vt materiale peccati à Deo prædeterminatiue præfiniti doceret. Docet autem oppositum ibi. Ait enim: voluntatem nostram non esse causam, seu principium primum sui actus, *quia alterius principij prioris auxilio, & influentia eget, vt operetur*; cum tamen de ratione primi principij sit auxilio, & influentia prioris agentis ad suas operationes: non egere: eam verò prioritatem, & præmotionem prioris agentis Dei in operando actum prauum solum esse docet in actum prauum secundum rationem entis, & actus in communi sumptam (vt ibi aliisque pluribus locis recitatis cert. 3. docet) & separabilem à malitia, & defectu actus praui, non autem ab eis inseparabilem, ita enim ait: *quidquid est in actu deficiente de ratione actus, & entis, & boni totum hoc à primo agente, scilicet Deo, procedit, mediante voluntate*: quia hanc nimirum in bonum, & ens inclinatam, & determinatam natura sua Deus condidit, eamque concursu suo comitante rursus adiuuat. Subdit verò: *quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, siue in generali, siue in speciali non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter. Vnde non potest dici absolute, quod peccatum sit à Deo, vt homicidium* (ecce materiale peccati) *aut aliquid huiusmodi; nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens.* Et ad hæc etiam, quatenus à voluntate sunt, non solum immediate cooperatur (sicuti ad reliquum totum actus praui, non tamen prout à voluntate est, immediate concurrit) sed mediante etiam voluntate, quare & mediate: quia iuxta constantem doctrinam S. Thom. nuper memoratam, ipsa voluntatis natura, in qua eam condidit, ingentam, & congenitam eius inclinationem, imo & determinationem, quoad speciem ad bonum, præ malo, in communi condidit: quare quivis voluntatis nostræ actus bonum quodvis, quatenus eo ipso ad bonum commune in eo speciali bono inclusum est, à Deo voluntatis ipsius conditore, & causa mediate etiam concurrit, quo influentia ex verbis illis, *mediante voluntate*, à Præfinitoribus hisce petita euanescit.

5. Mireris hæc nobis ex eo articulo ad 2. opponi: *Illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem secundum quod actio deformitati subiacet, unde mala est. Hoc autem Deo non conuenit: & ideo non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamvis actioni illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, & operari, & quidquid perfectionis in agente est.* Mireris inquam: quia illis, quæ inclinat

inclinat ad actionem deformem, quod à Deo, eiusque operatione, & cooperatione omnem prorsus excludit præuiam à Deo voluntatis motionem, vt ex parte sua actum prauum apponat (in quo & materiale peccati, & deformitas actus illius est) à Deo relegat omnino: quod autem dicat Deum influere voluntati operari: non dicit prauum Dei concursum, & motionem vt operetur, qua ex priori naturæ ad eius operationem, hæc voluntati, vt ab ea est, à Deo influatur, & determinetur; sed solum, qua voluntati creatæ, conditione ipsius, influit ante eius operationem esse, & actuitatem seu posse absolutum operandi, & quidquid in ipsa agente perfectionis esse ex parte actus primi debet, vt in actum secundum, & operationem prodeat (vt verba ipsius expressa sunt) & quorum influxu in actus ab ea eliciti defectum, & deformitatem influere, eamve adhuc mediate non causare defendit: quia indifferens, eis etiam à Deo datis, & inditis, relinquitur, ex suaque solum libertate, ac subinde à seipsa, non à Deo indictis, quatenus ex parte sua est, se determinat, & operatur: in quo defectus actionis, & materiale peccati iuxta S. Thom. omnino consistit. Si autem ex parte actus primi præfinitione prædeterminatiua præuie voluntatem ad actum, & operationem prauam, siue, vt ex libertate ipsius determinaret, dubio procul defectus, & deformitatis in actu reperta causa esset: quare hoc etiam testimonio eiusmodi præfinitiones propellit.

6. Mouent aduersarij plura alia S. Thom. loca, quæ me iudice, melius ipsis quiescerent. Nimirum ex 1.2.qu. 19 art.2.& qu.3.de malo artic.2. ratione 2. item 3. cont. gent.c.70 ac 1 p.qu.105.art.4.maxime ad 3. verum cum eis ipsis locis ostenderimus certam.3.S.Thomam expresse præfinitiones actus praui, provt ex nostra libertate ponendi, & (quod idem est) materialis peccati, confutasse: ea in sensa ab Angelicæ mentis alieno opponi satis euincitur. Sed aduersarij præmotionis, & voluntatis nostræ à Deo, vt vniuersali causa apud S. Thom. legentes litteram (quæ sine eius spiritu, & mente occidit) & loca proferunt, quibus occidantur: & vocis eius occasione apponere illum è pluribus aliis locis tentant. Præcipue art.3. quæstionis illius 9. argum. *Sed contra*, & corp. & ad 7. & art.4.& 6. fin.qu. etiam 1. art.2.corp. qu.10.art.4.corp.qu.15 art.2. corp.qu.16. art.1. & 2. quæst.17. art.5.ad 3.qu.107.art.2. ad 1. art.6.corp. Eis enim, & pluribus aliis locis illud reperit quod ex q. illa 9. retulimus cert.3. *Deus mouet voluntatem hominis vt vniuersalis motor.* Audi autem ad quid, qua vniuersalis motor hominis moueat voluntatem, *ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, vel illud* (ad quod vtique vniuersali illa motione determinatus non est) *quod est vere bonum, vel apparens bonum*: ergo S. Thomas quoties creatas voluntates mouent, præmouerive à Deo, vt vniuersali causa, ait, non de alia motione, aut præmotione loquitur quam ad bonum in communi: ea solum ratione, qua naturam voluntati creationis iure de se determinatam quoad speciem ad bonum in communi, præ malo prosequendum condidit, cooperatur ille quidem voluntati, non autem illam mouet, præmouet, aut prædeterminat, quia eius libertati, & arbitrio determinationem relinquit: quare nec materiale peccati, quod est in prosecutione boni particularis apparentis, prædeterminatiue prædefinit iuxta Angelicum Præceptorem.

7. Obiectant rursus illum 1.2.quæst.79.art.4.ad omnia fere argumenta dicentem obcæcationem, & obduration cordis, etsi mala sit, à Deo tamen voluitam esse, vt in salutem hominis ordinatur: ergo actio praua, vt ad Deum ordinabilis amari etiam in particulari à Deo posse, ac subinde præfiniri, inprimis obiectio hæc totam deserit Præfinitorum doctrinam nihilque (dato toto) eius doctrinæ probat. Etenim non probat actiones prauas, & materiale peccati à Deo prima causa agente; & vniuersale motore, sed vt causa finali posse præfiniri. Secundo: probat solum posse, non autem necessario propter se, ad hæc vt finem præfiniri à Deo debere: vt necessitati præfinitionum ab hisce assertæ opus erat. Tertio, neque creatum aliquod bonum (ne dum malum morale) ordinabile ad Deum tanquam finem, *vel qui, vel cui*, est, vt contra 4. ostendemus: quare non tenet argumenti consequentia: ex eo, quod excæcatio, & obduratio cordis, quæ vitalis, ac subinde ordinabilis ad salutem hominis, vt finem *qui*, & ad ipsum hominem vt finem *cui* sit, illam ad Deum ordinabilem esse, atque ea ratione amari, ac præfiniri à Deo posse. Quarto, si illa dictione (*etsi mala sit*) de malo morali etiam excæcationis intelligatur, amari à Deo posse, adhuc ob salutem excæcati, siue, vt ordinabilem ad illam, non in quam S. Thomæ doctrina, sed nec Catholica est: scilicet, peccatum, qua tale ob aliquem finem, etiam totius mundi salutem amari à Deo posse, quod est hæreticorum. Quinto, absurdius adhuc (si potest) infertur: peccatum quod toto odio auersatur Deus in ipsum tanquam in finem ordinabilem esse: scilicet, quod se toto, & essentia sua à Deo fine vltimo deordinatio ipsa est, ad ipsum tamen ordinabilem esse, quæ secum pugnare manifeste; nec, nisi actu pœnitentiæ, quæ peccati destructio est: non peccatum quidem, sed eius potius non esse, & destructio, in Deum potest ordinari.

8. Ad S. Thomæ eo loci doctrinam, & mentem Catholicissimam redeundo, excæcationis, & obdurationis nomine non culpam, & peccatum intelligit, sed eius permissionem, quæ per omnes sanos Theologos, & S. Thomam in voluntate Dei conferendi auxilia solum sufficientia, non autem efficacia omnino consistit: & hanc quidem voluntatem peccati permissiuam, vt vtilem ad salutem hominum siue ex humilitate, siue ex pœnitentia de peccato etiam ipso capiendam adeo amabilem, & ordinabilem esse plures cum S. Thoma, & aliis Doctoribus asserunt, etsi eorum plerique, non ita facile, ac dilucide defendant, vt videbimus controuer.7. de prædest, eiusque effectibus. At verò excæcationem, & obdurationem cordis pro peccato obcæcati, & obdurati acceptam nusquam præmobilem, & præordinabilem, amabilem, causabilemque à Deo esse expressa, & constans est Sancti Thomæ doctrina id negantis de excæcatione, & obduratione in 1.d.40 qu.4. art.2. corp. init. *In quantum est actus voluntatis obstinate in malum, cui pertinaciter adhæret*, & citata qu.79 art. 3. corp. init. vbi ait: *Deum non esse causam excæcationis, & obdurationis, in quantum important motum animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino homine.* Solum ergo excæcationem, & obdurationem primo sensu sumptas è Dei voluntate esse posse S. Tho. Catholice docuit non autem excæcationem, prout peccatum dicit excæcati, & obdurati, adhuc materiale: cuiusmodi solum est actus voluntatis, & motus animi obstinati in malum, siue adhærentis malo, & auersi à diuino lumine, quibus obstinationis, & obdurationis peccatum, quod amari, causarique à Deo negauit, S. Thom. explicuit.

9. Demum opponunt ex eadem qu.79.art.1.ad 3. hanc S. Thom. sententiam *effectus causa media procedens ab ea, secundum quod subditur ordini causa prima reducitur etiam in causam primam. Sed si procedat à causa media secundum quod exit ordinem causæ primæ non reducitur in causam primam.* Singulis locis contra nos ex S. Thom. obiectis vidimus præfinitiones prædeterminatiuas obiicientium proscindi: sed hoc postremo videmus apertius. Etenim ea solum ratione effectus, siue actus prauus noster potest exire ab ordine causæ primæ, ipsique contraniti, quatenus hic, & nunc, & in his circunstantiis legis prohibentis, & auertentiæ ex nostra libertate, & arbitrio hic actus apponitur: atqui, vt sic à nobis apponatur Dei præfinitio prædeterminatiua causa à nobis inimpedibilis est: ergo quatenus exit ab ordine causæ primæ, ipsique contranititur à causa prima est, ac proinde in ipsam tandem reducendus erit, & formaliter in illam, vt causam primam, cum per aduersarios, qua prima causa est actum nostrum, vt ex nostro arbitrio apponatur prædeterminat, ac præfinit. Secundo cum id, quod iuxta efficacem voluntatem Dei causæ primæ ab arbitrio, & voluntate nostra apponitur omnino, nequeat eius ordini contrariti, ab eoque exire, atque actus, qui à nostra voluntate ex Dei præfinitione vt ita ab illa apponatur, apponitur, omnino iuxta Dei causæ primæ efficacem voluntatem apponitur: ergo eius ordini non contranititur, neque actus prauus, seu materiale peccati esse potest, absque quo peccatum formale esse repugnat. Quare præfinitiones prædeterminatiuæ conclusionem S. Thom. in eo testimonio, & distinctionem de actu quatenus subditur, & quatenus

nus exit ab ordine causæ primæ repugnantem reddunt; ac demum peccata esse nobis impossibilia demonstrant.

CERTAMEN V.

Theologi reliqui hisce præfinitionibus aduersantur.

1. EA quidem, qua vidimus cert. 2. 3. & 4. fide à Recentioribus Dominicanis, quos impugnamus, Doctores sui referuntur: externi verò, haud quaquam pro illis inducuntur fide meliore. Altisiodorensis in primis, qui 2. sum. tract. 15. qu. vlt. med. etsi materialem actionem peccati à Deo esse, secus eius malitiam, vt omnes fatemur, concedat; tamen rationem subdit, qua eius præfinitionem, & prædeterminationem à Deo nobis cum reiecter. Obiectioni enim ex S. Dionysio propositæ: *optimi est optima adducere; sed mala actio non est optima: igitur Dei non est ipsam adducere.* Respondet intelligendam esse maiorem: [In his quæ agit Deus per se, & ex sua voluntate. In his, quæ agit Deus per se dico: quia actio, in qua Deus cooperatur homini, bene potest esse mixta: ex sua voluntate dico: quia, cum Deus agit, quasi inuitus, id; quod tunc agit potest esse malum.] Ergo non præfinitiue, & prædeterminatiue: quia quod ex prædeterminatione non cooperatiue solum, & quod præfinitiue, nō quasi inuitus, sed ex sua agit voluntate. Ideo 1. etiam sum. art. 2. à medio hoc fuse docet. *Deus quantum ex se est, vult, vt mala non fiant.* Guillelm. item Parisiens. 1. p. tract. de vitiis, & peccat. c. inchoante. *De peccatis autem, id est, operibus humanis,* circa med. docet quavis necessitate à quovis extrinseco admotore nobis inducta, quæ nobis ad operandum, vel secus dominium, & authoritatem operandi non relinquat, nos à culpa liberari, atque in motorem illum refundere. Magist. in 1. d. 48. q. vlt. c. 2. ait: *voluit tota Trinitas, vt Christus pateretur, neque tamen voluit, vt Iudæi occiderent: quia voluit pœnam Christi; sed non voluit culpam Iudæorum:* quibus à voluntate occisionis Iudæorum ad voluntatem culpæ, & malitiæ eius tenere consequentiam fatetur, c. 3. *Non volebat Deus, vt Iudæi occiderent eum. Non enim volebat actionem Iudæorum, quæ mala erat, sed volebat passionem bonam: & hæc voluntas per malas Iudæorum voluntates impleta est.* Alex. 2. p. q. 100. m. 3. art. 5. ex August. ait, *motum auersionis à Deo non aliunde, quam à voluntate nostra existere,* & art. 6. §. 1. ad 2. è duobus æque dispositis ait: *Non est dicere rationem mali in voluntate, nisi ipsam voluntatem, quæ seipsa vertibilis est; & quod seipsa vertitur in isto, & non in alio, non est assignare aliquam causam à seipso: quia quod isto vertitur ad malum non est, nisi, quia placet: placiti autem non est alia ratio quærenda; sicut in bonis, cum peruentum est ad voluntatem Dei, nulla est alia ratio: ita in malis cum peruentum est ad voluntatem vertibilem sibi relictam.* Et §. 2. ait: *Deum esse solem spiritualem, qui de se nunquam absit, sed vbique se diffundat; sed alia desunt ab ipso quando recedunt per peccatum. Ideo non est dicere, quod sua absentia sit causa tenebrarum, siue mali: imo liberum arbitrium deficiens est causa, quare ei absit spiritualis sol.* Quibus omnibus consonat eius §. fine, motus autem versionis in hoc præ illo, auersionis à bono, & Deo, actio voluntatis nostræ, & materiale peccati est.

2. Sanct. Bonauent. in 2. d. 34. art. 1. qu. 1. fin. corp. [Si autem quæras quid faciat ipsam voluntatem exire in peccatum, & quæ sit dispositio immediata ipsius respectu culpæ: dicendum, quod nulla superadditur dispositio: sed ipsa voluntas, quæ est domina sui actus, & libera potest seipsam conuertere ad illud, quod vult; etsi indebite se conuertat, tunc peccat: nulla superinducta dispositione à parte voluntatis, quæ sit præambula ad ipsam culpam.] Quibus nullam præuiam dispositionem ad conuersionem in hoc, vel illud, vt vult indebite, & contra legem, præter voluntatis in suos actus dominium, & liberam potestatem admittit: ea vero voluntatis conuersio per affectum suum indebite eius physica operatio, & materiale peccati est. Confirmat statim exemplo. *Sicut ille, qui stat rectus, posset statim, si vellet, sine noua dispositione adueniente dimittere se, & cadere: sic voluntas recta consistens, & in ordine ad vltimum finem, potest illum ordinem exire.* Et d. 37. art. 1. quæst. 1. ad vltim. ne excitationem quidem ad actiones prauas, ne dum præmotionem, Deo permittit his verbis: [Ad illud quod obiicitur (quod Deus est principale mouens in tali actione) dicendum, quod verum est; attamen non sequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendum illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ præuenientem ipsam voluntatem: hæc autem requiritur in bonis meritoriis; in aliis verò operibus indifferentibus, vel etiam malis, non est, nisi sola cooperatio diuinæ virtutis.] Vbi, quoad concursum solam admittit in Deo cooperationem cum voluntate; non autem huius ad operandum determinatiuam præoperationem, aut decretum: imo intentionalem præmotionem, & excitationem, adhuc non prædeterminatiuam, ad actionem prauam à Deo relegat. Denique in 1. d. 47. art. 1. qu. 2. vbi proposito argumento penultimo quod homo contra permissionem Dei facere possit: quia potest non peccare, etiam cum à Deo peccare permittitur: Respondet: *Deus non dicitur permittere peccare, nisi eum, qui actualiter peccat, dum peccat: & tunc impossibile est eum non peccare.* Nullam ergo impossibilitatem non peccandi, ac peccandi necessitatem à diuina permissione ortam admittit; sed eam solum qua necesse est rem esse, & impossibile est non esse, quandiu est, Seraphicus Doctor agnoscit, ac proinde solam consequentem, non autem antecedentem admittit.

3. Scotus etsi ex 1. d. 39. & 41. pro aduersariis citetur, nullo tamen fundamento citatur, vt vidimus q. 6. cert. 1. n. 4. maxime: cum expresse doceat in 2. d. 37. qu. vnic. §. *Ad solutionem istorum obiectorum,* Deum non prius causare materialem actionem peccati, sed potius voluntatem posse, si velit causare actum bonum. E cuius doctrina ibi, Nicolaus de Orbellis ead. dist. circa med. ita causim secundam in cooperatione ad opus prauum discriminat: [Quia illa causa potest rectitudinem dare actui, & tenetur illam dare; & tamen non dat. Alia autem, licet non teneatur eam dare, quantum est ex se, daret si voluntas creata cooperaretur: dando autem voluntatem liberam dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis. Et ideo quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis: & voluntati ex consequenti daret, si ipsa voluntas quemcumque actū eliciturum recte ageret ex parte sui: est igitur defectus in effectu duarum causarum, non propter defectum causæ superioris, sed inferioris, quæ quantum ad se pertinet non causat, quibus similia, imo eadem repetit ibidem Scotus, ex quo fere ad verbum Conradus 1. 2. q. 79. art. 1. postrema p. corporis his verbis: *Voluntas increata, & Deus ipse, non potest esse prima causa, & ratio deficiendi culpabiliter: quia, si Deus primo suo traheret rectitudinem actionis, tunc non esset in potestate voluntatis recte agere.* Inferiuscule. *Imo quantum est ex parte Dei, illa rectitudo inesset actui: quod autem non insit, est ex voluntate creata.* Et rursus: *diuina voluntas, licet non teneatur dare rectitudinem effectus, tamen, quantum est ex se, daret, si voluntas creata cooperaretur: quidquid enim Deus dat antecedenter, daret etiam consequenter, quantum est ex parte sui, nisi adsit impedimentum.* Inferius. *Deus quantum est de se causaret rectitudinem, si voluntas suam causalitatem causaret.* Quæ omnia à Deo cōtra præfinitionem, & prædeterminationem quamvis voluntatis creatæ ad actionem prauam, seu materiale peccati adeo aperta sunt, vt ponderatione nostra non egeant. Accedit, Scotum eundem in 1. d. 44. & in 2. d. 25. qu. vn. docere vniuersim voluntatem seipsam, & non ab alio, determinare ad actus liberos, atque causæ liberæ definitionem communem admittere, vt ostendimus quæst. 8. cert. 1. à n. 1 ad 3. inclusiue & qu. 7. cert. 3.

4. Citatur etiam Durandus pro opposita sententia ex 1. d. 46 qu. 1. cuius tamen toto art. 2. omnem antecedentem necessitatem voluntatis nostræ ad prauam actionem excludit: sicuti fusius d. 47 q. 1 & 2. & in 2. d. 24. q. 2. quia d. 1. q. 4. ex vniuersalioribus principiis statuit: Deum concausis secundis immediate non concurrere ad ipsarum effectus, neque aliter, quam eas producendo, & cōseruando: idque eo in primis animo, vt postea in 2. d. 37. q. 1. facilius

Deum

Deum à concursu ad actiones prauas illarum, siue ad peccati materiale liberaret: atque omnem subinde ab eo causandi peccatum, vel vmbram, depelleret. Ac denique communem causæ liberæ definitionem statuit. q. 7. cert. 3. Argentina in 2. d. 25. q. vn. art. 1. post concl. 2. & art. 2. impugnat 2. Gotfredi ait: voluntatem à què etiam rationibus in vtrumque impulsam seipsam in fornicationis consensum determinare ait. Et d. 34. art. 2. vers. fin. ad 2. ait: Ideo peccatum ad culpam imputari, *Quia homo non resistit peccato quantum potest*: vt actius 2. sum. apud Carthusian. 1 d. 4. q. 3. sub med. ait: [In obduratione sunt duo. Aliud est actus voluntatis pertinaciter inhærentis malitiæ: & huius Deus non est causa per se, neque per accidens, neque occasio; sed voluntas deficiens. Aliud est subtractio gratiæ, quæ subtractio potest considerari, vt pœna peccati: & ita Deus est causa eius per se; potest etiam considerari, vt causa, siue occasio culpæ sequentis, & ita non est à Deo, sed à voluntate peruersa.] Quæ scilicet subtractioni gratiæ ad indurationem causam dedit. Tantum abest à præfinitione, seu prædeterminatione deficientiæ voluntatis in operando! Carthusianus ipse in 1. d. 40. q. 3. sub init. ex S. Thom. ait: [Obdurario interdum dicitur actus voluntatis obstinatæ in vitio, cui pertinaciter inhæret. Sicque Deus nō est causa obdurationis: sicut neque actus peccati, quantum ad eius deformitatem, sed homo.] Et in 2. d. 34. q. vn. post med. & d. 37. q. 1. approbat quæ ex S. Th. ea d. q. 1. a. 3. fin. & alibi supra reculimus, & de actione praua, seu materiale peccati esse sedimus. Ricardus in 2. d. 34. a. 2. q. 4. corp. *Ideo actus defectuosus à voluntate procedens habet rationem culpæ, quia voluntas per libertatem potest se tenere, ne per suam defectibilitatem exeat in actum defectuosum.* Inferiuscule vero explicat, cur defectus non reducatur in Deum exemplo: *Si enim aliquis faber fabricat cultellum, & alteri concedat ad rectum vsum: & ille postea ex diuersitate voluntatis abutens cultello faciat aliquod opus illicitum: iste abusus non reducitur ad fabrum.* Reduceretur autem, si ad prauum alterius vsum, ex eiusque efficaci voluntate (præcipuè inutilem ad alium vsum rectum) cultellum fabricasset, & dedisset: vt in præfinitione prædeterminatiua materialis peccati contingeret.

5. VValdensis 1. Doctrinal. fid. c. 21. fin. c. 22. init. c. 23. c. 24. fusè probat Deum non determinare, aut necessitatem nostræ voluntati ad operationes prauas imponere, c. 23. longe à med. [Christus percussus non necessitauit percussorem ad faciendum ictum alapæ.] c. 24. init. [Tradit certe antiquitas Ecclesiæ Iesu Christi originem actus humani mali, & deformis esse voluntatem humanam, in sua radice vberrimam, & sine fœno alicuius necessitatis distinctam. Sub fine. [Ne dicat quisquam insipiens, Domine tu magis eras causa peccati mei, quam ego, qui peccaui. Tu enim actasti voluntatem meam, Tu prouidisti media delinquendi: vnde necessarium fuit peccare, & velle peccare.] Loqui autem illum de necessitate à Dei concursu, voluntate, & præscientia constat à c. 1. ad 30. Aptissimo exemplo rem, & mentem suam explicuit cap. 26 sub med. (Deus præscientia sua videt ex qua parte pondus in libra descender. Neque tamen, vt necessitatem inducat alterutri laneis brachio manum premit: imò sic pondus in libra sine omni aspiciente descenderet: ita per impossibile, si Deus non præsciret, sic tamen, sicut iam futura est futura forer.] c. 28 med. *Voluntas diuina consensum actus mali, vel humani delicti non præuenit.* Quod æque latum, & clarum fidem esse ait, ac Deum bonas voluntates nostras præuenire. Demum contra actionum nostrarum vniuersim præfinitiones, ac prædeterminationes diuinas plurimi ex Valdensi dedimus cap. 6. cert 3. n. 8. & 9. quæ omnia præfinitiones prauarum actionum (quæ nostrarum, malum tam magna est) necessario conuellunt.

6. Neque alia est Nominalium sententia Dionys. Cisterciensis in 1. d. 46. quæst vn. art. 1. p. 1. propos. 4. *Quandoque Deus permittit creaturam sic operari, & voluntate simplici complacentia non complacet in illo sic velle operari. Nihilominus est causa partialis rei sic effectæ. Exemplum est voluntatem odire (odisse) proximum.* Ecce concursum partialem sine beneplacito Dei. Proposit. 5. [Deus nullum facit facere contra præceptum. Non facit aliquem peccare non facit fortè odire.] Et p. 2. proposit. 1. [Respectu nullius volitionis culpabiliter malæ diuinum velle est concursus efficientia (specialis; sed solum generalis.] Explicat subinferius. [Ad malum culpæ mortalis Deo non iuuante sufficit voluntas creata stante concursu generali.] Qui vtique ad malitiam, seu formale peccati non est; sed solum ad materiale, siue actionem prohibitam eandem sententiam tradit proposit. 4. & art. 3. sub fin. [Nullus peccat volendo, aut faciendo illud, quod Deus efficaciter, vel executiue vult eum velle, vel facere.] Patet: *Quia tale velle necessitat rem volitam esse.* In 2. d. 24. q. 1. art. 1 proposit. 3. [Odire Deum, & reliquas deformes actiones Deus solum coëfficit, & creaturam agere finit: neque eam ad taliter agere actuat, neque sic male agere facit.] d. 25. q. 2. art. 1. concluf. 5. *Arbitrium iniustum ad male volendum non eget præmotione diuina*, art. 2. concl. 1. *Deus non necessitat voluntatem creatam ad actum primum, quo se auertit à vita, & à Deo: neque ad actum fruendi creatura, & tendi Deo.* Repetit concluf. 4. & d. 37. q. vn. (3. de peccato actuali) circa concluf. 3. *Impium est dicere, quod Deus est sic præmouens, & actuans ad agere contra legem diuinam.* Fusèque subinde probat. Ioan. Bacho in 1. d. 40. art. 2. post med. Giltonis verba hæc refert, & approbat. [Deus aliqua futura non vult velle efficaci; sed solum permissiuè; & respectu sic productorum voluntas diuina est causa per generalem, (concursum seu voluntatem,) Tribuens agenti particulari facultatem agendi sic, vel sic; non tamen determinat agens ad aliquam: neque efficienter vult hanc, vel illam, & isto modo voluntas diuina est causa actuum nostrorum quantumcumque deformium.] Inferiuscule. [Talium actuum est causa determinans voluntas humana præsupposita influentia generali Dei. Vnde ideo pecco, quia volo peccare: ita, quod actus voluntatis meæ est iam determinans me ad peccandum.] Propriisque verbis eandem sententiam tradit artic. 4. circa med. & d. 41. sub fine. [Deus non est causa illorum actuum demeritoriorum determinans: sed solum per generalem influentiam permissiue.]

7. Gabriel in 2. d. 7. docet: actus necessariò consequentes primos dæmonibus à Deo impressos liberos illis non esse d. 37. q. vn. art. 1. ad argumenta 1. viæ ait: diuinam voluntatem esse paratam ad concurrendum, non determinando, sed relinquendo voluntati facultatem, vt se determinet ad actum, & art. 3. dub. 1. ita è Scoti solut. scribit: [Ita est Deus causa effectiua rectitudinis, quod quantum est de se daret illam actui, si voluntas cooperaretur, vniuersaliter enim quidquid Deus dedit antecedenter, daret etiā consequenter, quantum est ex se, si non esset impedimentum, vt dictum est. Voluntas autem, quantum est ex se, non dat rectitudinem actui.] Inferiùs subdit propositiones, quæ alio clariori ordine disposita sic habent: [Defectus rectitudinis non induceret peccatū respectu voluntatis diuinæ, neque respectu voluntatis creatæ, si voluntas diuina primo, & simpliciter nollet dare rectitudinem: quia tunc voluntas creata non posset dare rectitudinē.] Et dub. 2. probat Deum non esse Authorē, vt homo sit deterior: [Quia consilio, præcepto & c. Deus non mouet voluntatē hominis ad faciendum malum, licet secum, tāquam causa partialis, producat malum, neque quātum est ex se, concurrit Deus, vt dictum est; sed quia voluntas libere hunc producit, Deus comproducit.] Greg. Ariamin in 2. d. 28. q. vn. art. 3. post med. ad 12. [Non solum iuuat Deus ad bonum velle partialiter coëfficiēdo, qui est modus communis, quo cōcurrit ad cuiuslibet creati agentis quēliber effectum. Sed etiā quodam alio speciali modo, videlicet faciendo ipsam voluntatem partialiter concausare: ita, quod ipsa voluntas partialiter concausat applicata, & quasi mota, à Deo ad sic partiabiliter causandum. In qua motione ipsa non necessitatur; sed instrumentum liberum existens, in cuius potestate est sequi motionem primi agentis, iuuatur ita, vt agat, quæ non sic adiuta, nequaquam agere potuisset. Ad productionem verò actus mali solum primo modo Deus concurrit: quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum.] Quibus motionem, adhuc temperatam, & cum potestate non operandi (quam respectu actus nostri probi concedit) respectu prauī Deo negat: Nedum necessitatem motionem, & præfinitionem eius d. 37. quæst. vn. art. 3. ad 1. fine. [Sicut Deus non agit contra rectam rationem faciendo hominem qui possit malum actum facere, aum ad eum faciendum non cogat, vel inducat: sic non agit

contra rectam rationem ei non subtrahendo id, sine quo non potest facere malum actum; neque tamen excitando, vel faciendo, vt homo faciat talem actum.] Et ad 3. [Deus cuilibet benefacienti est causa, vt faciat illud, quod benefacit. Nam non solum causat, sed etiam mouet voluntatem eius, & facit eam facere eundem actum. Nulli autem malefacienti est causa, vt malefaciat: licet actum illum etiam concauset.] Et ad 6. [Nego, quod Deus velit istum hominem facere istum actum sicut secundum Mag.d.vlt.1. libri: Tota Trinitas voluit Passionem Christi, & occisionem; neque tamen voluit, quod Iudæi occiderent Christum.] Et col. penult. ad 8. [Ad hunc sensum dico: Deum sequi determinationem voluntatis: quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo, quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo magis proprie dicitur Deus coagere voluntati in talem actum causandum, quam voluntas dicatur coagere Deo.] Infra, §. *Ad propositum* explicatiùs ait: [Deus in sic agendo non est principalis causa, ita vt moueat voluntatem nostram ad agendum, & faciat eam facere talem volitionem, aut modo aliquo suadeat, vel excitet. Hoc enim opinari detestanda, & abominanda opinio est.]

8. Ioan. Maior in 1.d.48. q.1. conclusionem 4. sic explicat: [Deus non vult culpas esse, quantum est ex parte eius. Nihilominus dedit nobis liberum arbitrium relinquens nos in manu consilij nostri: sine eius ope nullum actum elicere valemus. Indecens est illi nos necessitare ad bonum. Hæc est disconueniens conditio, quam nobis indidit, si volumus: igitur nobis quasi inuitus cooperatur, quare dixerim quasi inuitus pondera. Nempe, cum ad malum conditio voluntatis nostræ disconueniens purificatur.] In 2. d. 37. quæst. 1. ad 4. *Sicut homo sapiens non instigat, & allicit alium male agere, ita neque Deus.* Inferiuscule: [Quia sine Deo nihil agere possumus, paratus est nobis cooperari ad substantiam mali actus, quem scimus per Dei prohibitionem esse malum; & istud voluntate beneplaciti generalis influentiæ ex suppositione, seu voluntate non subtractionis causæ influentiæ, necessariæ ad productionem actûs: dicitur ex suppositione: hoc est supposito, quod nolumus seruare sua præcepta mauult influentiam generalem non subtrahere, quam eam impedire, vel nos ad bonum necessitare.] Post med. quæst. §. *Hæc speculatiuè*, ait: *Hunc actum demonstrando substantiam peccati, Deus vult ex supposito, quod homo velit hunc actum, Deus non subtrahit suam influentiam generalem, quæ ad actum concurrit.* Et fine hoc illustrat simili. *Eiciens merces in mare, gratia exonerandæ nauis, magis habet de velle, quam de nolle ex Arist. 3. Ethicor. cap.1.* Ostendens Deum quasi coactum concurrere ad actionem prauam, ne concursum generalem ad ipsam negans iusti laudem impediat, *qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit*, quæst. 2. ad 4. inquit: *Deus non habet velle pure spontaneum, & simpliciter respectu substantiæ illius actus, sed solum velle generalis influentiæ, & habet nolle prohibitiuum respectu illius substantiæ actus.* Et q.3. concluf. 4. *Potest dici ad aliquem bonum sensum, quod voluntas prius agit ad actum malum, ad quem*, ait, *Patres præueniri nos adeo non dicunt, cum speciatim ad actum bonum nos dicant præueniri ab ipso.* Vtique, quia nostra determinatione generalis Dei influentia indifferenter, seu non determinata ad actum prauum ad hunc determinatur, & explicatius subdit. [Prius Deus est paratus coagere voluntati ad substantiam actus mali, quam volûtas non potest elicere Deo non concurrente intellectus diuinus intelligit voluntatem creatam velle, A actum malum producere, si concursum primæ causæ necessarium ad productionem illius actus haberet: &, quod non illud velle possit habere sine concursu Dei: Deus illi coagit adhoc, & illud prohibetur: & quodammodo inuitus hoc Deus facit: hoc est, non pure spontaneè ad sensum superius crebro declaratum.] Et ad 3. docet in potestate socratis esse, quod Deus concurrat, vel non ad eius actum malum: quæ omnia non ex voluntate absoluta, & simplici Dei, & determinatione sua ipsum (nedum nos) ad actum prauum concurrere, sed ex determinatione nostræ voluntatis. Hæc quidem à Deo fuisse ex Maiore recitauimus, quia eadem q.3. concl.1. aduersariis satis ad speciem fauentia hæc dixerat. *Deus determinat aliam causam ad hunc effectum, & non ad similem, quem æqualiter habet in sua potestate.* Et prius q.1. concluf. 2. probat 6. [Voluntas creata est libera ad hunc actum malum producendum, & ad illum: neque est maior ratio quare vnum producat, quam alium, nisi, quia determinatur à Deo: ergo ad hunc actum, qui est malus determinatur à Deo.] Verum his solum docet actum voluntatis nostræ, indiuiduationem sicuti, & effectum omnium aliarum causarum, non ab eis, sed à Deo determinari: quod verissimum est, nec aduersariis fauet, id enim præstat offerendo concursum ad actum hunc, & non ad alium; indifferenter tamen, si voluntas operari velit hunc actum ad quem concursum offert, & parat, vel eius contrarium alium vel neutrum. Ideo dixit *hunc, & non similem.*

9. Marsilius in 1.d. 40. art. 2. sub 3. concl. & concl. respondeli: Probat cum præscientia futurorum eorum contingentiam, & potestatem ad vtrumuis in nobis stare, quia alias peccati Author Deus esset: vbi inter alia *ille*, inquit, *est principalis Author peccati; qui producit scienter, & libere peccantem, sic, quod non potest non peccare.* Subinferius. [Iste qui sic produxit creaturam, & nouit eam peccaturam necessario, & tamen libere facit eam, est principalis causa antecedentis, scilicet, existentiæ huius creaturæ: ergo est principalis causa consequentis, quod necessario sequitur; scilicet, peccati.] Et fine quæstionis. [Deus præsciens. A. Futurum non necessitat voluntatem ad A, quia tunc A. non esset peccatum: cum nullus peccet in eo, quod vitare non potest.] Inferiuscule: [Causæ, quæ producent A. (vt voluntas) non sunt determinatæ ad A, sic, quod non possunt ipsum non producere,] quibus constat illum non de innata solum voluntati necessitate peccandi manichæa, sed etiam de aduentitia ex præscientia, aut voluntate Dei loqui. Et q.45 post concl.5. de Euæ electione prauæ. [Actum voluit, quoad substantiam voluntate beneplaciti; dum tamen mulier eum veller. Vnde in potentiis liberis imaginandum est, quod quemcumque actum elegerint, Deus, vt causa vniuersalis agit cum eis, libere tamen. Dedit enim ad hoc libertatem arbitrij, vt possit in actus bonos & malos, saltem in natura integra, & quoscumque duxerit eligêdos Dominus coageret, vt causa vniuersalis. Subdit, in his actibus qui disconueniunt voluntati, quasi voluntas præuenit eum: quia, ex quo Deus præcepit contrarios, & bonos voluntati, malos voluntate non produceret, nisi præuenta aliquo modo per voluntatem libere se determinantem ad partem sibi nociuam.] Versus fin. [Ad rationem principij: Deus concurrit ad actus mali substantiam, vt eius bonitatis principalis Author; quem tamen producit, quasi præuentus libertate voluntatis cum producentis, cum qua statuit concurrere in his, quæ voluerit libere elicere in se.] Quod statim in voluntate Iudæorum occidendi Christum repetit Martin. Magistri tract. de fortitud. q.3. de perseuer. agens in solutionibus obiect. ait: *Deum Adamo dedisse principia, qua cum libero arbitrio poterant esse causa perseuerandi sufficientia, sed prosua libertate peccasse.* Almain. 1. moral. c.1. post med. ait: *Alii dicunt. quod, qui agit actum malum Deus non vult illum agere, etiam quantum ad substantiam actus, quamuis agat.* Quod absolute non probat. Eo vero sensu, quem ex aliis retulimus probat, Deum ex propria sententia respondere, *Deum velle non est prauium, sed concomitans, & simul se habens*; scilicet absolutum, quia præuium conditionatum solummodo est, si voluntas velit; quod ipsa voluntatis volitione, qua purificatur conditio, in absolutum simul transit; quare superius dixerat cum Dionysio Cistercienli Dei concursum, & voluntatem absolutam nostra priorem natura, aut tempore non esse. Et c.16. tacitè Ariminensis doctrinam probat: nempe ad actû concursum Dei generalem sat esse; ad bonum vero specialem, quo Deus faciat, vt facciamus requiri: vnde præfinitionem, seu prædeterminationem omnem, vt prauas actiones faciamus, aperte excludit.

10. Maironis in 2.d. 43.q.4. Etsi concedat Deum concurrere ad actionem prauam, etiã cum respectu ad vltimum finis, excusat tamen illũ à culpa, quia causa totalis non est; *quia nia vult pactum tenere: scilicet, quod omni creaturæ existenti in causando, & ad bonũ, & ad malum* ex parte nepe sua indifferenter ad vtrumuis eius potestatẽ complens: quare ab ea potius ad malã actionẽ determinatus, quã determinans. Rupert. Holcoht & si in 2.q.1.art 4. *Illam Deus vult fore tem peccare*, & similis Nominalium (ad quos ex suis Dominicanis iuit) propositiones admittat, cum eis tamen ad

ad indifferentiam diuinæ voluntatis conditionatæ, & concursus generalis determinati à nostra voluntate recurrit vbi hæc speciatim nota: *Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum natura rationali libera, qui tales leges statuit: quod quidquid ipsa velit placet sibi coagere ad illam volitionem; licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem denotatur: itaque, si sortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum, vel si impediret eũ, hoc facit per legem communem.* Inferiuscule: *Potest dici, quod Deus non est causa peccati, quia ista causalis est verè Deus vult sortem peccare, quia sortes vult peccare, & non è contra. Ideo sortes est magis causa peccati, quam Deus; non tamen est maior causa vel melior, seu principaliter, vel potest concedi, quod Deus est summa causa peccati & summè causat; tamen, hoc non obstante, imputatur creaturæ, quod in potestate ipsius fuit Deum esse causam ipsius peccati: vnde eo ipso homo est liber, quia Deus statuit coagẽdo vnicuique creaturæ secundum modũ naturæ suæ: sequitur, quod homo habet in sua potestate facere Deum coagere, & non coagere, sicut sibi placet: quia Deus seruiret hominis voluntati.* Repetit indeterminationibus, q. 11. art. 4. ad 1, & 2. Quibus, & si malo admittat absolutè peccati causam esse: tamen, vt eum à culpa excuset ad determinationem eius à voluntate nostra ad coagendum illi actui determinato, & subiectionem ad humanam voluntatem, in cuius subinde voluntate sit Deum ipsi coagere, aperte Holchot recurrit: ex qua doctrina omnes actionis prauæ præfinitiones, & prædeterminationes diuinas excludit, & absonas illas suas propositiones excludere potuisset. Nicolaus Orbellis in 2. d. 37 circa med. Scoti verbis materialis peccati præfinitiones, & prædeterminationes reiecit, vt vidimus supra. Andreas de Castronouo in 1. d. 22. quæst. 2. ad 2. ait: *Deum velle hunc actum, non velle absoluto simpliciter, & efficaci, nec velle præordinate, sed solo velle generalis influentiæ: quod est tantum velle secundum quid, & conditionaliter: quia quantum est ex se, potius vellet Deus illum actum non fieri; tamen, si voluntas creata vult illum, non vult subsistere suum concursum.* Porrò hanc doctrinam è suæ Scholæ Principe, & Authore Okamo recitati. Nominales ebibere: ipse enim in 1. d. 38. q. vn. post med. ait *Supposita præparatione diuinæ voluntatis ad coagendum, ad hoc voluntatem creatam posse non agere:* & d. 46 quæst. vn. post med. *Deum esse paratum, vt cooperetur ad bonum; nihilominus hominem nolle operari bonum, sed malum:* & in 2. d. 19. ante med. *Non esse liberos eos actus, qui necessariò sequuntur ex primis, quod Deus imprimit Dæmonibus; sed solum alios, qui non ita sequuntur, eisve repugnant, suntque indifferentes, & medij inter necessitatem, & repugnantiam cum illis: vt tentare, vel secus.* Cæteri vero Nominales, etsi de actione praua nihil in specie docuerint; tamen ex his, quæ de indeterminatione voluntatis nostræ à Deo, & determinatione à se ipsa ad actionum nostrarum libertatem requisita docuerunt, q. 6. cert. 2. satis apertè contra actionis nostræ prauæ diuinas præfinitiones, & prædeterminationes militant. Maximè, cum ita pro communi causæ liberæ definitione pugnarint quæst. 7. certam, 3. vt eius inuentores, & Patroni (etsi falsò) vnici, vti eo certam, ostendimus, ab aduersariis referantur.

11. Ex non adeò vetustis Doctoribus Roffensis contra Lutherum art. 36. §. *Edissere*, & sequente, & §. *Ad neutram*, circa articuli med. Ruard. Tapper contra Luther. art. 4. post init. & art. 7. ab init. & subinit. & propositi. 10. aiunt: posito generali Dei influxu, & requisitis omnibus voluntatem ad particulares actus prædeterminatam à Deo non esse, sed posse eligere, & agere, vel secus, hoc ve, seu illud, quod etiam Albertus Pighius 7. & 8. de libero arbitrio docet, vt supra retulimus, & Tapper his locis de potestate voluntatis ad faciendum, vel non faciendum vias suas malas: sicuti Horantius toto ferè lib. 1. locor. Catholicor. præsertim à cap. 45. ad 47. & 49. et. 51. Capitonus explication. Catholicor. part. 1. explicat. 10. & 65. atque explicat. 28. & 30. Docet Deum non impellere ad peccandum, nec positiue duritiem, causare, sed liberum arbitrium: citatur pro aduersariis de captiuit. & redemption. gener. hum. tract. 5. cap. 4. ad 1. cum tamen toto cap. contra præfinitionem & prædeterminationem ad actionem prauam acerrime pugnet: sub cuius init. speciatim hæc nota. *Tradere in desideria non est incitare, aut immittere desideria praua; sed est permittere eos agere secundum sua ipsorum desideria: ita tamen quod desideria illa non expleantur in opere, nisi secundum ordinem diuinæ prouidentiæ.* Subinferius ait: *Deum non ingerere, neque inspirare iniquam voluntatem:* & ad 4. ait: *primaria, & antecedenti voluntate, & quantum ex se est, præoptare, vt omnes bene operentur & viuant, ipsos vero sibi mortis Authores esse.* Item cap. 3. concl. 3. & tract. 4. cap. 2. concl. 1. 2. & 3. & corollar. 5. & part. 5. capitis post med. & tract. 6. cap. 1. part. 1. rationibus 3. & 4. generis, & lib. de concordia grat. cum libero arbitrio cap. 2. p. 2. & c. 3. longe ab init. & lib. 1. de gratia cum libero arbitr. toto tract. 4. & toto lib. 2. maxime tract. 1. ad finem docet: præscientiam, prædestinationem, reprobationem, & operationem Dei nobis relinquere: vtriusque partis potestatem indifferentem: ita, vt iisdem circumstantiis alter peccare, siue actionem prauam eligat, alter secus possit. Vega 2. Trident. cap. 12. ad fin. docet arbitrij libertatem necessitate solutam esse debere. Ad rem vero præsentem speciatim c. 15. habet: *Qua parte liberi sumus ita Deo in nostris operibus cooperamur, vt labi, & deficere pro nostra libertate possimus. Atque ideo omnia operum nostrorum vitia, & omnes defectus iure nobis debent, & non Deo imputari. Nos quippe sumus, qui ad mala opera illius generali concursu abutimur: cum ille perinde, imò multo magis, paratus sit nobis ad bona cooperari.* Inferiuscule: *Ita prorsus nostra peccata non debent imputari Deo, qui auxilio, dumtaxat generali, ad ea concurrit; sed nobis, qui desectimus, & claudicamus ab ipsius lege, atque influxum illius in malum deturquemus, quamobrem, licet nobiscum efficiat actus, qui intrinsecam, & inseparabilem habent malitiam; nequaquam tamen, (vt antiquiores Theologi probe monuerunt,) causa peccati, aut Author peccati censeri, aut appellari debet.* Quibus consonat lib. 6. cap. 7. post med. cap. 8. post med. & circa fin. lib. 12. cap. 21. & de iustificat. q. 11. ad 3. Archiepisc. Colonienf. Enchiridio Christianæ relig. tract. de Sacram. pœnit. c. *Paucis tantum*, circa titulum de confess. fol. 100. *Licet Deus præciuerit hominem casurum, non tamen per hanc præscientiam homini naturale illud donum, quod creando impertit, ademit. Deus enim ita præuidet, ac determinat contingentia, vt non tollat: modum agendi naturæ inditum, sed determinat actiones, sicuti sunt.* Determinare autem pro permittere vsurpat. Subdens continuo: Præuidit Deus Iudæ malam voluntatem: permisit, vt proderet Christum, non coactus, sed voluntarie: & decreuit quomodo Iudam, sic voluntariè peccantem perderet. Non ergo Iudas peccauit necessario.

12. Hadrianus quodlib 3. q. 1. ante med. [Alio modo potest quis credere se à peccatis abstinere non posse; absolutè credendo non posse se abstinere à peccato, aut non posse ad vitandum peccata à Deo sufficiens auxilium impetrare, etiam si fecerit, quod in se est. Et hic error est species infidelitatis oppositæ fidei, ad quam obligatur, credendo Deum iuste, & misericorditer mundum gubernare: Illi enim manifestè repugnat apud vnumquemque sanæ mentis, Deum hominis imputare ad culpam; ad quod vitãdum, nec dedit, nec dare paratus est sufficientem facultatem: homini, inquam, facienti totum, quod in se est, qui error etiam apertè contrarius est Sacræ Scripturæ.] Genes. 4. *Nonne, si bene egeris, recipies.* Et 1. Corinth 19. *Fidelis Deus, decretali cuidam, & Hieronymo.* Repetit quodlib. 7. q. 1. circa fin. folut. argumentor. & in 4. sentent. tract. de Sacram. Pœnit. q. *An hominis semper maneat facultas vere pœnitendi?* Et quodlib. 7. q. 1. circa finem ad id Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, &c.* Ita discutit. [Erat hinc Cain in statu damnationis, & mortalis culpæ: ergo in quocũque statu fuerimus, siue gratiæ, siue damnationis sub nobis est, sub potestate nostra, & dominio appetitus peccati, & nos dominamur illius. Idem videtur manifestè voluisse Apostolus Corinth. 12. Non patietur vos tentari supra id, quod potestis.] Michaël Palacios in 2. d. 37 d. sp. vnic. ad 1. (consone sibi d. 25. disp. 1. init.) ait: [Deum ratione influxus sui in actionem prauam nostram peccati causam non esse: quia Deus res, quas condidit, sic administrat, vt eas proprias functiones pro sua sapiẽtia

sapientia agere sinat. Adde etiam hanc diuinam assistentiam, seu concursum, tametsi non habeat homo in sua potestate; & tamen illi paratissimus, vt operetur, quando volet: ideo plenam habet potestatem liberum arbitrium.] Delphinus lib.4. de liber. arbitr. pag.171. [Ista causa à priore causa & superiore adiecta posset actui suo rectitudinem exhibere, quam tenetur dare, ac minime præbet. Prima vero causa, nimirum Deus, quamuis dare actui suam rectitudinem non teneatur; daret eam tamen, quantum in se est: si humana voluntas Deo vocanti, & ostium pulsanti consentiret. Vniuersaliter enim; quidquid Opt. Maxim. Deus alicui præbet antecedenter (hoc est quantum in se est) daret etiam consequenter, (hoc est reuera, & efficaciter,) nisi humanum liberum arbitrium dissentiendo poneret, atque obiiceret impedimentum.] Pluribusque ostendit repugnare Deum aliter ad actum peccati concurrere. Herrera in 2. sentent. Scoti tom.2. disp.38. quæst.3. notab.6. versus fin. ita ex Scoto Deum à causando peccato liberat. [Quod vero Deus, etiam si non teneatur ad ponendam rectitudinem in actibus liberis voluntatis creatæ; eam tamen apponeret, quantū in se est, nisi ex parte liberæ voluntatis creatæ inueniat impedimentum. Probatur: quia omnia, quæ Deus dat antecedenter alicui, daret etiam illi consequenter, nisi ex parte illius inueniret aliquod impedimentum: sed Deus dando libertatem voluntati creatæ, & auxilia, sufficientia, & leges, & præcepta quibus ducta rationi posset se cōformare, causauit antecedenter rectitudinem in omnibus actibus liberis creatæ voluntatis: ergo quantum est ex se causaret de facto rectitudinem in eisdem, nisi in voluntate, (quæ est propria causa deficiens eorum) inueniret indispositionem, & impedimentum.] Consonat. q.6. notab.6.9.& 11.

13. Marc. Anton. Natta lib. 12. de Deo ab initio Deum eadem ratione à causando nostro peccato liberat: quia de se sufficienter homini de mediis, quibus illud vitare posset, prouidit: quare per hunc, non per Deum stat praua eius operatio. Speciatim legendus pag.6.& 7.Bellarmin.tom.3. toto lib.2.de amissione grat.& statu peccati contra præfinitiones, & præmotiones Dei nos ad actiones prauas prædeterminantes acriter pugnat: & cap. 4. post med. confutat solutiones ex optimi finis intentione, & immunitate à lege, & obligatione, quo minus Deus prauas actiones præfiniens, atque determinans causa peccati, & sit, & habeatur, cap.5. notat ad culpæ imputationem non requiri malitiam ipsam eligi à peccante. Vnde Deum peccati authorem & peccatorem, si actionem prauam præfiniat, seu prædeterminet, fore concludit: & §. *iam igitur*: sub init. ait: *Causa peccati non erit Deus, quia concurret influxu quodam vniuersali, & indifferenti ad hanc actionem, & ad contrariam: ac per hoc non erit talis actio in specie, quia à Deo, sed quia ab homine prodit: & tota culpa erit hominis, qui concursu Dei abuti voluit ad istam actionem, cum ad aliam bene vti posset.* Et § sequenti, *Quod si Deus non solum vt causa vniuersalis ad eas actiones, mala quæ sunt, concurrat, sed etiā vt causa particularis, eas, vt tales sunt in specie intēdat, easque imperet, vel ad eas hominem impellat, vel per homines, vt per instrumenta actiones illas in specie efficiat, nullo modo intelligi poterit, quemadmodum Deus ipse non peccet.* Repetit eo cap. & c.18. duab. columnis postremis. Azor. tom.1. institut.moral.lib.4.c.22.q.1.§.vlt.& cap.vlt. præmotionē determinantem, quare & præfinitionem ad actionem prauam reiicit, & Clarius cap.2. quæst.2. & 5. cap.20. q.16. & alibi. Henriq. tom.2. lib.vlt. de fin. hom. cap.5. §.3.& in Glossa, & cap.15. fine ait, Deum nec præfinire, nec excitare, nec inclinare, nec prædeterminare voluntatem ad actionem peccaminosam. Fusius Molina in concordia, d.29. & 1 p.quæst.14. à d.5. Soar. lib 2. de auxil.Vasq.1. part. d.99. cap.4. à num.20. sibi consonans 1.2. d.38.39. 189. cap.15. ac minime dissonans 1.2. d.129. cap.7. & 8. vbi solum ait: Deum non esse causam moralem peccati, etsi ad eius actionem physicè concurrat, quia nec præcipit, nec incitat, aut instigat ad illam, sicuti cæteri Scholastici respondent: in qua solutione præfinitionis, & prædeterminationis diuinæ ad materiale peccati exclusio potissimè continetur. Adde Ioannem de Salas 1. 2. tom 2. tract. 13. d.10. sect.2. num. 36. Lessium cap.5. Apolog. Dicatalleuium opusc. de concursu Dei c.7. post oppug.4. pag 91. Didacum Ruiz de Montoia de volunt. à d. 26. ad 51. inclusiuè, Paul. Leonard. sparsim in suis responsionibus. Borrul d.12. de scient. media per totam, & vno verbo reliqui citati quæst.5 4.& 6. contra actionum liberarum præfinitiones vniuersim,& q.7.cert.3.pro communi causæ liberæ definitione statuenda.

QVÆSTIO II.

Liceantne per Sacram Scripturam ad materiale peccati præfinitiones prædeterminatiuæ?

QVAM fuerint præfinitiones ad materiale peccati prædeterminatiuæ Theologis ferè vniuersis odiosæ, ostensum hucusque à nobis est: communis huius in eas odij causæ & fundamenta sunt deinceps cum ab authoritate, tum à ratione erant inuestiganda, & primum à Scripturæ testimoniis, quæ præcipua Theologiæ Catholicæ loca & fundamenta sunt.

CERTAMEN I.

Præfinitiones prædeterminatiuæ ad materiale peccati Sacræ Paginæ videntur aduersæ.

1. ITa præfinitiones hasce totum caput Eccles.12. maxime à num.11. apertè refellit, vt vix commentario, aut discursu ad inde confutandas opus habeamus. Sic coniunctum ad inde confutandas opus habeamus. Sic coniunctum numero impium à sapientia, seu Sanctitate, & iustitia deficientem Ecclesiasticus alloquitur: *Non dixeris, per Deum abest*: iustè operari: *quæ enim odit Deus ne feceris.* Atqui si Deus præfinitionem iustæ operationis, aut omissionis legi, & iustitiæ conformis, (quam necessariam per hos ad iustam legique conformem operationem aut omissionem à nostra libertate independenter omnino,) non apponat; imò verò apponat præfinitionem independenter à nostra libertate ad materiale peccati, seu, vt legi difformiter iustitiæque ex nostra libertate, vel omittamus actum præceptum, vel operemur prohibitum per Deum, certò & apertè aberit, non autem per nos, qui aliter, vel operari non possumus ex arbitrio nostro, vel omittere: ergo huic textui præfinitiones prædeterminatiuæ ad materiale peccati, siue ad actum, vel omissionem, provt à nobis, apertè repugnant. Secundæ item textus huius parti haud obscurius repugnant: *quæ enim, inquit, odit Deus ne feceris*: ergo actiones prauas, legique aduersas, (& idem de omissionibus est) odit Deus: ergo eas efficaciter non præfinit, quæ enim efficaciter fieri à nobis vult, ex parte etiam sua, nequit absque repugnantia fieri à nobis, factave, vt ipse voluit, verè odisse: cum autem his verbis adhortatio Dei ad nos contineatur, ne faciamus, seu operemur contra iustitiam ac legem: ad id esse protulum dubio debet, quod in nobis, nostræque potestatis est, vel agere vel omittere; atqui solum est in nostra potestate ponere materiale peccati siue physicum actus prohibiti, qui provt à nostro arbitrio, materiale peccati est, non autem eo posito malitiam formalem (in quocunque ea consistat) poni in illo, vel non poni: cum necessario atque ineuitabiliter (etiam à Deo) actus positionem consequatur: ergo ad actum prauum, provt à nobis, seu ad materiale peccati non apponendum nos Ecclesiasticus adhortatur. Tum sic adhortatur autem, quia illud odit Deus: ergo materiale peccati, siue actum provt à nobis, odit Deus, ac proinde illud nec efficaciter velle, & præfinire Deus potest. Pergit textus num 12. *Non dicas ille me implanauit*: id est deiecit ad terreos affectus, quibus à iustitia caderem ecqua verò implanatio ad eiusmodi affectus, & operationes prauas, atque lapsum à iustitia maior, quam præfinitione,

præfinitione, vt ij à nobis, hic, & nunc apponantur, & fiant? neque enim aliter homo se implanat, implanareve, & à iustitia labi, ac decidere vllo pacto potest ex arbitrio suo, quam actum prauum, hic, & nunc, atque in his circumstantiis, physicè apponendo. Addit: *Non enim necessarij sunt ei homines impij*: vt actiones prauas, quibus sint impij, & ex fine vllo vel satisfaciendi muneri causæ primæ, vel quouis alio velit, nedum efficaci sua præfinitione faciat actus prauos apponi, quos odit, vt dixerat, & repetit statim vers. 13. *Omne execramentum erroris odit Dominus.* Tacitæque obiectioni, quod ni Deus aliquid esse velit, esse illud nequeat, (vt S. Petro Simon Magus obiiciebat verbis datis q.1.cert.1 n.1.) adhibet solutionem, vers.14. quia scilicet hominem, quem rectum creauit, *posuit in manu consilij sui*: id est sui arbitrij, & ad vtrumuis potestatis, & ante illum bonum, & malum, vitam, & mortem: quare malum, siue prauum actionem ex eius potestatis abusu eius voluntate apponi, non diuina, quæ solum ea ab ipso fieri permittit, vt ipsi libertatis iura seruet: quæ aperte materialis peccati præfinitiones prædeterminatiuas excludunt.

2. Sed quæ adnectit vers. 15. plura Scripturæ loca contra has intruunt præfinitiones: *Adiecit mandata & præcepta sua*: ex quo loco atque semel discursu, qui singulis eis locis otiosè repeteretur; etenim leges, & præcepta omnia de actionibus sunt, quæ illis prohibentur fieri, vel fieri præcipiuntur: quorumque hic, & nunc posita lege, vel præcepto physica à nobis, vel omissio, vel positio, materiale peccati est, siue omissionis, siue commissionis, v. g. *Non occides*: *Festis diebus otiaberis*. *Deque vacabis* pro indicto ab Ecclesia moderamine & similibus quæ materiale peccati physicamve positiuam nostram actionem vel omissionem in his circumstantiis hic, & nunc prætergrediuntur: ergo implicat cum lege, vel præcepto actionis illius, vel omissionis physicæ à nobis præfinitio Dei de actione, vel omissione physicè à nobis apponenda, siue, vt à nobis hæc actio fiat, vel illa omittatur; seu quod idem est præfinitio materialis peccati nostri à Deo cum lege & præcepto repugnat: quare, vel nulla sunt præcepta, & leges contra sacram paginam, vel nullæ sunt materialis peccati præfinitiones. Probatur consequentia primo: quia nequit esse vera lex, & præceptum, absque vera, & seria voluntate Superioris ex parte sua, vt fiant à subditis, quæ præcipit, ac non fiant ab eis, quæ prohibet: Si enim eam voluntatem seriam ex parte Superioris abesse certo subditis constet, eos legibus, & præceptis non teneri, nec præcepta, & leges illas perfunctorias solum esse, non veras, dubium est: atqui cum voluntate efficaci diuina, & præfinitione Dei, vt hic, & nunc hæc actio à nobis fiat & illa hic & nunc omittatur implicat seria, ac vera Dei voluntas, vt hic, & nunc illa actio à nobis fiat, & illa omittatur: ergo cum præfinitione ista diuina materialis peccati, siue, vt illa actio à nobis hic & nunc fiat, & illa omittatur implicant ea vera ac seria præcepta, quæ à Scriptura afferuntur. Probatur secundo, voluntas seria, permissiua adhuc, nec solum potestiua efficax, Superioris ex parte sua, (cuiusmodi est materialis peccati præfinitio,) vt actio subdito præcepta ab eo non fiat, vel ab eo fiat prohibita, est dispensatio, & abrogatio legis, & præceptis vi, quo ad illas subditi actiones, vel omissiones præceptas, & cum qua præcepta, & leges illæ, quoad eas actiones, vel omissiones perstare reputantur, perindeque sunt, ac si non essent, ac fuissent: atqui præfinitiones ad materiale peccati sunt voluntates efficaces Dei legitimi Superioris, & potestatis summæ, ex parte sua, vt actiones illæ omnes, quæ nobis sonant præceptæ, vel prohibitæ, aliæ à nobis fiant aliæ à nobis non fiant, vel omittantur: ergo leges, & præcepta omnia præfinitionibus ad materiale peccati euacuantur prorsus, & euanescunt, sintque, ac si non essent, nec fuissent: quare & præfinitiones istæ ad materiale peccati veris præceptis & legibus à Scriptura hoc vniuersim loco, aliis vero pluribus singulatim affertis apertè repugnant. Confirmatur, quia non solum expressa voluntas Superioris seria deprehensa, vt hic, & nunc actio, vel omissio alias nobis præcepta, vel fiat vel omittatur, sed prudenti solum coniectura Epikeia, ac interpretatione à nobis collecta, & indagata præceptum de oppositio debilitat prorsus, & euacuat: Denique imprudentissimus, ac plane demētissimus Princeps, & Legislator ille esset, qui aliquid vel præciperet subditis, vel prohiberet, sciés se illis in omnibus, & singulis occasionibus vel dispensaturum necessario esse, vt prohibita agerent, vel præcepta omitterent, nedum sciens se efficaciter volituru, atque ab ipsis irresistibiliter præfinituru, vt ita agerent, vel omitterent: atqui admissa necessitate diuinarum præfinitionum ad materiale peccati, scit Deus se non dispensaturum modo, sed voluntate sua efficaci à nobis irresistibili præfinituru per singulas, & omnes occasiones à nobis fiant cuncta, quæ prohibet, & omittatur cuncta quæ præcipit: Ergo dementissimè, & præfinitionum suarum necessitate admissa, legibus ac præceptis suis præciperet aliquid, aut prohiberet: ergo præfinitiones ad materiale peccati legibus, ac præceptis à Scriptura assertis aperte contradicunt, & repugnant: vt hoc argumento proposuimus demonstrandum.

3. Arguo tertiò ex illo Isaiæ 30. *Væ filij desertores dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & operiremini telam, & nō per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum*, & Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me.* Primo enim *filij desertores*, actionibus suis falsò dicerentur, si à Deo, eiusque necessaria præfinitione, vt rectè agerent vel omitterent, imò, vt male agerent præfinitione, & efficaci Dei voluntate independenter prorsus à suæ libertatis vsu prauo; siue abusu deserti prius sunt, vt supra expendimus num. 1. initiò: imò, quo iure Patris desertores Filij à Deo appellari possunt, qui ita agunt, vti ipsæ fieri ab ipsis efficaciter vult, & ab ipsis irresistibiliter fieri præfinit, ac proinde eius voluntati in eis actionibus & omissionibus obsequuntur? item de suis cōsiliis, & ordiendo telam actionum suarum, & regnandi, (quæ dubio procul materiale peccati sunt,) ex se esse Deus negat: vbi volūtates efficaces suas, siue præfinitiones materialis peccati, siue, vt ab eis fiant, expressè negat: & id quidem aduersariis fatentibus, qui, & si formale peccati ex Deo esse negent, aſt materiale peccati siue actiones prohibitas, vt à nobis factas ex Deo, & quamquam causa, esse affirmant, neque vllatenus possunt negare: quod si dicant: Deum non negare actiones illas, etiam, vt à nobis fiunt, & materiale peccati sunt, ex ipso volente efficaciter, & præfiniente, vt ita à nobis fiant; negare tamen ex ipso, vt præcipiente vel adhortante, vt consulente solum. Vti Hierem. 19. dixit: *Ædificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi neque locutus sum* Respondebunt sane, quod nouatores hæreticè de præfinitionibus diuinis ad materiale peccati dogmatizantes eis, & similibus Scripturæ locis respondent, neque tamen à Catholicis audiuntur, neque à Concilijs, vt eorum dogma de eiusmodi præfinitionibus non damnetur: quod insuper refutatur, verbis immediatè sequentibus hisce: *Neque ascenderunt in cor meum*, id est voluntatem, saltem & iudicium, & consilium aliquod approbans, iuxta Scripturæ phrasim vulgatissimam. Marci 2. & Lucæ 24. *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Et illud, *vt quid cogitatis mala in cordibus?* & aliis in veteri, ac nouo Testamento sexcentis eademque phrasi id ipsum Hispanè, quod voluntati nostræ minimè placet, sed potius valde aduersatur ita explicare solemus. *No me pasa, ò a pasado por el pensamiento hazer que se hoga tal cosa*: ac proinde loci Hieremiæ sensus est: *Vt ædificaretis excelsa Baalim, neque præcepi neque consului, sed neque cogitaui, nedum volui*: Cum autem excelsorum illorum ædificatio à Iudæis, vt ab eis, materiale solum, non autem formale peccati, siue superaddita malitia, (vndecumque) sit, eo loco omnis Dei voluntas ex parte ipsius, seu quatenus ex ipso est, nec solum efficax, ad materiale peccati, vt à præfinitoribus asseritur, omnino à Deo ablegatur.

4. Quarto: Deus nullo modo inducere, suadere, tentareve nos ad prauas actiones potest: ergo neque eas præfinire, vt à nobis fiant: ac subinde ad illas nos prædeterminare. Patet consequentia: siquidem irresistibili à nobis, & ineuitabili præfinitione Dei, & physica prædeterminatione, vt operemur, fortius longe, ac vehementius, ac insuperabilius inducimur, impellimur, adigimurque, vt actus apponamus prauos, vti à nobis apponi præfinitum à Deo est, quam alio quouis modo tentationis inductionis, & malesuado consilio, & instigatione, & tentatione, siue à dæmone, siue à concupiscentia nostra falsove amico. Antecedens constat ex illo Ecclesiastici 15.

Non dicas ille me implanauit: Siue, vt Augustinus legit de gratia & lib. arbitrio cap.2. *induxit* 1. ad Galatas 4. *persuasio hæc.* (de circumcisione eiusque necessitate Christianis) *non est ex Deo, qui vocauit vos* Iacob 1. cap. *Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator distentator* (vt sic dicam) *malorum est: ipse autem neminem tentat.* Scilicet noxia tentatione inductionis, secus vtili probationis, vt sæpe Augustinus ait de bono perseuer.cap.6. post med. de consensu Euangelist.c.30.ante medium quæst.5 7.in Genes.& 4. Hyponost. vers.fin.glos. Beda & S.Thom.in eum locum. Dices tentationem, & inductionem moralem solum & intentionalem obiectiuam per intellectus propositionem esse; non autem physicè impulsiuam, quæ in Dei præfinitione, & physica prædeterminatione ad actum prauum est; Sed contra quia subdit Iacobus: *vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua*, cuius impulsio, non intentionalis, & suasoria per cognitionem est, sed physica actiuitate, & influxu. Secundò, quia qui licite potest aliquid efficaciter intendere, potest licite velle dare media ad illud, dummodo ex fine prauo alio non vitiet horum voluntatem; vt non vitiaret in suasione, moralique inductione, & consilio operis praui ad quod illa media sunt, ac proinde suggestor & moralis inductor licitus,& tentator ad prauum opus esse posset, si posset hoc à nobis intendere, & efficaciter præfinire: quod blasphemum esse aiebat Petrus Apostolus apud Clem.Rom.5.Recog. post med. Simonem Magum his confutans; *imò, inquis, quidquid cogitamus Deus nobis adducit ad mentem quid agitu ô homines? blasphematis.&c. Ipse ergò nobis cogitationes adulteri suggerit, & auaritiæ, & blasphemiæ omnisque luxuriæ desinite quæso ab huiusmodi blasphemiis.* Præcluſa inde manet Recentiorum aliquot solutio, vt Deum à causalitate peccati excusent, & à malitia tentatoris. Aiunt enim causam moralem, quæ per consilium, & suasionem est, attendere debere ad inconueniens annexum actioni, cuius causa est:secus causam physicam,vti est Deus prædeterminatiuè præfiniens materiale peccati; sed ostendimus Deum, si ita præfiniat, causam consulentem, & suggerentem esse vel saltem posse. Secundò,quin ignem applicat domui combustionis eius causa physica, ac non moralis est, & tamen tenetur de incendij culpa annexa:ergo vana est ea distinctio. Item potest quis consulere actum coniugalem ad filiorum susceptionem, quorum generationi annexa est originalis culpa: nulla ergo ex parte causandi, vel suadendo, vel physico influxu & actione differentia, vt moralis causa, & cui annexum malum tribui debeat,censeatur; sed tantum, an alterutrum in fluxum in actionem præbere debeat:& annexum ei actioni malum per se sit,an solum per accidens;neque, vt proprius eius fructus, & coniugali generationi contingit, vt recte August.3. contra Iulianum cap.9. respectu Originalis peccati dicens:*Non est fructus corporum, & sexuum commixtionis, quorum bonorum author est Deus; sed prima præuaricationis, cuius author est diabolus.* Cum ergo,& actioni prauæ per se,& vt proprius fructus, malitia, & peccatum annexa necessariò sint: & ad eam physicè præfinitione prædeterminatiua apponendam, ne ex munere quidem causæ primæ teneatur Deus, vt vidimus sæpè,ac videbimus: physica etiam eius causatione moralis causa annexæ malitiæ & peccati, & cui, vt tali,imputentur erit Deus: sicut imputanda docet Augustinus originalia, si corporum (quorum causa physica Deus est) illa fructus essent.

5 Dices secundò: ea intelligenda esse non de inductione, & tentatione ad materiale peccati, seu prauas actiones physicè à nobis ponendas, sed solum ad formale, seu malitiam moralem earum. Contra primo, quia reliquo capitis, & ferè epistolæ totius enumerans ea, ad quæ à dæmone, atque concupiscentia tentamur, atque à Deo tentari & induci nos negat, solas actiones prauas recenset, iras, contentiones, lites, multiloquia, murmurationes, & similia: & quidem nil aliud à nobis concupiscentia Diabolusvè suis tentationibus, & malesuadis cogitationibus obtinet, suadetvè, quam, vt actio prohibita à nobis fiat, vel præcepta omittatur. Dices tertiò, ad propriam tentationem,& inductionem ad peccatum requiri, vt materiale peccati suadeatur, ad idque instigemur, & inducamur ab aliquo ex intentione malitiæ, seu formalis peccati, vt à dæmone inducimur, & tentamur;quod fieri à Deo nequit. Contra tamen. Quia concupiscentia, à qua tentari, inductique nos ad peccatum Iacobus ait, malitiam formalem non intendit; nec amasij, qui mulierum tentant,dubio procul, pudicitiam, aut pellices etiam perditissimæ, quæ viros ad venerem tentant, inducunt, & pelliciunt, aliquid ab eis malitiæ moralis expressè præter actus venereos intendunt; tamersi, quia eis annexa inseparabiliter malitia moralis est virtute, & interpretatitiuè eam velint. Item, si ea intentio ad propriam tentationem, & inductionem requiritur, neque Eua Adanum, neque Ægyptia Domina Iosephum tentauit; siquidem Eua esum; hæc vero congressum venereum prohibitum, non autem malitiam suasionibus suis intenderunt.

6 Tertiò si, tam hæ, quam alij omnes, qui homines ad actiones malas solicitant, inducunt,& tentant ad peccatum absolutè tentare, inducereque absolute dicuntur, quia ea à nobis fieri volunt, & suadent, quibus connexa inseparabiliter, & ineuitabiliter malitia moralis est: ac proinde eorum voluntas, & suasio expressa, malitiæ illorum virtualis est, & interpretatiua voluntas, & suasio: ergò, & Deus præfiniens, ac, non vtrumque, sed efficaciter, volens materiale peccati, siuè vt actionem prauam esse, & vt actiones prohibitæ à nobis fiant, quibus ineuitabiliter malitia moralis annexa est, ad malum & peccatum nos potentissime, & irresistibiliter absolutè contra Iacobum, & testimonia tentaret, illudque absolutè vellet, atque, vt benè Caietanus, voluntate illa interpretatiua virtualis; satis esset, vt peccatum absolute intendere diceretur: cum nec nos ipsi cum peccatum proprium velle, intendereque dicimur, aliter,quam virtualiter, & interpretatiuè malitiam, volitione expressa, & formali actionis prauæ, seu materialis peccati cui annexa ineuitabiliter malitia est, intendamus ac velimus: egregiè igitur Beda his Iacobi locum commentatur. *Nemo, cum rapinam falsum testimonium, homicidium, vel catera huiusmodi* (quæ purè materialia peccati sunt) *commiserit, dicat, quoniam Deo cogente necesse habuerit hæc patrare: ideóque nullatenus horum effectum declinare potuerit.* Ac si dicit: non aliter Deum tentarem non esse posse atque à Iacobo dici,sisi ab eo inductionem omnem maximè necessitantem nos ad materiale peccati ab ipso remouendo. At inquies: si tentare nos Deus nequit, cur à Christo Domino orare Patrem docemur, *ne nos inducat in tentationem*, stolide enim ne faciat petimus,quod fieri ab ipso nequit, Hæretico solum digna oppositio, qui Deum tentatorem peccatorum contra statutum dogma tenter asserere. Respondit tamen August.6. de bono perseuer, hac eius loci periphrasi. *Ne nos inferri sinas; vnde sic orant nonnulli, & legitur in Codicibus pluribus, & hoc sic posuit B.Cyprianus, ne patiaris nos induci in tentationem.* Confirmatur argumentum ex 1. Corint.13. *Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari* (ab alio adhuc) *supra id,quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*, qui ergo Deus, qui vt fidelis Deus, id est fidus hominis adiutor fit, nè ab hoste vincatur tentationem ab alio vltra eius inferri vires non patitur ac proinde vires ad resistendum auget pro magnitudine tentationis nos ad materiale peccati, ad quod solum in tentatoribus aliis directe inducimur,præfinitione prædeterminatiua inducet, aget, atque à nobis irresistibiliter impellet, quin filii adiutoris nostri muneri deficiat, ac non tentator præcipuus noster, & hostis habeatur.

7 Quinto arguo ex 1.Ioan.2.num.15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hæc autem omnia prauam voluntatis affectionem solum continent, vt pater. *Quæ* (subdit) *non est ex Patre, sed ex mundo est:* esset autem ex Patre Deo si eas nostras actiones prauas, & affectiones ipsas Deus præfiniret, vt à nobis fierent, atque, vt ita fierent nos irresistibiliter ex præfinitione efficacique sua voluntate prædeterminaret. Confirmatur ex Ioan 8. vbi Christus Dominus. *vos facitis opera Patris vestri*, quæ autem ea opera,& Pater, cuius

sunt explicat, *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vultis facere; nam & ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, qui mendax est, & Pater eius.* Nempe mendacij: atqui homicidium & locutio mendax, quæ ex Patre Deo esse, & causari negat; atque ex Patre diabolo esse, & causari affirmat, actiones prauæ & materiale peccati sunt: ergo & hoc negat à Deo causari, ac præfiniri, & num 47. *qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, & citata epist. 1. cap. 3. num. 7. *qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille* (Deus) *iustus est: qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat*: ac deinceps, præsertim à num. 11. peccati, quod ex diabolo est, exempla subdit, in odio fratricidio Cain, atque omissione succurrendi fratri indigenti, ne ipsum de formali, ac non de materiali peccati locutum interpretari posses. Iacobus rursus cap. 3. num 13. [Si quis sapiens, & disciplinatus inter vos ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ; quod si zelum amarum habuerit, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, & diabolica:] vbi materialis peccati, seu prauarum inter homines affectionum, & actionum, bonæ, quæ ex Deo est, oppositam inter homines conuersationum faciunt, solum meminit, easque ex Deo siue de sursum descendere negauit, deorsumque solum, atque ex dæmone prouenire: quare & negat expressè à Deo præfiniri. Denique præfinitio, & prædeterminatio ad materiale peccati, & ipsa semen est; vnde materiale peccati, & subinde formale necessario, & inuitabiliter succrescit: ergo Deus præfiniens prædeterminatiuè, ac prædeterminans materiale peccati præfinitione, & prædeterminatione sola voluntatis nostræ ad illud ponit semen formalis, seu malitiæ peccati citiusque & proximiùs ponens in voluntate, & causans materiale peccati ad quod (si verè ab eo differt) immediate, & proximè ineuitabiliter necessario malitia consequitur. Ponere verò Deum quouis gradu semen peccati expressè est contra veritatem Catholicam à Christo Domino expressam, & explicatam parabola illa Zizaniorum Marci 13. vbi serui, annuente Patrefamilias Deo, bonum tantum in agro suo voluntatis nostræ & boni fructus semen seminasse ipsum dicunt verbis illis: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* quia nimirum nihil zizaniorum, cum semine bono à Patre seminatum erat; sed bonum ac purum viderant seminare; nec inimicum hominem zizania illis dormientibus, vt accidit, seminantem potuerant videre. Respondit autem Paterfamilias: *inimicus homo hoc fecit*, idest, diabolus, vt ibi Patres, & interpretes intelligunt: ergo dogmatica parabola contextu explicato præfinitiones prædeterminatiuè ad materiale peccati aduersantur.

8. Sextò argumentor ex illa sententia Oseæ 13. n. 6. *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Scio in textu Hebræo, vt venerabilis noster Gaspar Sanchez obseruat, non legi in secunda parte particulam *tantummodo*, sicuti nec in Codicibus aliquot illud *ex te*; sed eis tamen reiectis lectoque absque eis textu, *Perditio tua Israel, in me auxilium tuum*, eadem sententia perstitit: nempe tibi perditionem debes mihi autem auxilium, quæ tamen eis positis à vulgata vitiidius antitheſi, quam faciunt, proponitur, & explicatur. Scio item perditionem Israëlis de qua, seu potius, cuius occasione ea sententia prolata à Deo per Oseam fuit esse perditionem cladis Israëli in Idololatriæ pœnam inflictæ: neque in litteræ cortice de perditione per peccatum ipsum formaliter allata esse sermonem. Verùm, si idololatria, quæ ea puniebatur clade, non ex Israële solum, sed ex Deo etiam præfiniente, & prædeterminante ipsum ad illam esset, neutra sententiæ pars vera foret. Siquidem & supplicia in delictorum suasores, & inductores meritò à delinquentibus querulè refunduntur, *per vos me veo yo assi: Hispanè* dicunt, quod latinè, *vestri causâ & monitu, diceret.* Neque auxilium tantummodo vt eam cladem vitaret Israëli ex Deo fuisset & sanè, etsi eius pœnæ, & cladis temporalis particularis occasione, generalis sententia (vt sæpe in scriptura solet) quæ cladem spiritualem peccati amplectatur, prolata ibi à Deo est, vt egregie Cornelius noster à lapide ad eum versum interpretatur; quare, & ea generalitate communiter ea sententia à Patribus, & Theologis accipitur: quemadmodum, & illa Pauli ad eos, qui ipsa, vel Apolline, ad contentiones, Magistro gloriabantur, *quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quæ, etsi ea occasione, & particulari materia, de Magisterij vnius præ altero discretione, dicta ab Apostolo fuerint, tamen generaliter de discretione omnium beneficiorum Dei vniuersim, ac subinde de discretione prædestinatiua prædestinati à reprobo dicta à Patribus & Theologis censetur, & accipitur. His vt Theologos decet, pro litteræ, & sensus rigore positis sic arguo. Admissa Dei præfinitione, & prædeterminatione ad materiale peccati, siue ad prauam actionem prout hic & nunc in his circumstantiis apponenda nobis est, perditio nostra, non ita ex nobis omninò erit, vt non sit primo, & principaliùs ex Deo prima causa ad illam præfiniente, prædeterminatiuè, à nosque irresistibiliter impellente, ac necessitante, vt perditionem spiritualem, velimus, nolimus, peccati apponimus: ergo prima illa sententia *perditio tua ex te*, præfinitione prædeterminatiua Dei ad materiale peccati falsificatur. Clarius autem (si clarius potest) euacuatur veritas sententiæ eius loci secundæ. *Tantummodo in me auxilium tuum.*

9 Compara enim impulsum auxilij nobis à Deo præstiti, vt materiale peccati, ac subinde eius malitiam, vna, eademque indiuisibili actione ac determinatione (damus enim præfinitione posita prædeterminationis ius nobis, & potestatem relinqui, quod implicat) non apponamus, cum impulsu, & motione præfinitionis prædeterminatiuæ, vt materiale peccati, siue actionem hic, & nunc, atque in his circumstantiis prauam apponamus, auxili siquidem ab ea nos retrahentis motio, & impulsus intentionalis solum, & suasorius, & solicitatiuus est, nusquam adigens, vt actione abstineamus; sed qui non solum de facto ab ea nos retracturus non sit; sed qui præfinitione prædeterminatiua adstante ab eiusmodi actione præfinita nos retrahere absolutè nequeat. Contra verò præfinitionis prædeterminatiuæ vt eam apponamus actionem motio, & impulsus actiuus physicè est ad illam nos, vtcumque, impellens, & agens, sed adigens, determinans, atque necessitans irresistibiliter. Cum autem longè adeo potentior, & fortior impulsus, & motio hæc ad actionem prauam præfinitionis prædeterminatiuæ motione auxilij retrahentis ab illa sit, atque eiusmodi præfinitio ex Deo, & in Deo nobis adsit perditio nostra in Deo nobis, potiusque ex Deo, quam auxilium erit: quare *tantummodo in me auxilium tuum* admissa præfinitione prædeterminatiua ad materiale peccati falsò prorsus à Deo dicetur. Nec præstat eo loci de perditione per formale peccati solummodo agi, quæ actioni, vt à nobis, non vt à Deo est conuenit. Tum quia ex num. 2. eius capitis constat de materiale peccati idololatriæ, nec de formali per se sermonem: vbi. *Fecerunt que sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est. Hu isti dicunt, &c.* Secundò, quidquid nostra consideratione eis actionibus prohibitis addatur, agnoscaturque malitiæ, non aliter à nobis, nisi appositione earum à nobis hic, & nunc à nobis apponi, essève ex nobis potest: quod si, vt à nobis, & ex nobis apponatur à Deo primo & principaliter præfiniente, prædeterminante, ac præmouente irresistibiliter est, ex Deo tandem, atque à Deo malitia ipsa subinde erit, vt sæpè diximus, fusiusque deinceps à ratione agentes ostendemus. Quare distinctio illa, prout à nobis, non prout à Deo actio praua, seu materiale peccati prouenit, malitiam induci, si solum comitanter Deus concurrat, & influat, verissima, & apertissima est, secus autem, si præuiè præfiniat, ac nos, vt ipsam ex parte nostra apponamus determinet, atque irresistibiliter præmoueat: tunc enim actio illa, etiam prout à nobis, in Deum tandem, ac subinde eius agrata malitia refundi necessario debet, vt contendimus, & ostendimus.

10 Septimo contra præfinitionem ad materiale peccati siue ad actionem prauam vt à nobis faciendam militant innumera scripturæ loca, quibus impij quique desertores ac desertores Dei ab eoque recedentes, & recessores

recessores dicuntur. Duo dedimus loca num. 1. & 3. Eccles. 15. & Isai. 30. reliqua omittimus breuitatis ergo, quia plurima, & quia non aliam vim contra eiusmodi præfinitionem continent, sed prorsus eandem quam ipsam continent etiam innumera Scripturæ testimonia, quibus, vt ad eam conuertamur accedamusque nos Deus hortatur, enim recessus, accessusque peccatoris hic ad Deum, & à Deo physicus, & localis non est: quomodo nemo à Deo abscedere, quare neque ex libertate sua accedere potest: ergo solum potest esse affectiuus, quatenus impius affectu suo prauo, ex se, & libertate voluntatis, & arbitrij sui à Deo, eiusque voluntate absoluta, & absolutè tali recedit: ast præfinitione prædeterminatiua ad materiale peccati, siue, vt affectiones, & actiones prauæ à nobis habeantur hic & nunc ac fiant, admissa, nequit impius vllus ita affectiuè Deum deserere ab eo vt recedere, nec si ab eo abscederet magis accedere, & ad eum conuerti, quam proxime ei affectiuè fuerat, cum affectione & actione praua recesserat: ergo ea præfinitione admissa eorum omnium locorum veritas euacuatur. Minor probatur: quia præfinitione materialis peccati, siue vt à nobis actio praua, & prohibita fiat, ponitur Dei voluntas & effectus efficax, vt ita à nobis fiat: ergo cum ita ab impio affectiuè, & effectiuè fit eius actio, & affectio, Deo, eiusque voluntati absolute tali affectiuè omninò cohæret; neque vllatenus à Deo affectiue recedit. Nec valet hæretica illa euasio de recessu impij affectiuo & effectiuo à Deo, etsi nō volente, ast præcipiente. Ostendimus enim n. 2. & 3. hac præfinitione, & voluntate efficaci Dei, vt ita actio, aliàs prohibita, à nobis fiat, vel præcepta non fiat, præceptum, & legem, tam præceptiuam, quam prohibitiuam dispensari pro tunc, & abrogari: quare nec posse esse affectiuum à Deo præcipiente, vel prohibente recessum impij, siue actionem prohibitam apponendo, siue præceptam omittendo. Dices Secundò: legis vniuersim latæ dispensationem, & abrogationem hic & nunc debere hic etiam & nunc operanti, vel omittendi innotescere, vt operatione, vel omissione legi, & præcepto neque aduersentur, nec delinquant. Hæc etiam hæretica solutio est libertinorum apud Bellarminum tom 3. contr. 2. gener. lib. 2. de amiss. gratiæ c. 1. versu *Florinum Irenæo*: scilicet neminem, nisi ex errore de legis vigore, atque ignorantia dispensationis, & abrogationis, hic & nunc, illius peccare: secundò, cum præfinitoribus, siue explorato Hæreticis, siue secus, eiusmodi præfinitiones, & voluntates efficaces Dei, vt hic & nunc agant, vel omittant contra aliàs præcepta, & prohibita plus satis, firmiúsque, quam par esset innotescant, nec per ignorantiam, aut errorem de legis, ac præcepti vigore peccare vllatenus poterunt, magno scilicet sententiæ suæ commodo, ni falsa, & expresè hæretica illatio foret. Tertium illud omnium cōtra præfinitores omnes ictuum generale malagma de præfinitione, ex voluntate Dei erga materiale, prohibitione verò erga formale disiectū supra est num. 2. & 3. vbi ostendimus materiale solum peccati nobis, vel præcipi, vel prohiberi: idque ex totis Decalogi præceptis, legibusque cunctis patet. Secundò, quia, cum id solùm præcipi nobis, prohiberique possit, quod nostræ potestatis est, vel non agere: solumque materiale peccati apponere, vel non apponere nostræ potestatis sit, nec vlterius, vt eo posito formale, & malitia peccati ab eo materiali prorsus ineuitabiliter inseparabilis accedat, potestati & arbitrio nostro subiaceat, præceptum directè est de operatione ipsa; nec aliter malitia actionis, vel omissionis nostræ sub legem cadit aut præceptum, nisi indirectè, quatenus physica actio vel omissio nobis prohibetur, quia neque aliter à nobis malitia apponitur, potestuè amari, vel apponi.

11 Inde verò præfinitiones istæ aliis dogmatibus Scripturæ deprehenduntur aduersæ. Notant plura testimonia Bellarm. citat. lib. de amiss. grat. & lib. 3. de causa peccati. Ruiz de Montoya d. 26. de volunt. quibus Deus, nec causare, nec velle peccatum dicitur: ast posita præfinitione materialis peccati eo modo, proprietate sermonis, qua nos, vult, & causat peccatum. Ergo ea præfinitio eis scripturæ locis aduersatur, scripturæ loca aliquot dogmaticum antecedens probantia sunt, Sap. 14. *odio est impius cum impietate sua.* Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ezech. 18 *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* 2. Petr. 3. *Deus neminem vult perire.* Cum autem Deus non solum *nihil eorum quæ fecit odorit.* Vt dicitur Sap. 11. sed quocunque fecerit amauerit, & non nisi volutare, & volitione sua fecerit; eo ipso quo volitio peccati à Deo eis locis secluditur, & eius efficientia, & causalitas ab illo ablegatur. Minor subsumpta antecedens probatur: Non aliter nos causare, velleque absolutè peccatum propriè dicimur, imò vt tunc diceremus, nec aliter causare illud, velleque possumus, nisi apponendo volendoque actionem prauā, siue materiale peccati cui annexa ineuitabiliter est malitia, & formale peccati, & cuius subinde appositione, intepretatiuè solum, volumus malitiam, seu actionem vt malam, & peccatum formale, quod expresse & formaliter quà tale velle non possumus: nec aliter causare possumus, nisi appositione actionis prauæ, seu materialis peccati, quæ solum in se nostræ potestatis, & libertatis in sui omissione vel positione est. Atqui Deus præfiniens actionem illam, vt à nobis ponendam, seu materiale peccati, etsi præfinitione illa non velit malitiam peccati formaliter, & expresse, neque in se præfinitione & prædeterminatione actioneque sua pertingat; ast, & illam efficaciter interpretatiue, & vult, & efficit in actione praua, vt à nobis, seu materiali peccati, quod principalius, quam nos, vult, & efficit per vos: ergo proprie, & absolutè, æque ac nos, & vult, & causat peccatum contra scripturam. Dices cum Caluino Beza, & Petro Martyre (vtique Diaboli) ea loca, quibus nolle odissiue absolutè ac subinde non facere peccatū) Deus dicitur de voluntate signi, non autē beneplaciti intelligi impia sanè, & hæretica solutio, quæ primo voluntatem præhnitiuam materialis peccati inducit, nusquam in scripturis contentam: quod parui faciunt: quia maioris nobis cum illis res est. Secundò, si sententias enunciatiuas voluntatis diuinæ in scriptura expressas, ita liceat interpretari, nihil ex vlla illarum firmum habebitur: quare & scripturæ authoritas funditus euertetur tota. Tertiò, voluntas signi à Theologis, & Patribus admissa, nunquam enuntiatiuè, & absolutè à scriptura ponitur. Quartò, eis locis, & præceptis cunctis mendacij apertissimi Deus iuxta horum doctrinam, & solutionem conuincitur, vt rectè Bellarmino citato lib. 2. cap. 8. significabit enim Deus se nolle, vt actiones prauas & materiales peccati apponamus; cum tamen, vt id apponamus non solum absolutè, sed efficaciter velit, cupiatque vehementer: quid deficit ad liquidum mendacium.

12 Nonò, qui cooperatur alteri ad actionem, quam vehementer, atque efficaciter vult ab illo fieri, non fruit intitus illi alteri, nec de eius cooperatione, tristatur, ac dolet, aut de omissione lætatur. Atqui Deus inuitus prauè hic, & nunc operantibus cooperatur, ac de eorum cooperatione tristatur, & dolet, de omissione verò seu quod ab ipsis non apponatur materiale peccati siue actione, siue omissione, ac si positum semel, fuerit retractetur, gaudet, & lætatur, ergò actionis, vel omissionis prauæ, seu materiale peccati, vt à nobis ponatur non est in Deo efficax volitas eiusve, vt à nobis ponatur præfinitio, discursus est legitimus. Minor in scriptura quoad vtramque sui partem, expressa; quoad tristitiam de eo, quod prauè operemur prohibita, vel omittamus præcepta, siue ex parte nostra cooperemur generali concursui Dei, vel potius cooperatione ex parte nostra adhibita abutamur, & quoad vehemens Dei gaudium de eo, quod non operemur ex parte nostri prohibita, vel omittamus præcepta, & quod secus facta retractentur probabitur, à nobis abunde Scripturæ testimoniis apertis controu. 4 d. 4 q. 3. de Seria Dei voluntate, & desideria ex parte sua salutis omnium etiam reproborum cert. 4. & 5. de inuita Dei seruitute, molestoque labore in cooperando ex titulo causæ primæ, ad prauas nostras actiones, constat ex illo Malachiæ 2. n. 17. *Laborare fecistis dominum in sermonibus vestris, & dixistis: in quo eum fecimus laborare? in eo quod dicitis: omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ipsi placent, aut certè vbi est Deus iudicij:* Toto vero capite agitur de acceptione alienigenæ in vxorem, & repudio propriæ contra legem, quæ actiones prauæ, & materiale peccati sunt: & qua Deo placere, ac non potius ferri ab ipso, molestissimo stomacho & odio, qui afferebant, asserebant, inquit, Malachias Deo iudiciariam potestatem, quo argumento absurdo Patres plures præfinitores materialis peccati, siue prauarum actionum, prouti à nobis, infectatus, & vexant, vt q. 3. videbimus. Probari secundo idem potest, ex

ex iis omnibus Scripturæ locis, quibus citata controu. 4. d. 4. quæst. 3. probabimus Deum ad mala pœnæ, siue debita peccatis supplicia nostra trahi à nobis præ suo in nos amore inuitum: inde enim legitime infertur à Deo operandum prauis nostris actionibus, quæ maius nostrum malum sunt, multo magis pertrahi inuitum. Secundò: Quia ad pœnam nostram inuitus venire haudquaquam posset, qui ex voluntate sua efficaci materialis peccati siue actiones prauæ, vt à nobis exercitæ præfinitione sua in nobis ponit, quod puniat, vt arguit Nemesius quæst. 3. recitandus, & recitatus d. 1. quæst. 2. cerenim qui ardenti, & efficaci desiderio, & voluntate punienda in nobis ponit, quomodo inuitus veniet ad supplicia? Quin prudenti æstimatione dico nimium, & crudeli affectu, & amore puniendi, quod in nobis puniret merito videbitur negotiatus. Denique pars eadem expressa videbitur Isaiæ 43. num. 24. verbis illis: *Verùm tamen seruire me fecisti in peccatis tuis: prabuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Cæterùm vt docte Cornelius noster à Lapide ibi versu. *Moraliter aduertunt*: nihil ex loco contra præfinitiones ad materiale peccati Theologico rigido discursu deduci potest, sed solum laxiore, rigori Scholastico inutili, concionatorio ad Moralem sensum extensa sententia.

13. Ne verò quis verborum sono deceptus ac literalis sensus ignarus mala ex illo probatione præfinitiones hasce firmet potius, quam euertat; hunc strictius aliis, etsi eorum (præsertim nostrorum Gasparis Sanchez & Cornelij à lapide) obseruationibus adiutus, & textu, & contextu capitis erutum subiiciam, igitur intentum Dei eo capite est suam in populum Israël misericordiam, & beneficientiam, antiquam, & præteritam tum præsentem nullis eorum meritis, imò pluribus eorum demeritis impensam populo illi demonstrare: vt inde summum ipsi beneficium Incarnationis & aduentus Christi Domini (de quo etiam eo cap. vaticinium extat) magis commender; cuius rei, & Iudæos ipsos testes ante actorum adducit & venturum etiam Christum Dominum prænuntiatum verbis illis num. 10. *& seruum meum, quem elegi*: & antiqua quidem beneficia sua memorat à num. 14. ad 17. inclusiuè: futura verò in Christi aduentu à num. 19. ad 21. vbi bestiarum, & ferarum nominibus gentium Congregationem in Ecclesiam, & veram Abrahamidum, & Israëlitarum progeniem Euangelica prædicatione, & fide conuersione peragendam prædicit. Quoniam verò ad pristina beneficia, imò & futura Christi aduentu, merita Patrum eorum possent prætendere, atque ad peccatorum expiationem, legalia etiam sacrificia; id, quoad sacrificia præuenit n. 22. *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israël. Non obtulisti mihi arietem holocausti, & victimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione: Nec laborem tibi prabui in thure. Non emisti mihi argento calamum* (odoriferum) *& adipe victimarum tuarum non inebriasti me.* Nil enim eorum, & si è legis feceris præscripto, non mihi, meive gratia, sed tui amore, & tibi tuisque intendens, & inseruiens commodis fecisti, cum, vt Sacerdotis honorem ostentares: tum, vt purificationis legalis tam actiuæ quam passiuæ honorem inanem assequereris: quo effectum est, vt sacrificiis ipsis, quibus recreandus, alias honorandusque eram, &, ob quæ peccata vestra putabaris expianda è prauo fine tuo vitiatis onerarer denuo, non honorarer: quare subdit num. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, prabuisti mihi laborem, in iniquitatibus tuis*: & quamuis non essent sacrificia vitiata ex prauo fine, tamen, vt legalem purificationem tuam, ac proinde tibi, non mihi confequereris fierent: quare non mei, sed tui gratia: nec, si internam peccatorum illis intenderes, vi illorum, & iure à me reciperes: idcircò non ob illa peccata tua delentur: idcircò subdit num. 25. *Ego sum, ego sum ipse*, (id est solus) *qui deleo iniquitates tuas propter me*, non ob sacrificia tua, sed neque ob Parentum tuorum Moysis, Aaron & Abraham: Eli siquidem omnes pœna etiam digni fuerunt, cum ob Originalia, tum ob actualia Abrahamus, quia primitus Idololatra Genes. 11. num. 31. & cap. 12. num. 1. duo reliqui increduli ad Petram contradictionis, atque idcirco me condonatore, & incarnato Redemptore eguerunt, quin eorum merita ius aliquod vobis contra me fecerint, vt vestra peccata remitterem. Hoc autem, vel inde patet, quod, vestris Sacrificiis, & vestrorum Patrum adstantibus meritis, tot vos cladibus quod à numero vigesimo sexto, ad capitis finem recenseo, ob peccata vestra afficere fas mihi, & integrum, nihilominus fuerit: quod ergo, tot in vos beneficia contulerim peccataque vestra remittam, ac per memetipsum incarnatus redemerim, mihi vni, ac misericordiæ, non vestris sacrificiis, aut Patrum vestrorum meritis debetis: qui solus propter me, ac per me ipsum, & peccata vestra passione mea acerbissima, & redimo, & remitto: vt id etiam circo dicere iure possim. *Seruire me fecisti &c. Prabuisti mihi laborem, in iniquitatibus*: Cum quidquid deliquisti, mihi reliqueris acerbissimè soluendum, vt hæc paraphraitico commentario explicant Hieronym. Cyrill. Theodoretus Euseb. 10. demonstr. Euang. *in peccatis tuis defendi te: & quasi hyperaspistes scutum me pro te iræ Dei opposui.* Nil ergo hoc loco de seruitute Dei, eiusque labore in cooperatione nobiscum ad materiale peccati rigore litteræ, & scholastico continetur.

CERTAMEN II.

Oppositionibus aduersariorum ex Sacra pagina obuiatur.

1. QVi plura ex Scriptura contra præfinitiones hasce velit legat nostrum Didacum Ruiz de Montoya variis locis tom. de Scientia & de Prouidentia ac prædestinat. ac præsertim tom. de voluntate per totas viginti quinque disputationes videlicet à 27. ad 51. inclusiuè. Nobis enim præcipua solum loca, & capita impugnationum ex Scriptura attingere visum satis fuit: tum breuitatis causa tum in exemplum aliorum plurium, quæ his affinitatis, & similitudinis iure ad præfata capita videntur facile reducenda: eadem de causa non omnia quæ pro eis præfinitionibus assumi, vtcunque, ex Scriptura, obiicique possent, certamine hoc proponam, & diluam; sed quæ maiorem difficultatis speciem præ se ferant, & quorum solutio aliis diluendis doctrinam, vel exemplum ministrent. Opponuntur primo plura Scripturæ loca, quæ sonant Deum velle, vt praua opera fiant, v.g. venditionem Iosephi à Fratribus, & illa figuratam Christi Domini à Iuda traditionem Iudæis, atque ab his occisionem, Genes. 45. n. 8. *Non vestro Consilio, sed Dei voluntate huic missus sum* c. 50. *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati.* Respondetur tamen cum Patribus subtilius de his disputandum, & qu. 3. recitandis; passionem quidem eis locis bonam pluraque inde bona suborta volita plane à Deo; actionem verò prauam vendentium, tradentium, & occidentium, sine qua passio, & reliqua bona esse non poterant, fuisse à Deo tantummodo permissa. Hinc verbis c. 50. relatis præmisit timidis ob scelus suum fratribus: *vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos.* Non vestro consilio, dispositione, quæ tota in meam erat perniciem; sed diuina, in qua tanti vestri sceleris permissio, non voluntas claudebatur, vt me exaltaret & plura alia bona non aliter obuentura aliis multis prouideret: illud autem. *Num Dei possumus resistere voluntati*, non ad voluntatem venditionis suæ à fratribus, sed veniæ illis à Iosepho præstandæ intelligitur, ac expressit Hebræa lectio his verbis: *Alhivau chi hathuth eloian*: cui Græca & Chaldæa concordant Latine ad verbum vertenda. *Nam sub Deo sum ego: cuius voluntas de mea erga vos venia est, cui resistere nequeo*, ni eius timorem, reuerentiam, obedientiam, & debitam tot ipsius in me beneficiis gratitudinem vestri sceleris occasione deponam, vt paraphrasticè commentatur Chrysostomus hom. vltim. in

Geneſ. verbis hiſce. [Noſite pauere: neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus, pro ſalute enim veſtra (non pro ſceleris veſtri ſupplicio) miſit me Deus ante vos in Ægyptum, & de traditione paſſione crucifixione ac morte Chriſti Domini, ita Actorum ſecundo. [Hunc definito Conſilio ac præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis, cap. 4. Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſum Sanctum Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontifices, Pilatus cum gentibus, & populis Iſraël facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.] Ad quæ ita ſubtili ſolidaque Theologia Leo Mag. ſerm. 16. de paſſione. [Multum diuerſum, multumque contrarium eſt id, quod in malignitate Iudæorum eſt cognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum:] nimirum effectiua, nec ſolum permiſſiua voluntate. [Non inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno exiſtit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immiſit in te dominus, ſed admiſit: nec præſciendo, quod faciendum eſſet, coëgit vt fieret; cum tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet vt fieret: quæ cum de materiali peccati ſint, non modo obiectioni reſpondent, ſed radicitus præfinitiones haſce conuellunt.

2 Obiicientur & plura teſtimonia, quibus impios in ſuæ potentiæ, & iuſtitiæ eorum ſupplicijs oſtenſionem, ac proinde impietatem, quod impij ſunt, creare Deus dicitur Prouerb. 16. in omnibus, *quæ propter ſemetipſum operatus eſt Deus* impius recenſetur: *impium quoque ad diem malum*, Exod. 9. ad Pharaonem. *Poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam*, ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Verum (vt mittam, hæc, & num. primo oppoſita, & deinceps opponenda, cum ex ſpecialibus Dei finibus, non ex generali munere cauſæ primæ, & vniuerſalis fieri à Deo dicantur, aduerſarijs fatuere non poſſe) reſpondeo: hæc, ſi quid, plus aduerſariorum ſenſu, quam ipſi velint probare: nempe malitiam impietatem, & iniquitatem, quæ formale peccati eſt, & forma, qua impij in eſſe talium conſtituuntur, à Deo efficaciter amari, ac præfiniri: quod præfinitores omnes, etiam explorato hæretici, vti hæreſim execrantur. Secundo, his aliiſque de excæcatione indurationе impiorum à Deo reſponderi facile ex Patribus, & Scriptura poſſet: creare Deum impios, & obcæcare, & indurare obſtinatos, tantumdem ſcripturæ phraſi valere, atque ſupplicijs impios illos, atque obſtinatos declarare & oſtendere, ſic Auguſt. quæſt. 18. in Exod. *Ego indurabo: tanquam diceret, quam durum ſit demonſtrabo:* ita enim dicitur Pſalm. 81. *Humilem, & pauperem iuſtificate:* iuſtum verbis, factiſque veſtris oſtendite, ac demonſtrate. Prouerb. 17. qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum: Damaſcen. dialog. contr. Manichæos poſt med. *Tum in errorem actus Propheta eſſe dicitur*, Ezech. 14. *hoc eſt impoſtura conuincitur, cum à Deo prædictis contraria faciunt.* 1. Corinth. 1. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* id eſt, *ſtultam oſtendit*, iuxta S. Thom. lect. 3. Chryſoſtom. homil. 4. column. 5. & vulgo Patres & interpretes ibi: ſed ſingula hæc non aduerſos negatiuæ noſtræ ſententiæ, imò vero ad fauentes prorſus ſenſus habent, vt videbimus infra, vbi è ſola Dei erga actiones noſtras prauas à Scriptura aſſerta permiſſione præfinitiones earum diuinas confutabimus. Tertio ſpeciatim oppoſitis hiſce locis reſpondeo. Deum impios formaliter tales, nec, vt prauas actiones exercent, aut exerceant, minime ex fine vllo facere, creareve poſſe de eſſe, ſed ſolum eorum ſubſtantiam, & entitatem; & ſi eos prauos arbitrio ſuo præſcierit, ſi ab ipſo creentur; vbi vero ſe ipſos voluntate, & libertate ſua impios, praueque operantes abſolutè illi fecerint, Deum illis ſupplicia poſſe efficaciter in ſuæ iuſtitiæ, & potentiæ oſtenſionem decernere; non autem priori naturæ ad abſolutam impietatis, & prauæ eorum actionis ab ipſis poſitionem: id enim iuxta Patres Theologos, & rationè Deo impium, iniquum, iniuſtumque eſſet, & crudele prorſus.

3 Audiatur Auguſt. 2. cont. Iulian. cap. 18. [Poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare quia bonus eſt; non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.] epiſt. 106. ad Paulinum: [Quemquam immeritum, & nulli peccato obnoxium, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. An vero ex intentione, non quidem abſoluta, & efficaci, ſed ſolum inefficaci pœnæ, oſtenſionisque iuſtitiæ, & potentiæ ſuæ per hanc, Deus creare hominem, vel creato peccatum permittere, iuxta dicenda controu. 8. d. de reprobatione, & in ſimili controu. 7. d. de effectibus prædeſtinationis, de permiſſione peccati ex fine humilitatis, ſeu pœnitentiæ prædeſtinati definiendum erit. Quo vero pacto citra bonitatis ſuæ iacturam, quos impios fore præuiderat, ſi crearentur, diutiuſve ſeruarentur fecerit nihilominus diutiuſque ſeruauerit Deus, ſupra non ſemel oſtendimus controu. 2. oſtendemuſque controu. 7. de reprobatione: illud nunc nobis ſatis ſit, Auguſt. c. 27. Enchirid. *melius iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere*: & exemplo figuli memorato epiſt. 106. citata de tota humani generis maſſa, ante eius corruptelam explicat abſque vlla Dei iniquitate, aut bonitatis ſuæ iactura, conditionatè præuiſum peccaturum hominem, ſi conderetur, conditum tamen à Deo fuiſſe: quia non ex natura ipſa condita, neque ex Dei determinatione; [ſed ex arbitrio voluntatis creatæ futura eſſent vitia peccatorum, & in malis talia, quibus eſſet æterna pœna reddenda:] & addit. [Hæc maſſa, ſi eſſet ita media, vt, quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, vt ex ea fierent, vaſa contumeliæ:] quia nimirum damnatio ad pœnam, & culpæ demeritum tunc non ex maſſa ipſa, ſed mera Dei deſtinatione determinatione, ac voluntate efficaci proueniret: [Cum vero] (inquit) [per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuerſa defluxerit, proculdubio, quod ex ea fiunt vaſa in honorem non ipſius iuſtitiæ, quæ gratiam nullam præceſſit, ſed Dei miſericordiæ, quod vero in contumeliam non iniquitati Dei (quæ abſit, vt ſit apud Deum) ſed iudicio deputandum eſt,] quod ſcelus admiſſum abſolutè ſuppoſuit: dixerat clarius epiſt. 105. ad Sixtum: [An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa (vtique merito recte damnata) facere aliud vas in honorem, in debitum propter miſericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ iuſtitiam?] infra: [quamvis itaque Deus faciat vaſa iræ in perditionem, vt oſtendat iram, demonſtret potentiam ſuam, qua bene etiam vtitur malis; &, vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ fecit in honorem non damnabili maſſæ debitum, ſed ſuæ gratiæ largitate donatum, tamen in eiſdem iræ vaſis propter meritum maſſæ in contumeliam debitam factis, id eſt hominibus propter naturæ bonum creatis, ſed propter vitia ſupplicijs deſtinatis, iniquitatem, quam rectiſſima veritas improbat, damnare nouit ipſe, non facere:] quibus non ratio ſolum conditi hominis à Deo præue operaturi, ſi conderetur ab Auguſtino datur; ſed & plura, quæ præfinitiones ad materiale peccati prædeterminatiuas acerrimè impugnent, non ſolum poſtremis verbis, ſed mediis illis, ex epiſt. 106. *Non fruſtra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vaſa contumeliæ*, vt curſim expendimus.

4 Theodorus Beza Caluini & Petri Martyris reſponſione ad acta Colloquij Montis Belgardenſis pag. 155. vult Apoſtolum de Maſſa generis noſtri, non creata, & corrupta, ſed integra, & creanda locutum. [Alioqui vaſa iræ non diceretur Deus ex maſſa illa facere, ſed antea facta ita relinquere: nec laborandum Apoſtolo fuiſſet in afferenda Dei iuſtitia in reproborum exitio.] Figulique ſimilitudine applicita, & expenſa, rogat, *quomodo illa* (vaſa misericordiæ vaſa) *condidit?* [Certè in Adamo in cumſ. Auguſtino, & ſi inſcius, Ambroſium, Haymonem, Primaſium, Bedam, Anſelmum, S. Thom. ſeque ipſum refellit. Nam in Adamo iræ ſolum vaſa (præter Mariam, quæ in eo ſola non peccauit) condita ſunt ne illa quæ in eo ex maſſa illa integra vaſa miſericordiæ creanda ſunt, vel creata. Secundo: cum Auguſtini interpretatio hæc ſit de deſtinatione ad pœnam abſoluta,

absoluta, si integræ, innoxiæque, nec dumque absolutæ corruptæ, esset iniustus Deus, vt arguit Augustinus, cui male occurrit Beza pag.155.& 164. *decretum*, inquit, [Dei de faciendis ex eadem massa vasis, aliis in honorem; aliis in contumeliam, antecedit omnem præuisionem culpæ, & omnem omnino causam; sed quia non poterat Deus executioni huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret, ideo ordinauit lapsum Adami, vt haberet, quorum misereretur, & quos iustè puniret.] Fatetur contra se etiam hoc loco Beza ad misericordem Dei voluntatem, qua massæ partem in vasa honoris, siue in honorem eligit, massam corruptam præsupponi debere; citiùs autem inde infertur corruptam supponi debere non ad executionem solum (vt hac solutione vsit) sed ad prædestinationem absolutam ad supplicium, & ignominiam partis alterius massæ damnatæ. Secundo; non minus iniquus est affectus, quam effectus puniendi absolute, nondum noxium absolutè præuisum: quare, si ideò Deus noxæ absolutæ præuisionem expectare decet, vt effectu puniat, absolutè eam etiam expectare debet, vt absolutè ad pœnam destinat, & effectum absolutum habeat puniendi. Tertio: iniquius est facere in alio malum, quod punias, quam pœnam innoxio infligere; quod autem aiebat, dicendum non esse, Deum facere vasa iræ & in contumeliam, sed solum facta relinquere, si massa corrupta supponatur, leuissimū est. Tum: quia destinatione absoluta ad pœnam (quo sensu eum locum nunc interpretatur Augustinus) vltra statum corruptionis, & reatus per pœnæ destinationem absolutam iræ vasa è Dei iustitia sunt: cum tamen pars massæ eiusdem corruptæ, altera in vasa misericordiæ Dei benignitate, reatu eius eodem non obstante, eligatur. Secundo, etsi in capite Adamo, ac naturæ generali massa, quasi in semine, imminenter, & actu primo particulares partes massæ in vasa iræ pro posteriori destinandæ corruptæ sint; non tamen absolutè & in actu secundo, quousque per propagationem absolutam ex Adamo à Deo condantur in vasa iræ, odij, Dei, & absoluti reatus ad pœnam: quare verum adhuc est ex massa generis humani partem in vasa misericordiæ à Deo fieri denuò absolutè, nec solum seruari: cum autem massa æque in semine vitiata respectu omnium esset: cur Deus partem in vasa iræ, partem in vasa misericordiæ eligat, nulla à nobis ratio potest inueniri, atque ad occulta Dei iudicia, & voluntatem recurrendum esse merito Paulus docuit, figuli, & vasorum, sola eius voluntate ad tam diuersos vsus destinatorum, exemplo apprime explicuit, quod autem figuli exemplo ad Adami ex luto formationem Paulus respexerit falsum est. Nam ad illud Isaiæ 45. *Numquid dicit lutum figulo suo quid facis?* Solum respexit Caluino etiam & Petro Martyre Bezæ Magistris, nec solum Patribus Ecclesiæ consentientibus. Nec de formatis à Deo ex luto, proprie tali, teneret simili tudo, cum solus Adamus formatus ex luto fuerit: vt, à Deo quidem, vas in honorem formatione sua: locus Exod.9. de Pharaone. *Posui te* siue, vt legitur ad Rom.9. *excitaui te, vt ostenderem, &c. Hebræa heghemadthica stare feci, seu conseruani.* Etsi tuam proteruiam, quam odi scientem, si conseruareris, vt bene Augustquæst.32.in Exod. & Rupert. Tecensis de excitatione in regnum & solium, non obstante abusus potestatis præscientia simili; non autem ex abusus intentione, nedum efficaci eius præfinitione absoluta, aut abusus & supplicij: quare adhuc *posui, & excitaui te*, pro eius à Deo conditione, nihil contra nos locus probaret.

5. Tertio oppones ea, quibus homines ad prauas actiones impellere, eisque, vt instrumentis ad illas vti Deus dicitur 2. Reg. cap. 12. *Tollam vxores tuas, & dabo proximo tuo & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis*, cap.24. &c. *commouit*, (ex ira in Israelitas Deus) *Dauid dicentem vade numera Israel* cap.16. *Præcepit Semei* (Dominus) *vt male diceret Dauid*, ac dæmoni cap.22. *decipies Achab, & præualebis vade, & fac ita*, &c. Regum.cap.11.& 12.& lib.4.cap.9.& 10.rebelliones Hieroboam contra Roboam & Hiehu contra Achab legitimos Reges adeo fuisse dicitur Psalm.104. *delinasti Semitas nostras à via tua* vers.25 *conuertit cor eorum vt odirent populum eius*, Psalm. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua & non in auaritiam*, Psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ*, oratur autem, *ne quid faciat*, qui illud facere absolute potest, non verò qui absolutè nequit. At quoad Iudam Dominus, *quod facis fac citius*. Aliis verò vt instrumentis ad prauas actiones vti Deum constat ex Iob.1. *Dominus abstulit*, quod solū per prauum diaboli odium effecit Isai.10 Senacherib Serra, & Virga Dei, appellatur c.13. Medos & Persas Sanctificatos suos vocat; quod vti instrumenta iræ suæ inseruirent, & à se ad atrocitates exercendas excitatos ait, ibi: & Hierem.51. Sicuti & Regem Babylonis c.50. vocat *Malleum vniuersa terræ*, & Ezechiel.12. *Dei recte expansum*, ad Israel capiendum. Cæterum Deum, nec physicè, nec moraliter præcepto exhortatione impios mouere posse ad prauas eorum actiones adeò est Catholicis firmum, vt Augustinus recitatus n.3. sub finem, & tract.53.in Ioann. *illas præuidere*, posse quidem Deum asserat, non autem *facere*: quare sola permissione, siue qua ab impiis fieri illæ nequeunt, facere, & præcipere per ipsos illas dicitur ad easque inducere: quemadmodum, qui venaticum canem lepori de se inhiantem soluit, eum in leporem dicitur immittere. Neque exhortationem, aut præceptum impie agendi plus ex parte Dei significant, quam permissiuam hanc & exercitiuam factam impiis adeo prauorum actionum facultatem: quatenus auxilia quibus ab eis detinerentur, in quibusque ij, in quos excidia praua, siue temporalia, siue spiritualia ab impiis siue homine, siue dæmone exercenda sunt, protegerentur, negare decernit; quin earum prauarum actionum prauis ministris imperet: vtopus esse contendit perfidus Caluinus 1. Consti. cap.18. §.1. de excæcatione à Deo Scribens: *Si Dei iudicium est excæcatio, & amentia Achab, nuda permissionis figmentum euanescit: quia ridiculum esset, Iudicem tantum permittere non etiam decernere, quid fieri velit, & mandare executionem ministris*: quasi parum pœnæ iudiciariæ etiam, sit decerni eorum subtractionem, quibus damnum vitandum erat, atque hoc etsi ab alterius voluntate esset infallibiliter futurum. Adeò sceleribus obcalluit obbrutuitque Caluinus, vt tot, tantaque eius generis passus à Deo supplicia, non persentiscat! Hanc Sathanæ in Iob permissionem solam suam Deus satis exprestit illis verbis: *ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt*, iuxta Augustin. 2. ad Simplician. quæst.2. quod si permissioni Dei actus vnius praui adiungatur alterius à Deo impeditio, qui alias fieret, vt contigit Semei, cuius iræ alia in Dauid effutire non permisit diuina prouidentia in actus etiam prauos, qua inde ordinatos etiam ordinem ponit, & modum taxat, vt recte ab Hugone Victor. recogooscitur 1. de Sacramentis part.5. cap.29. ratione cuius, tropice etiam determinata illa actio fieri à Deo solum illam permittente dici potest. Tertio, inclinare positiue ad prauas actiones per accidens, & occasionaliter dici Deus potest: quatenus positum aliquid præstat, quoad prauam actionem occasionem aliquis arripiat iuxta S.Thom. in caput 9. ad Rom. vt beneficia Israelitis, ob quæ Ægyptij odio eos & inuidia prosequebantur, vt ad obiecta ex Psalm.104.num.25. August. & Tyeodor. illud de Hehu, & Ieroboam non per rebellionem, & tyrannidem, regnum contra Roboam, & Achab inuasisse vt Caluinus contendit 1. institut. vt nec sola Dei permissione (quod satis nunc esset,) sed positiua voluntate, qua his ob immania flagitia regno exactis voluit illos succedere, docet expresse Augustinus 17. de Ciuitate cap.21. & 22. & constat de Hieroboam ex 3. Reg.cap.11.vbi Abdias Dei nomine Regnum ipsi ac posteris, si se recte in eo gereret promisit. Roboam verò Regnū armis recuperare tentanti sic per Semeiam à Deo prohibitus est. *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel à me enim factum est verbum.* De Hiehu constat ex 4. Regum cum nihil de Regno cogitantem Dei iussu per Filium Prophetarum vnctum in Regem: præceptumque accepisse, vt totam Achab familiam extingueret, ac de executione à Deo ita laudatum c.10. [quia studiosè egisti, quod rectū erat in oculis meis, & omnia, quæ erunt in corde meo contra domum Achab filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronū Israel: Opponunt Caluinus, & Petrus Martyr de his dictum Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me*; sed sibi obiectione contradicunt, cum Regni inuasione, quam tyrannam fuisse volūt, ex Deo nō fuisse hoc textu cōtra ipsos

catur, verum, etsi Hieronymus Hieroboam eo textu fugillari dicat, fugillari etiam Saul ait quem 1. Reg. pluries, præsertim cap. 10. Dei voluntate regnum adiisse constat: est igitur sermo de exercitio regnandi, regnique administratione praua, vt bene S. Th. in c. 13. ad Rom. & quamvis de institut. eorum in Reges, etsi ex Dei voluntate, sermo esset, sic Deus loqui potuit ratione occasionis eos in Reges instituendi, quæ aliorum peccata fuere, vt morte ob peccatum à se inducta in mundum à Sap. 1. absolutè dicitur *Deus mortem non fecit*.

6 Quartò opponuntur ea, quibus Deus hominum corda excæcare & indurare, ne rectè agant, asseritur Exod. 7. 8. & 9. de *Pharaone*, Deuter. 2. de Sehon. Iosuë 11. de gentibus promissæ terræ: item 1. Regum 2. & lib. 3. 12. vbi ex Deo non audisse opportuna homines dicuntur. Iob 12. [Qui commutat labium, veracium, doctrinam senum aufert, qui commutat corda Principum, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos facit, quasi ebrios.] Psal. 68. [Obscurentur oculi eorum, ne videant:] Isai. 19. [Dominus miscuit in medio eius Spiritum vertiginis.] c. 63. [Quare errare nos fecisti de viis tuis: induraſti cor nostrum, ne timeremus te?] Hierem. 20. [Seduxisti me Domine, & seductus sum,] & passim apud Prophetas, [Excæca Domine cor populi huius, & aures eius aggraua:] Ioan. 12. [Propterea non poterant credere: quia iterum dixit Isaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum,] & Luc. 8. [Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei; cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant,] atque, vt innumera eius sententiæ præteream, ad Rom. 1. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: Verum hæc loca solam Dei desertionem, & permissionem voluntatem Patribus cunctis significare, non autem positiuam actionum prauarum, siue excæcationis, & indurationis in actu secundo voluntatem vel Hæretici ea obiicientes fatentur. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Rom. exemplo Ducis Milites in acie deserentis, nec in stragem hostium iuuantis, & impellentis, nihil aliud ea esse, & significare *quam permisse* ostendit hom 8. in 2. ad Cor. ad ea verba: *excæcauit sensus incredulorum*: Irenæus aduers. hæres. c. 48. fine: [Tradidit eos infidelitati eorum, & auertit faciem ab huiusmodi relinquens eos in tenebris quas ipsi sibi elegerunt.] Cyrill. Hierosolym. cathe. 6. post med. Archælai Episcop. contra Manem ad ea, *vt videntes non videant*: Sententiam hanc: [non quod odisset eos volebat, ne viderent, sed propter indignitatem quod oculos suos ipsi obstruxissent] valde commendat Cyrill. Alex. 8. in Ioan. c. 21. post med. [excæcat Deus, & obdurat, non efficiendo illa in cordibus hominum, sed deserendo, & non adiuuando: quia enim priores eum deserimus, ipse, culpis nostris id exigentibus, etiam nos deserit,] iuxta Oseæ 4. [Perinde, atque, si quis sponte se auertat à sole, & densas incurrat tenebras, hæc deficientia luminis in oculis, non Solis absentiæ, sed solum eius culpæ est adscribenda, quæ verò Deo permittente fiunt sæpenumero in scriptura proferuntur perinde atque ea efficeret.] Orig. 2. Iudic. homil. 2. fine, quod Deus aliquem tradit, intelligendum ait: [non quod ipse tradat: sed eo, quod derelinquit,] & infra, [tradita dicitur anima ex eo, quod Deo vacua inuenitur, & inuaditur.] Damasc. Dial. cont. Manich. longe à medio. [In errorem à Deo agitur Propheta Deo ipsum cupiditatis suæ meritò aberrare sinente:] Consonat sibi 4. de fide c. 20. Basil. hom. 9. *Quod Deus non sit author malorum*, sub init. Olympiod. homil. 6. in Eccles. id Roman. 1. *Tradidit illos Deus*, ait: [Non, quod Deus ipse quenquam hominum cogat auaritiam, &c. sed quod ea permittat, quæ homines electione liberæ voluntatis aggrediuntur. Consensit Theodoret. 2. ad Thessalon. & 5. epitom. diuin. decretor. c. 12. Theophylact. & Euthym. in caput Ioan. 12. iuxta Græcam diuisionem cap. 15. Hieronym. ad id Iob 34. *Idcirco inducet noctem*, & ad Isai. 6. sub finem ad illud Eccles. 1. *Hanc occupationem pessimam dedit Deus*, & ad illud 2. *Peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam*. In eandem porrò sententiam frequentissimus est Augustinus contra Iulian. cap. 3. sub med. [Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus cedit eis, atque consentit:] & in Psalm. 8. illa, [& non audiuit populus meus vocem meam: & Israël non intendit mihi, & dimisi eos in desideria cordis eorum,] breui ac æquè viuida periphrasi in eandem sententiam explicuit. *Denuò eos sibi*. & 1. ad Simplician. q. 2. sub med. sic nostram à Deo obdurationem definit. [Nolle Deum misereri, vt non irrogetur ab illo aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur,] col. sequent. [quia non eorum misereatur; non quia impellit, vt peccent,] tract. 53. in Ioan. med. [Sic excæcat, sic indurat Deus, deserendo, & non adiuuando:] 13. de Trinit. c. 12. post med. hominis diabolo à Deo traditio inquit: [non ita debet intelligi, tanquâ hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit.] Plura ex ipso, & aliis pluribus Patribus dabo statim num. seq. Chrysol. serm. 67. vers. fin. ad id: [Et ne nos inducas in tentationem,] inquit: [Rogemus, vt nos arbitrio nostro non relinquat, sed in omni actu Paterna pietate constringat.] Sicque nos tentationi tradat in eamve inducat.

7 Ne verò, quamvis Dei desertionem in prauum actum excæcationem, & obdurationem cordis specialem, & traditionem hominis à Deo, & qua non posse homines videre, audire, ac credere, eis locis dicuntur, æstimes significari: duo vlterius ex parte obdurati obcæcati, & traditi à Deo significantur. Primum peccatum anterius, ob quod eiusmodi desertione, & permissione, vt in alia ponte ruant à Deo puniuntur. Quod primi peccati obduratio, & à Deo excæcatio, ac traditio esse non potest. Secundum addit vehementem peccatoris ad praua opera sibi iucunda, Deique præceptis, & veritatibus opposita inclinationem, vel vniuersim, vel in materia particulari, sine ea ex actuum prauorum repetitione, siue ex vehementia, & adhæsione nimia ad prohibitum primi actus praui in peccatoris voluntatem fuerit inducta: ex ea enim vehementi inclinatione, & per Dei permissionem, & desertionem subtractione auxilij efficacis, & hic, & nunc potenter illam ab actu prauo retrahentis (quo solum inclinatio illa vehemens erat de facto superâda) moralis, quæda nó omnino absoluta, in peccatore impotentia vitandi illum actum prauum ponitur; etsi physica ad eum vitandum imo, & moralis absoluta maneat in ipso potestas, cuius non vsu, & abusu, & praue operetur, & peccet inexcusabiliter. Primum expressit Augustin. de gratia & liber. arbitr. cap. 23. iuxta id Ioannis 5. [Excusationem non habent de peccato suo: Cum auditis ego Dominus seducens Prophetam illum, vel quem vult indurat, eius merita cogitate, quem sic obdurari, vel seduci permisit:] id quod c. 20 & 22. confirmat, & concludit. [Nolite dubitare, præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur,] & epist. 105. ad Sixtum col. 4. [Nec obscurat Deus impertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam, quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; at potius, vt non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.] epist. 106. circa med. ait: [quia iustus est, neminem à Deo obdurari nisi meritò,] lib. 20. de ciuit. cap. 19. fine. [Pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, nec dubitauit Apostolus addere, & dicere: mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: quia Deus diabolum facere ista permittet iusto iudicio:] Consonat q. 68. ex octog. tribus, & 4. de prædestinat. & gratia, & serm. 88. de tempore. Prosper ad cap. Gallor. sent. 11. [Qui autem tam profundæ impietatis sunt, vt extra remedium correctionis habeantur, non à Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per semetipsos deteriores fiunt: quia relinqui à Deo ac sibi ac deceptoribus suis tradi per præcedentia peccata meruerunt:] idque solum docuisse Augustinum locis in ipsum obiectis ostendit Paulin. epist. 27. seu 1. ad Aprum. [A Christo (qui veritas est) alieni in hac necesse est errorum infœlicitate permaneant: qui, si vellent, intelligere, vt bene agerent, oculos suos, quos statuerunt declinare in terram, ad fallendam iustitiæ leuarent.

8 Magn. Gregor. 11. Moral. cap. 5. post med. ad id Iob. 12. [Sin incluseris hominem, ait: includere Dei est clausis non aperire, &c. obdurare per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobi per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit.] Repetit cap. 7. ad sequentia Iobi. *Optimates supplantat*, & lib. 16. cap. 24. ad Iob. 24. *Ipsi fuerunt rebellis lumini*, lib. 25. cap. 9. alias 13. fine, ad id Iob 24. *Nouit enim opera eorum, idcirco inducet noctem*

noctem: scribit: *inducere noctem Dominus dicitur, non quod tenebras ipse inferat; sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret; vt hoc ipsum in nocte caca esse sit, à cæcitatis tenebris liberare noluisse*: lib.29. cap.7. alias ad 30. ad id, *& vesperum super filios terra surgere facit*, habet: *quia infidelibus Iudæorum cordibus dominari, Antichristum eorum merito exigête permittit: qui idcirco à Dominio huic vespero iustè subduntur, quia ipsi sponte sua, filij terræ esse voluerunt*: infra: *Nequaquam ergo super eos vesper consurgeret, si filij cæli esse voluissent*: consonat 10. & 15. alias 24. lib. 31. cap.9. alias 11. & ad id *priuabit eam Deus scientia*: homil. 11. in Ezech. Chrisolog. serm. 68. [petendum, ait, ne succumbamus, & ne deinde offensus Deus tradat tentationibus, quos relinquit,] serm.70. vers. finem. *Neminem tentat, sed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationem laqueos derelinquit*. Isidor. 2. Sent. sub finem, [obdurare dicitur Deus hominem, non eius faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam ipse sibi enutriuit. Non aliter obcæcare dicitur Deus, non, vt eandem in eis ipse cæcitatem faciat; sed, quod pro eorum inutilibus meritis cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat. Consonat cap.6.15. & 19. ex cuius & Chrysologi proximè, Gregorij, aliquot Augustini in Psalm.80. recitatis testimonijs antecedens derelictioni, & permissioni Dei vehemens inclinatio peccatoris ad actus prauos, qua ferè impos moraliter eos vitandi, si Dei potens adiutorium ea permissione absit: aperte probatur: quod erat secundùm, quod probandum hoc numero proposuimus, quo sensu Augustinus citato tract.53. in Ioann. intelligit. *Propterea non poterant credere*, & Bernard. 1. de Considerat. ad Eugen. vehementem hanc hominis adhæsionem ad prauum affectum per peccatum sic describit: *quo nec seipsum exhortet, nec seipsum sentit: non mouetur precibus: minus non cedit: flagellis magis duratur*, & Isai.6 num 9. vt recitatur Matth 13.n.14. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos.] quare Psalm. 80. *traditi in desideria cordis*, & ad Rom 1. *in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ*: ac 2. ad Thessalon.2. rectè dicuntur: quia vehementi earum impulsione sua voluntas Dei permissione à Deo deserta pius satis habet, vt ruat, quod autem permissio hæc sit, qua peccato, & ex eo orta vehementi hac propensione ad prauam actionem suppositis, excæcatio, obduratio, &c. à Deo ponitur, insinuatum satis & à Patribus & à nobis fuit, magisque ex instituto explicabitur contr.7. d. de effectibus prædestinationis.

9. Sed neque hac vera, & generali solutione de permissione sola Dei, quæ ad actiones aliquot prauas, quas se feciſſe facturumve esse Deus in Scriptura dicit vti illis Dei ad Dauid 2. Reg.12. *Tu enim fecisti in occulto: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis huius*. Caluinus quiescit: imo 2. instit. c.8.§.1. ait: *Deus hoc opus suum esse pronuntiat, verba enim sunt, Tu fecisti occultè; ego autem faciam in conspectu*, &c. idemque de aliis dicere posset: vt cum Iobum afflixisse dicitur in Scriptura Deus. Audiat verò generalem aliam ad has, & similes Scripturæ locutiones intelligendas, regulam Damasc. 4. de fide cap.20. sub finem. *Mos est Scripturæ quædam, quæ secundum euentum debent intelligi, causaliter dicere*. Cui consonant Chrysostom. homil.67. fin. Cyrill. 8. in Ioann. cap 20. fine. Theophyl. Euthym. Theodoret. Mopsuestenus Leontius, & alij: quæ autem causaliter dicta pro euentu solum à Deo permissa intelligenda sint, ea à Catholicis, doctisque dicuntur quæ causaliter dicta similem Caluinianæ huic continent blasphemiam: & quidem ex 1. Reg.12. eam regulam discere Caluinus potuisset: sola defertione Uriæ à Dauide Ioabo duci imperata, quin eius occisionem præceperit vel ad eam peragendam impulerit, imo hortatus adhuc fuerit; sed vt ardentissimo prælio expositus desereretur tantum: quod ipsum Deus permissione sua peccaturo præstat mortis Uriæ patratorem dictum habitumque Dauid fuisse; quoniam verò Dauid ex praua intentione occisionis Uriæ id imperauit Ioabo, ac contra id, quod vtrique debuit satis præsidij Uriæ, nec præstitit, nec præuidit, moraliter, & culpabiliter in eius interitu se gessit; Secus autem Deus in desertioone peccatoris per permissionem suam: neque enim eum deserit, vt cadat, nec eum tenetur non deserere, etsi satis permissione sua habeat, vt actio de eo causaliter, etsi non sensu proprio, enuncietur: instant ex eo Simeonis Luc.2. de Iesu nostro. *Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*, quibus consonè ad Rom.9. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & Petram scandali, & omnis qui credit in eum non confundetur*. Alluditur autem vtrobique ad Isai. c.8. & 28. c.8. legimus. [Dominus exercituum ipsum Sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis & in Petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum, & in ruinam habitantibus in Hierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent conterentur, & irretientur & capientur,] cap. 28. [Ecce mittam in Sion lapidem angularem, probatum, & electum in fundamento fundatum: quæ etiam memorantur Matth. 21. num.42. & epist. Petri cap.2.a.numer.4. Actor.4.num.11. Impletaque videmus Christi passione, & Vrbis Hierusalem ob illam excidio. Si autem, inquiunt, Christus Dominus à Deo positus & missus est in plurium Sanctificationem è Dei voluntate, & intentione salutis eorum, vtique, & ex intentione ruinæ aliorum æque à Deo positus missusque erit. Verum hæc (etsi impia & & blasphema hæresi) permissa, vnde efficax intentio, & præfinitio actionis prauæ suadebitur? præsertim non regulata per scientiam mediam, qualis in omnium præfinitorum sententia asseritur; cum, nec regulata per scientiam mediam, probabiliori longe sententia à nobis posita controuers. de Incarnatione, fusiusque ostendenda controuers. 4. de voluntate actus præfiniti libertatem patiatur: sed certe antithesis vtriusque partis, & sententiarum, non quoad Dei intentiones æque ad hominum salutem, & aliorum in prauas actiones, culpamque, & debitas pœnas, sed quoad effectus, & euentus solum est: quorum alij ex bono incarnationis, & redemptionis vsu iuxta Dei voluntatem euenunt; alij verò ob aliquorum abusum, & contra Dei voluntatem, non autem citra eius permissionem, contingunt: vt suculenter Fulgentius 1. ad Trasimundum ea loca interpretatur, imò & perspicuè Christus Dominus citato loco Matth, vbi angularis lapidis eis locis, & Psalm.117. prænuntiati, qui ipse est, meminit. & Marci 12. num.10. à conclus.20. num.17. parabolæ vineæ præmissa, quæ ex boni fructus capiendi intentione à Patrefamilias Agricolis locata fuit: ac non reddentibus præ malitia sua, famulos, id est Prophetas legauit, vt eos ad reddendum fructum hortarentur, ac demum filium suum: quos tamen contra Patrisfamilias voluntatem patientiæ, & misericordiæ abusu occiderunt: malitiaque sua, Deo permittente solum tandem perierunt: quod demum ita etiam explicuit Petrus citato cap. suæ epist. vbi lapidis huius angularis Christi, in ædificationem quidem positi, etsi sponte ad illud offendentibus in lapsum fuerit & ruinam vt in cuiusvis ædificij lapide (ad ædificandum quidem solummodo positi) contingit, in lapsum nostrum præter ædificantis tamen intentionem, esse, si temere in illum impingamus.

10. Sed, quoniam oppositа hactenus impio (qui ab opponentibus intendebatur) sensu etiam admissa, generalem conclusionem non de omnis actionis prauæ, sed aliquarum solum præfinitione probarent; nec de illis titulo primæ causæ, & vniuersalis domini), & prouidentiæ increata omnia, vt præfinitores omnes censent; opponent forte omnes ex Theodoro Beza respon. ad Castellion. de æterna Dei prædestinatione refutatione calumniæ 2. generale illud ad Ephes... *qui operatur omnia secundum Consilium voluntatis suæ*; sed audiant Hieronymum eorum calumniosam oppositionem hac loci interpretatione sua præoccupantem. *Non, quo omnia, quæ in mundo fiant, Dei voluntate, & consilio peragantur: alioquin, & mala Deo poterunt imputari, si d quo vniuersa, quæ facit, consilio faciat, & voluntate: quod scilicet, & ratione plena sint, & potestate facientis*: qui loci eius sensus apud Patres, & Doctores reliquos Catholicos est communis. Sed restat præfinitoribus probandū contra scripturam hactenus à nobis ex Patribus ponderatā actiones prauas prout

à nobis, nostraque determinatione sunt, à Deo, vero aliquo sensu, fieri, vt eius voluntate positiua adhuc inefficaci (nedum efficaci & præfinitiua) fieri ex eo loco probent. Secundo actiones prauas, quatenus à Deo sunt, omnes vult, quâtum satis est Deus, ad easque ex parte sua voluntate sua positiua cõcurrit, qua indifferenter concursum suum offert. Idque prudentissimo prouidentissimo, & honestissimo Consilio, vt muneri causæ primæ, & vniuersalis satisfaciat; non tamen determinans, secumve creatas voluntates ad actiones illas, vt, contra munus, & debitam causis secundis liberis prouidentiam & gubernationem, iura ipsis libertatis infringat, ac in honestè se in ea determinatione gerat; sed potius determinatus à creatura concurrit: in qua determinatione, cum defectus creaturæ sit à lege, & à voluntate Dei ad Deum primum efficiens, & volens principium reduci vlterius, ac demum, nec debet, nec potest, vt q. 4. ostendemus.

QVÆSTIO III.

An præfinitiones ad materiale peccati per Concilia liceant, & Ecclesiæ Patres?

SATIS aperte præfinitiones Dei ad materiale peccati à scriptura reiici, sono ipso, & vocum significatione, (vel ipsis grammaticis nota) ex eius testimoniis datis quæst. 2. apparet. Hè vero ad scripturæ sensum, & mentem littera profundiorem præfinitores prouocent, eum quidem, non alium, quam vocum significatione propria expressum esse, constanti Ecclesiæ Catholicæ iudicio per Conciliorum, & Patrum definitiones, interpretationes, & sententias nobis tradito, ostendendum hic ex instituto erit, tametsi locorum, cum pro negante sententia nostra, tum contra illam ibi recitatorum, & explicatorum occasione id ipsum ex Patribus, non nimis id curtè, præstitum à nobis fuerit.

CERTAMEN I.

Concilia, præfinitiones Dei ad nostri peccati materiale condemnasse videntur.

1. IN primis damnatum id videtur ab Apostolorum Principe Petro in Simone Mago, cum apud Clementem Rom. citato loco quæst. 1. cert. 1. tum apud Vincentium Liren. commonitorio aduers. prophanar. vocum nouit. [Quis, inquit, ante Simonem Magum Apostolica distructione percussum, à quo vetus ille turpitudinum gurges vsque in nouissimum Priscillianum continua, & occulta successione manauit, auctorem malorum, id est scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum?] Petri vero in Magum Apostolica districtio, & hæretici argumenti à nobis ex ipso recitati solutio sic habet apud Clementem Romanum citata pag. 6. lib. 3. recog. [Ignoras Simon, & valde ignoras, quomodo in singulis quibusque voluntas Dei sit: quædam enim voluit ita esse, vt aliud esse non possent, quam id, quod ab ipso instituta sunt: & his neque præmia, neque supplicia statuit: ea verò, quæ ita esse voluit, vt in sua potestate habeant agere, quod velint, his pro actibus, & voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Secundum hanc distinctionem omne, quod vult Deus, est; quod autem non vult non est.] Item damnatum id videtur à Concilio Constantinopolitano 2. gener. 5. collat. 8. in Theodoro Mopsuesteno (Nestorij impij Magistro iniquissimo vt inibi elgitur) damnatione generali errorum, & scriptorum eius; etsi erroris huius hac in re expressus anathematismus non extet. Siquidem ex eius scriptis errores omnes decerptim collecti sunt collat. 4. ob quæ eius scripta omnia à Concilio impia, hæreticaque conclamata, atque damnata vniuersim fuere, atque eis sic collectis vniuersim anathema dictum. Extat autem inter alios, & hic error post medium collationis quartæ pag. 62. ferè ab initio ad finem, & vltra in editione Colon. Agrippinæ. Anno 1618. Cur autem hic error, cum eius pluribus aliis singulis cuique anathematismis adhibitis, non fuerit tunc, sed solum generaliter damnatus, ea in primis causa videtur extitisse, quòd is aliique eius errores solum generali damnatione excusi crassiores visi Patribus fuêre, & qui proinde non à Deo Christianorum mentes peruaderent, atque in Ecclesiam grassarentur. Secundò: quia Theodorus Mopsuestenus, Nestorij Magister, vt diximus, atque Nestorianæ hæresis subinde parens, totum se, & scripta sua ferè integra (vti ex eadem collatione 4. constat) ad eam stabiliendam, & quatuor ferè totis generalibus Conciliis anteactis damnatum de illa Nestorium defendendum contulerat: quo, & plurium mentibus alte repostam & inhærentem adhuc Nestorij hæresim fouebat, atque, vt denuò in alios plures serperet malum, aperiebat viam; quibus damnis instantibus, vt occurreret, huic præcipuè eradicando, radicitusque ab Ecclesia conuellendo institerunt, cæterorum, non adeò serpentium errorum eius propositorum generali anathemate, & damnatione contenti. Quod autem respondere Præfinitores, vel liquido hæretici, vel reliqui, vtcumque, possent huic Concilij damnationi: Theodorum de præfinitione, inductione impulsione, & dispositione Dei ex parte sua ad malum absolutè fuisse locutum, & damnatum: quod absque malitia formali (quam ipsi Deum velle, & causare omninò execrantur) malum absolutè non magis est, quam subiectum absque albedine album absolute sit: quare in ipsos, qui ad materiale peccati siue actiones prauas, prout à nobis, quæ subiectum solum malitiæ sunt, Dei præfinitiones prædeterminationes tantummodo admittunt, non cadere: confutatum iam est: rursusque ex eadem solutione tentata à proximi sæculi Nouatoribus reiicienda num. 2. atque q. 4. dum à ratione agamus abunde confutabimus.

2. Prodeat secundo contra præfinitiones hasce damnatio Tridentini sess. 6. can. 5. & 6. quæ sic habet: [Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita, vt bona, Deum operari non permissiue solum, sed propriè, & per se: adeò, vt sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli: anathema sit.] Porro plus his, quam nunc contra aduersarios contendimus, damnatur. Nimirum Deum nullatenus in opus nostrum prauum influere illudve operari, sicut bonum opus nostrum, in nobis operari Catholice hoc anathematismo supponitur, & asseritur, (qua in bonum nostrum Dei operatione nullam necessitatem nobis induci eadem sessione Canonibus recitatis d. 1. contra præfinitiones nostratum actionum vniuersim, sed integram, omnique necessitatem solutam, & absolutam antecedentem potestatem bene operandi, vel non operandi relinqui definitur) neutramque proditionis Iudæ, sicut conuersionis Pauli esse authorem, quod absque præfinitione prædeterminante, atque antecedenter necessitante, & in Pauli conuersione præstare absolutè potuit, & præstitit, & in prauo opere præstare quavis hortatione præcepto Consilio, ac non prædeterminante impulsione, aut inductione, vti nos sæpè præstamus, præstare absolutè posset: ergo nullo magis damnatur Deum præfinitione prædeterminatiua nos adigente, atque antecedenter necessitante ad ipsa nostra prava opera, vt à nobis sunt, seu peccati materiale efficere. Patet quia Concilium damnans asserentes, leuiorem multò, & laxiorem efficientiam, & influxum, qualemqualem, Dei in opera nostra prava, strictiorem, fortiorem, determinationem, atque à nobis ineuitabilem, & irresistibilem Dei ad ea opera præfinitione sua prædeterminatiua efficientiam, influxum, inductionem, & impulsionem asserentes citiùs condemnat. Confirmatur: quia huiusmodi impulsio, ac præfinitio Dei ad opera nos ad

adigens, & prædeterminans prauas, prioribus anathematismi huius verbis contenta, damnatur, & excluditur: definiturque in potestate nostra esse vias nostras malas facere, quæ quidem absoluta potestas nostra cum irresistibili à nobis præfinitione prædeterminata ad ipsas stare non potest, vt ostendimus d. 1. quæst. 8. omnibus aduersariorum solutionibus, ac per puram vocum elusionem tentatis euasionibus præclusis, quas hic proinde repetere æque prolixi, atque inutilis laboris esset.

3. Secundò pende illud *non permissiue solùm* quo Deum proprietate sermonis ex voluntate, & intentione agere mala opera nostra Concilium damnat, & excludit. Rursus exemplum proditionis Iudæ, & vocationis Pauli, quoad proximitatem agendi actum prauum, & actum bonum non est: nam vocatio Pauli actus bonus Pauli non est; sicut prauus actus est proditio Iudæ; sed solum causa, & auxilium, adiutoriumque Paulo ad actum bonum conuersionis à Deo misericorditer præstitum. Est autem exempli comparatio, quoad proprietatem attributionis effectus, vtriusque Deo ratione independentiæ omnimodæ à nostra potestate, & arbitrij libertate in vtriusque à Deo effectione, & operatione in nobis sine nobis, & libertate; si enim operatio prava in nostra potestate, & libertate non esset, sed ex mero Dei illam præsentientis arbitratu, necessario, & à nobis irresistibiliter poneretur, vt prima erroris anathematismo subiiciendo recitati & damnati parte proponitur, æque propriè à Deo in nobis sine nobis libere operantibus, & Pauli vocatio, & Iudæ proditio fieri diceretur: etenim, cum vtraque actio vitalis nostra sit, neutra in nobis sine nobis vitaliter physice operantibus esse potest: quare, quia in Paulo sine Paulo liberè operante ex Dei solius electione misericordi vocatio tributa est, Deo, & ipsa, & ipsam secuta conuersio, tanquam principali causæ, & authori, proprietate sermonis, tribuitur: ac subinde si sine Iuda liberè operante ab eoque irresistibiliter, solo Dei præsinientis arbitrio & electione proditio Iudæ procederet æque propriè Dei proprium opus esset proditio Iudæ, atque vocatio Pauli: malaque opera, ita, vt bona, in nobis non solùm permissiue operaretur Deus: quod expressæ Concilij definitioni contradicit. Quo euasio de remotiori causatione Dei respectu actionis pravæ, quam auxilij, & vocationis ad honestas nostras actiones, vt non ita has, atque illas Deus operari à Concilio dicatur, manet præclusa, & sanè cum Concilium vocationem Pauli, in exemplum operis boni, proditionem Iudæ, in exemplum mali operis adhibitæ, opposuit; non tam vocationem ipsam in se, & actiuè, quam passiuè, & in effectu conuersionis Pauli consideratam proposuit. Quibus positis duplex ex loco ipso Tridentini argumentum efformo: nam primum illud libertatis arbitrij, & potestatis nostræ in actu primo necessariæ ad actionem prauam, vt talem, & materiale peccati propriè sit, attactum iam est, ac loco citato satis à nobis persecutum. Alterum verò à minori impulsionis cuiusuis à Deo non prædeterminantis, & nos irresistibiliter ad actionem prauam adigentis, ad sic nos præfinitione prædeterminatiua adigentis, quod satis nunc sit, attigimus num. 2.

4. Arguo igitur primò: illa anathematismi huius particula *non permissiue solum* actiones prauas nostras Deum plusquam permissiue operari damnatur à Tridentino Canone recitato: atqui, si eas Deus præfinitione prædeterminatiua operetur, non permissiue solum eas operabitur Deus: ergo operari illas Deum præfinitione prædeterminatiua damnatur ibi à Tridentino. Maior est eo anathematismo expressa: consequentia legitima. Minor de se ita perspicua, vt propterea Caluinus quæst. 2. recitatus, tam anxie contenderit eas voces permissionis, seu permissiuæ voluntatis Dei tantum erga actiones nostras prauas satis non esse, vt excæcari, obduratique nos à Deo, & similia, vero aliquo sensu, à scriptura dicantur, ni positiua Dei voluntas, erga actiones prauas, ad quas agendas iudicio iusto à Deo excæcamur, & obduramur in anteactorum criminum pœnam, positiua intercedat. Probaturque: quia actionis cuiusvis facta alicui permissio positiuam permittentis erga actionem illam voluntatem non claudit; sed solum voluntatem non impediendi eius potestatem ad eam actionem pro arbitrio, & libertate sua exercendam, cum qua stat permittentis, quantum ex parte sua est, de actione illa displicentia, & nolitio efficax etiam, etsi non absoluta, & omnimode efficax, id patet in moralibus, & politicis permissionibus, legisque, & præcepti dispensationibus: quas sæpè superiores subditis ex conniuentia, quandoque rationali, & licita, vt maius vitent malum, quod prudenter timent; quandoque illicite subditis præstant ad eas actiones; quas tamen ex parte sua ab his fieri valde dolent, ac non fieri vehementer exoptant, vellentque aliunde, si possent, impedire: ergo illis *permissiue solum*. Omnis Dei, quatenus ex parte sui est, voluntas positiua erga opera prava excluditur: quare, qui aliquam Dei, quatenus ex ipso est, positiuam voluntatem, nedum præfinitiuam prædeterminatiuam, & efficacem, erga prava nostra opera, vt à nobis fiant, siue erga materiale peccati admittit, Deum non solum permissiue se habere, contra Tridentinum ait. Simile argumentum, vel potius idem continetur in sequenti anathematismi aduersatiua; *sed propriè, & per se*, Deum prava opera operari. Nulla enim agentis rationalis per voluntatem, & arbitrium magis propria operatio, quam, quæ ex eius libera ac deliberata eius operationis voluntate, efficaci præsertim (cuiusmodi prædeterminatiua præfinitio est) procedit.

5. Secundo argumentor: ex eis anathematismi verbis cum sequentibus *Deum operari mala nostra operæ ita vt bona propriè, & per se: à Deo, vt sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli* (siue, vt diximus conuersio *Pauli*) damnatur anathemate Tridentini: atqui iuxta præfinitores omnes, ita, vt bona, mala opera Deus operatur propriè, & per se: adeò, vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quam conuersio Pauli: ergo eorum præfinitiones ad materiale peccati damnantur anathemate hoc Tridentini. Minor probatur eatenus conuersio Pauli est, esseque solummodo potest iuxta aduersarios, proprium opus Dei, quatenus præfinitione prædeterminatiua Dei liberè à Deo concepta, & prædeterminatione physica in de necessario orta (in qua per eos efficacia auxilij consistit) voluntatis Pauli ad conuersionem posita independenter ab vsu libertatis Pauli in conuersionis elicientia & positione, Deo conuersio Pauli, tanquam principali agenti, & authori tribuitur; ast, per hosce præfinitores ad materiale peccati, proditio Iudæ non minus ponitur ex mero arbitrio Dei positiue illam pro solo nutu suo, ac prorsus independenter ab vsu libertatis Iudæ in proditionis elicientia, & positione præsinientis, ac Iudæ voluntatem subinde ad traditionem prædeterminantis, quam Pauli conuersio: ergo æque, ac non minus, quam conuersio Pauli est proprium opus Dei Iudæ traditio. Adde: ea solum causatio negatur Deo in opere malo, quæ in homine admittitur: hæc solum est erga materiale ergo ea negatur Deo. Minor est certa vt constabit quæst. 4. cert. 1. ex ratione & S. Thom. ex qua hæc nunc; *cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens; ex parte autem actus habeat causam agentem per se: sequitur, quod inordinatio actus peccati consequatur ex ipsa causa actus.* Hæc ille 1. 2. q. 25. art. 1. Nec præfinitorum ad hæc argumenta communibus effugiis locus patet. Non primo tentato à Caluino instruct. aduers. libertin. cap. 14. de finis, & intentionis diuersitate. Ex quocumque enim fine, non minus positiue, & efficaciter absolutè vult actionem prauam traditionis Iudæ, quam conuersionem Pauli: vnde solum (vndecumque, & ex quovis fine habeatur) æque ac eadem proprietate est vnius atque alterius operator. Secundò nec in fine, titulo, aut motiuo vlla est in præfinitorum horum sententi i diuersitas: siquidem titulus est, titulus causæ primæ, primique liberi, & potestatis dominij, & gubernationis Dei, cui ex parte voluntatis creatæ respondet necessario in sua physica operatione subordinatio, & voluntari liberæ Dei, etiam quoad hæc libertatis vsum, subiectio: ex parte verò finis, & motiui Dei alterutrum opus præfinientis est per hosce, vt eisdem titulis, & muneribus satisfaciat, gloriamve, & potestatem suam ostendat: quæ in alterutrius, siue bonæ, siue pravæ actionis præfinitione, & attendit, & intendit: ergo nulla est in præfinitorum sententia ex parte tituli finis, aut motiui in alterutrius præfinitione diuersitas.

6. Sed nec secundo communi eorum effugio ampliot

patet

patet locus : nempe ipsos de præfinitione materialis peccati loqui, non de formali ; Concilium verò loqui de præfinitione, & causatione formalis peccati, & voluntate efficaci Dei erga malum formale, siue eius etiam malitiam, vt enim fileam nullatenus aliter à rationali aliquo agente præfiniri, amari, causarive formale peccati, nisi ipso, soloque materialis amore mali, textus ipse effugium hoc præclusit : primo verbis, *opera mala, ita vt bona* : opera enim materiale peccati, non formale eius sunt. Clarius secundo illis, *vt sit proprium eius opus, non minus traditio Iudæ quam*, &c. vbi traditio physica Iudæ, vt à Iuda exercita (quæ purum materiale peccati est) sola, ac sine malitia formali, ipsi vndecumque, & quomodocumque agnata, ac metaphysice superaddita, in exemplum operis praui, quod à Deo aliquo modo causari nedum præfiniri à Tridentino damnatur, adhibita à Tridentino fuit. Tertio quia Tridentinum Nouatorum eius sæculi errorem, qui hac in re erat condemnat ; non autem qui non erat : imò, nec, nisi à dementissimo, & irrationali, in somnium, & delirium potiùs, quàm hæresis esse posset, vt idcircò Irenæus Horinum quendam, qui totius peccati, ac subinde formalis eius causationem, vi irrefragabilis consequētiæ à materiali ad formale peccati, absolutè in Deo admisit, non hæreticum sed *pluſquam hæreticum* (belluinum nempe hominem) appellauit loco citato quæst. 1. certam. 1. num. 4. sub med. & Caluinus ibi citatus, quod Franciscani Libertini, quasi ex ipsius doctrina decreto efficaci Dei, quod erga praua opera docuit, velle, & causare absolutè peccatum admittere errorem, non sine magno in eum Stomacho confutauit ; cum ergo error, qui Caluini, ac sequacium, tunc frequentium, erat eo anathematismo damnetur : atque hic de præfinitione ad materiale peccati esset, quin vltra ad præfinitionem, causationemque formalis peccati progrederetur, vt vidimus, ac expressius Caluinistarum verbis ipsis, vti n. sequente videbimus, has ad materiale peccati præfinitiones, non ad formale præcisè damnatas à Tridentino fuisse certissimum, & exploratissimum videtur : vt censuit Zumel recitatus eo certam. 1. num. 8. illis verbis. *Nullus hæreticorum, qui huic sententiæ fauet, dixit Deum concurrere* (prædeterminatiue præfiniendo) *ad formale peccati, sed solum ad materiale, & nihilominus damnantur à Concilio Tridentino* quæ refert, tacitusque approbat Dominicanus Albelda 1. part. quæst. 19. art. 8. d. 59. optimo iure, vt iam ostendo.

7. Tertiò inde Thomistis hoc effugium speciatim occludo, secundamque eius impugnationem simul confirmo : etenim ita respondentes cum Caluinistis, verbis etiam ipsis conueniunt qui nihilominus damnati à Tridentino sunt, quin vel fœderis ignominia (quod satis esse doctis, & Catholicis Doctoribus videbatur) vel Tridentino fulmine sententia absistant. Prodeat suam, & suorum doctrinam aperiens Caluinus epistola tota ad Rothomagenses contra Franciscanum illum Libertinum vbi ab eo se purgat, quod doctrina sua de præfinitione Dei ad materiale peccati doceat Deum velle, causareque absolutè peccatum, seu plus aliquid quam actionem prauam præfiniendo siue efficaciter volendo impellendoque irresistibiliter, vt ab homine fiat : quin, &, eadem epistola de Franciscano illo ait : quod ea propositione de Dei causatione, & efficaci voluntate absoluta peccati sæpe (vt Caluinus censet) aperte ab ipso admissa, se detergere voluerit *conteſtatur* (Franciscanus ille Libertinus) *sibi longe aliam esse mentem, sequę Deum mali auctorem facere nolle affirmat ; sed quid prodeſt eiusmodi ſubterfugium in re tam clara* ? Verum huius, & Libertinorum hac in re hæresim non satis Caluinus percalluit : ex actionum enim prauarum præfinitione à Deo inferebant, solum esse falsa, æstimatione peccatum : qui error alter est, in quem supra agebamus, agemusque prolixius à ratione præfinitores quæst. 4. Cum ergo deduci se non à Catholicis solum, sed etiam à memoratis Lutheranis quæst. 1. cert. 1. num. 4. ex suis ad actiones prauas Dei præfinitionibus Caluinus videret, vt Deum velle, esseque peccatorum absolutè causam, & auctorem admitteret, nil studiosius à se propulsare conatus est 1. Institut. cap. 17. §. 3. *Ad modeſtiam quicumque erunt compoſiti, neque in præteritum de rebus aduerſis contra Deum frement ; neque ſcelerum culpam contra ipſum regerent. Nimirum, ſi inſtrumenti, quod ipſi ſunt, ſcelera ſua eſſe, non Dei impellentis vitio, vitioſas illas actiones prodire fateantur* : Obiude illud Lyconidis apud Plautum. *Deus impulſor fuit : credo Deos voluiſſe*, statim carpit ; sed se etiam, quoad primam eius effati partem, plane reprehendit : cogiturque, vt se (velit, nolit) reprehendat, quoad secundam præfat. lib. de æterna Dei prædestinat. cusso apud Genuens. anno 1570. *Inter omnes pios fixum hoc, & confeſſum eſſe debet : non eſſe cur ſuis peccatis ſocium Deum homines adſcribant, vel illo modo ſecum inuoluant ad partem culpæ ſuſtinendam* pag. 905. *Arcanum Dei conſilium, quo prædinatus fuerat hominis lapſus, qua decet ſobrietate procul adoret fides noſtra.* pag. 946. *ergo cum iuſta de cauſa, licet nobis ignota à Domino procedant quæ ſceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur ; etiamſi rerum omnium prima cauſa ſit eius voluntas, peccati tamen eum eſſe auctorem nego* : subinferius : *Turpi quidem, & illiberali calumnia nos grauant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt ; ſi omnium quæ aguntur cauſa eſt eius voluntas.*

8. Id ipsum profitetur & contendit longa d. aduersus Libertinos. Petrus Martyr eius sectarius comm. in c. 1. ad Roman. impulsum hominum à Deo ad scelera admittit ; Deum verò peccare, authoremve peccati esse absolutè mordicùs cum suo Præceptore negat : vtriusque discipulus Theodorus Beza responsionibus cum ad Helmsium, tum ad Castellionem Lutheranos ita habet aphorismo 8. *Non conſequitur ex iſtis* (quòd Deus impellat, ac positiua voluntate prædestinet nos ad actiones prauas) *vlla iſtarum blaſphemiarum : nempe, vel Deum eſſe auctorem peccati, ſiue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem, vel ſathanam aut homines male agendo obtemperare Deo, aut quatenus male agunt, facere quod Deus vult* (in hoc postremum Caluinistæ à libertinis prætim, etsi sceleris præfinitoribus, agebantur) *ac proinde eſſe extra culpam. Abſint verò quam longiſſimè omnes eiuſmodi blaſphemiæ, non tantum à linguis, ſed etiam à cogitationibus noſtris* : eadem est eius aphorismo 18. ad 22. inclusiue sententia, & Dei à malitia, & causatione, & voluntate absoluta iniquitatis & peccati excusatio ; etsi nos ad scelera peragenda positiua, nec solum permissiua, voluntate, vt asserit, prædestinet, ac irresistibiliter impellat. Idem non semel docet Zuinglius Caluinista epist. ad Philippum Catrorum Principem c. 5. bis, ac semel rursus, ac iterum ac pluries, c. 6. his præsertim : *Vnum igitur, atque idem facinus* (*puta adulterium aut homicidium*) *quatenus Dei authoris motoris, impulſoris, opus, eximen non eſt ; quatenus autem hominis eſt crimen eſt* : Philip. Melant. annot. ad c. 9. ad Rom. *Non docemus non ſolum permittere Deum creaturis, vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere, ſicut fatentur proprium Dei opus fuiſſe Pauli vocationem : ita fatemur Dei propriè opera eſſe quæ vocantur intermedia, vt comedere & bibere, ſeu quæ mala ſunt, vt Dauidis adulterium : conſtat enim Deum omnia facere non permiſſiuè, ſed potenter.* Locis tamen communibus titul. *de cauſa peccati* ait : *firmiſſimè, & vtraque manu tenendum, Deum nullo modo eſſe auctorem peccati.* Ratio autem, qua, & Caluinus eius & sectarij à causalitate absoluta Dei actionis prauæ per decretum suum efficax, & impulsionem antecedentem vsum liberratis nostræ, vt vt eas agamus illationem necessariam ad absolutum voluntionem, & causationem peccati adeo conantur cum entatis tum aliis locis diuertere, quod scilicet nos Dei instrumenta simus, etsi necessariò & irresistibiliter, non tamen coactè, sed spontaneè operantia, & in quæ proinde tota refundi actionis, & sceleris culpa debeat : non in Deum, qui vtpote instrumentorum horum Dominus, iure vtitur suo, atque ex iustitia eis, ad quæ velit, vti potest. friuola est, & quæ absolutæ causationis peccati confirmet potius illationem, quàm diuertat. Nam impellenti attifici, non instrumento irresistibiliter eius impulsu eunti vitium operis merito tribuitur. Secunda apud ipsos fre- quens euasio ; quod Deus nec peccare, nec velle iniquitatem deficerèvè à iustitia possit ; creatura verò & peccare, & velle, causareque absolutè, ac deficere à iustitia possit, adhuc est inutilior, & principij petitio. Siquidem ut

ex causatione,& volitione absoluta materialis peccati,& causari,& amari absolutè peccatum & malitiam inferrur: imo non aliter amari causarique absolutè à creatura posse peccatum, eiusque malitiam posse: vnde nec Deum peccati auctorem,& amatorem esse nō posse si materiale peccati præfiniat: quare ex hac assertione contra illud dogma de impotentia peccandi, & indefectibilitate Dei à iustitia, & sanctitate præfinitores omnes materialis peccati impingere:& sanè, vt referebamus q.1.cert.1.n.4.fine, vel obscuratissimis Lutheranorum mentibus consequentiæ huius claritas ità innotuit, vt eos errorem suum de præfinitione Dei ad materiale peccati retractare, atque irrecuocabiliter eiurare compulerit. Sed ad institutum præsens non de illationis huius legitimitate ostendēdalis nobis nunc est; sed hæreticos anathematismo recitato damnatos præfinitiones Dei ad materiale peccati, atque absolutam in actiones prauas, prout à nobis etiam oriundas, tantummodo admisisse, quin absolutam peccati in Deo præfinitionē, & causationem admiserint; imò verò expresse negarint, ac pro vitili à Deo relegandam contenderint; & tamen damnati à Tridentino sunt, vt Zumel aiebat: ergo,& Thomistæ, qui id solum asserunt: & id ipsum solum, quod hæretici ibi damnati negant, etiam inficiantur (qua velint ratione inficientur) Tridentino anathemate & fulmine tanguntur, vt nunc cōtendimus. Porrò, quæ ex definitionib. Innocētij, & successionis eius Alexandri septimi Pontificum cōtra præfinitiones ad materiale peccati induci hic possent ex parte solum necessariæ potestatis ac libertatis omni necessitate solutæ, atque absoluræ ad non peccandum petenda essent: quæ tamen persecuti late fuimus d.1.quare aliunde solùm hic præfinitiones ad materiale peccati impugnandas à nobis suscipi præfatione disputationis huius proposuimus ne ageremus actum, & eadem repetereremus.

9. Vlterius præfinitiones istæ ad materiale peccati reiecit Tridentinum sess.6.c.11. ratione, qua iustis possibilia obseruata præcepta probat. *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur, &* c. 13. *Deus ni ipse illius gratia de fuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Atqui, si ante vsum libertatis iusti, ab eoque prorsus independenter, Deus ex se ipso è puraque libertate,& arbitrio suæ voluntatis præfiniat prædeterminatiué materiale peccati, siue, vt actio prava à iusto fiat, & prius quam ipse deseratur deseret illum: nec opus, quod in illo cœpit perficiet; sed destruet potius, quin ille ipsius gratiæ deficiat, prius nimirum: ergo præfinitiones ad materiale peccati,& definitionibus, & rationibus Tridentini aduersantur. Minor probatur, & quoad primam eius partem primo: quia præfinitio illa prædeterminatiua prior causalitate omninò est libera actione prava etiam, prout ab homine qua, vt tali, ac nullo alio realiter, siue re ipsa, & amicitia nei eiusque gratia dissoluitur: estque dubio procul hominis à Deo, non vtcunque, & solum permissiua suas arbitrio nostro partes relinquente, sed positiua, & maxima, infensissimaque desertio, quin eius potestati, vt non deseratur in actu secundò, atque irresistibiliter cadat, locū relinquat vllum, quoad secundam partem probatur: minor enim præfinitione prædeterminatiua ad actionem pravam, qua sola reipsa loquendo gratia, eiusque à Deo cœptū opus, prius,& independēter prorsus à nostræ libertatis vsu (quo solum gratiæ deficimus) à Deo destruitur, quin eius gratiæ iustus deficiat, aut desit: atqui opus cœptū destruit, manifestum est illum non perficere: ergo Deus præfiniens materiale peccati non perficit iusti cœptum opus, ni hic gratiæ ipsius de fuerit ac deficiat: quare vtriusq; capitis definitioni præfinitiones Dei ad materiale peccati aduersātur.

10. Porrò, quæ his argumentis respondeti poterant de auxiliatione Dei sufficienti, & præclusa sunt d.1.q.vlt.& lomenta hæc non solum præfinitione hac prædeterminatiua sufficienti Dei auxilio, ne à gratia, & amicitia Dei peccatū eiusque odium,& inimicitiā decidamus nos carere: verum, est sufficiens auxilium adesse cum præfinitione hac absolute posset à Deo amicitiæ, & iustitiæ desertione ineuitabilem nobis inchoari, prius quidem, quam à nobis: ac rursus opus iusti cœptum destrui potius à Deo quam perfici, quin eius gratiæ iustus deficiat: cum pro priori ad eius defientiam (esto libere futuram ac subinde ex potestate non eliciendi actionem pravam auxilio sufficienti facta) actualem Deus præfiniens irresistibiliter prædeterminatiué defectionem hanc ex se,& à se solum ipso, cæpit, atque ab amicitia desciuit: Denique neq; hic, neq; hactenus solutiones Recentium Thomistarum ad efformata, cum ex scriptura, tum ex testimoniis Conciliorum argumenta,& illationes ex causalitate absoluta Dei erga materiale peccati ad absoluram etiam eius erga formale peccatum causalitatem ex instituto confutauit, nec nisi leuiter, & cursim recensui: nec fusius proponam, ac refellam certam.2.cum ex Patrum testimoniis eos refellam; quia,& eorum solutiones communes cum solutionibus Caluinistarum à Tridentino eadem in re damnatorum, atque item prædestinatorum fatalium & Priscillianistarum, contra quos Patres pugnarunt esse videantur: ac subinde æquæ cum eis & Thomistis à Tridentino, & Patribus damnari, quoad rem præsentem, ac refelli: Tamen, quia & hactenus, vt quæstione tota præsente testimoniis fere ad purum agere decreuimus,& quidquid rationis,& argumentorum in eis inueniatur referre potius, & insinuare quam vrgere, euasiones hasce explicatius proponere, earumque conuenientiam, cum tentatis hæreticorum ostendere, ac fusius demum, fortiusque cōfutare quæstioni quartæ, quæ tota à ratione erit, reseruauimus: in ea quippe rationes omnes Theologicæ,& naturales recitatis, ac recitandis Patrum testimoniis contentæ rigore Scholastico instruentur, & prorrahentur, atq; earum effugia obscurato præcludentur: quo fiet, vt eorundem repetitio fastidiosa vitetur, atque vno labore argumenta omnia ab authoritate prioribus his quæstionibus efformata simul confirmentur.

CERTAMEN II.

Patres præfinitiones ad materiale peccati consone exhorrent.

1 PRætereo consulto testimonia, quæ Deum causam peccati absolutè negant, etsi inde, nec materialis peccati causam absolutè esse euidens, me iudice, illatio sit; solumque attingā, quæ de præfinitione materialis peccati sunt expressa, & rationes alias à libertatis necessariæ ad peccatum euersione dist. 1. vniuersim monstrata contineant. Clement.Roman.3. recognit. pag.6. Petri Apostoli Simonem Magum de opposito errore damnātem refert, vt vidimus cert. 1.n.1.& probat Clem. Alex.1.Strom.pag. 65. *quoniam libera electio, & appetitio peccata primum inchoat, iure infliguntur supplicia*, & circa lib.med. *qui non prohibet liberæ animæ electionē iustè iudicat* (electio autem libera materiale ipsum peccati est) *vt vel maximè quidem Deus nobis non sit causa vitij.* Quibus duæ rationes continentur, quod alias Deus materiale peccati præsciens, & nobis peccati causa absolute esset, & iniuste nos puniret, & post alia Deum permissiue solū, ac non positiua earum actionum voluntare se gerere ait: *Diabolus autem cum liberum haberet arbitrium, & duci posset pœnitentiæ, & furari ipse quoque est in non Dominus, qui non prohibuit* id est impediuit,& lib.4.med. *Non est ergo existimandum eum operando exercere affectiones. (Nec enim hoc cogitare licuerit) sed non prohibere eos, qui eas exercent persuasum habere conuenit*,& Sanct. Dionys. Areopagit.4. de diuin.nnominib. Deum mali auctorem negat & epist.vlt. ad Ioann. Euang. init. *iniqui discipulos ex vrbibus expellunt qui sibi ea, qua meriti sunt, retribuunt.* Expulsionis actione, & infra: *Neque enim in sæculis, quæ ventura sunt, causaueris Deus iustarum meritarū à se secretionum, sed ij qui se penitus à Deo secreuerint.* Et rursus Clemens Alexand. 1.Pedag.c.8. *culpa est eius, qui eligit, in Deum autem culpa conferri nequit* Orig.4.cont.Cels. post med. cum Celso conuenit in eo, quod mala ex Deo non sint, quod autem eorum causa sit materia, quæ versatur circa mortalia falsè ab ipso asseri ait. *Nam sua cuique* (inquit) *ratio est existentis in ipso malitia: qua quidem malum est, mala quoque actiones, quæ ex ea proueniunt.* Euseb. Cæsar.6. præparat. Euang.c.5. *impius profecto iudicabitur: imò verò pessimus omnium, qui à Creatore vniuersi alios ad adulteria; alios ad rapinas; alios ad alia vitia:* (vbi notavitia,& peccata absolute dicta pro eodem atque turpes ipsas actiones, & materiale peccati indiscriminatim à Patribus dici, & vsurpari) *impelli arbitrentur: vnde sequitur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam in Creatorem referri*: quo dogmate, *nihil sceleſtius cogitari*

posse: infra concludit, & sub medium fontem, & saturginem nostrorum malorum, neque ex insitis naturæ, neque in extrinsecis esse; [solummodo autem in libero animi motu, quando non secundùm naturam, sed à regia exiens via sponte (Dominus enim sibi animus est) præternaturâ fertur. c.9. *subinit.* Prophetiæ de Iuda diligentius verba examinata non fuisse Deum causam proditionis ostendunt, sed solũ significasse, quod præuiderat ex malignitate eius futurum:] quibus similia de aliis actionibus prauis à Deo præuisis subinferius adiungit. Lactant. de ira Dei c.14. docet bonas nostras voluntates, & affectiones à Deo esse: de malis autem inquirit c.15. init. an diuino aliquo instituto (quod prauum fore supponit) proueniant, & tam ibi, quàm c.24. & 25. ex nostro libero arbitrio & eligendi potestate solummodo prouenire. Tertull. exhort. ad castit. sub init. *Si quæris vnde veniat ista voluntas, qua quid volumus contra Dei voluntatem, vt dicam: ex nobis ipsis:* de Trinit. post med. *quæ à bono institutore instituta sunt aliud quàm bona esse non possunt: ex quo omne malum faceſſat à Deo. Neque enim potest fieri, vt sit initiator, aut artifex vllius mali operis, qui nomen sibi perfecti vindicat, & parentis, & iudicis, maximè, cum omnis mali operis, & vindex sit, & iudex:* vbi tres tangit rationes q.4. persequendas Cyprian. ad Demetrian. sub init. & lib. de vnit. Eccl. seu simplic. Prælator, vers. med. act. prauas, ac permidiam ab vnitate discordem, non Dei voluntate, sed permissu, & patientia, solum à nobis fieri docet.

2 Epiphanius hæresi 24. post med. id, *& vidit cuncta quæ fecerat; & erant valde bona:* dictum ait: vt ostenderetur, *quod malum non haberet fundamentum, neque ab initio extitit prius, quàm ab homine initium sumeret:* Repetit hæresi 42. sub tit. ex epist ad Galat. confut. 6. & hæresi 66. Ecclesiæ Dei characterem esse ait: *Fateri Deum penitus alienum, & impermixtum à malo culpa,* & qui impermixtus, & alienus, si se efficaci præfinitione, vnde mali eius initium, actionibus turpibus immisceret? infrà: *iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quisque, quod voluerit faciat, quod ipse quidem malorum causa non sit.* Futurus sanè, si voluntatem prauam, non permitteret solum, sed fieri à nobis (præsertim efficaciter, & irresistibiliter) vellet. Damasc. 2. fid. c.25. post med. actionum, quæ à nobis fiunt principium disquirens, si earum homo principium non sit. *Non enim* inquit *est fas Deo adscribere quandoque turpes, & iniustas actiones fore:* quare, & ibi, & iterùm c.26. earum arbitrium nostrum principium esse concludit. Gregor. Nyssen. seu potius Nemes. 7. Philosoph. c.1. seu de animæ facultatibus c.39. ante med. *Nec fas est Deo adscribere turpes interdum actiones, & iniquas, neque necessitati;* sed copiosissimus contra eiusmodi præfinitiones extat toto illo fragmento epistolæ suæ ad Constantium quendam recitato à nobis d.1. q.2. cert.2.n.6. Ex quo illa præsertim *qua est ista libertas, vbi hoc solum datur velle, quod puniat, & illa inter homines à recti cordis dat affectu qui à subiectu exigit, quod in potestate non tribuit:* & iterùm: *Ad periculum, & gehennam non imperio aliquo, sed sponte deuoluimur:* Rursus: *non erit iusta retributio: quæ per supplicia refertur, necessitate peccantibus.* Præterea: *Toties noli in superna admonitione, quo respicit, si aliud velle non licuit?* Dixerat autem fragmenti recitati initio sententiam hanc de necessitate electionis prauæ (etsi electioni locum relinquat) *Schismaticam esse, & quæ iuxta Apocalypsim scriptas habet in fronte blasphemias:* vtique quas notatis proximè verbis recenset, & de libertatis, & virtutis, meritique subinde euersione, & retributionis iustæ à Deo exilio quas ibi deducit. Porro de actionibus suis motibusque animi quos, vel inuitus Apostolus patiebatur, aiebat: *Non ego operor, sed quod in habitat in me peccatum.* ad Rom. 7. vbi Chrysostom. homil. 13. *Omnia ad voluntatis propositum referuntur,* non ad naturam, eique insita à Deo, eiusque opera: *quod vero ex nobis est illarum est motio, quæ eo ducit quo nos vtiq; voluerimus.* Homil. 14. in 8 ad Hebræ. ante med. *intuere à nobis primum incipere mala, ipsi* inquit, *primi non manserunt.* Homil. de interd. arboris post homil. in Genes. *Manifestum est Deum noluisse Adam peccare, qui voluit, eum ante delictum præstruere. Potuit Adam Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo voluit:* ecce voluntaris comedendi, ad quod à diabolo inuitabatur consensum, qui purum materiale peccati est, nolitorem, vt sic loquar, ac non volitorem, nedum præfinitore Deum. Homil. 42. ad populum colum. penult. id Psal. 120. *Ne des in commotionem pedem tuum:* sic ponderat. *Non dixit ne commoueris, sed ne des, igitur in nobis est dare, non in illo altero. Nam si stare velimus, stabiles, & immoti non commouebimur.* homil. 23. in acta. *Nullus dicat Deus nobis auctor malorum est.* Subditque: *satius fuerit sexcenties defodi, quam Deum audire talia per nos.* Theophylact. ad id, & *vnus ex vobis* (à me electis) *diabolus est,* inquit, *quamuis esset ex S. illo Choro, Iudas, attamen sua voluntate* (quæ materiale purum peccati est) *indignus inuentus est.* Non Dei potius ad illum eligentis: quare subinfert: *igitur voluntate* [cuiusque nostri] *mala, & nascuntur, & crescunt,* Anastas. Nicæn. prouerb. 9 *stultitia supplantat gressus eius, & contra Deum fernet animo suo.* q.49. in script. ex Chrysost. merito incusari impium ait. *Homo enim* [quæ vt ipse legit] *perdit vias suas, & in Deum, tanquam in auctorem confert; habet liberum arbitrium sua salutis, aut exitij.*

3. Cyrill. Alex. 11. in Ioan. c.21. fine. [Si ad diaboli lasqueum sponte, ac negligentia nostra venimus, quem ipsum potiùs, quàm nos ipsos, criminabimur? nonne hoc est quod Salomon ait: (proxime) quod si proditor æqualiter aliis discipulis saluatoris auxilium non habuisset (ne proderet) frustra hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minus, quam cæteri diuina gratia, regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit: quomodo etiam non seruauit eum Christus]? Ephren. Syr. de vita spirituali ad Monach. Nouit. c.93. t.1. Bibliot. *Originem peccati, non à Deo sed à nostra libertate esse docet:* Olympiodor. in Eccles. c.2. colum.2. *quod qui studẽt circa ea, qua vana sunt, & se se voluptatibus tradunt, excusari non possunt carentis ratione fortuna motum, neque fati necessitatem. Humana siquidem actiones proficiscuntur ab electione & ab insita nobis libera potestate.* Nazian. orat. 1. in Julian. ante med. *A quibus* (prouidentiæ Dei consiliis, nedum præfinitioni) [non ille quidem ad malum ex citatus est; Deus enim nullo modo est causa mali, quippe natura bonus, vitiumque eius est qui elegit, haud tamen ab imperu suo animique proposito repressus est à Deo, à quo neutiquam impulsus.] Similiter scribit orat 40. in cuius Comment. penult. vers. medium hæc Nicætas. [Alia in nobis posita sunt, vt iram, cupiditatem, libidinemque comprimere, vel iisdem succumbere. Quarum igitur verum arbitrium penes te est, harum causas exterius ne cõquiras: verum hoc pro certo habeas, id, quod proprie malum est à libera, & voluntaria à bono auersione originem ducere. *Basil. constit. monastic. c.3. post med. cont. Manich.* Vt enim luculenta quædam res, ac per se bona equus est: &c. quo is natura ferocior, & præstantior haberi solet; sessore tamen perito eget moderatoreque ita, inquit, cor eiusque passiones vehementes ratione, atque arbitrio, cuius solum ignauia, & vitio in actus prauos prosilient. Etenim, si eiusmodi essent affectiones istæ corporis, quæ ab animo domari non possent, merito culpa in corpus posset transferri. Si vero inuenti sunt multisque rum studiis victæ illæ cessere, nequaquam ab iis corpus culpatur (*ac subinde nec eius author Deus*) qui ipsum, tanquam vitiorum auctorem traducere non dubitant; sed negligentiæ culpa in eo est, cui delatum corporis imperii est.] Et quidem corporis passiones, etsi nos ad actiones prauas soliciteat, ac impellant, non eas nobis præfinitæ prædeterminatiuè, & irresistibiliter: iure igitur in ira illa præsinientem Deum, vt in auctorem, & ipse, & earum vtium refunderetur, & homil. 2. de opere sex dierum. A Deo malum perfluxisse pium non est dicere. Athanas. orat. cont. idola sub init. Sic probat, Deum non esse nostrorum sclerum authorem. *Non enim ex bono malum, neque in eo est, neque per eum: alioqui pro bono haberi non posset; cum ac miscellaneam contrariamque naturam haberet* (quod Deo summè perfecto, purissimoque bono repugnat) *aut causa auctorque malorum existeret.* Hos Patres, & reliquos eretam, hoc recitandos iterum, ac pluries in eadem sententiam recitabimus certaminibus sequentibus, vbi alia ex Patribus instruamus contra præfinitiones hasce argumenta.

4. Sed nũc audiamus Mag. Leonem de Iudæ proditione, & atrocitate Iudæorum in Christum Dominum rem hanc luculentissimè docentem serm. c.2. *Iudas sibi fuit materia ruinæ, & causa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & vultus Christum habere Rectorem:* vtique in Magistri proditione Serm. 16. c.3. init. *Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi, quod Dominus Iesu Christus furorem frementium pati voluit, in nullo eorũ criminis authorem esse,*

vt vellent, sed cessit vt possent, non humana solum, sed & diuina sua voluntate, ita enim inibi scribit! *nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio: & illud facimus, quod omni maius est crimine, manus diuina præparationis armauit? non hoc plane de summa iustitia sentiendum est*: ac rursus ibidem. *Non enim impias sententiæ manus immisit in se Dominus, sed admisit. Neque præscibo, quod faciendum erat, coëgit, vt fieret. cum tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret.* Serm. 18. de iciun. Septim. mens. [sub init. id Eccles. 18. [Posit concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere, *expendens ait*: cum autem sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est, quod iubetur, vt nostris non consentiamus affectibus? nisi, quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est, & ideò mala pronuntiatur, quia nostra esse conuincitur. Ad distinctionem igitur concupiscentiarum, quæ sunt ex Deo bene homini dictum est, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas. Meritò ergo Dominus noluit in oratione, quam tradidit nos ad Deum dicere: fiat voluntas nostra; sed fiat voluntas tua. *Hoc est non illa, quam caro incitat: sed quam spiritus inspirat*, & tandem actionem prauam nostram, & voluntatem prauam nullatenus ex Deo esse, sed omninò ex nobis prouenire definiuit Leo ipse, Concilium Arausicanum secundum, vbi ea propositio probata Patribus fuit, & eius contradictoria damnata, Apostolica sua approbans authoritate, merito ergo eius nomine Cathedra, & fides successor Leo Papa 9. Epist. ad Petrum Episcopum, *Credo*, inquit, *Deum prædestinasse solummodo bona* Gelas. Pap. 1. epist. ad Epis. Perpic. post med. id ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate* dictum ait. *Ne etiam in mala voluntate, & velle, & perficere Deus putaretur operari.* Anselm. de casu diaboli c. 17. & 28. [Negat eum vllam aliam habuisse causam, qua impelleretur vllatenus aut attraheretur; sed sibi, inquit, causa efficiens fuit (si dici potest) effectus. *Ac de prauæ eius voluntate infrà.* Non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat; sed etiam, quod iniustè rapit Deo permittente, & sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri: ita dicitur dare, quod permittit rapi, quoniam igitur permittente Deo malus vsus est potestate à Deo sponte data, à Deo habuit vti, quod non est aliud, quam ipsum velle. Non est enim aliud velle, quam vti potestate volendi: sicuti idem est loqui, & vti potestate loquendi. *Pende verba* permittendi, iniuste rapiendi, ac non sponte dante Deo velle & vsum prauum potestatis à Deo datæ sponte, quæ à Deo, non solum ex parte sua, non volente absolutè, ne dum efficaciter præsciente, sed nolente absolute, potius, & vt sic loquar, inuito, & coacto prauas voluntates (quæ materiale peccati ipsissimum sunt) ab hominibus concipi, & prodire & 6. de concord. ait, sicut Deus dicitur *indurare, cum non emollit, indurare in tentationem, cum non liberat, ita & malos prædestinare, cum non corrigit.* Euchir. Lugdun. de quæstionibus difficilibus vtriusque testamenti nihil aliud excæcationis, & obdurationis à Deo verbis, quam solam eius permissionem persistentiæ in prauis affectibus, & actionib. hominum significari ait: *quia nec compellit, nec adiuuat, sed deserit tantũ.*

5. Gregorius item Summus aliter Pontifex cognomento magnus frequens in eadem sententia fuit lib. 2. Moral. c. 6. [Satanæ voluntas semper iniusta est, sed nunquam potestas iniusta: quia à semetipso voluntatem habet; sed à Domino potestatem, quod enim ipse inique appetit, hoc Deus fieri, non nisi iustè permittit. Vnde bene in lib. Reg. dicitur Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus, & idem Spiritus, & Domini appellatur, & malus: Domini, videlicet, per licentiam potestatis iustæ, malus autem per desiderium voluntatis iniquæ quod desiderium, & voluntatem semetipso habet non à Domino, sicut ab eo habet potestatem, & lib. 13. c. 6. alias 9. id à Iob c. 17. de Satana dictum: convulnerauit lumbos meos: *sic expendit.* Antiquus hostis, quia nos ad culpam, sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare dicitur: quia hoc, quod ille male suggerit nos sequẽtes ex voluntate nostra implemus, & quasi cum ipso pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.] Tria hic pende perpetrationem mali ex arbitrio nostro soli actione, & affectione prauæ voluntatis fieri. Secundò ad eam, solam dæmonis suggestionem totam esse, non ad malitiam, seu formale peccati, cuius propositione nos, ab scelere potius auerteret, vt boni Angeli faciunt, quã illud nobis suggereret faciendum. Tertium, ideò dæmonẽ culpa, seu actione prauæ, vt dixi, nos minime vulnerare, sed conuulnerare, quia nos ad illam sine nostra voluntate non rapit. Cum autem nos Deus præfinitione sua prædeterminatiua, ac prorsus nostræ voluntatis libero vsu (quod ibi nostræ voluntatis nomine Gregorius significat, & postmodum illis (ex libero simul arbitrio explicuit) ad actionem prauam (atque, si opus etiam esset ad Gregorij sententiam) auerius, ac subinde ad formale ipsum, & malitiam, ac peccatum absolutè tale irresistibiliter prorsus rapiat, non conuulnerator solum, vt dæmon, sed vulnerator noster ex sententia Gregorij dicendus iure, & absolute erit: sed quia hac disputatione permittimus eiusmodi præfinitione, suas adhuc partes arbitrio, & libertati nostræ relinquiri infertur Deum in actionibus prauis è Gregorij sententia non minus, sed potius, quã sathanam nos conuulnerare, à Præfinitoribus hisce admitti debere. homil. in. super 9. in Ezech. sub init. *Sciendum est* (inquit) *quòd mala nostra sunt bona autem, & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse nos præuenit, vt velimus*, bona scilicet: ergò nos, vt velimus mala non præuenit, nedum prædeterminatiuè præfinit; alioqui, & mala non nostra solum, sed & Dei contra Gregorium, imò & contra Patres, Concilia, & dogma Catholicum essent. Hieronymũ in eandem sententiam recitauimus suprà q. 1. Vbi Deum minimè ad actiones turpes nos vllatenus tentare aut impellere, sed, vt summum permittere: nec nos aliter inducere, aut excæcare ex eius testimoniis ostẽdebamus: pluraque ex ipso deinceps dabimus. Hæc modo ex 3. in Matth. ad id c. 18. *Væ autem homini illi, &c.* vbi ait: *Nec esse est enim venire scandala; væ tamen est illi homini, qui, quod necesse est, vt fiat in mundo, vitio suo facit, vt per se fiat.* Fit autem actionibus ipsis scandalum in mundo homicidiis, &c. nam de formali metaphysico vix vnus, aut alter metaphysicus cogitat: & quidquid actioni in his circunstantiis vt à nobis est superaddit, rationis figmentum est, Ambros. de Cain & Abel. 2. cap. 7. [Ipsius fratricidij ad te conuersio est: non enim frater ei adijcitur; sed error adscribitur, cuius ipse sibi author est, in te inquit reuerteretur crimen, quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas, *pende*: fratricidium, & cæpit, & necessitatem magis id est vlterius. 1. Hexamer. c. 8. inter plura eradicari hanc (culpam) vult Deus de animis singulorũ: quomodo ipse eam generaret; cum clamet Dauid Propheta (definite à malitiis vestris, & iterum, quomodo ergo ei initium à Domino damus? perpende eradicari, *& ponit per te radicem prauæ actionis, ex qua ineuitabiliter malitia succrescat, & initiũ eius in Deo, subinde est, & post med.* intus author erroris intus clausus in nobis metipsis *infra*: Tu ipse causa es improbitatis, tu ipse dux flagitiorũ tuorum, atque inuctor criminum: vtinam te ipse non impelleres: vtinã nõ præcipitares: vtinã non inuolueres studiis immoderatioribꝰ, aut indignatione, aut cupiditatib. *Bernard. de gratia, & lib. arb. col. 5. fine*, ipsum (*arbitrium*) vt esset creans gratia fecit: vt proficiat saluans gratia facit, vt deficiat ipsum se deiicit, itaq; liberum arbitriũ nos facit volentes: gratia beneuolos, ex ipso nobis est velle; ex ipsa bonũ velle, quod dixerat proficere, atq; velle malũ oppositum, quod vocauerat deficere ex ipso etiã arbitrio, vt dixit.

6 Omnium autem in hac sententia copiosissimus vbiq; August. 3. de Ciuit. c. 8. ante med. A Deo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnes voluntates *cap. 9. post med.* Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator est non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt: quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. *lib.* 11. *c.* 17 Sicut Deus naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cum male ille vtatur naturis bonis, ipse bene vtatur, etiã voluntatib. malis. lib. 12. c. 6 sub init. malæ voluntatis, quæ mali seu peccati omnis initium est, efficiens esse nihil contendit, quia defectus potius, quam effectus est, vt inferius ex aliis Patribus dicemus: & concludit, *quis ita desipiat, vt dicat, quod bona voluntas Dei faciat voluntatem malam?* solumque è libero nostro arbitrio venire ait: quæ confirmat c. 7. & 8. & c. 9. init. concludit. *Mala voluntati efficiens naturalis*, (vel, si dici potest

essentialis) seu determinata nulla est causa: *ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum. lib.14. c.11.* [Bona voluntas opus Dei: cum ea quippe creatus est homo. Mala vero voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcesserit in homine defectus potius quidam fuit ab opere Dei ad sua opera, quam opus vllum Dei.] Cuius planè opus esset, si illam, vt faceremus, faceret, adhuc non irresistibiliter. Maxime in Augustini phrasi vsitatissima, qua bonum, quod in nobis, vt faciamus, facit, Dei potius, quam nostrum opus dicit, illud solum produ-cam. c.10. de prædestin. Sanct. *Quando promisit Deus in semine eius* (Abrahæ) *fidem gentium, &c.* [Non de nostræ voluntatis potestate; sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia, etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt ipsi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit. *Præfato in Psalm. 29.* Non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem, *de spiritu & lit. c.31.* Nusquam legimus non est voluntas, nisi à Deo: & recte non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, (quod absit) Author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo. *Vide à materiali ad formalis causationem asseram ab Augustino illationem, & rationem subiunctam,* quoniam mala voluntas, iam sola peccatum est, nihilque aliud, etiamsi desit effectus exterior, *defectu executiuæ potestatis 2. de peccator. meritis & remiss. c.18.* Malam voluntatem ad authorem Deum esse referendam, nefas est dicere. *Rursus*: Si ergò voluntas, aut bona est, aut mala; & vtique malam non habemus ex Deo, restat vt bonam habeamus ex Deo; *iterum*, quod à Deo nos auertimus. nostrum est, & hæc est voluntas mala. *& 1. ad Simplician.* obduratio Dei est nolle misereri, vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum quo sit melior: actio verò praua aliquid est, quo homo sit deterior. *Comment. in Psal. 7. & 11 in Genesc. 9.* Sic eos fecit, vt eis relinqueret, vnde aliquid facerent: quo, quidquid etiam culpabiliter, eligerent, illum laudabiliter operantem inuenirent: à se quippè habent voluntatem malam. 2. de nuptiis c.28. & q.53. Ex octog. tribus, & de duabus animabus c.10.11.12. & enarrat. in Psalm. 68. colum. 3. & trib. totis libris de lib. arbitr. nostro fuse variis argumentis idem ostendit (præsertim lib.3. c.13.) posteà à nobis attingendis. Denique cum Pelagiani Augustinum apud vulgus diffamarent quasi fati ad actiones nostras assertorem, eo quod ex necessitate prædestinationis, & gratiæ Dei ad benè operandum ab eo asserta, arbitrio libertatem auferri nimis stolidè ipsi putabant, vt vidimus Controu. 2. & quasi eius verba referrent. *Si prædestinati estis reijciendi*; ita ille teste Prospero ad excepta Genuensium cap.10. temperat, siue potius sententiæ suæ à Pelagianis corruptionem emendat, vt & prædestinationem, quam ipse necessariam ad pie viuendum, nec fatum, nec fatalem necessitatem esse ostendat: & neque ad actiones nostras prauas esse vsquam à se admissas probet: atque in hunc modum vitiatam à Pelagianis suam sententiam, & genuinum textum recognoscit: *Si qui autem obediunt, sed in regnum eius prædestinati non sunt, temporales sunt: nec vsque ad finem in eadem obedientia permanebunt*, vtique non ex prædestinatione, inobedientia adhuc, in eius sententia cum illius libertate componibili (nedum cum antecedenter nos necessitante prædeterminatiua præfinitione) prouenire illam admittit; sed solum ex defectu prædestinationis ad regnum, & perseuerantiam in obedientia, & 2. contra duas epistol. Pelag. prædestinationem à se assertam, nec fatum esse, nec fatalem claudere antecedentem necessitatem his inter alia demonstrat. *Deinde fati asserto-res. & bona, & mala hominum fato tribuunt. Deus autem in malis hominum merita debita retributione persequitur: bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur: vtrumque faciens non per stellarum temporale consortium; sed per sua voluntatis, & bonitatis æternum altumque consilium*: vbi erga hominum scelera supposita solum etiam ab ipsi facta tantummodo Dei voluntatem positiuam versari docet vt puniat, non vero, vt non dum facta ab eis ponantur ac fiant; sicuti erga bona misericors versatur vt fiant idque adeò in sua doctrina explorarum esse supponit, vt inde fati sibi impositi calumniam, quæ ad praua etiam opera ab eius assertoribus extendebatur, satis aperte à se excussisse arbitretur: & meritò quidem celebratissima siquidem eius sententia illa est 5. de Ciuit. c.10. *Neque ideò peccat* (malus) *quia Deus illum peccaturū præscisse magis ideo non dubitatur ipsum peccare, eū peccat, quia ille, cuius præscientia falli nō potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud* (ecce præfinitionem cū omnib. aliis exclusam) *sed illum peccaturū esse præscisse.*

7. Etsi autem Augustinus meritem in re præsente suam nō adeò aperte nobis tradidisset, eius discipuli addictissimi nulli de eius sententia dubitationi locū relinquerent, cum in eandem sint doctrinam adeò frequentes Fulgent. 1. ad Monim. c.3. ait prædestinatos aliquos in interitum culpæ minimè fuisse, sed solū pœnæ, & c.19. init. *Mala voluntas nostra non pertinet ad optimum creatorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit: quia eam homini daturus ipse non fuit: quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Ille ergò, qui se elongant, & fornicantur à Deo, vtique peccando perunt per suam malam voluntatem, quæ non est ex Deo c.24. init. Deus itaque omnia opera hominum, siue bona siue mala præscisit: quia eum latere nihil potuit sed sola bona opera prædestinauit, quæ se in filiis gratis facturum præscisit.* infrà: *præscisit enim voluntates hominum malas, & bonas: prædestinauit autem, non malas, sed bonas. c.26. init. Deus non est author malarum cogitationum* med. *causam iniquitatis suæ ex propria homo habet voluntate.* Ac rursus, *vasis autem iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. c.27.* ante med. *scriptum namque est* (Prou.4. *vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus peruersæ autem sunt, quæ à sinistris sunt. Vias ergo, quas Deus fecit nouit, quas non fecit, perdidit: quia eas non nouit* (nempe approbationis Scientia quæ eius de voluit voluntate) *vnde scriptū est* Psalm. 1. *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit*, consonant hæc ut, quæ dixerat c.13. *Potuit, sicut voluit, prædestinare quosdā ad gloriam quosdam ad pœnam; sed quos prædestinauit ad gloriam prædestinauit ad iustitiam, quos autem ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iuste peccare. Nullus autem hominum iustè peccat, quamuis tamen Deus iuste peccare permittat.* Vt vero cum nō de formali, sed de materiali peccati, siue opere ipso prauo locutum videas; subdit inferius, *in Sanctis coronat Deus iustitiam, quā eis gratis ipse tribuit, gratis seruauit, gratis perfecit: iniquos autem condemnabit pro impietate, vel iniustitia quam in eis ipse non fecit: in illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat. c.21.* [Si enim, cum à Deo fieret homo, sic erat in præsenti operæ Dei bonus, vt in prædestinatione eius esset malus, procul dubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat: vbi statim illa consequenter absurditas, vt dicatur: quia Deus de quo Propheta dicit (qui fecit quæ futura sunt) in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum ipse prædestinauerit peccatorem. Prædestinatio enim eius præparatio est operum, eius, & sicut competit deo bono, vt causa sit totius operis boni, sic incongruum est, vt impetetur causa cuiuslibet operis mali. *lib.2. c.20.* Ad hoc autem non est prædestinata rationalis creatura: neque enim est alia prædestinationis, nisi operum eius æterna præparatio; in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. *c.vero 23.* Hanc itaque (*malam Adæ voluntatem*) si nondum peccanti homini tribuit (Deus) ipse (quod absit) author iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans æterno meretur puniri supplicio, & vbi est: quia Deus mortem non fecit, &c. Si autem malæ voluntatis initium peccanti homini non tribuit, sed retribuit, &c. c.autem 30. Prosperi ac c.14. gallorum responsum iam recitandum, & eiusdem sententiam 14. laudat. Denique lib. de incarnat. & grat. Iesu Christ. c.20. *Non est enim in homine eius, quam habet ex Deo: sed virie est, vt corrigat viā suam, quā habet ex se.*

8. Prosper Augustini discipulus, ac doctrinæ eius vindex acerrimus ex Augustini doctrina ad obiectiones contra ipsum factas respondit, vt Augustini opus putarum non immerito fuerit, atque inter eius opera exter, sub hoc ti-

tulo

tulo. *Ad articulos sibi falsò impositos* est autem Prosperi sub titulo. *Ad obiectiones vincentianas* in eatū 4 insaniæ, & irrationalitatis duo hæc notat. *Deus vult vt diabolo seruiatur.* item: *Deus creat plurimos homines, vt non Dei, sed diaboli faciant voluntatem*: vtrumque autem præfinitione prædeterminatiua materialis peccati, siue, vt homines operationes prauas facerent præstaret, erat obiecto 5. *Quòd peccatorum nostrorum Author sit Deus, eo, quod malum faciat voluntatem hominum, plasmetq; substantiam, quæ naturali motu non posset, nisi peccare.* Pende *motum naturalem & malam voluntatem*, quæ materiale peccati iuxta præfinitores sunt. Respondet autem: [Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ, exteriorumque sensuum nouimus creatorem, vt prorsus ab illo sit, quidquid pertinet ad naturam, & prorsus non ab illo sit, quidquid contra naturam est, de quo mors, & omnia, quæ mortis sunt, oriuntur:] Vtrumque autem actio prauā, seu materiale peccati habet. Ad 9. Obiectionem, quæ erat: [*Quod omnes illi fideles, & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio: quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates*, Responsi. 14. ait: *idem blasphemiarum Spiritus perseuerat*, atque e sua & Augustini sententia subdit: [Si verò à iustitia, & pietate quis deficit suo in præceps fertur arbitrio: sua concupiscentia trahitur: sua persuasione decipitur: Nihil ibi Pater, nisi Filius, nihil agit Spiritus sanctus, nec tali negotio quidpiam diuinæ voluntatis interuenit: cuius opera multos scimus, ne laberentur, retentos; nullos autem, vt laberentur impulsos.] Ad 10. Obiectionem, [Detestanda, & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit Authorem.] Ad Obiectionem 13. Nefas est Deo adscribere causas talium ruinarum, qui ex æterna Scientia præcognitum habet, quid vniuscuiusque meritis retributurus sit; nemini tamen per hoc, quod falli non potest necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi: neque in tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit; cuius ope scimus multos, ne laberentur, retentos; nullos autem vt laberentur impulsos.] Ad Obiectionem 15. [Non est ergo consequens (sicut putant, qui talia obiiciunt,) vt Deus, quibus pœnitentiam non dederit, respiscentiam abstulerit, & quos non leuauerit allisefit; cum aliud sit in fontem in crimen egisse (quod alienum à Deo) aliud peccatori veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.] Ad Obiectionem 16. [I] quia pietate deficiunt, non ex Dei operased ex sua voluntate deficiunt. Neque impelluntur, vt cadant, neque eiiciuntur, vt decidant: cauturi autem, & recessuri ab eo, qui falli non potest præsciuntur.] Responsi. 10. ad eas obiectiones. *Prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam*: ex parte scilicet obiecti, & rei ad quam ab ipso prædestinamur in eandē sententiam scribit ad 7.8.9.11.12. obiectiones. Nec dissimiliter ad capitula Gallorū c.12. [Voluntas Dei nunquā vult nisi bona: præscientia autē, & bona nouit, & mala. Sed bona, quæ, aut ipse faciat, aut etiam, vt nos faciamus, imperat: mala autem, quæ omninò ipse non facit, nec fieri suasit, aut impulit.] Et ibid. sent. 14. [Quod dicit, quod, qui Euangelicæ prædicationi non credunt, Dei prædestinatione non credunt, & quod Deus ita præfinierit, vt, quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant, non est Catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, donum Dei est; ita infidelitas constitutio Dei non est.] Responsi. 12. [Si Deus hominem sibi obedientem ita à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod, vt fiat impellit: quid tam peruersum, quid tam insanum dici, aut cogitari potest?] Responsi. 14 sent 6. repetit, quæ quatuor retro locis ex ipso responsi. 10. ad obiectiones Vincentianas recitauimus cap. 14. *Infidelitas non creditum Euangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur: bonorum enim Deus author est non malorum.* Quibus similia habet eo libro sent. 11. ac duobus libris de vocatione gentium, præterea quæ in sequentibus dabimus Hugo Victor. 1. de Sacrament. p. 5. c. 27. *Malis Deus tribuit posse tantum solam, non voluntatem: quia, licet ex ipsius permissione sit, quod malum velint, sunt ex inspiratione tamen eius non est, quod malum volunt. Malorum enim voluntatum Deus ordinator est, non creator.*

CERTAMEN III.

Alia ex statis Patrum sententiis, & testimoniis argumenta.

1. PRimum desumitur ex Patribus consone, & constanter asserentibus Deum peccati causam non esse: quia peccatum non est, nec bonum, seu effectus; sed defectus potius, bonique, & entis negatio. Vnde ex simpliciter, & per essentiam bono, ente, & efficiente principio (cuiusmodi Deus est) nequeat prouenire tandem; sed omninò in aliquid defectibile, nec seipso, & per essentiā ens & existēs ex nihilo; ac subinde ab his omnibus absolute defectibile; tanquam in primū principiū debeat reduci. Hoc principiū etiam Philosophis fuit notum: Plotinus apud Theodoretū. *Sic statuendum est, malum nihil esse aliud, quam boni defectus.* Arist. 7. Physic. *Virtus quadam perfectio est: vnumquodque enim, tunc maximè perfectum est, cum attingit propriæ virtuti. Malitia autem corruptio horum, & remotio est.* Cui consonat Auicenn. tract. 9. Metaph. cap. 6. post med. inde Patres ad rem argumentum nostram efformant. Dionys. de diuin. nominib. c. 4. sub finem. *Fieri malum non est ex virtute, sed ex infirmitate: & damonibus, quod quidem sunt ex bono* (Deo) *est & bonum; malum autem ex ipsis, ex casu à propriis bonis.* Diadoch. de perfect. Spirit. c. 3. *Malum, nec est in natura, nec est quisquam natura malus: Deus enim non fecit malum, quando autem in desiderio cordis aliquis formatid, quod non exitit re ipsa, tunc incipit esse malus.* Basil. c. 3. constitut. monastic. ar. post med. recitatis cert. 2. adnectit. *Cum neque ipse animus naturaliter malum in se habeat, sed propterea in vitio sit (si quando sit) quod virtutem deserit. Siquidem vitium nihil aliud est, quam virtutis desertio*; & fusius homil. 9. *quòd Deus non sit author malorū.* Greg. Nyssen. orat. Cath. c. 5. 6. & 7. fine: *Nullum malum per se situm est extra liberam arbitrij electionem; sed ita denominatur ex eo, quod non sit bonum: quod autem non est, non consistit: eius autem quod non consistit opifex non est, qui est opifex eorum, quæ consistunt. Malorum ergo causa non est Deus, qui est creator, & effector eorum, quæ sunt, non eorum qua non sunt: qui visum fabricatus est non cæcitatem: qui virtutem iudicauit, non eius priuationem, bona electionis præmio, adiecto bonorum fine is, qui ex virtute vitam elegunt, non violenta alicui necessitati, vt sibi videretur, humanam subiungens naturam, tanquam, vt aliquod in animum, in vitam ad bonum attrahens; si autem lucis tempore Sereno pure lucentis voluntarie quispiam cilitis apprehendit visionem, sol minimè est causa eius, qui non aspicit*; consonat disp. de anima, & resurrect. post med. pag. 4. & homil. 2. in cant. circa med. Luculentius autem adhuc exemplo eodem Athanas. explicat rem orat. contra idola post init. aiens. *Nullum malum: nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse: neque vllam esse eius substantiam: sed homines per priuationem imaginandi, cogitandique boni, sibi illud, quod malum est, comminisci caperunt, essinxeruntque, pro libidine: quæ non erant. Vt enim, si quis solo præsente, & vniuersa terrarum suo iubare illustrante conniueat clausis oculis, ac inde tenebras, qua nulla sunt animo fingat, ac postmodum, quasi in tenebris ambulans oberret, & nunc lapsante gradu procidat, nunc ad præcipitia sese inferat, arbitratu interim, non lucem, sed tenebras esse, seque intueri: sic nihil videat: ita quoque mens humana clausis oculis, quibus Deum contemplari poterat, effectis suæ imaginatione malis, in eis se se agitat, ac mouet, inscia interim se nihil agere, dum se maxime negotiosam præbet, & quæ natura non subsistunt animo comminiscitur. Non enim, qualis à principio condita fuit, talis permanet; sed qualem seipsa contaminando reddidit.*

2. Huic argumento institit sæpe Augustin 2. de lib. arb. cap. vltim. [Omne bonum ex Deo: nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille defectiuus auersionis, (quod fatemur esse peccatum) quoniam, cum talis sit, nihil est: omnis autem defectus ex nihilo est: vide, quo pertinear, & ad Deum nō pertinere ne dubites:] Quia vtique nec nihilum, neque ex nihilo est, vbi in auer-

sionis motu materiale solum peccati, memoratur ab Augustino, qui subdit, *qui defectus, quoniam est voluntarius, in nostra positus potestate*: cui rationi consonat lib. 1. c. 1. post med. [Quid opus est, quærere, vnde motus existat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum: cum eum, non nisi animi, & voluntarium, & ab hoc, culpabilem esse fateamur:] c. 23. Enchirid. [Neque quidquam dubitare debemus rerum, quæ ad nos pertinent bonarum, causam non esse, nisi bonitatem Dei: malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem: prius Angeli, hominis postea, q. 21. Ex octoginta tribus: [Quisquis omnium, quæ sunt Author est, & ad cuius bonitatem pertinet, vt sit omne, quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest; omne autem, quod deficit ab eo, quod est esse, deficit, & tendit in non esse: esse autem, & in nullo deficere bonum est, & malum est deficere. At ille, ad quem non esse non pertiner, non est causa deficiendi, id est tendendi ad non esse (vt praua tenditur actione) quia vt ita dicam essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est (Deus) & propterea ipse summum bonum est: quocirca mali Author non est, qui omnium, quæ sunt, Author est; quia, in quantum sunt, in tantum bona sunt,] lib. 12. confess. c. 11. [Hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te quies, ad id, quod minus est: quia talis motus delictum atque peccatum est:] Denique de perfectione iustitiæ ratione 4. Cælestij hæretici, alium præter Deum, & eius in agendo consortium aliquarum substantiarum primum principium, & authorem contendentis, argumentum, vocem *res* pro *substantia* Cælestij vsurpatione, accipiens, sic proponit: [Si peccatum est res, necesse est, vt habeat authorem, etsi Authorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius Author est. At si hoc impium est, confiteri est necesse peccatum omne actum esse non rem.] Cui argumento postremum hoc concedit Augustinus, vt argumentum, & intentum Cælestij præcidat: [supponens, quod in eo Catholice supponitur: nempe Deum peccati Authorem nullatenus esse.

3. Sed, ne, quia peccatum actum esse admisit, & omnis actus, & rei in tota sua latitudine acceptæ, neque ad substantiam restrictæ, vt Cælestius restringebat, simili argumento aliquis contenderet, rei alicuius accidentalis, siue actus, secundùm eius entitatem intrinsecam, vel Deum non esse primam causam, & authorem; vel authorem, & causam peccati esse, explicat deinceps: peccatum præter actum, qui in ipso est, & esse admisit, addere abusum libertatis, & potestatis nostræ in elicientia eius (agit enim solum de peccatis positiuis) quam non, tam efficientiam, quam deficientiam censet, atque in actu ita abusiue à nobis elicito, vt hic, & nunc à nobis est, defectus quam effectus rationem recognoscit, atque exemplo illustrat subiungens: *sed eriam in corpore claudicatio eadem ratione actus est* (defectuosus è tibiæ defectu nimirum) *non res*, quo exemplo Augustini arrepto à Deo in actus prauos, & peccata causalitatem reiecere Scholastici, vt obseruat Albert. 1. p. q. 26. memb. 2. art. 3. ad 3. eidem insistit ratio-ni tract. 1. in Ioan. & enarrat. in Psalm. 68. colum. 3. ad id, *& non est substantia* 11. de Ciuit. fin 3. Confess. cap. 7. & lib. 7. cap. 12. Enchirid. cap. 11. 12. & 13. 2. de lib. arb. c. 20. Bernardus eadem vsus fuit ratione serm. 1. de annunt. sub init. [Certum inquit est ad suam originem vniuersa, quantum in eis est, tendere, & in eam esse partem procliuiora: sic, & nos, qui de nihilo creati sumus constat, quia, si nobis ipsis relinquimur in peccatum semper, quod nihil est, declinamus.] Quæ paulo fusius habet Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo?* cap. 10. fine, & de casu diaboli sæpè à cap. 8. ad 11. & cap. 1. concord. sub finem, de conceptu Virginali cap. 4 5. & 6 quod etiam argumentum dedere Iustin. Martyr. quæst. 46. & 73. ex propositis ad gentes. Epiphanius hæresi 24. & 66. Maximè post Marcelli epistolam. Nazian. orat. 9. ad Iulianum vbi Nicetas, & in eius oration-nem 40. Damasc. 2. de fide c. 4. Dialogo contra Manich. cap. 19. & Historiæ Barlaan post med. Chrysost. hom. 2. in acta sub finem homil. 42. in 1. Corinth. 15. ad id *neque corruptio incorruptibilitatem*. Leo primus epist. ad Turibium c. 6. Isidor. 1. Sentent. cap 9. init. Fulgent de fide ad Petr. cap. 21. & 23. Prosper lib. sent. ex August. sent. 228. & c. 95. Epigramm. Magnus Gregor. lib 26. Moral. cap. 24. à med. alias 32. Hugo Victor. 1. de Sacram. cap. 26. pag. 5. Laurent. Iustin. fasciculo amor. cap. 8. vers. fin. Petr. Damian. epist. 4. de Omnipot. cap. 4. & 10. Ex quibus plura datis recitabimus contr. 4. d. 3. quæst. 2. sect. 2. vt probemus diuinæ voluntatis, & potestatem, & libertatem, ex eo, quod ad amandum peccatum non sit, creata libertate non minorem & imperfectiorem, sed longe esse maiorem: quia ad peccatum, actionemque prauam, siue eliciendam, siue prosequendam potestas infirmitas potius, & impotentia, seu imbecillitas potentiæ, & voluntatis nostræ defectibilis de se, atque ex nihilo subinde productæ est, quam potestas agendi, quæ ad agendum pure est, si pure actiua potestas & effectiua est, ac non etiam defectiua; quare & in esse solum, ac bonum omninò, siue proximè, & immediatè, siue remote, & mediatè tendens, neque in bonum solum & conueniens sibi Chimæricum, & à se confictum, ac proinde in seipso, & à seipso habente & bono vero remotum: quare, & in eius affectu. & operatione abusus potestatis nostræ & libertatis est, quæ qua pura potestas, & efficiens, hic, & hunc actum seu affectum prauum, non eliceret, & si physicè, eum ex physica potestate eliciat, nisi ea potestas creata, & defectibilis, atque ex nihilo esset: quia in eo affectu, vt à nobis, defectus imbibitus à bono est, ac proinde non à principio entis, & boni effectiuo, qua talis est; sed à defectiuo principio prouenit: siquidem, vt aliquid formaliter non sit, ac deficiat, principium efficiens adesse non supponit, sed ex efficientis defectu satis superque proueniet, vt patet.

4. Secunda ratio, & argumentum ex Patribus desumitur ex diuisione ab eis facta malorum in mala secundum quid, quæ tristia appellant, seu naturæ physicè in commoda, & molesta, & mala pœnæ; & in mala simpliciter talia, quæ sunt virtuti contraria, & culpæ mala: qua posita diuisione consone, & constanter aiunt mala secundum quid, & tristia à Deo fieri, ac de eis solum esse in Scriptura sermonem, quoties Deus malorum dicitur Author Isai 45. Hierem. 32. Threnor. 3. post med. Amos 3. Ionæ 3. Michææ 1. & similibus; mala verò simpliciter seu moralia, & virtuti contraria, nusquam fieri à Deo, neque vsquam eorum illum in scripturis causam dici, vel Authorem; ita expressè Hieronym. ad citata Prophetarum loca, & duabus epistolis ad Cyprian. vltimis, Dionys. toto fere lib. de diuin. nominibus, præsertim c. 4. Damasc. 4. de fide c. 20. à med. ac sæpè dialog. contr. Manich. Basil. Homil. 9. citata longe ab init. Anast. Nicæn. epist. penult. quæst. difficil. in Scriptura. Ambrosi. Serm. 16. in Psalm. 118. & 1. Hexamer. c. 8. vers. fin. ad id, *oculi mei defecerunt*. August. cont. Adimantum c. 26. & 27. contrà aduersarium legis, & Prophetar. c. 22. fine 23. 1. init. Method. Matt. Fragmento contra errorem Origen. apud Epiphan. hæresi 64. à quo approbatur. Chrysost. Homil. 8. in 2. ad Timot. c. 4. in moral. col. 2. ex quo verbatim ferè Theodoret. 5. epist. diuinorum decretorum c. 12. Ioannes à princip. vbi vterque bonum simpliciter, & natura viget, malum simpliciter & *natura vitium* media verò seu æquiuoca, quæ vtriuis pro nostræ libertatis vsu possunt inferuire; item Theodoret. idem lib. de prouidentia post med. ex Plotino eadem diuisione malorum, tristitia à Dei prouidentia vniuersi bonum prouenire: mala verò simpliciter & culpæ non ab illo sed à nostro solum arbitrio & ad locum Amos 3. eidem diuisioni, & doctrinæ insistunt. Tertull. 2. aduers. Marcionem init. & c. 15. & 16. Nemesius de nat. hominis, & animæ facultatibus c. 44. & 45. Olympiodor. in c. citatum Eccles. fin. & in c. 7. med. & c. 8. Eucherius Lugdun. in c. 7. Genes. Gregor. Magn. 3. Moral. c. 7. ad id, *si bona accepimus*, & infra: ad id Isai. 45. *Formans lucem & creans tenebras*. Anselm. c. 1. concord. vers. fin. ex quibus Scholastici cum Magist. in 2. d. 37. fine: quam, & si subobscurius doctrinam docuit Iustin. Martyr q. 1. Christiana ad gent. vers. fin. cum ergo Patres mala omnia, diuidant in mala simpliciter, seu natura sua talia, & quæ virtuti contraria, oportet in altero è duobus membro actionem prauam contineri, ne curta sit diuisio membro alio adeo generali, & noto omnibus omisso; ad primum autem non pertiner, cum plerumque actiones eiusmodi non molestæ nobis, & tristes sint; sed gratæ, & iucundæ: ergo ad secundum malorum natura sua, & simpliciter talium, à quorum causatione abest Deus iuxta hos Patres, quam longissime. Probatur secundo ad secundum hoc membrum illas petinere; quia de se, & natura sua, ita virtuti contrariantur, vt nequeant

nequeant cum ipsa componi magis ; quam calor cum frigore:imo multo minus vt patet;ea verò est mali natura, & simpliciter talis,ac subinde à Deo incausabilis data à Patribus definitio.Tertiò reuera ac mentis figmento relegato, nihil aliud formale peccati est , & virtuti contrarium, quam actio in his circumstantiis elicita à nobis,vt à nobis, quarto nec nos,nec Deus aliter in nobis causare peccatum absolutè possumus,quam actionem prauam,vt à nobis,apponendo:sicque malum natura,& simpliciter tale:& quamuis peccatum,actioque praua quandoque peccati alterius pœna dicatur, atque adeo esse inflicta;non quidem positiua illud in nobis agendi voluntate , sed permissiua à Catholico vllo admittitur:sicuti,neque ob alios fines,ob quæ permittitur à Deo amatur.

5. Inde tertium argumentum desumitur ex interpretatione concordi Patrum ad ea scripturæ loca, quibus Deus aliquid in nobis,quod actio praua videtur,agere sonat,siue in peccatum impellere,asserriue se ea per nos,vel à nobis, vel alias in nobis acturum minitans, siue aliis vocibus exæcationis,obdurationis cordium nostrorum,& similibus aliis; quæ omnia de voluntate solum permissiua Dei, non autem de positiua voluntate actionum eiusmodi , qua eas velle,& causare dici absolutè,veréque possit Patres omnes interpretantur.Dedimus plures q.2. cert.2.dum Scripturæ locis,quæ pro præfinitionibus ad materiale peccati ab hæreticis primum,deinde ab aliis eorum ea conclusione assecliis, opponuntur ; nec in re adeò apud Patres omnes frequente,& constante pluriũ recitatione opus hic erit:quod autem permissio non Dei positiuam,& causatiuam operis voluntatem importet ; sed solùm expeditionem facultatis arbitrij,non illud impediendo, vt in alterutrum eat,æquè est de se notum,vt propterea Caluinus supra memoratus, nouus præfinitionũ ad materiale peccati ex priscis hæreticis excitator,tantoperè Catholicã solius permissionis earũ solutionem detrectat,æquè,ad causalitatem peccati à Deo euertendam.apud Patres etiam statutam.Theodoret in id, Psalm.80.*& dimisi eos secundum desideria*, Prosperum 2. de vocatione gentiũ c.4 sub initium S.Patrum apud Clement. Romanum 4. recognit. pag.2. Origen.homil.1. in Ezech.post init.Tertull.2.cõtra Marcionem c.7.& exhortat.ad castit.sub init.vbi hæc eleganti emphasi scribit: [Si quædam videntur voluntatem Dei sapere,dum à Deo permittuntur; non statim omne,quod permittitur ex mera,& tota voluntate procedit eius, qui permittit,ex indulgentia est,quodcunque permittitur ; quæ,& si sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in loco,cui indulgetur , quasi de inuita venit voluntate , passa causam sui, quæ cogit voluntatem:vide qualis sit voluntas cuius altera sit causa:] Qua ratione postrema à nostra voluntate, & affectu prauo voluntarium perfectum, seu liberum,eius præfinitione aboleri probatur , consonat quoad permissiuam solum voluntatem de fuga in persecut.sub init. Damasc.de fide 2.c.12.ante med. c.29. fine lib.11. c.20. Nemesf.de natura hominis & animæ facultatib.cap.40. inter med.& fin.c.44.sub fin.c.25. med.Clem. Alexan.1. Strom.sub med.& 4.Stromat.med.Cyprian.epist. 3. ad Cornelium Augustt.Enchirid.c.96.97.& 100.& lib.8.de gen.ad lit.c.24.lib.11.maximè cap.6.9.10.11.& 12. addit de corrept. & grat.c.1.2.& 12.Deo displicere,quæcumque permittit , actiones contra Religionem , & alias. Prosper ad excerpta Genuen.dub.7.post med.& in Psalm.110.& vtroque de actionibus ipsis prauis, & contra Dei voluntatẽ, & si non citra permissionem eius, faciendis loquitur, & libro sententiar. sent.58. Augustinum ex epist.105.& 3. de Trinit.c.4,vno solum mutato verbo transcribens, Fulgentius præter supra data 1.ad Monim.c.26.Nazian.orat.1.in Iulian.(seu 3.in nouis editionibus)versf.med.Theodoret.5. epitom.diuinor.c.24.de Antichrist. med.ad id 2.ad Thessal.2.*Mittet illis Deus operationem erroris*.Gregor.Mag.6. Moral.c.12.sub finem lib.29.c.15.(alias 21.ad id Iob.38. *gelu de cælo*, c.24. lib.33. c.13. alias 18.& 19. idem docetur lib.2. cap.6. cuius sententiam & verba ipsa habet Fulgentius 3.sentent.cap.5. sub init. eidemque insistit sentent.1. c.26. Anselm. præter supra data ex eius lib.de casu diaboli c.27.& 28. in eadem scripserat sententiam c 20. & c.2. concordiæ,vbi de actione,seu affectu, & voluntate prauа diaboli & hominum expressè est locutus.

6. Hac vniuersali,& communi doctrina alia omnia loca scripturæ,quæ præceptum Dei de facinore aliquo, siue à Dæmone,siue ab homine præstando sonant,Patres interpretantur , vt diuinam erga illa, vt ab eis perpetranda, & voluntatem, & causalitatem excludant , vt memoratis vidimus locis q.2.cert.vltimo,2.Reg.16. *Præcepit Dominus Semei*,Threnor.3. *Quis est iste,qui dixit, vt fieret.* (hominis in iudicio peruersi,) *Domino non iubente* , Isai.10. *contra populum furoris meimandabo illi, &c.* cap.13. *Dominus præcepit militiæ cœli* Dæmoni, *vt terram dissipare:*sic etiam, & prauа quædam verbis imperatiui videtur iussisse.Hieremi.50.*Super terram dominantium ascende,& super habitatores eius visita,& interfice*,&c. *Et fac iuxta omnia, quæ præcepi tibi.* 3.Reg.22.*Seduces, & præualebis: exi & fac sic.* Iudic.10.*Ite,& inuocate Deos, vestros*, & 4. Reg 3. *Vade ad Prophetas Patris tui*,&c.c.8. *Vade,dic ei, Sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus , quod morte morietur.*Iob.3.*Subuertere nitimini amicum vestrum;verumtamen,quod cœpistis explete.* Matth 23. *Soluite templum hoc* (corporis videlicet sui,)Ioan.13.ad Iudam, *quod facis fac citius.* Verum præter doctrinã hanc communem Patrũ de sola Dei permissione , non autem diuina voluntate eis omnibus locis contentam, & significatam , vt supra ostendimus,& ex qua ipsorum doctrina,nunc contra præfinitores materiales peccati arguimus , pro locis postremis de modo imperatiuo aperiẽda specialis eorum emphasis hic est:vt appareat , ne quidem à mediocris adhuc literaturæ, hominibus pro earum præfinitionum , confirmatione adduci potuisse, quandoque enim, ac sæpissimè vulgatissimo sensu non iussum,& inductionem ad ea opera,sed obiurgationem,atque exprobrationem continent,vt ij,quibus imperare sonant , ab sceleribus patrandis deterreantur. An Sanctissimus noster parens Ignatius media hyeme,& nocte concretis rigidissimo gelu fluminis Parisiensis aquis immersus ad perditæ libidinis adolescẽtem clamabat: *ito infœlix;ac miser, obscœnis voluptatibus fruere:dum his ego cruciatibus diuinam in te iram teneo , & pietatem exoro:* Libidinem ipsi suadebat,ac imperabat;imò vero illum ab eloquentissima,ardentissimaque obiurgatione deterrebat. Sic apud Terent. de perdito , & incorrigibili filio aiebat.*Tibi si istud placet,profundat, pereat : nihil ad me attinet.*Et Virgil 4.Æneid.*Neque te teneo,neq; dicta refello. I, sequere Italiam ventis.*Et vulgo:cum multa dissuasione aliquem à noxia deliberatione reducere non possumus,dicere tandem solemus : *Alto pues id y hazedlo*,hoc continet Emphasis,*quod facis,fac citius* :& *implete mensuram Patrum vestrorum*,& similia Iob 3.Ioan.3.Iudic.10.Reg.2. c.3.& 8. quamuis tribus hisce postremis, & 4.Reg 3. & 8. Matth. 23. & loco alio Iob. 6. irrisio præterea ea intentantis opera contineatur, incassumque ab ipso rentari imperatiuis illis vocibus,ita ipsum alloquens significat,vt eũ à cœptis absistere suadeat.

7. Quarta probatio sumitur etiam ex Patrum stata doctrina : Deum,scilicet;neminem deserere,ni prius ab ipso deseratur. Desereret autem prius, si ante vsum omnem libertatis, & arbitrij humani actionem hominis prauam, vt ab eo fieret , seu materiale peccati prædeterminatiue ab eoque irresistibiliter absolutè, & efficaciter præfiniret, vt q.2.expendebamus. Antecedens constat ex August.lib.12. de Ciuit.c.15.aiente : *Anima non deserta est,vt desereret; sed,vt desereret.deseruit. Ad malum quippe eius prior est voluntas eius;ad bonum vero eius prior est voluntas creatoris eius, siue, vt eam faceret,quæ nulla erat,siue,vt eam reficeret,quæ lapsa perierat.*Tract.2 in Ioan.col.4 ad id:*In mundo erat*, inquit, *Opus est, vt tu non recedas ab eo,qui nunquam recedit : opus est,vt tu non deseras,& non desereris.Noli cadere,& non tibi occidet:si tu feceris casum,ille tibi facit occasum ; si autem tu stas,præsens est tibi : sed non stetisti :recordare vnde ecciderit,vnde te deiecit,qui prior te cecidit:deiecit enim te non impulsu,sed voluntate tua ; si enim malo non consentires , statim & illuminatus maneres*, inferiùs, & *Dominus, quia ipsi contra se clauserant,negando se scire,quod nouerant ;nec ipse illis aperuit quia non pulsauerunt*, de corrept & grat.c.11.*quod adiutorium* (gratiæ) *si homo ille*, Adam, *per liberum non deseruisset arbitrium,semper esset bonus,sed deseruit, & desertus est.* De natura & grat.c.26 post med. *cum ad perfectã sanitatem, hoc est ad perfectam vitam , iustitiamque perduxerit,non deserit, si non deseratur , & pie semper iustéque*

que viuatur: de bono perseuerant. c. 6. med. [Imperauit Deus, vt ei sancti eius dicant, ne inferas nos in tentationem, quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseuerantiam Sanctitatis amittere. At enim voluntate quisque sua deserit Deũ, vt meritò deseratur à Deo, quis hoc negauerit? Sed ideò petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat; & si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit, vt fiat;] Prosper. ad c. 7. Gallor. [Quamuis enim Omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris, gratia tamen eius eos non prius deseruit, quam ab eis desereretur:] Quia inde gratia deserens de facto fuit, nec prædestinationis, & electionis effectus; & ad 7. Obiectionem ex Vincentianis, [Dei ergo voluntas est, vt in bona voluntate maneatur, qui, & prius, quam deseratur, neminem deserit, & multos desertores sæpè conuertit.] Et ad Obiectionem 12. [Recessurum non deserit, antequam deseratur & facit plerumque, ne deserat, aut, etiam si discesserit, vt redeat.] Ad obiect. 16. [Non impelluntur, vt cadant, neque eiiciuntur, vt deserant, casuri tamen, & recessuri:] à se nimirum ipsis 2. de vocat. gent. c. 12. init. [Certissimè nouerimus nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui: neque cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam,] Cyprian. lib. de orat. Domin. circa med. *Cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit*: Bernard. in meditationib. seu lib. de anima c. 7. *Fidelis socius est, & nõ deserit sperates in se, nisi prior ipse deseratur.* Hieron. in Eccles. c. 7. id Psalm. 17. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerso peruerteris explicat dicẽdum est: Sanctum Dominum esse cum eo, qui Sanctus est, & peruersum apud Deum, qui à sua voluntate fuerit ante peruersus*; in quam sententiam illud Isaiæ 50. init. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram*: his ipse commentatur: [Vnde adulteram matrem vestram, vltra tenere non potui; sed volentem abire permisi, peccatis suis vnusquisque venundatur, dum proprio arbitrio derelicti nostra voluntate, &c.] quod ipsum expressum est 2. Paralyp. 15. *Si quæsieritis eum inuenietis, si autem dereliqueritis eum derelinquet vos.*

8. Quinta probatio ex æquè concordi Patrum sententia procedet, *Nempe neminem ad malum Deum prædestinari.* At, si actionẽ prauam, prout à nobis, seu materiale peccati prædeterminatiuè præfinit ad malum prædestinat nos: ergo materiale peccati non præfinit. Maior est Patrum Concilij Arausicani 2. sententia seu Canon 25. [Aliquos ad malũ diuina potestate prædestinatos esse, non solũ non credimus sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus:] & est Leonis Pap. I. qui eas sentẽtias, seu Canones omnes, non approbauit modo, sed fecit. Valentin. 3. Concil. an. 885. Lothario Imperatore habitum c. 3. consone ait. [Aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate (videlicet, vt quasi aliud non possent) non solũ non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione (sicut Arausicana Synodus) illis anathema dicimus.] Parenthesis Canonis Arausicani sensum explicuit Trid. sess. 6. can. 17. vbi damnat, *asserentes reprobos esse prædestinatos ad malum.* Valentinum verò dixerat supra. *Fideuter fatemur, prædestinatione Deum ea tantum statuisse, quæ ipse, vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat.* Leo Papa IX. *Credo Deum prædestinasse solummodo bona*, & Valentinum Concilium eo c. 3. se in eo Canone ex Augustini sententia censuisse fatetur quæ explorato est Deum *prædestinare solum, quæ ipse est facturus*, vt bona nostra opera, & si mala etiam nostra opera præsciat, & obinde prædestinet, seu præfiniat supplicia: quare Dei præscientiã non ad plura, quã prædestinatione extendi, vt patet ex c. 10. de prædestinat. Sanctor. & c. 28. de bono perseuerant. & aliis locis pluribus datis à nobis contr. 2. & hac d. 3. ex quo cã Author Hipognostici lib. 6. colum. 2. *Non omne, quod præscit prædestinat. Malæ enim tãtum præscit*, Fulgentius item locis omnibus ex ipso recitatis cert. 2. n. 7. malam voluntatem, & cupiditatem nostram, è Dei prædestinatione venire constanter negat: item 1. ad Monim. cap. 7. *Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur à concupiscentia sua abstracti, & illecti: sed ad hoc, quod iustè patiuntur inuiti*, c. 17. quæstionem proponit. *Vtrum malos Deus iustus ad hoc prædestinauerit faciendum, quod in eis punitus est factum?* Cui toto deinceps libro negatiuè respondet; sed hæc ex c. 21. [Cum negare non possimus à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi, & iusto tale opus (quod absit) adscribimus; vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus.] Denique lib. 2. c. 1. (qui libri 1. Epilogus est) inquit: [Omnem iniquorum malam voluntatem, qua peccant præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam: cum ipsam voluntatem malã non aliter essent habituri, nisi in eo quo fuissent à Domino recessuri; neque Deum prædestinasse discessionem hominis à se; cum causa ipsius discessionis sola voluntaria esset auersio peccatoris.] Prosper etiam recitatus ibi n. 8. in obiect. 9. & respons. 10. & sent. 14. ac sent. 6. & respons. 14. quibus locis de actionibus prauis, vt à nobis, expressus est: discuti & his locis, obiect. 10. ex Vincent. [Non ergo casus ruentium, neque malignitatem iniquorum, neque cupiditas peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit.] Ad 11. obiect. [Qua ergo insipientia, quave dementia definitur ad Dei referendum esse consilium; quod nec diabolo in totum adscribi potest? qui in peccatium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntarum credendus est esse generator. Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit, vt fieret: nec illam animam nequiter turpiterque victuram ad hoc, vt taliter viueret, præparauit.] Et fine. [Ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem:] ad neutrum autem actio prava, vt à nobis, seu materiale peccati spectat: Repetit sentent. ad cap. 14. & 15. Gallorum, ad 12. obiect. *Nullo modo prædestinatio Dei facit, vt aliqui ex filiis Dei, filij sint diaboli*, (aliquo autem modo faceret, si actiones prauas præfiniret,) *aut ex membris Christi fiant membra meretricis*, Fiunt autem huius membra non formali malitia, sed materiali actione, qua carnaliter commiscentur: ad caput Gallor. sent. 1. *Nullo modo prædestinatio Dei iniquos facit; neque cuiusquam omninò est causa peccati*; esset autem aliquo modo causa, & faceret iniquos, si materiale præfiniret peccati: in eandem sententiam scribunt Beda 8. lib. qq. q. 13. post medium, Hugo Victorinus, 1. de Sacram. p. 2. c. 18. à med. Gratian. c. *vasis* 23. q. 4. Cyrill. Alexand. 11. in Ioann. c. 11. Athanob. in Psal. 117. Epiphan. lib. 1. hæresi 38. Nemesi. de natura hom. & animi facult. c. 40. alias Nyssen. 7. Philosoph. cap. 2. & 37. & olim Iustinus Mart. Dialog. cum Tryphon. sub finem ait: *Non esse Deum in causa, vt prædestinati fiant in isti, siue Angeli, siue homines, sed suaquemque culpa talem esse.* Tandem Anselm. c. 2. concord. ante med. ait, solum impropriè, prædestinatione pro permissione vsurpata, absque inconuenientia dici posse Deum malã prædestinauit.

9. Argumentum hoc adeò efficax est, vt antecedentis veritatem variè obscurare aduersarij tentent. Primò enim aiunt: prædestinationem strictissima prædestinationis significatione pro præordinatione nostri ad gloriam à Patribus vsurpari: qua certissimum est hominum peccata imò & illorum materialia, siue actiones prauas, à Deo minimè præfiniri? Cæterùm ex ipsis Patrum testimoniis constat non eo sensu stricto prædestinationem à Patribus, & Conciliis accipi. Tum: quia Concilium Valentinum suam, & Arausicani sententiam parenthesi illa explicuit, de quauis Dei præordinatione ad malum, ex qua non posset non aliter euenire, vt malum non fiat. Tum: quia ad æternos cruciatus, & mortem æternam prædestinari impios pro factorum meritis eorum testimonia plura aiebant; quæ tamen prædestinatio ad gloriam esse non potest: imò Beda ad mortem æternam pro malis meritis prædestinari à Deo homines admittit: non autem ad opera, seu merita mala loco citato verbis his: [Dominus ab æterno sanctis eius vitam æternam prædestinauit, & similiter, causam vitæ æternæ, meritum prædestinauit. Reprobis autem mortem æternam; sed non mortis æternæ causam: quia nulli Deus peccata sua prædestinauit. Non enim in Dei dispositione, quomodo peccator peccet, sed tamen, cum sciat eum peccaturum, mortem ei præordinat, vt verus Deus.] Dicent secundo intelligi, Concilia, & Patres de prædestinatione formalis peccati, non materialis, seu prauæ actionis, vt à nobis. Contra ta-

men

men primò: quia pleraque expressa de prauis actionibus sunt, Secundò, vt sæpè dixi, nihil reale, ac verum, & non per rationem fictum, continet formale peccati vltra materiale, ad quod vera, & realis actiuitas prædestinationis diuinæ, imo, & voluntatis nostræ possit terminari. Tertio quidquid formale sit non aliter à Deo causari, amarique, imò nec à nobis, potest, nisi efficacia & amore materialis, quod inseparabiliter, adhuc diuinitus, necessario Consequitur: quartò inde: nam Concilium Arausicanum, & Valentinum negant mali, seu peccati prædestinationem, ex qua non esse peccatum sit impossibile: vti posita prædestinatione ad materiale peccati non esse peccatum impossibile foret. Quintò: quia bona tantum prædestinari à Deo Concilia, & Patres recitati docent, cum de malis, & bonis operibus agunt: ast nullatenus materiale peccati ad bona opera spectat: ergo à Dei prædestinatione excluditur. Sextò: quia prædestinatio bonorum operum asserta extenditur, non solum ad formale, sed ad materiale virtutis, sicque ipsas physicas nostras actiones Dei prædestinatio attingit, attingique eius efficacia, & dispositione, ipsique proinde, vt causæ, & authori principali esse tribuendas Patres, & Theologi colligunt, & fatentur: ast prædestinatio, quæ de bonis operibus asseritur, negatur de malis. Ergo de materiali etiam negatur. Denique Patres ita mali prædestinationem negant, & damnant, vt quamcumque plus aliquid permissione pura peccati continentem, damnent: plus autem continet prædestinatio materialis peccati, quam permissionem peccati: imò solum circa materiale potest esse permissio, & ratione illius solum potest esse malitiæ, & peccati absolutè permissio; siquidem materiali peccati posito potestati Dei non subiacet, quod sit, vel non sit formale peccati: quare neque eius permissioni. Dicunt postremo: Patres, & Concilia intelligi, de prædestinatione materialis peccati, vt est initium, & fundamentum malitiæ, seu formalis peccati: secundum quam rationem præfiniri à Deo materiale peccati, seu actionem prauam nusquam à se admitti aiunt. Verum, si ratio illa initij & fundamenti reale quidpiam sit, à Deo prædeterminatiuè præfiniri titulo causæ primæ, & vniuersalis negare nequeunt: quin à tota sua sententia, & fundamento deficiant. Secundo actus ipsos concupiscentiæ volitionis, &c. qui reales, & ante illud rationis, in quo initium, seu fundamentum malitiæ esse voluerint, adhuc asserent à Deo præfiniri contra Patres & Concilia. Tertio, non initium solum, & fundamentum, sed vltimum fundamentum malitiæ, (imò tota, me iudice, vera, & realis malitia, & contrarietas cum lege virtute, & ratione) stat in actu ipso physico, hic, & nunc, in his circumstantiis, vt à nobis elicito, quin inter hoc ad malitiæ resultantiam, vlterius aliquid intercedat: idcirco disputationis præfatione monui de hoc solum, modo nobis cum hæreticis, & Dominicanis aliquot esse controuersiam: an Deus prædeterminatiue præfiniat actionem prauam, vt à nobis apponendam, siue, vt eam, hic, & nunc apponamus: quod ipsum materiale peccati est. Si ita à nobis apponi præfiniri prædeterminatiuè illas afferatur, contra Patres, & Concilia recitata asseritur; si negetur nobiscum sentitur.

10. Sexta probatio ex alia Patrum & scripturæ doctrina instruitur, quorum testimonia, etsi ad quintam, vel sextam probationem etiam pertinerent, huc tamen vsque ferè omnia recitare consulto distulimus, quia specialis huius argumenti principium constituebant. Ea verò doctrina sumpta est ex Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Psalm. 83. *Quoniam misericordiam, & veritatem diligit Deus.* Psalm. 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi.* Psalm. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Et Ioann. 1. *Et vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Quibus, & sexcentis aliis scriptura docet: nihil Deum circa creaturas, præsertim rationales, operari, quod ad eius misericordiam, & gratiam, vel ad iustitiam non pertineat ipsius: id quod ex præfatis locis sic tradit Augustin. 2. de peccator. meritis, & remissione cap. 18. post medium. *Quibus hoc Dominus donare voluerit, misericordiæ est, non meriti illorum, quibus autem noluerit veritatis est: iuxta namque peccatoribus pœna debetur: quoniam misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus: & misericordia & veritas occurrerunt sibi, & vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, & quis explicet quam crebro hæc duo coniuncta diuina scriptura commemoret? Aliquando etiam mutatis nominibus, vt gratia pro misericordia ponatur. Vnde est: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritatis. Aliquando pro veritate iudicium: sicut est: misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Inde Valentinum Concilium secundo loco recitatum ex sententiis Leonis Papæ 1. Leo item Pap. 9. cap. 7. Prosper ad 11. obiecti ex Vincent. Fulgent. 1. ad Monim. cap. 7. quos omnes num. 8. recitauimus. Possemusque recitare Fulgentium eundem ex cap. 13. aientem *hoc itaque præcognouit Deus quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus; illud verò nullatenus prædestinauit, quod, siue per gratiam, siue per iustitiam facturus ipse non fuit. Proinde diligentissime requirendum videtur, quod in his Deus operetur, quos gratis iustificat; quid etiam in illis, quos iuste condemnat.* Ex hoc igitur Scripturæ, Conciliorum, & Patrum principio arguitur. Quæcumque Deus ordinat, vult, & operatur erga creaturas rationales ex iustitia, vel misericordia esse debet; atqui præfinitio prædeterminatiua ad actiones prauas, seu materiale peccati omnem vsum libertatis nostræ antecedens eumque nullatenus supponens; neque ex iustitia esse potest in pœnam mali vsus, qui supponi ad iustitiam punitiuam debet, atque ab hac præfinitione supponi non potest; neque ex misericordia, vt de se patet: ergo nec in Deo eiusmodi est præfinitio. Argumentum præsit Fulgentius recitatus numero octauo, & 1. ad Monim cap. 21. sub init. illis postremis verbis: [Vbi, nec misericors inueniri possit, nec iustus, & his quæ subinferius: adiungit. *Prædestinatio Dei præparatio est operum eius: & sicut competit Deo, vt causa sit totius operis boni; sic incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali.* Sed suam acuunt Recentiores aliquot Dominicani metaphysicam, negando prædestinationem, seu præfinitionem actus praui non pertinere ad Dei misericordiam vera aliqua ratione. Nam, in quantum actus ille est, ad misericordiam Dei spectat præfinire prædeterminatiue, ad illumque præmouere voluntate, quæ alias maneret in pura potentia, cum defectu, & carentia sui actus: quod malum cuiuis potentiæ est: cum autem hoc iure naturæ, potentiæ cuiuis debeatur: alij ex iustitia in Deo fieri malum, & citant pro huius solutionis doctrina Sanct. Thom. 1. part. quæstione vigesima prima, articulo quarto, quem ibi habent aduersum; siquidem titulus hic, effectus, actus potentiæ, qua potentia, vt sic, considerata est, non, qua potentia rationalis circa quam solam, qua talem Dei vel misericordiam, vel iudicium versari posse inibi S. Thom. docet. Secundo: nollem Theologiam Scholasticam Catholicam acutioris doctrinæ, quam Patrum, & Conciliorum, imò horum doctrinæ, esse aduersam, vti hæc est: siquidem Patres, & Concilia recitata absolute negant ad misericordiam, aut ad iustitiam prædestinationem prauæ nostræ voluntatis, & concupiscentiæ, operisque cuiusvis mali posse vllatenus spectare? quod hæc subtilitas fieri posse, & de facto semper fieri, affirmat. Tertio: quod ad iustitiam, & debitum naturale attinet, in naturali, & determinata potentia locum fors habeat; in indifferenti vero natura sua potentiam rationali locum habere non potest: cum pro actu primo considerata nullum actum (nedum prauum ac sibi omninò dissentaneū) possit determinate exigere: quoad misericordiam, æquis misericordiæ, & gratiæ Dei tribuendum censeat, quod defectu illo carendi actu physico

odij Dei. Deus rationalem liberet creaturam, non aliter, quam & mortalis, seu æternæ mortis & vitæ æternæ defectus inductione ? quod, vt viuet, quisque, vitam potius profundere teneatur ? is sanè vnus vesanus & demens, qui muscam suæ fronti insidentem impacto sibi in frontem malleo abigi beneficij loco reponeret.

CERTAMEN IV.

Cætera ex Patribus argumenta.

1. ARgumento ex prædestinatione bonorum, ac non malorum operum quinto proximum erat septimum hoc è generali Dei erga omnes homines, reliquasque vniuersi huius creaturas fine, ex quo ea omnia condita, iuxta Scripturæ & Patrum sententiam, fuere petitum; sed datorum testimoniorum pro quinto argumento vicinitas sextum intercalare nos fecit. Sic igitur septimum hoc instruitur. Deus cum homines omnes, tum eorum potentias, liberumque præsertim arbitrium, produxit ex salutis omnium efficaci, quatenus ex parte Dei est, desiderio, & fine: tum denique omnia vt homini ad hunc finem obtinendum inseruirent; implicat autem eius serio, ac non perfunctorio desiderio, sed quatenus ex se, & ex parte sua, efficaci (etsi non absolutè, & omnino efficaci) finis alicuius obtinendi vel sibi, vel aliis, voluntas efficax, ex parte etiam sua, & ex se, apponendi media repugnantia suapte natura cum eius finis ita intenti, & desiderati assecutione: ergo implicat Deum apponere media pugnantia natura sua cum fine à se intento gloriæ, & rectæ hominum vitæ. Atqui præfinitio prædeterminatiua materialis peccati, seu actionis prauæ, vt à nobis, nostroque arbitrio apponenda, pugnat natura sua cum rectæ vitæ, & gloriæ hominum, sic desideratæ assecutione: ergo implicat eiusmodi præfinitionem Deum à se ipso antecedenter, ac prorsus independenter ab vsu prauo mediorum, quæ hominibus, vt rectè viuerent, & gloriam assequerentur, prouidit habere; subsumptum proximum de se patet. Nam eiusmodi præfinitio connectitur inseparabiliter cum peccato, & vita praua, &, si finalis sit, cum damnatione, æterna, quo velint aduersarij gradu. Iam hominem, sine vllius exceptione, ex prætati finis intentione ac desiderio serio, &, quantum ex parte Dei est, efficaci conditum, eique ex eodem fine potentias, & arbitrium (si ab eius velis animo re ipsa differre) inditas à Deo eiusdem finis intentione fuisse, atque ipsi de reliquis creaturis ad illum assequendum fuisse à Deo prouisum, pueruli Catholici omnes nostri, cum primum litterarum elementa coniungere ad legendum incipiunt, ex mirabili nostri Ripaldæ carthula nostro Hispano idiomate quotidie clamant. Rogati enim: *Paraque fin fue criado el hombre ?* Respondent: *para seruir à Dios, y gozarle.* Hoc tanquam Christianæ, & spiritualis vitæ primum columen Sanctissimus noster Parens Ignatius, illiteratus prorsus adhuc, Dei tamen spiritu, & illustrationibus plenus, in suis exercitiis spiritualibus initio hac inscriptione: *principium, seu fundamentum* proponit sub qua scribit: *Creatus est homo ad hunc finem, vt Dominum Deum suum laudet, ac reuereatur, eique seruiens tandem saluus fiat. Reliqua vero suprà terram sita creata sunt hominis ipsius causa, vt eum ad finem creationis sua prosequendum iuuent. Vnde sequitur, &c.* Quibus integram posuit syllogismi primi maiorem. Eandem multa, & aperta Scripturæ, & Patrum eruditione ac Theologicis rationibus ostendemus controuers. 4. d. 5. vbi Deum seriò omnium, etiam reproborum, salutem, nec solum complacentiæ de eius possibilitate, seu velleitatis affectu, sed ex parte sua, quantum satis est efficaci, & actiuo, desiderare, ac velle contra aliquot minus cautos scholasticos ostendemus.

2. Sed rursus maior vt Catholicum dogma ex scriptura, & Patribus statuendum Theologice est, & de conditi hominis fine præfato constat ex Genesi 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, id est, vt particeps sit diuinorum bonorum tum in moribus, tum in Dei familiaritate, & desiderio diuinæ æternitatis, tum in huius assecutione,* vt ait Nyssen. orat. Cathet. cap. 5. sub med. & Athanas. orat. contra idola sub init. Adde Tertullian. contra Marcionem cap. 8. init. Prosperum suprà ad obiect. Vincent. respons. 4. Chrysostom. homil. 3. in Genes. post medium vt idcirco præparatum nobis proinde à constitutione mundi (id est *ante iacta mundi fundamenta* (vt hic explicat) regnum à Christo Domino dicatur: idem Dei finis in hominis conditione traditur Eccles. 17. init. & Actor. 17. Quantum ad potentiarum, & arbitrij ex eodem fine constat ex 30. Deuteronom. vbi bonum, & malum homini propositum & mortem, *vt Deum diligat, & ambulet in viis eius & vitam eligat*, vt obseruant Method. apud Epiphan. hæresi 64. pagina 3. Nyssen. homil. 2. colum. 2. homil. 8. in Eccles. med. oration. 2. in cantic. ante medium & loco proximè citato. Nazianzen. oration. de Christi Natiuit. circa medium Cyrill. Alexand. VIII. contra Iulian. sub finem Euseb. 6. præparat. cap. 5. inter medium & finem Damascen. de duabus Christi volunt. sub medium Dialog. cont. Manich. post medium & sub init. & colum. antepenult. Iustinian. Martyr Dialog. cum Triph. sub finem Augustin. 3. de libero arbitrio cap. 1. vers. finem 1. retract. cap. 9. vers. finem, cuius verba etiam refert Hugo Victorin. tract. 5. summ. cap. 9. post medium Lactant. 7. de diuino præmio, cap. 4. medium vbi & 15. diuinarum institut. ipsam peccandi potestatem, & naturales affectus, quibus ad malum inducimur, vitæ nostræ rectæ intentione nobis à Deo datas testatur: ficuti & Bernard. de grat. & libero arbitrio circa medium id ex Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus* confirmans, & Chrysostom. 1. Cor. 9. homil. 12. sub moralis initium de creatione reliquorum animantium à Deo ex fine rectæ, & æternæ hominum vitæ constat ex Genes. 1. *Vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæque terræ*: vtque ex iustitia, & æquitate, vt exprimitur Sapient. 4. sub init. quo super egregiè scribunt Tertullian. de spectacul. cap. 1. med. & sub medium Epiphan. hæres. 66. post epist. Marcelli pag. 3. & 4. Hilar. ad id Psalm. 2. *Tunc loquetur ad eos in ira sua.* Clemens Alexandr. 7. stromat. pag. 3. Chrysostom. ad Roman. 5. sermon. 6. fine litteræ, Moses Barcepha comment. de paradiso pag 3. cap. 2. de interdicti arb. Paulin. epist. 36. ad Iobium colum. 3. Nyssen. in Ecclesiast. homil. 8. med. Prosper. 2. de vocat. gent. capite decimo tertio, fine. Mercur. Trismegist. apud Feuardent. in 4. Irenæi cap. 77. fine eadem Ibri Ferrarij metaphora, qua Isaiæ 54. & Hieronym. ibi ad rem hanc vsus. Horum Patrum ferè omnia dedi d. 1. quæst. 5. daboque controu. 4. d. 5. quare, & eis repetendis abstineo, videatur item Philo de mundi opificio.

3. Octauum argumentum sit ex alia Patrum octrina, celebri plerisque ex nuper citatis locis aliis contenta: Nimirum Deum ne bonitati suæ deticeret, nihil prorsus malum, siue natura sua determinatum, aut determinantem ad malum fecisse. Hanc esse (aiebat vbi proximè Paulinus) *consequentiam, vt omnia Dei facta pulcherrima sint, & non sit nullum, quod bonum habet authorem.* Nyssen. etiam vbi proximè: *omnis ergo creatura, qua sunt a nobis constructa, bona est, & non reiicienda: ingratus autem eorum vsus* (scilicet, vt alij Patres Nisses Barcepha proximè aiunt, abusus) *vitium ipsius creaturam.* Damascen. de duabus Christi voluntatibus. *Præclara sunt, & à bono artifice beneficij, virtutisque causa concessa*; in quam sententiam scribebat Dionysius, aliique Patres recitati cerram, 5. 4 num 1. quos breuitatis causa in re adeò clara omitto; quod

quod si naturam, quidquam esse aliud determinatum, connexumque cum peccato à Deo in homine conditum, sive inditum, vel quomodolibet datum, eius bonitati Patrum sententiæ repugnat: præfinire prædeterminatiuè actionem prauam, vt à nobis, seu materiale peccati, quod, & in se malum est, & ad formalem malitiam determinatum ipsique inseparabiliter, & meritabiliter connexum eidem bonitati Dei eorum sententia repugnabit; nec verum vniuersim erit omnia quæ homini data indiraque à Deo bono sunt, bona absolutè esse. Nec illi doctrinæ obest illud Ecclesiast. 1. *Cognoui quod malam distractionem dedit Deus filiis hominum*; occurrit enim Nyssen. vbi proximè colum. 2. vbi ait liberum arbitrium, cuius motu distractio fit mala, bonum quidem à Deo datum esse, non distractionem malam hominibus: *Qui dum eo abusi sunt homines, peccans fuit in hominibus instrumentum*: & subinferius, *non quod ipse malum vitæ hominum indiderit; sed quod bonis, quæ à Deo data sunt, homo propter inopiam Consilij vsus sit, tanquam malorum adminiculis.* Adde in hanc sententiam Iustin. quæst. 1. ad gent. vers. fin. & quæst. 46. Nyssen. homil. 8. in Eccles. med. & sub fin. atque alibi sæpe Chrysostom. ad Roman. 3. serm. 6. fin. litteræ, & 1. Corinth. 9. homil. 22. initio moral. Epiphan. hæres. 66. post epist. Marcelli pag. 3. Damascen. Dialog. contr. Manich. maximè pag. 6. Theodoret. 5. epitom. diuinor. decretor. cap. 10. ante med. Augustin. 12. de ciuit. cap. 6. à med. cap. 8. de duabus anim. cap. 14. 1. contr. Iulian. cap. 3. & lib. 4. aduers. Iulian. cap. 3. sub finem 1. de grat. Christi, cap. 18. & 19. 1. contr. aduersar. leg. & Prophetar. cap. 22. lib. 2. de serm Domini in monte, cap. 36. & 37. Hieronym ad Matth 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Prudent. in Hamartigen. qui non in natura solum, & voluntate sed ex passionibus animi, aliisque etiam extrinsecis determinationem ad praue agendum antecedenter determinantem abesse debere, vt bona absolutè sint, Deumque proinde bonum, causam, & authorem habere possint, omninò statuunt. Et tandem ex hac Patrum sententia rogo præfinitores: vbinam vsus prauus arbitrij nostri est, quem tantopere nobis Patres exprobrant vitioque vertunt, si naturam inditæ nobis sine nobis adeo prædeterminationis è præfinitione sua prouenientis in prauis actionibus, sequamur inuiti: imo sponte, dataque à nobis, & arbitrio nostro libero opera, ei obsequamur? Etenim rei abusus, nemine dubitante, est vsus rei contra eius naturam, & id, ad quod de se apta illa, natraque est.

4. Nonum argumentum leges, & præcepta cum naturalia, tum positiua, tum diuina, tum humana, quæ tot Patres, Scriptura, & Concilia clamant, præfinitionibus ad materiale peccati, siue actiones, quas prohibent, aut omissiones actionum, quas præcipiunt, prorsus euacuatur, & corruunt: vt ostendebamus quæst. 1. Addo nunc: tamen omnia, quam Dei in bonum suasiones, & à malo dehortamenta, quandoque minis, & grauibus à Deo terriculamentis, cum verbo, tum facto sæpe incussis, legis, & præceptorum bonarumque suasionum consistentiam euerti: atque (vt cum præfinitione materialis peccati ea posse componi admittamus) hostem verspellem nihilominus & atrocissimum ex eis præfinitionibus Deum demonstrari: id quod nec vtilius, nec luculentius, quam Antiochi nostri verbis Apolog. pro scientia media, in Tullio cap. 5. §. 2. quæ sic habent. [Sextò non omittam qualem Deum nobis sculpat iste faber: omni circumuentore fallaciorem, omni Tyranno crudeliorem: impellentem vna manu, retrahentem alia: impedientem occulta voluntate, quod apertè exigit; prædestinentem, vt ea fiant, quæ implicat fieri, nisi fiant ea etiam, quæ prohibet: & quæ, vt fierent, decreuerat, flammis persequentem: summè enim quocumque voles modo, malum Angeli actum, materialiter, formaliter, specificatiuè, reduplicatiuè: sume, inquam, quod est in tali actu prædefinitum à Deo: sume etiam, quod est ab eodem prohibitum: & edissere nobis & qua ratione fieri possit, id, quod est prædefinitum, quin fiat id, quod est prohibitum? Et quia hoc præstare non potest, vide cuius Dei sit illa species, qui dicit Angelo. Nolo, vt illum actum eliciat; & si elicueris, æterna damnatio te manet; apud te vero dicit: volo vt illum actum eliciat libere, atque in illis circumstantiis, in quibus implicat non esse damnabilem: & hoc efficaciter. Volo, & infallibiliter, & omnipotente voluntate, cui nolo, vt resistat voluntas Angeli. Venite, inquit ad peccatores, omnes, qui laboratis, &c. apud se vero dicit, nolo, vt veniant, & insuperabili decreto impedire statuo, ne veniant: negata videlicet ad veniendum necessaria motione; immissa vero ad manendum in infidelitate sua, & quis in faciem non resistat isti Deo dicenti, perditio tua ex te, ex me autem tantummodo auxilium tuum? quid? non est ab eo prædefinitus actus, quo perditus sum? & illa prædefinitio auxilium facit ad non cadendum, vt iactare possit iste Deus: ex me autem tantummodo auxilium tuum? Sed quam instantiam habet dæmon, vt conuincat dicentem, se nihil odisse eorum, quæ fecit: illum videlicet amabat hic Deus, cum prædefiniret actum, quem sciebat nexu indissolubili cum eius damnatione colligatum! in tentatorem verò malorum, cur se esse glorietur, qui non suadendo tantum, non præcipiendo, non rogando sed nihil tale cogitantem, &, tanquam in æquilibrio constitutum impellendo, virtute insuperabili mouet ad actum quem sciat esse non posse, nisi sacrilegum? & non liceat hic exclamare: O Christiani vestram fidem?

5. Sed esto: nec lex, & præcepta omnia eiusmodi præfinitione euanescant, nec fraudulenter, & maligne persistant. Infertur vndecimo ex Patrum doctrina nullum esse, imò neque esse posse rationalis creaturæ peccatum: imo adulteria homicidia, fornicationem, infidelitatem, desperationem, Deique odium esse virtutes actusque perfectissimos. Probatur illatio: implicat actionem conformem omnino seriæ Dei voluntati esse peccatum; imò implicat non esse exactissimum virtutis exercitium? atqui, si enumeratæ actiones, ac reliquæ nostræ prauæ, quantumvisque turpissimæ, præfiniantur à Deo necessario sunt conformes omninò seriæ; imò, & efficaci Dei voluntati: ergo implicat nostras prauas actiones esse peccatum: imò & non esse virtutes exactissimas. Maior est dogma Catholicum, quod euasione illa, voluntatis Dei præcipientis, & absolutè adhuc, & efficaciter volentis, eludi non potest, vt vidimus quæst. 2. cert. 1. num. 9. & quidem, & si cum voluntate efficaci Dei præfinientis hic & nunc vt actionem præceptam omittamus, vel opponamus prohibitam, stet, quod satis voluntatis diuinæ est, vt lex, & præceptum verum subsistat: ast præceptiua Dei voluntas inefficax, ex parte adhuc ipsius Dei est, & vellcitas, quæque, ad stante Dei voluntate efficaci de oppositio legi, & præcepto, vt voluntatis Dei nomen absolutè præ alia non meretur, nec, qui præfinitiua efficaci, si posset, spreta alteram exequeretur voluntati Dei obsequi diceretur, vt mille exemplis subditi, & superioris humani demonstrare promptum cuique est. Contra verò, qui non attenta lege, præcepto voluntati seriæ, atque efficaci Dei de oppositio in sua se prorsus operatione accommodaret, omninò ad Dei voluntatem operari conformis diceretur. Minor probatur. Quia præfinitio materialis peccati nostri est voluntas efficax Dei, vt hic, & nunc actionem prauam, v. g. homicidium, ex parte nostra faciamus, in quo materiale peccati per aduersarios (per me autem formale ipsum) consistit: at huic voluntati efficaci Dei necessariò, & omnino conformes sunt, quin ab ea, vel latum vnguem discrepent, discrepáréve prauæ nostræ actiones vel earum aliquæ possint: ergo prauæ nostræ actiones conformes necessario, & exactissimæ sunt seriæ, atque efficaci voluntati Dei. Consequentia vero argumenti est irrefragabilis, & legitima. Argumentum hoc vndecimum, præterquam quod doctrinæ Patrum Conciliorum, & Ecclesiæ totius dogmati, & principio innititur, contra eiusmodi voluntates efficaces Dei, & præfinitiones materialis peccati seu prauarum

actionum, vt à nobis fiant, efformatum à Patribus iam pridem contra Ethnicos & priscos hæreticos fuit.

6. Clemens Alex. IV. strom. med. *Nam è duobus alterum* (infertur) *aut bonum quid, & honestum erit persecutio* (Iudæorum, & Tyrannorum in Christum) *propter Dei voluntatem, aut erunt insontes qui affligunt.* Nyssen. orat. Cathet. cap. 5. sub fin. *Nullus malè ortus initium duxit ex Dei voluntate: re enim vera nulli reprehensioni affine esset vitium*, &c. de vita Moysis vers. med. de passionibus, & actibus ignominiosis, & turpibus, quibus Ethnici Philosophi traditi à Deo ab Apostolo dicuntur, & contumaci voluntate Pharaonis ex Dei voluntate non esse sed ex sola permissione probat. *Nam, si Dei voluntate, & impulsu ita fieret, nec turpitudinis, & vituperationis hæ passiones appellarentur, nec vlla esset inter virtutem, & vitium differentia.* Tertullian. exhort. ad castit. cap. 2. sub init. alias cap. 1. sub fin. *Excusabitur omne delictum, si continuerimus nihil fieri à nobis sine Dei voluntate: & ibi diffinito istam distractionem totius disciplinæ, etiam Dei, si, & quæ non vult de sua voluntate producit, aut nihil est, quod Deus non vult.* Secum quippe, & cum sua voluntate, & bonitate pugnauit. August. 3. de libero arbitrio cap. 16. [Quod si tribuere volueris conditori (malitiæ originem de qua ibi, & cap. 17.) peccantem purgabis, qui nihil præter sui conditoris institutum, propositum, & voluntatem commisit, qui, si rectè defenditur, non peccauit. Non est ergo quod tribuas conditori.] Prosper art. 4. ex falso impositis Augustino siue ad obiect. 4. ex Vincentianis: [Insanum est dicere voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, & damnatorem diaboli, eiusque famulorum velle, vt diabolo seruiatur. Cæteris clarius Anselmus Dial. de libero arbitrio cap. 8. [Nulla est iusta voluntas, nisi, quæ vult, quod Deus vult eam velle: Inferiusculè: seruare rectitudinem voluntatis est omni seruanti, velle, quod Deus vult, eum velle: ergo, si Deus hanc rectitudinem tollit ab aliquo, non vult eum velle, quod vult eum velle: igitur est impossibile Deum rectitudinem voluntatis auferre.] Ecce voluntatis nostræ prauæ conformitas cum Dei voluntate, si eius voluntatis nostræ admittatur præfinitio: vnde nec mala esse poterit, sed bona nostra actio: Hinc S. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 3. corp. docet eum, qui vult, quod Deus vult, vt velit, illud laudabiliter velle [quia conformatur quantum ad hoc voluntati diuinæ,] & Medina 1. 2. quæst. 79. art. 2. inde infert: [ergo est implicatio contradictionis, quod Deus moueat contra virtutem:] atque oppositum sacris litteris non consonare dixerat. Et Sotus de natura, & grat. cap. 17. [Si Deus vult me hoc facere, hoc est conforme regulæ suæ; si autem ita est, non est peccatum.] Adde Arausican. 2. can. 23. [suam voluntatem homines faciunt, non Dei quando illa agunt, quæ Deo displicent.] Et inter errores Ioann. de Murcia Parisiis damnatos hæc est propositio: [quicumque peccat conformat voluntatem suam voluntati beneplaciti Dei: sic, quod ille vult, sicut Deus vult eum velle.] Ecce item voluntatum diuinarum pugnam, & contradictionem, ob quæ eiusmodi actionem nostram amari à Deo repugnat. Ne verò dicas hæc de voluntate diuina erga formale esse intelligenda, non erga materiale peccati: aduerte primò: horum pleraque de materiali peccati, siue actionibus prauis ipsis expressa esse: alia de peccati origine, quod materiale peccati, & actiones ipsæ, provt à nobis, exuere nequeunt, quantumvis eas excortices. Secundo quia voluntati Dei præceptiuæ, quæ actionum ipsarum, non autem malitiæ est, actiones ipsæ, quare, & voluntas Dei præfiniens, vt à nobis fiant, contradicunt. Tertio de actionibus ipsis est sermo Sap. 12. sub init. de Terræ Sanctæ habitatoribus: [Quos exhorruisti, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis.

7. Cui rationi vnum adde appendiculum & Dauidem, dum Psalm. 142. [doce me facere voluntatem tuam;] atque alibi sæpe precabatur, & Christianos omnes, cum ex Christi institutione orant: [fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra:] non homicidia adulteria infidelitatem minus, quam fidei, iustitiæ & temperantiæ actiones sibi à Deo reposcere. Rursus hanc fidelium orationem cum sequenti, *& ne nos inducas in tentationem* apertè pugnare: cum nihil quod nos in malum possit inducere, ac deducere posita necessaria præfinitione materialis peccati permanere queat. Pone enim diaboli suggestionem, & immissionem in cor Iudæ, vt Dominum proderet: pone item dæmonem, vt expresso, & formali odio Deum oderimus, nos vehementissime, & vrgentissime instigantem, quæ pessimæ, grauissimæque tentationes, atque horrendissimæ sunt; porro, si odium Dei nos, aut proditionem Magistri Iudas, nisi Deo præfiniente, atque efficaciter volente de se, suoque arbitrio, solum, vt eas actiones Iudas, nosque eliciamus elicere non possumus, id tandem totis suis artibus diabolus suggerit, ad idque solum nos instigat, vt ea operemur, quæ sint prorsus voluntati absolutæ, atque efficaci Dei conformia: vbi ergo ad malum diaboli tentatio? vbi eius in nos odium, atque æternæ nostræ perditionis anxius amor, ardensque desiderium? cum eo tandem studia eius in nos omnia tendant, vt Dei voluntatem exactissime, atque obsequentissime exequamur? Aliud ne animorum zelo flagrantes spirituales, & perfectissimi viri nobis, & verbis, & exemplo suadent, atque industriis suis sanctis procurant? Facessant ergo nostræ in dæmonem immeritum, imò vero de nobis optimè meritum, querelæ, atque execrationes. Alterum etiam rationis, seu absurdi vndecimo appendiculum absurdum contra præfinitiones ad materiale peccati subnecto Catholico Scripturæ Patrum, & totius Ecclesiæ Catholicæ dogmati alteri contra dicens, & aduersum. Nempe æquam omnibus rationalibus creaturis, non solum iustis, & Sanctis, quas obinde colimus, pieque veneramur, sed eis etiam quas reputamus impias, & nequissimas (v. g. scelestissimo Iudæ sanctissque Petro, & Baptistæ) iustitiam, sanctitatem, & perfectionem.) Hoc de sanctis & iustis solum inter se comparatis asserere impium, hæreticumque foret, cum in Ecclesia, tam militante, quam triumphante stella à stella claritate differat. Aſt de nefariis perditissimisque hominibus respectu sanctissimorum quorumque virorum admittere, extra censuram quidem erit; sed quia infamiam grauissimæ Theologicæ censuræ pene immensum ea blasphemia prætergreditur: deductum vero est à Clemente Alexand. quem num. 6. ex lib. de vita Moysis recitauimus. Absurdi verò huius illatio probatur: cum enim iustitia sanctitas, & perfectio creaturæ actionum nostrarum ex conformitate illarum, cum voluntate diuina (prima scilicet iustitiæ, rectitudinis, & sanctitatis totius regula) metienda, æstimandaque omnino sit. Vbi repugnet actionem vnam creatam excedere alteri in conformitate cum voluntate diuina absolutè tali, & vnam alteri excedere, in iustitia, sanctitate, & perfectione repugnabit: atqui posita necessitate præfinitionis diuinæ ad materiale peccati, siue, vt prauæ actiones à nobis fiant, implicat actiones eiusmodi, neque entitatiue, siue, quoad substantiam, siue, quoad modum, siue, quoad intensionem, siue quoad extensionem, in aliquo quantumuis minutulo, & indiuisibili discrepare à voluntate diuina, absolutè tali, & efficaci, minusve conformari ipsi, quam actus charitatis Diui Petri, aut quod horribilius est) humanitatis Christi Domini; ergo implicat aliquam quantumvis pravam, & nequissimam, atque sceleſtissimam actionem in iustitia sanctitate, & perfectione morali intrinseca excedi ab actionibus quantumvis perfectis sanctissimi cuiusque, & perfectissimi viri, etiam Christi Domini, qua hominis, Diui in perfectione, & sanctitate morali intrinseca actionis: vt euasionem, & recursum ad excellentiam dignitatis operantis Christi Domini, qua hominis, ratione vnionis hypostaticæ præcluderem.

8. Duo argumenta, minimè languida, numero possimo et

ex principio argumenti vndecimi dedimus. Iam decimum quartum instruo (permisso adhuc, quod & peccata, & tentationes, & meritorum, ac demeritorum inæqualitas posita præfinitione ad materiale peccati persistere nt) ex Patrum etiam doctrina, & à Patribus efformatum. Nempe Deum iniuste in hominibus praua opera punire, si ea ab ipsis fieri prædeterminatiuè præfiniat. Huc spectat Clem. Rom. 3. recognit. pag. 4. hæc ex Apostolo Petro recitans: [quomodo ergo Deus iudicat vnumquemque secundum veritatem pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit; sed, & iudices sæculi frustra legibus præsunt, & puniunt,] &c. item Nemesius recitatus cert. 1. num. 2. *quæ est ista libertas vbi hoc solum datur velle, quod punit*, adiunctis quæ sequuntur inferius. *Non erit iusta retributio, qua per supplicia refertur necessitate* à iudice inducta) *peccantibus*; & Tertullianus recitatus num. 1. [Neque enim potest fieri, vt sit initiator, aut artifex vllius mali operis, qui nomen sibi perfecti vindicat, & Parentis, & iudicis. Maximè cum omnis mali operis, & vindex sit, & iudex] vbi ex tribus rationibus huic, de iustitia iudicij, & supplicij Dei ob opera praua, præcipuè insistit, & Fulgentius recitatus n. 7. ex 1. ad Monim. cap. 26. illis verbis: [vasis autem iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia, nec Deus inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam.] Et Prosper recitatus num. 8. circa fin. *iniustè punit, quod, vt fiat, impellit*, quo nihil insanius cogitatu esse ait. Porro iniustitiæ huius duplex se ratio statim rationis lumini prodit: etenim, qui id, quod in aliquo legis transgressore puniendum non iniuste, seu contra iustitiam, sed ex iustitia est, debet esse voluntaria, liberaque, imò ad tam dira supplicia in inferno infligenda, perfectè deliberata legis transgressio: atqui præfinitio prædeterminatiua abolet peccantis in præfinitæ actionis prohibitæ elicientia libertatem, vt tota d. 1. ostendimus: ergo & in supplicio ob illam abolet Dei iustitiam. Hæc ratio præcisa continetur postremis Nemesii verbis, & illis Augustini quæst. 215. ex vtroque testamento contra fatales Mathematicos colum. 9. [quid enim, tam iniquum, quam, vt iniquus credatur, qui negatur aliud potuisse facere quam fecit:] inferius: [sed est, inquiunt, fatum vnicuique præstans, qua morte moriatur: quod, si ita est, non est accusandus homicida: nam, & duplici genere se defendet: quia, & ipse fatis agentibus hoc fecit, & ille agentibus fatis occisus est,] 11. de Genes. ad lit. cap. 7. *Aliqui, si necessitate peccasset, neque potuisset non peccare, iniusta foret sententia punientis*, cap. 11. [Neque hic libri obscuri mihi scrutandi sunt; vnde discerem neminem vituperatione, supplicioque dignum, qui aut vellet, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant in montibus pastores, & in Theatris Poetæ, & in docti in circulis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.] Theodoret. 5. prouid. sub fin. [Neque Deus, cum sit optimus, ac iustissimus ab iis pœnas exigeret, qui exlegem vitam viuere adamarunt, si adacti necessitate aliqua deliquissent:] consonat ad Rom. 8. in ea verba: *quos autem prædestinauit* & 5. epitom. diuinor. decretor. cap. 10. Cyrill. Hierosolym. Catechesi 4. tit. de statu hom. *Si necessitate scortaveris, cuius gratia Deus gehennam parasset*: Chrysost. hom. 22. in Genes. col. 2. [Nonne manifestum est, sua quemvis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam, nisi ita esset, & naturæ nostræ prauitas insita esset, neque illos punire, neque istos virtutum retributiones recipere oporteret.] Hieronymo 2. aduers. Iouinian. *Vbi necessitas est: nec damnatio, nec corona est.* Epiphan. hæres. 16. post med. [Si iudicium est, & reuera minæ nobis intentatæ sunt, & qui malum fecerint pœnas dant: legem esse iustam confitemur: quando propterea, quod possit peccare, & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumantur; alius verò laudem referat rectè factorum.] Marcus Eremita de Baptismo longè à med. [Si peccata non pendent à nostra voluntate, sed à Tyrannide Sathanæ, & à reliquiis peccati per Adamum contracti, quamobrem nos accusamur à scriptura, qui nolentes veramur à peccato, à Satana Tyrannicè tractamur? nonnè immerito puniemur?] Oprutus Mileuit. 7. aduers. Parmeni. sub init. *voluntas habet pœnam, necessitas veniam*; siue, vt melius Chrysost. hom. 60. in Matth. col. 2. *Nam hi omnes, nisi sponte delinquant, non punitione, sed miseratione digni sunt*: Ennod. Ticinens. apud Turrian. nostrum lib. 4. pro Epist. Pontificis cap. 2. sub finem. *Non erit iusta retributio, qua, aut per supplicia refertur necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert, ad quod trahuntur inuiti.* Boët. 5. Consol. prosa 6. fine: *quæ cum ita sint:* (nempè Dei præscientia, & prouidentiæ nostris actionibus necessitatem non imponi) *manet inteméra mortalibus arbitrij libertas: neque leges solutis omni necessitate voluntatibus inique præmia, pœnasque proponunt*: quæ scilicet alias inique proponerent. Prudentius 2. aduersus Symachum sect. 3. de geniis canit. [Nemo nocens, si fata regunt, quod viuitur, ac fit: Imò nocens, quicumque volens, quod non licet, audet. Alterum, quia velle suum est, nec facta reatum imponunt homini; sed fit reus ipse suopte Arbitrio: placitumque nefas, & facta rependit. Impia suppliciis merito, non sorte, peremptus.] Tradit & Aristot. 3. Ethic. cap. 5. & veritatis huius Patres familias, legislatores, iudicesque omnes testes aduocat: vbi S. Th. lect. 11. post med. & 12. à principio.

9. Atque hæc iniustitiæ ratio ex incapacitate demeriti in operibus necessario, & absque vsu libero arbitrij, & voluntatis suæ cuiuis euenientibus, euidentissima, lumineque naturali indita humano generi est, vt aiebat Augustinus vndecunque ea necessitas operanti contingat: si autem à iudice, & legislatore ea subditis contra legem operandi (vti à Deo nostri omnium legislatore, Principe, iudiceque supremo, iuxta hosce prouenit materialis peccati Præfinitores) necessitas proueniat, alia grauior longe fœdior, immaniorque iniustitiæ ratio in peccatoris suppliciis Deo nefarie affligitur, à Patribus etiam eisdem efformata scilicet, Deum ex voluntatis malignitate, cordisque inaudita (adhuc apud homines perditissimos, & atrocissimos) crudelitate, in immeritos prorsus anticipato alio, & leges instituere vt transgrederentur; & transgressionem eis immisisse, vt haberet, quod in ipsis puniret, & immanem sui cordis crudelitatem eorum interitu; & tormentis vt satiare non posset, solaretur. Hoc argumentum pressit Nemesius recitatus, qu. 3. cert. 2. num. 2. illis verbis: *certè à recti discordat affectu*, (id est maligni affectus est: hispane de mala entraña) *qui à subiectis exigit quod in potestate non tribuit*, quid autem si præfinitione non solum in potestate non tribuat; sed, ei quod à subdito exigit, tribuat oppositum? & Tertull. ibidem num. 1. recitatus verbis proximo num. repetitis. [Nec enim potest fieri, vt sit initiator, aut artifex vllius mali operis, qui nomen sibi perfecti vindicat, & Parentis, & iudicis. Maxime, cum omnis mali operis, & vindex sit, & iudex,] & 2. aduers. Marcionem cap. 9. fine *libertas arbitrij non ei culpam suam respiret, à quo data est*, (nempe Deo) *sed à quo non, vt debuit administrata est: neque enim idem habendus est delicti author, qui inuenitur interdictor, imò & condemnator.* Augustin. citata quæst. 1. 5. init. contra fatales Ethnicos expressius sic rationem instruxit, [qui lege data cogit homines contra id, quod nati sunt facere, sciens non posse mutare naturam; ad hoc vtique legem dedisse videtur vt haberet occasionem, qua crudelitatem suam de nece hominis satiaret, vt quid enim prohibet, quod scit auerti non posse? aut quemadmodum damnat hominem, qui non fecit, quod facere non potuit,] &c. col. 9. [Si à Deo sunt fata, lex non erit ex Deo: quia hoc non solum Deo, sed nec prudenti conuenit id damnare quod fecit; sed quoniam nemo vnquam contrà legem ausus est dicere, vel à Deo hanc esse negare fata à Deo dici esse non poterunt: quia ista Deus punit per legem: quando enim damnatur, quod fit impellentibus fatis, sine dubio fata damnantur,] Mura *fati & naturæ*, seu naturalis, & minime impedibilis ab homine inclinationis ad opus malum in *præfinitionis diuinæ* vocem (quam fatum esse doctiores ex fatalibus volebant) atque prædeterminationis ab eo irresistibiliter ad ipsum opus, & idem argumenti vtriusque Augustiniani robur inuenies. Damascen. dialog. cont. Manich. [quanam ratione, cum animam malo dederit eos postea condemnare, queat, qui malo se in seruitutem addixerint? dicturi enim sunt, tu ipse nos tradidisti; sic omne iudicium sublatum est.] Fulgent. 1. ad Monim. c. 23. [Hanc malum voluntatem, si non

dum peccanti homini tribuit ipse (quod absit) author iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans mereretur æterno puniri supplicio:] & cap.26. [Nec Deus inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam,] cap.22. [Neque iustitia diceretur, si puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur:] & eo cap.26. sub fin. [quando autem peccanti seruo iram iustus Dominus intulisset, si ex Domini prædestinatione peccasset?] ideò c.13. ac sæpiùs in Dei iudiciis sic distinguit *in illis* (iustis) *opera sua glorificat, in istis* (impiis) *opera non sua condemnat*, vt iniustitiæ, & malignitatis in horum damnatione calumniam à Deo propulsset: inde Prosper ex eo, quod Deus puniat satis ostendi putat authorem delicti, & actionis prauæ esse non posse, ex vtriusque affectus repugnantia: ita enim ait respons. 10. ad obiectiones Vincent. *Adulteria, & corruptelas non instituere nouit Sancta diuinitas, sed damnare: neque disponere, sed punire*, & ad caput Gallor. respon. 12. *iniustè punit, quod, vt fiat impellit*: Chrysost. hom. 60. in Matth. [Non fecit quippe Deus talem peccatorem: non enim pœnis afflixisset, si talem ipsum fecisset. Nam, si nullius nos rei, cum ipsi causa sumus, seruos nostros, & vernas criminamur: multo minus creator omnium criminaretur.] Quod argumentum fusiùs persequitur Euseb. 6. præparat. Euang. c. 6. vers. fin. hæc ex Oenomai. verbis scripsit. supposita necessitate agendi prauè à Iobe per fatales gentiles: [cur enim Iupiter, huius necessitatis author, nos, ac seipsum non punit? ipse enim necessitatem agendi nobis imposuit: cur ergo nos plectimur, qui huic seriei resistere nullo modo possumus?] Similia ex eadem fati suppositione scripserat cap. 2. fine.

10. Hæc in cuiusvis prauæ operationis à quovis patrandæ prædeterminatiua præfinitione vrgentissima sunt: verum in actionis prauæ ab homine iusto, qua à iustitia decidat eliciendæ præfinitione diuina longe adhuc maior iniustitia atque infidelitas liuidaque Dei maliguitas appareret, vt obseruant Prosper ad caput gallor. respons. 12. *Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo vetribuit mala pro bonis.* Fulgent. 1. ad Monim. recitatis nuper ex cap. 22. fine subnectens: *Maior verò erit iniustitia, si lapso retribuit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam*: quo etiam spectauit Tertullian. num. 9. recitatus vbi *Parentis nomen*, quod Deo respectu iustorum specialiter conuenit, memorauit, vt inde initiatorem illum, aut Artificem malorum operum esse cogitarit minimè posse monstraret. etenim præter iniustitias monstratas debito parentis in filios adoptiuos per suam adoptionis gratiam, non solum deficeret; sed omninò aduersaretur, nouercale in illos odium exercens ex alto nimirum in præcipitium, & barathrum illos sua præfinitione prædeterminatiua irresistibiliter agens, & impellens qui ergo Christus Dominus suadebit sententiam illam suam, *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* quoniam iustis, non iustorum solùm, sed peccantium quorumque querelis satisfaciet? an distinctione illa futili, & hæreticis familiari de præfinitione, & prædeterminatione eorum à Deo ad materiale, ac non ad formale peccati? sed nil præstabit: cum vltra materialis appositionem, nulla sit in formalis appositione, neque Deo, neque homini libertas, poteritne illud non apponendi: quare, qui eos ad materiale impulit, egitque irresistibiliter præfinitione sua Deus, quem formalis eo posito inuitabilitas nunquam potuit latere, in formale etiam eadem impulsione ad materiale, ac subinde in barathrum impulit: idcircò Patres recitati, dum his argumentis, & reliquis supra factis vtuntur, ex impulsione ad materiale, & opera, actiones, affectiones, concupiscentias, voluntatesque malas eiusmodi efformant argumenta, & quidem malorum damnationem ob actiones, vel omissiones ipsas esse constatitum quia in eis prima legis, quæ actiones, vel omissiones has prohibet, vel præcipit solum (*diliges v.g Dominum. Non fornicaberis nõ funaberis*) contrarietas, & transgressio inuenitur. Secùdò Matt. 10. 23. 24. 16. 1. Corint. 3. Eccles. 14. & 35 Luc. 9. Ioan. 12. quibus, & pluribus aliis ob opera, amorem inordinatum, & actus damnandi homines dicuntur: item delitiarum voluptatum, & gaudij actibus, sane prauis, captis magnitudinem tormentorum mensurandam esse dicitur. Apocal. 18. Luc. 6. circa med. Barue. 4. sub fin. Porro cætera, quæ ex præfinitione materialis peccati inferuntur absurda, contra Patrum doctrinas alias in Ecclesia statutas persequi immensum esset; hactenus clariora, & viuidiora sumus persecuti, missis pluribus quæ præcisè libertatem ad peccandum necessariam tangunt.

CERTAMEN V.

Oppositiones ex Patribus eneruantur.

1. OBiecere primò Caluinus & Beza Augustinum c. 100. Enchirid. dicentem. [Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt mira, & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem: quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret. Nec vtique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens, etiam de malo, facere posset bene:] quæ autem præter Dei voluntatem non fiunt, intra eam vtique, quare, & eo volente fiunt: ergo, non sola permissione Dei actiones prauæ fiunt. Cæterum cum contra eius voluntatem fieri peccata Augustinus illas dicat expresse, illud *non præter eius voluntatem*, positiuam eius, quatenus ex ipso est voluntatem efficacem, vt fiant absque contradictione significare non potest: quod autem non sinat nolens, sed volens permittendi, seu permissionis suæ positiuam dicit voluntatem, non verò actionum ipsarum à nobis: idque satis est, vt præter eius voluntatem, siue eo absolute nolente non fiant, & inuito: siquidem vult non impedire aut non vult absolutè (sciens volensque) cum impedire posset. Aliam rationem cur præter Dei voluntatem positiuam actiones nostræ, etiamsi prauæ non sint immediatè præmiserat his verbis: *Tam sapienter exquisita* (in omnes voluntates eius) [vt, cum Angelus, & humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, impleret ipse, quod voluit: bene vtens, & malis, quos prædestinauit ad pœnam deorum salutem, quos prædestinauit ad gratiam quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus voluit, fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt: hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas Dei.] verba *quantum enim ad ipsos*, idn significant Dei voluntatem, quatenus ex ipso est, absolutè talem à malis fieri, vt constat ex verbis sequentibus. *Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt*: est igitur sensus Deum, etsi, quantum ex se est efficacia non omnimoda, sufficienti, tamen, & serio velle salutem, & rectam hominum, & Angelorum vitam, ac nolle prauas actiones, & perditionem ipsorum. Cæterum velle simul pœnam & damnationem eorum, quam suis legibus comminatur, non tamen absolute sed conditionatè si peccentiquæ voluntas in pœnæ absolutam voluntatem transire nullatenus potest, nisi ex parte sua homines, vel Angeli actiones prohibitas, vel præceptarum omissiones pro suo libito, & arbitrio apponant: quare, cum contra absolutam illam, quantum ex parte Dei est sufficienter efficacem, se gerunt, *quantum ad ipsos pertinet*, voluntatem Dei conditionatam fecerunt nempe conditionis purificationem, per absolutam transgressionis & delicti positionem, quæ tota pœnes ipsos erat, ac fuit, idque facere voluerunt, cum delinquebant, *quantum verò ad omnipotentiam Dei pertinet*, in suppliciorum, & pœnæ pro factis delictis inflictione, *nullo modo id efficere voluerunt*: nollent enim quantum ex ipsis est impunes peccare, etsi vellent enim quantum ex ipsis est impunes peccare, etsi diuinæ illius potentiæ, & voluntatis nequeant euadere supplicia: quare vt bene Augustinus concludit. *Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerunt de ipsis facta est voluntas Dei*, nimirum conditionata illa de ipsorum pœnis, si transgrederentur, & peccarent, cuius conditionem ipsi purificarunt, cum absolutè deliquerunt, atque in absolutam fecerunt transire. Atque hæc textus huius germana clariorque commentatio est illa (est eadem)

eadem) quam Bellarminus noster, & alij adhibent explicantes nolitionem, Dei de peccatis pravis, de nolitione *signi* & conditionata, ac non beneplaciti: quod licet ritè ab eis tandem explicetur, non ita recto sensu posset ab hæreticis ac præfinitoribus vsurpari, cuius in nostris vocibus periculum abest æstimatem tamen potius, contextu toto attento transcriptorum, vel Typographorum incuria eam partem textus vitiatam, & *voluit*, pro *noluit*, cusum.

2. Quod autem peccato, prauave actione ab homine posita eam iniustam vindictam, vel in aliorum salutem ordinare Deus positiuè velit bonum, Deique sapientia bonitate, & omnipotentia diuina dignissimum, etsi illa actio mala sit, ac Dei voluntate indignissima, id quod,& Augustinus obseruauit 3. de lib. arbit. cap.9. [quomodo iuste peccata punit, quæ si defuissent, creatura eius plena, & perfecta non esset? hic respondetur non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessaria; sed animas in quantum animæ sunt, suique iuris, & in suas actiones liberæ potestatis, quæ si velint peccant; si peccauerint miseræ sunt.] Tametsi eo malo, & miseria animæ permissa, eam ordinare bene bonum sit: quare, & vniuersi bonum vnde & bona esse mali & miseriæ à Deo permissio demonstratur; at bonitate repugnante ordinationis, & permissionem eius Deo repugnaturam, egregie concludebat verbis postremis datis ex c.100. Enchirid. *Nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene*: quia tunc permissiua voluntas, quæ ex malo permisso præcisè bonitatem habere nequit: aliunde habere non posset bonitatem. Hinc lucem accipiunt alia verba, quæ arripi ab aduersarijs solet truncata ex eodem Augustino.c.26. Enchiridij, *quamvis, quæ mala, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen vt non solum bona, sed etiam sint & malæ bonum est*: ergo mala esse Deus vult; absque cuius positiua voluntate non est, quidquid bonum est, vt sit; est quippe integer textus huiusmodi. [Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque fiunt male. Non enim hæc, nisi iusto iudicio sinit,& profecto bonum est vt sit; quamvis ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt non sint bona; tamen vt non solum bona sed etiam sint & mala bonum est: Nam nisi esset hoc bonum, vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Deo, cui profecto quam facile est, quod vult, facere, tam facile est quod non vult esse non sinere:] etenim esse mala etiam ex voluntate permissiua, & bona eorum, iam factorum, dispositione, cum sunt, vel ea puniendo, vel in salutem bonorum, vel alias rectè ordinando, bonum quidem est; in se autem vt sint, bonum esse nequit, cum in se mala sint, quandocumque sint; vt Augustinus ait: ac proinde ea esse velle positiua erga illa voluntate Deus nequit, neque, vt à nobis sint facere; sed solum potest velle ea non impedire cum posset. At inquiunt hæretici: etsi secundum se, & ratione sui amari à Deo nequeant; aßt ob finem bonum, & ratione illius amari à Deo, fierique possunt, atque vt à nobis fiant præterminatiue præfiniti: id quod ex Augustino etiam confirmant c.101. Enchiridij. [Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus nõ vult; & rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat; & ad quem finem quisque referat voluntatẽ vt aut approbetur, aut reprobetur.] Cæterum cum certum sit, *non esse faciendo, volendoque mala, vt eueniant bona*; nec prauæ actiones nostræ; siue ex essentia sua, siue hic, & nunc, vt à nobis sint, fieri, amarive à Deo possint: vt materiale peccati possit positive facere, ac velle, Augustinus extra rem adducitur. Neque enim sonant (vtcumque adhuc) eius verba: Deum velle bene, & honeste, vt nos prauas actiones nobis velimus, & agamus; sed tantum quædam, quæ nobis, nec velle, nec agere licent, Deo licere, & agere & velle; vt meriti, ait, Patris mei mortem in supplicium; quam filium ex odio in Patrem vel ex anaritia velle, ageque nusquam potest licere: quare neque impelli, nedum prædeterminari à Deo filius ille potest, vt illud velit, vel efficiat; sed solum ipsi, ea vel actio, vel voluntas permitti.

3. Sed instant adhuc ex Augustino 5. cont. Iulian. c.3. ut ex princip. & med. vbi traditionem Philosophorum à Deo in passiones ignominiæ per meram desertionem, suique adiuuantis auxilij efficacis denegationem (quod ipsum est Dei permissio,) vt Iulian. interpretabatur, tanquam manem & friuolam interpretationem irridet his verbis. *quæris inaniter quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo*: ergo aliter quam mera desertione, & permissione Deus tradit: ac proinde positiua voluntate, & operatione sua inclinando, & agendo, vt passionibus ignominiæ cedant, atque in fœdas incidant actiones: cæterum toto eo textu, & sequenti id contra Iulianum intenditur ab Augustino, vt euincat peccatum, & (quod idem est) tradi passionibus ignominiæ, pœnam, & grauissimam peccati pœnam esse: quod Iulianus negabat: deinceps in singulis discursibus concludit, iam rogando, iam asserendo peccatum, cui quis traditur à Deo, pœnam esse peccati; quomodo autem à Deo tradatur, vtpote ad intentum hoc euincendum inutile curandum non esse censet: ac sæpè ibi proinde Iuliano modum, quo id à Deo fiat, eligendi facit optionem; etsi desertionis modum, cui insistebat soli Iulianus, vt traditionem in ignominiæ passiones, & praua desideria pœnam peccati non esse defenderet, vtpote intento Augustini oppositum eo capite ex instituto impugnauerit Augustinus: constat mens Augustini præfata ex his, quæ oppositis verbis adnectit; *sed, quomodolibet tradat, propter hoc deseruit, & vides eius traditionem, quamlibet intelligas, qua consecuta sunt*, nimirum noua praua opera inde à sic traditis denuò admissa: [curauit enim Apostolus dicere, quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ; siue deserendo, siue alio quocunque explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc, summe bonus, & ineffabiliter iustus: & refutato ex Apostoli verbis sensu desertionis Iuliani, quo eludere intentum vimque argumenti conabatur eisdem huic rationi, & conclusioni contra Iulianum Augustinus ita insistit: *quid horum tamen de eis esse quod scriptum est.* (Ezech.14.) [Propheta, si errauerit, & locutus fuerit: ego Dominus seduxi Propheram: & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israel: patientia est, an potentia? quodliber eligas, vel vtrumque fatearis, vides tamen falsa prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati,] quoniam verò Catholica desertionis voce, [qua rite intellecta, & Augustinus, & Patres traditionem perditorum à Deo in ignominiæ passiones, & desideria praua semper explicarunt] Iulianus abutebatur, vt eam nihil in peccata sequentia conferre vllo pacto posset: quare neque à Deo peccati anteacti pœnam à Deo inflictam peccatum sequens esse dicendum, quia ea desertio solum erat Dei patientia, qua anteacta non puniebat eius, quem deserebat, peccata, ita ipsum verbis ad proxima immediatis: *quid est autem, quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul posuerit hæc duo Apostolus, & patientiam & potentiam* (Ad Rom. 9.) vbi ait: *Si autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, qua perfecta sunt in perditionem.* Ac rursus longe à medio: *quis verò ita desipiat, vt, cum audierit, quod in* Psalm.(139.) [canitur: Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum: si Deus non tradit, vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo, cum fiunt; quid est autem, quod quotidie dicimus: Ne nos inferas in tentationem, nisi vt non tradamur concupiscentiis nostris? An forte hoc à Deo petimus, ne sit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius inuocamus misericordiam; sed potius iracundiam prouocamus, quis ista sapiat sanè? imò quis, vel furiosus, hæc dicat? tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant, quæ non conueniunt, sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum:] itaque non patientiæ solum bonitate, qua anteacta non punit, tradit deserendo sed potentia etiam sua deserendo vt traditus in vlteriora peccata, in anteactorum pœnam labatur.

4. Et hæc quidem verissima sunt, & rite ab Augustino confirmata contra Iuliani Sententiam, qui sola benigna Dei meritorum suppliciorum omissione, patientiaque, & traditionem Dei in desideria praua, & desertionem,

nē qua illam Patres,& scriptura explicuerunt stare volebat,vt peccatū sequens antecacti pœnā esse posse negaret, neque Dei adiutorium cuius subtractione,(quam Dei desertio sensu Patrum ad præsentem traditionem explicandam significat) peccaretur, necessarium ad non peccandum, beneque operandum, contra alterum suum errorem, admittere cogeretur: quare, etsi impugnationibus his illud: *non per potentiam in peccata compulsi*, quod Iulianus asserebat, quoad *compulsionem*, non impugner, sed omittat; hac omissione impugnationis, ne tacite quidem approbat: omittit autem, quia præsentis instituti non erat, & superfluo, extra rem præsertim, impugnaret, quod pluries, vbi eam attigit quæstionem, ad nauseam vsque, & toties quandoque libris impugnauerat, vti ex recitatis, citatisque hactenus eius locis claret: ergo duo asserit, & Dei patientiam in omissione suppliciorum meritorum per anteacta peccata eorum, qui à Deo traduntur passionibus ignominiæ, concupiscentiis, ac desideriis prauis in ea à Deo traditione (& idem esto de excæcatione,obduratione) Claudi, vt Iulianus admittebat;asit neque in ea sola, vt hic contendebat, illam stare:neque Dei desertionem,qua eiusmodi traditio à scriptura, & Patribus explicabatur. Postremum probauit absurdis datis impugnatione secunda. Primum impugnatione prima ex Pauli verbis, quibus, præter patientiam Dei, porentia ad eiusmodi traditionem requiritur: & sane Dei patientiam in suspensione debiti supplicij eam ingredi traditionem, præter recitata Pauli verba,expressum est Exod. 8. videns Pharao, quod data esset requies à plaga, ingrauauit cor suum: & cap.9. *ingrauatum & induratum minime dicitur*,vt bene pendunt Augustin.qu.24.in Exod. init.& serm.88. de tempore maximè ante, & post med. Basil. hom.9. Anastas. Nicæn. quæst.59. in Sacram Scripturam: vnde Hierem.15. *Noli in patientia tua suscipere me*: id est quin statim verberes, vt emendes: id enim, non tam benignitatis, quam iræ est; nec propria filiorum, sed reproborum administratio vt 2. Machab. cap.6.& Psal.98. *Deus propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, iuxta Augustin. ibi:& ad Hebræos 11. iuxta Chrysostom. hom.29. ante med. Origen. 3. Periarch.c.1. colum.7.Gregor. 12 Moral.c.15.sub finem inde patientia hac Deus male vsuros, eiusque benignitate abusuros deteriores facere dicitur: quemadmodum nos, filios,& seruos,qui indulgentia nostra peiores fiunt, peiores dicimur feciſſe,vt Origen.vbi proxime obseruat (indurare nos dicitur Deus tali typo sermonis: sicut herus,dum benignior in seruum est, insolentior est ipse, & improbior efficitur, dicere potest: ego te talem serue feci: ego te perdidi: patientia mea insolentiæ tuæ causa extitit, qui te non statim per singulas culpas non punio pro meritis delictorum:quo ipso rem exemplo, & locutionis rationem tradidit post Augustinus serm.88.de temp. post med. solum addens, *& hoc non dicimus, quod ex voluntate nostra in tantam sint superbiam deuoluti,sed quia magis de bonitate, vel indulgentia nostra fuerint obdurati*: vt, neque Deum dilatione supplicij & in Pharaonem,& quos indurare suisve passionibus tradere dicitur, ea, vt se vitio suo obdurarent, & passionibus vitiosis cederent, vsum fuisse ostendat. Sed occasionem abusus vitio ipsorum arreptam fuisse, non ex eius intentione, vt ita arriperetur,oblatam, vt habetur 2. Petri 3. *Non tradat Dominus promissionem suam* (iudicij postremi) *sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Cæterum cum nulla adeo pertinax obstinatio esse possit, nullaque adeo vehemens passio, quæ Dei adiutorio,& auxilio aliquo non solum emolliri,& superari in actu primo posse,sed quæ de facto in actu secundo non superaretur, ac mitesceret: patientiæ solius benignitas obdurationem excæcationem,traditionemque à Deo (quatenus ex parte ipsius esse potest) adæquate non continet,nisi adiutorij,& auxilij illius subtractio etiam accedat, quæ peccati vlterioris è passionibus prauis,& obstinatione oriundi permissio est,& anteactorum delictorum obstinationisque pœna, & cuius ratione sequens illud peccatum anterioris pœna est, ac dicitur;quin vt sequente peccato Deus puniat punireque antecedens aliud, sequens debeat causare (quod in Caietano ad 2.Reg. 12.& 16. reprehendunt merito Canus,Zumel & Vasquez apud Ruiz d.44.)& positiuè velle, sed solum iustam suam desertionem, & inde infallibiliter futuri sequentis peccati permissionem, vt expresse Gregor.homil.11.in Ezech. longè à medio. Hoc additamentum, quo traditio, obduratio, excæcatioque nostri à Deo completur,& ratione explicata constat.& sæpe à Scriptura,& Patribus traditum est,quos refert Ruiz d.43. de volunt.nosque magna ex parte præsenti d.hactenus recitauimus,illud solum repeto Augustin.2. de peccatorum merit. & remissione vbi ait:nos à Deo,qui tentare nequit,ne tentemur,minimè petere:*sed vt si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra adiutorio eius,ne deseramur,vt in eo possimus vincere,ne abstrahamur illecti*:æqua in re, etsi subtractio,ac negatio auxilij potentioris sit, Dei nihilominus potentia,quæ vtique,non de se determinata, & naturaliter operans est,sed libera,exercetur:quare non benigna solum patientia,vt contra Iulianum Augustinus aiebat;maximè, cum eis malis voluntatibus bene ipse post modum,vt velit,vtatur;quod summæ,soliusque diuinæ potentiæ est.

5. Insistunt adhuc Hæretici, & aduersarij reliqui et aliis Augustini locis, quibus Deum nostras voluntates in actiones turpes inclinare, easque in cordibus nostris operari Deum docet c.21. de correp.& grat. ex multis Scripturæ locis concludit. [His,& talibus Scripturæ testimonijs diuinorum eloquiorum satis, quantum existimo,manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum iudicio vtique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto:] & speciatim id 2. Paralip. 25. & *noluit audire Amasias eo, quod Domini esset voluntas,vt traderetur in manus hostium propter Deos Edom.* his ponderat. *Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde,cui vtique iuste irascebatur,vt admonitionem salubrem non audiret;sed ea contempta iret in bellum,vbi cum suo exercitu caderet.* Et c.20. dixerat: *voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum iudicio suo iusto,& occulto inclinauit*:quibus verbis S. Thom.ad Rom.9. lect.10. aliquid vltra permissionem intelligi ab Augustino,per inclinandi vocem ait,verum statim subdit, [Ad malum autem dicitur inclinare homines occasionaliter: in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius,vel exterius, quod quantum est de se est inductiuum ad bonum;sed homo propter suam malitiam peruerse vtitur ad malum:] non autem directe, & per se,secuti ad bonum ad malum inclinare multis exemplis ostendit,eaque S.Th.explicatione (vt alia subiicienda deesset) satis ad testimonia Augustini foret. Cæterùm testimonia hæc præfinitionem prædeterminatiuam actionis præmon probant, siquidem inclinare, operari in nobis Deum eas actiones,citra prædeterminationem esse potest;vti de facto, & ex fide in nobis actiones citra eā præfinitionem, & prædeterminationem in nobis operatur: Secundo, vt probent,plus probant, quam aduersarij, etiam explorato hæretici velint: nempe præfinire Deum prædeterminatiuè non solum materiale peccati, seu prauam nostram actionem,sed absolute peccatum. Tertio (quoniam inclinare quouis modo,& velle,adhuc inefficaciter,prauas nostras actiones Deo repugnat) respondetur inclinationem hanc à Deo in prauam actionem non esse physicam positiuam, à Deo inditam inclinationem ex positiua Dei voluntate erga actionem prauam, quæ de facto exercetur, sed permissiuam solum, vt inclinata ad malum proterua voluntas in hanc prodeat actionem, impediendo ne prodeat in aliam, in quam ex prauo suo affectu passione,& obstinatione prodiret; quod satis dixit Augustinus postremis verbis, quorum egregium commentarium dedit Hugo victor.1.de Sacram p.5.c.29.ex quo postremi hæc tene. *Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & vitiari, sed non potest per proprium vitium,quod ei aliunde non datur,sed solui per proprium vitium,quod ei aliunde non datur,sed solui per proprium vitium,quod ei aliunde non datur,sed solui

falsissimam,& toties contr.2.& hac 3.ex eodem Augustino ostendimus:quare verbum Augustini etiam recitatio otiosa mihi visa est: cum nec interpretatione, nec solutione opus habeant.Obiicitur etiam ex c.7.Augustinus scribés, *cum audimus: nonne ego vos duodecim elegi,& vnus ex vobis Diabolus est,illos debemus intelligere electos per misericordiam: illum per iudicium:illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum*: cum autē sanguinis effusio, quam efficaciter voluit, media Iudæ proditione esset futura;& hanc efficaciter voluit, à Deoque electum ad illam Iudam videtur Augustinus asserere:Maximè, cum paulo ante dixisset, electum Iudam ad opus,quod ipsi, vel cui ipse congruebat, nempe ad Magistri proditionem:id autem ad quod aliquis à Deo eligitur, à Deo proculdubio amatur:verū electionis huius nomine non ex intentione,adhuc ineffeacaci, vt Iudas Magistrum proderet electus hic ab Augustino intelligitur,sed solum Christi permissiua voluntate. Nouit enim Christus se ab illo prodendum si in Apostolum suum eligeretur,atque auxilio, tali v.g.non præueniretur: indeque opus redemptionis à se perficiendum; voluit autem eum eligere in Apostolum,& traditionem sui nolendo, illo auxilio impedire,seu,quod idem est proditionis suæ volendo permissionem: ea verò patrata ad opus redemptionis nostræ per sanguinis sui effusionem vsus est, nihilque aliud Augustinus intendit: neque eodem prorsus modo, quo reliquos ex gloriæ, & bonorum operum positiua voluntate ineffiracci antecedente ad regnum prædestinauit, ad sui sanguinis effusionem & proditionem actiuam Iudam prædestinasseid quod expressit ibi Augustinus dicens: *Ab illo quippe electus est,qui nouit bene vti etiam voluntatibus malis: vt per eius opus damnabile illud, propter quod venerat, opus venerabile compleretur*:non propter venerabile hoc illud damnabile amaretur:cuius peracti, vsus quidem bonus esse potuit,non autem amor,vt fieret, adhuc ex intentione & amore venerabilis illius poterat honestus esse:& sane,vt amari antecedéter posset,& intenderet Augustinus, ineffiçax solū illius amor verbis eius satis esset,absq; præfinitione,pro qua ab aduersariis afferri solū modo possent.

QVÆSTIO IV.

Liceatne à ratione ad materiale peccati prædeterminatiuæ præfinitiones?

QVæstio præsens lectori superflua non immeritò fors videatur:quandoquidem q.3.ostēdimus præfinitiones prædeterminatiuas nō solum Patrum & Conciliorum constanti conclusioni in terminis ipsis contradicere;verum,& affirmatiuam conclusionem eorū sententiæ contradicentem tot ab eisdem validissimis rationibus concuti,vt nihil eis,vel roboris,vel numeri addi à nobis possit:sed quoniam aduersariorum solutiones,etsi omnes fere attigerimus,reiecerimusque,quantum doctis esset satis tamen ne, dum easdem,ab authoritate præcipuè, vrgebamus,confutationum discursus longius traheremus,nō adeò ex instituto à ratione reiecimus:id in quæstione præsenti,quam rationibus solū Theologicis transigemus,meritò reseruauimus,in eaq; Deum ex eiusmodi præfinitione non materialis peccati,siue actionis prauæ,provt à nobis hic,& nunc progreditur,solum,verū & formalis:quare, & peccati absolute causam ostendemus,& authorem fore quod hæreticum plane esse aduersarij ipsi, etiā explorato hæretici,fatentur,atque admittere multis artibus & verbis refugiunt:quorum omniū conuenientia cum solutionibus recentiorum Thomistar. paucelorum quam validum contra hos sit argumentum ex Conciliis petitum clarius ostendet,argumenta reliqua Patrum q.3 data longius, non persequar:cum quia ibi,quantum opus à ratione fuit,eis adiūxi: cum quia eis eædem tantum solutiones,quæ huic argumento adhiberi possunt, eisdem rationibus sunt, seruata minorū diuersitate,impugnandæ:quare omnia argumentis singulis superfluo,& ad tædium repeterétur. Nihilominus aliquid aliud præter argumentum propositum præcipuè ad hominem contra præfatos Dominicanos à ratione q. præsente persequemur:missis tamen,vt disputationis præfatione proposui argumentis petitis à libertate.

CERTAMEN I.

Præfinitio prædeterminatiua Deum causam,authoremque formalis peccati absolutè facit.

1. VT huius argumenti robur innotescat dogma Catholicum,aduersariis etiam hæreticis indubitatum, statuendum in primis est, ne quis post hac vi illationis actus, & conclusionis affirmatiuæ præconcepto amore præceps in hæresim ruat. Deum igitur formalis peccati,siue peccati absolute talis causam non esse,neque esse posse dogma Catholicum est: eiusque oppositum hæresis aperta. Hoc definitum esse à Tridentino recitato à nobis q.3.certam.1.n.2. & certam. 3. n. 8. atque item iam pridem à Synodo Constantinopolitana 2. gener.5. constat ex eodem cert.n.1.Aerursus ab Arausicano 2.& Valentino 3. eodem num 8.recitatis,constans aduersariis omnibus est, imò hoc, vt minimum tradi à S. Petro contra Simonem Magum,reliquisq; Pontificibus, & Patribus tota q.3.productis, euidens ac perspicuum eisdem etiam aduersariis est:qui (tametsi falsò) eos de peccato absolute tali,eiusve formali; non autem de materiali peccati locutos fuisse contendunt: nec alia aduersariis benignior interpretatio siue Conciliorum. siue Patrum excogitari potest:quare ea omnia testimonia hoc dogma expresse confirmant,solum addo celebre illud pro hoc dogmate Augustini testimoniū ex 7.Cōfessionum c.3.quod sic habet. *Non tenebam explicitam eno datam causam mali, quacunque tamen esset, sic eam quærendam videbam: vt non per illam constringeret Deum incommutabilem* (ad malam) *mutabilem credere:ne ipse fierem quod credebam:itaque securus eam quærebam, & certus non esse verum, quod illi* (Manichæi) *dicerent, quos toto animo fugiebam: quia videbam quærendo vnde malum repletos malitia,quia opinabātur, tuam potius substantiam male pati,quam suam malè facere:& intēdebam, vt cernerem,quod audieram, liberum voluntatis arbitriū causam esse,vt malum faceremus*. Id sæpius docuit Augustinus locis datis q.3.vbi alij etiam Patres, quos omnes de materiali peccati,vt proditionis Iudæ,cupiditatibus,& desideriis ac voluntatibus prauis eius propositionis exempla adhibuisse vidimus:quod notatum volo ad vim iam efformandi argumenti clarius ostendendam.

2. Argumentor sic:Deus præfiniens prædeterminatiuè materiale peccati causa materialis peccati est, etiam per aduersarios: at nequit esse causa materialis peccati, quin formalis eius & absolute peccati causa sit: ergo Deus præfiniens prædeterminatiue materiale peccati ex causa formalis eius & peccati absolutè contra dogma Catholicum præfixum. Minor probatur primo:quia, vt supra tetigimus formale peccati & peccatum re ipsa absolutè tale,& secluſa fictione considerationis nostræ,& entis rationis figmentis,nihil aliud est,quam materiale peccati,quod aduersarij vocant,sed implicat re ipsa eiusdem,siue realitatis, & entitatis eiusdem (ad quam solum physica realis, ac vera causæ physicæ actiuitas, & causalitas esse potest) causam esse,& non esse causam realem:ergo implicat Deū præfinientē prædeterminatiuè materiale peccati esse huius causam realē, ac nō causam verā realem formalis eius, siue peccati absolute talis. Maior (quæ sola probatione videtur egere) probatur ex Tridētino,& Patribus,qui eius dogmatis,quod scilicet Deus causa peccati non sit,exēpla adhibent in proditione Iudæ,& cupiditatibus, voluntatibusque prauis & quæ materiale peccati ipsissimum sunt; aduersariis fatētibus;ergo materiale peccati secluso formali,quod mens nostra materiali appingit, & rationis effingit idem ipsum vere,& realiter,quod formale seu peccatum absolutè est Patrū & Concilij sententia. Patet consequentia; alioqui, dum Deum peccati absolutè causam esse non posse aiunt, male in materiali peccati exemplum adhiberent,si,vltra materiale,reale aliquid formale peccati,seu peccatū absolutè tale includeret. Probatur secundò ratione:quia, si à peccato absolutè tali omne rationis nostræ figmentum, dum formale, vt quid vnum, & rebus quæ in peccato,siue omissionis,siue commissionis intercedunt, superadditum secludas: idque solum, quod reipsa est,dum verè absolutè peccatur, consideres: solum inue-

nies prohibitionem legis, siue naturalis, siue positiuæ, iure alterutro diuino, vel humano, eiusque aduersantiam per rectum rationis dictamen, & indifferentem operaturæ voluntatis, & creaturæ rationalis potestatē (quam præfinitione posita persistere aduersarii nunc damus,) & his omnibus præsuppositis elicientiā actus, & operationis vt à creatura: atqui hoc totū, & solum, nihilque aliud formale peccati, & peccatum absolute tale omnino est (sin aliud quidpiam, quod reipsa, ac secluso rationis figmento formale peccati sit, vel peccatum absolute tale vlterius claudat assigna) ergo reipsa, ac secluſa fictione, idem ipsum, nihilque aliud formale peccati est, nec aliud quidpiam peccatū absolute tale claudit: quæ de actiones, seu de peccato cōmissionis dixi, de omissionis peccato, siue omissione actiones præceptæ eodem robore probant, & quæ de illa dicemus de hac æquè, vt minimum, probabunt.

3. Sed, quidquid de hoc sit, illud tamen extra omne dubium est: id scilicet, quod supra actionem nobis prohibitā hic, & nunc vt à nobis elicitā siue supra materiale peccati eius formale, ac proinde peccatum absolute tale addit, nō aliter vere fieri, absolutéq; causari ab aliquo agente posse, quam causatione, atque effectione vera, & reali actionis physicæ, provt à nobis, quibus prohibita est siue reali vera causatione materialis peccati: at per hosce Deus prædeterminatiue præfiniens actiones eiusmodi, vt à nobis fiant, & hic & nunc fiunt, siue materiale peccati est propriè directè & per se causa earū, hic, & nunc à nobis fiūt, siue materialis peccati, ergo est causa formalis peccati, ac proinde peccati absolute talis. Maior probatur facile, quia, quidquid formale peccati, quo peccatū absolute tale cōpleatur, supra materiale addat, id tamē necessario, & inuitabiliter consequitur ad materiale: ita, vt, nec Dei potestati subiaceat, vt posito semel materiali peccati siue actione prohibita, provt à nobis, formale peccati non agnoscatur, & peccatum absolutè tale non fit. Hoc vel aduersarij ipsi fatentur. Addo (quod ne illi quidem negare possint) non solum actione libera vltra positionē materialis peccati; verum neque physicè diuersa à positione materialis, etsi necessaria, & inuitabili formale peccati apponi à nobis posse, siue eam simplicem emanationē, siue alia quauis voce donare velis: quod magno, ac firmo argumento est realis indistinctionis formalis peccati à materiali ipsius, solumq; ratione nostra ratiocinante, & puro figmento, firmale peccati à materiale distingui, vt prima consequentiæ probatione dicebamus. Sin minus ostende, ac edissere nobis, non liberam quidem, sed physicam, siue Dei, siue hominis, siue alterius, quem malis, actionem vltra terminatam ad materiale peccati, quæ ad formale, quo peccatum absolutè tale constituatur, terminetur: eadem maior, atq; ei innixa subinde consequentia est expressa S. Thom. q. 3. de malo a. 3. corp. aientis: *Peccatum non est forma sed actus, vnde illud per se potest esse causa peccati, quod potest mouere directe ad actum peccati:* & 1.2.q.80.a.1. *Peccatum actus quidem est: vnde hoc modo potest esse aliquid directe causa peccati, per quem modum aliquis directe est causa alicuius actus;* quibus similia dedimus ex ipso 1.2.q.25.a.1.sup.q.3.cert.1. n.5.fine. Atqui per vos Deus præfiniens materiale peccati prædeterminatiuè, directè, & per se est causa actus nostri, etiam, vt à nobis: ergo & est causa peccati. Ne verò ex vniuersali, & necessario Dei concursu, & voluntate cōcurrendi ad omnē nostrum actum quē q.70.a.2. admiserat, in ipsum vel in nos regeri argumentū posset præcauit q.8.a.1 ad 3. scribens: *Dicendum, quod Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani; sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, & à diabolo per modū persuadentis, & appetibilia proponentis, &c.* Quibus Deum directam causam actus praui, vt à nobis, negat, ne principium suum contra ipsum possit inferre Deum peccati esse causam, & authorem, & sane eo articulo corpore ait: non aliter alicui imputari, vt causæ malitiam, & peccatū absolute, *nisi, quatenus mouet voluntatem, & interius inclinat ad agendum, & volendum*: quod in præfinitorum horum sententia agit Deus, agereque tenetur ex efficacia præfinitionis imaginatiuam, & appetitū excitando & suadas boni delectabilis cogitationes, sine quibus materiale peccati præfiniti obtinere à nobis nequit: imò agit & amplius aliquid, nec plusculum solum: cum non vtcunque incliner, ac moueat, sed irresistibiliter ad agendū prædeterminer, vnde ei potius, quam voluntati creatæ, peccati causatio tribui debet: siquidem Dei solius est omnino libere, & cum potestate, ab omni necessitate absoluta poni actum, cui annexa inuitabiliter malitia est: item, & ab illo directè, per se, & ex intentione ipsius, tanquam à causa principali prænouente; ab homine vero tantum, tanquam ab instrumento præmoto, vt aduersarij volunt; actio, vero instrumento, sed principali agenti illud præmouenti potius, principaliusque tribuitur.

4. Respondebunt primò: Deum, causam quidem physicam malitiæ peccati absolute esse, non autem moralē, sed in primis solutio hæc est contra Patres, & Concilia, quæ vniuersim Deum causam esse malitiæ atq; peccati negant: quare, & omnē horum causalitatē à Deo ablegant, maximè physicam, quæ præcipua & absolutè talis est; cum tamen moralis causalitas solum secundū quid, & imitatiua causalitas sit, quatenus aliquo modo ad physicam causalitatē, & operationē motione intentionali nos inducit; in propositione autē negatiua prædicatum absolute, & propriè tale remouetur necessariò à subiecto; etsi secundū quid tale nō remoueatur quandoque: vt in his Æthiops non est albus, de quo album absolute, & proprie tale necessariò negatur, ac remouetur; non autē album secundū quid, siue secundū dētes: & de imagine Cæsaris verè esse hominem negamus, & si imitatiuè sit, & secundum quid homo; alioqui, quia Deus ens rationis, & secundum quid non est, non esse ens dici absolute posset, ergo Physicam causalitatem malitiæ Patres, & Concilia negant. Secundo moralis imputabilitas malitiæ, & peccati causalitas moralis, de qua hic, physicam necessariò consequitur: ei enim, qui causa realis physica malitiæ, & peccati sit, ipsi tanquam causæ cui imputetur, ac subinde tanquam causæ morali attribui certum est. Siquidem nos, non aliunde peccatorum nostrorum, & malitiæ causæ morales, & quibus, tanquam causis, malitia, & peccata in genere morisimputentur, inuenimur, nisi, quatenus ex physica nostra libera elicientia malitia, & peccatum absolutē apponitur, vegetur, quia determinatius, fortiùs, & inuitabilius, immediatiusque malitia, & peccatum absolute tale, à Deo prædeterminatiuè præfiniente apponitur, quam à dæmone excitante phantasiam, appetitum, & malesuadas boni delectabilis cogitationes; & tamen causa moralis, &, cui malitiā, & peccatum moraliter, & in genere moris diabolus censetur: ergo multo magis Deus. Dices causam moralem peccati, & malitiæ, vt contra physicam distinguitur, eam solet dici, quæ moraliter, non physicè etiam illam causat contra tamē: quia ex hoc fœditas imputabilitatis malitiæ, & peccati nostri Deo tanquam causæ & principaliori causæ non minuitur sed augetur: si enim, qui solum consilio, hortatu instigatione, præcepto, quæ omnia, & minus longe, & inefficacius, & mediatius, & indeterminatius, nostramque voluntatem minimè ligantia, vt malitiam, & peccatum apponat fœditatē huius in eas causas morales refundit: maiorem longe refundet fœditatem in Deum physica causalitate, determinatius, fortius, immediatiùs malitiā, & peccatum apponentem præfinitione, & prædeterminatione, ita ad illos determinata, vt nulli ad vlus alios, quā malitiæ, & peccati appositionē, possit inseruire, & qua non possint nō media voluntate (esto liberè vt contradictorie contendit) apponi. Secundo, nec fatales, qui per stellarum influxū dei in actiones prauas, & peccata causalitatem docebant, aliū vel eius, vel stellarum in hæc moralem admittebant causalitatē; & tamen à Patribus, & Conciliis damnantur, Tertio, si influxum hunc physicum in malitiam, & peccatum nostrum, & fœdissimam in genere moris causalitatem malitiæ & peccati solutio hæc admittat, moralem tamen effugere non potest. Etenim, si malitiam, & peccatum etiam iuxta hāc solutionem prædeterminatiue Deus præfiniat, & causet ad male suadas boni prohibiti delectabilis cogitationes, sine quibus, nec actio prana, nec malitia eandem & peccatum apponendas cogitur Deus: sicuti ex intentione quauis efficaci ad medij necessarij intento efficaciter obiecto obtinendo cogimur omnes, quare ex præfinitione, & causalitate physica malitiæ, & peccati per hanc solutionem admissa, admittenda etiam in hæc eadem moralis causalitas suasionis instigationis &c. in Deo erit.

5. Si autem recurras ad causalitatem moralem propriam legislatoris, & præcipientis, quæ Deo repugnat, cum prohibeat expresse, & actiones turpes, ac subinde malitiam

malitiam eorum,& peccata in primis: moralem etiam causalitatem instigatoris,& suasoris horum in Deo hac solutione non excusas. Secundò, vt q.2. ostendimus præfinitione hac necessaria admissa, cum hic,& nunc impius operatur, & peccare absolutè dicitur nulla extat vera lex aut præceptum, cum per hanc supremi rerum Domini,& Arbitri,ac Principis Dei efficacem de oppositio voluntatem, sit lex omnis,vel actionem prohibens, vel præcipiens omnino abrogata,imò verò, cum Dei,quatenus ex se est,serio & absolutè concepta voluntas,prima,ac præcipua regula, & lex nostrarum actionum sit,ea,quæ de actionibus prauis hic,& nunc exercendis, & iuxta hanc solutionem de peccatis admittendis ad sit, non solum legis de oppositio abrogatio,verum,& de his admittendis lex Dei & præceptū impiis perpetrantibus adest;qua posita, & si nobis peccata omnia reddi impossibilia, imò & reddi honestissima vt ostendimus q.3. cert.4 à n.5. moralem tamen Dei præcipientis causalitatē negare non potes. Vrgetur:quia omne præceptum naturale,maximè de iure naturali diuino,est à Deo,tanquā à primo,& supremo legislatore:sed præceptū non violandi,ac conandi contra seriam præsertim efficacē Dei voluntatem, sed illam potius exequendi,nec conandi contra eius sic efficaciter volentis Omnipotentiam, sed potius sese subdendi in operatione est de iure naturali diuino:ergo & est à Deo: atqui per hosce est volūtas efficax Dei de actione praua tendens virtute actiua,& causalitate physica Omnipotentiæ in malitiam etiam,& peccatum,& quam proinde ex generali illo præcepto de iure naturali diuino exequi debeamus, nec in oppositum ipsi atq; Omnipotentiæ per illam applicitæ remittere:ergo ex Dei præcepto,& lege de iure naturali actionem prauam,& malitiam, ac peccatum absolute impij apponunt: quare, & moralis legislatoris influxus in formale, nec solum in materiale peccati, atque in peccatum absolutè; nec solum physicus contra hanc solutionem est admittendus. Denique vt hac solutione & distinctione causalitatis physicæ, & moralis aduersarij abstinerent satis esse videbatur,eā ipsam à Nouatoribus per Tridentinum, & Catholicos omnes nihilominus damnatis excogitatā primo,ac traditam fuisse. Caluinus apud Staplet. Antidoto in acta c.2. ad id. *Hunc desinito consilio* pag.5.fine, & 6.init. sic ait: *vtcunque exequātur impij quod apud se Deus statuit,nihil tamē minus,quā Deo obediunt:nam obedientia ex voluntario affectu nascitur.Illi demum obediunt Deo, qui ea sua exigunt ad legis regulam; deinde eius imperio se voluntarij subiiciunt. Nihil tale in omnibus impiis cernimus,quos Deus huc vel illuc nescientes impellit:*& 1.instit. c.17.sect.6. apud Valent. tom 2.d.6.q.9.pu.1.sub init. *Id requirit vnum Deus à nobis,quod precipit; si quid aduersus præceptum designamus non obedientia est,sed cōtumacia,& trāsgressio.* Theod Beza aphor.31.[Eædem actiones,quatenus à Sathana, & malis per Sathanam, & per propriam concupiscentiam solicitatis proficiscuntur,eatenus peccata sunt,quæ Dominus iustè suo tēpore vlciscitur. Nunquā enim Dominus peccata,quatenus peccata sunt,permittit:imò semper prohibet, ac vetat:] Quibus impios Deum consilio,aut præcepto ad malum minimè mouere,quin potius vtroque modo à malo terrahere:quare neque eo sensu sceleruum illis moralem causam esse hæretici fatentur, id quod Zuinglius, & alij docent,dum ideò Deum eis actionibus non peccare aiunt; quia ipsi lex posita non est: peccare verò impios, quibus lex eas prohibens posita est vt inferius referemus.

6. Dices tertiò cum Aluarez d.24.de auxil.n.23.Ledesm. 2.8.concl.1. & aliis Deum,nec causare,nec præfinire prædeterminatiue materiale peccati formalis,vt peccati materiale seu fundamentum vltimū, & respectiuum formalis peccati materialiter sumptum,sed designare eos oportet, quid ad materiale peccati formaliter sumptum, & fundamentum vltimum respectiuum malitiæ, eique connexum vltra actionem prohibitam,vt à nobis elicitā addatur,nam id totum à Deo præfinitum prædeterminatiuè ab eis assertur.Secūdò quidquid illud præter vacuas voces, rationisve figmentum arbitrariū sit,eisdem aduersariorum principiis prædeterminatiuè à Deo præfiniendum probatur. His ipsis argumētis præclusa est solutio Aluarez n.36. & d.28. n.22. ex quo alij esse fundamentum malitiæ, vt prouenit à voluntate creata defectibili,seque, (vt alij addunt) Deo, eiusque voluntati & legi non subdente. Sed posita lege prohibente, & (vt hi volunt) persistente cum voluntate efficaci præfinitionis à voluntate eiusmodi fieri prædeterminatiuè præfinitur, & causatur: ergo & vltimum fundamentum,seu materiale peccati formaliter,nec solum materialiter sumptum,causatur à Deo:fitque,vt quæ defectibilis in actu primo creatura est,materialiter,& vltimò fundamentaliter deficiat, & subinde malitiam formalem, & peccatum absolutè ineuitabiliter materiali illo exercito apponat. Confirmatur ex causalitate absoluta Dei in materiale formaliter sumptum,& vltimum fundamentum bonitatis operis boni, atque in bonitatem ipsam, & opus ipsum bonum: quæ ea solum ratione horum sententia à Deo causari eique, vt principali causæ, & authori tribui dicuntur;quia ea fieri à nobis prædeterminatiuè præfinit.

CERTAMEN II.

Euasiones aliæ quæ Deum in peccati causatione à culpa excusant.

1. SOlutiones aliæ, quæ huic argumento adhiberi à Præfinitionibus solent, non tam illud soluunt (vt ipsi vellent) quam causalitate absoluta peccati, ex causalitate materialis peccati in Deo admissa eius fœditatem euacuare, atque adeò turpitudinem detergere conantur. Prima earum est. Deo nullam esse legem impositam, ne aliquid in creaturis, ac per creaturas suas faciat,fierique velit:tum,quia earum Dominus, & supremus est:tum,quia essentia,& natura sua iustus;cum tamen certum ex Scriptura sit iusto legem impositam non esse;implicat autem male,& contra legem operari eū cui lex contra quam operetur,nō est. Hæretica solutio,& quæ hæresim aliam de nulla lege iustis imposita supponat, ita respondet Zuinglius serm.de prouid. c.5. [Cum Deus,inquit,Angelum,vel hominem transgressorem facit:ipse tamen non transgreditur:vt qui contra legē non veniat. Non est igitur peccatum,quod Deus facit;sed homini, atq; Angelo est,illos enim lex premit,atque accusat;Deo autē cum creaturis suis libere licet agere:non minus,quam Patrifamiliæ cum rebus suis,quam figulo cum luto,vtcunq; igitur creaturam huc impellat,huc,aut illuc agat, tantum abest; vt peccet,vt hæc cita insigne bonum non faciat;cum interi in homo,cui lex est præixa,etiā cum impellitur peccet: aduersus enim legem operetur:]c.6.[Quod Deus facit nō est peccatum quia non est contra legem,illi enim non est lex posita,vtpote iusto. Nam iustis non ponitur lex iuxta Pauli sententiam:vnum igitur, atq; idē facinus,puta adulterium,aut homicidium)quantum Dei authoris,motoris,& impulsoris opus est,crimen non est;quantum autem hominis est crimen,ac scelus est;ille enim lege non tenetur,hic autem lege etiam damnatur:] Ita apud Bellarm. suprà c.4. §.*Tertia ratio.* Mittam posita præfinitione prædeterminatiua ad materiale peccati,nullam hic,& nunc operantibus praue legem aduersanté persistere;atque item semel iustificatum, iuxta alteram rationem. Ob quam ab his Deum nulli legi subiacere probatur, peccare nequaquam posse: quod,vt dixi,hæresis est expressa:siquidem,& iustos plures à lege sibi cum reliquis imposita præuaricatos esse cōstat ex Sacra Pagina,& Dauidem,Salomonem, & alios,& vniuersim Ezech 18.atque alibi dicitur *peccaturum,& damnandum iustum,si faciat,quæ lege prohibentur.* Sed contra solutionem adhuc ex hac parte contra primo: Quia, & si iusto quoad terrorem & quasi coactionem,& violentiam meticulosam, ob quam legi pareat, cum paret, lex imposita non sit,quia lubens ex eius amore legi obsequitur;vt Zuinglius ipse ait, & Textus Pauli Catholico sensu intelligi solummodo potest, ac debet: atque ita nec Deo, quia non inuitus; sed suopte genio,& natura recto suo dictamini (quod lex æterna est,& rectæ legis omnis origo) conformis operetur; tamen, sicut iustus terrore,& seruili metu legis exemptus,contra illam agens, peccaret, ita,& multo deformis, Deus, vt iam ostendam. Cum autem non solum, qui immediatè, & proximè actionem prauam prohibitam exercet, ac subinde peccatum committit, sed qui ei causa, & author est, contra legem facit & peccat: ob exemptionem terroris, & metus seruilis legis, à fœditate, & turpitudine peccati, & si iustissimus natura sit, si operis praui esset author nobis Deus,

non excusaretur. Contrà secundò : quia, & si Deo, vti supremo omnium Domino,& Principi lex imposita ab alio non sit,nec possit imponi;tamen ipse sibi omnis rectitudinis lex est, atque vt Zuinglius ipse conceptis verbis ait: *Quod nobis lex est, Deo est ingenium, & natura*, atqui fœdiùs longe est sapientiæ suæ dictamini recto,& immutabili, sibique, & naturæ suæ, quam legi alterius rectæ repugnare : ergo exemptione legis sibi impositæ ab alio Dei in praui operis causatione, non excusaretur deformitas, sed augesceret : sapienter enim Tertullian. 2. aduers. Marcion. cap.7. vbi postquam dixit Deus non impediisse homini datam libertatem ad fruendas res addit: *Fruendas autem, quantum in ipso Deo est : Secundum ipsum Deum id est in bonum, quis enim aduersus se permitteret* (ex seipso vellet) *aliquid ?* nedum ipse est efficaciter vellet, & causaret. Quin si Deus, quid contra rationem, & honestatem facere, velleque posset, eum Deum, legibusque exemptum,non esse,sed creaturam, legibusque subiectam probaretur. Recte enim Anselm. lib.1. cur Deus homo ? cap. 12. *Quod Deus vult iustum est : non ita intelligendum est,vt, si Deus velit quodlibet inconueniens, iustum sit, quia ipse vult. Non enim sequitur, si Deus vult mentiri iustum esse mentiri ; sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri,nisi voluntas in qua corrupta est veritas ; legique subinde non mentiendi subiecta.* Contra tertio : quia neque altero titulo Dominij rerum omnium eam turpitudinem potest Deus abiicere, si causa sit, vt homines praue operentur,ac peccent:sicuti nec Paterfamilias,ac Herus,si filium,ac famulum aliquid, debiti obsequij,& operæ alias,hic,& nunc,non nisi contra legem præstandæ,causæ foret.

2. Secunda solutio sumitur ex fine, qui Deo ad præfinitionem prædeterminatiuam materialis peccati, eiusque, & malitiæ subinde, & peccati nostri absolutè causationem non vnus tantum sed multiplex honestissimus est. Quare, inquiunt aduersarij : cum, non tam ex re peracta, quam ex fine, & motiuo pensari honestas actionum debeat : Deus scelera nostra causare, non solum absque vlla turpitudine,sed cum summa honestate censendus erit. Solutio etiam hæreticorum præfinitorum est.Caluin.instruct. aduers. libertinos c.14. ait : *Magna est differentia inter opus Dei,& opus impij,cum Deus eo,vice instrumenti,vtitur. Impius enim sua auaritia,aut ambitione,aut inuidia, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, neque alium finem spectat : ideò ex radice illa, id est ex animi affectione, & fine, quem spectat, opus qualitatem sumit,& merito malum iudicatur : Sed Deus respectum omninò contrarium habet : nempe, vt iustitiam suam exerceat.* Rursus: *Negamus Deum mali esse Authorem : quia in hac voce certa est notatio praui affectus : maleficium enim æstimatur ex fine,quo quisque tendit*,lib.de æterna Dei præd. & opusculis editionis Genuensis anno 1552. pag.946. *Ergo, cum iusta de causa, licet nobis ignota,* (vt dixerat pag. 917.) *à Domino procedant, quæ scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur,etiam si rerum prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse Authorem nego.* Theodor.Beza respons. ad Sebast.Cattellion. refutatione col.2. de Adami casu. *Deus hominem conditurus ad gloriam, cum misericordia, tum seueritatis sua declarandam*, &c. *Ideò oportuit Adamum condi Sanctum,& innocentem,sed qui sua sponte,& sine vlla Dei culpa,vitiosum factus patefaceret viam æternis Dei consiliis, id est, tum misericordiæ, tum seueritati ipsius declarandæ:oportuit ergo Deum quoque hanc vnicam viam sibi aperire : id est Adami lapsum ordinare : sed ad eum, quem dixi,finem ; qui, cum sit iustissimus,& sanctissimus iustam quoque ipsius ordinationem esse consequitur* : ac rursus apud Stapleton in acta cap.2. vers.23. criminis Iudæ, ac Iudæorum immanitate perpensa,ab illis,*& tamen dicit Scriptura*, eandem continent excusationem ex bono fine eius verba Aphorism. 31. *Iustè tamen permittit ; quod iusti iniustè agunt: quoniam peccata quatenus à Deo nolente permittuntur*, (permissione hæretica abusiua, quæ eorum positiuam voluntatem & causationem admittit,) *peccata non sunt, sed peccatorum pœna iustum enim est coram Deo peccata etiam peccatis vlcisci ; sed ista eadem actiones, quatenus à Sathana, & à malis per Sathanam, & per propriam concupiscentiam solicitatis eatenus demum peccata sunt.* Melanchthon explicat. epist.ad Rom.cap.8. *Nam ipsa mala quæ fiunt* (Iudæ etiam proditionem, cuius Deum causam dixerat,) *ipse ordinat ad suam gloriam. Sicuti ait Pharaoni : in hoc ipsum excitaui te, vt ostenderem in te maiestatem meam.* Zuinglius serm. de prouidentia cap. 6. *Quod Deus facit libere facit, alienus ab omni affectu noxio : igitur & absque peccato : vt adulterium Dauid, quod ad Authorem Deum pertinet, non magis Deo sit peccatum, quam, cum taurus totum armentum inscendit, & implet* : idemque, tam ipse, quam alij intelligunt, dum ad iusta Dei iudicia recurrunt, eandem etiam euasionem tentarunt olim apud Epiphan. lib.1. cap.38. & Tertullian. de præscriptionib. Cainani hæretici asserentes Iudam ex præscientia,& intentione fructus suæ proditionis, *bonum opus nobis fecisse ad salutem : vnde oportere nos laudem ipsi tribuere,quoniam per ipsum parata est nobis crucis salus*, Ex quibus claret, quam longe à Catholicorum mentibus esse debeat huius solutionis doctrina, quæ tales parentes habeat, & Patronos, sed eius tamen periculum & falsitatem ostendamus, vt antiquorum, quorumdam errorem,refert, S.Thom.1.p. quæst. 19. art. 9. ad 1. qui ea volebant defendere, *Deum velle mala culpæ esse, vel fieri* : videturque Hugonis Victor.tract.1.sum.cap.13.aientis : *cum videret* (Deus) *alia, quæ in se mala,& ad aliud bona,voluit ea esse. Quid enim melius est esse,an quæ sunt in se bona tantum ? an ea,qua, & si non sunt bona in se, tamen ad aliud sunt bona ? ea vtique quæ ad aliud sunt bona : Non autem concedimus,si vult ea esse, quod vult ea* : Quod postremum non facile capitur, & quanquam neget, vt vidimus hic, & quæst.1. Deum velle,& causare vllo modo peccata,quoad primum confutatur à Magistro presso Hugonis nomine in 1.d.46. §.*Ideò*, & ab Scholasticis ibi : insuper in eodem errore fuisse, videtur Cassianus collat.17. Abb.Ioseph.cap.17. vt inde vsque ad caput 26. mendacium ad alterius vitam tuendam licere statueret ; cum tamen,& à Patribus obiude refutatus, & oppositum sit iam in Ecclesia definitum.

3. Probatur vero finem bonum non purgare à turpitudine actionem malam, neque circa illam affectum ; id axioma Theologicum fert : *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona* : ac proinde furari, vt eleemosynam largiatur, nemini licet : nec mentiri, vt proximi vitam seruet : nec miracula fingere,vt Deus laudetur.Secundò probatur ex Innocentio III. c. *Super eo*, de vsuris dicente: [Cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus : quia, cum Scriptura prohibeat pro alterius vita mentiri,multo prohibendus est quis,ne pro redimenda vita captiui vsurarum crimine inuoluatur.] Posset autem, dubio procul, dispensari, si posset ex bono fine vsura, aut mendacium malitiam exuere, ac induere honestatem. Tertiò scelera nostra iustitiam Dei commendare contra Paul. ad Rom. 3. [Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat quid dicemus ? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram ? Absit. Alioqui quomodo iudicauit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc ego, tanquam peccator iudicor ? Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt nos dicere quidam,) faciamus mala, vt veniant bona,] & cap.6. [Quid ergo dicemus ? Manebimus in peccato, vt gratia abundet ? Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo.] Non enim peccato mortui essemus,sed in illo viueremus, si ex bono fine, vt Dei gratia magis splenderet, ac abundaret, peccato insisteretur, ac in eo maneremus, cuius testimonij rationem ita expoluit Chrysolog. serm.113. [Siquidem Medicus non vulneri,sed curæ proficit ac saluti : nec morbo, sed soli congaudet ille sanitati : ita Deus non ad multiplicanda, sed ad delenda delicta imbrem suæ pietatis infundit :] Quibus verbis aliud etiam certam, sequentium perpensum contra eiusmodi præfinitiones argumentum suggeritur. Est autem vtriusque testimonij ratio, ea solum, quæ per se, & directe mala non sunt, ac subinde gloriæ Dei per se possunt inseruire posse ex eius fine, & intentione fieri, atque ad illum honeste ordinari. Quæ vero per se, & directe mala sunt, ac proinde Deo, eiusque gloriæ aduersa, (vt hic & nunc provt à nobis exercentur actiones prauæ, & peccata,) & si per accidens ex eorum positorum occasione Deus speciali ordinatione sapientiæ, & prouidentia sua bona plura, & gloriam suam possit dis-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducere; aſt nec fieri, nec intendi poſſe antequam ſint, aut fiant: id quod inde conſtat; quia bona, ad quæ Deus ſemel à nobis poſita ordinat, ſunt, vel ad deſtructionem, & diſplicentiam de illis per peccatoris pœnitentiam, vel humilitatem, vel iuſtitiæ ſuæ, in illis puniendis oſtenſionem, vel ad deterrendos alios ab actionibus ſimilibus: quare ſcitè expoſitores ad primum Pauli locum eam rationem reddunt: quod per accidens, ac non per ſe (ſicut malitia actionem prauam) ſequatur: in his S.Thom. fuit ſic ad rem præſentem fatus 1.p.quæſt.19.art.9.ad 1. *Nihil iudicatur: ſecundum illud, quod competit ei per accidens; ſed ſecundum illud, quod competit ei per ſe*: eamque rationem ad eum locum Pauli ſupponunt Chryſoſtom. Oecum. Theod. Anſelm. Ambr. & alij Patres aientes: homines per peccata, necdum glorificare, neceſſe gloriæ Dei cauſis, & authores, neque veritatis, & iuſtitiæ, nec ad eas proficere: quæ, de cauſa per ſe, ſolum, vera ſunt: ac proinde nec ob illam eſſe petrandas: quarto Eccleſ. 15. *Non enim neceſſarij ei* (Deo) *ſunt homines impij*: ad nullum ſcilicet finem: cum tamen, ſi per ſe ordinabilia ad gloriam ex illorum, vel pœnitentia, vel remiſſione, vel ſupplicio, captandam forent, & forent ad eum finem neceſſarij Deo: cum non, niſi ab impiis, poſſint peccata apponi S.Aug. lib. contra mendac. c.7. ſic fatur: [ea quippe opera hominum, ſiue cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata: cum verò iam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia: quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint, vel (quod abſurdius eſt) iuſta peccata ſint?] Sextò, vrgetè Vvaldenſ. contra ſimilem antiquorum doctrinam arguit. 1. doctr. fidei cap. 28. ſub finem, *quia Dei exemplo hoc agerent homines committendo furtum, vt inde parent eleemoſynam, & perpetrando periurium, vt redimant mori-entem contra mandatum Apoſtoli*: etenim Dei honeſtiſſima opera, & voluntatem imitari honeſtiſſimum eſt.

4. Et hactenus dicta contra quemvis finem eis præfinitionibus prædeterminatiuis ad materiale peccati, ac ſubinde peccatum, quod per illas vult, & cauſat Deus, apponat, ipſum à culpæ fœditate non purgare: nec gloriæ ſuæ finem, communiter, tam ab hæreticis, quam ab aliis præfinitoribus deſignatum. Nunc aliis finis reiciendus, nempe ſatisfaciendi muneri cauſæ primæ, quem eadem concordia Domini eam præfinitores cum hæreticis deligant. Caluin. lib. de æterna Dei prædeſt. citat. edit. Genuenſ. pag. 1552. aiebat, vt vidimus n.2. *etiamſi rerum prima cauſa ſit eius voluntas; peccati tamen eum eſſe authorem nego*: quia vtique muneri ſatisfacit ſuo: ac proinde peccati, quoad imputabilitatem moralem, author, & cauſa eſſe nequit, cum muneri ſatisfacit ſuo: id explicat exemplo cauſalitatis vniuerſalis, quam ſol in ſubiunaria exercet 1. inſtitut. c.17. §.5. ſcribens: *vnde quaſo fœtor in cadauere, quod calore ſolis, tum putrefactum, tum reſeratum fuerit: radiis ſolis excitari omnes videntj nemo tamen illos*, (ſcilicet radios) *fatere adeo dicit: itaque cum in homine malo ſubſideat mali materia: & culpa, quid eſt, quod inquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, ſi ad ſuum arbitrium vtatur eius miniſtro*: quo item confici Caluinus putauit (inquit Bellarm. ſupra c.5. colum.4.) vt eodem vſus exemplo eiſdem verbis pœne fuerit inſtruct. contra libertinos c. 14. & epiſtola contra Franciſcanum illum libertinum: & quidem eodem ſolis, & influxus cæli exemplo Dei in actiones noſtras prauas concurſum ſimultaneum à culpa excuſant Patres Hieron. in id Eccleſiaſ. 7. *conſidera opera*, & epiſt. 150. ad Ediuiam, 9.10. med. aliique Patres, quos ſupra recitauimus & S.Th. 1.2. quæſt. 79. art. 1. corp. pluribuſque aliis locis recitatis quæſt. 3. à num. 3. Cæterum exemplum vt à Caluino inducitur, è re non eſſe inde ſatis conſtat: quod ex parte voluntatis ante prædeterminationem, & influxum, ſeu qualitatem præuiam Dei, nil, quod actionem prauam, & peccatum inferat continetur; ſed à Deo determinatur ad illa; à concurſu autem, & influxu ſolis non determinatur, niſi de ſe putridum iam, ac vitiatum corpus ad fœtorem: ſiquidem calor idem, quem ſol per ſe cauſat, poma, & aromata ſuauiſſimo odore fragrare facit, non fœtere: quod autem, ceſſi ſol cauſaret determinatè fœtorem illum corporis putridi, ipſe non fœtereret, non excuſat à culpæ fœtore Deum ipſam in nobis cauſantem: ſiquidem denominationes intrinſecæ phyſicæ non tribuuntur ex cauſalitate actiua earum; ſed ex formali ipſarum inhærentia ſubiectis, quibus tribuuntur; quod ſecus in moralibus euenit: peccata enim, non proxime ſolum ipſa admittentes, & operantes, ſed, & ad illa ipſos excitantes, inducentes, impellentes, nedum prædeterminantes, turpitudine inficiunt. Patres verò, & ſcholaſtici eis exemplis rem Catholicè explicant: quia omnem determinationem ad actionem prauam penes voluntatem creatam eſſe aiunt, quæ concurſum indifferenter ad vtrumvis à Deo oblatum determinatione ſua ſimul trahit: quemadmodum calore à ſole producto, & aromata ſuauem odorem ſpirant, cadauera putore ſuo fœtent. Miſſa tamen exempli huius ad præfinitorum ſententiam tuendam, explicandamque inutilitate, imò ineptitudine: eidem ſolutioni de primatu, & vniuerſalitate cauſæ propria Dei Caluinus inſiſtit, 2. inſtit. c.4. §. *Omitto hic vniuerſalem Dei motionem vnde creaturæ omnes, vt ſuſtineantur, efficacium quidvis agendi ducunt*, qua abunde Deum praui operis & peccati cauſatione à culpa excuſari docuerat recitatis locis, ac ſæpius hiſque verbis ſupponit. Beza eandem ſolutionem tentat primis ſeptemdecim aphoriſmis, dum Deum cauſam primam ſtatuit, creataque omnia ipſius inſtrumenta, vt inde ipſum à culpa ſcelerum, quæ ex eius præfinitione agimus, purget Aphoriſ. 18. his verbis: *iam igitur ipſa ad Deum accommodemus, cuius efficaciam ante probauimus in omnibus, qua fiunt ſine vlla exceptione: & ita quidem, vt per ea, qua condidit, tanquam per inſtrumenta exequatur ſuo tempore, quod ab æterno decreuit*. Conſonat reliquis deinceps Bucerus ad Rom. 1. in ea verba: *Tradidit illos Deus*, ſcribit. *Ex hoc, quod Deus non ſit efficax noſtra indurationis cauſa, noſtraque traditionis in deſideria mala, conſequitur Deum non eſſe Deum hoc eſt rerum omnium cauſam primam*: & Zuinglius ſerm. citato de prouidentia cap. 5. ait: *cum Deus in ſe non poſſet, per creaturam iniuſtitia exemplum produxit. Non, quaſi creaturam illam ſuo marte produxerit, qua, nec eſt, nec viuit, nec operatur ſine numine*, ſed ſibi in operando, vt cauſæ primæ, & vniuerſali ſubiectam; *ſed, quod Numen ipſum author eſt eius, quod nobis eſt iniuſtitia; illi verò nullatenus eſt*: quia ſcilicet abſque eo nos, vtpote creaturæ eius, operari non poſſumus.

5. Verum ſolutio hæc ſupponit, & recte, Deo eiuſque bonitati repugnare plus efficaciæ, & concurſus ad materiale peccati ex parte ſui exhibere, quam opus ſit, vt muneri cauſæ primæ ſatisfaciat, requiraturque, vt actio prava, & peccatum in rebus à nobis apponatur: inde enim non ſolum ab his, ſed & à nobis, ac reliquis ſcholaſticis Dei concurſus in actiones prauas à culpa excuſatur: quod autem vltra debitum munus cauſæ primæ exhiberetur, neque ex eo munere eſſet, neque ex fine ſatisfaciendi muneri illi poſſet exhiberi, vt præſens euaſio contendit: at ei muneri, abſque prædeterminatiua, præfinitione ex parte ſua ad materiale peccati, præparatione, & oblatione concurſus ad illud, eiuſque oppoſitum pro arbitrio voluntatis, ſit omnino ſatis, nec fieri ſatis aliter poteſt: tum, quia eo ſolummodo ſaluari creaturæ liberæ in ea actione elicienda libertas poteſt, vti fuſe diſp. 1. mon. ſtrauimus, cui ſeruandæ cauſa prima eius, & vniuerſalis, qua talis reſpectu eius creaturæ eſt, debet attendere: tum etiam: quia nulla ratione, aut authoritate, niſi leuiſſima, ſeque ipſa labante, & ſubruente, (vt vidimus diſput. 1. vniuerſim contra præfinitiones prædeterminatiuas actionum noſtrarum liberarum, & ſpeciatim prauarum tota hac diſputatione, videbimuſque cert. poſtremo,) inducitur neceſſitas præfinitionis prædeterminatiuæ ad actiones liberas, præſertim prauas, ex parte & titulo cauſæ primæ: ergo nulla eſt ex eo titulo, & fine petita ſolutio. Sed probatur vlterius antecedens ſubſumptum. Nam in quibuſcunque creaturis liberis, cedentibus tentationi, ſiue non cedentibus, ad munus cauſæ primæ ſpectat eas in actu primo conſtituere, vt operari prauè, ac cedere tentationi vel omittere, aut oppoſitum agere abſolute poſſint (vt Dominicani præfinitores aſſerunt, quomodolibet ad oppoſitum eam poteſtatem cum præfinitione ad actum

componant) atqui in iis, qui actionem prauam non eliciunt, nec tentationi cedunt, adest potestas absoluta in actu primo (quæ absque requisitis omnibus ex parte actus primi ad operandum esse nequit) ad cedendum tentationi, & actionem prauam eliciendam absque præfinitione prædeterminatiua ad illam, vt patetin præfinitorum omnium doctrina: ergo muneri causæ primæ, quatenus ad actus primi, & potestatis absolutæ creaturæ liberæ ad actionem prauam eliciendam, constitutionem spectat, satisfacit absque prædeterminatiua præfinitione Deus: ergo præfinitio prædeterminatiua antecedens vsum, & exercitium libertatis in elicientia actionis praue necessaria non est, vt Deus muneri causæ primæ satisfaciat: etsi comitans Dei concursus pro actu secundo, vt pro eo etiam signo, & posteriori naturæ satisfaciat, vlterius requiratur. Nec refert, si quis dicat ad munus causæ primæ pertinere præfinire prædeterminatiuè ad actiones eliciendas, non autem ad non eliciendas. Siquidem argumentum ad munus causæ primæ antecedenter ad actum secundum liberæ operationis creatæ explendum omnem diuinæ præfinitionis efficaciã, & prædeterminationé cum operatione connexam excludit. Secundò impugnatur valide ab absurdis solutio notatis fere omnibus à nostro Ruiz d. 20. sect. 1. art. n. 7. quia, cum multo plures actiones turpes, & peccata sint, quam honestæ incredibile est ad munus causæ primæ, & vniuersalis, & sanctissimæ spectare plura tot praua, quam honesta prædeterminatiue efficaciter præfinire. Ne vero ad anteactorum peccatorum demerita recurras, aduerte adeo præponderantia Christi merita diuino iudicio, non oberrantia solum, sed perpensa. Vrgentius in primis: nam qui solum tunc in mundo aderant peccatis primis, & in prauis Angelis recursus occluditur. Item Deum causæ primæ, & vniuersalis muneri non satisfacturum, nisi hic, & nunc Iudam ad proditionem non determinet: & sic de aliis peccatoribus: nec satisfacturum ei muneri, ni Paulum hic, & nunc ad conuersionem prædeterminet, & sic de iustis aliis ridiculum est: & quod hæreticè diuinæ electionis gratiam euacuet: cum nihil, quod solo titulo causæ vniuersalis, & & primæ à deo decernitur, & præstatur, ex gratia Christi præsterur ac donetur. Tertiò, cum muneri causæ primæ propriissimum sit inclinationi, & propensioni causarum secundarum voluntate, & necessario concursu suo annuere; deficiet à munere causæ primæ, quoties propensum ad vitia ad ea non prædeterminat, sed tenet ne cadat, lapsosque præ propensione à vitiis reuocat, & ad meliorem frugi conuertit: quod si ita esset, væ nobis ex massa Adami corrupta, pronaque ad malum pro creatis. Deum enim ex causæ vniuersalis primæ munere in nos *tanquam parieti inclinato, & materiæ depulsæ irruentem* (quod perditis etiam hominibus improperatur Psalm. 61.) Deum haberemus aliunde quarto. Nulla erit naturæ humanæ maior, quam Angelicæ (supremi etiam Angeli) fragilitas, cũ nulla alia fragilitas sit ab ea, quã sua præfinitione prædeterminatiua, necessaria antecedenter, vt prauè operetur, Deus cuique ex munere causæ primæ vniuersalis indiderit. Quinto demum, cum munus hoc causæ primæ, & vniuersalis ad prædeterminandum creaturas rationales ad materiale peccati, & turpes actiones sicuti nec ad honestas, Deum non determinet, aut cogat, fiet, vt tam prædeterminatio ad actiones praua, quam ad honestas oppositas, vel pura alterutrius omissio, ex munere causæ primæ vniuersalis libere à Deo proueniat. Inde vero infertur necessario, iustum posse longo quantumuis tempore vitare mortalia alia omnia, & omnes tentationes quantumuis vehementes superare, perseuerareque in iustitia absque gratia Dei supernaturali per Christum contra definitionem Tridentini sess. 6. c. 13. & can. 22. Imò & quamuis absque habitu vllo, & auxilio gratiæ supernaturalis, innoxium toto vitæ tempore posse perstitere (quod longe est absurdius) cum omissio, siue pura præfinitionis prædeterminatiuæ ad actionem prauam, siue coniuncta præfinitioni prædeterminatiuæ de actione incompossibili, pro quouis tempore ex libertate, & munere, tituloque causæ primæ vniuersalis mere naturali prouenial: eaque sublata praua actio, nec futura sit, neque esse de facto possit; in nostris verò principiis, cum de negare concursum ad peccandum, siue exiguo, siue longo tempore, (vt Deus pro libito potest) non ex causæ primæ, & vniuersalis munere, sed ex Dei deficientia huic muneri (ex quo paratum ex parte, & decreto suo de indifferenter concurrendo pro creaturæ liberæ arbitrio concursum habere debet) deneget concursum, ac non concurrere decernat, non nisi, vt causa specialis ex supernaturali prouidentia id præstaret: atque pro tempore, quo vellet, hominem culpa immunem seruaret.

6 Has forte difficultates subodorati aduersarij alias tentarunt euasiones. Primam negando Deum titulo causæ vniuersalis primæ, vtque ei muneri satisfaciat ad actiones prauas nos prædeterminare. Hanc à nonnullis Thomistis Dominicanis datam refert Ruiz, quam ego & à Caluinistis datam non semel video: Primo à Caluino 2. instit. cap. 4. §. 2. *omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciã quidam agendi ducunt, de illa speciali actione tantum loquor, qua in vnoquoque facinore apparet.* Item quæ eodem loco; & §. 3. de instrumenti ratione omnis creaturæ respectu Dei, eiusque vniuersali dominio in creata omnia ad quoscunque velit, & ex quouis fine velit eorum vsus; quam etiam dedit Zuinglius epist. citata ad Philippum Cattorum Principem capite 5. his verbis: *cum mouet ad opus aliquod, perficienti instrumento fraudi est, sibi tamen non est: ipse enim libere mouet, neque instrumento facit iniuriam, cum omnia sint magis sua, quam cuiusque artificis sua instrumenta, quibus non facit iniuriam, si nunc limam in malleum, & contra malleum in limam conuertat. Mouet ergo latronem ad occidendum*: Beza aphorismo 18. supra recitato & 19. 20. 21. 22. 30. eadem doctrina instrumenti & artificis eo vtentis pro libito, hanc tradit solutionem, item qui ad arcana Dei concilia occulta Dei iudicia in re præsenti recurrunt: nam munus titulusque causæ primæ, & finis notissimo huic muneri satisfaciendi decreto prædeterminatiuo materialis peccati notissimum generalissimumque est, neque in arcanis Dei consiliis, & iudiciis à nobis inscrutabilibus, & absconditis repositum, do recurrebat Caluinus citatis opusculis, & editione lib. de æterna Dei prædestinat. pag. 905. *Arcanum Dei consilium, quo prædestinatus fuerit hominis lapsus, qua decet sobrietate procul adoret fides nostra.* pag. 917. *cum longe altius humanæ mẽtis perspicacia arcanum esse palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat; imò ne quem ex fidelibus nescire pigeat quod Dominus lucis suæ inaccessa fulgore absorbet.* Ac 3. instit. c. 23. §. 4. ait. *Reuocandum tamen semper esse ad solum diuinæ voluntatis arbitrium cuius causa sit in ipso abscondita* & §. 9. *ex necessitate adeo impiis adprauè agendum excusabiles eos non esse ait: quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas, nobis quidem incognita, sed illi certissima*: similiter, & eius discipuli loquuntur, sed tamen solutio hæc præcipium deserit aduersariorum, siue Hereticorum, siue Dominicanorũ fundamentum, quod è causæ & libertatis diuinæ primatu desumitur, cum non inde, sed ex titulo & fine alio nostrarum actionum liberarum prauarum etiam, præfinitiones prædeterminatiuas inducit. Secundò neque ea ratione proxime factas impugnationes euadit, nisi in alia æque absurda relabatur. Etenim ex quocumque titulo, & fine speciali, qui causæ primæ, & vniuersalis non sint, ea actionis prauæ prædeterminatiua præfinitio à Deo concipiatur, vel in ordine naturalis prouidentiæ remanet, vel secus: Si primum omnia absurda memorata sua proportione recurrunt, præsertim posterum; quod scilicet longo quouis tempore absque auxilio gratiæ supernaturalis per Christum possit iustus in gratia perseuerare contra Tridentini definitionem; imo, & peccatorem toto vitæ reliquæ diutissimo tempore tentationes omnes absque supernaturalis prouidentiæ gratia, donoque vincere de facto posse. Si autem posterum dicas præfinitionem prædeterminatiuam actionis prauæ, ac peccati titulo, & fine specialibus quibusuis concepti ad ordinem supernaturalis prouidentiæ pertinere, an aquã aliam incides absurditatem. Nempe gratiosam ordinis supernaturalis voluntatẽ Dei indeque ortam gratiam ordinis eiusdem ad actionem prauam, & peccandum *inducti*ue requiri: quod erroneum, vt minimum est, etenim iuxta Patres, & Concilia, id solum, quod gradu quouis ad vitam æternam conducit ad ordinem gratiæ, & prouidentiæ supernaturalis spectat, ac proinde, quod ad præ-

carum,

catum, quo ab æterna vita deducimur, nos inducit ad ordinem gratiæ, & prouidentiæ supernaturalis nequit spectare. Secundò, quod in nobis, & à nobis ex nobisque est, ordinis gratiæ prouidentiæque supernaturalis non est, iuxta Patres & Concilia: atqui iuxta horum dogma peccatum à nobis est, etenim contra Pelagianos, & semipelagianos hoc statuunt: *Nihil nos à nobis, & ex nobis habere nisi mendacium, & peccatum*; vt minimum etiam opus ad vitam æternam conducens ex gratia supernaturali Dei esse contra præfatos hæreticos probent: ergo iuxta Concilia nihil supernaturale ad actionem prauam, & peccandum potest *inductiuè* requiri. Dixi *inductiuè*; quia retractiuè, siue retrahendo à peccato, qui minimum auxilij, seu vocationis necessariæ ad constituendam libertatem ad peccandum gratiam Dei esse cum nostro Gaspare Hurtado (nos) Academiæ Complutensis Decano Doctores cesseant aliquid supernaturale ad peccandum: *retractiuè* tamen requiri censura omni (me iudice) immunes fatebuntur; sed de his latius tomo 1. dente supernaturali contr. 2. d. 3. de gratiæ auxiliant necessitate. Denique, si ea supernaturalis prouidentia specialis in præfinitione prædeterminatiua actionis nostræ prauæ admittatur, crudelior, dirior, immaniorque in nos Deus concipiatur, quam, si ex connaturali nobis prouidentia ita præfiniret; siquidem ex connaturali ordine nos extraheret, atque ad supernaturalem eueheret, vt maiori nos ruina agat, in peccatum, & in tartarum præcipiter.

7 Secundum ad hæc vitanda effugium aperuit aduersarius noster Ruiz d. 29. sect. 2. sed simul præclusit. Nempe Deum prænoscere voluntatem creatam prauam operationem, & peccatum executuram absque concursu Dei, si absque illo agere posset; tuncque siue munere, titulo, & sine causæ primæ vniuersalis, siue ex specialioribus aliis, absque vlla sui indecentia posse Deum actionem ipsius prauam prædeterminatiuè præfinire, & peccatum subinde causare. Hac solutione ad decretum comitans tuendum Vasquianos vsos audiui. Cæterum, & in terminis implicat solutio, nec difficultati satisfacit, & Dominicanis Thomistis ex vsu esse aliunde non potest. Primum constat. Nam in illa hypothesi, si voluntas creata absque concursu Dei posset operari, & operaretur est implicatio in horum omnium sententia: quæ statuit omnia creata concursu Dei non solum, vt sint, sed, vt operentur etiam, ex parte actus primi indigere: ergo in cõditione illa voluntas creata vera poni nequit sed cõditione ipsa, vel increata est, vel chimerica: de quauis autem earum peccabilitas, siue operatio praua, & peccatum falso iudicio (quod vtique Deo repugnat) asseritur: siquidem Deo, ob entitatis perfectionem actio praua, chimeræ, ob necessarium entitatis defectum omnis vera operatio repugnat. Nec difficultati satisfit: ex eo enim, quod peccaturum aliàs scias absque tua inductione, & impulsione per impulsionem alterius, non licet tibi loco illius impellere ad peccatum, quin culpam incurras: imò, neque illum alium impulsorem, vt peccatum, & actio praua fiat, impulsione, & inductione tua adiuuare. Vrgetur, quia præfinitionis huius prædeterminatiuæ impulsione actionis prauæ & peccati à voluntate creata futuritio absolute & de facto apponitur: nam futuritio illa prauæ operationis à voluntate creata, si se sola posset (etsi fictitia, & chimerica non esset) conditionatam futuritionem in qua sola semipelagiana, & hæretica peccata, & demerita admitti possunt) minime prætergrediuntur. Denique nequit Dominicanis solutio inseruire. Siquidem futuritionem veram, & scientiam conditionatam contingentis, non solum absque decreto absoluto Dei ex parte actus, & obiectiuè conditionato, sed etiam absque eius decreto adhuc ex parte hypothesis (quod solum tota hac controuers. contra illos contendimus) imò cum illius & omnis voluntatis Dei, etiam indifferenter concurrendi, negatione, & exclusione admitti posse, ac debere ea solutione fatentur.

8 Euasio tertia est de spontaneo vt coactioni, & voluntario apponitur, quod ad peccatum satis esse, ac Deum à culpa in eius causatione excusare contendunt est hæreticorum solutio. Theodor. Beza epist. citata ad Sebastian. Castellion. refutat calumniæ 2. *verum non potuerant aliter velle: Fateor, quoad euentum, & energiam, sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.* Sotus 1. de natura & grat. cap. 17. eadem ex Luthero, Melanctone Bucero refert, ac refellit, ex locis communibus Lutheri, vbi quia peccatum propria voluntate diaboli, & hominis ortum est, neque Deo approbante, aut cogente voluntates nostras, factum est; *ideo nequaquam est necessario factum necessitate absoluta*; sed spontaneitatem à coactione & inuoluntatio solutam ad meritam, ac demeritam, & libertatem ad hæc necessariam, non sufficere ex Tridentino, & definitionibus Pontificum ostendimus d. 1. Nunc eius solutionis, vt Deus in actionis prauæ, & peccati causatione, à culpa excusetur, insufficientia ostenditur. Etsi enim impulsio, & inductio in actionem prauam alterius huic libertatem relinquat, & in nobis etiam Dei prædeterminatiua præfinitio prauæ nostræ actionis & peccati (vt aduersariis tota hac disput. permittimus, non fatemur) ac proinde libertatis, & potestatis nostræ actio praua sit: nihilominus ita liberé operaturum prauè impellens, eiusque actionem prauam causans, & peccatum, à culpa non liberatur: multo ergo minus Deus præfinitione prædeterminatiua actionis prauæ, & peccati non plenam potestatem, sed spontaneitatem solum nobis relinquens, etsi hæc ad peccatum sufficere admittatur, semper enim verum perstat causam peccati, quidquid, vt peccatum absolute sit, sufficiat) culpabilem esse: Quarta solutio est Caluini citato lib. de æterna Dei prædestinat. edit. præfat. pag. 946. verbis illis: *Nec vero obliuione tegenda est illa, quam posui causarum diuersitas: quod alia est causa propinqua: alia autem remota causa, vt sciamus quam longa inter æquabilem Dei prouidentiam, & turbulentos hominum impetus sit distantia*: Hæc autem maioris propinquitatis prauè operantis respectu operationis prauæ, quam causæ illum inducentis ad ipsam neminem, qui alium sciens, & volens ad prauam operationem & peccatum inducit impellit, adigitue, peccare suadent; cuius oppositum dogma fidei est quinta eiusdem Caluini solutio ex 3. institut. cap 23. § 7. sic habet: *Negant decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam: quasi vero idem ille Deus, quem scriptura prædicat facere, quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam creaturam*: Honorabiliusne fuerit honorabilissimæ, & nobilissimæ creaturæ rationali in vas contumeliæ, & perditionis determinate eam libertate (qua cæteras nobilitate antecellit) spoliatam destinare, quam in arbitrij sui ambiguo tantæ ignominiæ fugam, & ad supernæ felicitatis accessum relinquere? ô belluinam rationem furente cerebro non rationali cerebro dignam.

9. Ex hactenus dictis liquet, quam imperceptibili discrimine Dominicani Thomistæ pauculi, quos quæst. 1. memoraimus suas ad materiale peccati præfinitiones à Caluinianis & quandoque Lutheranis, & doceant, & ab oppositionibus vtrisque communibus vindicent: sed tamen Dominicani duobus suas ab hæreticis præfinitionibus discriminari contendunt. Primo quod suis hærerici, actionis prauæ, voluntatisque nostræ libertatem aboleri docerent. Hoc tamen ad rem præsentem de necessaria culpæ contractione à Deo prædeterminatiue præfinienre actionem prauam, siue liberè absolutè præfinitione prædeterminatiua posita, siue non libere eliciatur quidem: Secundò ostendimus disput. 1. rem libertatis ipsam (de qua eiusque obiectiua definitione lis Tridentino, & Catholicis cum Caluinistis semper, & Lutheranis aliquando fuit, non autem de voce libertatis) æque alteruter præfinitionibus euerti, & Melanctonem citato loco solum in sensu composito præfinitionis (vt Dominicani dicunt) impotentiam non peccandi asserit, cum eaque absoluta à necessitate potentiam, non agendi prauè in nobis iungens; immutabilia tamen peccata, per decretum Dei fieri subdit vt ex ipso recitat Ruard. Tap. a. 7. & verbis, adeo quandoque Catholicis, vt omnem Dei in actiones nostras prauas impulsionem, motionem, & voluntatem antecedentem negare videatur, solamque, ac puram permissiuam eius voluntatem cum Catholicis admittere, & quæ non magis, quam præscientia modum agendi voluntatis immutet; quibus Ruardo ipsi fecit fucum pag. 360. & 361. sed eum determinationem contingentiæ actionis nostræ, eiusque ex præfinitione Dei ab arbitrio nostro independentem immutabilitatem eo loci retineat, & suum retinet errorem eandem necessitatem actionis prauæ in

sensu

sensu compositio præfinitionis cum potestate in sensu diuiso ad eius omissionem fatetur omnium hæreticarum præfinitionum parens Vvicleffus cap. 8. Trialogi apud Vvaldens. 1. doctrinal. fide cap. 21. fine sic fatus: *Probabiliter dici potest, quod sicut Deus non potest meliorem mundum facere, sic nemo posset melius facere, quam facit, sed tamen posset, si Deus voluerit.* Secundo aiunt: præfatos Hæreticos verbis tantum, fictoque animo asseruisse Deum authorem peccati non esse: quod tamen Dominicani ipsi sincero animo, & tota sua mente defendunt, sed tamen ex dictis constat Hæreticos blasphemum reputasse Deum peccati authorem asserere, vellene, aut causare malitiam, & peccatum absolute tale; sed solum materiale peccati; iniqueque eos à Catholicis ad diuinam horum causationem deduci. Quod ipsum solum Dominicani isti, nec amplius conqueruntur, & argumentorum illationisque vis vtrorumque querelis æque satisfacit; deinde in causis propositionum, quid illæ propriè significent attenditur, vt admittantur, vel rejiciantur à Patribus, Conciliis, & Catholicis non fictus animus proferentis, vt videre est in Synodo Palestina, & Augustino, Catholicas propositiones, quibus errorem suum Pelagius tegebat, approbantibus, etsi ex aliis eiusdem locis fictionem Pelagij deprehendat, reprehendatque Augustinus lib. de gestis Pelagij; id autem ad personarum correctionem, & medelam spectat, cuius modum præscribit ipse epist. 104. ad Sixtum, & cum quatuor aliis Episcopis Africæ epist. 95. ad Innocent. Pap. & quidem, si ad propositionum veratum damnationem animus, & fictio proferentis attendi deberet, necessario rejiciendæ illæ essent, & contradictoriæ falsæ admittendæ. Hæc præter data ab Hæreticis iam confutatas solutiones discrimina adhiberi Dominicanis præfinitoribus possent, quæ quid præstent, nemo non videat. Ego vero diffiteri ingenij mei tarditatem non possum, qui doctissimorum, & Catholicorum Patrum ab illis non videam discrimen.

CERTAMEN III.

Præfinitionis eiusdem ad materiale peccati impugnationes aliæ, & obiectionum solutiones.

1 PRiores ex aliis rationibus subjiciendis primam hactenus à nobis expensam confirmant. Primaque ex illis tacta iam in Patrum rationibus contra Priscillianistas, & Astrologos fati per stellarum, & cæli influxum inductores, contra quos arguunt Patres causam peccati illos in Deum refundere; similiterque Manichæos, qui naturas aliquot ad malum determinatas, sicuti & ad bonum alias à Deo conditas effutiebant. Dedimus aliquot Patrum pro argumento hoc contra hos omnes testimonia ex pluribus, quæ sua immensa eruditione Ruiz noster dedit d. 38. vnum tantum, vel alterum pro eo argumento proferam: supponendo, quod supra animaduerti: stellas, cælumque influxu suo vllamue naturam creatam non ad formale peccati, seu peccatum, qua tale; sed ad ipsius materiale, nempe actionem physicam furti, adulterij, mendacij, homicidij in omnium illorum erroribus homines impellere, & adigere; & tamen ita contra illos Augustinus expositione tituli Psalm. 91. in finem scribit: *Multi non accusant Satanam, sed accusant fatum. Fatum meum me duxit, dicit, cum dixeris illi, quare feceris, quare peccaueris? iam manus ad Deū tēdit, iam lingua blasphemat. Nondum hæc aperte dicit: sed tamen attende, & vide quia hoc dicit. Quaris ab illo quid sit fatum? & dicit stella mala, quaris ab illo quis fecit stellas malas? non habet, quid tibi respondeat, nisi Deus. Restat ergo, vt Deum accuset, & cum Deus puniat peccata Deum facit authorem peccatorum?* Cyrill. Alex. 5. in Ioan. c. 5. *sed & aliud longè grauius sequitur incommodū. Deum, scilicet, merito incusandū, quia calum fecerit omnium malorum causam: cum enim furta, & homicidia merito damnentur volentiore ratione Deus accusabitur, qui calo indidit vim illam impulsiuam hominum ad mala:* Quibus locis hic discursus, quidquid causa alicuius prædeterminatiui, aut prædeterminantis ad prauam actionem, seu materiale peccati (de quo hæc, pleraque testimonia Patrum) non solum materialis peccati siue prauæ actionis, sed etiam peccati ipsius causa absolute est: at Deus prædeterminatiue præfinitens actionem prauam, seu materiale peccati, est causa alicuius prædeterminatiui, ac prædeterminantis actionem prauam, & materiale peccati: ergo non huius solum, sed & peccati ipsius causa absolute est. Quod argumentum eo vigentius est, quo præfinitio prædeterminatiua natura sua ad materiale peccati determinatior vnice solum est; neque aliis rebus apponendis potest inseruire, sicuti stellarum, & cælorum influxus possunt aliis effectibus inseruire, quibus proinde prouidendis & producendis concipi à Deo & apponi possent, etsi aliunde materiale peccati apposituræ à Deo cognoscerentur: at, quæ ad illud, nihilque aliud apponendum natura sua sunt apta & ordinata, vt præfinitiones prædeterminatiuæ, & prædeterminationes, directius determinatius, magisque per se ad actiones prauas apponendas concipi, & produci à Deo necessario debent: ac proinde directius, & determinatius, magisque per se causam peccati, authorem efficiunt ac probant.

2 Idem argumentum continent, & confirmant duo alia proximè subjicienda speciatim contra Thomistas Dominicanos, quos ad hominem efficaciter confutant. Primum ex 1. p. q. 63. art. 5. stata apud ipsos Sententia, & ratione S. Thomæ: Angelos nimirum in primo creationis suæ instanti peccare non potuisse, id quod de potentia, adhuc absoluta, nec solum de ordinaria potentia, & prouidentia Dei, & verum & à sancto Thoma assertum volunt; cum tamen de potentia solum ordinaria ab eo dictum, & verum esse posse certum mihi sit, ob peculiarem rationem, insinuatam iam à me, controu. de merito Christi principio, quam suo loco aperiam, ne hic importune disputem de veritate conclusionis, ex cuius suppositione, quam veritate, argumentum præsens procedit. Ratio S. Th. his verbis, & sensu, quo ab hisce dominicanis, inculcatur sic habet. *Impossibile fuit Angelum in primo instanti peccasse per inordinatum actum liberi arbitrij, quamuis enim res aliqua in primo instanti, quo esse incipit possit simul incipere operari; tamen illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est illi ab agente, à quo habet esse; sicut moueri sursum inest igni à generante:* quibus de actu inordinato arbitrij, seu materiali peccati, & physica operatione contra legem aperte agit, S. Thom. pergit, *Vnde, si aliqua res habeat esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiua actionis poterit in primo instanti, in quo incipit esse habere defectiuam operationem, & affirmat exemplo, sicut, si tibia, quæ nascitur claudicat ex defectu seminis, statim incipiat claudicare. Agens autem, quod Angelos in esse produxit* (scilicet Deus) *non potuit esse causa peccati,* actionis nempe prauæ, cuius causatione vnice, ac necessario peccatum causatur quare nec causa deficiens. *Vnde non potest dici, quod diabolus in primo instanti suæ creationis fuerit malus.* Ex sic autem intellecta conclusione, & ratione S. Thom. à Dominicanis Thomistis, ita arguo contra ipsos. Ideo Deus esset causa peccati Angeli in primo instanti creationis, ac subinde causa deficiens, quia actio, seu actus prauus legi aduersus in illo instanti elicitus esset à Deo ipsum determinante, seu in naturæ Angelicæ à se conditæ naturali inclinatione, & propensione (cui Deus eius author nequit non annuere) ad eum actum prædeterminante physicè; sicuti enim ad motum sursum: acqui pro omnibus instantibus, quibus actum prauum elicitura est rationalis creatura debet ex munere causæ vniuersalis primæ Deus determinare, ac prædeterminare eam ad illummet actum arctius indispensabiliusque, quam ignem ad motum sursum in eius prima productione per naturam ipsi inditam determinet: ergo Deus prædeterminatiue præfiniens creaturam rationalem pro omnibus instantibus, quibus elicitura est actum prauum legi aduersum, ad eum est causa peccati ac deficiens. Porro argumento huic distinctiones, & solutiones illæ de causatione materialis, non autem formalis peccati, siue causæ peccati absolutè talis, causæque efficientis, non deficientis, siue physicæ, non autem moralis (etsi nucleo, vt vidimus vacuæ, & purè elusoriæ)

locum non habent: quia ratio Sancti Thomæ, vt ab illis intelligatur, ac defenditur eas omnes inutiles supponit, & exemplo ipso tibiæ claudæ à natiuitate inutiles probantur. Ac tandem, si rationem soluunt nostram, & suam pro impossibilitate peccati Angelorum in primo instanti suæ creationis, soluunt: vt quivis, vel tardus, eadem proportione solutionibus eisdem rationi eorum adhibitis aperte percipiet.

5. Secundum argumentum ad hominem etiam contra præfatos Dominicanos est: ipsi enim cum Aluarez de auxiliis d. 24. n. 34. docent, Deum non posse infundere voluntati creatæ habitus vitiosos, & inclinantes ad malum: quia eo ipso malum ex eis habitibus, perstantibus pro actu primo in voluntate inclinationibus ad illud proueniens esset à Deo, eique, vt causæ & authori absolutè tribueretur: & sciunt quidem Patres isti habitus vitiosos directe, & per se ad formale peccati inclinare non posse voluntatem, quam in malum, qua malum ferri (vt ipsi cum omnibus fatentur) prorsus repugnat: atque implicat, per ipsos, & omnes, inclinationem vllam veram naturalem ad actum impossibilem esse: sola ergo inclinatio, quam habitus vitiosi afferre voluntati possunt, est ad actus physicos prohibitos, seu materiale peccati, quatenus sub aliqua ratione delectabilis boni, siue actus ipsi, siue obiecta ad illos allicientia voluntatem solicitant: ex qua sententia ita ad hominem arguo: infusio habitus vitiosi inclinantis, nec tamen irresistibiliter determinantis in actu primo, ac necessitantis voluntatem ad physicam actionem prauam & purum materiale peccati repugnat Deo, quia eum eius materialis peccati, ac subinde peccati causam absolutè faceret, & authorem: atqui prædeterminatiua præfinitio, indeque necessario orta prædeterminatio, ad actionem prauam physicam, seu materiale peccati, non solum, vtcunque inclinat in actu primo voluntatem ad materiale peccati, sed potentius, deterministius vrgentiusque eam necessitati, ac irresistibiliter eam prædeterminat ad illud: ergo repugnat eiusmodi præfinitionem prædeterminatiuam ad materiale peccati à Deo concipi, ac prædeterminationem ad illud à Deo infundi, quia authorem, & causam peccati absolutè, potiori iure eius à Deo conceptio & infusio Deum faceret: quoquo te versum solutionum, & euasionum vertas, contra doctrinam tuam, de impossibilitate habitus vitiosi à Deo, conuerteris. Vrgentius ad hominem præfatos Dominicanos ex alio eorundem doctrina refello. Aiunt enim vniuersim Deum habitum, aut actum erroris nobis infundere non posse; quod etsi falsum reputem, vt de actu etiam docui cum nostro Vasquez contr. de Trinit. d. 1. ast admisso, vt Dominicani isti volunt arguo sic. Actus erroris malum physicum plerumque creaturæ solummodo est, cum est pure speculatiuum, & cuius productio Deo, nec physicam vllam in decentiam afferat; siquidem Deus errore, quod in creatura causaret minimè erraret: nemo enim errore alterius erraret, sed proprio sibi inhærente: cum autem error practicus etiam est, quia ad actionem prauam inducit, neque actus, nec proximus eiusmodi actionem causat, quam prædeterminatiua præfinitio, ab eaque necessario oriunda prædeterminatio; & mirum sane est Dominicanos hosce, qui erroris cuiusvis infusionem Deo repugnare defendunt locis Scripturæ supra relatis, & explicatis, quibus homines excæcare, & Prophetas decipere physicam Dei efficientiam, & positiuam voluntatem præfinitionis, & prædeterminationis contineri contra nos (an contra se potius) nihilominus contendere.

4. Sed, quoniam eò discursus venit, ex alio absurdo (quod huic proximo vicinum est) generali contra Præfinitores omnes materialis peccati examinandum est argumentum, quod noster Ruiz persequitur d. 30. Nimirum ex præfinitione prædeterminatiua ad materiale peccati, non formali eius à Deo intento, sed alio potius fine horribilissimo, fundamentum totius nostræ fidei, eiusque veritates subruere: quia sola præfinitione prædeterminatiua materialis falsitatis erroris, & mendacij; non autem falsitate, & mendacio, qua talibus formaliter, præfinitis possent nobis falsa proponi plura credenda: imo & omnia, quæ de facto ab Ecclesia, vti de fide, credenda sunt proposita, id quod variis modis à Deo præfiniri fierique posse præfinitione admissa explicat sect. 1. a. 2. n. 2. Nec quicquã ait præstare, si dicatur Deum iuramento etiam prius affirmasse, se nunquam Ecclesiã suam decepturum in iis, quæ credenda proponeret. Nam semel admissa in Deo potestate ita decipiendi, nec firmum esse potest eius assertionis testimonium quare, tam eius, quam reliquorum certitudinem fidemque nutare: vt acutè in simili arguebat Augustinus lib. de mendacio c. 8. sub initium, & lib. cont. mendac. c. 4. initio. Cæterum argumentum hoc infirmum, me iudice est; cuique facile respõdere aduersarij possint, ea, quæ Dei nomine proponuntur propositione sufficiente, vt de fide sunt, ita à Deo per homines proponi debere, vt Dei locutio, & testificatio sit. ad hoc autem opus est, vt ea omnia concurrunt, quibus Deum ea loqui, & testificari suadeant: quæ, si ita in deceptione, quam homines etiam adeo paterentur, concurrerent, iam Deus in seipso, vel mendacium pateretur, vel errorem; quod aliunde, inquiet, quam ex materialis peccati, aut erroris causatione repugnat: sunt autem ea, quibus Deus prudenter, moralique certitudine loqui creditur in iis, quæ toti Ecclesiæ proponuntur quamplurima: in iis autem, quæ priuatim alicui proponuntur credenda (deficiente euidentia reuelationis, quæ erroris, falsitatisve periculum omne propellit) nunc Deus loquitur, cum per destinatum publice ad reuelandum illud proponitur, cuiusmodi erant Prophetæ veteris legis, quos vel miraculis editis, vel certis contingentium euentibus ad id muneris, atque in Dei organa destinati monstrabantur: & his quidem nequit Deus vaticinium falsum, seu sermonem erroneum infundere, vt populo, aut Ecclesiæ Dei nomine proponant: quia ex munere publico, in quod à Deo positi & signis confirmati sunt, per illos Deus mentiretur: os siquidem Dei ad homines ex eo munere sunt. Quare merito Patres illa supra ex Scriptura memorata. *Ego decepi, aut decipiam Prophetam*, de sola permissione interpretantur. Si verò per priuatum, quempiam alicui aliquid priuatim reuelet, si vera miracula, & signa, quæ Dei voces à Patribus vocantur, dictis confirmandis adsint, nequibit Deus seipso errorem proponendum infundere ob rationem eandem: quibus modi omnes, quibus fidei nostræ fundamenta quassari Ruiz recensuit ex admissione præfinitionis prædeterminatiuæ excluduntur, id quod fusius explicui: nam intrinsecum errorem physicum priuatum cuique infundere posse, quoties eæ circunstantiæ non sint, quibus Dens cum ita aberrans illud exterius etiam proferat, per illum loquatur, mihi probabilius est.

5. Quintò igitur contra hosce præfinitores arguo: quia ideo per hosce Dominicanos præfinitores Deus causa est, cui omnia nostra bona opera, & honesta absolute, nec solum materialiter, sed formaliter etiam quà honesta, tribuantur, quia ea in nobis prædeterminatiue præfinit in horum sententia: ideò enim præfinitiones prædeterminatiuas à ratione Theologica admittendas contendunt, vt non à nobis, sed à Deo prædestinati à reprobis discernamur: atqui per eosdem æque in nobis sine nobis opera praua præfinit; nec minus agit, vt impius ei Christo recedat, quam, vt pius ad ipsum veniat, de quo ipse: *Nemo venit, imo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ergo iuxta præfinitores hosce Deus æquè est causa, cui tribuantur opera nostra praua non solum materialiter sumpta, sed etiam absolute, quà talia, & secundum formale etiam, atque est causa, cui tribuantur opera bona nostra absolute talia ac secundum formale etiam, virtutis, nec solum secundum materiale tantum sumpta. Simili ergo argumento Augustinus 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. & de gratia Christi cap. 17. confutat Pelagium conantem saluare attributionem nostrorum operum Dei gratiæ, ac Deo, tanquam præcipue eorum causæ, authori, & donatori à Paulo Scriptura & Patribus toties assertam, ex eo solum, quod Deus posse illa agere nobis donauit, cum nobis indidit facultatem voluntatis: sic illum redarguens, *quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ita cum illo culpamur in malis. Possibilitas enim illa, quam dedit, tam nobis facit posse bona, quam mala*: atqui præfinitio prædeterminatiua, ac inde orta necessario prædeterminatio tam nobis facit horum sententia, posse, imò, & operari irresistibiliter bona, quam mala: ergo, sicut cum Deo laudamur in operibus bonis, ita & vituperabimur cum Deo in malis ex dissensu, & consequentia Augustino probata: & sane vrgentior illa

contra Præfinitores omnes est. Siquidem Pelagius posse illud in voluntate nobis à Deo datum indifferens ad vtrumvis, bonum, scilicet, & malum, nusquamque ad alterum determinatum, & nos determinans agnoscebat, vt omnem, totamque liberam determinationem voluntati creatæ, & arbitrio relinqueret. Præfinitores autem prædeterminatiui, ita præfinitionem alterius determinati extremi prædeterminatiuam determinatam, atque nos determinantem irresistibiliter ad illud constituunt, vt illud secum determinate, & ineuitabiliter deuoluat: quare determinatius longe, atque æquè siue bonum, siue malum opus, causat, nobisque per illam Deus donat, quam sola potentiæ, seu voluntatis indifferentis ad vtrumvis donatione, cuius ratione bonum opus nobis à Deo donari Pelagius cum suis admittebat. Respondent Thomistæ Dominicani bonitatem boni operis ipsi inseparabilem, esse intra obiectum voluntatis diuinæ, secus malitiam operis praui: vnde operis boni bonitatem ipsam potest efficaciter Deus velle, cum bonum opus prædeterminatiue præfinit; secus malitiam inseparabilem ab opere praue à se præfinito. Contra tamen primo: quia argumẽtum de donatione, & vtriusque satisfactione æquali à Deo est, nõ de volitione expressa, & formali vtriusque, cui si illam argumentũ intẽderet, solutio satisfaceret: ac propterea, ne hæretici quidẽ præfinitores, expressam malitiæ volitionẽ, seu volũtatẽ efficacẽ (imò neque inefficacem) Deo adscribunt: quare neque ea ex parte à Catholicis impugnantur; sed de virtuali, & implicita, quæ est inhibita in voluntate omni efficaci rei siue actionis, cui necessariò aliud, etsi per se, & expresse nusquam amabile, annexum consequenter est: vti actioni nostræ prauæ expresse à Deo volitæ, consequenter necessariò malitia connectitur. Secundo solutio hæc, æque nos à malitiæ, & peccati causatione, & efficaci volitione excusat: siquidem malitia extra sphæram obiecti per se, & expresse amabilis à voluntate, etiam creata, est, quæ nequit in illam expresse, qua talem, tendere; neque in malum, qua tale intendens, operari. solum ergo, quia virtualiter, & implicitè volitione expressa efficaci actionis prauæ, fertur in necessario adiunctam, & inseparabiliter consequentem malitiam, & peccatum absolute tale, & hoc, & illam absolute velle, & causare creata dicitur voluntas: ergo & diuina. Contra tertio: quia malitia operis praui est extra obiectum honestæ voluntatis creatæ, neque actio praua, cui illa consequenter, & inseparabiliter annexa, est intra, sed extra obiectum voluntatis honestæ creatæ; sed potius intra obiectum inhonestæ, & turpis creatæ voluntatis: ergo ob eandem rationem, actio praua non erit intra obiectum honestæ voluntatis diuinæ, sed turpis, ac Deo prorsus repugnans.

6. Quæ pro præfinitionibus diuinis ad materiale peccati opponi, siue ab hæreticis, siue à Dominicanis præfinitoribus possent, leuissima sunt, vt hactenus de iis, quæ ab authoritate obiiciebant ostendimus. Nunc autem idem facile ostendimus in iis, quæ à ratione opponunt: ea verò omnia inde tandem petuntur, quod cum actio praua secundum totum, quod re ipsa entitatis habet, à Deo causa prima, & vniuersali rerum, necessario, & per se esse prorsus debeat, nequit solum per accidẽs causa actionis prauæ esse, sed per se secundum totam suam entitatem etiam indiuiduationem sumptæ: cum autem, non nisi secundum volũtatem suam, & liberam de se, atque ex arbitrij sui determinatione, & efficacem, creati alicuius entis causa esse possit: fit, vt de se velle efficaciter debeat esse actionem prauam: quæ, cum absque libera voluntate etiam creaturæ, libereque ab ea concepta esse nequeat (cuius determinationem liberam nec supponit, nec præuidet, nec potest supponere, ac præuidere, cum Dei concursus, qui eius de concurrendo ad actionem prauam decretum subsequitur, concursui, & determinationi voluntatis creatæ identificetur) fit, vt Deus de se efficaciter velle debeat, vt tota actio praua à creata voluntate sit quod ipsum est actionem prauam, prout à creata voluntate est, siue materiale peccati debere à Deo præfiniri. Cæterum ex dictis sæpè cõstat voluntatem illam liberè, & antecedenter ad actionem prauã de exhibendo concursu à Deo conceptam efficacem ab intrinseco, & natura sua respectu concursus actioni prauæ identificati determinate sumpti esse non posse. Tum, vt creatam in eius elicientia libertatem efficacia sua antecedente non proterat: quod commune etiam absurdum respectu actionis honestæ est. Tum, ne Deus causa peccati sit, & reliqua absurda tota hac disputatione monstrata incurrãtur: quare, etsi actio praua, imò & libera quæuis creata, non nisi decreto Dei efficiente, & eo sensu efficaci & concursu Dei elici à creatura possit, ast decretum illud de se, suaque natura efficax respectu operationis prauæ, ac liberæ cuiusvis creatæ, minime est, sed solum ab extrinseco efficax, nempe ab operatione ipsa, & concursu suo operationi ipsi identificato, à quo efficax, sicuti, & agens, ac efficiens extrinsecus constituitur ac denominatur. Non secus atque de auxiliorum diuinorum efficacia philosophamur quam non eis intrinsecam, sed extrinsecam à consensu ipso esse fatemur: quia auxilium, quod efficax est natura, & entitate sua consensui nostro, ad quem vtique inducit, & mouet connexum non est, sed potius cum eius omissione absolute coniungibile: itaque decretum concurrendi, quod Deus titulo, & munere causæ primæ liberæ respectu voluntatis creatæ, ad quam liberam eius actionem, quare, & ad prauam actionem, debet, potestque solummodo habere, indifferens de se ex parte obiecti esse debet ad concurrendum ad actionem prauam, vel huic oppositam honestam vel non concurrendum ad illam pro creatæ voluntatis arbitrio, & libertate, siue contrarietatis, siue contradictionis. Nempe decerno concurrere ad actionem prauam, vel eius oppositam, vel non concurrere ad illam pro libito voluntatis creatæ: id est meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum extrinsecus præparo, subdoque, vt ea vtatur creata voluntas, non secus atque habitibus infusis, quos ad actus supernaturales ipsi inhærentes imitto: qui etsi potentiam absolutam ad eos eliciendos voluntati creatæ compleant, nusquam tamen ex parte actus primi ipsi ad eos eliciendos afferunt determinationem; sed eius libertati, & determinationi in agendo, & concurrendo ex parte sua subduntur.

7. Idcircò Patres, & Scholastici sapientiores (in quibus Augustinus & Sanctus Thom.) frequenter, vt vidimus decretum hoc Dei respectu operationis prauæ permissiuum appellant: eamque propterea à Deo etiam eiusque omnipotentia *sinendo*, solummodo vt fiat, non tamen *faciendo*, procedere, non quia ipse physico suo concursu simultaneo cum voluntate creata in actionem non influat prauam; sed quia à se, & voluntate sua, qua arbitrio creato suam omnipotentiam præparat, & applicat, vt operari absolute possit, nec determinat, nec vult, vt absolute actio praua sit, sed solum non vult impedire actionem prauam, seu potius vult non impedire illam, suæ omnipotentiæ subtractione per voluntatem non concurrendi ad actionem prauam, quam absolutè habere poterat; etsi ex suppositione decreti indifferenter concurrendi, voluntatem non concurrendi habere absolutè nequeat, quæ decreto illi contradicit; in eius autem voluntatis non concurrendi ad prauam operationem nostram pro arbitrij nostri libito negatione: quare eo posito concurrendi decreto, non libere, siue, vt proxime liberum agens, sed naturaliter à creatæ voluntatis determinatione trahitur; tametsi recte libere concurrat, quatenus decretum concurrendi indifferenter pro libito creatæ voluntatis libere prorsus concepit. Stat verò eo decreto formaliter, sola, ac pura, cum physica, tum moralis permissio: non autem moralis effectio, quæ forli determinanti, vel volenti illam determinate, tanquam causæ per se tribuitur: quocirca, etsi Deus creatam voluntatem decreto indifferenter concurrendi ad opus bonum, & auxilij indifferentis de se collatione ad illud creatam voluntatem non determinet; ast, quia decreto concurrendi indifferenter, vel potius conferendi auxilium congruum, de se indifferens, opus ipsum bonum determinate intendit, ac vult, etsi vtriusque indifferentia à voluntate creata ad bonam operationem determinatè determinetur, eius causa per se moraliter est, & cui, tanquam authori, & causæ principaliori, tribuitur; nequit autem ipsi actio praua tribui, quia decreto indifferenter concurrendi ad illam, & conferendi auxilium sufficiens, oppositum potius, & intendit determinare, de suoque vult, & promittit: vt proinde à Patribus recitatis quæst. 2. & 3. prima operatio non dari nobis à Deo dicatur, sed rapi potius ab ipso per voluntatis nostræ abusum, & malitiam dicatur, ad eamque Deum concurrere iniurum.

Vnde

Vnde ad argumentum aliud, quod ex causalitate per se physica Dei in actum prauum (quæ Deo negari nequit) desumi ab aduersariis solet; quia, nimirum, quidquid causa per se physica actus, siue actionis prauæ est, moralis etiam causa per se, & absolutè esse debeat. Constat ex data nuper doctrina præter physicum influxum in entitatem actionis prauæ, ad causam per se moralem, & absolute talem respectu ipsius actionis liberæ requiri, vel determinationem, vt eiusmodi actio absolutè sit, vel saltem intentionem, & voluntatem ex parte eam physicè causantis, vt determinate ea actio sit: cum autem per decretum concurrendi ad vtrumvis nulla esse possit determinatio, vt absolutè sit actio praua, atque in illo, aliove de collatione auxilij sufficientis intentio, voluntasve nulla determinate Dei sit, vt actio, seu opus prauum determinate præ eius omissione, actuve opposito, & honesto existat; imò tota Dei, quatenus est ex ipso, voluntas, & intentio sit potius vt non existat, moralis causa, & per se, atque absolute talis actionis prauæ esse minime potest. Et miror Dominicanos præfinitores hoc argumento vti contra nos velle ex eo principio, quod est causa per se physica actus, seu actionis prauæ, est causa moralis, & quoad imputabilitatem illius. Hoc siquidem principium statuit S.Thom. sæpe, vt vidimus; vti illud causam per se non actionis prauæ, seu materialis peccati solum, sed formalis etiam & peccati absolutè talis esse demonstret, quod actionis seu actus praui causa per se esse reperiatur: quare iisdem locis totus est in ostendendo Deum, nec concurrendi decreto suæque omnipotentie virtute, & actiuitate, nec voluntate & intentione sua actionem prauam velle, atque vt determinate sit, vllatenus determinare; ac proinde, neque actus praui per se causam esse, neque peccati; sed solum creatam voluntatem, quæ affectu suo determinatè actionem prauam præ opposita esse vult, & determinatione suæ facultatis illam determinatè esse facit, vti nos eius doctrinam edocti respondimus.

8. Instabis tamen decretum indifferenter concurrendi ad actionem prauam habet pro obiecto tam actionem prauam, quam eius oppositum: siquidem ad vtrumque disiunctim æque & indifferenter, siue ad vtrumvis fertur: ergo saltim sub disiunctione vult actionem prauam: quod refugere videbamur, distingue antecedens, iuxta communem modum intelligendi, & explicandi: decretum indifferenter concurrendi ad actum prauum fertur in actionem prauam indifferenter entitative sumptam, atque etiam, vt ex parte Dei, siue per ipsam, non reddatur voluntati creatæ impossibilis fateor; entitatiue enim, & secundum suum physicum esse sumpta operatio praua bona est, sicuti & bonum physice & moraliter est Deum ex decreto suo indifferenti concurrere, vt munus causæ primæ expleat: quare vtroque titulo potest ex parte sui concursum suum indifferenter velle, & offerre, ac de actionis prauæ entitate posita, & concursu ex parte sua adhibito gaudere, & de obiecto entitatiue bono, & sibi honestissimo. At verò ad actionem prauam, vt materiale peccati est, siue vt est à creata voluntate, neque sub disiunctione decreto illo indifferenter concurrendi fertur, ferrive adhuc inefficaciter, ne dum efficaciter, & prædeterminatiue, potest; alioqui, vt ostendimus, & peccatum eiusque formale saltem implicitè, & virtualiter vellet, quod & ex rei natura, & ex fide Deo repugnat: quare potius, etsi non absolutè efficaciter, quatenus ex ipso est, non esse à creatura operationem prauam ferió vt diximus, & determinatè vult Deus: & cum decretum illud indifferenter concurrendi, ex parte sui solum, sit vt sit à creatura operatio praua, nullatenus esse ex ipsa natura, & essentia decreti illius conuincitur: etsi enim eadem, & tota actionis prauæ entitas totalitate effectus ab vtroque sit, & ab alterutro; ast esse ab vno, atque esse ab alio, idem non est neque esse potest; cum vnumquodque; ex his diuersum constitutionis, & denominationis principium, & agens concernat. Et sane distinctionis huius ignoratione, aduertentiaue, quam par esset, minore, audio Recentiores aliquos ex nostris Castellanos, & Toletanos incaute lapsos: vt admiserint Deum concursu simultaneo (quem solum admittunt) non solum ad materiale peccati, qua materiale, sed ad formale ipsum peccati physicè concurrere; etsi quia nolens ad eum concursum à creata voluntate trahatur, ac determinetur, nec causa materialis peccati, qua materiale, nec formalis, seu peccati absolute talis, dicendus sit. Cæterùm maximè hi æquiuocatione, nec satis tute laborant: etenim actionis prauæ entitas eadem, quæ tota, vt diximus, & à Deo necessario, ac indispensabiliter esse debet, & item à creata voluntate, qua à Deo concurrente ex parte sua prouenit materiale peccati formaliter sumptum non est, nec malitiam seu formale peccati fundat; sed solum, qua à creata voluntate concurrente, atque oblatum indifferenter Dei concursum ad eam determinare actionem determinante, & Deo, quasi inuito trahente: ergo, vt Deus ad actionem prauam fundamentaliter, siue materiale peccati, ac subinde formale peccati physicè concurrat, debet physicè concurrere, & influere in actionem prauam, vt à voluntate creata concurrente, eiusque determinatione procedit; ast concursu simultaneo Dei, quatenus præcisè à Deo, & ex parte Dei est, etsi in totam influat actionis prauæ entitatem, non tamen influit in illam, vt à creata voluntate concurrente, eiusque determinatione procedit: ergo, etsi ad totam entitatem actionis prauæ Deus concurrat concursu simultaneo; tamen non concurrit physicè ad actionem, qua vel fundamentaliter, vel formaliter prauam. Proximum antecedens subsumptum de se patet: siquidem concursus simultaneus, & identicus etiam cum concursu simultaneo creatæ voluntatis, se, ac Deum determinandis ad entitatem actionis prauæ, quatenus à Deo simultaneus est à creata voluntate non est; neque in huius determinationem, qua simultaneus solummodo est, potest influere; ad id enim necesse erat, vt ad illam pro priori naturæ præcederet; quod simultaneo solum concursui non minus repugnat, quam idem sibi ipsi natura, & causalitate realiter præcedere.

9. Atque inde constat minus tutè Recentiores hoste locutos. Siquidem, vt eorum conclusio hæc vera sit Deum concursu suo physice increatæ voluntatis determinationem ad prauam actionem influere admittendum necessariò est; quod concursu solum simultaneo, ac non præuio ad voluntatis determinationem fieri repugnat. Ac rursus consequentiis factis contra præfinitores materialis peccati à causatione physica materialis peccati, quam solum admittunt, ad causationem etiam moralem eiusdem, ac subinde formalis malitiæ peccati. Recentiores isti patent; imò, & proximius: cum physicum influxum: quare, & causalitatem Dei in formale ipsum peccati admittunt. Quod autem respondent determinari Deum inuitum, & nolentem à creata voluntate, vt physice cum illa formale peccati apponat: ac proinde causam moralem per se, & absolute talem malitiæ non esse: etsi verum absolute sit; tamen cum eorum conclusione non cohæret. Quia, vt ostendimus, vt causa physica sit siue influxu physico in formale peccati, imò in materiale, qua tale, influat, debet influere in voluntatis creatæ determinationem, & influxum eius in actionem prauam: quare, & vt ita ab ipsa, ex patteque ipsius actio, tam materialiter, & fundamentaliter, quam formaliter praua procedat velle Deus debet: vnde, implicat Deum nolentem, & inuitum ad eam voluntatis determinationem trahi, quam vult antecedenter, & physicè procurat, & ad concurrendum cum ipsa in prauam actionem: quod autem Dei concursu, seu influxu physico in eam determinationem, & concursum voluntatis creatæ, in prauam actionem, & formale peccati integra nō se determinandi, & concurrendi ad actionem prauā, & formale peccati creatæ voluntati relinquatur potestas, Deū à causalitate, causationeque peccati, & formalis malitiæ, inque physicum Dei influxum, & causalitatem hi admittunt, Deū non excusabat. Nam, & tentans, inducens, ac suadens actionem prauam, integrum voluntati alterius relinquit consensum in turpem actionem, qui tandem ex determinatione libert voluntatis alterius procedit; & tamen, cum ex ea inductione, & impulsione determinatio illa, & actio praua proueniunt, inducens, impellensque in illam causa absolute actionis prauæ, ac subinde malitiæ, & peccati est.

CERTAMEN IV.

Decreti indifferenter concurrendi natura enucleata lucem hactenus dictis affert.

1. CÆterum circa decretum hoc indifferenter concurrendi prohibito, & determinatione voluntatis creatæ sunt difficultates nonnullæ : quarum mihi præcipua, atque ab aduersariis, ac etiam nostris Doctoribus intacta, generatim illud respectu quarumlibet actionum nostrarum liberarum difficile reddit : quare d.seq.vbi decretum hoc : indifferenter concurrendi cum causis liberis vniuersim examinabimus erit enucleanda in præsenti vero materia de decreto indifferenter concurrendi ad materiale peccati ratione materiæ nonnulla hic oportunè circa eius decreti naturam veniunt examinanda. Primum: an decretum hoc sit omnibus desiderium? qua in re complacentiam puram non esse, certum omnibus est, cum non de concursu à Deo præstito, & parata omnipotentia concurrendi suppositis sit ; sed vt hæc paretur, & concursus, cum creata voluntate pro eius libito habeatur : Secundum an sit absolute efficax, & respectu præparationis, & applicationis omnipotentiæ voluntati creatæ, vt ea, eiusque actiuitate pro libito ad actionem prauam, vel eius oppositum vtatur efficacem esse certissimum est: cum per illud ita voluntati creatæ omnipotentia, eiusque actiuitas voluntati creatæ ad agendum applicita à Deo, eiusque libito subdita sit, vt pro huius libito, & determinatione nequeat ab agendo, seu coagendo sistere, concursumque ex parte sui eo decreto,& applicatione oblatum cohibere. Respectu autem concursus ipsius certum etiam apud Omnes decreti huius assertores est absolutè efficax non esse, & de se patet: siquidem nihil efficaciter absolute decerni à cordato potest, quod ab alterius voluntate, & libertate pendet, saltem, nisi quid ab alio faciendum conditionate sit prænoscatur ; quod in decreto concurrendi fieri nequit : cum in quavis hypothesi ad futuritionem conditionatam concursus diuini operationi creatæ voluntatis identificati claudi essentialiter debeat, nisi forte vim habeat decretum trahendi secum velit nolit creatam voluntatem ad cooperandum : quod esset decretum ad materiale peccati prædeterminatiuum admittere, & quod decreto hoc indifferenter concurrendi vitare contenditur.

2. An verò sit efficax, vel inefficax concurrendi ad actionem prauam conditionatè, si voluntas ad eam apponendam se determinet à nostris doctoribus disputatur : ex quibus Recentiores nonnulli censent esse efficax conditionatum pro seque Suarium referunt 1.de auxil.c.14.& lib.2.cap.3. cum tamen efficacis vox nusquam in Soario reperiatur ; quare tam ipse quam alij inefficacem voluntatem conditionatam concurrendi videntur solummodo in eo decreto contineri efficaci illa conditionata reiecta; sed impugnationibus minus, quam ipsi æstimant, efficacibus. Prima: quia efficax desiderium, ex quocunque motiuo, in rei executionem tendit : quare nec potest à circunstantiis executioni necessariis præscindere, ac subinde, neque à voluntate implicita executionis in eis circunstantiis, ac proinde neque à culpa executioni ex eis adiuncta, & suborta purgari ; quod secus euenit in complacentia simplici, quæ in rem, non, vt exequendam fertur, ac subinde à circunstantiarum adhuc implicita præscindit, solumque in rem ob benitatem siue vtilitatis, siue delectabilitatis fertur : neque à malitia circunstantiarum, quibus necessariò exequenda res est, potest vitiari. Vnde delectatio pura, ac simplex venerea de copula cum coniugata, eiusdem speciei prorsus est ; ac simplex delectatio cum soluta : secus efficax desiderium copulæ cum coniugata, cuius executio, ad quam tendit, nequit ab iniustitia contra maritum & adulterio præscindere, vt ex nostro Vasquez recte obseruauit Oniedo etiam noster 1.2. tract.6. Controuer.4. pag.4. numer. 27. Ioan. Sanchez, communiter alij : cum autem in executione concursus Dei in opus, & actionem prauam nequeat à concursu in eam à creata voluntate præscindere, non potest non voluntate, illa, seu desiderio efficaci conditionato in suum concursum, & actionem prauam, vt ab ipso, Deus fieri, quin implicitè etiam, in eam, vt à creatura, ac proinde in actionem prauam, & materiale peccati feratur, quod Deo repugnat. Secunda impugnatio : quia quidquid conditionatè amari potest purificata conditione potest amari absolutè ; imò ipse amor efficax conditionatus ex purificatione sola conditionis transit in absolutum, vt vulgo asseritur : quare admisso in Deo efficaci amore conditionato materialis peccati, vt admittendum ostendimus, & amor Dei absolutus efficax eiusdem materialis peccati admitteretur, quod tanopere abhorremus.

3. Sed ni vrgentiora alia vniuersim contra voluntatem conditionatam siue efficacem, siue inefficacem in re præsente adessent præfatæ impugnationes nihil contra conditionatam efficacem præstarent : etenim, quoad tendentiam in executionem, tam efficax, quam inefficax desiderium, dummodo desiderium absolutè de re, aut operatione exercenda sit, à necessariis circunstantiis executionis rei, quam vtrumque desiderium intendit abstrahere nequit : quare, qui alterutro modo rem desiderat ab operis malitia ex circunstantiis illis nequit abstrahere. Vnde nemo est qui desiderium, etsi non absolutè efficax, copulæ cum coniugata à malitia excusset adulterij : etsi meritò ab eiusmodi malitia, eum qui de copula cum eadem delectaretur solummodo, quin eam vllatenus desideraret, ab adulterij, malitia excusaret, atque intra veneream, delectationis illius malitiam totam assereret contineri : & Pater quidem Vasquez Theologici, solidique huius discriminis inter simplicem delectationem, & desiderium acutus, & profundus adinuentor, discrimen simile inter desiderium efficax, & inefficax nunquam recognouit, vt videre in ipso est 1.2. tit.1. d.73. capite sexto, numero 30. & 31. & d.110. etsi, vt clarius percipiatur inter delectationem simplicem, & desiderium discrimen, quod docet, in desiderio efficaci, quod coniunctius de se cum executione ipsa est, illud ostendat. Delectationem verò, de qua loquitur morosam de obiecto appellat, cum scilicet de proposita operis delectatione quis tantum delectatur, nihil circa eius executionem tentans, aut desiderans : idque ratio Theologica, quam inuenit, quæque ad illud discrimen probandum vtitur suadet: qua delectatio ad rei effectionem, quæ à circunstantiis non præscindit, non fertur, idem de vtroque desiderio, siue efficaci, siue inefficaci probat : cum in rei executionem vtrumque eo ipso, quod desiderium sit, tendat : quantvis enim inefficax cum executione non coniungatur, neque efficax semper coniungitur ; & tamen semper ab executionis circunstantiis malitiam trahit, quia semper executionem intendit.

4. Sed nihil contra alterutrum desiderium Dei, efficax adhuc, conditionatum concurrendi adhuc ex parte sua, si se voluntas ad actionem prauam determinet, siue sub conditione determinationis voluntatis creatæ (quæ materiale peccati, & malitiæ fundamentum rorum est) probat. Neque enim opus est, vt qui sub conditione turpi aliquid, siue efficaciter, siue inefficaciter desiderat, vt ipsam conditionem turpem, adhuc implicitè velit, ecce iudices volunt homines suspendere, si occidant, vel furentur, & Deus punire peccatores, si peccent ; & tamen, nec iudices furtum, aut homicidium, nec Deus peccatum, implicitè adhuc volunt, sed dignum male factorum mercedem. Deus ergo desiderio etiam efficaci concursus ex parte sui ad prauam actionem sub conditione concursus, seu determinationis ad actionem prauam illam, vt ex parte creaturæ est, siue materiale peccati, velle implicite adhuc, conditionatè non tenetur ; sed solum actionem illam, vt ab ipso, & concursu ex parte sua est, idemque purificata conditione absolutum solummodo absolute vellet, sicuti, & de exhibito à se ad actionem prauam gaudere Deum Recentiores ipsi fatentur. Tandem, etsi desiderium inefficax conditionatum posita & purificata conditione absolutum desiderium efficax necessario non inferat, inferre tamen illud potest: cum

cum tamen æque incommode admitteretur, & absurde Deum posse absolutè velle materiale peccati, imo, & conditionatè, vt tuo hoc discursu æquo robore probatur) si inefficax desiderium concurrendi ad actionem prauam sub conditione determinationis, & concursus ad illam voluntatis creatæ ex parte sua admittatur.

5. Verum decretum hoc nullatenus conditionatum ex parte obiecti esse posse de concursu ex parte Dei, sub conditione determinationis creaturæ ad actionem prauam, siue efficax, siue inefficax illud esse affirmes, loquendumque propriè sit, est ratio euidens. Quia, nihil potest esse conditionatum propriè sub conditione sui ipsius: atqui concursus, & determinatio voluntatis in actionem prauam idem ipsum re ipsa insectile, & indiuisibile est cum Dei, & omnipotentiæ concursu in eandem: ergo, nec potest esse concursus Dei conditionatus propriè sub conditione determinationis, & concursus voluntatis creatæ in eandem actionem, neque à Deo amari, vt sit, si se ad eam actionem voluntas creata determiner, & concurrat, erit enim velle amareque Deum, vt suus in eam actionem concursus existat, si exuerit: quod & inane est, & effectiuo ordine, siue in ordine ad eius executionem, impossibile. Siquidem alterius voluntate, & desiderio fieri, quod de se necessarium est (vti necessarium est Dei concursum, si existat existere) est omnino impossibile: vnde rerum possibilitas à Dei voluntate, & omnipotentia, tanquam à sui principio actiuo esse non potest. Secundo, quia, qui sub conditione aliqua, aliquid vult efficere, vt absolutè velit efficere, atque absolutè faciat opus est, vt ad eius absolutam illius voluntatem & effectionem absolutè purificata & præuisa conditio naturæ prioritate præcedat; nequit autem concursus creatæ voluntatis in actionem prauam naturæ priori, & in se, & in Dei præuisione, ad Dei concursum sibi necessario, & essentialiter physice, & realiter identificatum; vt hic absolutè à Deo ametur, atque apponatur, præcedere: quare nec potest Dei concursus sub conditione concursus voluntatis creatæ in actionem prauam à Deo amari scio à Thomistis, & Lessio nostro de gratia efficaci, cap. 4. & 5. aliter, & aliter prioritatem concursus inter causam primum, & secundam explicari; sed admissa identica concomitantia concursus rationis solius, & fictitia solum prioritas alterius ad alterum erit, ad obiectum conditionatum constituendum inepta: vt bene Herize disput. 6. de voluntate, cap. 3. num. 47. ad 50. inclusiue. Numero vero 47. de iis, qui decretum hoc de suo concursu indifferenter oblato conditionatum ex parte obiecti, si voluntas creata cooperari velit, declarant, se consentire fatetur: ac num. 49. ait: esse simplicem voluntatem, quæ cooperationem creaturæ, tanquam conditionem comitantem, ac non propriè conditionem, quæ obiectum propriè conditionatum constituat, ob rationem secundam à nobis datam, quam ipse num. 47. fusè persequitur. Sed nec comitantem concursum suum sub conditione in propria hac comitante in actionem prauam decreto hoc indifferenter concurrendi, quod dicitur velle, purius esse, atque doctrinæ Patrum, Doctorumque Catholicorum conformius statim ostendemus. Aliquo modo decreti huius obiectum concurrendi indifferenter in actionem prauam à præmissis difficultatibus soluto, proprietate sermonis posset designari, si verè decretum concurrendi indifferenter cum voluntate ad vtramvis eius determinationem, siue prauam siue probam, pro eius libito foret. Et enim voluntas, & desiderium quodvis de duplici extremo, aut opere disiunctim, vno scilicet vel altero, duplex conditionatum ex parte obiecti desiderium continet; nimirum sit hoc extremum si illud non sit, vel si hoc non sit, sit aliud. Vnde, si hoc decretum de hoc, vel illo extremo disiunctim efficax sit, atque vnius extremi negatio absolutè ante alterius positionem absolutam priori naturæ præsupponatur, hoc alterum necessario, nec vsquam liberè, absolutè apponetur: quia ex absoluta antecedenti necessitate, vi illius decreti, & anterius natura purificata conditione omninò extremum alterum apponetur. Vnde, si decretum hoc concurrendi ad actionem prauam, vel eius oppositum in Deo sit conditionatum ex parte obiecti duplex, siue efficax, siue inefficax continebit: alterum de concursu ad actionem prauam, si ad bonam concursus ex voluntatis creatæ defectu absolutè non fuerit; alterum de concursu ad oppositum, si ad actionem prauam concursus absolutè defecerit.

6. Sed tamen decretum, quo Deus ex parte sua ad actionem prauam concurrit non est ita indifferenter concurrendi ad vtrumque extremum, vt, æque & disiunctim ad alterutrum concurrere, quatenus ex se adhuc est, Deus velit: proindéque, non solum non est conditionatum obiectiue sub propria conditione, iuxta primum modum impugnatum, nec sub impropria conditione comitanti identicæ cooperationis, & concursus seu determinationis creaturæ in actionem prauam, vt voluit, & explicuit noster Herize, sed neque conditionatum inclusum in decreto de concursu vtroque disiunctim ad actionem prauam, vel eius oppositum casu quoad alterum concursus defectu determinationis voluntatis absolutè deficiat. Ratio est, quia ad actionem prauam id solum ex parte sua velle, & apponere Deus, & debet, & potest, quod satis sit, vt voluntas creata sit proximè absolutè potens pro suo arbitrio, & libertate actionem prauam elicere, ac de facto eliciat, si velit, ad id autem opus non est, vt Deus velit concursum suum ad prauam operationem affectu, & desiderio prosecutiuo, quatenus ex se est adhuc, disiunctim neque sub conditione, adhuc impropria, & comitante determinationis creatæ voluntatis in actionem prauam: ergo Deus decreto suo non vult positiue, & prosecutiue, adhuc disiunctim, aut conditionate concursum suum in actionem prauam. Minor probatur; quia sola permissione facta creaturæ actiuitatis omnipotentiæ suæ per decretum, quo illam applicet ac subdat arbitrio, voluntatis creatæ reliquis requisitis instructæ ad prauam actionem, voluntas constituitur in actu primo proximo absolutè potens ad actionem prauam, adeoque huius adæquatum, & absolutum principium proximum: item cum ea sibi applicita, atque arbitrio suo subdita actiuitate omnipotentiæ tens, (vel abutens potius,) creata voluntas acti em eliciat prauam, se sola, atque independenter à causa prima non operabitur: atqui voluntas permissiua solum actiuitatis omnipotentiæ suæ per decretum applicatiuum illius non est voluntas prosecutiua concursus adhuc ex parte sui: ergo per decretum illam applicandi, & subdendi arbitrio voluntatis creatæ non vult, de se, & ex parte sua positiue concurrere ad actionem prauam.

7. Confirmatur discursus authoritate Patrum suprà recitatorum asserentium actionem prauam à Deo non donari, sed rapi inuitumque, & nolentem trahi, & concurrere ad illam: quod si de se indifferenter vellet concurrere ad actionem prauam, vel eius oppositum, æque illam, atque oppositum nobis donaret, neque inuitus, & nolens ad illam traheretur & cóncurreret; sed volens quidem & æque volens, atque cum ad extremum oppositum, opus scilicet honestum, concursum præberet. Confirmatur testimonijs Patrum aliis, & signatissimæ Augustini ad illud Psalm. *Omnia quæcumque voluit fecit*, atentis de actus prohibiti positione in rebus nihil esse in hoc mundo *nisi quod omnipotens fieri velit* (vt pro Dei erga peccata amore obiiciebatur) hisque verbis temperantis, *vel sinendo, vt fiat*, nempe actionem prauam, & peccatum, quibus erga eiusmodi actionem, solum permissiuam voluntatem Deo concedit, *vel ipse faciendo*: reliqua vtique opera, quæ praua non sunt. Quo sanè loco de omnipotentia, qua tali, ac Deo, vt causa prima, & vniuersali rerum omnium est sermo; nec solum, qua gratiæ, & prædestinationis supernaturalis est author. Quare, & decreto necessario vt ad actionem prauam concurrat solum permissiue, in suum etiam concursum ferri, suæ solum omnipotentiæ actiuitatem, & virtutem actiuam creatæ voluntatis arbitrio, ac liberæ determinationi subdendo, non autem positiue, & prosecutiue quatenus ex ipso est, volendo Augustinus, Patresque reliqui loqui satis exprimunt: etenim, si decreto, quo, vt causa prima, suum concursum ex parte actus primi ad actionem prauam, eiusque oppositum creatæ apparat voluntati indifferenter, concursum suum ad vtrumvis prosequeretur de se, etsi neutrum determinatum, sed à voluntate creata determinandum, cum ex voluntatis creatæ determinatione concurreret, æquè positiue con-

cursum suum ad actionem prauam, actionemque probam velle diceretur: nec solum circa illum siue actionem prauam, quatenus à sua omnipotentia, & à se, vt causa prima est, permissiue se habere. Confirmatur tertiò ex decreto Dei collatiuo reliquorum principiorum requisitorum ad liberè in genere moris operandum: etenim, indifferentem cogitationem voluntati creatæ confert, quin positiuè, de se, adhuc, indifferenter, velit concursum eius cogitationis in actionem prauam, imò verò id solum vult, vt ea indifferenti cogitatione potentia proximè libera constituatur, vt dissensus partiali eius inductioni, in prauam actionem liber, honestus ac meritorius euadat: solumque obinde motionem in actu primo siue vim motiuam intentionalem cogitationis indifferentis positiue vult, atque motionem eius actualem in prauam actionem permittit solum voluntari, eiusque abusui, quin eam positiue velit: ergo eodem modo se gerit cum ex munere causæ primæ actiuitatem suæ omnipotentiæ ex parte actus primi requisitam à voluntate vt operari absolutè possit, atque liberè operetur, decreto suo applicat, eiusque liberè subdit determinationi.

8. Probatur secundo: quia in Deo, quatenus ex se est, adest voluntas, & si non absolutè efficax, & inconiungibilis cum actione praua, seria tamen, vt non sit absolutè actio praua, & peccatum, sed potius eius negatio; siue pure omissiue, siue exclusa per operationem honestam cum actione praua, & peccato incompossibilem: cui principio; suprà ex Patribus probato, & fusius probando controu 4. d. 3. q. 3. à cert. 2. per totam confirmationes datæ, num. 7. magna ex parte innituntur: atqui cum hæc voluntate seria Dei, quatenus ex se, & per ipsum est, vt non sit actio praua, & peccatum, & si non absolutè pugnent actio praua, & peccatum: pugnat autem voluntas seria Dei ex se, & quatenus per ipsum est, concurrendi ad actionem prauam: ergo, & eum concursum, quatenus ex ipso est, & ex parte sua positiue velle. Minoris probatione præcludetur solutio, quæ adhiberi huic argumento posset per maioris distinctionem de voluntate positiua Dei de se erga actionem prauam, quatenus à Deo est, atque erga concursum ex parte sui, (quomodo actio, praua fundamentaliter, aut formaliter, non est, amarique à Deo potest) atque, vt à creatura, & concursu eius est, quomodo, & praua fundamentaliter, & formaliter est, amarique à Deo nequit, sed solum odio haberi, ac insuper probatione eadem lucem hactenus dicta recipient non exiguam. Probatur autem minor, cum voluntate Dei seria ex se, & quatenus per ipsum est, vt non sit actio praua, & peccatum, pugnat voluntas seria Dei de se, & quatenus per ipsum est, vt sit concursus suus, siue ex parte sui in actionem prauam. Antecedens est certum ex Patribus, qui ex eo, quod Deus positiue, & seriò, quatenus ex ipso est, velit non esse actionem prauam, & peccatum: inferunt non velle serio & positiuè, sed solum permissiue, vt vidimus actionem prauam, & peccatum, ac proinde vtramque voluntatem seriam, & positiuam in Deo, quatenus ex se est, pugnare supponunt; quia alias positio vnius, alterius exclusionem non inferret: Secundo: si vtriusque seria voluntas Dei sit: cur minus volens actionem prauam esse, imo nolens non esse, quam volens illam esse Deus diceretur, consequentia probatur, quia, vt ostendimus num. 3. desiderium quodvis quantumvis inefficax dummodo desiderium de re facienda & exequenda sit, nequit abstrahere ab his, quæ in rei executione, & operatione necessario, etiam entitati operationis extrinsecus, & omninò aduentitiè, & accidentariè intercedunt, (vt de desiderio inefficaci, proprio tamen copulæ cum ea, quam coniugatam esse contingit dicebamus) atqui in concursu Dei ad actionem prauam creatæ voluntatis, non aduentitiè, & accidentariè; sed identicè, & essentialiter physicè, necessariò intercedit concursus creaturæ: ergo desiderium verum Dei tendens in executionem concursus ex parte sua ad actionem prauam, nequit abstrahere à concursu creaturæ ad illam: ac proinde, neque à volitione saltem interpretatiua actionis prauæ, & peccati vrgetur. Quia voluntas executiua vera, siue in executionem tendens (ni à mentis voluntas sit) nequit tendere nisi in executionem possibilem: atqui executio concursus Dei præcisiue à concursu creatæ voluntatis ad prauam actionem possibilis non est, sed prorsus impossibilis: ergo nequit desiderium Dei executiuum, tendensve in sui concursus executionem esse de executione sui concursus præcisiue à concursu creaturæ: ac proinde ab actione fundamentaliter, & formaliter praua, ad quam esse in Deo voluntatem repugnat, vt maioris proximæ veritatem, & vim discursus plenius percipias, vide, quale desiderium Dei esset, quo Deus executionem prædicati animalis in homine præscindendo à rationali optaret.

9. Ster ergo decretum concurrendi in actionem prauam ad concursum ipsum, adhuc, quatenus ex parte Dei est, vt obiectum positiuè decreto ipso directè volitum minimè terminari; sed in applicationem solam, & subiectionem diuinæ actiuitatis creatæ voluntatis arbitrio æquæ, atque ipsius voluntatis actiuitas, & ipsi inditi habitus supernaturalis, & auxilij, siue indifferentis cogitationis virtus, & quæcumque alia adæquatam, & absolutam potestatem proximam voluntatis in actu primo constituunt, eiusdem voluntatis arbitrio & liberæ operationi subduntur: idque solum decreto illo omnipotentiæ applicatiuo, & præparatiuo ad concurrendum in prauam actionem cum voluntate solummodo positiuè velle: scilicet potentiam eliciendi, & operandi actionem prauam, quæ in voluntate creata, secundum se sumpta, partialis solum, & quasi conditionata, si comprincipia essentialia cætera ex parte actus primi ad sint, absoluram & adæquatam constituere; quin vlterius eius actiuitatis suæ vsum in actionem prauam, vel conditionatè ex parte obiecti, vel disiunctim vlterius positiue velit: quemadmodum, nec, cum indifferentem cogitationem ad bonum, vel malum ad constituendam libertatem, & potestatem in actu primo ad vtrumvis & vult, & donat, vlterius eius in prauum opus influxum amat; sed potius non esse illum in actu secundo vult; tametsi eorum omnium comprincipiorum vsum, & influxum libertati arbitrij permittit, quia aliter eam proximè, & adæquate in actu primo ad bonum, & malum liberam, & absolutè potentem nequit constituere: vt non minus eorum omnium comprincipiorum, & omnipotentiæ, siue actiuitatis diuinæ, quam innatæ actiuitatis, voluntati vsus, & influxus in actionem prauam totus totus determinationis voluntatis creatæ, qua totus, & omnium comprincipiorum influxus identicè trahitur, prorsus sit, quin ad totum illum influxum Dei, sicuti nec reliquorum comprincipiorum, determinatio vlterior, neque vltra actus primi creati liberi adæquati, & absoluti constitutionem ad concursum ex parte adhuc omnipotentiæ (cuius vsus totus voluntati creatæ ad actionem prauam permittitur) extensa requiratur. Et quidem, vt ad actionem etiam bonam in actu primo proximo adæquate, & absolute tali creatæ voluntas constitueretur, atque illam à Deo causa prima physica, & vniuersali, eiusque concursu physico intelligeretur procedere sola explicata omnipotentiæ Dei permissio voluntati creatæ satis esset; quin Deus vlterius decreto suæ omnipotentiæ voluntati creatæ applicatiuo suum concursum, & cooperationem ex parte sui vellet. Verum tamen scriptura, & Patres congruè ad Dei virtutem, non physicam solum, sed moralem, cum, & naturam voluntatis ad vtrumvis, bonum scilicet, & malum indifferentem condidit, reliquaque comprincipia necessaria ex parte actus primi ad bene, vel male operandum, scilicet indifferens adiunxit, bonum, & voluntatis, & eorum comprincipiorum vsum vlterius voluisse Deum nos docuere; vsum vero eorum ad malum solummodo permisisse.

10. Præclusi obiter argumentum, quod à paritate contra solam permissionem Dei, sui etiam concursus in actionem prauam nobis posset opponi. Inquies tamen, etsi eadem entitas operationis, & concursus Dei in actum prauum sit entitas operationis, & concursus voluntatis creatæ, atque, vt huius concursus, & operatio est, prava & fundamentaliter, & formaliter sit; tamen, vt à Deo est, bona & honestissima est, vt dicebamus certam. 3. num. 8. ergo potest à Deo amari, atque desiderari decreto illo serio, & si absolute non efficaci, sed disiunctim, vt alterum disiuncti voliti extremum. Confirmatur, quia id totum, de quo in repositio, & absolute

supposito Deus potest gaudere, & desiderare potest, vt ponatur: atqui Deus de concursu, & operatione praua, vt ab ipso est posita, gaudere potest, & de facto gaudet: ergo & à se poni illam antecedenter ad eius positionem potest disiunctim saltem desiderare. Respondetur distinguendo extremam partem antecedentis, vt à Deo est pura permissione suæ omnipotentiæ arbitrio voluntatis creatæ fateor: vt à Deo est, voluntate, non permissiua solum, sed prosecutiua concursus sui in actionem praua, nego. Quare, & si permissiue solum se habendo honestissime concurrat; ast si directè aliquo modo vellet positiue concurrere, non honestissime, sed turpissime concurrere ex parte sua vellet, vt ostendi. Ex eo autem, quod permissiue solum concursus Dei in actionem praua non honestus sit, solum infertur amari à Deo posse eius permissionem antecedenter ad concursus ex parte sua absolutam positionem; non autem concursum ipsum: cuius amore antecedenti pura permissio illius non staret. Ad confirmationem dicito; gaudium, & complacentiam Dei de concursu à se exhibito permissiue solum concedendum esse; à se exhibito prosecutiue esse negandum; nec tamen inde inferri posse esse desiderium, & antecedentem Dei amorem, vt concursus ipse, ex parte adhuc Dei, sit, qui amor vltra permissionem suam concursum ipsum prosecutiue attingat: quia vt dicebamus num. 3. gaudium, & delectatio præscindunt ab his, quæ necessario in executione rei, de qua gaudium, & complacentia habetur debent intercedere: quare ad eorum honestatem, vel malitiam motiuum, seu bonitas, aut malitia motiui, ob quod de re gaudemus complacemusve, attenditur: quæ in Dei gaudio de concursu à se permissiue solum ad actionem prauam præcito honestissima, vt diximus est. Cum autem, vt ibidem ostendimus desiderium quodvis seu voluntas antecedens rei positionem, vt sit, in executionem, eiusque effectionem tendat, quæ a malitia, siue identica, siue aduentitia, necessaria tamen, in rei executione, nequit præscindere, sit, vt complacentia, & gaudium de operatione ex concursu Dei exhibito ad actum prauum identice, provt est à creatura, ad sum concursum, & actum prauum, prout ab ipso, terminari honestissime possit; siquidem id ab ipso permissiue solum esse, ratio honestissima est, & tota, ob quam Deus de tota illa entitate, concursus, & operationis suæ complacet; cum tamen desiderium concurrendi, & concursus sui, si vltra permissionem concursum Dei pertingat, quia ad executionem natura sua tendit, nequit ab identica malitia præscindere: quocirca confirmationis huius antecedens falsum absolute est, vt ex dictis claret.

11. Instabis tamen adhuc: qui sciens conditionate abusum facultatis, & virtutis actiuæ, quam alicuius arbitrio subdit, cuiusque vsum omnem permittit saltem interpretatiue vult eius abusum: atqui Deus decreto suo suæ omnipotentiæ applicatiuo omnem eius vsum creato arbitrio permittit, & sciens conditionate, seu conditionatum eius abusum, si ei omnipotentia subdatur, in actionem prauam, & fundamentaliter, & formaliter talem: ergo ea omnia saltem interpretatiue eo decreto applicatiuo omnipotentiæ suæ arbitrio creato, & vult, & amat: quod æque, imò magis est absurdum quam concursum, quatenus ab ipso est disiunctim amare. Fateor hoc longe esse absurdius: quia, & actionem prauam, provt talem, seu provt à creata voluntate velle saltem interpretatiue; & determinate eam Deum hoc argumento infertur: quare argumentum hoc decretum indifferenter concurrendi, non solum, vt inter nostros doctores, eorumque principiis communibus examinaret; sed pro sententia Thomistarum præfinitorum materialis peccati euerteret, si esset firmum: etenim virtute nos in idem absurdum cogeret, in quod ipsos expressius incurrere contendimus. Cæterum infirmum argumentum est, & idem, quod contra auxilij sufficientis donationem fieri solet: imò, & in ipsa voluntatis creatæ conditione, natiuaque eius indita à Deo ad virtuuis potestate, atque in hominis primi, & malorum Angelorum creatione ab antiquissimis hæreticis efformatum, multumque à Patribus versatum; siquidem & creatas voluntates, sua natiua, & indifferenti potestate, & libertate abusuras nouerat Deus: & lapsuros Adamum, & Angelos malos si crearentur: & tamen in horum omnium creatione, & conditione eorum actiones prauas, adhuc interpretatiue voluisse constanter negant. Communis eorum, & Theologorum ratio est; quia voluntas interpretatiua in eis solum habere locum potest, in quibus explorata non est seria, & quatenus ex parte sui est efficax de oppositio voluntas; in Deo autem lapsurum hominem, & Angelum, & vniuersim creatam quamvis voluntatem sua potestate abusuram condente, atque, vt operari absolute possint, omnipotentiam suam applicante, cogitationemque, & auxilium indifferens immittente cum abusus etiam, & lapsus conditionati præscientia, explorata est seria voluntas, ex parte sua etiam, vt non operentur praue, ac pereant; vt sæpe ex Patribus ostendimus, ac fusius contra. 4. de voluntate, d. 3. q. 3. à cert. 2. ostendemus: quin, ea omnia ex eo fine donat, vt recte ac beate demum æterne viuant, ac non pereant: quia, ni ea omnia ad vsum, abusumque deseruirent, omnipotentiæ suæ applicatione secundum se sola malum eius indifferentia præstaret non illis esset ad bonum, & meritum plena, & absoluta potestas. Neque vero in omnipotentiæ suæ applicatione secundum se sola malum eius à creata voluntate vsum potest conditionate cognoscere magis quam in voluntate ipsa, nisi auxilij sufficientis conditio accedat: quare ad huius collationem tota voluitur difficultas expedienda controuersia 5. d. de reprobatione: partim ex fine, & intentione Dei seria, & explorata salutis, etiam reproborum: partim ex Dei in sua dona, & beneficia dominio; partim ex scientia, qua auxilij sufficientis donatio dirigitur, ac regulatur, aliisque principiis, non, nisi importune, in præsentiarum tradendis, vel potius obtrudendis.

12. Adhuc tamen pro Dominicanis, & Hæreticis Præfinitoribus oppones. Non minus sancte, & honeste debet procedere concursus ab omnipotentia in actionem prauam, quam à voluntate, & volitione diuina: atqui ab omnipotentia procedit concursus determinatus diuinus, positiue, atque subinde, & actio praua: ergo & à voluntate, & volitione diuina positiue, & determinate, & Dei concursus, & actio praua procedent, absque vllo sanctitatis eius præiudicio. Maior quidem certa est de sanctitate, & honestate formali, quæ eadem est in affectu voluntatis effectiuo, atque in executiua potentia, & operatione volentis, & si primario volitioni, secundario eius operationi conueniat, vndecunque ea bonitas, & sanctitas formalis moralis obiectiue, & specificatiue sumatur in minori autem æquiuocatio est, in voce *determinatus* quæ præfinitoribus posset apud incautos fauere: idcirco distinguenda est ab omnipotentia; procedit *concursus determinatus* ab ipsa omnipotentia, negatur minor, siquidem eius vsus non secus, atque natiua voluntatis facultas, & reliquorum principiorum essentialium ex parte actus primi arbitrio, & libertati creatæ plenæ, & absolutè, per illa omnia constitutæ determinationi permittitur, vt vidimus: cum quo pugnat concursum ab omnipotentia ipsa determinari, atque determinatum concursum procedere: Procedit ab omnipotentia concursus determinatus in se, ex determinatione tamen creatæ voluntatis omnipotentia sibi applicitæ, atque, quoad eius vsum ipsius arbitrio permissæ, conceditur minor: quia concursus, qui ex determinatione voluntatis creatæ ab omnipotentia procedit, determinatus concursus in actionem prauam est; non autem concursus in actionem probam, siue sui ipsius omissio. Inde verò non infertur volitionem Dei erga omnipotentiæ suæ concursum, (quæ de se physica ad concursum in actionem prauam, & in actionem bonam potentia est) debere esse determinatam, & determinantem omnipotentiam Dei ad vtrumque concursum in bonum, & malum physice indifferentem, ac de sese formaliter loquendo ad alterum præ alio determinate indeterminabilem: cum à determinatione voluntatis, & arbitrij creati determinetur: nec opus proinde sit eius determinationem à volitione diuina efficaci, & concursus physici omnipotentiæ præfinitiui quærere, quæ ex tot, quot expendimus hactenus, capitibus repugnat. Minoris autem eiusdem reliqua absque distinctione concedenda sunt: etiam illud concursus Dei positiue ab omni potentia procedit, quod est verissimum: inde tamen non infertur contra nostram conclusionem specia-

tim

tim (etsi contra nostros communiter decreti indifferenter concurrendi assertores teneret) hoc certamine statutam : eum scilicet concursum Dei in prauam actionem à volitione diuina positiua illum adhuc disiunctim, & indeterminate prosequentem debere procedere. Siquidem, vt physicus determinatus in se concursus physice, positiue ab omnipotentia procedat, eam arbitrio creato per Dei decretum applicari, & quoad influxum, & cooperationem subdi arbitrio creato eiusque determinationi permitti, est satis, quin ad concursum omnipotentiæ volitione, & tendentia positiua decretum illud progrediatur : quod multis gratiisque fundamentis, neque à Deo fieri, nec Dei voluntatem decere toto ferè hoc certam. 3. abunde monstrauimus. Sed neque contra reliquos nostros decreti indifferentis Doctores probat argumentum à voluntate diuina determinata ad actionem prauam ad hanc determinate omnipotentiam concurrere : cum per ipsos eius vsus arbitrio creato subdatur, & determinationi.

QVÆSTIO V.

An ex vi præfinitionis prædeterminatiuæ per concursum aliquem Dei, vel per generale subtrahendi decretum possit Deus actum prauum vagè hunc, vel illum, siue in communi præfinire ?

AD plenam præfinitionum prædeterminatiuarum ad materiale peccati intelligentiam, & hanc quæstionem adiungimus, subtiliores difficultates continentem illis, quas cum præfinitoribus materialis peccati determinati agentes versauimus, & decidimus; quæ tamen lucem ex illis recipient, ac vicissim reddent. Examinauit eas ex instituto, solita eruditione, & profunditate Ruiz noster d. 40. de volunt. per totam. Tres autem omnino difficultates quæstionis huius titulo continentur suo ordine examinandæ. Prima, an præfinitione aliqua de concursu generali ac debito creaturæ rationali iure naturæ possit Deus actionem prauam vagè hanc vel illam, siue in communi præfinire? ita, vt vi illius nequeat non aliquam indiuiduam actionem prauam apponere; etsi hanc determinate, & in indiuiduo præ alia apponere creatæ libertatis, & electionis sit : quia ad indiuiduam hanc determinate apponendam prævius generalis, ac prædeterminans Dei concursus, per quem apponenda hæc, vel illa vagè præfinitur vi prædeterminatiua sua non extenditur : Secunda. An vi concursus, seu per concursum prædeterminatiuum specialem id possit Deus præstare? atque vtraque concursus prædeterminatiui vtriusque, per quem actionem prauam vagè fieri Deus præfiniat possibilitatem examinat. Tertia difficultas, an per decretum non concurrendi ad actionem omni ex parte, simpliciterque, & absolute honestam, perstante tamen decreto concurrēdi pro libito creatæ voluntatis ad actiones turpes, aliquā vagè possit Deus præfinire?

CERTAMEN I.

Deciditur difficultas prima.

1. RViz noster (cuius negatiuæ decisioni subscribemus) quæstionem præsuppositiue saltem à pluribus scholasticis priscis tactam censet; æstimo autem, nec præsuppositiue ab vllo eorum tactam fuisse, imò neque ab scholasticis ipso anterioribus disputatam, sed aliam longe diuersam; è cuius tamen & præsentis in distinctione hic Doctor plura pro negatiua conclusione fundamenta produxit, quæ ad præsentis difficultatis decisionem negatiuam non attinent. Pro dilucida ergo præsentis difficultatis intelligentia obseruare oportet, triplicem necessitatem peccandi vagè rationalis creaturæ naturæ solum debitis relictæ, considerari posse. Primam per physicam determinationem naturæ ipsi rationali inditam intrinsece, & congenitam : quatenus natura rationalis de se sese, non nisi ad prauè operandum, quotiescumque operetur, à Deo condita aptaque nata fit : ità eam censebant Manichæi. Secundam determinationem ad actionem prauam vagè in natura rationali considerare possumus non secundum intrinseca solum inspecta, sed, vt debitis omnibus ipsi naturæ iure, & connaturali ipsi prouidentia, ornata, & constituta; in quibus non solum decretum Dei concurrendi cum ipsa, sed pleraque alia continentur : ita eam Pelagiani, & Semipelagiani considerabant, dum viribus naturæ, vel fidem, & iustificationem, vel saltem eius initium, vt postremi asseruerunt, ex puris naturalibus, seu naturæ nostræ rationali debitis absque vllo gratiæ, vltra debita naturæ, Dei adiutorio nobis obtineri aberrarunt : contra quos, Augustino duce reliqui Africani Patres in eius nationis Conciliis, & scriptis peculiaribus pro Catholica necessitate gratiæ Dei ad rectè, & meritoriè operandum decertarunt.

2. Horum verbis male intellectis, & erroris alterutrius memorati perculsi metu in alium extreme oppositum alij incidere, cum iam explorato damnati de eo Hæretici Vviclefistæ, Caluiniani, & eorum reliquiæ, Baiani, & Iansenistæ, asserentes : donum Dei vltra naturæ debitum ad rectè, & meritorie operandum, ex parte actus primi requisitum efficax natura sua, & connexum cum consensu esse debere; quibus voce saltem tenus Dominicani præfinitores (de sensu viderint alij) consentiunt, vt ostendimus d. 1. satis fusè : Cæteri scholastici donum Dei, vltra naturæ debitum ex parte actus primi ad honestè, ac meritorie operandum de facto Dei gratiæ adiutorium necessarium esse fatentur; ast non ita de se cum honesto, & meritorio, seu conducente ad vitam æternam opere connexum, vt cum eius omissione componi natura sua nequeat. Hæc omnia fusè ostendimus d. 1. Cæterum inter ita (citra dubium Catholice) censentes, dubium adhuc est, an quodvis opus bonum morale præcisè, quà tale de se vitæ æternæ meritorium, atque ad eam conducens sit; ac proinde, ad quod Dei gratia, & adiutorium, vltra naturæ debitum, requiratur? Vasquianis omnibus affirmantibus; negantibus verò cunctis Soaristis, & absque vllo censuræ periculo vtrisque. Dubium item, & vtrinque controuersum duabus hisce scholis est; an gratiæ auxilium hoc ad rectè operandum necessarium supernaturale, quoad substantiam, esse debeat, vt Soaristica putat? an satis sit illud supernaturale, quoadmodum esse? vt censet Vasquiana? Cæterum vtrique scholæ conuenit necessitatem posito etiam auxilio sufficienti) ad peccandum, & actionem prauam mortalem, vel venialem, siue determinate, siue vage pro hoc instanti, vel pro diuturno, & longo tempore, consequentem esse, & quæ, siue ad breue, siue ad longum tempus ex Dei priuilegio, & misericordia speciali donandi auxilium quod habiturum effectum resistendi. Quantumvis viuidis prolixisque tentationibus prænouerat, auferretur: quoniam vero ad longum tempus, & in tot occasionibus, dæmonumque malis artibus, & tentationibus valide infirmitatem nostram impellentibus semper resistere difficile valde est, nec pro eis omnibus, nisi raro, atque è prouidentia Dei specialissima efficax auxilium adsit, moralis necessitas, quæ ex tentationis, & impulsionis magnitudine, frequentia, & nostra fragilitate, atque ordinaria Dei prouidentia, non autem ex rarissima illa peculiari, atque æstimari prudenter debet) iustis omnibus (Matre Virgine excepta,) actionis prauæ venialiter vagè saltem, ad longum tempus admittendæ, impiisque diutius in mortali iacentibus mortalem etiam aliquam denuo ad tempus longum incurrendi, moralis necessitas à Theologis meritò, & communiter asseritur.

3. Cæterum, etsi naturæ rationalis ius auxilium efficax ad rectè operandum, & ad tentationes vincendas non exigat: quare, & in eius donatione pro quavis occasione gratia Dei, & pro omnibus, atque ad tempus longum maxima necessario intercedat attamen vt inefficax atque non habituta resistentiæ, aut rectæ operationis effectum cognoscetur, à Deo tribuatur non exigit, etsi eius donatione Deus naturæ rationalis debito satisfaciat: quia intrinseca auxilij sufficientis

sufficientis entitate potentem absolute illam recte moraliter operari, & tentationibus contra morales virtutes agendi resistere in actu primo constituit, quod rationali naturæ secundum naturalia consideratæ, vt summum, debet non autem illam potentem in actu primo ad supernaturales, & Theologicas virtutes absolute constituere. Notata præ oculis ad præsentis difficultatis decisionem habenda; postremum hoc præsertim, ex quo in primis claret: longe aliud esse non posse naturam rationalem in puris naturalibus relictam nisi mendacium, & peccatum, vt Patres, & Concilia asseuerant, quia auxilia quæ sufficientia sunt vltra naturæ debitum non sunt; aliud ea vt sufficientia deberi rationali naturæ. Illud enim solum probat eius exigentiam, & ius naturale ad auxilia efficacia non extendi: hoc autem vlterius, solum inefficacia, qua talia determinate, & positiue exigere, quare in donatione efficacis, quà efficacis non solum supra, sed contra ius naturale, & exigentiam naturæ rationalis fieret, eiusque proinde abusus foret: quod nisi absurdissime dici nequit. Claret inde secundò: non satis æcte à nostro Ruiz iudicari difficultatis huius decisionem (affinitatis saltem iure) ex necessitate gratiæ ad rectè, meritoriè, & conducenter ad vitam æternam operandum, resistendumque, longo præsertim tempore, tentationibus pendere: vt tantum, qui hanc docuerint posse negatiuam in præsenti difficultate conclusionem defendere; quasi nequeat esse gratiæ supernaturalis Dei necessitas ad prædicta, nisi in natura determinatæ exigentiæ, ad auxilium sufficiens, quà sufficiens, quare & ad peccandum; cum absque ea naturali determinatione sola negatione naturalis exigentiæ, & iuris ad auxilium efficax, qua efficax, & peccare, ex naturalibus possit, licet non debeat; gratiaque supernaturali, quo ad modum saltem egeat, cum, vt non peccet, tum, vt honeste, adhuc intra virtutes morales, operetur.

4 Constat subinde tertio inaniter pro hac sua æquiuocatione, & illegitima consequentia induci propositiones 28.29 30.& 61. Machaelis Baij damnatas à Pio V. bulla edita anno 1567 confirmata à Gregorio XIII. anno 1579. de impossibilitate recte operandi absolute, quare adhuc moraliter, & ad vitandum peccatum vllum viribus naturalibus arbitrij. Tum quia, vt hæc, non nisi ex Dei gratia, creatum arbitrium possit, iure naturæ ad peccandum, adhuc vage determinatum creatum arbitrium non esset: vt inde Ruiz inferri contendit: Tum, quia eæ propositiones secundum se,& proprio aliquo sensu non damnantur vllamue merentur Theologicam censuram, vt eadem bulla testatur de aliquibus ibi damnatis, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, quem num.2. notauimus, & alium, quem Baius propositione 58.59.& 60. ex damnatis explicuit (nempe gratia Dei, non solum auxiliante, sed & formaliter iustificante opus nobis esse, vt tentationem quamuis superare, atque morale bonum quoduis exercere possimus damnatæ sunt. Porro in illis non damnatis, vt sonant, & proprio aliquo sensu, præfatas quatuor contineri constat: quia earum pleræque, & quibus reliquæ æquiualent, & Patrum, & Conciliorum sunt, expressæ, & post satis notam Pij V. Bullam eiusque à Gregorio XIII Confirmationem à plurib⁹ Catholicis Doctoribus (in quibus Eruditissimus, Profundissimusque Theologus Vasquez noster cum docta schola sua) defensantur, vt videbimus tom.1. de Ente supernaturali? vbi, & subtilia plura iuxta eius principia de necessitate auxiliantis gratiæ discutiemus; quale illud est, an potestas absoluta in actu primo ad operandum recte, intra moralem adhuc, honestatem, gratiæ auxilio, solum quoad modum eius entitati extrinsecum, sufficienter constituatur, quod ex insinuto indisputatum inuenio. Atque illud: an minimum entitatiuè sanctæ cogitationis, & auxilij gratiæ Dei disputari debeat, an naturæ? qua in re strenuè laborauit genio, & ingenuitate Doctor insignis noster Gaspar Hurtado tom.2. in 1.2. quem, & à nostris, & ab externis, etiam Senatu Regio typis approbatum superioris cuiusdam post tanti viri obitum in Curia, & eius, penes quem vestium Collegij Complutensis, (vbi obiit ille) ignorantia magno rei Theologicæ dispendio absumpsit: erant enim in tomo illo (qui vnus Doctoris huius Theologiæ defuit) sensa peculiaria non pauca. Huic tamen ipsius de gratiæ auxiliantis minimo Authoris huius sententiæ tomi illius absumptio non obest, eius quippe mentem, & ex ipso & eius Superiorum iussu censore, & approbatore Magistro meo Didaco Daza accepi, callui, & forte ex propriis auxi: illud denique. An notitia legis quatenus ad inducendam obligationem præcise conducit gratia Dei, ac subinde per Christi merita debeat haberi: qua in difficultate eruenda versandaque memoratus nuper meus, & Magnus Magister Didacus Daza, strenuam, siuoque ingenio, & eruditione dignam operam nauauit. Denique an sufficiens præcise potestas bene intra moralem honestatem operandi naturæ rationalis debita excedat. Hæc nostri Vasquez doctrinam dilucidam reddent & ad præsentis difficultatis expeditionem clariorem præmittenda oportune fuere: iam ad eius decisionem veniamus.

5 Sit vnica conclusio: implicat rationalem creaturam, ex generali concursu, eiusque decreto ad actionem prauam vagè, hanc, vel illam, prædeterminatiuè præfiniri: consentio nostro Didaco Ruiz de Montoya citata d.40. de volunt. sect.3. à num. 10. neque vllum ex nostris non consentire in ea conclusione reor; imò neque vllum ex antiquis pro oppositа ab eodem Ruiz relatis à num.5. ad 10. nempe Gregorium in dist. 26. quæst.1. & 2. fine & d.29.q. vnica art.2. pag. vlt. qui ob originale sub mero generali concursu relinqui cum ea vitandi peccata impotentia. Maior. quæst.28.tota quæst. 1. maximè à conclus.2. & ad 17 argumentum §. *ad formam* & in 1. distinct.1. quæst.3. sub init. quæst. 15. med. Roffens. contr. Luther. art. 39. vers. med. §. *Neutrum sane potest*: ac inter med. & in fin. §. *Quanquam ex disputatoribus*: & circa fin. §. *verbosus vtique*: qui asserunt aliquot homines in actualium etiam pœnam, ita ad tempus cum solo generali concursu insufficienti ad vllum opus morale simpliciter bonum remanere, denique alij, qui ita à Deo sub solo concursu generali insufficienti ab bene operandum, & peccata vitanda relinqui hominem posse fatentur, vti Marsil. in 1.p. 20. art.3. ad 3. maxime propositione 4. & 5. ac fine q. & in 2. q. 17. art.3 ad 3. rat.1. contr. secundum suppositum Capreol. d. 28. quæst. vnic. art.3. post med. ad 2. contra 4.Conclus. & ad 15. & d.29.quæst.vnic.art.3. col.1. fin.Deza ibi quæst. vnica art.1. conclus.2. & art.3. notab.4. ante med. & art.4. & ad 11. controu.2. conclus. & ad 5. contr.3. Castro verbo gratia, hæresi 1. probat.3. conclus. col.4. & 5. Angest.1. moral. cap.13. docum. 10. Martin. Magist. tract. de perseuer. tota quæst.3. Dionys. Cysterf. in 1.d.17. quæst.1. art.1. fine,& in 2.d.24. quæst. vnica art.2. conclus.1. & 4. Abulens. in cap. 19. Matth. 174. aliqua interserit vt eandem peccandi necessitatem sub solo generali Dei concursu creaturæ rationalis videatur asserere, etsi ad 4 & 5. & quæst.175. snb init. & 178.ad 3. oppositum expresse doceat: verum vt ex notatis nostris claret impossibilitas recte operandi, & vitandi peccata absque speciali Dei gratia, non infert eam determinationem ex Dei concursu generali prouenire, etsi ipse, vt praue operetur rationalis creatura necessario intercedat. Secundo generalem concursum non physicè influxiuum ex parte causæ primæ vniuersalis Dei in creatas actiones, sed prouidentiam solum naturalem debita reliqua ad operandum requisita vltra Dei etiam concursum apparantem hi Doctores intelligunt: quare extra intentam decisionem loquuntur. Tertiò: si auxilium sufficiens, vt absolute recte operari, & tentationes vincere possimus, iure naturæ debeatur, necessitas illa vage peccandi hominem physicè solum loquendo, consequens solum erit: quare nec physicæ prædeterminationis ex Dei generali concursu (de qua solum est quæstio) imò ex integra ac tota generali Dei prouidentia. De morali verò necessitate nihil hic quæritur.

6. Probatur ergo conclusio quia præfinire prædeterminatiuè Deum actionem prauam vagè; siue hoc, vel illud peccatum absolutè est velle efficaciter, vt actio prauà, vel illa absolute sit, ac subinde vt absolute sit aliquod peccatum: hoc autem, vt causis secundis de necessario ex parte sui concursu prouideat necessarium non est. Ergo ex generali, & debito ex parte Dei creaturæ

rationali concursu non potest ita præfinire; nihil enim concursus vltra debitum creaturæ rationali voluntate generali concurrendi à Deo amatur, nedum præfinitur. Secundò: nec Deum decet ita velle actionem prauam præfinire; siquidem iam actionem prauam vellet; imò totum, quod in indiuidua quauis earum actionum prauitatis est (si æque ille prauitatis, & quoad extensionem, & quoad intensionem, & modum sint) prorsus Deus ea præfinitione vellet: cum tantundem, nihilque magis prauitatis in vna actione, quam in alia sit. Tertio, quia, si iuxta debitum connaturale naturæ rationalis ea præfinitio prædeterminatiua esset, vti concursus generalis, eiusque præfinitio esse debet, natura illa rationalis ad prauam illam actionem vage determinata de se foret, qui error Manichæorum, & aliorum est: contra quos Patres supra certarunt. Neque enim ad actionem prauam hanc in indiuiduo, & non aliam determinatam de se creaturam rationalem esse & à Deo produci, & condi Manichæi, & assectæ somniarunt. Quartò ex parte efficaciæ præfinitionis huius, & concursus prædeterminatiui, quem concernit aliæ eius repugnantiæ accedunt siue generalis, siue specialis is concursus sit: quare eas certam. 2. persequemur. Porro quæ contra hanc conclusionem opponi possent ex prænotatis pro difficultatis explicatione, & decisionis claritate euanescunt.

CERTAMEN II.

De difficultate secunda definitur.

1 IN iam explicata difficultate prima Recentiores aliquot prædeterminatiuas præfinitiones ad materiale peccati in particulari explosas hactenus pertæsi, nihilominus ad materiale peccati vage, hoc, vel illud, in communi siue generice, vel intemperantiæ, vel odij, aut furti, siue specificè huius scilicet, vel illius actus intemperantiæ, aut homicidij speciei omnino eiusdem posse aliquem prædeterminatiuè præfinire censent. Eos ignominatim refert noster Ruiz d. 40. sect. 6. cum fundamentis inferius subjiciendis, & eruendis: ipse verò à num. 5. duplici conclusione aduersam Sententiam suam proponit, explicat, & confirmat. Nobis autem, quibus eadem Ruiz nostri sententia prorsus placet, triplici conclusione, explicatius adhuc tradenda videtur, & confirmanda; etenim speciale hoc decretum de actione praua vage potest exagitari relinquendo reliqua intra connaturalem prouidentiam, & communem Dei respectu rationalis creaturæ, vel eam etiam immutando; ac rursus potest adhuc immutata naturali, & communi prouidentia quoad reliqua cogitari prædeterminatiua præfinitio actionis prauæ huius vel illius vage, & in communi generice solum, vel speciei infimæ eiusdem, vt diximus quæ diuisio præmittenda primæ huius difficultatis resolutioni necessario est: quia, etsi vniuersim negatiua sententia, vera nobis, & tenenda sit; ast quouis trium horum casu speciales habet probationes, vt patebit præter generalem rationem, quæ eos omnes casus complectitur.

2 Prima conclusio: immutata, quoad reliqua, prouidentia Dei communi, & naturali erga rationales creaturas implicat Deo prædeterminatiua præfinitio materialis peccati, seu actionis creatæ prauæ vage huius vel illius. Probatur immutata quoad reliqua prouidentia communi naturali erga creaturas rationales ea præfinitio rationis creatæ vagè ponit in Deo præfinitionem materialis peccati, & actionis creatæ prauæ huius determinate & in particulari: hæc vt ostendimus, & aduersarij fatentur Deo repugnat. Ergo immutata de reliquo communi, & connaturali Dei, erga creaturas rationales prouidentia, præfinitio actionis prauæ siue materialis peccati vage Deo repugnat, discursus certo & inoffenso currit. Major probatur in connaturali, & communi Dei erga creaturas rationales prouidentia indiuiduatio actionis ignota est, nusquamque proinde permissa electioni creaturæ rationalis, sed puri arbitrij diuini pro suo nutu statuentis, vt casu quo creatura ad actionem huius generis vel speciei arbitrio suo moueatur, hoc actionis indiuiduum illius generis vel speciei eliciat, ac non aliud: quare huius præillo voluntati creatæ electio non adest, Dei prouidentia, quam immutatam conclusio supponit; Accessu autem præfinitionis generis, seu speciei, huius, vel illius actionis prauæ, etiam quoad genus, vel speciem electio voluntati creatæ non relinquitur; sed etiam prædeterminatiuè præfinita actio praua, & materiale peccati à Deo est, atque ad illam creata voluntas necessitata; ergo ad totum, quod indiuidua actione praua commune, & indiuiduale apponendum à creatura est prædeterminatiua præfinitio Dei adest, duplici Dei decreto, & præfinitione compacta, nempe ex immutata Dei prouidentia connaturali, & communi erga rationalem creaturam, quoad indiuiduationem, & præfinitione prædeterminatiua, quoad communia actionis prauæ, seu materialis peccati apponendi: quod & æque Deo turpe, & absurdum est, æqueque creatæ voluntatis in eius appositione libertatem abolet, ac si decreto seu præfinitione vnica indiuum totum, & quoad communia, & quoad indiuiduationem actionis prauæ, seu materialis peccati prædeterminatiuè præfiniret Deus vt de se claret. Quocirca præcipuum aduersariorum fundamentum de seruata creatæ voluntatis libertate absolutè circa indiuiduam actionem prauam, & materiale peccati, ex sola indiuidui electione ipsi per præfinitionem de actione praua vaga, & in communi relicta (quod ex vi eius præfinitionis solum verissimum est) in casu conclusionis huius primæ de immutata communi, & naturali Dei erga creaturas rationales prouidentia nullum locum habet.

3 Sit secunda conclusio, etsi ex insueta, & extraordinaria prouidentia Deus indiuiduationis actionum prauarum notitiam creatæ voluntati præroget, atque subinde prauæ huius actionis in indiuiduo præ alia electionem eius arbitrio, & libertati permittat, nequit actionem prauam seu materiale peccati, hoc scilicet, vel illud prædeterminatiuè præfinire. Probatur: quia ea præfinitio, qua volitio est in actionem prauam tenderet, vt prauam materialiter, ac subinde interpretatiuè prauam formaliter & peccatum, quod vt diximus non nisi interpretatiue per expressam materialis peccati volitionem potest, adhuc à creatura amari: ergo esset turpis, & Deum dedecens præfinitio. Secundò: quia vt quæst. 3. cent. 4. n. 5. quodvis decretum de operatione quauis diuinctim, & vage, hac scilicet, vel illa duplex conditionatum connet, nempe vt si vna indiuidua actio absoluta non apponatur, & absit, altera apponatur: atqui implicat amare, velleque Deum, adhuc inefficaciter, & prædeterminatiua præfinitione, materiale peccati expressè, & implicite eius formale, & peccatum sub conditione vlla; ergo & prædeterminatiue præfinire actionem prauam, seu materiale peccati vage hoc vel illud. Tertiò inde. Conditionata ex parte obiecti voluntas cogit purificata conditione ita volentem, vt quod sub ea conditione efficaciter voluit, efficaciter absolute velit: ergo, si altera actio praua indiuidua, ex duabus v. g. vage prædeterminatiuè à Deo præfinitis ex libertate contradictionis à creata voluntate (vt fieri potest) omittatur, alteram indiuiduam absolute efficaciter Deus, necessario prædeterminatiuè præfiniet; atqui hoc repugnare Deo tota hac disputatione demonstrauimus, ergo, & Deum prædeterminatiuè præfinire actionem prauam, seu materiale peccati vage.

4 Quartò ex parte prædeterminatiui concursus Dei, quem actioni prauæ prædeterminatiuè præfinitæ, licet vage, concernit. Probatur conclusio, quia, etsi vi sua præcisè non prædeterminet hanc indiuiduam prauam actionem, tamen, vt hanc, vel illam apponat debet voluntatem impellere, ac proinde alterutram causare, etsi subiuncta etiam praua determinatione voluntatis: Quare à fæditate causæ, & authoris peccati non purgaretur. Sicuti nec impius actionem alteri suadens prauam, & dimon eum ad illam tentans, etsi neuter eum ad illā in- diuiduo suasione aut tētatione irresistibiliter determinet. Quinto ex parte eiusdem prædeterminationis, & concursus connotati. Etenim concursus prædeterminatiuus, cum operatio Dei physicè, & determinate connexa cum

eum actu prauo sit, nequit esse cum hoc, vel illo vage : vagum quippe intentionalis mentalis suppositio inducit, & tenere potest motus intentionalis, qui ea ducitur voluntatis, non autem physica operatio & concursus. Quo circa præfinitio illa, si prædeterminatiua sit, debet respicere & concernere non vnam sed duplicem Dei prædeterminationem disiunctim, vel hanc ad vim indiuiduam actionem prauam, vel illam ad aliam actionem prauam, in indiuiduo : quo fiet, vt licet Deus liber maneat ad hanc prædeterminationem suam, & subinde indiuiduam hanc etiam actionem prauam nostram apponendam : nos autem minimè, sed quamuis earum ex prædeterminatione Dei irresistibili apposituri simus, quandocunque eam apponamus; ac proinde neutram à nobis libere apponi posse, vt aduersarij eenisebant. Quod si dicas prædeterminationem ea præfinitione connotatam ferri in actionem prauam in communi, ac proinde vnam solam respectu indiuiduorum sub illa contentorum esse posse : iam impugnatus in simili de indiuiduis actionibus vage sumptis es Nulla enim operatio, imo nec realis physicus respectus, præcisiuus ex parte sui termini esse potest. Id enim solius operationis, & respectus intentionalis intellectus, & voluntatis est proprium, apud Philosophos, & Theologos omnes.

5. In tertio verò casu, quo praua actio vagè à Deo prædeterminatiuè præfinita, hæc nimirum, vel illa eiusdem speciei infimæ in genere prauæ actionis foret, vrgentius eius repugnantiam probari æstimat citatus noster Ruiz §. *Dico secundò n.6* quia, cum solam indiuiduationem actionis prauæ, in qua præcisè sumpta nihil malitiæ est, liberæ electioni, & operationi creatæ voluntatis relinqueret, sibique, ac prædeterminationi suæ prædicata omnia communia vsque ad vltimam specificam differentiam reseruaret; quorum singulis sua malitia, & omnibus coniunctim, tota indiuiduæ prauæ actionis malitia respondet : quadam malignitatis auaritia voluntati, & operationi suæ totam prauitatis in actionibus indiuiduis à se vage præfinitis, & volitionem, & effectionem sequestrasse videretur, & nihil eius, siue volendum, siue efficiendum voluntati permitteret creatæ, & quidem speciosam argumenti huius pietatem recognosco : quatenus verò nullius malitiæ, siue volendæ, siue efficiendæ electionem, & potestatem creatæ voluntati relinqui asserit (quod ad intentam auaram sequestrationem malignitatis necessarium erat) efficaciam non recognosco. Etenim ex sola indiuiduæ actionis prauæ electione voluntati creatæ eiusmodi præfinitione permissa totum indiuiduum, secundum omnia prædicata actionis prauæ generica, & specifica apponere voluntati creatæ permittitur, eo quidem modo, quo in rebus apponi illa possunt. Siquidem prædicata communia secundum se, & præcisè sumpta, nec factibilia, nec apponibilia in rebus sunt; sed solum in aliquo suo indiuiduo à quo reipsa non differunt, nec possunt realiter differre, & extra quod, & seorsim fieri nequeunt; cum physica effectio vlla præcisiua ex parte termini sui prorsus repugnet : idcircò ex necessitate antecedenti ad aliquod virtutis indiuiduum (quemadmodum ex omnimoda antecedente impeccabilitate humanitatis Christi ad aliquam præceptæ mortis acceptationem in eius humanitate Controu. de Incarnat. admissimus) in cuiusvis indiuidui, præ alio, prorsus adhuc æquali, & virtutis illius honestatem exerceri, eiusque laudabilitatem, & meritum obtineri cum nostro Valquez, & aliis docuimus, illud autem specialioris absurdi in prædeterminatiua præfinitione indiuidui vagi specie infimæ actionis prauæ intercederet : quod ad omnes titulos prauitatis indiuiduæ actionis, ac proinde plures, quam si generis, aut speciei intermediæ, non curata specie infima, vage indiuidua actio præfiniretur volitio & prædeterminatio Dei se extenderet : verum siquidem est totam actionis indiuiduæ prauitatem, & oppositionem cum virtute, & lege ex prædicatis suis specificis, & genericis formaliter prouenire; quin indiuiduatio (cæteris quoad intensionem, & modum paribus) aliquam prauitatis rationem de suo formaliter afferat, ac prauæ actionis supponat.

6 Iam aduersariorum vniuersim eius prædeterminatiuæ præfinitionis actionis prauæ vagè possibilitatem contendentium infirma fundamenta sunt. Primum, quia ex ea præfinitione illæsa manet creatæ voluntatis libertas : ergo ipsi, ac nusquam Deo, actio praua ab eo posita imputaretur. Antecedens falsum esse ostendimus probatione primæ, & secundæ conclusionis, eoque permissa malam esse consequentiam constat ex probatione conclusionis secundæ num.4. & aduersarij ipsi malam esse supponunt, dum permissa libertatis creatæ illæsione per prædeterminatiuam materialis peccati in indiuiduo præfinitionem Deum nihilominus, & eius causam fore, & subinde peccati authorem nobiscum contendunt. Secundum, quia Deus plures homines vim talibus circumstantiis de facto creauit, vt longo tempore infallibile sit in peccatum lapsuros; nec dubium est, quin in eis circumstantiis hominem in puris naturalibus condere potuerit : quin & eas circumstantias apponere, vt de facto infallibiliter labatur statim; vti Holoferni cōtulit victorias, & potentiā, & Iudith splendorem, & suauiloquiū, quibus in superbum, & libidinosum erga illā affectum illico infallibiliter laberetur; ergò & poterit Deus prædeterminatiuè actionem vagè prauam, non solum ad tempus longum, sed & pro aliqua determinata duratione absque vlla sui indecentia præfinire. Respondetur tamen infallibilitatem lapsus vel longo, vel etiam aliquo determinato tempore, ex vi natiua, determinationeque, & destinatione circumstantiarum, in quibus rationalem creaturam condidit, quasve ipse produxit, producereve Deus potest, absolute; ac necessitate physica antecedente lapsus ita, vt non esse lapsus nequeat esse non posse; sed potius per se, & Dei intentione, ad bonas operationes destinari, etsi per accidens ex infirmitate, & malitiæ notæ ab vsu, dæmonumque tentatione infallibilitate morali effectum lapsus habituræ sint : quia ita impellunt, vt nemo, vel fere nemo, lapsurus non sit præ resistendi difficultate; etsi resistere absolute omnes, & singuli absolutè possint. Inde constat Deum neque voluntate eas producendi, ne earum aut hominis in eius productione velle, causareue peccatum. At verò si actionem prauam adhuc vagè prædeterminatiuè præfiniret, in eam directe, & per se Dei tenderet volitio, vt patet, & prædeterminatio, quam ea præfinitio concernit, non potest non in actionem prauam directe tendere, ac natura sua, & per se destinari : quare, neque à causalitate peccati Deus excusari. Ac demum ea prædeterminatiua præfinitione actionis prauæ vagæ, libertatem de facto in neutrius appositione creatæ voluntati relinqui, dicebamus n.4.

CERTAMEN III.

Difficultas tertia expeditur.

1 CIrca secundam difficultatem de præfinitione actionis prauæ vagè ob decretum Dei subtrahendi generalem suum concursum ad omnem actionem omni ex parte, & absolutè honestam, solumque concurrendi ad actionem, quam velit voluntas prauam possibilem esse præfinitionem eam; imò respectu dæmonum, & reliquorum damnatorum de facto dari, atque ideo neminem illorum bene simpliciter & absolute operari posse docet expresse Marsil. in 2. quæst. 5. art. 3. maxime notab. 5. & ad rationes contra quæsitum, cui doctrinæ consonat quæst. 16. art. 5 Refertur pro eadem sententia, quasi affine quid docuerit, Ægid. in 2.d.7. quæst. 1.art.2. maxime col.6 §. *ex eo ergo* : & fine corporis ante solutionem, & solut. ad 1. dicens impetus ad benè operandum requisitos dæmonibus denegari. Verum, cum hic concursum Dei præuium impellentem ad bene operandum non admittat, sed comitantem solum, & comitantem identicè creatæ voluntatis operationem, quæ ad se ipsam impetus esse nequit; impetus, quem dæmonibus ad benè operandum denegat nomine concursum Dei non potest intelligere : quare potius æstimo ea voce intellexisse Ægidium subitum, & inde liberatum delectationis motum voluntatis in bonum, quod ad sanctæ cogitationis, & vocationis, seu auxilij ex parte actus primi congruitatem

ratem aduocare visus Augustinus non immerito fuit nostro Vasquez, cuius eruditionem de auxilij efficacia agens tom. suo in 1. p. transcriptione honorauit Ioann. Gonzal. Albelda, eam porro vagam determinationem ad prauam actionem ex subtractione generalis concursus ad bonum possibilem expresse fatetur, imo inde in damnatis omnibus prouenire expresse docuit noster Molina 1. p. q. 64. a. 2. dub. 2. §. *relicto*, & §. *dubium*.

2 Ne verò difficultatem generalem à speciali materia abstrahentem, atque ita propositam aliis, quæ ex speciali materia voluntatis creatæ difficultatibus in materiæ, & status conditione specialis subortis implicemus; videlicet voluntatis Angelicæ, quam quidem natura sua ita ab eo, cui se semel applicuit immobilem esse plures volunt, vt perseuerantia, seu in malo admisso obstinatio, naturalis ac necessaria sit, sed ea sane neque ad peccatum aliquod vage admittendum, de quo disputamus, necessitas est; sed permanendi in semel admisso: quare, & impœnitentiæ de admissis necessitas, ac pœnitentiæ impossibilitas; insuper, neque ex decreto Dei de subtractione concursus, sed ex naturali inflexibilitate Angelicæ voluntatis, igitur noster Ruiz sect. 5. censet eiusmodi necessitatem ex decreto subtrahendi generalem concursum ad opus omne simpliciter, & absolutè bonum cum rationali aliqua creatura esse impossibilem: quare nec inde necessitatem male operandi in damnatis à Patribus & Scholasticis assertam prouenire: Probat, quia concursus à summo bono procedens dirigi semper ad ipsum summum bonum & dirigere quatenus ex se est, & inclinare creatam voluntatem: atqui sic limitatus concursus solum dirigeret de se, atque inclinaret creatam voluntatem ad malum, siquidem ea limitatio efficeret, vt nusquam destinaretur, dirigeret, atque inclinaret concursus diuinus ad bonum creatam voluntatem; sed solum ad prauam actionem, ad quam solam decerneretur; ergo decretum ita limitans concursum diuinum est impossibile.

3 Sed tamen rationi huic, non acquiesco in nulla enim opinione vim habet, siquidem Deus decreto illo non concurrendi necessario concursu ad vllum opus bonum, non decernit concurrere ad praua opera pro libito voluntatis creatæ; sed nec alio, quo intendit quidem, vt voluntas creata superet tentationes: ac proinde, qua parte decretum concurrendi est, vt libertatem eius voluntatis seruet, quantum de se est, non actionem eius prauam; sed resistentiam tentationi ex motiuo, quovis indifferenti ac non inhonesto (vt resisti potest) intendit; qua vero decerneret non concurrere ad actionem aliquam bonam, sed præcisè ad actionem prauam decreto illo nec dirigit, nec inclinat creatam voluntatem; sed tantum iure suæ libertatis & dominij supremi ad concursum præstandum, vel secus voluntati creatæ ad quemvis vel plures; imò omnes eius actus efficiendos vtitur, idque honestissimo titulo, & fine præstare Deus potest, etiamsi diuini concursus in voluntate ad suas operationes non indigentia solum, sed exigentia, & naturale ius adesset: vnde patet in toto hoc coniuncti huius ex decreto concurrendi cum voluntate quavis creata ad actiones prauas, & non concurrendi cum voluntate quavis creata ad actiones prauas & non concurrendi cum illa ad actionem vllam vndequaque, simplicitérque & absolutè honestam nullam esse, quatenus ex parte eorum decretorum & Dei est, inclinationem, vel directionem creatæ illius voluntatis in malum; sed solum ex decreto non concurrendi ad actionem vllam absolutè bonam non esse inclinationem ex parte Decreti & Dei creatæ voluntatis ad bonum, quam illi decernere, & dare non tenetur; sed potest Deus honestissime pro libito subtrahere: qua vero concursum suum indifferenter offert ad actionem prauam vt pro suo libito voluntas vtatur tentationis victoriam (citra honestatem quidem, & malitiam) intendit: quod si dicas concursum decretum à Deo ad actionem prauam vage esse physicè prædeterminatiuum iam ex positiuo hoc concursu eiusque decreto, non ex decreto subtrahendi concursum ad omnem actionem bonam, ea prauè operandi vage (de quo præsens est difficultas) necessitas erit, necessitatem enim illam ex decreto positiue concurrendi prædeterminatiue ad actionem prauam vage cert. 1. & 2. explosimus.

4 Nec magis præstat ex decreto non concurrendi ad actionem vllam bonam, & concurrendi ad prauam inferri voluntatem solum posse praue operari quandocunque operetur. Primo enim eis etiam positis poterit indifferenter operari: quod si decretum non concurrendi ad actiones etiam indifferentes extendas, adhuc necessitas absoluta non inducitur, sed solum conditionata; si omnis voluntatis operatio non suspendatur: vt fors naturaliter, certè ex Dei absoluta potentia fieri potest. Quare, & hæc Dei voluntas absolutè possibilis de suspensione omnis actus à voluntate creata illa debet adiungi, nec decretum non concurrendi ad actionem bonam neque ad indifferentem, & concurrendi ad prauam sat erit, vt ea necessitas absoluta praue operandi vage à Deo inducatur: insuper cum libertas physica pro singulis, & omnibus indiuiduatim actibus prauis omittendis voluntati illi per hosce relinquatur, facilis apprehensioni, & explicationi minime est ad aliquam vage ex decreto illo non concurrendi ad actiones bonas, & indifferentes, & altero concurrendi ad prauas inducta à Deo, quatenus ex ipso est physica ad actionem aliquam prauam necessitas; sed vt summum moralis erit: quæ ex difficultate superandi tentationes omnes prudenti æstimatione iudicatur; cuiusmodi in ordinaria prouidentia cunctis aduenialiter aliquando, vitæ adultæ tempore, atque impijs diu mortali in dormientibus ad mortale aliquod denuo admittendum explicabamus certam, cuius ratio est: Nam physica connexio, nec ad inducuum vagum, neque ad prædicatum aliquod commune esse, terminatiue realiter potest: quare præfata nostri Ruiz ratio conclusionem efficaciter non probat.

5 Sit tamen conclusio prima. De facto (ne in damnatis quidem) ex decreto subtrahendi concursum generalem ad omnem honestam actionem physica ad praue operandum vagè necessitas non inducitur. Conclusio contra Molinam expressa est. Pro ea vero militat noster Ruiz citatus num. 10. & 11. S. Thom. 1. part. quæst. 64. artic. 2. corp. & ad 5. & clarius quæst. 16. de malo, art. 5. ad 2. scribens: *Deus est causa status Angelorum, in quo sunt obstinati in malo, non quidem sicut causando*, denuo malum, *vel conseruando malitiam*, physice, *sed, sicut non impertiendo, gratiam: sic enim dicitur aliquis indurare*: quibus gratiæ, non autem concursus generalis denegatione impœnitentiam, & peccandi denuò necessitatem Angelis, & subinde damnatis reliquis obuenire docet; & si ad naturalem immobilitatem quoad obstinationem in malo vlterius videatur recurrere: quod de absoluta physica voluntatis Angelicæ immobilitate à malo in bonum placere mihi nunquam potuit, vt suo loco ostendam; sed quatenus ad concursum generalem damnatis ad recte operandum non negatum (quod præsentis solum instituti est) sed gratiæ solius, placet omninò, atque expresse asseritur à Damasceno Dialogo contra Manich. vers. fin. aiente: *Quin Deus diabolo quoque semper bona præbet*, (quatenus ex parte Dei est, vt immediate de nobis pro hoc statu dixerat) *verum ille accipere recusat; atque in futuro æuo Deus omnibus bona fundit; at vnusquisque, prout capacem se reddidit, boni particeps efficitur.* Non ex defectu eius, quod ex parte Dei requiritur; ac subinde, nec generalis concursus defectu non bene, sed male diabolus, & damnati operantur: imò nec sufficientis auxilij subtractione, sed eorum & propriæ voluntatis abusu, atque malitia; etsi vt aiebat S. Thom. supererogationis efficacis gratiæ defectu; quæ omnium sententia vltra ea, quæ iure naturæ illis ex parte Dei debentur peccent, ac necessitate morali peccaturi sint: non solum vage, hoc, vel illo peccato, verum aliquibus, quæ supposita cruciatuum acerbitate, aliisque, quæ patiuntur vitare difficillimum ac moraliter impossibile est auxiliis potentioribus, & efficacibus denegatis, quo sensu intelligendi sunt, qui necessitate peccandi in damnatis admissa, libere tamen peccare illos docent, Bonauent. in 2. dist. 7. part. 1. art. 2. quæst. 2. Richard. ibi q. vn. a. 3. ad arg. cont. 2. concluſ. sub med. imo, & bene operari absolutè posse, vt aiunt Scotus ibi ante argument. solut. Basſol. q. 1. art. 3. Durand. q. 2. n. 12. Valent. tom. 1. d. 4. q. 15. punct. 2. sub fin.

6 Et

6. Et hæc probant de facto ex defectu generalis concursus Dei præfinito circa bonum nullam creatam voluntatem adhuc damnatorum ad actionem prauam vage physicè necessitari : quia Dei concursus ad bonum cunctis creatis etiam damnatorum voluntatibus creatis adeò offertur ; sed quæ secundam nostram conclusionem de possibili probabunt ; primam quæ de facto fuit firmiorem reddant. Sit igitur secunda conclusio : Decreto subtrahendi generalem concursum ad bonum eiusque denegatione, nequit creata voluntas ad actionem prauam, seu materiale peccati vagè necessitari determinatiuè physicè ; ita Ruiz noster proximè num. 3. quia repugnat Deum subtrahere creatæ voluntati concursum ad actionem omnem bonam ; confutaui rationem hanc num. 3. ac censeo Deum id posse absque indecentia vlla sua, & exequi, & decernere ; quare aliunde nobis probanda conclusio est. Quia vt ibi attigimus denegatio concursus generalis ad omnem prorsus actionem simpliciter bonam, & honestam non infert Metaphysica, nec physica necessitate actionem prauam, seu materiale peccati vagè ; ergo nec physicè ad illud vagè prædeterminat : ergo nec se ipso prædeterminare ad illud physice potest. Vtraque consequentia est certa. Antecedens probatur : quia oportet concursum generalem oblatum, & reliqua necessaria comprincipia voluntati illi præstita, vt materiale peccati libere eliciat, indifferentia de se sint, vt cum vitatione omnis actionis, cum indiuiduatim, tum vagè, physicè componibilia absolute sint : alioqui penes illa, ac non per defectum concursus generalis ad bonum ea necessitate materialis peccati, siue indiuidui, siue vagè stabit : Adiunge nunc huic Omnimodæ indifferentiæ, & indeterminationi voluntatis illius decretum non concurrendi ad actionem bonam : certè hoc solum addit voluntati illi impossibilitatem bene operandi, seu necessitatem non operandi bene ; nihilque illi de operatione prava, eiusque libertate, & indifferente voluntatis ad eam scilicet eliciendam potestate immutat ; sed, ne recurras ad impossibilitatem voluntatis cessandi ab omni actu, atque actus indifferentis repugnantiam ; ex quibus facta impossibilitate bene operandi per decretum subtractionis concursus ad bonum, prauè operandi, siue hac, siue illa actione prava inferri videtur : Contra est : quia, vt certam. 2. dicebam, necessitas physica actiua ad vagum indiuiduum esse nequit. Secundò, quia, cum actiua potestas indifferens ad omnia, & singula indiuidua est, vti in hoc casu ad actus prauos est, nequit re ipsa esse physica ad aliquem, hunc vel illum necessitas ; sed solum moralis : quia tot, tantisque occasionibus, & tentationibus innumeris, & viuidis fragilitatem creatæ voluntatis nunquam cedere prudenti æstimatione non difficilè modo censetur, easque ea cuasio, quatenus actus indifferentes voluntati creatæ repugnare asserit, falsum supponit.

QVÆSTIO VI.

De præfinitione materialis peccati materialiter sumpti seu creaturæ non imputabilis.

HAc etiam de re ex instituto egit Ruiz noster d. 41. Eam verò diuidit in difficultates duas iuxta duplicem modum, quo imputabile creatæ voluntati non sit. Prima : an possit Deus prædeterminatiuè præfinire actum prauum, seu materiale peccati in indiuiduo se solo illud producturus, quin creata voluntas ad ipsum actiuè concurrat ? Secunda : an etiam voluntate ad illud concurrente actiuè, inculpabiliter tamen, quia absque notitia legis & ex omninò inculpabili, & inuincibili ignorantia illius, aut absque libertate vlla, vt in actibus primo primis ; & in deliberatis sanæ etiam mentis hominibus contingit, atque in aliis pluribus actibus phrenetico, dormienti & ebrio vsuenit.

CERTAMEN I.

De actione praua à solo Deo actiuè producta sententiæ.

1. GRegor. in 1. d. quæst. 2. art. 2. col. vlt. ad 2. quoddam argumentum d. 42. quæst. 1. col. penult. ad 1. contra 2. conclus. in 2. d. 37. q. vnic. col. antepen. ad 5. & d. 7. q. 1. à med. Mai. in 1. d. 17. q. 10. d. 47. q. 1. in 2. d. 7. q. 1. post med. à §. *Contra istud*, (Etsi dubitet, an produci, in voluntate actus ita à Deo possit,) & d. 37. q. 2. ad 2. Almain. tract. 1. moral. cap. 16. clarius in dictatis super sentent. Ruperti, Holcot. q. 2. fine, Holcot ipse in 2. d 4. à fol. penult. maximè sub R. R. Okam in 2. q. 19. Gabriel. in 1. d 42. fine, in 2. d. 7. q. 2. art. 2. à med. & d. 37. q. vn. a. 3. dub. 3. Aliaco in 1. q. 13. art. 2. fine, Mayron in 2. d. 43. q. 4. Capreol. in 2. d. 37. q. 1. art. 3. sub init. Conrad. 1. 2. q. 79. art. 2. ad 3. Caiet. art. 1. Deza in 2. d. 37. q. vn. art. 4. ad 1. contra 2. conclus. Valent. 1. 2. q. 9. d. 6. punct. 1. vers. fin. Supponerequè, vel consequenter admittere videtur Angelus 1. Moral. cap. 4. docum. 4. qui omnes intrinsecè, ac de se se independenter à circunstantiis, alioque extrinseco ipsa prava atque inhonesta (exemplum in actu blasphemiæ atque odij Dei apponentes,) asserunt produci à Deo solo effectiuè posse, tam extra subiectum, quam in subiecto quouis, etiam creata voluntate, solum receptiuè ac non actiuè concurrente (excepto Maiore, qui, vt vidimus aliquando de hoc postremo dubitauit) eiusque actus ita à Deo actiuè producto, & voluntati vnito creatæ hanc physicè odio habiturum esse Deum : æquè, atque subiectum vndequaque actiuè inducta & vnita ipsi albedine album formaliter foret.

2. Porro pro hac etiam sententia extituros reor Doctores omnes, qui censent Deum se solo posse infundere voluntati creatæ habitum vitiosum de se etiam physicè inclinantem ad errorem intellectus, & ad physicam actus praui, vt asserunt Holcot citatus : Vasquez 1. 2. d. 9. cap. 4. num. 11. Herrera in 2. Scoti tom. 2. d. 38. q. 1. à colum. 5. atque apud eos alij, & Vasquez præsertim, qui etiam actus erroris plures, quibus damnati crucientur à Deo speciali prouidentia infundi docet ; tametsi quoad actum à solo Deo potentia vitali non concurrente iudicent impossibile : quod ad difficultatem præsentem materialiter se prorsus habet. Hi inquam omnes si in præsentis difficultatis examen incidissent consensuros cum ob fundamentum, quo postremum hoc docent, sit, nihil malitiæ imputandum Deo esse ex infusione huiusmodi actuum, & habituum quod æquè in præsente sententia : imò certius, aut clarius saltem inueoitur : Siquidem in præsente assertione, nequit aliquid malitiæ voluntati creatæ eiusmodi actu à Deo solo effectiue indicto, quare neque Deo mali actus, adhuc materialiter, tanquam authori adscribi ; cum sic productus materiale peccati, formaliter tale, non sit, neque esse possit : etenim ex eo quod ex infusione habitus malum inclinantis libertas voluntati relinquatur, secus autem per infusionem actus praui voluntati creatæ nullatenus actiue concurrenti, potius infertur ; infusione habitus Deum materialis peccati, quod ex libero voluntatis vsu potest accidere, causam esse posse, ac de facto esse, eius, quod acciderit : cum inducens, vel physico impulsu, vel moralis suasionis in materiale peccati, vt tentator diabolus, & malesuadus homo, causa, & materialis, & formalis peccati sit, solumque saluari Deus vitiosum habitum infundens ab eorum causatione possit ob finis ea habitus praui infusione intenti bonitatem : nempe maioris victoriæ in resistentiæ eiusmodi inclinatione maiori obtinendæ : quo, & Deum eiusmodi habitus infusione tentatorem non esse diximus suprà ; sed amplioris virtutis excitatorem : eoque sensu Abrahamum tentasse : atque insuper cessant, quæcumque contra possibilitatem infusionis habitus praui fusè persequitur Ruiz sect. 3. à num. 4.

3. Ruiz ipse sect. 1. præsenti difficultati negatiuè respondet. Diuiditatem actiones intrinsecè malas malis so-

lùm extrinsecùs, ex voluntaria, & non connaturali prohibitione, siue naturali etiam ; sed in aliquibus circumstantiis, vt homicidium, vbi defensio propriæ vitæ absit : æstimat enim, quo ad difficultatem primam, ita illas esse dividendas : & quidem, vt id, quod ipse intendit probatione secunda conclusionis apparentius proponatur nonnihil ea diuisio conducit ; at verò nihil re ipsa conducit. Siquidem extrinsecis positis, quibus eæ etiam actiones, quæ de se, & ab intrinseco malæ non sunt, prauæ redduntur, eadem omninò difficultas est, an in illis possint à Deo solo actiuè produci atque voluntati infundi creatæ ? atque an ita produci, & infundi eidem à Deo possint actiones suapte natura, & essentia prauæ ? Vt Dei odium, & blasphemia, in quibus ille exemplum ponit : Siquidem prauitas, quam hæ natura sua habent, illis circumstantiæ præstent : vt non minus his prauas in eis circumstantiis natura, & essentia coniuncti non esse repugnet, quam illis ex essentia, & intrinseca natura. Supponit secundò : duplicem respectum in actibus prauis posse reperiri respectu voluntatis diuinæ, tanquam causæ : alterum ad voluntatem diuinam ad illas voluntatem creatam libere, ac prætiè operaturam præmouentem, aut inducentem, adhuc non prædeterminatiuè, ex intentione tamen, vt prauè operetur ; nedum prædeterminantem, & neutra ex his prætiis motionibus posse Deum concurrere, velleve præmouere voluntatem creatam ad actionem prauam, hancve à Deo actiuè pendere ostendimus vsque ad quæstionem 5. quin causæ, & authoris peccati fœditatè incurrat : alterum verò respectum actus praui ad Deum, tanquam ipsius causam designat, non quatenus actum prauum ab alio prauè fieri facit, sed quatenus alio neutiquam, ne dum prauè operante : quo concurrendi modo non prædeterminat propriè, sed solum actum illum Deus efficit solus & producit.

4. His autem positis Ruiz negatiuam conclusionem probat duplici ex capite. Primum ex impossibilitate productionis actus vitalis à solo Deo, absque vllo viuentis, potentiæque vitalis actiuo influxu : quod satis quidem commune, & firmum est vt cert. 2. conclus. 1. videbimus. Alterum verò caput esse ait : ex intrinseca malitia obiectiua, quam actus entitate, & intrinseca natura sua praui habent, (quod ipsum habent, vt dixi num. 3. actus ab extrinseco, & ex circumstantiis praui, his adstantibus, cum illi eliciuntur,) vt ex eis, tanquam obiectis prauis siue obiectiue malis, tota, ac præcipua malitia operationis, atque volitionis eorum desumatur : atque accedente libertate volentis, ac liberè operantis, ad moralitatem, imputabilitatem ad culpam, & peccatorum obiecta de se, (& idem est ex circumstantiis,) prava volens, legique & rationi de se physicè repugnantia, efficiens à culpa, & peccato nequeat excusari ; cum ergo in præsenti casu, quo, se solo, & actum prauum Deus vellet, & efficeret, libere quidem, & efficeret & vellet, nec posset non Deus inhoneste actum illum velle : Confirmat : quia odij Dei actus essentia, & quidditate sua est desiderium, vt Deus non sit, eique nocumentum se, inferri posset, inferret : efficitque, vt eius honor, præcepta, & obedientia conculcentur ; quapropter illum elicere, & operari, adhuc patrialiter indecens, ac turpe creaturæ est : multo ergo Deo turpius erit illud sui odium, siue extra, siue in subiecto totaliter totalitate causæ actiuæ agere, & operari : quare Ruiz nostri sententia est : Deum se solo actus intrinsecè, & natura sua prauos efficere non posse, data adhuc hypothesi, in sua sententia impossibili, quod actus vitales se solo producere Deus valeret : quod argumentum pro hac Conclusionis parte ex hypothesi impossibili eandem vim habet in actibus ex circumstantiis prauis, dum eis adstantibus creaturam ob libertatis defectum inculpabiliter operaturam ad eos eliciendos prædeterminatiuè præfiniret, quam ab vno ad alterum illationem, & si non adeo expresè, virtute tamen, & implicitè satis recognouit Ruiz sect. 2. difficultati secundæ ex propositis satisfaciens vt ex eius probationibus patet.

CERTAMEN II.

Vtriusque difficultatis, & totius quæstionis decisio.

1. Dico primo ; implicat Deum agere, seu efficere actiuè se solo actum vitalem seu operationem de se prauam adhuc materialiter talem siue extra subiectum siue in subiecto : ac subinde præfinire actum prauum inde creaturæ inculpabilem : Conuenit in hac Conclusione mihi cum nostro Ruiz, & plerisque aliis, qui in principio vnde eam vnice probabimus : nobiscum conueniunt ; est autem Conclusio contra Doctores citatos num. 1. Probatur actum, siue operationem vitalem esse, & produci absolutè absque influxu viuentis in ipsum implicat : ergo implicat absolutè à solo Deo actiue fieri actum seu operationem vitalem creatæ voluntatis : ergo, & ita à Deo solo actiue faciendam præfiniri : Secunda hæc consequentia est perspicua : implicat enim Dei præfinitio, efficaxque volitio de obiecto impossibili. Prima item consequentia de se claret Antecedens probatur : quia implicat aliquid absolute esse, quin & eius essentialia prædicata omnia absolutè sint : sed vnum ex prædicatis essentialibus operationis, seu actus vitalis est dependentia à potentia vitali, & viuentis creati, tanquam à principio actiuo : ergo implicat actum vitalem creatum esse absolutè, quin eius dependentia à potentia vitali, seu viuentis, tanquam à principio actiuo seu quod idem est, huius in illum influxus actiuus absolute sit, & existat : ergo implicat esse actum vitalem absolutè à solo Deo actiuè concurrente. Maior ex instituto à nobis probata est controu. de anima de essentia actus vitalis, vbi eius quæstionis propria sedes, quare hic supponenda est non probanda, inde infertur euidenter, & proximè actum vitalem seu operationem de se prauam non posse se solo actiuè efficiendam à Deo præfiniri.

2. Dico secundò : Nequit Deus actum, seu operationem vitalem ex circumstantiis, & si non natura sua prauam se solo efficere, aut se solo actiue efficiendam præfinire, de hac Conclusione, nil expresè Ruiz noster, de eius tamen sententia, & mente omninò est. Probatur argumento facto, quod ex prædicato generico actus vitalis, non autem ex specifico, vel aduentitio prauitatis desumitur : quare de actu omni vitali, siue ei prauitas intrinseca, siue aduentitia sit æquè probat. Consulto dixi in vtraque conclusione de actu prauo vitali solùm : sunt quippe actus plures praui non vitales essentia sua, vt homicidium, furtum, quæ praua sunt, non tamen essentia sua actus vitales ; sed quæ secundariò ab actu voluntatis illos imperante vitalitatem participent, sicuti & libertatem necessariam, vt proprie, & formaliter materiale peccati sint, contrahantque moralem malitiam, ac sint absolutè peccata : ideircò de his conclusiones sequentes de Hypothesi impossibili non erunt ; sicuti erunt de actibus prauis vitalibus, de quibus solum, imò intrinsece prauis, solummodo locutus fuit Ruiz sect. 1. citata, casu, quo absque dependentia voluntatis creatæ fieri possent. Verum ad rationes decidendi ipsi negatiuè, nobis autem affirmatiuè, in sequentibus conclusionibus vitalitas actus, seu non vitalitas nihil officit, nec prodest, nec intrinseca ei vel aduentitia prauitas dummodo absolutè actus adesse absolutè, vel absolutè abesse ab alterutrius sententia probetur, vt ex dictis & rationibus nostris & aduersarum solutionibus clarebit.

3. Dico tertiò : Potest absolutè Deus actum prauum siue ab extrinseco, siue ex circumstantiis se solo, & absque vllo creaturæ influxu actiuo, tam in subiecto, quam extrà illud, actiuè producere ; est contra nostrum Ruiz conclusio reliquis sententiæ suæ post primam probationibus, habet autem Patronos Doctores omnes citatos cert. 1. num. 1. Probatur quia in actibus prauis externis, ac non vitalibus, atque in vitalibus ex hypothesi quod à solo Deo actiuè producerentur, possent vt actiue produci, nihil malitiæ adhuc obiectiuæ est, si à solo Deo producantur, ex quave eorum à solo Deo actiua productio, vel decretum Dei ita illos producendi moralem trahant malitiam, aut fœditatem : ergo eiusmodi productio, aut decretum

cretum ita eos actus producendi Deo non repugnant, consequentia est ipsi Ruiz, (contra quem nunc agimus) perspicua, qui inde solum, quod ad hanc difficultatem ex hypothesi productionis actus pravi à solo Deo actiuè concurreret, & implicare posse, & supponit, & fatetur: quare sola antecedentis probatione opus nunc erit. Illud autem probo, quia ea productione odij v.g. Dei, nihil agente creatura, Deus non contraheret fœditatem causandi, actum prauum & peccatū creaturæ, quæ absq; dubio non peccaret odio Dei, vel extra ipsam, vel in ipsa à Deo tamen solum actiuè producto: ad quod proinde creatura non solum libere, vt opus ad eius moralem malitiam erat, sed vllatenus adhuc actiuè non concurreret: sed nec contraheret malitiam odij Dei, seu sui ipsius formalem, nec causam solum; siquidem odio illo Dei decreto seipsum Deus nullatenus odisset: imò neque odire posset: tum quia creatum illud odium est, nec Deo immanens; odium autem, quo quisque, vel ipsum, vel alium odisse potest, immanens esse debet: quo autem Deus odio aliquid habeat debet esse increatum, & diuinum: ergo, neque, vt causa turpis odij Dei, neque vt se ipsum turpiter odio habens malitiam aliquam aut fœditatem incurreret.

4. Dices: odium Dei, quemuisque actum, siue de se, siue ex circumstantiis, in quibus agitur prauum, physicè aduersari legi, & rationi naturali, ac proinde secundum se, vel secundum circumstantias, in quibus agitur, atque inde eius siue operationem siue mediatam, siue immediatam, & voluntatem illum volentis, vel quouis gradu causantis, libertate accedente, moraliter vitiari. Hæc, & vnica solutio argumenti, & vnicum conclusionis aduersæ argumentum est: cuius impugnatione, & conclusio aduersa quassatur, & euasio argumenti nostri præcluditur. Contra primo, quia nulla lex, dictamenve rationis naturalis, siue diuinæ, siue creatæ prohibet odium Dei, vel actionem turpem in abstracto, sed in concreto, *non oderis Deum: non fornicaberis*; & id directè, indirectè autē, & mediatè, *ne causaueris vt alter Deum oderit aut fornicetur*: & id quidem non solum formali denominatione, sed actiua elicientis odium, aut operantis fornicationem, furtum, aut homicidium illave causantis in altero cum libertate efficienda, vel in se admittenda: vt eis, vel ipse actiua libera ipsi denominatione Deum oderit, vel alium, actiua etiam, liberaque ipsi denominatione, Deum odisse, vel fornicari faciat: quæ plane omnia in productione odij Dei, vel homicidij à solo Deo actiue illud producentis omnino absunt; cum nec per odium Dei se ipsum Deus oderit, nec creaturam actiue, & libere actiue, & libere actiua denominatione Deum odisse faciat.

5. Quod autem sola alterutra odij Dei, seu actus praui, quo ita, vel operans Deum formaliter oderit denominatione actiua libera, vel alterum Deum odisse, prauéve operari simili actiua libera denominatione faciat, dictamini rationis, (quæ in Deo lex æterna est) operatio aduersetur: non autem ipsum Dei odium, aliusve actus prauus, vel secundum se, & intrinsece, qui dicitur prauus, vel adstantibus circumstantiis in quibus prauus euadet, nec satis fit eius actualis, siue formalis, siue causalis operatio. Probatur. Primò: quia dictamina eiusmodi legis æternæ, & rationis rectæ non terminantur, ferunturve, nisi ad potentes ita actiuè ex rationis dictamine, & ex electione, & libertate operari in concreto denominatione actiua libera, vt patet ex omnibus præceptis Decalogi, quæ de iure naturæ sunt. *Diliges Deum & proximum: non peierabis: non occides: non furaberis, &c.* & in aliis iure positiuo, quæ nisi ad potentes rationis dictamine pro libito vti, vel abuti aliquam diriguntur; nec, quoad vim coactiuam, nec quoad directiuam: Vnde irrationalium coitus, homicidia, rapinæ prohibita non sunt, quo circa rectum rationis dictamen, siue diuinum, (quod lex æterna est,) vel creatæ rationis, quo actus prauos auersatur, nequit ex parte adhuc obiecti in actus ipsos secundum se, & entitatem suam, vel solam, vel circumstantiis, in quibus prauè elicientur vestitam præcisè ferri, abstrahendo ab actiua libera potestate operantis, ex qua actiua libera denominatione eos concretè operetur formaliter, vel alium simili denominatione faciat operari: quare distinctio illa malitiæ physicæ obiecti à malitia imputabilitatis eo modo, quo à nostro Ruiz explicatur locum non habet: Nam his, quibus naturalis amentia adest, nec latæ leges sunt, nec ad tempus iis, qui ad tempus dementia laborant: quare nil obiectiuè adhuc, & physicè ipsis, quà talibus, malum ex dementiæ accidenti operantur, ipsiusve rationis dictamine prohibitum: ac ideò, nec eis imputatur ad culpam: quam dubio procul incurrerent, si illis ea obiecta, & operationes ex parte obiecti prohibitæ absolutæ forent.

6. Probatur secundò, quia, si in actu prauo, siue de se, siue ex aditantibus circumstantiis est physica illa obiectiua malitia rationi rectæ aduersa, & sufficiens turpem moraliter reddere eius physicam efficientiam, & operationem, & voluntatem eius, qua nec illam efficiens formaliter in se, Deum verbi gratia oderit, vel furetur, nec causaliter alium culpabiliter Deum odisse, vel furari faciat: ergo nequit Deus ad actum prauum, simultaneum adhuc concursum exhibere; Probatur: quia, etsi à creatura prauè pro libito operante determinetur ad concurrendum, ac proinde actus illius praui, prout à creatura est, ac peccati creaturæ causa concursu illo, comitante solum minime sit; ast Dei operatio totum illum actum prauum, & si partialiter partialitate causæ, actiue attingit producit, atque in esse absoluto ponit: quod autem alter simul etiam apponat solum probat, alterum etiam tunc peccare, non autem Deum cooperantem physicè non peccare, si operatio physica actus praui physica illa obiectiua huius prauitate & oppositione cum recta ratione, etsi nulla inde denominatio actiua prauè operantis formaliter, vel causaliter inducatur, satis dehonestetur, Dices: honestari potius concursum Dei partialem, quia illum ex fine satisfaciendi muneri causæ primæ præbet, Contra: quia, quod de se, & intrinsecè malum est, vt iuxta tuam hanc doctrinam physica, ac libera operatio entitatis actus praui, ex sola eius attingentia actiua mala est, nullo quantumuis honesto fine adhibito honestari ita potest, vt prorsus, & absolute à fœditate denudetur. Secundò, ad munus causæ primæ simultaneum concursum pertinere non posse ex tua hac doctrina argumentum contendit. Dices: Deum concurrere simultaneè cum creatura ad actum prauum proximè, vt naturale agens subditum creatæ voluntatis arbitrio, vt diximus. Contra quia saltem remota libertate libere concurrit, cum libere decretum applicatiuum suæ omnipotentiæ conceperit: quod satis ad imputabilitatem, & culpam est, vt patet in suadente actum prauum, cuius determinatio libera proxima alterius voluntati relinquitur.

7. Dices suasorem actus praui eius intentione actum prauum suadere: secus Deum suam potentiam voluntati creatæ applicare, volentem potiùs, vt ea ad actum prauum non vratur vel abutatur eliciendum. Res nobis nunc non est de excusando Deo à causalitate mediata materialis peccati creatura ad quam excusationem satis discriminis Dei simultaneè concurrentis volentisque ita concurrere à suasore peccati impio homine vel dæmone ex intentionis diuersitate assignari ostendimus suprà; sed de libera Dei cooperatione, physicoque eius influxu, & attingentia actionis illius prauæ physicè rationi diuinæ, & humanæ ita aduersantis, vt ex eo, quod operatione libera Dei attinguntur hæc operatio inhonesta reddatur, & turpis, atque ad hoc remotam eam attingentis libertatem sufficere eo exemplo contendimus; non autem, vt Deo tanquam authori, & causæ creaturæ se ad actionem prauam proximè libere determinantis malitia tribuatur. Contra secundò, quia ad actiones prauas imperatas, & externas apponendas proxima libera determinatio Dei est: creatæ autem voluntatis præcedit, cuius præsuppositæ exigentiæ Deus potens absolute non annuere, annuit tamen, & concurrere decernit. Tertiò, in actibus pratis materialiter, etiam vitalibus, qui à dormientibus phreneticis, & amentibus fiunt: proxima determinatio libera, vt absolute sint, Dei est ad eos actus volentis concurrere ad exigentiam coniuncti causarum naturalium ad eos actus eliciendos: quare, etsi Dei odium, aut blasphemia sit, eos fieri, & esse, & concursu, & libera determinatione proximè venit; & tamen non peccat; quia nec ebrium, phreneticum, aut dormientem peccare facit, nec blasphemiam, Deique culpabiliter olorem, neque eis actibus Deus ipse sui olor, aut blasphemus est: ergo pura operatio actionis prauæ, qua, nec alter, nec Deus ipse

denominatione

denominatione actiua libera praue operans est, turpis, atque inhonesta non est.

8. Dico quartò: Deus potest ebrij dormientis, amentis & cuiuisvis, absque libertate, ab subinde absque imputabilitate, & peccato operaturi actum materialiter prauum prædeterminatiuè præ finire. Rationem dedimus probatione tertiæ conclusionis. Quia nec alium eiusmodi prædeterminatiua præfinitione proprie, & formaliter loquendo prauè operari faciet, nec peccare, nec eo actu odij, aut blasphemiæ, seipsum Deus oderit, aut in se blasphemabit; sed solum physicam illam entitatem à creatura fieri faciet, absque vlla fœditate, seu turpitudine morali, in quo diuinæ legi, & rationi nusquam, vt vidimus, aduersabitur. Duo contra tertiam, & quartam conclusionem præter disiectam hactenus oppositarum conclusionem suarum rationem à priori quæ tamen, tacta supra & disiecta etiam à nobis sunt, possunt opponi. Primum de subitis, & indeliberatis motibus in prauas actiones, quæ iuxta nostram doctrinam causari imminitque nobis à Deo poterunt. Dixi ex intentione augustioris victoriæ & amplioris nostri triumphi disponendi, ita quidem fieri à Deo posse, quo omnem tentatoris, & inductoris in malum suspicionem Deus euadet. Secundum est; quia ex hac doctrina poterit Deus habitum imò, & actum erroris homini infundere, ex quo tanquam reuelata à Deo falsa Ecclesia à Prophetis possint credenda proponi, & hoc etiam contra Dominicanos ad materiale peccati præfinitores ab eodem Doctore tentatum debile esse & exuge ostendi quæst. 3. cert. 3. vbi dixi: meram physicam iudicij erronei de quouis obiecto sit, productionem Dei loquutionem, & testimonium non esse; sed aliorum adiunctione: quare eorum errorem secundum se posse à Deo produci; non autem cum illis aliis, quæ Dei testimonium, & locutionem constituunt, vnde fidei fundamentum firmum, nec doctrina hac nostra debilitatum perstabit. Alia certa ad speciem vrgentiora huic nostræ doctrinæ opponerem, in materiam aliam alibi ex instituto examinandam, & quæ breui explicari hic nequeat concernerent; id tantum pro eorum, (si quis forte in ea incidat) solutione vno verbo dixerim: aliis, quæ Deo supremi sui, & inabdicabilis dominij titulo in creata licent, minime licere.

DISPVTATIO III.

De aliorum decretorum diuinorum concurrendi cum creaturis rationalibus ad liberos earum actus examine.

POst prolixas, & si valde Catholicis dogmatibus vtiles disputationes præmissas restat examinandum, quo alio genere decreti absoluti concurrendi cum creaturis liberis ad absolutam contingentis positionem absque libertatis, cum causæ, tum effectus detrimento Deus vtatur: qua in re duplex solum decretorum diuinorum genus hactenus creatæ libertatis defensoribus excogitatum est. Alterum comitans: alterum antecedens, aut non prædeterminans ad extremum vnum liberæ potestatis & arbitrij creati; sed omnipotentiæ, & actiuitatis diuinæ applicatiuum, vt eo pro libito creata vtatur voluntas; ac proinde indifferenter concurrendi vocatur: cuius naturam respectu prauarum actionum nostrarum satis enucleauimus q. 3. cert. 4. vtrumque autem decreti concurrendi genus examinandum hic ex instituto erit, vt quid ex parte Dei in hypothesi ad nostrorum contingentium conditionatam futuritionem constituendum sit definiatur: huius siquidem defigendi gratia à Deo fusam, & laboriosam hanc controuersiam de decreto diuino concurrendi ad absolutos creatæ voluntatis actus liberos instituimus: ne quid ad plenam obiecti scientiæ mediæ de conditionatis nostris contingentibus notitiam desideraretur. Dixi autem duplex solum genus decretorum concurrendi à defensionibus creatæ libertatis excogitatum esse. Nam decretum nostræ voluntatis determinationem supponens, ac subsequens, quod Catherinus, Corduba, & Iulius Sirenus excogitarunt, decretum concurrendi ad liberam nostram determinationem, seu consensum, quem supponit, esse minimè potest: cum absque, & ante ipsum consensus positus naturæ priori supponatur.

QVÆSTIO I.

De decreto comitanti diuino concurrendi ad liberos creatæ voluntatis actus,

DEcreti comitantis adstruendi plures extant Authores; nec illud explicandi modi pauciores: quare omnes eius Patroni & modi recensendi sunt primo; vt postmodum iudicium expeditius ferri possit.

CERTAMEN I.

Decreti comitantis concurrendi Authores, & modi omnes.

1. HVius decreti Author fuit noster Vasquez tom. 1. in 1. part. d. 67. & d. 99. quem sequuntur Henriq. tract. 2. d. 19. cap. 4. num. 30. & si præuium aliud indifferens omnipotentiæ applicatiuum admittat. rub. Alarcon Gaspar Hurtado d. 5. de prædest. in diff. 12. Gaspar de Ribadeneyra d. 10. de prædest. Derkennis tom. de Deo d. 11. cap. 3. familiares nobis, & ingeniosi Murcia. ni Recentiores, quos sæpe in nostris operibus citamus, & suo scientiar. pharo satis omnibus illustres, & alij ex nostris pauci Recentiores. Adhæsere ex Scotistis Smising. de Deo tract. 3. d. 2. quæst. 5. num. 15. Montepiloso 1. part. q. 2. d. 47. art. 40. Pontius d. 6. Philosoph. q. 8. n. 600. Qui omnes conueniunt primò: quod decretum hoc efficax consensus nostri sit, eique connexum, nec indifferens, vt cum eius negatione consistat. Secundo: quod respectu consensus nostri nullatenus prioritate naturæ, & causalitatis antecedat, esset enim prædeterminatiua Dominicanorum præfinitio de nostro libero consensu duabus antecactis disputationibus explosa; neque item consensus, & determinationis creatæ liberæ pro posteriori naturæ sequatur, vt nuper ex nonnullis retulimus, & impugnauimus. Solus Gaspar Hurtado asserit: decretum hoc respectu actionis, vt à Deo est, esse antecedentem, & verè causam, & si eiusdem actionis, vt à creata voluntate est causam non esse censeat, sed quasi disparatè cum creata actione, & determinatione decretum illud Dei se habeat; & postremum hoc, etsi aliquibus videatur dissonare, nihil tamen ab aliis decreti comitantis Doctoribus dissonum continet: solum enim vult significare decretum illud ordinem causalitatis nullum respectu actionis, vt à creatura est, siue determinationis creatæ habere, neque cum ea vt causam, neque vt effectum comparari: quare in eo ordine nullum habere: gradum prioris, aut posterioris respectu determinationis creatæ sed disparatè se habere: sicut reliqua omnia, quæ eius ordinis sunt, & ad idem signum prioris, vel posterioris spectant, si inter se comparentur: vt spectare omnes decreti comitantis Authores volunt creatæ voluntatis actionem, seu determinationem, & comitans decretum.

2. In eo autem, quod decretum hoc actionis, prout à Deo, causam esse docet à reliquorum decreti comitantis expressa sententia discedit, & planè implicantia docet, eiusdem actionis, prout à creata voluntate est causam nihilominus esse negat; cum enim actio creaturæ nei actionem extrinsecam

cretum ita eos actus producendi Deo non repugnant, consequentia est ipsi Ruiz, (contra quem nunc agimus) perspicua, qui inde solum, quod ad hanc difficultatem ex hypothesi productionis actus pravi à solo Deo actiuè concurreret, & implicare posse, & supponit, & fatetur: quare sola antecedentis probatione opus nunc erit. Illud autem probo, quia ea productione odij v.g. Dei, nihil agente creatura, Deus non contraheret fœditatem causandi, actum prauum & peccatū creaturæ, quæ absq; dubio non peccaret odio Dei, vel extra ipsam, vel in ipsa à Deo tamen solum actiuè producto: ad quod proinde creatura non solum libere, vt opus ad eius moralem malitiam erat, sed vllatenus adhuc actiuè non concurreret: sed nec contraheret malitiam odij Dei, seu sui ipsius formalem, nec causam solum; siquidem odio illo Dei decreto seipsum Deus nullatenus odisset: imò neque odire posset: tum quia creatum illud odium est, nec Deo immanens; odium autem, quo quisque, vel ipsum, vel alium odisse potest, immanens esse debet: quo autem Deus odio aliquid habeat debet esse increatum, & diuinum: ergo, neque, vt causa turpis odij Dei, neque vt se ipsum turpiter odio habens malitiam aliquam aut fœditatem incurreret.

4. Dices: odium Dei, quemuisque actum, siue de se, siue ex circumstantiis, in quibus agitur prauum, physicè aduersari legi, & rationi naturali, ac proinde secundum se, vel secundum circumstantias, in quibus agitur, atque inde eius siue operationem siue mediatam, siue immediatam, & voluntatem illum volentis, vel quouis gradu causantis, libertate accedente, moraliter vitiari. Hæc, & vnica solutio argumenti, & vnicum conclusionis aduersæ argumentum est: cuius impugnatione, & conclusio aduersa quassatur, & euasio argumenti nostri præcluditur. Contra primo, quia nulla lex, dictamenve rationis naturalis, siue diuinæ, siue creatæ prohibet odium Dei, vel actionem turpem in abstracto, sed in concreto, *non oderis Deum: non fornicaberis*; & id directè, indirectè autē, & mediatè, *ne causaueris vt alter Deum oderit aut fornicetur*: & id quidem non solum formali denominatione, sed actiua elicientis odium, aut operantis fornicationem, furtum, aut homicidium illave causantis in altero cum libertate efficienda, vel in se admittenda: vt eis, vel ipse actiua libera ipsi denominatione Deum oderit, vel alium, actiua etiam, liberaque ipsi denominatione, Deum odisse, vel fornicari faciat: quæ plane omnia in productione odij Dei, vel homicidij à solo Deo actiue illud producentis omnino absunt; cum nec per odium Dei se ipsum Deus oderit, nec creaturam actiue, & libere actiue, & libere actiua denominatione Deum odisse faciat.

5. Quod autem sola alterutra odij Dei, seu actus praui, quo ita, vel operans Deum formaliter oderit denominatione actiua libera, vel alterum Deum odisse, prauéve operari simili actiua libera denominatione faciat, dictamini rationis, (quæ in Deo lex æterna est) operatio aduersetur: non autem ipsum Dei odium, aliusve actus prauus, vel secundum se, & intrinsece, qui dicitur prauus, vel adstantibus circumstantiis in quibus prauus euadet, nec satis fit eius actualis, siue formalis, siue causalis operatio. Probatur. Primò: quia dictamina eiusmodi legis æternæ, & rationis rectæ non terminantur, ferunturve, nisi ad potentes ita actiuè ex rationis dictamine, & ex electione, & libertate operari in concreto denominatione actiua libera, vt patet ex omnibus præceptis Decalogi, quæ de iure naturæ sunt. *Diliges Deum & proximum: non peierabis: non occides: non furaberis, &c.* & in aliis iure positiuo, quæ nisi ad potentes rationis dictamine pro libito vti, vel abuti aliquam diriguntur; nec, quoad vim coactiuam, nec quoad directiuam: Vnde irrationalium coitus, homicidia, rapinæ prohibita non sunt, quo circa rectum rationis dictamen, siue diuinum, (quod lex æterna est,) vel creatæ rationis, quo actus prauos auersatur, nequit ex parte adhuc obiecti in actus ipsos secundum se, & entitatem suam, vel solam, vel circumstantiis, in quibus prauè elicientur vestitam præcisè ferri, abstrahendo ab actiua libera potestate operantis, ex qua actiua libera denominatione eos concretè operetur formaliter, vel alium simili denominatione faciat operari: quare distinctio illa malitiæ physicæ obiecti à malitia imputabilitatis eo modo, quo à nostro Ruiz explicatur locum non habet: Nam his, quibus naturalis amentia adest, nec latæ leges sunt, nec ad tempus iis, qui ad tempus dementia laborant: quare nil obiectiuè adhuc, & physicè ipsis, quà talibus, malum ex dementiæ accidenti operantur, ipsiusve rationis dictamine prohibitum: ac ideò, nec eis imputatur ad culpam: quam dubio procul incurrerent, si illis ea obiecta, & operationes ex parte obiecti prohibitæ absolutæ forent.

6. Probatur secundò, quia, si in actu prauo, siue de se, siue ex aditantibus circumstantiis est physica illa obiectiua malitia rationi rectæ aduersa, & sufficiens turpem moraliter reddere eius physicam efficientiam, & operationem, & voluntatem eius, qua nec illam efficiens formaliter in se, Deum verbi gratia oderit, vel furetur, nec causaliter alium culpabiliter Deum odisse, vel furari faciat: ergo nequit Deus ad actum prauum, simultaneum adhuc concursum exhibere; Probatur: quia, etsi à creatura prauè pro libito operante determinetur ad concurrendum, ac proinde actus illius praui, prout à creatura est, ac peccati creaturæ causa concursu illo, comitante solum minime sit; ast Dei operatio totum illum actum prauum, & si partialiter partialitate causæ, actiue attingit producit, atque in esse absoluto ponit: quod autem alter simul etiam apponat solum probat, alterum etiam tunc peccare, non autem Deum cooperantem physicè non peccare, si operatio physica actus praui physica illa obiectiua huius prauitate & oppositione cum recta ratione, etsi nulla inde denominatio actiua prauè operantis formaliter, vel causaliter inducatur, satis dehonestetur, Dices: honestari potius concursum Dei partialem, quia illum ex fine satisfaciendi muneri causæ primæ præbet, Contra: quia, quod de se, & intrinsecè malum est, vt iuxta tuam hanc doctrinam physica, ac libera operatio entitatis actus praui, ex sola eius attingentia actiua mala est, nullo quantumuis honesto fine adhibito honestari ita potest, vt prorsus, & absolute à fœditate denudetur. Secundò, ad munus causæ primæ simultaneum concursum pertinere non posse ex tua hac doctrina argumentum contendit. Dices: Deum concurrere simultaneè cum creatura ad actum prauum proximè, vt naturale agens subditum creatæ voluntatis arbitrio, vt diximus. Contra quia saltem remota libertate libere concurrit, cum libere decretum applicatiuum suæ omnipotentiæ conceperit: quod satis ad imputabilitatem, & culpam est, vt patet in suadente actum prauum, cuius determinatio libera proxima alterius voluntati relinquitur.

7. Dices suasorem actus praui eius intentione actum prauum suadere: secus Deum suam potentiam voluntati creatæ applicare, volentem potiùs, vt ea ad actum prauum non vratur vel abutatur eliciendum. Res nobis nunc non est de excusando Deo à causalitate mediata materialis peccati creatura ad quam excusationem satis discriminis Dei simultaneè concurrentis volentisque ita concurrere à suasore peccati impio homine vel dæmone ex intentionis diuersitate assignari ostendimus suprà; sed de libera Dei cooperatione, physicoque eius influxu, & attingentia actionis illius prauæ physicè rationi diuinæ, & humanæ ita aduersantis, vt ex eo, quod operatione libera Dei attinguntur hæc operatio inhonesta reddatur, & turpis, atque ad hoc remotam eam attingentis libertatem sufficere eo exemplo contendimus; non autem, vt Deo tanquam authori, & causæ creaturæ se ad actionem prauam proximè libere determinantis malitia tribuatur. Contra secundò, quia ad actiones prauas imperatas, & externas apponendas proxima libera determinatio Dei est: creatæ autem voluntatis præcedit, cuius præsuppositæ exigentiæ Deus potens absolute non annuere, annuit tamen, & concurrere decernit. Tertiò, in actibus pratis materialiter, etiam vitalibus, qui à dormientibus phreneticis, & amentibus fiunt: proxima determinatio libera, vt absolute sint, Dei est ad eos actus volentis concurrere ad exigentiam coniuncti causarum naturalium ad eos actus eliciendos: quare, etsi Dei odium, aut blasphemia sit, eos fieri, & esse, & concursu, & libera determinatione proximè venit; & tamen non peccat; quia nec ebrium, phreneticum, aut dormientem peccare facit, nec blasphemiam, Deique culpabiliter olorem, neque eis actibus Deus ipse sui olor, aut blasphemus est: ergo pura operatio actionis prauæ, qua, nec alter, nec Deus ipse

denominatione

denominatione actiua libera praue operans est, turpis, atque inhonesta non est.

8. Dico quartò: Deus potest ebrij dormientis, amentis & cuiuisvis, absque libertate, ab subinde absque imputabilitate, & peccato operaturi actum materialiter prauum prædeterminatiuè præ finire. Rationem dedimus probatione tertiæ conclusionis. Quia nec alium eiusmodi prædeterminatiua præfinitione proprie, & formaliter loquendo prauè operari faciet, nec peccare, nec eo actu odij, aut blasphemiæ, seipsum Deus oderit, aut in se blasphemabit; sed solum physicam illam entitatem à creatura fieri faciet, absque vlla fœditate, seu turpitudine morali, in quo diuinæ legi, & rationi nusquam, vt vidimus, aduersabitur. Duo contra tertiam, & quartam conclusionem præter disiectam hactenus oppositarum conclusionem suarum rationem à priori quæ tamen, tacta supra & disiecta etiam à nobis sunt, possunt opponi. Primum de subitis, & indeliberatis motibus in prauas actiones, quæ iuxta nostram doctrinam causari imminitque nobis à Deo poterunt. Dixi ex intentione augustioris victoriæ & amplioris nostri triumphi disponendi, ita quidem fieri à Deo posse, quo omnem tentatoris, & inductoris in malum suspicionem Deus euadet. Secundum est; quia ex hac doctrina poterit Deus habitum imò, & actum erroris homini infundere, ex quo tanquam reuelata à Deo falsa Ecclesia à Prophetis possint credenda proponi, & hoc etiam contra Dominicanos ad materiale peccati præfinitores ab eodem Doctore tentatum debile esse & exuge ostendi quæst. 3. cert. 3. vbi dixi: meram physicam iudicij erronei de quouis obiecto sit, productionem Dei loquutionem, & testimonium non esse; sed aliorum adiunctione: quare eorum errorem secundum se posse à Deo produci; non autem cum illis aliis, quæ Dei testimonium, & locutionem constituunt, vnde fidei fundamentum firmum, nec doctrina hac nostra debilitatum perstabit. Alia certa ad speciem vrgentiora huic nostræ doctrinæ opponerem, in materiam aliam alibi ex instituto examinandam, & quæ breui explicari hic nequeat concernerent; id tantum pro eorum, (si quis forte in ea incidat) solutione vno verbo dixerim: aliis, quæ Deo supremi sui, & inabdicabilis dominij titulo in creata licent, minime licere.

DISPVTATIO III.

De aliorum decretorum diuinorum concurrendi cum creaturis rationalibus ad liberos earum actus examine.

POst prolixas, & si valde Catholicis dogmatibus vtiles disputationes præmissas restat examinandum, quo alio genere decreti absoluti concurrendi cum creaturis liberis ad absolutam contingentis positionem absque libertatis, cum causæ, tum effectus detrimento Deus vtatur: qua in re duplex solum decretorum diuinorum genus hactenus creatæ libertatis defensoribus excogitatum est. Alterum comitans: alterum antecedens, aut non prædeterminans ad extremum vnum liberæ potestatis & arbitrij creati; sed omnipotentiæ, & actiuitatis diuinæ applicatiuum, vt eo pro libito creata vtatur voluntas; ac proinde indifferenter concurrendi vocatur: cuius naturam respectu prauarum actionum nostrarum satis enucleauimus q. 3. cert. 4. vtrumque autem decreti concurrendi genus examinandum hic ex instituto erit, vt quid ex parte Dei in hypothesi ad nostrorum contingentium conditionatam futuritionem constituendum sit definiatur: huius siquidem defigendi gratia à Deo fusam, & laboriosam hanc controuersiam de decreto diuino concurrendi ad absolutos creatæ voluntatis actus liberos instituimus: ne quid ad plenam obiecti scientiæ mediæ de conditionatis nostris contingentibus notitiam desideraretur. Dixi autem duplex solum genus decretorum concurrendi à defensionibus creatæ libertatis excogitatum esse. Nam decretum nostræ voluntatis determinationem supponens, ac subsequens, quod Catherinus, Corduba, & Iulius Sirenus excogitarunt, decretum concurrendi ad liberam nostram determinationem, seu consensum, quem supponit, esse minimè potest: cum absque, & ante ipsum consensus positus naturæ priori supponatur.

QVÆSTIO I.

De decreto comitanti diuino concurrendi ad liberos creatæ voluntatis actus,

DEcreti comitantis adstruendi plures extant Authores; nec illud explicandi modi pauciores: quare omnes eius Patroni & modi recensendi sunt primo; vt postmodum iudicium expeditius ferri possit.

CERTAMEN I.

Decreti comitantis concurrendi Authores, & modi omnes.

1. HVius decreti Author fuit noster Vasquez tom. 1. in 1. part. d. 67. & d. 99. quem sequuntur Henriq. tract. 2. d. 19. cap. 4. num. 30. & si præuium aliud indifferens omnipotentiæ applicatiuum admittat. rub. Alarcon Gaspar Hurtado d. 5. de prædest. in diff. 12. Gaspar de Ribadeneyra d. 10. de prædest. Derkennis tom. de Deo d. 11. cap. 3. familiares nobis, & ingeniosi Murcia. ni Recentiores, quos sæpe in nostris operibus citamus, & suo scientiar. pharo satis omnibus illustres, & alij ex nostris pauci Recentiores. Adhæsere ex Scotistis Smising. de Deo tract. 3. d. 2. quæst. 5. num. 15. Montepiloso 1. part. q. 2. d. 47. art. 40. Pontius d. 6. Philosoph. q. 8. n. 600. Qui omnes conueniunt primò: quod decretum hoc efficax consensus nostri sit, eique connexum, nec indifferens, vt cum eius negatione consistat. Secundo: quod respectu consensus nostri nullatenus prioritate naturæ, & causalitatis antecedat, esset enim prædeterminatiua Dominicanorum præfinitio de nostro libero consensu duabus antecactis disputationibus explosa; neque item consensus, & determinationis creatæ liberæ pro posteriori naturæ sequatur, vt nuper ex nonnullis retulimus, & impugnauimus. Solus Gaspar Hurtado asserit: decretum hoc respectu actionis, vt à Deo est, esse antecedentem, & verè causam, & si eiusdem actionis, vt à creata voluntate est causam non esse censeat, sed quasi disparatè cum creata actione, & determinatione decretum illud Dei se habeat; & postremum hoc, etsi aliquibus videatur dissonare, nihil tamen ab aliis decreti comitantis Doctoribus dissonum continet: solum enim vult significare decretum illud ordinem causalitatis nullum respectu actionis, vt à creatura est, siue determinationis creatæ habere, neque cum ea vt causam, neque vt effectum comparari: quare in eo ordine nullum habere: gradum prioris, aut posterioris respectu determinationis creatæ sed disparatè se habere: sicut reliqua omnia, quæ eius ordinis sunt, & ad idem signum prioris, vel posterioris spectant, si inter se comparentur: vt spectare omnes decreti comitantis Authores volunt creatæ voluntatis actionem, seu determinationem, & comitans decretum.

2. In eo autem, quod decretum hoc actionis, prout à Deo, causam esse docet à reliquorum decreti comitantis expressa sententia discedit, & planè implicantia docet, eiusdem actionis, prout à creata voluntate est causam nihilominus esse negat; cum enim actio creaturæ nei actionem extrinsecam

extrinsecæ, & concursui insectiliter, ac omninò indiuisim reipsa identificetur, ac proinde totalitate effectus, etsi non totalitate causæ alterutri tota actio respondeat, nec minus actionis alteri, quam vtrique implicat plane decretum hoc causam influxuam in actionem, quæ ipsius est, priusque natura esse, non autem actionis creaturæ, quæ idem omninò cum actione Dei est, deberque proinde influxu eodem ponere in rebus cum actione sua, quin hanc in physica positione possit ab actione creaturæ decretum illud comitans physica efficacia, & actiuitate sua, quæ præcisiua ex parte termini non est, separare. Illæ autem considerationes eiusdem entitatis actionis, vt est à creatura, &, vt est à Deo, principia, & agentia diuidunt, seu supponunt diuisa, non autem actionem: quod satis ad duplicem denominationem duplici agenti actiuam tribuendum, & passiuam actioni eidem, non autem ad diuidendam actionem vt pars solum eius agenti vni, pars verò alia agenti alteri tribuatur: vt opus erat ad doctrinæ huius vitandam implicationem. Dixi consultò ea in re Hurtado ab expressa reliquorum decreti comitantis Doctorum sententia recessisse; à virtuali enim, & ad quam vi consequentiæ ij ferè omnes (nimirum, qui ex eis decreta libera Dei adæquare per Deo intrinseca constituunt; in eoque à Vasquez discordant,) vel inuiti trahentur, (vt non semel contou. 2. & 3. attigimus, fusiusque cert. 2. persequemur) minimè recessit; quinimò ingenuè, quod illis cognitu facile ex sua sententia fuerat, ipse palam professus est: tametsi, ne in Dominicanorum prædeterminatiuè præfinitorum sententiam, & absurda abiret ea distinctione actionis, prout à Deo, & prout à creata volûtate eorundem sententiam & absurda declinare irrito tentauerit.

3. Iam verò, quoniam de efficacis decreti cuiusvis essentia est physica, & metaphysica cum suo obiecto, seu termino connexio, atque hoc decretum concurrendi comitans determinationem creatæ voluntatis efficax sit de concursu extrinseco suo præstando, ita huic physicæ, & metaphysicæ connexum esse ab eius authoribus asseritur, vt legum illum necessario absolutè deuoluat: impliceque prorsus decretum eiusmodi absque absoluta concursus Dei positione absolutè persistere. De fundamento vero vltimo, seu radice connexionis decreti huius cum diuino concursu nonnulla, neque momenti parui, inter decreti huius comitantis Authores discordia est: eorum enim plerique (Vasquianis nimirum exceptis reliqui) docent in ipsa decreti natura, tanquam in fundamento vltimo, primaque radice connexionem hanc decreti comitantis cum diuino concursu extrinseco, quin aliam radicem supponat, omninò fundari: ita Smising. Montepiloso, Pontius, Derkennis, Ribadeneyra, & iuniores. Vazquez verò Arrubal, & recentiores Murciani primam eius connexionis radicem in scientia media, qua decretum regulatur, Deusque ad illud concipiendum dirigitur de consensu, seu de cooperatione, & determinatione voluntatis creatæ sub hac, vel illa vocatione, seu auxilio, & aliis in hypothesi ponendis, quæ, dum inferius contra eos agetur, explicabuntur. Hoc adstruunt, vt solam necessitatem consequentem consensus, & determinationis creatæ voluntatis ex ea connexione decreti huius comitantis cum diuino concursu eiusmodi determinationi, & consensui creatæ voluntatis inferri defendant. Quemadmodum ex præfinitionibus Suaristicis solummodo inferri Suarez & assectæ contendant; ac subinde cum consensus nostri libertate amice componi: at cum præfinitionis ipsius infrustrabilitate: quod ipsum de decreto comitanti concurrendi cum creata voluntate fore videtur, si ad illud, sicuti ad Suaristicam præfinitionem, concipiendum scientia media determinationis, & consensus voluntatis creatæ Deus dirigatur; ex quo fiet, vt Deus iuxta horum sententiam decretum comitans concurrendi, non nisi sub auxiliis, sub quibus determinatio voluntatis creatæ, eiusque consensus conditionate fore visus est, concipi à Deo possit; sicuti, nec, nisi sub eisdem potest consensus Suaristicè præfiniti; sin verò decretum hoc comitans concurrendi scientiæ mediæ nostræ determinationis, & consensus sub tali auxilio tandem non innitatur, vt priorum sententia ferebat, poterit illud Deus sub quibuscumque auxiliis in eorum sententia concipere. Peculiaria, quæ pro hoc decreto Derkennis, & Ribadeneyra excogitarunt cert. 2. producam: ea siquidem soluendo argumento negatiuæ nostræ conclusionis excogitata sunt.

CERTAMEN II.

Negatiua conclusio contra priorem modum decreti comitantis independentis à scientia media speciatim statuitur.

1. DEcretum concurrendi necessarium cum causis creatis liberis, efficax concurrendi determinate ab intrinseco, comitans, neque est, neque esse potest. Dixi necessarium. Hoc enim indagamus, vt dependentiam creatæ causæ liberæ à causa prima indagemus, quæ, cum vltra huius indigentiam diuini concursus libere à Deo exhibiti non sit: illud solum decretum, & concursum necessarium ipsi, vt libere operetur, seque ad alterum indifferentis potestatis extremum determinatum determinet, inquirimus: indigentiæ enim necessaria satisfaciunt, non superflua: tum etiam, quia constituiuum adæquatum sufficiens ad futuritionem conditionatam, constitutiuum est: ad sufficientiam autem sola necessaria veniunt. An autem Deus vltra id, quod causæ creatæ liberæ necessarium, sufficiensque ex parte Dei causæ primæ, & vniuersalis est, vt operetur, atque vltra Dei debitum illi causæ concursum, circa illam, eiusque assensum vel antecedenter vel comitanter possit Deus decernere, & operari, vel de sese, vel dependenter à scientia media, non huius loci, sed tractatus de præfinitionum diuinarum absolutarum possibilitate omninò est, vbi de supererogatoriis, atque indebitis creatæ causæ liberæ decretis diuinis agetur. Dixi etiam de decreto comitante concursus determinate efficaci ab intrinseco. Tum, quia hoc adstruit affirmatiua sententia, cui hac conclusione contradicimus. Tum, quia de hoc solum est, esseque quæstio potest. Nam decretum indifferenter concurrendi, quod adstruunt, qui comitans hoc efficax concursus determinati negant, ab extrinseco efficax, & comitanter etiam efficax esse non negant, negareve possunt: denominatione nimirum extrinseca à concursu, & consensu per illud de facto posito, à quo actiue efficax, efficiens, & agens decretum illud necessariò extrinsecus denominabitur. Ita explicatam conclusionem nostram negatiuam docuere Dominicani præfinitores prædeterminatiui, qui, vt præfinitiones suas prædeterminatiuas nostrorum actuum liberorum adstruerent, decretum hoc comitans, & efficax concursus sui, quo saluari facilius posse libertatem, atque aliquibus suis argumentis satisfieri præsenserunt, antequam ab aliquo assererentur, impugnationibus præoccuparunt, vt videre est apud Aluarez de auxiliis & alios qui non solum eius sententiæ, sed & discursibus student. Consentiunt item ex nostris ferè omnes, qui solo decreto indifferenter concurrendi creaturarum causarum, & operationum liberarum saluari posse libertatem defendunt: eos q. 2. recensebimus.

2. Probatur primo conclusio contra constituentes decretorũ diuinorum libertatem non per extrinsecos eorum effectus, siue actiones, sed per Deo omninò intrinseca: vt omnes pro decreto comitante recitati constituunt, præter Vasquez, Arrubal, & Alarcon, implicat in hac libertatis decretorũ Dei constitutione decretum Dei esse comitans, ac non prioritate naturæ antecedens determinationẽ creatæ voluntatis; ergo, dum comitans determinationẽ creatæ voluntatis ab his asseritur decretum concurrendi cũ illa, asseritur decretum impossibile. Consequentia est legitima. Antecedens probatur. Implicat id, quod natura, & essentia sua est causa alterius in aliqua linea causalitatis, non esse in eadem linea prius natura, & causalitate, atque esse simul cum illo, cuius in eadem linea causa est. Primo: quia erit causa, ac non erit causa illius in ea linea; atque rursus in eadem linea erit prius prioritate causæ, & posterius seipsa, dum pro signo posteriori, effectus sui in ea linea causalitatis collocatur. Pergo sed cõstituta libertate decreti concurrẽdi per Deo intrinseca, non antecedentis, sed comitatis determinationẽ creatæ volũtatis admittitur causa actiuam non esse priorem natura, & causalitate in sua linea effectu suo in eodẽ gradu in quo est effectus: quare nec eius causam esse, atque item in eodẽ gradu posteriori eius lineæ,

in quo eius effectus est, infertur esse seipsa posteriorem; esse ergo ea constitutione libertatis decretorum Dei per Deo intrinseca decretum concurrendi comitans, nec antecedens voluntatis creatæ determinationem implicat contradictionem, nec solum vnam. Minor, quæ sola probatione eget, ostenditur, decretum liberum Dei adæquate per intrinseca Deo constitutum est causa prior natura & causalitate extrinseco obiecto, seu termino per ipsum decreto, atque extrinsecus hic terminus per ipsum decretus est sui decreti effectus natura, & causalitate posterior: ergo concursus diuinus, qui est terminus decreti liberi huius de eo præstando, est decreti huius effectus natura, & causalitate actiua posterior, ac decretum ipsum concursus illius est causa physice actiua, eoque prius natura, & causalitate vere antecedens: at Dei concursus idem indiuisim physice, & re ipsa est cum concursu, seu determinatione creatæ voluntatis: ergo decretum Dei de concursu suo est causa, priusque natura concursu, & determinatione creatæ voluntatis ipsamque verè causalitate actiua antecedens, in horum sententia de constitutione libertatis diuinorum decretorum adæquate per omninò intrinseca Deo consequentia hæc omnibus, etiam aduersariis ipsis est certa, vt contra Gasparem Hurtado ostendebamus: ergo in ea constitutione libertatis diuinæ; dum negatur decretum Dei de suo concursu esse antecedens prioritate naturæ, & causalitatis, ac solum comitans creatæ voluntatis determinationem asseritur, esse causam ex ea constitutione; & ex præsente conclusione non esse causam dicitur. Item & seipso prius ex suo concursu, & determinatione creatæ voluntatis ipsi identificata; & esse seipso posterius, cum respectu eius determinationis comitans, ac simul natura ponitur cum illa.

3. Inde vero eosdem Doctores acrius impugno in Dominicanas præfinitiones determinatiuas, quarum horrore comitans hoc decretum adinuenerunt, ipsos apertè cogens. Decretum hoc, quod comitans dicitis, in ea libertatis diuinæ constitutione per Deo intrinsecâ, nequit non concursus diuini decreti ac subinde determinationis creatæ voluntatis cum ipso identificatæ esse causa actiue prior, & natura, & causalitate eam determinationem antecedens, quin, vt à Deo concipiatur, vsum aliquem libertatis creatæ adhuc conditionatum expectet: insuper est etiam efficax, de seque, & essentia sua connexum cum determinatione creaturæ concursui Dei efficaciter decreto identificata, non autem solum ratione scientiæ conditionatæ qua, iuxta primum modum, quem nunc impugnamus, non regulatur, nec regulari absolute posse inferius ostendemus: ergo decretum hoc, & omnem vsum libertatis causalitate antecedit, atque natura sua physica necessitate causalitatis infert, atque è suo priori naturæ determinat existentiam absolutam determinationis creatæ voluntatis: quod vitare contendunt Doctores isti, dum præfinitiones Dominicanas deuitant, & hæc decreta, vt eiusmodi antecedentem necessitatem determinationis voluntatis huius libertati infensam fugiant, comitantia solum comminiscuntur. Quid duplici huic argumento contra decretum comitans concurrendi cum creata voluntate adæquate per Deo omnino intrinseca constitutum respondeti probabiliter, ac similiter vero possit planè me non assequi fateor: neque vllum ex aduersariis assecuturum spero. Et quidem Gaspar Hurtado eorum vim, præ sua mentis ingenuitate, recognoscens ad illam distinctionem concursus, prout à Deo, & eiusdem, prout à creata voluntate recurrit: vt sub prima consideratione effectus, & necessarius, & à libertate creatâ ineuitabilis decreti diuini, tanquam causæ antecedentis, & natura sua illum pro posteriori necessario, à nobisque irresistibiliter atque incuitabiliter deuoluentis pro posteriori concursus actioni creatæ nostræ identificatus dicatur: sub secunda verò consideratione effectus necessarius decreti, tanquam causæ natura, & causalitate antecedentis negetur, eius tamen solutio hæc nemini postea placuit; satisque est à nobis exposita cert. 1. n. 2. & ipsa duplicis huius argumenti efformatione.

4. Gaspar de Ribadeneyra, duabus vocibus, dum decretum hoc comitans d. 10. citata explicaret argumentis præfatis solutionem præuenit dicens: decretum hoc esse causam concursus creati, & determinationis voluntatis creatæ cum ipso identificatæ efficacem affectiue solum, non autem esse efficacem causam illius, imò nec eius absolutè causam effectiue: quia decretum illud efficax respectu creati concursus Dei, & ipsi identificatæ determinationis, & concursus creaturæ, non, vt causa, sed solum, vt eius causalitas se habet, de cuius quidem ratione non est ad prius natura sui effectus, sed ad idem posterius cum ipso effectu pertinere, vt plurium Philosophorum probabilissima opinio est. Vnde, nec determinatione creatæ voluntatis anterior physice, seu physica causa decretum illud est, sed physice comitans solum; nec determinationis creatæ voluntatis libertati physicæ noxia eius efficacia; cum non sit physice, siue in linea physicæ actiuitatis, in qua libertas est, eius efficacia, & necessitas antecedens: Rationem hanc vocibus illis distinctionis suæ affectiue, vel effectiue coërcet; sed priusquam eius insufficientiam à ratione aperiamus, audiamus ipsum rei solum doctrinæ suæ de hoc decreto comitante intentum, earumque vocum oblitum; cap. enim secundo rei doctrinæ huius suæ viam præmuniens hanc Recentium Thomistarum doctrinam vt probabilissimam refert, laudat, ac probat. *Actum creatum oriri à duplici actione: altera exteriore, orta videlicet à Deo, & à creatura simul; altera vero immanente, ortaque à solo Deo indistinctaque à decreto diuino determinate ad nostrum consensum*: Vnde & hanc subdit propositionem suam eo, c. 2. n. 17. *Admittendum est causam increatam effectiuam nostri consensus esse ab æterno secundum ordinem causalitatis vltimo determinatam ad hoc, vt consensus noster existat tempore* A: *& consequenter est ab æterno extrinsece determinatus ad sic existendum*: consensus nimirum. Ecce non solum secundum ordinem durationis; sed secundum ordinem causalitatis Dei decretum de suo concursu, & ipsi identificato consensu nostro *causa* eius non *affectiua* solum, & *affectiue*, sed *effectiua & effectiua* per se est: quibus consequens c. 4. n. 40. & 41. *ea actionem increatam, & immanentem* Deo, cuique decreto identificatam, vt vocat loco primo, seu causam increatam effectiuam nostri consensus ordine causalitatis determinatam ab æterno ad illum, vt loco secundo appellat, *prædeterminationem* apte appellari posse fatetur: & sensu, qui non solam decreti, seu præfinitionis præcedentiam ex æternitate Dei ad temporaneum nostrum consensum; sed, qui naturæ etiam, & causalitatis, vt Thomistæ volunt, anterioritatem ad consensum importet: quam hic Doctor ex recitatis locis, non solum potest admittere, sed negare non potest.

5. Sed iam illam distinctionem causæ affectiuæ, ac non effectiuæ ab hoc Doctore datam insectemur: & primo. Quia ipsemet rei significatæ solummodo attentus, decretum Dei efficax concurrendi cum creata libertate effectiue etiam, & effectiuam causam concursus Dei, nostrique consensus esse fatetur: atque item hunc ortum decere à Deo illum nimirum decernente, & à creatura simultaneè, & identicè cooperante: nihil autem est ab alio, tanquam à causa effectiua ipsius aliquid fieri, quam ortum ducere ex illa: altera enim alterius propositionis periphrasis est. Imo, cum in ea propositione, non aliter creatæ voluntatis in concursum Deo extrinsecum, seu consensum physicam actiuitatem, & efficaciam effectiuam, nec affectiuam solum, explicet, quam, quod à creata voluntate oriatur, cum etiam à Deo oriri ibidem dicat, atque ex parte effectus indiuisim, eandem effectiuam, nec solum affectiuam, causæ, & efficaciæ decreto Dei respectu concursus extrinseci, seu consensus nostri eadem propositione significat. Ac tandem ordinem causalitatis causæ vltimo determinatæ ad consensum nostrum in Dei intrinseco æterno decreto recognoscit. Ex quo extrinsecus determinatus consensus noster sit: nihil autem aliud habet efficacia vlla effectiua causæ physicæ actiuæ, quam eius vltima determinatione sola extrinsecùs ita aliud determinatū esse, vt absolute apponatur ac fiat, vt ex illa extrinseca alterius determinatione non fieri, & non apponi absolute illud aliud prorsus physice, & metaphysice repugnet. Sed (ne in causa laboretur de vocibus *præcedit affectiue*, id est, vt actio, ac non, vt causa *effectiua* decretū Dei, ad concursum creaturæ seu nostrum consensum) certè creatū quidvis à Deo, vt effectiua causa est; nec negare potes Deum cuiusvis creatæ entitatis causam primam, & vniuersalem effectiuam alia-

esse: & quidem per liberam voluntatem, & decretum sibi immanens, & adæquate, in tua sententia, intrinsecum in actu primo proximo ad causandum constituì: atque hoc totum extrinsecum creaturæ esse, & cum actione, & effectu extrinseco, de quo est decretum, esse connexum: voca illud actionem, & causalitatem, ac non causam; tamen prioritatem, & physicam connexionem, seu efficaciam cum actione, & effectu extrinseco incuitabiliter apponendo non minus, imò causalitatis, & actionis nomine, magis explicas; cum nulla actio adhuc creata absque suo termino esse possit: quare non solo infrustrabilitatis decreti diuini; sed, & actionis nomine decretum concurrendi connexum physice, & essentia sua adductiuum sui concursus, & consensus nostri, quid ni physice, efficax, declaratur? Prioritatem naturæ, quam voce *causalitas* vult recentior iste occulere, quia in creatis actio, & terminus ad idem posterius naturæ spectant per plures: id quidem verum certo solum habet, cum actio, & terminus identificantur; & demus probabile esse; cum actio, & si à termino differat se tamen ex parte termini habet, & cum illo comproducitur, & suo modo ab agente progreditur. Ast; cum, & diuersæ entitatis à termino producto est; nec ex parte termini se habet, vt quid cum illo comproductum suoque modo ab agente progrediens; imò verò ex parte agentis se tenet, ipsique actio identificatur, vt de decreto Dei, quod actionem vocari vult, hic recentior faretur, ad prius naturæ, & causalitatis, ad quod agens ipse spectat, debet pertinere: argumento eodem, quo certum omnibus est, ad idem posterius naturæ pertinere, ad quod effectus, cui identificaretur spectaret. Atque, vt tam recentior iste, quam alij eius periculo discant, quanta doctrinæ, & veritatis factura vocum solum abusu grauibus Theologicis difficultatibus satisfiat: in communiori doctrina, adeoque communiori, vt opposita ab aliquibus grauibus censuris (immerito me iudice) notetur: nempe processionem actuam in diuinis identificari cum persona producente; passiuam verò cum procedente v. g actiuam generationem cum Patre, passiuam cum Filio, infertur iuxta huius recentioris doctrinam Patrem absolutè, ac verè loquendo non esse priorem origine filio: siquidem actio originatiua intrinseca ipsis ipsum non esse prius origine filio faciet; sed ad signum posterius origine filij illum, quatenus ipsum producit, & efficaciter producit faciet pertinere ex concepta processionis: sicuti in decreto Dei ab identificato respectu actionis consensus nostri extrinseci contingit: hoc autem in diuinis personis admittere temerarium vt minimum est, vt vidimus contrà. de Trinitate: ergo, & decretum concurrendi, ac Deus per ipsum causa effectiua prior natura, & causalitate, & efficax est respectu sui concursus determinate decreti nostrique consensus illi identificati: ergo, dum comitans illum asseritur contradictorium naturæ ipsius asseritur: ac, dum efficax astruitur, libertas nostra violatur ab huius decreti authoribus, qui per Deo intrinseca eius libertatem constituunt.

CERTAMEN III.

Eiusdem primi modi decreti comitantis per Deo intrinseca adæquate constituti impugnationes aliæ.

1. ARguo tertio. Quia decretum Dei hoc infrustrabile natura sua est; ergo nequit esse comitans solum determinationem creatæ voluntatis. Probo consequentiam. Quia, si purè comitans sit in horum sententia, quam nunc impugnamus, erit natura sua frustrabile eiusmodi decretum, quod eius naturæ, & antecedenti apud omnes, etiam aduersarios, constanti, luminéque naturæ noto contradicit. Frustrabilitatem eius decreti probo: quia conuenientia duorum agentium liberorum proximè in idem opus, & operationem, prorsus indefectibilis, (vt opus est ad decreti illius infrustrabilitatem) tripliciter excogitari solummodo potest. Primo, vt alterius determinatio alterum agens in determinationem ad idem ipsum agendum necessario indefectibiliter, atque irresistibiliter trahat, & hic modus in decretum pure comitans non quadrat, sed in decretum antecedens, & Recentium Thomistarum memoratum: siquidem ex eius determinatione determinatio creaturæ in consensum, eiusque operationem veniret: vnde ad eam, & consensum proximè libera creatura non esset, sicuti esset Deus. Atque ad pure comitantem duplicis agentis liberi, Dei nimirum, & voluntatis, vtriusque proximè, & ex æquo liberam, oportet liberam proximè esse creaturam. Secundò cum alterum saltem ex duobus illis agentibus proximè liberis, & purè comitanter se determinaturis alterius determinationem, antequam se absolutè determinet, ac proinde conditionatam eius determinationem præscieus, sese purificata cõditione determinat, suamque absolutam determinationem alterius determinationi absolutæ comitem adiungit, & hic modus ab iis, quos modo impugnamus non admittitur, nec locum in præsenti habere posse inferius ostendemus contra secundum modum radicandi connexionem decreti huius cum diuino concursu, determinationeque, & consensu creatæ voluntatis. Tertio indefectibilitas determinationis alterius liberi proximè agentis posita determinatione pure comitante æque proximè liberi agentis alterius excogitari posset per simpathiam quandam, qua determinato vno alterum de sese sympathice in idem determinaret. Vltra hos sane modos, non, nisi casualis vtriusque determinationis coniunctio ac proinde defectibilis restat: quare cuiusque ex illis determinatio natura sua frustrabilis est, tametsi de facto non frustrari eam possit absolute contingere. Propterea tertium hunc modum Ribadeneyra, & Derkennis nostri locis citatis, aliique ex nostris Recentiores amplexantur.

2. Derkennis siquidem ait Deum decreto indifferenti non solum applicatiuo suæ omnipotentiæ sed & voluntatis diuinæ ad creatam voluntatem, non solum omnipotentiæ, & actiuitatis suæ sed & voluntatis suæ determinationem: & decretum concurrendi creatæ voluntatis determinationi committere: ac proinde, sicut huius determinatio per consensum omnipotentiæ, & actiuitatis diuinæ operationem, & concursum secum comitanter solum trahit, ita, & voluntatis diuinæ determinationem concurrendi, seu de concurrendo determinate cum creata voluntate decretum secum comitanter deuoluat. Vnde, sicut Deum solum remote, non autem proximè liberum in cooperando admittit ita nec in decreto, & determinatione voluntatis suæ ad concurrendum determinate cum voluntate ad consensum Deum proximè liberum esse, sed solum remote faretur: quatenus in concipiendo decreto illo, non omnipotentiæ suæ solius, sed, & voluntatis suæ ad voluntatem creatam proximè liber fuit: De reliquo enim penes voluntatis creatæ libertatem omninò est, & seipsam, & voluntatem diuinam ad volendam consensui ipsius determinate cooperationem determinare. Quemadmodum in communi nostrorum sententia, qui decretum indifferens solius omnipotentiæ applicatiuum admittunt, liberè quidem cooperari creatæ voluntati absolutè, sed remotè, non autem proximè, fatentur. Vnde, huius Authoris sententia, comitantia hæc determinationis vtriusque voluntatis ad ponendum consensum voluntatis creatæ, etsi simultas earum determinationum sit; non tamen sympathia: quia anterius decretum, quo se diuinæ determinationi creata voluntas committit, præsupponitur; sicuti neque omnipotentiæ concursus cum creata voluntate sympathicus est: quia simili decreto indifferenti applicatiuo diuinæ omnipotentiæ ad voluntatem creatam initiitur: quare ea simultas ex commissione physica voluntaria alterius voluntatis, & actiuitatis in alteram voluntatem, & actiuitatem quoad concursum; & determinationem; non autem ex sympathica est. Certè hic modus rectè comitantiam propriam decreti, & determinationis diuinæ voluntatis ad concursum ad extra; & consensum nostrum determinate cum nostræ voluntatis determinatione, & libertate componit; sed reiiciendus aliunde est. Primo: quia proximam Dei etiam in decernendo determinate, & apponendo concursu suo libertatem, cui solum tuendæ excogitatum decretum comitans est, deserit aperte:

Secundo, quia, ea deserta, absque illo libertas remota sola voluntatis diuinæ in operando decreto indifferenti applicatiuo omnipotentiæ voluntati creatæ ad diuinæ actiuitatis vsum saluatur: quare applicatiuum aliud diuinæ voluntatis necessarium non est.

3 Tertio; quia positio hoc decreto indifferenti applicatiuo diuinæ voluntatis ad creatam, adhuc noa est determinatio voluntatis diuinæ, seu decretum determinatè concurrendi: ergo non potest esse, aut concipi à Deo comitanter, & pro eodem signo posteriori determinationis, seu consensus voluntatis creatæ. Probatur consequentia. Siquidem nec determinatione, & consensu creatæ voluntatis constitui decretum illud determinatè concurrendi (in horum sententia de eius per Deo intrinseca constitutione adæquata) vllatenus potest: nec denuo absque alicuius motiui cognitione, quod pro priori nondum appareret, potest à Deo haberi: nequitque aliud esse præter determinationem creatæ voluntatis, vel conditionatam (cuius conditionatæ scientiæ non inniti comitans hoc decretum Recentior hic statuit) vel absolutam: & tunc decretum, ea præscientia regulatum determinationem creatæ voluntatis non comitans quidem, sed sequens erit: nec concurrendi ad eius determinationem, & consensum, quem absolute positum supponit, poterit esse decretum. Ac demum cum hæc ita commode ex nuda Dei voluntate possint euenire; imò tandem de facto posito indifferenti huius recentioris decreto venire fatendum ipsi sit, decretum illud indifferens voluntatis diuinæ ad creatam applicatiuum, etiam quoad determinationem, & affectum voluntatis diuinæ determinatæ ad concursum, cum voluntate creata, eiusque consensum tendentis non singulariter solum, sed otiosè, ac irrito prorsus excogitatum est. Dixi autem quoad determinationem voluntatis & affectum ad concursum, & consensum creatæ voluntatis, vt euasionum præoccuparem, quæ ex sententia satis communi, & mihi vera, ex indistinctione etiam metaphysica omnipotentiæ à Diuina voluntate posset adhiberi. Imò & pro Derkennis sententia argumentum contra nos retorqueri: etenim in ea nostra, & satis communi sententia de identitate, etiam formali, diuinæ potentiæ, & voluntatis duplex determinatio, & exercitium, seu actus diuinæ voluntatis subordinatus tamen est, si enim disparatè, ac non subordinatè se haberent dubio procul duplex principium formale terminarent: sunt autem diuinæ voluntatis actus alter affectiuus, qui decretum, & volitio Dei libera est tota ad intra consummata, & constituta: eóque medio actum alium effectionis, & effectus ad extra immediatè ponit: quin intermedio alio prædicato potentiæ actiuæ, cui eius determinatio affectiua, adhuc metaphysicè, intimari, vt ab ea actio prodeat, intelligatur egere: quare, & si, quoad extrinsecum actum operationis, & consensus creati, qui simul à creata voluntate essentialiter prouenit, applicari diuina omnipotentia, seu voluntas voluntati creatæ possit, eiusque determinationi, & consensui libero subdi, secus autem quoad actum affectiuum voluntatis diuinæ intrinsecè prorsus identicè physicè, & adæquatè à Deo concipiendum. Siquidem physica affectiua voluntatis cuiusvis determinatio, cuique voluntati propria essentia sua est, nec alterius voluntati delegabilis physicè, etsi delegabilis sit moraliter, & ciuiliter: demum ex hac doctrina infertur, Deum æque, ac nos actionem prauam comitanter velle cum praua nostra ad illam determinatione Dei voluntatem ad illam determinatę determinemus.

4 Restat pure ac propriè sympathica determinationis vtriusque affectiuæ diuinæ per decretum Deo adæquatè intrinsecum, & humanæ per operationem, & consensum cooperationi, & concursui extrinseco Dei identificatum comitans consensio: quæ excogitari rursus potest dupliciter (si non mutua inter vtramque voluntatem, & adæquata cogitetur) sed solum ex parte voluntatis alterius, nempe, vt determinationem diuinæ voluntatis comitari debeat, comitémque se præbere determinatio voluntatis humanæ, vt videbitur fors Ribadeneyra sentire, cum totus sit in componenda libertate creatæ voluntatis cum decreti comitantis efficacia, & physica connexione cum illa, ex eo, quod comitans solum sit non antecedens, solúmque comitanter, non consequenter determinationem creatæ voluntatis trahat, atque eius consensum deuoluat: è contra ex Derkennis recitato, & impugnato nuper modo detrahens quispiam decretum indifferens prævium diuinæ voluntatis applicatiuum voluntati creatæ, etiam quoad illius affectiuam determinationem, nudámque voluntatem diuinam cum sua natiua libertate, & potestate relinquens, dicere posset; sympathicum motum solum ex parte diuinæ voluntatis se tenere, non autem ex parte voluntatis creatæ: quia diuinæ voluntatis determinatio determinationi creatæ voluntatis comitem se adiungere, eamque comitari tenetur; non autem contra determinatio creatæ voluntatis comitari debeat determinationem diuinæ. Vtriusque huiusmodi aliquale exemplum est in nostro rationali, & sensitiuo appetitu, siue indifferenti voluntate, & appetitu nostro, aliisque nostris executiuis facultatibus, in quorum motibus mutua sympathia, & adæquata ex parte vtriusque non intercedit, etsi enim ad determinationem, & motum liberum voluntatis moueri etiam eæ facultates debeant, non autem ad cuiusvis earum motus voluntas indifferens debet moueri, sed certè neuter modus difficultatibus hactenus contra decretum hoc comitans plenè satisfacit. Nam primus, & si diuini decreti infrustrabilitatem planè componat, secus eius determinationis nostræ, & consensus creati libertatem, atque illius respectu huius antecedentiam certam. 2. demonstratam non excludit, vt amplius impugnatione tertij modi clarescet. Secundus autem modus, etsi creatæ determinationis libertatem defendat, secus diuinæ & decreti efficacis infrustrabilitatem. Nam voluntatis diuinæ Catholica absolutæ libertate perstante, ex non mutua hoc sympathia infertur solum ad determinationé creatæ voluntatis nō posse non diuinam voluntatem moueri affectiue, vt idipsum velit, quod creata, non autem infertur, quod velle illud nequeat, idipsum non volente creata voluntate: id enim esset mutuam, & adæquatam ex parte vtriusque voluntatis sympathiam determinationum adstruere, ac tertium modum iam proponendum sequi. Mitto cætera contra Derkennium dicta, quorum pleraque, & hunc modum impugnant: certe exemplum, quod produximus non mutuæ, & inadæquatæ sympathiæ, quoad suas operationes, inter voluntatem, & executiuas nostras potentias inter duo agentia libera non est; nec earum operationum comitantiam, sed determinationis voluntatis physicam antecedentiam, & ordine causalitatis prioritatem respectu motionis facultatum aliarum, quibus de potice voluntas dominatur, ac imperat, quæque ex eius imperio, & nutu desporicè subinde mouentur, apertè probat: vt videant aduersarij nullo exemplo non mutuam hanc comitantium operationum duorum agentium liberorum induci, explicarive, imò, nec concipi posse quod ipsum de mutua etiam eorundem sympathia facile ostendam.

5 Tertius igitur modus, quo vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ comitans motus sympathicè excogitari, explicarique potest per sympathiā mutuā, atque ex parte vtriusque comitans determinatio voluntatis, est: Etenim quemadmodum in duabus Cytharis prorsus accordibus propè positis contingit, vt alterius solum fidibus pulsatis, non illæ solum, sed alterius etiam cytharæ fides consonent: ac proinde vtrarumque fidium simultanea consonantia, & comitans est: ita & præfatarum determinationum voluntatis vtriusque diuinæ, & humanæ ad cooperationem, & consensum, simultatem, & comitantiam per mutuam sympathiam consensus concipi, & explicari posse videtur, absque libertatis vtriusque læsione, & efficaciæ decreti, seu determinationis diuinæ voluntatis infrustrabilitate. Siquidem neutra voluntas sine altera efficaciter in consensum creatum, & vitalem essentia sua, à Dei voluntate, qua creatura est, atque, qua vitalis, & libera est, à creata voluntate pendentem, ferri possit. Rursus ratione mutuæ sympathiæ, quotiescumque alterius determinatio sit, non potest non esse determinatio alterius quare determinatio efficax Dei erit omninò infrustrabilis, qua vero sympathicus pure, consensus vtriusque determinationis, (quia sympathia sola operationum alterius ad alteram antecedentiam, & prioritatem causalitatis non requirit) solum comitans vtraque determinatio voluntatis vtriusque erit, ac neutrius liberas ratione

tione mutuæ inter se connexionis, & illationis lædi poterit: cum non, nisi antecedente natura, & causalitate voluntatis cuiusvis, atque determinationis eius libertas lædi possit: quo rectè omnia, quæ de vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ actuumque ipsarum libertate, atque insuper de diuini decreti omnimoda infrustrabilitate fides, & Theologia docent, integrè, & Catholicè persistunt. Cæterum sympathiæ motuum in agendo operantium diuersorum hactenus notæ, atque experimentis compertæ operationum simultatem, & comitantiam temporaneam & in duratione probat; non autem simultatem, & comitantiam causalitatis & naturæ. Imo verò alterius motus ad alterum naturæ prioritatem, in Sympathico motu nostrarum facultatum ad efficacem motum, & imperium voluntatis notissimum est: in motu sympathico Cythararum, apud omnes etiam, est compertum eius, quæ pulsatur, fidium pulsationem, & sonum in causa omnino esse vt alterius consonent simul tempore æque temperaturæ fides, etsi quanam qualitate, aut entitate consonantium aliarum sonus sine pulsu immediato earum edatur, non ita exploratum sit: in aliis similibus sympathicis motibus ciscitantis, & mingentis ad alterutrius visam, siue ciscitationem, siue minctu ram huius alterius præfatos motus similes primos motuum illius causas esse omnes, tam Medici, quam Philosophi statuunt: de modo autem causandi solum disputant, & dissentiunt.

6. Sed quamvis simultanea, & comitans etiam ordine causalitatis eorum motuum sympathia mutua in naturalibus agentibus diuersis admitteretur, adductisque probaretur exemplis; inde in diuersorum agentium liberorum motibus traduci haudquaquam posset. Primò: quia, hoc in motibus duorum agentium, seu voluntatum proximè liberarum admisso, posset admitti inter duos Deos: vnde argumentum Patrum contra Deorum pluralitatem: quia diuersas voluntates haberent, ac volente vno mundum producere repugnare alter sua voluntate posset, prorsus corruit: siquidem ex sympathia comitante hoc determinationem vtriusque voluntatis eorum, neuter sine altero vellet aliquid, velleve posset vt bene Arriaga disp. 42. à numer. 43. ac proinde non solum, quod vult alter, nolle, sed, nec, quod vult alter non velle nequiret. Respondet Ribadeneyra satis euinci duplicis illius voluntatis deorum illorum imperfectionem ex eo, quod neutra absque alterius electione eligere posset, ac proinde neutram diuinam esse, neutrumque subinde Deum: sed Patrum argumentum non inde imperfectionem duarum illarum voluntatum, ac subinde Deorum illorum imperfectionem, & repugnantiam demonstrat; sed ex possibilitate repugnantiæ in suis motibus, ac decretis duplicis voluntatis illius, quæ hac motuum, & determinationum duplicis voluntatis proximè liberæ admissa redditur impossibilis, Patrumque ratio corruit. Secundo, connexio cum alio in eligendo, dummodo duplex voluntas, & libertas non sit, non arguit voluntatis, & alicuius necessario coeligentium imperfectionem, vt patet in necessaria coelectione personarum Trinitatis, quarum nulla aliis æque proxima libertate non coeligentibus potest quidquam velle: quare tota imperfectio non in necessitate coeligendi, sed per voluntatem cuique coeligentium diuersam est: idque ob impossibilitatem simultaneæ, ac pure comitantis; nec alterius ad alteram natura, & causalitate præcedentis electionis: sin, ostende aliunde imperfectionem in necessitate coelectionis vnius voluntatis ad aliam: id quod ostendo in ita respondentis doctrina, quam impugno: siquidem per ipsum coelectio, & determinatio ad operationem, & consensum vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ mutua datur sympathicè, vt in duabus illis voluntatibus duplicis Dei; & tamen non inde admittes inferri imperfectionem voluntatis diuinæ, ni tuam sententiam impugnes: ergo ex præcisa necessitate coelectionis, & conderterminationis duplicis voluntatis, & agentis liberi, non potest inferri alterutrius imperfectio; sed solum ex comitantia sympathica, quam adstruis, quæ subordinationem humanæ determinationis ad diuinam, eiusque prioritatem naturæ excludat: quod si, vt hoc deuites, ad sympathiam inadæquatam, ac non mutuam recurras; sed solum ex parte determinationis creatæ voluntatis Dei comitari determinationem debeat non verò suam Deus, humanam voluntatem proximè liberam, vt contendis, non tueris; imo nec remotè, vt iam ostendam: & incidis indicta contra primum, & secundum sympathiæ comitantis modum.

7. Secundo proxima libertas agentis liberi ad suas determinationes, & actus est, dominum absolutum physicum (quod in solidum vocatur in ciuilibus) in suas determinationes, & actus ita enim à Patribus, & Theologis cunctis recitatis d. 1. explicatur hominis libertas per dominium absolutum in suos actus, & voluntates, quia est suorum actuum Domina: atqui, mutua hac sympathia comitante admissa, neutra voluntas est domina absolute, haberve absolutum Dominium suarum determinationum, & actuum; ergo neutra est absolutè libera. Probatur minor: quia absolutum dominium ciuile, & in solidum (naturalis, & physici huius agentis liberi imitatiuum) potestas est vtendi iuste re sua absque dependentia voluntatis alterius, siue absque iniuria cuiusvis alterius, etiam renuentis: atqui hac comitante sympathia admissa, neutra voluntas potest suo actu, & determinatione vti absque dependentia physica voluntatis alienæ, siue quin alterius adsit determinatio: ergo neutra suæ determinationis dominium habet absolutum physicum. Confirmatur: quia cuicumque non licet iure re aliqua vti quin in illum vsum alter consentiat, non habet absolutum dominium ciuile rei illius. Confirmatur secundò: quia inde solum statum in iure, & ratione naturali est dominium absolutum, seu in solidum rei eiusdem ciuile penes duos esse non posse sed ex parte solum. Tertio, sympathia non mutua, siue ex parte vnius voluntatis mouendæ necessario ea determinandæ ad motum alterius, non autem è contra, non relinqueret libertatem voluntati ad alterius motum necessariò determinandæ: quia determinatio huius secum traheret necessario voluntatis illius determinationem, ac proinde non posset non alterius determinatio, quæ illius determinationem trahit, esse antecedens: ergo nequit non esse antecedens determinatio cuiusvis ex mutuo sympathicè mouendis respectu alterius, cuius determinationem secum necessariò, & inseparabiliter deuoluit: quare, non vnius tantum, sed vtriusque mutua hac sympathia, qua seruari putatur, aboletur libertas, & determinatio antecedens vtriusque determinationi inducitur. Quinto, consonat huic rationi communis Patrum d. 1. doctrina asserentium: nihil esse, quod voluntatem creatam ad suos actus determinet, nisi eius arbitrium: Deumque in manu consilij sui, & electionis hominem, ac eius voluntatem reliquisse, quia liberum condidit: supponentes plane (vt naturalis rationis lumine constat) determinationem nullam Dei, si alienæ cuiusvis voluntatis humanæ determinationem deuoluat posse non respectu huius antecedentem esse & quæ plenâ huic electionem non relinquat ecqua verò electio plena huic relinquetur, vel Deo etiam, si alterutrius determinatio alterius determinationem, siue qua nequeat subsistere, necessario deuoluat? Merito ergo citatus Arriaga num. 47. sympathiam hanc comitantem duorum agentium liberorum: neutraque ex parte antecedentem, imperceptibilius quid, quam distinctorum in vno tertio identitatem fatetur.

CERTAMEN IV.

Comitantis sympathiæ impugnationes reliquæ.

1. VLterius mutuam hanc sympathicam comitantiam seruata vtriusque, Dei scilicet, & hominis, libertate in suis determinationibus impugno inde enim in fertur omissione libera & ex electione cuiusque, debere esse etiam liberam, & ex electione omissionem alterius, neque ab electione, & determinatione alterius determinatam, sed pure comitanter huic adiunctam. Patet: quia, si vnicuique ex eis de se consideratò libera, & ex electione sua ad vtrumque potestas in actu primo proximo non est, nempe determinationem, & omissionem, determi-

natio habita libera esse non potest; inde habitibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, & cogitationibus, ac reliquis intentionalibus motiuis libera determinatio & omissio non est, etsi cum alterutra coniungi possint: quia electionis ipsorum alterutrius positio non est; sed solius voluntatis ipsis instructæ, & pro arbitrio suo alterum apponentis, vel determinationem, vel omissionem eius, vel puram, vel per contrariæ determinationis suæ incompossibilis positionem. Pone ergo (quod quotidie euenit) voluntatem creatam peccare omissione consensus, & determinationis sibi præceptæ: quia non obstante mutua hac comitante sympathia libere ex se, ac electione, vt fateris, sua eius determinationis suæ omissio ponitur: ergo tunc etiam determinationis concurrendi omissio ex Dei libertate, & electione ponitur: atqui huius determinationis omissio connexionem physicam absolute habet cum omissione determinationis voluntatis creatæ præceptæ: ergo Deus de se se, voluntate, & electione sua ponit aliquid physicè connexum cum materiale peccati, ac proinde cum ipso peccato, & quod illud ratione eius connexionis nequeat non determinare, imò & voluntatem ad illud creatam determinare. Respondet Ribadeneyra d.11.cap.4 Deum in eo casu potentem proxime esse, pro signo suæ libertatis, ad positionem è sua electione, tam decreti, quam omissionis decreti, vt argumentum probat; non tamen, vt coniunctam cum creata obligatione ad determinationem suam, seu consensum ipsi præceptum: vt dici solet, Christum Dominum posse omittere actum præceptum, non coniunctim, sed diuisim à præcepto: quare, cum homo coniunctim cum præcepto, & obligatione determinationis, & consensus, eius omissione peccat, Dei omissionem, poni quidem, non autem ex electiua libertate, sed pure permissiua Dei, quatenus determinatione sua concurrendi in consensum omissionem determinationis creatæ posset impedire, determinationem etiam creatam afferret; & tamen ex determinatione creata eam omissionem poni finit.

2. Contra tamen: quia permissio libera Deo est posito præcepto, & obligatione creaturæ ad suam determinationem, vel consensum apponendum elective formaliter, & proximè: cum per te, præcepto, & obligatione illa creaturæ posita, de se se permittat, non apponendo decretum concurrendi ad determinationem creaturæ, quod proxime pro suo arbitrio posset, & quo creatæ omissionis impedimentum apponeretur, ac non permitteretur à Deo: atqui permissio hæc Dei, præcepto, & obligatione illa posita, nihil aliud formaliter est esseve potest, quam omissio decreti, quo impediretur omissio determinationis creatæ: ergo stante præcepto, & obligatione creaturæ omissio decreti libere, & elective à Deo de se, atque eius arbitrio ponitur. Minor patet: quia nil aliud, quod pura permissio esse possit, designabis quod decreti illius omissio non sit: & quidem signum, pro quo Deus elective permittit homini, vt seipsum determinet, posterius est non solum potestate indifferenti voluntatis, seu libertate diuina in actu primo: sed etiam potestate indifferenti in actu primo hominis, qui indifferens supponi ad eam permissionem debet; atqui actus secundus permissionis non à libertate diuina illa proueniens: nec præcedens libertatem hominis in actu primo, eamve extrinsecus complens, seu absolutè expediens, nihil aliud esse potest quam omissio decreti illius quo impediretur hominis omissio determinationis, & consensus præcepti. Contra secundo, quia obligatio creaturæ ad consensum præceptum nihil mutat indifferentem Dei potestatem proximam ad concipiendum decretum, vel omittendum pro suo arbitrio electiuè, siue pure ex libertate contradictionis, siue ex libertate contrarietatis: ergo eodem modo potest omittere decretum illud, siue præcepti obligatio ad consensum adsit, siue absit vrgentius. Non solum potest, sed debet. Posita etiam obligatione creaturæ, nequit ea libertas absoluta expedita, & proxima Dei in actu primo ad decretum eiusve omissionem alterutro actu secundo non exerceri, manereve ab omni exercitio suspensa: ast eam posita obligatione illa, & omissione creaturæ, appositione decreti concurrendi exercere non potest, vel saltem non exercet. Ergo appositione omissionis decreti. Maior indubitata hactenus est. Proxima enim libertas absoluta ad vtrumvis extremum connexionem cum alterutrius positione habet: nec minorem, quam animal cum rationali, vel irrationali: vt non minus implicet neutri coexistere, quam animal existere, quod nec sit rationale, nec irrationale, vt bene Annatus noster Apolog. pro scientia media in Zuisio. Alioqui de ea voluntate siue agente proxime libero absolutèque expedito, & capaci duo contradictoria in eodem instanti, atque in Deo per æternitatem verificarentur, nec vult, nec non vult concurrere: quod non minus implicat, quam corpus albedinis capax, nec esse album, nec non esse album: quod enim pro naturæ priori, nec velit voluntas libera nec non velit, sed præscindat, atque vtriusque extremi negationem, & contradictionem sonet, contradictio non est: est enim prius illud, à quo, non in quo: id est prioritatis naturæ, & causalitatis non verificationis existentiæ prædicatorum, quæ ad illud signum naturæ non spectant. Contra quarto: quia non obstante libertate proxima Dei ad alterum extremum omissionis decreti ex aduentu præcepti, & obligationis creaturæ potest relinquere determinationem suæ omissionis determinationi creaturæ: ergo non obstante libertate proxima ad determinationem, & decretum suum concurrendi, in tua sententia, poterit relinquere illam determinationi creaturæ: multoque facilius concursus illius, & actiuitatis suæ ad extra siue omnipotentiæ suæ vsum determinationi creaturæ liberæ: hic enim mediate liber Deo solummodo est, exercitium immediatum libertatis diuinæ per liberam eius volitionem, quæcunque ea sit, omninò immanentem, & per intrinseca Deo adæquate constitutam supponens.

3. Demum nequit esse libertas ad vnum extremum proxima, quin, & ad eius oppositum proxima etiam potestas sit: cum indiuisibiliter eodemque gradu vtrumque disiunctim, siue alterutrius extremi ex oppositis possibilitas, sit liberi agentis in actu primo libertas, in quocunque gradu consideretur, & consistat: quare, vt libertas proxima sit ad actum apponendum ad illum ipsum omittendum proxima libertas esse debet; alioqui, si proxime nequit illum omittere; nec potest libere proxime illum ponere: vel ergo stante præcepto, & obligatione creaturæ ad consensum potest Deus ponere liberè proximè determinationem suam ad concurrendum, vel non potest; si potest: ergo stante præcepto, & obligatione illa creaturæ, & coniunctim cum illa, potest libere proximè decretum concurrendi cum creatura omittere: ac proinde de se se, ac non ex determinatione, & consensu creaturæ illud omittet, ponetque de se se, atque è suo arbitrio & electione omissionem decreti cotidianam cum omissione peccaminosa creaturæ, vt contendimus: si non potest libere proxime siue libertate proxima decretum concurrendi ponere; sicuti nec eius omissionem; ergo, sicuti hanc, ais, ex determinatione creaturæ tunc apponendam, non autem à Deo de se se, atque electione sua, ita & decretum concurrendi non è Dei electione, sed ex determinatione creaturæ, tunc apponendum dicere debes: quo ergo abiit libertas proxima Dei tuumque illud fundamentum præcipuum, & à pueri quod vocas? quia scilicet æque diuina voluntas exercere debet immediatum dominium erga bonos consensus creaturæ, atque omnipotentia exercere debet immediatum influxum in illos: quod decreto solum efficaci, nec antecedenti: quare comitantem potest exerceri: vt enim omittam, quoad immediationem exerciti, ab omnipotentia, ad dominium voluntatis consequentiam non valere: cum ad actus prauos stante etiam prohibitione immediatum exercitium, & influxus omnipotentiæ detur; non autem diuinæ voluntatis, eius tamen exercitio aliquo libero omnipotentia concurrere debet; iam tua hac doctrina ad exercitium dominii in actus etiam bonos, etiam per efficax decretum concurrendi, nullatenus requiri exercitium proximè libertatis diuinæ erga actus bonos deducitur: quod longè abilius ex se se esse patet, quam exerceri dominium voluntatis diuinæ mediate solum, quatenus per decretum indifferens adæquate per Deo intrinseca constitutum de se se, atque ex sua electione Deus suam applicat omnipotentiam voluntati creatæ, vt eius vsum ad extra determinet, non autem voluntatis diuinæ vsum, & exercitium ad intra. Huius enim determinatio, si creatæ voluntati

iuxta

iuxta Recentioris istius doctrinam permittatur, non proxima solum, sed omnis diuinæ voluntatis libertas abolebitur: quare debillimum Recentioris huius fundamentum quod amplius ex subiicienda statim probatione constabit.

4. Postrema contra sympathicam hanc voluntatis diuinæ, & humanæ in iis determinationibus comitantiam probatio ex communibus principiis sit, quam superius attigimus contra negatam antecedentiam naturæ, & causalitatis determinationis voluntatis diuinæ, seu decreti concurrendi ad determinationem & consensum creatæ voluntatis, etenim consensus, & determinatio huius non minus prouenit à Deo, vt causa libere agente, quam à creatura: ergo, vel influxus Dei, vel debet in se, & secundum se esse exercitium liberum formale indifferentis voluntatis, seu libertatis in actu primo diuinæ, sicuti est exercitium liberum formale libertatis in actu primo creatæ, vel debet exercitium libertatis diuinæ supponere. Patet: nam nullo alio modo potest à Deo, vt causa libera consensus ille procedere, nisi mediatè, quia ab eius libera determinatione mediante inter indifferentiam, seu libertatem in actu primo voluntatis diuinæ procedit, vel immediate, quia consensus ipse, & determinatio creatæ voluntatis est formale exercitium libertatis in actu primo diuinæ: quare determinatio illa voluntatis diuinæ; si diuersa ab ipso consensu est, nequit non esse antecedens, seu pure comitans: nam consensus, nec mediate nec immediate liber Deo tunc erit: nullaque alia libertas operationis respectu indifferentis potestatis cognita hactenus, imo, nec cogitabilis est, nisi mediata, vel immediata & hæc quidem dicit antecedens eius indifferentiæ exercitium, & determinationem aliquam pro priori naturæ, & causalitatis præsuppositam, quod eius comitantiam cum operatione mediate solum libera excludit, vt patet. Atqui consensus creatus formale exercitium libertatis in actu primo arbitrij diuini per hunc Recentiorem, & rationem non est: ergo eius arbitrij exercitium, & determinatio tota immanens diuina comitans consensum creatum non est, sed natura & causalitate antecedens. At inquis nequit esse antecedens ea determinatio voluntatis diuinæ erga consensum creatum: quin voluntatis creatæ determinationem secum necessario deuoluat, atque ex priori naturæ ad omnem vsum libertatis physicè inferat: verum, etsi determinatio illa antecedens natura consensum creatum indifferentiæ voluntatis diuinæ determinatio sit per libere à Deo conceptum decretum indifferenter concurrendi cum voluntate creata; non tamen consensus, aut (quod idem reipsa est, concursus diuini determinatio est: quia respectu illius determinatè non est; sed ad vtrumvis vis omnipotentiæ diuinæ voluntati creatæ applicatio, & oblatio, vt ea pro suo vtatur arbitrio, & determinatione, secumque eius influxum operationis suæ comitem trahat, vt quæst. 2. explicabimus, vbi hypothesim ad futuritionem contingentium conditionatam (qui huius disputationis scopus totus est) claram exactè constituemus.

5. Iam ex peculiaribus nostris ad efficaciam auxiliorum, & scientiæ mediæ spectantibus principiis comitans hæc determinationum diuinæ, & humanæ voluntatis ab hisce nostris Recentioribus inducta reiicienda est. Nam primo, non minus, quam à nostro consensu, & determinatione libera nostræ voluntatis auxilium quodvis, inexpectata etiam nostra determinatione, & consensu, ex sola determinatione Dei de concursu ad consensum, quem tamen continenter sympathicè, non autem antecedente necessitate secum necessario deuolueret, efficax constitueretur id quod deuorandum, imò deuoratum ab hisce Recentioribus, est d. 10. de prædest. cap. 4. n. 49. *Liberum*, inquit, *est Deo facere, quod auxilium sit efficax, vel non sit efficax*. Numer 53. *Non minus potest Deus reddere infallibilem nostram conuersionem sub hypothesi vocationis, quam nos ipsi quando eam exequimur*. Numero 55. *Sicut iuxta prædeterminantes situm est in libertate Dei conuertere infallibiliter nostram voluntatem*, &c. *Similiter in nostra sententia per adiunctionem decreti comitantis*. Secundo directio Scientiæ mediæ ad præfinitos actus nostros liberos per media de se indifferentia quorum præfinitione hi cum pluribus ex nostris admittunt, scientia tamen media regulatam) nullatenus necessaria erit: si determinationum voluntatis diuinæ, & humanæ comitans solum sympathia admittatur. Talis enim inter præfinitionem & actum præfinitum æque, atque inter decretum concurrendi, & nostrum consensum admitti potest: qua, & præfinitionis infrustrabilitas, & consensus nostri libertas saluetur: sed neque hoc absurdum multum excoriabit, vt deglutiat, qui scientiam mediam Deo adesse prædestinanti, vt capitis solum ornamentum, non autem vt directiuam ad prædestinationem supponi, contra omnes nostros Doctores, ausus est asserere, alio ductus argumento, quod nos ipsi Theologiæ auditores Recentissimi contra scientiam mediam, & pro Suaristicis præfinitionibus primum in nostrarium Thesibus obiecimus, nec maturiores Theologi satis facile diluimus, vt controu. de prædest. videbitur. Tertiò, quam indistanter hi Recentiores à Dominicanis præfinitoribus discurrant vidimus cert. 1. Nam statura determinationum sympathia, & præfinitio prædeterminatiua consensus nostri comitans solum esse potest, & concursus determinans ad consensum per modū causalitatis nostræ operationis erit; non autem per modum causæ effectiuæ, & naturæ ordine antecedēris, sed affectiuæ solum, vide quam in id ipsum, quod refugis tua hac sympathia recurras. Denique Recentiores horce impugno ostensione falsitatis fundamenti eorum alterius, & suo iudicio præcipui: quia ex decreto hoc comitante claret, nouam esse orationis ad Deum materiā nobis plena potestate ad consensum constitutis ipsum consensum, quem nobis Deus potest decreto suo comitanter afferre. Si enim plena potestas nostra ad consensum constituta per decretum indifferens sit, nec comitāri alio opus nostra deliberata determinatio, & consensus habeat, solius nostræ potestatis erit consensus, ac subinde inepte ab alio, in cuius potestate non est, peretur, vt rectè Augustinus c. 18. de natura & gratia his verbis aiebat: *quid stultius quam orare, vt facias quod in potestate habes?* Sed argumento eodem sympathiam comitantem determinationum reiicio, vel enim necessitas decreti huius comitantis ad consensum, & determinationem nostrā plenam nobis in actu primo proximo potestatem ad consensum nostrum relinquit, vel secus? si non relinquit, nec relinquit nobis libertatem: si relinquit, relinquit etiam nobis potestatem, vt determinatione, & consensu nostro comitanter etiam Dei decretum, & determinationem trahamus: *quid ergo* (vt verbis Augustini vtar) *stultius quam orare, vt facias*, consensum, & subinde Dei comitantem determinationem, *quod in potestate habes?* Nec enim dixit solum, quod non est in alterius potestate, sed *quod est in tua*, vti in nostra esse, & determinationem nostram, & ob comitantem connexionem Dei determinationem, & decretum concurrendi Recentior iste fatetur. Adde Augustini verba de potestate ad rem, quam agere possumus effectiue, seu actiua & ex actiua etiam iure naturæ, esse contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui pro debitis iure naturæ rationali creaturæ orare nos Deum posse, imò nihil amplius nos, & Ecclesiam orare, cum Deum pro exercitio virtutum nostro oramus, contendebant, vt gratiam Dei vltra naturæ debitum non admitterent. Decretum autem concursus diuini necessariò nobis ad consensum, & solum ratione ipsius determinatio nostræ voluntatis, seu consensus intra debita nobis iure naturæ, & creationis sunt: quare nec pro decreto concurrendi, nec pro consensu præcisè, vt decreto illo nobis potest adduci, preces ad Deum nisi inepte, fundi à nobis possunt, fundantur autem prudentissimè, atque aptissimè, fundique ex Augustino, & Catholicis contra Pelagianos, & Semipelagianos à nobis debent pro eis, quæ potestatis nostræ actiuæ naturalis vel exactiuæ non sunt, nondumque ex Dei gratia habentur: de habitis enim oratio non est, sed gratitudo: cuiusmodi est auxilij gratiæ, quod nondum habemus, efficacis donatio, & de eo conferendo misericors Dei voluntas: ratione quarum bonum consensum nobis Deus donat, & principaliter in nobis operatur, eis autem positis ac præhabitis consensum nostrum à Deo petere stultum foret.

CERTA

CERTAMEN V.

Decretum comitans, etiam extrinsecùs constitutum, ac Scientiæ mediæ subrixum admitti nequit.

1. PRæfatæ impugnationes decreti concurrendi comitantis in iis, qui decretum Dei per extrinsecos effectus, & operationes constituunt eandem vim omninò omnes non habent: etenim, qui constitui per intrinseca Deo adæquate docent antecedentiam, & decreti huius, & connexionis cum determinatione, & consensu creatæ voluntatis, atque euersionem creatæ libertatis vitare non possunt: vt fusè hacteaus contra ipsos monstratum est; id quod in constituentibus decreta libera Dei per extrinseca, æquum locum non habet: cum Dei decretum concurrendi, & determinatio libera in actu secundo consensu ipso, & operatione creatæ voluntatis, quæ actus secundus, & determinatio huius voluntatis est, compleatur: ac proinde ad idem posterius natura respectu libertatis creatæ spectat, cui propterea officere nequeat, cum natura & causalitate exercitio eius libertatis non præcedat: solaque indifferens voluntatis diuinæ, sicuti & humanæ, ante vtriusque exercitium determinatum, ac liberum cõsensui creaturæ identificatum supponatur solum, quæ certam. 3 à n. 6. ex mutua dependentia duplicis agentis liberi in se determinando, & operando, adhuc comitanter, vtriusque libertatem euerti probabant, in hac etiam constitutione decretorum Dei liberorum per extrinsecas operationes, & effectus æque probant: vt ea perpendenti, & penetranti facile clarebit: pro euersione autem creatæ libertatis speciatim in hoc modo constituendi decreta libera Dei nihil prorsus est, quod apparẽter adhuc, pugnet, vt nuper ostendimus: sed nec pro decreti frustrabilitate: cũ enim vtriusque exercitij liberi voluntatis vtriusque constitutiuum idem ipsum sit, nempe, & Dei concursus, & operatio, seu consensus illi identificatus creatæ voluntatis, neutrius exercitium liberum alterius exercitio deficiente esse poterit: alterius vero exercitio deficiente non poterit non alterius exercitium liberum deficere: quare neutrius decretum; seu determinatio libera poterit vllatenus frustrari solum in hac etiam constitutione decretorum Dei per extrinseca duæ in re præsenti difficultates restant. Prima liberum vtriusque voluntatis exercitium casu in eundem consensum, & operationem concurrere. Secundo decretum efficax Dei, nec potius, nec maiore, specialioreque, ac strictiore titulo infrustrabilitatem habere, quam efficax consensus creaturæ: cum solo titulo identitatis necessariæ vtriusque efficacis voluntatis & determinationis sit: hoc autem concedere periculosum in fidem, & temerarium est: cum efficacis voluntatis Dei infrustrabilitas, vt Dei propria à scriptura, Patribus, & Theologis proclametur: & hæc sane difficultas æque necessariam comitantiam sympathicam determinationem ex æquo diuersarum, vt infrustrabilitati diuini huius decreti succurratur, excogitatam conuellit. Dixi duas has difficultates, quod ad præsens attinet in constitutione Decretorum Dei per extrinsecas operationes, & effectus superesse, quia ex falsitate eius constitutionis decretorum Dei per extrinsecum quidvis, à capite modus hic defendendi comitantiam huius decreti concurrendi cum determinatione, & consensu voluntatis creatæ satis superque impugnaretur; verum eam constitutionis huius falsitatem ostendere alterius loci & fusissime dispurationis est, vt contr. 4. videbimus.

2. Igitur, vt tribus hisce præsentis loci difficultatibus reliquis occurrant ad scientiam mediam, qua Dei de suo concursu decretum innitatur natura sua, ac necessario reguletur recurrunt. Inde enim, nec Deus casu concursum decernit, nec frustrationis decreti sui periculo se exponit nec solo titulo necessariæ comitantiæ cũ determinatione liberæ creaturæ infrustrabile decretum efficax concipit, nec libertas proxima alterutrius voluntatis violatur; siquidem Dei decretum conditionatè præuisum exercitium voluntatis creatæ supponit, cum comitem se absolute Deus per illud decretum adiungit: cum tamen liber omninò tunc sit, vt non se adiungere possit: quare neutrius libertas violatur, nec casu, sed à cõsilio Deus se ad cooperandum creatæ voluntati adiungit; nec solo titulo necessariæ comitantiæ vtriusque determinationis, communi vtique creatæ, ac diuinæ voluntati Dei decretum infrustrabile est; sed ex essentiali ipsi soli determinationis creatæ conditionatæ præuisione. Ita has difficultates præueniunt Vasquez, Arrubal, & Vasquiani reliqui citati cert. 1. qui Dei decretum per extrinseca constituunt: quorum hac in re doctrinam approbant & subtiliter defendunt ibidem citati Murciani Recentiores, licèt in constitutione decreti liberi Dei ab eis dissentiant. Possunt autem reliqui comitantis sympathiæ determinationum vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ, etsi Dei decreta per intrinseca Deo, omnino constituant, vt impugnationes datas, vel soluant, vel mollius excipiant, ad necessariam hanc regulationem decreti Dei recurrere. & quidem, tam constituentes decreta Dei per extrinseca, quam constituentes per adæquate intrinseca Deo, hypothesim, sub qua consensus, & determinatio creatæ voluntatis conditionate futura videatur à Deo, vt de se concurrere statuat, atque ex parte sui cooperationem adiungat, non eodem modo constituunt; quidam enim ex parte hypothesis cum vocatione indifferente decretum Dei de sua cooperatione constituunt, v. g. *Si vocauero Petrum, & decreuero concurrere ad bonum consensum consentiet*: ita censet Vasquez altero ex citatis locis expresè, altero verò æquiualenter, nempe *si vocauero Petrum, & non subtraxero meum concursum consentiet*; neque enim subtrahere suum concursum aliud formaliter est, quam ipsum non decernere: quare negatio subtractionis concursus à Deo idipsum est, quod concursum decernere: ac proinde si non subtraxero tan undem valet, imò idem ex parte rei significatæ est, ac, si concurrere decreuero. Alij verò cum Arrubale, siue intrinsecus, siue extrinsecus decreta libera Dei constituant, hypothesim sola vocatione complere possunt: Deique, & nostram determinationem, & operationem vt simultaneè conditionatè futuras, pro posteriori ad eam hypothesim collocare: vtrovis autem modo futuritio conditionata consensus quavis decreti constitutione, eiusque præuia scientia media qua decretum reguletur ostendenda est impossibilis, vt comitantis decreti concurrendi omnimoda ostendatur repugnantia.

3. Atque decretum ex parte hypothesis ad futuritionem conditionatam consensus nostri, eiusque scientiam mediam non posse constitui probatur facile contra Vasquez, & asseclas decretorum Dei per extrinsecos effectus, & operationes constitutores. Etenim decretum liberum Dei de concursu cum nostra voluntate ad consensum voluntatis creatæ reipsa per vos concursu, seu effectu extrinseco essentialiter constituitur: ergo nequit ex parte hypothesis poni decretum liberũ Dei, quin extrinsecus concursus, & effectus Deo etiam ex parte hypothesis constituatur, est per se notum æque, atque nihil posse alicubi nec que in signo aliquo sine seipso esse. Atqui extrinsecus effectus, seu concursus Dei idem ipsum est, quod concursus, seu consensus voluntatis creatæ: ergo nequit Dei decretum, & subinde concursus extrinsecus, quem, vt essentiale constitutiuum, claudit, poni ex parte hypothesis, quin consensus, seu operatio creaturæ, ex parte etiam hypothesis eiusdem, ponatur: est æque per se nota, eademque ratione consequentia hæc, atque præcedens. Atqui idem nequit poni pro hypothesi ad futuritionem propriam, & contingentem sui ipsius, neque ad scientiam mediam futuritionis suæ contingentis conditionatæ, sed solum ad futurorum ineptam scientiam: ergo, in horum constitutorum sententia, nec potest poni ex parte hypothesis decretum concurrendi ad consensus nostri futuritionem conditionatam & scientiam. Consequentiæ bonitas reductione ad impossibile, seu ad duplex contradictorium à quovis facile demonstrabitur. Antecedens probo. Nihil enim contingenter existit in aliquo statu essendi sub conditione, quod existat. Ac rursus, nonnisi inepta scientia est, si futura existat, existet, nedum acutissima perspicacissima, solaque Deo digna conditionata scientia. Addo argumentum aliud quod constitutores etiam decretorum per Deo intrinseca confuter. Simultanea naturæ existentia duorum non sufficit ad constituendam futuritionem conditionatam

tionatam vnius sub hypothesi alterius, siue vt vnus, vt alius existat conditionatè proprie, hypothesim constituat: at per vos decreti concurrendi, ac determinationis seu consensus nostri sola est simultanea naturæ, & ordine causalitatis existentia: ergo decretum nequit esse hypothesis propriæ futuritionis conditionatæ nostri consensus; quare nec scientia proprie conditionata de hoc sub hypothesi illius poterit haberi. Ratio maioris est: quia conditio, quæ apta est ad hypothesim futuritionis conditionatæ alterius constituendam, debet vltra coëxistentiam vtriusque, aliquem influxum, siue physicum siue intentionalem habere: quare absque ratione causæ veræ, & prioritatis naturæ siue physicæ, siue intentionalis respectu eius, cuius conditionatæ futuritionis, vel hypothesis est, vel hypothesim constituit, nequit ad eius hypothesim pertinere.

4. Dices: id verum esse, si inter simultanea solum ordine causalitatis nec ordine naturæ, & causalitatis priora, & posteriora necessaria connexio absit, vt inter galli cantum, & Turcæ conuersionem simul extiturum; ait, si inter vnius existentiam, aut futuritionem ad alterius existentiã, aut futuritionem simultaneam sit connexio, vt in sympathia comitante determinationum vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ optime vnum posse hypothesim futuritionis conditionatæ alterius extremi constituere: contra tamen: quia, etsi conditionatis, quæ disparata vocantur, vt conuersio Turcæ, si gallus cantet, simul extiturus connexio ex Dei decreto accedat, (vt pluribus quæ in scriptura futuritionem conditionatam sonant accessit) tamen neutrum eorum ad futuritionis proprie conditionatæ extremi alterius hypothesim constituendam potest pertinere: ergo connexio simul extiturorum satis non est, vt alterum possit hypothesim futuritionis proprie conditionatæ alterius constituere: sed requiritur viterius, vt aliquo modo siue physica siue intentionalis causa eius, quod sub eo conditionatè est futurum. Dices: connexionem hanc ex decreto Dei conditionatorum de se disparatorum extrinsecam, & mere voluntariam illis ex alterius nimirum voluntate esse: determinationibus verò vtriusque voluntatis diuinæ, & humanæ necessario ex sympathia comitante simul determinandis esse intrinsecam, & vnicuique earum natiuam. Item (vt omnia simul horum effugia monstremus) in decreto concursus Dei respectu determinationis, & consensus nostri aliqualis præcedentia, vltra mutuam connexionem adest, etsi non causæ, causalitatis tamen Dei quæ in nostrum concursum, & determinationem, consensumve nostræ voluntatis, quasi reflexa tendit causalitate: quæ præcedentia causalitatis, etsi causæ, & prioris naturæ (quæ comitantiam vtriusque absolutè excludat) non sit, satis tamen est, vt decretum Dei ad hypothesim futuritionis conditionatæ consensus, & determinationis nostræ possit pertinere. Ostendi supra præcedentiam hanc causalitatis decreti diuini de suo extrinseco concursu, & nostro concursu, & consensu ipsis identificato esse veræ causæ, & prioris naturæ respectu nostri concursus, seu consensus diuino concursui identificati, quo comitans sympathia vtriusque determinationis, nostræ nimirum, & diuinæ excludebatur, atque ostendebatur pura comitantia vtriusque determinationis seruata non posse decretum Dei futuritionis conditionatæ consensus, & determinationis nostræ hypothesim constituere, vt argumento contendimus proximo; sed aliunde iam ex vniuersaliori principio præfatas omnes solutiones præcludamus: ostendamusque eas potius omnes decretum concursus diuini ab hypothesi futuritionis proprie conditionatæ consensus, & determinationis nostræ prorsus excludere: sic autem ostendo.

5. Connexio necessaria, siue puræ comitantiæ, siue causalitatis vnius extremi ad aliud, excludit ab hypothesi futuritionis conditionatæ alterius extremi illud, quod cum eo ita necessario connexum est: atqui decretum efficax Dei de suo concursu cum nostra determinatione, & consensu Dei concursui identificato necessario connexum est cum nostra determinatione, & consensu: ergo necessariò excludendum est ab hypothesi futuritionis conditionatæ propriæ nostri consensus. Discursus est legitimus. Minor, & aduersariorum doctrina, & omnibus nota est. Maior probatur: necessitas illationis inseparabilis à necessaria connexione vnius extremi ad aliud, siue absolute positi, siue in hypothesi, excludit huius alterius contingentiam, siue absolutam, siue conditionatam sub illius extremi, sub quo in hypothesi solum posito fore enuntiatur; atqui hypothesis, sub qua proprie conditionata futuritio alterius est, huius alterius contingentiam seruare debet: ergo necessitas illationis inseparabilis à necessaria connexione vnius extremi ad aliud excludit illud ab hypothesi futuritionis propriæ conditionatæ alterius, quod cum ipso necessario connexum est. Maior est certa. Minor est apud nostrates omnes indubitata: imò, & apud Dominicanos scientiæ mediæ aduersarios, qui, vt pure necessariam, ac non mediam inter absolute necessariam, & absolute liberam eam futuritionem, eiusque scientiam probent, decretum, & auxilium de sese efficacia, ac necessariò connexa in hypothesi ponunt, & decretum insuper de conditionata futuritione ex parte obiecti conditionatum, etsi ex parte subiecti, & actus absolutum; eademque de causa disparata conditionata nostra extrinsecus ex decreto Dei necessario connexa pro conditionatis futuris nostri Doctores relegant. Ex quibus concluditur rursus scientiam hanc non futuri proprie conditionati esse, nec mediam, sed prorsus absolute necessariam, & naturalem, si ex parte hypothesis cum auxilio decretum Dei efficax concurrendi cum creata voluntate ad futuritionem consensus apponatur: ac subinde decretum ei Scientiæ intrinsecum, nec scientia media dirigi, nec regulari, sed necessaria prorsus, & quæ difficultates propositas non emoliar. Infertur secundò: posito ex parte hypothesis decreto efficaci concurrendi ad nostrum consensum ratione suæ necessariæ connexionis, cuicumque auxilio in hypothesi apponatur, consensum eodem modo conditionatum fore, eiusque scientiam æquo titulo mediam & regulatiuam decreti esse ab his authoribus dici debere: quod Vasquez, & reliqui firmiter negant, ac negare debent, esset enim admittere efficaciam ex parte antecedentis physicè ad consensum nostrum necessariam esse ad illum, etsi non intrinsecam auxilij, & vocationis excitati, aut intrinsecam decreto ex parte hypothesis & in eodem signo, & priori naturæ ad consensum conditionatum, & absolute ad absolutum vocationi adiungendam.

6. Subtiles, sæpeque laudati à nobis Murciani Recentiores, ex adiunctione efficacis decreti vocationi ex parte hypothesis ad consensum sub ea futurum, aiunt, non inferri fore determinate consensum, sed disiunctim, vel consensum, vel mansurum decretum sine consensu, ac proinde frustratum; seu, quod idem est, non mansurum ex suppositione, quod sit pro priori hypothesis, quam constituit ad futuritionem conditionatam consensus, & absolutè ad eius futuritionem absolutam: cum autem determinatè non inferatur, sed disiunctim consensus, vel contradictio manendi, ac non manendi decretum, ex decreto in hypothesi, manet adhuc contingentia, & libertas voluntati creatæ ad consensum ex sese apponendum; cum ad vnum extremum determinate necessitas non sit: ingentes tamen huic solutioni gratias habere possent Dominicani præfinitores, ac prædeterminatores; si vel probabilitatem haberet: etenim eorum præfinitione, & prædeterminatione eodem modo differrent: nempe necessitate sua, & antecedente connexione cum nostro consensu, non inferre illum determinate, sed illum, vel contradictorium essendi, & non essendi prædeterminationem, & præfinitionem suppositas; vel in hypothesi ad conditionatum, vel absolutè ad absolutum: nec grauaretur scientiam, & consensum conditionatum appellare, & contingentis in eo statu futuri, si id in nostris, & veris principij passuros nos crederent. Verum nihil vero simile ea doctrina habet: etenim libertas in actu primo, seu indifferens voluntatis potestas physica vera, ac non ficta, etsi ad duplex extremum disiunctim sit, ac non ad alterum determinatè, debet esse ad duplex extremum possibile, ac sibi possibile disiunctim apponi: atqui alterum disiuncti à te assignati

extremum, est chimera, & impossibilis positu, non solum voluntati sed Deo etiam, contradictio scilicet, non esse quod supponitur in hypothesi, & ex parte actus primi esse: ergo per illud disiunctum non saluatur voluntatis eiusque consensus siue ex hypothesi decreti, siue ex absoluta eius positione, vel conditionata vel absoluta libertas. Confirmatur: quia ex determinatione voluntatis quouis genere connexionis ex hypothesi ad consensum determinatè oritur alterum extremum contradictionis hypothesi adhibitæ disiunctim logicæ inferri: si enim ea hypothesis connexione necessaria sua consensum determinate physica, ac metaphysica necessitate consensum determinate non inferret; haudquaquam ex negatione consensus contradictorium hypothesis decreti inferretur, essetque illud, & non esse: vt non infertur contradictorium hypothesis omnino indifferentis ad consensum, & eius oppositum: & hoc principium est, cui tota reductio ad impossibile ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis innititur: ergo ex consensu vel contradictorio hypothesis disiunctim logicè inferendo expositione decreti ex parte hypothesis potius infertur necessitas determinate consentiendi: quare eius scientiam sub hypothesi decreti nullatenus mediam de eo consensu esse, quæque nostræ libertatis conditionatum supponat consensum eiusque directione decretum hoc libertatem non lædat, atque propositæ difficultates componantur.

7 Secundus modus constituendi hypothesim non ex decreto concurrendi, sed ex vocatione, & circumstantiis aliis, & decretum Dei ex parte consequentis cum nostro consensu v.g. *Si vocauero Petrum in his circumstantiis ambo determinabimur & concurremus ad eius consensum* aptior est doctoribus decreti huius comitantis in eo quippe obiecto omnis antecedentia decreti diuini ad consensum nostrum excluditur, puraque comitantia vtriusque seruatur; sed certè, cum ante scientiam illam mediam eius obiectum debeat præcedere omnino independenter ab ipsa, determinatio seu decretum concurrendi sub illa hypothesi simul ex parte consequentis cum nostra determinatione præuisum, nequit esse regulatum per scientiam mediam. Vnde infertur primo: decretum concurrendi cum nostra voluntate ad nostrum consensum essentia sua non dirigi à scientia media. Patet: quia nihil absque essentia sua in statu vllo esse potest: atqui decretum concurrendi in statu illo futuritionis suæ conditionatæ comitanter cum nostro consensu ponitur non regulatum per scientiam mediam: ergo decretum concurrendi essentia sua non regulatur per scientiam eam. Si enim hoc essentia sua haberet, nullum decretum absque ea directione, & regulatione esse in vllo statu posset. Infertur secundò: illud decretum Dei, & determinationem, seu consensum nostrum conditionatum comitanter, casu, ac non à Consilio in eo statu adiungi, neutriusque in illo statu, siue status illius seruari libertatem: nec magis, seu strictiori titulo decretum Dei quam nostræ voluntatis determinationem natura sua esse infrustrabile: hæc siquidem omnia sola essentiali regulatione, & præsuppositione scientiæ mediæ ad decretum concurrendi saluare Doctores isti tentabant. Infertur tertio: decretum absolutum concurrendi, quod non, nisi scientia media præuia ex eiusque directione, & regulatione essentia sua, iuxta hanc solutionem, concipitur diuersæ essentiæ, & naturæ esse, atque conditionatum illud quod absque scientiæ mediæ regulatione sub hypothesi vocationis comitanter conditionate fore cognoscitur; cum alterum ex specie sua non reguletur, imò per illam repugnet, vt vidimus, dirigi ac regulari: quare, si hoc regulatum essentia sua per scientiam mediam absolutè positum eas difficultates in statu absoluto euadat, & positum ad scientiam aliam reflexam sub hypothesi, non solius vocationis, & aliarum circumstantiarum, sed scientiæ mediæ directe de illo altero decreto conditionato irregulato, & irregulabili per scientiam mediam illas etiam in statu futuritionis conditionatæ euacuat; secus autem illud, quod scientia directa conditionata irregulatum, & irregulabile per scientiam mediam eas euacuabit, vt patet. Quod si dicas: decretum hoc scientia alia conditionata regulari, vel procedendum in infinitam scientiarum conditionatarum reflexiorum, & reflexiorum erit; vel deueniendum tandem ad decretum conditionatè futurum sub hypothesi vocationis, & circumstantiarum indifferentium absque vlla scientia media ex parte hypothesis posita, ad quod scientia media prima terminetur, in quo argumenta hæc omnia instaurantur.

8 Ex his autem rursus eandem doctrinam impugno: etenim, cum in hac quæstione decretum Dei concurrendi diuinum necessarium creatæ voluntati, vt operetur, seu eius consensui, & operationi, vt existat dependenter à Dei causæ vniuersalis primæ influxu, & voluntate, vti ex intrinseco prædicato creatæ causæ, & operationis debet, hæc existere, & illa operari, quin absque Dei voluntate, & cooperatione, vel voluntas creata operari, vel eius operatio existere possit admisso semel decreto Dei de suo concursu, & cooperatione cum creatura, seu creata voluntate, quod quidem possibile sit ac non fictum, & tamen sufficiens, cum ad possibilitatem operationis creatæ voluntatis, tum ad eius etiam conditionatam futuritionem, & scientia media irregulatum, & irregulabile (vti in decreto concurrendi comitanter cum consensu nostro conditionatè futuro in obiecto primæ scientiæ conditionatæ, directæ his Doctoribus admittendum est) non est decretum necessarium causæ primæ illud aliud scientia media regulatum, sed prorsus supererogatorium, de quo nulla in præsenti controuersia est: siquidem quæstio eadem foret, cum quæstione de possibilitate Soaristicarum præfinitionum consensus liberi per scientiam mediam regulatarum examinanda, & negatiue definienda controu. 4. ex nostræ libertatis læsione, argumentis importunè, ac præmaturè hic non instruendis, sed propria illa quæstionis eius sede: vnde eis ad huius præsentis modi impugnationem, vt voce arguat poterit quiuis aduocare; quin rectæ scribendi methodo, vel anticipatione, vel molesta repetitione, officiat. Satis nunc fuerit ostendisse ex præfinitionum Soaristicarum nullius sententia nostræ libertatis creatæ operationem, & consensum doctrinam (etsi vera sit) perperam ad decretum concurrendi necessarium ad creatæ voluntatis operationem, & consensum ab hisce Doctoribus induci. Mitto impugnationes alias, quibus (admissa regulatione necessaria, & essentiali decreti cuiusvis Dei de sua cooperatione cum creata voluntate ad consensum) insistunt Recentiores, & decreti concurrendi, & nostri consensus libertatem euerti ex essentiali scientiæ mediæ præsuppositione. Hæ quippe impugnationes, earumque solutiones, quæ possunt adhiberi, fusius examen, quam possit hic haberi requirunt: nempe dum agatur de decreto concurrendi auxilium efficax, quod explorato apud nostrates scientiam mediam supponit, vt prædestinationis diuinæ certitudo cum nostra libertate Catholicè conciliatur, quare earum omnium impugnationum, & resolutionum rigidum examen ad controu. de prædestinatione spectat. Mitto denique euasionem vtrique modo constituendi obiectum scientiæ mediæ ad decretum concurrendi concipiendum præuiæ, ac directiuæ connexionem; scilicet esse scientiam mediam consensus voluntatis, non qui sub hypothesi possibili esset; sed sub hypothesi impossibili, quod voluntas absque Dei concursu posset operari, se enim ipsa chimericam solutionem esse, & scientiam conditionatam præuiam impossibilem adstruere satis prodit. Porro, quæ pro hac ditatus obiecit ex dominio Dei in actus bonos breuiter à nobis dictis suprà dum præcipua eius argumenta attigimus euanescunt: & ex dominio etiam Dei permittendi actus prauos contra ipsum instantur, vt ea longius singulatim referre, ac diluere, ac instare otiosi (quod valde od.) negotij, & laboris fuerit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De decreto diuino indifferenter ad nostrum consensum, vel eius oppositum concurrendi, vel concursum illum omittendi.

EXcluso decreto efficaci comitante de suo concursu determinatè ad consensum voluntatis creatæ, solum decretum indifferenter concurrēdi cum illa excogitatum à nostris Doctoribus fuit; quod comitante proximè relegato, reliquum videtur superesse. Idcirco oportune q. hac 2. & huius controu. postrema examinandam erit, eiusque natura enucleanda, ac de illo dicenda sententia.

CERTAMEN I.

Decreti indifferentis ad concurrendum cum creata voluntate Doctores, & explicationes.

1. DEcreti huius indifferenter concurrendi cum creata voluntate Doctores singulatim recitare videtur superuacaneum: cum vno verbo ex antiquis Scholasticis illi omnes meritò referantur, qui decreta prædeterminatiua Dei ad actus liberos creatos reiecerunt prolixa eorum recitatione à nobis memorati d. 1. cum enim eorum nemini decretum efficax concursus Dei determinate ad consensum nostrum, pureque illum comitans venerit in mentem: Sed illud à memoratis nostris Theologis q. 1. cert. 1. fuerit primo excogitatum: atque, vt quæstionis præfatione dicebam, aliud ter decretum hoc indifferenter concurrendi reliquum non sit: hoc eius prædeterminatiui exclusione virtute saltem ab eis videtur assertum, quanquam, si recitata eorum verba vbi proximè attendantur, non virtute solum, sed expresse ab illis decretum hoc assertum apparebit; certè ex illis non paucos recitat Soarius noster primò de concursu Dei c. 14. titulo *Scholasticorum testimonijs eadem veritas roboratur.* Verum sententiæ huius expressior assertor, fusiorque fundator primus extitit Soarius ipse toto c. 14. vbi eam Scripturæ, & Patrū testimoniis multis confirmauit quæ nos omittimus quia ea omnia, multoque in eandem sententiam plura dedimus d. 2. q. integra contra prædeterminatiuas præfinitiones, & d. 2. q. 3. cert 3. & 4. ex Patribus formatas produximus, cui sententiæ insistit libris de auxil. & prædest. Hanc eandem sententiā illustrauit Lessius noster opusculo de gratia efficaci c. 4. à n. 12. ad 18. & rursus c. 10. consensere nostrates reliqui Herize tract. 1. d. 8. c. 3. à n. 39. & rursus explicatius à n. 49. & tract. 2. d. 19. cap. 4. Didacus Ruiz de voluntate à d. 30. ad 52. frequentissime. Meratius 1. p. d. 26. sect. 3. vbi acriter decretum comitans impugnat. Arriaga d. 25. de volunt. sect. 5. & de Trinit. d. 42. sect. 3. & subsect 4. atque vno verbo nostri omnes Recentiores, qui decretum concurrendi comitans sympathica siue mutua, siue non mutua vtriusque determinationis diuinæ, & humanæ voluntatis non admittunt. Huic ego sententiæ explicatæ subscribo.

2. Eiusmodi autem decretum indifferenter ad vtrumvis concurrendi nonnulli ex eis complacentiam simplicē vocant: quod me iudice propria earum vocum vsurpatione non intelligunt; cum, & effectiuum ex parte Dei, tendensque, vt aiunt, in effectum apponendum, ac non illum supponens, plane fateantur: vt decreti nomen, quod non de actis, sed de agendis est, vel vocis sono, suadet: vocant autem complacentiam, vt efficaciam absolutam in concursum, & consensum nostræ voluntatis contra prædeterminantes Præfinitores excludant. Alij illud explicant, vt sit voluntas conditionata: si concurrere, vel determinare se voluntas velit. Atque ex eis quidam voluntatem illam conditionatam efficacem esse; alij vero inefficacem solum esse contendunt, argumentis tamen non satis firmis, vt vidimus d. 2. q. 3. cert. 4 quoad conditionatæ eius voluntatis efficaciam, vel inefficaciam: verùm conditionatæ illius futuritionis rationem in ea voluntate non posse constare ostendimus ibidem. Tertiò alij voluntatem hanc ita conditionatam esse negant ex parte obiecti, sed disiunctam de hoc, vel illo concursu ad oppositum. Cæterùm rationem hanc decreto huic indifferenter concurrendi, in communi sumpto non posse competere ostensum satis à nobis est ibidem à n. 6. vbi ostendimus decretum indifferenter concurrendi ad actionem pruam cum voluntate creata haudquaquam ad concursum Dei, adhuc ex parte sua disiunctim terminari: quod fieri non potest, si ex communi & vniuersali prædicato ferri in vtrumque concursū illi competeret. Mitto ex iis, qui ad concursum terminari decretum aiunt referri Molinam, quasi docear voluntatem concurrendi, concursumque ipsum Dei terminari ad cooperationem, & consensum sub ratione entis, quo etiam pacto sæpè loquitur Ruiz, & ex priscis plures imò & S. Th. sed certe hi Doctores præcisionem concursus, & decreti concurrēdi, vt ad cōmune prædicatū entis, quin ad reliqua consensus, & operationis feratur, ac non in prædicata eius reliqua terminetur minimè admittunt; sed rationē, ob quā ad ea omnia prædicata cōcurrere decernat, & cōcurrat designant: præscindunt ergo, non quidem ex parte termini, sed tituli, ob quem Deus, ex parte etiā sua, ad totā indiuiduā entitatē decernat concurrere disiunctim, & concurrat.

3. Herize citatis locis decretum indifferenter concurrendi cum creata voluntate necessarium ad huius, & consensus creati libertatem tuendam admittit; ast comitans aliud, & efficax admittere ipsi necessarium videtur, & si adsit cum Vasquez necessariò regulandum scientia media fore de eo, quod voluntas ageret, non quidē se sola, sed sub hypothesi vocationis, & decreti indifferentis, quod necessarium admittit, quo solum Der̄kennis dissider, vt vidimus. Hinc autem Lessius noster decretum hoc secundum efficax necessarium non esse ex parte actus primi ad operationem, & consensum creaturæ euidenter concludit. Alioqui enim neque in statu conditionato eo decreto efficaci ex parte hypothesis non posito quid creatura actura esset videri non poterat, sicuti neque eius actio sub sola vocatione & decreto indifferenti, ac non incluso in hypothesi efficaci illo decreto posset conditionate subsistere, quandoquidem nihil in statu aliquo esse, intelligiuē subsistere potest aliquo ex essentialibus eius principiis deficiente; & si autem hoc recte concludatur à Lessio, vt ex ratione hac supra à nobis data quæst. 1. cert. 5. constat: ac proinde decretum non esse aliud, quod hac controuersia, & d. inquirimus, necessarium, nempè ad subordinationem voluntatis, & operationis creatæ voluntati, & voluntario concursui causæ primæ, tamen nihil his absonum Herize in sua doctrina docere conuincitur: cum enim decreta libera Dei, efficacia præsertim, compleri extrinseca operatione doceat, quin efficacia decreto, quoad Deo intrinsecum sumpto, aliquid admittat: nequit operatio ad extra, & consensus ipsi identificatus à creatura apponi, quin, & efficax Dei decretum ab ipsis tanquam ab efficaciæ suæ forma constituatur sicuti, & in nostra sententia habiturum de facto effectum auxilium, de se non efficax, effectus positione efficax constituitur: lapsus tamen in eo est, quod à futuritione conditionata consensus illud ipsum decretum indifferens, quod admittit, efficax constitui non admittat, sicuti fieri auxilium indifferens cum nostris omnibus asserit. Secundo: quod hoc concipiendo noua Dei exerceatur libertas: nam ad denominationem necessariam posita forma in statu sufficiente ad illam præstandam nullius voluntatis, adhuc diuinæ, exercitium potest expectari. Tertiò: quod ad hoc concipiendum decretum efficax scientia media debeat in Deo præcedere; cuius tamen directio, nisi ad nouum decretum concipiendum necessaria non est, fateor in eius doctrina quauis extrinseca mutatione posita absolutè decretum liberum absolutum nouum esse admittendum; id tamen rationes nuper à nobis datæ confutant.

4. Porro rationes pro hoc decreto communes omnibus eius Patronis sūt, ac si decretum ipsum indifferenter concurrendi exactè explicetur firmissimæ. Prima sumitur ab authoritatibus plurimis Scripturæ, & Patrum à nobis datis, & perpensis d. 1. q. 2. & 3. quibus homo in manu consilij sui, & electionis arbitrij, & voluntatis suæ, quoad operandum, positus absolutè, relictusque à Deo dicitur: quod

si Dei decretum, cui subordinari in operando essentia sua voluntas debet, abesset, positus absolutè in manu consilij sui dici minimè posset : cum operari absolutè, & plenè non posset. Si autem decreto quouis efficaci de operatione sua, quomodolibet, irresistibiliter tamen, duceretur ad illam, quin aliam elicere, vel illam omittere liceret, quomodo eius operatio in manu consilij, & electionis suæ posita, ac relicta diceretur ? idem argumentum fit à definitionibus Conciliorum, Pontificum, Scholasticorum, Academiarum, Religiosarum familiarum, id ipsum, vel formalibus, vel æquiualentibus verbis de arbitrij nostri, vtique ex parte etiam voluntatis diuinæ, requisitis omnibus instructi plena, & absoluta suarum operationum potestate. Tertia ratio ab exclusione cæterarum Dei voluntatum, & decretorum est: quia decretum Dei, ratione cuius creata voluntas diuinæ subordinetur, nequit esse antecedenter efficax, vt tota d. 1. demonstrauimus, & specialiter ad concurrendum ad actiones prauas illud excluimus tota d. 2. sed, nec potest esse efficax comitans determinationem, & consensum creatæ voluntatis vt vidimus d. præsente tota q. 1. sed nec potest esse comitans inefficax: quia ea ratione non magis subderetur creata voluntas diuinæ, quam hæc creatæ in operando; ergo solum esse potest decretum hoc indifferens antecedens nostræ operationi præsuppositum quo Dei effectiua ad extra, & nobiscum virtus diuina, seu omnipotentia applicetur, ac nostræ determinationi subdatur in cooperando : vt sic tandem penes nos nostrique arbitrij determinationem, & electionis proximæ sit operationis, & consensus nostri absoluta positio.

5. Quarta ratio à priori : quia causæ primæ, & vniuersalis perfectissimæ consilio, & electione operaturæ, & cooperaturæ cum suis, sibique subordinatis causis creatis is sane cooperandi libere cum eis modus eligendus est, qui earum naturis opus fit, vt connaturalius, conformiusque naturali ipsarum exigentiæ in consortio causæ primæ operentur. Hinc causis naturalibus, quæ natura sua concursum determinatè ad indiuiduū speciei talis à Deo exigunt ad indiuiduum speciei eius determinate, iuxta earum indigentiam, & exigentiam naturalem concurrere decernit, &, cum his adhuc, non præuio, antecedenteque ordine causalitatis concursu, sed simultaneo ; & si præuius, & antecedens Dei concursus nihil determinationis, aut necessitatis intra illam determinatè speciem eiusmodi causis adderet, vel minueret ; sed, quia præuio concursu, & motione Dei non egent : videant Dominicani prædeterminatores, quam firmo nitantur principio de necessaria præmotione, & præuio concursu physico ordine causalitatis, & naturæ causarum secundarum à prima militent : cum, ne causarum quidem naturalium respectu, præuius ille concursus, & præmotio, quarum libertati in operando (quam nusquam habent) consulendū non est, nec detur, nec opus sit dari ; etsi verum sit decretum efficax concurrendi, & cooperandi determinate cum causa naturali requiri : quare concursum, & cooperationem, eius causæ concursui diuino identificatam decretum efficax prioritate naturæ, & causalitatis antecedere, sed tamen eius determinatam virtutem ad operandum ex parte sua non affert sed supponit: atque ad præuisam eius exigentiam concursus diuini, vt determinatam ad operandum ex parte sua virtutem exerceat, decretum efficax illud operationem antecedens conceptum à Deo fuit, Stet ergo Dei voluntatem, & decretū concurrendi cum creaturis, vt cum eis, vt causa prima, & perfectissima libere causis secundis naturaliter cooperetur, eorum naturis, naturalique actiuitati, & exigentiæ conforme, & accommodum esse debere ; Atqui natura, & actiuitas agentis liberi, est ad operandum libere, seu cum plena potestate, & dominio suarum operationum, ac subinde decretum, & concursum diuinum ad ita operandum exigit: ergo decretum concursus diuini, si naturaliter, & ad agentis liberi exigentiam concipiendum sit, tale debet cōcipi, vt illud cum plena, & absoluta potestate operandi constituat, & relinquat. At nec ita illud relinquit decretum Dei concurrendi determinatè antecedens, & efficax, nec comitans efficax, imò nec comitans inefficax satis est: quia subordinationem determinationis voluntatis creatæ in operando ad voluntatem Dei causæ primæ non seruat: ergo debet esse decretum liberum Dei nusquam determinatum ad concursum determinatum, vel eius oppositum, sed cum alterutro, imò, & cum eius negatione componibile : quod decretum indifferenter concurrendi, & est, & nominatur.

CERTAMEN II.

Pro decreto indifferenter concurrendi clarius explicato standum est.

1. DEcretum indifferenter concurrendi aptissimum ex hactenus excogitatis visum nobis semper fuit, satisque rationibus proximis fundatum. Pro eius tamen expeditione, claritate, & penetratione eius naturam minutius paululum conclusionibus aliquot vniuersim statuenda, id quod ex dictis d. 2. q. vlt. cert. 4. non erit difficile. Primo dico : decretum hoc est applicatiuum omnipotentiæ diuinæ, vt eius actiuitate, & concursu vti pro libito creata voluntas possit tam ad consensum, quam ad dissensum, vel eius omissionem, quicumque ille consensus sit, siue honestus, siue turpis, siue indifferens, siue naturalis, siue supernaturalis, ad cuius liberam creatæ voluntatis elicientiā omnipotentia vi eius decreti applicatur. Sunt autem tria quæ difficultatem possunt decreti huius, qua omnipotentiæ diuinæ applicatiuum est in genere expedienda duo ad intrinsecam eius naturam spectantium: tertium ad effectum applicationis eiusque necessitatem ; quibus addi potest quarta difficultas ab absurdo.

2. Prima difficultas ad naturam eius decreti, qua applicatiuum actiuitatis diuinæ ad extra, siue omnipotentiæ: quia huius decreti applicatiui nullum est obiectum assignabile: ergo nec ipsum, atque omnipotentiæ per illud applicatio est possibilis, in huius decreti obiecto assignando, quatenus applicatio diuinæ omnipotentiæ est, multum ab Herize, & aliis laboratur, qui melius assignant aiunt eius obiectum esse plenam, & absolutam potestatē creatæ voluntatis ad vtrumuis, quæ absque eiusmodi applicatione non stat, constituere, siue plenam, & absolutam eius indifferentis potestatis ad vtrumuis constitutionem, quæ diuersum, quid à decreto ipso est, quod aiunt, vt eandem voluntatem applicandi, seu decretum Dei sui ipsius obiectū esse non admittāt, atque essentia sua sui ipsius reflexiuū decretum: quod implicatorium esse suspicatur: verū cū potestas illa indifferens ad vtrumuis plena, & absoluta, seu plene, & absolutè constituta applicatione decreti essentialiter glaudar, nequit decretum illud in potestatem plenè, & absolute constitutam ad vtrūuis ferri, quin in decretū ipsum, tanquā in obiectum adæquatum, reflexè feratur : imò, cum applicatio illa per decretum, quod reliqua creata principia indifferentia eius potestatis indifferētis ad vtrūvis supponit, ad quorumque absolutam existentiam, & exigentiam præuisam concipitur, constitutiuum vltimum, & quasi forma vltimo constituens, & complens plenam illā, & absolutam creatæ voluntatis potestatem ad vtrumvis sit, illa solū applicatio, seu decretum obiectum decreti illius esse videtur sicut voluntas faciendi subiectū, quod existēs supponit calidum, vel album ad solam productionē, & vnionē caloris, vel albedinis solum, aut saltem primario terminatur: quare solutio hæc non vitat essentialē decreti illius reflexionem supra seipsum: quā impossibilē arbitratur : ego vero reflexionem illam essentialē decreti illius supra se ipsum, tanquam obiectum, siue adæquatum, siue inadæquatū impossibilem in primis non reputo: quin, cuicumque volitioni, & cognitioni diuinæ necessariam, vt sæpe contr. 1. de scientia, præcipuè d. de obiecto materiali ipsius ostendi, nec minus frequenter contr. 4. de voluntate monstrabo: idque eorum diuinorum actuum ita proprium, & essentiale esse loca illis ostendo, vt creatis actibus conuenire repugnet.

3. Suum nihilominus obiectū aliud diuersum directū non deficit iuxta nostrum Herize. Nimirum negatio decreti subtrahendi concursum ad alterum extremū indifferentis potestatis, etenim posita indifferente potestate voluntatis plena, & absoluta in genere causæ creatæ, eiusque absoluta exigentia decreti indifferentis liberum Deo est, eum illud concipere, & omittere tum decernere non concurrere ad extremum alterum indifferentis potestatis illius creatæ, quod decretum concursus subtractiuū omittit, tunc à Deo ex libertate contradictionis absolute posset. Decretum ergo indifferens, qua omnipotētiæ applicativum est *decretum, vt non sit decretum subtractiuum concursus mei*, quo Dei

Dei actiuitas, & omnipotentia voluntati creatæ, vt ea pro libito suo ad sibi cooperandum vtatur, manet applicata, quod pro sequentibus difficultatibus memoria tenendū est. Inquies inde decretum hoc indifferens æquè in determinatam relinquere omnipotentiam, ad concurrendum ac Deum, atque ante illum omnipotentia, ac Deus erant: ergo vt ex indifferente actiuitate Dei, seu omnipotentia operetur voluntas creata, vel superfluit, vel nihil præstat decretum. Nego consequentiam: quia comprincipio extraneo, nisi adiuncto, & applicato aliud vti non potest: vt voluntas habitu, siue naturali, siue supernaturali; nec visus non vnita sibi obiecti specie. Etsi ergo omnipotentia de se indeterminata, & indifferens ad plures concursus, & eosdem ante decretum sit, & post illud; ante illud tamen ad eius vsum coniuncta, seu adiuncta voluntati creatæ non est, sicuti est post decretum adiuncta.

4 Instatur tamen: nam velle negationem decreti subtractiui concursus, non affert nisi negationem huius decreti: ex quo solum intelligitur non impedita voluntas creata ad operandum, non autem positiue potens operari, quatenus ex parte potentiæ, & voluntatis diuinæ est, nisi Dei potentia seipsa intelligatur applicata, ac proinde decretum applicatiuum superfluat. Nam inter hæc velle impedire ex parte omnipotētiæ de se non applicatæ, & velle illam applicare medium quidem est: scilicet, nec velle impedire, seu subtrahere omnipotentiam à concursu, & cooperatione cum creata voluntate ad eius determinationem, & consensum; nec velle illam applicare, si id decreto, & voluntate positiua præstandum necessario sit vt solutio Herize nostri supponit, nec se ipsa applicita omnipotentia diuina creatæ voluntati est: atque ex diuersa libertate contradictionis decreto hæc à Deo concipiuntur; etsi ex eadem libertate cōtrarietatis haberi à Deo valeant, quo casu ex contraria oppositione decretorum alterum alterius negationem secundariò afferret, nempe decretum applicatiuum omnipotentiæ negationem decreti subtractiui omnipotentiæ ad cooperandum, & è contra; non autem alterius ex libertate contradictionis negatio, seu omissio alterius positionē inducit. Quare, etsi Deus decernat omissionem, seu negationē decreti subtractiui omnipotentiæ, nihil decernit, quo formaliter, aut virtualiter decretum omnipotentiæ applicatiuum contineatur, sed cum quo rectè componatur huius etiam omissio ac proinde, nisi negata Deo puræ contradictionis erga suos actus libertate, contra veram nobis sententiam, sustineri ea solutio nequit, etsi vero tunc omissio decreti subtractiui omnipotentiæ non nisi positione contrarij decreti applicatiui illius, atque ex libertate contrarietatis posset induci, adhuc huius directum obiectum assignari deberet præter omissionem, seu negationem decreti subtractiui, quæ, etsi effectus, & necessarius decreti applicatiui sit, non autem eius obiectum.

5 Sed, etsi obiectum directum decreti applicatiui proximum minus rectè assignetur ab Herize, nec debeat extra ipsum decretum assignari: quia non solum supra seipsum reflexiuè esse potest, sed & necessario sit, vt diximus: tamē assignari facile potest obiectum aliud directum. Nempè volo omnipotentiam seu (quod idem in nostra sententia est) voluntatem meam quoad extra actiuam creatæ voluntati in linea creatæ causæ ad vtrumuis constitutæ, quæ vo- juntas seipsam nusquam vt obiectum directum habet, sed omnipotentiam, & creatam voluntatem, cui in linea agentis creati plenè ad vtrumvis constitutæ illam vult diuersimodè per decretum illud respectę; nempe omnipotentiam, vt obiectum *quod*, & creatam voluntatem, vt obiectum *cui* illam vult: eaque voluntate, & decreto quod formalis applicatio est manet omnipotentia formaliter applicata, & ad vsum pro creatæ voluntatis determinatione sufficienter, & irreuocabiliter vnita, quæ absq; ea nullatenus (vt exemplis habituum & specierum impressarum docebamus n. 3.) eius determinationi, quoad vsum subdita erat. Sunt in contractibus exempla obuia. In matrimonio quippe voluntas tradendi corpus vt obiectum *quod* alteri vt obiecto *cui* ad vsum, quin se ipsam voluntas illa pro obiecto habeat matrimonium constituit atque ad vsum corpus alterum alteri formaliter applicat: & irreuocabiliter, quia perpetuus natura sua contractus est, atque in mutua hac voluntate alterius in alterum fundatur ius, & obligatio, per quæ, tanquam per effectus, tam hic, quam reliqui contractus (qui obligationis tantum non sunt) descriptiue definiuntur: qua doctrina cessant plurium Recentiorum difficultates, & subtilitates otiosæ in designando metaphysico obiecto primario & directo contractuum.

6 Adhuc tamen restat tertia difficultas, etsi enim ea subiectio habituū naturalium, vel supernatutalium eidem agenti, & supposito libero insidentium, neque ex se liberorum, vt eius libito, & determinatione ad cooperandum ipsi trahantur, intelligi possit; ast agentis suppositо, & libertate diuersi (cuiusmodi Deus, eiusque voluntas, dum per decretum illud determinata est) quo pacto trahi, eo adhuc decreto suppositо, alterius libera determinatione ad cooperationem cum ipso queat, non ita facile concipi valet. Sed tamen quoad diuersam libertatem Dei eiusque voluntatis decreto illo omnipotentiæ applicatiuo ita concepto, vt concipi ab eo absolute nō potuerit exercita supponitur: & ratione cuius libera actio extrinseca, vel prosecutiuè, vel permissiue iuxta Augustini, & Patrum doctrinam sit. Quod autem per illud decretum determinata Dei voluntas ad concursum, & operationem cum creata voluntate in consensum non maneat: non suadet vlteriori determinatione ex parte sui ad eam cooperationem Deum, eiusve voluntatem egere. Quia si antecedens sit contra debitum exigentiæ naturalis agentis liberi creati erit, eiusque libertatem; comitans autem quæcumque sit, subordinationem creatæ volūtatis, & potentiæ in libere operādo non seruat: ac si efficax sit, multis titulis repugnat, vt vidimus q. 1. tota. Quare solum potest Deus circa liberas nostras actiones voluntatis, & potētiæ suæ exercitium per decretum liberū suæ omnipotentiæ applicatiuum, quoad eius actiuitatis vsum exercere: quo posito, nequit decretum concursus sui subtractiuum applicatiuo contrarium apponi; nec Deo liberum aliud exercitium circa nostram actionem, & suæ omnipotentiæ vsum, & concursum in ipsam restat: sed nostro solum arbitrio, cuius determinatione, ad modum inditi, & insidentis nobis habitus, ad operandum nobiscum, seu cooperandum trahitur absque vllo libero ex parte Dei motu. Quod vero diuersum à nobis suppositum, & actiua virtus non insidens nobis sit, est tamen nobis applicita, vt nostrum motum sequatur aut comitetur: quemadmodum (vt cum Lessio crassiori, sensibiliori tamen, exemplo rem explicem) aër in organorum arca inclusus ad digiti motum iam hac, iam illac tibia moueatur, sonumque vel grauiorem, vel acutiorem edit. Ex quibus absurdum subiectionis, & subditionis potentiæ, & voluntatis diuinæ ad humanam in operando euanescit. Siquidem ea subiectio ex libero decreto Dei venit, sicuti, & plures alias agendi obligationes, & subiectiones ex liberis suis decretis voluntate sua Deus subit; quas natura, ac non à voluntate sua libera turpe esset subire: & si dicta penerrentur, cum ita subdi determinationi creatæ voluntaris sit, vt eius subordinatio naturalis diuinæ in operando seruetur, suo potius naturali dominio, & prima tui agentis liberi in operando ea necessitate cooperandi cum creata voluntate, quam creatæ voluntati seruit: cuius ad ipsum demonstratur seruilis subiectio: cum non, nisi ad præconceptum libere decretum, & nutum Dei, illa possit operari.

CERTAMEN III.

Tertia Conclusio.

1 TAndem dico: decretum hoc omnipotentiæ applicatiuum non esse de concursu suo disiunctim, neque ad illud affectiuè ferri, nec è genere suo, vt dixi cert. 1. n. 2, ex dictis d. 2. q. 3. cert. 4. à n. 6. sed nec ex specie vlla actiam decreti applicatiui, ad opus honestum. Probatur, quia & respectu operis honesti, ac meritorij vitæ æternæ positus homo in manu consilij sui, suoque arbitrio, & electioni relictus dicitur à scriptura, & Patribus: quibus verbis sola permissio vsus omnipotentiæ diuinæ significatur ex Patribus, non positiua eius vsus voluntas vlla: vt de voluntate applicatiua omnipotentiæ ad actionem prauam ostendimus vbi proximè. Secundò, quia titulo causæ primæ, & vniuersalis id solum decreto illo applicatiuo omnipotentiæ Deus debet velle, quo creaturæ egent, vt operentur dependenter à causa prima libera suos quosvis effectus; sed ad id solum egent decreto applicatiuo omnipotentiæ per-

missiuo vsus illius, non autem prosecutiuo illius, vt patet ex dictis de decreto ad actionem prauam : ergo decretum applicatiuum omnipotentiæ, quoad eius vsum voluntati nostræ titulo causæ primæ, eius vsus permissiuum est, non prosecutiuum,ad quosvis effectus illud decretū sit. Tertiò probatur conclusio, & huius secundi euasio præcluditur explicatione difficultatis apparentioris,quæ respectu actuū honestorum nobis posset opponi. Nam, & hos amabiles, & amatos à Deo esse antecedenter ad ipsorum effectionem à creatura, vt dogma Patrum supponimus : ex eorum quippe intentione ac desiderio dari à nobis gratiæ auxilia certum est, atque si ea auxilia efficacia sint,non solum nobis à Deo desiderantur,sed in illis donantur. Sed inde probo conclusionem : quia,& intentio,& donatio auxiliorum ad ordinem supernaturalis prouidentiæ spectat : ergo non concipitur à Deo titulo causæ primæ, siue decreto necessario, vt cum creata voluntate concurrat, quod ad supernaturalem prouidentiam non spectat vrgeo. Quia ea intentio,& collatio mediorum,vt sit actus honestus,præcedit natura ad decretum causæ primæ necessarium,vt voluntas creata operetur : siquidem, vt dixi,decretum hoc concipitur à Deo ex præsuppositione voluntatis absolutè,ac plenè potentis in sua linea causæ creatæ ad vtrumvis, quod ex auxiliis ex ea intentione actus honesti positis habet : ergo affectus Dei in actus nostros honestos decreto necessario ad concursum supponitur,non autem affertur, nec nisi superfluo, ex motiuo satisfaciendi muneri causæ primæ iterum decreto necessario ad operationem voluntatis actus honestus à Deo amaretur : ergo decretum hoc formaliter, quà tale, respectu vtriusque extremi libertatis creatæ, ad actum etiam honestum, puræ permissiuum vsus omnipotentiæ suæ voluntati creatæ est. Constat inde hypothesim ad futuritionem proprie conditionatam nostrorum contingentiam ac proinde scientiæ de illis mediæ obiectum (pro cuius accurata explicatione adeò fusam controuersiā posuimus) ita constitui debere, *Si vocauero in talibus circumstantiis Petrum,meamque illi omnipotentiam ad vsum circa consensum decreto meo applicuero, consentiet.*

2 Oppones contra tertiam conclusionem proximam; omnipotentia Dei per nos idem formaliter metaphysicè est, quod Dei voluntas : ergo nequit tendere omnipotentia Dei effectiue in actum liberum nostræ voluntatis, quin affectiue tendat in ipsum ; alioqui idem ipsum formaliter metaphysicè in eundem terminum ferretur, ac non ferretur simul, quod implicat. Vnde infertur decretum indifferenter concurrendi ex parte sua ad vtrumvis extremum potestatis ,indifferentis arbitrii creati ferri Deum, contra proxime dicta, vel addendum esse decretum, vel comitans vel antecedens, seu volitionem Dei inefficacem, qua in extremum, seu determinationem nostram habendā determinate feratur cōtra dicta à nobis n. 5.imo & ad concursum suum ad nostrum actum pravum, cum indifferentem potestatem arbitrij nostri ad peccandum,& non peccandum voluntate sua complet,atque absolute constituit; quod sæpe abnuimus,& impugnauimus. Patet,illatio:quia nullo alio modo ferri Deus affectiuè in suum concursum ad creatæ voluntatis operationes potest, vt opus esse, vt effectiuè feratur. Primò discursu inferebatur. Secundò objicitur, omnipotentia Dei formaliter metaphysicè est voluntas Dei, quoad vim affectiua : ergo cui repugnat applicari Dei voluntatem, quoad vim affectiuam, repugnat applicari quoad vim effectiuam, siue, vt omnipotentia est : atqui repugnat applicari voluntatem Dei creatæ nostræ voluntati quoad vim affectiuam, vt scilicet per illam amet creata voluntas : ergo & repugnat applicari nostræ voluntati creatæ voluntatē diuinam quoad vim affectiuam consensu nostri, siue vt omnipotentia formalis ; ni ab ipso Deo qui voluntate illa sua increata amare solus potest, quoad vim affectiuam per decretum concurrendi, siue indifferenter ad vtrumvis, siue comitanter, vel antecedenter determinate ad determinationē,seu actū voluntatis nostræ efficiendum supponatur quoad vim affectiuam applicita.

3 Hæc ex nostris principiis contra tertiam nostram conclusionem. A postremo tamen orsus respondeo,distinguendo antecedentis partem illam est voluntas quoad vim affectiuam ei cuius voluntas est, aptoque, proinde illa velle, nempe Deo fateor,ei cuius voluntas non est, ac subinde incapaci,vt per illā velit,solumque capaci, vt vi eius actiua, & effectiua ad extra vtatur,nego antecedens, & similiter distinguo consequens, vnde subsumptum antecedens probans creaturam rationalem incapacem esse amandi voluntate diuina, vtendiuè illa quoad vim affectiuam, illa quoad vim effectiuam, & actiuam ad extra (respectu Dei cuius est cum vi affectiua formaliter eandem) vti non posse si ei ex Dei decreto applicetur,vti diuina plura Christi humanitati per vnionem hypostaticam communicata non eosdem omnino effectus formales illi tribuunt, quos Deo ac Verbo cuius propria sunt, etsi eodem indimisibili conceptu metaphysico diuinum quodvis prædicatum habeat formaliter quidquid habet, & è genere quidem suo infinitum simpliciter per termini etiam extrinseci denegationem;ideo autem humanitati vnitæ diuina eadem non tribuunt, quæ Deo, quia eorum effectuum capax ipsa non est,etsi ea tribuant, quorum capacem inueniunt, ita ergo, etsi Dei voluntas potentia affectiua, & effectiua ad extra eadem prorsus metaphysicè formaliter sit ac Deum cuius est potentem affectiue, & effectiue, siue omnipotentem in actu primo simul formaliter constituat, creaturam tamen rationalem, quæ affectiuæ virtutis voluntatis diuinæ incapax est, potentem affectiuè nec constituit, nec potest constituere, neque ad id voluntas diuina vllatenus à Deo applicari ; applicatur vero decreto explicato quoad vim effectiuam, ac potentem ex Dei omnipotentia operari constituit alterius generis actibus voluntatis diuinæ eiusmodi applicatione voluntatis, & arbitrij creati determinationi permissis, & subiectis, postrema secundæ huius obiectionis illatio ex primis eiusdem hactenus solutis, nil habet firmitatis, nec aliunde,quam ex ratione obiectionis primæ iam diluendæ.

4 Ita ergo illam præcido distinguendo consequens illationis : ergo nequit ferri Deus effectiue Dei omnipotentia tenderēue in nostrum consensum, & determinationem voluntatis creatæ, concursumque ex parte sua necessarium ad illam apponendam quin tendat, feraturque in illum affectiuè permissiuè fateor positiuè illum amando, nego consequentiam;permissio enim actus diuinæ voluntatis est, tametsi in rem permissam positiuo amore & affectu prosecutiuo non tendens, sed in obiectum aliud, quo voluntas creata potens absolute rem permissam efficere constituatur : vt patet in donatione auxilij sufficientis ad actionem prauam : similiter in præsenti permissio voluntatis diuinæ positiuam Dei voluntatem dicit, qua voluntatis seu quod idem est omnipotentiæ suæ actiuam ad extra virtutem quoad vsum applicat, creatæ voluntati, vt ea sicut habitu ipsi infuso vtatur, vt diximus, nec concursum suum aliter voluntate sua prosequi, at præparare debet, aut potest, etsi, quæ Deo, eiusque omnipotentia concursus identificatus concursui, & determinationi creaturæ malus non sit, sed prorsus honestissimus ; cum tamen prosecutio concursus, illius non complacentia solum, sed desiderium sit, quod in obiectum desideratum, vt reipsa est ferri debeat, quin ab executionis circunstantiis, quibus vel honestatur, vel turpescit actio desiderata, præscindat, tametsi inefficax desiderium sit atque ex alia parte concursus Dei indifferenter æquè ad actionem prauam, atque ad probam offerri arbitrio credito, atque apparari à Deo debeat, si ad vtrumvis concursum suum positiua prosecutione, & affectu desiderij, erga ipsum præparare deberet ; vt illatio argumenti huius probat, prosequi positiuè actionem prauam, imo & sæpe de facto in & sub circunstantiis quibus prava est, prosequi probaret, quod repugnat. Cum ergo vt muneri causæ primæ satisfaciat voluntas permissiua sui ad vtrumvis concursus, & omnipotentiæ seu virtutis, actiuæ ad extra voluntatis suæ sit satis, vt absurdum attactum suadet, eadem voluntate permissiua omnipotentiæ suæ ad vsum quemvis æque muneri causæ primæ satisfaciet, etsi ad actum non prauum, sed honestum sit, quin concursum ipsum suum affectu prosecutiuo amare debeat, vt ex munere causæ primæ se gerat, imo neque ex eo munere ita illum prosequi possit.Hæc de primo hoc tomo de Deo vno sint satis.

INDEX

INDEX

Alphabeticus, generalis Rerum, & Verborum.

Vt omni lectorum vsui facili vno indice prouiderem, ea quæ in eo occurrunt, non vulgaria, & quæstionibus, cum Philosophicis, tum Theologicis, aliis decidendis vtilia, notatis ad marginem indicis Tractatibus diuersis obseruaui, ne eis singulis, vt cuiusque intererit, inueniendis, Indicis totius lectione opus habeat.

C. Primum controuersiam. D. Disputationem. Q. Quæstionem. Prol. Prologum. Cert. certamen. N. numerum P. Paginam. notat.

A.

Logica. ABSTRACTA, & formæ denominantes primæ in quavis denominandi linea, cum concretæ in eadem linea, concipiuntur, ac denominatur, nihil ex parte obiecti diuersum quàm, cum abstractæ concipiuntur, & significantur, continent, & significant, sed modi solum concipiendi, & significandi tota diuersitas est. C.2.d.2.q.1.cert.3.n.3.pag.172

Physica. Actio physica sui ab agente physicum egressum, & distinctionem de se non dicit, sed effectus solius, vnde ni re ipsa physicus effectus illa sit, potest agenti physicè identificari. ibi. cert.5.num.3. p.174

Physica. Actio de se realem distinctionem à termino suo, vel effectu non dicit: quare identificari illi quandoque potest, quandoque agenti, non vero (processiones diuinas excipe) vtrique, quæst.5.cert.1.n.9. p. 86

Anima. Actio, & operatio stricte agentis liberi propria est. C.3.disp.1.q.3.cert.1.n.2.p.438

Moralis. Actio de se praua ex nullo honesto fine honestari potest.d.2.q.4 cert.2.n.2.p.608
Nec nisi libere elicienda vt irrationabiliter operantem denominare possit, prohibetur, vllamve physicam fœditatem, aut turpitudinem ex obiecto trahit.quæst.6.cert.2.n.5.p.627

Logica. Abstracta, de abstractis, & concreta de concretis aliis, in materia necessaria secus in contingenti prædicatione materiali enuntiari possunt. c.2.d.8. q.2. cert.4.n.4 p.380

Logica. Actiuitas conditionata ex parte termini, cum conditionis purificatio agentis entitati contradicit, est chimæra.disp. q.3.cert.4.n.3.p.181
Vera actiuitas ad aliquem terminum in sua linea producendum, necessarium est, q.4.cert.1.n.3. p.178

Actiuitas imitatiua, & prioritas rationabilis metaphysica, prædicati vnius respectu alterius ipsis physice identificati requirit, vt in iis, in quibus ipsum à prædicatis similibus diuersum est physice eorum realiter actiuum, ipsisque natura realiter sit.cert.2.n.3. p.179 *Physica.*

Actiuitatis physicæ vnius ad aliud generalis regula assignari nequit, nisi experientia ostendat.num.2. ibid. *Physica.*

Actus vitales creatos à solo Deo effici posse docent aliqui. C.1.d.1.quæst.6. cert.1.n.1. p. Non posse longe est verius. cert.2.n.1. ibid. *Anima.*

Agens principale adæquatum formalia vel eminentiora illis, formaliter necessario continet & metaphysice prius, quam ei actiuitas respectu effectus adesse intelligatur formaliter. C.1.d.7. q.4. cert.2.n.2. p.129. & C.2.d.1.q.1.certam.2.num.3. p.164 *Physica.*

Amor ob Dei bonitatem supernaturalis non esse nequit. C.1.d.5.q.2.cert.8.n.5. P.92 *Anima.*

Amoris & scientiæ diuinæ, vt ille propter creaturas esse possit, hæc secus subtile discrimen nostrum, etsi nobis tandem non probetur. C.2.disp.7. q.10. cert.2.n.7. p.338

Amor bonitatis non præcedit necessarium amorem eius, quod ob ipsam amatur. quæst.5.cert.1.n.7. p.359

Astrorum futurorum contingentium species nec debitæ sunt, nec congenitæ nec contingentium Deo soli n.5. *Angelii.*
Sed solum eorum, quæ recte obeundo ministerio sunt necessariæ, cuique: quæ tamen non sint ipsis congenitæ. d.5.q.6.cert.3.num.4. p.264

Astrologia naturalis incerta, & dæmonum oraculis fallacior. C.1.d.5.quæst.3.cert.2.n.2. *Iudiciaria.*

Attributa diuina, Arriani negant, & Præpositiuus occulte. C.1.d.3.q.1.n.1. p.38

Et

Index

Et consequenter qui præcisiones obiectiuas negant n.2. p.39
Ea expresse negasse Nominales dicuntur num.3. ibid.
Expresse negantes referuntur.n.4. ibid.
Mutuæ inclusionis eorum in essentia Patroni attributa negare consequenter coguntur.n.5. ibid.
Eorum ab essentia obiectiua præcisio. num.6. ibid.
Ex dogmatibus Trinitatis cert.2. 40
Copiose, & subtiliter asserris.n.6. 41
Ex S.Thoma,& Patribus.cert.3. 42
Mutua eorum, & essentiæ metaphysica inclusio explosa.cert.4. 44
Ab essentia, vt res à re, nec solum, vt modi à re metaphysice differunt.n.6. 45
Essentiam metaphysicam includere, vt vniuoca mutuo non claudantur, aliqui dicunt. q.2. cert.1. n.1.p.46
Non includere essentiam, verum ostenditur.cer. 2,n.1. ibid.
Ex Patribus. n.2. 47
A ratione.n.4. ibid.
Entis substantiui metaphysici rationem formaliter non imbibunt. cert.3.n.1. 48
Ex Patribus aduersum etiam sonantibus. n.2. ibid.
Ex ratione philosophica. cert.4 49
Ex Theologicis, cert.5. 50
Non esse attributa formaliter intrinsece substantiue à se,vel ab alio,n.9 51
Atributa diuiduntur 1,in positiua & negatiua non in se, sed vocibus & conceptibus nostris, negatiua subdiuiduntur in negatiua definitione, quæ sunt tria, & negatiua nomine qua plura positiua in pedisequa entis, & in attributa vitalia. Item ex hypothesi transcendentiæ aliquorum per attributa alia, in transcendentia, & non transcendentia diuiderentur. d.3.q.3.cert.vnico toto. 52
Eorum realis formalis ex natura rei, & inter se & ab essentia distinctio Scoti sententia fuit, q.4. cert.1.n.3. 53
Et Scotistarum Ægydij Lusitani Fonsecæ, & Conimbricensium, n.4. ibid.
Censuris missis reiicitur ex Patribus, numer. 5. 54
A ratione quia inutilis ad Patronorum intentum, cert.2.n.1. ibid.
Mysterium Trinitatis euacuat, & vniuersale à parte rei Platonicum inducit,n.5. 55
Eorum inter se, & ab essentia realem virtualem distinctionem asserentes,q.7.cert.1. 56
Negantes, annuimus,cert.2.n.1. ibid.
Euacuandæ difficultati identitatis extremorum ex eorum identitate vni tertio est insufficiens, num.2. 57
Circulum nugatorium incurrit,n.6. ibid.
Compositionem independenter à nostro intellectu (vti, & distinctio formalis realis ex natura rei) admittit,n.7. ibid.
Specialibus inter prædicata diuina necessaria, & communia, ea distinctio abiicitur, cert.3.num.1. 58
Nec nisi mysteriorum fidei compositio rationabiliter admitti coget,n.2. ibid.
Attributa diuina heterogeneam metaphysicam compositionem non respiciunt, q.6. cert.1. n.2. 59
Homogeneam admittere videntur aliqui asserturi,n.4. 60
Eis vero homogenea compositio ex prædicato diuini ex quo infinita simpliciter è genere suo sunt repugnat,cert.3.n.1. 61
Obiectionibus occurritur,n.4. ibid.
Attributa nec bonitates,nec perfectiones secundum quid adhuc stricte loquendo, etsi quatenus partes bonitatem,& perfectionem simpliciter integrantes, tales vtcunque dicantur, disp.7. q.3. cert.2. n.7. 128
Attributa, & reliqua diuina sola identitate cum subiecto ei effectus formales communicant, d.6. q.2.cert.5.n.3.
Appetitus elicitus omnium ex naturæ instinctu est, & obiecti etiam supernaturalis, possibilitatem aliquo modo,materialiter saltem probat,C.1.d.5. q.3.cert.2.n.2. 95 *Anima.*
Auxilij efficaciam à futuritione conditionata consensus nostri omnes esse aiunt, etsi extrinseca alia vocationi ad congruitatem quandoque adiungant,C.3.d.1.q.5.cert.4.n.9. 486 *Gratia. Auxilia.*

B

BEatorum claritas corporis iuxta plures supernaturalis quo ad substantiam non est, C.1. d.7. q.1.cert.5.n.4. *Beatitudo*
A visu corporeo supernaturaliter eleuato videretur, etsi supernaturalis esset, fors & à non eleuato tametsi imperfectius. ibid.
Beati in Deo, vt medio creata non vident, quia possibilia omnia repugnanter viderent, C.2.d.7. q.2.cert.4. 345 *Visionis bea. ta.*
Bonitas per defectus, seu mali defectum bene explicatur,C.1.d,7.q.2.cert.1.n.1. 123 *Metaphysica.*
E generali conceptu relatiua non est. In absolutam & relatiua diuiditur:item in primariam quæ ad esse, & secundariam, quæ ad bene, seu commode esse spectat; item in primariam physicam. Et metaphysicam. ibid.
Primaria in physicam, & metaphysicam. ibid. *Metaphys-*
Cum ente alterutro conuertitur; atque, vt ens in *ca.*
simpliciter, & absolute talem, & talem secundum quid. Illa entibus totalibus directe ad prædicamentum spectantibus conuenit, hæ partialibus in vtrutis lineat,n.2. 124
Bonitas primaria seu entis metaphysici substantiui prædicatis differentialibus ratio non competit. ibid.
Bonitas simpliciter idem ac perfectio, non vero & idem ac entis passio,q.3.cert.4.n.3. 126

C

CArentiæ contingentes rerum non sunt nolitio efficax Dei de existentia rerum, quas amouent,C.1.d.8.q.6.cert.1.n.2. 149 *Metaphys.*
Nec disiunctim nolitio præfata, vel positiuum aliquid creatum n,1. ibid.
Nec nolitio,vt coniuncta scientiæ de rei non existentia essentialiter veræ,n.2. ibid.
Nec relatio positiua ad vltimum determinatiuum non existentiæ rei siue hoc Dei nolitio sola, siue scientia essentialiter vera. ibid.
Nec sunt res possibiles connotantes veras propositiones negatiuas existentiæ rerum, nec formæ, seu res oppositæ, quæ negatiuarum propositionum fundent veritatem,n.4.& 5. 149.150
Nec tenuissimum & exile, siue abusiuum esse positiuum, quod alij erronee fingunt.n.6. 150
Sunt ergo carentiæ contingentes realiter formaliter purum non esse verum, & nihil ex ratione Theologis, & Patribus,cert.2. ibid.
Nihil diuinum esse posse speciatim probatur, cert.3.155.cert.155.cert.5. 156 *Physicum*
Causarum physicarum infinitus processus, & circulus mutuæ causalitatis in eodem genere demonstratur impossibilis, d.1.q.3.cert.1.n.4. P.13. & n.9. 14
Non causari ab vllo est esse à se, & cererorum subinde causam;secus ab aliquo determinato non causari. ibid. *Physica.*
Causa adæquata actiua ex præcontinentia effectus præcise non tollit, quod ex hoc, & ipsa maius, & perfectius quid formaliter resulter, cert.3.n.4. 16
Causæ metaphysicæ continentia eminentialis accidentium metaphysicorum puræ rationis est; sed tamen ex his, & illa metaphysicæ quid maius, quam *Physica. Eiusdem.*

quam causa est,d.3.q.2.cert.5.n.4. 50
Vti & maius physice ex effectu, & causa physica ipsum continente præcise attenta continentia, num.5. ibid.
Eiusdem. Causæ actiuæ essentia stat in virtute influendi esse in effectum,n.8 51
Eiusdem. Causæ actiuitas respectu effectus posterior metaphysicæ est, quam huius præcontinentia in illa, d.7.q.4.cert.2.n.2.129. & C.2.d.1.q.2.cert.2.n.3. 166
Causa actiua adhuc creata respectum transcendentalem ad effectus possibiles habere non euincitur. C.1.d.5. qu.4.cert.2. numer.6. p.102.& C.2. d.2.q.3.cert.3. 179
Vbi nec ex respectu probari eius ab effectu distinctionem ostenditur. ibid.
Nulla causa partialis siue eiusdem, siue diuersi generis ad prius concausæ alterius partialis respectu effectus spectat, C.2.disp.6.p.1.cert.10.n.8. 317
Anima. Causæ liberæ indeterminatio, ad effectum huius;in seipso determinationi siue in statu conditionato, siue absoluto non obest. d.5.quæst.2. cert.8. n.6. 240.certam.10.num.2. 242. certam.11. numer.2. 244
Physica. Causæ primæ motio voluntati creatæ ad bonum in communi prosequendum quoad speciem solum, non quoad exercitium prædeterminat, nec est aliud, quam ipsius voluntatis productio, C.3.d.1. q.5.cert.2.n.7. 480
Sicuti nec causæ primæ præmotio physica respectu causarum naturalium ab earum productione non differt,n 8. ibid.
Anima. Physica. Causæ liberæ definitio (*quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest non operari vel operari oppositum.*
Lumine naturæ innotescit, quæst.7.cert.1.num.1. 501
In dubium à Caluinistis, imò, & à Thomistis aliquot Dominicanis, n.2. ibid.
Patribus, Philosophis,& Theologis probatissima, num.4. 502
Et dubitatoribus ipsis demum,n.6. 503
Eius bonitas demonstratur n.7. ibid.
Nec addendum sublatis impedimentis,vel,*iisdem eodem modo, seu vniformiter perstantibus*, n.12. 504
Nec quod requisita posita, nec sint, nec fuerint in potestate causæ liberæ,n.13 505
Physica. Mutua causalitas, in causis quæ non, nisi vt existentes, absolute causant, repugnat, cert.10. num.2. 503
Secus si earum altera existentiam absolutam non requirat,ibi.& n.5. 531
Nec primam inter habitum, & actum charitatis Doctor Societatis vllus admittit,n 12 534
Physica. Causalitas moralis non stat præcise in physico influxu in actum, ni vel illum determinet, vel influens, velit, vt fit. d.2.qu.4. certam.4. numer.7. 617
Physica. Causa indifferens de se principium proximum determinationis ad vnum esse potest,C.2.d.7.qu.2. cert.3.n.2. 342
Moralis. Causidici, & Concionatores ratione ipsis infirma captui tamen iudicis, vel audientis accommodatore, vt iusticia clientis, vel veritas suadeatur, vti licite possunt, & quandoque debent, C.2.d.1. q.2,cert.3.n.2. 166
Anima. Cognitionis quoad an est, & quoad quid est? distinctio apte explicata C.1.d.1.q.1.cert.4.num.5. P.5
Anima. Cognitio nulla reddit subiectum cognoscens, ni capacitas, seu potentia cognoscitiua in ea linea ex parte subiecti supponatur, C.2.d.1.q 2. cert.3. num.4. 167
E Conceptu suo distinctionem realem à suo obiecto non dicit: sed ex prædicato creatæ; quare increata scientia Dei seipsam, vt proprium obiectum haberi speciali ratione monstratur, d.2.q.5. certam.1. numero 19. 187
Cognitio rei in alio dupliciter est, velut in medio, velut in specificatiuo, disp.4. quæst.3. cert.1. n.1. 208
Pure apprehensiua cognitio obiectum materiale terminatiuum solummodo habet, iudicatiua motiuum vlterius obiectum habere debet,cert.3. num.1. 209
Cognitio entis rationis creata ipsi tanquam termino non, vt causæ essentialiter connectitur, vt actio effectui, q.5.cert.3.n.2. *Anima.* 218
Cognitio intuitiua relationis realis transcendentalis intuitionem termini, nec dicit, nec nallatenus inducit, d.7.q.1.cert.1.n.3. 335
Cognitio abstractiua obiecti perfectior, & suo modo clarior ad plura; ipsi non solùm remotiora, sed æque proxime coniuncta obiecta cognoscenda mouet, ac determinat intellectum, q.2.cer.4. n.4. 346
Secus cognitio intuitiua respectu æque immediatorum in eius obiecto, & medio cognoscendorum,n.6. ibid.
Comprehensio scholastica acceptione Patribus fors in mentem non venit,C.1.d.5.quæst.4.cert.1.n.1. P.99. cert.3.n.2 *Anima.* 103
Eius tamen definitio: visio, *qua nihil rei lateat videntem*, explicatur recte, cert.2. n.1. 101
Comprehensio sui, & creaturarum Deo adest, quin se in illis, vel illas in se, vt medio cognoscat,C.2. d.7.q.1.cert.2.n.2. 337
Concreta substantialia communia substantiæ accepta nil de ses aliud,quam abstracta sua significant, C.1.d.2.q.3.cer.2.n.7. *Logica.* 33
Ex igne vero, aut syncathegorematis adiunctione aliud significare possunt;nempe personam, q.4. cert.2.n 6. 35
Concursus immediatus Dei ad omnia creata demonstratur, C.1.d.8. quæst.1. certam.1. numer.3. 131
Nec solum ad prædicatum entis in eis inclusum, vt male ab aliquibus intelligitur,S.Thom.num.6. 132 *Physica.*
Concursus creatiuus Dei proprius, & creaturæ adhuc, vt instrumento indelegabilis, d.4 q.6.cer.3. n.3 82
Concursus Dei cooperationi voluntatis identificatus, etsi non natura, vero aliquo sensu est cooperatione voluntatis creatæ prior, C.3.d.1.q.7.cert. 13.n.2. 543
Consequentia à parte ad totum, & à singulis ad omnium collectionem, & è contra in his, quæ à quantitate,vel continua, vel discreta, siue vera, siue imitatiua abstrahunt euidens est, C.1.d.1.q.3. cert.3.n.7. 16 *Logica.*
Conseruatio creatorum à Deo de fide est, d.9.q.1. cert.1.n.5. 159 *Physica.*
Creata omnia in fieri & conseruari immediate à Deo essentialiter pendere fidei, & Philosophis etiam consonum; tametsi quoad fieri immediatè à Deo temere id Durandus neget, non tamen in conseruari,n.2. 158 *Physica.*
Nec nisi negata immediata dependentia à Deo in fieri, negare immediata creatorum à Deo conseruatio potest,n.3. ibid.
Constitutiua specialia rerum earum ab aliis distinctiua sunt,d.8.q.5.cert.1.n.8. 147 *Metaphysica.*
Contractus Matrimonij, & aliorum (in quibus de obiecto directo inutilibus subtilitatibus multum à Recentioribus laboratur) obiectum directum, assignatur, C.3.d.3.q.2.cert.2.n.5. *Moralis.*
Contritio effectiua in Deum conuersio, & iustificatio formalis nec solum affectiua necessario est, C.1.d.8.q.6.cert.3.n.6. 154 *Grat.iustific.*

D

Demonstratio, *in quia*, seu à priori, & *propter quid*, seu à posteriori, adæquatè diuiditur alio Recentiorum à simultaneo demonstrandi *Logica.*

membro reiecto, C.1.d.1.q.2.cert.1.n.4. 7
Ex necessariis non enritatiue, sed verificatiue debet procedere, cert.2.n.7. 8
In eius antecendente veritas conclusionis apprehenditur, non iudicatur. ibid.
Dei existentia supponenda potiùs Theologis, quam disputanda, d.1.prol. 1
Beatis per se nota, q.1.prol. 2
Viatoribus etiam per se notam aliqui censent, ibid.
cert.1.n.2.
Saltem sub conceptu causæ primæ, & gubernatoris mundi censent alij extra rem, ibid.
Vbi, & deinceps confutati per se nota viatoribus
Dei existentia non est.cert.2.n.1. 3
Vbi malæ aliorum probationes reiectæ, solidiores adhibentur, n.3. ibid.
Oppositis pridem occurritur, cert.3.nouis, cert.4. 5
Est à Beatis indemonstrabilis, q.2.cert.1.n.3. 7
Qui Et quo modo Dei existentiam demonstrabilem affirment, vel negent, n.5. ibid.
Non est demonstrabilis à priori, cert.2.n.1, ibid.
A posteriori demonstrabilis est, n.3. 8
Nec sine temeritate philosophica, & Theologica negabitur, n.4. ibid.
Obiectiones disiectæ, n.6. ibid.
Demonstrationes quatuor, ad quas tandem reliquæ reducendæ, vt conuincant, q.3.cert.2. 14
Aristotelica de primo motore est, prima ex quatuor, passiue accepta non probat, cert.3.n.2. 16
Fulcris etiam Recentioris adiuta, n.4. ibid.
Probatio S.Th. ex gradibus entis perfectioris, & perfectioris Recentiorum nostrorum adminiculis demonstratio non est, n.6. ibid.
Nec aliæ ex Anselmo, Vasquez, & Molinæ, n.9. 17
Dei essentia. Peculiares Antonij Perez, & Nouiorum reiectæ, cert.4. ibid.
Ignorantia existentiæ Dei, *Vide verbo ignorantia.*
Physica, philosophica, & Theologica formalis, & virtualis, nescio quæ, malè à recentioribus explicatur, & defenditur, d.2.q.1.cert.1. 23
Physica philosophica, solis & cunctis communibus constat, cert.2.n.1. 24
Etiam contingentibus, n.2. ibid.
Theologica personalibus etiam, n.4. ibid.
Pro his a ratione, n.6. 25
De essentia metaphysica philosophica Dei opiniones ad decem reducuntur, q.2.cert.1. ibid.
Solo prædicato entis à se cõtinetur, cert.2.n.1. 27
Ab obiectione difficili liberatur, n.2. ibid.
Probatio 2. à ratione, seu primæ à ratione vnicæ explicatio, n.5. 28
Ex Patribus, n.6. ibid.
Ab aliarum sententiarum exclusione, vbi obiectionũ solutio, & in aduersarios regestio, cert.3.ib.
Esse actu à se ab essentia metaphysica philosophica Dei aliqui excludunt, q.3.cert.1.n.2. 31
Includitur tamen: probatur ex scriptura, n.3. 32
Ex Patribus, n.4. ibid.
A ratione subtili, & multiplici, cert.2. ibid.
Est quippe qua ens à se negationis siue formalis exclusio, n.3. 32
De essentia metaphysica Theologica Dei opiniones, q.4.cert.1. 33
Essentia metaphysica Theologica Dei concreto nomine *Deus* significati non clauditur, quia personalitatem adhuc vage includit speciali, & solida ratione probatum, cert.2. 34
Arduæ obiectioni ab absurdis firma, & subtilis solutio, n.5. ibid.
Essentiam logicam Dei ex communitate prædicatorum eius cum creaturis qui doceant, qu.5. cert.1.n.1. 35
Neganda est ex principio aduerso, n.3. ibid.
Imbelles probationes aliquorum, n.4. ibid.
Solidæ ab authoritate, cert.2. 36
A ratione, n.5. ibid.
Nonnullo intrinseco prædicato Deus conuenit cum creaturis vniuoce, cert.3.n.1. 37
Leuis probatio ibi reiecta, solida, n.3. ibid.
De relatiuis specialis alia datur, & explicatio
Damasceni, n.4. ibid.
Extrinsecis, & aduentitiis conuenit cum creaturis Deus, n.6. 38
Dei supernaturalitas ipsum prorsus à natura excludit, d.5.q.2.cert.4. 92
Dei æternitas eius est immortalitas, d.6.q.4.prol. 115
Negata ab Aureolo falsò dicitur, estque de fide, cert.1.n.1. ibid.
Idem formaliter, quod explicatius per extrinseca sempiternitas dicit, n.2. ibid.
Rectè à Boëtio definita, *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, n.3.* ibid.
Nec vox perfecta, aliquid supra tota simul addit, n.4. ibid.
Nil rationis importat, nec mensuræ actiuæ, aut passiuæ respectu sui, vel alterius, n.5. ibid.
Dei æternitas, n.8. 116
Speciale Dei attributum nulli creaturæ communicabile, cert.2. ibid.
Infirma probatio, n.1. ibid.
Solida, n.3. 117
Eius ab æuo, & creata duratione ex, & per æternitatem discrimen, n.4. ibid.
Contra eius à reliquis attributis differentiam satis apparentes obiectiones, cert.3.n.1. ibid.
Solutiones, n.4. ibid.
Differt ab immutabilitate, quod hæc à materia præscindit æternitas, materialem durationis concernat, n.5. 118
Dei vnitas, simplicitas, & incompositio, seu realis omnium diuinorum identitas summa est, quæst.5. cert.1. ibid.
E personarum numero non imminuta; sed maxime edmmendata, n.4. 119
Vnitas numerica Dei essentia sua à rudioribus solum Philosophis, & Hæreticis negata, cert.1.n.1. ibid.
Est de fide, n.3. ibid.
Demonstrata à priori, cert.3.n.3. 120
Et ex comparatione Dei ad creata, cert.4. ibid.
Vtraque vnitas, & essentialis numerica & entis passio attributum Dei est, n.5. 121
Dei veritas passio entis ipsi ex fide, & ratione adest, d.7.q.1.cert.1.n.4. 122
Et summa, cert.2.n.1. ibid.
Et passio, ac speciale eius attributum contra obiectionem subtilem, cert.2.n.3. 123
A reliquis attributis diuersum, n.5. ibid.
Dei bonitas primaria ipsi adest, absoluta, & summa, q.2. cert.1.n.4. 124
Vt attributum ab essentia diuersum, cert.2.n.3.
Et ab aliis attributis, n.5. 125
Dei perfectio simpliciter talis attributum eius est, quæst.3.cert.2.num.1. 127
Ac citius perfectio simpliciter simplex, n.2. ibid.
Et per essentiam talis Deo conuenit, n.4. ibid.
Creatis repugnat, n.5. ibid.
Diuinæ à creata perfectione differentiæ, n.3. ibid.
Perfectio simpliciter & simpliciter simplex, & ab essentia, & ab aliis attributis ex æquo metaphysice differunt, n.6. 128
Dei vita viuens in actu primo, verum reale intentionale Deus ex fide est, q.4.cert.1.n.2. 129
Demonstratur, n.3. ibid.
Et iterum n.4. ibid.
Est summe, & infinite viuens, demonstratur, cert.2.n.1. ibid.
Subtilis euasio præclusa, n.2. 130
Demonstrationis reliquæ, n.3.
Id per essentiam physicam Deus est, non per metaphysicam, n.4. ibid. A qua, & reliquis diuersum attributum ostenditur, n.5. ibid.
Dei omnipotentia Philosophis nota, ab Auicenna, d.8.q.1.cert.1.n.1. 131
Est de fide, n.2. ibid.
Demonstrata, n.3. Ex

& Verborum.

Ex suppositione connexionis cum possibilibus: Creatis difficultas grauis de connexionis termino, cert.2.n.3. 133
Expeditur,n.5. ibid.
Cum illa, tum reliqua diuina eis inconnexa, ab eisque prorsus absoluta sunt, qu.3. cert.1. num.3. 138
Sophismata Recentiorum aduersantium detecta, cert.2.139 & 3. 141
Dei omnipotentia diuinumve aliud possibilitas creaturarum non est,q.4.cert.1.n.3. 143
Sophismata eorundem deprehensa, certam. 2. 144
Omnipotentia diuinumve non est impossibilitas formalis impossibilium,q.5.cert.1. 146
Recentium paralogismi detecti,cert.2. 148
Nec est carentia rerum contingentium, q.6.cert. 2.p.150.& cert.3. 153
Dei voluntas contradictioni etiam libertate gaudet, cert.4.n.1. 155
Et n.4. ibid.
Dei Dominium in proprietatis, & iuris diuiditur, & proprietatis definitur, ac in omnipotentia fundatur, etsi ad possessionem rerum existentia, & à Deo productio seu prima, seu conseruatiua requiratur, & ex parte subiecti capacitas, quam solus gradus rationalis formaliter præstat, d.9. q.1 prol. 158
Dominium proprietatis in omnia creata competit Deo ex fide strictissimum in sola rationalia,cert. 1.n.1. ibid.
Eorum productio, & seruatio rerum eius dominij tituli communiter censentur, & dati videntur ab scriptura,n.2. ibid.
Sed intelligendum, iuxta iam dicenda Gubernatio, Redemptio, & vltimi finis ratio titulo eius dominij non sunt,cert.2.n.1. 160
Nec creatio, & conseruatio, quæ actus, & exercitium eius dominij in sola omnipotentia fundati, & præsupposíti sunt, illudque proinde demonstrant,n.3. ibid.
Absolutum est à rerum possibilitate, atque vltra possibilia extenditur, etsi, vt subdantur in se requiratur rerum possibilitas, & ad exercitam possessionem, existentia, quæ extrinseca dominio Dei sunt possuntque extrinsecus compleri, n.5. 161
Est attributum à reliquis diuersum, & ex parte adhuc inabdicabile, n.6. ibid.
Dominij iurisdictionis definitio, & diuisio in subordinatum, & non subordinatum, in aliquo ordine solum, & in nullo ordine subordinatum, prorsusque absolutum, & supremum Dei prorium,q.2.prol. ibid.
Deo competere ex fide est, certam. vnico, num.1. ibid.
Ex illo potest independenter à materiæ diuisibilis magnitudine aliquid sub mortali prohibere, n.2. ibid.
Eius tituli infinita excellentia essentiæ, scientiæ, voluntatis, & omnipotentiæ suæ in actu primo ante operationem,n.3. ibid.
A creatis adhuc possibilibus prorsus absolutum, neque ex parte adhuc abdicabile,n.4. 162
Dei scientia, & omniscientia etiam barbaris nota, & supponenda, quam disputanda, C.2. d.7.q.1. cert.1. 163
Eius existentia est de fide,cert.2. 164
Quomodo eius existentiæ possumus ex fide primo assentiri, n.5. 165
Per se nota scientiæ Dei, existentia non est, est; est naturalis luminis rationis principiis proxima, q.2 cert.1.n.1. ibid.
A posteriori euidens,n.2. ibid.
Et à priori multipliciter,c.2. ibid.
Nulla eius demonstratio de fide est, cert.3. n.2. 166
E Dei spiritualitate non demonstratur, q.3 cert.1. 167
Nec in deductis Soarij. Et aliorum discursibus, cert.2. 168
Dei vera & propria potentia intellectiua, negatur à pluribus, d.2.q.1.cert.1.n.1. 170
Affirmatur ab aliis,n.2. ibid.
Male probatur ibi, ac deinceps. Probatur solide ex scriptura, Aristotele, & Patribus, certam.2. 171
Negans sententia temeraria censetur à nostro Ruiz,num.3. ibid.
Concrete potest intelligere, periculose negabitur,cert.3.n.2. 172
Ex quo prædicato potentiæ veræ potentiæ intellectiuæ Dei probatio efficax prima ibi. & num.1. ibid.
Ex prædicato proprie intelligentis probatio secunda,n.3. ibid.
Vbi apparens euasio confutata,n.4. ibid.
Tertia ex prædicato entis à se,n.5. 173
Quarta ex prædicato viuentis diuino, certam.4. ibid.
Quinta, quod sit sine imperfectione, perfectio, vbi obiecta negantibus imperfectiones in vmbras eunt inanes,cert.5. 174
Essentiam metaphysicam Dei potentia intellectiua non intrat, sed sequitur,n.1. ibid.
Physicam realem prioritatem respectu scientiæ communis non habet,q.2.cert.1.n.1. ibid.
Est fidei proximum,n.2. 175
Nec admissa etiam reali virtuali earum distinctione, citra periculum ea prioritas absolute defenderur,cert.2.n.7 177
Realis formalis ex natura rei, & realis virtualis inter eas prioritas à nonnullis asseritur q.3.cer.1. ibid.
Neutra datur respectu scientiæ, & actus necessarij in vitali potentia diuina intellectiua(&t idem de volitiua) cert.2. 179
Vbi decentiorum aduersæ rationes disiectæ. Nec respectu actus contingentis,cert.3 179
Realis virtualis prioritas inter hæc ab Arrubale excogitata repellitur,cert.4. 181
Prioritas metaphysica potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ ad suos actus asseritur,quæst.4.certam,1. n.1. 182
Et vera etiam realis intentionalis,n.4. 183
Potentia, actiuitas, & prioritas realis intentionalis, ad suos actus:est, potestas versandi vere, ac omni rationis fictione seclusa, circa aliquid intentionaliter, id est representative, vel affective quin aliquid realiter denuo in rebus, sed solum intentionaliter diuersum apponat. 184
Potentia intellectiua, aut volitiua, & formalis,& radicalis Deo adest,n.8. ibid.
Scientiæ Diuinæ diuina omnia (etiam ipsa scientia formaliter sumpta) obiectum proprie sunt,q.5. cert.1.n.1. 185
Probatur à n.3. ibid.
Ad scientiam, & omniscientiam specificandam creati obiecti consortium non admittitur, cert.2. n.2. 187
Qui obiectum vero respectu suæ scientiæ veram prioritatem realem Deus non habet,n.7. 188
Formale specificatiuum adæquatum scientiæ diuinæ ei essentia metaphysica est, seu veritas in essendo reliqua materialiter solum & identice (excipe personalia & contingentia diuina) n.8. ibid. 189
Ratione solius omnipotentiæ Deum primarium obiectum,& specificatiuum suæ scientiæ asserunt male nonnulli, cert.3.n.3. 189
Peius alij creaturam, quamvis scientiam Dei, de ipsa specificare docent,certa,eodem. ibid.
Nullam speciei impressæ rationem de se etiam ipso scientia Dei adhuc metaphysice supponit, q.6.cert 2.n.2. 193
Nec vt ad creata extenditur,n.8. 194
Scientia Dei erga ipsum versatur ex fide, disp.3. quæst.1. certam.1. 195

Index Rerum,

Circa omnia diuina coniunctim, & identice sumpta,cert.2.n.1. 196
In seipsis absque medij, aut determinatiui alicuius necessitate,n.3. 197
Quodvis eorum, præcisione solum formali admissa, præcise ab aliis (vt in ea opinione de aliorum obiectorum præcisione admittitur à Deo cognoscetur,q.2.cert.1. 197
In opinione obiectiue præscindentium de cognitione diuina vnius prædicati diuini præcise obiectiue ab aliis sententia triplex,n.5. 198
Repugnat scientiæ Dei obiectiua præcisio, etsi non repugnat visioni beatæ,cert.2.n.1. ibid.
Speciales nostræ probationes,n.2. ibid.
Et pro attributis præsertim,n.5. 199
Speciales difficiles obiectiones solutæ, C. 3. ibid.
Scientia diuina Deum possibilem, præcisiue adhuc, non repræsentat,q.3.cert.1.n.4. 201
Nec diuinum quid futurum duratione, nisi per dissensum,cert.2.n.1. ibid.
Secus origine futura, vt personalia,n.5. 202
Et intentionali reali posterioritate futuros actus diuinos, & necessarios, & contingentes, numer.8. ibid.
Scientiam Dei, vt seipsam repræsentet reflexa alia formaliter diuersa egere aliqui inconsequenter aiunt, & male,q.4.cert.1.n.1. 203
Vt inconsequentiam vitent alij infinitum processum scientiarum reflexarum formaliter diuersarum in Deo male admittunt,n.2. ibid.
Seipsa formaliter sumpta sui ipsius formalis repræsentatio speciali rationi probatur, certam.2. ibid.
Scientia Dei positiua creata, ex fide repræsentat, ex philosophis cunctis, ac demonstrationibus, d.4.q.1.cert.1. 204
Ab errore aduerso Aristoteles vindicatur, cert.2. n.1. ibid.
Scientiæ Dei à creata discrimen, quod hæc ab obiecto materiali repræsentato specificetur;secus illa. Ratione statuitur,n.4. 205
Scientiam Dei ad omnia creata sublunaria scilicet, & adiecta non extendi;error Philosophorum aliquot fuit, à quo liberatur S.Hieron.q.2.cert.1. 205
Extendi ad omnia etiam sublunaria; & abiectissima fidei, & Philosophorum est dogma.certam.2. num.1. 206
Demonstratum,n.2. 207
Quoad indiuiduationes ex fide, & demonstratione,n.4. ibid.
Absque vlla confusione,n.5. ibid.
De eius specificatiuo, qua creata repræsentat sententia dilucide Doctorum,q.3.cert.1. 208
Secundum seipsa, non in seipsis specificatiue à Deo cognoscuntur,cert.2.n.1. 209
Etsi in seipsis,vt obiecto formali motiuo cognoscantur, cert.3.n.1. ibid.
Eius ratio,n.4. 210
Dei scientiæ & apprehensionis, & iudicij de obiecto duplex formalitas, ibi,& n.5.
Nec à creatura, quæ obiectum formale motiuum iudicij Dei de ipsa est specificatur,n.6. ibid.
Creata in seipsis immedialiter (esto medialiter posset) repræsentat,cert.4. 211
Adæquata specificatione à Deo,& sui, & omnium comprehensio, & omniscientia, & visio beatifica formalissime euadit, inde plura verba, & generationes à diuinis abiguntur,n.5. ibid.
Scientiam de negationibus contingentium Deo, qui negent, q.4.cert.1.n.1. 212
Alij reflexam ex priuatione scientiæ rerum, quas remouent,n.2. ibid.
Alij directam de illis vestitis ramen entre rationis, num.4. ibid.
Alij solum habitum, per habitus tanquam media, ibi. & n.5. ibid.
Eas tamen secundum se, & in se immedialiter scientia diuina repræsentat iudicatiue per dissensum solum,n.6. ibid.
Nec potest per habitus, vt media repræsentare, ibid.
Omne genus mali physici, metaphysici moralis, pœnalis in seipso,& secundum se repræsentat,cer. 3.n.7. 216
Necessarias negationes, seu impossibilia diuersimode à Doctoribus iuxta modos cognitionis negationum contingentium, qui non placent, q 5. cert.1.n.1. ibid.
Nec subtilis alius Magistri mei Daza, numer.3. 217
Illas, & secundum seipso repræsentat, certam.2. num.1. ibid.
Et in seipsis,n.2. ibid.
Entia, etiam rationis directè attingit in ipsis, cert.3.n.1. 218
Et indirecte, vt obiecta creatæ cognitionis, n.2. ibid.
Directè, vt suo modo possibilia præcisiuè intrinsecè repræsentare nequit, secus extrinsece possibilia,n.3 219
Creata secundum statum possibilitatis Dei scientia attingi in aliquibus Doctoribus ambiguum, quos an terminatiue, an determinatiue, in seipsis loquantur nescions,d.5.q.1.cert.1.n.1. 221
Attingit secundum eum statum vera & communis sententia,n.4. ibid.
Probata,cert.2. ibid.
Nec solum terminatiue, & determinatiue in seipsis secundum eum statum,cert.3. 222
Vbi difficilis obiectionis male solutionis disiectæ & bona adhibita futura conditionata contingentia certa Dei scientia non attingi docuere primi Dominicani prædeterminatores quidquid cótra, Ioann. à S.Thom,& Hieron.Viues reclament, vt illorum testimoniis claret,q.2.cert.2. 226
Affirmatur iam à cunctis Theologis non sine grauibus in negatiuam ceasuris, certam.3. numer.1. 228
Ex frequenti scriptura ex celebri oraculo de Dauidis traditione à Ceilitis si apud eos maneret,num.5. 229
Euasionibus præclusis,n.6. ibid.
Ex *Sap.4.* raptus est ne malitia &c. num.7. Euasio tanquam Augustini tentata ab eo, & veritate ostenditur aliena,n.8. ibid.
Ex fide, & pœnitentia Syriorum, & Sydoniorum, cert.4.n.1. 230
Euasio de prudenti coniectura, & solum moraliter cessa scientia Caluiniana est;contra Augustinum,n.2. ibid.
Contra Prosperum, n.3. 231
Contra apertum textum.n.4. ibid.
Alia scripturæ testimonia,n.7. 232
Absurdiores Anonymi euasiones cert.5. num.1. ibid.
Nec meliores Caramuelis,n.3. ibid.
Reiectæ,n.4. 233
Firmissima Augustini testimonia ex 9. *de prædest. sanct. & 9. de bono perseuer.* pro scientia conditionatorum,vbi retractatam Dominicani volunt, nostri prorsus omissam, cert.6. 234
Pro ea stant Sancti Patres reliqui,cert.7. ibid.
Speciatim S.Tho.n.6. 237
Rationes,cert.8. 239
Vulgaris è possibilitate præfinitionis diuinæ erga nostros actus liberos falso principio nititur, nec vim habet, nisi ad hominem contra Dominicanos, cert.9. 241
Efficaciter ex certitudine, & infrustrabilitate prædestinationis instruitur n.6. 242
Oppositis authoritatibus occurritur, certam.10. ibid.
Scientiam de suis intrinsecis contingentibus consequentibus conditionatam, qui Deo negent, q.3. cert.1.n.6. 247
Alij negant sub conditione necessaria sunt,n.7.ib.

Adeſt tamen Deo, cert.2.n.1. ibid.
Etiam qui ſub conditione neceſſariæ exiſtentiæ, n.6. 249
Scientia conditionata immediatam intrinſecam libertatem non habet, ſed extrinſecam mutuam ab obiectis, & vti hæc mediam ſolum, cert.3.n.4. 251.
Dei ſcientia conditionata decreto ſubiectiuè, abſoluto, & obiectiue conditionato, ſiue ad obiecti ſui conſiſtentiam. Siue, vt ad illud tendat requirere ex pluribus Doctoribus falsò à nonnullis refertur, cum pauculorum Dominicanorum, Thomiſtarum, ſententia ſit inutilis ſatis inconſequens cui eorum etiam Proceres, & reliqui Doctores reclamant, d.6. quæſt.1. cert.1. 291.
Noſtri omnes Doctores cum aliorum numero innumero id decretum ad ſcientiam conditionatam neceſſarium negarit, & abſolutè reiiciunt, cert.2. 293
Scriptura confutatur, cert.3.n.2. 295
Euaſiones præcluſæ prima, n. 5. 296
Secunda, n.6. ibid.
Tertia, n.7. 297
Quarta, n.9. ibid.
Aduerſariorum in nos argumenti regeſtio retuſa, n.11. 298
Ruſus ex *Sapientiæ* 4. id decretum repellitur, cert.4.n.1. ibid.
Ex Patribus, n.4. 299
Ac deinceps ex peculiaribus Auguſtini teſtimoniis, cert.5. 301
Et alij S. Thomæ, n.9. 303
Ex firmiſſimis, & aliquot ſpecialibus rationibus, cert.6. 304
Vt teſtimoniis Auguſtini pro eo decreto inductis apertè ſatisfiat Pelagianorum, & ſemipelagianorum errores ex ipſo Proſpero, ac reliquis Patribus, eius diſcipulis propalantur, certam.7. 306.
Vt ſcilicet ex præuentione, & neceſſariò iuuamine gratiæ auxiliantis in negotio toto prædeſtinationis noſtræ ſinguliſque eius partibus totum illud abſque noſtra libertate peragi Pelagiani docerent, Semipelagiani vero idem contenderint, ex eadem gratiæ præuenientis, & adiuuantis neceſſitate ad negotij eiuſdem inchoationem, & remotiſſimum initium, certam. 7. 306.
Conſtat inde teſtimonia Auguſtini, & Diſcipulorum eius Patrum ex ignorantia eorum errorum ad purum pro decreto hoc ab aduerſariis adduci, cert.7. 311
Teſtimonia S. Thomæ pro eo decreto ſolum probant, contra producentes, cert.9. 314
Rationes pro eo decreto æquiuocatione, vt ſummum, certant, cert.10. 316
Rationes aliæ contra rationem ipſam militant, cert.11. 318
Scientia conditionata, quà talis hypotheſim ſub qua conditionatum contingens erit, aliquidve illam conſtituit, non repræſentat, ſed quà ſimplex intelligentia eſt, n.2. ibid.
In nullo medio formali ſcientia conditionata ſua obiecta repræſentat, d.7. quæſt.3. certam.1. 348.
Negationis conditionatæ contingentis reſpectu Dei ex eius decreto poſitiuo conditionatæ futuræ medium materiale ſcientiæ conditionatæ de ipſa proximum decretum ipſum in hypotheſi erit, remotum motiua ex quibus decretum illud concipieretur, Deique voluntas, quæ reſpectu libertatis, & contingentiæ conditionatæ, negationi ſecus proximum medium materiale erunt. Puræ vero omiſſionis diuinæ motiua quibus ab actu retraheretur, Deique voluntas medium materiale proximum quoad totum omiſſionis erit illius, q.4.cert.1.n.6. 356
Contingentis vero reſpectu noſtri conditionatæ omiſſionis decretum ſubiectiuè abſolutum, & obiectiuè conditionatum medium conditionatæ ſcientiæ materiale non eſt, ſed ea ſolum omnia ſub quibus illa eſſet, ſi apponeretur: ibidem
Scientia media conditionatorum, quæ repræſentat verificatiuum eſſe non poteſt, fusè contra vnum vel alterum Recentiorum oſtenditur, q.6.cert.3. 365.
Atque ſcientiæ mediæ libertate, cert.4.
Dei præſcientia abſoluta de futuris à nullo Philoſopho abſolutè negata, vt neque à Theologis, d.5.q.4.cert.3.n.1. 256
Probatur ratione, n.2. ibid.
Etiam de contingentibus futuris ſecundum ſe ipſa, ex fide eſt, q.5. cert.1. 257
Contra Ariſt. Ciceron. Philoſophos alios, & Hæreticos demonſtratur multipliciter, cert.2. num.1.258. & n.3. 260.
Ac deinceps, Propria Dei nec, niſi ex eius reuelatione, infallibilis, ac certa poteſt alteri adeſſe, eſt de fide, q.6.cert.1. 265
Demonſtratur multipliciter à poſteriori, cert.2. 263.
A priori male ab aliis, ſed ſpeciali diſcurſu demonſtratur, cer.3. 264
Difficultas concordandi præſcientiæ diuinæ intrinſecam certitudinem viuida, ac breuis, q.8. cert.1.n.1. 275
Qui obinde, vel Deo præſcientiam, vel futuris contingentibus libertatem negarint, vel deſperarint in hac vita ſolutionem, n.2. ibid.
Ex potentia ad præteritum aliquorum mala concordia, n.5. 276
Nec ex ſimultate totius æternitatis, qua ex æternitate, & per æternitatem Deus, eiuſque præſcientia durat, concordia aliorum melior, n.6. 276.
Nec bona ex connotatione extrinſecorum ad conſtituendos actus liberos Dei, numero 9. 277.
Nec melior ex potentia ad præteritum abſolutè, &, vt tale dependens tamen à futuro in primam enim concordiam, eiuſque cenſuras recidit, n.10. ibid.
Nec bona eſt noſtri Quiros, ex quadam communi doctrina Theologorum, n.11. 277
Dilucida, & facilis, & vnica concordia: quia præſcientia futura contingentia natura non præcedit, ſed ſupponit, & quaſi natura ſubſequitur, eodem cert. 1. n.4. 275. & cert.2. num.2. 278.
Ex Patribus, n.4. 279
Ex Ariſtot. Magiſt. & ſcholaſticis, cert.3.n.1. 281.
Ex S. Thom. n.3.
Ex eius veris veteribus Diſcipulis, num. 5. 282.
Ex aliis ſcholaſticis, n.8.
Teſtimonia contra hanc concordiam diluuntur, cert.4.n.3. 285
Duæ aduerſariorum ad recitata teſtimonia præcluſæ euaſiones, n.4. ibid.
Eorum rationes leuiſſimæ, n.3. ibid.
Tertia eorum euaſio confutata, n.6. 286
Concordia præſcientiæ Dei cum futurorum contingentium libertate ex fide eſt, cert.5.n.1. ibid.
Et ex naturali ratione, n.2. ibid.
Ab ea concordia, & ratione nemo ex noſtris doctoribus receſſit, etſi in eius explicatione, & conſectariis aliqui fuerint quid humanæ æquiuocationis paſſi, n.9. 288
Præſcientia futurorum naturalium in æternitates præſentia ſua, vt medio materiali reiicitur fusè, d.6.q.2. 322.
Vide Verbo *præſentia*, *& quidem*, in nullo alio vt medio formali repræſentat, d.7. q.3. cert.2. 349
De mediis formalibus repræſentandi futura

Index Rerum,

absolute contingentia sententiæ nouem, cert. 3. p. 351
Media Dominicanorum Recentium omnia reiecta, cert. 4. 353
Physica prædeterminatio, n. 2. ibid.
Moralis, n. 3. ibid.
Decretum concurrendi prædeterminatiuum, n. 4. ibid.
Præscientia absoluta, n. 5. ibid.
Ideæ Diuinæ, n. 6. 354
Determinatio voluntatis nostræ in actu primo nostri Valentiæ, cert. 5. n. 1. 354
Supercomprehensio arbitrij creati nostri Molinæ, n. 4. 355
Præfinitio regulata per scientiam mediam, n. 7. ibid.
Vbi ex cert. 5.
Medium aliud Arrubalis reiectum memoratur coniunctum, ex scientia media, & purificatione conditionis abiicitur, n. 8. 356
Vbi, & medium complacentiæ, & comprehensionis absoluti contingentis. Medium negationum absolute futurarum, & contingentium, non autem respectu arbitrij creati materiale, ea omnia diuinæ præscientiæ sunt, quibus positis earum habitus absolutè non erunt in quibus cuiusvis causæ requisitæ ad habitus positionem defectus adæquatum medium materiale erit, qu. 4. cert. 1. n. 7. p. 357
Negationum vero arbitrio nostro contingentium ea omnia media materialia sunt, quæ absque libertatis præiudicio in causa sunt vt, suo modo à nobis apponantur: ibid.
Negationum, seu omissionum actuum, seu actionum liberarum tam respectu arbitrij diuini, quam respectu creati nullum medium formale diuinæ scientiæ adest, cert. 2. n. 2. ibid.
Verificatiuum actuale, & præscientiæ coexistentiæ absolute contingentium futurorum à Neothericis pauculis assignatur, præscientia ipsa impugnationes memoratas contra simile purificatiuum, scientiæ mediæ ab eisdem assignatum doctrinæ Thomisticæ difficultates fatalium, & Gnosticorum errores videtur incurrere, q. 6. cer. 3. n. 7. 366
Ac deinceps entium, & negationum contingentium, & moralium absolute futurarum medium materiale scientia Dei habet, quod de physice contingentibus (à quibus re ipsa non differunt) diximus, formale verò, aut verificatiuum actuale nullum, cert. 2. n. 5. 365
Eædem vero in statu possibilitatis iuxta dicenda de entibus, & negationibus contingentibus physicis pro eo statu regulandæ erunt, chimæratum, seu negationum à se & necessarium scientia diuina nullum medium materiale habet, n. 1. 364
Sed nec formale, n. 3. ibid.
Etium autem rationis diuina scientia materiale medium habet cognitionem, qua fiunt formale nullum, n. 4. ibid.
Scientia simplicis intelligentiæ creata omnia pro statu possibilitatis secundum atomas etiam differentias repræsentat, atque in Deo, vt medio formali omnipotentiæ titulo ea repræsentare plures docent ob respectum transcendentalem omnipotentiæ ad possibilia, q. 2. certam. 1. num. 1. 339
Vel ob horum in ipsa eminentialem continentiam attributorum, n. 2. ibid.
Henricus (cui falso refertur adhæsisse Vasquez, num. 4. ibid.
Primis consensit quoad prædicatum commune possibilitati, non quoad inferiores, & atomas, possibilium differentias, n. 3. ibid.
Impugnatus, n. 5. ibid.
Non repræsentat possibilia in Deo, vt medio formali ex respectu ad illa quem non habet Deus, cert. 2. 340
Nec eo respectu admisso ita illa in Deo repræsentaret, num. 5. 341
Nec abstractiue sed simul intuitiue cum Deo ipso, n. 11. 342
Nec sufficit eminentialis continentia possibilium in Deo, vt in eo, vt medio formali repræsententur, cert. 3. n. 2. ibid.
Repræsentatio possibilium creatorum in Deo, ex quovis titulo, vt medio formali vlterius impugnatur, cert. 4. 345
Denique ex fundamentorum euersione, cert. 5. 346
Dionysij, & S. Thom. testimonia difficilia aduersa, singulari, & genuina interpretatione nostri conclusioni fauent, n. 3. 347
Contingentium negationum, & aduersorum habituum possibilitas media materialia, vt pro statu possibilitatis à Deo cognoscantur inuicem sunt, q. 4. cert. 1. n. 2. 356
Cuiusvis possibilis, siue positiui, siue negatiui pro eo statu cognoscendi medium materiale remotum omnipotentia est, n. 4. 357
Ac insuper creatæ potentiæ à quibus possibilia aliqua essentialiter pendent, n. 5. ibid.
Scientia diuina Deum in creaturis, vt medio formali repræsentare censetur à nonnullis, q. 1. cer. 1. num. 1. 335
Repugnat tamen, n. 2. ibid.
Ac deinceps scientia Dei nihil omnino in alio, vt medio formali potest repræsentare, quæst. 5. cer. 1. 358
Item ex impotentia motionis medij physici in præsentia intuitionis obiecti, quam de omnibus Deus habet, cert. 2. 360
Ex diuinæ mentis perfectione, cert. 3. 361
Ad hominem contra aduersarios probatio efficax verificatiua actu absolute ab æterno existentia necessaria scientiæ Dei, vt possibilia præscisiue pro eo statu repræsentet, Dominicani Recentiores, & pauculi nostri recentissimi asserunt, atque omnipotentiam designant, etsi hi paulo aliter, ac illi, q. 6. cert. 1. 363
Repellitur omnipotentia, & scientia simplicis intelligentiæ, vt specialiter à nostris defenditur, è fundamenti falsitate, cert. 2. 364
Et eo etiam permissio, n. 4. ibid.
Ac deinceps. Verificatiuorum actu absolute existentium ab æterno necessitas, vt scientia diuina ad creata pro quovis statu repræsentanda se extendat vniuersim à priori ex confutatione fundamentorum refellitur, cert. 5. 368
Dei scientiæ reliqua, diuisiones, & affectiones eam ab extrinsecis obiectis non specificari multis absurdis contra Recentiores probatur (præter data, C. 1. d. 3. q. 6. cert. 3. 61. C. 2. d. 8. qu. 2. cert. 1. n. 5. 376
Ac deinceps formalis adhuc eius diuersitas pro obiectorum directorum diuersitate ab iisdem asserta confutatur, cert. 2. n. 2. 377
Ab iisdem inconsequenter negatur, numer. 3. ibid.
Eadem metaphysicis insectilis in obiecta cuncta, & singula quantumvis diuersa fertur, numer. 5. 378
Nullatenus discursiua, adhuc improprie est. cert. 2. n. 1. ibid.
Cuiusvis obiecti simplex apprehensio, non tamen sola proprie est, cert. 4 n. 1. 379
Scientia Dei de obiecto directo sistere in eius apprehensione quandoque potest, quin de illo iudicet, de iudicio autem nostro scientia nequit, de indirectis nempe extremis in apprehensione sistere; quin de eis iudicet, contra Recentiores, num. 8. 380
Scientiæ diuinæ simplicitas formalis, & indiuisibilitas metaphysica, ex indiuisibilitate, aut compositione iudicij creati, ex apprehensionibus extremorum, & assensu copulæ non pendet; neque ex contingentia, vel necessitate, numero 3. 379. Vsque

Vsque ad 6. scientia Dei de sese, & conceptu suo independenter prorsus à creatis obiectis omni scientia est formalis omni repræsentatio; ad absolutam tamen denominationem, cuiusvis obiecti passiuam eius cognoscibilitatem, & obiectiuam veritatem intrinsecam, expectant, d. 7. quæst. 2. certam. 3. num. 13. 344.

Infinitum syncathegorematicum simul actu, & cathegorematicum ex parte obiecti scientia Dei, non repræsentat, d. 5. quæst. 9. certam. 1. num. 3. 289.

Dei scientia diuisio penes obiectorum status vetustissima, & prima est in simplicem intelligentiam, qua possibilia præcisiue repræsentantur, & visionis, qua repræsentantur absolutè existentia, d. 8. q. 1. cert. 1. n. 1. 370

Ad secundum non ad primum spectat impossibilium, seu negationum à se, & necessariarum sicut scientia Dei entis à se, & necessarij, n. 5. ibid.

Rigide loquendo ea diuisio adæquata non est, sed tertium membrum scientiæ mediæ addendum pro medio conditionatè futurorum statu inter possibilitatem, & absolutam futuritionem, ab vtraque diuersè secunda æque vetus diuisio ex obiectorum affectionibus à prima diuersa in absolutè liberam, & necessariam, certam. 2. n. 1. 371

Adæquata non est rigide loquendo, & scientiæ mediæ membrum pro diuersitate libertatis conditionatæ obiectorum propriè conditionatorum, quibus pro eo statu, nec absoluta necessitas, nec absoluta libertas contingit, n. 2. 372

Quod si ex affectionum necessitatis, aut libertatis scientiæ ipsius diuisionem hanc faciendam velis, eam etiam, nec naturalem, seu necessariam, nec absolutè liberam inuenies, quatenus conditionata pertingit, si subtiliter eam inspicias, sed mediam inter absolutè necessariam, & liberam absolutè, quare & tertium membrum addendum, n. 3. ibid.

Tertia diuisio, in practicam, & speculatiuam, illâ Deus ad aliquid agendum dirigitur, hæc in obiecti contemplatione sistit, certam. 3. n. 1. 373.

Ad primam spectant vniuersim simplex intelligentia, & scientia media, nusquam autem scientia visionis respectu obiecti visi practica, (vt malè Recentiores Dominicani volunt) esse potest; ibi, & n. 2. ac 3. 374

Nec scientia, qua Verbum procedit, & ad processionem Spiritus sanctus præcedit, nec qua entia rationis efficit Deus, n. 4. ibid.

Quarta diuisio in scientiam simplicis notitiæ, & scientiam approbationis, quæ malè à nonnullis cum diuisione simplicis intelligentiæ, & visionis confunditur, n. 5. ibid.

Est igitur scientia approbationis, quæ Dei beneplacitum adiunctum obiecto scito habet, siue antecedenter, vt fiat, siue subsequenter cum factum videtur, & placet. Vnde simplici intelligentiæ scientiæ mediæ, & visionis, scientiam beneplaciti esse conuenit sæpè, sæpè etiam simplicem esse notitiam, cum Dei beneplacitum non accedit, vt eius obiectum fiat, siue quod factum sit, vt cum scientia de malis moraliter est, siue factibilibus, siue factis, & admissis positiuè, aut negatiuè, n. 9. 375

Dei scientia affectiones, fortitudo, infallibilitas, & à veritate, in quovis repræsentando indefectibilitas ex perfectione principij intellectiui, seu intellectus diuini de se ad veram cognitionem obiecti cuiusvis determinati, quæ à veritate scientiæ, ex suppositione valde est diuersa, q. 2. cert. 1. n. 1. 376

Inde Dei scientia, infallibilis, atque à veritate, indefectibilis ex se est, n. 3. ibid.

De quocumque obiecto quantumvis defectibili, & contingentissimum sit, n. 4. ibid.

Dei simplicitas, & quasi passiua incompositio physica, errores contra physicam Dei simplicitatem, & quasi passiuam incompositionem, controu. 1. d. 68. q. 2. cert. 1. 110

Est de fide, n. 2. ibid.

Et ratione ostenditur, n. 3. ibid.

Personarum ex essentia, & personalitate compositio physica, & quæ earum physicæ simplicitati obsit minimè est, certam. 2. num. 1. 111.

Substantialis Dei simplicitas, & incompositio ipsi essentialis speciatim probatur, num. 3. ibid.

Et integralis, n. 5. ibid.

Physica accidentalis compositio ab aliquot Philosophis, & Hæreticis asserta, reclamantibus Philosophis sapientioribus, certam. 3. num. 1. 112.

Physica tamen accidentalis, etiam simplicitas, & incompositio, ex fide, & concordibus Patribus est, n. 2. ibid.

A ratione naturali demonstratur, n. 1. ibid.

Dei incompositio physica, quasi actiua Deum, vt formam creati alicuius. Tertium aliud posse physice componere aliquot Hæretici errarunt, & Philosophi etiam, sono tamen tenus, & allegorice solum loquuti, q. 3. cert. 1. n. 1. 113

Opposita veritas de fide est, n. 2. ibid.

Nec posse connaturaliter ita componere demonstratur, n. 3. ibid.

Nec supernaturaliter, & obedientialiter, seu arbitratiè, cert. 2. 114

Nec posse Deum componere physice, vt subiectum, ita est certum, vt solus Dauid Dandinus quidam contradixerit quondam. Prol. q. 113.

Dei spiritualitas, Deum corporeum censebant, & spiritum negabant Philosophi plures, c. 1. d. 6. q. 1. cert. 1. n. 1. 167

Iudæi aliquot, & Hæretici, n. 2. ibid.

Quibus aliquando accessere Tertul. & Arnobius, n. 3. ibid.

A quo errore Melito Sardens. Episcopus vendicatur, n. 4. 108

Deus non corporeus, sed spiritus est, ex fide, n. 5. ibid.

A ratione debiles probationes Aristotelis, & aliorum, cert. 2. n. 1. ibid. ad 3. 109

Inclusiuè demonstratur multipliciter ex essentia substantiæ corporeæ, n. 4. 109. ac deinceps.

Dei decretum concursiuum de se efficax, & prædeterminatiuum, (siue præmotione efficaci de se physice, siue morali) æquè aduersabitur libertati arbitrij, & actus, contr. 3. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 2. 394

Imo, etsi per auxilia indifferentia de sese ea promotio iuxta aliquot Scotistas nemine, ibid.

Ex Thomistis Recentioribus decreti huius inuentoribus aliqui illud ab hypothesi sub qua contingens actus creatus erit inconsequenter excludunt, n. 3. ibid.

Alij Thomistæ nomine id decretum antecedens operationem nostram negant, & solum illam comitari aiunt, & in eius signo esse, pro vtriusque futuritionis statu, nec tamen id, nec libertatem operationis nostræ melius aliis tuentur, ni Thomisticam etiam decreti liberi per Deo intrinseca adæquatam constitutionem deserant, & ad Vasquez scholam eant, n. 5. 395

Ac insuper improuide concursum nobiscum decernet, neutriusque libertas consistet, num. 6. ibid.

Decretum id confutatur ex Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, iuxta imaginis huius in homine interpretationes, & rationes communes Patrum, cert. 1. n. 1. ibid.

Index Rerum,

Ex sequentibus verbis, *vt præsit piscibus maris*, &c. n.4. 396
Ex situ paradisi in quo homo collocatur, & ex situ arboris vitæ, n.6. 397
Item ex Eccles. 15. *Et constituit hominem in manu consilij sui*, quod eo decreto periret, cert.3.n.1. 397
Et ex sequentibus: *Adiecit præcepta, & mandata sua*, n.3. 399
Et continuo adiunctis; *si volueris seruare mandata conseruabunt te*, quæ infrequentia in scriptura mandata, & præcepta eo decreto, irrita, & illusoria redduntur, n.4. ibid.
Et ex adiunctis *apposui tibi ignem, & aquam; ad quod volueris: porrige dexteram*: & aliis frequentibus, quæ nobis agendorum optionem faciunt, quæ eo decreto aboletur, n.6. ibid.
Ex Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, cert.4.n.1. 402
A Deo efficaciter, vt similium decretorum Author Caluinus textum corruptum clamet; vt libertatis nostræ Adami peccato perditionem defendet, n.5. 403
Ex textibus duobus Ioan. 6. ibi, ex 31. Eccles. & aliis locis, n.4. ibid.
Ex iuris potestate in scriptura asserta, num. 5. 404.
Ex asserto nobis ab scriptura vsu, num. 6. ibid. ibid.
Ex aliis scripturæ phrasibus, n.7. ibid.
Ex 2. Petr. 1. & ex aliis scripturæ nobis factis ad bonum adhortationibus, à dehortationibus à malo impiorum pœnis minis, terroribus incussis, num.8. 405
Ex negata nobis ad vtrumque, ad vtrumvis & ad alterutrum asserta in scriptura, num. 9. ibid.
Metaphora stateræ arbitrij ad vtrumvis æquilibrium, extremorum in actu primo inclinati, ne dum prædeterminati scriptura tradit, cert. 5. num.1. 406
Alia fræni & gubernacula nauis, num. 2. ibid. ibid.
Alia cinguli, n.3. ibid.
Alia serui negotiatoris, & filij prodigi, num. 4. ibid.
Figurata locutio dubitatiua Dei de nostris actibus, quos apprimè nouit, n.5. 407
Euasio de sensu potentiali aduerbiorum dubitatiuorum, præclusa, n.6. ibid.
Euasio de æquiualentia aduerbio affirmanti vtique præclusa, n.7. ibid.
Eodem tendunt exploratiuæ interrogatiuæ, ac per aposiopesim de nostris actibus Dei locutiones, n.8. ibid.
Atque eorum ab ipso inuentio, n.9. 408.
Decretum prædeterminatiuum actus creati liberi ex Apostolis eorum coætaneis, & Græcis Patribus, fusè reiicitur, quæst. 2. certamen 1. ibid. ibid.
Ex Patribus Latinis, cert.2. 413
Ab exclusione necessitatis ad vnum extremum, & impossibilitatis absolutæ ad aliud à potentia libera, decretum hoc, ex Patribus, & scriptura repellitur, cert.3. 417
Quibus necessitas ex parte actus primi ad vnum extremum adeo libertati potentiæ, & actus, aduersa videtur, vt necessitatem secundum quid etiam metu, vel dolore incussam à potentia libera velint exulare: ibid. n.12. 422
Ex scripturæ, Patrum præmissis legitimo syllogismo contra decretum prædeterminatiuum concluditur, cert.5. n.1. 427
Euasio de necessitate intrinseca & essentiali voluntati Patres loqui, n.4 428
Patribus, & scripturæ repugnat, numero 5. ibid.
Alia de exclusione necessitatis à coactione sola testibus ipsis aduersatur, num.8. 429
Eadem aliis vocibus de constantia libertatis necessaria quoties adstat indifferens cogitatio ex Patribus itidem refellitur: ibi. Euasio sensus compositi, & diuisi primo iam deserto sensu in testimoniis Patrum locum non habet, num. 9. 430.
Nec in sensu secundo à Dominicanis retento, num.11. 431
Euasio de exclusione necessitatis inductæ à causis secundis, non à prima necessitatis ad actum, non quoad modum etiam libertatis est, contra Patres, n.13. 432
Alia necessitatis independenter ab actu libero tanquam à termino physicæ suæ connexionis cum illo æque Patribus repugnat, num. 14. ibid.
Et alia ex dependentia decreti ab vsu libertatis arbitrij, eiusque non resistentia, seu dispositione negatiua complendo decreti actiuitatem: ibi, absque eo decreto discretio prædestinati à reprobo non ab illo, sed à Deo ostenditur, cert.6.n.1. 433
Et cor hominis in manu Dei est, numer. 3. 433.
Quin posset ei resistere potestate consequente, etsi antecedente possit, n.6. 435
Augustinus inaniter pro eo decreto affertur, *ex 14. de correp. & grat.* & extra rem, num.8. 435.
Sicuti, *& epist. 107. & Concil. Arausican.* ibid. num.9.
Paulus *ad Romanos 9.* non ex sua sed ex impiorum sententia loquitur, cum decreto prædeterminatiuo sonat fauere, n.8. ibid.
Congesta plura ex Augustino, Damasceno, Anselmo, nil ei decreto fauent, n.10. 436
Tridentini canones, & decreta contra decretum prædeterminatiuum proposita, q. 3. cert.1. n.1. 438
Actio, operatio, & cooperatio nostra Deo vocanti non solum physica, sed libera à Tridentino definitur, n.2. ibid.
Res ipsa, nec vox sola libertatis contra decreta prædeterminatiua Lutheri, & Caluini ab eodem definitur, n.6. 440
De prædeterminatiuis prædestinatiuis, ac de facto effectum habituris decretis, & vocationibus nec solum de sufficientibus non habituris effectum Tridentini, vtita & Senonensis, & Pontificum referenda decreta, & canones sunt, num, 8. ibid.
Nec de aliquibus solum, sed de omnibus, num.9. 441
Nec solum contra irresistibilem vocationis, sed, & decreti prædeterminatiua actus liberi efficaciam, n.11. ibid.
Decreti prædeterminatiui, ex Tridentino efficax impugnatio prima, cert.2.n.1. 442
Euasio ex sola libertate à coactione, & necessitate à coactione contra Hæreticos damnata reiicitur, n.2. ibid.
Atque ab ipsis Hæreticis ibi.
Damnatis tentata ipsorum verbis ostenditur, n.3. ibid.
443. ad 5. inclusiuè.
Alia quod Hæretici contra quos definitur eis decretis auferri libertatem dicant, Dominicani negent, excluditur, n.6. 444
Alia de necessitate ad actum admissa Thomistis non autem negata potentia ad oppositum tentata etiam ab Hereticis inutilis est, n.7. ibid.
Alia potentiæ ad oppositum in sensu diuiso à decreto (iuxta primum sensum Dominicanorum Verbis constantem, in quem recidunt, qui eum esse negant, n.8. 445
Secus in sensu composito Tridentinum fulmen non vitat, n.9. ibid.
Alia de simultate potentiæ in sensu depositio, secus

& Verborum.

fecus potentia simultatis, nisi in sensu diuiso eadem euasio est reiecta à Tridentini Patribus, n.10. ibid.
Contra eius decreta, & canones, & ab Hæreticis ibi damnatis tentata, n.11. 446
Euasio de decreto non solum substantiæ actus, sed & modi libertatis à damnatis Hæreticis adhibita & implicatoria in terminis est, num. 13. 447.
Alia de necessitate secundum quid solum non absoluta consequentiæ, non consequentis, vt à Thomistis explicatur damnatorum hæreticorum fuit, n.14. ibid.
Decreti Dominicanorum recentiorum, à Lutherano, & Caluinico differentiæ, à Ioanne à S. Thoma tentatæ minus ipsi perspectos Pelagij, & Caluini errores ostendunt, n.15. ibid.
Suorum decretorum cum Dominicanis tantam esse Caluinistæ clamant vt nequeant ipsi Tridentino fulmine tangi, illis illæsis, cert. 3. n. 1. 448.
Ex odio obinde hæreticorum in Iesuitas vtrisque aduersantes, & eorum doctrina, atque in Dominicanorum de prædeterminatiuo decreto recentium sententiam amore, vtrorumque ea de re concordia euincitur, n. 3. 449
Ex Patribus Tridentini, & qui circa id temporis eum laude scripserunt, n.5. 450
Et reliquo certaminis, reliqua ex Tridentino contra prædeterminatiuum decretum, cert. 4. 453.
Obiectiones Dominicanorum pro eo decreto ex Tridentino eleuantur facile, n.6. ibid.
Et demceps ex Concilio Constantiensi Vvicleſum damnante, & à Martino V. demum confirmato decretum prædeterminatiuum reiicitur, cert.5.n.1. 455
Ex decreto Concilij Senonensis, numero 2. ibid.
Ex decretis Innocentij X. & Alexandri VII. contra quinque propositiones Iansenij, num. 3. ibid. ac deinceps.
Contra decretum prædeterminatiuum Academiæ Catholicæ constanter vbique pugnarunt, q.4. 459
Parisiensis, cert.1.n.1. ibid.
Oxoniensis, Pragensis, Moguntina, Herbipolensis, Ingolstadiensis, n.4. 460
Louaniensis, contra apochryphas recentium Thomistarum historias, & Duacensis, num. 5. ibid.
Ad octauum, vtque Elborensis Conimbricensis, Complutensis, n.9. 461
Ac deinceps Salmantina, cert.2. 463
Finciana, seu Vallisoletana, & reliquæ Castellæ, n.8. 466
Valentina, n.10. 467
A primordiis litis contra Molinam apud Apostolicam sedem à Dominicanis intentatæ occasio, & initium, ac de vtravis sententia Pontificium decretum, etiam, vt à Ledesma relatum Molinæ gloriæ cederet, cert.3.n.1. 46
Litis progressus, exitus Molinæ longe fauentior, n.3. 468
Disputationum, & actorum Romæ Historiæ à cursu Carmelito Discalceato, & Ioanne à S.Thom. spicis fabulis scatent, n.4. ibid.
Falsitatis damnantur, ab Innocentio X. num.7. 460
S. Inquisitionis Tribunalia, & supremi Senatus neganti decretum prædeterminatiuum sententiæ fauere, n.8. 470
Philosophi non fatales, id decretum reiecere, q.5.cert 1.n.1. 471
Magister sent.n.5. 472
Sanct. Thom. expressus, & frequens, certam.2. ibid.
Eius antiqui discipuli (præter paucules datos Dominicanos Recentiores) reliqui ita de illo testantur, cert.3. 477
Negans decreta prædeterminatiua actuum liberorum schola tota Societatis, cum inde, tum ex notis discipulatus veri S. Thom. à Ioanne à S. Thoma præscriptis vera S.Thom. schola probatur, cert.4. 483
Dominicani recentiores, eorum decretorum authore, S.Thomæ expresse aduersantur, numero 6. 485
Et secum pugnant, non semel, n.7. ibid.
Ab eis decretis, siue absolutis, siue obiectiue conditionatis noster Henriquez vindicatur, n.10. 486
Toletus item, n.11. 487
Pererius, Michaël, Marcus, & Andreas Martinez nostri, n.12 ibid.
Molina, Vasquez, Valentia & Soarius pro eis decretis frigido discursu à Nauarrete inducti, n.13. ibid.
Franciscana schola Scotica ea decreta reiicit, q.6. cert.1. 488
Franciscana etiam nominalis, cert.2. 492
Proceres Benedictini, cert.3.n.1. 494
Totus S.Bernardi Ordo, n.5. 495
Præstantes Doctores Dominicani, n.6. ibid.
Vti, & Augustiniani, n.7. ibid.
Et Carmelitani Calceati, n.8. ibid.
Totus Ordo Trinitatis, n.11. 496
Et totus Ordo Minimorum, n.12. ibid.
Ex Clericis Minoribus Auersa. Ex Seruitis Laurentius Optimus, ex Clericis Regularibus, Pasqualigus, n.13. 497
Et quotquot Controuersistæ contra Caluinum, & assectas, strenue pugnarunt, cert.4. ibid.
Doctores Societatis omnes ad vnum singulatim relati, n.6. 498
Quantum sententia decreta prædeterminatiua reiectans omnigena authoritate scripturæ Patrum, Conciliorum, Pontificum, Sanctæ Inquisitionis sacrorum interpretum, Academiarum, Religionum, scholarum controuersistarum, scholasticorum numero innumero aduersæ prætter sententiæ summatim ostenditur, cert.5. 499
Ab euersione libertatis arbitrij, & actuum eius efficaciter ea decreta confutantur, quæst 7. cer.3. 506
Euasio per sensum compositum, & diuisum, n.2. ibid.
Æque vtilis est Ethnicis fatalibus, Hæreticis, Prædestinatoribus priscis Lutheranis, & Caluinistis, siquid valeat, ostenditur, & primo Dominicanorum sensum confutatur, n.3. 507
Secunda eorum distinctionis, eiusdem explicatio, n.5. ibid.
In primam recidit, & confutatur, numer. 6. 508
Explicatio potentiæ absolutæ talis ad oppositum ob persistentiam voluntatis, & possibilitatem extremi oppositi secundum se sumpti absolutam, cert.4.n.1. 510
Est Pelagiana ab Augustino confutata euidenti ratione repugnans, n.2. ibid.
Nec addito iudicio indifferenti emolitur, & totum hoc fatale & Hæretici à Patribus, & Conciliis damnati semper admiserunt, cert 5. num. 5. 511
Solutio abusiua necessitatis simpliciter, & secundum quid ab Hæreticis tentata reiicitur, num. 10 517
Et abusiue antecedentis, & consequentis, n.12. 518
Et consequentis, & consequentiæ, numero 13. ibid.
Necessitatis venientis à causa prima non à secunda irritæ, cert.6. ibid.
De principio mediato, & remoto locum apud Dominicanos non habet, n.4. 519
De præfinitione modi etiam libertatis exclusa, num.6. 520

Index Rerum,

De eminenti continentia libertatis creatæ in diuino, n.7. ibid.
De necessitate media inter antecedentem & consequentem æque futile, n.8. 521
Vt de impossibilitate mediata solum non absoluta extremi oppositi, n.10. 521
Et necessitatis non absolute, sed infallibilitatis, cert.7. 522
Et dependentia decreti ab arbitrij creati prævia dispositione positiua, vel negatiua à Dominicanis, & asserta, & negata, cert.8.n.1. 524
vtrauis reiicitur, n.2. 525
Positiua speciatim, n.4. 526
Negatiua, n.5. ibid.
Vtraque Semipelagianismum redolet, numero 7. 524.
Actus honesti, etiam supernaturalis meritum abolet, n.8. 528
Ex impij iustificatione extra Sacramentum impugnatur, cert.9.n.1. ibid.
Et in Sacramento, n.2. ibid.
Pleraque data certamine octauo contra dispositionem positiuam præviam contra negatiuam, n.8. 530
Vbi contra Cabreram, qui hanc solam admisit; absurda plura. Dependentia eius decreti à libero actu, tanquam à termino intrinsecæ connexionis suæ implicatoria est, certam.10. numer.1. ibid.
Mutua actus, & decreti dependentia in diuerso genere refellitur, n.2. ibid.
Omniaque à contrariis opponuntur nobis actius contra ita respondentes retorquentur, num.10. 533
Decreti huius confutatio ab impossibilitate auxilij sufficientis, quam inducit, cert.1. 534
Euasio de eius prærequisitione non ad posse, sed ad operari præclusa, n.3. 535
Tollit creatam omnem consultationem, leges, & præcepta, exhortationes, dehortationes, & consilia aliorum inutilia, & inania reddit, & contrarietatis libertatem speciatim abolet, cert.12. 538
Facit nos antecedenter impeccabiles, numer.2. 539
Reddit originale cunctis impossibile, numer. 5. 540
Contractus cuiusvis obligationem tollit, nec quid ei præter nugas relinquit, numero 6. 544
Idemque voto, & iuramento præstat, numer.9. 542
Dogmatica tentationis grauis, & leuis distinctio euacuatur, & alias grauiter tentatus quivis semper peccauit. n.11. ibid.
Euasio identitatis concursus diuini cum nostra operatione Dominicanam prædeterminationem deserit, & in decreto prædeterminatiuo intrinsecis Dei adæquate iuxta Dominicanos constituto difficultates non emollit, cert. 13. num. 5. 544.
Comitantia decreti cum nostra cooperatione contra principia plura in re præsente & aliis est, n.7. 545
Diuinæ libertati obest, nosque, à nobis in salutis negotio discerni probat, numero 8. 545.
Atque aliàs nostram libertatem non tuetur, n.9. 546
Nec Deus, nec creatura à consilio, & deliberatione, sed casu solum operabuntur, ac volent licet operatione Dei decretum extrinsecus constituatur, n.10. ibid.
Dominicanorum obiectio ex indifferentia principij falsò principio ab ipsis negato, & à Catholicis negando innititur, certam. 14. num. 2. 547.
Fortius in ipsos regeritur, n.3. ibid.
Obiectio è primatu libertatis diuinæ actius, & viuidius proponitur, n.4. ibid.
Acriter in aduersarios re gesta in nostris principiis facilè soluta, n.5. ibid.
Et ex primatu causæ physicæ fortius in aduersarios retorquetur, & soluitur, numero 9. 549.
Ex immobilitate voluntatis creatæ ab alio physice id decretum specialiter, & à priori reiicitur, q.8.cert.1.n.6. 552
Insufficientia euasionis de consistentia libertatis cum eo decreto ex iudicij indifferentia specialiter à priori etiam ostenditur, num.7. ibid.
Omnem internam tentationem id decretum abolet externam etiam à diabolo inutilem, & stupidam reddit, cert.2.n.3. 556
Omnes aliquando fomitem peccati ligatum habebunt: prædestinati aliquot, & omnes in gratia confirmati extinctum in via habebunt, n.4. ibid.
Imò adulti omnes viatores, etiam post originalem contractum, contra fidei, & bonæ Theologiæ dogmata plura, n.8. 558
Supernaturalem, & vltra naturæ debitum gratiam omnem & prædestinationem, id decretum excludit, cert.3. n.1. ibid.
Habitus supernaturales fidei &c. contra fidei, & Theologiæ dogmata imo, & ab eis habitibus totam agendi rationem contra aduersarios eliminat, n.6. 559
Decretum præterdeterminatiuum materialis peccati, quid apud omnes sit, & significet, d.2. Prol. 560
Eius Patroni fatales ethnici primum deiin hæretici prædestinatores demum Lutherani, & Caluinistæ, q.1.cert.1.n.1. 561
Septem solum ex Theologis scriptoribus, id decretum admiserunt, n.2. ibid.
Etsi ab his falsò alij Theologi referantur, n.3. 562.
Hæretici eius Patroni plures singulatim recensentur, n.4. ibid
Illud decretum execrantur sapientiores Philosophi, n.5. ibid.
Theologi etiam reliqui non sine stomacho, & censuris, n.7. 563
Discipuli S. Thom. exploratissimi, & doctissimi ex eius mente, cert.2. 564
Vbi ab aduersariorum impostoris vindicantur.
A S. Thoma constanter, cert.3. 566
Iis vel maximè locis ex quibus aduersarij decreto huic patrocinium quærunt, certam. 4. 569.
Theologi fusius, & copiosius recitati, certam.5. 572.
Ex scriptura frequentissima reiicitur, q.2. cert.1. 576.
Repugnat ex impossibilitate obiecti, & voluntatis præcipiendi legibusque, & præceptis ab scriptura assertis, n.2. 577
Ex impossibilitate inductionis, & tentationis ad peccatum ab scriptura assertarum, numer.4. ibid.
Ex S. Petro, & Concil. Constantinopol. II. generali V. q.3. cert.1.n.1. 586 ibid.
Ex Tridentino, n.2. 587
Effugia Dominicanis, & Caluinistis communia, præclusa, n.5. 589
Ex Tridentino rursus, n.9. 589
Ex Patribus, cert.2.
Reiicitur ex Philosophis, & Patribus quia, cum peccatum defectus sit, causam solum defectiuam possit habere, certamine 3. numer.1. 593.
Et quia neminem deserit Deus, ni ab eo desertus, n.7. 595
Et quia neminem ad malum prædestinat, n.8. 596.
Et quia nihil vltra misericordiam, aut iudicium (ad

(ad quorum neutrum decretum hoc spectat) Deus vult, & operatur in rationali creatura, num 10. ibid.
Pugnat cum seria voluntate Dei de perditorum salute, ab scriptura, & Patribus dogmatica, cert.4.n.1. 598
Deum trucissimum, & versipellem hostem nobis essingit, n.4. 599
Et prauas actiones in virtutes vertit exactissimas, n.5. ibid.
Nec minus vitia, quam virtutes oratione Dominica Deum orarent, fideles, n.7. 600
Inique irascimur tentatori cum nos ad voluntatem Dei faciendam solummodo inducat, perimusque inepte à tentationibus liberari, nec alius alio sanctior esse potest, ne Petrus quidem, Iuda: ibi: Iudices, etiam Deus, scelestissimos inique puniret, n.8. ibid.
In lapsu iustorum maior Dei immanitas, & infidelitas esset, n.10. 602
Difficiliori Augustini testimonio satisfit, cert. 5. ibid.
Decreto prædeterminatiuo materialis peccati huius formaliter sumpti causa, & Author Deus esset, q.4.cert.1. n.2. 605
Euasio causalitatis physicæ non moralis occupatur, n.4. 606
Caluiniana, n. 5. ibid.
Euasio ex causatione non proximi, & vltimi fundamenti materiali peccati ad formale præclusa, n.6. ibid.
Alia ex immunitate Dei à lege inutilis, & Caluiniana, cert.2.n.1. 607
Alia ex bono fine à Deo intento, Caluiniana, & explosa, n.2. 608
Alia ex satisfactione muneri causæ primæ exclusa speciatim,n.4. 609
Absurdis pluribus ex ea deductis,n.5. ibid.
Alia ex arcano Dei consilio Caluiniana etiam, & absurdissima,n.6. 610
Euasio ex præscientia actionis prauæ, si se sola operaretur creata voluntas, scientiam mediam implicatoriam, & contra Dominicanos, admittet, & reiicitur,n.7. 611
Alia ex necessitate non coactiua spontaneo opposita hæretica est, & explosa, & alia hæretica de causalitate remota, & belluina alia Caluini explosæ,n.8. ibid.
Discrimen decreti huius à Caluiniano quæritur adhuc, nec inuenitur,n.9. ibid.
Causatio absoluta peccati à Deo hoc decreto vrgentius ex Patribus deducitur, certam.3.num.1. 612
Ex impossibilitate peccati Angelorum in primo instanti ad hominem contra Dominicanos, nu.2. ibid.
Ex impossibilitate infusionis habitus vitiosi à Deo ad hominem etiam,n.3. 613
Ex propria causatione virtutum nostrarum à Deo iuxta eorundem explicationem,n.5. ibid.
Rationibus aduersariorum decreto indifferenter concurrendi efficacia ab extrinseca operatione, & concursu Dei non ab intrinseco facile occurritur, num.6. 614
Est ad rem hanc decretum hoc indifferens, à Patribus expressum, n.7. ibid.
Decretum hoc nequit ferri, disiunctim adhuc, in materiale peccati, siue actionem prauam, vt ab homine apponendam, sed, vt summum, vt à Deo n.8. 615
Sed nec, vt à Deo fertur in eam actionem, sed solum est voluntas efficax applicandi suam omnipotentiam voluntari creatæ, eamque eius arbitrio subdendi, quoad influxum, cert.4.n.1 616
Esse desiderium concurrendi ad actionem prauam conditionatum, sub conditione determinationis creatæ voluntatis inefficax tamen, non efficax, alias sapientium Recentiorum Doctrina, & discrimine inani, n.3. ibid.
Ne inefficax concurrendi ad actionem prauam disiunctim esse potest,n.5. 617
Nec impropriè conditionatum sub conditione comitante esse potest ex Patribus, & ratione,n.6. ibid.
Decretum prædeterminatiuum peccati vagè huius, vel illius etiam materialis ex debito, generali concurrendi cum creatura repugnat, q.5. cert.1. n.5. 621
Quouis etiam titulo immutata de reliquo debita, & communi erga rationalem creaturam prouidentia, cert.2.n.2. 622
Sed, & illa immutata,n.3. ibid.
Si actiones prauæ specie infima sint clarius, & specialius ostenditur absurdum,n.5. 623
Subtractione concursus generalis ad bonam actionem, & eius præparatione ad prauam pro voluntatis creatæ ad hanc, vel illam libertate, ne dæmon quidem ad peccatum, cuiusve materiale Vagè à Deo prædeterminatur, cert.5.n.5.
Sed nec potest prædeterminari,n.6. ibid.
Decretum prædeterminatiuum actus vitalis creati intrinsece, & ex obiecto prauiex hypothesi quod à solo Deo absque influxu potentiæ creatæ vitalis fieri possit) & ex circunstantiis praui à Deo tamen solo faciendi, ac proinde absque culpa, & imputabilitate creaturæ rationali non repugnat, q.6.cert.2.n.3. 626
Nec decretum prædeterminatiuum actionis prauæ dormientium habituve, seu actu à mentis proeo statu, & hi vitaliter ad ipsam concurrant, vndecunque ea praua sit,n.8. 628
Decretum concurrendi cum creato arbitrio ad eius liberos actus horum absolutam positionem expectare nequit, vt à Deo concipiatur, d.3.prol. 628
Decretum comitantis concurrendi Patroni efficax, & inseparabile à Dei concursu & creata cooperatione, non tamen huic natura præcedere supponunt,q.1.cert.1.n.1. ibid.
Præcedere vero natura operationi, vt influxus ex parte Dei est, non autem, vt à nobis est implicatoriè, & irrito nostræ tuendæ libertati aiunt,nonnulli,n.2. ibid.
Radicem efficaciæ & connexionis cum Dei, nostrique concursu alij decreti naturam, alij scientiam mediam, qua dirigitur esse volunt,numer.3. 629
Decretum comitans necessarium voluntati creatæ, vt operetur per Deo intrinseca constitutum prorsus de se efficax, nec scientiæ mediæ innitens repugnat,cert.3. 631
Et rursus repugnat ex frustrabilitate, numer.1. ibid.
Euasio prima de commissione voluntatis Dei, voluntati creatæ effectiue, & affectiue, quoad determinationem præuenta,n.2. ibid.
Motus sympathicus vtriusque voluntatis suis affectiuis determinationibus non mutuus excludetur,n.4. ibid.
Mutuus etiam,n.5. ibid.
Deus determinaret creaturam ad materiale peccati operis præcepti.cert.4. 633
Nec minus, quam nos proprio consensu auxilium decreto hoc suo efficax nobis reddit Deus, item libertatis nostræ cum prædestinatione concordiæ scientiam mediam reddit inutilem, & Dominicanæ sententiæ hæc accedit,n.5. 635
Præcipuum Recentiorum pro comitanti, & contra indifferens decretum argumentum ex orationis ineptitudine validius contra ipsos retorquetur cum sit contra decretum indifferens Sanguidissimum. ibid.
Decretum comitans extrinsecus etiam constitutum, & scientia media decretum multipliciter abiicitur, & ex causali coniunctione determinationis voluntatis vtriusque, & ex qua solum cum humana diuinæ infrustrabilitate, & ex falsa decreti diuini constitutione,cert.5.n.1 636

Index Rerum,

Euasio ex directione scientiæ mediæ bifariam tentata,n.2. ibid.
Implicat, eiusmodi regulatio decreti sub eius euocationis hypothesi huius per extrinsecum constituti, imo, & per Deo intrinseca,n.3. ibid.
Implicat regulatio per scientiam mediam determinationis, ex parte vtriusque sub hypothesi solius auxilij,n.7. 338
Decretum indifferens concurrendi cum causis liberis Patribus scholasticis priscis communiter traditum, & scholæ Societatis frequentius receptum,q.2.cert.1.n.1. 639
Constat in sola complacentia, ne in voluntate conditionata concurrendi, si velit creata voluntas, operari, nec duplicem conditionatam continet, nec concursum ex parte Dei ad vtrumvis in genere adhuc sumptum amat,n.2. ibid.
Vltra hoc comitans aliud male additur à nonnullis,n.3. ibid.
Illius & solius ab authoritate & ratione fundamenta firma,n.4. ibid.
Est applicatiuum omnipotentiæ arbitrio creato, vt eius actiuitate pro libito ad vtrumvis extremum vtatur,cert.2.n.1. 640
Potest seipsum pro obiecto habere habetque de facto,n.2. ibid.
Directum aliud male assignatur à nonnullis, n.3. ibid. 641
Melius assignatur, n.5.
Decretum hoc indifferens in Dei concursum ad vtrumvis disiunctim adhuc ad extremum honestum effectiue non fertur, sed permissiue solum quoad vsum omnipotentiæ siue diuinæ actiuitatis, per id decretum applicitæ voluntatis creatæ, ibid.
cert.3.n.1.
Distinctio rationis ratiocinatæ perfectione entitatis vnitatis & identitatis rei fundatur, maiorque,vel minor, quo earum in re quavis maior, vel minor perfectio est, C.1.d.3.quæst.1.certam.4.num.5. P.45
Dominij proprietatis, & iurisdictionis diuisio,& definitio,d.9.q.1.prol. 153
Penes duos absolutum prorsus, & in solidum penes duos neutrum esse potest,C.1.d.1.q.7.cer.13. num.9. 546
Dæmonibus naturalis scientiæ, & voluntatis actus omnes vnius generis, & obiecti ipsis connaturalis in peccati pœnam, nec ablati à Deo sunt neque impediti, C.2.d.5.quæst.6. certam.2.num.3. 263
Quo peccato per se & vates suos falsos futura, contingentia, vere quandoque prædixerint, cer.4. n.1. 265
Quo item modo, & casu, & arte fallendi multiplici naturaliter vere ea prænuntiarint, num.2. ibid.
Et ex potiori nostris coniectura probabili, & sæpe moraliter certa ob perfectiorem longe quam nos causarum penetrationem, n.3. ibid.
Dæmones paratum Dei concursum generalem ad bonum, & honestum,auxiliaque sufficientia ad illud, atque ad non peccandum à Deo habent; quare Logicam solum, non physicam peccandi necessitatem,C.3.d.2.q.5.cert.3.n.6. 625
Diuinationes futurorum contingentium, & extasim, phrenesim, certe de se esse naturaliter nequeunt, sed casu eis euentus respondent, vel naturalibus dæmonum suggerentium, non citra errandi, & falsitatis periculum coniecturis, C.2.d.5. q.6.cert.4.n.4. 265
Vbi fabulosæ quædam historiæ reiiciuntur quandoque à Deo per se, vel per Angelos veræ, ac certæ eorum diuinationes innituntur,n.5. 266
Imo, & à dæmone commodius, quam rationis, & sensuum vsu fieri possent. ibid.
Diuinationes contingentium ab Astrologis vanæ, & oraculis dæmonum fallaciores. ibid.

E

Electio, & reprobatio hominum, ex massa iam per originale corrupta fuit contra Bezam Hæreticum, C.3.d.2.q.2.certam.2.num.3.num.6. 582
Ens reale Analogice de substantia, & accidenti dicitur illiusque ad instar in accidenti; in metaphysicis etiam,C.1.d.3. quæst.2.certam.1. num.4. 46
Entis substantiui metaphysici, sicuti, & existentiæ pluralitas in re physice eadem repugnat,secus adiectiui metaphysici,n.2. ibid.
Entis rationis negatio reale quid est, non autem rationis ens, d.6.q.4.cert.1.n.6. 116
Entia rationis Deus efficit, C.2.d.4. quæst.5.cert.3. num.4. 219
Idque præstat eam apprehensionis, quam iudicij formalitate,n.7. ibid.
Entium moralium inter reales, & rationis, genus medium ridicule, & quasi ex Vasquez falso à nonnullis inducitur,C.2.d.7.q.4.cert.2.n.6. 358
Stat in plurium realium coniuncto, numer.7. ibid.
Ens reale mytaphysicum, neutre, & substantiue acceptum differentias contractiuas non transcendit, q.1.cert.1.n.4. 336
Essentiæ tam physicæ, quàm metaphysicæ definitio: *esse primum, & radicem (vtravis linea,) caterorum, quæ rei vel physice, vel metaphysice adnascuntur*, C.1.d.2.prol.n.1. 22
Essentia physica cunctis rei identificatis constat secus metaphysica,prol.n.2. ibid.
Concreti substantialis singularis essentiæ vtraque in philosophicam & Theologicam diuisio,& differentia, atque vtriusque definitio prol. num.3. 23
Essentia, & existentia rerum ne formaliter quidem differunt,q.3. cert.2.n.1. 32
Erroris physici habitum imo & actum potest Deus infundere,& se solo ni actus vitalitas obesset,C.3. d.2.q.4.cert.3.n.2. 613
Excæcatio, & obduratio cordis à Deo in malum solam eius permissiuam, non positiuam voluntatem materialis peccati importat, q.1.cert.4.n.8. 571.q.2.cert.2.toto 581
Maxime, n.6. 584
Addunt tamen excæcatio, & obduratio vltra Dei permissionem positiuam propensionem vehementem ad peccati materiale in excæcato, & obdurato Dei permissionem prauis actibus merente adquisitam nusquam à Deo immissam. Vnde ad primum actionem prauam peccatoris, excæcatio, & obduratio non datur, n.7. ibid. & qu.3. cert.3.n.5. 595
Euangelicæ veritatis quam maximam nobis certitudinem facit,ipsius cum veteri testamento, eiusque Prophetis concordia, C.1. d.7. q.1. cert.1. num.5. 122
Diuersimodè ab Ethnicis constituitur, C.3.d.1. q.2.cert.5.n.6. 429

F

Fides cum euidentia per se etiam noti obiecti stare potest,C.1. d.1. quæstion.1. certam.2. num.2. 3
Naturaliter etiam,q.2.cert.2.n.6. 8
Nequit fides demonstrationi eiusdem veritatis in seruire adstante etiam euidentia reuelationis,cer. 1.n.1. 6
Nec fides veritatis alterius connexa cum credita,n.2. 7
Dei, & reuelationis existentiæ fidei actu nos primo assentiri posse, sunt qui censeant, qu.5.cert.1. n.2. 20
Confutati,ibid.& n.3. 21
Soarij modus confutatus,n.4. ibid.

Modus eius de reflexione reuelationis supra seipsam, & alia, quæ authoritatem constituunt reiectus, cert. 2. n. 2. ibid.

Non posse nos nei, & reuelationis existentiæ primo per actum fidei assentiri verius est, numer. 6 22

Actus fidei in rustico etiam subiectiue infirmior, æque, ac in reliquis obiectiue firmus, & certus est. ibid.

Trinitati. Filius Dei per voluntatem identice, & materialiter procedit, secus formaliter idem de Spiritus sancti processione per intellectum, C. 1. d. 3. quæst. 5. cert. 2. n. 9. 58

Finis qui, vel cui suarum operationum Deus sibi non est, d. 1. quæst. 3. certamine 4. numero 1. 17. & cap. 2. d. 8. quæst. 3. certam. 2. num. 7. 384.

Finis, amor ad mediorum amorem debet præcedere, vt ipse formaliter, vt finis, ac media formaliter, vt media amentur, d. 7. q. 5. certam. 1. n. 8 359

Physica. Finis, vt possibilis seipsum in executione absolutæ existentiæ suæ formaliter causare debet, secus idæaliter, d. 8. quæst. 3. certamine 2. numero 8. 384.

Fomitis peccati essentia, c. 3. d. 1. quæst. 8. cert. 2. n. 4. 556

Eius ligamen, & extinctio, numero 5. 557.

E viatoribus homo Christus, eiusque Deipara Protoparentes in statu innocentiæ tantum extinctum illum habuere, in Patria Beati omnes habent extinctum. ibid.

Formæ antiquæ expulsio nullo causæ, adhuc materialis genere inductionem nouæ naturæ præcedit, q. 7. cert. 10. n. 4. 531

Futuritio rerum duplex, altera absoluta & stricte, dicta quæ durationis prioritatem, & posterioritatem concernit; altera imitatiua est, quæ naturæ, & causalitatis, vel quasi causalitatis prioritatem, & posterioritatem importat, c. 2. d. 3. q. 3. cert. 2. n. 1. 201

Futuritio absoluta stricta, seu durationis, altera perfecta, altera imperfecta. Perfecta, & pura dicit negationem absolutam rei pro duratione ex qua futura est, & absolutam eius existentiam duratione posteriori ibi, & d. 5. q. 4. 252. Prol. & cert. 1. ibid.

Vbi decreto Dei de eius existentia pro duratione, qua res absolutè existet, ne partialiter quidem, nedum adæquate formaliter constitui contra Dominicanos Recentiores ostenditur. Nil præter absolutam negationem sui anteriorem, & absolutam rei existentiam formaliter contineri, cert. 2. n. 1. 255

Ac deinceps futuritio imperfecta, ac non purè talis solam rei absolutam existentiam duratione sequente importat: non autem eius in anteriori duratione absolutam negationem, numero 2. ibid.

Quod ipsum de præteritione imperfecta oppositio modo dicendum est ibi, sicuti, & de perfecta, quod de perfecta futuritione diximus ex numero primo; futuritio absoluta stricta potestatem absolutam suæ causæ contingenter operaturæ non operandi pro posteriore duratione, etiam qua rem absolutè efficiet non abolet, neque eius pro ea duratione absolutè negationi possibilitatem absolutam, secus rei præteritio, quæ pro omni duratione posteriori ea in qua absolutè fuit antecedentem potestatem omnem, vt pro hac non fuerit prorsus abolet, cert. 1. n. 10. 254

Physica. Futuritio naturæ, & per prius, & posterius causalitatis, seu quasi causalitatis imitatiua est omnium rerum, quæ absolutè ab aliqua causa producenteve principio erunt. Pro posteriori ad prius naturæ, vel quasi sui principij producentis, pro quo res producta nusquam est, sed solum erit, d. 3. quæst. 3. certamine 2. numero 4. 202.

Neque ad hanc futuritionem determinatio principij producentis in actu primo ad rem producendam est opus ibi, & numero 5. ibid.

Imo in nullo effectu creato respectu adæquati sui principij actiui potest reperiri, cum omnia esse à Deo debeant, cui contingentia sunt, tametsi in eius ad intra processionibus, & determinatio in actu primo inueniatur: in adæquato agente creato scilicet, respectu effectuum necessariorum, in causis eorum naturalibus ibi. Futuritio causalitatis, & imitatiua in absolutam, & conditionatam diuiditur, eorum nimirum, quæ essent, si causa, principiumve, aut conditio aliqua poneretur: sicuti absoluta eorum est, quæ à suis causis absolutè erunt. *Conditio-* *Conditionata verò* futuritio propria eorum solum est, *nata.* quæ à causa indifferente, & libera ad operandum vel non operandum prouenirent, vel ad non operandum, si absolutè adesset, d. 5. quæstione 2. certamine 1. numero 1. 224. & num. 2. 225

Futura conditionata disparata, quæ dicunt, nullatenus propriè conditionata sunt, numero 4. ibid.

Adhuc respectu Dei, n. 6. 225

Quomodo futura propriè conditionata pro eo præcise statu obiectiuam, & secundum se terminatiuam scientiæ veritatem habeant; sicuti & absolutè futura quæ nondum sunt, certam. 11. num. 5. 245

Necessaria illatio conditionati ex causa, vel conditione sub qua, si poneretur, foret, eius propriæ conditionatæ futuritioni obest, non prodest, n. 6. ibid.

Nec excludit, neque includit absolutam contingentis existentiam, sed ab ea præscindit eum ipsaque, vel eius absoluta negatione consistit, q. 3. cert. 1. n. 1. 46

Neque ipsa (sicuti neque absoluta futuritio) extrahit contingens ab statu præcisiue possibilitatis, cum qua, vtraque futuritio consistit, quamque pro maioris vniuersalitatis priori essentialiter supponit, d. 6. quæst. 1. certam. 10. num. 4 316

Nec futuritio conditionata extrahit contingens ab statu negatiuæ, seu puræ possibilitatis, vti illud absoluta illius futuritio, ibi, futuritio conditionata decreto Dei subiectiuè absoluta, & obiectiuè conditionata non eget, nec potest inniti, d. 6. q. 1. 291

Fusè: vide verbo: *Dei scientia conditionata decreto subiectiuè absoluto.* Littera D.

Fortè forsitan, & æquiualentia diuinis prædictionibus, & prophetiis de rebus futuris, modo alterutro adiecta idem valent, ac certe, vtique, nec earum infallibilitatem imminuunt, d. 5. q. 2. cert. 4. n. 5. 231

Sed in eis ab homine præstandis libertatem innuunt, vel magnam eius in præstandis difficultatem denotant, num. 6. ibid. & certam. 10. num. 3. 242.

G

GAudium de nondum absolute existentibus certò tamen cognitis absolutæ futuris esse absolute potest, c. 1. d. 4. quæst. 3. certam. 2. num. 6. *Anima.* 70

Gaudium, & desiderium de obiecto creato compossibilia, & coëxistentia in Deo sunt, num. 7. 71.

Genus, & differentia infinito (etiam diuino) non repugnant, d. 2. quæst. 5. certam. 1. numero 5. 35.

Genus absolute tale differentiæ vna linea individuali specifica, lineæ alterius non repugnat, n. 6. 36

Gratia

Gratia.

Gratia auxilians quoad substantiam naturalis esse potest, d.1.q.2.cert.2.n.6. 8

Eius ad bene operandum necessitas, excitatio, & cooperatio, C.3.d.1.q.1.cert.3.n.7. 420

Eius necessitas ad posse præcise in actu primo bene operari, & tentationes vincere, ac item, an minimum entitatiue cogitationis, & legis notitia, quatenus ad inducendam obligationem, præcisè est satis quod gratiæ Dei auxilianti debeant adscribi? fusiore disputatione propria, d.2. q.5. cert.1.n.4. 621

Gratia habitualis confirmatio non affert in ea confirmatis absolutam physicam impeccabilitatem, d.1.q.7.cert.12.n.2. 539

Affert tamen moralem antecedentem impeccabilitatem, n.4. ibid.

Confirmationis in gratia ab induratione iniquorum in peccato discrimen. ibid.

Physica.

Grauia sursum, & leuia deorsum ad replendum vacuum, à se ob vniuersi commodum non eunt, sed à corporibus abscedentibus loco trahuntur, C.2. d.8.q.3.cert.3.n.7. 386

H.

Anima.

HAbitus adquisiti ab speciebus viuidioribus, quas actus habiti relinquunt; minime differunt, C.3.d.1.q.8.cert.1.n.3. 551

Vbi nec physicæ impellere voluntatem ad actus suos posse ostendimus, habitus virtutum moralium, & scientiæ Deo ex parte actus primi, Dei voluntati, aut intellectui formaliter metaphysice ab eis potentiis diuersi non adsunt, C.2. d.2.q.6. cert.1.n.2. 192

Habitus supernaturales Deo nullatenus adsunt, eadem q. prol. ibid.

Et cert.1.n.1. ibid.

Cum potentiis creatis, quas physice ad actus supernaturales eliciendos complent ex parte actus primi physice etiam actus supernaturales efficiunt, nullatenus autem potentias ad actus eliciendos physice mouent, aut impellunt, C.3.d.1. q.8.cert.1.n.3. 551

Nec illis tota ratio agendi sunt, esseve possunt, C.1.d.5.q.1.cert.2.n.5. 81

Vbi recentium Dominicanorum inconsequentiæ notantur. ibid.

Hominis, & cuiusvis creaturæ rationalis auxilia sufficientia, & quoad entitatem minima, libertatem sufficienter constituere, eaque, vt summum iure naturæ deberi (si aliquid auxilij debeatur) non autem auxilium efficax illum minutulæ quantumvis entitatis, C.2.d.5. quæst.5. cert.1. num.3. 217

Sufficiens inquam quoad positiuum entitatis non quoad negationem consensus in bonum sub illo, si donetur. ibid.

Hypothesis impossibilis, quæstionem sensumque, vtilem habere potest, quamvis conditionem, aut præsuppositum necessarium ad eius essentiam contineat: si tamen præsuppositum hoc adesse, aliunde à disputantibus supponatur, d.2.q.3.cert. 4.n.7. 182

I

IDea Diuina *est, cuius ad instar, & imitationem Deus creata operari potest*, operaturque quæ ex creatis operatur, C.2.d.8.q.3.certam.1.num.1. 381

Est aliquid Deo intrinsecum, n.2. ibid.

Esse scientiam de creatis faciendis graues Doctores censent, ibi, & singulariter Quiros, num.3. ibid.

Reiectus, n.4. ibid.

Non stat in scientia diuina formaliter; sed in eius obiecto, quodcumque illud (iuxta iam dicenda) sit, ex scriptura, & communi Theologorum, n.6. 382

Ex Patribus, & scripturæ interpretibus, num.7. ibid.

Possibilia creata seu à Deo factibilia ideam, seu ideas diuinas esse debilibus fundamentis à priscis aliquibus asserebatur, cert.2.n.1. 383

Nec secundariò, ne dum primariò illas ideas diuinas esse, n.2. ibid.

Non tamen oppositum Theologicæ censuræ subiacet, n.3. ibid.

Probatur à ratione nostra conclusio, numer.6. 384

Ideas diuinas bene aliquando, aliquando erroneè, Plato explicuit, n.3. 383

Ideam diuinam, quid diuinum esse fusius ostenditur ex Patribus, cert.3. 385

Apparentius aduersariorum argumentum soluitur, n.9. 387

Idæa diuina in Dei scientia cuiuscumque obiecti sit formaliter non esse, fusè monstratur, quin Pater vllus contradicat, cert.4.n.1. 387

Nec Philosophus aliquis, n.3. 388

A ratione probatur, n.4. ibid.

Essentia diuina, vt imitabilis à creatura idæa diuina, physice loquendo, est ex communi Patrum, & Theologorum sensu, n.6. 389

Formaliter, & metaphysice loquendo omnia & singula prædicata diuina, vt imitabilia à creatis sunt formales ideæ diuinæ, n.8. ibid.

Idea diuina est verbum, & proprietate, & charactere suo, n.10. ibid.

Idea diuina non factorum, quà talium, sed factibilium est, n.11. 390

Nec negationis, siue necessariæ impossibilium, siue non necessariæ contingentium, nec entis rationis, nec prædicati vllius diuini, nec peccati alicuius, idæa diuina datur. ibid.

Idæa diuina formaliter metaphysice non vna est, sed plures, secus physice loquendo, certam. 5.num.1. 390

Non tamen pro numero, sed solum pro speciebus factibilium formaliter adhuc multiplicantur, num.2. ibid.

Ideæ Cathegorematicè infinitorum faciendorum, in Deo non sunt, sunt autem infinitorum Cathegorematice possibilium, & factibilium, & infinitæ quidem ideæ, num.3. 391

Sensus Patrum dicentium creata melius in scientia, & idæis diuinis esse quam in seipsis planus explicatur, n.5. ibid.

Reiecta nostri Ruiz, subtiliori, quam solida explicatione, n.6. ibid.

Ideali rerum existentia posse illas omnes dici Deum, errauit Vvicleff. n.7. ibid.

Confutatus, n.8. ibid.

Non tamen damnatus à Concilio Constantiensi, vt aliqui censent, n.9. 392

Ignorantia inuincibilis existentiæ Dei, in nobis positiua, & negatiua, seu priuatiua concipi potest, C.1.d.1.q.4.cert.1.n.1. 18

Qui illam absolute, & prorsus negent, numer.4. 19. ibid.

Qui affirment, n.5. ibid.

Rusticus magistro Atheo solummodo vsus, vtramque potest habere, cert.2.n.1. ibid.

Sibi relictus priuatiuam saltem, n.2. ibid.

Imo etiam positiuam, n.4. 20

Nec scriptura, aut Patres contradicunt, num.6. ibid.

Imago vera realis intentionalis, non tamen physica ortum realem physicum, neque à cognoscente, neque ab obiecto importat, C.2.d.1.q.2. cert.3. num.4. 167

Immensitas Dei attributum, ne ab hæretico quidem negatum expresse, sed solum virtualiter, & implicite, C.1.d.4.q.4.cert.1.n.1. 73

Est de fide, scriptura, Patribus, & Symbolo, n.2. ibid.

Et ex ratione à priori, non autem ex operatione Dei vbique, n.3. ibid.

& Verborum.

A posterioti, n.4. 74
Nequit creaturæ conuenire, certam. 2. num. 7. 75.
Infinitas, & infinitum in processu causarum repugnat, d. 1. quæst. 3. certam. 2. numero 4. 15.
Infinitati præcisè (Dei etiam) genus, & differentia, non repugnant, quæst. 5. certam. 1. num. 5. 21.
Infinitum aliud, simpliciter, & è genere suo tale aliud secundum quid & in genere suo tale, & vtriusque discrimen, quod simpliciter, & è genere suo infinitum, neque esse, nec concipi, sine sua infinitate possit, secus quod secundum quid, & in suo genere infinitum est, d. 3. q.6. cert.2. n.1. 60
Et sæpe alias infinito secundum quid, & in genere solum suo, (cui soli addi aliquid intra suum genus potest) ea parte qua infinitum est nihil potest addi, n.2. ibid.
Infinitum secundum quid, & solum in suo genere denegationem termini intrinsecè solummodo importat. Simpliciter autem & è genere suo dicit, vlterius, n.3. ibid.
Negationem termini extrinseci generis illius, n.3. ibid.
Simpliciter, & è genere suo Dei proprium est, cunctis, ac solis diuinis prædicatis conuenientis, n.4. ibid.
Infinitum vniuersum non est, id quo nihil maius esse, aut cogitari possit, d.5. quæst. 2. certam.3. num 6. 91
Infinitum vniuersim non est *Infinitas* Dei per essentiam à pauculis, & stolidis negata, d. 4. quæst.1. certam.1. num.1. 63
De fide est, n.2. ibid.
Et ex demonstratione, n.3. ibid.
Occurritur obiectionibus, n.6. ibid.
Male per negationem, explicatur, vel actus, & potentiæ physicæ, certamine 2. numer. 1. 64.
Vel definitionis, & comprehensionis, num. 3. ibid.
Vel attributorum, & perfectionum, numer. 5. ibid.
Vel essendi ab alio, n.6. 65
Stat vero infinitas physica Dei per essentiam in eius essentia physica, vt excludente maioritatem physicam entis alterius, certam. 3. num. 1. ibid.
Metaphysica in exclusione maioritatis entis, seu essendi in ea linea, quam in Deo sit, n. 4. ibid.
Infinitas Metaphysica per essentiam attributorum stat in exclusione maioritatis tam extrinsecæ, quam intrinsecæ in genere entis adiectiui Metaphysici (quo solum pacto attributa etiam metaphysica sunt) in linea cuique attributo propria: ibi. Nulla infinitas Dei per essentiam ex præfatis diuina prædicata metaphysice transcendit, cert.4.n.2. 66
Ea vero, siue physica, siue metaphysica attributum Dei proprium ostenditur contra obiectionem difficilem, n.5. 66
Immortalitas Dei idem, quod eius æternitas, d. 5. Prol. 83. & d. 6. quæstione 4. Prol. 115.
Imperium intellectuale ad reliquas animæ potentias exsequentes, quæ solo imperio voluntatis possunt moueri, repugnat, d.8. q.2. cert.1. n.2. 134.
Est voluntatis ad illas imperium decretum efficax, vt operentur earumque ex illo motio si realiter ab anima non differrent, (vt vero similius est facillima perceptu si differant sympathicè: ibidem.
Immutabilitas Dei à Vorstio negata, c. 1. d. 4. q.2. cert.1. n.2. 67
Voce, & si non mente Doctores aliquot ex constituentibus decreta libera Dei per extrinsecum aliquid non nimis à Vorstio dissant, n.3. ibid.
Vox tamen adeo dissona reiicienda, num. 4. ibid.
Dei tamen immutabilitas quoad esse constat ex scriptura, cert.2.n.1. ibid.
Et quoad locum, durationem, & accidentia, n.2. 68
Dogma, hoc constat etiam ex ratione, num. 4. ibid.
Tentatur tamen, ac defenditur, variè dogma, hoc, quo immutabilitatis Dei, etiam suis liberis actibus, q.3.cert 1. 68
Statuitur ex scriptura, & Patribus, cert.2. n.1. 70.
Ex ratione, n.3. ibid.
Occurritur obiectionibus, n.4. ibid.
Difficillima obiectio expenditur, certam. 3. num. 1. 71
Solutio ab ingeniosis Recentioribus desperata, facillima exhiberur, n.5. 72
Æquè difficilis obiectio alia eadem facilitate expeditur, n.9. 73
Impossibilia, seu Chimæræ formam, seu impossibilitatem suam Deo identificatam non habent, d.8.q.5.cert.1.toto. 146
Sophismata aduersantia detecta, certamine 2. 148.
Stat impossibilitas chimærarum in negatione à se, & necessaria sui, d.2.q.3.cert.2.n.3.32. & d.8. q.5. cert.1. 146
Et præsertim, cert.2.n.3. 148
Nil esse, & claudere impossibilia, & chimæras præter entia positiua ex quibus mente à nobis compinguntur subtiliter excogitauit Magister meus Daza. C.2. d. 4. q.5. certam. 1. num.3. 217.
Absolutam, exercitam, & actualem necessariam sui negationem claudunt essentia sua, qua impossibilior, & chimeræ formaliter constituuntur: non autem conditionata illa veritate, quod si existant, contradictorium existet, vt vulgariter censetur, & necessariæ eorum negationi tanquam ipsorum essentiæ innititur, cert.2. n.6. 218
Incomprehensibilitas absoluta Dei à creatura, quia hanc aliquid Dei extrinsecum necessario lateat multifariam defenditur à Recentioribus refutatis, c. 1. d. 5. quæstione 4. certam. 1. 99.
Solidius à Vasquez confutato, numero 6. 100.
Verior, & scholis communior ratio, quia creata cognitio omnem Dei intrinsecam cognoscibilitatem, & veritatem penetrare executare atque penitus nequit, vt in vulgari comprehensionis Dei à creatura negatæ definitione, *qua* nihil rei lateat videntem, non extensiue solum, sed intensiue cognoscibilitatis rei sit intelligendum, vt alia æque communi definitione explicatius dicitur cognitio rei, in quantum cognoscibilis est, cert.2.n.1. 101
Hanc, si quam, incomprehensibilitatem Dei à creatura Patres docuere, n.2. ibid.
Eius multiplex ratio, n.3. 102. & cert.3. num.1. 103.
Præfato sensu, nec de fide est, nec fidei proxima, n.2. ibid.
Magna tamen negaretur temeritate, num. 6. 104.
Ineffabilitas Dei, siue ab ipso, siue à creatura creaturæ alicui, si de comprehensiua ineffabilitate loquamur, est ferè dogmatica, q.5.cert.2. n.1. 106
Deus physice, vt in se est sumptus adhuc incomprehensiue, ineffabilis creaturæ à creatura per vires naturæ est ex fide, vt reor, num. 2. ibid.

Index Rerum,

Et à Beatis creaturæ viribus naturæ relictæ, imo, & ab ipso Deo, n.3. ibid.
Creaturæ vero Dei supernaturali auxilio adiutæ, & adiuturæ effabilis Deus à creatura ipsum physicæ quidditatiue videnti est, n.4. 107
Intellectus diuinus etiam, liber formaliter in obiecto vllo cognoscendo non est, nec ab intellectu scientia libertatem participat, sed solum mediate ex obiecto, eandem, quam hoc habet, C.2.d.7. q.6.cert.4.n.6. 367
Fusius, & explicatius, d.8. q.1.certam.2.numer.5. 372
Ex decreto autem libero Dei, ex quo obiectum libere, vel ponitur, vel conditionate, vel absolute, ac proinde liberum alterutro modo, obiectum est mediatius scientia Dei libertatem participat, quatenus ab obiecto suo participatam, supponit, n.7. 373
Intellectus, & voluntatem, & libertatem suppositi sui legitimè infert, C.3. d.1. quæst.2. cert.1. numer.8. 415 & 10. 416. & certam.3. numer.2. 418
Intentio efficax, diuinam etiam Dei cuiuspiam eam in statu absolutæ existentiæ, aut futuritionis, formaliter, non constituit, etsi eam actiue in statu absoluto pro eius duratione apponat, C.2. d.7. q.5.cert.2.n.9. 361
Quomodo intentio efficax finis, & actus imperans, actus imperati, & electionis medij vnici libertatem seruare possint, C.3.d.1.q 8.cert.1.n.5. 551
Inuisibilitas Dei oculis corporeis, à quibus negata sit, negatiue, vel in dubium vocari posse videatur, C.1.d.5.q.1.cert.1. 83
Oculis corporeis, qui naturaliter sunt, Dei inuisibilitas certa, & euidens ex fide, & ratione est, cert.2.n.1. 84
adhuc supernaturaliter eisdem oculis adiutis negari absque temeritate nequit, n.2. ibid.
Id ratione efficaciter probatur, à posteriori, n.4. 85
A priori, n.5. ibid.
Idem dicendum de quibusvis oculis corporeis possibilibus cert.3. ibid.
Probationes debiles reiectæ, n.1. ibid.
Vsque ad n.5. tres firmiores, n.6. 86
Tres aliæ solidiores adhuc, cert.4. 87
Ea inuisibilitas Dei attributum speciale est, cer.5. 88
Inuisibilitas Dei intuitiua ab intellectu creato viribus naturæ à Philosophis, & hæreticis aliquot negata, q.2.cert.1.n.1. 89
Ea in re lubrici Durandus, n.3. ibid.
Et Scotus, n.5. ibid.
Ea inuisibilitas Dei est de fide, certam.2.num.1. 90.
Sensus communiter putatus Durandi refutatur, n.3. ibid.
Et Scoticus ab authoritate refellitur, cert.3.n.3. 91.
A ratione probatur eiusmodi inuisibilitas minus solide à nonnullis, n.5. ibid.
Rationes firmiores, cert.4. ibid.
Inuisibilitas Dei ab intellectu creato diuinitus supernaturaliter adiuto neganda, est ex fide & Patribus, q.3 cert.1. 93
Aduersum quid sonare videntur Chrysostomus, & & Theodoretus, n.3. ibid.
Pia, & verosimilis (aliis, illegitimis reiectis) eorum interpretatio, n.6. 94
Item Ambrosius Hieronymus, & Isidorus in dogma hoc pie, & genuine explicati, numero 7. 94
Efficax dogmatis huius, & multiplex à ratione probatio, cert.2. ibid.
Occurritur obiectionibus, n.3. 95
Iudicium quodvis consignificant durationem, qua iudicium habetur à iudicante, C.1.d.4.q.3.cer.1. n.5. 71
Iudicia creata de futuro obiecto diuersæ veritatis, & obiecti sunt, atque, iudicia de præterito, & præsenti, quia cum tempore iudicant, secus iudicium diuinum, quod de tempore quovis, non autem cum tempore, sed cum sua insectili, ac tota simul iudicat determinate. ibid.
Iusto lex non est posita, vt eum non obliget, atque exlegem faciat, Caluinianus sensus, & hæretica interpretatio, C.3.d.2.q.... cert.2.n.1.
Vbi sensus Pauli germanus, & Catholicus, Iustificatio formalis à peccato per extrinsecam condonationem repugnat, C.1.d.8.q.6. cert.3.num.6. 154

L

Libertas contradictionis, diuinæ etiam voluntati conuenit, C.1.d.8.q.6.cert.1. n.1.149. & n.4. ibid.
Libertas actus, siue actionis, vt à creata abstrahit horum ab agente realem physicam producibilitatem non importat, C.2. d.2. q.3. certam.3.n.4. 180
Libertas potentiæ in actu primo primaria, & sui actus, in actu secundo stat præcise, vt ita à seipsa actus possit suos apponere, vel omittere, quin ad eos, vel apponendos, vel eorum omissionem ab alia potentia, aut virtute determinetur; non autem, quod ante eius actum alius ab alia virtute nequeat apponi, d.5.q.3.cert.3.n.3 250
Libertatem nostri omnium, Adami peccato Lutherani, & Caluinistæ perditam volunt, C.3.d.1. q.1.cert.3.n.8. 417
Confutati, n.9. ibid.
Libertas triplex apud Patres. Prima à seruitute pœnæ, & miseriæ propria Beatorum, secunda à seruitute peccati, & diaboli propria iustorum per gratiam, & iustitiam, quam Christus nobis meritis, & morte sua nobis promeritus est, & inde libertas redemptionis appellatur. Tertia à seruitute necessitatis operandi, quæ libertas physica in operando dicitur, estque physica absoluta indifferens potestas alterutrum ex oppositis extremum, quæ si contradictoriæ opposita sint libertas contradictionis, si vero opposita sint contrarie, libertas, contrarietatis; & est propria arbitrij libertas, n.10. 422
Libertas arbitrij necessitatem, & determinationem in actu primo ad alterum extremum & oppositi alterius impossibilitatem excludit, quæst.2.cert.3. 417
Posita etiam indifferente cogitatione per alterius, siue intrinsecus, voluntati siue extrinsecus adiunctum independenter à libero eius vsu, ea necessitas arbitrij libertati repugnat, numer.3. 418
Eiusmodi necessitas operandi extremum alterum determinate ex parte actus primi, & omnino operationem voluntatis antecedens, eiusque libertati inimica à Patribus, & scholasticis simplex, seu simpliciter talis, absoluta, & consequentis necessitas appellatur, quæ vero liberam voluntatis operationem, determinationemque, siue arbitrij vsum, & exercitium supponit, ac subinde ab eo in sui positione dependet, ac proinde eius absolute libertati non officit necessitas ex suppositione, consequens, & sequens, consequentiæ, & secundum quid dicitur, quæ subinde absolute & simpliciter tali, siue antecedenti libertati cuius exercitium liberum supponis, & sequitur non obest, vt ex Patribus, & ratione monstratur, cert.4. 423
Arbitrij libertas in voluntate instructa, etiam iudicio indifferentiæ, siue cogitationibus altera trahente in obiectum, altera retrahente ab illo voluntatem, dum alia omnia ad alterum extremum ipsam ex parte actus primi determinantia non absint, minime consistere ratione demonstratur à priori, quæst.8. cert.1.n.7. 552

& Verborum.

Libertas contradictionis ita connexa cum operatione, vel ejus omissione disiunctim essentia sua est, vt nullo dutationis, seu temporis instanti absque vtriusque exercitio coniunctim, simulque esse queat, d. 3. quæst. 1. certam. 7. num 2. ....

M

MAlitia obiectiua actionis tota ex prædicatis communibus, non ex indiuiduali venit, cæteris paribus, quæst. 5. cert. 2. num. 5. ....

Maria Deipara absolutè, & antecedenter, impeccabilis fuit ex quo Verbum concepit, iuxta Patres aliquot, ac Theologos plerosque, atque à primo suæ iustificationis instanti, (quod idem ipsum, ac conceptionis suæ fuit) iuxta eorum non paucos quibus libentissimus consentio, Contr. 3. d. 1. quæst. 12. certam. 12. n. 2. 539.

Fomitem peccati extinctum habuit, non ligatum, q. 8. cert. 2. n. 4. 556

Materiale peccati, siue actiones, aut omissiones pravas, vt à nobis consulere, ad eavve nos hortari, inducere, tentare, aut quovis modo nos impellere, nedum præcipere, aut per nos facere Deus nequit, quin peccati nostri causa, & author proprie, & absolutè sit, quod fidei, & rationi repugnat: imo eas nullatenus ipsum velle posse ab scriptura docemur, d. 2. quæst. 2. certam. 1. numero 5. 578.

Medici ex ægri insomniis phrenesi, & aliis similibus de eius futura, vel non futura valetudine, & curatione, non solum catholice, sed bene, & prudenter, non tamen certo, & infallibiliter iudicant, C. 2. d. 5. q. 6. certam. 4. num. 5. 266

Medium materiale cognitionis obiecti alterius, quid sit, d. 6. Prol. n. 1. 290

Eius modum cognitionis Dei de seipso, vel de possibilibus, aut impossibilibus nullum esse potest, n. 2. ibid.

Anima. Medium formale cognitionis alterius obiecti, quid sit, n. 1. ibid. & d. 7. prol. 334. & q. 2. cert. 2. num. 5. 341

Debet sui cognitione ad alterius cognitionem determinare cognoscentem, quare, & præcognitum ad huius alterius cognitionem præcedere ibi, & n. 6. ibid.

Nequit esse indifferens ad coëxistendum, vel secus cum obiecto quod *in* vel *ex* ipso cognoscendum est, quin sufficiat: eminentialis continentia huius in illo, certam. 3. num. 2. 342.

Præuia cognitio medij formalis, & determinatio ad cognitionem obiecti, quod in illo, vel ex illo cognoscendum est: ostenditur necessaria, q. 5. cert. 1. n. 2. 358

Nullum medium (Dei reuelatione excepta) adstante obiecti visione mouere potest videntem, vt idem obiectum in illo, vel ex illo cognoscat, cert. 2. 360

Mendacium, ex bono fine malitiam exuere, ac licere materialis error plurium etiam Patrum quondam fuit: iam tamen diu formalis hæresis est, c. 3. d. 2. quæst. 4. cert. 2. num. 2. 608.

Metaphysica. Metaphysica principia euidentiam ab experientia trahunt, & quomodo, c. 1. d. 5. q. 1. cert. 3. n. 4. 86

Physica. Motus etiam materialis instantaneus non repugnat, tesi localis naturaliter repugnet, d. 6. q. 1. cert. 2. n. 2. 108

Motus localis non indiuiduatur à tempore, d. 7. q. 2. cert. 1. n. 6.

N

NAturale, à supernaturali tanquam à termino specificari extrinsecus potest, c. 1. d. 5. q. 3. cert. 2. n. 6. 95

Et cum supernaturalis termini possibilitate, & existentia connecti: ibi.

Necessitas, cum entis, cum veritatis iudicij, alia aliis maior, & intrinsecus, & extrinsecus esse potest, d. 8. quæst. 3. certam. 1. 137.

Necessitas libertati arbitrij aduersans, vide dicta littera L.

Negatio rationis, seu ens rationis negatiuum sit, quin cognoscatur, c. 2. d. 3. q. 2. cert. 3. num. 1. 199.

Negatio à se, & necessaria exercite, & actu impossibilium nec horum, nec sui ipsarum statum veræ possibilitatis adhuc præcisiue, à suæ absolutæ qualis qualis existentiæ actualis, & absolutæ statu diuersum nullatenus supponit; vti nec statum possibilitatis præcisiuæ. Verum supponit Dei à se necessaria actualis existentia, d. 4. q. 5. cert. 2. n. 4. 218

Nomina Deum tam physice, quam metaphysice, quidditatiuè significantia esse possunt. Extra essentialia vero, Deum semper metaphysice significant, c. 1. d. 5. quæst. 5. cert. 1. num. 8. 106.

Notum per se, & per aliud, quid, & in quo differant, d. 1. q. 1. Prol. 2

Vtrumque idem obiecto conuenire absolutè potest; non tamen respectu eiusdem cognoscentis cui per se notum propriè, seu euidenter obiectum idem sit: ibi. Quædam probabiliter per se nota, & ex terminis sunt, atque large per se nota dici possunt: ibi, per se notum per species proprias esse potest, vel per alienas, quæst. 1. certamine 1. numero 1. ibid.

Per se notum per species alienas est, quod subtilioribus, validioribusque ingeniis euidenter ex apprehensione terminorum innotescit, & si non ita innotescat rudioribus: ibi an existentia Dei per se nota per species alienas cognoscentibus viatoribus sit? Vide dicta littera D. *verbo Dei existentia.*

O

OBiecti, seu termini infinitas in suum actum refundit molesto argumento calculatorio contenditur, nec solutione proportionis geometricæ, non arithmeticæ, si à plerisque, satis, c. 1. d. 5. q. 3. cert. 3. 96

Nec solutione infinitatis secundum quid, n. 6. ibid.

Vtraque bene intellecta illud soluit, certamine 4. 97

Obiecta æternæ veritatis diuina nullam veritatis suæ causam, adhuc metaphysicam, habent, cap. 2. d. 8. quæstione 2. certam. 3. num. 2. 378.

Obiecti propria ratio solam terminationem sui actus importat, quin actiuitatem in ipsumque obiectis nonnullis competit includat, cap. 2. d. 2. quæstione 5. certamine 1. numero 4. 185.

Obiectum, ac formale motiuum actus eo præcisè eius specificatiuum esse non debet, & si respectu actus creati formale motiuum, semper specificatiuum sit, secus respectu actus diuini, d. 4. quæst. 3. cert. 3. n. 3. 210. & n. 6. ibid.

Respectu autem actus creati etiam obiectum purè terminatiuum, specificatiuum est, respectu cuius non solum terminatiui, sed, &

actiue per se, vel per species suas determinare, si actus obiecti visio, & intuitio sit, debet potentiam cognoscentem, d. 5. quæst. 6. cert. 3. n. 3. 264
Obligatio diligendi Deum vbi primum, ad vsum rationis peruenitur, quo sensu verum habere queat, C. 1. disp. 1. quæst. 4. cert. 2. n. 5. 92
Omnipotentia possibilium finitudine limitationem non reciperet, disp. 8. quæst. 1. certam. 2. num. 6. 133
Possibilia, etiam inter se repugnantia, omnia simultate potentiæ simul potest producere; inter se vero, non repugnantia, etiam simultate actus producere valet: ibi. & n. 7. 134
A possibilitate creaturarum absoluta in se est; secus in expeditione operationis suæ, num. 6. 133
Non stat in imperio intellectuali Dei, siue ad ipsum, siue ad creata facienda directum, q. 2. cert. 1. ibid.
Nec in idæa obiectiua in facto esse creaturarum, seu verbo diuino, n. 4. 135
Nec in arte, & scientia practica, siue idæa, quam vocant formali faciendorum, numer. 5. ibid.
Nec in hac, & voluntate diuina simul, num. 6. ibid.
Nec in entis diuini infinitate, n. 8. 136
Stat formaliter in sola Dei voluntate, cert. 2. n. 1. ibid.
Ex Aristotelis, & S. Thom. ponderatione speciali, n. 2. ibid.
Ex ratione, n. 4. ibid.
Est creaturarum existentiæ inconnexa, ex fide, q. 3. prol. 137
Et earum possibilitati, cert. 1. ibid.
Aduersa Sophismata eneruata, n. 3. 138
Quamvis, vel sumptis repugnantibus, nil omnipotentiæ deficeret, nec impossibilium ad possibilitatem accessu augesceret, sed sola extrinseca denominatio potentiæ absolutæ determinatæ eorum, vel cuiusvis in particulari, quæ intrinseca ipsorum possibilitate, & passiua producibilitate completur, accederit, vel periret, C. 2. d. 7. q. 2. cert. 3. n. 12. 344
Omnipotentia causa efficiens possibilitatis creaturarum non est, cert. 5. n. 2. 347
Neque earum formalis possibilitas, q. 6. cert. 2. 364
Operatio præsentia localis agenti spiritualis Dei etiam cum effectu non est, C. 1. d. 4. q. 6. cert. 1. num. 2. 79
Localis coniunctio cum passu agentis corporei, vt summum requiretur, secus spiritualis præsertim, cuius potentia actiua ad extra voluntas sit, vt in Deo est, n. 2. ibid. & cert. 3. 82
Vnde operari in distans potest, quin in propinquum, cert. 2. n. 3. ibid.

P

PAradisus in medio terræ situs ex Patribus, & ratione Controuer. 3. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 6. 397
Peccatum absolute tale, eiusque reale formale (mentis fictione omni exclusa) ab actione, vel omissione prohibita, vt hic, & nunc cum aduertentia, & ex libertate à nobis exercetur, seu à materiali peccati nihilo differt, C. 3. d. 2. q. 4. cert. 1. n. 2. 605
Peccati materiale ad quod formale (esto re à materiali differat) ineuitabiliter à Deo etiam consequatur, ex concordia Theologorum exponitur, d. 2. prol.
Quæ illius, seu actionis praue, vt à nobis imperium, aut præceptum Dei ad nos sonant solam eius permissionem significant, & increpationem, q. 3. cert. 3. n. 6. 595
Peccati permissio, cuius bonitatis gratia à Deo ametur. n. 2. 593
In peccati materiali, siue actionem prauam inclinatio hominis à Deo, specialiter explicatur, num. 5. 595
Ad peccati materiale, & fundamentum proximum formalis, ne physicè quidem Deus concurrit, id quod non satis aduertentes Recentiores ad formale etiam peccati physice Deum incautissime admiserunt, q. 4. certam. 3. num. 8. 615
Peccati absolute talis, ne dum formalis peccati Deus causa, neque esse, neque posse esse, nisi hæresi formali dicetur, certam. 1. numer. 1. 620
Peccato quanam Dei voluntatem faciant peccatores, q. 3. cert. 5. n. 1. 602
Peccati mortalis necessitas in natura rationali ad longum tempus saltem auxiliis gratiæ destituta, q. 5. cert. 2. n. 6. 623
Peccatum per extrinsecam Dei condonationem, nec aboletur, nec potest aboleri, C. 1. d. 8. q. 6. cert. 3. n. 3. 153
Euasiones probationum præclusæ, numer. 6. 154
Peccati permissio dominij iurisdictionis actus Dei non est, d. 9. quæst. 2. certam. vnico, num. 2. 161
Pelagij error contra gratiæ necessitatem bifariam ab Augustino confutatus, C. 2. d. 6. q. 1. cert. 7. n. 1. 306
Penetratio cum passo, & effectu, non est necessaria agenti, C. 1. d. 4. quæst. 4. certam. 2. numer. 3. 74
Perfectio simpliciter seu absolute talis omnium quæ rei sunt possessionem supra eius bonitatem addit, nulli parti siue physice, siue metaphysice rem componenti competit perfectio. Secundum quid partibus differentialibus, & attributalibus metaphysicis entis non competit; secus prædicato entis, partibusque rei physicis, C. 1. d. 7. q. 3. cert. 1. n. 4. 126
Perfectio simpliciter simplex recte ab Anselmo definita, quod in vno quoque melius est: non ipsum, quam ipsum, reciditque in vulgarem Theologicam, melius est, ipsum, quam, non ipsum, h bene mens Anselmi penetretur, num. 5. ibid.
Terminus Comparationis melioritatis illius, nec res tota, nec eius partes sunt, sed reliqua omnia quæ res illa non sunt, ibi. & numer. 6. ibid.
Ita est Dei propria, vt omni creaturæ repugnet, n. 7. 127
Eius perfectionis diuisio in simpliciter, & secundum quid in terminis repugnat. ibid.
Perseuerantiæ donum iustos impeccabiles, non facit contra Franciscum Dauilam temere, vt minimum, dissentientem, C. 3. d. 1. q. 7. cert. 12. num. 2. 539
Possibilium creatorum forma, seu formalis possibilitas, nec Dei omnipotentia, ne diuinum aliquid est, C. 1. disp. 8. quæst. 4. cert. 1. num. 3. 143
Nec stat in obiectiua veritate conditionali, *si Petrus*, v. g. *existat*, *existet*, *sine contradictione*, cert. 2. n. 4. 145 *Metaphysica.*
Stat in absoluta non repugnantia prædicatorum, quibus possibile constat, siue in exclusione negationis necessariæ, & absolutæ & à se rei possibilis, n. 7. 146
Est æternæ veritatis obiectiuæ, absolutæ à tempore abstrahens præcisiue, non positiue, vt Deus eius passio, & consequens est conditionalis memorata qua possibili captui nostro commode subinde explicetur, ibi. Paralogismi pro constitutione possibilitatis rerum in aliquo diuino detecti abiguntur, cert. 3. ibid.

Possibilis diuisio in præcisiuum, quod à sui existentia, & non existentia absolutæ præscindit, & in purum, seu purè, possibile, quod absolutam sui negationem importat, c. 2. d. 5. q. 1. Prol. 220
Possibile præcisiuè habere actu esse reale æternum absolutè distinctum adeo periculosè à nonnullis asseritur, certamine 3. numero 5. 223.
Possibile præcisiuè inter ens à se, & necessarium actuale, & absolutum nempè Deum, & ens à se negatum absolutè, siue necessariam absolutè, siue necessariam absolutam actualem negationem, nempè impossibile medium interiacet, quibus quasi contrariè appositis, quasi contradictoriè aduersatur, sicut contingens, & de se indifferens ad vtrumvis determinatis de se ad alterum extremum opponitur; ea vero possibilitas præcisiua metaphysice, vel est prædicatum entis ab alio; vel ipsum consequitur, cert. 4. n. 1. ibid.
Possibilitas præcisiua à rei existentia, non differt, vt physica, sed vt logica potentia ab actu: quare sublata physice rei existentia, actu possibilitas eius physice à rebus defecit, solumque logicè perseuerat, n. 2. ibid.
Possibile ens ve, & existens neutrè & substantiue accepta, idem quod essentia, & existentia metaphysice etiam sunt, nullo, quæ siue ens ab existente, siue essentia ab existentia adhuc metaphysice differt, nisi essentia pro rei quidditate tota, nec solum pro ente, seu prædicato essendi generico sumatur: tunc enim, vt pars à toto, & genus ab specie differt: ibi. Neutre, & substantiue acceptum differentias possibiles, seu ens ab alio non transcendit; secus, si adiectiuè sumatur. Ibidem, possibile præcisiuè, seu ens ab alio, nec bonum, nec amabile absolutè est, c. 1. d. 7. quæst. 2. cert. 1. num. 5. 123
Essentiale, & necessarium cuivis creaturæ est affirmatiuam propositionem in materia necessaria, & abstrahentem à tempore constituens, c. 2. d. 5. quæst. 1. certam. 4. num. 3. 223.
Possibilia omnipotentiæ determinate essentia sua, non respicere, eive pro eo statu connecti sat est probabile, d. 8. quæst. 2. certam. 3. num. 6. 379.
Rerum possibilitas actiuè à Deo non pender, cap. 1. d. 2. quæstione 4. certam. 3. numer. 8. p....
Præcisiua Deo repugnat, d. 3. quæst. 3. certam. 3. num. 4. p....
Potentiæ simultas simultatem affectuum omnium suorum, non arguit, d. 8. q. 1. certam. 2. num. 7. p..
Eius exhauritio per omnium effectuum productionem quo sensu admittenda, numero 8. p...
Potentia notionalis respectu actiuè processionis ipsi etiam identificatæ actiua physice est, c. 2. d. 2. quæstione 2. certamine 2. num. 2. 176.
Potentia libera neutrum extremum claudit, sed ab vtroque physice præscindit, neque alterum determinate, sed vtrumvis disiunctim concernit, c. 1. d. 4. quæst. 3. certam. 1. numer. 2. 71.
Est absolutè talis, & si aliquid necessarium ad alterum extremum operandum ipsi desit dummodo illud apponere sub eius potestate sit, cap. 3. d. 1. quæstione 7. certam. 11. num. 1. 505.
Potentia absolutè vera respectu actuum vitalium etiam communium Deo adest, c. 2. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 4. 184
Potentiæ, & obiecti proportio intentionalis, non entitatiua esse debet, & vnde dignoscenda, cap. 1. d. 5. quæstione 3. certamine 2. num. 4. 95.
Potentiæ connaturalis modus cognoscendi erga omnia obiecta immutari diuinitus nequit; secus erga aliqua, n. 5. ibid.
Cum suis obiectis possibilibus, vt summum connexa est, non, vt existentibus, num. 6. ibid.
Præcisiones obiectiuæ ex mysterio Trinitatis certo, & infallibiliter deductæ, c. 1. d. 3. q. 1. cert. 2. 40
Et ex diuinis communibus in quibus necessario videntur admittendæ, certam. 4. num. 3. 45.
Fieri actus visionis possunt, numero 6. ibid.
Prædicationis, & verificationis in propositione singulari subiectum idem est, secus in aliis, cert. 2. n. 9. 45
Prædicatum diuisum ex partialibus homogeneis metaphysice conflari repugnat, q. 2. certam. 5. num. 2. 50
Prædicamenta, non ex rerum in se, sed prædicatorum in ordine ad prædicationem formalem diuersitate in decem, & prorsus adæquate diuiduntur, d. 2. q. 5. certam. 3. num. 1. 37.
Præscientia in scriptura idem sæpè, quod prædestinatio, ibid.
Præsentia triplex Dei in rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam explicata, d. 4. q. 5. Prol. 75
Rerum Dei æternitate, quoad eius intrinsecum, præsentia, seu coëxistentia certa, & extra quæstionem est, c. 2. d. 6. q. 2. certam. 1. num. 3. 323
Est quoad extrinsecam æternitatem, quam Dei æternitas ambiit præsentia, seu existentia physica rigida, & propria rerum æternitatis, seu ex æternitate, non nisi hæretice, asseretur, n. 5. ibid.
Sensus Catholicus per solam extrinsecam denominationem piè Dominicanis Recentioribus tribuitur, & explicatur: ibid.
Præsentiæ, & coëxistentiæ huius rerum Dei æternitati, cert. 2. n. 1. 324
Ab eius sententiæ impostura aliqui ex nostris vindicati, n. 2. ibid.
Et S. Thomas eius testimoniis expressis, n. 3. ibid.
Et veterum Thomistarum Dominicanorum, eius scholæ pro eorum, & ipsius sancti discipulorum auditorum, & coëxistentiam rerum Dei æternitati, ex æternitate scholæ, scholastici omnes quondam stetere, &, stant, si paucos, nec primores Thomistas excipias, n. 10. ibid.
Sine addito, aut explicatione asserta, non solum falsa, sed hæretica, & fidei contradicit. cert. 3. n. 1. 326
Sensu de præsentia, & coëxistentia rerum Deo, eiusque æternitate, ex æternitate denominatiue extrinsecus ab ipsa Dei, æternitate cui res pro sua duratione physice coëxistunt, est falsa, n. 4. 327
Vtroque sensu confutatur ab absurdis, cert. 4. 328.
Et extrinsecus denominatiue, in alium hæreticum recidere monstratur, numero 3. ibid.
Vterque sensus à priori impugnatur, cert. 5. 329.
Ex ex inutilitate, & impossibilitate inseruiendi scientiæ Dei, vt futura ab æterno cognoscat ad quod excogitata ea præsentia à suis Patro-

nis fuit, cert.6. 332

Anima. Prima principia per se nota, non solum euidentia; sed probabilia admittenda sola terminorum perfecta apprehensione, in quibus penetrandis Vasquez cæteris excedit, d.7.quæst.2. cer.4.n.5. 346

Logica. Propositionis materiæ necessariæ copula non significat, nec concernit tempus coexistentiæ identicæ prædicati cum subiecto, vt significat in propositione materiæ contingentis, ideo æternæ, & veritatis, d.5.quæst.1.cert.4. num.3. 223

Essendi per copulam illam importati mala, & inutilis Recentiorum explicatio, & acceptio, ibid. n.4.

Verior aliorum, sed non plena, numero 5. 224

Significat esse verum intentionale obiectiuum identitatis prædicati cum subiecto: quod etsi absque figmento rationis non cognoscatur; non tamen, quod esse illud vel sit, vel induat, n.6. ibid.

Cognosceretur autem, si obiectiuarum pure, & vere intentionalium veritatum, species proprias haberemus, aut in seipsis videremus (vti Deus videt) absque vllo rationis figmento, n.7. ibid.

A propositione quavis conditionali conditione purificata ad absolutam, & è contra mutua, & legitima formalis consequentia est, q.2. cert.8. num.5. 240

Propositio altera ex contradictoriis in materia quavis, siue absoluta illa, siue conditionalis sit vera fore demonstratur, n.6. ibid.

Ac pluries. Propositio de futuro, aut præterito durationem, qua profertur, vt ipsius duratio est formaliter, non significat, sed materialiter solum, quæstione 4. certamine 2. numero 5. 256

Propositio de futuro contingenti determinate veritatis, aut falsitatis à quibus negetur, quæst.7. cert.1.n.1. 266

Oppositam Philosophorum, & Theologorum communis sententia, n.3. ibid.

Determinate veritatis duplex sensus ab Aristotele, Boëtio & Sanct. Thom. notatus fallaciam æquiuocationis in aduersæ sententiæ fundamento detegit, n.4. 267

Demonstratur à S. Thom. ex repugnantia duplicis contradictorij, simul veri, vel falsi, n.5. ibid.

Ex qua, & aliis principiis demonstratur ab Aristotele ibi, Vnde pro aduersa refertur, cert.2. 268

Aperta eius mens pro nostra, & communi sententia 1. *periherm. cap.*8. explicata, numer.4. ibid.

Ex aliis Philosophis, & Patribus probatur, cer.3. 269

Propositiones de contingenti, futuro, vel præsenti veritas minoris necessitatis est, quam de præterito, cert.2.n.5. ibid.

Multiplex demonstratio Theologica conclusionis, cert.4. 270

Propositiones & iudicij nostri de futuro contingenti à Deo præcognito, ac reuelato, æqua, atque diuini iudicij, & reuelationis veritas est, etsi nostrum, ex Dei reuelatione non fuerit, non est autem, æqua in nostro veritatis necessitas, sed longe minor, quod si nostrum è Dei reuelatione habeatur æqua in eo etiam veritatis necessitas erit, de quo subtilius agendum Controuer. de fide, numero 5. 271

Conclusionis demonstrationes naturales, cert.5. ibid.

Disiunctiua de futuro, vel non futuro contingenti necessariæ veritatis est; secus determinata de futuro contingenti, quod de facto erit ex Aristotele, Boëtio, & S. Thom. cert.1. n.5. 267

Obiectionum contra conclus. solutio, certam.6. ibid.

Propositio affirmatiua in materia contingente identitatem, prædicati, & subiecti æque dicunt atque in materia necessaria, non tamen necessariam vt hæc, sed contingentem, numer.3. ibid.

R

RAtionalis creatura singulis, & omnibus gratiæ auxiliis vel consensura, vel dissensura repugnat, Contr.2. disp.5. quæst.2.cert.11.n.8. 245

Relatio realis ad seipsam ratione solius in adæquate distinctionis termini ab ipsa repugnat, d.2.q.5.cert.1.n.7. 186

Realis transcendentalis physica ad prædicatum commune, quin ab individuali sui termini repugnat, disp.7. quæst. 2. certam.1. numero 5. 339

Nequit esse medium in quo terminus cognoscatur, cert.2. n. 7. 341. & quæst. 5. cert.1. n.6. 359

Reuelationi, & reuelato eodem fidei actu, nequimus assentiri, quia ei reuelatione assensus necessario præcedit, n.9. 360

Reuelatio mouere potest, ac de facto mouet ad assensum euidenti, & viso alias obiecto, cert.2. num.2. ibid.

S

SAmuel non dæmon mortem Sauli prædixit, 1. *Reg.*28. Contr.2. disp.5.quæst.6.cert.4.n.1. 265

Scientiæ specificatio adæquata à sola potentia, ne in Deo quidem est, quin ab obiecto etiam, d.2.q.5.cert.2.n.2. 187

Scripturæ interpretatio literalis ex laudata ab Augustino Tychonij regula esse debet, vt fides contra Hæreticos prævaleat, d.1.quæst.2.cert.3. num.6. 167

Sensus sphæra obiectiua ex his, quæ per ipsum ab vno quoque percipi mouimus taxanda physice, ac metaphysice, est, C.1. d.5.q.1.cert.2. num.4. 85

Species perfectiores imperfectiorum perfectionem non claudunt, & aliam vlteriorem addunt, sed, se totis è conceptu suo perfectiores ipsis sunt, q.3.cert.4.n.3. 97

Species impressa, vel distantiam, vel improportionem potentiæ cum obiecto, vt illud in se ipso percipiat, supponit, C.2. d.2.q.6. cert.2. num.2. 195

Speciei actiua determinatio ad cognitionem sui obiecti potentiæ actiuitatem ad cognoscendum euincit, n.4. 194

Speciei determinatio, non actiua, sine fundamento inducitur, n.6. ibid.

Spiritus Sanctus materialiter procedit per intellectum; secus formaliter, C.1. d.3.q.5. cert.2. num.9. 58

Spirituale, & indiuisibile, à potentia corporea, & diuisibili percipi non posse non facile ab aliis probatur, disp.5. quæst.1.certam.3.num.1. 85. ibid.

Probatur tamen, n.5.

Spiritualium passiones per se notæ nobis non sunt, d.1.q.1.cert.2.n.4. 3

Status contingentium triplex possibilitatis, primus prioritate maioris vniuersalitatis, secundus eo strictior; & tertio amplior, status conditionatæ

natæ futuritionis. Tertius eo ordine strictissimus est statu absolute existentiæ, seu futuritionis, C.2.d.5.prol.n.1. 219
Specialiter contra Anonymum, n.3. 220
Superior faciens subdito facultatem vtendi aliquo, vel illud impendendi, in eos vsus, non effectiuè solùm, sed affectiuè fertur, C.1.d.8.q.6. cert.3.n.8. 154
Supernaturalitas actuum intellectus, & voluntatis (& idem est de habitibus) ex motiui, formalisque obiecti supernaturalitate desumi potest. Vnde ob naturale supernaturalis actus, & ob supernaturalem naturalis repugnat, vti, & ad naturalem concursus habitus supernaturalis, C.3.d.1.q.8.cert.3.n.2. 58
Schola Sancti Thom. quantum vere Thomisticæ scholæ Iesuiticæ debeat, quæst.5. cert.4. n.3. 484
Suppositio ex nudo prædicato variari potest; secus à propria significatione termini subiecti extrahi, ni prædicato aliquid alienationem denotans addatur, Contr.2. disp.8.quæst.3.cert.5. num.8. 391
Syllogistica formaliter relationi & connexioni, rationis, non reali, & physice antecedentis cum consequente innititur, quæ tamen ex illa sæpe nobis indagatur, ac deprehenditur, d.7. qu.2. cert.2.n.9. 341
Syncathegorema propositione additum aliam facit, ac sæpe discursum continet virtualem, C.1. d.1.q.1.cert.1. n.4. 3
Additum subiecto propositionis negatiuæ eam de subiecto non supponente non reddit, etsi falsum sit, sed solum falsam, certam.4. numer.9. p.6.

T.

TRinitatis difficultatis distinctio realis, virtualis personalitatum ab essentia non emollit, sed auget, disp.3. quæst.5.certam.2. num.2. 57.
Nec Realis mediata Recentiorum, numer.8. 58.
E summa, & perfectissima Dei simplicitate, & identitate contradictoria ex hoc Mysterio tentata contradictoria non esse monstrantur, nu.9. ibid.
Transitus ab extremo ad extremum, sine transitu per medium corporibus adhuc non repugnat, d.4.q.6.cert.3.n.5. 82
Tychonij peruetusti regula interpretatio litteralis scripturarum iuxta vocum proprietatem, vbi eo sensu aliis scripturæ dogmatibus, neque immediate, nec mediate per legitimas consequentias aduersatur, tenenda, vt fides hæresibus præualeat, C.2.d.1.q.3.certam.3.n.5. 167

V

VBiquitate Dei errores aduersi, C.1.d.4.q.5. cert.1.n.1. 75
Ex qua Dei spiritualitas demonstratur, ibi. Est de fide, n.2. 76
Et ex Patribus, n.4. ibid.
Est immensitatis præsentia, qua vltra spatia omnia adest, etiam possibilia imaginaria, & vltra, quorum idæa & exemplaris causa formaliter eminenter, & indiuisibiliter illa omnia continens est, cert.2. ibid.
A ratione ostenditur, cert.3.n.1. 88
Ab absurdis, n.3. ibid.
Vo[illegible] contra vbiquitatem singularis dementia, num.4. ibid.
Ex Dei operatione vbique non demonstratur, q.6.cert.1.n.1. 89
Nec efficaciter, n.3. ibid.
Præsertim à priori, n.4. ibid.
Nec à posteriori, cert.2. 80
Nec si operari in distans, quin in propinquum vniuersim repugnaret (quod negamus ibi) inde vbiquitas Dei legitime inferretur, numero 7. 81.
Neque ex suppositione intimæ præsentiæ suæ necessariæ ad agendum in qua coexistentia localis cum effectu fundetur, n.8. ibid.
Veritas entis passio à veritate cognitionis non pendet, sed hæc potius ab illa, d.7.qu.1. cert.1. n.1. 122. & 3. ibid.
Nec in hac stat, sed in positiua soliditate, nec solum apparenter essendi, n.3 & 4. ibid.
Addit supra ens positiuam identitatem realem cum ipso, ex qua esse verum formaliter habet, & entis apparentia sola excluditur, atque passio entis constituitur, contra difficultates subtiles, cert.2.n.3. 123
Veritas obiectiua, seu cognoscibilitas, obiecti, nec solum per extrinsecam denominationem à cognitione, passio entis non est, cum absque entis veritate in fictis inueniatur, d.5.q.5.cert.3. num.7.
Verificatiua propositionum de non actu existentibus nequeunt in Deo poni, quin his Vicclesfi propositionibus possibilia, seu impossibilia sunt Deus indissolubiliter fere adhæreatur, d.8. q.3.cert.5 n.5.
Nulla veritas, tempori affigitur, ita, vt nec antea nec postea sit cognoscibilis, d.4.qu.3. cert.1. n.5. 69. & cert.2.n.4. 70
Violentia voluntati reliquiis indifferentibus principiis concursus ex parte Dei negatione inferri à Deo potest, ex Vasquez, & veritate, d.7.q.3. cert.3 n.3. 126
Virtualis realis distinctionis definitio à suis Patronis per rei vnius æquiualentiam distinctio munere, d.3.q.5.cert.1.n.1. 56
Male aliqui in omni munere distinctorum æquiualentiam ipsis fore defendunt, numero 3. ibid.
Male alij quoad omnia ipsis contradictoria subeunda, n.4. ibid.
Difficultates Mysteriorum fidei non emollit, cert.2.n.2. 57
Vitiosum circulum definitio incurrit, n.6. ibid.
Compositionem independenter à nostro intellectu in Deo inducit, n.7. ibid.
Virtutum moralium Dei diuisio, cum morali Dei sanctitate, formaliter indiuisibiliter ad omnes terminata componitur, C.2. disp.2.qu.6 cer.1. num.6. 193
Visio etiam beata vnum prædicatum in re physice earum ab alio potest obiectiue præscindere, C.1.d.3.q.1.cert.4.n.6. 45
Nulla creata seipsam potest formaliter repræsentare ex nostris Moncæo, & Petro Hurtado, & ratione, disput.5. quæst.4. certam.1. num.5. 100
Vitæ realis intentionalis à reali physica discrimen, C.2.d.2.q.4. cert.1. n.1. 182. & certam.2. à n.4. 184
Viuenti partialis saltem intrinseca virtus ad actus vitales necessaria, Contr.1. d.5.quæst.1. cert.2. num.5. 85
Vocum significatio ad placitum ex imponentis, non eius cui loquendum est, cognitione taxatur, qua obiecta non loquentis significantur cognitiones, Contr.1. d.5. quæst.5. cert.1. n.4. ad 6. 105. & 106
Significant obiectum proportionate ad capacitatem percipiendi illud eorum, quibus loquendum vocibus est; non autem imponentis perfectius illud cognoscentis, n.6. & 7. 106
Vnitas passio entis indiuisionem in se, & diuisio-

nera de se à quovis alio formaliter importat. disp.6.quæst.5.certam.1.nu.1.118. & cert.4.n.5. 121
Vnitas singularitatis eius dicit immultiplicabilitatem, vt nec alia ipsa, nec illa res alia esse possit in quavis linea rei singularitas sit, siue physica, siue metaphysica, cert.2. 119
Voluntas Dei (idem est de scientia) libera per extrinseca etiam, qua libera est vt volunt aliqui constituta in tempore incipere, aut desinere dici, nec debet., nec potest, d.4.q.3.certam.1. num.4. 71
Voluntas efficax Dei erga creata effectiua, quin etiam effectiua sit, repugnat, C.1.d.8.q.6.cer. 3.n.6. 154
Voluntas physice mobilis à seipsa solum est, ab alio vero, non physice, sed solum intentionaliter per motiuorum propositionem, & cognitionem, C.3.d.1.q.1.cert.3. num.6. 400. qu.3. cert.3.n.4. 449
Ex Patribus, & scholasticis, qu.8. cert.1. nu.1. 550
Ratione à priori,n.3. 551
Vbi inde solum non posse in incognitum ferri solide posse probari ostenditur; nec posse violentiam in suis actibus dari, num.5. ibid.
Cum quo stat ex intentione efficaci finis de vnici electione, & ex actu imperante, ad imperatum antecedenter, & parte actus primi physice determinari, ibi, Voluntas nostra ex se, & debitis naturæ ad peccatum solum potest, d.2.q.4.cert.2.n.6. 610
Qua complacentiæ puræ est, ex bonitate motiua obiecti speciem in genere moris sumit, non à circunstantiis executioni, necessario interuenturis, cert.4.n.2. 616
Quæ desiderium, etiam inefficax à circunstantiis, etiam executionis in genere moris specificatur,n.3. ibid.
Nec si conditionatum sit, sub conditione turpi, vt hanc expresse, per illud amari opus est, vt ex illa turpitudinem trahat,n.4. ibid.
Voluntas desiderij de obiecto alterutro disiunctim conditionatum duplex de appositione vnius si alterum non apponatur, vel continet, vel infert,n.5. 617
Voluntatis affectiua determinatio, alterius determinationi nequit physicè committi; secus effectiua ad extra voluntatis diuinæ determinatio,d.3.q.1.cert.3.n.3. 632

FINIS.


Th
912a
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN